# SACROSANCTA CONCILIA
## AD REGIAM EDITIONEM EXACTA

QUÆ OLIM QUARTA PARTE PRODIIT AUCTIOR

*Studio* PHILIP. LABBEI, & GABR. COSSARTII,
*Soc.* JESU *Presbyterorum*;

Nunc verò integre inſertis STEPHANI BALUZII, & JOANNIS HARDUINI additamentis, plurimis præterea undecunque conquiſitis monumentis, notis inſuper ac obſervationibus, firmiori fundamento Conciliorum epochas præcipue ſulcientibus, longè locupletior, & emendatior exhibetur,

CURANTE NICOLAO COLETI

*Eccleſiæ S. Moyſis Venetiarum Sacerdote Alumno.*

## TOMUS DECIMUS

*Ab Anno* DCCCLVIII. *ad annum* DCCCLXXI.



VENETIIS, MDCCXXX.

Apud { JO: BAPTISTAM ALBRIZZI HIERON. FIL. ET SEBASTIANUM COLETI.

*CUM VENETI SENATUS PRIVILEGIO.*

1071 X
R. 131
R. 2L. 352

# SYLLABUS

## EORUM QUÆ TOMO X. CONCILIORUM CONTINENTUR.

*Quæ aſteriſco * notata ſunt, non erant in prioribus aliis editionibus: quibus vero hæc nota † impreſſa eſt, eorum incertus eſt annus; quæ vero indice ☞ deſignantur, huic editioni acceſſere.*


ANNO CHRISTI 858.

NICOLAUS PAPA I.

*Hincmari archiep. Remenſis capitula variis annis data presb. parochiæ ſuæ.* 1

1. *Presbyteris data anno DCCCLII. capitula XVII.* ibid.

2. *Capitula XXVI. quibus de rebus magiſtri & decani inquirere, & epiſcopo renunciare debeant.* 5

3. *Capitula III. anno XII. epiſcopatus ſuperaddita.* 17

4. *Capitula V. in ſynodo Remenſi anni DCCCLXXIV.* 19

5. *Capitula XIII. eodem anno archidiaconis presbyteris data.* 23

*Ejuſdem epiſtola ad presbyteros, de baptiſmo.* 25

*Iſaac epiſcopi Lingonenſis canones.* 29

*Herardi archiepiſcopi Turonenſis capitula.* 59.

* *Vvalterii Aurelianenſis epiſc. capitula.* 69.

* *Ludovici Cellotii S. J. notæ in eadem.* 74

Conciliabulum CP. ſive Photianum I. 83

☞ Obſervatio P. Pagi. 85

* Synodi III. CP. Photii G. L. ex Synodico. ibid. & 87

* Synodus Romana G. L. ex Synodico. 89

* Sueſſionenſe Concilium. ibid.

*Epiſtola ſynodi Cariſiacenſis ad Ludovicum Germaniæ regem.* ibid.

* *Notæ Jac. Sirmondi S. J.* 104

859. Metenſe. 105

* Notæ Jac. Sirmondi S. J. 111

* Lingonenſe. ibid.

Tullenſe I. apud Saponarias. 113

1. Canones XIII. 114

2. Proclamatio Caroli Calvi adverſus Wenilonem Senonenſem archiepiſcopum. 117

3. Epiſtola ſynodalis ad Wenilonem. 120.

4. Synodalis ad epiſcopos Britonum. 124.

5. Synodalis ad Britones excommunicatos. 125

6. Canones XVI. concilii. 128

7. Commonitorium Herardi Turonenſis, ad Wenilonem Senonenſem. 134

8. * Notæ Jacobi Sirmondi S. J. 132

☞ Siſtericenſis ſynodus. 135

☞ Conſtantinopolitanum concilium. 137

Conſtantinopolitanum conciliabulum, ſive Photianum II. 139

ANNO CHRISTI 860.

Aquiſgranenſe duplex concilium. ibid.

Synodica epiſcoporum regni Lotharii ad Nicolaum. 141

Confluentium concilium. ibid.

* Notæ Jac. Sirmondi S. J. 147

Tullenſe II. concilium apud Tuſiacum villam. 149

1. Præfatio. ibid.

2. Canones V. ibid.

* Ad eos additio. 151

3. Subſcriptiones. ibid.

4. * Confirmatio privilegiorum S. Martini Turonenſis. 153

5. Epiſtola ſynodalis. 154

6. Hincmari Remenſis epiſtola, ſynodi juſſu ſcripta ad metropolitanos Aquitaniæ. 163

7. Notæ Jacobi Sirmondi S. J. 181.

860. *Gallicanus incerti loci conventus.* ibid.

861. Conſtantinopolitanum conciliabulum. 187

☞ Adnotatio P. Pagi. 190

Romanum I. concilium. ibid.

☞ Hujus ſynodi Acta. ibid.

* Sueſſionenſe. 196

862. * Senonenſe. 197

Romanum II. 199

Aquiſgranenſe III. ibid.

1. Acta concilii. ibid.

2. * Conteſtatio Lotharii regis. 202

3. * Sententia epiſcoporum pro Lothario. 203

4. * Collectio variorum locorum, ſuper hoc, an liceat homini, uxore dimiſſa, aliam ducere, adhuc illa vivente. 206

5. Notæ Sirmondi & Binii in hoc concil. 214

*Conventus in villa ad Sablonarias dicta.* 215

* *De eodem ex annalibus Bertinianis.* ibid.

Piſtenſe concilium, ad Sequanam. 216. 245.

1. Capitula IV. 245

2. * De eodem ex annal. Bertinianis. 215

3. * Privilegium conceſſum monaſterio ſancti Dionyſii. 216

4. * Privilegium eidem monaſterio a Landerico Pariſienſi epiſc. datum, in hoc concilio confirmatum. 220

5. * Privilegium S. Martini Turonenſis confirmatum. 253

6. * Notæ Jac. Sirmondi S. J. 256

* Sueſſionenſia concilia duo. 221


☞ Schi-

# SYLLABUS TOMI DECIMI.

ANNO CHRISTI

☞ Schiracavanenſe. 223
☞ P. Galani Obſervatio. 225
863. Silvanactenſe in Convicino villa. 227.
1. Notæ Sirmondi & Binii. 229. 230
Epiſtolæ ſynodales epiſcoporum Regni Lotharii. ibid.
Metenſe. 231
1. * Additio ex annal. Bertinianis. 233.
2. * Epiſtola Teutgaudi, Guntharii & Arduici, ad Hincmarum. 229
3. * Eorumdem, & duorum aliorum arch. ad epiſcopos regni Ludovici. 230
4. Notæ Sirmondi & Binii. 234
Romanum III. 235
1. Præfatio Nicolai papæ ad epiſc. ibid.
2. Capitula VI. 236
3. * Plura ex Bertinianis annalibus. 238. & ſeq.
4. Notæ Sirmondi ac Binii. 242
☞ Supplementum dicti Concilii. 1409
Romanum IV. 243
Romanum V. ibid.
Piſtenſe. 245
☞ Subſcriptiones ex privilegio Dionyſiano apud Mabillon. 252
☞ Privilegii in gratiam monachorum Aniſolenſium confirmatio. 255
Analecta Opuſculorum quæ Sirmondi notis commemorata ſunt. 257
1. Præceptum Caroli Calvi pro eccleſia in Magniaco. ibid.
2. Concilium Hincmari archiep. de pœnitentia Pippini junioris. 259
3. De Nomenoii Britonis Tyrannide. 260.
* Incerti loci in Aquitania. 261
* Vermerienſe. 263
864. Romanum VI. 263
☞ Piſtenſe. 265
865. Romanum VII. 267
1. Libellus proclamationis Rothadi epiſcopi. 268
2. Sermo Nicolai papæ de Rothadi cauſa. 272
3. Nicolai epiſtola ad clerum & plebem Rom. de Rothadi abſolutione. 274
4. Ejuſdem ad Carolum Calvum pro Rothado reſtituto. 275
5. Ejuſdem ad Hincmarum Remenſem. 278.
6. Ejuſdem ad epiſcopos Galliæ. 280
7. Ejuſdem ad cler. & plebem Sueſſion. 288
8. Ejuſdem ad Rothadum ipſum. 289
866. Sueſſionenſe III. 291
1. Epiſtola Nicolai papæ ad Hincmarum, de convocatione concilii. ibid.
2. Caroli regis ad Nicolaum. 294
3. Nicolai ad Carolum. 296
4. Ejuſdem ad Herardum archiep. Turonenſem, de convocando concilio. 297.
5. Schedulæ quatuor ſynodo oblatæ ab Hincmaro. 299
6. Annuntiatio Herardi Turon. archiep. 313.
7. Synodica ad Nicolaum. 316
8. Synodica altera ad eumdem. 320
9. Caroli regis ad Nicolaum, de geſtis in ſynodo. 322
10. Privilegium a ſynodo conceſſum monaſterio Solemniacenſi. 323
11. Epiſtola Nicolai ad epiſcopos ſynodi. 328
12. Ejuſdem ad Hincmarum Remenſem. 334
13. Ejuſdem ad Carolum regem. 342
14. Ejuſdem ad Vulfadum & ſocios. 343
15. * Hincmari ad Nicolaum. 347
16. * Hincmari ad Egilonem. 350
17. * Ejuſdem ad Nicolaum papam. 354
18. * Ejuſdem ad eumdem. 366
19. * Additio ad hoc concilium, & Tricaſſinum ſequens: ex Bertinianis annalibus. 345. & ſeq.
Clericorum Remenſium epiſtola ad Nicolaum papam. 367
* Pariſienſe concilium 345
* Vermerienſe. 369
867. Tricaſſinum I. 371
1. Epiſtola epiſcoporum Caroli & Lotharii, ad epiſcopos Ludovici, ut ad ſynodum veniant. ibid.
2. Synodica ad Nicolaum. 374
3. Caroli Calvi ad eumdem. 379
☞ Conſtantinopolitanum Conciliabulum. 385
☞ Conſtantinopolitanum concilium. 387
867. HADRIANI PAPÆ II. VITA. 387
*Ejuſdem epiſtola XXXIV.* 402. & ſeq.
* *Aliæ duæ.* 444. 445
*Baſilii Imp. epiſtola ad Nicolaum papam.* 402.
*S. Ignatii ad eumdem.* 403
*Epiſtola ſynodica ex concilio CP. ad Hadrianum II.* 404
* *De Hadriani papæ II. epiſtolis in Gallias ſcriptis.* 446
868. Romanum concilium. 447
Apud Cariſiacum. ibid.
VVormatienſe. 449
1. Præfatio. 453
2. Profeſſio fidei. ibid.
3. Canones LXXX. 455
* In certi loci concilium epiſcoporum Galliæ, & Burgundiæ. 469
869. & 870. CONSTANTINOPOLITANUM IV. ET GENERALE VIII. 471
*Hujus concilii duplex eſt editio, altera Latina ex interpretatione Anaſtaſii, altera Græco lat. interprete Radero. Latina cur præcedat, vide admonitionem editorum Romanorum, in fronte totius ſynodi.*

EDITIO LATINA

ANASTASII BIBLIOTHECARII.

Brevis compendioſus ſynodi. 483
Actio prima. 485
1. Epanagnoſticum imper. Baſilii. 488
2. Epiſtola Hadriani papæ ad Imper. Baſilium. 489
3. Theodoſii patriarchæ Hieroſolymitani epiſtola ad Ignatium patriarcham CP. 495

4. Li-

ANNO CHRISTI 869. & 870.

4. Libellus profeſſionis a pontifice Romano miſſus. 497
5. Definitio vicariorum eccleſiæ Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ. 500
Actio II. 507
Actio III. 514
1. Mittit ſynodus ad aliquot epiſcopos, ut ſubſcribant Romano libello: qui renuunt. 515
2. Epiſtola Baſilii Imp. ad papam. 516
3. Ignatii patriarchæ ad papam. 517
4. Hadriani papæ ad Ignatium. 520
Actio IV. 523
1. Altercatio de Theophilo & Zacharia Photianis epiſcopis: an ſint audiendi. 525. 526
2. Tandem introducti, recuſant libello ſubſcribere. 528
3. Nicolai papæ epiſtolæ duæ ad Michaelem Imp. altera ad Photium. 529. 535. 539.
Actio V. 545
Actio VI. 552
1. Romanorum vicariorum epanagnoſticum. 554
2. Auditi Photiani permanent contumaces. 555. & ſeq.
3. Exhortatorius ſermo Imperatoris. 563
Actio VII. 567
1. Introductus Photius, ac deinde Photiani, contumaces reperti. 568. & ſeq.
2. Nicolai papæ epiſtola ad præſules ſedi CP. ſubjacentes. 572
3. Hadriani papæ ep. ad Baſilium. 591
4. Ejuſdem ad Ignatium. 592
5. Acta concilii Romani Hadriani papæ. 593. & ſeq.
6. Conmonitorium vicariorum urbis Romæ ad Photium. 603
7. Acclamatio Ignatii ad ſynodum. 603.
8. Anathema Photio & Photianis dictum a ſynodo. 604
Actio VIII. 605
1. Cremata ſunt chirographa quæ Photius exegerat: & acta ſynodorum Photianarum. 607
2. Auditi falſi vicarii ſedium patriarchalium. ibid.
3. Anathema dictum Iconomachis & Photianis. 611. & ſeq.
Actio IX. 615
1. Joſephus monachus, legatus Michaelis Alexandrini patriarchæ, venit in ſynodum. 616
2. Patriarchæ Alexandrini epiſtola ad Baſilium Imp. 617
3. Libellus Joſephi, quo conſentit actis in concilio. 620
4. Auditi falſi teſtes qui juraverant contra Ignatium. 622
5. Epitimium in eos qui falſo contra Ignatium juraverant. 624
6. De laicis, qui ſacerdotalibus erant uſi veſtibus. 626
7. Iterum auditi falſi vicarii. 627
Actio X. 629
1. Canones XXVII. ſynodi VIII. 632
2. Definitio fidei. 651
3. Subſcriptiones. 662
4. Epiſtola encyclica ſynodi. 668
5. Synodica ad Hadrianum papam. 673
6. Baſilii Conſtantini, & Leonis Impp. ep. ad omnes ſedes patriarchales. 674
7. Eorumdem ep. ad Hadrianum pp. 675
8. Ignatii epiſtola ad eumdem. 676
9. Hadriani epiſtola ad imperatores. 678
*Huic Latinæ editioni additæ ſunt ſuis locis notæ editorum Romanorum.*
EJUSDEM CONCILII EDITIO GR. LAT.
*Pars I. ſive apparatus ad ſynodum.*
1. Vita Ignatii patriarchæ CP. 681
2. Ex encomio ejuſdem, autore Michaele Syncello. 763
3. Libellus de tota Ignatii cauſa ſcriptus a Theognoſto. 766.
4. Epiſtola Nicolai papæ ad omnes epiſcopos: & ad Ignatium altera. 774. 778
5. Epiſtola Epiphanii archiepiſc. Cypri, ad Ignatium, poſt ipſius reditum. 779
*Pars II. Acta ſynodi.*
Proœmium Actor. ſynodi VIII. 781
Actio I. ibid.
Actio II. 794
Actio III. 795
Actio IV. 801
Actio V. 811
Actio VI. 818
Actio VII. 831
Actio VIII. 855
Actio IX. 863
Actio X. 871
*Pars II. ſeu appendix.*
1. Epiſtola encyclica ſynodi. 883
2. Synodica ad Hadrianum papam. 887
3. Stephani papæ ep. ad Baſilii Imp. 895
4. Epiſt. Styliani, Neocæſareæ Euphrateſinæ epiſc. & clericorum CP. degentium, ad Stephanum papam. 902
5. Stephani papæ epiſtola ad omnes ubique epiſcopos & clericos. 911
6. Styliani, ejuſque ſymmiſtarum ad Stephanum papam. 914
7. Formoſi papæ reſponſum ad Stylianum. 915
8. Quoties Photiani contra ſuas ipſi cruces perjuri extiterint. 918
9. Ex ſynodica Nicolai papæ. 922
10. Ex ſynodica Hadriani papæ. 923
11. Breviarium ſynodi VIII. ad ingreſſum magnæ eccleſiæ perſcriptum. 926
12. De Photio, ex hiſtoria Joannis Scylitzæ. 935
13. Admonitio de pſeudoſyn. Photii. 938
14. Joan. papæ VIII. epiſt. germanæ VI. Gr. & Lat. 955. 966. 978. 982. 983. 990
Notæ Binii in concilium CP. IV. 993
*Quibus continentur.*
1. Profeſſio fidei Romani pontificis, ex diurno Ant. Auguſtini. 996
2. Actionis decimæ compendioſa deſcriptio, ex notis Anaſtaſii. 1009
* Synodus œcumenica VIII. Latine Pappi: ex Synodico. 1013
* Eadem G. L. ex MSS. Allatii, & altero Bigotii. 1014
* Pſeudoſynodus Photii in templo SS. Apoſtolorum. 1015
1. Præfatio Zonaræ, G. L. ibid.
2. Canones XVIII. G. L. ibid.
Conſtantinop. pſeudoſynodus in templo S. Sophiæ. 1031
869. Vermerienſe concilium. 1033
1. * Confirmatio privilegiorum cœnobii

Caro-

ANNO CHRISTI 869

Carroſenſis, ibid.
2.* Additio ex annal. Bertinianis, 1035
Metenſe, 1037
1. Annunciationes ab Advent. factæ. 1039
2. Capitula IV. ab Hincmaro Remenſi denunciata. 1040
* Piſtenſe. 1041
☞ Capitula Caroli Calvi. 1043

870. ☞ Viennenſis ſynodus. 1047
Attiniacenſe Concilium, 1049
Notæ Sirmondi & Binii, 1050
Colonienſe. 1051

871. * Duziacenſe I. ibid.
1. * Præfatio Ludovici Cellotii in acta concilii. 1054
2. * Teſtimonia veterum de hoc concilio, & Hincmaro Laudunenſi. 1057
3. * Pars I. concilii, ſive proclamatio regis Caroli. 1061
4. * Pars II. Schedula expoſtulationis Hincm. Rem. adverſus Laudun. 1065
5. * Pars III. Reſponſa epiſcoporum ad proclamationem Caroli regis contra Hincmarum Laudunenſem. 1128
6. * Pars IV. Acta ſynodi cum Hincmaro Laudun. præſente: item ſubſcrip. 1143
7.* Pars V. Epiſtola ſynodalis ad Hadrianum papam, & privata Hincmari Remenſis ad eumdem. 1164. 1169

ANNO CHRISTI 871.

8.* Vita Hincmari Laudunenſis per Cellotium. 1174
9.* Ejuſdem Cellotii notæ in concilium Duziacenſe I. 1212
* *Opuſcula Hincmari utriuſque porrecta Carolo regi apud Piſtas.* 1242
1. * *Quaterniones Hincmari pro eccleſiaſtica libertate;* 1244
2. * *Rotula ejuſdem porrecta Regi, cum quaterniones legere differret.* 1265
3. * *Schedula Hincmari Laud.* 1269
4. * *Satisfactio Hincmari Laud.* 1271
5. * *Extemporalis admonitio Hincmari Remenſis ad Regem.* ibid.
6. * *Epiſtola Hincm. Rem. ad Regem.* 1275
7. * *Nota Ludovici Cellotii in præcedentia opuſcula,* 1279
*Epiſtolæ aliquot Hincmari Rem.* 1299
1. * *Ad Laudunenſes.* ibid.
2. 3. * *Ad Hincm. Laudun. epiſc.* 1302. 1311
4. * *Ad clericos Laudunenſes.* 1316
5. 6. 7. 8. * *Ad Hincm. Laud.* 1318. & ſeq.
* *Narratio eorum quæ poſt data LV. capita peracta ſunt ab utroque Hincmaro.* 1345
* *Hincmari Laudunenſis epiſtola ad Hincmarum Remenſem.* 1351

## APPENDIX.

* RABANI *archiep. Mogunt. reſponſum ad interrogationes Regimbaldi chorepiſcopi.* 1353
* *Ejuſdem opuſculum de chorepiſcopis.* 1359
*De antiquis epiſcoporum promotionibus, cum diverſis formularum ad eas ſpectantium, & formatarum exemplis.* 1367
*Præfatio Jacobi Sirmondi S. J.* ibid.

I.

Formulæ quarum uſus fuit ſub primis Francorum regibus. 1369
1. *Cleri plebiſque viduatæ preces ad regem pro epiſcopo inſtituendo.* ibid.
2. *Præceptum regis de epiſcopatu, ad epiſcopum deſignatum.* ibid.
3. *Indiculus regis ad metropolitanum, ut epiſcopum deſignatum ordinet cum ſuis comprovincialibus.* 1370
4. *Indiculus alter ad epiſc. pro eadem ordinatione.* ibid.

II.

Formulæ diverſæ in epiſcoporum promotionibus uſurpatæ, poſt reſtitutam electionum libertatem. 1371
1. *Epiſtola Hincmari ad regem, ut electionem & viſitatorem concedat eccleſiæ Silvanectenſi.* 1372
2. *Epiſtola Hincmari ad Hedenulfum, ut viſitatorem agat in eccleſia Cameracenſi.* 1373
3. *Epiſtola Hincmari ad clerum & plebem Cameracenſem, ut electionem faciant.* 1374
4. *Epiſtola Hincmari ad Belvacenſes, de modo faciendæ electionis.* ibid.
5. *Excuſatio Remenſium, qui electionem ante viſitatoris adventum feciſſe dicebantur.* 1376
6. *Allo[illegible] viſitatoris ad electores.* 1378
7. *Decretum [illegible]nis Hedenulſi epiſcopi Laud.* 1381
8. *Decretum aliud electionis Æneæ epiſc. Pariſienſis.* ibid.
9. *Decretum III. electionis Anſegiſi archiep. Senon.* 1382
10. *Epiſtola Senonenſis eccleſiæ ad Hilduinum archicapellanum, pro tuenda electione quam fecerant.* 1383
11. *Examinatio Vuilleberti Catalaunenſis ordinandi epiſcopi.* 1385
12. *Profeſſio Adalberti futuri epiſcopi Morinenſis.* 1388
13. *Profeſſio altera futuri archiepiſcopi.* 1389
14. *Tractoria Prudentii epiſc. Tricaſſini, cum electioni Æneæ adeſſe non poſſet.* 1390
15. *Documentum de ordinatione Electranni epiſc. Redonenſis.* 1391
16. *Canonicæ litteræ ab ordinatoribus datæ Hedenulfo epiſcopo Laudunenſi.* 1392

III.

Formatarum veterum canonicarũ exempla XI. 1397
*Attici epiſcopi, qualiter epiſtola formata fiat.* ibid.
1. *Ebroini Bituricenſis archiepiſc. ad Magonem Senonenſem.* 1399
2. *Vuolfeonis epiſc. Conſtantienſis ad Bernaltum Argentarienſem.* ibid.
3. *Teutgaudi Trevirenſis archiepiſc. ad Carolum regem, epiſcopos, &c.* 1400
4. *Joannis epiſc. Cameracenſis ad omnes epiſcopos.* 1402
5. *Liutadi epiſc. Vincienſis ad Vvenilonem Rotomag. archiep.* 1403
6. *Æneæ Pariſ. epiſc. ad Hincmarum Remenſem.* 1404
7. *Hedilonis epiſcopi Noviomenſis ad Didonem Laudunenſem.* ibid.
8. *Hedilonis ejuſdem ad Rodulphum Laudunenſ.* 1405
9. *Ratbodi Trevir. archiepiſc. ad Rotbertum epiſc. Metenſem.* 1406
10. *Dadonis epiſc. Virdunenſis ad Ratbodum Trevirenſem.* 1407
11. *Durandi epiſcopi Arvernorum ad Rodulphum Turonenſem.* 1408
*Formula generalis epiſtolæ formatæ.* ibid.



# HINCMARI ARCHIEPISCOPI
## RHEMENSIS CAPITULA.
### Ad presbyteros parochiæ ſuæ.

INDEX.

I. *Capitula presbyteris data anno* DCCCLII.
II. *Capitula de quibus inquiri & renuntiari debet epiſcopo.*
III. *Capitula anno duodecimo epiſcopatus ſuperaddita.*
IV. *Capitula in ſynodo Rhemis data anno* DCCCLXXIV.
V. *Capitula archidiaconibus presbyteris data.*

I.

*Capitula presbyteris data anno* DCCCLII.

Ex editione P. Sirmondi.

ANNO DCCCLII. Kalendis Novembris, conventu habito presbyterorum in metropoli civitate Rhemorum inter cetera monita ſaluberrima, dum de legibus atque rebus eccleſiaſticis ab Hincmaro præſule tractaretur, hæc in ultimo prolata ſunt memoriæ commendanda, & ſummopere obſervanda.

CAP. I. *Ut presbyteri diſcant expoſitionem ſymboli & orationis dominicæ, &c. cum ſymbolo Athanaſii.*

Ut unuſquiſque presbyterorum expoſitionem ſymboli, atque orationis dominicæ, juxta traditionem orthodoxorum patrum plenius diſcat. exinde prædicando populum ſibi commiſſum ſedulo inſtruat. Præfationem quoque canonis, & eumdem canonem intelligat, & memoriter ac diſtincte proferre valeat. & orationes miſſarum, * apoſtolum quoque & euangelium bene legere poſſit. pſalmorum etiam verba & diſtinctiones regulariter, & ex corde, cum canticis conſuetudinariis pronuntiare ſciat. Nec non & ſermonem Athanaſii de fide, cujus initium eſt: *Quicumque vult ſalvus eſſe*, memoriæ quiſque commendet, & ſenſum illius intelligat, & verbis communibus enuntiare queat.

* *ſc.* epiſtolam. * nihil mutandum.

II. *De ſcrutinio & ordine baptizandi.*

Ut ſcrutinium, & omnem ordinem baptizandi, nulli penitus liceat ignorare.

III. *De exorciſmis catechumenorum, & de baptiſmo infirmorum. Item de fontibus, ac vaſis ad corporalia & pallas abluendas.*

Exorciſmos & orationes ad catechumenos faciendum, ad fontes quoque conſecrandum, & ceteras preces ſuper maſculos & feminas, pluraliter atque ſingulariter, diſtincte & rationabiliter memoriæ commendet. Similiter & ordinem baptizandi ad ſuccurendum infirmis. Et qui fontes lapideos habere nequiverit, vas conveniens ad hoc ſolummodo baptizandi officium habeat, & ſimiliter ad corporale lavandum, & ad pallas altaris, propria vaſa habeantur, in quibus nihil aliud fiat.

A

IV. *De ordine reconciliandi, & unguendi infirmos. deque exequiis defunctorum, & de benedictione ſalis & aquæ.*

Ordinem reconciliandi, juxta modum ſibi canonice reſervatum, atque unguendi infirmos, orationes quoque eidem neceſſitati competentes memoriter diſcat. Similiter ordinem & preces in exequiis atque agendis defunctorum. nec minus exorciſmos & benedictiones aquæ & ſalis.

V. *De aqua omni die dominico ante miſſam benedicenda.*

Ut omni dominico die quiſque presbyter in ſua eccleſia ante miſſarum ſolennia aquam benedictam faciat in vaſe nitido & tanto miniſterio convenienti, de qua populus intrans eccleſiam aſpergatur, & qui voluerint in vaſculis ſuis nitidis ex illa accipiant, & per manſiones, & agros, & vineas, ſuper pecora quoque ſua, atque ſuper pabula eorum, nec non & ſuper cibos & potum ſuum conſpergant.

B

VI. *De thuribulo & incenſo.*

Ut omnis presbyter thuribulum & incenſum habeat, ut tempore quo euangelium legitur, & finito offertorio, ſuper oblationem incenſum, ut in morte videlicet redemptoris, ponat.

VII. *De pane ad eulogias benedicendo.*

[1] Ut de oblatis, quæ offeruntur a populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad eccleſiam, vel certe de ſuis, presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido & convenienti, ut poſt miſſarum ſolennia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die dominico, & in diebus feſtis, exinde accipiant. Et illa, unde eulogias presbyter daturus eſt, ante in hæc verba benedicat, & ſic accepturis diſtribuat, & micas ne incaute defluant cuſtodiat: Domine ſancte pater, omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua ſancta & ſpiritali benedictione, ut ſit omnibus cum fide & reverentia, ac gratiarum tuarum actione ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & univerſas cunctorum inimicorum inſidias tutamentum. Per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium tuum, panem vitæ, qui de cælo deſcendit, & dat vitam ac ſalutem mundo, & tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

C D

VIII. *De homiliis ſancti Gregorii, & de computo cantuque eccleſiaſtico.*

Homilias XL. Gregorii quiſque presbyter ſtudioſe legat, & intelligat: & ut cognoſcat ſe ad formam ſeptuaginta duorum diſcipulorum in miniſterio eccleſiaſtico eſſe promotum, ſermonem præ-



1 Hæc ſunt totidem verbis in Concilio Namnetenſi anni 865. can. 9. & apud Burchardum l. 5. c. 27. & 28. ubi Pio Papæ tribuuntur. *Harduinus.*

prædicti doctoris de LXXII. diſcipulis a domino ad prædicandum miſſis pleniſſime diſcat, ac memoriæ tradat. Computo etiam neceſſario, & cantu per anni circulum, pleniſſime inſtruatur.

IX. *De matutinali officio, & horis explendis: & poſt miſſam quid agere presbyter debeat ante prandium.*

Ivo part. 3. c. 181. Ex C. Namn. De celebrat. miſſarum c. 1. ex Agathenſi.

Mane matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ canendo primam, tertiam, ſextam, nonamque perſolvat. ita tamen, ut poſtea horis competentibus, juxta poſſibilitatem, aut a ſe, aut ab eccleſiaſticis, publice compleatur. Deinde peractis miſſarum ſolenniis, & feſſis infirmis viſitatis, ad opus rurale, & quod ſibi competit, exeat jejunus: ut iterum neceſſitatibus peregrinorum hoſpitum, ſive diverſorum commeantium, infirmorum quoque atque defunctorum, ſuccurrere poſſit, uſque ad ſtatutam horam pro qualitate temporis & opportunitate.

X. *De cura hoſpitum & peregrinorum.*

Ivo part. 3. c. 117. ex concilio Namnetenſi.

Ut curam hoſpitum, maxime pauperum atque debilium, orphanorum quoque atque peregrinorum habeat, hoſque ad prandium ſuum quotidie juxta poſſibilitatem convocet, eiſque hoſpitium competenter tribuat.

XI. *De ſacris miniſteriis ad vvadium non dandis.*

De pignoribus & aliis caut. c. 1. ex conc. Rhem.

Ut nullus presbyter præſumat calicem, vel patenam, aut pallam altaris, vel veſtimentum ſacerdotale, aut librum, tabernario vel negotiatori, aut cuilibet laico, vel feminæ, in vadimonium dare: quia tanta eſt ſanctitas ſacri miniſterii, ut ſalva altioris myſterii intelligentia, etiam per prophetam dominus prohibuerit, ne cum ſanctis veſtimentis ſacerdos procedat ad populum, ſed intra ſancta illa dimittat ad eum a colloquio divino rediens. Et cui in tabernas ad bibendum a ſacri canonibus ingredi prohibetur, ſanctificata ſacro miniſterio nec ad contingendum immundis, quanto minus in vadimonium exhibere debet? ſicut Stephanus ſanctus papa & martyr ad ſanctum Hilarium in ſuis decretalibus docuit.

Ezech. 44.

Epiſt. 1.

XII. *Ut in eccleſia ſine conſultu epiſcopi nullus ſepeliatur, & ut pro ſepeliendis nihil exigatur.*

Ut nemo presbyterorum quemquam in eccleſia ſepeliat ſine conſultu epiſcopi, exceptis hujuſmodi dumtaxat perſonis, quas ſingillatim & privatim in ſynodo ſignificavimus. nec pro ſepeliendis quiddam exenii exigat, vel extorqueat. Si quid autem altari, vel eccleſiæ, aut ſibi gratis oblatum fuerit a devotis quibuslibet, cum benignitate recipere non interdicimus.

XIII. *Ut presbyteri a publice peccantibus, vel a pœnitentibus, quo eis faveant, munera non accipiant.*

De ſimonia cap. 14. ex Alexandro III.

Ut nemo presbyterorum exenium, vel quodcumque emolumentum temporale, immo detrimentum ſpiritale, a quocumque publice peccante vel inceſtuoſo accipiat, ut nobis vel miniſtris noſtris peccatum illius reticeat: nec pro reſpectu cujuſque perſonæ, aut conſanguinitatis, vel familiaritatis, alienis peccatis communicans, hoc nobis vel miniſtris noſtris innoteſcere detractet. nec a quocumque pœnitente aut gratiam, aut favorem, aut munus ſuſcipere præſumat, ut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat, & quocumque livore alium quemlibet dignius pœnitentem a reconciliatione removeat. quia hoc ſimoniacum, & Deo & hominibus abominabile eſt.

XIV. *Quomodo in conviviis defunctorum, aliarumve collectarum gerere ſe debeant.*

Diſt. 44. Nullus presbyterorum, ex Namnetenſi.

Ut nullus presbyterorum ad anniverſariam diem, vel [1] triceſimam tertiam, vel ſeptimam alicujus defuncti, aut quacumque vocatione ad collectam presbyteri convenerint, ſe inebriare præſumat. nec precari in amore ſanctorum, vel ipſius animæ, bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel ſe aliena precatione ingurgitare: nec plauſus & riſus inconditos, & fabulas inanes ibi ferre aut cantare præſumat. nec turpia joca cum urſo, vel tornatricibus ante ſe facere permittat. nec larvas dæmonum, quas vulgo talamaſcas dicunt, ibi anteferre conſentiat. quia hoc diabolicum eſt, & a ſacris canonibus prohibitum. Sed cum honeſtate & religione prandeat, & ad tempus ad ſuam eccleſiam redeat. Summopere etiam quiſque cavens, ſicut de ſtatu ſuo vult gaudere, ut non quacumque occaſione, aut parem ſuum, aut alium quemlibet, ad iram & rixam vel contentionem, quanto magis ad pugnam, vel ad cædem, aliquo verbo irritet, ſeu provocet, nec provocatus ad hoc quiſque proſiliat, quia in talibus comeſſationibus & potationibus, ſicut irreligioſi faciunt, ſemper ſe immiſcet diabolus. Quando autem convenerint presbyteri ad aliquod convivium, decanus, aut aliquis prior illorum, verſum ante menſam incipiat, & cibum benedicat. Et tunc ſecundum ſuum ordinem conſideant, alter alterius honorem portantes. & per viciſſitudines cibum & potum benedicant, & aliquis de illorum clericis aliquid de ſancta lectione legat, & poſt refectionem ſimiliter ſanctum hymnum dicant, ad exemplum domini & ſalvatoris ac diſcipulorum ejus, ſicut illum in cœna feciſſe legimus. Et ſic ſe contineant omnes presbyteri in omni loco, maxime in talibus, *ne*, ſicut dicit apoſtolus, *vituperetur miniſterium noſtrum*.

Diſt. 4. Quando presbyteri, ex Namnetenſi.

Matth. 26. 2. Cor. 6.

XV. *Quid cavendum ſit presbyteris, quando per Kalendas inter ſe conveniunt.*

Diſt. 44. Quando presbyteri, ex Namnetenſi.

Ut quando presbyteri per Kalendas ſimul convenerint, poſt peractum divinum myſterium, & neceſſariam collationem, non quaſi ad prandium ibi ad tabulam reſideant, & per tales inconvenientes paſtellos ſe invicem gravent, quia inhoneſtum eſt, & oneroſum. Sæpe enim tarde ad eccleſias ſuas redeuntes majus damnum de reprehenſione conquirunt, & de gravedine mutua contrahunt, quam lucrum ibi faciunt. Nam de hujuſmodi conventu, qui ſub religionis obtentu agebatur, Paulus apoſtolus convenienter reprehendit Corinthios, qui inconvenienter cœnam dominicam manducare conveniebant. Sic & qui ad cœnam dominicam, id eſt, ad collationem verbi ſub occaſione conveniunt, & ex veritate ventris cauſa conjunguntur, reprehenſibiles & coram Deo, & coram hominibus habentur. Et ideo peractis omnibus, qui voluerint, panem cum caritate & gratiarum actione in domo confratris ſui ſimul cum fratribus ſuis frangant, & ſingulos biberes accipiant, maxime autem ultra tertiam vicem poculum ibi non contingant, & ad eccleſias ſuas redeant.

1. Cor. 11.

XVI. *De confratriis, earumque conventibus, quomodo celebrari debeant.*

Ut de collectis, quas geſdonias vel confratrias vulgo vocant, ſicut jam verbis monuimus, & nunc ſcriptis expreſſe præcipimus, tantum fiat, quantum ad auctoritatem, & utilitatem, atque rationem pertinet. ultra autem nemo neque ſacerdos, neque fidelis quiſquam, in parochia noſtra progredi audeat. Id eſt in omni obſequio religionis conjunguntur: videlicet in oblatione, in luminaribus, in oblationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemoſynis, & ceteris pietatis officiis. ita ut qui candelam offerre voluerint, ſive ſpecialiter, ſive generaliter, aut ante miſſam, aut inter miſſam, antequam euangelium legatur, ad altare deferant. Oblationem autem, unam tantummodo oblatam, & offertorium, pro ſe ſuiſque omnibus conjunctis & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit in butticula vel canna, aut plures oblatas, aut ante miſſam, aut poſt miſſam, presbytero vel miniſtro illius tribuat, unde populus in eleemoſyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel presbyter ſupplementum aliquod habeat. Paſtos autem & comeſſationes, quas divina auctoritas vetat, ubi & gravedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ & rixæ, ſæpe etiam, ſicut experti ſumus, uſque ad homicidia, & odia, & diſſenſiones accidere ſolent, adeo penitus interdicimus, ut qui de cetero hoc agere præſumpſerit, ſi presbyter fuerit, vel quilibet clericus, gradu privetur, ſi laicus, vel femina, uſque ad ſatisfactionem ſeparetur. Conventus autem talium confratrum, ſi neceſſe fuerit ut ſimul conveniant, ut ſi forte aliquis contra parem ſuum diſcordiam habuerit, quem reconciliari neceſſe ſit, & ſine conventu presbyteri & ceterorum eſſe non poſſit, poſt peracta illa quæ Dei ſunt, & Chriſtianæ religioni conveniunt, & poſt debitas admonitiones, qui voluerint eulogias a presbytero accipiant: & panem tantum frangentes, ſinguli ſingulos biberes accipiant, & nihil amplius contingere præſumant, & ſic unuſquiſque ad ſua cum benedictione domini redeat.

---

1 Apud Reginonem, Burchardum, Ivonem, & Gratianum, *triceſimam*; *tertiam*. Hard.



XVII. *Ut defuncto presbytero nullus ſine conſultu epiſcopi eccleſiam illius, aut capellam appetat.*

Ut ſi quilibet presbyterorum defunctus fuerit, vicinus presbyter apud ſeniorem ſæcularem nulla precatione, vel aliquo exenio, eccleſiam illam obtineat, quæ titulus per ſe conſtans antea extitit, ſed neque capellam, ſine conſultu noſtro. Quod ſi fecerit, diffinitam ſententiam ſibi prolatam ſuſcipiat, ſicuti de epiſcopo canonica decrevit auctoritas, ut qui per ambitionem majorem civitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat, quam uſurpare tentavit.

II.

## CAPITULA QUIBUS DE REBUS magiſtri & decani per ſingulas eccleſias inquirere, & epiſcopo renuntiare debeant.

*Hæc omni anno inveſtiganda ſunt a magiſtris & decanis presbyteris per ſingulas matrices eccleſias, & per capellas parochiæ noſtræ, & nobis Kalendis Juliis renuntianda. Similiter etiam inveſtigandum & renuntiandum eſt nobis qualiter obſerventur & cuſtodiantur illa, quæ capitulatim obſervanda presbyteris dedimus.*

I. Inquirendum in qua villa, aut cujuslibet ſancti honore, prætitulatus ſit presbyter, vel a quo fuerit ordinatus.

II. Si habeat manſum habentem bunnuaria duodecim, præter cœmeterium, & cortem, ubi eccleſia & domus ipſius continetur, aut ſi habeat mancipia quatuor.

III. Quot manſos habeat in ſua parochia ingenuiles & ſerviles, aut accolas, unde decimam accipiat.



IV. Qualia ſint indumenta altaris, quot nova & quot vetuſta, qualiter nitida. quo metallo ſint capſæ, & cruces coopertæ. aut ſi diligenter reconditæ ſunt reliquiæ in altari. aut ſi ipſæ capſæ ſeris munitæ ſunt.

V. Quos & quot libros habeat, aut ſi bene ſint recitati.

VI. Qualia aut quot ſacerdotalia veſtimenta habeat, & qualiter ſint nitida, aut in nitido loco collocentur.

VII. Si habeat locum præparatum, ubi effundi poſſit aqua quando abluuntur vaſa altaris, aut os, vel manus poſt perceptionem ſacræ communionis. aut ſi ipſe presbyter propriis manibus, aut diaconus, aut ſubdiaconus ejus, lavet primo corporale.

VIII. Quo metallo ſit calix & patena, aut qua diligentia cuſtodiantur, aut ſi habeat pyxidem, ubi congrue poſſit recondi ſacra oblatio reſervanda ad viaticum infirmis.

IX. Ut chriſma & oleum conſecratum ſub ſera recondantur.

X. Si ipſe presbyter viſitet infirmos, & inungat oleo ſancto, & communicet per ſe, & non per quemlibet, & ille ipſe communicet populum, nec tradat communionem cuiquam laico ad deferendum in domum ſuam cauſa cujuslibet infirmi.

XI. Si habeat clericum, qui poſſit tenere ſcholam, aut legere epiſtolam, aut canere valeat, prout neceſſarium ſibi videtur.

XII. Inveſtigandum nihilo minus de luminaribus eccleſiæ, aut quot cerarios habeat ipſe titulus.

XIII. Qualiter ſit cooperta eccleſia, aut ſi ſit camerata, & ut ibi columbæ, vel aliæ aves non nidificent, propter immunditiem, vel importunitatis inquietudinem.

XIV. Quo metallo habeat ibidem ſigna.

XV. Si atrium habeat munitum, aut ſi cellam propriam habeat juxta eccleſiam, aut ſi ſuſpicioſa in circuitu oſtiola ſint.

XVI. Ut ex decimis quatuor portiones fiant juxta inſtitutionem canonicam, & ipſæ ſub teſtimonio duorum aut trium fidelium ſtudioſe & diligenter dividantur. & ut de duabus portionibus, eccleſiæ & epiſcopi, ratio reddatur per ſingulos annos, quid inde profecerit in eccleſia.

XVII. Ut matricularios habeat juxta qualitatem loci, non bubulcos aut porcarios, ſed debiles & pauperes, & de eodem dominio: niſi forte ipſe presbyter habeat fratrem, aut aliquem propinquum debilem, aut pauperrimum, qui de eadem decima ſuſtentetur. reliquos autem propinquos, ſi juxta ſe habere voluerit, de ſua portione veſtiat atque paſcat.

XVIII. Inveſtigandum ſimiliter, ſi nihil patrimonii habens, quando provectus eſt ad ordinem eccleſiaſticum, poſtea emerit prædia, cujus juris ſint: quoniam eccleſiæ, ad quam de nihil habentibus promotus eſt, eſſe debent juxta canonicæ auctoritatis decretum.

De peculio clericorum, cap. 1.

XIX. Inquirendum, ſi occaſione hujus præcedentis capituli aliquis presbyterorum abhinc de reditibus eccleſiæ, vel oblationibus ac votis fidelium, alieno nomine res comparaverit, & ibi ſtructuras fecerit, vel quæ ad eccleſiam pertinent ibi collocaverit, & mulierum frequentationem inibi fieri permiſerit, vel, quod turpius eſt, tales mulieres ibi habuerit, quæ lanificium ſuum exerceant, & curam domus agant: & ad eadem loca presbyter incongrue recurrerit, frequentaverit, vel manſerit. quoniam contra decreta canonum hoc malum agitur, a quibus perpetratur. Quia

Ivo part. III. cap. 94. De peculio clericorum, cap. 4.

ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine presbyter, vel qui libet ſub regula, fœnus exercere debet, multo minus autem fraudem facere de facultatibus eccleſiaſticis. quoniam hoc agere ſacrilegum eſt, & par crimen Ananiæ & Sapphiræ, atque Judæ furis, qui ſacras oblationes, quæ ad uſus fidelium ac pauperum mittebantur, aſportabat & furabatur. Nam aliud eſt ſine diſpendio eccleſiæ amicis vel parentibus pauperibus, aut quibuslibet * neceſtuoſis, ex caritate cum menſura & ratione ſubvenire, vel adjutorium ferre, & aliud cum deſtructione eccleſiæ, vel diſſipatione facultatum eccleſiaſticarum, quaſi furtim, immo furtim, quæ eccleſiæ eſſe debuerant, & uſibus illius ac pauperum ſeu hoſpitum impendi, carnalium carnaliter uſibus ſine divino reſpectu inſervire. Et de nihil habentibus promotus presbyter non præſumat quæ de facultatibus eccleſiæ comparaverit vendere, vel quaſi ad cauſam Dei tradere, niſi ad eccleſiam cujus propriæ eſſe debent, ſine conſultu epiſcopi.

* *id eſt, indigentibus, barbare.* * *Gallice neceſſiteux.*

XX. Inquirendum, ſi de tabernis & de comeſſationibus, & de familiaritate indebita mulierum ſe cuſtodiant presbyteri, ſicut ſæpiſſime interdiximus & interdicimus, quia ad contumeliam noſtram laici me petunt, ut ſi evidenter cum teſtibus, quo negari non poſſit a quoquam, presbyterum in tabernis invenerint, caballum & cappam inde eis habere liceat. Quapropter ſi abhinc presbyteri ſe de talibus non caverint, quia divinum non timent judicium, temporalem illis inveniemus contumeliam, & ſæculare illorum incorrigibilitati adinveniemus detrimentum.

*De illicito clericorum acceſſu ad feminas, & qua ratione de illo arguendi vel purgandi ſint.*

XXI. De acceſſu autem, & frequentatione, ac cohabitatione clericorum cum feminis, unde ſecundum ſacros canones in omnibus ſynodis ſpecialiter interdiximus, firmiter & expreſſe atque ſolicite a nobis & a comminiſtris noſtris eſt inquirendum. Sicut enim his qui domini in carne adventum præceſſerunt, & his qui ſubſequentur, pro temporum ratione ſunt ſacramenta diſparia; ad religionem tamen unius ejuſdemque fidei & ſalutis recurrentia, & ut ſcriptum eſt: *Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia*, per incrementa temporum tam per ſeipſum, quam & per angelos in veteri teſtamento, in novo autem ſimiliter per ſe, & per doctores catholicos & magiſtros eccleſiæ, qui & atteſtante propheta angeli nominantur, aucta eſt ſubtilitas & multiplicatio præceptorum. Per ſe quidem dominus in paradiſo Adæ, & poſt diluvium Noe & Abrahæ de circumciſione dedit præcepta: legem autem per angelos Moyſi mediatori inter ſe & populum, ut oſtendit apoſtolus. In novo autem teſtamento Incarnatus per ſe dicens: *Audiſtis quia dictum eſt, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* &: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* &: *Dictum eſt antiquis, Qui occiderit, reus erit judicio: ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio.* Et per ſanctos ſuos, de quibus dictum eſt: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*, per incrementa temporum virtutem caſtitatis exareſcere, maxime autem apud miniſtros eccleſiæ docuit, decernens hoc modo per myſticum Nicænam ſynodum: Interdixit per omnia ſynodus, non epiſcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero eſt, ſubintroductam habere mulierem, niſi forte matrem, aut ſororem, aut amitam; vel eas tantum perſonas quæ ſuſpiciones effugiunt. Et inde lex a Chriſtianis imperatoribus eſt promulgata hoc modo: Quicumque clericatus utuntur officio, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur: matrum, ſororum, vel filiarum ſibi ſolatia intra domum ſuam noverint tantum eſſe conceſſa. Sed quia ſub occaſione iſtarum perſonarum aliæ mulieres ſubintroduci cœperunt, ſancti Africani canones decreverunt, ut nec ipſi epiſcopi, aut presbyteri, ſoli habeant acceſſum ad viduas, vel virgines, vel ad quaſcumque feminas: ſed ubi aut clerici præſentes ſint, aut graves aliqui Chriſtiani. Unde, ſicut beatus Gregorius ad miniſtros eccleſiæ Romanæ ſcripſit, beatus Auguſtinus nec cum ſorore habitare conſenſerit dicens: Quæ cum ſorore mea ſunt ſorores meæ non ſunt. Et ex hoc dicit ſanctus Gregorius. Docti ergo viri cautela magna nobis eſſe debet inſtructio. Nam inhoneſtæ præſumptionis eſt, quod fortis pavet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita ſuperabit, qui didicerit etiam non uti conceſſis. Et hinc Chriſtiani imperatores legem decreverunt dicentes: Presbyteris, & diaconis, & ſubdiaconis, & aliis in clero ſcriptis, non habentibus uxores, ſecundum divinas regulas interdicimus & nos mulierem habere in ſua domo, excepto, matre & filia & ſorore, & aliis perſonis, quæ omnem querelam effugiunt. Si quis autem adverſus iſtam obſervationem mulierem in ſua domo habuerit, quæ poteſt ſuſpicionem inferre turpitudinis, & ille a conclericis ſuis audierit, quod cum tali muliere non debeat habitare, & noluerit eam a ſua domo repellere, vel accuſatore emergente probatus fuerit inhoneſte cum tali muliere verſari; tunc epiſcopus ſecundum eccleſiaſticos canones clero eum repellat, curiæ civitatis cujus clericus eſt tradendum. Et ut S. Innocentius, & prædeceſſor ejus Siricius, ſcribunt: Si priſcis temporibus de templo Dei ſacerdotes anno vicis ſuæ non diſcedebant; ſicut de Zacharia legimus, nec domum ſuam omnino tangebant; quibus utique propter ſobolis ſucceſſionem uxoris uſus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter ex ſemine Aaron, ad ſacerdotium nullus fuerat præceptus accedere, quanto magis hi ſacerdotes vel Levitæ pudicitiam ſervare debent, quibus vel ſacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies, quo vel a ſacrificiis divinis, vel a baptiſmatis officio vacent? Nam ſi Paulus etiam laicis ſcribit dicens: *Abſtinete ad tempus, ut vacetis orationi*, quanto magis ſacerdotes, quibus & orandi & ſacrificandi juge officium eſt, ſemper debebunt ab ejuſmodi conſortio abſtineri? Qui ſi contaminatus fuerit a carnali concupiſcentia, quo pudore vel ſacrificare forſitan uſurpabit? aut qua conſcientia, quove merito exaudiri ſe credit, cum dictum ſit: *Omnia munda mundis, inquinatis autem & infidelibus nihil mundum?* Et ne quis dicat, Si habito cum mulieribus, ſufficit mihi conſcientia mea, dicente apoſtolo: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*; attendat quod item idem dicit apoſtolus, per quem, ut ipſe veraciter fatetur, loquitur Chriſtus: *Providentes bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Et item præcipit, ut ſine offenſione omnibus ſimus, ne pereat in noſtra conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt, ſic inquiens: *Peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam*

Conc. Troſlejanum c. 9. — Dan. 12. — Matth. 5. — Ibid. 20. — Ibid. 5. — Matth. 10. — Can. 3. — Aniani interp. cod. Theod. de epiſc. eccleſ. &c. L. 44. — Conc. Afric. Can. 5. — Greg. lib. 7. ind. II. ep. 39. — Novella Juſtiniani 123. c. 29. — Inno. ep. 2. ad Victricium. — 1. Cor. 7. — Tit. 1. — Rom. 1. — 2. Cor. 8.



*eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.* Et ideo repleti Spiritu ſancto ſtatuerunt ſancti patres noſtri, ut miniſtri altaris mulieribus non cohabitent, neque ſubintroducant ſecum mulieres; ne vel concupiſcentia conſcientiam ſuam urant, vel conſenſu peſſimo polluant, & ne vel mala ſuſpicione infirmorum conſcientias maculent. Proinde de concubitu presbyterorum cum feminis per parochianos vel vicinos cujuſcumque presbyteri inquirere non laborabimus. Abolita eſt quippe vetus hæreſis, quæ Cynica, id eſt canina, propter impudentiam fuerat appellata, dicens concubitum eſſe naturalem, & ob id agendum ſine verecundia publice, cum legamus primos homines mox poſt peccatum inobedientiæ ſenſiſſe concupiſcentiam in membris genitalibus, & a mutuis conſpectibus contexiſſe. Nam licet humanæ mentis cæcitas in operatione turpitudinis divinis & angelicis, atque ſanctorum qui in cælis ſunt oculis abſcondi non poſſit; tamen etiam quilibet ruſticanus concumbens & cum propria conjuge, prout poteſt, plurimorum devitat aſpectus: quanto magis presbyter, ſi ſenſum hominis habet, malum agens curabit abſcondere, propter quod patefactum ſcit ſe non ſolum eccleſiaſticum gradum amittere, ſed & ſua quæ habet in ſæculo perdere? Non igitur de hoc inverecunde quæremus, quod & apoſtolus non nudo, ſed velato nomine, loquens apud legitime conjugatos, ſtuduit appellare dicens: *Iterum revertimini in idipſum.* &: *Ne quis circumveniat in negotio fratrem ſuum.* Tantummodo autem de acceſſu, & frequentatione ac cohabitatione presbyterorum contra canonicum interdictum cum feminis per tales homines inquiremus, ſicut ſancti Africani canones jubent, id eſt, quos publicæ leges ad accuſationem vel teſtimonium recipiunt, ſive in mallo, ſive in audientia. Et ſi quiſcumque presbyter, non ſolum in noſtra parochia, ſed in noſtra diœceſi, confeſſus, vel legali ac regulari judicio fuerit convictus, de cohabitatione, vel frequentatione, ſive acceſſu cum feminis contra canones, modis omnibus, ſecundum decreta beati Gregorii, ſine gradus ſui reſtitutione deponetur, & juxta capitulum magni Leonis papæ, quod dicit: Hoc itaque admonitio noſtra denuntiat, quod ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venire tentaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, a ſuo ſe noverit officio ſubmovendum, nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius noluit eſſe diſciplinæ. Ne quid vero ſit quod prætermiſſum forte a nobis credatur, omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita a veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. Nam & beatus Auguſtinus ſuo archiepiſcopo de Abundantio presbytero ſuæ parochiæ ita ſcripſit: Quia cum non ambularet vias ſervorum Dei, non bonam famam habere cœpit. Qua ego conterritus, non tamen temere aliquid credens, ſed plane ſolicitior factus, operam dedi, ſi quo modo poſſem ad aliqua malæ converſationis ejus certa pervenire indicia. Ac primo comperi eum pecuniam cujuſdam ruſticani de vino apud ſe commendato interVertiſſe, ita ut nullam inde poſſet probabilem rationem reddere. Deinde convictus atque confeſſus eſt, cum ſecum nullum clericum haberet, apud quamdam malæ famæ mulierem, & prandiſſe, & cœnaſſe; & in vicina & in eadem domo manſiſſe. Nam quæ negavit Deo dimiſi: quæ occultare permiſſus non eſt judicavi. Propterea, ſicut ſanctus Gregorius decrevit, per idoneos, ut præmiſimus, teſtes ſacramento inquiretur de malæ famæ presbytero. & qui proinde jurabunt, hoc modo ſinguli jurent: De hoc quod me interrogabis de iſto presbytero, quid inde ſciam, me ſciente nec mendacium tibi dicam nec veritatem reticebo, ſic me Deus adjuvet, & iſti ſancti Dei. Poſt iſtud ſacramentum interrogari debet hoc modo: Sancti canones præcipiunt, ut presbyter talem acceſſum, & frequentationem, ac cohabitationem cum feminis non habeat, unde mala ſuſpicio, & inconveniens ſacerdoti fama poſſit exire; propterea dic mihi, ſi vidiſti, aut pro certo ſcis talem acceſſum, vel frequentiam, aut cohabitationem feminas habere cum iſto presbytero, unde mala ſuſpicio eſſe poſſit, & mala fama exire poſſit, in illo ſacramento quod modo juraſti ut veritatem inde non reticeas, & mendacium inde non dicas. Et exceptis accuſatoribus ſeptem ſint teſtes idonei, qui inde veritatem per ſacramentum dicant, ex quibus ſex jurent, & ſeptimus, ſi conditio vel qualitas perſonæ permittit, ad judicium exeat quod illi ex veritate inde per ſacramentum dixerunt: quia multi jam deprehenſi apud nos habentur, quoniam precio conducti ſe perjuraverunt. Et ſi hoc modo presbyter convictus fuerit de inconvenienti cohabitatione cum feminis, deponetur, ſicut Zoſimus papa decrevit dicens: Sciat quiſquis poſtpoſita patrum & apoſtolicæ ſedis auctoritate neglexerit, a nobis diſtrictius judicandum, ut loci ſui minime dubitet ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones impune poſſe tentari. Contumeliæ enim ſtudio fit quidquid interdictum toties uſurpatur.

XXII. In lege eſt ſtatutum, quod & in evangelio eſt confirmatum, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. & apoſtolus Timotheo præcipit (in cujus perſona, ut Leo dicit, omnium Chriſti ſacerdotum numerum erudivit) ut accuſatio adverſus presbyterum non recipiatur, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus. Et ſacrum Nicænum concilium neophytum epiſcopum, a duobus vel tribus teſtibus redargutum, a clero abſtinere præcepit. Sed quia in hiſtoria Suſannæ duos teſtes, qui idonei populis videbantur, & in hiſtoria Nabuthæ, verum & in hiſtoria paſſionis domini, duos teſtes dixiſſe falſum teſtimonium legimus. quoniam Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia dicit: *Per me conditores legum juſta decernunt*: & ſanctus Gregorius frequenter in epiſtolis ſuis cauſam miniſtrorum eccleſiaſticorum legaliter & regulariter præcipit definiri; & ſanctus Auguſtinus exponens ſententiam apoſtoli: *Si quis frater nominatur fornicator*, & cetera, dicit: Noluit apoſtolus hominem ab homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario uſurpato judicio: ſed potius ex lege Dei ſecundum ordinem eccleſiæ, ſive ultro confeſſum, ſive accuſatum atque convictum: eam nominationem volens intelligi, quæ fit in quemquam cum ſententia ordine judiciario, & quæ cum integritate profertur. nam ſi nominatio ſola ſufficit, multi damnandi ſunt innocentes, quia ſæpe falſo in quemquam crimen nominatur. In accuſatione presbyterorum de numero teſtium idoneorum auctoritatem legum ſequendam vidimus, ut ſeptem teſtes, ut ſupra diximus, idonei requirantur: & ſi ratio vel cauſa coegerit, quatuordecim, vel viginti & unus teſtes quærantur, ut veritas patefacta monſtretur.

1. Cor. 7. — 1. Theſſ. 4. — Conc. Afric. Can. 96. 98. — Leo ep. 1. Epiſcopis per Campaniam. — Aug. epiſt. 236. — Ep. ad Heſychium c. 2. — Deut. 19. & Matth. 18. — 1. Tim. 5. — Can. 2. — Dan. 13. — 3. Reg. 20. — Apud Septuag. — Matth. 26. — Prov. 8. — 1. Cor. 5.

1. q. 5 Si mala fama.

XXIII. Si autem mala fama ex veriſimilitudine per parochiam de presbytero exierit, & accuſatores atque teſtes legales defuerint, ne infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur miniſterium noſtrum, neve ſecuriores presbyteri exiſtentes licentius in peccatum labantur, ſecundum decretum Gregorii junioris ſit jusjurandum in medio, & habeat malæ famæ presbyter in ſacramento purgationis ſuæ eum teſtem, quem habebit & judicem.

XXIV. Et quoniam legimus in epiſtolis beati Gregorii, ſæpe infamatum ſacerdotem in purgatione ſuæ famæ tantum jusjurandum præbuiſſe; & legalis atque apoſtolica & canonica auctoritas trium teſtium teſtimonium recipit ad condemnationem; non abire videtur ſi recipiatur ad purgationem. In hiſtoria quoque ſacra, & in epiſtola beati Gregorii, legimus beatum Petrum apoſtolorum principem, cum a fidelibus reprehenſus fuerit cur ad gentiles intraſſet, homilicos ratione placaſſe, atque in cauſa reprehenſionis ſuæ etiam teſtes adhibuiſſe dicens: *Venerunt autem mecum & ſex fratres iſti*. (Act. 11. Can. 20.) Et Carthaginenſes canones decernunt, ut ſi presbyteri vel diaconi fuerint accuſati, adjuncto ſibi ex viciniis locis proprius epiſcopus legitimo numero collegarum, id eſt una ſecum in presbyteri nomine ſex, in diaconi tres, auctoritati convenire ducimus, ut ſi presbyter infamatus fuerit, & accuſatores vel teſtes idonei defuerint, ſecundum qualitatem ac quantitatem cauſæ atque perſonæ, & utilitatem ac ſanationem cordium infirmorum, aut ſingulis, aut cum aliis duobus teſtibus, aut cum aliis ſex teſtibus, ſeipſum ſacramento a mala opinione purget. Et non eſt contrarium decreto Gregorii junioris, ſi plures teſtes ad purgationem infamati presbyteri requirantur: quia ſcribens idem pontifex ad Bonifacium epiſcopum per Denualdum presbyterum dicit, ut ſi probari idoneis teſtibus presbyter infamatus nequiverit, ſit jusjurandum in medio, & non diffinivit, utrum ipſe ſolus; an cum aliis juret.

XXV. Et quoniam, ut ſcriptum eſt, & in angelis reperta eſt nequitia, & teſte Malachia propheta, atque Joanne euangeliſta, ſacerdotes angeli appellantur, & experti ſumus quoſdam adinvicem conſpiraſſe, ut ſe mutuo in ſua purgatione adjuvarent, ſed revera nocerent, ſicut & presbyteri pleni iniqua cogitatione adverſus Suſannam conſpiraverunt, non incongrue videtur, ut cum credibili miſſo epiſcopi, presbyteri qui in purgatione infamati ſacerdotis, & una cum eo ad jusjurandum ſe obtulerint, talem examinationem per advocatum infamati presbyteri recipiant, ut in ſacramento ſe Deo non perdant, ſicut quoſdam hinc jam revictos comperimus. (Job 4. Malach. 2. In Apocalypſi ſæpius.)

XXVI. Quia vero, ut ſanctus Auguſtinus dicit, nova morborum genera nova quærere cogunt medicamentorum experimenta, ac præfatis auctoritatibus inſtructi, non præjudicantes, ſi quæ ſunt, ſanius intelligentium ſententiis, hoc modo agenda vidimus, quatenus & presbyteros a luxuriæ charybdis præcipitio revocare, & toties repetitam canonum prohibitionem a prævaricantibus quoquomodo poſſimus evindicare, & nos de diſſoluta correptione non judicemur, ſicut Heli ſacerdos damnatus eſt; quia filios ſuos ſegnius ac lenius quam debuerit corripuerat, & ipſi filii ejus perierunt; quia, ut Leo dicit, Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides (Decret. c. 14.) negligenteſque rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam.) & ſanctus Gregorius dicit: Qui non corrigit reſecanda, committit.) (Ibid. c. 14.) & item Leo ſcribens ad Januarium epiſcopum ſingulis nobis dicit: Non autem dubitet dilectio tua, nos ſi, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro cuſtodia canonum & pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos.) quia, ut Hilarius papa dicit: Non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in ipſius domini injuriam proſilitur.) Qualiter autem his agendum ſit, qui per contemptum in ſanctarum traditionum ſanctiones delinquunt, vel in ipſius domini injuriam proſiliunt, ſanctus Leo ad Ruſticum epiſcopum decernit: (Decret. c. 2.) Hujuſmodi, inquiens, lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.) A qua diſtrictionis regula, a ſancto Spiritu promulgata, non licet nobis quacumque pietate indebita declinare: quia etſi debetur compaſſio proximis, rectitudo tamen debetur vitiis. Unde ſacra ſcriptura ſimplicitati rectitudinem ſemper conjungit: quia ſimplicitas ſine rectitudine fatuitas eſt.) Simplicitas igitur erga vitia, ſicut catholici doctores dicunt, diſſoluta & ſtulta eſt: & rectitudo erga proximos, ſine pietatis ſimplicitate, auſtera exiſtit & dura.

## AB ISTO LOCO USQUE AD FINEM iſtius capituli non eſt datum presbyteris.

*Quod de crimine confeſſi vel convicti merito ſint a gradu eccleſiaſtico deponendi.*

Et ne quidam, contra apoſtolum, delectantes non ſolum vocum, ſed & conſtitutionum ac factorum novitate, qui ut audivimus dicunt, non debere presbyterum vel diaconem de crimine confeſſum ſive convictum deponere, ſed tantum ſuſpendere, quia ſic poſſunt confeſſionem & pœnitentiam, ſicut & alii homines, facere, nos dicant cum Novatianis pœnitentiam quibuslibet denegare; quæ cum orthodoxis doctoribus de pœnitentia, & degradatione eccleſiaſticorum miniſtrorum ſentimus, eorum ſenſibus & verbis dicimus. (1. Tim. 6.) Ipſi autem, juxta apoſtolum, ſanam doctrinam non ſuſtinentes, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, (1. Tim. 4.) ( quia ut ſanctus Ambroſius in explanatione pſalmi *Beati immaculati*, & beatus Cæleſtinus papa ſcribens ad Neſtorium, dicunt, eſt pietas ex qua naſcitur frequenter impietas) viderint qualiter ſe a laqueo liberent, quo ſe innectunt, ponentes in cælum os ſuum, & loquentes adverſus ſacros canones, ut Leo dicit, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, qui ſequentes apoſtolicam doctrinam dicunt in crimine detectos non oportere ad eccleſiaſticum gradum accedere, vel in clericatu manere, vel ad clericatum redire. (Decret. c. 11.) Unde magnus Leo maximo rugitu de urbe Roma, orbis ſcilicet capite, per totum mundum intonat, decernens ut epiſcopi a præſtitutis canonibus nulla aut negligentia, aut præſumptione diſcedant; & ſi quis ſacerdotum contra conſtituta venire tentaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, a ſuo ſe noverit officio ſubmovendum. Et Hilarus papa dicit, quia non minus in ſanctarum traditionum ſanctiones de- (Decret. c. 1.)





linquitur, quam in ipſius domini injuriam proſilitur.) Et Gelaſius: Comperimus, inquit, nonnullos in ipſis ordinibus conſtitutos gravibus facinoribus non repelli, cum & apoſtolus clamet nemini cito manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis: & majorum veneranda conſtituta pronuntient hujuſmodi, etiamſi forte ſubrepſerint, tam qui ante peccaverunt detectos oportere depelli, quam ſacræ profeſſionis oblitos prævaricatoreſque ſancti propoſiti procul dubio ſubmovendos.) (Lib. 9. ep. 66.) Et S. Gregorius ad Anthemium ſubdiaconum: Quia tantæ nequitiæ malum ſine digna non debet ultione tranſire, ſupradictum fratrem noſtrum Paſchaſium admonere te volumus, ut Hilarium prius ſubdiaconi, quo indignus fungitur, privet officio, atque verberibus publice caſtigatum faciat in exilio deportari, ut unius pœna multorum poſſit eſſe correctio.) (Lib. 10. ep. 8.) Et ad Columbum epiſcopum: Pervenit ad nos, quod Deidona diaconus pro corporali fuiſſet peccato depoſitus. dilectio veſtra ſubtili hoc inquiſitione perquirat: & ſi ita eſt, in pœnitentia retrudendus eſt, ut commiſſi flagitii vinculum lacrymis poſſit abſolvere.) Et ad Sabinianum epiſcopum: (Lib. 7. ep. 15.) Presbyterum, inquit, de quo nos fraternitas tua latoris præſentium relatione conſuluit, nulla ratione in ſacro ordine poſt lapſum, aut permanere, aut revocare poſſe cognoſcas. Circa quem tamen mitius agendum eſt, propter quod commiſſum facinus facili dicitur profeſſione confeſſus. Et ad Joannem archiepiſcopum: (Lib. 7. ind. 2. ep. 6??.) Quæ adverſus Lucillum Melitanæ civitatis epiſcopum querela commota ſit, in geſtorum quæ ad nos direxiſtis, pagina declaratum eſt. Et ideo quia tanti facinoris ultio nulla debet dilatione differri, fraternitas veſtra tres aut quatuor de fratribus ac conſacerdotibus ſibi noſtris adhibeat, ut ipſis quoque præſentibus patefacta ac ſatisfacta veritate, prædictum Lucillum de epiſcopatus ordine, quem hujus ſceleris contagium maculavit, ſtudeat ſine ambiguitate deponere. Quia igitur in regula paſtorali ſanctus Gregorius, legis exponens ſententiam, monſtrat non debere eum accedere ad miniſterium Dei, nec offerre Deo ſuo panes, qui parvo, vel grandi, aut torto eſt naſo, id eſt, qui ad tenendam menſuram diſcretionis idoneus non eſt, vel qui ſubtilitate immoderata rectitudinem ſuæ actionis confundit, in pœnitentia vel degradatione lapſorum ex gradibus eccleſiaſticis, ſecundum traditionem catholicam & eccleſiæ magiſtrorum nobis eſt tenenda diſcretio. Ait enim beatus Gregorius: Nonnunquam a reatu adulterii nequaquam diſcrepat culpa fornicationis, cum Veritas dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. (Matth. 5.) Quia enim Græco verbo mœchus adulter dicitur, cum non aliena conjux, ſed mulier videri prohibetur, aperte Veritas oſtendit quia & ſolo viſu, cum vel innupta concupiſcitur, adulterium perpetratur. Quod tamen plerumque ex loco vel ordine concupiſcentis diſcernitur, quia ſicut hunc in ſacro ordine ſtudioſa concupiſcentia, ſic illum adulterii inquinat culpa. In perſonis tamen non diſſimilibus idem luxuriæ diſtinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa, qua ab adulterii reatu diſcernitur, Prædicatoris lingua teſtatur, quæ inter cetera aſſerit dicens: *Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri regnum Dei poſſidebunt*. (1. Cor. 6.) a Quod enim disjunctæ reatui ſententiæ ſubdidit, quoniam valde a ſe diſſidet oſtendit. ] Et item idem dicit: Scimus quia aliquando minus eſt in corporis corruptionem cadere quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. ſed cum minus turpis ſuperbia creditur, minus vitatur: luxuriam vero eo magis erubeſcunt homines, quo ſimul omnes turpem noverunt. Unde fit plerumque, ut nonnulli per ſuperbiam in luxuriam corruentes experto caſu malum culpæ labentis erubeſcant; & tunc etiam majora corrigant, cum proſtrati in minimis confunduntur. Reos enim ſe inter minora conſpiciunt, qui ſe liberos inter graviora crediderunt. Pia ergo domini diſpenſatione laxatos nonnunquam malignus ſpiritus de culpa ad culpam trahit, & dum plus percutit, inde eum quem ceperat amittit, atque unde viciſſe cernitur, inde ſuperatur. Ad hoc enim in ſcriptura ſacra virorum talium, id eſt, David & Petri, peccata ſunt indita, ut cautela minorum ſit ruina majorum. Ad hoc vero utrorumque illic & pœnitentia inſinuatur & venia, ut ſpes pereuntium ſit recuperatio perditorum. De ſtatu ergo ſuo David cadente nemo ſuperbiat: de lapſu etiam ſuo David ſurgente nemo deſperet. ] Et ſanctus Auguſtinus: (Epiſt. 50.) Ut enim conſtitueretur in eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ. Alioquin contra claves datas eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt: *Quæ ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cælo*. (Matth. 18.) Sed ne forſitan etiam detectis criminibus ſpe honoris eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbe ageret pœnitentiam, ſeveriſſime placuit, ut poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo ſit clericus, ut deſperatione temporalis altitudinis medicina major & verior eſſet humilitatis. Nam & ſanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore ſuo perſtitit; & beatum Petrum, quando amariſſime lacrymas fudit, utique dominum negaſſe pœnituit, & tamen apoſtolus manſit. Sed non ideo ſupervacua putanda eſt poſterior diligentia, quia ubi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo ſalus tutius muniretur. experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multa invenire medicinas multorum experimenta morborum. ] Detecti ergo, ſive confeſſione ſua, ſive convictione legali ac regulari, de criminibus ad gradus eccleſiaſticos non accedant, & in gradibus eccleſiaſticis non maneant, vel ad eccleſiaſticos gradus non redeant, ſicut ſacri canones, & decreta ſedis Romanæ pontificum aperte atque expreſſe decernunt. Hoc enim nos admonens apoſtolus ait: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum*. (Epheſ. 5.) Et quia, inquit S. Auguſtinus, parum erat non conſentire, id eſt, non communicare, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ: *Magis*, inquit, *autem redarguite*. Quid eſt, *nolite communicare*? nolite conſentire, nolite approbare. Quid eſt, *magis autem redarguite*? reprehendite, corripite, coercete. Sicut item idem dicit apoſtolus: *Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant*. (1. Tim. 5.) Sicut arguit Petrus Ananiam & Sapphiram, ut ceteri metum haberent: ſicut damnavit Simonem, quem tamen ad pœnitentiam invitavit: ſicut fornicatorem arguit Paulus, quem tradidit ſatanæ, ut ſpiritus ſalvus fieret in die domini. Unde ſapientis verba clavis atque ſtimulis comparantur, dicente Salomone: *Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi*. (Eccleſ. 12.) quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere. Sed in ipſa correptione vel coercitione alienorum pec-

a) Al. Quod enim disjunctæ reatui fornicationis ſubdidit.

A peccatorum, ſicut beatus Auguſtinus dicit, cavendum eſt, ne ſe extollat qui alterum corripit, & qui ſe putat ſtare, videat ne cadat: foris terribiliter perſonet increpatio, intus benignitatis teneatur dilectio. Neque enim conſentientes ſumus malis, ut approbemus: neque negligentes, ut non arguamus: neque ſuperbientes, ut inſultantes arguamus, ſicut ſatis beatus Gregorius in regula paſtorali nobis oſtendit. Lapſos autem in ordine eccleſiaſtico, ſed non detectos, judicio Dei committimus, cujus miſericordiæ, ut Leo dicit, Epiſt. ad Theodorum. nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora diffinire: apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, dicente Dei Spiritu per prophetam: Iſa. 43. apud Sept. *Cum ingemueris, tunc ſalvus eris.* & alibi: *Dic* B *iniquitates tuas primus, ut juſtificeris*; quia apud dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio. 1. Cor. 11. & apoſtolus: *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*. Unde doctores catholici: Eo tunc dominus ſalvator invenitur, quo nunc præ timore domini peccatum noſtrum a nobiſmetipſis redarguitur. Unde electi quique culpis ſuis nunquam ſciunt parcere, ut poſſint culparum judicem placatum invenire. & vere cum poſtmodum invenire ſalvatorem credunt, quem diſtricte modo judicem metuunt. Nam qui ſibi nunc a culpa parcit, ei poſtmodum in pœna non parcitur. Culpas nunc ſingulorum Deus enumerat, cum nos ipſos ad ſingula quæ fecimus deflenda exponit. quas miſericorditer relaxat, quia ea C dum nos punimus, ipſe nequaquam in extremo examine judicat. Neque enim pie dominus ante diligentium oculos flenda peccata opponeret, ſi per ſemetipſum ea diſtricte ferire voluiſſet. Conſtat enim qui a ſuo judicio abſcondere voluit, quos miſerando præveniens ſibimetipſis judices fecit. Hinc enim ſcriptum eſt: Pſal. 49. *Præveniamus faciem ejus in confeſſione.* & : 1. Cor. 11. *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique dijudicaremur.* Qua dijudicatione majorem in ſe quiſque ſeveritatem debet exercere, quo ſe recognoſcit gravius deliquiſſe, ut a ſeipſo judicatus non judicetur a domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta, & Deo acceptabilis, ſi aſcenderit homo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ, & conſtituerit ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea D fiat, ſicut comminatur Deus peccatori: Pſal. 49. *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* atque ita conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, judex ratio, carnifex timor. Dehinc dolore torquente ſanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. & quo ſolicitius ſuam quiſque conſcientiam diſcutiendo examinat, eo latiores ex intimo cordis fonte lacrymarum fluvios fundat: & quotidiano baptiſmate, lacrymis ſuæ compunctionis ab omnium vitiorum, non ſolum criminalium, ſed & quotidianorum ſubrepentium contagione purgetur, juxta eum qui dicit: Pſal. 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis ſtratum meum rigabo*: quia vita noſtra indigna non judicatur, quæ lacrymis lavatur. E Unde quia poſt baptiſmum inquinavimus vitam, & iterum baptiſmi aquis lavari non poſſumus, conſcientiam noſtram lacrymis baptizemus; & renovemur ſpiritu mentis noſtræ de die in diem. Neſcit enim mens per corpus veteraſcere, quæ ſtudet per deſiderium ſemper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: Epheſ. 4. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ.* hinc pſalmiſta, qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quaſi inchoans dicebat: Pſal. 76. *Dixi: Nunc cœpi.* quia videlicet ſi laſſeſcere ab inchoatis bonis nolumus, neceſſe eſt, ut inchoare nos quotidie credamus. A fervore etenim mentis, vel inter ſpiritales inimicos, vel inter carnales quoſque proximos, ipſo aliquo modo vivendi uſu veteraſcimus, & aſſumptæ novitatis ſpecie fuſcamur. A qua tamen vetuſtate quotidie, ſi ſtudia circumſpectionis invigilent, orando, legendo, bene vivendo renovamur: quia vita noſtra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, ſanctis meditationibus tenditur, ad novitatem ſuam ſine ceſſatione reparatur. quia peccata, ſive parva, ſive magna, impunita eſſe non poſſunt: quoniam aut homine pœnitente, aut Deo judicante plectuntur. ceſſat autem vindicta divina, ſi converſio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos qui ſemetipſos judicant non judicare.] Et ſanctus Gregorius, quod & prædeceſſor ejus S. Calliſtus ſcripſerat, de lapſis in Epiſt. 2. ordine eccleſiaſtico, ſed non detectis, interroganti ſe reſpondit: Nos, inquiens, præcedentes nobis patres ſequimur, qui auctore Deo a ſacra doctrina illorum non diſcordamus. A capite itaque incipientes, uſque in quartum altaris miniſterium, hanc formam ſervandam cognoſcimus, ut quia minorem major præcedit, ſicut honore, ita & crimine, & quem major ſequitur culpa, major importetur vindicta, & poſt pœnitentiam credatur eſſe fructuoſa. Quid enim prodeſt triticum ſeminare, & fructum illius non colligere? poſt dignam ſatisfactionem credimus poſſe redire ad honorem, propheta dicente: Pſal. 40. *Numquid qui cadit non adjiciet ut reſurgat: & qui averſus eſt non revertetur?* Item propheta ait: *In quacumque die converſus ingemueris, tunc ſalvaberis.* Unde & pſalmiſta Pſal. 50. ait: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me a facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas a me.* Dum enim petiit ne a Deo projiceretur prolapſus culpa, alienam rex & propheta ſimul rapuiſſe uxorem tremefactus expavit, propheta indicante flagitium ſuum, & pœnitentiam agens addidit: Ibidem. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Si enim ſe dignum Deo per pœnitentiam non feciſſet, nequaquam aliis prædicaret. Ait enim, *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Dum, inquit, peccata ſua proſpexit propheta mundata per pœnitentiam, non dubitavit prædicando curare aliena, & ſacrificium de ſemetipſo offerre Deo ſtuduit cum dicebat: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, & reliqua, quæ devotus ac ſtudioſus lector ſuo loco invenire valebit.] Et item alibi: Sed pœnitentiam agere digne non poſſumus, niſi modum quoque ejuſdem pœnitentiæ cognoſcamus. Pœnitentiam quippe agere eſt, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat. Quid enim prodeſt, ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æſtibus anhelat? aut quid prodeſt, ſi iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabeſcat? Unde neceſſe eſt, ut qui peccata deplorat, ploranda minime committat, & qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Et ſi quis in fornicationis culpa, vel fortaſſe, quod eſt gravius, in adulterio, vel in inceſtu, vel in eo quod turpe eſt etiam dicere, lapſus eſt, tanto a ſe licita debet abſcidere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe attendens conſilium beati Joannis Baptiſtæ dicentis: Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Qua ſententia uniuſcujuſque convenitur conſcientia, ut tanto majora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto gravius ſibi intulit damna per culpam: & ſingula quæque admiſſa conſideret, [a] & dum per unumquodque erroris ſui in-

a) Forte, & dum. H.



A inquinationem deflet, ſimulque ac totum lacrymis mundet. Unde bene per prophetam Jeremiam dicitur, cum Judæ ſingula delicta centerentur: Thren. 3. *Diviſiones aquarum deduxit oculus meus.* Diviſam quippe ex oculis aquam deducimus, quando peccatis ſingulis diſpertitas lacrymas damus. Neque enim uno eodemque tempore æque mens de omnibus dolet: ſed dum nunc hujus, nunc illius culpæ memoria accius tangitur, ſimul de omnibus in ſingulis commota purgatur.] Sic nimirum erga lapſos atque detectos, cum catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ doctrina ſacrorum canonum ſeveritatis cenſuram ſequimur. Sic de lapſis, ſed non detectis, & peccata ſua perfecte lugentibus, cum eccleſia catholica de o- B mnipotentiſſima domini benignitate ſentimus. quia nullum peccatum eſt, ut dicit Gelaſius, pro quo aut non oret eccleſia remittendum, aut quod data ſibi divinitus poteſtate deſiſtentibus ab eodem non poſſit abſolvere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur: Joan. 20. Matth. 18. *Quæcumque dimiſeritis ſuper terram, dimiſſa erunt & in cælis: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis.* In Quibuſcumque omnia ſunt, quantacumque ſint, & qualiacumque ſint. Sic evangelicas ſententias inter ſe non diſcordare intelligimus, quibus dicitur: Matth. 7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* De quibus malæ operationis fructibus, id eſt de manifeſtis peccatis, ſicuti ſunt ſtupra, vel blaſphemiæ, vel furta, vel ebrietas, & ſi quæ ſunt alia, nobis judi- C care præcipitur. Cum autem dicitur: Matth. 7. *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* & , 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet conſilia cordis*: de illis factis dictum intelligimus, quæ dubium eſt quo animo fiant, vel quæ facta nos latent. Et ſicut evangelicæ ſententiæ inter ſe non diſcordant, ita nec apoſtolica ſedes eſt ſibi ipſi diverſa, ſive adverſa, quæ ſecundum ſacros canones de manifeſtis peccatis confeſſos, ſive convictos, a gradu eccleſiaſtico jubet deponi, & non publice confeſſos, vel legaliter ac regulariter convictos, damnari vel degradari nulla ratione permittit.

D

## III.

## CAPITULA ANNO DUODECIMO EPISCOPATUS [*] SUPERADDITA.

* Hoc eſt anno æræ Chriſtianæ 857.

Hæc capitula anno XII. epiſcopatus noſtri IV. Idus Junias, aliis capitulis, quæ jam conſacerdotibus noſtris dederamus, auctoritatem patrum ſequentes ſuperaddidimus, & fratribus ac conſacerdotibus noſtris obſervanda tradidimus.

I. *Quod presbyteri curare debeant, ut publici peccatores pœnitentiam accipiant, & epiſcopo referre quomodo illam agant. De pœna eorum qui ad pœnitentiam venire contemnunt, & presbyterorum, qui peccatores non indicant, & quod ultima pœnitentia nulli neganda ſit.*

E UT unuſquiſque ſacerdos maximam providentiam habeat, quatenus, ſi forte in parochia ſua publicum homicidium, aut adulterium, ſive perjurium, vel quodcumque criminale peccatum publice perpetratum fuerit, ſtatim, ſi auctorem facti vel conſentientem adire potuerit, hortetur eum quatenus ad pœnitentiam veniat coram decano & compresbyteris ſuis, & quidquid ipſi inde invenerint vel egerint, hoc comminiſtris noſtris magiſtris ſuis, qui in civitate conſiſtunt, innoteſcat: ut infra quindecim dies ad noſtram præſentiam publicus peccator, ſi intra parochiam noſtram fuerimus, veniat, & juxta traditionem canonicam publicam pœnitentiam cum manus impoſitione accipiat. & ſi longius a parochia noſtra fuerimus, annus & dies Kalendarum ſubtiliter deſcribatur, quando peccatum publicum quiſque admiſit, & quando ad pœnitentiam coram miniſtris venit, vel quando ad impoſitionem manus noſtræ pervenit. Et ſemper de Kalendis in Kalendis menſium, quando presbyteri de decaniis ſimul conveniunt, collationem de pœnitentibus ſuis habeant, qualiter unuſquiſque ſuam pœnitentiam faciat, & nobis per comminiſtrum noſtrum renuntietur, ut in actione pœnitentiæ penſare valeamus, quando quiſque pœnitens reconciliari debeat. Et ſi forte quis ad pœnitentiam venire noluerit infra quindecim dies poſt perpetrationem peccati, & exhortationem presbyteri in cujus parochia actum fuerit, & ſedulitatem decani ac compresbyterorum ſuorum, atque inſtantiam comminiſtrorum noſtrorum, decernatur qualiter qui peccatum perpetravit, & ad pœnitentiam redire contemnit, a cœtu eccleſiæ, donec ad pœnitentiam redeat, ſegregetur. Et ſciat quiſque presbyter, quia ſi per alium nobis cognitum fuerit quod in ſua parochia admittatur, & tardius ad noſtram notitiam perlatum fuerit, tantos dies a miniſterio ſuſpenſus in pane & aqua excommunicatus morabitur, quantos dies noſtram vel comminiſtrorum noſtrorum notitiam ipſa actio, ſine illius ſuggeſtione, & debita ac juſſa commonitione, ſupertranſierit: & in cujus negligentia peccator publicus non commonitus poſt tantos dies ſicut præfiximus obierit, ſciat ſe quiſque presbyter gradum amiſſurum. Hoc tamen omnimodis ab omnibus caveatur, ut nemo pœnitens, & cum devotione petens, ultima pœnitentia, vel ultimo viatico defraudetur: ea convenientia, ut ſi convaluerit, ſecundum eccleſiaſticas regulas pœnitentiam agat, & reconciliationem, quantum Deus ſibi conceſſerit, in ordine pœnitentium expetat & expectet.

II. *Ut pro loco ſepulturæ nihil exigatur, & locum hereditario jure nemo ſibi arroget, ſed a presbytero accipiat. & de ſepulturis non violandis.*

Ut pro loco ſepulturæ, ſicut ſacra & canonica ſanxit auctoritas, nemo a quocumque quiddam exenii exigat. Si autem aliquid quiſquam gratis offerre voluerit poſt ſepultum cari ſui vel caræ ſuæ corpus, hoc ſuſcipi non vetamus. Et nemo Chriſtianorum præſumat, quaſi hereditario jure, de ſepultura contendere: ſed in ſacerdotis providentia ſit, ut parochiani ſui, ſecundum Chriſtianam devotionem, in locis quibus viderit ſepeliantur. Ipſe tamen ſacerdos, memor ordinis ſui, provideat & congruam cuique ſepulturam, & ne ſcandalum, quantum vitari poteſt, fiat ſuis parochianis. Et provideat, ſicut de miniſterio ſuo & coram Deo & coram ſæculo vult gaudere, ut nullius Chriſtiani corpus de ſepulcro ſuo ejiciatur, & nec ſepulcra confringantur, vel caminatæ ſicut ſolent inde fiant. quia ſicut crudele eſt quemquam de domo ſua expellere, & miſericordiæ opus eſt, egenum & vagum juxta dominicum dictum in domum recipere: ita ſacrilegum eſt, corpus indevote ac irreligioſe propter cupiditatem a ſepulcro ejicere, ubi quiſque dominicam vocationem, ut in adventu juſti judicis reſurgat, in pace quieſcens debuerat expectare.

III.

III. *Ut nullus miſſam celebret in altari non conſecrato, vel ſine tabula ab epiſcopo conſecrata.*

Ut quia quidam presbyteri, præter eccleſiam in qua titulati ſunt, etiam capellas habent, & quidam etiam veteres eccleſias reſtaurant, aut altaria nova conſtruunt propter loci convenientiam, vel immutant, nemo presbyterorum in altario ab epiſcopo non conſecrato ante conſecrationem cantare præſumat. Quapropter, ſi neceſſitas popoſcerit, donec eccleſia vel altaria conſecrentur, & in capellis etiam quæ conſecrationem non merentur, tabulam quiſque presbyter, cui neceſſarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honeſtiſſimo, ſecundum ſuam poſſibilitatem, honeſte affectatam habeat, & nobis ad conſecrandum afferat, quam ſecum cum expedierit deferat, in qua ſacra myſteria ſecundum ritum eccleſiaſticum agere valeat.

## IV.

## CAPITULA IN SYNODO RHEMIS DATA ANNO DCCCLXXIV.

Hæc capitula data ſunt presbyteris in ſynodo Rhemenſi, anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIV. in menſe Julio.

I. *Quod iidem parochiarum presbyteri, & canonici in monaſteriis ſimul eſſe non poſſunt.*

QUia non ſolum illicita, ſed etiam pernicioſa ſibi ac commiſſæ plebi præſumptione, contra ſacros canones, presbyteri noſtræ parochiæ dicuntur eccleſias ſuas negligere, & præbendam in monaſterio Montis falconis obtinere, ſed & canonici ipſius monaſterii eccleſias ruſticanarum parochiarum occupare: neceſſe nobis eſt, non ſolum quid inde ſacri canones definiant demonſtrare, ſed & vigorem ac cenſuram eorumdem ſacrorum canonum, ſi ſe non correxerint, in contemptores exercere. Ut igitur de his interim ſileamus, qui certis de cauſis ſecundum ſacros canones de aliis parochiis in noſtram parochiam veniunt, & regulariter a nobis ſuſcipiuntur, vel qui vacantes eccleſiis vacantibus incardinantur, vel cauſa regulis conveniente ſecundum eaſdem regulas de eccleſiis ad alias eccleſias transferuntur; de canonum tranſgreſſoribus iidem canones ſacri decernunt, ut in illa eccleſia tantummodo quique miniſtrent, in qua prius ordinati fuerunt: ſi vero jam quis translatus eſt ex alia in aliam eccleſiam, prioris eccleſiæ rebus in nullo communicet. eos vero qui auſi fuerint poſt diffinitionem magnæ & univerſalis hujus ſynodi, quidquam ex his quæ ſunt prohibita perpetrare, decrevit ſancta ſynodus a proprio hujaſmodi gradu recedere. ] Et ſanctus Leo papa ſedis Romanæ hinc ad Aquilejenſem archiepiſcopum ſcripſit dicens: Illam partem eccleſiaſticæ diſciplinæ, qua olim a ſanctis patribus & a nobis ſæpe decretum eſt, ut nec in presbyteratus gradu, nec in diaconatus ordine, nec in ſubſequenti ordine clericorum, ab eccleſia ad eccleſiam cuiquam tranſire ſit liberum, ut in integrum revoces admonemus, ut unuſquiſque non ambitione illectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum depravatus, ubi ordinatus eſt perſeveret. Ita ut ſi quis ſua quærens, non quæ Jeſu Chriſti, ad plebem ſuam & eccleſiam ſuam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & a communionis vinculo habeatur extraneus. ] Quæ verba beati Leonis ſi quis intelligere attente curaverit, & omnem pravam occaſionem excluſam, & omnem utilitatis ac neceſſitatis rationem conceſſam inveniet. Ait enim: Ut unuſquiſque non ambitione illectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum depravatus, ubi ordinatus eſt perſeveret. Si enim quis non fuerit ambitione illectus, de minori ad majorem eccleſiam non quæret aſcendere: ſi non fuerit cupiditate ſeductus, non quæret quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, ac per hoc non plebem ſuam deſerere, & ad monaſterii quaſi tuitionem confugere, vel canonicus ordinatus in monaſterio, obſequia monaſterialia derelinquens; turpis lucri cupiditate ob emolumentum decimæ ruſticanarum parochiarum eccleſias ſtudebit invadere, non curans ſi infantes ſine baptiſmate mortui caſu fuerint, vel ſine communione & reconciliatione infirmi obierint. Conſtat enim & certum eſt, quia & clauſtra monaſteriis atque obſequia debita, & quæ ſunt neceſſaria plebi in ruſticanis parochiis, inſimul exequi nemo valebit. Quomodo enim, ſi intempeſtæ noctis ſilentio, aut infans natus periclitatur, aut infirmus viaticum munus petierit, canonicus a clauſtris monaſterii exiet, & ad villam infirmorum neceſſitatibus pergens ſuccurrere prævalebit? Quod videns ſanctus Gregorius, tractans coram populo Ezechielem prophetam dicit: *Thronus ejus*, quin domini, *flamma ignis, rota ejus ignis accenſus*. Hi, inquit, qui animarum cuſtodes ſunt, & paſcendi gregis onera ſuſceperunt, mutare loca minime permittuntur: ſed quia uno in loco poſiti, divinitatis in ſe præſentiam portantes ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Quaproter non nobis eſt negligendum, ſed ſtudioſius exequendum, quod iſti ſancti Dei ex hac cauſa obnixius tenendum decreverunt. Unde ſanctus Leo, ea quæ præmiſimus ad Aquilejenſem archiepiſcopum ſcribens, mox ſubdidit: Non, inquiens, dubitet dilectio tua, nos ſi, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro cuſtodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos. quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides negligenteſque rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorem diſſimulant adhibere diſciplinam. Si ergo quiſquam presbyter parochiæ noſtræ, aut infirmitate corporis, aut latente animæ peccato, ſenſerit ſe non poſſe proficere plebi ſibi commiſſæ, vel non debere præeſſe, & voluerit monaſterii portum ad agendam pœnitentiam ſecundum decreta beati Leonis expetere, profeſſionis ſuæ libello, ab ordine, & titulo atque regimine plebis, ſecundum Gregorii decreta ſe exuat, ut in monaſterium intret. Sin autem, eccleſiam ſuam & plebem ſibi commiſſam ſecundum ſacras regulas teneat & gubernet. Si vero contra prædicta canonum interdicta quiſque presbyter in parochia noſtra præſumpſerit, modis omnibus ſe ab ordine abjiciendum cognoſcat.

*Epiſt. 89. ad Niceam.* — *Dan. 7.* — *Leo decr. cap. 14.*

II. *Quod pro loco matriculæ nihil a quoquam requiri vel accipi debeat.*

Sæpe vos admonui de matriculariis, quales ſuſcipere debeatis, & qualiter eis partem decimæ diſpenſare debeatis, ſed admonitionem noſtram, immo Dei per noſtram exiguitatem, quoſdam parvipendere comperi. Unde neceſſe mihi eſt iterare, quod quoſdam cognoſco negligere. Interdixi enim vobis Dei auctoritate, ut nemo presbyter pro loco matriculæ quodcumque xenium, vel ſervitium in meſſe, vel in quocumque ſuo ſervitio, præſumat requirere vel accipere: & matriculariis debitam partem decimæ, quam fideles pro peccatis ſuis redimendis domino offerunt, nemo præſumat vendere. Quod & nunc iterum interdico, oſtendens vobis divinam auctoritatem. Ut enim plurima de ſanctis ſcripturis prætermittam, & pauca vobis, ſed notiſſima in medium devocem, ſanctus Spiritus per beatum David quod cantatis cantavit: *Deus meus miſericordia tua*. & decima a fidelibus data, miſericordia eſt, & miſericordiæ quæ Deus eſt datur. quæ miſericordia dicet in judicio miſericordibus: *Quamdiu feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi feciſtis*. Eleemoſyna enim Græce, miſericordia dicitur Latine: & qui eleemoſynam vendit, Deum, id eſt miſericordiam noſtram vendit: & ſimilis eſt Judæ, de quo in euangelio ſcriptum eſt, quia loculos habebat Judas. Ea quæ mittebantur, id eſt quæ fideles domino dabant, unde ipſe & ſui diſcipuli ſecundum carnem ſubſiſterent, & eleemoſynas dominus faciebat, Judas portabat, id eſt aſportabat & furabatur. Et presbyter, qui de redemptione peccatorum, id eſt de decima fidelium, quodcumque exenium requirit aut accipit, non eſt dignus inter presbyteros nuncupari, ſed dejici: ſicut Judas nuncupabatur inter apoſtolos, ſed de apoſtolorum numero dejectus, & in conſortium diaboli eſt in æternum abjectus. Et ſciatis, quia quicumque presbyter ex hoc Judæ latrocinio fuerit revictus, non ſolum a presbyterali ordine dejicietur, ſed nec etiam partem de illa decima, quam matricularii accipiunt, accipere promerebitur: ſed partem cum illo habebit, cujus fieri conſors maluerit. In ſe, inquit ſanctus Hilarus papa, quidquid in alium quis non reſecarit, inveniet: & ſanctus Gregorius: Qui non corrigit reſecanda, committit.

*Pſal. 58.* — *Matth. 25.* — *Joan. 12.*

III. *De indebito acceſſu ad feminas, & a miniſterio dejiciendis iis qui ſe non correxerint.*

Jam vobis capitulum ex ſanctis ſcripturis & catholicorum dictis donavi de inconvenienti acceſſu & indebita familiaritate ad feminas. Sed video quoſdam veſtrum illud parvipendere. Unde iterum illud in conventu veſtro volo recitari, cum ſententia Zoſimi papæ dicentis: Sciat quiſquis hoc poſtpoſita patrum & apoſtolicæ ſedis auctoritate neglexerit, a nobis diſtrictius vindicandum: ut loci ſui minime dubitet ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones impune poſſe tentari. Contumeliæ enim ſtudio fit quidquid interdictum toties uſurpatur.) Et ſciatis pro certo, quia non in quocumque requiram de viſo concubitu veſtro cum feminis, ſed de interdicto canonico in acceſſu ad feminas. quia ut Hilarus papa dicit: Non minus in ſanctarum traditionum ſanctiones delinquitur, quam in ipſius domini injuriam proſilitur. Et cui veſtrum amplius placuerit indebita feminarum familiaritas quam ſacri miniſterii puritas, habeat quod elegerit: quia inſimul & ſacri miniſterii puritatem, & immundi contubernii habere non poterit [a] impuritatem. Dejicietur ergo a ſacro miniſterio, cui non poterit prodeſſe correptio, ſicut ſanctus Leo papa ad Anatolium Conſtantinopolitanum epiſcopum decrevit dicens: Debet diligentia tua vigilanter inſiſtere, ita ut his, quibus prodeſſe non poterit correptio, non parcat abſciſio. Oportet enim nos euangelici meminiſſe mandati, quod ab Ipſa Veritate præcipitur, ut ſi nos oculus, aut pes, aut dextera ſcandalizaverit manus, a compage corporis auferatur: quia melius eſt his in eccleſia carere membris, quam cum ipſis in æterna ire ſupplicia. Abjicienda prorſus peſtifera hæc a ſacerdotali vigore patientia eſt, quæ ſibimet peccatis aliorum parcendo non parcit: ſicut Heli quondam ſacerdos filiorum ſuorum delicta tolerando, cum ipſis divinæ juſtitiæ ſententiam meruit experiri, quia ſegni indulgentia diſſimulavit plectere peccatores. Cum, inquit Ambroſius, uni ſacerdos indulget indigno, plurimos facit ad prolapſionis contagium provocari; facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi.) Et ſanctus Gregorius: Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur, & melius eſt ut pro multorum ſalvatione unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum ſi inter homines hæc ratio cuſtoditur, cum inter jumenta hæc fieri perſæpe cognovimus, ut ea quæ ſcabiem aut impetiginem habere videntur, ſeparentur a ſanis, ne illorum morbo cetera damnentur, vel pereant. Satius eſt enim, ut manifeſte corrigantur, quam pro illis boni pereant, ſicut verus agricola noſter Chriſtus dominus in euangelio monſtrat dicens: *Omnem palmitem non ferentem fructum*, ſcilicet bonæ operationis, *tollam eum*. Et hoc eſt quod a domino per Moyſem in Levitico figurate præcipitur, ut lapis in domo leproſus a ſacerdote inſpiciatur, & ſi purificari nequiverit, jam inter immundos computetur, ac de ordine mundorum lapidum, id eſt eccleſiaſticorum conſortio, eruatur, atque alius qui dignus eſt loco ejus ſubſtituatur. Videlicet abjectio de cæleſti, id eſt eccleſiaſtico, ædificio, tamquam mortuo lapide, quolibet noxio, qui noluit ſervare quod dicitur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, juxta Petrum apoſtolum, tamquam lapis vivus in domo ſpiritali, in ædificio ſcilicet ſanctæ eccleſiæ Jeruſalem cæleſtis, quæ conſtat ex angelis & hominibus, & ædificatur ut civitas, utilis ſuperædificetur.

*In decret. cap. 2.* — *Epiſt. ad Veranum, Leontium, & Victurium.* — *a) Forte, impuritatem.* — *Epiſt. 82. Diligentiam.* — *Joan. 15.* — *Levit. 14.* — *Apoc. 3.* — *1. Petr. 2.*

IV. *De iis qui de facultatibus eccleſiaſticis alodes comparant, & illos eccleſiæ non derelinquunt.*

Quoſdam veſtrum eccleſias veſtras negligere, & alodes audio comparare, & in eis manſos extruere atque excolere, ac in eiſdem manſis feminarum habitationem habere, eoſque manſos non eccleſiis ſecundum ſacros canones derelinquere, ſed contra ſacros canones vel propinquis veſtris, vel aliis quibuſcumque diſtrahere. Unde ſciatis, quoniam a quocumque hoc fieri comperero, ſecundum canonicam ſeveritatem judicare curabo. Nullum enim alodem epiſcopus, vel presbyter, melius vel firmius poteſt habere, quam qui eſt eccleſiæ attributus, ſi ſecundum ſuum ordinem vivere voluerit. Si autem ordinem pro ſua culpa perdiderit, nec alodem, quem a die ordinationis ſuæ de eccleſiaſticis facultatibus acquiſivit, habere valebit. Quam fraudem de facultatibus eccleſiarum contra ſacros canones, & ſanctarum ſeriem ſcripturarum, prædicationemque majorum, ex magna parte poſſent retundere comminiſtri noſtri, ſi ſecundum capitulum ex ſacris regulis a nobis collectum, & illis ac vobis datum, ſtuderent requirere quid de decimis ſinguli agant presbyteri, & quoniam nihil ab eis in parochiæ circuitione exigo, quæ per ſingulos annos pareant in eccleſiis, de his quæ a nobis ſunt eccleſiis conſtituta, & qualiter quique presbyteri hoſpitales exiſtant ſecundum præceptionem beati Petri apoſtoli jubentis: *Hoſpitales invicem ſine murmuratione, unuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes*. & ſanctus Paulus dicit: *Caritas fraternitatis maneat apud vos, & hoſpitalitatem nolite oblviviſci, per hanc enim placuerunt quidam angelis hoſpitio receptis*. Et Jacobus apoſtolus dicit: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tri-*

*1. Pet. 4.* — *Hebr. 13.* — *Jac. 1.*

*tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.*

V. *Quod pro eccleſiis viduatis præmia patronis dari non debeant.*

Sæpe vos admonui de exeniis ſuperfluis contra ſacras regulas pro eccleſiis viduatis non dandis. ſed ſicut audivi, vos non inde caſtigaſtis, ſed vos ipſos, & veſtros nutritos, in maledictionem ſimoniacæ hæreſeos traditis: quam hæreſin ſanctus Petrus princeps apoſtolorum primam damnavit dicens ad Simonem: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. (Act. 8.) Si enim hominis ſenſum haberetis qui hoc facitis (non enim de omnibus dico) potuiſſetis attendere, quia ſi vos bene viveretis, & veſtros nutritos in bona vita & in bona conſcientia nutriretis, non vobis eſſet neceſſe & veſtra perdere, & vos ipſos in damnationem mittere. Ipſi enim ſcitis, quia nemo fidelis in parochia noſtra in ſua eccleſia ſine presbytero eſſe cupit, & ſine ordinatione epiſcopali presbyterum ibi habere non poteſt. quapropter quiſque defuncto presbytero in ſua eccleſia presbyterum petit. Apud quem cum clericum bonum quæſiero, ut illi presbyterum ordinem, ipſe clericum bonum quæret: ſi eum bonum mihi adduxerit, ordinabo illum. ſin autem, alium requiram: & ipſe tamdiu clericum bonum quæret, uſque dum convenientem ordini ſacro inveniat. Et non neceſſe eſſet vobis petere eccleſias cum ſuperfluo exenio: quia quique fideles, ſi veſtra culpa non eſſet, plus quærerent bonos clericos, quam veſtros denarios. & hoc non ſuffertis: ſed vos & veſtros nutritos in maledictionem mittitis, cum dato patronis præmio vobis & illis peccatum emitis.

## V.

## CAPITULA ″ EODEM ANNO ARCHIDIACONIBUS PRESBYTERIS data.

″ Sirmondus p. 738. tomi I. operum Hincmari delevit iſta duo verba, & annum 877. ſubſtituit.

*Anno incarnationis dominicæ* DCCCLXXIV. V. *Idus Julias Hincmarus archiepiſcopus dedit comminiſtris ſuis hæc capitula, quæ ſequuntur, Gunthario & Odelhardo archidiaconibus presbyteris.*

BEatus Petrus apoſtolus, cujus vice in eccleſia funguntur epiſcopi, & ſub eorum diſpoſitione ipſorum comminiſtri, in epiſtola ſua commonet illos dicens: (1. Pet. 5.) *Seniores qui in vobis ſunt obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ejus quæ in futuro revelanda eſt gloria communicator, paſcite qui eſt in vobis gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in clero, ſed forma facti gregis, & ex animo.* Cujus verbum atque exemplum ſecutus ſanctus Leo papa, (Leo epiſt. 28. Anaſtaſio Theſſalonic.) eum, cui ſuas vices commiſit in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, ab indebito appetitu præſumptionis per diſtincta capitula coercuit freno diſcretionis. Juxta quorum doctrinam, vos in exordio commiſſi miniſterii paucis capitulis patenter ac diligenter commoneo. a quibus vos, quantum patitur humana fragilitas, non deviare ſub teſtificatione Chriſti præcipio.

I. *Ut non gravent presbyteros quando parochias circumeunt.*

Egregius doctor gentium diſcipulis ſuis dicit: (1. Cor. 11.) *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*: & vos quando ruſticanas parochias vobis commiſſas, vel A mecum, vel per vos circuitis, ſicut & ego non graves ſitis presbyteris in paratis quærendis: neque ducatis ſuperflue vobiſcum homines, vel veſtros proprios, vel propinquos veſtros, per quos illos gravetis in cibo, & potu, & fodro ad caballos. Et providete, ne homines veſtri, qui vobiſcum ibunt, illos dehonorent, vel hominibus illorum graves ſint. Nec diu in manſionibus ipſorum presbyterorum immoremini. & ſi neceſſitas evenerit, ut in aliquo loco immorari debeatis; ſic diſponite victualia veſtra per circummanentes presbyteros, ut nemini graves ſitis, & non otioſi & infructuoſi ſtipendia eccleſiaſtica inſumatis, ſicut nec ego gravis ſum presbyteris, per quos parochias circumeo.

B II. *Ut parochias non occaſione victus, ſed inſtructionis cauſa circumeant.*

Ut non occaſione victus parochias circumeatis, quatenus de aliorum ſtipendiis viventes veſtra ſtipendia conſervetis: ſed verbo & exemplo non ſolum presbyteros, ſed & laicos, de veſtra bona converſatione & inquiſitione ſecundum miniſterium vobis commiſſum inſtruatis.

III. *Ne munera a presbyteris accipiant, ut eorum vitia diſſimulent.*

Ut a presbyteris exenia non accipiatis, quatenus illorum mala fama cooperiatur: ſed omnibus verbo & exemplo notum facite, quia plus valet apud vos Dei & proximi dilectio, quam terrenum lucrum acquirendi occaſio: plus benignitas quam C ſeveritas, plus commonitio quam commotio, plus caritas quam poteſtas. Erga bonos & bene agentes eſtote æquales ut fratres: erga pravos eſtote vitiorum correctores, & fratrum amatores. Similiter & erga alios in veſtris miniſteriis delinquentes.

IV. *Ne a presbyteris quidquam petant quod ſecum auferant dum redeunt.*

Quando parochias circuitis, nolite graves eſſe presbyteris, petentes friſkingas, vel piſces, aut formaticos, aut annonam, aut alias quaslibet res, ut habeatis quando ad civitatem reverſi fueritis, unde quaſi fratribus refectionem faciatis, ut ſalvis ſtipendiis veſtris habeatis unde vos & veſtros conducatis.

D V. *Ne denarios a presbyteris vel eulogias exigant: ſed ſponte oblata tantum accipiant.*

Nolite quaſi pro aliquo adjutorio ad quamcumque rem denarios apud presbyteros poſtuletis: neque quando ad ſynodum, vel pro inquiſitione miniſterii ſui, ſeu pro chriſma accipiendo venerint, eulogias exigatis: ſed ſi cui forte commodum fuerit pro ſua voluntate & commoditate aliquid gratis offerre, cum gratiarum actione accipite.

VI. *Ne paſcendis ſuis vel amicorum caballis presbyteros gravent.*

Nolite quaſi per precationem caballos veſtros, vel amicorum veſtrorum, ad paſtum presbyteris E commendare præſumatis, neque annonam, vel fodrum ab eis exigatis. Ideo enim vobis de facultatibus eccleſiaſticis, juxta quod apoſtolus de lege dicit: *Non obturabis os bovi trituranti*, (1. Tim. 5.) ſolatium præbeo, ut presbyteros non gravetis.

VII. *Ut parochias ruſticanas confundere vel dividere non præſumant, & ut eccleſias omnes, capellaſque illis ſubjectas deſcribant.*

Expreſſe vobis in nomine Chriſti præcipio, ut ruſticanas parochias pro alicujus amicitia vel petitione, aut pro aliquo præmio, non præſumatis confundere, nec dividere: neque eccleſias illas, quæ ex antiquo presbyteros habere ſolitæ fue-

runt,



runt, aliis eccleſiis quaſi loco capellarum non ſubjiciatis. neque capellas de illis eccleſiis, quibus antiquitus ſubjectæ fuerunt, ad alias eccleſias ſubjicere præſumatis. Et per omne miniſterium veſtrum, unuſquiſque veſtrum deſcribat omnes eccleſias & titulos, quæ antiquitus presbyteros habuerunt, & capellas antiquitus illis ſubjectas, & mihi ſcripto renuntiate.

VIII. *Ut nulli capellam domi habere, aut miſſam in domo celebrari ſine epiſcopi licentia concedant: & ut capellas ejuſmodi omnes deſcribant.*

Nemo veſtrum capellam alicui in domo ſua habere concedat ſine mea licentia, neque in domo ſua miſſas celebrari concedat ſine mea licentia. & unuſquiſque veſtrum deſcribat per ſuum miniſterium, quicumque capellam extra eccleſiam principalem habet a tempore Ebbonis uſque ad tempus meum, & a tempore meo, vel mea, vel alterius licentia factam. & in cujuſcumque presbyteri parochia quæcumque vel cujuſcumque capella ſit facta.

IX. *Ne pœnitentes pro munere aliquo ad reconciliationem adducantur, vel poſt eam negligantur.*

Solicite providete, ne vos, vel presbyteri, negligenter pœnitentes pro aliquo munere ad reconciliationem adducatis, vel poſt reconciliationem eos negligatis, quod ſimoniacum eſt.

X. *De relapſis poſt publicam pœnitentiam.*

Solicite providete, ut ſi aliqui poſt reconciliationem publicam in publicum peccatum ceciderint, ad notitiam meam perferatis, ut ſciatis qualiter inde & vos, & presbyteri, agere debeatis.

XI. *Ne ad ordinationem pro aliquo munere adducantur non idonei.*

Solicite providete de vita & ſcientia clericorum, quos ad ordinationem adducetis: ne pro aliquo munere tales ad ordinandum introducatis, qui introduci non debent, quoniam ſimoniacum eſt.

XII. *Ut videant quomodo capitula ſibi data obſervent presbyteri.*

Solicite providete, ſecundum capitula presbyteris a nobis data, de portione eccleſiæ, quid inde in eccleſiis pareat: ſed & de matriculariis, & de aliis capitulis presbyteris a nobis datis, qualiter illa teneant & conſervent.

XIII. *Quomodo eligendus ſit decanus in locum defuncti vel inutilis.*

Si decanus in miniſterio veſtro aut negligens, aut inutilis, & incorrigibilis fuerit, vel aliquis eorum obierit, non inconſiderate decanum eligite. Et ſi ego in propinquo ſum, ad me illam electionem referte. Et ſi ego in longinquo ſum, decanum illum qui electus eſt interim conſtituite, donec ad meam notitiam electio illa referatur, & mea conſtitutione confirmetur, aut immutetur.

## VI.

″ Profuerit quoque non alienam a præcedentibus capitulis adjungere ex mſ. codice

## EPISTOLAM AD PRESBYTEROS RHEMENSIS PAROCHIÆ. De baptiſmo.

*HINCMARUS EPISCOPUS ac plebis Dei famulus dilectis fratribus hujus Rhemenſis parochiæ compresbyteris noſtris.*

CUpiens vos in omni ſenſu & doctrina atque operis perfectione gratia Dei eſſe ditatos,



A pro impoſito exiguitati meæ miniſterio ſingulis & in commune vobis quædam de actione ſacri baptiſmatis breviter ex plenitudinis latitudine ſanctarum ſcripturarum, & doctrina catholicorum patrum curavi excerpere & notitiæ veſtræ ingerere, ut ſecundum ſacram ſcripturam intelligatis in ſancto miniſterio cuncta quæ agitis, & ut in aperto ſermone non ſit in vobis difficultas intelligendi, neque in prolixo tædium legendi & memoriæ commendandi.

DOminus Jeſus Chriſtus creator & redemptor noſter dicit in euangelio, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cælorum*; (Jo. 3.) Unde diſcipulis ſuis mandavit dicens; B *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* (Matth. 28.) In iſtis pauciſſimis verbis totius ſanctæ prædicationis ordinem expoſuit, bis docere dixit, & ſemel baptizare. Primo omnium fidem catholicam docere præcepit, & poſt fidem acceptam, in nomine ſanctæ Trinitatis baptizare juſſit. Deinde fide imbutum & ſacro baptiſmate ablutum euangelicis inſtruere præceptis mandavit. Primo fides docenda eſt, & ſic baptiſmi percipienda ſunt ſacramenta, deinde euangelica præcepta tradenda ſunt. At ſi aliquid horum trium defuerit, ſalutem animæ ſuæ auditor habere non poterit. Hic namque ordo catechizandi, id eſt inſtruendi in adultæ ætatis viris C ubique firmiter retinendus eſt. Fragiliori vero ætati pia mater eccleſia conceſſit, ut qui alieno in paternæ prævaricationis ligatus eſt peccato, alterius in baptiſmi myſterio abrenuntiatione & fidei profeſſione ſolutus ſit. Et ſi hoc non eſſet, quanti perirent infantes, ex quorum numero cæleſtis quotidie ædificatur Hieruſalem. Abſque fide quippe baptiſma non proficit, dicente apoſtolo, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. (Hebr. 2.) Inter impoſſibile ſiquidem & difficile hoc intereſſe legimus. Difficile eſt quod licet vix, tamen fieri poteſt: impoſſibile vero, quod omnino ab humana fragilitate fieri non poteſt. Ideo ipſe dominus in euangelio ſtupentibus apoſtolis quis ex divitibus ſalvus fieri poſſet, reſpondit, *Apud homines hoc impoſſibile eſt,* (Matth. 19.) D *apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*. Docendus eſt itaque homo rationalem habens intelligentiam, & multimoda prædicatione adtrahendus ut ſacræ fidei veritatem agnoſcat, & maxime Dei omnipotentis pro eo deprecanda eſt clementia, quia otioſa eſt lingua docentis, ſi gratia divina cor non imbuit auditoris, dicente ipſa veritate, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus adtraxerit eum*. (Jo. 6.) Et ut æqualiter ſanctam Trinitatem ſalutem hominis operari intelligatis, dicit & ipſe dominus in euangelio, *Nemo poteſt venire ad Patrem, niſi per me*. (Jo. 14.) Item & de Spiritu ſancto ait, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei*. (Jo. 3.) Quod enim viſibiliter ſacerdos per baptiſmum operatur in corpore per aquam, hoc E Spiritus ſanctus inviſibiliter operatur in anima per fidem. Tria ſunt in baptiſmatis ſacramento viſibilia, & tria inviſibilia: viſibilia ſunt ſacerdos, corpus, & aqua: inviſibilia vero, Spiritus & anima & fides: illa tria viſibilia nihil proficiunt foris, ſi hæc tria inviſibilia non operantur. Sacerdos corpus aqua abluit: Spiritus ſanctus animam fide juſtificat. Et hoc eſt quod apoſtolus ait, *Cooperatores enim Dei ſumus*. Cooperatur homo ſancto Spiritui in ſalute hominis; ſed & ipſe homo qui baptizandus eſt, cooperari ambobus debet in ſalute ſua, id eſt Spiritui ſancto, & ſacerdoti humiliter corpus præſtare ad ſacri myſterium la-

vacri, & animam voluntarie ad catholicæ fidei ſuſceptionem.

a) Pro, ſacramenti. H.

Ut vim cognoſcatis hujus [a] ſacratiſſimi juxta ſanctorum patrum intelligentiam & ſtatuta eccleſiaſtica, veſtræ caritati eadem ſacramenta catholica interpretatione oſtendam. Nam magna ſanctitate & venerabili ſignificatione quidquid in eis geritur ſtatutum eſſe neminem dubitare fas eſſe credimus.

I. Paganus catechumenus, id eſt inſtructus, fit accedens per ordinem traditum ad baptiſmum, id eſt ſanctam unctionem, & renuntiat maligno ſpiritui & omnibus damnoſis ejus pompis.

II. Accipit manus impoſitionem & crucem in fronte in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, & exſufflatur in facie, ut fugato diabolo, Chriſto Deo noſtro paretur introitus.

III. Exorcizatur id eſt conjuratur malignus ſpiritus ut exeat & recedat dans locum Deo.

IV. Accipit catechumenus ſalem, ut putrida & fluxa ejus peccata ſapientiæ ſale divino munere mundentur.

V. Deinde vero ſymboli apoſtolici traditur ei fides, & oratio dominica, ut vacua domus & a priſco habitatore derelicta, fide ornetur, & præparetur habitatio Deo. Quorum expoſitionem, id eſt ſymboli & orationis dominicæ, habetis in ſcrutinio quod fit in apertione aurium, ſicut vobis credimus eſſe notum. Quod enim ſymbolum Græce dicitur, Latine indicium, vel ſignum, ſive collatio interpretatur. Indicium, quia per id indicatur fidei integritas. Signum, quod eo bene retento & intellecto fideles ab infidelibus diſcernuntur. Collatio, quia in eo ſancti apoſtoli omnem fidei integritatem contulerunt: quod autem omnes apoſtoli, pari fidei ſinceritate corde retinebant, ore confeſſi ſunt, & ſinguli proprias ſententias conferentes, ſymbolum, id eſt, totius fidei collationem ediderunt. Diſceſſuri enim ab invicem per totius orbis provincias normam futuræ prædicationis in commune ſtatuerunt, ne localiter ab invicem diſcedentes, diverſum aliquid vel diſſonum prædicarent. Oratio autem dominica, quam omnes Chriſtiani ſincero corde frequentare neceſſario debent, ideo ſic appellatur, quia petentibus apoſtolis ut eis inſinuaret qualiter orare deberent, dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſicut ſacra evangelia docent, hanc orationem illis compoſuit, & ſic eos orare præcepit.

VI. Tunc fiunt ſcrutinia, id eſt explorationes vel inveſtigationes ſecundum morem vobis cognitum, ut exploretur ſæpius quam firmiter poſt renuntiationem ſatanæ ſacra verba datæ fidei radicitus corde defixerint; & ſicut vobis notum eſt, per decretos dies in ſancta quadrageſima fiunt ſeptem ſcrutinia ſecundum formam ſeptiformis ſpiritus.

Marc. 7.

VII. Deinde tangit conſecrando ſacerdos nares & aures de ſputo, & dicit *Effeta, quod eſt adaperire*, & reliqua. Inter cetera quippe conſecrationis exordia, de ſaliva oris ſui ſacerdos nares tangit, & aures conſecrandi, & dicit *Effeta, quod eſt adaperire*. Obſurduit enim homo ab audiendo vitæ verbo, poſtquam mortifera ſerpentis verba contra Deum timidus audivit, & ſurditatem quam primus homo peccando promeruit, omnis per traducem virilis ſeminis generatus ab illo contraxit. Per ſalivam quidem oris ſacerdotis guſtus quo initiandus eſt ſupernæ ſapientiæ deſignatur, quia ex capite in quo omnes ſenſus hominis ſunt, ſaliva deſcendit; & apoſtolus, *Caput*, inquit, *Chriſti Deus*, & divinitas hominem aſſu-

Ibidem. 1. Cor. 11.

mens quoddam ex connexione duarum ſubſtantiarum in una Dei filii perſona collyrium fecit, unde genus humanum quod cæcum a primis parentibus natum erat, illuminaret. Non ab re ſputo aures tanguntur & nares, ut qui expuens linguam muti tetigerat, & [b] ſputo lutum fecerat, & oculos cæci nati aperuerat, nunc per miniſterium ſacerdotum, & auditum ſpiritalem his qui baptizandi ſunt tribuat, & recte loquendi, id eſt veræ fidei confitendi facultatem præbeat, & nares quibus bonum Chriſti odorem capiant aperiat. Per tactum vero narium, ut abjectis delectationibus noxiis, ſolum Chriſti ſemper amplectatur odorem, de quo dicit apoſtolus, *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco*, & ut meminerit ſe juxta exemplum beati Job, donec ſupereſt halitus in eo & ſpiritus Dei in naribus ejus, non loqui iniquitatem labiis, nec lingua mendacium meditari debere. Porro per tactum aurium, ut relicto auditu linguæ nequam, audiat verba Chriſti, & faciat ea, ſimilis viro prudenti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, qui incorporatus eccleſiæ quæ corpus eſt Chriſti, dicit cum pſalmiſta, *Sacrificium & oblationem*, veterum ſcilicet ceremoniarum, *noluiſti, aures autem perfeciſti mihi, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion, & in me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi*. Legimus quoque in quibuſdam regionibus eſſe conſuetudinem, ut etiam labia conſecrandi de ſaliva ſacerdotis tangantur auctoritate ſacri evangelii, quia poſtquam dominus in aures ſurdi & muti miſit digitos ſuos, ſputo tetigit linguam illius, & ſubintulit *Effeta, quod eſt adaperire*, & ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte. Et in quibuſdam regionibus alii oleo ſancto tangunt catechumenorum aures & nares, quia nemo poteſt per gratiam ſancti Spiritus, quæ oleo deſignatur, fidei ſacramenta cognoſcere, niſi audiat prædicantem, dicente apoſtolo, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Nares quoque ſimili tactu ſanctificantur, ut hi qui ad baptiſmum veniunt admoneantur tanti myſterii ſacramentum per gratiam ſancti Spiritus uſque ad mortem inviolatum atque integrum cuſtodire, ut quamdiu ſpiritum vitæ hujus naribus ſuis attrahunt, a Chriſti domini noſtri cultura & ſervitio non recedant. Sed ſicut noſtrarum regionum conſuetudo ab eis non eſt reprehendenda, ita nec a nobis illarum conſuetudo, quia non abhorrere a fide videtur, penitus eſt abdicanda, cum in unius fidei ſoliditate in quibuſdam rebus obeſſe non ſoleat diverſa conſuetudo, ſicut & ſacramenta veteris ac novi teſtamenti licet pro temporum ratione diſcrepent, fides tamen una eademque concordat, quia quam nos per apoſtolos factam, eamdem patres teſtamenti veteris diſpenſationem Chriſti per prophetas didicerant eſſe venturam.

b) Tempe ex ſputo.
2. Cor. 2.
Pſal. 39. 51.
Marc. 7.
Rom. 10.

VIII. Poſthæc vocato ex nomine conſecrando, interrogat eum ſacerdos, ſi abrenuntiet ſatanæ & omnibus operibus ejus, & reliqua. Poſt cujus reſponſionem ungit eum oleo exorcizato in pectore & inter ſcapulas dicens, *Et ego linio te oleo ſalutis in Chriſto Jeſu domino noſtro in vitam æternam*. Pectus quippe perungitur oleo, ut ſigno ſanctæ crucis diabolo claudatur ingreſſus. Signatur & inter ſcapulas, ut undique muniatur. Item in pectoris & inter ſcapulas unctione ſignatur fidei firmitas, & operum bonorum perſeverantia. Signatur etiam baptizandus pectore & inter ſcapulas de oleo ſancto, ut illius olei ſancti, videlicet ſpiritus unctione liniatur, de qua apo-



1. Joan. 2.
a) Forte, ut ante. H.
1. Pet. 5.

ſtolus ait, *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus*; [a] ante & retro munitus contra omnia proſpera ſive adverſa ſit circumſpectus. Abrenuntiat autem baptizandus diabolo, id eſt, reſiſtit, ſicut jubet Petrus apoſtolus dicens, *Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis*. Abrenuntiat quidem, id eſt, repudiat, ſpernit, rejicit, contradicit, abnegat, relinquit, ſive aliud quid quod hoc verbo in hoc ſenſu exprimi poteſt. Quamvis enim illius verbi quod eſt nuntio ſenſus in promptu ſit cum ſine præpoſitione profertur: accepta præpoſitione interdum a ſua ſignificatione non longe recedit, ut eſt illud nuntio & renuntio; interdum vero in alium ſenſum vertitur, [b] & eſt illud, *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Quam ſententiam beatus Gregorius exponens in homilia evangelii, renuntiare abnegare, intelligi debere oſtendit. Denique baptizandus poſt abrenuntiationem ſatanæ, interrogatur ſi abrenuntiet omnibus operibus ejus. Quæ ſunt autem opera ſatanæ, divinus apoſtolus Paulus in quo loquitur Chriſtus, demonſtrat ſcribens ad Corinthios: *Si quis frater eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumere*. Et item: *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*. Et ad Galatas: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*, niſi per debitos pœnitentiæ fructus antequam exeant de corpore ea cooperiant, & devotis precibus, eleemoſynis, jejuniis, fletibuſque, & hoſtiæ ſalutaris oblationibus abluere illa curaverint. Abrenuntiat enim baptizandus omnibus diaboli pompis, id eſt, ſpiritalibus vitiis, ut ſunt ambitio, arrogantia, vana gloria, oſtentatio, & cetera hujuſmodi, quæ de ſuperbiæ fonte procedunt. Pompa quippe proprie dicitur publica oſtentatio cum multa ambitione. Ambitio quippe phantaſia dicitur Græce, quo nomine deſignatur multiplex apparatus & pompa regalis officii, & hac conditione poſt abrenuntiationem, ut præmiſimus, oleo ſancto linitur.

b) Forte, ut eſt illud. H.
Luc. 14.
1. Cor. 5.
1. Cor. 6.
Galat. 5.

IX. Et ſic fonte verbis ſolennibus conſecrato, adſtante baptizando juxta fontem, obſequente patrono interrogat eum ſacerdos, ſi credit in Deum patrem omnipotentem, & reliqua ſecundum morem, & reſpondente illo ſecundum eccleſiaſticam conſuetudinem, poſt ſupradictam trinam diaboli & pomparum [c] ac operum abrenuntiationem, poſtque trinam veræ fidei confeſſionem, quia non poteſt quiſque niſi trina abrenuntiatione & trina confeſſione purgari, trina merſione baptizatur in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut ſicut interior homo, qui ad imaginem ſanctæ Trinitatis conditus eſt, per invocationem ſanctæ Trinitatis ad eamdem revocatur imaginem, & qui tertio gradu peccati, id eſt cogitatione, locutione, & operatione cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte per gratiam reſurgat ad vitam, & ſicut interior homo in fide ſanctæ Trinitatis ad imaginem ſui conditoris reformandus eſt, ita & exterior trina merſione abluendus eſt, ut quod inviſibiliter ſpiritus operatur in anima, hoc viſibiliter ſacerdos imitetur in aqua. Nam originale peccatum tribus modis actum eſt, delectatione, conſenſu, & opere, ita & omne peccatum aut cogitatione, aut locutione, aut operatione efficitur; ideo triplici generi peccatorum trina videtur ablutio convenire, vel propter originale peccatum, quod in infantibus valet ad perditionem, vel propter illa quæ in provectioris ætatis hominibus voluntate, verbo, vel facto adduntur; & quia ſecundum ſanctam ſcripturam unus Deus, una fides, unum baptiſma, ter baptizandus mergitur in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut [d] Trinitas unum appareat ſacramentum; & non baptizatur in nominibus Patris & Filii & Spiritus ſancti, ſed in uno nomine quod intelligitur Deus, juxta apoſtolum: igitur unus eſt Deus, una fides, unum baptiſma: ſed duæ ſunt pactiones quæ in baptiſmate paciſcuntur, quas patroni ſuis ſuſceptis cum ad intelligibilem ætatem pervenerint inſinuare ſollicite & inculcare debent; quarum pactionum una eſt qua diabolo abrenuntiatur, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus, & altera qua quiſque baptizatus profeſſus fuit ſe credere in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, quas neceſſe eſt inconvulſæ mentis intentione ſervare fidelibus, & ut intemerate cuſtodiri poſſint, illius ſemper adjutorium requirere, cujus gratia in baptiſmate ſunt renati.

c) Forte, ac operum ejus. H.
d) Forte, Trinitatis. H.
Epheſ. 4.

---

# ISAAC EPISCOPI LINGONENSIS CANONES.

## NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

Titulus in veteri codice nullus eſt. eum indidimus, quem ſuggerebat chronicum ſancti Benigni, ubi hujus operis fit mentio his verbis: *Compoſuit idem B. Iſaac epiſcopus librum qui dicitur Canones Iſaac, eoque ex libris ceterorum utiliora quæque eligendo in unum volumen coartavit*. Excerpſit autem ex libris capitularis, ut vocat; præcipue vero ex tribus libris poſterioribus, quos Benedictus Levita ad Anſegiſi abbatis collectionem adjecit. Et quamquam quæ in his libris continentur, omnia, ut idem Benedictus ſub finem libri VII. tradit, per ſedis apoſtolicæ legatos fuerant confirmata; conſtat tamen, ad Bonifacium & Zachariam non omnia, quod innuere ſequens præfatio videtur, ſed ea tantum pertinere, quæ initio libri V. deſcripta ſunt.

## PRÆFATIO.

Ex editione P. Sirmondi.

CUm opportunitas eccleſiaſtica exegerit, ut contra delinquentes & errantes paſtoralis ſententia proferatur, frequenter evenit, ut remedia quæ ſummo caritatis & pietatis ardore a patribus anxiis præparantur, a filiis ægrotantibus ad ſuam perniciem reſpuantur. Et quia nec affectum medentium, nec ſuum ut expedit periculum damnationis perpendunt, oblata quæque faſti-

diunt, & velut inefficacia, quia ſunt domeſtica, medicamenta contemnunt. Idcirco ego Iſaac indignus Lingonenſis epiſcopus, propter quorumdam minus acquieſcentium deſidiam, & querelam contra paſtoralem ſolicitudinem, atque improborum inſolentiam, qui omnia, quæ ad emendationem vel ad ſuam cautelam dicuntur, a nobis ficta & excogitata garriunt & inventa, utile duximus, quædam ſaluberrimarum capitula ſanctionum, quæ ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ eccleſiæ legatus Bonifacius venerabilis Maguntiacenſis archiepiſcopus Zachariæ papæ, una cum orthodoxo Karlomanno Francorum principe, in duobus epiſcoporum conciliis ad honorem & profectum eccleſiæ Dei conſcripſit, quæque etiam idem papa Zacharias ſub anno incarnationis dominicæ DCCXLII. auctoritate apoſtolica confirmavit, & omnibus eccleſiæ Dei fidelibus irrefragabiliter obſervanda conſtituit, revolvere, & ad meam meorumque utilitatem quædam ex his, quæ in quæſtionem ſæpiſſime veniunt, colligere, & in unum corpuſculum aggregare: quatinus ſi noſtra calumniaverint, vel ſiniſtra interpretatione labefactare tentaverint, apoſtolica pariter & regali auctoritate compreſſi de cetero conticeſcant, & ſalutiferis curationibus vel inviti cum cauſa exegerit acquieſcant.

*De mallis vel placitis ſæcularibus, quibus temporibus obſervari non debeant.*

Volumus omnibus comitibus, omnibuſque reipublicæ miniſtris firmiter denuntiare, ut a quarta feria ante initium quadrageſimæ, nec in ipſa quarta feria, uſque poſt in octavas paſchæ, mallum vel placitum publicum, niſi de concordia & pacificatione diſcordantium, tenere non præſumant. Similiter etiam a quarta feria ante nativitatem domini, uſque poſt conſecratos dies obſervent. Nec non & in jejuniis quatuor temporum, & in rogationibus, & in diebus pentecoſtes, ſimili obſervatione eoſdem feriatos dies venerari omnimodis ſtudeant.

*Ut in immunitatibus eccleſiarum mallum vel placitum publicum nemo tenere præſumat.*

Placuit ut nullus comes, neque aliquis ex judiciaria poteſtate, mallum aut placitum in immunitatibus vel atriis eccleſiarum tenere, aut quemquam de familia earumdem eccleſiarum quacumque occaſione aut temeritate injuriare præſumat. Quod ſi fecerit, bannum dominicum perſolvat, & inſuper Deo & eccleſiæ quam læſit ſecundum canonicam inſtitutionem in omnibus ſatisfaciat. Quam etiam ſi facere diſtulerit, tamdiu a cœtu fidelium arceatur, donec pœnitentia accepta reatum quem commiſit emendet.

*De manſis uniuſcujuſque eccleſiæ.*

Sancitum eſt, ut unicuique eccleſiæ unus manſus integer abſque aliquo ſervitio attribuatur, & presbyteri in eis conſtituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis vel hortis juxta eccleſiam poſitis, neque de præſcripto manſo, aliquod ſervitium faciant præter eccleſiaſticum. Et ſi aliquid amplius habuerint, inde ſenioribus ſuis debitum impendant.

INDEX TITULORUM.


I. *De pœnitentibus.*
II. *De homicidiis.*
III. *De adulteriis.*
IV. *De inceſtis.*
V. *De raptoribus.*
VI. *De rapacibus.*
VII. *De ſacrilegis.*
VIII. *De juramentis.*
IX. *De excommunicatis.*
X. *De ſtabilitate ſacerdotum in titulis.*
XI. *Capitula eccleſiaſticis utilitatibus ſatis congrua.*


## TITULUS I.

## DE POENITENTIBUS.

Cap. I. *De pœnitentibus non cogendis vinum bibere.*
Ex libro v. capitularis cap. LIV.

Ut nullus presbyter, aut laicus, pœnitentem cogat vinum bibere, aut carnem manducare, niſi ad præſens pro ipſo unum vel duos denarios juxta qualitatem pœnitentiæ dederit.

Cap. II. *De homine publicam pœnitentiam agente interfecto.*
Ex eodem libro cap. CVII.

Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat, & vvirgildum proximis ejus ſolvat.

Cap. III. *De pœnitente cujus crimen pervulgatum eſt.*
Ex eodem libro cap. CXVII.

In concilio Carthaginenſi de hac re præcipitur, ut ſi cujuſquam pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam commoverit eccleſiam, ante abſidem manus ei imponatur. Et alibi in canonibus vel decretalibus Leonis papæ, præcipitur de eadem re, ut abſolutio pœnitentium per manus impoſitionem epiſcoporum ſupplicationibus fiat. Et reliqua multa talia, & horum ſimilia. Lib. v. cap. 51.

Cap. IV. *De pœnitentibus qui euchariſtiam acceperint in infirmitate.*
Ex eodem libro cap. CVIII.

Pœnitentes qui in infirmitate viaticum euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint. v. 54.

Cap. V. *De pœnitentium abſolutione, ut per manus impoſitionem epiſcoporum, vel ſacerdotum precibus fiat.*
Ex eodem cap. CXX.

Si quis in periculo, vel * pace, aut infirmitate pœnitentiam acceperit, ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus euchariſtia. v. 56.

Cap. VI. *Ut pœnitens oſtenſis pœnitentiæ fructibus communionem recipiat.*
Ex eodem cap. CXXI.

Ut pœnitens oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiat. v. 57.

Cap. VII. *Ut pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, ſuper caput cilicium a ſacerdote conſequantur.*
Ex eodem cap. CXXII.

Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput, a ſacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur. v. 58.

Cap. VIII. *Ut omni tempore jejunii manus pœnitentibus a ſacerdote imponatur.*
Ex eodem libro cap. CXXIII.

Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a ſacerdote imponantur. v. 59.

Cap. IX. *Ut lapſi per manus impoſitionem epiſcopi abſolvantur.*
Ex eodem cap. CXXIV.

Ne abſolutos lapſos in fide credamus, niſi per impoſitionem manus epiſcopi. v. 60.

Cap. X.



Cap. X. *Ut pœnitentes communicent qui ante reconciliationem moriuntur.*
Ex eodem cap. CXXV.

Placuit his qui accepta pœnitentia ante reconciliationem migrant ad Deum communicari, pro eo quod honoraverunt pœnitentiam. Qui ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium: ut legitimam communionem ſtatuto tempore reconciliatione & manus impoſitione epiſcopi, vel ejus juſſu presbyteri, recipiant. v. 61.

Cap. XI. *Ut criminalia peccata multis jejuniis, & crebris manus impoſitionibus a ſacerdote purgentur.*
Ex eodem cap. CXXVI.

v. 62. Criminalia peccata multis jejuniis, & crebris manus ſacerdotum impoſitionibus, eorumque ſupplicationibus, juxta canonum ſtatuta, placuit purgari. Ita ut nemo ſine manus impoſitione epiſcopi, aut ejus juſſu alicujus presbyteri, ſe credat eſſe a ſuis facinoribus abſolutum. Non eſt mirandum, ſi abſolutio peccatorum per manus impoſitionem precibus fit ſacerdotum, cum dominus in veteri lege ſuper caput hoſtiæ manum ſacerdotis præceperit imponi. Etenim ſicut tunc per illam hoſtiam, ita nunc invocatione ſancti Spiritus, qui eſt remiſſio peccatorum, per manus epiſcoporum, vel eorum auctoritate reliquorum ſacerdotum, impoſitionem, vel ſupplicationibus eorum remittuntur peccata. Nam quando dominus Lazarum ſuſcitavit, ait ſuis diſcipulis: *Tollite lapidem*, ſubauditur, ut mortuus reſurgat. dans exemplum, ut ſicut ipſi manibus tollunt lapidem, ut mortuus ſurgat, ita & ipſi, & ſucceſſores eorum, manus pœnitentibus imponant, ut per impoſitionem manuum ſuis precibus mortuum de ſepulcro, id eſt, peccatorem de vitiis ſurgere & relevare faciant. Et ſicut illi Lazarum inſtitis, id eſt, funibus, colligatum jubente domino ſolvunt, qui ait: *Solvite eum, & ſinite abire*: ita iſti eorum ſupplicationibus auxiliante domino, & comitante Spiritu ſancto, qui in his ſemper operatur, per manus impoſitionem peccatorum ſolvant vincula, eoſque tempore a ſanctis patribus conſtituto ſacra euchariſtia communicent, & abſolutos ire permittant. (Joan. 11.)

Cap. XII. *Ut pœnitentibus juxta canonicam auctoritatem pœnitentia detur, & ante ſuſpenſos a communione excubare faciant ad eccleſiæ officium.*
Ex eodem cap. CXXVIII.

v. 63. Ut ſecundum formam canonum pœnitentibus detur pœnitentia: & prius eos a communione ſuſpenſos ad officium eccleſiarum excubare faciant, & inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, ſacerdotali prece per manus impoſitionem, juxta ordinem ſacramentorum & canonum, reconcilient pœnitentes, & ſacra communione confirment.

Cap. XIII. *De his qui ſeparati a communione fuerint pœnitentibus.*
Ex eodem libro cap. CXXIX.

v. 64. Qui a communione ſeparantur, in locis quibus ſecluſi fuerant per manus impoſitionem recipiant communionem. Nec ſe quiſquam a peccatis abſolutum ſine reconciliatoria manus impoſitione credat: ſed per manus impoſitionem precibus ſacerdotum reconcilietur, ſicut auctoritas habet eccleſiaſtica.

Cap. XIV. *Ne in confinio mortis pœnitens a reconciliatione diutine ſuſpendatur.*
Ex eodem cap. CXXX.

v. 65. Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutine a reconciliationis gratia differendus eſt; ſed ſi pro certo mortis urget periculum, pœnitentia per manus impoſitionem accepta, ſtatim & reconciliatio adhibenda eſt: ne prius ab humanis rebus æger abſcedat, quam donum reconciliationis accipiat; ſicque ſuperſtitibus quodammodo doloris videatur eſſe perpetui, ſi præciſum ab eccleſiæ membris eum, qui utique reconciliationis non meruit gratiam, raptim e præſenti vita mortis natura ſubduxerit. Unde juxta papæ Leonis edictum: His qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras ponere poſſumus, nec tempora definire.) De his autem qui accepta pœnitentia antequam reconcilientur ab hac vita receſſerint, quamquam diverſitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nobis ſententia placuit, qui multiplici numero de hujuſmodi humanius decreverunt, ut & memoria talium in eccleſiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata ſpiritibus accipiatur. (Epiſt. ad Theodorum Forojul.)

Cap. XV. *De pœnitentibus qui ex gravioribus levioribuſque commiſſis pœnitentiam gerunt.*
Ex eodem cap. CXXXI.

De pœnitentibus, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus, pœnitentiam gerunt, ſi nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante paſcha eis remittendum Romanæ eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Ceterum de pondere æſtimando delictorum ſacerdotis eſt judicare; ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigendi. ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Sane ſi quis ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus paſchæ relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat. v. 67.

Cap. XVI. *Ut pœnitentes, qui ex gravioribus peccatis pœnitentiam gerunt, tribus annis ſint inter audientes, ſi veram pœnitentiam geſſerint.*
Ex eodem capite CXXXII.

Pœnitentes, qui ex gravioribus commiſſis pœnitentiam gerunt, ſi ex corde pœniteant, ſicut Nicæna ſynodus de lapſis conſtituit, tribus annis ſint inter audientes, quinque vero vel ſeptem annis ſubjaceant inter pœnitentes manibus ſacerdotum, duobus etiam oblationes non ſinantur offerre, ſed tantummodo populis in oratione ſocientur. Non confundantur Deo colla ſubmittere, qui eum non timuerunt abnegare. Quod ſi, utpote mortales, intra metas præſcripti temporis cœperit vitæ finis urgere, ſubveniendum eſt implorantibus, ſeu ab epiſcopo qui pœnitentiam dedit, ſeu ab alio, qui tamen datam eſſe probaverit, aut ſimiliter a presbytero, juſſu aut permiſſu tamen proprii epiſcopi, per manus impoſitionem, abſolutione precum ſacerdotalium, viaticum abeuntibus de ſæculo non negetur. Pueris autem, quibus a puritate vocabulum eſt, ſeu clericis, ſeu laicis, aut etiam ſimilibus puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquamdiu ſub manus impoſitione detentis reddenda communio eſt. Quod ſi ante præfinitum pœnitentiæ tempus deſpecti a medicis, aut evidentibus mortis preſſi indiciis, recepta communionis gratia convaluerint, ſervemus in eis quod Nicæni canones ordinarunt, ut habeantur inter illos qui in oratione ſola commu- v. 69. (Can. 11.)

municant, donec impleatur ſpatium temporis eiſdem præſtitum.

Cap. XVII. *Ut qui pœnitentiam publice gerunt uno anno cum cilicio ſint inter audientes.*

Ex eodem cap. cxxxvi.

V. 71. Qui pœnitentiam publicam gerunt, debent uno anno eſſe cum cilicio inter audientes, vel uſque ad magnum diem: & populum, quando intrat eccleſiam, perfuſi lacrymis debent veniam poſtulare, precarique eum humiliter, ut pro eis dignetur orare. Tribus vero annis ſubjaceant inter pœnitentes manibus ſacerdotum in loco retro oſtium eccleſiæ pœnitentibus conſtituto, & ſeorſum infra ipſam eccleſiam populo ſecluſo, tamen jam non in terram proſtrati, ſed vultu & capite humiliato, humiliter & ex corde, ut ſupra dictum eſt, veniam poſtulent, & pro ſe orare expoſcant. Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed populis tantummodo in oratione ſocientur, ut perfectionem ſeptimo in cœna domini conſequantur, id eſt per epiſcopi, vel ejus juſſu, ſi ipſe abeſt, aliorum ſacerdotum manus impoſitionem, abſolutione ſacerdotalium precum communionis catholicæ gratiam recepturi. In his vero ſeptem annis multipliciter jejuniis, orationibus, fletibus, & eleemoſynarum, prout melius potuerint, exhibitionibus & lacrymis perſiſtant. & ne ulterius eis talia contingant admodum caveant, ut mereantur
Joan. 8. illam domini vocem audire inquientem: *Vade & amplius noli peccare.*

Cap. XVIII. *De pœnitentibus tranſgreſſoribus.*

Ex eodem libro cap. cxxxvii.

V. 72. Ut hi qui frequenti prævaricatione peccant, vel pœnitentiam iterant, frequenti ſententia, niſi per ſatisfactionem quæ prævaricati ſunt emendare nitantur, coërceantur vel condemnentur, ut hæc quæ voluntarie non diluerunt inviti emendent. Quod ſi aliquis renuerit, & præceptis ſui ſacerdotis inobediens apparuerit, ſecundum modum culpæ excommunicetur. Si quis autem his ante reconciliationem, & eorum ſatisfactionem, abſque proprii epiſcopi licentia communicare præſumpſerit, ſimili excommunicationi ſubjaceat. Sacerdotes autem, ad quos pertinere noſcuntur, ſi eos quolibet munere, aut favore, vel negligentia admonere noluerint, aut per ſatisfactionem revertentes non ſuſceperint, aut contemnentes de eccleſia non rejecerint, ſimili ſententiæ plectantur, quouſque vel emendationis, vel eorum damnationis ſententia promulgetur.

Cap. XIX. *De negligentioribus pœnitentibus.*

Ex eodem cap. cxxxix.

V. 74. Ut negligentiores pœnitentes tardius recipiantur.

Cap. XX. *De eo qui pœnitentiam in infirmitate petit.*

Ex eodem cap. xl.

V. 75. Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuit, vel in phreneſin verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus euchariſtia. Si ſupervixerit, commoneatur a ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatuto pœnitentiæ tempori, quamdiu ſacerdos qui pœnitentiam dedit probaverit.

Cap. XXI. *Ut pœnitentes non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione.*

Ex eodem capite xli.

V. 76. Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum euchariſtiæ acceperunt, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.

Cap. XXII. *De pœnitentibus qui antequam leges pœnitentiæ exequantur, ſi caſu in itinere aut in mari mortui fuerint.*

Ex eodem cap. xlii.

Pœnitentes, qui antequam leges pœnitentiæ exequantur, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis ſacerdos ſubvenire non potuerit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur. V. 77.

Cap. XXIII. *Ut nullus vitam ſine communione finiat, nec unctione benedicti olei careat.*

Ex libro vi. cap. lxxv.

Si in infirmitate deprehenſus quis fuerit, vitam ſine communione non finiat, nec unctione ſacrati olei careat: & ſi finem perſpiciat, ſacroſancto corpore Deo anima ejus a ſacerdote precibus commendetur. VI. 75.

Cap. XXIV. *Ut nullus presbyter amplius quam unam eccleſiam ſibi vindicet.*

Ex eodem capite lxxvi.

Quapropter omnibus placuit, ut nullus presbyter amplius quam unam eccleſiam ſibi vindicet: quia ſicut unuſquiſque ſæcularis non amplius quam unam habere debet uxorem, ita unuſquiſque presbyter non amplius quam unam habere debet eccleſiam. VI. 75.

Cap. XXV. *De non recipiendis alienis pœnitentibus.*

Ex eodem libro cap. cxxxi.

Qui pro delicto ſuo a communione ſeparantur, placuit ut in quibuſcumque locis fuerant excluſi, eiſdem locis communionem conſequantur. Lib. VI. cap. 113.

Cap. XXVI. *Ut tempus pœnitentium in conſideratione epiſcopi conſiſtat.*

Ex libro vii. cap. v.

Penes epiſcopos erit poteſtas, modum converſationis pœnitentium probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia vero, præcedens eorum vita, & poſterior inquiratur: & ita eis impartiatur humanitas. Lib. VII. cap. 1.

Cap. XXVII. *De pœnitentium converſatione & fide.*

Ex eodem libro cap. vi.

Converſatio pœnitentium & fides tempus abbreviat. VII. 4.

Cap. XXVIII. *De ſatisfactione pœnitentiæ.*

Ex eodem cap. xx.

Satisfactio pœnitentiæ non eſt tam temporis longitudine, quam cordis compunctione penſanda. VII. 14.

Cap. XXIX. *De menſura pœnitentiæ.*

Ex eodem cap. xxi.

Tempora pœnitudinis habita moderatione & arbitrio ſunt conſtituenda, prout converſorum animos ſacerdotes viderint eſſe devotos: pariter etiam habentes ætatis ſenilis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinum reſpicientes neceſſitates. V. 61.

Cap. XXX. *De arbitrio epiſcopi erga pœnitentes.*

Ex eodem libro cap. xxx.

Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. VII. 16.

Cap. XXXI. *De remiſſione pœnitentiæ.*

Ex eodem cap. xxxvi.

Pœnitentes, quicumque ex gravioribus ſive ex levioribus culpis pœnitentiam gerunt, ſi nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante paſcha eis eſt remittendum. Ceterum de pondere æſtimando delictorum ſacerdotis eſt judicare. V. 65.



Cap. XXXII. *Quod pœnitentibus nulla lucra negotiationis exercere conveniat.*

Ex eodem capite lxviii.

VII. 44. Nulla lucra negotiationis pœnitentibus exercere convenit, quia difficile eſt inter vendentis ementiſque commercium non intervenire peccatum.

Cap. XXXIII. *Ut nemo pœnitentem alterius parochiæ abſolvat.*

Ex eodem cap. lxxvii.

VII. 49. Nullus ſacerdos in alterius civitate, vel diœceſi, pœnitentem, vel ſub manu poſitum ſacerdotis, vel qui reconciliatum ſe eſſe dixerit, ſine conſenſu & litteris epiſcopi, vel presbyteri, in parochia presbyter, aut epiſcopus in civitate ſuſcipiat.

Cap. XXXIV. *De his qui pœnitentia accepta moriuntur.*

Ex eodem cap. cxxxviii.

VII. 101. De his qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicare. quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones patrum, qui hujuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.

Cap. XXXV. *Ut nullus presbyter pœnitentes inconſulto epiſcopo reconciliare audeat.*

Ex eodem lib. cap. cxi.

VII. 143. Statutum eſt, & in ſanctis canonibus prohibitum, ut nullus presbyter pœnitentem publice inconſulto epiſcopo reconciliare præſumat, niſi morte forte periclitantem: ſed omnes publice pœnitentes quinta feria ante paſcha, quæ eſt cœna domini, ad civitatem in cinere & cilicio in præſentiam epiſcopi proſtrato vultu conveniant. & ibi ab epiſcopo canonice & ordinabiliter, ſicut in ſacramentario & in Romano ordine continetur, reconcilientur atque dijudicentur, conſolenturque & prædicentur, quid deinceps agere, quidve vitare debeant inſtruantur: atque inſuper divinis precibus per manus impoſitionem ab epiſcopo ſanentur. Nullo namque tempore presbytero in publica miſſa pœnitentem reconciliare ſine licentia epiſcopi conceſſum eſt. Si quis hoc facere præſumpſerit, canonica correctione mulctetur.

Cap. XXXVI. *Qui luget abſtinere debeat a conviviis.*

Ex eodem cap. ccxlii.

VII. 143. Qui luget abſtinere debet a conviviis, ac ornamentis & alba veſte.

Cap. XXXVII. *De pœnitentibus, qualiter pœnitentiam debeant accipere.*

Ex eodem cap. cccx.

VII. 231. Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manus & cilicium a ſacerdote conſequantur; & ſi aut comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur: & niſi digne pœnituerint, non recipiantur. Juvenibus etiam non facile pœnitentia committenda eſt, propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte poſitis non denegandum.

Cap. XXXVIII. *De pœnitentibus, quæ defunctis viris aliis nubere præſumunt.*

Ex eodem cap. cccxvii.

VII. 237. Pœnitens, quæ defuncto viro alio nubere præſumpſerit, & quæ vel ſuſpecta, vel interdicta familiaritate cum extraneo ſe conjunxerit, cum eodem a liminibus eccleſiæ arceatur. Hæc etiam & de viro in pœnitentia poſito placuit obſervari.

Cap. XXXIX. *De confeſſionibus fidelium accipiendis, qualiter pro modulo & qualitati ſit pœnitentiæ temporis inſtitutio.*

Ex eodem cap. lxxviii.

Quærendum namque eſt, cum accipit cujuslibet fidelis confeſſionem peccatorum, qualiter primo peccatum perpetratum, aut ſi poſtea iteratum, aut frequenter actum ſit: ſi ſponte, ſi coacte, ſi per ebrietatem, aut quodlibet ingenium factum ſit. & cum invenerit unde radix illius peccati proceſſit, tunc congruam adhibeat medicinam. Qualis vero peccati adhibenda ſit medicina, ſecundum canonum authenticorum & ſanctorum patrum eſſe debet inſtitutionem, & non ſecundum placitum hominis, ſed ſecundum Dei voluntatem: nec in hac parte voluntas aut gratia hominis ſectanda eſt, ſed voluntas Dei in omnibus exquirenda. quatinus dignis precibus & pœnitudine digna placare poſſit omnipotentis Dei vindictam, quam ſuo vitio provocavit. II. 294.

## TITULUS II.

## DE HOMICIDIIS.

Cap. I. *De presbyteris occiſis.*

Ex libro v. cap. clxxxvi.

Presbyteri interfecti epiſcopo, ad cujus parochiam pertinent, ſolvantur ſecundum capitulare glorioſi Caroli genitoris noſtri. ita videlicet, ut medietatem Wirgildi ejus epiſcopus utilitatibus eccleſiæ cui præfuit tribuat, & alteram medietatem in eleemoſyna illius juſte diſpenſet. quia nullus nobis ejus heres proximior videtur, quam ille qui ipſum domino ſociavit. Lib. IV. cap. 15.

Cap. II. *De homicidiis in eccleſiis vel in atriis earum perpetratis.*

Ex eodem cap. ccxx.

Si quis aut ex levi cauſa, aut ſine cauſa, hominem interfecerit in eccleſia, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint, & unus alterum in eccleſiam fugerit, & ibi ſe defendendo eum interfecerit, ſi hujus facti teſtes non habuerit, cum duodecim conjuratoribus legitimis, per ſacramentum affirmet ſe defendendo eum interfeciſſe: & poſthæc DC. ſolidos ad partem eccleſiæ, quam illo homicidio polluerat, & inſuper bannum noſtrum ſolvere cogatur: is vero qui interfectus eſt abſque compoſitione jaceat. ac deinde interfector ſecundum judicium canonicum congruam facinoris, quod admiſit, accipiat pœnitentiam. Si ſervus hoc admiſerit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc ſponte, an ſe defendendo fecit. & ſi manus ejus exuſta fuerit, interficiatur: ſi autem non fuerit, dominus illius juxta quod Wirgildus illius eſt ad eccleſiam perſolvat, aut eum ſi voluerit eidem eccleſiæ tradat. De eccleſiaſtico, & fiſcalino, & beneficiario ſervo, volumus ut pro una vice Wirgildus ejus pro eo componatur, altera vice ipſe ſervus ad ſupplicium tradatur. hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio eccleſiæ, cujus porta reliquiis ſanctorum conſecrata eſt, hujuſcemodi homicidium perpetratum fuerit, ſimili modo emendetur vel componatur. Si vero porta eccleſiæ non eſt conſecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur, ſicut componi debet quod emunitate violata committitur. IV. 13.

Cap. III.

Cap. III. *De homine publicam pœnitentiam agente interfecto.*

Ex eodem cap. CCXXXIV.

IV. 18. Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat, & Wirgildum proximis ejus perſolvat.

Cap. IV. *De homicidiis prohibendis.*

Ex eodem cap. CCXXXVI.

IV. 30. Quicumque hominem aut ex levi cauſa, aut ſine cauſa interfecerit, Wirgildum ejus iis, ad quos ille pertinet, componat: ipſe vero propter talem præſumptionem in exilium mittatur ad quantum tempus nobis placuerit, res tamen ſuas non amittat.

Cap. V. *De occiſione clericorum, & ſacerdotum, atque monachorum.*

Ex eodem cap. CCLXI.

III. 25. Qui ſubdiaconum occiderit, CCC. ſolidos componat: qui diaconum, CCCC. ſolidos: qui presbyterum, DC. ſolidos: qui epiſcopum, DCCCC. qui monachum, CCCC. ſolidos culpabilis judicetur.

Cap. VI. *De eo qui propriam reliquit uxorem, vel ſine culpa interficit, & aliam ducit.*

Ex eodem cap. CCC.

V. 149. Quicumque propria uxore derelicta, vel ſine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depoſitis publicam agat pœnitentiam: & ſi contumax fuerit, comprehendatur a comite, & ferro vinciatur, & in cuſtodiam mittatur, donec res ad noſtram notitiam deducatur.

Cap. VII. *Ut non ſit ſanguinis Chriſtianorum temeraria effuſio.*

Ex eodem cap. CCCXXXII.

V. 180. Volumus atque præcipimus noſtra auctoritate denuntiari omnibus, immo & a ſacerdotibus prædicari, ne tam temeraria Chriſtianorum ſanguinis effuſio in regno noſtro fieri ſinatur. ſemper illud attendentes quod dominus poſt diluvium dixit
Gen. 9. famulo ſuo Noe: *De manu hominis, & de manu viri & fratris ejus, requiram animam ejus. Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius. ad imaginem quippe Dei factus eſt*
Levit. 24. *homo*. Et in lege: *Qui occiderit hominem morte*
Rom. 13. *moriatur*. & apoſtolus: *Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bono. Si autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.* De illo enim ſpecialiter divina auctoritas dicit: *Gaudium Dei portat ad vindictam malorum*, non de quolibet alio. E contra vero neſcimus qua inventione a nonnullis uſurpatum eſt, ut hi qui nullo miniſterio publico fulciuntur, propter ſua odia, & diverſiſſimas voluntates peſſimas, indebitum ſibi uſurparint in vindicandis proximis & interficiendis hominibus vindictæ miniſterium. Et quod rex ſaltem in uno exercere debuerat propter terrorem multorum, ipſi impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odium: & putant ſibi licere ob inimicitiarum vindictas, quod nolunt ut rex faciat propter Dei vindictam.

Cap. VIII. *De eo qui occiderit clericum, aut monachum, ut arma relinquat.*

Ex libro [illegible] cap. XC.

VI. 90. Qui occiderit monachum, aut clericum, arma relinquat, & Deo in monaſterio ſerviat cunctis diebus vitæ ſuæ, nunquam ad ſæculum reverſurus, & ſeptem annorum ſpatio publicam pœnitentiam gerat.

A Cap. IX. *De ſacerdotibus & levitis atque monachis interfectis vel debilitatis.*

Ex eodem cap. XCVIII.

Si quis ſacerdotem, vel levitam, aut monachum interfecerit, vel debilitaverit, juxta ſtatuta priorum capitulorum, quæ legi Salicæ ſunt addita, componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt, LX. ſolidos, nobis perſolvat, arma relinquat, atque in monaſterio diebus vitæ ſuæ ſub ardua pœnitentia Deo ſerviat, nunquam poſtmodum ſæculo vel ſæcularibus militaturus, neque uxori copulaturus. VI. 97.

Cap. X. *Quod homicidæ ante Deum deputentur, qui res eccleſiæ vaſtant.*

Ex eodem cap. CCCCXXI.

B Volumus omnes ſcire, quod qui Chriſti & eccleſiæ pecunias auferunt, reſque ejus fraudant, rapiunt, vaſtant, vel diripiunt, homicidæ apud Deum eſſe deputantur, quia res pauperum, quos eccleſia paſcere debet, diripiunt. VI. 314.

Cap. XI. *De homicidiis infantum.*

Ex libro VI. cap. CLXVI.

Si quis infantem necaverit, ut homicida teneatur. VII. [illegible]

Cap. XII. *De homicidis quid agendum ſit.*

Ex eodem libro cap. CCLV.

De homicidis ita juſſimus obſervare, ut quicumque auſu temerario alium ſine cauſa occiderit, vitæ periculo feriatur, & precio ſe redimere nunquam valeat: & ſi convenerit, ut ad compo-
C ſitionem quiſque deſcendat, nullus de parentibus aut amicis eum quidquam adjuvet. Quod ſi fecerit, ſuum Wirgildum omnino componat. VII. 165.

Cap. XIII. *De his qui prius non habentes odium, ſed ſe defendentes, aliquem occiderint, qualiter corrigendi ſint.*

Ex eodem cap. CCCLXX.

Si quis quiete gradiens per viam, aut ſi etiam in domo ſua fuerit, aut in platea civitatis, aut in villa, ſubito ab alio ſit ſuperventus, aut litis commotione, volens ſe defendere, non habens contra illum ante odium, interfecerit hominem, ſeptem annis ſecundum canonicam inſtitutionem pœniteat: tres vero a communione privetur. quatuor autem in communione orationum & obla-
D tionum ſuſceptus, in ſacerdotis pendeat arbitrio, utrum dignus ſit corpus Chriſti accipere, aut uſque ad plenitudinem pœnitentiæ ab eo ſeparari. Abſtinentia ciborum in providentia ſacerdotis erit, ſecundum poſſibilitatem pœnitentis, & devotionem, & affectum. VII. 155.

Cap. XIV. *De mulieribus & viris infantes opprimentibus.*

Juxta prætitulatum caput.

Mulier, quæ dormiens filium ſuum oppreſſerit, & mortuus fuerit, ſex annis pœniteat: vir ejus, ſi in domo illius fuit, quatuor; ſi vero in uno lecto, ſimili modo pœniteat: duos in pane & aqua, reliquos quatuor, ſecundum quod ſacerdos viderit, abſtinentiam imponat ciborum. VII. 197.

E

TITULUS III.

DE ADULTERIIS.

Cap. I. *De eo qui habet mulierem legitimam; ſi frater ejus adulteraverit cum ea.*

Ex libro V. cap. XXI.

Si quis homo habens mulierem legitimam, ſi frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater, vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, interim quod vivunt, nunquam habeant amplius conjugium: ille vero, cujus uxor fuit, ſi vult poteſtatem habet uxorem accipere aliam. V. 19.



Cap. II. *De his qui virginibus Deo ſacris ſe ſociant.*

Ex libro VI. cap. CCCCII.

De his qui ſacris virginibus ſe ſociant, ita in decretis papæ Gelaſii cap. XX. continetur: Virginibus ſacris temere ſe quoſdam ſociare cognovimus, & poſt dicatum Deo propoſitum inceſta fœdera ſacrilegaque miſcere. Quos protinus æquum eſt a ſacra communione detrudi, & niſi publicam probatamque egerint pœnitentiam, omnino non recipi. aut his certe viaticum de ſæculo tranſeuntibus negatur. Si vero de copulatione ſacrarum virginum tam ſevere feriuntur, quanto ſeverius feriendi ſunt qui eas rapiunt? Ideo ſicut præmiſſum eſt, neceſſe eſt ab omnibus in Chriſtiana religione conſiſtentibus rigore auctoritatis divinæ vel humanæ hoc malum radicitus amputari.

Cap. III. *Quod blaſphemiam Deo inferat, qui ſe cum Deo ſacrata miſcuerit.*

Ex eodem libro cap. CCCCIII.

VI. 309. Scire vos convenit, quia blaſphemiam Deo irrogat, qui cum Deo ſacrata, vel cum velata femina ſe commaculaverit.

Cap. IV. *Si clericus cum Deo ſacrata ſe commiſcuerit.*

Ex eodem libro cap. CCCCIV.

VI. 310. Si clericus cum velata femina, vel cum Deo ſacrata ſe maculaverit, proprio honore privetur.

Cap. V. *Quod ſacrilegi & violatores juxta apoſtolum ſunt, qui violant ſacratarum feminarum corpora.*

Ex eodem cap. CCCCV.

VI. 313. Sciendum eſt omnibus, quia Deo ſacratarum feminarum corpora per votum propriæ ſponſionis, & verba ſacerdotis, Deo ſacrata templa eſſe ſcripturarum teſtimoniis comprobantur: & ideo violatores earum ſacrilegi, ac juxta apoſtolum filii perditionis eſſe noſcuntur.

Cap. VI. *Quod fornicatio omnibus peccatis periculoſior eſſe perhibetur.*

Ex eodem cap. CCCCVI.

VI. 312. Quod pæne omnibus peccatis gravior & deterior ſit fornicatio, & veraciter dici poteſt laqueus mortis, & puteus inferni, ac vorago perditionis, eo quod adulteri vel luxurioſi propter cordis inopiam perdunt animas ſuas. Nam, ut ait ſcri-
Prov. 6. ptura: *Precium ſcorti vix unus eſt panis*. &: *Qui*
1. Cor. 6. *ſe jungit meretrici, unum corpus efficitur*. &: *Qui*
1. Tim. *luxuriatur, mortuus eſt in corpore vivente.*

Cap. VII. *De ſæcularibus qui ſuas uxores derelinquunt.*

Ex libro VII. cap. CCCV.

VI. 226. Hi vero ſæculares, qui conjugale conſortium abſque culpa graviore dimittunt, vel etiam dimiſerunt, nullas culpas diſcidii probabiliter proponentes, & propterea ſua matrimonia dimittunt, ut aut illicita aut aliena præſumant, ſi antequam apud epiſcopos comprovinciales diſcidii cauſas dixerint, & priuſquam uxores judicio damnentur abjecerint, a communione eccleſiæ, & ſancti populi cœtu, pro eo quod conjugium & fidem maculant, præcidantur.

Cap. VIII. *De muliere quæ duobus fratribus nupſerit, & de viro ejus.*

Ex eodem libro cap. CCCLXXXI.

VII. 296. Mulier quæ duobus fratribus nupſerit, abjici debet uſque ad diem mortis, ſed propter humanitatem in extremis ſuis ſacramentis reconciliari

A oportet: ita tamen ut prius ſolvatur conjugium, & maneat innupta, & vir ejus abſque uxore ſimili pœnitentiæ ſit ſubditus. Quod ſi duo fratres cum una femina fornicati fuerint neſcientes ad alterutrum fornicationem, ſtatim ut cognoverint adulterium, qui eam habet uxorem dimittat. Et ille quidem poſt actam pœnitentiam, ſi uxor defuncta fuerit, poteſt alteri ſociari; illa vivente, nequaquam. Illa vero nunquam ulterius poterit in conjugium aſſumi, & jugi pœnitentiæ ſummiſſa ad exitum vitæ communionis gratiam percipiat.

Cap. IX. *De muliere quæ adulteravit virum ſuum: ſimiliter & de viro, qui uxorem ſuam adulteraverit.*

B Ex eodem cap. CCCLXXXII.

Mulier habens virum, ſi adulterium perpetraverit, & occulte ad confeſſionem venerit, ſeptem annis pœniteat; tres in pane & aqua, ceteros quatuor in providentia erit ſacerdotis, qualiter eam viderit poſſe, & ita ei ciborum abſtinentia imponatur. Similiter & vir habens uxorem, ſi adulterium perpetraverit, faciat, id eſt, per triennium ut non communicet. Si cujus uxor adulterium perpetraverit, & hoc a viro deprehenſum fuerit & publicatum, dimittat uxorem ſi voluerit propter fornicationem: illa vero, ſecundum quod ſuperius inſertum eſt, publice agat pœnitentiam: vir vero ejus, illa vivente, nullatenus habeat licentiam aliam ducere
C uxorem. Quod ſi voluerit adulteram ſibi reconciliare, licentiam habeat: ita tamen, ut pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia ad communionem, ſicut ſuperius continetur inſertum, utrique accedant. Similis forma & in muliere ſervabitur. Si enim vir ejus adulteraverit, habet poteſtatem dimittendi virum propter fornicationem. maneat tamen innupta, quamdiu vir ejus vixerit: quia nec ille habet poteſtatem aliam accipere prima vivente, nec illa primo; habent tamen poteſtatem ſemetipſos reconciliare. VII. 298.

TITULUS IV.

D DE INCESTIS.

Cap. I. *De inceſtis.*

Ex libro V. cap. IX.

Si homo inceſtum commiſerit cum Deo ſacrata, aut cum matre ſua, aut cum matrina ſua de fonte aut confirmatione, aut cum matre & filia, aut cum duabus ſororibus, cum matris filia, aut cum ſororis filia, aut cum nepta, aut cum conſobrina aut ſobrina, aut cum amita vel matertera, aut cum his quibus canones prohibent copulari, de iſtis criminibus pecuniam ſuam perdat, ſi habuerit. Et ſi hoc emendare noluerit, nullus eum recipiat, nec cibum donet, &
E ſi fecerit, LX. ſolidos domno regi componat, uſquedum ipſe homo ſe correxerit. Et ſi pecuniam non habuerit, ſi liber eſt, mittatur in carcerem uſque ad ſatisfactionem: ſi autem ſervus aut libertus eſt, vapuletur plagis multis. Et ſi dominus ſuus eum permiſerit amplius in talem lapſum incidere, ipſe LX. ſolidos domno regi componat. De reliquis vero propinquis, juxta conſtituta ſanctorum patrum, & juxta decreta canonum judicetur. Lib. V. c. 7.

Cap. II. *De inceſtuoſis.*

Ex eodem lib. cap. XCI.

De inceſtuoſis, ut canonice examinentur, & nec

nec propter alicujus amicitiam quidam relaxentur, quidam vero conſtringantur.

Cap. III. *Item de inceſtuoſis.*

Ex eodem libro cap. CLXV.

V. 98. Ut epiſcopi inceſtuoſos pariter inveſtigare ſtudeant omnino præcipimus. Et ſi pœnitere noluerint, de eccleſia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur.

Cap. IV. *Ut epiſcopi inceſtuoſos emendent & corrigant.*

Ex eodem cap. CCCIII.

V. 152. Ut epiſcopi inceſtuoſos homines emendent, & magnam diligentiam habeant ex eis, ſeu & de viduis infra ſuam parochiam poteſtatem habeant ad corrigendum.

Cap. V. *Ut inceſti & parricidæ canonice coerceantur.*

Ex lib. VI. cap. LXXI.

VI. 71. De inceſtuoſis & parricidis ut canonice coerceantur, ſicut de illo judicatum eſt, qui matertera ſuæ filiam ſtupravit, ut conjugium ultra non repetat, & militiæ cingulum derelinquat, & aut monaſterium petat, aut ſi foris remanere voluerit, tempora pœnitentiæ ſecundum canones plene exolvat.

Cap. VI. *De inceſtis & criminoſis, ac de infirmis & pœnitentibus, atque de jejunio quatuor temporum.*

Ex eodem capite CVI.

VI. 105. Ut de inceſtis & criminoſis maximam curam habeant ſacerdotes, ne in ſuis pereant ſceleribus, & animæ eorum a diſtricto judice Chriſto eis requirantur. Similiter de infirmis ac pœnitentibus, ut morientes ſine reconciliatione & viatico non deficiant. & ut quatuor temporum jejunia a fidelibus diligenter cuſtodiantur.

Cap. VII. *De eo qui ſe inceſtuoſo ordine his perſonis, quibus a regulis prohibitum eſt, conjunxerit.*

Ex eodem cap. CCCC.

VI 306. Si quis non eo gradu, ſed inceſtuoſo ordine cum his perſonis quibus a divinis regulis prohibitum eſt conjunxerit, uſquequo pœnitentiam ſequeſtratione teſtentur, utrique communione priventur: & neque in palatio habere militiam, neque in foro agendarum cauſarum licentiam habebunt. Nam ſi ſe quoquomodo prædicto inceſtu conjunxerint, epiſcopi ſeu presbyteri, in quorum diœceſi vel pago actum fuerit, regi vel judicibus ſcelus perpetratum denuntient, ut cum ipſis denuntiatum fuerit, ſe ab eorum communione aut cohabitatione ſequeſtrent. Res autem eorum ad primos parentes uſque ad ſequeſtrationem perveniant, ſub ea conditione, ut antequam ſegregentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam, ad proprias perveniant facultates, niſi præfatum ſcelus ſequeſtrationis ſeparatione & pœnitentia fateantur.

Cap. VIII. *Ex libro legum Theodoſii tertio cap. XII. De inceſtis.*

Ex eodem libro cap. CCCCI.

VI. 107. Quod inceſti non ſint legitimi heredes, ſed infamia ſint notatæ utræque perſonæ.

Cap. IX. *Ut devotam Deo virginem, vel viduam, nullus conjugem accipiat.*

Ex eodem cap. CCCCII.

VI. 308. Ut deinceps, ſicut canones eccleſiaſtici prohibent, nullus Deo devotam virginem, nullus ſub religionis habitu conſiſtentem, ſive viduitatis continentiam profeſſam, vel ſui proximam generis, aut etiam de cujus admixtione inceſtivæ notam poſſit ſubire infamiæ, illicito connubio, aut vi aut conſenſu accipiat conjugem: quia nec verum poterit eſſe conjugium, quod a meliori propoſito deducitur ad deterius, & ſub falſi nominis copula inceſtiva pollutione & fornicationis immunditia perpetratur. Hoc vero nefas ſi agere amodo cujuslibet gentis homines ſexus utriuſque tentaverint, inſiſtente ſacerdote vel judice, etiamſi [a] nullus accuſator, ab invicem omnimodis ſeparati exilio perpetuo relegentur.

Cap. X. *De inceſtis quid agendum.*

Ex libro VI. cap. CCLVII.

Ut inceſtum nullus ſibi unquam ſociet conjugium. Quod ſi contigerit, ab epiſcopo loci illius ſeparentur, & publicam ſeptem annorum juxta canonicos gradus agant pœnitentiam. Qui autem hoc agere noluerint, anathema ab omnibus habeantur. VII. 14.

Cap. XI. *De his qui cum pecoribus coitu mixti ſunt, aut more pecudum uſque ad affinitatis lineam cum conſanguineis inceſtum commiſerunt, ſive cum maſculis concubuerunt.*

Ex eodem cap. CCCCLVI.

In hoc titulo Græca verba poſita ſunt, id eſt, περὶ τῶν ἀλογευσαμένων, ἢ καὶ ἀλογευομένων. quod nos Latine poſſumus dicere, *De his qui irrationabiliter verſati ſunt, ſive verſantur.* In qua ſententia ſenſus duplex eſt. id eſt, De his qui cum pecoribus, aut more pecudum cum conſanguineis uſque ad affinitatis lineam inceſtum commiſerint, aut cum maſculis concubuerint, quiſquis ex his unum egerit, aut capite puniatur, aut ſi ei vita conceſſa fuerit, juxta Ancyrani concilii ſententiam, quæ in capitulo XVI. continetur, pœnitentiam veraciter agat. VII. 175.

Cap. XII. *Ut inceſti a ſacerdotibus & Deum timentibus hominibus fideliter perquirantur, & canonice puniantur.*

Ex eodem cap. CCCLXXVII.

De inceſtis omni ſtudio perquirendum eſt ſacerdotibus per homines veraces, & timorem Dei ante oculos habentes: & ſi reperti fuerint, ſtatim aut per ſe emendare ſtudeant, aut cum adjutorio archidiaconi ſui epiſcopi hoc ipſum exſtirpare ſatagant, ne tanto flagitio & ſcelere & illi polluantur & pereant, & alii in eorum vicinitate omnipotentis Dei iram incurrant. VI. 292.

Cap. XIII. *Quod inceſtum committit, qui ſe conſanguineæ ſuæ uſque ad affinitatis lineam conjungit.*

Ex eodem cap. CCCCXXXII.

Nullus fidelium uſque ad affinitatis lineam, id eſt uſque ad ſeptimam progeniem, conſanguineam ſuam ducat uxorem, vel eam quoquomodo inceſti macula polluat. Si quis vero hoc ſcienter temerare præſumpſerit, ſi liber eſt, bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos, fiſco noſtro perſolvat, & inſuper canonice ut inceſtus luat, ac publice juxta canonicos gradus pœniteat. Si autem ſervus vel eccleſiaſticus fuerit, publice flagelletur ac decalvetur, & juxta proprii epiſcopi juſſionem pœnitentiam publice & canonice gerat. Quod ſi aliquis, tam liber, quam ſervus, aut eccleſiaſticus vel fiſcalinus, epiſcopo proprio, vel ſuo ſacerdoti, aut archidiacono inobediens vel contumax, ſive de hoc, ſive de alio quolibet ſcelere extiterit, omnes res ejus a comite & a miſſo epiſcopi ei contendantur, uſque dum epiſcopo ſuo obediat, aut canonice pœniteat. Quod ſi nec ſe ita correxerit, & ad epiſcopum & canonicam pœnitentiam venire diſtulerit, a comite comprehendatur, & in carcere ſub magna ærumna retruſus teneatur, nec rerum ſuarum poteſtatem habeat, quouſque epiſcopus juſſerit. Quod ſi comes, vel ejus miniſtri hæc adimplere diſtulerint, canonice ab epiſcopo, vel a ſuo miniſtro excommunicetur, & uſquedum hæc pleniter comes adimpleat, ſemper communione catholicorum careat, uſque dum ipſi epiſcopo humanius erga eum aliquid agere placuerit. Si vero, quod non optamus, ipſe comes, aut de prædictis cauſis, aut de ipſa excommunicatione inobediens, aut negligens ſuo epiſcopo apparuerit, honore comitatus pariter & communione careat, uſque dum ambo in noſtram præſentiam veniant, ut nos illum epiſcopali auctoritate, atque imperiali metu, ita corrigamus, ut ceteri timorem habeant, nec deinceps talia committere ullatenus audeant. VII. 136.



Cap. XIV. *Ut inceſti, quamdiu in ſcelere manent, non fidelium Chriſtianorum, ſed tantum aut gentilium, aut catechumenorum, vel energumenorum locum teneant.*

Ex eodem libro cap. CCCCXV.

VII. 336. Inceſti, dum in ipſo deteſtando atque nefando ſcelere manent, non inter fideles Chriſtianos, ſed inter gentiles, aut catechumenos, vel energumenos habeantur. id eſt, cum Chriſtianis non cibum ſumant, non potum; non in eodem vaſculo edant aut bibant, ſed ſoli hoc faciant: non oſculentur, aut ſalutentur ab eis. Et ſi ſuis ſacerdotibus inobedientes extiterint, & a tam nefandiſſimo ſcelere ſegregari, atque ad publicam pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur qui ſpiritu periclitantur immundo, vel etiam inter eos, de quibus ipſa Veritas dicit: *Si te non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Nam cum fidelibus non debent orare, nec in eccleſiam intrare, ſed ad januam eccleſiæ excubare, & intrantibus in eamdem, atque exeuntibus ex ea, vultu in terram proſtrato veniam poſtulare, & ut pro ſe orare non dedignentur flagitare, & lacrymis perfuſo vultu, contrito corde, atque humiliato ſpiritu omnibus apparere, uſque ad ſatisfactionem eccleſiæ, & proprii epiſcopi canonicam reconciliationem manere, & ad priſtinum inceſtum nunquam redire: nec ſæcularia negotia exercere, nec placitis aut accuſationibus vel teſtimoniis intereſſe: ſed crebris ſacerdotum precibus, manuſque pontificis proprii impoſitionibus, eleemoſynarum largitionibus, atque ceterorum bonorum omnium exhibitionibus, eos purgari ſanarique oportet.

Matth. 18.

Cap. XV. *Item, De inceſtis.*

Ex eodem libro cap. CCCCXXXIV.

VII. 137. Inceſtos nullo conjugii nomine prævelandos eſſe cenſemus.

## TITULUS V.

## DE RAPTORIBUS.

Cap. I. *De raptu viduarum.*

Ex libro V. cap. VI.

Lib. IV. cap. 17. Qui viduam intra primos XXX. dies viduitatis vel invitam vel volentem ſibi copulaverit, bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos, in triplo componat. & ſi invitam eam duxit, legem ſuam ei componat: illam vero ulterius non attingat.

Cap. II. *De raptis & earum raptoribus.*

Ex eodem libro cap. CCXXIII.

I. 103. De raptis & de raptoribus, quamquam ſpecialiter decrevimus quid pati debeant qui hoc nefas deinceps facere tentaverint; quid tamen de his ſacri canones præcipiant hic inſerendum neceſſarium duximus, quatinus omnibus pateat quantum malum ſit, & non ſolum humana, ſed & divina auctoritate conſtricti, abhinc hoc malum caveatur.

Cap. III. *De puellis raptis necdum deſponſatis.*

Ex eodem cap. CCXXIV.

De puellis raptis necdum deſponſatis in concilio Chalcedonenſi, ubi DCXXX. patres adfuerunt, capitulo XXVIII. ita habetur: Eos qui rapiunt puellas ſub nomine ſimul habitandi, cooperantes & conniventes raptoribus, decrevit ſancta ſynodus, ſiquidem clerici ſunt, decidant gradu proprio, ſi vero laici, anathematizentur, (Quibus verbis aperte datur intelligi qualiter hujus mali auctores damnandi ſunt, quando participes & conniventes tanto anathemate feriuntur.) & juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas ſibi jure vindicare nullatenus poſſint. I. 104.

Cap. IV. *De deſponſatis & ab aliis raptis.*

Ex eodem cap. CCXXV.

De deſponſatis puellis & ab aliis raptis, ita in concilio Ancyrano cap. X. legitur: Deſponſatas puellas, & poſt ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi quibus ante fuerant deſponſatæ, etiamſi eis a raptoribus vis illata conſtiterit. Proinde ſtatutum eſt a ſancto conventu, ut raptor publica pœnitentia multetur. Raptæ vero, ſi ſponſus eam recipere noluerit, & ipſe ejuſdem criminis conſentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur. Quod ſi & illa conſenſit, ſimili ſententia ſubjaceat. Quod ſi poſt hæc ſe conjungere præſumpſerint, utrique anathematizentur. I. 105.

Cap. V. *De raptu alienarum ſponſarum.*

Ex eodem libro cap. CCXXXVIII.

Si quis ſponſam alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei qui legitimus ejus defenſor eſſe debet, cum ſua lege eam reddat. Et quiquid cum ea tulerit, ſemotim unamquamque rem ſecundum legem reddat. Et ſi hoc defenſor ejus perpetrari conſenſit, & ideo raptori nihil quærere voluerit, comes ſingula de unaquaque re freda noſtra ab eo exactare faciat, & quanto tempore nobis placuerit in exilio maneat, & illam feminam ei habere non liceat. IV. 22.

Cap. VI. *Ut nullus occultas nuptias aut raptum faciat, vel quam propinquus habuit ducat uxorem, ſed dotatam & a parentibus traditam, per benedictionem ſacerdotum accipiat quam vult habere uxorem.*

Ex libro VII. cap. LXXVIII.

Sancitum eſt, ut publicæ nuptiæ ab his qui nubere cupiunt fiant, quia ſæpe in nuptiis clam factis gravia peccata, tam in ſponſis aliorum, quam & in propinquis, ſive adulterinis conjugiis, & quod pejus eſt dicere, cum conſanguineis, accreſcunt vel accumulantur. Ex his autem procreari ſolent cæci, claudi, gibbi, & lippi, ſive aliis turpibus maculis aſperſi. Et hoc ne deinceps fiat omnibus cavendum eſt. Sed prius conveniendus eſt ſacerdos, in cujus parochia nuptiæ fieri debent, in eccleſia coram populo: & ibi inquirere una cum populo ipſe ſacerdos debet, ſi ejus propinqua ſit an non, aut alterius uxor, vel ſponſa, vel adultera. Et ſi licita & honeſta omnia pariter invenerit, tunc per conſilium & benedictionem ſacerdotis, & conſulto aliorum bonorum hominum, eam ſponſare & legitime dotare debet. Scribit namque de legitimo matrimonio beatus Auguſtinus ita: Sit caſta in virginitate, & dotata legitime, & a parentibus tradita ſponſo, & a paranymphis accipienda, & ita ſecundum legem & evangelium publicis nuptiis honeſtata in conjugio licite ſumenda, & omnibus diebus vitæ ſuæ, niſi ex conſenſu & cauſa vacandi domino, nunquam propter hominem ſeparanda. Et ſi fornicata VII. 225.

cata fuerit, & vir ejus voluerit, dimittenda, ſed illa vivente altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non poſſidebunt, & pœnitentia illi accipienda. Nolite vos viri habere uxores, quarum priores mariti vivunt: adulterina enim ſunt iſta conjugia. ] Et hoc, ut diximus, omnino providendum eſt, ne ejus ſit propinqua, quia ſcriptum eſt: *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus*. (*Levit. 18.*) Similiter ſcriptum eſt: *Cum uxore proximi tui non coibis, nec ſeminis ejus commixtione macularberis*. (*Ibid. 20.*) Et in decretalibus papæ Gregorii legitur: Si quis diaconam, aut monacham, aut commatrem ſpiritalem, aut fratris uxorem, aut neptam, aut novercam, aut nurum ſuam, aut conſobrinam, aut de propria cognatione, vel quam cognatus habuerit, duxerit uxorem, anathema ſit. & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Si quis viduam rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit. & reſponderunt omnes tertio; anathema ſit. Et ſi quis virginem, niſi deſponſaverit eam, rapuerit vel furatus fuerit in uxorem, vel conſentientes ei, anathema ſit. & reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Et alibi in canonibus præceptum eſt, ut nemo uſque ad affinitatis lineam ex propinquitate ſui ſanguinis connubia ducat, neque virginibus ſine benedictione ſacerdotis quis nubere præſumat. Oppido enim iſta omnia cavenda ſunt ne fiant. Sed poſtquam iſta omnia probata fuerint, & nihil impedierint, tunc ſi virgo fuerit, cum benedictione ſacerdotis, ſicut in ſacramentario continetur, & cum conſilio multorum bonorum hominum, publice & non occulte ducenda eſt uxor, ut boni ab his filii domino miſerante procreentur, & non tales ſicut ſuperius dictum eſt.

Cap. VII. *De raptoribus viduarum vel virginum, & ut feminæ ſacris altaribus non miniſtrent.*

Ex eodem cap. CCXLVIII.

Sancitum eſt, ut raptores viduarum, vel virginum, ab eccleſiæ communione pellantur, & ut feminæ ſacris altaribus non miniſtrent, vel aliquid ex his quæ virorum ſunt officiis deputata præſumant.

Cap. VIII. *De his qui rapiunt feminas, ut eas non habeant uxores. & qualiter de raptis agendum ſit.*

Ex eodem cap. CCCXCV.

(VII. 395.) Placuit, ut hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut ſeducunt, ut eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis poſtmodum conveniat, & eas dotaverint, vel nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum acceperint. Si quis autem uxorem habere voluerit, canonice & legaliter eam accipiat, & non rapiat. Qui vero eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut ſeduxerit, nunquam eam uxorem habeat, ſed propinquis ſuis eam legibus reddat, & in triplo plenum bannum dominicum componat, & inſuper canonice publicam pœnitentiam gerat. Ad quod omnes una voce clamaverunt dicentes: Iſta omnes tenere firmiter volumus, & in perpetuum ab omnibus conſervari optamus.

## TITULUS VI.

## DE RAPACIBUS.

Cap. I. *De his qui infra regnum per vim aliquid rapuerit.*

Ex libro V. capitulo CCCXLI.

(Lib. V. 189.) Si quis in exercitu infra regnum, ſine juſſione dominica, per vim hoſtilem aliquid prædari voluerit, aut fenum tollere, aut granum, ſive pecora majora vel minora, domoſque infringere vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod ſi ab aliquo præſumptioſe factum fuerit, LX. ſolidos, ſi liber eſt, ſit culpabilis, & omnia ſimilia reſtituat, aut duodecim teſtibus ſe purget. Si vero ſervus hoc fecerit, capitali crimini ſubjaceat, & dominus omnia ſimilia reſtituat, quia ſervum ſuum non correxit, nec cuſtodivit, ut talia non perpetraret. Quod ſi nos ipſos comedimus, cito deficiemus. Unuſquiſque tamen cuſtodiat exercitum ſuum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat.

Cap. II. *De his qui rapinas infra regnum faciunt.*

Ex libro VI. cap. XCVII.

Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam noſtro fideli ejuſque homini aliquid vi abſtulerit, in triplo cui aliquid abſtulit legibus componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos, nobis perſolvat. (VI. 96.) Poſtmodum vero ante nos a comite adducatur, ut in baſtonico retruſus uſquedum nobis placuerit pœnas luat. Nam ſi publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta ſanctorum canonum ſanctionem. Si vero occulte, ſacerdotum conſilio ex hoc agat pœnitentiam. quoniam *raptores*, ut ait apoſtolus, (1. Cor. 6.) niſi veram egerint pœnitentiam, *regnum Dei non poſſidebunt*. Qui vero de rebus eccleſiarum aliquid abſtulerit, gravius inde judicetur, quia ſacrarum rerum ablatio ſacrilegium eſt, & ſacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid aut abſtulerit, aut rapuerit. Infames quoque tales perſonæ uſque ad ſatisfactionem eccleſiæ, quam læſerunt, ſunt habendæ.

Cap. III. *Ut ſocios ſuos nominet apud quem pars rapinæ fuerit inventa.*

Ex eodem cap. CCCLV.

(VI. 135.) Apud quem ſcelus agnoſcitur, & pars rapinæ fuerit inventa, ſtatim ſocios ſuos nominare cogatur. Quod ſi nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Quod ſi honeſtior perſona eſt, pro ſe rationem reddat, & quæ ablata vel everſa fuerint, in quadruplum reſtituat. Quod ſi certe apud ſervum rapinæ pars reperiatur, centum quinquaginta flagella publice extenſus accipiat, & ſocios ſuos nominare non differat.

Cap. IV. *De his qui diripienda indicare reperiuntur.*

Ex eodem cap. CCCLVI.

(VI. 136.) Quicumque ingenuus, vel ſervus, aliquid diripiendum indicaverit, ut cujuſcumque res evertatur, aut pecora, aut jumenta diripiantur, & hoc certis probationibus publice convictus inveniatur, pro eo quod indicavit, ſi ingenuus eſt, ea quæ ablata vel everſa ſunt in duplo reſtituat, & nobis bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos componat. Si vero ſervus vel colonus fuerit, CL. flagella, ut ſupra, publice extenſus bene preſſa accipiat, & inſuper ea quæ ablata ſunt ſecundum ſuam legem reſtituat.

Cap. V. *De eo qui facultatem deprædationis dederit.*

Ex eodem libro cap. CCCLXXV.

(VI. 151.) Si quis ſcelerata factione facultatem deprædationis dederit, vel ſi quis factam diviſerit, comburatur vivus.

Cap. VI. *Ut hi qui res eccleſiæ invadunt, vaſtant, vel diripiunt, ſi monente epiſcopo non ſe correxerint, communione priventur.*

Ex libro VII. cap. CCLXVII.

(VI. 118.) Si quis cujuſcumque munuſcula eccleſiæ ſanctis ſcripturarum titulis collata, nefaria calliditate abſtulerit, fraudaverit, invaſerit, retentaverit, atque



atque ſuppreſſerit, & non ſtatim a ſacerdote commonitus Deo collata reddiderit, ab eccleſiæ catholicæ communione pellatur.

Cap. VIII. *De his qui res eccleſiæ traditas invadunt, vel vaſtant, aut abſque proprii epiſcopi conſenſu accipiunt.*

Ex eodem cap. CCLXXV.

(VII. 197.) Si quis res eccleſiæ debitas, vel proprias ſacerdotis, horrendæ cupiditatis inſtinctu occupaverit, retinuerit, aut a poteſtate ex competitione perceperit, ſi eas non reſtituerit, communione privetur. Quod ſi agnito jure eccleſiaſtico non ſtatim eccleſiæ vel ſacerdoti reformaverit, aut ut ipſum jus agnoſcere poſſit in judicium electorum venire diſtulerit, tamdiu a communione eccleſiaſtica ſuſpendatur, quamdiu reſtitutis rebus tam eccleſiam quam ſacerdotem reddat indemnem.

Cap. VIII. *De his qui oblationes defunctorum retinent.*

Ex eodem cap. XX.

(VII. 199.) Similis etiam his qui oblationes defunctorum eccleſiis vel ſacerdotibus legaliter dimiſſas quolibet modo aſſignare tardaverint, vel retinere præſumpſerint, diſtrictionis eccleſiaſticæ juxta priores canones forma ſervetur. Cui etiam ſententiæ ſubjacebit quiſquis ſibi quolibet ordine, quod pro devotione ſua eccleſiis dedit, revocare præſumpſerit.

Cap. IX. *De abbatibus, presbyteris, vel reliquis miniſtris rebus eccleſiaſticis non alienandis.*

Ex eodem cap. XXXVI.

Abbatibus, presbyteris, ceteriſque miniſtris, de rebus eccleſiaſticis, vel ſacro miniſterio traditis, nihil alienare vel obligare abſque permiſſione & ſubſcriptione epiſcopi ſui liceat. Quod ſi præſumpſerint, degradentur communione conceſſa, & quod temere præſumptum vel alienatum eſt, ordinatione epiſcopi revocetur.

## TITULUS VII.

## DE SACRILEGIS.

Cap. I. *Quod prædones eccleſiæ ſacrilegi ſint, ſicut ſcripturæ teſtimonio comprobatur.*

Ex libro VI. cap. CCCLXXXV.

(Lib. VI. cap. 295.) Sacrilegi ſunt eccleſiæ prædones. unde & in concilio Agathenſi ſub quarto capitulo decretum habetur ita: Amico quidpiam rapere furtum eſt, eccleſiæ vero fraudari, vel abſtrahi, ſubripique, ſacrilegium. Omnes enim contra legem facientes, reſque eccleſiæ diripientes, vel eccleſias ſacerdoteſque contra divinas ſanctiones vexantes, ſacrilegi vocantur, atque indubitanter infames ſacrilegique habendi ſunt.

Cap. II. *Quod ea quæ domino conſecrantur ad jus eccleſiaſticum pertinent.*

Ex eodem cap. CCCLXXXVI.

(VI. 296.) Ea quæ domino offeruntur vel conſecrantur, ad jus pertinent ſacerdotum, & ſacrilegi ſunt omnes, qui ea auferunt, vel in aliud transferunt.

Cap. III. *Ut ſi quis dignitatem præſumpſerit, quam non meruit, a principe vel juſto ſeniore, ſacrilegus habeatur.*

Ex eodem libro cap. CCCLXXXVII.

(VI. 297.) Si quis præſumpſerit, quam non meruit, a principe vel ſeniore juſto, dignitatem, ſacrilegus habeatur. Homicidæ, malefici, fures, ſacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falſum teſtimonium dixerint, ſeu qui ad ſortilegos magoſque cucurrerint, nullatenus erunt ad accuſationem vel ad teſtimonium admittendi.

Cap. IV. *De ſacrilegis, quod fures ſint teſte ſcriptura.*

Ex eodem cap. CCCXCV.

(VI. 312.) Omnibus ſciendum eſt, quod ſacrilegi fures ſint cuncti qui res eccleſiæ diripiunt, vaſtant, invadunt, vexantque, aut a jure eccleſiarum, quibus traditæ fuerant, injuſte alienant. Unde & beatus Auguſtinus in homilia XLVIII. euangelii Joannis ita dicit: Ecce inter ſanctos eſt Judas, ecce fur eſt Judas, & ne contemnas, fur & ſacrilegus: non qualiſcumque fur, ſed fur loculorum, ſed dominicorum: loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in furto, non qualiſcumque fur, ſed peculatus. Peculatus enim dicitur furtum de re publica, & non ſic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ: quanto vehementius judicandus eſt ſacrilegus fur, non undecumque tollere, ſed de eccleſia tollere? Qui aliquid de eccleſia aufert vel furatur, Judæ perdito comparatur. ) Nota quod aliquid de eccleſia tollere furtum eſſe beatus Auguſtinus alleverat, & patratorem tanti furti furem ſacrilegum appellet, nec non & Judæ perdito æquiparet. Et poſt pauca: Quare, inquit, loculos habuit, cui angeli miniſtraverunt? niſi quia eccleſia ipſius loculos habitura erat? ) Ecce quibus tanti doctoris documentis inſtruimur, quia quod in capite præceſſit, in corpore ejus quod eſt eccleſia videtur impletum. Porro Chriſtum & eccleſiam unam perſonam eſſe non neſcimus. & ideo quæ eccleſiæ ſunt, Chriſti ſunt, & quæ eccleſiæ offeruntur, Chriſto offeruntur, & quæ ab eccleſia tolluntur, procul dubio Chriſto tolluntur. Ergo futurum erat ut eccleſia Chriſti nummos haberet. ſi nummos, utique & prædia, & mancipia, & diverſarum ſpecierum innumera ornamenta. Et quia illicitum ſit ea quæ conferuntur eccleſiæ auferri, beati Hieronymi ſcribentis in expoſitione Matthæi euangeliſtæ verba teſtantur. Omnes, inquit, qui ſtipe templi, & his quæ conferuntur in uſus eccleſiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus ſuam expleant voluntatem, ſimiles ſunt ſcribarum & ſacerdotum redimentium mendacium & ſanguinem ſalvatoris.

Cap. V. *Quod quidquid offertur domino ſanctum ſanctorum ſit, & ad jus pertineat ſacerdotum.*

Ex eodem cap. CCCXCVI.

(VI. 303.) Nulli liceat ignorare, quod omne quod domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, vel quidquid ſemel Deo fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit domino, & ad jus pertinet ſacerdotum. Propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui ea quæ domino & eccleſiæ competunt, aufert, vaſtat, invadit, vel diripit, uſque ad emendationem, eccleſiæque ſatisfactionem, quod ſit ſacrilegus, & non tantum ſacrilegus, ſed etiam fur ſacrilegus.

Cap. VI. *De his ſacrilegis, qui eccleſiæ ejuſque ſacerdotibus injurias inferunt.*

Ex eodem libro cap. CCCXCVII.

(IV. 304.) Si quis in hoc genus ſacrilegii proruperit, ut in eccleſias earumque res irruens, ſacerdotibus & miniſtris, vel ipſo cultui aut loco aliquid importet injuriæ, vel inferat ad divini cultus injuriam, convictos ſive confeſſos reos capitali ſententia noverit vindicandos. Nec expectetur ut epiſcopus injuriæ propriæ ultionem depoſcat, cui [a] ſanctitas ignoſcendi ſolam gloriam dereliquit: ſitque cunctis non ſolum liberum, ſed etiam laudabile,

*a) Sirmond. cum ſanctitas ignoſcendi ſoli epiſcopo gloriam dereliquit. H.*

factas atroces ſacerdotibus aut miniſtris injurias, veluti publicum crimen, perſequi, ac de talibus reis ultionem mereri.

Cap. VII. *Quod omnia quæ domino offeruntur procul dubio & conſecrantur.*

Ex eodem libro cap. CCCXCVIII.

VI. 303. Omnia quæ domino offeruntur procul dubio & conſecrantur: & non ſolum ſacrificia, quæ a ſacerdotibus ſuper altare domino conſecrantur, oblationes fidelium dicuntur: ſed quæcumque ei a fidelibus offeruntur, ſive in mancipiis, ſive in agris, vineis, ſilvis, pratis, aquis, aquarumque decurſibus, artificiis, libris, utenſilibus, petris, ædificiis, veſtimentis, pellibus, laniſiciis, pecoribus, paſcuis, membranis, mobilibus & immobilibus, vel quæcumque de his rebus, quæ ad laudem Dei ſunt, vel ſupplementum ſanctæ Dei eccleſiæ, ejuſque ſacerdotibus, atque ornatum præſtare poſſunt, domino eccleſiæque ſuæ a quibuſcumque ultro offeruntur, domino indubitanter conſecrantur, & ad jus pertinent ſacerdotum. Et quia Chriſtum & eccleſiam unam perſonam eſſe veraciter agnoſcimus, quæcumque eccleſiæ ſunt, Chriſti ſunt; & quæ eccleſiæ, vel in ſupradictis, vel in quibuſcumque ſpeciebus, ſive pollicitationibus, ſive pignoribus, ſive ſcriptis, ſive corporalibus rebus offeruntur, Chriſto offeruntur. Et quæ ab eccleſia ejus quocumque commento alienantur, vel tolluntur, ſive alienando, ſive vaſtando, ſive invadendo, ſive minorando, ſive diripiendo, Chriſto tolluntur. Et ſi ab amico quidpiam rapere furtum eſt, præcipue Chriſto domino noſtro, qui eſt rex regum, & dominus dominantium, aliquid auferre vel alienare, ſubripere vel vaſtare, ſacrilegium eſt. Omnes namque eccleſiæ prædones manifeſtiſſime ſunt ſacrilegi, & nullus ſacrilegus, niſi per puram probatamque atque publicam pœnitentiam, & per eccleſiæ ſatisfationem, epiſcoporumque per manus impoſitionem juxta canonicas ſanctiones reconciliationem, regnum Dei poſſidebit. Et non ſolum a regno Dei fit alienus, ſed etiam a liminibus ſanctæ eccleſiæ, & præcipue ab illius, quam læſit, uſque ad prædictam ſatisfactionem extorris efficitur. Talium vero ſcelerum patratoribus, niſi poſt prædictam ſatisfactionem, nec vivis, nec mortuis communicare debemus. Quia qui rapit pecuniam proximi ſui iniquitatem facit: qui non ſolum ſacrilegi, ſed etiam fures ſacrilegi, & lupi atque homicidæ, pauperumque necatores ſunt, & inſuper anathematis vinculo damnati coram Deo & ſanctis ejus efficiuntur.

Cap. VIII. *Ut omnes agnoſcant quantum malum ſit Deo ſacratas, vel reliquas inceſtare.*

Ex eodem libro cap. CCCCXV.

VI, 319. Jubemus omnes ſcire, omnibuſque populis a ſacerdotibus prædicari, quantum malum & quam maximum flagitium ſit, cum Deo devotis feminis viduis vel virginibus, ſive cum velatis, ſive cum Deo devotis, maximeque cum ſanctimonialibus & ſacratis Deo virginibus vel viduis, tam in monaſteriis, quam extra monaſteria, commiſceri. Nam hoc peccatum duplex eſſe non dubium eſt. Verbi gratia dicamus, cujus vindictæ reus ſit puer ante dominum ſuum, qui uxorem domini ſui adulterio maculaverit: quanto magis ille, qui ſponſam Chriſti creatoris cæli & terræ putredine ſuæ libidinis commaculaverit? dicente beato Paulo

1. Cor. 6. apoſtolo: *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, quia neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.*

Cap. IX. *Ut capitali ſententia multentur qui ſacrilegia, adulteria, prædationes aut devaſtationes exercuerint.*

Ex eodem capite CCCCXXII.

VI. 315. Sub pœna capitali ſacrilegia, adulteria, prædationes, vaſtationeſque in regno noſtro a quibuſcumque fieri prohibemus. ita ut ſi voluntarie quis ex his unum fecerit, de vita componat, & omnes res ejus, tam mobiles quam immobiles, fiſco noſtro ſocientur, vel eccleſiæ, cujus res vaſtaverit, vel alienaverit, aut abſtulerit, tradantur. Maximum enim ſacrilegium eſt, oblationes fidelium, quæ ſunt res eccleſiarum, auferre, vaſtare, alienare, invadere, vel ſubripere. Nam, ut ait ſcriptura, *neque ſacrilegi, neque adulteri,* neque prædones, vel vaſtatores, *regnum Dei poſſidebunt.* Et ſi hi qui res fratrum diripiunt, a regno Dei alieni ſunt, quid ſuper his fieri putatis, qui res Deo dicatas diripiunt vel auferunt? Nam quanto gravius quis in hoc ſæculo peccat, tanto gravius in inferno torquebitur.

Cap. X. *De plebe adverſus ſacrilegos cuſtodienda.*

Ex libro VII. cap. LV.

VII. 55. Ante tribunal domini de reatu negligentiæ ſe non poterit excuſare, qui plebem ſuam contra ſacrilegæ perſuaſionis auctores noluerit cuſtodire.

## TITULUS VIII.

## DE JURAMENTIS.

Cap. I. *De ſacramentis leviter non jurandis.*

Ex lib. V. cap. CCCXLIX.

Lib. V. c. 349. Volumus ut ſacramenta cito non fiant: ſed unuſquiſque judex prius cauſam veraciter cognoſcat, ut cum veritas latere non poſſit, ne facile ad ſacramentum veniant.

Cap. II. *De perjuriis cavendis.*

Ex libro VI. cap. CCLXXVII.

III. 10. Præcipimus ut perjuria caveantur, nec admittantur teſtes ad juramentum antequam diſcutiantur: & ſi aliter diſcuti non poſſint, ſeparentur ab invicem, & ſingulariter inquirantur. Et non licet ſoli accuſatori teſtes eligere abſente ſuo cauſatore. Et omnino nullus niſi jejunus ad juramentum vel ad teſtimonium admittatur. Si vero aliquis refutatur, dicat ille qui eum refutat, & probet quare illum recipere nolit. Et de ipſo pago non de altero teſtes eligantur. niſi forte longius extra comitatum cauſa ſit inquirenda. Et ſi quis convictus fuerit perjurii perdat manum, aut redimat.

## TITULUS IX.

## DE EXCOMMUNICATIS.

Cap. I. *Cum excommunicatis non licere communicare.*

Ex libro V. cap. XXV.

Lib. V. c. 25. Cum excommunicatis non licere communicare, nec cum his, qui per domos conveniunt devitantes orationes eccleſiæ, ſimul orandum eſt. Ab alia eccleſia non ſuſcipiatur qui in aliena minime congregatur.

Cap. II. *De eo qui excommunicatus pro ſuo neglectu fuerit.*

Ex eodem libro cap. CCXXXVIII.

V. 238. Si quis excommunicatus pro ſuo neglectu fuerit, & tempore excommunicationis ſuæ ante audientiam communicare præſumpſerit, ipſe in ſe damnationis judicetur protuliſſe ſententiam.

Cap. III. *De his qui cum excommunicato communicaverint.*

Ex eodem libro cap. LXXV.

I. 36. Ut qui cum excommunicato præſumptioſe communicaverit excommunicetur & ipſe.

Cap. IV. *De his qui epiſcoporum vocationem vel correptionem contempſerint.*

Ex libro VI. cap. LXXXVIII.

VI. 88. Si quis ſæcularium tam majoris ordinis, quam & inferioris, peccatum egerit, & vocatus ſui epiſcopi auctoritate ad emendationem ac pœnitentiam venire diſtulerit, tamdiu ſit ab eccleſia extorris, & catholicorum conſortio ſequeſtratus, quouſque quod commiſit emendet, ac reatum ſuum uſque ad ſatisfactionem canonice diluat, atque reconciliatione proprii epiſcopi divinis precibus indulgentiam conſequatur, & per veniam eccleſiæ gremio, a cujus utero deviaverat, peracta ſatisfactione ab eodem melioratus epiſcopo canonice reddatur.

Cap. V. *De his qui epiſcopo aliquam injuriam vel dehonorationem fecerint.*

Ex eodem libro cap. XCIX.

VI. 98. Si quis epiſcopo aliquam injuriam aut injuſtam dehonorationem fecerit, de vita componat, & omnia quæ habere viſus fuerit eccleſiæ, cujus epiſcopus præeſſe dignoſcitur, integerrime ſocientur; & nobis in triplo bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos, perſolvat, aut ipſe in ſervitio fiſco noſtro ſervitурus ſemper ſocietur, uſque ſe redimere in triplo juxta vvirgildum ſuum potuerit. Sancta vero eccleſia in ſacerdotibus conſtat. Idcirco magna pœna plectendi ſunt, qui epiſcopis vel reliquis ſacerdotibus injuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio ſacerdotum ad Chriſtum pertinet, cujus vice legatione in eccleſia funguntur.

Cap. VI. *De non parvipendenda excommunicatione ſacerdotum.*

Ex eodem cap. CCXLVIII.

VI, 124. Placuit, ut fideles ne parvipendant excommunicationem ſacerdotum illorum: quoniam ſi hoc fecerint, juſte ſegregabuntur a cœtu Chriſtianorum.

Cap. VII. *Ut quicumque ſynodalem excommunicationem tranſgreſſus fuerit, in alia ſynodo ſpem recuperationis non habeat.*

Ex lib. VII. cap. IX.

VII, 6. Si quis epiſcopus damnatus a ſynodo, vel presbyter aut diaconus a ſuo epiſcopo, auſi fuerint de ſacro miniſterio aliquid contingere, ſive epiſcopus juxta præcedentem conſuetudinem, ſive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia ſynodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis. ſed & communicantes ei omnes abjici de eccleſia: & maxime ſi poſtquam didicerint hoc factum eſſe, communicare tentaverint.

Cap. VIII. *Quod excommunicati a ſacerdote, antequam canonice reconcilientur, non poſſint majores natu accuſare.*

Ex eodem cap. CLXXX.

VI. 125. Ut excommunicatus a ſacerdote, quamdiu in ipſa eſt excommunicatione, majores natu accuſare non præſumat. Quod ſi præſumpſerit, non recipiatur, ſed aut majori excommunicationi ſubjaceat, aut ab eccleſia pellatur.

Cap. IX. *De modis excommunicationis tam de clericis, quam de laicis.*

Ex libro V. capite LXIII.

V. 42. Si quis presbyter ab epiſcopo ſuo degradatus, vel excommunicatus fuerit, & ipſe per contemptum poſtea aliquid de ſuo officio ſine commeatu facere præſumpſerit, & poſtea ab epiſcopo correptus & excommunicatus fuerit, qui cum ipſo communicaverit ſcienter, ſciat ſe eſſe excommunicatum ſimiliter. Quicumque clericus, aut laicus, vel femina, inceſtum commiſerit, & ab epiſcopo ſuo correptus ſe emendare noluerit, & ab ipſo excommunicatus fuerit, qui poſtea cum ipſo communicaverit, ſimiliter excommunicetur. Et ut ſciatis, qualis ſit modus iſtius excommunicationis, in eccleſiam non debet intrare, nec cum ullo Chriſtiano cibum vel potum ſumere, nec ejus munera quiſquam accipere debet, vel oſculum porrigere, nec oratione ſe jungere, nec ſalutare, antequam ab epiſcopo ſuo ſit reconciliatus. Quod ſi aliquis ſe reclamaverit quod injuſte ſit excommunicatus, licentiam habeat ad metropolitanum epiſcopum venire, ut ibidem ſecundum canonicam inſtitutionem dijudicetur, & interim ſuam excommunicationem cuſtodiat. Quod ſi aliquis iſta omnia contempſerit, & epiſcopus hoc emendare minime potuerit, regis judicio condemnetur.

Cap. X. *Item, De eadem re.*

Ex eodem libro capite LXIV.

Hæc vero per ſingula capitula in ſtatutis Nicæni concilii legere poteſtis, ſeu in aliis ſanctorum patrum ſynodalibus edictis, & in Antiocheno concilio, quod hi qui damnati ſunt a ſynodo, vel a ſuo epiſcopo, & poſtea miniſtrare præſumunt, præcipitur ut nullus audeat eis communicare. Si quis vero eis communicat, ſimili ſententia ſubjaceat, ſicut & damnatus.

## TITULUS X.

## DE STABILITATE SACERDOTUM IN TITULIS PROPRIIS.

Cap. I. *Ut clericus in eccleſia in qua prætitulatus eſt permaneat.*

Ex libro V. capite XXVIII.

Lib. 5. c. 26. Clericum permanere oportet in eccleſia, cui initio ab epiſcopo prætitulatus ac ſortitus eſt, & ad quam confugit quaſi ad potiorem. Hoc autem refutantem revocari debere ad ſuam eccleſiam in qua primitus ordinatus eſt, & ibi tantummodo miniſtrare. Si quis hanc definitionem tranſgreſſus fuerit, decrevit ſancta ſynodus a proprio gradu decidere.

Cap. II. *Ut in titulis, in quibus presbyteri conſecrantur, ante ſuam promotionem ſtabilitatem promittant.*

Ex eodem capite LXXV.

V. 108. Ut presbyteri, qui in titulis conſecrantur, ſecundum canones, antequam ordinentur, promiſſionem ſtabilitatis loci illius faciant.

## TITULUS XI.

## INCIPIUNT ALIA CAPITULA EX QUINTO, SEXTO, ET SEPTIMO LIBRO capitularis collecta ſatis eccleſiaſticis utilitatibus congrua.

Cap. I. *De eo qui filiaſtrum aut filiaſtram ante epiſcopum tenuerit.*

Ex libro V. capitulo VII.

Lib. V. c. 7. Si quis filiaſtrum aut filiaſtram ante epiſcopum ad

ad confirmationem tenuerit, ſeparetur ab uxore ſua, & alteram non accipiat. Similiter & mulier alterum non accipiat.

Cap. II. *De eo qui filiaſtram ſuam contra voluntatem ipſius dederit ingenuo vel ſervo.*

Ex eodem libro cap. XIX.

V. 15. Si quis homo filiaſtram ſuam contra voluntatem ipſius, & matris, & parentum, dederit viro ingenuo, aut eccleſiaſtico, vel ſervo, & illa noluerit habere illum, & reliquerit eum, poteſtatem habeant parentes illius dare illi alium maritum.

Cap. III. *De presbytero ſuſpicioſo.*

Ex eodem cap. XXXVI.

Sacerdos ſi ſuſpicioſus aut incredibilis ſuo epiſcopo, aut reliquis ſuis conſacerdotibus, ſive bonis & juſtis de ſuo populo vel de ſua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta ſuſpicione remaneat, cum tribus aut quinque vel ſeptem bonis ac vicinis conſacerdotibus, exemplo Leonis papæ, qui duodecim epiſcopos in ſua purgatione habuit, vel eo amplius, ſi ſuo epiſcopo viſum fuerit, aut neceſſe propter tumultum populi id eſſe perſpexerit, & cum aliis bonis & juſtis hominibus, ſe ſacramento coram populo ſuper quatuor evangelia purgatum eccleſiæ reddat. Si quis autem ſcire deſiderat, quales teſtes ad accuſationem ſacerdotum recipi debeant, & quid de accuſatore faciendum ſit, pleniter in canonibus reperiri poterit.

Cap. IV. *Ut presbyteri chriſma diligenter cuſtodiant.*

Ex eodem libro cap. CLXV.

V. 80. Presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ vel maleficii donare præſumant. Quod ſi fecerint, honore priventur.

Cap. V. *Item unde ſupra in eodem.*

Cap. CIV.

Ut presbyter qui ſanctum chriſma donaverit ad judicium ſubvertendum, poſtquam de grado ſuo depoſitus fuerit, manum amittat.

Cap. VI. *Ut malum ebrietatis omnino vitetur.*

Ex eodem cap. CLXI.

V. 96. Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum eum eſſe decrevimus uſque ad emendationem congruam.

Cap. VII. *De eccleſia ædificanda.*

Ex eodem libro cap. CCCLXXXIII.

V. 229. Nemo eccleſiam ædificet antequam civitatis epiſcopus veniat, & ibidem crucem figat publice, & ante præfiniat qui ædificare vult, quid ad luminaria, & ad cuſtodiam, & ad ſtipendia cuſtodum ſufficiat, & facta donatione ſic domum ædificet.

Cap. VIII. *De non judicando quemquam abſque legitimo accuſatore.*

Ex eodem cap. CCXCVIII.

V. 244. Judicis non eſt quemlibet judicare, vel condemnare, abſque legitimo accuſatore: quoniam & dominus Judam furem eſſe ſciebat: ſed quia non eſt accuſatus, ideo non eſt ejectus.

Cap. IX. *Quod laicis non ſit de religione præſumendum.*

Ex eodem libro cap. CCCCIII.

V. 245. Laicis quamvis religioſis, nulla tamen de eccleſiaſticis facultatibus, vel de Deo dicatis hominibus, aliquid diſponendi attribuatur facultas.

Cap. X. *Si quis epiſcopus, presbyter, diaconus, vel ſubdiaconus, ad bellum proceſſerit, deponatur.*

Ex libro VI. cap. LXI.

Si quis epiſcopus, presbyter, diaconus, vel ſubdiaconus, ad bellum proceſſerit, & arma bellica indutus fuerit ad bellicandum, ab omni officio deponatur, in tantum ut nec laicam communionem habeat. VI. 61.

Cap. XI. *De his qui volunt aquam conſecratam in ſabbato ſancto accipere.*

Ex eodem libro cap. LXXXII.

Quod in ſabbato ſancto paſchæ, vel in ſabbato pentecoſtes, ſi qui velint aquam conſecratam ad aſperſionem in domos ſuas accipere, ante chriſmatis accipiant infuſionem. VI. 77.

Cap. XII. *De confirmatione epiſcoporum a plebe ſolicite quærenda.*

Ex eodem cap. LXXXIII.

Ut omnes maximam curam habeant, ne ſine confirmatione epiſcopi quis vitam finiat, animaque periclitetur. VI. 83.

Cap. XIII. *De viro & muliere in matrimonio copulatis, & poſtea dicente ea non poſſe eum nubere cum ea.*

Ex eodem cap. XCI.

Si vir & mulier conjunxerint ſe in matrimonio, & poſtea dixerit mulier de viro, non poſſe nubere cum ea, ſi potuerit probare quod verum ſit, accipiat alium, eo quod juxta apoſtolum non potuit illi reddere vir ſuus debitum. VI. 88. I. Cor. 7.

Cap. XIV. *De raptoribus & raptis virginibus & viduis.*

Ex eodem cap. XCVI.

Si quis alterius ſponſam, virginem aut viduam, necdum deſponſatam rapuerit vel furatus fuerit, placuit ut, ſive eam poſtea ſponſaverit, ſive dotaverit, ſive non, ſive cum parentum ejus voluntate quocumque commento ipſam accipere vel tenere potuerit, nunquam illam uxorem habeat: ſed raptori aut furi auferatur, & proximis ſuis alio viro tempore congruo, ſi ipſa hoc malum non conſenſerit, nuptura legibuſque accoptura reddatur. Raptor vero, ſive fur, omneſque ei conſentientes, publica pœnitentia juxta canonicam auctoritatem multentur: & proximis illius quidquid injuſte in tam nefando ſcelere egerint in triplo componant, & unamquamque rem ſemotim legibus in triplo reſtituant. Ipſa autem quæ rapitur, ſi aut primo, aut poſtmodum, tam nefario ſceleri libens conſenſerit, nunquam poſtea nubat, ſed publica pœnitentia multetur, & ſub tali cuſtodia ponatur, ut ei nullatenus luxuriari cum quodam liceat. Taliter enim memorata flagitia puniantur, ut omnes cognoſcant, quoniam nec ſæculi leges tam nefandis conjunctionibus conſentiant, nec ſacri canones concilium ullum præbeant. VI. 95.

Cap. XV. *De his qui in domo ſua oratorium fecerint.*

Ex eodem libro cap. CII.

Qui in domo ſua oratorium habuerit, orare ibidem poteſt, miſſas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat, ſine permiſſu & dedicatione epiſcopi illius loci. Quod ſi fecerit, domus illius fiſci viribus addicatur. Comes vero, qui hoc cognovit, & non prohibuit, publica pœnitentia multetur, vel honore privetur. V. 106.

Cap. XVI. *De expoſitis infantibus ac collectione eorum.*

Ex eodem cap. CLIV.

Si expoſitus ante eccleſiam cujuſquam fuerit miſeratione collectus, conteſtationis ponat epiſtolam: & ſi is qui collectus eſt intra decem dies quæſitus agnituſque non fuerit, ſecurus habeat qui collegit. Sane qui poſt prædictum tempus VI. 142.



pus ejus calumniator extiterit, ut homicida, eccleſiaſtica diſtrictione damnabitur, ſicut patrum ſanxit auctoritas.

Cap. XVII. *De quorum baptiſmate abſque diſſimulatione dubitatur, ut rebaptizentur præceptum eſt.*

Ex eodem cap. CLXXXIV.

VI. 181. De quibus dubium eſt utrum ſint baptizati an non, omnimodis abſque ullo ſcrupulo baptizentur: his tamen verbis præmiſſis, Non te rebaptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Cap. XVIII. *Quot ſint dies purificationis mulieris.*

Ex eodem cap. CCVII.

VI. 204. Cum enixa fuerit mulier, poſt quot dies debeat eccleſiam intrare, teſtamenti veteris præceptione didicimus, ut pro maſculo diebus XXXIII. pro femina LXVI. debeat abſtinere. Quod tamen, ait ſanctus Gregorius, ſciendum eſt quia in myſterio accipitur. Nam ſi hora eadem qua genuerit actura gratias intret eccleſiam, nullo peccati pondere gravatur. Voluptas etenim carnis, non dolor, in culpa eſt. In carnis autem commixtione voluptas eſt, in prolis vero prolatione gemitus. Unde & ipſi primo matrimonio dicitur: *In doloribus paries.* (Gen. 3.) Si itaque ipſam mulierem prohibemus eccleſiam intrare, ipſam ei pœnam ſuam culpam deputamus.

Cap. XIX. *De conſervanda fide inter virum & uxorem.*

Ex eodem cap. CCCCXXIV.

VI. 327. Scire omnes volumus, ſicut & ſæpius a dominis epiſcopis, & a reliquis Dei ſervis admoniti ſumus, quod viri uxoribus ſuis, & uxores ſimiliter viris ſuis, veraciter fidem & dilectionem ſervare debent, & non in aliquo ab his declinare: & quod non liceat conjugatis, neque pellicem, neque concubinam habere.

Cap. XX. *De ſacerdotibus qui miniſterium ſuum adimplere non valent.*

Ex libro VII. cap. CXXXVII.

VII. 100. Sacerdotes qui rite nec ſapiunt adimplere miniſterium ſuum, nec diſcere juxta præceptum epiſcoporum ſuorum pro viribus ſatagunt, vel contemptores canonum exiſtunt, ab officio proprio ſunt removendi, quouſque hoc pleniter emendatum habeant.

Cap. XXI. *Ut nullus judex neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum, ſine conſcientia epiſcopi ſui diſtringat.*

Ex eodem cap. CXXXIX.

VI. 354. Ut nullus judex neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum, aut juniorem eccleſiæ ſine conſcientia pontificis per ſe diſtringat, aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab eccleſia, cui injuriam fecit quam irrogare dignoſcitur tamdiu ſit ſequeſtratus, donec reatum ſuum cognoſcat, & emendet.

Cap. XXII. *Ut presbyteri in eccleſiis inconſulto epiſcopo non conſtituantur, vel de eccleſiis expellantur.*

Ex eodem cap. CXLV.

VII. 110. Sancitum eſt, ut ſine auctoritate vel conſenſu epiſcoporum presbyteri in quibuslibet eccleſiis nec conſtituantur, nec expellantur. Et ſi quis deinceps hoc facere tentaverit, ſynodali ſententia diſtricte feriatur.

Cap. XXIII. *Ut illicitus acceſſus feminarum ad altare non fiat, nec ulla femina vaſa ſacra, aut corpus & ſanguinem domini contrectare præſumant.*

Ex eodem libro cap. CXC.

Statutum eſt, ut illicitus feminarum acceſſus ad altare non fiat, quia contra omnem auctoritatem divinam & canonicam inſtitutionem eſt, feminas ſanctis altaribus ſe ultro ingerere, aut ſacrata vaſa impudenter contingere, ſive indumenta ſacerdotalia presbyteris miniſtrare, aut corpus & ſanguinem domini contingere, populiſque porrigere: quod omni ratione caret, & ne ulterius fiat omnimodis prohibitum eſt. Et quæcumque feminæ deinceps hoc facere præſumpſerint, judicio canonico uſque ad ſatisfactionem ſubdantur. Quod autem mulieres ingredi ad altare non debeant, in concilio Chalcedonenſi, & in decretis Gelaſii papæ copioſiſſime invenitur. VII. 134.

Cap. XXIV. *De violatoribus ſepulcrorum.*

Ex eodem capite CXCII.

Qui ſepulcra violaverint puniantur, tam ingenui, quam ſervi. Si major perſona in hoc ſcelere fuerit deprehenſa, amiſſa medietate bonorum ſuorum perpetua notetur infamia: ſi clericus, depoſitus omni honore clericali perenni exilio deputetur. Si judex hoc perſequi aut implere diſtulerit, facultatibus & honore privetur. VII. 136.

Cap. XXV. *De clericis, ſi ebrietatem non vitaverint, aut excommunicentur, aut verberentur.*

Ex eodem cap. CCLXX.

Ante omnia, clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt, nec quis poteſt liberum corporis ſui ac mentis habere judicium. Qui eſt captus vino a ſenſu probatur eſſe alienus, & proclivius ad judicium mens labefacta ducitur: ac plerumque ſolet peccatum aut crimen dum neſcit incurrere. Ignorantia vero talis non poteſt effugere pœnam, quam ex voluntaria amentia manaſſe conſtiterit. Itaque quemcumque ebrium fuiſſe conſtiterit, ut ordo patitur, aut XL. dierum ſpatio a communione ſtatuimus ſubmovendum, aut corporali ſubdendum eſſe ſupplicio.

Cap. XXVI. *Ut teſtes, priuſquam de cauſa interrogentur, ſacramento conſtringantur.*

Ex eodem cap. CCLXXXIII.

Teſtes priuſquam de cauſa interrogentur, ſacramento debere conſtringi, ut jurent ſe nihil niſi rei veritatem eſſe dicturos. Hoc etiam jubemus, ut honeſtioribus magis, quam vilioribus teſtibus, fides potius admittatur. Unius autem teſtimonium, quamlibet ſplendida & idonea videatur eſſe perſona, nullatenus audiendum. VII. 207.

Cap. XXVII. *Ut mancipia, quæ Judæi emerint aut circumciderint, ab eorum poteſtate auferantur.*

Ex eodem cap. CCLXXXVI.

Si quis Judæorum Chriſtianum ſervum, vel cujuslibet alterius ſectæ, emerit vel circumciderit, a Judæi ipſius poteſtate ſublatus in libertate permaneat. VII. 209.

Cap. XXVIII. *De vagis & levibus ſacerdotibus ac clericis.*

Ex eodem cap. CCXCVI.

Hoc etiam placuit, ut vagus atque inſtabilis clericus, ſive etiam in diaconali miniſterio, vel presbyterali officio conſtitutus, ſi epiſcopi, a quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, ut in delegata ſibi eccleſia officium dependat aſſiduum, quouſque in vitio permanet, communione & honore privetur. VII. 217.

Cap. XXIX. *De caſtitate eorum qui conjugio ſunt copulati.*

Ex eodem libro cap. CCLXXXIX.

Sciendum eſt omnibus, & firmiter retinendum, quod hi qui uxores ducere voluerint, ſicut eas caſtas VII. 305.

caſtas & incorruptas cupiunt invenire, ſic ad eas caſti & incorrupti debent accedere, eaſque cum benedictione ſacerdotis, ſicut in ſacramentario continetur, accipere: ſed prius eas dotali titulo debent colligare.

Cap. XXX. *De his qui a chorepiſcopo confirmati ſunt.*

Ex eodem libro cap. CCCCIII.

VII. 317. Si quis non ab epiſcopo, ſed a chorepiſcopo, qui non eſt epiſcopus, ſed vicarius epiſcopi, priuſquam prohibiti eſſent, fuerit confirmatus, reiterari aliis benedictionibus debet. Nam chorepiſcopi, ante apoſtolicam atque ſynodalem prohibitionem, non ex numero apoſtolorum, ſed ex LXX. diſcipulorum, ut ſacri canones teſtantur, ordine erant, quos nunquam Spiritum paracletum tradidiſſe novimus. Sed quia olim, ut dictum eſt, jam dicti chorepiſcopi prohibiti ſunt, ideo modo nihil ſunt, nec Spiritum paracletum ullo unquam tempore tradere potuerunt, nec modo poſſunt.

Cap. XXXI. *Item de chorepiſcopis.*

Ex eodem libro cap. CCCCXXIII.

VII. 328. Placuit ut ſicut Leonis papæ & omnium epiſcoporum noſtrorum, atque reliquorum fidelium generali & ſynodali conſultu decrevimus, nullus chorepiſcopus per manus impoſitionem Spiritum ſanctum tradere, aut ſacerdotes, vel Levitas, aut ſubdiaconos ſacrare, vel virgines velare, aut ſanctum chriſma conficere, vel eccleſias vel altaria ſacrare, aut benedictionem in publica miſſa populis tribuere præſumat. Quæ omnia ſummis pontificibus, id eſt, cathedralibus epiſcopis debentur, & non chorepiſcopis, vel presbyteris, quorum formam juxta ſanctorum decreta chorepiſcopi gerunt. Si autem hi aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt quæ ab eis geruntur, & ipſi omni eccleſiaſtico honore funditus priventur.

Cap. XXXII. *De his qui ſeipſos necant.*

Ex eodem cap. CCCCXLII.

Quicumque ſe propria voluntate aut in aquam jactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percuſſerit, aut cuilibet voluntariæ ſe morti tradiderit, iſtorum oblatio non recipiatur. VII. 14

Cap. XXXIII. *Qualiter hæc ſtatuta ſervanda ſint: & de his qui hæc contempſerint, ſive clericis ſive laicis, quid agendum ſit.*

Ex eodem cap. CCCCLXXVI.

Has omnes conſtitutiones eccleſiaſticas, quas ſummatim breviterque perſtrinximus, ſicut plenius in canonibus continetur, manere perenni ſtabilitate ſancimus. Si quis ergo clericus, aut laicus, harum ſanctionum inobediens eſſe voluerit, ſi clericus fuerit, excommunicationi ſubjaceat; ſi vero laicus, & honeſtioris loci perſona, medietatem facultatum ſuarum amittat fiſci viribus profuturam: ſi vero minoris loci perſona eſt, amiſſione rerum ſuarum multatus in exilio deputetur. VII. 17.

ANNO CHRISTI 858.

# CAPITULA HERARDI ARCHIEPISCOPI TURONENSIS.

Ex edit. P. Sirmondi.

*Capitula excerpta ex corpore ſanctorum canonum pernecesſaria, ab Herardo ſanctæ Turonicæ ſedis archiepiſcopo, nutu divino in ſancta ipſius ſynodo tenenda memoriter ab omnibus ipſius parœciæ ſacerdotibus, & clericis, omnibuſque volentibus.*

IN nomine Dei ſolius. Ego Herardus immerito Turonenſium pontifex, anno incarnationis dominicæ DCCCLVIII. ordinationis quoque noſtræ III. indictione VI. cernens eccleſiam mihi commiſſam partim negligentia, torpore, vel deſidia, partim præſidentium incuria ſacerdotum atque ignavia, variis & innumeris cladibus affici, excidiis concuti, &, quod dictu actuque gravius fore comperimus, diverſis animarum laqueis ac quotidianis erroribus deperire, inſtinctu, ut credimus, miſerationis ſupernæ, perpaucula, eaque admodum neceſſaria ſacratum admonitionum collecta capitula, ſacerdotum totius nobis creditæ parœciæ generali in urbe ſedis noſtræ coadunata XVII. Kalend. Junii ſynodo, publice recitari, & ut ad omnium præſentium notitiam & intelligentiam pervenire valerent, coram cunctis perlegi fecimus, & revolvi. Et quoniam auctoritas ſacra canonum nulli ſacerdotum canones ignorare permittit, ne quemquam in reliquo nobis commiſſorum hujus ordinis expertem noverimus canonum, decrevimus, pariterque injunximus, excerpta per noſtri laboris ſtudium hæc modica ſuccinctaque capitula unumquemque habere in poſterum.

## CAPITULA.

I.

Ut in ſynodo prius generales cauſæ, quæ ad normam totius eccleſiæ pertinent, finiantur: poſtea ſpeciales ventilentur.

II.

De die dominica, ut a veſpera uſque ad veſperam celebretur: & ut ſervilia opera, & verba turpia, atque mercata, cauſarum audientiæ, conventuſque publici abſque eccleſiaſticis prohibeantur.

III.

De ignotis angelorum aliorumque ſanctorum nominibus, ut non recitentur: & de maleficis, incantatoribus, divinis, ſortilegis, ſomniariis, tempeſtuariis, & brevibus pro frigoribus, & de mulieribus veneficis, & quæ diverſa fingunt portenta, ut prohibeantur, & publicæ pœnitentiæ multentur.

IV.

Ut clerici per tempora conſtituta ad ordinationem gradatim veniant, & non confuſe: & ut fides & vita eorum, libertas, & tempora inquirantur.

V.

De uſuris omnibus fidelibus prohibendis, clericis ac laicis: & de menſuris & ponderibus, ut juſtæ & æquales habeantur.

VI.

Ut nec clerici, nec monachi, ad ſæcularia negotia tranſeant.

VII.

Ut ſi clerici, aut monachi, inter ſe habent negotia,



ANNO CHRISTI 858.

gotia, apud epiſcopum finiantur, & non apud ſæculares: ſin alias, excommunicentur.

VIII.

Ut nullus laicorum quemquam clericorum, abſque permiſſu epiſcopi, compellat ad cauſas ire ad publicum: & qui fecerit, donec corrigat, ab eccleſiæ ſocietate pellatur.

IX.

Ut fides prædicetur omnibus fidelibus a presbyteris, incarnatio, paſſio, reſurrectio, & aſcenſio, Spiritus ſancti datio, peccatorumque remiſſio, quæ fit in eodem Spiritu, & in aqua baptiſmatis in gremio ſanctæ matris eccleſiæ: & vitia, [a] maximeque criminalia, vetentur, virtuteſque doceantur.

a) Sirmond. maxime quæ. H.

X.

De jejuniis quatuor temporum, & aliis pro diverſis neceſſitatibus conſtitutis, ut non ſolvantur, niſi certis infirmitatibus.

XI.

De his qui irrationabiliter peccant, aut cum conſanguineis, ut acrius judicentur, quatenus hujuſmodi vitia abſcidantur.

XII.

De perjuriis, ſacrilegiis, & ebrietatibus prohibendis: & ut teſtes jejuni jurent, ac prius de perjurio moneantur, ut nullus infra annos XIV. teſtis ſuſcipiatur: & quod ſemel perjurati ad teſtimonium non recipiantur.

XIII.

De honore & adjutorio parentibus exhibendo.

XIV.

Ut inceſta omnia, juxta modum culpæ, abſque exceptione perſonæ, a presbyteris judicentur: & ut tempore opportuno publica crimina ad notitiam epiſcopi deducantur: maximeque in die magno cœnæ reconciliandi, vel adhuc ſuſpendendi, per proprium presbyterum, vel per legatum ipſius, eumdemque presbyterum, cui cauſa ipſius criminis bene habeatur cognita, ad præſentiam epiſcopi deferantur. ne anima fratris, negligentia vel otio ſacerdotis, abſque reconciliatione permanens ejus periculo pereat.

XV.

Ut vaniloquia omniſque tumultus in eccleſia caveantur: & ante miſſam completam non exeant: & verbum Dei intente audiant.

XVI.

De oratione dominica, & ſymbolo, ut memoriter omnes teneant, & Gloria Patri, ac Sanctus, atque credulitas, & Kyrie eleiſon, a cunctis reverenter canatur. Pſalmi ſimiliter diſtincte a clericis. Et ut ſecreta presbyteri non inchoent, antequam Sanctus finiatur, ſed cum populo Sanctus cantent.

XVII.

Ut ſcholas presbyteri pro poſſe habeant, & libros emendatos.

XVIII.

Ut hoſpitalitatem ante omnia diligant: & ut viduarum, peregrinorum, orphanorum, atque infirmorum curam & ſolicitudinem habeant.

XIX.

Ut converſationem feminarum, earumque acceſſum & adminiſtrationem deteſtentur. Sin alias, velut contemptores canonum ab ordine deponantur. & quibus miniſtrare neceſſaria decernunt, longe eis domos prævideant, in quibus non per ſe, ſed per miniſtros ſubſidia porrigant.

XX.

De vaſis & veſtimentis eccleſiaſticis pro pignoribus abſque licentia epiſcopi non dandis, & datis recipiendis.

XXI.

Ut in infirmitate poſiti abſque dilatione reconcilientur, & viaticum viventes accipiant, & benedictione ſacrati olei non careant.

XXII.

Ut pro chriſmate annis ſingulis de omni miniſterio duo presbyteri veniant, ut ſi unus infirmatur, alter ſufficiat. & ut pariter ſacra officia ejuſdem diei perſolvant. & ut chriſma pro ſubvertendis judiciis nemini detur, & ut ſub ſigillo cuſtodiant.

XXIII.

Ut nulla femina veletur ſine licentia epiſcopi: & ut ante XXX. dies non veletur, & hoc cum conſilio parentum ac vicinorum.

XXIV.

De mulieribus, ac laicis, ut ad altaria non accedant: & ut ſacramenta & panes ſanctorum, exceptis quæ offerunt, non tangant.

XXV.

Ne leviter aut paſſim quiſquam excommunicetur. & nullus cogat bibere, vel inebriare.

XXVI.

Ut nullus pœnitentem cogat manducare vel bibere, niſi redemptio [b] permiſſa ſit: ita tamen, ut prius pro eo donet coram ipſo redemptionem.

b) Verius legendum, *præmiſſa*; ut ſimili capitulo Iſaaci Lingon. ſupra. *Hard.*

XXVII.

Ut patres & patrini filios vel filiolos erudiant & enutriant: iſti quia ſunt patres, & iſti quia fidejuſſores.

XXVIII.

Ne presbyter ſolus miſſam canat. Non enim poteſt dicere, Dominus vobiſcum, Surſum corda, & cetera.

XXIX.

Ut nullus presbyter alterius parœcianum, niſi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, abſque licentia ſui presbyteri ad miſſam recipiat, vel ſolicitare præſumat.

XXX.

Ut ſuis terminis contentus unuſquiſque exiſtat, nec ex alienis quidquam expetat.

XXXI.

Ut nullus precium pro baptiſmo accipiat: & ut certis temporibus paſchæ & pentecoſte baptiſmata fiant, & hoc in vicis, excepta cauſa infirmitatis.

XXXII.

Ut eccleſiæ antiquitus conſtitutæ nec decimis, nec ulla poſſeſſione priventur, niſi ſumma expoſcat utilitas.

XXXIII.

De eccleſiis, vel altaribus ambiguis, ſimiliter de infantibus, ut conſecrentur & baptizentur: quia quod non conſtat factum, nulla ratione videtur iteratum.

XXXIV.

Ut in domibus ab epiſcopo non conſecratis nemo miſſam quacumque neceſſitate celebret: [*] ex vaſis & veſtimentis ſimiliter nemo miſſam cantet. * f. ſine.

XXXV.

Ut decimæ & fideliter a populis dentur, & canonice a presbyteris diſpenſentur, & annis ſingulis rationem ſuæ diſpenſationis epiſcopo, vel ſuis miniſtris reddant: ne forte damna fraudium ſubigant, aut noctores pauperum ſubtrahendo utilia, quod abſit, exiſtant.

XXXVI.

Ne in quinta vel ſexta generatione copuletur conjugio, & uſque ad ſeptimam generationem progenies, obſervetur.

Quod

ANNO CHRISTI 858.

XXXVII.

Quod non liceat mulieri velum, aut ſponte, aut coacte ſemel ſuſceptum quacumque ratione rejicere, licet in domibus propriis veſtes a mutarit.

a) Sirmond. mutarint.

XXXVIII.

Ut nullus filium vel filiam a fonte ſuſcipiat, nec eam ducat, cujus filium tenuit. quod ſi inventi ſunt, ſeparentur.

XXXIX.

Ut doceantur plebes nulla contra epiſcopos graviter vel leviter agere, nec ipſis detrahere: ſed humiliter ac reverenter in cunctis obedire. & quod eorum injuria referatur ad Deum, cujus ſumma legatione funguntur. Et ut reges vel principes, pro quibus orare, quibuſque propter Deum ſubdi præcipimur, nullus maledicere vel detrahere præſumat.

XL.

De manſo integro unicuique eccleſiæ, abſque cenſu vel temporali ſervitio, dando: & quod omnes dotes eccleſiarum ad jura pertinent epiſcopi.

XLI.

Quicumque viduam infra xxx. dies viduitatis invitam vel volentem acceperit, ultra eam non attingat; & adulterii pœnas luet.

XLII.

Ut inceſtuoſi, & qui decimas non dant, non conſtringantur per gladios, vel ſacramenta, ſed eccleſiaſtice corrigantur.

XLIII.

Ut presbyteri per mercata non diſcurrant, nec indiſcrete domos circumeant, & comeſſationibus & ebrietatibus non inſerviant, ne famam malæ opinionis incurrant.

XLIV.

Ut res quas in ſacris ordinibus acquiſierint propriis eccleſiis derelinquant: hereditarias vero juxta arbitrium propriæ voluntatis diſtribuant.

XLV.

Ut presbyteri aquam benedictam cum ſuis populis in circuitu eccleſiarum deferant: & ut ſcrutinia in locis & temporibus conſtitutis non negligant.

XLVI.

De ædificationibus eccleſiarum, ut nullus antea fundamentum jaciat, donec epiſcopus veniat; & in medio crucem figat: & ſic accepta dote conſtruendi licentiam tribuat.

XLVII.

Ut epiſcopus vel presbyter de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat: nec quiſquam inferioris ordinis clericus.

XLVIII.

Si presbyter aut diaconus deſerit eccleſiam ſuam, deponatur, niſi petitione populi, licentiaque epiſcopi, & utilitate majori.

XLIX.

Ut presbyter non amplius quam unam eccleſiam habeat, ſicut & vir unam uxorem.

L.

Ut presbyteri & diaconi, ſi in bella cum armis proceſſerint, ita deponantur, ut nec laicam communionem habeant.

LI.

Si quis a ſynodo, vel a proprio fuerit excommunicatus epiſcopo, & ex miniſterio ſacro quidquam contigerit, nullatenus ſpem reſtitutionis inveniat.

LII.

Ut qui aquam conſecratam vult accipere in ſabbato ſancto vel pentecoſte, ante infuſionem chriſmatis ſumat. nam illa chriſmatis mixtio ad regenerandos pertinet.

LIII.

Ut populus prædicetur, ut oblationes Deo offerant, & ut tertia dominica vel quarta communicent; abſtinentes ſe a luxuria propriiſque uxoribus, & reliquis illicitis: niſi forte criminalibus culpis ſint impliciti.

LIV.

Ut ſigna pulſentur horis canonicis. & ut nullus ſe per ambitionem alteri præferat: ſed omnes agnoſcant tempus ſuæ ordinationis.

LV.

Ut nemo a ſacro fonte aliquem ſuſcipiat, niſi orationem dominicam & ſymbolum juxta linguam ſuam & intellectum teneat. & omnes intelligant pactum quod cum Deo fecerunt.

LVI.

Ut presbyteri chriſma, oleum & euchariſtiam ſemper habeant, ut parati inveniantur.

LVII.

Ut omnes primitiæ frugum benedictionis gratia ad eccleſiam deferantur.

LVIII.

Ut exequiæ mortuorum cum luctu ſecreto & cordis gemitu fiant, & pſalmos ignorantes, Kyrie eleiſon ibi canant: & ut xxx. diebus amici & parentes pro eis agant.

LIX.

Ut presbyteri de occultis juſſione epiſcopi pœnitentes reconcilient: & ſicut ſupra præmiſimus, infirmantes abſolvant, & communicent.

LX.

Mulier poſt partum ſtatim ut voluerit, niſi forte ſit adultera, intret eccleſiam, ac Deo referat gratias.

LXI.

De feſtivitatibus anni, quæ feriari debeant, id eſt, natali domini, ſancti Stephani, ſancti Joannis, & Innocentium, octavis domini, epiphania, purificatione ſanctæ Mariæ, & aſſumptione, aſcenſione domini, & pentecoſte. Miſſa ſancti Joannis Baptiſtæ, apoſtolorum Petri & Pauli, ſancti Michaelis, atque omnium ſanctorum, ſancti Martini, & ſancti Andreæ, & eorum, quorum corpora ac debitæ venerationes in locis ſingulis peraguntur.

LXII.

Ut diebus feſtis jejuniorum a conjugibus ſe abſtineant. & quia non eſt conceſſa uxor cauſa libidinis; ſed filiorum, & omnia prohibeantur illicita, parcaturque a licitis.

LXIII.

Ut privilegia eccleſiis conceſſa maneant incorrupta: & qui corruperit, pœnas luat ſacrilegii.

LXIV.

Laicis quamvis religioſis de eccleſiæ negotiis diſponendis nulla tribuatur facultas, quia ad ipſorum damnationem pertinet.

LXV.

Omnia quæ Deo offeruntur conſecrata habentur, in vineis, ſilvis, utenſilibus, veſtimentis, pecoribus, & reliquis poſſeſſionibus. ut quæ eccleſiæ ſunt, ſine dubio Chriſti, qui ſponſus ejus eſt, ſint.

LXVI.

Quod conjunctio ſpiritalis commatris maxime ſit peccatum, & ideo ſeparandum, & capite vel exilio damnandum.

LXVII.

Quod debeant viri uxores ſuas diligere, eiſque ut vaſi inferiori cuſtodiam & omnia neceſſaria providere.

Quod



ANNO CHRISTI 858.

LXVIII.

Quod omnis ordo clericorum epiſcopo ſuo ſubjectus maneat, & ad ejus judicia concurrat, nihilque ſine eo præſumat. quod ſi fecerit, degradetur.

LXIX.

Ut excommunicatis nemo communicet, nec perturbatoribus eccleſiarum ſe miſceat.

LXX.

Ut criminoſus locum accuſandi non habeat, & qui unum crimen non approbat, ad aliud non admittatur.

LXXI.

Ut nullus accuſationem ſuſcipiat priuſquam rebus ſuis reſtituatur.

LXXII.

Nemo accipiat eccleſiam ſine datione, & conſenſu proprii epiſcopi.

LXXIII.

Ut diſcendi gratia ad civitatem, vel ad loca conſtituta, presbyteri veniant quadrageſimali tempore.

LXXIV.

Ut de inceſtis, infirmis, pœnitentibus, & mortuis, omnem ſolicitudinem & curam habeant presbyteri, & concubinas omnino prohibeant.

LXXV.

Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur confeſſiones dare prius, ut mundi donum ſancti Spiritus valeant accipere.

LXXVI.

Ut omni anno parochias epiſcopi gyrent: & ut presbyteri rationem ſui miniſterii, ac creditorum omnium ipſi reddant.

LXXVII.

De venditionibus ſepulcrorum, & de his qui pro ſepulturis munera exigunt, ſeveriter puniantur & diſtringantur.

LXXVIII.

Ne presbyter benedictionem publice fundere ſuper populum præſumat.

LXXIX.

Qui eccleſiam tricennarii jure poſſederit, nulli deinceps ſubtrahere liceat.

XXC.

Quod eamdem pœnam paſſurus ſit accuſator, ſi convincere non poteſt, quam reus, ſi victus fuerit.

XXCI.

Qui res eccleſiæ invadunt, vaſtant, vel diripiunt, ſi monente epiſcopo non ſe correxerint, excommunicentur.

XXCII.

Ut laici infra cancellos non ſtent, & ut oblatio populi foris ſepta recipiatur.

XXCIII.

Qui ſabbato paſchæ uſque ad noctis initium non jejunant excommunicentur, & a paſchali communione ſecernantur.

XXCIV.

Quod in omni cauſa capitali, ſeu ſtatus, non per advocatum, ſed per perſonam ſit agendum.

XXCV.

Ut presbyteri ab omnibus vitiis ſe caveant, & ſubjectis ducatum cæleſtis vitæ præbeant.

XXCVI.

Ut presbyteri domos religioſas habeant, & nitida veſtimenta.

XXCVII.

Ut regulariter pœnitentias dent, & in judicando æquitatem habeant, & munera inde non exigant.

XXCVIII.

Mulier quæ dormiens filium ſuum opprimit, ſex annis pœniteat. vir ejus ſi in domo fuerit, quatuor; ſi in uno lectulo, ſimili modo. duos in pane & aqua, reliquos ad arbitrium ſacerdotis, juxta qualitatem perſonæ, & fletum pœnitentis.

XXCIX.

Ut ſponſus & ſponſa cum precibus & oblationibus a ſacerdote benedicantur, & legibus ſponſetur ac dotetur, & a paranymphis cuſtodiatur, & publice ſolenniterque accipiatur. biduo ac triduo abſtineant, & doceatur eis, ut caſtitatem inter ſe cuſtodiant, certiſque temporibus nubant, ut filios non ſpurios, ſed hereditarios Deo & ſæculo generent.

XC.

De his qui miſſas canunt & non communicant, quomodo poſſunt dicere: Sacramenta quæ ſumpſimus, *&c.*

XCI.

Ut bis in anno concilia celebrentur, & nemo plus in unoquoque, quam quindecim diebus remoretur.

XCII.

De interdictis, quod qui interdicta canonica ſervare contempſerit, gradus ſui periculo ſubjacebit. Item, ſi quis ſacerdotum vel clericorum contra interdicta canonum fecerit, a ſuo eſt officio ſubmovendus.

XCIII.

De paſcha annotina, ut rememoretur.

XCIV.

De letania Romana VII. Kalendas Maii, ut rememoretur.

XCV.

De diebus rogationum, ut reverenter ac ſtudioſe abſque turpibus jocis & verbis celebrentur, ut nullus in eis prandia, comeſſationes, diverſaſque potiones per diverſa loca præſumat.

XCVI.

De lectionibus vigiliæ paſchæ & pentecoſtes.

XCVII.

De octo diebus paſchæ, qualiter feriari debeant, & de pentecoſte.

XCVIII.

De dilatione temporum erga eos qui ad ſacros ordines provehuntur. Qui ſe divinæ militiæ mancipari deſiderat, ſive inter lectores, ſive inter exorciſtas, quinquennio teneatur. exinde acolytus vel ſubdiaconus quatuor annis ſtet: & ſic in benedictione diaconatus ſi meretur accedat. in quo ordine quinque annis, ſi inculpate ſe geſſerit, hærere debebit, & poſtea probatus ſacerdos efficietur.

XCIX.

De confeſſione ſcelerum, manifeſtum eſt eum confiteri crimen, qui indulto & delegato ſibi judicio purgandi ſe ratione non utitur. Nihil enim intereſt, utrum in præſenti examine omnia quæ de eo dicta ſunt comprobentur, quod ipſa ejus abſentia pro confeſſione conſiſtat.

C.

Quod pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conveniat, & ut injuſta populi petitio effectu careat.

CI.

Accuſatores calumnioſos, vel ſuſpicioſos, nemo ſuſcipiat, nemo audiat.

CII.

Accuſatores & accuſationes, quas ſæculi leges non admittunt, canonum quoque decreta removent.

CIII.

Quorum fides, vita & libertas neſcitur, non poſ-

ANNO CHRISTI 858.

poſſint ſacerdotes accuſare, nec viles perſonæ, A niſi in propriis cauſis.

CIV.

Si quis clericus in criminali vel leviori cauſa pulſatur, vel in diſcrimen capitis acceſſitur, non ſtatim reus æſtimatur qui accuſari potuit, nec ſubjectam innocentiam facimus. ſed quiſquis ille eſt qui crimen intendit, ad judicium epiſcopale veniat, nomen rei indicet, vinculumque inſcriptionis arripiat, cognoſcat ſimilitudine habita prius dignitatis æſtimationem. nec ſibi fore licentiam rei mentiendæ. calumniantes ad ſimilem vitam poſcat ſimilitudo ſupplicii.

CV.

Ut presbyteri modum proprium recognoſcant. id eſt, quæ alterius ſunt non appetant. nec altaria ſubmoveant, vel cetera prohibita agant. & ut eccleſiæ luminibus, ceteriſque decorentur ornatibus, & ut presbyteri miſſas cum ſandaliis celebrent.

CVI.

Ut ſacerdotes de incognitis ſibi rebus nihil judicare præſumant priuſquam cuncta quæ geſta ſunt veraciter audiant, & neminem lædere vel detrahere, nec quemquam ante juſtum judicium damnent, nec proprio arbitrio judicent. prius probent, & ſic judicent. Non enim qui accuſatur, ſed qui convincitur, reus eſt. & neminem lædere vel detrahere ſine cauſa concedant, exemplo Mariæ, quæ Moyſi propter Æthiopiſſam detraxit, & lepræ immunditia multata eſt. & David in Saul C unctum, licet noſſet a Deo abjectum & reprobatum, manum mittere timuit. Similiter & nos vituperationis manum ab omnibus fidelibus ſubtrahamus.

CVII.

Ut presbyteri ſicut ordine ſanctiores, ita verbo, inceſſu, & actu ſint reverentiores: quia celſitudo graduum graviorem peccati facit cumulum.

CVIII.

Ut presbyteri & clerici ante ſe joca turpia fieri non permittant: ſed pauperes & indigentes ad menſas ſecum habeant, & legatur eis lectio.

CIX.

In eccleſiis, vel in domibus, earumque atriis, D placita ſæcularia minime fiant.

CX.

Qui rapiunt feminas, furantur, vel ſeducunt, licet ipſis & parentibus conveniat, eas uxores non habeant.

CXI.

Ne ullus laicorum pluſquam duas uxores habeat. quod vero extra eſt, ad adulterium pertinet. ſimiliter & mulier.

CXII.

Ut in Chriſtianorum non ſaltetur nuptiis, & a quinquageſima uſque octavas paſchæ non fiant nuptiæ.

CXIII.

Ut clerici in quacumque ſeditione arma detulerint; poſt depoſitionem gravi pœnitentiæ in E carcere retrudantur. aliter ſi armis, ſagis, vel ſabeis uſi fuerint, deponantur.

CXIV.

Quando populus ad eccleſias venerit per dies ſolennes, aut communiter Kyrie eleiſon cantent, aut ſingulariter orationem dicant. & in eccleſia cum ſilentio ſtent; & pro ſe, & pro omni populo Dei orent, corda ſemper ad cælum habentes erecta. & moneantur ut luminaria, incenſum, & bucellas, & fructuum primitias afferant, ſicut ſcriptum eſt: *Honora dominum de tua ſubſtantia*,

Prov. 3.

Et in eiſdem ſanctis diebus, nec in plateis, nec in domibus cantica turpia vel luxurioſa, ſaltationes, vel luſa faciant diabolica. ſed aliquem ſapientem & bonum hominem conveniant, & ibi bonis lectionibus, quæ ad animæ ſalutem pertinent, intendant. Revertentes de eccleſia ſimiliter cantent, & eorum paſtores exeuntes vel redeuntes ad campos, ut vera Chriſtianitas in eis agnoſcatur.

ANNO CHRISTI 858.

CXV.

Moneantur omnes fideles de caritate & hoſpitalitate, ut noverint, quia vera eſt caritas, Deum diligere pluſquam ſe, & proximum tamquam ſe, & qui nihil vult facere alii, quod ſibi non vult fieri. Qui enim in cibo & potu, dandis & accipiendis rebus caritatem putat, errat dicente apoſtolo: *Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed juſtitia & pax*. Sed & ſi ipſa cum ſtudio caritatis fiant, bona ſunt, & inter virtutes computanda: aliter ſæculi actus ſunt.

Rom. 14.

CXVI.

De orationibus, & eleemoſynis & miſſarum celebrationibus pro fidelibus defunctis agendis, quibus impii carere debent, quoniam nec eorum eleemoſyna a ſacerdotibus vel reliquis fidelibus accipienda eſt, nec ſepultura fidelium tribuenda.

CXVII.

Quod non valeant ſcripturæ contra decreta canonum, vel ſancita pontificum.

CXVIII.

Ut lites & contentiones, rixæ & jurgia, ſicut diſcordiæ & odia prohibeantur, & pax & concordia prædicetur.

CXIX.

Ut diffinita crimina nullus refricare audeat.

CXX.

Quod pœnitentes a conviviis, & ornamentis, atque alba veſte abſtinere debeant: & diſcordes pellantur ab eccleſia, donec ad pacem redeant.

Infra 3. in Ital. fect. 49.

CXXI.

De his quos presbyter excommunicaverit, ut alius eos non recipiat.

CXXII.

Ut Chriſtiani ab otioſo ſermone, & juramentis ſe caveant.

CXXIII.

Qui contra ſtatuta canonica fecerit, laicus communione, clericus privetur honore.

CXXIV.

Ut fideles ſe abſtineant a coitu prægnantium uxorum, & menſtruo tempore.

CXXV.

Ut presbyteri computum diſcant.

CXXVI.

Ut ſuperbi clerici & laici excommunicentur: & ut patientia & humilitas, caſtitas & humanitas ab omnibus prædicetur.

CXXVII.

Si quis potentum quemlibet exſpoliaverit, vel oppreſſerit, per prædicationem ſacerdotum revocari debet.

CXXVIII.

Ut unuſquiſque in eo loco, in quo conſtitutus eſt, ibi maneat, nec ad alia tranſeat.

CXXIX.

De reis ad eccleſias vel ad earum atria confugientibus, ut inde non abſtrahantur.

CXXX.

Ut nullus occulte nuptias faciat, nec virginem vel viduam ſacratam ducat.

CXXXI.

Clerici tardi ad officium aut flagellentur, aut excommunicentur.

Nul-



ANNO CHRISTI 858.

CXXXII.

Nullus ſacerdotum decimas cum lite & jurgio ſuſcipiat, ſed prædicatione & admonitione.

CXXXIII.

Ut vocati ad ſynodum imprætermiſſo occurrant. ſi alias, condemnentur.

CXXXIV.

De his qui ſibi quacumque negligentia mortem inferunt, aut pro ſuis ſceleribus puniuntur, nulla pro eis fiat oblatio, nec cum pſalmis ad ſepulturas ducantur.

CXXXV.

De his qui decimas abſtrahunt eccleſiæ ad quam pertinent, & propter munera vel aliquam occaſionem, alteri dant; donec reſtituant, ab eccleſiæ ſocietate pellantur.

CXXXVI.

Laicus non debet in eccleſia publice lectionem recitare, nec alleluja, ſed pſalmos & reſponſoria.

CXXXVII.

Ut ad prædicationem & confirmationem epiſcopi omnes devote conveniant, eique fideliter miniſtrent & obediant.

A

CXXXVIII.

De his qui eccleſiis vim inferunt, aut clericos injuriare præſumunt, ut anathematizentur.

ANNO CHRISTI 858.

CXXXIX.

Ut qui alium in culpa ſua defendere vel excuſare nititur, excommunicetur.

CXL.

Ut nullus ſacerdotum ignoret, quid ſit in ſynodo conſtitutum, ſed omnibus cognitis certatim obtemperent.

Hæc vero brevitatis ſtudio, ut prælibavimus, a nobis collecta omnibus noſtris ſacerdotibus habenda ſtatuimus: quoniam ipſis & ſubjectis ovibus hæc eadem bene habita & intellecta omnimodis profutura cognoſcimus. B

NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Capitula Herardi.*) De his chronicum Vindocinenſe: *Anno* DCCCLVIII. *Domnus Herardus Turonenſium archiepiſcopus generali ſynodo in Turonica civitate habita, quædam neceſſaria ſanctorum canonum capitula excerpſit, quæ firmius cuſtodienda ſanxit* XVII. *Kalendas Junii.*

---

# CAPITULA A VUALTERIO

## Reverendo pontifice compresbyteris promulgata in ſynodo apud Bullenſem fundum II. Ordinationis ſuæ anno VIII. kal. Junii celebrata.

### OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Ab Hincmari, Iſaaci, atque Herardi capitulis, canonibuſque alienum non eſt Vualterii Aurelianenſis epiſcopi opuſculum quod R. P. Ludovicus Cellotius S. J. ex mſ. codice Rivipollenſi exſcripſit, edidítque poſt concilium Duziacenſe I. atque eruditis notis illuſtravit. Nam ſi tempus & ſæculum ſpectes illis æquale eſt: ſi epiſcopalis officii & eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudium pæne idem. *Neque dubito*, inquit Cellotius, *ſi notum habuiſſet Sirmondus, quin illud in conciliis Galliæ Hincmaro & Iſaaco Lingonenſi adjunxiſſet.* Nos ne quod pereat eccleſiaſticæ antiquitatis monumentum, illud Heraldi Turonenſis capitulis hoc loco ſubjungemus.

Caput I. *Quomodo archidiaconi presbyteros diſcutiant.*

Hincm. Capit. dat. Decanis.

UT archidiaconi per ſibi commiſſas parochias, diligenter ¹ diſcutiant presbyterorum fidem, baptiſma, & miſſarum celebrationem: quatenus rectam fidem teneant; baptiſma catholicum obſervent; & miſſarum preces bene intelligant: Pſalmos digne ſecundum diviſiones verſuum modulentur; ² & dominicam orationem cum ſymbolo & fide catholica ipſi intelligant, & omnibus bene pronunciare diebus feriatis inſinuent ad intelligendum: ut ſciat unuſquiſque quid petat ad dominum. Et ut Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ³ & Credo in unum Deum, apud omnes ad miſſam decantetur. Et ut ipſe ſacerdos cum ſanctis angelis & populo Dei una voce Sanctus, Sanctus, Sanctus ad miſſam decantet. Et omnimodis dicendum eſt presbyteris ⁴ ut arma non portent; ſed magis ſe confidant in defenſione Dei quam in armis.

Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἅμα εἰπέτω Ἅγιος, Ἅγιος, Ἅγιος, Κύριος Σαβαώθ. Conſtit. Apoſtol. l. 9. c. 12. Capit. Car. M. l. 5. c. 212.

II. *Quomodo per archidiaconos vita & doctrina presbyterorum cardinalium inveſtigetur.*

UT per archidiaconos ⁵ vita, intellectus, & doctrina cardinalium presbyterorum inveſtigetur. Vita ſcilicet modeſtiæ, & ſobrietatis, ac ſtudium religioſæ converſationis in cunctis eorum actibus. Intellectus vero, quomodo ſit idoneus unuſquiſque ſuos fratres in fide ſanctæ Tri- C nitatis erudire: ut credant Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum unum eſſe Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem, qui creavit cælum, & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt: & unam eſſe Deitatem, & ſubſtantiam, & majeſtatem in tribus perſonis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et quemadmodum Filius Dei incarnatus eſt de Spiritu ſancto, & Maria ſemper virgine pro ſalute, & reparatione humani generis: Paſſus, ſepultus, & tertia die reſurrexit, & aſcendit in cælos: & quomodo iterum venturus ſit in majeſtate divina judicare vivos ac mortuos, ſecundum merita propria. Et quia una erit reſurrectio mortuorum; & quod impii propter ſcelera ſua cum diabolo in ignem æternum mittantur: & juſti cum D Chriſto & ſanctis angelis in vitam æternam. In doctrina vero, qualiter eos qui tardiores ſunt, de fide, ſpe, caritate, ceteriſque virtutibus verbo & probabili exemplo eos qui indigent, poſſit inſtruere, ſecundum evangelicam & apoſtolicam, atque canonicam inſtructionem, qualiter indeclinabiliter vivant, & a quibus vitiis eos oporteat abſtinere, ne cum diabolo in æternam damnationem demergantur.

Capit. Car. M. l. 6. c. 135. & 173.

E

III. *De mulierum converſatione presbyteris vitanda.*

⁶ UT juxta ſanctorum interdicta patrum nullus ſacerdotum quamlibet ſexus muliebris in domo ſua cohabitare permittat: neque ſi-

Obſerv. Nicæn. can. 3. Theodulph. epiſt. ad cler. c. 12.

ne

ne arbitris, vel teſtibus idoneis cum aliqua ſo- A lus loqui præſumat: ne forte ſibi, aut alicui famulorum derogationis ſuſpicio oriatur.

IV. *Ut presbyter omnia munda habeat.*

Theodulph. epiſt. ad cler. c. 4.

UT unuſquiſque presbyter, ſicut munditiam animæ & corporis habere ſalubriter admonetur, [7] ita quibus Deo miniſtrandum eſt indumenta, & altaris ornamenta, [8] abſidamque circa altare, vel potius, immo totam ædem ubi ſacramenta tractantur: & ubi ſanctorum ſemper eſt præſentia angelorum, nitidiſſime & reverenter cuſtodienda prævideant: ne forte cum miſſi e latere noſtro una cum archidiacono illuc venerint, B aliquid reprehenſibile inveniant, unde ſeverius fraternitatem cujuſpiam redarguere compellamur.

V. *Ut vaſa ſacra non dentur in pignus.*

Capit. Car. M. l. 1. c. 94. Herard. capit. 20.

[9] UT nullus ſacrum vas, aut aliquid Deo ſacratum loco pignoris dare præſumat: niſi cauſa redimendorum captivorum, aut in reſtauratione ſarta tectorum eccleſiæ. Et hoc ipſum ne fiat niſi per licentiam epiſcopi. Et ut res eccleſiæ quæ a fidelibus ſunt oblatæ, nullus diſtrahere præſumat.

VI. *Ut unuſquiſque presbyter clericum & ſcholam habeat.* C

Hincm. capit. an. 874. c. 5.

[10] UT unuſquiſque presbyter ſuum habeat clericum, quem religioſe educare procuret. & ſi poſſibilitas illi eſt, ſcholam in eccleſia ſua habere non negligat: ſolerterque caveat, ut quos ad erudiendum ſuſcipit, caſte ſinceriterque nutriat.

VII. *De libris eccleſiaſticis, & de euchariſtia ſemper habenda.*

UT libros eccleſiaſticos, miſſalem videlicet, evangelium, lectionarium, pſalterium, antiphonarium, martyrologium, & homeliarium, per quos ſe & alios informare debent, habeant: D Et per libros bene correctos emendent, ne opus Dei cum deſidia facere videantur. Ut unuſquiſque capitula de majoribus vel minoribus vitiis, ſeu etiam virtutibus, * perquæ cognoſcere poſſit, vel prædicare ſubditis ſuis ut caveant ab inſidiis diaboli. [11] Et ut ſemper euchariſtiam presbyter habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, aut parvulus ægrotaverit, ſtatim eum communicet, ne ſine viatico moriatur.

Ut libri canonici veraci habeantur. Capit. Car. M. l. 6. c. 227. Capit. Car. M. l. 1. c. 161.

VIII. *De hoſpitalitate exercenda.*

Capit. Car. M. l. 5. c. 221. Theodulph. epiſt. ad cler. c. 25. Matt. c. 25. Hebræor. c. 13.

VT hoſpitalitatem in invicem, & in omnes alacriter exerceant: quia ipſe dominus dicturus erit in remuneratione magni diei, *Hoſpes* E *eram, & collegiſtis me*. Apoſtolus inquit hoſpitalitatem laudans, *Per hanc quidam placuerunt Deo, angelis hoſpitio ſuſceptis*. Quod ſi quis presbyter pro paupertate hoſpitalitatem dicit viantibus exhibere non poſſe, ſaltem in domo ſua eum libenter recipiat, ſalvamentum, focum, aquam, ſtramen ad lectum ei præſtet, & ad emendum quæ ei neceſſaria ſunt, ei quærere adjuvet. Nam ipſa veritas per ſe loquens, ait: *Si quis dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.*

*Tectum quo ab injuriis aeris ſalvi ſint.* Matt. c. 10.

IX. *Ut presbyteri dotem habeant.*

UT presbyteri qui necdum dotem, juxta quod in capitularibus domini ac ſenioris noſtri, Caroli videlicet glorioſiſſimi regis, nec non & avi, & patris illius capitulo LXXXV. continetur, ad ſuas eccleſias conſequuti ſunt, ad nos referant; & divino adjutorio noſtroque conſilio a ſenioribus ſuis impetrent: & ſi aliquid amplius habuerint, debitum ſervitium ſuis ſenioribus impendant.

X. *De curis ſæcularibus vitandis, & uſura.*

B VT presbyteri ſive diaconi fidejuſſionibus, & venationibus non deſerviant, neque conductores exiſtant, nec uſuras exerceant, aut fieri permittant. Uſura etenim eſt ubi amplius requiritur quam datur. Verbi gratia, ſi dederis x. ſolidos, & amplius requiſieris: vel ſi dederis modium vini, frumenti, & iterum ſuper alium * exigeris.

Capit. Car. M. l. 2. c. 37. l. 5. c. 107. 112. & alibi. Ibid. l. 1. c. 125. & 130. * exegeris.

XI. *De juramentis vetandis.*

[12] VT plebibus ſuis denuncient ne juramentis aſſueſcant.

XII. *De vitandis excommunicatis & facinoroſis.*

VT nemo cum excommunicatis & prædonibus manifeſtis, ſive raptoribus ſeu homicidis & ſacrilegis communicet, nec miſſam cantet, nec Ave in via * ei dicat: ſepulturam non præbeat, nec ullo modo, niſi corrigendi cauſa cum eis loquatur. Et omnibus in ſuis parochiis morantibus diebus dominicis ad miſſam pronuncient, ne talibus ſe conjungant. Si quis aliter fecerit, ſciat ſe damnatum, niſi pœnitentia interveniente, ab omnibus conciliis canonice inſtitutis: nec non & a CCCXVIII. pontificibus in Nicæna ſynodo Spiritu ſancto præordinante congregatis. Nam & de his Paulus, vas electionis, proteſtatur dicens, *Quia rapaces regnum Dei non poſſidebunt*. Joannes quoque apoſtolus de hoc ipſo loquitur, *Quia qui dixerit ei Ave, communicat operibus ejus malignis*. Scimus enim quia nulla pars Chriſto cum Belial: quia unuſquiſque cujus opera agit, ejus filius appellatur.

Capit. Car. M. l. 5. c. 25. 42. &c. * Have iis ſ. l. eis. Concil. Nicæn. can. 5. 1. Cor. 6. Joan. ep. 2.

XIII. *De obſervatione jejuniorum.*

[13] VT jejunia a paſtoribus injuncta diligenter obſervent, ne, quod abſit, propter inobedientiam culpabiles inveniantur.

Capit. Car. M. l. 7. c. 58. & l. 6. c. 183. 184.

XIV. *De operibus miſericordiæ exercendis.*

E VT operibus miſericordiæ, hoc eſt, eleemoſynis & orationibus ſubditos adſueſcere doceant: quoniam his duabus alis propitiatio Dei obtinetur.

Theodulph. epiſt. ad cler. c. 31.

XV. *De opere ſervili diebus dominicis prohibendo.*

NE mercata diebus dominicis, aut carrigationes fieri permittant: ſed a veſpera uſque ad veſperam reſurrectio domini honoretur.

Capit. Car. M. l. 1. c. 15. l. 6. c. 186. Theodulph. cit. c. 24. Herard. c. 3.





XVI. *De tabernis & ſcurrilitatibus fugiendis.*

Capit. Car. M. l. 1. c. 14. ex concil. Laodic. can. 24. & Carth. III. can. 27.

VT presbyteri, vel reliqui ordinis eccleſiaſtici in tabernis non bibant, nec ſcurrilitatibus cachinnum moventibus conſueſcant: ſcientes quod de omni verbo otioſo rationem reddent, hi maxime quorum ſermo omni tempore ſale debet eſſe conditus: ut verbo & opere exemplo ſint, & forma cunctis cernentibus, præſtentque gratiam audientibus.

XVII. *Quomodo in conſortiis & conviviis gerere ſe debeant.*

Hincm. Capit. an. 852. c. 14. Herard. c. 108.

[14] VT quando ad conventum, quod ipſi conſortia appellant, veniunt, religioſe B equitent: juniores prioribus fratribus debitum honorem impendant. Si quando autem in cujuslibet anniverſario ad prandium presbyteri invitantur, cum omni pudicitia & ſobrietate a procaci loquacitate & ruſticis cantilenis caveant. Nec ſaltatrices in modum filiæ Herodiadis coram ſe turpes facere ludos permittant. Sed in unum convenientes, ſicut reliquos cibi & potus miniſtros, ita lectorem ſanctæ ædificationis conſtituant: quatinus ſacerdotalem reverentiam laudabili maturitate exhibeant, & in eorum ſanctis moribus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum.

XVIII. *De ſanctorum feſtivitatibus indicendis & obſervandis.* C

Capit. Car. M. l. 2. c. 164. l. 2. c. 35. l. 6. c. 186. *Denuncient, & cognitas faciant.*

[15] VT celebres ſanctorum feſtivitates ſolenni cultu obſervent, & obſervandas ſuis plebibus antea cognitent. Hoc eſt, natale domini, B. Stephani, S. Joannis evangeliſtæ, innocentium, octavas domini, epiphania, nativitatem S. Mariæ, purificationem S. Mariæ, aſſumptionem S. Mariæ, ſabbato ſancto, paſchæ dies VIII. letania majore, aſcenſio domini, pentecoſten, S. Joannis baptiſtæ, S. Petri, S. Pauli, S. Martini, S. Andreæ. Noſtrorum præterea patrum, quorum piis apud dominum patrociniis vicinis juvamur, B. Evurtii de tranſitu, D B. Aniani de tranſitu, B. Benedicti, B. Maximini, B. Liſardi ſimiliter de tranſitu; de inventione ſalutiferæ crucis, de exaltatione ejuſdem vivificæ crucis.

XIX. *Quod convenientes ad ſynodum litigare non debeant.*

Conc. Nic. can. Arab. 7. Antioch. can. 20.

VT quando ad ſynodum bis in anno, ſicut ſacri canones imprævaricabiliter docent, convocantur, ſæculares querelas & altercationes debitorum ita coram prioribus fratribus, aut coram archidiaconibus ſuis ſopitas & rationabiliter diffinitas habeant: quatinus tunc non litigia, aut quaſi forenſes querimoniæ accuſantium & defen- E dentium actitentur: ſed ſolummodo quæ ad ſacrum miniſterium pertinent eo tempore tractentur, ut aut diſcamus aliquid, aut doceamus in alterutrum.

XX. *De ritibus ſacramentorum, & gradibus eccleſiaſticis memoriter diſcendis, & coram epiſcopo recitandis.*

VT ſinguli ſacerdotum ſacramenta quæ circa initiandum baptiſmate Chriſtianum agenda ſunt, & quæ ad viſitandum & reconciliandum infirmum pertinent: & quæ defunctorum exe-



A quiis impendenda ſunt, & canones [16] memoriter coram nobis recitare, & exponere valeant. Gradus quoque eccleſiaſticos ſimiliter memoriæ commendatos habeant. Et unde unicuique gradui in veteri teſtamento origo fuerit, & quomodo novum in idipſum concordet; & quemadmodum ſalvator eoſdem gradus in ſe compleverit, ſano intellectu, noverint explanare.

XXI. *Ut alumnos nonniſi dignos ad gradus offerant.*

VT quoſcumque presbyteri de ſuis alumnis in quolibet gradu promovendos obtulerint, ſicut probabilis illorum vitæ teſtes idonei eſſe debent, ita in ſupraſcriptorum tenore ſacramento- B rum & graduum edoctos exhibeant, quatinus & memoriter ea tenere, & intellectuoſe ſciant explanare.

XXII. *De computo diſcendo.*

[17] VT omnes presbyteri calculandi peritiam habeant, & ſuos in idipſum ſtudioſe erudiant.

Capit. Car. M. l. 6. c. 126.

XXIII. *Ut canones non ignorent.*

[18] SAcros præterea canones nulli ſacerdotum ignorare permittitur, nec quicquam facere quod patrum regulis poſſit eſſe contrarium.

Capit. Car. M. l. 1. c. 55.

C XXIV. *Ut contra canones nihil agatur.*

VT nullus contra canonum ſtatuta quicquam agere permittatur: quoniam ſicut in decretalibus Zoſimi papæ capitulo habetur ſecundo, *Si quis interdicta deſpexerit, gradus ſui periculo ſubjacebit.*

Zoſim. ep. 1.

Itaque, beatiſſimi patres, & cariſſimi filii, in omnibus vigilanter, auxiliante divina gratia, cavete ne per iſtorum ſeriem capitulorum aliquam reprehenſionis noxam incurratis, qua interdicti laqueo, quod abſit, impediamini.

D LUDOVICI CELOTII

IN WALTERII AURELIANENSIS CAPITULA

# NOTÆ.

*De Vualterio epiſcopo Aurelian.*

HOrum capitulorum auctor Vualterus, ſive Gualterus Aurelianenſis epiſcopus, in concilio noſtro Duziacenſi cum ceteris judex ſedit, & ſententiam dixit adverſus Laudunenſem Hincmarum, ſubſcriptuſque in eo legitur *Vualterus humilis Aurelianorum epiſcopus:* quemadmodum poſtea in Pontigonenſi, *Vualterus humilis Aurelianenſis eccleſiæ epiſcopus.* Unde viri optimi modeſtiam, & ex modeſtia ceterarum virtutum cumulum intelligimus. Ex hac autem ſynodo paſtoralem ſolicitudinem, & eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervationem habemus, qua majorem nec Hincmarus ipſe, nec Iſaac Lingonenſis Parduli olim diaconus eodem argumento poſteritati tranſmi- E ſerunt: ut ex his capitulis patet, quæ cum aliis aut committi aut conjungi, tibi lector, ſpero injucundum non fore. Quibus etiam Theodulphum adjicimus & ipſum Aurelianenſem, cujus epiſtolam ad clerum eccleſiæ ſuæ ſcriptam ex editore Baronio ſuos in annales Carolus Sauſſejus tranſtulit. Quamquam ſuo antea loco non defuerat Sirmondus.

Car. Sauſſ. annal. eccl. Aurel. l. 6. Sirm. tom. 2. concil. Gall.

*De tempore ejus ſedis, & hujus ſynodi.*

Ad tempus collectæ diœceſanæ hujus ſynodi, & latorum capitulorum quod attinet, nihil certum poſſumus edicere, deficiente in titulo & dominicæ incarnationis, & indictionis nota, quam religioſe ætas illa ſignavit. *Secundo*, inquit, *ordinationis ſuæ anno*. De primo quid divinabimus? Agius quem horum temporum frequentiſſima concilia fecerunt celebrem, non ultra Sueſſionenſe III. ſubſcriptus reperitur anno 866. Illi ſucceſſit in Aurelianenſi throno Anſelmus, ſolo nomine notus, in nullo con-

cilio, ne Tricaſſino quidem anno 867. repertus, quamdiu ſederit, penitus obſcurum eſt. Qui octo annos ſedis aſſignant, & uſque ad annum ejus ſæculi 76. extendunt: qui Vvalterum anno 885. aſſignant, ſi de ſedis initio volunt intelligi, extra lineam currunt: & utrique ex concilio noſtro Duziacenſi manifeſte refelluntur, in quo Vvalterius ſententiam dixit. Itaque ſi juſtis terminis Anſelmi ſedem circumſcribere volumus, ad inveſtigandum Vvalterii exordium, faciamus anno ſæculi ejus 67. ipſum ad pontificatum adiiſſe, anno ſaltem 69. deſiiſſe debuerit. Ut cum Vvalterius 70. inchoet, & ſequente in Duziacenſi concilio ſedeat. Jam quo Chriſti anno capitula hæc ediderit, pronuntiare facile eſt. *Anno ſecundo ordinationis ſuæ*, ait titulus: ergo anno Chriſti 71. ante celebrationem concilii Duziacenſis, quæ menſe Auguſto facta, non ægre Aurelianenſi epiſcopo ſpatium conceſſit convocandæ ſynodi diœceſanæ menſe Maio. Et hæc ex conjectura, donec certius aliquid de Anſelmi obitu doceat hiſtoria.

Tom. 7. concil. Gall. p. 623.

1. *Diſcutiant presbyterorum fidem.*) Non multum diſcedit hoc capitulum ab Hincmariano item primo, atque univerſe quid archidiaconi a presbyteris exigere debeant, & epiſcopo renunciare ſingulis annis quando parochias obeunt viſitando, Hincmarus idem articulis 20. complectitur. Vult præterea ut *ſermonem Athanaſii de fide*, cujus *initium eſt*, *Quicumque vult ſalvus eſſe*, *memoriæ quiſque commendet, & ſenſum illius intelligat, & verbis communibus enunciare queat.* Herardus Turonenſis idem præcipit in capitulis, eaque omnia non tantum a presbyteris, ſed etiam ab ipſo populo memoria teneri cupit, & cani publice. *De oratione dominica & ſymbolo, ut memoriter teneant, & Gloria Patri, ac Sanctus, atque credulitas, & Kyrie eleiſon a cunctis reverenter canatur. Pſalmi ſimiliter diſtincte a clericis.* Quæ ſit illa credulitas, ſi diſtinguitur a ſymbolo apoſtolorum, dici non poteſt alia, meo judicio, quam ſymbolum Athanaſii.

Herard. capit. 16. tom. 3. conc. Gall. p. 123.

2. *Orationem dominicam cum ſymbolo.*) Apoſtolorum videlicet, non eo de quo mox in miſſa recitando. De quo & in capitulari Caroli magni præcipitur, *Ut annuntient presbyteri omnibus fidelibus ſibi ſubjectis ſymbolum & orationem dominicam, ut Spiritu ſancto illuſtrante ſalventur.* Et mox ut nemini liceat infantes de ſacro fonte ſuſcipere, niſi qui *memoriter ſymbolum & orationem dominicam tenuerint*: Quod ad eorum explicationem pertinet populo tradendam, vult idem capitulare, *Ut nullus ſit presbyter qui in eccleſia publice non doceat lingua.* Vide & Theodulphi Aurelianenſis epiſtolam eadem omnia ſuadentem.

Oratio dominica & ſymbolum memoriter teneatur. Capit. Car. M. l. 6. c. 175. Ibid. c. 172. Theod. ep. ad cler. c. 22.

3. *Et credo in Deum, apud omnes ad miſſam decantetur.*] Eſt enim æquum, ut ad myſterium fidei conficiendum & percipiendum publica fidei profeſſione animos noſtros comparemus. Ita Chriſtus dominus beneficium ſanitatis rogantes ſæpe ad fidei exercitium provocavit, ut in muliere Chananæa, in centurione, in Lazari ſororibus videre eſt, & in patre pueri lunatici, exclamante, *Credo domine, adjuva incredulitatem meam.* Ceterum de ſymboli recitatione, ut nova, & nondum apud omnes uſu corroborata præcipit auctor capitulorum, quam tamen Vvalafridus Strabo videtur ut antiquiſſimam agnoſcere, & a Græcis ad Romanos, ac deinde ad Hiſpanos profectam: apud Gallos autem & Germanos, Caroli magni tempore, damnata per Hiſpanias Felicis Urgelitani hæreſi, idem ſymbolum *latius & crebrius in miſſarum cœpiſſe officiis iterari.* Antea igitur aliquibus ſaltem in locis, licet rarius, uſurpabatur. Græcos denique Conſtantinopolitanos, concilii ſui ſymbolum, Nicæno prætuliſſe, quia & aptius eſt ad modulationem, & *ut contra hæreticorum venena, in ipſis etiam ſacramentorum celebrationibus medicamenta apud regiæ ſuæ urbis ſedem confecta fidelium devotio celebraret.* Verum Berno Augienſis in cauſa ejus canendi cum eo convenit, in tempore longe diſcedit, cum narrat abſque ulla Græcorum mentione, Benedicti III. tempore ab Henrico I. imperatore interrogatos Romanos clericos, cur a ſymbolo inter miſſarum ſolennia recitando abſtinerent? reſpondiſſe, *Quod Romana eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fæce infecta, ſed ſecundum ſancti Petri doctrinam, in ſoliditate catholicæ fidei permaneret inconcuſſa: & ideo magis his neceſſarium eſſe, illud ſymbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerunt maculari.* Quibus auditis inſtitit, atque impetravit a Benedicto pontifice imperator, ut in poſterum Romæ ſymbolum ad publicam miſſam decantaretur. Id factum eſt anno Chriſti 1014. Henrico a coronatione ſua adhuc recente.

De ſymboli recitatione ad miſſam.

Marc. 9.

Vvalfr. Strab. l. de reb. eccleſ. c. 22.

Bernol. de quibuſd. reb. ad miſſ. pertinentibus c. 2.

Itaque cum ex illis auctoribus exploratam habeamus ejus moris cauſam, non ſine ingenti Romanæ eccleſiæ principis & magiſtræ eccleſiarum omnium gloria, quam per Liberium & Honorium obſcurare conantur hæretici, tempus illius inſtitutionis, aut potius celeberrimæ frequentationis in eccleſia Gallicana ſumendum videtur ex eo congreſſu legatorum cum Leone III. pontifice, quos Carolus magnus Romam ad eum miſit, refertque a Baronio: cujus ſumma hæc eſt, toleratam fuiſſe ab ipſo Leone poteſtatem canendi apud Gallias ſymboli, at non addendæ in eo vocis *Filioque*, quæ contentionem crearet. Quamobrem dediſſe conſilium, *Ut paulatim in palatio*, inquit, *quia in noſtra ſancta eccleſia non cantatur, cantandi conſuetudo ejuſdem ſymboli intermittatur: ſicque fiat ut quod id ipſum ut cantaretur, non qualibet imperantis auctoritas, ſed potius audiendi id fecerat novitas, ſi dimittatur a vobis, dimittetur ab omnibus.* Addunt annales non tantum eam ſymboli recitationem non fuiſſe tunc a papa probatam, ſed etiam publica ejus Græce & Latine in æs inciſi teſtificatione monſtratum, non placere ſibi quatuor ſyllabarum additionem, ut intelligamus jam tum retinentiſſimam antiquitatis fuiſſe Romanam eccleſiam, nationem vero noſtram novitatis amantiſſimam. Tam parum enim perſuaſit noſtris hominibus Leo quod optabat, omitti ſymbolum, ut potius clariſſimi antiſtites illud ubique ab omnibus cantari juſſerint: eventu quidem feliciſſimo & glorioſiſſimo, cum utrumque ſecuta deinde ſit & Romana & univerſalis eccleſia, ut & ſymbolum decantetur ad miſſam, & particula *Filioque* addatur, de qua in concilio Florentino multa diſputantur: ſed facendum eſt periculoſam ſemper eſſe novitatem, & non raro in ea inducenda peccari.

Quo tempore cani inceptit.

Baron. ad ann. 809. tom. 9.

4. *Ut arma non portent.*] *Nos enim qui reliquimus ſæculum* (ut ait Moguntinum concilium) *id modis omnibus obſervare volumus, ut arma ſpiritalia habeamus, ſæcularia dimittamus.* Militares igitur animos qui bellis aſſiduis undique circumſtrepentibus in clerum irruperant, epiſcopi neceſſe habuerunt infringere, & ex clericorum omnium manibus arma excutere, ut factum Meldenſi concilio, cui Hincmarus recens ad epiſcopatum evectus interfuit, quo decretum eſt, *Ut quicumque ex clero eſſe videntur, arma militaria non ſumant, nec armati incedant: ſed profeſſionis ſuæ vocabulum religioſis moribus, & religioſo habitu præbeant. Quod ſi contempſerint, tamquam ſacrorum canonum contemptores, & eccleſiaſticæ ſanctitatis profanatores, proprii gradus amiſſione mulctentur: quia non poſſunt ſimul Deo & ſæculo militare.* Quapropter ſevere interdictum, ne in ſeditione arma ſumant. *Ut clerici qui in quacumque ſeditione arma volentes præſumpſerint, reperti amiſſo ordinis ſui gradu in monaſterio pœnitentiæ contradantur.* Et quoniam per ea tempora epiſcopis & presbyteris initio non erat prælio interdictum, notabile eſt laicos ipſos & milites ſupplicare imperatori Ludovico, *ut epiſcopi deinceps, ſicut hactenus, non vexentur hoſtibus, ſed quando vos noſque in hoſtem pergimus ipſi propriis reſideant in parochiis, Deoque fideliter famulari ſtudeant. Quoſdam enim ex eis in hoſtibus & præliis vulneratos vidimus, & quoſdam periiſſe cognovimus. Nobis domine quando eos in talibus videmus, terror apprehendit nos, & quidam ex noſtris timore perterriti propter hoc fugere, & inimicis terga vertere ſolent*, &c. *Quam formam & de ſacerdotibus tenere optamus, id eſt, ut nec illi in hoſtem *, niſi benedicti, & ipſi electione atque permiſſione propriorum epiſcoporum, qui tamen tales ſint, de quorum ſcientia & vita ac converſatione omnes ſecuri eſſe poſſimus.* Vetat igitur Vvalterius ne quiſ clericus tutelæ ſuæ prætextu arma ferat, quibus alteri nocere poſſit.

Arma clericis prohibita.

Concil. Mogunt. c. 17.

Concil. Meldenſe can. 37.

Capit. Car. M. l. 6. c. 248.

Ibid. c. 285.

* deeſt pergant.

5. *Vita, intellectus, & doctrina cardinalium presbyterorum inveſtigetur.*] Cardinales presbyteri, ſunt addicti & incardinati eccleſiis, in quibus moventur quidem ut omnibus provideant: ſed ita tamen ut ab illis non moveantur. Et quia cardo rerum omnium præcipua pars dicitur, præcipui & primarii earum eccleſiarum presbyteri ſunt, quos parochos ſive curatos appellamus. In eorum vitam ſive mores, & intellectum, atque doctrinam vult epiſcopus diligenter inquiri. Hæc duo quemadmodum recte diſtinguat, equidem non video. Nam quod dici poteſt, intellectus ad propriam ſcientiam pertinere, quam peritus ſit, quam catholice myſteria fidei mente complectatur: doctrina vero, ad erudiendam plebem, quam facile, quam illuminate & aperte animi ſui ſenſa inter concionandum explicet; refellitur ex eo, quod in utroque capite popularem inſtitutionem requirat. Si tamen capituli verba diligenter attendimus, intellectum, ſpeculationi dabimus & fidei myſteriis: doctrinam, virtutum praxi: quæ utræque partes ad docendum populum ſunt neceſſariæ: ut bene credendo, & agendo Chriſtiani nomen quod præfert, expleat. Quæ licet impropria ſit verborum ſignificatio, non eſt tamen in corrupta Latinitate cur meliorem requiramus.

Presbyteri cardinales.

Intellectus & doctrina quomodo hic diſtinguantur.

Tria igitur in intellectu parochi indagabit archidiaconus, ut peritus ſit, quod habet a libris & ſtudio: ut bene de catholicis myſteriis ſentiat, quod a vera theologia accipit: ut quæ bene ſentit intelligenter diſerteque enunciet, cujus facultatis potiſſimam matrem naturam agnoſcimus. In paucis presbyteris fuiſſe primum ut credamus, facit illa, ſi ſic loqui fas eſt, religionis per ea tempora barbaries, librorum penuria, bellorum aſſiduæ clades, armorum circumſtrepentium tumultus: quæ omnia nemo non videt quam ſint litterarum ſtudiis inimica. In ſecundo, peccarunt graviſſime Colluthus & Arius apud Alexandriam privatarum eccleſiarum rectores, qui præfecturæ ſuæ abuſi poteſtate, parochianos ſuos primum ſchiſmate ab invicem, deinde hæreſibus ab eccleſia diviſerunt. Et Colluthiana quidem factio in ipſis pæne incunabulis oppreſſa parum nocuit. Arius autem pertinacior & furioſior, externa modeſtiæ ſpecie, pellaci affabilitate, emendita benignitate ſacras primum virgines magno numero, tum ſacerdotes duodecim, ſuis dementavit erroribus: demum ad epiſcopos ipſos penetrans, totam peſſumdedit eccleſiam, quæ omnia fuſius narrat Epiphanius. Tertium ſine dubio iis defuit de quibus Caroli magni capitulare ſic decernit. *Nullus ſit presbyter qui in eccleſia publice non doceat lingua quam auditores intelligant, fidem omnipotentis Dei in unitate & trinitate ſimpliciter credere. Si vero ipſe verbis manifeſte explicare non poterit, petat ſibi ea a doctiore taliter tranſcribi, qualiter aperte legat, quod qui audiunt intelligant: & qui amplius non poterit, vel his verbis admoneat. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* O ſtupendam ſæculi imperitiam! ac niſi tum diſciplinarum ſtudia in clauſtris conſervaſſent monachi, atque illuſtres doctrina epiſcopos urbibus & provinciis dediſſent, qualem habuiſſent majores noſtri eccleſiam?

Quæ tria in eis requirit.

Epiphan. hæreſ. 69.

Capit. Car. M. l. 6. c. 182.

Doctrina praecipue qualis [illegible]

Doctrina, qualem vult hic auctor, præcipuum habet in moribus & vita fundamentum. Nemo enim virtutem alios bene umquam docebit, qui prior eam non exerceat: & *cardiores* bubulci & agaſones ad quorum animos verba auribus commiſſa non penetrant, oculis non ægre percipiunt faciendum eſſe, quod fit a prælatis. Qui proinde tenentur paſtorem & epiſcopum animarum noſtrarum imitari, qui *cœpit facere* primum, tum *docere*. Hoc pervidit Herardus Turonenſis, qui omiſſa ſcientia quam in presbyteris alii deſiderant, in vera vitæ ſanctitate pedem figit, *Ut presbyteri ſicut ordine ſanctiores; ita verbo, inceſſu, & actu ſint reverentiores: quia celſitudo graduum graviorem peccati facit cumulum.*

Herard. cap. 107.

6 *Ut juxta ſanctorum patrum interdicta.*) Putidæ fuerit diligentiæ interdicta illa conquirere, & in faſcem unum colligere, cum numero ſint infinita, & in pervolutandis conciliis quocumque te verteris occurrant canones indebitum feminarum acceſſum presbyteris prohibentes. Non revoco *ſuneiſaktous* illas tantopere primis temporibus a concilio Nicæno, ab Auguſtino, Hieronymo, Gregorio, innumeris aliis improbatas. Taceo relictarum poſt ſuſceptos ordines conjugum periculoſam converſationem, cujus exemplum illuſtre dedit Genebaudus Laudunenſis, *vir carne nobilis, tamque ſacris quam ſæcularibus litteris eruditus*, qui, ut præclare narrat Flodoardus, *de emendata vita nimium graduſque ſublimitate confidens, ab uxore quam reliquerat, incaute, quaſi pro inſtruenda ea viſitari ſe permiſit: Sed contigit ut frequentes mulieris viſitationes blandaque colloquia, durum validumque contra libidinem pectus emollirent epiſcopi, & quaſi rupem de loco ſanctitatis ad cœnum transferrent luxuriæ.* Hæreo in noſtris. Capitulare Caroli Magni admonet; *Statutum eſſe ab epiſcopis, de presbyteris qui feminas ſecum indiſcrete habitare permittunt, ut ſi admoniti non ſe correxerint, velut contemptores ſacrorum canonum canonica invectione feriantur. De acceſſu & frequentatione, ac cohabitatione clericorum cum feminis*, ait Hincmarus noſter, *Unde ſecundum ſacros canones in omnibus ſynodis ſpecialiter interdiximus, firmiter & expreſſe atque ſolicite a nobis & a comminiſtris noſtris eſt inquirendum.* Quam in rem non pauca ſubjungit more ſuo. Et alio in capitulari poſtea queritur ea monita nihil a parochis fieri. *Jam vobis capitulum ex ſanctis ſcripturis & catholicorum dictis donavi, de inconvenienti acceſſu, & indebita familiaritate ad feminas. Sed video quoſdam veſtrum illud parvi pendere: unde iterum in conventu noſtro volo recitari.* Et quæ ſequuntur. Herardus Turonenſis brevius. *Ut converſationem feminarum, earumque acceſſum & adminiſtrationem execrentur. Sin alias, velut contemptores canonum ab ordine deponantur. Et quibus miniſtrare neceſſaria decernunt, longe eis domos provideant, in quibus non per ſe, ſed per miniſtros ſubſidia porrigant.* Plura vide apud collectionem Antonii Auguſtini, & omnia in opere peculiari Theophili Raynaudi viri undecumque doctiſſimi, qui hoc argumentum religioſis æque ac ſæcularibus presbyteris neceſſarium, totum penituſque nuper exhauſit. Inſcribitur quippe, *Diſſertatio de ſobria alterius ſexus frequentatione, per ſacros & religioſos homines.*

S. Genebaudi lapſus.

Flodoard. l. 1. hiſt. c. 14.

Capit. Car. M. l. 1. c. 93.

Hincm. Capit. an. 852. c. 21.

Idem Capit. an. 874. c. 1.

Herard. capit. c. 19. Anton. Auguſt. l. 6. tit. 30. & ſeq. Theophil. Raynaud. l. de ſobria frequentat. &c.

7 *Ita quibus Deo miniſtrandum eſt, indumenta.*) Hoc ad decorem domus Dei tanti facit Hincmarus, ut in parochorum per decanos interrogatione duos ea de re formet articulos. *Qualia ſint indumenta altaris, quot nova, & quot vetuſta, qualiter nitida.* Et mox, *Qualia aut quot ſacerdotalia veſtimenta habeat, & qualiter ſint nitida, aut in nitido loco collocentur.* Capitulare Caroli Magni eodem honoris divini amore jubet, *Ut presbyteri per parochias ſuas feminis prædicent, ut linteamina altaribus præparent.*

Sacra indumenta ſint nitida. Hincm. capit. viſitat. a 4. & 6. Capit. Car. M. l. 1. c. 152.



8 *Abſidamque circa altare.*) Apſidam melius ſive chorum eccleſiæ, ut modo vocamus, quo altare continetur & clauditur, vult eſſe quam mundiſſimum, tum quia in eo maxime ſacramenta tractantur, tum quia ſacramentis præſentes angeli ſemper aſſiſtunt. Tertiam rationem poſſumus addere, quia eo loco ſanctorum reliquiæ collocari ſolent. Sic enim apud Gregorium Turonenſem Tetricus Lingonenſis epiſcopus præceſſori ſuo S. Gregorio condendo *ante altare Baſilicæ fundamenta jacit, erectamque apſidem unico opere conſtruit & tranſvolvit. Ea vero tranſvoluta diruptoque pariete, arcum ædificat. Quod ipſi cum eſſet perfectum atque ornatum, poſtquam in media apſide locum fodit quo corpus beati patris transferre volebat*, &c. Apſis autem ſive apſida, dicitur a fornice & arcu, ſive quia in modum arcus erotundatur locus ille, ſive quia fornice deſuper contegi & concamerari ſolet. Neque alium credidi ſemper eſſe locum qui Conſtantinopoli Trullus vocatus eſt, ubi concilium illud famoſum celebratum in Trullo. Non eſt dubium quin fuerit erecta in apſide ſedes epiſcopi, ut etiamnum hodie in cathedralibus eccleſiis eminere ſolet: neque negari debet ad eam apſidem gradibus conſcenſum fuiſſe, ut *apſida gradata* bene nominetur ab Auguſtino; ſed probare non poſſum, quod eo Auguſtini loco ſic utuntur plerique, ut credant ipſam apſidem eſſe cathedram, cum utrumque manifeſte diſtinguat, ſcribens epiſcopo Donatiſtæ Maximino ad infringendam ſchiſmatici ſuperbiam, ex dignitate & ſæculari pompa profectam. *Tranſit honor hujus ſæculi, tranſit ambitio. In futuro Chriſti judicio, nec abſida gradata, nec cathedra velata, nec ſanctimonialium occurſantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defenſionem, ubi cœperit accuſare conſcientia, & conſcientiarum arbiter judicare.* Et alibi ad Albinam religioſam feminam de tumultu in ipſa eccleſia excitato, *Ad noſtra ſubſellia, relicta turba redieram.* Et mox. *Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in apſidem honoratiores & graviores aſcenderant.* Certe in cathedram epiſcopi non aſcenderant, ſed in locum ubi conſtituta erat, ut apſis cathedram contineat, neque niſi figurate pro cathedra ſumatur. Sic explicandus canon concilii Carthaginenſis. *Cujuſcumque pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt quod univerſa eccleſia noverit, ante abſidem ei manus imponatur.* Ut peccato publice noto publica reſpondeat ſatisfactio, non deſcendat ad pœnitentium locum epiſcopus, quaſi verecunde reconciliaturus, ſed ad epiſcopum reus aſcendat in apſidem eminentem, ibique ſpectantibus omnibus e cathedra ſua epiſcopus manum reconciliatoriam imponat.

Abſida quid ſit.

Greg. Turon. l. 10. c. 31.

Trullus.

Abſida gradata.

Auguſt. epiſt. 203.

Idem epiſt. 225.

Concil. Carth. III. can. 32.

9 *Ut nullus ſacrum vas.*] Sic Herardus Turonenſis. *De vaſis & veſtimentis eccleſiaſticis pro pignoribus abſque licentia epiſcopi non dandis, & datis recipiendis.* Idem vetat aliis verbis Hincmarus. *De ſacris miniſteriis ad vadium non dandis. Ut nullus presbyter præſumat calicem, vel patenam, aut pallam altaris, vel veſtimentum ſacerdotale, aut librum tabernario, vel negotiatori, vel cuilibet laico, vel feminæ in vadimonium dare.* Idque probat non licere a pari. Sacerdotem cum ſacris veſtibus ad profanum populi colloquium progredi vetatur: non poteſt per canones tabernas ingredi ad bibendum: Vaſa ſanctificata prohibetur dare immundis ad contingendum: quanto minus in vadimonium? Et hæc omnia ex capitulari Caroli Magni ducta pravam conſuetudinem corrigente. *Quæ tranſgreſſio*, inquit Ludovicus Pius, *& tempore genitoris noſtri, & noſtro, in conventibus epiſcoporum, ſecundum auctoritatem canonicam prohibita, ſed necdum ad correctionem plene eſt perducta.* Quid eſt igitur quod nonnulli hiſtorici ſcribunt a ſanctiſſimo regum noſtrorum e Syria in Franciam redeunte, relictam Saracenis hoſtibus ſacroſanctam hoſtiam in pignus? Scio id a Joinvillæo reticeri, negari præciſe ab aliis. Non deſunt tamen qui affirment in ejus facti memoriam vulgo in tabernis meritoriis per Palæſtinam pictam videri euchariſtiam, & ejus figuræ rationem quærentibus, Franci regis factum enarrari ab incolis. Quod in medio relinquimus.

Vaſa ſacra non oppignoranda. Herard. capit. 20. Hincm. capit. an. 852. c. 21.

Capit. Car. M. l. 1. c. 94. & l. 5. c. 172.

S. Ludovicus dicitur euchariſtiam dediſſe in pignus.

10 *Ut unuſquiſque presbyter ſuum habeat clericum.*] Vitæ ſocium, ſacrorum miniſtrum, ſcholæ Magiſtrum, ſucceſſorem futurum. Et hoc quærit vult a parocho Hincmarus. *Si habeat clericum, qui poſſit tenere ſcholam, aut legere epiſtolam, aut canere valeat, prout neceſſarium ſibi videbitur.* Ejuſmodi clericos, nutritos vocat alibi. *Si vos bene vivere tis, & veſtros nutritos in bona vita & in bona conſcientia nutriretis, non vobis eſſet neceſſe & veſtra perdere, & vos ipſos in damnationem mittere.* Nec minus Herardus ſcholas vult a presbyteris inſtitui. *Ut ſcholas presbyteri pro poſſe habeant, & libros emendatos.* Theodulphus autem gratuitas vult eſſe ſcholas ejuſmodi, ſummo cum caritate conjunctas. *Cum ergo eos docent, nihil pro hac re ab eis pretii exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis ſtudio ſua eis voluntate obtulerint.*

Presbyter habeat clericum. Hincm. capit. ad Decan. Nutriti qui. Idem capit. an. 874. Herard. capit. 17. Theodulph. epiſt. ad cler. c. 20.

11 *Et ſemper euchariſtiam presbyter habeat.*] Quanto ſtudio

Viaticum

*morientibus datum.*

dio curatum ſit ut nemo Chriſtianus, quantumlibet antea legitime abſentus, abſque viatico moreretur, & canones innumeri docent, & Hincmarus in concilio noſtro ſolenniter repræſentat. Eoque proceſſit Africanorum fidelium ſimplicitas, ut etiam mortuos euchariſtia donarent. Quod concilio Carthaginenſi vetatur. *Item placuit ut corporibus defunctorum euchariſtia non detur. Dictum eſt enim a domino, accipite & edite. Cadavera autem nec accipere poſſunt, nec edere.* Et quoniam in Græca ejus canonis tranſlatione dicitur τοῖς τῶν σωμάτων τελευτώντων εὐχαριστία μὴ δοθῇ, quæ vox morientes ſignificat, monet Balſamo, illa τὰς ἤδη τελευτήσαντας, οὐχὶ τὰς ἔσχατα πνέοντας intelligi oportere. Ob eam rem jubet Hincmarus parochum interrogari, *Si habeat pixidem ubi congrue poſſit recondi ſacra oblatio reſervanda ad viaticum infirmis.* Addit quoque loco eodem, quod notandum eſt, ut *ipſe presbyter infirmos communicet per ſe, & non per quemlibet; nec tradat communionem cuiquam laico, ad deferendum in domum ſuam cauſa cujuslibet infirmi.* Qua lege opus non eſſet, ſi contra vulgo non peccaretur. Quod tamen in vetere uſu eccleſiæ uſurpari ſemper non potuit. Serapion enim ille ſenex Alexandrinus apud Euſebium, imminente morte poſtulavit quidem ſibi ſacram euchariſtiam ab aliquo e presbyteris deferri, ſed oblatam accepit a puero.

Concil. Carth. III. can. 5. — Balſam. in hunc can. — Hincm. capitul. an. 852. — Euſeb. l. 6. hiſt. eccl. c. 36.

*De communione parvulorum.* — Auguſt. l. 1. de peccat. merit. & remiſſ. c. 24. — Capit. Car. M. l. 1. c. 161. — Cyprian. l. de lapſis. — Auguſt. epiſt. 23.

Quod autem non tantum infirmis, ſed etiam parvulis ægrotantibus vult porrigi euchariſtiam, ad opinionem S. Auguſtini videtur accedere, non minorem in euchariſtia, quam in baptiſmate neceſſitatem fidelibus omnibus ad ſalutem conſequendam collocantis; quam exiſtimat magnus doctor ex apoſtolica traditione eccleſiis inſitam eſſe. Immo communiter in Galliis receptam fuiſſe tum temporis docet capitulare Caroli Magni, unde ſumpſit Vualterius, jubens *Ut presbyter ſemper habeat euchariſtiam paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.* Quod univerſalis eccleſia nunquam recepit, licet infantem puellam Carthagine Chriſti corpori & ſanguini participaſſe narret ſanctus Cyprianus libro de lapſis, referatque Auguſtinus, abſque nota novitatis.

*Juramenta cavenda.* — Herard. capit. 12. — Capit. Car. M. l. 6. c. 2. — Ibid. l. 5. c. 8.

12 *Ut plebibus ſuis denuncient.*) Idem præcipere videtur quod Herardus Turonenſis, *Ut Chriſtiani a verbo otioſo, & a juramentis ſe caveant.* Ne temere jurent, ne cum perjurio. Quod tam frequenter inculcat Chryſoſtomus homiliis ſuis ad populum Antiochenum, neque tacet capitulare Caroli Magni, cum auctoritate ſacræ ſcripturæ vetat *aſſumi nomen domini Dei in vanum.* Sunt & in eodem capitulari alia juramenta vetita, hominibus videlicet, præterquam regi, &, ut vocant, ſenioribus. *De juramento, ut nulli alteri per ſacramentum fidelitas promittatur, niſi nobis, & unicuique proprio ſeniori ad noſtram utilitatem, & ſui ſenioris: exceptis his ſacramentis, quæ juſte ſecundum legem alteri ab altero debentur.* Subjiciuntur paulo poſt alia juramenta, quæ a teſtibus fiunt in judicio, quod capitulum refert Iſaac Lingonenſis, in quo vetatur omnino quemquam *niſi jejunum ad juramentum, vel ad teſtimonium admitti.* Idem jubet Herardus, *Ut teſtes jejuni jurent, ac prius de perjurio moneantur.* Immo & judices ipſos lex jubet eſſe jejunos, *Nec placitum comes habeat,* inquit capitulare, *niſi jejunus.* Theodulphus poſtquam perjurii ſcelus graviter amplificavit, reprehenſis presbyteris qui illud *parvipenderent, & levem quodammodo perjuris pœnitentiæ modum imponerent:* admonet & a falſo teſtimonio abſtinendum, *ſcientes & hoc graviſſimum ſcelus eſſe, quia ſumma ne dicam ſtultitia, ſed nequitia eſt, pro cupiditate argenti & auri, aut veſtimentorum, aut cujuslibet rei, aut quod celeberrime contingere ſolet, propter ebrietatem, in tam grave ſcelus corruere, ut aut ſeptem annis in arcta ærumna ſit; aut ab eccleſia repulſus.*

Ibid. c. 10. — Iſaac tit. 8. c. 3. — Herard. capit. 12. — Capit. Car. M. l. 3. c. 18. — Theodulph. epiſt. ad cler. c. 26. 27. — *Pœnitentia falſi teſtis.*

13 *Ut jejunia a paſtoribus injuncta.*) Quæ ſint illa, docet capitulare, primum minora, videlicet *Quatuor temporum, hoc eſt menſe Martio, Junio, Septembrio, & Decembrio.* Deinde majora, *ut legitima tria jejunia in anno agantur, id eſt* XL. *dies ante nativitatem domini, &* XL. *ante paſcha, ubi decimas anni ſolvimus, & poſt pentecoſten* XL. *dies. Quamquam enim nonnulla ex his canonica priventur auctoritate, nobis tamen omnibus ſimul propter conſuetudinem plebis, & parentum noſtrorum, morem hunc obſervare, ut ſuperius comprehenſum eſt, convenit.* Præterea ſtata per hebdomadam adduntur, *Præter hæc autem legitima tempora jejuniorum, omni ſexta feria propter paſſionem domini jejunetur. Sed & ſabbati dies a pleriſque, propter quod in eo Chriſtus jacuit in ſepulchro, jejunio conſecratus habetur.* Ex his omnibus quid eccleſia in uſu ſuo retinuerit ſuperfluum eſt dicere: ſed omnino probroſum & a majorum noſtrorum religione perquam alienum, pauca illa quæ ſuperſunt, tantopere a Chriſtianis negligi, & videntibus ſcientibuſque paſtoribus propalam violari.

Capit. Car. M. l. 6. c. 183. 184.

Quomodo autem ſint obſervanda, vel potius tum temporis fuerint obſervata, in cibis, & in eſus tempore, narrat Theodulphus, diſtinguendo jejunia quæ vidimus ex traditione per eccleſiam imperata, ab iis quæ moribus publicis inducta, magis pendent a voluntate ſingulorum. *Quadrageſima,* inquit, *cum ſumma obſervatione cuſtodiri debet, & jejunium in ea nullatenus reſolvatur, quia ipſi dies decimæ ſunt anni noſtri. Alio tempore ſolet jejunium caritatis cauſa diſſolvi; iſto vero nullatenus debet: quia in alio jejunare, præceptum Dei tranſcendere eſt.* Vocat autem non jejunare, ante veſpertinum officium cibum ſolvere. Sic enim inferius. *Solent plures qui ſe jejunare putant, mox ut ſignum audiunt ad nonam, manducare. Qui nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint antequam veſpertinum celebretur officium.* In eo comeſtionis tempore majus jejunii momentum ponit, quam in cibis ipſis. *Qui ovis, caſeo, piſcibus & vino abſtinere poteſt, magnæ virtutis eſt: qui autem his aut infirmitate interveniente, aut quolibet opere, abſtinere non poteſt, utatur tantum & jejunium uſque ad veſperum ſolenniter celebret; & vinum non ad ebrietatem, ſed ad refectionem corporis ſui ſumat.* Itaque *concurrendum eſt ad miſſas, & auditis miſſarum ſolennibus, ſive veſpertinis officiis, largitis eleemoſynis ad cibum accedendum eſt.* Facienda eleemoſyna ex cibo & potu *quo quiſque uti debuit ſi non jejunaret: quia jejunare & cibos prandii ad cœnam reſervare, non mercedis, ſed ciborum eſt incrementum.* Et hæc univerſe de jejunio.

Theodulph. epiſt. ad cler. c. 37. — Ibid. c. 39. — Ibid. c. 40. — Ibid. c. 39. — Ibid. c. 38.

*Quomodo tranſigenda quadrageſima.* — Ibid. c. 36.

De quadrageſima, quod ſanctiſſimum eſt Chriſtianæ abſtinentiæ tempus, hæc præcipit quæ referre non tantum ad imitationem, ſed etiam ad novantium quorumdam revincendos errores conducit. *Hebdomada una ante initium quadrageſimæ, confeſſiones ſacerdotibus dandæ ſunt, pœnitentia accipienda, diſcordantes reconciliandi, & omnia jurgia ſedanda, & dimittere debent debita invicem de cordibus ſuis.* Qualis autem ea pœnitentia eſt? an ea quæ a ſacro altari removeat, & abſtinentiam a ſacra communione imperet? *Singulis diebus dominicis in quadrageſima, præter hos qui excommunicati ſunt, ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti ſumenda ſunt, & in cœna domini, & in paraſceve, in vigilia paſchæ, & in die reſurrectionis domini penitus ab omnibus communicandum.* Eo tempore ceſſare debent lites omnes & contentiones. *Arguit enim eos qui contentiones & lites quadrageſimæ tempore exercent, & qui debita a debitoribus exigunt; dominus per prophetam dicens, Ecce in diebus jejunii veſtri,* &c. Illis etiam ſacratiſſimis diebus *abſtinendum eſt a conjugibus, & caſte & pie vivendum: ut ſanctificato corde & corpore, iſti ſancti dies tranſigantur. Quia pene nihil valet jejunium quod conjugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemoſynæ non commendant.* Hæc ex uno Theodulpho ad noſtram utilitatem deſcripſimus, quorum pleraque per capitulare ſparſa ſunt.

Ibid. c. 41. — Ibid. c. 42. — Ibid. c. 43.

14 *Ut quando ad conventum.*] Nonnulla hic breviter perſtringenda. Privatum eſt, quod de tabernis non adeundis edixit, poſt infinitos & canones, & ejus vitii cenſores. Publicum, quod in conventibus presbyterorum & confratriis deſiderat hoc loco. Conſortia vocantur, quia virorum conſortium, & eadem vitæ officiique conditione parium congregationes ſunt. Gildonias pro iiſdem habet Hincmarus, *Ut de collectis quas Gildonias, & confratrias vulgo vocant,* quæ fiunt collata a ſingulis pecunia & ſymbola. Hæc convivia canon Laodicenus vetat tam a laicis, quam a clericis celebrari, ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς ἐκ συμβολῆς συμπόσια ἐπιτελεῖν, ἀλλ' οὐδὲ λαϊκούς, ebrietatis metu, quam conſequuntur petulantia & inſolentia, inquit Balſamo. Malunt Latini agapes illas permittere. Sed quia ſecundum Caſſiodori dictum *inter conſortes aſſolet indiſciplinatio naſci,* eam ob rem legibus quibuſdam regendi & conſtringendi ſunt. Eas decrevit Nannetenſe concilium in calcem tomi III. conciliorum Galliæ conjectum, ex quo ſine dubio & Hincmarus, & noſter Vualterius hauſerunt. Spectantque omnes ad temperantiam, modeſtiamque ſacratis hominibus dignam commendandam. *Paſtos, paſtellos & comeſſationes* in illis multum improbat Hincmarus, *quia inhoneſtum eſt & oneroſum.* Vetat invitare ſe poculis, *& precari in amore ſanctorum, vel ipſius animæ, bibere, aut alios ad bibendum cogere: quia in talibus comeſſationibus & potationibus, ſicut irreligioſi faciunt, ſemper ſe immiſcet diabolus.*

*Conſortia quæ.* — *Gildonia.* — Concil. Laodic. can. 55. — Caſſiod. l. 7. ep. 3. — Concil. Nannet. c. 15. — Hincm. capit. an. 852. c. 14. 15. 16.

*A ſpectaculis abſtinendum.* — Concil. Laodic. can. 54. — Syn. in Trullo. can. 24. — Balſamo ib.

Ruſticas cantilenas, turpes ludos, ſaltatrices ab illis conviviis abeſſe jubet Walterius, primum ex veteris eccleſiæ diſciplina, clericos ab ſpectaculis quæ in conviviis nuptialibus exhibentur, removentis canone Laodiceno, ſed *priuſquam ingrediantur thymelici ſurgere & ſecedere.* Quem renovat ſynodus in Trullo poſteaquam ludos omnes curules, & ſcenicos ſpectari vetuit a clericis. Eum ſcribit Balſamo ſic explicari a quibuſdam, ut a mimis & ludis ſcenicis abſtinere omnino cogantur, non autem ab equeſtribus omni ex parte, cum eorum aliqui permiſſione eccleſiaſtica fieri videantur. Sed eum tractatum concludit patriarcha memorabili ſententia. Plures & longe religioſiores, quibus & ipſe aſſentitur, diſtinctiones ejuſcemodi non admittere, cum dicant ἀφελεῖν τὰς κακίας τῆς ψυχῆς



χαριζόμενοι ἐμπλακῆναι, ἢ μὴν πρὸς τὸ ἐκκεχυμένον ἢ ἀδιάφορον. *Debere canones juxta id quod magis animæ conducit, non autem ſecundum id quod diſſolutius & indifferens eſt exponi.* Deinde ex nimia temporum illorum licentia hæc omnia prohibentur a piis epiſcopis, quæ fuſius proſequitur Hincmarus. *Nec plauſus & riſus inconditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare præſumat: nec turpia joca cum urſo, vel tornatricibus ante ſe facere permittat: nec larvas dæmonum, quas vulgo talamaſcas dicunt, ibi anteferre conſentiat, quia hoc diabolicum & a ſacris canonibus prohibitum.*

*Quomodo canones ſint explicandi.* — Hincm. capitan. 852. c. 14.

*Lectio ad menſam.* — Hincm. cit. — Herard. capit. 108. — Poſſid. in vita Aug. c. 22.

Ei malo medebuntur qui ex illorum conſilio ſacra lectione cibos condient. Quod cum Vualterio noſtro ſuadet Hincmarus eodem loco. *Aliquis de illorum clericis aliquid de ſancta lectione legat.* Quod & placet Herardo, *Ut presbyteri & clerici ante ſe joca turpia fieri non permittant, ſed pauperes & indigentes ad menſas ſecum habeant, & legatur eis lectio.* Sic Auguſtinus *in ipſa menſa magis lectionem aut diſputationem, quam epulationem potationemque diligebat; contra peſtilentiam humanæ conſuetudinis.* Sive peſtilens illa conſuetudo fuerit in ciborum lautitia, & edendi bibendique immoderata cupiditate: ſive in convivalium ſermonum pravitate & nequitia. *Ideo omnem convivam a ſuperfluis & noxiis fabulis, & detractionibus ſeſe abſtinere debere admonebat.* Sed mos ille, ut & pleraque alii apud eccleſiaſticos viros olim uſitati, modo ſeptis religioſorum clauſtrorum continetur, neque in publicum prodire audet. Theodulphus, conventus iſtos ne nominat quidem, ſed modeſtiam tamen & temperantiam a presbyteris exigit. *Neque cum feminis, aut cum quibuslibet impuris perſonis convivia exerceatis. Niſi forte paterfamilias quilibet vos ad domum ſuam invitaverit, & cum conjuge ſua & prole velit vobiſcum ſpiritali gaudio lætari, & verborum veſtrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem caritatis officio exhibere. Oportet enim, ut ſi quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis ſpiritalibus.*

Theod. ep. ad cler. c. 13.

*De feſtivitatibus annuis. Dies dominicus.* — Capit. Car. M. l. 6. c. 202. — Theodulph. ep. ad cler. c. 24.

15 *Ut celebres ſanctorum feſtivitates.*] Feſtorum dierum quos publice celebrari neceſſe eſt, duos facit ordines, publicos, toti eccleſiæ vel regno communes; & privatos, ſuæ diœceſeos peculiares: priores habet a capitularibus regum, poſteriores in uſu eccleſiæ Aurelianenſis. Utroſque percurro. Diei dominici nulla denunciatio eſt, ſumma religio; quia cum ſit ejus aperta cognitio, non docetur populus quando recurrat, ſed quomodo tranſigendus ſit: quod capitulari Caroli Magni, & in Theodulphi epiſtola egregie traditur. videndus eſt & Barnabas Briſſonius vir eruditiſſimus ad legem Dominico.

*Natalis domini.* — Capit. Car. M. l. 6. c. 106. — Ibid. c. 186.

*Natalem domini* diem, cum tribus ſequentibus omnes denunciari jubent, atque is eſt unus ex tribus celeberrimis, quibus epiſcopus judices publicos monere debet, ut *quicumque miſerrimi vinculis detinentur, relaxari debeant: & judex ſi paſtorem commonentem deſpexerit, quamdiu loci illius epiſcopo viſum fuerit, ab eccleſiæ liminibus arceatur.* Alii duo æque noti ſunt paſcha & pentecoſte. *Octavas domini,* quem diem nomine ſuo *circumciſionem domini, & Kal. Jan.* appellat uno loco capitulare, ſolenni cultu celebrant Chriſtiani, ex quo proſtrata idololatria orbem totum occupavit Chriſti religio, cum antea jejuniis & ſilentio tranſigeretur, ut pluribus in martyrologio docet Baronius.

Baron. in martyrol. ad kal. Jan. — *Nativitas S. Mariæ.* — Baron. in martyrol. ad 8. Sept.

*Nativitatem S. Mariæ.*] Unus ex omnibus nominat noſter Vualterius. Nam ex ſilentio concilii Moguntini ſub Carolo Magno, & capitularium inde eductorum, judicat Baronius ætate Caroli & Ludovici imperatorum eam feſtivitatem in eccleſia Gallicana fuiſſe ignoratam. Quod ſi diligentiſſimo rerum eccleſiaſticarum inveſtigatori credimus, huic certe auctori debemus primam ejus celebritatis apud Francos notitiam, ut ea laus eccleſiæ Aurelianenſis ſit, quod ſub Carolo Calvo, inſtituente Vualterio epiſcopo incœpit in Galliis, unica diœceſi primum contenta, quando neque Turonenſis Herardus, neque Remenſis Hincmarus, neque Iſaac Lingonenſis, neque Theodulphus & ipſe Aurelianenſis ejus meminerunt. Nominat quidem Ado Viennenſis non uno loco, ſed ut celebrem non jubet indici.

Concil. Mogunt. ſub Car. M. c. 36. — *Sabbatum ſanctum.* — Capit. Car. M. l. 6. c. 187.

*Sabbatum ſanctum.*) Ab aliorum quoque catalogis abeſſe video: niſi forte quando capitulare jubet ſolennitatem paſchalem a veſpera ſabbati inchoari, *Sicut veſperaſcente ſabbato ſanctum paſcha celebratur.* Apud auctores eccleſiaſticos celebrius eſt ejus diei jejunium, immo & tridui totius, quod paſchalem feſtivitatem præcedit: fuitque apud Græcos uſitatiſſimum. Sed in his non immoror.

*Dies paſchæ cum hebdomada.*

*Paſchæ dies* VIII.] Miror in primis in Herardi catalogo reginam hanc Chriſtianarum ſolennitatum prætermitti: quod ſola amanuenſium incuria potuit eveniſſe. Hoc deinde annoto, apud plures octo dierum ferias adjungi magnæ dominicæ, quod Vualterius exprimit. Et apertiſſime capitulare Caroli Magni, ubi legimus, *Diem dominicum paſchæ cum omni honore & ſobrietate venerari: ſimili modo totam hebdomadam illam obſervare decrevimus.* Quod ex antiquo jure, & lege Theodoſii ſervatum voluit Carolus Magnus. Quid eſt ergo quod in eodem capitulari legimus. *In paſcha domini, uſque in octavas paſchæ, poſt dominicam dies* III. An jubet integram paſchæ hebdomadam feriari, ac præterea ſequentis hebdomadas dies tres dominicæ in albis ſubditos? Minime gentium: ſed hoc vult, dies illos octo qui communi jure, ut diximus, olim feſti erant, præſenti lege contrahi ad tres paſchatis dominicæ vicinos. Quod etiamnum quibuſdam in locis obſervatur. Et utique duos ſaltem admodum ſolennes habemus, Ita pro temporum, pietatiſque ratione, veteres leges aut antiquantur, aut conſtringuntur. Ea tamen diſpenſatio ſemel ubique recepta non eſt, quando in Herardo Turonenſi legimus, *de octo diebus paſchæ quomodo feriari debeant.* Quæ in re cum Aurelianenſi noſtro rite convenit.

Capit. Car. M. l. 1. c. 35. — Ibid. l. 6. 186. — Herard. capit. 67.

*Dies rogationum.* — Concil. Moguntin. c. 32.

*Letania majore.*] Quid Letaniæ nomine majores noſtri ſignificarint, docet Moguntinum concilium ſub Carolo Magno. *Litaniæ græco nomine appellantur, quæ latine dicuntur rogationes. Inter litanias autem & exomologeſes hoc differt, quod exomologeſes pro ſola peccatorum confeſſione aguntur: litaniæ vero indicantur propter rogandum Deum, & impetrandam in aliquo miſericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum ſub una deſignatione habetur:* cum & litania ad pœnitentiam agendam ſit compoſita, ut mox videbimus.

Ordo Romanus l. 1.

In appellatione *majoris* pluſculum difficultatis occurrit. Nam litaniam majorem ordo Romanus nuncupat eam quæ auctore Gregorio Magno VII. Kalendis Maii celebratur ad feſtum ſancti Marci. Minorem vero illam quæ per triduum rogationum a Mamerto Viennenſi epiſcopo inſtituta, *apud nos uſque hodie pro diverſis calamitatibus devotiſſime recolitur,* ut ait idem ordo. Non aſſentientibus noſtris ſcriptoribus, qui priorem ſimpliciter Romanam nominant, & in Galliæ uſu ægre retentam ſubindicant: ut in Herardo videre eſt, *De letania Romana* VII. *Kal. Maii, ut rememoretur.* Ut videlicet ejus commemoratio fiat, quæ niſi ſtudioſe commendata, dilaberetur. Majorem autem litaniam non aliam habent, quam triduum rogationum: & manifeſte hanc nominat capitulare Caroli Magni ex concilio Moguntino. *Placuit nobis, ut litania major obſervanda ſit a cunctis Chriſtianis, diebus tribus.* Walafridus autem Strabo, utrique, tum Romanæ, tum iſti Gallicanæ *majoris* nomen attribuit.

Herard. capit. 94. — Concil. Mogunt. c. 33. — Capit. Car. M. l. 5. c. 85. — Vualafr. Strab. l. de reb. eccleſ. c. 28.

Sed hoc leve & indifferens, modo debita religione ſervetur. Concilium Moguntinum citatum monet ut eam celebremus, *ſicut legendo reperimus, & ſicut ſancti patres noſtri inſtituerunt, non equitando, nec pretioſis veſtibus induti, ſed diſcalceati, cinere & cilicio induti, niſi infirmitas impedierit.* Videtur concilium ad ordinem Romanum reſpectare, a quo per id pœnitentiæ tempus omnia ſecularis lætitiæ ſigna prohibentur. *Nullus autem his diebus veſtimenta pretioſa induatur: quia in ſacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates & comeſſationes quæ fiunt in vulgari plebe: Nemo ibi equitare præſumat, ſed diſcalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ ducant choros: dies enim abſtinentiæ ſunt, non lætitiæ.* Similia præcipit & Herardus.

Concil. Mogunt. cit. — Ordo Rom. l. 1. — Herard. capit. 95. — Capit. Car. M. l. 2. c. 35.

*Aſcenſio Domini.*) In capitulari ſcribitur, *Diem aſcenſionis domini pleniter celebrare.* Fuerunt olim feſti dies media tantum parte culti, ac poſt meridiem laboribus externis profanati: de quorum numero videtur fuiſſe dies aſcenſionis; quam pravam conſuetudinem antiquare ſatagit Carolus imperator, & totum, atque integrum vult rite celebrari.

*Jejunium pentecoſtes.* — Capit. Car. M. l. 6. c. 187.

*Pentecoſten.*) Nulla alia peculiari ratione pentecoſtes celebritatem auget Walterius, quam tamen paſchali æquandam conſtituunt alii, jubente Caroli capitulo, *ut annuncient presbyteri eodem modo, ſicut veſperaſcente ſabbato ſanctum paſcha celebratur, & ipſum diem pentecoſtes ſimiliter celeberrimum habeant, ut ſanctum paſcha, & jejunium, & miſſam, & baptiſmum.* Unde jejunii illius antiquitas apparet, quod adoleſcentibus nobis apud ſeculares exoletum, revocata pietate, religioſorum maxime exemplo inſtauratum eſt, & nunc communiter viget in eccleſia. Repugnabat nihilominus per ea tempora nonnullorum explicatio dicti euangelici, *Non poſſunt lugere filii ſponſi quamdiu cum illis ſponſus eſt:* ad quam reſpexiſſe mihi videtur ordo Romanus, cum in commendatione rogationum, notavit expreſſe, ſervari abſtinentiam a carnibus, non autem jejunium.

Ordo Rom. l. 1. — *Feſtivitas omnium SS.*

Inter ſingularia autem ſanctorum feſta, omiſit noſter dedicationem ſancti Michaelis, & natalem ſancti Remigii, quæ quidem in aliis nominantur, quamquam non conſtanter. Ex adverſo Herardus, & quidem omnium ſolus, feſtum ſanctorum omnium adjicit, quod Ludovici Pii tem-

tempore a Gregorio IV. pontifice maximo in Gallias illatum eſt, ut refert Ado Viennenſis, *Monente ſanctæ recordationis Gregorio pontifice, piiſſimus Ludovicus imperator omnibus regni & imperii ſui epiſcopis conſentientibus, ſtatuit ut ſolenniter feſtivitas omnium ſanctorum in prædicta die annuatim perpetuo ageretur.*

Ado in martyr. Kal. Nov.

*Noſtrorum præterea patrum.* ] Sequuntur peculiares diœceſeos Aurelianenſis feſtivitates, epiſcoporum qui præcipua ſanctitate, & paſtorali ſolicitudine illam eccleſiam illuſtrarunt: vulgque illas *in tranſitu*, ſive in obitu illorum conſtitui, non autem in tranſlatione: cujus rei cauſas expendere neceſſarium non videtur. Hic autem mirum mihi accidit, inter eximios illos antiſtites, omitti Aurelianenſium apoſtolum; & nobilis eccleſiæ fundatorem Altinum, ne ſua quidem in eccleſia, martyrem ſcilicet & apoſtolicorum virorum diſcipulum nominari, & ab Evurtio ſive Evortio commemorationis ejuſmodi duci exordium: longe autem Altino inferior fuit Evortius, & medios habuit præceſſores non celeberrimos. Iſti debet urbs clariſſima templi ſanctæ crucis ſtructuram, eoque celebrante dedicationem, emiſſa e nubibus Chriſti domini manu, & figuram crucis ter deformante, ut referunt hiſtorici Aurelianenſes.

Feſtum ſedis urbis Aurelianenſis.

Car. Sauſſ. annal. eccl. Aurel. l. 2. Herard. capit. 61. Capit. Car. M. L. 2. c. 19. etc.

Reſpondet autem hæc additio, illi concluſioni Turonenſis Herardi. *Et eorum quorum corpora & debitæ venerationes in locis ſingulis peraguntur.* Quæ expreſſior eſt in capitulari, *& illas feſtivitates martyrum vel confeſſorum, obſervare decrevimus, quorum in unaquaque parochia ſancta corpora requieſcunt.* Nam cum regum noſtrorum pietas multis ſanctorum pignoribus Galliam univerſam locupletaverit, æquum eſſe cenſuerunt, eos illic venerari, quo tranſire dignati ſunt. Neque aliam ob cauſam ſancti Benedicti feſtum hic memoratur, niſi quia ejus corpus per tranſlationem in Floriacenſi monaſterio in diœceſi Aurelianenſi conditum eſt, ut narrat & probat Carolus Sauſſejus in annalibus eccleſiaſticis Aurelianenſibus. Hinc eſt quod apud Marculphum in formulis, Tractoria monachis aut clericis peregrinantibus conceſſa, ſic præfert. *Ego in Dei nomine, epiſcopus, vel abba de civitate illa, vel de monaſterio illo, ubi pretioſus martyr, ſive confeſſor Chriſti humanitus corpore requieſcit.*

Car. Sauſſ. annal. eccl. Aurel. l. 4. Marculph. form. ſolenn. 53.

16 *Memoriter coram nobis recitare & exponere valeant.* ] Duo a presbyteris exigit: alterum, ut neceſſaria quælibet ad rite conferendum ſacramenta memoriter ediſcant, & in ſpecimen memoriæ, coram epiſcopo recitent. Idem Hincmarus, ſed apud epiſcopum recitandi neceſſitatem non imponit. *Diſtincte & rationabiliter memoriæ commendet.* Item mox. *Orationes quoque eidem neceſſitati competentes memoriter diſcat.* Alterum, ut has ceremonias aperte & ad popularem captum dilucide interpretentur, & explicent, ejuſque rei ſpecimen coram epiſcopo exhibeant. Theodulphus autem Aurelianenſis, quaſi hæc omnia omnibus parata eſſe exiſtimet, alia quædam a convenientique poſtulat, & ipſa ſuo illorumque gradui valde congruentia. *Cum vero domino opitulante ad ſynodum in unum convenerimus, ſciat nobis unuſquiſque dicere, quantum domino adjuvante laboraverit, aut quem fructum acquiſierit. Et ſi quis forte noſtro indiget adjutorio, nos cum caritate admoneat, & nos cum caritate nihilominus ei pro viribus adjutorium ferre non differemus.* Heradus quoque præclarum ſynodi ordinem conſtituit in cauſis primum eccleſiæ toti communibus, ac deinde privatis, quæ perſonales eſſe ſolent, examinandis. *Ut in ſynodo primum generales cauſæ, quæ ad normam totius eccleſiæ pertinent, finiantur: poſtea ſpeciales ventilentur.* Felicia tempora quibus illi tractatus materiam ſynodorum cum caritate faciebant!

Recitanda memoriter.

Hincm. capit. an. 852. c. 3. 4.

Theodulph. epiſt. ad cler. c. 28.

Herard. capit. 1.

17 *Ut omnes presbyteri calculandi peritiam.* ] Dici vix poteſt quanta cum ſolicitudine curatum ſit per ea tempora, ut presbyteri notum haberent computum eccleſiaſticum, pæne non minus quam orationem dominicam, & ſymbolum apoſtolicum. Unde ſtrictum capitularis imperium. *De computo, ut veraciter diſcant omnes.* Breviter & Herardus. *Ut presbyteri computum diſcant.* Quod non omittit Hincmarus, *Computo etiam neceſſario, & cantu per anni circulum pleniſſime inſtruatur.* Hinc laudata illa computi peritia in Beda, in Rabano Mauro, aliiſque, quæ magnam ſcientiæ partem eo ſæculo facere viſa eſt.

Computi eccleſiaſtici peritia.

Capit. Car. M. l. 6. c. 226. Herard. capit. 125. Hincm. capit. an. 852. c. 8.

18 *Sacros præterea canones.* ] Non omnes profecto canones eccleſiæ in memoriam cogentur mittere parochi, ſed ad bene, perfecteque regendum commiſſam plebem neceſſarios, ut opifici cuilibet nota eſſe debent ſuæ artis inſtrumenta. Sic explicandum eſt, quod in capitulari, epiſcopis & ſacerdotibus edicitur, ex Innocentii primi decretalibus, *ut nulli ſacerdoti liceat ignorare ſanctorum canonum inſtituta.* Quamobrem periti antiſtites, ut labori ſumptuique ſuorum parcerent, ex infinita canonum ſegete, manipulos quoſdam collegerunt, qui memoriæ commendati ſufficerent. Capitulare quidem plenum eſt iis conciliorum & pontificum Romanorum decretis, quæ in uſum præcipue ex omnibus revocata voluerunt imperatores Chriſtianiſſimi. Sic Heradus Turonenſis. *Quoniam auctoritas ſacra canonum, nulli ſacerdotum canones ignorare permittit, decrevimus,* inquit, *pariterque injunximus, excepta per noſtri laboris ſtudium, hæc modica ſuccinctaque capitula unumquemque habere in poſterum.* Sic in civitate Remenſi, *inter cetera monita ſaluberrima, dum de legibus atque rebus eccleſiaſticis ab Hincmaro præſule tractaretur, hæc in ultimo prolata ſunt, memoriæ commendanda & ſummopere obſervanda.* Iſaac Lingonenſis, exemplo Bonifacii Moguntini excitatum ſe dicit, ad epitomen canonum ſuorum concinnandam. Suos quoque Theodulphus obſecrat, *ut hæc capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digeſſit, aſſidue legant, & memoriæ commendent.*

Sacrorum canonum peritia.

Capit. Car. M. L. 1. c. 55.

Herard. Præfat.

Hincm. capit. an. 852.

Theodulph. ep. ad cler. præf. Hincm. cit. c. 8.

Jubet Hincmarus præterea presbyterum quemque *ſtudioſe legere & intelligere homilias XL. Gregorii, ut & cognoſcat ad formam LXXII. diſcipulorum, in miniſterio eccleſiaſtico eſſe promotum, ſermonem prædicti doctoris de LXXII. diſcipulis a domino ad prædicandum miſſis pleniſſime diſcat, & memoriæ tradat.* Neque liberi ſunt ab illa cura epiſcopi, ſi conſilium ſalubre audiunt ſynodi Turonenſis III. ſub Carolo Magno. *Nulli epiſcopo liceat canones, aut librum paſtoralem a B. Gregorio papa editum, ſi fieri poteſt, ignorare: in quibus ſe debet unuſquiſque quaſi in quodam ſpeculo, aſſidue conſiderare.* O tempus! o mores quibus in ſacerdotum conſeſſibus hæc ſancta quærebantur!

Conc. Turon. III. c. 3.

ANNO CHRISTI 858.

# a CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM,

## SIVE PHOTIANUM I.

### In quo, Ignatio jam exturbato, Photius a Gregorio Syracuſano ſchiſmatico inauguratus eſt, anno domini DCCCLVIII. tempore Nicolai papæ.

Cauſſ conciliaboli.

a *Conciliabulum.* ] Cum Ignatius ſanctiſſimus patriarcha Conſtantinopolitanus Bardæ patricio propter repudium innocentis uxoris, & conſuetudinem quam cum cognata habebat turpiſſimam, eccleſiæ ingreſſum interdixiſſet, petentemque die quodam epiphaniæ ſacræ euchariſtiæ participationem ab eccleſia ejeciſſet: ille de venia impetranda deſperans Ignatio vindictam parat, cumque ab eccleſia expellere procurat. Et ne videatur rem illam tyrannice magis quam juſte conari, duas illi objicit accuſationes: Primam, quod imperatori, cum juberetur Theodoram matrem invitam in monacham tondere, non obtemperaſſet: ſecundam, quod Gebum quemdam hominem ſtupidum, qui ſe imperatricis Theodoræ ex alio viro filium eſſe dicebat, patriarcha eduxiſſet. Has ob cauſas Ignatius patriarcha injuſte condemnatus in inſulam, cui nomen Terebinthus, relegatus fuit. Cumque exulantem ibidem ſæpius ad epiſcopatum reſignandum per epiſcoporum & patriciorum comminationes fruſtra ſolicitaſſet, hæc pſeudoſynodus epiſcoporum auctoritate Bardæ patricii congregata exturbato Ignatio patriarcha ſanctiſſimo, Photium eunuchum ex laico indigne ſuffecit.

Duæ calumniæ Ignatio objiciuntur.

Relegato & condemnato Ignatio Photius ſubſtituitur.



ANNO CHRISTI 858.

Hæc ex v. epiſtola Nicolai, & ex vita Ignatii apud Nicetam, Baronius anno 858. numero 49. & 50. Vide Raderi notas præambulares in ſynodum VIII.

### Adnotatio P. ANTONII PAGI ad Annum Ch. 858. n. 11, & ſeqq.

Depoſitio S. Ignatii, quam Baronius & omnes alii cum anno Chriſti 858. conjungunt, contigit anno 857. cum paulo ante Michael Imp. Theodoram matrem aula abire juſſiſſet. Nicetas enim in vita S. Ignatii refert Bardam, penes quem tota Imperii adminiſtratio erat, quique nurus ſuæ amore furebat, hortatum ab Ignatio, ut fœdum, & enorme ſcelus expiaret; *ipſo Epiphaniæ die feſto in ædem ſacram, Euchariſtiæ myſteria percepturum,* impudenter eſſe progreſſum, ſed eum Patriarcham a ſacris arcuiſſe; indeque Bardam omnem contra eum lapidem moviſſe, ut eum apud Imperatorem criminaretur. Hic aggreſſus aliquando adoleſcentem, verbiſque inſidioſis captans: *quid,* inquit, *Domine, imperium matri & ſororibus permittis? Atqui non es amplius infans, aut uſque immaturus: immo,* inquit, *& jam uxore ducta virum agis: debes ergo in poſterum virilem animum gerere. Itaque a Patriarcha acceſſito matrem & ſorores tonderi velarique jube &c. Acceſſit ergo illico venerandum Patriarcham &c. Tunc igitur Michael &c. matrem, inquit, meam ſororeſque e veſtigio arreptas attonde, & religioſa velatas veſte vitæ religioſæ addicito. At libere Patriarcha; hoc, inquit, a me fieri nefas &c. Hæc memorantem Patriarcham Bardas reum Majeſtatis poſtulavit &c. Patriarcha ergo Michaeli ſuſpectus ſtatim ad Eccleſiam ſe recepit. Michael vero extemplo matrem cum ſororibus in Cariani ædes detruſam deportari tonderique imperat. Nec multo poſt ipſum quoque Patriarcham Ignatium pellit, atque in inſulam Terebinthum ejicit.*

Cum itaque juxta eumdem Nicetam Michael cum Theodora *annos XV. & menſes octo* imperarit, anno 857. die ſacro Epiphaniæ Bardas ab Ignatio ob ejus impudicitiam Dominici corporis participatione indignus judicatus, menſe Septembri ejuſdem anni Theodora, & ejus filiæ in Monaſterium detruſæ, *nec multo poſt* Ignatius relegatus, die ſcilicet 23. Novembris, ut mox dicemus. Quare ejectio Theodoræ ex aula, & depoſitio Ignatii ad diverſos annos non pertinent, ut hactenus creditum, ſed uno eodemque, nempe 857. & Theodora in Monaſterium conjecta, & Ignatius in exilium miſſus. Incredibile enim Bardam Ignatium læſæ Majeſtatis crimine accuſaſſe, huncque poſtea menſes 14. adhuc Patriarchatum geſſiſſe. Alii Hiſtorici Byzantini aliter rem hanc non narrant, & quando Nicetas ab iis diſſentiret, quod tamen dici non poteſt, ei utpote Auctori coævo major fides adhibenda eſſet. Idem Nicetas loquens de reſtitutione Ignatii Baſilii Imp. tempore facta, ait: *dies erat Dominica (anno nempe 867.) tertia & vigeſima Novembris, quo etiam anni tempore prius in exilium pulſus erat.* Ita verſio Raderi. Verum textus Græcus habet: Κυριακὴ μὲν τῶν ἡμερῶν ἦν, εἰκάδι δὲ καὶ τρίτῃ εἰς Νοέμβριον, ὥσπερ δὲ ὅτε πρῶτον ἐξωρίζετο; quæ verba ita vertenda: *dies erat Dominica, tertia & vigeſima Novembris, ut cum prius in exilium pulſus erat.* Nicetas itaque non tempeſtatem, qua Ignatius abdicatus, aut in ſedem reſtitutus, ſed diem & menſem abdicationis & reſtitutionis notavit. Quare cum Auctor libelli Synodici, qui hoc tempore vivebat, referat Synodum Conſtantinopolitanam currenti anno (*lege an. 861.*) in Templo Apoſtolorum habitam a Photio, in qua legitur, *Ignatium annos undecim, menſes quatuor, dies viginti* thronum Patriarchalem occupaſſe, manifeſtum eſt non ſolum Ignatium ann. 846. die quarto menſis Julii, in quam Dominica cadebat, ordinatum fuiſſe, ſed etiam an. 857. die 23. menſis Novembris e ſede pulſum eſſe; cum a die 4. præfati menſis Julii ad diem 23. m. Novemb. anni 857. anni XI. menſes IV. & dies XX. intercurrant, & Ignatii ordinatio, quæ nonniſi in Dominica facta fuit, ab an. 846. removeri non poſſit, ſicuti nec ejus depoſitio ab an. 857. Auctor Additamenti ad Chronicon S. Nicephori, qui Ignatio tribuit ann. 11. & m. 5. & Nicolaus Papa in ep. 2. ad Imper. Michaelem, in qua ait Ignatium *per duodecim fere annos regiæ urbis* innocue Sacerdotium geſſiſſe, numero rotundo locuti ſunt, & ab Auctore libelli Synodici non diſcrepant.

*Nec dum triduum a Patriarchæ diſceſſu fluxerat,* inquit Nicetas, *cum adſunt qui putabantur inter Epiſcopos primarii, chirographum ſive libellum abdicationis ob præſentium temporum iniquitatem ab eo petentes &c. Verum illi re infecta reverterunt. Intra paucos autem dies Patricii, judicumque clariſſimi cum iiſdem Epiſcopis egreſſi, omnibus machinis & pollicitationibus, comminationibuſque compellebant, ut Epiſcopatu ſe abdicaret &c. Poſtquam igitur Adminiſtri regii ſæpe tentata re, non potuerunt flectere Ignatium ad id quod inique petebant &c. tandem Photium Protoſpatharium & primum a ſecretis, Patriarcham urbis regiæ deſignant &c. Eratque vere cernere, ut fertur adagio, extemporalem fictitiumque, ſeu perſonatum Sanctum. Nam primo die Monachus ex Laico, altero Lector, tum Hypodiaconus ac Diaconus & Presbyter; ſexto deinde, qui fuit Chriſti Natalis, & ipſe ſacrum conſcendens tribunal, pacem populo, nihil vera pace dignum cogitans, nunciavit.* Photium itaque hactenus laicum Gregorius Aſbeſta Syracuſarum Archiep. anno 857. Decembris die 20. ſacris initiavit; eoque die Monachum, altero Lectorem, tertio Subdiaconum, quarto Diaconum, quinto Presbyterum, ſexto, Decembris ſcil. die 25. natali Chriſti ſacro, conſecravit. Et quia Epiſcopi nonniſi in Synodo de more tunc depoſiti, habita Synodus in Palatio, cujus meminit Auctor Libelli Synodici.

# a ** SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA IN PALATIO.

*Ex libello ſynodico.*

ΜΕΘΟΔΙΟΥ δὲ τοῦ παμμάκαρος πρὸς κύριον ἐκδημήσαντος Ἰγνάτιος μοναχὸς καὶ πρεσβύτερος ὑπὸ Μιχαὴλ καὶ Νικηφόρου γεγονὼς, τῶν φιλοχρίστων αὐτοκρατόρων, κανονικῶς ἐπὶ τὸν θρόνον ἀναβιβάζεται· καθ᾽ οὗ φιλαρχίας κενοδοξίᾳ, ἐπίσκοποί τινες καὶ μονάζοντες κουφιζόμενοι, οὐ μετρίως χρόνῳ μακρῷ ἐστασίασαν. Οἳ δὲ Μιχαὴλ τοῦ βασιλέως λαβόμενοι τῆς κουφότητος, ἐξελαθῆναι τοῦ θρόνου ἀρχοντικῇ χειρὶ τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον παρεσκεύασαν, ἐν Τερεβίνθῳ τῇ νήσῳ αὐτὸν ἐξορίσαντες· ἐν καὶ παλατίῳ σύνοδον ἀφελῆ ποιησάμενοι, τὸν πρωτοασηκρῆτιν Φώτιον προεχειρίσαντο· * πολλὰ μὴ ἀχθέντες λόγῳ παραιτήσεως πρὸς Ἰγνάτιον πρεσβευσάμενοι.

Methodio autem ſanctiſſimo ad dominum profecto Ignatius, qui monachus & presbyter ſub Michaele & Nicephoro Chriſtiamantibus imperatoribus fuerat, legitime in thronum elevatur. Adverſus quem dominandi ſtudio & ambitione, epiſcopi quidam & monachi elati, haud mediocriter longo tempore ſunt tumultuati: quin & Michaelis imperatoris levitate abuſi, imperatoria manu dejiciendum de throno patriarcham Ignatium curarunt, in Terebintho inſula loco exilii ei conſtituto. In palatio etiam ſynodo viſi coacta, Photium, qui primus a ſecretis fuerat, ſurrogarunt.

# 1 SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA IN BLACHERNIS.

*Ex eodem libello.*

PHotius igitur, cum præter divinos & ſanctos A canones, thronum conſcendiſſet, non quieti operam dedit: * ſed imperatore ad iram concitato, infinitis malis Ignatium affecit, tamdemque in inſulam Mitylenem, innocentem relegavit: & malignantium conventiculo in Blachernis congregato, ipſum præſentem injuſte depoſuit: eoſque etiam, qui pravis ipſius nutibus ſubſcribere, eique communicare detrectabant, infinitis malis affecit: in exilium agens, quo & quomodo vellet.

ΦΩΤΙΟΣ οὖν παρὰ τοὺς θείους καὶ ἱεροὺς κανόνας τοῦ θρόνου ἐπιλαβόμενος, οὐκ ἐστοίχει τῷ ἡσυχάσαι, * οἷάπερ ὠλίσθησεν. ἀλλ᾽ εἰς θυμὸν κινήσας τὸν αὐτοκράτορα, μυρία δεινὰ * ἐξορίζει πρὸς τῇ νήσῳ Μιτυλήνῃ τὸν ἀθῷον Ἰγνάτιον. Καὶ συναθροίσας πονηρευομένων ἐν Βλαχέρναις συνέδριον· καθαιρεῖ μὲν παρόντα τὸν ἀδικούμενον, καὶ τοὺς ἀπαρνουμένους καθυπογράψαι τοῖς πονηροῖς αὐτοῦ νεύμασι, καὶ τῆς κοινωνίας ἀπέχεσθαι, πάσης κακουργίας εἰργάσατο καταγώγια· περιορίσας ἔνθα, καὶ ὡς ἠβούλετο.

# 2 SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA IN TEMPLO APOSTOLORUM.

*Ex eodem libello.*

PRæterea vero & ad Romanum papam, bonæ B memoriæ Nicolaum Photius miſit: cum quidem oſtenderet, Ignatium propter ingraveſcentem ætatem & corporis infirmitatem ultro abdicaſſe: & ad dejectionem abſolutam hæreſeos Eiconomachorum, locum tenentes ab illo mitti plurimum rogavit: Ignatio interim fraudulente condemnationem machinans. Poſteaquam vero Rodoaldus & Zacharias Romani epiſcopi locum tenentes Conſtantinopolim appuliſſent: Photius in templo ſanctorum & clariſſimorum apoſtolorum Chriſti, ſynodo eorum, qui Ignatium depoſuerant, convocata, adduci ad eam ſacrorum antiſtitem Ignatium curavit: & ſeptuaginta duobus e plebis fæce falſis teſtibus productis: iiſque qui laici eſſent, minas promiſſionibus innectendo per- C ſuaſis, ut per omnipotentiam Dei jurarent, Ignatium, qui annos undecim, menſes quatuor, dies viginti, thronum patriarchæ occupaſſet, electum nunquam fuiſſe: recitata etiam conventdi reciſa cujuſdam canonis improbatæ authoritatis particula, quæ ſic habet: Si quis epiſcopus mundanorum principum uſus opera, per eos eccleſiam obtinuerit, deponatur: diſſimulato interim eo, quod in canone proxime ſequitur: propter iſtam ſolam cauſam, depoſitionem ei decrevit.

ΕΠΕΙΤΑ μὴν καὶ πρὸς τὸν Ῥώμης πάπαν τὸν μακαρίτην ἐξαπέστειλε Νικόλαον· ἑκουσίως παραιτησάμενον διὰ γῆρας λιπαρὸν καὶ ἀσθένειαν σώματος, Φώτιος ἀνεδίδασκε τὸν Ἰγνάτιον· καὶ πρὸς ἀποβολὴν πλείαν τῆς τῶν εἰκονομάχων αἱρέσεως, τοποτηρητὰς πεμφθῆναι αὐτοῦ, μεγάλως ἱκέτευσεν· Ἰγνατίῳ δόλῳ πραγματευόμενος τὴν κατάκρισιν. Ῥωδοάλδου δὲ καὶ Ζαχαρίου Ῥωμαίων ἐπισκόπου τοποτηρητῶν καταλαβόντων Κωνσταντινούπολιν· Φώτιος ἐν τῷ ναῷ τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων Χριστοῦ, ἀθετούντων σύνοδον ποιησάμενος, ἀγώγιμον πρὸς αὐτὴν γενέσθαι τὸν ἱεράρχην Ἰγνάτιον παρεσκεύασε· ἑβδομήκοντα καὶ δύο " ἀγελέους παραστησάμενος ψευδομάρτυρας· πείθων αὐτοὺς λαϊκοὺς ὄντας, ἀπειλὰς παρείρων ταῖς ὑποσχέσεσιν, ἐπὶ πάσης θείας ὀμόσαι δυνάμεως, μὴ ἐψηφίσθαι, χρόνους ἕνδεκα, μῆνας τέσσαρας, καὶ ἡμέρας εἴκοσι, ἐν τῷ θρόνῳ τοῦ πατριάρχου διαδραμόντα Ἰγνάτιον· ἐπαναγνοὺς τῇ συνελάσει ἀποστατικῆς αὐθεντίας ἀποτομίαν, ἔχουσαν οὕτως· Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, δι᾽ αὐτῶν ἐγκρατὴς ἐκκλησίας γένηται, καθαιρείσθω· ἀποσιωπήσας τοῦ κανόνος τὸ ἐπαγόμενον, καὶ διὰ τοῦτο μόνον αὐτοῦ ἀποψηφισάμενος τὴν καθαίρεσιν.

" ἀγελαίους

1. SY-

1 Hæc habita anno 859. de qua infra.

2 Hæc habita anno 861. de qua infra.



# 1 SYNODUS ROMANA NICOLAI.

*Ibidem hiſce verbis exprimitur.*

ΟΠΕΡ μαθὼν ὁ ἐν ἁγίοις πάπας Νικόλαος· οὐ γὰρ ἦν εἰκὸς λαθεῖν τὴν οἰκουμένην, ἔργον κακίας εἰς μέσον γενόμενον· τοὺς οἰκείους τοποτηρητὰς ἀκριβῶς ἀνακρίνας, καὶ ἀπὸ τῶν στομάτων αὐτῶν δωρολήπτας εὑράμενος, καθαιρέσει διηνεκεῖ Ῥοδόαλδον καὶ Ζαχαρίαν ὑπέβαλεν· καὶ θείαν καὶ ἱερὰν σύνοδον ποιησάμενος Φώτιον ὡς μοιχὸν ἀναθεματίζει καὶ ἐπιβήτορα· τὰ εἰς αὐτὸν καὶ ὑπ᾽ αὐτοῦ πραχθέντα ὁρισάμενος μένειν ἀπρόσδεκτα, καὶ ἀφορισμὸν τοῖς αὐτῷ κοινωνοῦσι Μιχαὴλ ἀποστειλάμενος αὐτοκράτορι, ἀρχομένοις καὶ ἄρχουσι, καὶ τοῖς λοιποῖς ὁσίοις πατριάρχαις διέπεμψε.

A QUod cum ſanctus papa Nicolaus percepiſſet: neque enim latere poterat orbem tantum maleficium publice commiſſum: in locum tenentes ſuos accurata inquiſitione facta, cum ex propria eorum confeſſione reperiſſet, munera ipſos accepiſſe, perpetuæ depoſitioni Rodoaldum & Zachariam ſubjecit: divinaque & ſacra congregata ſynodo, Photium, ut adulterum & invaſorem anathemate notavit, quæque ab eo & ſub eo acta eſſent, minime recipienda eſſe definivit: quin & omnibus, qui ei communicarent, Michaeli ipſi imperatori, ſubditis, principibus, & reliquis ſanctis patriarchis, depoſitionem denunciavit.

# ** CONCILIUM SVESSIONENSE

Juſſu Ludovici Regis Tranſrhenani indictum. Anno Chriſti DCCCLVIII.

Ex Labbei Append. to. VIII.

*LUdovicus Rex Germaniæ, Caroli Calvi frater, in Galliam cum exercitu venit, ipſoque fugato magnam ejus regni partem invaſit. Quo vero tempore illic moratus eſt, duo egit; placitum ſcilicet, ac ſynodum; illud Remis, hanc autem Sueſſione: de quibus Flodoardus lib. III. cap. 21. inter Epiſtolas Hincmari Remenſis ad Theodoricum Cameracenſem.* Item, *inquit*, de adventu Ludovici Tranſrhenenſis, quia Remis venerit, & quid egerit, quidve præceperit. *Hoc autem diſcere eſt tum ex epiſcoporum epiſtola, e ſynodo apud Cariſiacum miſſa ad eumdem Ludovicum, cap. 1. ubi mentio fit placiti, tum etiam ex eodem Flodoardi lib. III. cap.* B *23. ſic de Hincmaro:* epiſcopis ad ſynodum Sueſſionis ex juſſione Ludovici Tranſrhenenſis convenientibus legatum ſuum ſacerdotem quemdam dirigens, & pro infirmitatis impoſſibilitate ſemet excuſans, quicquid favente Domino ſecundum canonicam inſtitutionem & epiſcopale miniſterium juſte & rationabiliter, æquitate dictante decreverint, eorum decretis ſe annuere profitens; quicquid vero ſacris canonibus poterit obviare, & a recta fide ac æquitate & juſtitiæ tramite valuerit deviare, ſe in nullo aſſenſum præbere, nec ut idem vicarius ejus aſſenſum præbeat vel coactus, annuere.

# 1 EPISTOLA EPISCOPORUM E SYNODO APUD CARISIACUM MISSA

## Ad Ludovicum regem Germaniæ. Cum is ad occupandum Caroli fratris ſui regnum ſeditioſorum impulſu veniſſet.

Hæc quæ ſequuntur capitula miſerunt epiſcopi provinciarum Rhemenſis & Rotomagenſis a Cariſiaco palatio, quo convenerant, per Vvenilonem Rotomagenſem archiepiſcopum & Erchanraum Catalaunenſem epiſcopum, Hludouvico regi in Attiniaco palatio conſiſtenti, anno incarnationis dominicæ DCCCLVIII. [a] in menſe Novembrio.

Ex editione P. Sirmondi.

### TITULI CAPITULORUM.

I. *Excuſant cur ad conventum Rhemenſem venire non potuerint.*

II. *Queruntur quod eorum monitis & conſiliis hactenus non paruerit.*

III. *Quod ſæpius illum ad ineundam cum fratre concordiam hortati ſint.*

C IV. *Ut conſideret cur in fratris regnum venerit, & utrum talia ſuſtinere velit qualia facit.*

V. *De iis quæ crudeliter & impie qua tranſibat fiebant, ut ea prohibeat & compeſcat.*

VI. *Ut contra Paganos potius arma convertat, & eos qui ab illis fugiunt, vexari a ſuis non ſinat.*

VII. *Ut privilegia & immunitates eccleſiarum con-*

1 Hæc habita anno Ch. 862. de qua infra.

ANNO CHRISTI 858.

*conſervet, rectoreſque illarum non inquietet, nec poſſeſſiones diripi permittat.*

VIII. *Ut monaſteria laicis a Carolo conceſſa religioſis perſonis reſtituat.*

IX. *Ut rectores monaſteriorum ſolicite provideant, ut ſervi & ancillæ Dei ſecundum ordinem vivant.*

X. *Ut hoſpitalia peregrinorum ad hoc ad quod deputata ſunt, epiſcoporum conſilio a rectoribus ſuis adminiſtrentur.*

XI. *Quod regem ita vitam inſtituere conveniat, ut omnibus ſit exemplo.*

XII. *Quomodo domeſticos regere, quid Deo, quid ſubditis reddere, & quales palatii ac reipublicæ miniſtros conſtituere debeat.*

XIII. *Ut eos qui propter has ſeditiones excommunicati ſunt, ad eccleſiæ pacem revocare ſtudeat.*

XIV. *Judices villarum regiarum quales conſtituendi ſint.*

XV. *Ut ſynodus epiſcoporum regni expectetur, in qua quid facto ipſis opus ſit deliberent. Quanta reverentia regibus debeatur: & quod epiſcopi ad ſacramenta adigendi non ſint.*

## CAPITULA.

### I.

*Domino Hludowico regi glorioſo epiſcopi Rhemorum diœceſeos atque Rothomagenſis, qui adeſſe potuimus.*

Citantur hæc Capitula ab Hincmaro. Sunt & inter Capitula Caroli Calvi. *Nard.*

LItteras dominationis veſtræ quique noſtrum habuimus, quibus juſſiſtis, ut vobis VII. Kalendas Decembris [b] Rhemis occurreremus; quatenus ibi nobiſcum & cum ceteris fidelibus veſtris de reſtauratione ſanctæ eccleſiæ, & de ſtatu ac ſalute populi Chriſtiani tractaretis. Sed nos ad placitum illud occurrere non potuimus, & propter incommoditatem & brevitatem temporis, & propter inconvenientiam loci, & quod eſt lugubrius propter confuſionem tumultus exorti. Sed & divinis legibus, quas & vos obſervaturos cum veſtris fratribus nobis denuntiaſtis, cautum eſſe dignoſcitur, quia ſicut nec archiepiſcopi ſine coepiſcopis, ita nec epiſcopi ſine archiepiſcoporum conſenſu vel juſſu, niſi quæ ad proprias pertinent parochias debent præſumere: & in tam anguſto tempore archiepiſcoporum litteras non valuimus de conventu habere. Quapropter noverit veſtra ſublimitas, quia mandatum veſtrum noſtra non contempſit humilitas: ſed ſicut longe eſt ante nos dictum, Qui jubet impoſſibilia, facit ſe contemptibilem.

### II.

Sed & tractatum de reſtauratione ſanctæ eccleſiæ, & ſtatu ac ſalute populi Chriſtiani, quod nunc vos nobiſcum habere velle dicitis, juſtius & rationabilius illud haberi potuiſſet, ſi noſtris, quin potius divinis conſiliis, & obſervationibus atque obteſtationibus ſuperno reſpectu obtemperare voluiſſetis. quia non noſtra ſcripſimus, mandavimus, diximus: ſed quæ dictante caritate quæ Deus eſt, in litteris ſacris invenimus, & quæ ſcripſimus, mandavimus, diximus, acta ſunt vel aguntur, naturalis legis morbus & vitium etiam a minus ſapientibus eſſe dignoſcitur. Qua de re prudens quiſque reſipiſcat & ſapiat quam granditer Deus offenditur, quando in ſic grandibus & apertis non ignoranter peccatur. Unde ſcriptum eſt: *Deſcendant in infernum viventes*, id eſt, labantur in peccatum ſcientes. Quæ divina permiſſione merito mundi patientis propter communia peccata noſtra, paſtorum ſcilicet & gregum, propter delicta regis & regni eveniunt, ſicut ſcriptum eſt: *Immiſſiones per angelos malos. Viam fecit dominus ſemitæ iræ ſuæ.* Tamen ſicut Veritas proteſtatur, non erit ſine ultione vindictæ nec ipſa virga furoris domini. Sic legimus, ſic audivimus, & pro certo ſic cito videbimus, quoniam licet peccatores ſimus, ſed pœnitentes, & in divina clementia fortiter confidentes, miniſterium ſacrum operante Spiritu ſancto ſuſcepimus, ſine quo ſacra non miniſtramus, & nobis dictum a Veritate veraciter ſcimus: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

*Pſal. 54. — Pſal. 77. Iſa. 10. — Matth. 10.*

### III.

Et licet dominatio veſtra melius noverit de quibus ſcriptis, mandatis, & dictis dicamus, tamen non abre eſt, ſi etiam & nos illa ad memoriam veſtram reducamus. Primo quidem per Hildegarium venerabilem epiſcopum ſcriptis & dictis; Secundo per Æneam honorabilem epiſcopum litteris & verbis. deinde per Hincmarum Rhemenſem, & Wenilonem Rothomagenſem archiepiſcopos. Iterum per eoſdem cum aliis quos ipſi vocaſtis; ea quæ ſaluti fuerunt congrua ſufficienter audiſtis. Quando ſicut & ante petivimus, ut frater veſter & omnes fideles illius ante veſtram fideliumque veſtrorum præſentiam in rationes loco & tempore congruo veniſſemus, & quæ male geſta forent, veſtro conſilio & auxilio tum Dei adjutorio fierent emendata. Pro quibus omnibus dictis valde non obaudientibus timemus quod dicitur: *Si ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt*, & reliqua, quæ dominus comminatur. Et ſi illa non ſunt exaudita, putari poteſt & nec iſta, quæ vos dicitis apud nos velle quærere & audire, exaudientur. Videturque quibuſdam, ut ſicut dominus, quando quæſivit ficulnea cui maledixit, cum non eſſet teſte evangelio tempus ficuum, aliud voluerit ſignificari: ita & in hoc citato & incongruo conventu, remota dominationis veſtræ ſinceritate, de qua nihil contra puritatem volumus autumare, alia quædam poſſint intelligi. Et quia beatus Petrus omnem monet epiſcopum, ut paratus ſit ad ſatisfactionem omni poſcenti ſe rationem, quæ nunc videmus pro tempore damus fideliter dominationi veſtræ conſilia.

*Joan. 15. — Matth. 11. — 1. Petr. 3.*

### IV.

Primo quidem in ipſa radice cordis adventum veſtrum in hoc regnum inſpicite, & coram oculis domini, cui ſecundum pſalmiſtam cogitatio hominis confitetur, ſtatera æquitatis ponderate. & quidquid hortatores, & conſiliarii ac laudatores veſtri vobis dicant, ad cor redite: & quidquid ad accuſationem & commendationem adventus veſtri invenire & dicere potueritis, veſtram conſcientiam interrogate; & ſi talia ſuſtinere vultis qualia facitis judicate. Et illam horam, quam certi eſtis quia nullomodo poteritis effugere, quando anima veſtra de corpore exiet, ante mentis oculos ponite, quando totum mundum, & omnem poteſtatem, & omnes divitias, & ipſum corpus derelinquet. & ſine adjutorio uxoris ac filiorum, & ſine ſolatio & [c] comitatu drudorum, atque vaſſorum, nuda & deſolata exibit, & quidquid cogitavit & ordinare diſpoſuit infecta dimittet, ſicut dicit ſcriptura: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* & videbit omnia peccata ſua, & ſentiet videns diabolos ſe conſtringentes & coartantes. & quidquid contra caritatem, & fidem debitam cogitavit, parabolavit, & fecit in iſto ſæculo, & per dignos pœnitentiæ fructus non emendavit, ante oculos ſemper habebit, & effugere volet & non valebit. Nam certum eſt, quia ad omnes homines, quando egrediuntur de corpore, veniunt diaboli, & ad juſtos, & ad peccatores. ſed & ad ipſum Chriſtum venit, in quo ſuum nihil invenit, ſicut ſcriptum eſt: *Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Et crede nobis veraciter, rex utinam ſemper bone & Chriſtiane, nec longe eſt, ſed ſatis & pluſquam ſperetur prope tibi eſt illa hora. Propterea non te ſeducant iſta quæ vides. In tempore quippe patris veſtri vidimus per aliquos incepta & facta, quæ in tempore iſto per iſtos qui iſta conficiunt videmus fieri, & per alios videbuntur compleri. Et quando tibi adveniet hora exitus tui, ſicut rident nunc, quando per te obtinent quæ volunt in hora voluntatis ſuæ, ſic ridebunt & in hora exitus tui, & quærent quomodo per alium teneant quæ per te obtinuerunt. Quod & fieri poteſt ut quidam etiam quærant in tempore tuo. Sed & illi, niſi dignam pœnitentiam egerint, miſerabiliter ad illam horam venient exitus ſui, ſicut venerunt & illi qui defecerunt a patre tuo cum fratre tuo. Nam ut illi ordinantes ſeditiones in paternam reverentiam, ſic & iſti vos excitantes in fraternam dilectionem, nomen pacis & ſtatum eccleſiæ, & ſalutem ac unitatem populi obtendere ſtuduerunt; & latebat ſub melle venenum. Et completum eſt in illis, completurque in iſtis pſalmiſtæ dictum: *Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum*, & reliqua quæ ſequuntur. Et receperunt illi in ſæculo iſto quæ nota ſunt: & recepérunt in ſæculo altero, quæ in judicio plenius cognoſcentur. Quorum iſti intuentes exitum, timere debuerant actionem. Et facient, ſi illos reſpexerit dominus, qui reſpicit humiles, & cuſtodit parvulos. Et ſic *peſtilente flagellato*, ut ſcriptum eſt, *ſapientior erit parvulus.* & ſapient quia non repellet dominus plebem ſuam, nec obliviſcetur in finem. quoniam *propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit dominus.* Alioqui ſicut tunc dixit illis, ita & nunc dicit dominus iſtis: *Tacui, nunquid ſemper tacebo? quaſi parturiens clamabo.* Nondum venit hora mea: ſed nunc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, quia venient dies in te. Roga tibi quæſumus in tali loco, ubi bene poſſis intendere, homiliam ſancti Gregorii legere in lectione evangelii, *Videns Jeſus civitatem flevit ſuper illam.* Precamur vos, domine, ut & diem ante mentis oculos habeatis, quando cum omnibus hominibus anima veſtra proprium corpus recipiet, & venietis ante faciem æterni judicis in conſpectu omnium angelorum & hominum. In qua die, ſicut dicit ſanctus Paulus, judicabit dominus unumquemque, non per alienum teſtimonium: ſed occulta uniuſcujuſque per cogitationes accuſantes, aut etiam defendentes: quando recipiet unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Et non deſpicientur tunc noſtra verba, quæ ſcripſimus, ab eis qui nunc illa contemnunt, quando ſine dubio replicata erunt in teſtimonium in ipſo tremendo judicio. & nullus illorum te tunc adjuvabit, qui nec ſeipſum adjuvare ſufficiet: quando ibunt qui talia agunt in ignem æternum, & juſti qui injuſte patiuntur in vitam æternam.

*Pſal. 75. — Pſal. 145. — Joan. 14. — Pſal. 27. — Prov. 19. — Pſal. 11. — Iſa. 42. — Luc. 19. — Hebr. 10.*

### V.

Quia tanta & talia crudelia & abominanda fieri per parochias quas pertranſitis audivimus, & quidam ſentimus, quidam ſentire timemus, & illis qui ſenſerunt & ſentiunt dolemus, quæ calamitatem & miſeriam, quam a Paganis patimur, ſuperent: quoniam a Chriſtianis in Chriſtianos, a parentibus in parentes, a rege Chriſtiano in regem Chriſtianum, a fratre in fratrem, contra omnes leges divinas & humanas aguntur. Contra quos clamat eccleſia a Paganis afflicta: *Et ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et nos omnes, cunctique patientes: *ſuſtinuimus pacem & non venit: quæſivimus bona, & ecce turbatio.* Propterea talia prohibete, compeſcite, & ſedate. quoniam palatium veſtrum debet eſſe ſacrum, & non ſacrilegum. Palatium enim regis dicitur, propter rationabiles homines inhabitantes, & non propter parietes inſenſibiles, ſive macerias. & rex a regendo dicitur, ut ſe ſub Deo, & bonos cum Deo, puritate cordis, veritate oris, firmitate ſtabilitatis regat, & pravos a pravitate corrigat, & in rectitudinem dirigat. Et ſi quæ male facta ſunt emendare veniſtis, pejora quam viderimus a Chriſtianis in Chriſtianos fieri, ingerere non debetis. & ſi pacem facere adveniſtis, pacem pacifice ab auctore pacis obtinere debetis. & ſi diſcordiam effugere, & caritatem redintegrare veniſtis, illam quam Chriſtus per Paulum docuit monſtrare debetis. Ait enim: *Caritas non eſt ambitioſa, non agit perperam, non quærit quæ ſua ſunt, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.* quæ eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. quæ operatur per dilectionem, & non per poteſtatem & indebitam cupiditatem. Sine qua caritate, ſicut ſcriptum eſt, etiamſi quis tradiderit corpus ſuum ut ardeat, nihil illi prodeſt. quam omnibus dominus in ſignum dedit, ut ſciant, ſi quiſque eſt Chriſtianus, aut ſi intrabit in regnum Dei an non, dicens: *In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem.* Nam qui in primordio fidei diſcipuli appellabantur, nunc Chriſtiani dicuntur. Et ipſa eſt veſtis nuptialis, quam qui non habuerit, de nuptiis cæleſtis convivii in futuro judicio ejicietur in tenebras exteriores, & in ignem æternum. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

*Pſal. 68. — Jer. 14. — 1. Cor. 13. — Joan. 19. — Matth. 22.*

### VI.

Ipſa caritas vos contra Paganos accendat. ut quia tunc moti non ſunt ad pietatem, ut nobiſcum irent contra eos, qui de iſto regno amplos habebant & habent honores; quod ſi facerent, & zelo recto accenſi unanimiter vellent, expelli aut diſperdi Pagani adjuvante domino poterant: vel nunc quacumque intentione a dominatu illorum per veſtram ordinationem ſancta liberetur eccleſia; & regnum quod contra eos redimitur, a tributo indebito eripiatur. Sed & qui fugiunt a facie Paganorum, cum in illas partes venerint, in quibus degitis, refugium tranquillum inveniant; & non talem deprædationem, ut nec incolæ vivere, nec fugientibus ſolatium poſſint præbere. Quia nunc peccatis noſtris exigentibus completur quod olim dictum eſt per prophetam: *Qui fugerit a facie furoris, irruet in urſum: & cum intraverit domum, & innixus fuerit ſuper parietem, mordebit eum coluber: & cum effugerint arma ferrea, irruent in arcum æreum.* In omni enim parte miſeri, proh dolor! afflictionem inveniunt.

*Amos 5. — Job 20.*

### VII.

Et ſi eccleſiam Dei, ſicut nobis ſcripſiſtis, quæritis reſtaurare, debita epiſcopis & ſibi commiſſis eccleſiis privilegia intemerata, ſicut divinitus conſtituta ſunt, cuſtodite. Præcepta & immunitates, & honorem earum, ſicut avus & pater veſter

ſter conſervaverunt, conſervare curate: & quæ frater veſter, dominus noſter, qui & paterna donatione, & vobiſcum, cum veſtris veſtrorumque fidelium mutuis firmitatibus regni partem accepit, pro cultu & honore eccleſiarum egit, ſimiliter conſervate. & rectores ac paſtores eccleſiarum ut patres & Chriſti vicarios colite, ſicut ſancta ſcriptura præcipit dicens: Eccl. 7. & 4. *Sacerdotes Dei ſanctifica, & magnatis humilia caput tuum*. eorumque ſpiritalia conſilia obaudite, iterum dicente ſcriptura: Deut. 32. *Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi: majores tuos, & dicent tibi*. & item: *Interroga ſacerdotes meos legem meam*. Aggei 2. Et dominus per Malachiam prophetam: Malach. 2. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus domini exercituum eſt*. B Eoſque tempore incongruo & inopportuno nolite inquietare: ſed liceat eis miniſterium ſacrum, ad quod ordinati ſunt, in populi ſalutem peragere. ſibique domeſtica cura ſubjectos nolite concutere. & non ſinatis dehoneſtare, ſive opprimere. Ut presbyteris honor congruus, & jura debita, quæ canones & capitula avi & patris veſtri ſtatuerunt, conſerventur ſatagite. Ut epiſcopi quietam libertatem ſuas parœcias circumeundi, & prædicandi, ac confirmandi, atque corrigendi habeant ordinate. Ut miſſus reipublicæ, id eſt miniſter comitis, cum ipſis ſi juſſerint eat, qui liberos homines inceſtuoſos, ſi per admonitionem presbyterorum venire ad epiſcopum noluerint, eos ad epiſcopi placitum venire faciat commendate. C Ut ſi epiſcopus pro quacumque neceſſitate eccleſiaſtica ad vos direxerit, ad quem ſuus miſſus veniat, per quem quæ rationabiliter petierit obtineat, in palatio veſtro [d] ſicut comes palatii eſt in cauſis reipublicæ, miniſterio congruum conſtitutum habete. Ut temporibus a ſacris regulis conſtitutis comprovinciales ſynodos cum epiſcopis, & ſpeciales cum presbyteris habere quiete poſſint annuite. Res & facultates eccleſiaſticas, quæ ſunt vota fidelium, precia peccatorum, ſtipendia ancillarum & Dei ſervorum, deprædari & ab eccleſiis diſcindi nolite ſuſtinere: ſed fortiter, ut rex Chriſtianus & eccleſiæ alumnus reſiſtite atque defendite. De quibus conſecratis Deo rebus, quod habent liberi homines eccleſiis ſervientes, D per diſpoſitionem rectorum ipſarum eccleſiarum, ideo conſtituerunt apoſtolorum ſucceſſores hoc ordinari, ut quia creverunt fidelium vota, & increverunt infidelium mala, augeretur per diſpenſationem eccleſiaſticam regni militia ad reſiſtendam malorum nequitiam: quatenus ipſæ eccleſiæ defenſionem haberent & pacem, & Chriſtianitas obtineret tranquillitatem. Quapropter ſicut & illæ res ac facultates, de quibus vivunt clerici, ita & illæ ſub conſecratione immunitatis ſunt, de quibus debent militare vaſſalli. & pari tuitione a regia poteſtate in eccleſiarum uſibus debent muniri. Quia vero Carlus princeps, Pippini regis pater, qui primus inter omnes Francorum reges ac principes res eccleſiarum ab eis ſeparavit atque diviſit, E pro hoc ſolo maxime eſt æternaliter perditus. [e] Nam ſanctus Eucherius Aurelianenſium epiſcopus, qui in monaſterio ſancti Trudonis requieſcit, in oratione poſitus ad alterum eſt ſæculum raptus: & inter cetera quæ domino ſibi oſtendente conſpexit, vidit illum in inferno inferiore torqueri. Cui interroganti ab angelo ejus ductore reſponſum eſt, quia ſanctorum judicatione, qui in futuro judicio cum domino judicabunt, quorumque res abſtulit & diviſit, ante illud judicium anima & corpore ſempiternis pœnis eſt deputatus: & recepit ſimul cum ſuis peccatis

[e] De tota hac narratione quæ Caroli Martelli memoriam infamat. Vide Bar. an. 741. & pag. 47. notarum Sirmondi ad capitula Caroli Calvi.

A pœnas propter peccata omnium, qui res ſuas & facultates in honore & amore domini ad ſanctorum loca in luminaribus divini cultus, & alimoniis ſervorum Chriſti, ac pauperum, pro animarum ſuarum redemptione tradiderant. Qui in ſe reverſus, ſanctum Bonifacium, & Fulradum abbatem monaſterii ſancti Dionyſii, & ſummum capellanum regis Pippini, ad ſe vocavit, eiſque talia dicens in ſignum dedit, ut ad ſepulcrum illius irent, & ſi corpus ejus ibidem non reperiſſent, ea quæ dicebat vera eſſe concrederent. Ipſi autem pergentes ad prædictum monaſterium, ubi corpus ipſius Carli humatum fuerat, ſepulcrumque illius aperientes, viſus eſt ſubito exiſſe draco, & totum illud ſepulcrum interius inventum eſt denigratum, ac ſi fuiſſet exuſtum. B Nos autem illos vidimus, qui uſque ad noſtram ætatem duraverunt, qui huic rei interfuerunt, & nobis viva voce veraciter ſunt teſtati quæ audierunt atque viderunt. Quod cognoſcens filius ejus Pippinus, ſynodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum ſancto Bonifacio legatus apoſtolicæ ſedis, Georgius nomine. Nam & ſynodum ipſam habemus, & quantumcumque de rebus eccleſiaſticis quas pater ſuus abſtulerat, potuit eccleſiis reddere procuravit. Et quoniam omnes res eccleſiis, a quibus ablatæ erant, reſtituere propter concertationem, quam cum Waifario Aquitanorum principe habebat, non prævaluit; precarias fieri ab epiſcopis exinde petiit, & C nonas ac decimas ad reſtaurationes tectorum, & de unaquaque caſata XII. denarios ad eccleſiam unde res erant beneficiatæ, ſicut in libro capitulorum regum habetur, dari conſtituit, uſque dum ipſæ res ad eccleſiam revenirent. Unde & domnus Carolus imperator, adhuc in regio nomine conſtitutus, edictum fecit, ut neque ipſe, nec filius ejus, neque ſucceſſores hujuſmodi rem agere attentarent, quod manu propria firmavit: cujus plenitudinem habemus, & de quo capitulum exceptum in libro capitulorum ejus, quicumque librum illum habet & legere voluerit, invenire valebit. Hanc etiam relationem, & in ſcripturis habemus, & quidam noſtrum etiam viva voce domnum Hludouvicum imperatorem, patrem veD ſtrum, referre audivimus. Sed & ſacri canones Spiritu ſancto dictati eos qui facultates eccleſiaſticas diripiunt, & res eccleſiaſticas indebite ſibi uſurpant, Judæ traditori Chriſti ſimiles computant: & ſancti, qui cum Deo in cælo regnant, & in terris miraculis coruſcant, divino judicio tamquam necatores pauperum ab eccleſiæ liminibus, & a cæleſti regno ſecludunt. De quibus ſacrilegis in prophetia pſalmi prædictum eſt: *Qui dixerunt: Hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. & ſicut ignis qui comburit ſilvam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. imple facies eorum ignominia*. Pſal. 82. E

VIII.

Monaſteria etiam religioſa, atque præcipua canonicorum, & monachorum, atque ſanctimonialium, quæ ab antiquo tempore ſub religioſi habitus rectore vel rectrice fuerunt, & quando parentes veſtri primatum regni tenuerunt, & etiam quando ſanctus Remigius Francos ad fidem operante domino convertit, & cum rege ipſorum baptizavit, & frater veſter domnus noſter partim juventute, partim fragilitate, partim aliorum callida ſuggeſtione, etiam & minarum neceſſitate, quia dicebant petitores, niſi

eis





eis illa loca ſacra donaret, ab eo deficerent, & ipſe aliquando per vos, ſicut nunc paret, aliquando per fratrem veſtrum regnum deſtitutus ab eis perderet, talibus ſicut ſcitis perſonis commiſit, debito privilegio reſtituite. Nam idem frater veſter, & divina inſpiratione, & ſacerdotali redargutione, & etiam ab apoſtolica ſede commonitus, ex aliqua parte quæ perpere egit correxerat, quæ autem adhuc incorrecta erant, quomodo emendare poſſet gemebundus quærebat. Abſit autem ut vos, qui pro reſtauratione ſanctæ eccleſiæ huc veniſtis, aut illa quæ ipſe emendavit deterioretis, & ſicut ille offendit & vos offendatis; aut quæ ipſe necdum emendare potuit, inemendata ſinatis. Qui ſæpe, ſicut & nos teſtes ſumus, fratres veſtros de talibus monuiſtis, & in omni annuntiatione, quam communiter faciebatis, promptiſſime inde diſputabatis. ſicut & ſecus Teudonis villam, in loco qui Judicium dicitur, capitula quæ habemus, cum veſtris fratribus acceptaſtis, & in chirographo apud Marſnam manu propria confirmaſtis. Contra quod ſi forte aliquis egit, non propterea vos immunes eritis, ſi illud, quod teſte domino pepigiſtis & confirmaſtis, obſervare, quod abſit, non ſtudueritis. Neminem quippe adjuvat qui aliena mala reprehendit, niſi & ipſe illa caveat, quod Rom. 2. demonſtrat Paulus dicens: *Putas, o homo, quod tu evades judicium Dei, qui eadem agis quæ judicas?*

IX.

Rectores etiam monaſteriorum, quibus monaſteria committitis, firmiter & obnixe præcipite, ut ſecundum ordinem, & habitum, & ſexum, quo inhabitantes conſtituti ſunt, ſolicite & ſolerter provideant, ut ſecundum debitum ordinem ſervi vel ancillæ domini vivant, & neceſſaria ſtipendia in victu & veſtitu, & ceteris quibuſque habeant, & domos ac ſervitores, prout competit, ſicut religioſi & habitus & converſationis rectores, eis provideant. Suſceptionem etiam hoſpitum & pauperum nullo modo negligant. Et quia inconvenientes perſonæ, & res tales quæ religioni non congruunt, monaſteria non introducantur, non dicimus: quoniam religioſi rectores providentiam, & curam debitam inde ſumere debere non ignoramus.

X.

Hoſpitalia peregrinorum, ſicut ſunt Scotorum, & quæ tempore anteceſſorum veſtrorum regum conſtructa & conſtituta fuerunt, ut ad hoc ad quod deputata ſunt teneantur, & a rectoribus Deum timentibus ordinentur, cuſtodiantur, & diſpenſentur, obtinete. Sed & rectoribus monaſteriorum & xenodochiorum, id eſt, hoſpitalium, præcipite, ut ſicut canonica docet auctoritas, & capitula avi & patris veſtri præcipiunt, epiſcopis propriis ſint ſubjecti, & monaſteria atque hoſpitalia ſibi commiſſa ipſorum regant conſilio. Qui epiſcopi paternam ſolicitudinem eis ſecundum miniſterium illorum ſtudebunt impendere. Et quia ſæpe unicuique in omni ordine competentem legem & juſtitiam, una cum fratribus veſtris frequenti annuntiatione perdonaſtis, eccleſiaſtici & religioſi habitus viri ac feminæ, atque peregrini & pauperes, in quibus ſpecialiter Chriſtus ſuſcipitur, perdonationem veſtram ſibi ſentiant ſemper adeſſe.

XI.

Et quia de ſtatu & ſalute populi Chriſtiani, ſicut nobis ſcripſiſtis, vultis quærere, primo a vobis ipſis incipite, qui alios debetis corrigere, ſicut Luc. 4. ſcriptum eſt: *Medice cura temetipſum*. & munda debet manus a ſordibus eſſe, quæ alienas ſordes

A curat detergere. & quæ in aliis debetis corrigere, nemo in vobis juſte valeat reprehendere. Super quantos enim eſtis in regni culmine, ſuper tantorum moribus debetis ſervire, & ſicut lucerna ſuper candelabrum in domo poſita bonitatis exempla monſtrare. quia omnium oculi in vos debent intendere. quos ſi malo exemplo deſtruxeritis, qui per vos & a vobis in bonum debuerant ædificari, ſub tantis ſine dubio in futuro ſæculo in pœnis vos neceſſe erit torqueri. Propterea oportet ut qui rex eſtis, & dominus appellamini, in illum ſemper ſuſpenſo corde ſuſpiciatis, a quo videlicet regum rege & domino dominorum nomen regis & domini mutuatis. Et ſicut ille diſponit orbem terræ in æquitate, & ad hoc, B ſicut in libro ſapientiæ dicitur, conſtituit hominem, ut ipſe ſimiliter faciat, imitamini illum, ſi vultis regnare cum illo. quia qui dicit ſe in Sap. 7. Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit & ipſe ambulare, qui dicit: *Eſtote & vos perfecti, ſicut &* Matth. 5. *pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Et ſi dixeritis, Quomodo poſſum eſſe perfectus, cum alia ſcriptura dicat: *Si quis in verbo non offendit, ille per-* Jacob. 3. *fectus eſt vir*? non cadit a perfectione, qui non peccat malitiæ cupiditate. *Septies enim cadit juſtus* Prov. 24. *& reſurgit: impii autem corruunt in malum*. & : *Juſtus cum ceciderit non collidetur, quia dominus* Pſal. 36. *ſupponit manum ſuam*. Qualitercumque vero quis peccat, cupiditatis voluntate, aut fragilitatis neceſſitate, nemo illi melius prævalet judicare, C quam conſcientia ſua, quæ non poteſt latere oculos inſpectoris ſui. Propterea ita oportet vos vivere, judicare, & agere, etiam in occulto, quaſi ſitis ſemper in publico. quia ſæpe talis vos verbo laudabit, qui corde acriter reprehendet: ſæpe etiam illa quæ vobis & in vobis laudaverit, apud alios de vobis reprehenſibilia judicabit. Sic autem ut dicimus adjuvante domino vivere, judicare, & agere prævalebitis, ſi vos non ſtimulaverit amor privatus: ſi non vos inflammaverit cupiditas gloriæ, divitiarum, poſſeſſionum, & potentatus: ſi non plus credideritis alienæ linguæ, quam propriæ conſcientiæ. ſi vos non roſerit tinea adulationis: ſi non vos uſſerit livor alienæ felicitatis: ſi vos non vexaverit neglectus animæ & amor D carnis: ſi credideritis regem Chriſtum non pro ſe, id eſt, non pro ſua neceſſitate mortuum, ſed pro nobis, ut viveremus qui mortui eramus. & vos, rex, plus ſtudeatis aliis vivere in ſalutis ſuæ utilitatibus, quam vobis ipſis in propriis voluntatibus. ſi ſcieritis vos eſſe morituros, & vos credideritis de factis propriis rationem domino reddituros, & quæ digne receperitis, ſine fine & immutatione aliqua habituros.

XII.

Domum veſtram domeſticam ſic nutrite, regite, & diſponite, ut quando regni populus ad vos convenerit, in vobis, & in domeſticis veſtris videant, qualiter ſe atque domum, cum quanta humilitate atque caſtitate, quam ſobrie, quam E juſte, quam pie nutrire, diſponere debeant, & gubernare. quia ſicut quidam ſapiens dixit, ſecundum mores domini erit familia cuſtodita. Et ideo [f] domus regis ſchola dicitur, id eſt diſciplina. quia non tantum ſcholaſtici, id eſt, diſciplinati, & bene correcti ſunt ſicut alii: ſed potius ipſa ſchola, quæ interpretatur diſciplina, id eſt, correctio, dicitur: quæ alios habitu, inceſſu, verbo, & actu, atque totius bonitatis continentia corrigat. Et vos, ſicut paxillus non bene infixus, niſi in domino virtutum innixi fortiter fueritis, & vos cadetis, & qui in vobis pendent labentur. Quapropter ſicut dominus ſub poteſtate conſti-

ANNO CHRISTI 858.

tutos ex tentatorum occaſione docuit reddere quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: ita & vos qui ſub Deo eſtis, & ſuper homines eſtis, reddite quæ ſunt Dei Deo, & ſicut Cæſar æquus, quæ ſubditorum ſunt ſubditis reddite. Reddite Deo puram & immaculatam fidem, & ſinceriſſimum cultum in ſacerdotibus, in eccleſiarum privilegiis, in ſacris locis, in eccleſiaſticis & religioſis viris ac feminis, in defenſione eccleſiæ & Chriſtianitatis, in æquitate & juſtitia populi Chriſtiani, in ſublevatione & tranquillitate, & conſolatione omnium indigentium, ſicut præmiſimus, reddite illi quotidianum penſum in quotidiana oratione, in juſtis & aſſiduis eleemoſynis. offerte illi devotionem veſtram in ſacris oblationibus, & lacrymis ſecundum magnitudinem ac multitudinem quotidianorum peccatorum profuſis. Reddite ſubditis judicium cum miſericordia, juſtitiam cum æquitate. Studete exaltare humiles & Deum timentes, & debellare atque humiliare ſuperbos. Studete a bonis plus diligi, quam timeri. Curate ut mali, ſi non propter Deum, vel propter timorem veſtrum malum agere metuant. Non plus apud vos lingua doloſa, manus plena, obſequium indebitum valeat, quam veritas, æquitas, & ſinceritas. ſcientes ſcriptum: Iſa. 33. *Qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitabit*. Unde conſequenter intelligi debet, Et non alius. Munus eſt enim a lingua, favor: munus a manu, * dominatio: munus ab obſequio, indebita ſubjectio. (* ſor. donatio.) Conſtituite miniſtros palatii, qui Deum cognoſcant, ament, & metuant: qui maximam curam gerant, quatenus quicumque ſ neceſſitoſi palatium adierint, & per quos perrexeritis, patrem & conſolatorem mirantes, gaudendo vos videre occurrant; non, qualiter dicere nolumus, gemendo & maledicendo refugiant. Conſtituite comites & miniſtros reipublicæ, qui non diligant munera, qui odiant avaritiam, qui deteſtentur ſuperbiam: qui non opprimant, h neque dehoneſtent pagenſes: qui meſſes & vineas, & prata, & ſilvas eorum nequaquam devaſtent. qui eorum pecora & friskingas, vel quæque illorum ſunt, non prædentur atque diripiant, & per violentiam ac mala ingenia quæ illorum ſunt nullo modo auferant. Qui epiſcoporum ſuorum conſilio, quæ Dei ſunt, & Chriſtianitati conveniunt, faciant. Qui placita non pro acquiſitione lucri teneant: ſed ut caſæ Dei, & viduæ, ac pupilli, & populus juſtitiam habeant: & plus litigantes ad concordiam ſalva juſtitia revocare ſtudeant, quam committere, ut ipſi inde aliquod lucrum poſſint habere. Quos ſi pacificare non potuerint, tunc ſicut rectum eſt, juſtum judicium decerni cum magna ſolicitudine faciant, ſcientes ſcriptum eſſe: Mich. 6. *Indicabo tibi homo quid ſit bonum, Id eſt facere judicium & juſtitiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo*. id eſt, ut quod illi placet, tibi placeat, & facias: quod illi diſplicet, tibi diſpliceat & non facias. Quod ſi per fragilitatem feceris, non contumaciter vel pertinaciter in tuo malo facto perſeveres: ſed ſtatim pedem ſicut a ferro calido revoca, & in viam voluntatis domini tui dirige. Et ſicut ſcriptum eſt: Prov. 16. Quia *ſunt viæ, quæ videntur hominibus bonæ, & ducunt ad interitum*, fac ſicut ſcriptura tibi præcipit, Jer. 6. quicumque es homo, *interroga de via bona & ambula per eam*. quia, ſicut dicitur in Matth. 7. euangelio: *Ampla via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi vadunt per eam: & arcta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam*. Propterea quicumque es homo, audi prophetam, & ora cum propheta: Pſal. 118. *Legem pone mihi domine viam juſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper*. &: *Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, & viam iniquitatis amove a me, & a lege tua miſerere mei*. quia ſi Jeremias propheta dicit: Jer. 10. *Non eſt hominis via ejus, nec viri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos: ſed a domino diriguntur greſſus viri, & viam ejus volet*. Ipſi comites ſimiliter, quantum potuerint, ſimiles ſibi timentes Deum, & juſtitiam diligentes * per ſe miniſtros conſtituant, (* pro) qui ſicut ſeniores ſuos benignos, & affabiles pagenſibus ſuis viderint, & ipſi pro modulo illos imitari in omni bonitate & juſtitia certent.

XIII.

Homines etiam & potentes ſæculi, qui inter iſtas ſeditiones legis jugum & juſtitiam æquitatis refugerunt, & talia ac tanta fecerunt, pro quibus eccleſiaſticam & epiſcopalem excommunicationem meruerunt, ad leges & juſtitiæ tramitem revocate, & ut ad ſuos epiſcopos humiliter, ſicut eis neceſſe eſt, veniant jubete vel cogite; & ut eccleſiæ, in quam peccaverunt, aut cum debita neceſſaria humilitate ſatisfaciant, aut humiliter & veraciter ſe excuſent, qualiter abſolvi a domino per miniſterium epiſcopale valeant, ſuadete, atque regia poteſtate præcipite. Et ſi forte vos, vel quicumque alii de eorum ſocietatis & conjunctionis communione infecti & condemnati ſunt, pœnitentiam quiſque ſe recognoſcendo faciat: quia teſte ſacra auctoritate, non poterit abſolvi a ſuis, qui peccatis damnabiliter gravatur externis: ſicut orans dominum ſanctus propheta David demonſtrat dicens: Pſal. 18. *Ab occultis meis munda me, domine, & ab alienis parce ſervo tuo*.

XIV.

[1] Judices denique villarum regiarum conſtituite, qui non ſint cupidi, & non diligant avaritiam, & uſuras nec ipſi faciant, nec pecunias regias, vel ſuas ad uſuras donent; neque a ſuis ſubditis uſuras fieri ſinant. Quæ omnia vos ſuper omnes miniſtros veſtros odire debetis, & fugere. Et ſervos regios judices non opprimant, nec ultra quod ſoliti fuerunt reddere tempore patris veſtri ab eis exigant: neque per angarias in tempore incongruo illos affligant, neque per dolos, aut per mala ingenia, ſive inconvenientes precationes, colonos condemnent. quia ſi per tales, vel alias hujuſmodi factiones, pondus argenti vel auri habueritis in arca, majus & gravius pondus erit peccati, quod habebitis in conſcientia veſtra & anima. Ædificent villas veſtras moderatis caſticiis, & ut honeſtas neceſſaria ſit, & familia non gravetur. Laborent & excolant vineas in tempore cum debita ſolicitudine: ſolvant & diſpenſent laborata cum fideli diſcretione, faciant k nutrimenta congrua & neceſſaria: cuſtodiant ſilvas, unde habeant paſtionem: defendant & excolant prata, unde habeant pabula. quatinus non ſit vobis neceſſe per qualcumque occaſiones quorumque hortatibus circuire loca epiſcoporum, abbatum, abbatiſſarum, & comitum, & majores quam ratio poſtulat [l] paratas exquirere, & pauperes eccleſiaſticos, & fidelium veſtrorum m manſuarios, & in carricaturis & paraveredis contra debitum exigendis gravare, & peccatum de facultatibus indebite conſumptis in animam veſtram congerere. Neque a comitibus vel fidelibus veſtris plus ſtudeatis, quam lex & conſuetudo fuit tempore patris veſtri, de hoc quod de francis accipiunt, exquirere. Quin potius habeatis unde ſufficienter, & honeſte cum domeſtica curte veſtra poſſitis vivere, & legationes palatium veſtrum adeuntes recipere, &, ſicut ſcriptum eſt, unde poſſitis de juſtis laboribus neceſſitatem patientibus tribuere. quia rex & largus debet eſſe, & non quod largitur de injuſtitia vel iniquitate debet conquirere. Judices vero villarum colonos diſtringant, & non eccleſiaſticos homines, vel francos pauperiores, aut alienos ſervos propter privilegium regium opprimant, aut ſilvas vel quæque aliorum ſunt in ſua vicinitate devaſtent. Quia rex juſtus, qui juſtitiam debet diligere, miniſtros aut colonos impios & iniquos non debet habere, ſed omnibus in ſe, & in ſuis debet imitationem debitam demonſtrare. Quia ſi ipſe Deum dilexerit, omnes boni diligent illum. & ſi ipſe Deum timuerit, omnes mali timebunt illum: Et rex atque ſui miniſtri per amorem Dei bonum faciant, & omnes bona facere doceant, & per timorem Dei mala fugiant, & omnes in illis mala fugere diſcant. Miſſos etiam tales per regnum conſtituite, qui ſciant qualiter comites, & ceteri miniſtri reipublicæ, juſtitiam & judicium populo faciant. qui ſicut comitibus præponuntur, ita ſcientia & juſtitia ac veritate ei præmineant.



ANNO CHRISTI 858.

XV.

Et quia litteris veſtris ſignificaſtis, quod nobiſcum de reſtauratione ſanctæ eccleſiæ, & ſtatu ac ſalute populi Chriſtiani tractare velletis, dominationi veſtræ ſcripto reſpondere curavimus, quia & pro inclementia aeris, & pro inconvenientia temporis, & propter imminentem diem domini noſtri natalis, venire ad præſentiam veſtram nequivimus. Operamini vos interim iſta, quæ cum fidelibus veſtris ſine noſtra corporali præſentia operari valetis: & cum tempus congruum, & ſacris canonibus deſignatum advenerit, quando & pro paganorum infeſtatione, & pro exorti tumultus, ac deprædationum, atque rapinarum miſerrima nimis confuſione nobis licuerit, cum domnis & fratribus, ac comprovincialibus archiepiſcopis & epiſcopis ſynodum faciente domino celebrare, quæ his ſunt reſidua cum eis ſicuti cum magiſtris & patribus tractare, & veſtræ dominationi debitum conſilium dare ſtudebimus. Et ſi Deus ſoliditatem & ſalutem eccleſiæ atque regni in manu veſtra adunare, & proſperari decreverit, quæ cum archiepiſcopis & epiſcopis noſtris plus congruere divinis diſpoſitionibus viderimus, agere ſub famulatu recti regiminis veſtri ſtudebimus. Potens eſt enim Deus minus bonum initium in perfecte bonum commutare proceſſum, cui noſcitur eſſe poſſibile, quod impoſſibile ſolent homines judicare. Si enim ſapientia veſtra dignum judicat loqui & tractare n cum vicino rege, ejuſque fidelibus, ſecedente de iſta parte regni domno noſtro, fratre videlicet veſtro, multo magis nos oportet expectare tempus canonicum, ut cum fratribus & comprovincialibus archiepiſcopis & epiſcopis loquamur, quia generalis cauſa imminet totius Ciſalpinæ eccleſiæ. Maxime autem nobis neceſſe eſt loqui cum illis archiepiſcopis & epiſcopis, qui conſenſu & voluntate populi regni iſtius, domnum noſtrum fratrem veſtrum o unxerunt in regem ſacro chriſmate divina traditione: quemque ſancta ſedes apoſtolica mater noſtra litteris apoſtolicis ut regem honorare ſtuduit, & confirmare. Legite libros regum, & invenietis quanta reverentia reprobatum & abjectum a domino Saul ducere dignum duxit ſanctus Samuel, cujus locum in eccleſia nos licet indigni tenemus: Et attendite quam magni pendit ſanctus David, in loco illius electus & unctus a domino, mittere manum in chriſtum domini; cum Saul non ſolum ex alia progenie, verum ex alia tribu erat, & illum rejectum, & ſe electum a domino cognoſcebat, & nihil firmitatis Sauli David fecerat, ſed plurimum adjutorium, & devotam ſervitutem ei impenderat. Et neque bello auferre, neque ingenii dolo illi regnum ſurripere attentavit. Et cum multos ad hoc ſuaſores & auxiliarios habuiſſet nulli autem ut hoc moliretur accommodavit: quamvis multas perſecutiones, & morti proximas ab eo ſæpiſſime ſuſtinuerit. Inſuper & bene ſcitis quid de illo juſſerit, qui, licet mendaciter, pro illius tamen gratia acquirenda ſe manum miſiſſe in chriſtum, id eſt unctum domini, nunciavit. Nam ſi eſt aliquis qui hæc ignoret, nos ei dicimus, quia gladio eum interficere juſſit. Sic & qui infideliter & contumaciter in unctum qualemcumque domini manum mittit, dominum chriſtorum Chriſtum contemnit, & in anima procul dubio ſpiritalis gladii animadverſione perit. Hæc dicimus, non ut exaggerationes contra dominationem veſtram incongruas exquiramus: ſed ut evidentius pro qualitate noſtri miniſterii quid excepta debita fide, & beneficentia, nobis in fratre veſtro reverendum ſit, demonſtremus. Talem vos nempe debemus & volumus credere, ut nec vos regni augmentum cum animæ veſtræ detrimento velitis habere: neque nos cum tali dedecore ad adjutorium eccleſiaſtici regiminis & gubernationis recipere, ut ſine ſacerdotio ſimus, quo privati erimus, ſi contra Deum & rationis auctoritatem nos, eccleſiaſque noſtras, vobis ſtuduerimus committere. Eccleſiæ ſiquidem nobis a Deo commiſſæ non talia ſunt beneficia, & hujuſmodi regis proprietas, ut pro libitu ſuo inconſulte illas poſſit dare vel tollere. Quoniam omnia quæ eccleſiæ ſunt, Deo conſecrata ſunt. Unde qui eccleſiæ aliquid fraudatur aut tollit, ſacrilegium ſecundum ſanctam ſcripturam facere noſcitur. Et nos epiſcopi domino conſecrati, non ſumus hujuſmodi homines ſæculares, ut in vaſſallatico debeamus nos cuilibet commendare, ſeu ad defenſionem & adjutorium gubernationis in eccleſiaſtico regimine nos, eccleſiaſque noſtras committere, aut jurationis ſacramentum, quod nos euangelica & apoſtolica, atque canonica auctoritas vetat, debeamus quoquomodo facere. Manus enim chriſmate ſacro peruncta, quæ de pane & vino aqua mixto per orationem & crucis ſignum conficit corpus & Chriſti ſanguinis ſacramentum, abominabile eſt, quidquid ante ordinationem fecerit, ut poſt ordinationem epiſcopatus ſæculare tangat ullo modo ſacramentum. Et lingua epiſcopi, quæ facta eſt per Dei gratiam clavis cæli, nefarium eſt, ut ſicut ſæcularis quilibet ſuper ſacra juret in nomine domini, & ſanctorum invocatione. niſi forte, quod abſit, contra eum ſcandalum acciderit eccleſiæ ſuæ: & inde ſic temperanter agat, ſicut domino docente conſtituerunt rectores eccleſiæ ſynodali concilio. Et ſi aliquando ſacramenta ab epiſcopis exacta, aut acta fuerunt, contra Deum, & eccleſiaſticas regulas, quæ Spiritu ſancto dictatæ, & Chriſti ſunt ſanguine confirmatæ, acta ſanctæ ſcripturæ paginis declarantur; & exigentes atque facientes medicamento exinde ſalutaris pœnitentiæ indigent. Propterea expectate, domine, patienter, ſicut princeps Chriſtianus, & eccleſiæ filius, & honorate eccleſiæ ſanctæ rectores, ut vos honoret qui nobis dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Luc. 10. &: *Honorantes me honorabo, & qui temnunt me, erunt ignobiles*. 1. Reg. 2. &: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Zach. 2.

ANNO CHRISTI 858.

Pſal. 104. Pſal. 36. Et in pſalmo: *Nolite tangere chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* quoniam *qui malignantur*, id eſt maligna agunt, *exterminabuntur: ſuſtinentes autem dominum ipſi hereditabunt terram*, hoc eſt regnum Dei. Et cum venerit tempus & locus, ſicut ſuperius diximus, loquemur cum noſtris confratribus, & ſicut domini juſti diſpoſitionibus viderimus, ſine dubio faciemus. Et non eſt rationabilis cauſa, quæ contra hoc quod petimus vos debeat ſtimulare. quia non ſumus hujuſmodi homines, ut cum cognoverimus voluntatem domini, velimus aut debeamus quoquomodo reſultare, & rixas, & diſſenſiones, ſeu ſeditiones, quas vulgus vverras nominat, debemus commovere, conſerere, vel tenere, quos dominus pacis prædicatores & ſectatores voluit ordinare. & peccata noſtra, atque nobis commiſſorum, & etiam totius populi, conſtituit plangere & curare: & bellum cum vitiis, & pacem cum fratribus juſſit habere. Nos & quidem pacem, & quietem, non rixas & bella optamus, & quærimus. quia ſicut dicit apoſtolus: *Non ſunt nobis carnalia arma, ſed ſpiritalia, & potentia Deo.* (1. Cor. 10.) quibus ſimul calciati pedes in præparatione euangelii pacis, induti lorica juſtitiæ, & galea ſalutis, accincti lumbos in veritate, habentes ſcutum fidei, & gladium Spiritus ſancti. quia non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Et non militamus terreno regi, ſed cæleſti, pro ſalute & noſtra, & terreni regis, & totius populi nobis commiſſi. quorum officium eſt nulli nocere, contra neminem infideliter agere, omnibus autem velle prodeſſe. Tandem, domne nobis rex, contra Deum, & contra animam veſtram non audiatis illos qui dixerint, ſi forte vobis dixerint, Non tibi ſit curæ, rex, quæ tibi referunt p illi fellones atque ignobiles: hoc fac quod tibi dicimus, quoniam cum noſtris, & non cum iſtorum parentibus tenuerunt parentes tui regnum. Nos autem obſecramus dominationem veſtram, attendite potius (ſi Chriſtianus rex eſtis, ſicut &, Deo gratias, eſtis, & in illum creditis, & per illum regnare vultis, per quem, ſicut ſcriptum eſt, *reges regnant*, (Prov. 8.) & cujus eſt regnum, immo orbis terræ & plenitudo ejus) quia idem Deus in carne veniens, qui ſolus rex fieri potuit & ſacerdos, & in cælum aſcendens, ſuum regnum, id eſt eccleſiam, inter pontificalem auctoritatem, & regiam poteſtatem gubernandum diſpoſuit. & non elegit ad hoc divites & nobiles, ſed pauperes & piſcatores, & ſicut ſcriptum eſt, *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit, ut confundat fortia.* (1. Cor. 1.) Et fieri poteſt, ut tales vobis iſta dicant, ſi forte minus neceſſario Deum timentes vobis dixerint, cum quorum parentibus diabolus, qui ſecundum ſcripturam *eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*, (Job. 41.) regnum Chriſti quod eſt eccleſia conturbaverit, & nunc eos in regno ſuo, id eſt in inferno retineat, & ſecum in ſæcula retinebit. Pro certo autem ſciatis, quia cum noſtris parentibus, id eſt cum apoſtolis Chriſtus rex regnum ſuum, id eſt eccleſiam conquiſivit, ampliavit, & rexit: & per nos, & nobiſcum, utinam non ad judicium noſtrum dicamus, eamdem eccleſiam, id eſt regnum ſuum quotidie acquirit, auget, atque gubernat idem dominus Jeſus Chriſtus, ſicut dictum eſt a domino eccleſiæ per prophetam: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*; (Pſal. 44.) id eſt pro apoſtolis creavi tibi epiſcopos, qui te regent &

A doceant. Cum qua eccleſia nobis a Deo commiſſa, rex Chriſtiane & domne, ſicut litteris veſtris juſſiſtis, jejuniis & orationibus ac litaniis dominum ſummum gubernatorem in navi ſanctæ eccleſiæ fluctuante in hoc mare, id eſt ſæculo naufragoſo, peccatis noſtris communibus dormientem pulſare & excitare, & pro vobis deprecari ſtudebimus, ut quantocius pro ſua ineffabili pietate evigilet, & imperet ventis & mari, id eſt tentationibus diabolicis, & inquietudinibus ſæcularium hominum, & redeat quantulacumque tranquillitas, gratia & miſericordia ejuſdem domini noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt & ſit poteſtas, & honor, & gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

B

## NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Epiſtola epiſcoporum.* ] Prodiit inter Caroli Calvi capitula tit. XXIII. Miſſam autem e ſynodo fuiſſe teſtatur Hincmarus ad Carolum regem: *Nolite*, inquit, *negligere illa capitula, quæ ſynodus de Cariſiaco per VVenilonem & Erchanraum tranſmiſit ad hunc Attiniacum præterito anno Hludouvico fratri veſtro, & me tranſmittente Hincmarus filius meus vobis dedit, quando vobiſcum in Burgundia fuit. Sed relegite illa diligenter, quia mihi credite plus pro vobis, quam pro illo facta fuerunt.*

### Ejuſdem P. SIRMONDI Notæ uberiores.

a *In menſe Novembrio.* ] Ludovicus, ut eſt in annalibus Pithœanis, Auguſto menſe in Galliam cum exercitu ex Germania venit. Cui ad Breonam Karolus occurrens, maxima C ex parte derelictus a ſuis, pridie Idus Novembris, ut Hincmarus in epiſtola v. notat, gradum referre coactus eſt. Tumultum Breonenſem Hincmarus idem vocat contra Gotheſcalcum. Tertio poſt menſe redintegratis copiis ad Ludovicum rediit, qui pæne jam ab omnibus deſtitutus, de pago Laudunenſi exceſſit, atque in patriam reverſus eſt. Quo vero tempore in Gallia hæſit, partem in Attiniaco palatio exegit. Quod & titulus hic declarat, & Karoli regis proclamatio adverſus VVenilonem c. VII. In eo igitur palatio erat, cum ab epiſcopis Karoli partium ſtudioſis ſcripta eſt eodem ipſo Novembri menſe aurea hæc epiſtola. De qua Hincmarus item Karolo regi: *Et nolite negligere illa capitula, quæ ſynodus de Cariſiaco per VVanilonem & Erchanraum tranſmiſit ad hunc Attiniacum præterito anno Hludouvico fratri veſtro, & me tranſmittente Hincmarus filius meus vobis dedit, quando vobiſcum in Burgundia fuit. Sed relegite illa diligenter: quia, mihi credite, plus pro vo-* D *bis quam pro illo facta fuerunt.* De eadem Flodoardus lib. III. c. XX. de Hincmari epiſtolis agens: *Item aliam de pervaſione regni fraterni, cum ceteris regni hujus epiſcopis, ad eundem regem Ludovicum ſcribit epiſtolam epiſcopali moderatione refertam.* Quæ verba auctorem illum hujus epiſtolæ fuiſſe ſignificant. Nam de hac loqui obſcurum non eſt. Extant præterea Karoli regis diplomata duo, unum pro S. Dionyſio Compendii datum anno regni ejus XXIII. quod Ludovici fugæ diem notat: XVIII. Kalendas Februarias. Alterum in ipſo fraternæ contentionis articulo editum in Magniaco vico pagi Nivernenſis, cum in eo pago copias adverſus fratrem inſtauraret. Hoc vero integrum inter analecta deſcribemus pag. 1031.

b *Remis occurreremus.* ] Flodoardus lib. III. c. XXI. de epiſtolis Hincmari ad Theodoricum Cameracenſem: *Item de adventu Ludovici Tranſrhenenſis, quia Remis venerit, & quid egerit, quidve præceperit.*

c *In comitatu drudorum.* ] Fidelium amicorum. Incertus E auctor vitæ S. Udalrici ſub finem: *Ideo ſæpius cum imperialibus muneribus eum viſitavit, Ottonem Imp. & drudes ſuos donis congruis ſibi complacare ſatagebat.* Quo loco drudes exponunt gratos & conſiliarios, ab antiqua voce Germanica, quæ fidem ſignificet.

d *Sicut comes palatii.* ) Tit. XLIII. c. XVII. *Adalardus comes palatii.* Quod munus erat in palatio comitis palatii in cauſis ſæcularibus, hoc idem in negotiis omnibus eccleſiaſticis præſtabat capellanus, ſive cuſtos palatii, ut ex Adalardi abbatis commentario docet Hincmarus epiſt. v. c. XIX. XXI. Quare ad ſummum capellanum referenda hæc videntur.

e *Nam S. Eucherius.* ) De tota hac narratione, quæ Karoli Martelli memoriam infamat, libenter aſſentior cardinali Baronio, qui fabuloſam arbitratur, multiſque argumentis refelli poſſe docet, tum eo maxime quod ex vita S. Eucherii, ſubductis annorum rationibus, conſtet illum multo ante Karolum vitam clauſiſſe. Mihi quidem quod tam enixe fidem huic relationi adſtruere auctores nituntur, ſuſpectam ipſam facit. Ac mirum ſane, non animadvertiſſe illos, nec Flodoardum, qui eamdem hiſtoriæ ſuæ inſeruit lib. II. c. XII. Pippinum in ea regem nominari, & Fulradum Pippini regis capellanum: cum exploratum ſit, Pippinum regis nomen niſi decimo poſt Karoli obitum anno, id eſt DCCLI. non ſumpſiſſe. Quem ad annum perveniſſe Eucherium nemo ſomniavit. Sunt & alia ejus notæ ac ſaporis quibus ſuperſedeo.



ANNO CHRISTI 858.

f *Domus regis ſchola dicitur.* ] Ericus monachus in epiſtola quam præfixit libris carminum de vita S. Germani ad Carolum Calvum Imp. de ſcholis & ſtudiis ſub illo florentibus: *Ita ut merito vocitetur ſchola palatium, cujus apex non minus ſcholaribus, quam militaribus conſueſcit quotidie diſciplinis.*

g *Neceſſuoſi.* ] Vox Hincmaro familiaris: qua uſus eſt in monitis, quæ presbyteris ſuis in ſynodo dedit anno DCCCLII. c. XIX. *pauperibus aut quibuslibet neceſſuoſis ſubvenire.* Item in epiſtola VII. c. XXXV.

h *Neque dehoneſtent pagenſes.* ) Pagorum incolas. Agobardus de jure ſacerdotii ad Bernardum epiſcopum Viennenſem: *De ſervis meis propriis, aut beneficialibus, ſive pagenſibus.* Einhardus Gebuino comiti palatii, epiſt. IX. *Rogo dilectionem tuam, ut hunc pagenſem noſtrum, nomine David, neceſſitates ſuas tibi referre volentem, exaudire digneris.* Pagenſem noſtrum dixit, qui ejuſdem pagi: ut capitulorum lib. III. c. LXXIII. comitis pagenſes dicuntur, qui in pago erant cui præerat comes.

i *Judices villarum regiarum.* ) Proviſores ſeu procuratores. In vita Ludovici Pii ad annum DCCXCV. *Miſit illi*, Karolus pater Ludovico in Aquitaniam, *Richardum comitem, villarum ſuarum proviſorem, præcipiens ut villæ, quæ catenus uſui ſervierant regio, obſequio reſtituerentur publico.* Aut majores. Hincmarus ad nepotem: *Per judices ſæculares, Helmigarium ſcilicet mercati palatini telonarium, & Flotarium ac Urſionum villarum regiarum majores.*

k *Nutrimenta.* ) Quæ alii nutrimina. Rei ruſticæ duæ potiſſimæ ſunt partes, agricultura & paſtio, ſeu nutricatus animalium. Ad culturam agri ſpectabant laborata A quæ dixit; ad paſtionem, nutrimenta. Utraque ſimiliter conjungit & diſtinguit lex Karoli M. lib. II. cap. XXI. *Ut de omni conlaborato nona & decima perſolvatur: de nutrimine vero pro decima ſicut haſtenus conſuetudo fuit obſervetur.* Et infra Tit. XLI. c. XI. *Decimæ conlaborationum & animalium.*

l *Paratas.* ) Manſionaticos, hoſpitia & manſiones cum expenſis. Ludovicus Pius in præcepto quod Hiſpanis ad ſe confugientibus conceſſit: *Miſſi noſtri, aut filii noſtri, quos in illas partes miſerimus, aut legati qui de partibus Hiſpaniæ ad nos tranſmiſſi fuerint, paratas faciant, & ad ſubvectionem etiam veredos donent.* Hincmarus archidiaconis: *Non graves ſitis presbyteris in paratis quærendis, neque ducatis ſuperflue vobiſcum homines, vel veſtros proprios, vel amicos, ſeu propinquos veſtros, per quos, illos gravetis in cibo & potu, & fodro ad caballos.* Dictæ a parando. Hincmarus idem ad Laudunenſes: *Ne manſionaticos ſuis amicis, aut ſuis hominibus, a pres-* B *byteris parari faciat.*

m *Manſuarios.* ) Manſorum colonos, qui manſos ad colendum inhabitant, ut tit. XXXI. c. XXI. *a manſuariis, vel ab iis qui cenſum debent.* Ab his ergo carricaturas & paraveredos, id eſt, carrorum equorumque ad ſubvectionem operas, extra ordinem exigi non debere docent.

n *Cum vicino rege.* ) Lothario juniore, quem Ludovicus hoc tempore Karolo ſubripere, hoc eſt a Karoli amicitia, promiſſoque illi auxilio deducere modis omnibus nitebatur, ut eſt in proclamatione adverſus Wenilonem c. VII.

o *Unxerunt in regem.* ] Unxerat Wenilo Senonum antiſtes, Remorum vacua tunc ſede. Karolus ipſe rex in eadem proclamatione c. III. *Sed & cum aliis archiepiſcopis & epiſcopis VVenilo in diœceſi ſua, apud Aurelianis civitatem, in baſilica ſanctæ Crucis, me ſecundum traditionem eccleſiaſticam regem conſecravit, & in regni regimine chriſmate ſacro perunxit, & diademate atque regni* C *ſceptro in regni ſolio ſublimavit.*

p *Illi fellones.* ) Perfidi & rebelles. Dictio Gallis nota, & frequens apud feudorum juris interpretes, ut cum libro IV. c. LVI. quærunt, an ex omni felonia, qua vaſſallus feudo privatur, dominus ſi feloniam fecerit proprietate privetur.

ANNO CHRISTI 859.

# 1 CONCILIUM METENSE

## a DE INDULGENTIA LUDOVICI REGIS.

Hæc capitula tractata & confirmata ſunt ab epiſcopis in ſynodo habita apud Mettis civitatem de indulgentia Hludouvici regis, pro ſeditione & exceſſibus in regno fratris ſui Caroli perpetratis.

Ex editione P. Sirmondi. *Commonitorium epiſcopis ad Ludovicum regem legatis a ſynodo Metenſi.*

DIlectis in Chriſto fratribus & conſacerdotibus noſtris, legatis videlicet divinæ pacis, ac noſtræ unanimitatis, Hincmaro, Gonthario, Weniloni archiepiſcopis, & venerabilibus coepiſcopis noſtris Herluino, Hildegario, Adventio, Ebboni, Hincmaro, Erchanrao, epiſcopi quorum nomina ſubter habentur aſcripta; qui favente domino, & annuentibus glorioſis principibus noſtris Carolo & Hlotario, in Mediomatricum civitatem anno incarnationis dominicæ DCCCLIX. indictione VII. v. Kalendas Junias ſynodali decreto convenimus.

### I.

Nota &, proh dolor! nimis eſt nota diſcordia atque calamitatis pernicies, quæ factione quorumdam ſeditioſorum hominum, nuper inter fratres reges noſtros Hludouvicum & Carolum accidit. Unde tanta ac talia in eccleſia D nobis ad regendum divina dignatione commiſſa, & in hoc regno perpere ſunt admiſſa, ut ipſa etiam auditu horribilia cognoſcantur. Et ſi hæc diſcordiæ peſtilentia diutius operante humani generis antiquo hoſte duraverit, quam exitiabilis & mortifera exiſtat melius ipſi ſcitis. Qua de re memores quid Veritas miſſis prædicatoribus juſſerit, ut divinus Paulus dicit, legatione pro Chriſto fungentes vos, fratres cariſſimi, (1. Cor. 5.) legatos Deo amatæ pacis, quoniam exinde jam glorioſos principes noſtros Carolum & Hlotarium epiſcopali auctoritate monuimus, ad domnum Hludouvicum regem glorioſum mediante domino ordinamus, ſicut ſalvator dicit: *In quamcumque*, inquiens, *domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui; & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illam pax veſtra: ſin autem, ad vos revertetur.* (Matth. 10.) quia aut erit quiſque prædeſtinatus ad vitam, & cæleſte verbum ſequetur quod audiet: aut ſi nullus audire voluerit, ipſe prædicator ſine fructu non fuerit, quoniam ei a domino pro labore ſui operis merces recompenſabitur.

ANNO CHRISTI 859.

II.

Poſt prædicatam vero & poſtulatam pacem legatio veſtræ fraternitatis hujuſmodi erit conditionis, ut iſdem rex nobis, & utinam Deo, ſemper amabilis admiſſorum indulgentiam conſequatur.

III.

Videlicet ſi ſe de omnibus quæ per eum malitioſorum hominum perſuaſione, atque ſeductione, in parochiis noſtris fratrumque noſtrorum perpetrata ſunt, veraciter recognoverit, ſicut ſcriptum eſt: *Juxta eſt dominus his qui tribulato ſunt corde.* & : *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus,* quoniam cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Et ſicut hi qui ficte Deum quærunt, invenire nunquam merentur, ita prope eſt dominus omnibus invocantibus ſe in veritate.

Pſal. 33. Pſal. 50.

IV.

Et ſi poſt veram recognitionem puriter confeſſus fuerit: (quia iterum dicit ſcriptura: *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea miſericordiam conſequetur.* & : *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.*)

Prov. 28. 1. Joan. 1.

V.

Poſt puram autem confeſſionem, ſi promiſerit quæ male geſta ſunt per dignos pœnitentiæ fructus, præveniente, adjuvante, & ſubſequente divina gratia, ſe pro viribus emendaturum: (quia ſcriptum eſt: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* ut tanto majora quærat bonorum operum quiſque lucra per pœnitentiam, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam. Quoniam & illi beati quorum tecta bonis operibus ſunt peccata. & ut ſcriptum eſt, quia peccavit & populum peccare fecit, tanta ſint bona, quæ tanta operiant mala.)

Luc. 3.

VI.

Deinde ſi ſpoponderit, ad pacem & concordiam præſentaliter in corde & ore, & quantocius rationabiliter & poſſibiliter atque convenienter ex communi ſenſu fieri poterit, etiam præſentia corporis ad pacem & concordiam cum fratre ſuo Carolo ſe rediturum, & in pace & caritate Deo placita cum præfatis principibus noſtris Carolo atque Hlothario, ſi ipſi eamdem pacem & concordiam erga eumdem ſervaverint, permanſurum, & in ſe peccantibus debita dimiſerit, ſicut ſua a Deo debita ſibi cupit dimitti. Quia ibidem ſcriptura dicit: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Et cum maſa cuncta bonis ſequentibus diluantur, tantum eſt diſcordiæ malum, quæ niſi extincta funditus fuerit, bonum nullatenus ſequi euangelio teſte permittat. Et caritas eſt, quæ operit multitudinem peccatorum: ſine qua etiamſi quis corpus ſuum tradat ad ignem, nihil ei niſi damnationis judicium proderit. Et dominus dicit: *Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.*

Hebr. 12. Matth. 6.

VII.

Poſthæc ſi promiſerit quod jam ulterius tale vel ſimile ſcelus in hac ſancta Dei eccleſia, atque in iſta Chriſtianitate non reiteret: (Unde ſcriptum eſt: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus?* Baptizatur quippe a mortuo, qui mundatur fletibus a peccato: ſed poſt baptiſmum mortuum tangit, qui culpas poſt lacrymas repetit. Et iterum ſcriptum eſt: *Canis reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.* quia qui peccatum poſt pœnitentiam repetit, quaſi in lutoſa aqua ſemetipſum volvit: quia dum fletibus ſuis vitæ munditiam ſubtrahit, ipſas etiam lacrymas ante Dei oculos ſordidas facit.)

Eccleſ. 34. 2. Pet. 2.

VIII.

Tunc demum promittat ſe ab illorum perditorum hominum tuitione atque favore, per quos tam graviter Deum offendit, disjungere: & qui quaſi ad ejus fidem, ſed potius infideliter ad eum venerunt ad rectam rationem in proximo placito ante fratrem ſuum Carolum, & nepotem ſuum Hlotharium, ſicut Deo teſte jam apud Marſnam propria manu firmaverat, venire ſi potuerit faciat. & quemcumque illorum recta ratio dignificaverit, digno honore ſuo fruatur: & qui per rectam rationem erga ſeniorem ſuum juſtificari non potuerit, & rationabilem miſericordiam pro eo expetierit, eamdem rationabilem miſericordiam illi obtineat. De illo vero, quem recta ratio & juſtum judicium condemnaverit, ut rex Chriſtianus cum rege regum Chriſto concordet, & alienæ perditioni ſe non commiſceulet: quia ut Paulus dicit: *Non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui male facientibus conſentiunt, digni ſunt morte.* Unde ſanctus Innocentius dicit quia non multum intereſt inter committentis animum, & conſentientis favorem. Addo amplius, plerumque dediſcit errare, cui nemo conſentit. Et iterum ſanctus Paulus cum talibus hominibus nec cibum ſumere permittit. Et ſanctus David, dum totum ſe ad fœdera pacis internæ conſtringeret, teſtatur quod cum malis concordiam non teneret, dicens: *Nonne qui oderunt te, Deus, oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi.* Inimicos etiam Dei perfecto odio odiſſe eſt ad quod facti ſunt [a] dirigere, & quod faciunt increpare. Hinc Phinees peccantium civium gratia coeuntes cum Madianitis perculit, & iram Dei iratus placavit. Et Joſaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis pæne periturus increpatur. cui a domino per prophetam dicitur: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt dominum amicitia jungeris: & idcirco iram quidem domini merebaris: ſed bona opera inventa ſunt in te.* Hinc ſacri canones ſancto promulgati Spiritu dicunt, ut hi qui poſt excommunicationem vel interdictum cum excommunicatis communicaverint, condemnati anathema habeantur. Et ſanctus Cyprianus regis miniſterium eſſe dicit impios de terra perdere, homicidas, perjuros, adulteros, veneficos, ſacrilegos non ſinere vivere. Et in libro Regum ſcriptum eſt, dicente domino per prophetam: *Quia dimiſiſti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* Et quam noxia ſit indebita erga iniquos miſericordia, monſtratur in opere Saul ac Samuelis: quoniam cui Saul pepercit offendens dominum, Samuel propheta in fruſta concidit. Nam ſicut quiſque in ſe peccantibus debet propter Deum dimittere, ita in Deum peccantes, & eccleſiam conculcantes, & regni pervaſores, & in Chriſtianitatis depopulatores, & in pacis perturbatores, & in patriæ proditores debet miniſter domini rex debitam vindictam propter Deum exercere. Quapropter ſciat rex nobis amabilis, quia ſicut infirmus ſanari non poteſt qui a medico coquitur, quamdiu ferrum ignitum in illius tenetur corpore: ita & nemo ſanari poteſt a peccato quamdiu in peccato manſerit, vel quamdiu in peccato manenti ſcienter & libenter communicaverit.

Rom. 1. Pſal. 138. 2. Paral. 19. 3. Reg. 20.

a) Sirmond. diligere.



IX.

Tandem ſi ſe promiſerit adjutorem & cooperatorem Dei pro viribus de cetero & rationabiliter futurum, qualiter eccleſia Dei, quæ in ſuo regno ac regnis noſtrorum principum una eſt, ſicut & unum ſacerdotium, ſecundum qualitatem periculoſi temporis in unoquoque ordine reſtituatur, & ſacerdotes Dei debita privilegia, & eccleſiaſticum vigorem obtineant, & populus juſtitiam, & pacem habeat: congregatis vobis, & noſtro, immo divino Spiritu, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, per eccleſiaſticam apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem illi peccata, in noſtris parochiis per illum & ab illo commiſſa, eccleſiaſtica pietate, & canonico more dimittite, eique indulgentiam poſtulanti donate: atque illum ſacræ communioni, qua ipſe ſe privaverat excommunicatis communicans, reſtituite.

X.

Et licet multorum annorum, ſecundum præfixos a ſacris canonibus gradus, pœnitentia hæc perpetrata facinora indigerent, tamen confiſi de Dei miſericordia, apud quem non ſic acceptatur menſura temporis ut doloris, nec abſtinentia ciborum, ſicut mortificatio vitiorum, non præjudicantes patrum ſententias, quæ de hujuſmodi decreverunt, ſed potius eorum ſequentes humaniorem definitionem, hæc ſcribimus: Ait ſancta ſynodus Africana: Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora diſcernantur. Et ſanctus Leo apoſtolicæ ſedis pontifex: His, inquit, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire; apud quem nullas patitur veniæ moras confeſſio, dicente Dei Spiritu per prophetam: *Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.* & alibi: *Dic iniquitates tuas prior, ut juſtificeris.* & item: *Quia apud dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio.* In diſpenſandis itaque donis non debemus eſſe difficiles, nec ſe accuſantium gemitus lacrymaſque negligere, cum ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam, dicente apoſtolo: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* Et ſanctus Gregorius in euangelii homilia dicit: Veniat foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator: venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut paſtores eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.

Iſa. 44. Pſal. 129. 2. Tim. 2.

XI.

His perpenſis, fratres cariſſimi, ſi ut diximus, jam dictum regem a nobis amabilem ita contemperatum divinæ voluntati & ſacræ auctoritati inveneritis, ſecundum miniſterium vobis a Deo traditum cum veſtra unanimitate abſolvite. Sin alias, vos ullo modo cum eo, quem abſolvere non poteritis, ligare nolite: quoniam nec coram Deo, nec in ſynodo nos inde auctores habebitis, ſi agere aliter, quod abſit, præſumpſeritis, voſque & in ſynodo, & coram Deo pro facto irrito dabitis rationes.

XII.

Et ſi ipſe, quod Deus longe faciat, ea quæ egit, unde illum nunc commonere vos mittimus, reiteraverit, omnia & ante divinos oculos, & ad eccleſiaſtica judicia, redivivo vulnere curanda vel amputanda noverit revenire. Si quid quoque contra ſanctam auctoritatem præſumptum, vel ſubreptum, ſive extortum fuerit, non ſolum in divinis examinationibus, verum nec in divinis legibus quidpiam prævalebit. Et non ſit de cetero immemor idem rex glorioſus quod dicit ſanctus Gregorius: Sciendum eſt, inquiens, quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic jure conceditur ut licitis utatur, ſicque pietatis opera faciat, ut tamen ſi noluerit, ea quæ mundi ſunt non relinquat. Quilibet vero tanto a ſe licita debet abſcidere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus eſſe boni operis debet ejus qui minus, & ejus qui amplius deliquit, aut ejus qui in nullis, & ejus qui in quibuslibet facinoribus cecidit: ſed tanto quiſque majora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam. Unde a vobis noſtra, quin potius Dei voce commoneatur, ut ſic ſtudeat præteritorum pœnitens, & imminentia atque futura cavens, Deo militare in regno terreno, quatenus mereatur corregnare Chriſto in regno cæleſti.

*Hæc quæ ſequuntur epiſcopi peracta legatione renuntiarunt.*

De indulgentia ſua nobis Hludouvicus rex pridie Nonas Junias [b] in Wormatia dixit: Volo vos precari ut ſi in aliquo veſtros animos offendi, ut hoc mihi perdonetis, ut inantea ſecurus vobiſcum loqui poſſimus. Ad hæc Hincmarus, qui primus in ordine ex ſiniſtra parte illius ſtetit, reſpondit dicens: Iſta cauſa cito ad effectum pervenire poteſt, quia quod nos offerimus, hoc vos petitis. & monente [c] Grimoldo, ac Theoderico epiſcopo, iterum ipſe Hincmarus dixit: Nihil contra me feciſtis, unde noxium rancorem in mente contra vos teneam: quia ſi facerem, ad altare ut domino ſacrificarem accedere non auderem. Iterum monentibus eiſdem Grimoldo, & Theoderico ac Salomone, dicente ipſo Theoderico hæc verba: Facite ſicut ſenior noſter precatur, parcite illi: reſpondit ipſe Hincmarus hæc eadem verba: Quod in me, id eſt, in mea perſona, offendiſtis, & peperci & parco. De hoc autem quod in eccleſia mihi commiſſa, & in populo male eſt factum, voluntarie vobis dono conſilium, & ſecundum Deum præſto auxilium, ut inde ſalvi ſitis, ſi vobis placet. Et præfati viri reſponderunt. Certe bene dicit. & ceteri fratres noſtri in hæc verba & ſenſerunt, & proſecuti ſunt. Tanta & talis indulgentia illi largita fuit, & non altera, neque amplius. De ſcripto autem quod confirmatum nobis eſt traditum, nec ipſe a nobis quiddam quæſivit, nec nos illi aliquid diximus: quoniam necdum cum illo ex hujuſmodi in ratione eramus. Ipſe autem poſt hæc & alia, dixit nos egiſſe quod non egimus, ex hoc materiam ſumens, quod Guntharius illi familiaritor, ut eum inſtrueret, & ad ſatisfactionem provocaret, ſcriptum relegit, ita inquiens: Vos mihi tranſmiſiſtis [d] veſtram epiſtolam cum capitulis: vos veniſtis cum cauſa facta. Nos non ſumus hic niſi duo vel tres, qui ſine aliis huc exivimus. In illas cauſas intrare non poſſum, antequam

ANNO CHRISTI 859.

quam cum noſtris epiſcopis, inde tractemus, quia, Deo gratias, nihil ſine illorum conſilio feci: & poſtea inde reſpondeam. Nos autem expectabamus, ut conſilium a nobis de ſua ſalute oblatum ipſe quæreret: & tunc ei ſecundum illud ſcriptum donaremus conſilium. Ipſe autem [e] de ſuo gradu reſpondit, quod in illud ſcriptum non intraret, antequam cum ſuis epiſcopis conſideraret. Et ſic quidquid in generali cauſa eccleſiæ & populi egit, penes illum remanſit.

### NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concilium Metenſe.*) Capitulorum Caroli Calvi titulo XXIV. Habitum eſt paulo poſt diſceſſum Ludovici regis, qui ſub initium veris, ut eſt in annalibus Pithœanis DCCCLIX. de Gallia rediens Wormatiæ ſubſtiterat. Itaque Wormatiæ illum convenere legati a concilio miſſi.

### Ejuſdem P. SIRMONDI Notæ uberiores.

a *De indulgentia Ludovici.*) Reverſo in regnum Ludovico, & operam dante, ut Karoli fratris, ac Lotharii nepotis, animos ſuperiore ipſius expeditione offenſos ſibi reconciliaret: decreta ad illum eſt ex ſynodo Metenſi legatio epiſcoporum IX. cum mandatis ut indulgentiam illi certis legibus offerrent. Qui fuerit eventus, ſubjecta legatorum poſt reditum narratio patefaciet. Ceterum qui ſecundo loco inter archiepiſcopos nominatur Guntharius, Agrippinenſis eccleſiæ archiepiſcopus fuit; qui ſequitur Wenilo, Rotomagenſis. Inter epiſcopos vero, Hildegarius, de quo & Tit. XXIII. Meldenſis, Adventius Metenſis, Abbo Autiſiodorenſis. Reliquorum ſedes ex ſuperioribus notæ jam ſunt.

b *In Vvormatia.*) Eo enim e Gallia rediens conceſſerat. Annales Pithœani DCCCLIX. *Ludovicus rex quaſi inchoante verno tempore de Gallia rediens Vvormatiam venit.*

c *Grimoldo.*) Abbate S. Galli, Ludovici regis archicapellano. Ratpertus monachus de monaſterio S. Galli, c. IX. *Corpus S. Othmari in baſilicam S. Galli eſt perlatum, præſente Grimoldo abbate, & archicapellano regis Ludovici, & Salomone Conſtantienſis eccleſiæ epiſcopo, VIII. Kalend. Novembris, anno* DCCCLXIV. Quibus ex verbis, Salomonis etiam epiſcopi ſedem agnoſcimus. Cur autem Salomoni, & Theodorico item epiſcopo Grimoldus abbas præponatur, alia opinor cauſa non fuit, quam quod idem regis ſummus erat capellanus. Meminit Flodoardus lib. III. c. XXIV. literarum Hincmari ad Grimoldum abbatem, quibus ſuggerebat, ut Ludovico ſuaderet, ne ſimilia deinceps adverſus Karolum fratrem tentaret. Sed pro Grimoldo, *Grunoldo* male eo loco ſcriptum eſt.

d *Veſtram epiſtolam cum capitulis.*] Synodi epiſtolam ad legatos, quæ mandatorum capitula continebat. Atque hoc eſt ſcriptum, quod legati confirmatum obſignatumque a ſynodo ſe accepiſſe, & Ludovico relectum a Gunthario fuiſſe, ajunt.

e *De ſuo gradu.*) De ſuggeſto. Libellus ſacroſyllabus concilii Francofordienſis: *Surgens venerabilis princeps de ſella regia, ſtetit ſupra gradum ſuum.* Auguſtinus de prædeſtinatione ſanctorum c. XIV. *Libri Sapientiæ, qui meruit in eccleſia Chriſti de gradu lectorum eccleſiæ Chriſti tam longa annoſitate recitari.*

# CONCILIUM LINGONENSE

## IN ANDEMANTUNNO LINGONUM

A Remigio Lugdunenſi, Agilmaro Viennenſi, Ebbone Gratianopolitano, & aliis epiſcopis, præſente Carolo eorum rege circa Kalendas Junias celebratum, anno Chriſti DCCCLIX.

*EX Tullenſi apud Saponarias ſynodo, quæ mox ſequitur, conſtat paucis ante illam diebus habitam apud Lingonas fuiſſe ſynodum alteram ab epiſcopis regni Caroli minoris, fratris Lotharii, conditoſque in ea canones ſeu capitula numero* XVI. *quæ poſtmodum in eadem apud Saponarias ſynodo relecta, illiuſque actis inſerta ſint. Quamquam ergo ſynodi Lingonenſis, ejuſque canonum hic locus erat, ſi ordo ſpectetur, ſatius tamen viſum eſt hos a ſynodo Tullenſi, cujus beneficio ad nos pervenerunt, minime divelli. Quare inter ejus acta proferentur. Nunc ſatis ſit monere, de hiſce Lingonenſibus capitulis accipienda illa eſſe, quæ Flodoardus ex Hincmari ad Carolum Calvum regem epiſtola refert libro* III. *hiſtor. cap.* XVI. Quæ capitula, *inquit*, in conventu epiſcoporum habito in territorio Tullenſi, in villa quæ dicitur Saponarias, ante biduum quam vobis porrecta fuerint, ſunt recitata, proferente & deponente ea ſynodo domno Remigio Lugdunenſium archiepiſcopo: quæ, ſicut dixit, & in epigrammate eorumdem capitulorum continetur, in hoc ipſo anno, in Kalendis nihilo minus ibidem deſcriptis, & in ſuburbio Lingonicæ urbis, ad inſtructionem dominici populi ipſe & comprovinciales epiſcopi ediderunt.

*Hæc Sirmondus noſter de ſynodo Lingonenſi, cujus nos locum, diem, menſemque mox adſignabimus.*

CONCILIUM IN LINGONENSI TERRITORIO IN ABBATIA SANCTORUM Tergeminorum Speuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi XIII. Kal. Maii, ind. VII. Caroli Calvi Francorum regis XIX.

*Illius ſynodalis celebritatis habetur mentio in diplomate ſeu literis Jonæ epiſcopi Æduenſis ſuper donatione Simponiaci villæ facta canonicis ſuæ eccleſiæ, quas in lucem emiſit ex archivis eccleſiæ Auguſtodunenſis R. P. Claudius Perry S. J. pag. 30. probationum hiſtoriæ Cabilonenſis.*

JOnas ſuperna permittente clementia Æduorum epiſcopus, ſedulo perpendens mortales Deo ſervire diu non poſſe ſine terrenarum rerum adminiculo, atque paſtoris eſſe officium gregibus ſibi creditis geminam impendere paſtionem, ſpiritualem videlicet & carnalem, quia dum carnalis impenditur, ſpiritualis uberius creſcit, adhibito presbyterorum diaconorum & ſequentis ordinis ejuſdem eccleſiæ conſenſu ob divini cultus amorem ſuperaddere ſtuduit quæ ratio dictavit atque neceſſaria fore exiſtimavit. Quare licet jam antea quædam res ad canonicorum victum adminiſtrandum a prædeceſſoribus eſſent collatæ, quia tamen pro quantitate ſui & itineris longioris difficultate quotidiani victus ſæpe penuriam paterentur canonici, Simponiacum villam indominicatam cum omni integritate ſua ad quotidianum eorum potum adminiſtrandum conceſſit, beneficium ſuperaddens quod ex eodem fundo Ragopedus habebat, ut idem prædium cum omnibus ad ſe pertinentibus ipſorum uſibus in omnibus deſerviret, quatenus ad ſupplementum ſuum ſuffulti in Chriſti militia devotiores exiſtant, nec ſolum pro



ANNO CHRISTI 859.

pro principibus, ut ſanctus Leodegarius inſtituit, ſed pro rectoribus totius eccleſiæ & univerſo grege jugiter divinam exorent miſericordiam: & quia ſæpiſſime evenire ſolet, ut quæ pie & devote ad divini cultus honorem ordinantur occaſione multifaria convellantur, neceſſarium judicavi privilegium illud auctoritate pontificali firmandum quatenus de ſupradictis vobis occaſione qualibet nihil a ſucceſſoribus auferatur, aut pro eiſdem aliquid terreni ſervitii aut muneris exigatur. Actum in territorio Lingonenſi in abbatia ſanctorum geminorum Speuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi, XIII. Kal. Maii XVIII. Caroli glorioſiſſimi regis, indictione VII.

Teſtes adfuerunt infra ſcripti, quos ſynodalis celebritas convocarat. Remigius [a] Gratianopolitanus, Godeſcaldus [b] Cabilonenſis, Grundicus Matiſcenſis, Albamauro Genevenſis, Remigius Dienſis, Ratherus Valentinenſis, Ebeardus chorepiſcopus, Bernardus abbas Melindenſis.

Chartam coſirmavit Carolus Ludovici Auguſti filius, Caroli item Auguſti nepos, Tuſſiaci XVIII. Kal. Julii eodem anno quo facta eſt. Confirmavit item Joannes pontifex procurante Hervæo Hermingardis comitiſſæ Cabillonenſis filio epiſcopo Æduenſi.

a *Pro* [illegible] *Lugdunenſis, Ebbo.*
b *al. Godelſadus ſeu Godeſcaldus.*

# CONCILIUM TULLENSE I.

## APUD SAPONARIAS.

Quod ab epiſcopis duodecim provinciarum, aſſidentibus Carolo Calvo, ejuſque nepotibus [a] Lothario & Carolo regibus, celebratum eſt in ſuburbano Tullenſi, villa Saponarias, menſe Junio, indictione VII. hoc eſt anno Chriſti DCCCLIX. Nicolai papæ anno II. Caroli Calvi ejuſdem XIX. nepotum fratrum IV.

Ex editione P. Sirmondi.

INDEX OMNIUM EORUM QUÆ IN HAC SYNODO CONTINENTUR.


I. *Canones ſeu capitula* XIII. *de iis quæ in hac ſynodo geſta ſunt.*
II. *Libellus proclamationis Caroli regis adverſus VVenilonem archiepiſcopum Senonenſem.*
III. *Epiſtola ſynodalis ad VVenilonem archiepiſcopum.*
IV. *Epiſtola ſynodi ad epiſcopos Britonum, qui a metropolitano ſuo deſciverant.*
V. *Epiſtola ſynodi ad Britones excommunicatos.*
VI. *Decreta ſynodi Lingonenſis oblata & relecta in ſynodo Tullenſi.*


### I.

### CANONES SEU CAPITULA XIII.

*De iis quæ in hac ſynodo geſta ſunt.*

### TITULI CANONUM.


I. *De concordia inter fratres Ludovicum & Carolum reges reformanda.*
II. *Ut epiſcopi mutuo ſe conſilio & auxilio adjuvent, & ſynodos frequentent.*
III. *De ſtabili unione principum Caroli & Lotharii atque Caroli regum.*
IV. *De Tortoldo diacono, qui epiſcopalem poteſtatem in Bajocenſium urbe occuparat.*
V. *De Anſcario ſubdiacono, qui Lingonum ſedem vivo ejus epiſcopo pervaſerat.*
VI. *De proclamatione Caroli regis adverſus VVenilonem archiepiſcopum Senonenſem, qui ab eo defecerat.*
VII. *De Attone Virdunenſium epiſcopo, qui contra regulas eccleſiaſticas provectus dicebatur.*
VIII. *De literis ſynodi ad epiſcopos Britonum, qui a metropolitano ſuo deſciverant, & cum excommunicatis communicabant.*
IX. *De literis ſynodi ad Britones excommunicatos, quibus, niſi ſe corrigant, anathema intentatum.*
X. *De capitulis quibuſdam in ſynodo relectis, de quibus inter quoſdam epiſcopos erat controverſia.*
XI. *De conſervando privilegio monaſterii ſancti Benedicti.*
XII. *De aliis quæ ſpecialius in eadem ſynodo ſtatuta ſunt.*
XIII. *De precibus, quas inter ſe condixerunt epiſcopi, qui ad hoc concilium convenerant.*


*HÆC VENTILATA, DEFINITA, atque obtenta ſunt in ſynodo* XII. *provinciarum, quæ habita eſt anno incarnationis dominicæ* DCCCLIX. *indictione* VII. *in territorio [a] Tullenſi, ſub principibus Carolo, Lothario, & item Carolo.*

a Quarto a Tullo Leucorum milliario.

### I.

UT caritas fraterna & concordia pacis reformetur inter fratres, principes ſcilicet ac glorioſos reges noſtros Hludouvicum & Carolum: qualiter & ſchiſma, quod ortum eſt nuper in eccleſia, ad unitatem benignitatis valeat redintegrari, & ſtatus eccleſiæ pæne collapſus reſtitui, & pax & juſtitia in populo Chriſtiano valeat procurari, & qui a fidelitate debita defecerant, judicio & juſtitia per rectam rationem & rationabilem miſericordiam poſſint ſalvari, & a perverſo conamine ad ſalubriora converti.

### II.

Epiſcopi namque, ſecundum illorum miniſterium, ac ſacram auctoritatem; uniti ſint, & mutuo conſilio atque auxilio reges regnorumque primores, atque populum ſibi commiſſum in domino regant, & corrigant. Et nemo ſe a ſolatio mutuo ſubtrahat, ſed

ſed ſynodales conventus ſecundum juſſionem canonicam frequentare procurent: quatenus ordo eccleſiaſticus, qui quaſi obliteratus jam fuerat, quoniam ſynodi propter diſcordiam regum frequentari non poterant, epiſcopali collatione ad neceſſarium ac debitum ſtatum reduci prævaleat. Unde etiam conſenſum apud reges expetitum obtinuerunt.

III.

Reges nihilo minus ac principes noſtri, Carolus, & Hlotharius, atque item Carolus, ad Dei voluntatem, atque ſanctæ eccleſiæ ſtatum, ſuamque ſalutem, & populi ſalvationem, gratias Deo, uniti, & in eadem ſalutari unitate firmati ſunt.

IV.

Perventum eſt ante conventum epiſcoporum, quemdam diaconum, cui Tortoldus nomen eſt, epiſcopalem poteſtatem in urbe Bajocenſium occupaſſe, & pollicitationibus atque minis ſolicitare multos ac perturbare. Unde definivit ſancta ſynodus, ut Wenilo Senonum archiepiſcopus, cujus diaconus fuit, adjunctis ſecum tribus aliis, memoratum diaconum evocatum audiant, & ſecundum auctoritatem canonicam de eo definiant. Si autem refugerit eorum cognitionem, annitente principali poteſtate venire ad audientiam compellatur. Quod ſi hanc quoque declinaverit, anathemate feriatur.

V.

De quodam etiam ſubdiacono Anſcario, qui vivo & incolumi epiſcopo civitatis Lingonum ſedem pervaſit, ſimili eſt ſententia definitum. Sed intervenientibus legatis ejuſdem ſubdiaconi humanior eſt prolata ſententia: videlicet ut ſacramentum confirmet, ſe nunquam talia hujuſmodi præſumptione facturum. Cujus ſacramenti tenorem huic capitulo ſubnectere dignum duximus: Ego Anſcarius ſubdiaconus confiteor coram Deo, & ſanctis angelis ejus, reverentiæ ſanctæ paternitatis veſtræ, contra voluntatem, & contra canonica ſtatuta temere me feciſſe in Iſaac venerabilem pontificem, uſurpando ſedem eccleſiæ ſanctæ ſibi commiſſæ Lingonicæ, & ſolicitando clericos & vaſſallos ejus, omnemque familiam. Atque ideo, pro tantæ præſumptionis exceſſu, per ſacri miniſterii veſtri vobis largitam a domino poteſtatem, veniam mihi pœnitenti largiri ſuppliciter deprecor. Deinceps vero, nec in eumdem antiſtitem, nec in alium quemlibet, nec in illa, nec in alia eccleſia, hujuſmodi præſumptionem facere tentabo: & neque illi, aut alicui ſuorum clericorum, aut laicorum, in aliqua re impedimentum faciam pro hac cauſa, in qua me graviter deliquiſſe confiteor, neque inſidias ejs ullius inquietudinis parabo, neque per me, neque per meorum aliquem propinquorum, nec per quemcumque hominem: ſed potius adjutor pro viribus & intelligentia ipſi ſuiſque ero, prout ſibi placuerit, & qui ſibi pro hoc ipſo inimici ſunt quos ipſe voluerit, ſi potuero, eidem conciliari procurabo. Sic me Deus adjuvet, & iſtæ ſanctæ ſanctorum reliquiæ.

Statuit etiam ſancta ſynodus, ut nunquam ad eamdem Lingonenſem eccleſiam, ſive ad Januacenſem, quam jampridem pari modo afflixerat, debeat aſpirare: & ſi ita ut præmiſimus juſſis epiſcopalibus obedire refugerit, ſententiam ſuperius diacono datam incurrat.

VI.

Deinde glorioſus rex domnus Carolus ſacræ ſynodo libellum appellationis, electorumque judicum inter ſe & Vvenilonem Senonum archiepiſcopum, qui ab eo defecerat, & proclamationis diploma porrexit. Unde ſecundum ſacram auctoritatem, & induciæ ac dierum dilatio eſt conceſſa, & certa accuſatio per epiſcopos, & ſynodicas litteras præfato archiepiſcopo eſt intimata, ſecundum regulas divinitus promulgatas.

VII.

Mota eſt etiam quæſtio de Attone Viridunenſium epiſcopo, quod oblatione regulari, unde petitio ibidem eſt præſentata, in monaſterio ſancti Germani Autiſſiodorenſium extiterit, & contra regulas eccleſiaſticas inde diſcedens, minus proviſe, quam ſancta auctoritas doceat, ad ordinem epiſcopalem pervenerit. Unde etiam definitum eſt, dari ſibi commeatus veniendi ad aliam ſynodum, ſicut ſacra ſancit auctoritas.

VIII.

Ad epiſcopos ſiquidem Britonum, qui ſe contra auctoritatem a metropoli ſua moliuntur diſcindere, ſynodus litteras ſecundum auctoritatem ſacram direxit, quatenus ad ſuam metropolin redeant, eique debito jure ſe ſubdant, nec a canonica & epiſcopali communione ſe ſegregent. Excommunicatis etiam, ſicut ſacræ decernunt regulæ, nequaquam communicent: & Salomonem commoneant, ut promiſſam fidem glorioſo regi Carolo obſervet, & ipſe, & Britones excommunicatis communicantes ipſi ſe ſacra communione non privent.

IX.

Ad memoratos quoque excommunicatos ſancta ſynodus litteras dirigit, eiſque uſque ad proximam futuram ſynodum corrigendi ſpatium tribuit, monens eccleſiaſtica pietate, ut convertantur & vivant: quia niſi ſe correxerint, in futura ſynodo generali unanimitate anathemate terribili punientur.

X.

Relecta ſunt denique in eadem ſynodo quædam capitula, ſuper quibus quorumdam fratrum ſenſus diſſentire probantur. Unde convenit inter epiſcopos, ut Deo favente pace ac tranquillitate recuperata ſimul conveniant, & prolatis ſanctarum ſcripturarum atque catholicorum doctorum ſententiis, quæ ſaniora ſunt concordi unanimitate ſequantur.





XI.

Tandem poſtulavit humiliter generalis ſynodus, ſe ad terram uſque proſternens ante Carolum regem, & Rodulfum Biturigum archiepiſcopum, obſecrans & adjurans per crucem & Chriſti ſanguinem, ut privilegium monaſterii ſancti Benedicti, quod annuente præfato rege firmaverant, quodque idem Rodulfus ſubſcripſerat, qui præfatam abbatiam irregulariter retinebat, ratum & inconvulſum ſervare ſtuderent. Quod ſi abbas negligens, & ſacris regulis inconveniens, per directos miſſos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, & alius qui dignus repertus fuerit ſubſtituatur, & privilegii regularis auctoritas in eodem monaſterio quacumque occaſione non deſtituatur.

XII.

Hæc de præcipuis in eadem ſacra ſynodo fuere ſtatuta. Ceterum ſpecialia de quibuſque parochiis, prout viſum fuit, ſecundum eccleſiaſticam auctoritatem definita, & epiſcopis in propriis parochiis ad exequendum ſunt commiſſa.

XIII.

Placuit omnibus, ut creditur inſtinctu divino, qui ad univerſale concilium in vicinia Tullenſium confluxerunt, quoniam calamitatum tædio laborabant, quo invenirent aliquid ubi conſolationis gratia reſpirarent. Statuerunt itaque, ut pro ſe invicem omnes dum adviverent preces hujuſmodi frequentarent. Scilicet ut ſinguli pro cunctis per ſingulas hebdomadas feria IV. miſſam celebrarent. Poſt vocationem autem cujuslibet eorum, ſuperſtites obtineant, ut pro eo qui deceſſerit, in ſedibus ſeptenæ miſſæ, totidemque vigiliæ domino perſolvantur: a presbyteris autem monaſteriorum, ſive villarum, tres miſſæ, totidemque vigiliæ dependantur. Exitus autem uniuſcujuſque viciſſim piis currentibus litteris innoteſcat. Præſentes etiam abbates in tam profutura ſocietate recepti eadem ſe conditione junxerunt.

II.

*LIBELLUS PROCLAMATIONIS domni Caroli regis adverſus VVenilonem archiepiſcopum Senonum, electis judicibus Remigio Lugdunenſium, Herardo Turonorum, VVeniloni Rothomagenſium, & Rodulfo Biturigum archiepiſcopis, in ſancta ſynodo XII. provinciarum apud Tullenſem parochiam, in ſuburbano ejuſdem urbis, quod dicitur Saponarias, propria ipſius manu porrectus anno incarnationis domini* DCCCLIX. *indictione* VII. XVIII. *Kalendas Julias.*

I.

QUia ſicut dicit ſanctus Gregorius, & ex conſuetudine[a] olitana cognoſcitis, in Francorum regno reges ex genere prodeunt, mihi a domno & genitore meo, piæ memoriæ Ludovico Auguſto, pars regni inter fratres meos reges divina diſpoſitione eſt tradita. In qua parte regni vacabat tunc paſtore metropolis Senonum, quam juxta conſuetudinem prædeceſſorum meorum Weniloni tunc clerico meo, in capella mea mihi ſervienti, qui more liberi clerici ſe mihi commendaverat, & fidelitatem ſacramento promiſerat, conſenſu ſacrorum epiſcoporum ipſius metropolis ad gubernandum commiſi, & apud epiſcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem archiepiſcopum ordinarent obtinui.

[a] olitana id eſt olim atque antiquitus recepta, non abolita aut exoleta, ne quis ſibi fingat localem aliquam conſuetudinem, quod in editione Pithœana anni 1588. occurrat Olitana.

II.

Poſt hæc de diviſione regni inter me, & fratres meos ratio eſt exorta notiſſima, unde partem diviſionis cum mutuis, noſtris ſcilicet, noſtrorumque fidelium ſacramentis, ſicut etiam primores regni totius invenerant, tenendam & gubernandam ſuſcepi. Quam diviſionem inter me & fratres meos de cetero a me ſubſtantialiter tenendam, ſicut & alii, qui ibi adfuerunt epiſcopi, Wenilo mihi fratribuſque meis propria manu juravit: pacem etiam & mutuum adjutorium inter me & præfatum fratrem Ludovicum Wenilo ſacramento firmavit.

III.

Sed & poſt hoc, electione ſua, aliorumque epiſcoporum, ac ceterorum fidelium regni noſtri voluntate, conſenſu, & acclamatione, cum aliis archiepiſcopis & epiſcopis Wenilo in diœceſi ſua, apud Aurelianis civitatem, in baſilica ſanctæ crucis, me ſecundum traditionem eccleſiaſticam regem conſecravit, & in regni regimine chriſmate ſacro perunxit, & diademate, atque regni ſceptro in regni ſolio ſublimavit. A qua conſecratione, vel regni ſublimitate, ſupplantari vel projici a nullo debueram, ſaltem ſine audientia & judicio epiſcoporum, quorum miniſterio in regem ſum conſecratus, & qui throni Dei ſunt dicti, in quibus Deus ſedet, & per quos ſua decernit judicia: quorum paternis correptionibus & caſtigatoriis judiciis me ſubdere fui paratus, & in præſenti ſum ſubditus.

IV.

Denique cum ſeditiones in regno noſtro per homines irreverentes cœperunt crebreſcere, conſenſu epiſcoporum, ac ceterorum fidelium noſtrorum, chirographum invicem conſcripſimus; qualiter ego erga eos cooperante domino agere vellem, & qualiter mihi conſilio & auxilio iidem fideles noſtri abinde poſtmodum ſolatium ferre debuiſſent. Cui ſcripto Wenilo apud Bajernam villam propria manu ſubſcripſit, ſicut in præſenti videre poteſtis.

V.

Deinde cum contra Paganos ad inſulam loci, qui Oſcellus dicitur, cum fidelibus noſtris & terreno itinere, & navigio ſicut ſcitis perrexi, quidam a nobis deficientes fuga lapſi ſunt. Wenilo autem, ſe pro infirmitate ſua illuc ire non poſſe dicens, ad ſedem ſuam reverſus eſt. Dum autem in procinctu eo nos infirmi degeremus, frater noſter Ludovicus, ſicut ſcitis, cum manu

ANNO CHRISTI 859.

manu hoſtili, & ſeditioſis hominibus, ex regno ſuo regnum noſtrum irrupit. Ad cujus colloquium, ſine mea voluntate atque licentia, Wenilo venit, quem ſupplantatorem meum eſſe cognovi, quod nemo epiſcoporum ex regno noſtro alius fecit.

VI.

De cetero, cum contra prædictum fratrem meum, & inimicos meos ac vaſtatores eccleſiæ, & depopulatores regni qui cum illo erant, cum fidelibus Dei ac noſtris perrexi, nec per ſeipſum, nec per debitum ſolatium, quod anteceſſores mei reges, & ego ipſe ex eccleſia illi commiſſa habere ſolitus eram, aliquid adjutorii præbuit, præſertim cum hoc devote ab illo petierim.

VII.

Cum autem ratio & neceſſitas mihi accidit, de villa Breona ut a prædicto fratre meo ſecederem, & ipſe frater meus Ludovicus ad hoc rediit in partem regni mei, ut mihi meum nepotem ſubriperet, & homines meos mihi ſubtraheret, ac fideles meos vaſtanter ¹ imprimeret, Wenilo cum quo potuit ſolatio ad prædictum fratrem meum Ludovicum in meam contrarietatem venit. Cum quo erant excommunicati iſtius regni, & ſeditioſi, de quorum excommunicatione coepiſcoporum ſuorum litteras acceperat: & miſſas publicas fratri meo, cum quo ipſi ſeditioſi erant, in palatio meo Attiniaco, & parochia & provincia alterius archiepiſcopi fidelis noſtri, ſine ſua licentia, ac coepiſcoporum conſenſu, Wenilo excommunicatis vel excommunicatorum participibus celebravit. Et in eo concilio atque conſilio fuit, quo nepos meus Lotharius per mendacia, quantum ex ſeductoribus ſuis, ſubriperetur, & debitum ac ſacramento promiſſum ſolatium, atque adjutorium ex illo mihi ſubtraherent.

¹ opprimeret.

VIII.

Prædictis nihilo minus fratris mei conſiliarlis, & publicis ac ſecretis tractatibus, Wenilo cum ſpecialibus familiaribus, & inter priores ejus familiariter cum epiſcopali judicio, ut diximus, excommunicatis, & judicio regni dijudicatis, interfuit: quatenus partem regni, quam idem frater meus, & Wenilo mihi juraverant, & in qua Wenilo me regem ſacraverat, ſæpe fatus frater meus obtineret, & ego illam perderem.

IX.

Wenilo in eo conſilio & tractatu fuit, ut epiſcopi, qui mihi fidei promiſſæ debitores erant, & conſilium atque auxilium manu propria confirmatum ferre debuerant, deficerent, & ad fratris mei Ludovici obſequium & ſubditionem ſe verterent.

X.

De abbatia ſanctæ Columbæ, & rebus vel honoribus regni mei, apud Ludovicum fratrem meum præceptum obtinuit, & litteras ad miſſos, quo eamdem abbatiam revocarent, Echardum & Theodoricum impetravit. Sed in eiſdem litteris ad præfatos miſſos, juſſionem fratris mei Ludovici Wenilo obtinuit, ut de muro caſtelli Meloduni, quod jus regiæ eſt poteſtatis, petras haberent licentiam prehendere. Unde [illegible] in plebe iſtius regni mihi a Deo collata [illegible] ſtudebat colere & ſatagebat [illegible]

[illegible]

Wenilo in eo conſilio & tractatu cum præfatis excommunicatis fuit, ubi conſideratum eſt, quatenus illi homines qui mihi fideles erant, & mihi ſacramento fidelitatem promiſerant, ſive nolentes, ſive volentes fratri meo Ludovico jurarent, ut ei adjutorium ferrent, qualiter regnum meum contra me obtinere potuiſſet. & non ſolum conſilio Wenilo interfuit, ſed & ipſe hoc idem conſilium fratri meo Ludovico contra meam fidelitatem, quam mihi promiſit ſacramento, donavit.

XII.

Wenilo per ſe, & per familiares ſuos, ſupradictos ſcilicet excommunicatos, apud fratrem meum Ludovicum obtinuit, ut vacans epiſcopatus, Bajocacenſis ſcilicet civitatis, propinquo ſuo, clerico meo, nomine Tortoldo, qui mihi ſe commendavit, & fidelitatem ſacramento promiſit, donaretur. qui eumdem epiſcopatum in mea infidelitate, & contra fidelitatem mihi promiſſam, conſenſu Ludovici fratris mei accepit.

XIII.

Tandem poſtquam mihi Deus vires recuperandi mei, per ſolatium fidelium meorum, contra fratrem meum donavit, perrexi prope de civitate Wenilonis, qui me contra fratrem meum ad recuperandum regnum meum pergere ſcivit, & nullum adjutorium vel per ſe, promiſſo ac ſubſcripto conſilio, vel per militiam, quæ ex eccleſia ſibi commiſſa ſolet exire, adjutorium aliquod præſtitit.

III.

## EPISTOLA SYNODALIS AD WENILONEM ARCHIEPISCOPUM.

*DILECTO ET VENERABILI Wenilohi Senonum metropolitano, Remigius Lugdunenſium metropolitanus epiſcopus, Rodulfus Biturigum metropolitanus epiſcopus, Guntharius Agrippinenſium metropolitanus epiſcopus, Hincmarus Rhemorum metropolitanus epiſcopus, Arduicus Veſontionum metropolitanus epiſcopus, Teutgaudus Treverorum metropolitanus epiſcopus, Wenilo Rotomagenſium metropolitanus epiſcopus, Herardus Turonum metropolitanus epiſcopus, Immo Noviomagorum epiſcopus, Jonas Æduorum epiſcopus, Ungerus Trajectenſis epiſcopus, Ebbo Gratianopolitanus epiſcopus, Fredebertus Baſilienſis epiſcopus, Arnulfus Tullenſis epiſcopus, Rothadus Sueſſionum epiſcopus, Ermenfridus Bellovacenſis epiſcopus, Adventius Metenſis epiſcopus; Atto Virdunenſis epiſcopus, Abbo Autiſiodorenſis epiſcopus, Æneas Pariſii epiſcopus, Rataldus ª Argentarienſis epiſcopus, Erpuinus Silvanectenſium epiſcopus, Giſlebertus Carnotenſis epiſcopus, Guntbertus Ebrocenſis epiſcopus, Ratbertus Valentinenſis epiſcopus, Franco Tungrenſis epiſcopus, Agius Aurelianorum epiſcopus, Hildegarius Meldenſis epiſcopus, Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, Erchanraus Catalaunenſis epiſcopus, Rotbertus Cenomanenſis epiſcopus, Erloinus Conſtantiæ epiſcopus, Abbo Manrogenſis epiſcopus, Hildebrandus Sagenſis epiſcopus, Airardus Lexovienſis epiſcopus, Waltbertus Abrincatenſis epiſcopus, Godelſadus Cabilonenſis epiſcopus, Iſaac Lingonenſis epiſcopus, Erchambertus ª Bajocacenſis epiſcopus, Hilmerardus Ambianenſis epiſcopus, & multi alii epiſcopi, qui ad univerſale concilium in ſuburbano Tullenſi convenerunt, in domino ſalutem.*

ª Straſburgenſis dicitur in Tuſiacenſi.

ª) al. Bajocenſis. H

DE inſtauratione pacis totiuſque ſtatus eccleſiaſtici redintegratione conferentibus nobis, glorioſus rex domnus noſter Carolus XVIII. Kalendas Julias ſubmiſſe unanimitatem noſtram adiit implorans, ut quæ a vobis vehementer indebite paſſus eſſet cognoſceremus, & maculam noſtri ordinis juſto judicio tergeremus. Imputat, quod cum jurejurando fidei a vobis accepto Senonum præſulatum vobis largitus ſit, & in diviſione regni juramentum cum aliis feceritis pacis & alterni adjutorii inter ſe & fratrem Hludouvicum perpetuitate ſacramento prius a vobis firmata: cumque veſtra electione, & aliorum epiſcoporum, ceterorumque fidelium conſenſu, in regem a vobis ſit divina gratia conſecratus, ac chirographo, quod veſtræ fidei qualitatem & immobilitatem erga ſe continet, illius vero in vos firmam benevolentiam, ad omnes ſiniſtras ſuſpiciones utrimque abolendas compoſito ſubſcripſeritis, quod omnes abſque recuſatione fecerunt dumtaxat fideles. Poſt repetita toties ſacramenta, in procinctu contra Paganos veſtro eum veſtrorumque deſtitueritis auxilio, & Hludouvico fratri, impulſu ſeditioſorum regnum invadenti, ſoli omnium epiſcoporum ſponte accedentes, ejus injuſſu fueritis collocuti. Se vero contra eumdem fratrem, & vaſtatores patriæ proficiſcentem, conſueta eccleſiæ veſtræ privaveritis militia, quam ſupplex ipſe a vobis popoſcerat. & poſt diſceſſum a Breona, ad fratrem, cum quo erant excommunicati, in ejus damnum acceſſeritis, & in eo concilio fueritis, quo Lotharius rex nepos confictis mendaciis ejus auxilio ſubtrahebatur: & familiariter interfueritis Hludouvici fratris conſiliis publicis & privatis, quibus ei partem regni parabat ſubripere, pro qua obtinenda uterque veſtrum ei juraverat. Ei quoque, in quo tractabatur, ut epiſcopi a ſe deficerent, & ad dominationem Hludouvici tranſirent. Imputat præterea, quod monaſterium ſanctæ Columbæ a Hludouvico impetraveritis, & de aſſignatione ejus litteras ad miſſos Echardum & Theodoricum. Saxa quoque muri Melodunenſis caſtelli a Hludouvico popoſceritis. unde ſatis claruerit eum potius principem, quam ſe illo vos tempore approbaſſe atque duxiſſe. Quod id etiam conſilium dederitis, ut fideles ejus ſacramento conſtringerentur, quo occupatum regnum Hludouvico contra ſe tuerentur: & quod vacantem ſedem Bajocacenſium Tortoldo propinquo veſtro a Hludouvico obtinueritis. & poſtquam ſe virtus divina anniſu fidelium in regnum reſtituerit, & id adverſus fratrem ſibi cœperit vindicare, nullum ei per vos, aut militares eccleſiæ veſtræ, præſtiteritis ſuffragium. Hæc plenius in libello comprehenſa glorioſus rex nobis obtulit, quæ strictim vobis fide integra expreſſimus, ne ex improviſo objecta amplius perturbarent. Elegit autem terminandæ querelæ judices me Remigium, & Wenilonem Rotomagenſium, & Herardum Turonum, & Rodulfum Biturigum epiſcopos, ceteris noſtrum judicium ſuo conſenſu approbaturis. Proinde, frater cariſſime, a tempore quo litteras has acceperis, poſt diem XXX. quocumque evocatus fueris, ita canonice inſtructus occurre, ut defenſionis tempore ac loco accepto, ſi conſcientiæ, quod plurimum optamus, confidis, ſuffragante veritate probabiliter objecta diſſolvas: ſin autem in defenſione defeceris, ſententias a majoribus inſtitutas excipias.

*Accuſatus epiſcopus quemadmodum ſit evocandus. ex concilio Carthaginenſi cap.* XIX.

Aurelius epiſcopus dixit: Quiſquis epiſcoporum accuſatur, ad primatem provinciæ ipſius cauſam deferat accuſator: nec a communione ſuſpendatur cui crimen intenditur, niſi ad cauſam ſuam dicendam electorum judicum die ſtatuta litteris evocatus minime occurrerit, hoc eſt infra ſpatium menſis, ex ea die qua eum litteras accepiſſe conſtiterit. Quod ſi aliquis veras neceſſitatis cauſas probaverit, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum ſit, cauſæ ſuæ dicendæ intra alterum menſem integram habeat facultatem. verum tamdiu poſt menſem ſecundum non communicet, donec purgetur. Sin autem nec ad concilium univerſale anniverſarium occurrere voluerit, ut vel ibi cauſa ejus terminetur, ipſe in ſe damnationis ſuæ ſententiam dixiſſe judicetur. Tempore ſane quo non communicat, nec in ſua eccleſia vel parochia communicet. Accuſator autem ejus, ſi nunquam diebus cauſæ dicendæ defuerit, a communione non removeatur. Si vero aliquando defuerit ſubtrahens ſe, reſtituto in communionem epiſcopo, ipſe removeatur a communione accuſator: ita tamen ut nec ipſi adimatur facultas cauſæ peragendæ, ſi ſe ad diem occurrere voluiſſe, ſed non potuiſſe probaverit. Illud vero placuit, ut cum agere cœperit in epiſcoporum judicio, ſi fuerit accuſatoris perſona culpabilis, ad arguendum non admittatur, niſi proprias cauſas, non tamen eccleſiaſticas, aſſerere voluerit.

4. q. 6. Illud vero placuit.

*Objectio*. In tua conſpiratione vita mea periclitata eſt: & niſi mihi Dei pietas ſubveniſſet, etiam viventi fœda regni accidiſſet amiſſio. Primo ex concilio Carthaginenſi quærendum eſt in judicio, cujus ſint converſationis & fidei is qui accuſat, & is qui accuſatur. Deinde oſtendendum canonice inſtructam cognitionem. *Ex concilio eodem*. Felix epiſcopus dixit: Suggero ſecundum ſtatuta veterum conciliorum, ut ſi quis epiſcopus, quod non optamus, reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia neceſſitas non poſſe plurimos congregare; ne in crimine remaneat, a XII. epiſcopis, presbyter a VI. epiſcopis cum proprio ſuo epiſcopo audiatur, & diaconus a III. Tum niſi efficax ei occurrat defenſio, inferendum judicium. *Ex concilio Chalcedonenſi cap.* XVIII. Conjurationis vel conſpirationis crimen & ab exteris legibus eſt omnino prohibitum: multo magis hoc in Dei eccleſia ne fiat admonere conveniet. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes, aut conſpirantes, aut inſidias ponentes epiſcopis aut clericis, gradu proprio penitus abjiciantur.

Cap. 11.

11. q. 1. Si qui clerici.

*Objectio.* Celebraſti miſſas excommunicatis præter conſenſum epiſcoporum, qui eos propter crimina ab eccleſia removerant. Item, niſi probabilis reddatur defenſio, ſequitur judicium. *Ex concilio Carthaginenſi cap.* IX. Auguſtinus epiſcopus dixit: Hoc ſtatuere dignamini, ut ſi qui forte merito facinorum ſuorum ab eccleſia pulſi ſunt, & ſive ab aliquo epiſcopo, vel presbytero, fuerint in communionem ſuſcepti, etiam ipſe cum eis pari crimine teneatur obnoxius, refugiens ſui epiſcopi regulare judicium. Ab univerſis epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet.

*Objectio.* Sacramenta in cauſis, quæ tibi opponuntur, ſæpiſſime violaſti. Niſi protexerit recipienda defenſio, ſequitur judicium. *Ex decretis papæ Gelaſii.* Comperimus etiam horrendis quibuſdam criminibus implicatos, tota diſcretione ſummota, non ſolum de factis atrocibus neceſſariam pœnitudinem non habere, ſed nec aliqua correctione penitus ſuccedente ad divinum miniſterium honoremque conſcendere. Nonnul-

Cap. 18.

ANNO CHRISTI 859.

A nullos autem in ipſis ordinibus conſtitutos, gravibus delinquentes facinoribus non repelli, cum & apoſtolus clamet, nemini cito manus imponendas, nec communicandum peccatis alienis, & majorum veneranda conſtituta pronuntient, hujuſmodi, etiam ſi forte ſubrepſerint, tam qui ante peccaverunt, detectos oportere depelli, quam ſacræ profeſſionis oblitos, prævaricatores ſancti propoſiti procul dubio ſummovendos. DE ACCUSATO ET ACCUSATORE. *Ex concilio Carthaginenſi*. (Can. 30.) Item placuit; ut accuſatus vel accuſator in eo loco, unde eſt ille qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat proximum, quo non ſit difficile teſtes perducere, ubi cauſa finiatur. DE B CONTEMPTU JUDICII. *Ex epiſtola papæ Bonifacii*. (Epiſt. II. ad epiſcopos Galliæ.) Probat vera eſſe illa quæ adverſum ſe dicta ſunt, qui ad ea confutanda adeſſe minime vult: & nullus dubitat, quod ita judicium nocens ſubterfugit, quemadmodum ut abſolvatur qui eſt innocens quærit. Sed aſtuta cavillatio eorum, qui verſutis agendum credunt eſſe conſiliis, nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus, quiſquis ſe ſubterfugere judicium dilationibus putat. Veniet tamen aliquando ille, qui talis perhibetur, in medium: nec proderit illi toties latuiſſe, toties ſubterfugiſſe, quem ſui actus & commiſſa, quocumque fugerit, ea quæ objiciuntur illi, ſi vera ſunt, crimina proſequuntur. Ut ſi adeſſe voluerit, C præſens, ſi confidit, ad objecta reſpondeat: ſi vero adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur. Nam manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato judicio, purgandi ſe occaſione non utitur. Nihil enim intereſt, utrum in præſenti examine omnia quæ dicta ſunt comprobentur, cum ipſa quoque pro confeſſione procurata toties conſtet abſentia. *Concilium Sardicenſe*. (Cap. 4.) Gaudentius epiſcopus dixit: Addendum ſi placet huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, ut cum aliquis epiſcopus depoſitus fuerit eorum epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Roma, alter epiſcopus in ejus cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe D depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio epiſcopi Romani determinata. *Ex concilio Toletano*. (Concil. Tolet. IV. Can. 11.) Dignum eſt, ut vita innocens nulla maculetur pernicie accuſatoris. Ideo quiſquis a quolibet criminatur, non ante accuſatus ſupplicio detur, quam accuſator præſentetur, atque legum & canonum ſententia exquiratur. Quod ſi indigna ad accuſandum perſona invenitur, ad ejus accuſationem non judicetur, niſi ubi pro capite regiæ majeſtatis cauſa verſatur.

*Auctor annalium Bertinianorum ad an.* 859. Karlus rex per diverſa loca conventus epiſcoporum agit. Sed quarto a Tullo Leucorum milliario E in villa Saponarias cum Lothario & Karlo nepotibus ſuis regibus ſynodo epiſcoporum adſiſtens libellum accuſationis adverſus Guanilonem Agedinci Senonum metropolitanum epiſcopum porrigit. Quæ tamen actio propter abſentiam ejuſdem Guanilonis epiſcopi dilata eſt. *Tum paulo poſt*. Guanilo epiſcopus Senonum abſque audientia epiſcoporum Karlo regi reconciliatur.

## IV.

## EPISTOLA SYNODI AD EPISCOPOS BRITONUM, QUI A METROPOLITANO SUO deſciverant, & cum excommunicatis communicabant.

Ut ſe atque alios ab his exceſſibus revocent, & Salomonem de ſubditis capitibus commoneant.

*Synodus univerſalis collecta ex Gallia & Germania in ſuburbio Tullenſi, villa Saponarias, Remigius Lugdunenſium, VVenilo Rothomagenſium, Herardus Turonum, Rodulfus Biturigum, Hincmarus Rhemorum, Guntharius Agrippinenſium,* B *Arduicus Veſontionis metropolitani epiſcopi, cum multis aliis epiſcopis, Faſtcario, Vvernario, Garurbrio, Felici, in domino ſalutem.*

QUo plura emergunt in populo Dei noxia, & epiſcopali diligentia [a] recidenda, ad hoc plures & frequentius neceſſe eſt convenire pontifices, ne miniſterii ſacerdotalis nomen fruſtra comprobentur geſtare. Hac intentione confluximus ad memoratum locum, ut fida collocutione, quid nobis in tantis periculis & tribulationibus agendum ſit, ſolicite quæreremus, & ſancto Spiritu demonſtrante inveniremus. Ad hanc collocutionem vos, præſertim evocatos, non cucurriſſe moleſtius tulimus. Decuerat C enim, ut quorum eſt unum officium, par ſtudium probaretur. Sacris inſtituti canonibus non ignoramus, metropolitano veſtro, cariſſimo fratri noſtro Herardo, competentem reverentiam vos debere, ita ut præter ejus præſentiam, aut conſenſum, nullus in regione veſtra canonice poſſit ordinari epiſcopus, nec vos generale aliquid ſine ejus conſenſu poſſe ſancire. De qua reverentia, ſalubriter a vobis & a gente veſtra metropolitano impendenda, tempore Nomenoii ducis, & reverendiſſimi papæ Leonis, & ſucceſſoris ejus Benedicti, ſcripta docuerunt, & refragantibus apoſtolicæ auctoritati dignam excommunicationis protulerunt ſententiam. Movet etiam nos, quod iis, quos veſter D metropolitanus cum aliis epiſcopis, propter diverſa crimina excommunicavit, indifferenter vos communicare comperit. In canonibus autem divinitus inſtitutis ſocii excommunicatorum eorumdem ſententia feriuntur. Proinde monemus ſanctam nobiſque amabilem fraternitatem veſtram, ut ab his exceſſibus ulterius temperetis, & veſtra inſtantia, opitulante Dei gratia, gentem veſtram ad olim traditæ diſciplinæ ac totius eccleſiaſticæ religionis obſervantiam invitetis, & unanimiter & conſtanter abſque dilatione reducatis. Siquidem etiam illis obſervandum eſt, ne damnatorum illicita ſocietate certam ſententiam damnationis incurrant. Quæ autem a nobis diligentiore tractatu reperta ſunt E atque decreta, venerabilis coepiſcopi Herardi relatione diſcetis. Verum, ſi quod non optamus, ab ejuſdem metropolitani ſolicitudine ulterius reſilieritis, & noſtris ex caritate manantibus exhortationibus vos conſtiterit reluctari, miniſterii neceſſitate canonicam in vos cogemur proferre ſententiam. Bene valete, & orate pro nobis.

[a] MS. ſcindenda. B.

*Indiculus quibus de rebus Salomonem commonere debeant.*

Placuit univerſali concilio, ut Salomoni, qui



ANNO CHRISTI 859.

A Britannorum tenet regionem, ſuggeratis, ut quæ pro ejus ſalute mandamus obedienter audiat, ſi Deum vult habere propitium, & noſtræ unanimitatis tenere conſortium. Ut permittat totius Britanniæ epiſcopos debitam reverentiam metropolitano inferre. Ut facultates eccleſiaſticas nec ipſe Deo auferat, nec aliis auferre permittat. Ut conſideret quanto animæ ſuæ periculo Britannorum dominationem invaſerit, cum domno noſtro regi Carolo fidelitatem prius juraverit. Ut recordetur gentem Britannorum Francis ab initio fuiſſe ſubjectam, & ſtatutum dependiſſe tributum, ac per hoc non dedignetur ad nuper omiſſam reverti conſuetudinem. Ut proprietates a parentibus relictas, vel quolibet B modo rationabiliter acquiſitas, juſtos poſſeſſores habere permittat. Niſi enim ſe ab hac audacia, & impietate retraxerit, & divina pœnitudine deleverit quod deliquit, noſtræ auctoritatis affectu nobis admonentibus, cito ei Deus uſurpatam auferet poteſtatem, & debitam inferet ultionem. Ut pro diverſis criminibus canonice excommunicatos ne recipiat ſuadete; oſtendentes divino judicio, ſi id præſumpſerit, pari cum vindicta conſtringi.

## V.

## EPISTOLA SYNODI AD BRITONES

PROPTER VARIA SCELERA EXCOMMUNICATOS.

C Ut deſiſtant, ne, ſi perſtiterint, anathemati ſubjiciantur.

*Univerſalis ſynodus ex diverſis partibus in nomine domini ad vicinum locum Tullenſi urbi, qui dicitur Saponarias, congregata, utinam bonis filiis, Rotberto, Odoni, Heriveo, Truando, Ingelboldo, Frotmundo, item Heriveo, Magenardo, Cadoloni, & ceteris in veſtra ſocietate conjunctis, ſalutarem converſionem.*

PRopter diſſenſiones, & diverſas contentiones, quæ in veſtris regionibus exortæ ſunt, D longum tempus eſt quod voluimus venire in unum, & dolorem noſtrum oſtendere: quod propter veſtram omnium perverſitatem talem vindictam ponit Deus ſuper nos, qualis non eſt audita ante nos, poſtquam Deus ſua gratia poteſtatem dedit regibus & genti Francorum. Ipſe Deus nos in unum ad hoc adduxit, ut vel flagellati diverſis tribulationibus recogitemus peccata noſtra, ut nos primum convertamur ad ipſum, & alios ad eum noſtra prædicatione & exemplo adducamus. Et oramus omnes cum gemitu, & nimio dolore, & qui poſſumus cum lacrymis, ut reſpiciat nos ultimos ſervos ſuos ad ſe volentes redire, & dignetur nobis præſtare, ut quod aliis prædicamus, ipſi quoque faciamus. quia ſic dicit E ipſe Salvator noſter: (Matth. 7.) *Non omnis qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum*. Hæc eſt noſtra intentio. Vos nolite attendere, quod reprehenſibiles ſumus: ſed quod miniſtri Dei ſumus. In his quæ bene vobis dicimus audite dominum præcipientem: (Matth. 23.) *Quæ dicunt facite*. In his quæ male facimus, audite iterum ipſum præcipientem: *Quæ faciunt facere nolite*. Doctrina enim Dei a nobis indignis bene vobis annuntiata, ſi obedieritis, vobis proderit, quaſi ex beato Petro principe apoſtolorum eam audieritis, & erit vobis ſalvatio: nobis autem, ſi non obſervaverimus quod aliis præcipimus, erit damnatio. In commune deſeruimus cultum Dei. Quidam ex nobis mandata Dei, & minas ejus, atque promiſſiones cognoſcimus, ſed non timemus, neque amamus: quidam neque cognoſcere dignamur. & utrique ſumus magno periculo, niſi convertamur, antequam moriamur. Mors noſtra incerta eſt unicuique noſtrum, & certa eſt vindicta Dei, & in proximo, niſi converſio & pœnitentia nobis ſubvenerit. Propterea nos humiliamus, licet omnes tales non ſimus, ut vos nobiſcum ad dominum attrahamus. Fratres, audite & intelligite quid Deus dicat omnibus ſuis fidelibus: (Matth. 25.) *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam*. Quod propterea di- B cit, ut ſuſpectam ſemper habeamus mortem, quam effugere non valemus, & ad eam vincendam ſemper præparemur, quam ſcimus nulli eſſe præcognitam, & omnibus adventuram. Peccata noſtra quotidiana ſunt, unde quotidie dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*: (Matth. 6.) ſed non debent eſſe mortifera, id eſt criminalia, de quibus dicitur per prophetam: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur*. (Ezech. 18.) & per apoſtolum Paulum: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. (Galat. 5.) Fratres & filii, audite nos nunc pie monentes, ne in judicio Dei, quando non erit pœnitentiæ locus, audiatis, quod ipſe Deus avertat, juſte & veraciter accuſantes. Primo cognoſcite, quia in diſcordia eſtis, & diſcordia tam grande eſt ma- C lum, quod oblatio, quæ ſolet alia peccata delere, non recipitur a Deo, donec diſcordia deponatur, & ad bonam concordiam redeatur. Hoc vobis notum eſt ex evangelio. Etiam ſapientes mundi intellexerunt, & bene docuerunt, quia parvæ res per concordiam creſcunt, & maximæ res per diſcordiam corruunt. Quod verum eſſe probatur in nobis, qui regnum Francorum, cum in concordia eſſet, magnum vidimus, & nune cum eſt in diſcordia, jam pæne nullum videmus. Cariſſimi, videte ne de tanto malo vos ſitis capita, ne pro eo cogamini debita ſuſtinere tormenta. Deus dicit in evangelio: (Matth. 18.) *Quiſquis ſcandalizat unum ex puſillis, melius erat ei, ut alligata mola mergeretur in profundum maris*. Vos ſcanda- D lizatis innumerabilem multitudinem. In quanto & in quam incomparabili eſtis periculo, & judicio Dei, qui alios inquietatis & opprimitis? In præſenti vita non habetis quietem, nec ullam ſecuritatem: in futuro autem habebitis inevitabilem damnationem. Quæritis quæ ſit illa damnatio? Ignis eſt æternus, quo omnes impii punientur. Sic enim dicit Deus ſe dicturum impiis: *Ite in ignem*. (Matth. 25.) & non ſtetit ut finiret ſententiam, ſed addidit, *æternum*. ut quem non terret tanti ſupplicii atrocitas, mittat eum in pavorem nunquam finienda ſupplicii perpetuitas. Per Iſaiam de impiis Deus dicit: (Iſa. 66.) *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. & per aliam ſcripturam: (Eccl. 7.) *Vindicta carnis impii, ignis & vermis*. E Anima impiorum, credite nobis auctoritatem divinam vobis explanantibus, patietur vermem, id eſt morſum infructuoſæ pœnitentiæ; & corpus impiorum ad augmentum tormenti patietur vermis corporalis morſum, & ignem ipſum corpus ſemper ſuccendentem, & nunquam finientem. Attendite actus veſtros. Nulla lege vivitis: nec illa, quam homines ad conſervandam præſentem pacem præfixerunt; nec illa, quam ad tenendam præſentem juſtitiam, & ad promerendam cæleſtem gloriam divinæ litteræ docuerunt. Omnes abſque reverentia rapinam facitis; & apoſtolus Paulus dicit: (1. Cor. 6.) *Quia rapaces regnum Dei*

ANNO CHRISTI 859.

*non poſſidebunt.* & dives purpuratus non propterea ardet in inferno, quod ſalvator eum referat crudeliter aliena rapuiſſe, ſed miſericorditer propria indigenti non tribuiſſe. Unde exiſtimate quanta pœna cruciabitur, qui aliena diripit, ſi inferni igne damnatur, qui petenti propria denegavit. Plurimi veſtrum, abjecto timore Dei, templa violant, vaſa Dei & in diverſis ſpeciebus theſaurum auferunt, & depoſita, id eſt commendata propter Paganorum incurſionem ab aliis eccleſiis, in ſuos uſus transferunt, & ſacrilegium jam publice ſine timore committunt. Poſſeſſiones eccleſiæ, id eſt villas, quæ datæ ſunt Deo ab his qui ante vos Chriſtiani fuerunt propter redemptionem animarum, & propter templorum Dei inſtaurationem, & eorum victum & veſtimentum, qui ſine ceſſatione laudes Deo perſolvunt, & propter ſtipendium pauperum, &, ſi opus eſſet, redemptionem captivorum, vos Deo aufertis, & quia ſtatim non vindicat, quaſi cum ſecuritate poſſidetis. Domini eſt terra & plenitudo ejus, & quicumque Deo aliquid obtulit, nihil ei dedit, niſi quod ab eo accepit. Ut tamen ſciamus eum noſtram devotionem non faſtidire, quaſi noſtrum accipit, quod ipſe dedit. Sic enim dignatur promittere ſe dicturum pietatem impendentibus proximis: *Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me: nudus, & operuiſtis me: eſurivi, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere.* quaſi ea ex ſuo largiantur, qui hæc manifeſte divino munere perceperunt. Tam nefarium ſcelus, quo præſentibus & futuris nocetis, jam vindicaret quia juſtus eſt, niſi eſſet & patiens. Sed utinam omnes talia agentes ejus patientia ad pœnitentiam adducat, quia in præſenti tempore ſecundum apoſtolum Paulum, patientia Dei ad pœnitentiam vos invitat. Sed ſi in his & ſimilibus facinoribus perduraveritis, quanto nunc eſt mitior ejus patientia, tanto erit durior poſtea inflexibilis vindicta. Dei vox eſt: *Tacui; numquid ſemper tacebo?* id eſt, in hac vita quieſco, in altera vindicabo. Vindictam illaturus quidem dicturus eſt: Audiſtis me præcepiſſe: *Non concupiſces rem proximi tui:* rem proximi veſtri ſi concupiſtis, quia non auſi eſtis, aliquando non abſtuliſtis; meam non ſolum concupiſtis, ſed ad meum contemptum audaciſſime vobis vindicaſtis; & plus timuiſtis ſervum, quam me dominum. Ergo meus contemptus, & veſtra, quæ radix fuit omnium malorum, cupiditas vos mergit in Tartarum. Non permittat Deus, ut hæc audiatis in futuro, ſed potius audiatis in præſenti, nobis dicentibus in auribus veſtris, dominum dicentem in cordibus veſtris: Convertimini ad me, & ſalvi eritis. Plurimi veſtrum fornicationes & adulteria ſine timore divino, & ſine humana verecundia faciunt; audiant apoſtolum dicentem: *Fornicatores & adulteros vindicabit Deus*, id eſt damnabit. Audiant etiam eumdem dicentem: *Horrendum*, id eſt timendum, *eſt incidere in manus Dei viventis.* Homicidia crudeliſſime exercent, & creaturam diſſipant, quæ facta eſt ad imaginem Dei, ad ejus injuriam qui creavit. Sancti Dei, qui ante nos eccleſiam rexerunt, eos qui voluntarium homicidium fecerint, pœnitentiam quamdiu viverent agere ſtatuerunt, & ut nunquam acciperent ſanctam communionem, niſi in fine pro viatico decreverunt. De uno homicidio hoc ab illis eſt confirmatum: nobis quid faciendum eſt, quibus nuntiatur multos a ſingulis trucidatos? Incendiarii Chriſtianorum villas incendunt, & plurimorum damnis atque mortibus faciunt ſe dignos incendio ſempiterno. epiſcopos ad matrem eccleſiam revocantes non auditis, miniſtros eorum affligitis, monachos & ſanctimoniales penuria opprimitis: agricolas, quorum labore vivitis, fame torquetis. a Deo, & bonis operibus, his & aliis inauditis ſceleribus vos ſeparatis. Sed video cui vos jungitis. Deus dicit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Si pacifici eſtis, filii Dei eſtis, & eritis: ſi pacifici non eſtis, manifeſtum eſt, quia nec filii Dei eſtis. Salvator dicit: *Qui eſt ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Si verba Dei aure corporis auditis, & aure mentis percipitis ut opere compleatis, ex Deo eſtis: ex Deo autem non eſtis, ſi iſta negligitis. Abſit, ut inter eos immoremini, quibus ipſe dominus dicit, *Vos ex patre diabolo eſtis.* Deus ſibi obedientibus dabit ſeipſum, ut intelligatur, & habeatur, & ſit gaudium ſempiternum in regno cælorum. Diabolus ſibi obedientibus hoc præſtabit, ut cum eo mergantur in ignem æternum. Cariſſimi, dum tempus eſt, fugite ſeductorem, & ſequimini ſalvatorem. Sitis illius qui vos fecit, non illius qui vos decepit. Dominus dicit: *Quid prodeſt homini, ſi lucretur univerſum mundum, ſeipſum autem perdat, & detrimentum ſui faciat?* Quod propterea dicit, quia nihil prodeſt homini, ſed multum nocet, ſi acquirat totum mundum, & perdat ſeipſum. Quod ſine offenſione Dei habere non poſſumus, ut Dei amatores habere nolimus. Iſta quæ in hoc ſæculo videntur, ſecundum auctoritatem divinæ ſcripturæ temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna. Ne peccemus in ſuperflua dilectione temporalium, ne amittamus beatitudinem æternorum. Unicuique noſtrum Deus dicit: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Si imparati fuerimus, ab his quæ licite amamus invite abſtrahemur: & quæ ſuavia nobis ſunt, erunt aſperrima. Nihil proderit pompa ſæculi: non adjuvabunt propinqui, nec ulli carnales amici, & magna peccata, quæ non deleverimus per pœnitentiam, compellent nos ſuſtinere æternam vindictam. Paterna pietate minas Dei, & promiſſiones vobis proponimus, ut ab omnibus vitiis, quæ pacem præſentem & futuram gloriam tollunt, cum feſtinatione recedatis, & ad dominum ex toto corde converſi faciatis bona opera, quibus ſpem ſalutis habere poſſitis. Pro criminibus, quæ ſuperius expoſita ſunt, vos excommunicatos a quibuſdam epiſcopis comperimus. Sed ipſis intercedentibus damus ſpatium, ut ad noſtram piam admonitionem deponatis mortiferam ſocietatem, & peccatorum conſuetudinem: ne forte, ſi in veſtra contumacia perſtiteritis, cogamur vos anathemate generali contra noſtram voluntatem propter miniſterii neceſſitatem ferire.

Matth. 25. — Rom. 2. — Iſa. 42. juxta LXX. — Exod. 20. — Hebr. 13. — Hebr. 10. — Matth. 5. — Joan. 8. — Ibidem. — Matth. 16. — Eccleſ. 7.

## VI.

## DECRETA SEU CANONES SYNODI LINGONENSIS

*In ſynodo apud Saponarias relecti.*

Edidit primus P. Jac. Sirmondus ex mſ. Bibl. Vatic.

HÆC DECRETA SYNODICA obtulerunt eidem conventui, & regibus aſſidentibus, Remigius, Agilmarus, Ebbo, & ceteri coepiſcopi eorum, qui ante quindecim dies in Andemantunno Lingonum, cum rege ſuo Carolo congregati confirmaverunt.

TI-



ANNO CHRISTI 859.

## TITULI CANONUM.

Primi ſex iidem ſunt cum primis concilii Valentini III.

VII. *Ut concilia epiſcoporum ſaltem ſemel quotannis fiant: & in palatiis ſaltem ſemel intra biennium generalis epiſcoporum conventus agatur.*

VIII. *De ordinationibus epiſcoporum & ſacerdotum.*

IX. *Ut epiſcopi monaſteria ſtrenue viſitent & diſponant.*

X. *De ſcholis ſacræ ſcripturæ, & humanæ literaturæ inſtituendis.*

XI. *De eccleſiis inſtaurandis.*

XII. *Ut unicuique congregationi profeſſionis ſuæ liceat habere prælatos.*

XIII. *De nonis ac decimis per eos ſolvendis, qui eccleſiæ poſſeſſiones retinent.*

XIV. *Ut hoſpitalia uſibus ad quos ſunt inſtituta reſtituantur.*

XV. *Ut miſeris per idoneos judices juſtitia reddatur.*

XVI. *De raptoribus, adulteris, & rapacibus coercendis.*

## CANONES.

### I.

Quia doctorem gentium in fide & veritate fideliter commonentem, obedienterque audimus, *&c. ut in ſynodo Valentina, can.* 1."

### II.

Deum præſcire & præſciſſe æternaliter, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali ſunt geſturi, *&c. ut in ſynodo Valentina, can.* 2."

### III.

Sed & de prædeſtinatione Dei placuit, & fideliter placet, juxta auctoritatem apoſtolicam quæ dicit, *&c. ut in ſynodo Valentina, can.* 3."

### IV.

Item de redemptione ſanguinis Chriſti, propter nimium errorem, qui de hac cauſa exortus eſt, ita ut quidam, *&c." uſque ad* Multorum exhaurienda peccata. [c] Porro capitula" numero XIX. ſyllogiſmis ineptiſſime ac mendaciſſime a quodam Scoto concluſa, ubi non argumentum fidei, ſed potius commentum perfidiæ patet, nulla omnino philoſophiæ arte, ut arroganter a quibuſdam jactatur, conſtructum, ſed inani fallacia & deceptione imperitiſſime confuſum, a pio auditu fidelium penitus explodimus, *&c. ut in ſynodo Valentina, can.* 4."

### V.

Item firmiſſime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu ſancto regenerata, *&c. ut in ſynodo Valentina, can.* 5."

Tom. IX. p. 1150. — Ibid. pag. 1151. — Ibid. — Ibid. p. 1152. — [c] Expunxerant jam antiquiores epiſcopi illi, quæ Valentiæ intervenerunt, *Capitula quatuor, quæ a* [illegible] *fratrum noſtrorum* (Cariſiaci congregatorum) *minus proſpecte ſuſcepta ſunt propter inutilitatem, vel etiam noxietatem & errorem contrarium veritati.* — Ibid. pag. 1152. — Ibid. pag. 1153.



### VI.

Item de gratia per quam ſalvantur credentes, & ſine qua rationalis creatura nunquam beate vixit, *&c. ut in ſynodo Valentina, can.* 6."

" * * *In mſ. Palatino bibliothecæ Vaticanæ interſeruntur hæc verba:* Quid ſupplicatum ſit piis principibus inter alia.

Ibid. pag. 1153.

### VII.

Poſcendum a Chriſtianiſſimis & piiſſimis principibus noſtris, ut concilia epiſcoporum, juxta antiquam eccleſiæ obſervantiam, & ſtudium catholicorum principum, tam patrum ſuorum, quam etiam eorum qui ante illos extiterunt, nullatenus omittantur: ſed per ſingulas quaſque provincias ſaltem ſemel per annos ſingulos, cum eorum favore & pia exoratione celebrentur. In eorum quoque palatiis ſaltem ſemel intra biennium generalis epiſcoporum conventus agatur. Et quod ſecundum voluntatem Dei, juxta auctoritatem ſcripturarum & ſacrorum canonum, ipſo Deo adjuvante invenire potuerint, confidenter ſtatuant & annuntient. Quia maxima omnino pernicies in hoc eſt, dum neque a ſacerdotibus Dei populorum culpæ examinantur, nec a quoquam eccleſiaſticum judicium formidatur.

### VIII.

Ut hi qui ordinandi ſunt, ſecundum ordinem eccleſiaſticum, & inſtitutionem ſanctorum patrum ordinentur. Videlicet ut epiſcopi judicio metropolitanorum, ut eorum epiſcoporum qui circumcirca ſunt, provehantur ad eccleſiaſticam poteſtatem: hi videlicet qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei, quam rectæ converſationis exemplo. & juxta excerpta Martini, ut non liceat populo electionem facere, qui ad ſacerdotium provocantur, ſed judicium ſit epiſcoporum, ut ipſi eum qui ordinandus eſt probent, ſi in ſermone & fide, & in ſpiritali vita edoctus ſit.

Mart. Brac. cap. 1.

### IX.

Ut congregationes canonicorum & monachorum, ac ſanctimonialium, ſecundum canonicam inſtitutionem a propriis epiſcopis ſtrenue viſitentur, & eorum religio & habitus exquiratur, ſi vita & moribus ſint probi, ac officii & unanimitatis ſtudio ſoliciti, a leviſſimis quoque & pernicioſiſſimis actibus cauti. Subſidia etiam illorum pia dominorum providentia exquirantur & diſponantur: quatenus clementia veſtra in omnibus fulti, pro veſtra in Chriſto proſperitate, regni quoque veſtri ſublimatione; domini clementiam eos jugiter exorare delectet.

### X.

Ut ſcholæ ſanctarum ſcripturarum, & humanæ quoque literaturæ, unde annis



præ-

ANNO CHRISTI 859.

præcedentibus, per religioſorum imperatorum ſtudium magna illuminatio eccleſiæ, & eruditionis utilitas proceſſit, deprecandi ſunt pii principes noſtri, & omnes fratres & coepiſcopi noſtri inſtantiſſime commonendi, ut ubicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id eſt fideliter & veraciter intelligentes donare dignetur, conſtituantur undique ſcholæ publicæ. ſcilicet ut utriuſque eruditionis, & divinæ ſcilicet & humanæ, in eccleſia Dei fructus valeat accreſcere. quia, quod nimis dolendum eſt, & perniciosum maxime, divinæ ſcripturæ verax & fidelis intelligentia jam ita dilabitur, ut vix ejus extrema veſtigia reperiantur. Et idcirco ingenti cura & ſtudio remedium procurandum eſt.

XI.

*Ut eccleſiæ ſarciantur & reſtaurentur in ædificiis ab his qui earum rebus utuntur, aut ab unoquoque tale ex earum familia præbeatur adjutorium, per quod ſi fieri poteſt reædificentur. Indignum eſt enim juxta hiſtoriam, domino per prophetam reprobante, nos in domibus laqueatis habitare, & domos Dei eſſe deſertas. Super quo præceptionem nihilo minus Deo acceptam prudentiſſimi domini noſtri videbunt.

Agg. 1.

XII.

Ut unicuique congregationi Deo vacantium in timore & amore ejus, a diſcretiſſimis principibus, ſecundum auctoritatem divinam, ſuæ profeſſionis liceat habere prælatos.

XIII.

Ut de rebus Deo ſacratis ſaltem nonæ & decimæ eccleſiis, quibus jure debentur, fideliter ab iis a quibus retinentur miniſtrentur. Quia ſi de proprio Deo ex voto decimæ offeruntur, multo magis divino in lege præcepto, poſt redhibitionis oblationem, quinta pars inſuper ejus miniſtris jure offertur. Quod præceptum qui contempſerint, maledictionem legis in his ſibi acquirunt. Et ut deinceps nihil ab eccleſiis abſtrahatur, ſed his modernis temporibus diſtracta Deo reddantur; humiliter in commune ſupplicamus.

XIV.

Ut hoſpitalia, peregrinorum videlicet, & aliorum pro remedio animarum receptacula, a piis imperatoribus, * patrum [illegible] & veſtrorum in timore & amore Dei [illegible], ab omni uſu & libitu humanæ [illegible] abſoluta, in eos uſus, quibus ſunt conſtituta, pietatem prædeceſſorum ſequentes, ſub patrocinio veſtro dignum eſt veſtro tempore, & veſtra ſolicitudine reſtaurentur. Qui enim agapen pauperum, & ſuſtentationem peregrinorum, & eleemoſynam defunctorum defraudant, apud ſanctos patres eorum necatores vocantur.

* leg. patribus ſcilicet & avis veſtris in, &c.

XV.

Ut juſtitiæ miſerorum ad aures pietatis veſtræ clamantium, in omni regno ditioni veſtræ ſubjecto, per miniſtros a clementia veſtra ad hoc inſtitutos, qui Deum timeant, & munera odio habeant, ſtrenue exquirantur, & abſque perſonarum acceptione perficiantur, uſquequaque expedit dominis noſtris, eorumque fidelibus, & regno. quia per prophetam dicit Spiritus ſanctus: *Miſericordiam & judicium cuſtodi, & ſpera in Deo tuo ſemper*. Etenim ſine hac cuſtodia fruſtra ſperatur in Deo. Qui vero hanc ſolicitus habuerit, cum pſalmiſta in via immaculata domino pſallit & intelligit, quia ei in laude miſericordiam & judicium cantat.

Oſee 12. Pſal. 100.

XVI.

Ut raptores, & adulteri, vel rapaces; qui, ſicut ait apoſtolus, *regnum Dei non conſequentur*, cum quibus etiam, ſicut ipſe præcepit, nec cibus ſumendus eſt, cenſura & ſeveritate principum, qui non ſine cauſa gladium portant, inſequantur, quoadſque ſacerdotum judicio publice eccleſiaſticæ ſubdantur diſciplinæ: quia pro talibus & Deum intelligimus in nos eſſe offenſum, & regnum eſſe diviſum atque diſperſum.

Galat. 5. 1. Cor. 5.

## NOTÆ JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Concil. Tullenſe apud Saponarias.* ] Collecta ſunt, atque ordine digeſta, quæcumque ad hoc concilium attinebant. quorum omnium ſummam continent canones XIII. qui primo loco exponuntur: reliquorum enim omnium in his canonibus, ſeu capitulis, fit mentio.

2 *Lothario & Carolo.* ) Filiis Lotharii imperatoris, quorum hic Provinciam inter Rhodanum & Alpes cum Burgundia obtinebat: ille regionem univerſam, quæ ab eo poſtea regnum Lotharii dicta eſt. Tertius natu maximus Ludovicus imperium ſortitus fuerat cum regno Italiæ.

3 *Relecta ſunt denique.* ) Capitula ſex prima ſynodi Valentinæ, quæ paucis ante diebus in ſynodo Lingonenſi confirmata, in hac etiam ſynodo apud Saponarias proferente Remigio Lugdunenſi relecta ſunt. Quatuor item Hincmari capitula, de quibus jam dictum eſt: nam hæc etiam poſtera die in hac ſynodo relecta fuiſſe, Hincmarus ipſe eſt auctor in præfatione poſterioris operis adverſus Gotheſcalcum. Occaſionem porro his omnibus dederant dogmata Gotheſcalci, de quibus inter epiſcopos, præcipue inter Hincmarum & Remigium Lugdunenſem, variæ fuerunt altercationes & ſententiæ.

4 *Audemantunno Lingonum.* ) Ita dictum, ut Durocortorum Rhemorum, Lutetia Pariſiorum. Nam Lingonum caput Andemantunnum opidum in tabula Peutingeri, & in lapidibus antiquis.

5 *Cum rege ſuo Carolo.* ) Lotharii regis fratre, ut paulo ante dictum eſt. Hinc vero apparet, ad Caroli hujus regnum pertinuiſſe Lingones.

6 *Porro capitula num. XIX.* ) De his quoque dictum eſt ad can. IV. ſynodi Valentinæ. Cur vero de his agens ſynodus Lingonenſis aliter quædam expreſſerit, quam concepta fuerant in Valentina, & cur quatuor capitulorum mentionem penitus omiſerit, cauſas exquirit atque exagitat Hincmarus cap. XXX. operis ſupraſcripti.

## " Ejuſdem P. SIRMONDI Notæ Uberiores.

*In ſuburbano Tullenſi.* ] Diem & locum indicat titulus Tit. proclamationis Karoli in hac ſynodo prolatæ: *Apud Tullenſem parochiam in ſuburbano ejuſdem urbis, quod dicitur Saponarias, anno* DCCCLIX. XVIII. *Kalendas Julias.* De loco item ſynodus ipſa in epiſtola ad Brittones: *Univerſalis ſynodus ex diverſis partibus ad vicinum locum Tullenſi urbi, qui dicitur Saponarias, congregata.* Habita ergo eſt paucis diebus poſt ſynodum Metenſem.



ANNO CHRISTI 859.

Ibid. *Et item Karolo.* ) Rege Provinciæ & Burgundiæ, Lotharii junioris fratre: quem Ciſalpinæ Galliæ, id eſt vicinæ Alpibus Galliæ regem appellat Hincmarus ad Gerardum comitem ſcribens apud Flodoardum lib. III. c. XXVI. Hunc titulo ſequenti Ludovicus rex in ſacramento ſuo cum duobus fratribus conjungit: *Nepotes meos Hludovicum, Hlotarium, atque Karolum.* Karolus etiam noſter eoſdem nepotes ſuos vocat Tit. XXVII. ut dubium eſſe non poſſit de hoc Carolo hic agi. Quare falſum eſt quod Regino & alii tradunt, illum anno DCCCLVIII. diem obiiſſe. Veri ſimilius, quod in vetere quodam chronico poſt quatuor annos exceſſiſſe dicitur: *Anno* DCCCLXII. *Karolus filius Hlotarii rex Burgundiæ moritur.* Quin ad illius quoque anni ultimos menſes perveniſſe probat Nicolai papæ ad Lotharium regem epiſtola IX. Kalend. Decembris, Indictione IX. hoc eſt anno DCCCLXII. ſcripta, in qua Karoli ipſius fratris ut ſuperſtitis meminit.

Can. 4. *Cui Torteldus nomen.* ] Propinquus erat Wenilonis. Cujus opera cum epiſcopatum a Ludovico rege obtinuiſſet, de eo inter cetera queſtus eſt in proclamatione Karolus c. XII. ſynodus judices Tortoldo dedit. Quorum ſententia dejectus videtur fuiſſe, cum in ſynodo quæ apud Tuſiacum anno poſt hunc proximo celebrata eſt, Bajocacenſium epiſcopus interfuiſſe dicatur non Tortoldus, ſed Erchambertus.

Can. 5. *Januacenſem.* ] Codex Bellovacenſis *Jannenſem*, quod idem eſt, ſicut Bajocacenſis Bajocenſis, & Pariſiacenſis Pariſienſis. Januam autem & Genuam illis ſæculis multi ſcribebant pro Genava, ut Janobam civitatem Gregorius Turon. lib. IV. Hiſtoriæ c. XXXI. Et in vita S. Nicetii Lugdunenſis epiſcopi, Janubenſem, & Genabenſem urbem. Einhardus Genavvam epiſtola XXVII. *ut ſibi liceat beneficium ſuum habere, quod ei domnus Karolus imperator dedit in Burgundia in pago Genavvenſi.* Ceterum hoc capitulum, quod ſextum hic numeratur, pars eſt ſuperioris. Itaque in univerſum duodecim eſſe debent. Impoſuit nobis in tota hac ſynodo exemplar Antonii Auguſtini, quod Baronius ſecutus eſt, cum in collectione noſtra ſynodorum Gallicanarum multo emendatius haberemus, quod ſuo loco, ſi Deus annuet, " repræſentabimus.

*Accommodata eſt hæc nota ad [illegible] capitulum. Caroli [illegible].* " *Edidit inter concilia Gall. modo in hunc tomum tranſfuſum eſt.*

*Proclamationis diploma.* ) Editum eſt jampridem a Petro Pithœo inter ſcriptores XII. coætaneos. Mutila vero eſt capituli hujus pars poſterior, atque ita reſtitui debet: *induciæ ac dierum dilatio eſt conceſſa, & certa accuſatio per epiſcopos & ſynodicas litteras præfato archiepiſcopo eſt intimata ſecundum regulas*, &c. Extant hæ ſynodi litteræ ad Wenilonem: quas ſynodus Herardo archiepiſcopo commendarat. Herardus valetudine impeditus per Robertum Cenomanenſem miſit cum commonitorio, quod, cum ceteris quæ ad hanc ſynodum ſpectant, in lucem proferendum erit.

Can. 6.

Can. 7. *De Attone Virdunenſi.* ) Monachum in Autiſiodorenſium cœnobio fuiſſe ſignificat. Monachi autem epiſcopi fieri, alioque transferri non poterant, ſine abbatis ſui, & proprii epiſcopi atque archiepiſcopi licentia. Quod Hincmari & Anſegiſi exempla declarant. Quid vero in Attone prætermitum fuerit, non explicat: fraudi tamen id non fuit, quo minus epiſcopatum retinuerit, & cum laude adminiſtrarit, ut Bertarius teſtatur in excerpto, quod de geſtis epiſcoporum Virdunenſium eodem ſæculo ſcripſit ad Dadonem epiſcopum.

Can. 8. *Ad epiſcopos Brittonum.* ) Qui ſe a Turonenſis metropolitani ſui poteſtate ſubduxerant. Exordium hoc nempe diuturnæ illius controverſiæ, quæ inter Turonenſem & Dolenſem epiſcopos paucis ante annis nata ſub Nomenojo, ad Innocentii uſque III. tempora perduravit. Synodi epiſtola, cujus hic mentio, ſcripta eſt ad Faſtrarium Dolenſem, Wernarium Aletenſem, Garuthrium Briocenſem, & Felicem Trecorenſem, epiſcopos, a quibus & origo & cauſa diſcidii. Narrat enim vetus de ea re Indiculus, quem in S. Michaelis in mari bibliotheca videre nos meminimus, Nomenojum e quatuor epiſcopatibus ſeptem feciſſe, tribus novis conſtitutis: uno apud Dolum monaſterium, ubi archiepiſcopi ſedem eſſe juſſerit, altero in monaſterio S. Brioci, tertio ſimiliter in S. Rabatuali, quæ ſedes fuit epiſcopi Trecorenſis. Integram narrationem analectis " inſeremus. Cui quidem refragari vulgo Britannicarum rerum ſcriptores non ignoro: ſed fidem illius multa magnopere confirmant: tum illud in primis, quod Nicolaus papa Salomoni regi ſcribit, nullam ad id tempus extitiſſe memoriam, Brittones in ſua regione ullam habuiſſe metropolim.

" *Vide infra.*

Ibid. *Excommunicatis etiam.* ) Et hic rurſum aliqua deſiderantur, quæ hoc modo reſtituenda ſunt: *Excommunicatis etiam, ſicut ſacræ decernunt regulæ, nequaquam communicent, & Salomonem commoneant, ut promiſſam fidem glorioſo regi Karolo obſervet, & ipſe, & Brittones excommunicatis communicantes, ipſi ſe*, &c. Excommunicatos intelligit illos, qui ab epiſcopis quibuſdam ob varia crimina perſtricti hac nota fuerant, ut eſt in epiſtola ſynodi ad eos ſcripta, de qua cap. ſequenti.

Can. 10. *Relecta ſunt capitula.* ) Sedecim numero in ſynodo Lingonenſi paucis ante diebus edita. De his plane, ſed de ſex primis potiſſimum, quæ eadem prima etiam ſunt in ſynodo Valentina, anni DCCCLV. gravis inter epiſcopos orta eſt diſceptatio, ex diverſis Gotheſcalci fautorum vel adverſariorum ſtudiis nata. Hæc igitur capitula cum a Remigio Lugdunenſi epiſcopo allata ad ſynodum fuiſſent, & poſt ſynodum a Karolo rege Hincmaro ad examinandum propoſita: Hincmarus quantopere ea improbaret, in utraque adverſus Gotheſcalcum diſputatione ſua diligenter expoſuit. Poſterioris autem operis dedicatoriam ad Karolum ab iiſdem orditur: *Nuper elapſo menſe Junio per Indictionem VII. anno Incarnationis Dominicæ* DCCCLIX. *dediſtis nobis quædam capitula, ſicut noſtræ dixiſtis humilitati, a Remigio reverentiſſimo Lugdunenſium archiepiſcopo veſtræ porrecta ſublimitati, jubentes ut tempore congruo de his vobis redderemus reſponſum*, &c.

Can. 11. *Rodulfum Bituricum archiepiſcopum.* ] Is abbas antea fuerat monaſterii Floriacenſis, abbatiamque tunc etiam archiepiſcopus haud legitime retinebat. Quare paulo inferius ita legendum ex codice noſtro: *Rodulfus ſubſcripſerat, qui præfatam abbatiam irregulariter retinebat, ratum & inconvulſum*, &c.

## NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.* ) Cum Wenilo Senonenſis archiepiſcopus a Carolo rege ad Ludovicum defeciſſet, ad inſtantiam regis Caroli duodecim provinciarum epiſcopi ad Tullum convenerunt; atque præter ea quæ ſupra in actis ſynodalibus reperiuntur, fidem catholicam confirmantes, Prædeſtinatianorum hæreſin atque errores Gotheſcalci condemnarunt occaſione iſta: Remigius Lugdunenſis archiepiſcopus capitula quædam haud pridem in conventu Lingonenſi ſcripta in ſynodali patrum conſeſſu legi curavit: quæ cum lecta fuiſſent, commoti ſunt plurimum epiſcopi, eo quod viderent in illis Prædeſtinatianorum hæreſin innovari. Cumque parati eſſent publice reclamare, " cohibiti ſunt a Remigio; quia nimirum ille utilius eſſe judicabat, ut quæ catholicæ fidei eſſent, ipſi proferrent, atque iſta ratione aſſertiones catholicæ fidei adverſantes condemnarent. Acta hujus concilii hactenus numquam edita Baronius ex codice Antonii Auguſtini emiſit in lucem: utinam integra edidiſſet. epiſtola enim illa ſynodalis, qua Wenilonem a Carolo rege accuſatum ad ſynodum vocarunt, non integram edidit: deſiderantur etiam apud eumdem canones ſexdecim, quorum ſeptem priores ex concilio Valentino deſumptos, reliquos vero ab ipſis ſuperadditos eſſe commemorat. Si quis ex prædicto codice integre deſcriptos ad nos tranſmiſerit, cauſam dabit, ut quam poteſt fieri citiſſime ad finem tomi 4. ſubjungantur.

Cauſa & occaſio concilii.

Hæreſis Prædeſtinatianorum damnata.

" Vide Cel[illegible] de [illegible] [illegible]tem.

Acta concilii mutila.

## ¹ COMMONITORIUM HERARDI TURONUM ARCHIEPISCOPI ad Wenilonem Senonum archiepiſcopum.

*Venerabili Weniloni Senonum archiepiſcopo Herardus gratia divina pietatis Turonenſis metropolis immerito licet epiſcopus, ſalutem in domino, & perpetuam pacem.*

CErtum habeat veſtræ ſagacitatis dilectio, legationem totius ſynodi, quæ in vicinia confluxit Tullenſium, noſmet ad veſtram paternitatem communi decreto ſuſcepiſſe. Litteras etiam ex ſynodica vocatione vobis perferendas more eccleſiaſtico ab eadem ſynodo nos percepiſſe. Deinceps vero noſtram parvitatem gravi ſcitote gravatam incommodo. Et quoniam præfatæ ſynodi inſtitutis pro voto parere non poſſe nunc noſtram conſtat inertiam, fratrem & conſacerdotem noſtrum, noſtræ ſedi officii honore attiguum, Robertum Cenomannorum epiſcopum, noſtra vice ſuper injuncta nobis legatione fraterno more reman-

ANNO CHRISTI 859.

mandavimus pariter & poſtulavimus ad vos pergere: qui omnia nobis a ſancta ſynodo reverenter injuncta intrepide juxta divinitus ſibi collatam induſtriam ad vos exequi procurabit. Et hoc ipſum apud memoratam obtinui ſynodum, ut ſi quolibet, ut ſe humana fragilitas habet, languore, ſicut & accidit, detinerer, eumdem noſtra vice, accepta ab eadem ſynodo auctoritate omnium & juſſione, vobis dirigerem. Rogamus ergo, & ut patrem cariſſimum, fratremque familiariſſimum, monere præſumimus, ut diligenti cautaque ſolicitudine, cunctis quæ ad vos deferuntur perſpectis, vobis ipſi conſulere non detrectetis. Sano quoque & ſapienti conſilio procuretis, ne vobis, & omni noſtro ordini, infamiæ notam prætendatis. Et ſi quid in his quæ vobis objiciuntur, conſcientia teſte reprehenſibile, aut forte damnabile judicatur, prævenire modis omnibus, & opportune detergere ſtudeatis. Et quoniam omnis gradus pontificalis ordinis, totius quam præmiſimus ſynodi, ex impacta vobis hujuſmodi calumnia ſcandalizatur, compatitur, triſtatur, & congemiſcit: vos, quem cauſam hujuſce læſionis eſſe comperimus, & quem oportuerat, ſecundum apoſtolum, teſtimonium habere ab his etiam qui foris ſunt, hortamur, fideliterque ſuggerimus, ut aut uni epiſcopo pro omnibus, aut pluribus pro cunctis, ſatisfacere pro tempore non gravemini veſtris apicibus ſacris: ſimulque quo regiam dignationem vobis acceptabilem, ſicut vobis & omni veſtro expedit gregi, ſatisfaciendo, humiliterque ipſius hilaritatis clementiam impetrando acquirere procuretis, obnixe flagitamus, & in caritate ſincera compatiendo precamur. Valere veſtram paternitatem votis omnibus poſtulamus, & ut noſtram petitionem efficaciter ſuſcipiatis oramus: utque noſtram unanimitatem ex veſtri cauſa ad aliquantulam, quin potius ad integram, perducere certetis lætitiam, ſupplici poſtulatione monemus, pater beatiſſime.

1. Tim. 1.

### NOTA JACOBI SIRMONDI S. J.

1 *Commonitorium Heraldi.*] In codice ſancti Petri Rhedonenſis, poſt capitula Heraldi, ſequebatur hoc ejus commonitorium: quod ad ſynodum Tullenſem, cauſamque Vvenilonis in ea diſcuſſam pertinere manifeſtum eſt.

## SYNODUS SISTERICENSIS

### In qua privilegium Saxiacenſis Monaſterii confirmatur anno DCCCLIX.

Ex Mabill. ſecul. Bened. 4. par. pag. 500.

*Siſtericenſis ſynodi anno Chriſti 859. celebratæ memoria habetur in ſequenti documento, quo ſynodus Saxiacenſis monaſterii privilegium confirmat.*

ANno Dominicæ Incarnationis 859. Indictione 7. regnante piiſſimo ac mitiſſimo Rege Carolo filio quondam Lotharii Auguſti, pace jam, & diviſione Regni cum fratribus ſuis Hludovico videlicet & Lothario Regibus, miſerante domino, celebrata, factus erat conventus populorum, qui ſub ejus Regno erant per regiam evocationem, ubi & nos, qui ſuperna largiente gratia, etſi indigni epiſcopi dicimur, convenimus, ut ſcilicet per ſacrorum conſtitutum maxime concilium, qui de diverſis partibus aderant, ea, quæ in quibuslibet ordinibus eccleſiæ minus conſtare utiliter videbantur ob incuriam negligentium, aut propter civilis belli tranſactam violentiam, juvante Chriſto in melius reformare ſategerit, & quæ hactenus bene conſtiterant, regali providentia amplecteretur, ac firmius roborare ſtuderet.

Dum ergo talibus invigilat præfati Regis glorioſa nobilitas, & ſancti Genitoris ſui ſtudia diligit, pietatis quoque illius opere perſeverare deſiderat; juſſi ſumus communi tractatu perquirere, qualiter omnis ordo eccleſiaſticus congrue ac decenter adminiſtretur. Hoc itaque dum perficere optaremus, inter cetera viſum eſt nobis ad ejus ordinis recuperationem atque ſublimationem, qui apoſtolicæ perfectioni vicinius adhæret, hoc eſt monachorum, qui relictis omnibus Chriſtum ſequuntur, ſacratiſſimi Regis curam inflectere. Congruebat enim, ut quem propter curam gregis dominici ſibimet commiſſam de ſpiritalibus damnis fidelium contigerat contriſtari, de præfati etiam ordinis correctione, atque exaltatione lætificare cuperemus. In plurimis namque locis regni ejus prædicti ordinis fervor tepuerat, violentia quoque temporum in eodem, ſicut in cunctis ordinibus, plurimum juris infregerat: quia bona, quæ acquiſita cum labore providentur, & ſervantur, per inquietudinis aſſiduum impedimentum ſolent minui, vel penitus aboleri.

Itaque placuit nobis propter curæ paſtoralis obſequium intendere, ut eos, quos in monaſticæ ſanctitatis vigore bene perdurantes agnoveramus, amplius diligeremus, atque in cunctis neceſſitatibus eis libenter opem ferre procuraremus, ut per illorum exaltationem ſanctitatis eorum exempla clareſcerent, ac dilatarentur.

Igitur cum quorumdam in præfato ordine accendendis ſtudiis inſiſteremus, & perſeverantium religioni non mediocriter congratularemur, pervenit ad Conventus noſtri notitiam, qualiter venerandus Vir Aurelianus Abbas Athanacenſis ſupernæ hæreditatis amore ſuccenſus, ex rebus, quas a Parentibus pio affectu petiit, & impetravit, omnipotentem Deum elegerit, eas denique res pro rei firmitate vice Chriſti reverentiſſimo atque ſanctiſſimo Remigio archiepiſcopo tradiderit, & præfatus archiepiſcopus rogatu ipſius Aureliani abbatis iterum vice Chriſti Badiloni, qui loco abbatis prodeſſe, & præeſſe debeat, & monachis ibidem ſervientibus ſub regula pii Patris Benedicti per teſtamentum firmiſſimum promptiſſima, ac devotiſſima voluntate tradiderit, ea ſcilicet ratione, ut idem Badilo abbas & monachi in prædictis rebus in Pago Lugdunenſe, in loco, qui vocatur Saxiacus, non longe a Rhodano fluvio, monaſterium monachorum in honore omnipotentis Dei, & veneratione egregii confeſſoris Benedicti, & Martyrum Florentini & Hilarii ædificarent: ut & divinam in jam dicto loco exercerent militiam, & pro totius eccleſiæ ſtatu ſupernam implorare clementiam decertarent: Utrorumque ergo tam ſanctis ſtudiis, piiſque deſideriis plurimum congaudentes ſumma cum reverentia Chriſtianiſſimi Regis adivimus clementiam, ut jam dicto cœnobio in honore ſalva-

toris,



ANNO CHRISTI 859.

toris, & veneratione beatiſſimi confeſſoris Benedicti, & ſanctorum martyrum Florentini, & Hilarii conſecrato privilegium quoddam de rebus neceſſariis concedere dignaretur ſecundum regalem magnificentiam, atque nobis aſſenſum præberet, ut noſtra illud ſubſcriptione roboraremus: quatenus hinc inde, & regali magnificentia, & auctoritate epiſcopali convenienter munitum, præſentibus futuriſque temporibus idem Cœnobium valeret permanere. Itaque Deo Amicus ſæpe dictus KAROLUS Rex hujus rei nobis aſſenſum præbuit, ut hujuſcemodi privilegium propria ſinguli ſubſcriptione roboraremus, addens inſuper, ut ſpecialius Dei ſuoſque fideles præſentes pariter futuroſque obteſtaremur, ut poſſeſſiones, quas prædictus Aurelianus Abbas Remigio archiepiſcopo, & idem archiepiſcopus Deo, & beatiſſimo Benedicto, & ſanctis martyribus jam dictis obtulit, aut quas in futuro ex fidelium donatione divina pietas in eodem loco contulerit ad ſolius Dei ſervitium ejus loci Monachi, ſicut in eodem teſtamento inſertum eſt firmiſſimam teneant libertatem.

Et Nos igitur, licet indigni, tamen ſacratum, atque venerandum pontificatus gerentes officium, ea quæ ſupra memorata ſunt, in venturis generationibus ſtabilia ſemper atque inconcuſſa perſeverare, voluntatem Dei conſiderantes decrevimus, & propria ſinguli ſubſcriptione roboramus. Si quis vero, quod abſit, hujus privilegii deſtructor, aut in ejus deſtructione fraudulentus, machinator in poſterum emerſerit, ſalutem propriam negligens, aliorumque ſalutem perſequens, ſecundum poteſtatem ligandi, atque ſolvendi ab ipſo D. Jeſu Chriſto nobis traditam, æterno vinculo perpetuæ damnationis extra beatorum requiem alligamus, cum omnibus, qui in tam nequiſſimam voluntatem conſentiunt, niſi hoc correxerint, qui quod ad multarum ſalutem animarum pie proviſum eſt, impie non timent infringere.

Placuit etiam domino, ac piiſſimo Regi, rectumque nobis videtur, atque obſecramus coepiſcopos noſtros, qui præſentes conventui non adfuerunt, ſed & religioſos Abbates, dum noſtræ conſtitutionis paginam legerint, unam nobiſcum ineant voluntatem ac ſubſcriptione ſententiam. Placuit etiam huic privilegio inſeri, pio tamen Principe aſſenſum præbente & conſentiente, ut ipſius Badilonis tempore ſub ejus diſpoſitione atque poteſtate inibi domino famulantes conſiſtant. Quod ſi evenerit, ut ipſe poſt multum laborem a tam graviſſima prælationis ſarcina humiliter declinare voluerit, quam in prædicto Cœnobio ſuæ vitæ melioris parcioriſve invenerit, una cum conſenſu fratrum ſuorum eligat, & ſubroget in loco ſuo. Poſt ipſius quoque Abbatis ab hac vita diſceſſum, nec largitoris, nec parentum ipſius, nec faſtibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet poteſtatis jugo ſubjaceant: ſed quemcumque prædicti monachi ex ſemetipſis Abbatem ac Paſtorem ſuiq; rectorem ſecundum beneplacitum Dei, & Regulam S. Benedicti eligere voluerint, libero in omnibus eligendi, abſq; ullius poteſtatis inquietudine potiantur arbitrio.

Factum hoc privilegium anno Incarnationis dominicæ 859. Indictione 7. regnante Karolo Rege filio quondam Lotharii Imperatoris. Actum Siſterico.

## CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM

### In quo Photius ab Ignatianis damnatur.

Ex P. Pagi ad an. Ch. 859. n. 12.

PHotio Patriarcha Conſtantinopolitano conſecrato, & Barda in Ignatium & Ignatianos graviſſime ſæviente, hi Ignatium tanto vehementius repopoſcere. *His ergo compertis*, inquit Anaſtaſius in hiſtoria ſynodi octavæ, *cœperunt nonnulli Metropolitani Antiſtites ac inferioris ſacerdotii, vel ordinis clerici, vel laici, Pontificis ſui tormentis compatientes, dejectionemque dolentes, Rectorem ſibi proprium reddi magnopere clamitare.* Epiſcopi in duas partes diſtracti erant, aliis Ignatio adſtantibus, aliis Photio accedentibus. Metrophanes Smyrnenſium in Jonia Metropolitanus, cujus epiſtolam ad Manuelem Patricium datam Baronius an. 870. n. 45. & ſeq. recitat, in quem ſtatum redacta res eſſet, his verbis narrat: *Cum primum vidimus univerſam epiſcoporum multitudinem corruptam, operæ pretium fore duximus, noſtra etiam manuſcripta aſſenſione Photium noſtræ Chriſti Eccleſiæ filium declarare, & ſanctiſſimi ejus Præſulis Ignatii ſocium & collegam, ut hoc pacto Bardæ edicta nullo modo refragari deprehenderentur. Edixerat enim ille, ut noſtræ Chriſti Eccleſiæ Patriarcham conſtitueremus, licet coram nobis ſua ſcripſerit manu, ſe Ignatium ab omni culpa immunem Patriarcham exiſtimare; nec unquam adverſus illum aliquid ſe dicturum. Si quis vero dicat, Photium fuiſſe admiſſum Patriarchæ collegam; admiſſus certe fuit Photius a nobis, tamen invitis, vi quidem, atque ejus qui imperabat imperio. Qui paulo poſt quod ſua manu chirographum ſcripſerat, ipſe etiam delevit, & Ignatium depoſuit, quando coram univerſo epiſcoporum cœtu C P. provinciæ ipſe anathemate fuit damnatus, & depoſitus, & ſegregatus a Patre & Filio & Spiritu ſancto declaratus:* Excogitatum fuit temperamentum illud ad majora mala vitanda; ſed cum inutile eſſet, in ſanctæ Irenes æde ſynodum per quadraginta dies celebrant, Photium damnant, eique Patriarchatum abjudicant. Photiani vero Concilium in SS. Apoſtolorum templo cogere, & Ignatium abſentem, & dignitatis Patriarchalis, & eccleſiaſticæ communionis indignum declararunt, & in eum anathema dixerunt. Subdit enim Metrophanes: *Ita cum epiſcopi omnes* (ſcil. S. Ignatio addicti) *ſuffragiis conſentirent, ut ſe ipſos quoque damnarent, ſi quis unquam Photium Patriarcham confiteretur, & per dies quadraginta ſynodum in æde S. Irenes celebrarent; ille* (nempe Photius) *adjutore Barda Concilium in Apoſtolorum Templum colligit, & iterum repudiat Ignatium, & anathematizat.*

CON-

ANNO CHRISTI 859.

# CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM

## SIVE PHOTIANUM II.

Adverſus Ignatium celebratum anno domini DCCCLIX. tempore Nicolai papæ I. & Michaelis III. imperatoris orientalis.

Quo anno-re, quare Inventione hoc conciliabulum indictum fuerit.

[a] *Conciliabulum* . . ] Poſt relegatum Ignatium videns quamplurimos adhuc pro Ignatio ſtare, imperatori Michaeli miniſterio Bardæ perſuaſit, ut congregaret concilium ſibi adhærentium epiſcoporum, qui eumdem Ignatium damnarent, atque hac arte epiſcopos & populum ab Ignatii affectione divellerent. Quod cum imperatori non ingratum fuiſſet, *Photius*, inquit Nicetas in vita Ignatii, *congregata ſua iniquorum caterva in ſacro templo glorioſorum apoſtolorum privationem promulgat adverſus Ignatium abſentem, nec non illum anathemate damnat: ipſe ſcilicet accuſator factus & judex; & quoſcumque videbat huic animo ſuo & iniqua huic actioni adhærentes, & rebus quæ fiebant ſubſcribentes, inter præcipuos amicos & cæcos comminiſtros habebat: qui vero huic judicio inique habito ſe objicientes hæc approbare noſebant, hos prætorio & carceribus variis modis puniendos tradebat.* Photii fraus. Cumque acta Photii velut injuſta plurimi reprehenderent, ipſeque a propria conſcientia redargueretur, legationem miſit ad Nicolaum papam, per ſummam fraudem allegans, quod Ignatius propter ſenium & imbecillitatem eccle- A ſiæ præfecturam reſignaſſet, & in quamdam inſulam profectus cum omni honore, cultu & obſequio tum ab imperatore, tum etiam ab univerſa civitate habitus, in monaſterio viveret. pietatem quamdam ſingularem ſimulate præ ſe ferens petebat, ut eccleſiam corrigeret, illoſque a Chriſtiano nomine reſcinderet, qui Iconomachorum hæreſin tuerentur: ſub quo pietatis ſimulatæ prætexto hoc interim curabat, ut Ignatii depoſitionem Romanæ eccleſiæ auctoritate firmiorem redderet. Suaſu Photii Michael imperator ſuam adjunxit legationem, litteris, donis, ac muneribus (quæ ab Anaſtaſio ſupra in vita Nicolai papæ deſcribuntur) inſtructiſſimam. Impetratum eſt hoc unicum dumtaxat, ut Rhadoaldus Portuen- B ſis, & Zacharias Anagniæ civitatis epiſcopi ad cauſam non tam dirimendam, quam perveſtigandam Conſtantinopolim mitterentur. Rhadoaldus & Zacharias legati apoſtolici. Quid vero illi hac in re effecerint, infra patebit. Vide Baronium anno 859. numero 54. & 860. numero 1.

[a] Vide ex ſynodico ſupra pag. 89. C. & quæ poſtea obſervabuntur de conciliabulis Photianis.

ANNO CHRISTI 860.

# CONCILIUM AQUISGRANENSE DUPLEX

## ANNO DCCCLX. IN CAUSA

Theutbergæ uxoris Lotharii regis.

Ex editione I. Sirmondi.

*Theutbergæ repudium meditante Lothario, cum divortii cauſa quæreretur, ſparſa eſt fama Theutbergam flagitium olim ab Hucberto fratre paſſam fuiſſe: atque hoc illa crimen, vi ac dolo, ut poſtea patuit, fateri, veſtemque ſibi mutare liceret petere compulſa eſt; tum alias deinceps, tum hoc anno primum in duplici epiſcoporum conventu, quorum alter menſe Januario, alter Februario habitus eſt Aquiſgrani. Utriuſque mentio eſt apud Hincmarum Rhemenſem, de divortio Lotharii & Theutbergæ reſp. I. Prioris quidem; ex libello VII. capitum quem refellit:* Convenerunt, *inquit*, principis juſſu, anno incarnationis Dominicæ DCCCLX. & regni ejus V. indictione VIII. V. Idus Januarii, Aquis palatio, Guntharius ſummus capellanus, & Theutgaudus archiepiſcopi, Adventius & Franco epiſcopi, Hegil & Odelingus abbates, quibus [illegible] monuit, ut de prædicta fama apud [illegible] veritatem perquirerent; ſicuti & fecerunt [illegible] ipſa confeſſa eſt eis: ipſique reverſi nun[illegible] regi, quod ad uxorem non liceret illi [illegible] *Poſterioris verb, ex actis ipſius ſynodi, quæ [illegible]bantur hoc initio:* Anno ab incarnatione domini DCCCLX. indictione VIII. mediante Februario menſe, decernentibus glorioſis regibus Hludovico, Ca- C rolo, atque Hlothario juniore, in generali conventu optimatum ex regno almi Hlotharii, actum eſt concilium epiſcoporum Aquiſgrani palatio; Guntharii Agrippinenſis, Theutgaudi Trevirenſis, Vuenilonis Rothomagenſis, Franconis Tungrenſis, Hattonis Viridunenſis, Hildegarii Meldenſis, Halduini Avinienſis. *Et poſt excerpta quædam aliquot capitum de libello confeſſionis a Theutberga oblato, [illegible], ſubjicitur ſynodi ſententia his verbis:* His ergo conſideratis, & diligenter perſpectis, lugendam inceſti pollutionem in publicum exhalatam publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandam decrevimus.

D [b] *Auctor annalium Bertinianorum ad annum* 860. Lotharius reginam ſuam Teutbergam irrevocabili odio habitam, ut ipſa coram epiſcopis confiteretur fratrem ſuum Hucbertum ſibi commixtum. Unde & pœnitentiæ continuo addicta eſt, atque in monaſterium retruſa. *Tum paulo poſt*. Uxor Lotharii timens odium viri ſui, atque inſidias, ad fratrem ſuum Hucbertum in regno Karli aufugit.

EPI-



ANNO CHRISTI 860.

# EPISTOLA EPISCOPORUM REGNI LOTHARII, QUI SUPERIORI SYNODO adfuerant, ad Nicolaum papam I.

Exponunt quid in ſynodo actum ſit, orantque ne calumniantibus aures præbeat, priuſquam Lotharii legati in urbem veniant.

*Domino vere ſanctiſſimo ac beatiſſimo, totiuſque ſanctæ matris eccleſiæ pii regis Chriſti ſanguine acquiſitæ pontifici, & univerſali papæ Nicolao, archiepiſcopi & coepiſcopi in regno domni ac glorioſiſſimi regis Hlotharii conſiſtentes, in Chriſto paſtorum principe, fidelia orationum vota, ſummaque felicitatis & pacis gaudium.*

APoſtolicis documentis, & pontificalibus decretis multipliciter informamur, ut veſtri ſanctiſſimi apoſtolatus apicem, principis apoſtolorum fide & nomine conſecratum, quoties ſancta eccleſia aliqua novitate pulſatur, humiliter adeamus: ibique veri conſilii ſaluberrima inſtituta ſinceriter hauriamus, ubi mitis magiſter Chriſtus, & ſummum caput noſtrum, fundamentum eccleſiæ poſuit. Et quia omnipotens Deus noſtris jam periculoſis temporibus miſericorditer nobis veſtræ auctoritatis jubar, fauſtiſſimis divinæ ſapientiæ floribus, & ſanctiſſimis virtutum ſtudiis inſignitum prævidit, illum laudamus qui præſtitit, ejuſque clementiam votis C imploramus aſſiduis, ut talem ac tantum patrem nobis incolumem cuſtodiat temporibus diuturnis. Quippe ſi temporum opportunitas arrideret, veſtræ ſanctitati multum deſideraremus noſtram unanimem exhibere præſentiam. ſed hoc ne fiat maleſidis Dei fluctuoſa tempeſtas intercipit, ac multiplex rerum varietas impedire non ceſſat. Ille tamen qui duobus mœſtis in via apparuit, amplitudinem veſtræ caritatis illo dilatare dignabitur, ut tandem aliquando de veſtra deſiderabili præſentia conſolemur. Enimvero nec verbis fari, nec juſtæ æſtimationis poterit compendio ponderari, quanta divinæ legis inſtituta, quantave diu optatæ pacis incrementa, a ſuo paulatim recto tramite exorbitantia, reſtaurari poterant, ſi veſtræ dignationis viſitatione frui mereremur. Revera totius humani generis inimicus, zizaniorum ſator tanto amplius ovile Chriſti lupina rapacitate circuire non ceſſat, quanto citius ſanctorum gloriam appropinquare conſiderat: eoque largius venena ſuæ perfidiæ ſparge- A re ſatagit, quo abundare iniquitatem, & multorum caritatem refrigeſcere ſerpentino aſtu intelligit. Hinc eſt quod virulenta ac nefaria vitiorum germina, olim divina animadverſione ſubverſa, immo lethæo ac flammivomo barathro juſto Dei judicio deputata, quaſi redivivis radicibus, heu! heu! frondeſcunt in frutice. Porro, quod nos non ſine gravi mœrore deſcribimus, funeſta vulnera divinis oraculis, atque apoſtolico antidoto, in cæca gentilitate ſalubriter procurata, jam male fœtentia ad veſtras iterum redeunt manus: impleturque illud propheticum: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Jer. 51. Sed unde modo pauca ſcripſimus, per fratres noſtros Theutgaudum Trevirenſis eccleſiæ venerabilem B archiepiſcopum, atque Attonem coepiſcopum latius exponere procurabimus. Per illos ergo veſtræ celſitudini pura & viva voce, verbis ac ſcriptis, fideliter ac veraciter ſignificare deſideramus de quibus veſtram ſanctitatem conſulendam noſtra decrevit unanimitas. De cetero prævios noſtræ humilitatis apices veſtris ſacris obtutibus perferendos direximus, quia quorumdam relatione comperimus, quod veritatis æmuli, noſtrique ſenioris domni Hlotharii evidentiſſimi inimici, admodum adverſa velint in cauſa uxoris ſuæ, & hoc argumento falſitatis non modicas ordiri ſatagunt ſimultates: ſuoſque legatos ad veſtram ſanctam dignoſcentiam mittere non verentur, & noſtram nondum definitam ſenten- C tiam ſiniſtra interpretatione pervertere conantur. Præſertim cum noſtra unanimitas de uxore noſtri principis (ſi forte uxor dici debeat, quæ ſe germano inceſtu maculaverat,) nihil aliud hactenus determinaverit, niſi quod perſpecto ſuæ confeſſionis libello, publice confitenti remedio pœnitentiæ ſubvenire decrevimus. Inter hæc illa fuga lapſa. Unde humiliter petimus, ut veſtræ paternitatis, veræque caritatis ancoram ſolido figatis in litore, nullaque mendoſi flatus impulſione veritatis & juſtitiæ libra vacillet: [*] ſed fidiſſimus almifluentis factus, præſcriptos legatos domni ac ſenioris noſtri Hlotharii glorioſi principis, & dilecti filii veſtri, præſtoletur, ut fucata mendacia nullis ſe gau- D deant delituiſſe latibulis. Oramus ſanctiſſimam paternitatem veſtram, ſummo pontificatus apice cælitus ſublimatam, ad cuſtodiam gregis Dei feliciter vigere, ac proſperato temporum curſu æternam nanciſci remunerationem, multum venerande ſemperque deſiderande pater. Amen.

[*] Fr. leg. ſed fidiſſimos almifluentis fluctus, &c.

# CONCILIUM CONFLUENTINUM,

## QUO INTER QUINQUE REGES GALLIARUM

Pax & concordia ſancitæ fuerunt,

*Anno domini DCCCLX. tempore Nicolai papæ I.*

HÆc ſunt nomina epiſcoporum qui anno incarnationis dominicæ DCCCLX. Nonis Junii, in ſecretario baſilicæ ſancti Caſtoris conſideraverunt cum [a] nobilibus laicis firmitatem, E quam glorioſiſſimi reges noſtri Ludovicus, Carolus, atque Lotharius inter ſe fecerunt [b] octavo Idus Junii in eodem monaſterio, & qui hæc capitula ab omnibus [c] obſervanda acceperunt: Hinc-

a *Baluz.* nobilibus ac fidelibus laicis. b *Baluz.* VII. id. Junias. c *Baluz.* conſervanda.

ANNO CHRISTI 860.

Hincmarus, [a] Juntherius, Alefridus, Salomon, Adventius, Atto, Theudericus, Leutbertus, [b] Gedebardus, Chriſtianus, Vulfadus abbas; Vuitgarius abbas. Hæc nomina laicorum: [c] Conradus, Everardus, Vicarnarius, * Exſtangarius, Arnulphus, Berengarius, Luitharius, Lutbardus, Honfriardus, Adalbertus, Letulphus, Hernodulphus, Adalardus, Luitfridus, Giſlebertus, Huto, Matfridus, Boſo, Rithuenus, Bernoldus, Burchardus, Heſſi, Arnuſtus, Hynodulphus, Ratbotus, item Chuanradus, Sigeri, Harmainus, Vuigrieus, Atto, Chriſtianus, Herimannus, Sigardus.

* Archangarius,

Ludovicus & rex Carolus frater ejus, nepoſque eorum Lotharius cum primatibus ſuis in Confluento caſtello convenientes, pacem inter ſe & fidelitatem mutuam, ſinguli juramento confirmaverunt, cujus ſacramenti ſeries hujuſmodi fuit: Amodo & quandiu vixero, iſtum fratrem meum Carolum, & nepotes meos Ludovicum & Lotharium atque Carolum, ad Dei voluntatem & ſanctæ eccleſiæ ſtatum & honorem atque defenſionem, & ad noſtram communem ſalutem & honorem, & ad populi Chriſtiani nobis commiſſi ſalvamentum & pacem, & ad legis & juſtitiæ & rectæ rationis conſervationem (quantum mihi dominus ſcire & poſſe donaverit, & ipſi mo obaudierint [d]) vero conſilio, & ſecundum quod mihi rationabiliter & ſalubriter poſſibile fuerit, recipiens, ſincero auxilio adjutor ero ad regnum illorum continendum, & nec in vita, nec in membris, neque in regno illorum eos * fors conſiliabo in hoc ut ipſi erga me ſimilem promiſſionem faciant, & conſervent. [e]

* al. forconſiliabo

Ut omnium præteritorum malorum, & contrarietatum, & ſupplantationum, atque malarum machinationum, atque molitionum, ſeu nocumentorum invicem actorum abolitio ita inter nos & apud nos fiat, & a noſtris cordibus penitus avellatur * [f] communi malitia & rancore, & nec in memoriam ad retribuendum dumtaxat mali, vel contrarietatis, atque exprobrationis, ſeu improperii de cetero exinde quidquam veniat.

* fors. deeſt, cum

Ut tanta inter nos, domino cooperante, veræ caritatis benignitas abhinc inante ſemper maneat de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, ſine dolo & ſimulatione, ut nemo [g] ſuo fratri ſuum regnum, aut ſuos fideles, & quod ad ſalutem, ſive proſperitatem ac honorem regum pertinet, diſcupiat, aut [h] forte conſiliet, aut per occultos ſuſurrones libenter compoſita mendacia, ſeu detractiones acceptet. Ut unuſquiſque fideliter ſuum [i] fratrem, ubicumque neceſſitas illi fuerit, & ipſe potuerit, aut per ſe, aut per filium, aut per fideles ſuos & conſilio & auxilio adjuvet, ut regnum fidele, proſperitatem, atque honorem regium debite valeat obtinere; & veraciter unuſquiſque erga alterum certatim demonſtret, quia in [k] fratris ſui adverſitate, ſi ſic venerit, fraterno modo contriſtetur, & in proſperitate illius lætetur; & talem fidem ſicut inter nos modo abhinc inante conſervaturos confirmatum habemus, ſic unuſquiſque infantibus fratris ſui, ſi obierit, [l] qui ſuperſtes erit conſervabit.

Et quia per vagos & tyrannica conſuetudine [m] irruentes homines pax & tranquillitas regni perturbari ſolet: volumus, ut ſi ad quemcumque noſtrum talis venerit, ut in his quæ egit, rationem ac juſtitiam ſubterfugere non poſſit: nemo ex nobis illum ad aliud recipiat & retineat, niſi ut ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et ſi rationem rectam ſubterfugerit, omnes in commune in cujus regnum venit, illum [n] perſequantur, donec ad rationem perducatur, aut de regno deleatur. Similiter de eo agendum eſt, qui pro aliquo capitulo & publico crimine, a quolibet epiſcopo corripitur, & excommunicatur, aut de excommunicatione crimen faciens, regnum, & regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam ſuſcipiat, ut ſuſceptam legitime peragat. Interdum etiam inceſtam propinquam ſuam, aut ſanctimonialem, & raptam, ſive adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens ſecum duxit: hic talis, cum epiſcopus, ad cujus curam pertinebit, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi & [o] latitandi locum in regno alicujus noſtrum inveniat, & Dei ac noſtros fideles ſuo morbo inficiat, ſed a nobis & miniſtris reipublicæ conſtringatur, ut & ſimul cum diabolica præda, quam ſecum duxit, ad epiſcopum ſuum redeat, & de quocumque crimine publico pœnitentiam [p] ut ſuſceptam legitime peragat, compellatur.

Ut nemo epiſcoporum hominem peccantem ab eccleſia Chriſtiana alienet, donec illum ſecundum euangelicum præceptum, ut ad emendationem & pœnitentiam redeat, commonitum habeat. Qui peccans ſi commonitus inobediens & incorrigibilis permanſerit, & ad emendationem redire noluerit, regiam [q] & reipublicæ poteſtatem [r] per ſeipſos, & per miniſtros ſuos adeant, ut conſtringatur, & ad emendationem & pœnitentiam peccator redeat. Qui etiam ſi ita ad correctionem perduci nequiverit, tunc ſecundum leges eccleſiaſticas, medicinali ſeparatione [s] communionis eccleſiaſticæ ſegregetur.

Ut illis hominibus, qui in talibus perturbationibus (ſicut in his prætericis annis [t] accidit) in Deum & in ſanctam eccleſiam atque in eos peccaverunt, ſi ex veritate recognoſcentes veniam petierint & deinceps nobis veraciter fideles eſſe voluerint, & in regnis noſtris pacifici & quieti, & legibus ac juſtitiæ obedientes extiterint, rationabilis miſericordia impendatur, non ſolum in indulgentia commiſſorum, & in conceſſione proprietatum; verum etiam & in largitione honorum ſecundum noſtram rationabilem poſſibilitatem.

Ut de rapinis ac deprædationibus, & de conſpirationibus, ac ſeditionibus, & de raptis feminarum, ſicut eccleſiaſticæ & Chriſtianæ leges, atque progenitorum capitula continent, ita in omnibus & ab omnibus conſerventur.

Ut alia etiam capitula eorumdem progenitorum noſtrorum de ſanctæ eccleſiæ honore & immunitate ac conſervatione, & [u] de regis etiam honore, & populi nobis commiſſi lege & juſtitia in omnibus & ab omnibus conſerventur.

Ut noſtri fideles unuſquiſque in ſuo ordine & ſtatu

a *Baluz.* G[illegible] Altfridus. b *Baluz.* Gebehardus.
c *Baluz.* Chuonr[illegible]ardus, Adalardus, Arnuſtus, Warnarius, Liutfridus, Hruodulfus, Erkihtadus, Giſlebertus, Ratbodus, Arnulfus, Hugo, &c. d *Baluz. addit:* & a me ipſi quæſierint.
e *Baluz. addit:* ſic me Deus adjuvet, & iſtæ ſanctæ reliquiæ. f *Baluz.* cum omni malitia.
g *Baluz.* ſuo pari. h *Pro*, forconſiliet. *Vide Gloſſarium Du-Cangii, verbo* Foriſconſiliare. *Hard.*
i *Baluz.* parem. k *Baluz.* paris. l *Baluz.* ille qui. m *Baluz.* interveventes.
n *Baluz.* perſequamur. o *Baluz.* vel latendi. p *Baluz.* ſuſcipiat, aut ſuſceptam. q *Baluz.* vel.
r *Baluz.* per ſe epiſcopus, vel per miniſtros ſuos adeat. s *Baluz.* a communione eccleſiaſtica.
t *Baluz.* acciderunt. u *Baluz.* de regio etiam honore atque vigore.



ANNO CHRISTI 860.

ſtatu veraciter ſint de nobis ſecuri, quia nullum abbinc inante contra legem, juſtitiam, & auctoritatem, ac juſtam rationem aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus, [a] & indebitis machinationibus affligemus, ſed illorum ſcilicet veraciter nobis fidelium communi conſilio, ſecundum Dei voluntatem, & commune ſalvamentum, ad reſtitutionem ſanctæ Dei eccleſiæ, & ad ſtatum regni, & ad honorem regium, atque pacem populi commiſſi pertinenti aſſenſum præbebimus in hoc, ut non illi ſolum non ſint nobis contradicentes, & reſiſtentes ad iſta [b] conſequenda, verum etiam ſic ſint nobis fideles & obedientes, ac veri adjutores atque cooperatores vero conſilio atque ſincero auxilio ad iſta peragenda quæ præmiſimus, ſicut [c] per rectum in ſuo ordine ac ſtatu ſuo principi & ſeniori eſſe debent.

Ut ſic ſimul & conjuncti & nos fratres & nepos noſter adinvicem & nos cum fidelibus noſtris, & fideles noſtri nobiſcum, & omnes ſimul cum Deo nos [d] conjungamus, & ut nobis ſit propitius, illi pro devoto munere offeramus, & unuſquiſque omnium noſtrum abſque ſua propria excuſatione & juſtificatione recognoſcamus, in quibus aut ſigillatim, aut communiter, aut contra illius mandata, & decreta ſuorum ſanctorum fecimus, aut conſenſimus in ordine eccleſiaſtico & ſtatu regni, & per ſingula in medium illa producamus; & nemo noſtrum ſuo aut amico, aut propinquo & confœderato; immo nec ſibi ipſi ſæculariter parcat, ut ſpiritualiter & ſalubriter parcere poſſit: [e] quoniam ſicut præmiſimus in præcedenti capitulo, vero conſilio & ſincero auxilio illa in commune certatim emendari totis viribus procuremus, quantocius rationabiliter poterimus.

Et ſi aliquis de ſubditis in quocumque ordine & ſtatu de hac convenientia exierit, aut ſe retraxerit, & huic communi decreto contradixerit: ſeniores cum veraciter fidelibus ſuis hanc ſecundum Dei voluntatem & legem & juſtam rationem velit, nolit ille qui divino conſilio & decreto, & huic convenientiæ reſiſtens & contradicens fuerit, exequantur. Et ſi aliquis de ſenioribus de hac convenientia exierit, aut ſe retraxerit, & huic communi decreto, quod abſit, contradixerit: [f] complurium ſeniorum noſtrorum conſilio, & epiſcoporum judicio, ac communi conſenſu, qualiter de eo qui debite admonitus, incorrigibilis perſeveravit, agendum ſit, favente domino, decernatur, & ut obnixius ſupraſcripta capitula a nobis, auxiliante domino, inviolabiliter obſerventur, & nos illa obſervaturos, ut certius credatur, manibus propriis ſubterfirmavimus.

*Annuntiationes domni Ludovici regis apud [g] Confluentem, lingua Theotiſca.*

Vos ſcitis quid in iſto regno evenit. Et ideo huc convenimus, ut de Dei voluntate, & ſanctæ ejus eccleſiæ ſtatu, & de noſtra, ac veſtra communi ſalute & honore, & de pace populi Chriſtiani cum Dei adjutorio; & fidelium noſtrorum conſilio tractaremus. Et miſimus hoc ſuper epiſcopos & ceteros fideles noſtros, ut illi hoc invenirent, qualiter nos ad hæc quæ diximus, exequenda adunaremus. Et volumus, ut ſciatis; quia ſicut illi invenerunt, & ſcripto nobis nuntiaverunt, adinvicem adunati ſumus ſicut fratres * per rectum eſſe debent, & vos ſimul cum iſto nepote noſtro, & ille nobiſcum, & etiam ſuos fratres & nepotes noſtros in hac adunationis firmitate nobiſcum recepimus, ita tamen ut ſi ipſi hanc firmitatem erga nos fecerint & obſervaverint.

Et ſciatis quia non volumus, ut ullus inter nos abbinc inante alia verba portet niſi talia quæ Deo ſint placita, & ad noſtram communem ſalutem, & ad noſtrum honorem pertineant; ut ſic ſimus ſicut fratres invicem, & patrui cum nepotibus & nepotes cum patruis eſſe debent. Et ſi aliquis fuerit, qui hoc facere tentaverit, perducatur in medium ad rationem, & taliter inde caſtigetur, ut nemo alius ſimiliter agere tentet.

Volumus ut eccleſiæ & caſæ Dei, & epiſcopi & Dei homines, clerici, & monachi, & nonnæ talem mandeburdem & honorem habeant, ſicut tempore noſtrorum anteceſſorum habuerunt.

Et volumus ut vos & ceteri homines fideles noſtri talem legem & rectitudinem & tale ſalvamentum in regnis noſtris habeatis, ſicut anteceſſores veſtri tempore anteceſſorum noſtrorum habuerunt, [h] & juſtitia & lex omnibus conſervetur, & pauperes homines talem defenſionem habeant, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum lex & conſuetudo fuit, & ſicut fideles noſtri communiter conſenſerunt, & ſcripto nobis demonſtraverunt, & nos cum illorum conſilio conſentimus, & [i] communiter volumus. Et ſi aliquis hoc perturbare voluerit, a nullo noſtrum recipiatur, niſi ad rectam rationem aut rationabilem indulgentiæ conceſſionem deducatur. Sed de iſtis rapinis & deprædationibus quas jam quaſi pro lege multi per conſuetudinem tenent, ab hoc die & deinceps de Dei banno & noſtro bannimus, ut nemo hoc amplius præſumat, ſed unuſquiſque intra patriam cum pace & ſine oppreſſione pauperum & circummanentium conſiſtat, & in hoſtem, & ad placitum, ſeu ad curtem veniens de ſuo * ſicuvarintæs, & de domo ſua moveat, ut cum pace venire & nobiſcum ſtare, & ad domum ſuam redire poſſit. Et qui hoc tranſgreſſus fuerit, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum fuit, & in illorum capitulis continetur, volumus ut hoc in illis tranſgreſſionibus emendetur.

* Sic Urſtiſius: ut [illegible] quod tranſile.

Similiter & de conſpirationibus & de raptis feminarum tam viduarum, quam puellarum atque nonnarum, bannimus ex Dei & noſtro verbo, ut nullus hoc in noſtris * regnis agere præſumat; & ſi quis hoc præſumpſerit, ſecundum legem, & ſicut in capitularibus progenitorum noſtrorum continetur, ſic hoc emendare cogatur. Hæc eadem Carolus Romana lingua pronuntiavit, & maxima parte lingua Theotiſca recapitulavit.

* al. regnis

Poſt hæc domnus Ludovicus ad domnum Carolum fratrem ſuum lingua Romana dixit: Hoc ſi vobis placet, veſtrum verbum habere volo de illis hominibus, qui ad meam fidem venerunt.

Et domnus Carolus excelſiore voce lingua Romana dixit: Illis hominibus, qui contra me [k] fecerunt, & ſicut ſcitis, ad meum fratrem venerunt, propter Deum, & propter illius amorem, & pro



a *Baluz.* velv b *Baluz.* exſequenda. c *Baluz.* per rectum unuſquiſque in ſuo .... eſſe debet.
d *Baluz.* reconjungamus. e *Baluz.* quin ſicut. f *Baluz.* cum plures ſeniorum noſtrorum fideles, & regnorum noſtrorum primores in unum convenerint; eorum qui obſervaverint conſilio & Epiſcoporum &c.
g *al.* Confluentes. h *Baluz. addit:* & nos talem honorem & rectam poteſtatem in noſtro regio nomine apud vos habeamus, ſicut noſtri anteceſſores apud veſtros anteceſſores habuerunt.
i *Baluz.* obſervari communiter. k *Baluz.* ſic fecerunt ſicut ſcitis, & ad.

ANNO CHRISTI 860.

& pro illius gratia totum perdono quod contra me[a] nimis fecerunt, alodes de hereditate & de " conquiſima," & quod de donatione noſtri ſenioris habuerunt; excepto illo quod de mea donatione venit, illis concedo, ſi mihi firmitatem fecerint, quod in regno meo pacifici ſint, & ſic vivant ſicut Chriſtiani in Chriſtiano regno vivere debent. In hoc ſi frater meus meis fidelibus, qui contra illum [b] nihilo minus fecerunt, & me quando opus fuit adjuverint, ſimiliter illorum alodes quos in regno illius habent, conceſſerit: ſed & de illis alodibus quos de mea donatione habuerunt, & etiam de honoribus ſicut cum illo melius conſiderabo, illis qui ad me retornabunt, voluntarie faciam.

a conquiſitu ex Sirm. editione.

B Et domnus Lotharius lingua Theotiſca in ſupra annuntiatis capitulis ſe conſentire dixit, & ſe obſervaturum illa promiſit. Et tunc domnus Carolus iterum lingua Romana de pace commonuit, ut cum Dei gratia ſani & ſalvi irent, & ut eos ſanos revideret oravit, & annuntiationi finem impoſuit,"

" ** *Auctor annalium Bertinianorum ad an.* 860. Ludovicus, Karlus & Lotharius reges Kal. Junias apud Caſtrum quod Confluentes vocatur, conveniunt, ibique de pace inter ſe diu tractantes tandem concordiam atque amicitiam ipſi per ſe juramento firmant.

* Plura addidit Sirm. cap. 27.

## " ** P. Jacobi Sirmondi Notæ,

*Baſilicæ S. Caſtoris.* ] Monaſterii S. Caſtoris prope Confluentes ad Rhenum. Quem in locum, ut Nithardus lib. IV, narrat, convenerant olim, de paterni regni diviſione tractaturi, Ludovicus & Karolus iidem cum Lothario fratre Imp. *quotidie ob commune colloquium ſanctum Caſtorem petentes.* Ibi nunc pacem, quam ſuperiore anno in inſula Rheni ejuſdem fruſtra tentarant, inter ſe & cum Lothario nepote componunt. Annales Pithœani DCCCLX. *Ludovicus rex, & Karolus frater ejus, nepoſque eorum Lotharius, cum primatibus ſuis in Confluente caſtello convenientes, pacem inter ſe & fidelitatem mutuam ſinguli juramento firmaverunt. Cujus ſacramenti ſeries hujuſmodi fuit,* A MODO ET QUANDIU VIXERO, &c. integrum enim deſcribit.

*Altfridus.* ] Tranſrhenenſis epiſcopus dicitur Flodoardo lib. III. c. XXIII. Hildesheimenſis epiſcopus in ſynodo Moguntina DCCCXLVIII. cui interfuit, Vir inſignis, Saxo genere, e primariis Ludovici regis conſiliariis, ut ex iis etiam patet, quæ T. XXX. XXXIII. & XXXVI. Capitulorum narrantur, & in annalibus Pithœanis anno DCCCLXIV. atque ex Hincmari epiſtola nondum edita ad Ludovicum eumdem. Regino DCCCLXIX. *Altfridum epiſcopum de Saxonia prudentiſſimum virum.*

*Franco, Chriſtianus.* ] *Franconis nomen addit Sirmondi editio.* Franco Tugrenſis epiſcopus Tit. XXXV. & XLIII. iterum occurret. Chriſtianus Tit. XXX. epiſcopus Autiſiodorenſis, Abbonis ſucceſſor, atque adeo collega, cum utroque hoc anno interfuiſſe & ſubſcripſiſſe legatur ſynodo apud Tuſiacum.

*Vvulfadus abbas.* ] Reſbacenſis, opinor, quem ſynodo Piſtenſi anno DCCCLXII. interfuiſſe, unaque cum aliis privilegium S. Dionyſio conceſſiſſe, oſtendunt tabulæ ejuſdem monaſterii.

*Nec eos forconſiliabo.* ) Tit. XXVII. & Tit. XXXVI. Annales Pithœani legunt *forſconſiliabo*, quomodo & ſuperius

A Tit. VIII. ſcriptum *forſconſiliet*. Quod idem eſt, ſicut forſactum & foriſfactum idem. Ut igitur foriſfacere hominem homini dicebant, in quem ille forſactum committeret: ſic vitam vel honorem, alteri, aut alterum in vita vel in honore forconſiliare, qui malo conſilio in illius vitam vel honorem machinaretur.

*Et nonnæ.* ) Deo devotæ ſanctimoniales, Tit. XXVII. Et in Flotildis viſionibus: *Vidit ſe in quodam amœno loco, velumque nigrum ſe ſuper caput habere. De quo cum requiſiſſet, audivit quod fieri nonna deberet.* Flodoardus lib. III. c. XXVII. de Hincmari epiſtolis: *Teutbergæ abbatiſſæ, pro ordinatione Avennaci monaſterii, de numero clericorum & nonnarum: ſignificans ſe diſpoſuiſſe* XX. *clericos, &* XL. *nonnas, ibidem conſiſtere poſſe.* Sic etiam appellantur in ſynodo Bonifacii anno DCCXLII. & in altera Leptinenſi. Vocabantur & nonnanes, ut in capitulis Karoli M. *De monaſteriis minutis, ubi nonnanes ſine regula ſedent, volumus ut unc in loco congregatio fiat regularis, & epiſcopi prævideant ubi fieri poſſit.* B Et in ſynodo Moguntina ſub Karolo eodem c. XX. & paſſim. Nomen ex reverentia inditum, quo modo apud Græcos calogeri monachi dicti, & calogreæ monachæ. Nonnos enim, & nonnas, nunc etiam Itali avos & avias dicunt. Quare ut hic nonnæ ſunt monachæ, ſic inter monachos etiam, eos qui priores erant, nonnos a junioribus ob paternam reverentiam vocari juſſit regula S. Benedicti.

*Talem mundeburdem.* ] Tuitionem ac defenſionem. Ideo ſere cum horum altero conjungitur. Tit. XXX. c. V. *ſub tuitione eccleſiaſtica, & regia mundeburde.* T. XXXIII. *Mundeburdem autem, & defenſionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, pariter conſervabimus.* Et apud Marculſum in formula de mundeburde regis. Alii mundeburdum ſcribebant, ut in epiſtola Karoli majoris domus pro S. Bonifacio in codice S. Remigii: *Et nobis ſuggeſſit, quod ſub noſtro mundeburdo, vel defenſione, eum recipere deberemus.* Et in Karoli Calvi præcepto pro monaſterio Cellenſi: *quod* C *monaſterium ſub tuitione & mundeburdo ex longo tempore conſtat eſſe comitis prædictæ civitatis.*

*De Dei Banno & de noſtro verbo bannivimus.* ] Tit. XXVII. ſub finem: *De quibus omnes admoneri, atque omnes ex Dei banno & noſtro cavere præcipimus.* Hic bannus eſt edictum; & bannire, publico banno edicere. Decretio Childeberti regis c. VIII. *Similiter Coloniæ convenit, & ita bannivimus, ut unuſquiſque judex latronem ut audierit ligare faciat.* In capitulis quæ miſſis dominicis data fuerunt a Karolo M. c. XX. *De banno domni Imperatoris, quod per ſemetipſum ſolitus eſt bannire. Id eſt de mundeburdis eccleſiarum, & viduarum, orphanorum, & minus potentum.* Quod igitur in commune vocabant aut præcipiebant, id quia banno, id eſt publica denunciatione, indicebatur, bannus erat. Aliæ fuerunt hujus vocis ab eodem fonte notiones, de quibus poſtea ſuis locis.

*De ſuo ſic vvarnitus.* ] Tit. XLIII. c. XXIV. *& ad hoc* D *omnis vvarniti ſint*, id eſt parati & neceſſariis rebus inſtructi. Quæ nunc eadem in vernacula noſtra ejus vocis eſt notio. Ut cum domum vvarnitam dicimus, omni inſtrumento & ſupellectile ſua ornatam atque inſtructam. Sive in hoſtem igitur, hoc eſt in exercitum, ſive ad placita & publicos conventus, ſive ad curtem & palatium regis veniendum eſt: ſic de ſuo paratum unumquemque domo ſua progredi jubet, ut nulli gravis eſſe cogatur, atque ab omni præda & direptione abſtineat.

*Etiam de honoribus.* ) Beneficiis, aut dignitatibus & muneribus publicis quibus fungebantur. Contendebat Ludovicus, ut qui a Karolo ad ipſum deſciverant, priſtinos honores reciperent, quibus ſpoliati a rege fuerant: ſed obtinere non potuit. Annales Pithœani DCCCLX. *Ludovicus tamen eis qui priore anno a Karolo deficientes ſui effecti ſunt, honores quos prius habuerunt impetrare non potuit. Dilata enim res eſt in proximo placito finienda.* At nunc etiam ſuſpenſa remanet.

1 CON-

a Baluz. miſfecerunt,  b Baluz. nihil miſfecerunt,



ANNO CHRISTI 860.

# 1 CONCILIUM TULLENSE II. APUD TUSIACUM.

Ab epiſcopis quatuordecim provinciarum in Tullenſis territorii [a] villa Tuſiaco, Caroli Calvi & Lotharii regum auctoritate celebratum, ſub die XI. kalendas Novembres, indictione IX. id eſt, anno Chriſti DCCCLX. Nicolai papæ anno III. Caroli ejuſdem regis XXI.

a Valle, habet mſ. c. S. Germani Autiſſiodorenſi.

Ex editione P. Sirmondi.

## TITULI CANONUM.

I. *Adverſus rerum ſacrarum pervaſores.*
II. *De velatis, Deoque ſacratis virginibus ac viduis incontinenter viventibus.*
III. *De perjuris, & falſis teſtibus.*
IV. *De iis qui rapinas, & alia ſcelera committunt.*
V. *Ut clerici & monachi vagi ad epiſcopos & abbates ſuos revocentur.*

## PRÆFATIO.

CUm in nomine Dei omnipotentis nos epiſcopi [a] ex provinciis" XII. Veſontionenſi ſcilicet, Lugdunenſi, Trevirenſi, Rhemenſi, Viennenſi, Senonica, Agrippinenſi, Biturigenſi, Turonenſi, Burdigalenſi, Narbonenſi, Rothomagenſi, & ſi qui alii ex aliis provinciis, conveniſſemus in territorio Tullenſi, in villa Tuſiaco, anno incarnationis domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLX. indictione IX. cœpimus auxilio Dei noſtri tractare de ſtatu temporis noſtri, & de periculo pereuntis populi ſub manu noſtra conſtituti: & quomodo peccatis noſtris agentibus omnes leges, tam divinæ, quam humanæ contemptæ ſint, omniſque ordo religionis confuſus, ſolumque maledictum, & mendacium, & adulterium, & homicidium inundaverint, & ſanguis ſanguinem tetigerit, & propterea vorata ſit terra, & infirmatus ſit omnis qui habitat in ea. Cum igitur de his & ſimilibus tractaremus, juxta manum Dei noſtri propitiam nobiſcum, ut ſecundum regulam patrum noſtrorum ſtaremus in viis Dei noſtri, decrevimus ſingulis malis emergentibus, zelo canonicæ pietatis, cenſura diſtrictionis obviare, ac ſacrilegos, & flagitioſos, atque facinoroſos, de domo Dei noſtri flagello diſciplinæ cædendo eliminare. Et quia inveteratum vulnus malitiæ plaga deſperationis fecit, ferrum ſectionis adhibere, ne quod ſanum remanſerat putredine tabeſieret.

a XIV. alibi numerantur in epiſtolis, &c.

## CANONES.

### I.

In primis igitur propter pertinaciam multorum, qui cum ſint ſacrilegi, templum Dei in ſemetipſis corrumpentes, ſacras res, ex oblatione & voto fidelium ſacris locis contraditas, invadere non timent, ſtatuimus ſecundum regulam antiquam patrum noſtrorum, ut ſi quis oblationes fructuum, & rerum omnium, quæ miniſtris eccleſiæ conferuntur, aut collatæ ſunt, extra eccleſiam



A accipere vel dare voluerit præter conſcientiam epiſcopi, vel ejus qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſanda officio eccleſiaſtico diſpoſita, tam is qui dat, quamque is qui accipit, anathema ſit, judicio omnipotentis Dei, niſi reſipuerit, perpetuo damnatus, & dum vivit, ita a cœtu & ſocietate fidelium remotus, a corpore & ſanguine domini ſeparatus, ut nec in fine communionem accipiat, neque corpus ipſius more fidelium, cum oblationibus & pſalmis atque hymnis ad ſepulturam deducatur. Si clericus tanta B cupiditate ſacrilegii corruptus, aut laicus quicumque hac iniquitate deceptus fuerit, & cognoſcens damnationem ſuam, pœnitentiæ remediis ſecundum ordinem & diſpenſationem ſui epiſcopi ſe ſubmiſerit, volumus ut pervaſa & præſumpta ſecundum qualitatem perſonæ, aut in triplum, aut in quadruplum, eccleſiæ, cui damnum illatum eſt, primum reſtituat: inde pro ſacrilegio ab epiſcopo ſuo conſilium ſalutis, & pœnitentiæ modum ſuſcipiat.

### II.

De velatis & ſacratis Deo, tam viduis C quam virginibus, ſi clam adulteraverint, vel ſi publice nupſerint, ſive de viduis incontinentibus, quæ luxuriando turpiſſime in domibus ſuis vivunt; ita ut etiam quædam filias ſuas laſcivis juvenibus in concubinas ſubſtituerint, licet a patribus noſtris, quorum loca & vices tenemus, ſufficienter qua diſtrictione feriantur definitum ſit, volumus ut uſque ad finem vitæ in ergaſtulis retruſæ pœnitentiam agant: viri autem, qui vim eis intulerint, & ipſi cenſura eccleſiaſtica ad pœnitentiam conſtrigantur. D habeantque principes & judices hanc in populo Dei diligentiam, ut ubicumque tales in poteſtate eorum ab epiſcopis requiſiti fuerint, abſque mora eos exhibeant: ne forte, ſi diſſimulaverint, aut mandatum epiſcopi contempſerint, ab eccleſia Dei projecti nec ſepulturam cum fidelibus accipiant.

### III.

De his quoque, qui jurant & perjurant in nomine Dei omnipotentis mendaciter; quod genus mali nimis prævaluiſſe dolemus, & de falſis teſtibus, quorum execra-

 bilis

bilis malitia uſquequaque prævaluit, quod a ſanctis patribus noſtris ex eis definitum eſt ſervetur, atque duræ & diſtrictæ pœnitentiæ ſubdantur, quamdiu in crimine manent, foras ab eccleſia projecti, neque nomen eorum inter fideles recitatum habeatur.

IV.

De his etiam qui rapinas exercent, incendia, ſtupra inaudita committunt, cædes & homicidia perpetrant, res eccleſiarum ſubtrahunt atque diripiunt, quantum ad judicium noſtrum attinet, volumus ut ſive auctores tanti criminis, ſive fautores eorum qui cum eis collecti participant, a ſacro miſſarum officio, a foribus eccleſiarum, ab omni ſocietate Chriſtiana, uſquedum pœnitentiæ ſe humiliter ſubmittant, removeantur. Invicem ſibi epiſcopi pro his ſcripta tranſmittant, quatinus omnes ſciant cum talibus damnatis nullam communionem habere; parique ſententia teneatur obnoxius, qui poſt interdictum cum eis communicaverit.

V.

Quia peccatis noſtris agentibus plurima loca Deo ſacrata incenſa & vaſtata ſunt a perfidis Chriſtianis, & a crudeli etiam gente Northmannorum, ſub hac occaſione multi laſcivi clerici & monachi relicto religionis habitu retro abierunt, & abſque ulla canonica licentia & reverentia vagabundi feruntur, ab ovili gregis Dei errantes. Ideoque patrum auctoritate volumus, ut talibus omnibus neceſſitas imponatur, quatinus ad ordinationem & diſpoſitionem epiſcoporum & abbatum ſuorum revertantur, & ſub diſciplina eorum maneant.

" ** *Poſt hæc ultima verba in mſ. codice S. Germani Autiſſiodorenſis adſcripta ſunt quæ ſequuntur.*

Hæc, fratres cariſſimi & conſacerdotes noſtri, quæ unanimi vobis intentione ſecundum ſententiam XL. [1] epiſcoporum promulgata, tenenda omnino & conſervanda ſunt, videlicet ut omnes raptores ſanctimonialium virginumque atque viduarum, cujuſcumque etiam rei prædones, inceſtos, perjuros, oppreſſoreſque pauperum, invaſores per vim eccleſiaſticarum rerum, uſurarum exactores, hoc videlicet qui judicantes, magis pauperes compellunt reddere quam acceptum fuerat in prima donatione, nec non ſubtractores decimarum...... *deſunt reliqua.*

SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Ego Arduicus Veſontionenſis epiſcopus, has conſtitutiones zelo pietatis perfectas relegi, conſenſi, & ſubſcripſi.

Ego Wenilo Senonicæ urbis epiſcopus conſenſi, &c.

Hincmarus ſacræ Rhemorum eccleſiæ epiſcopus conſenſi, &c.

Ado humilis Viennenſis epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Theutgaudus Trevirorum epiſcopus conſenſi, &c.

Gunthariūs Agrippinenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Rodulfus ſacræ Biturigenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Herardus Turonum epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Frotarius Burdigalenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Fredoldus Narbonenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Remigius Lugdunenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Wenilo Rothomagenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Hildegarius Meldenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Adventius Mediomatricorum epiſcopus ſubſcripſi.

Æneas Pariſiorum epiſcopus ſubſcripſi.

Atto Virodunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Erpuinus Silvanectenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Hincmarus Laudunenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Chriſtianus Autiſſiodorenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Eurus Carcaſonenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Audeſindus ᵃ Roſcellenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Godelſadus Cabilonenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Gundebertus Ebrocenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Iſaac Lingonenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Jonas Æduorum epiſcopus ſubſcripſi.

Breindincus Matiſconenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Adahulfus Barcinonenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Agius Aurelianorum epiſcopus ſubſcripſi.

Erchanraus Catalaunenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Hontfridus Morinenſium epiſcopus ſubſcripſi.

ᵃ Rainelmus Noviomagenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Erchambertus Bajocacenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Hilduinus Avennicorum epiſcopus ſubſcripſi.

Wiſadus Orgellitanus epiſcopus ſubſcripſi.

Stodilo Lemovicenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Stabilis Arvernenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Arduinus Vellaunenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Engenoldus Pictavienſium epiſcopus ſubſcripſi.

Dagbertus Agathenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Launus Æcolenenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Arnulfus Tullenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Rataldus Stratburgenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Franco Tungrenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Teutramnus Darantaſiæ metropolitanæ epiſcopus, &c.

Immo Noviomagorum epiſcopus ſubſcripſi.

ᵃ Helenenſis epiſcopus dicitur in privilegio S. Martini.

ᵃ Raginelmus Tornacenſis in privilegio S. Martini.

(1) Hinc diſcimus Epiſcopos dumtaxat 40. Concilio Tuſiacenſi interfuiſſe, tametſi & ſubſcribunt Epiſcopi 57. Ut enim Mabillonius tom. 1. Analect. p. 58. animadvertit, hoc accidit duabus ex cauſis; quia ſcilicet ejuſdem ſedis Epiſcopi duo interdum ſubſcripſere, Epiſcopi nempe Noviomenſes duo, *Rainelmus* & *Immo* ejus ſucceſſor: duo item Autiſſiodorenſes, *Chriſtianus* & *Abbo*. Ad hæc ſubſcripſere etiam abſentes nonnulli, ad quos ejuſdem Concilii exemplar tranſmiſſum eſt, *Pagius ad An. Ch. 860. num. 5.*



Ebbo Gratianopolitanus epiſcopus ſubſcripſi.

Ungerius Trajectenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Fredebertus Baſileenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Rothadus Sueſſonicus epiſcopus ſubſcripſi.

Irminfridus Bellovacus epiſcopus ſubſcripſi.

Abbo Autiſiodorenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Giſlebertus Carnotenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ratbertus Valentinenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Dodo Andegavenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Hilmeradus Ambianenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Waltbertus Abrincatenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Abbo Maurianenſium epiſcopus ſubſcripſi.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Subſcriptiones illæ admonent veteris cujuſdam diplomatis, quod jam a tredecim annis memini me publicaſſe tomo II. Miſcellaneorum curioſorum cap. VIII. §. 4. pag. 464. Illud vero depromptum fuit ex archivo celeberrimæ toto orbe S. Martini Turonenſis eccleſiæ in hæc verba.

" ** Sancta generalis ſynodus epiſcoporum XIV. provinciarum: Lugdunenſium ſcilicet, Rothomagenſium, Turonenſium, Senonenſium, Viennenſium, Arelatenſium, Veſontionenſium, Moguntinorum, Agrippinenſium, Trevirenſium, Rhemorum, Biturigenſium, Burdegalenſium, Narbonenſium, qui ſecundum inſtituta eccleſiaſtica favore ſedis apoſtolicæ, ac nutu dominorum noſtrorum Caroli Calvi & Clotarii regum glorioſorum anno domin. incarnat. DCCCLX. indict. IX. VII. Idus Novembris convenimus in villam Tuſſiacum Tullenſis parochiæ, omnibus ordinibus, poteſtatibus, perſonis, ac dignitatibus univerſis, gratia vobis & pax a Deo patre, & D. N. J. C. vero filio ejus, & a SS. Trinitate individuæ deitatis, &c. Cum apud nos eccleſiæ utilitatis atque neceſſitatis negotia more eccleſiaſtico ventilarentur atque definirentur obtulit nobis venerabilis abba Hilduinus privilegia monaſterii ſancti Martini, quorum tenorem cum primis beatorum epiſcoporum ac prædeceſſorum noſtrorum ſubſcriptionibus roborata, inter quæ oſtendit nobis teſtamentum S. Aredii de rebus a ſe ſancto Martino datis, quod ipſe manu ſua conſcripſit, & ſub maximis atteſtationibus confirmavit. Teſtamenta etiam de Bladonio & de Burgogio, & de Lirado, necnon & præcepta regum atque imperatorum, qui tempore obitus B. Martini ipſum cœnobium honorabiliter coluerunt, & rebus atque donis admodum ditarunt, ſacræ ſynodo præſentavit. Proſecutus eſt etiam idem venerabilis abba Hilduinus, quoniam infeſtatione Normannorum, qui ante hos annos monaſterium illud incenderunt, quædam tantorum privilegia epiſcoporum, præcepta regum ex eodem loco ſunt perdita, ſed plura paucis pereuntibus miniſtrorum ſunt ſollicitudine cuſtodita: ſed & in commotione regni, quæ mota eſt nuper ſeditioſorum hominum factione, quædam loca & villas minus neceſſario Deum timentes ſibi in ſuam perniciem uſurparunt, inter quos & Ermenus monaſterium S. Aredii, quos etiam tertio & regia poteſtas & epiſcopalis auctoritas interdixit, ſed diabolica obduratione a ſuo perverſo conatu reſipiſcere noluit. Suavis quoque & durus conamine & actione in damnationem ſuam ſibi uſurpare præſumpſit. Quapropter tantorum epiſcoporum ac prædeceſſorum noſtrorum, qui cum domino in cælis regnant, & in terris miraculis coruſcant, confirmationis privilegia confirmantes, & obteſtantes, ut honoris privilegium, quod cœnobium venerandi ſemperque colendi B. Martini pontificis glorioſi tunc temporis habuit, quando domnus Karolus divæ memoriæ imperator ab iſto ſæculo emigravit, ab orbe conſervetur. Res quoque & mancipia, tam in Alemannia quam in Francia, vel in Italia ſive Aquitania, ſeu in Provincia, vel ubi legitimo jure poſſedit, vel quæ de cetero collata a quoque exstiterint, nemo contra ſtatuta canonum ſibi uſurpare præſumat, ſive peſſumdet, & præſumptores qui eas nunc indebite retinent, poſtquam hæc ex divino mandato præceptionis & confirmationis noſtra auctoritas ad eorum notitiam venerit, nullatenus contra ſtatuta divina vota fidelium infideli uſurpatione ſibi evindicent, ſed diſpoſitione rectoris monaſterii B. Martini, quæ ſua ſunt licenter & libere ordinari permittant. Ac ſi contra hæc ſtatuta forte quiſquam præſumpſerit, ſecundum canonicas & apoſtolicas regulas, ac privilegia beatorum epiſcoporum, qui nos in domino præceſſerunt, & juxta ſancti Aredii teſtamentum a communione redemptionis noſtræ, & omnium fidelium ſocietate, judicio ſancti Spiritus alienus efficiatur, donec reſipiſcat, & quæ monaſterio S. Martini ſunt tradita cum ſatisfactione reſtituat.

Herardus Turonenſis metropolitanus epiſcopus.

Rodulfus Bituricenſis archiepiſcopus.

Guntharius Agrippinenſis eccleſiæ epiſcopus.

Atto (1) indignus epiſcopus firmavit.

Launus Æqualeſinæ ſedis epiſcopus.

Arduinus (2) Willavæ eccleſiæ epiſcopus.

Stabilis (3) Taravanenſis ſedis epiſcopus.

Raginelmus Tornacenſis eccleſiæ epiſcopus.

(4) Humfredus Morinorum eccleſiæ epiſcopus.

Jonas Eduorum epiſcopus.

Chriſtianus Autiſſiodorenſis epiſcopus.

Hincmarus S. Remenſis eccleſiæ epiſcopus.

Wanilo Dei munere Senonenſis epiſcopus.

Frotarius Burdegalenſis epiſcopus.

Hado munere divino Viennenſis epiſcopus.

(5) Arius indignus epiſcopus ſignavit.

Ercambertus indignus epiſcopus.

Ercanraus (6) Catalacenſis epiſcopus.

Iſaac S. Lingonenſis eccleſiæ epiſcopus.

(7) Baraldinus Matiſcenſium eccleſiæ epiſcopus.

(8) Godeſalcus Cabilonenſium eccleſiæ humilis epiſcopus.

(9) Adulfus Barcilonenſis epiſcopus.

Hildegarius Meldenſis eccleſiæ epiſcopus.

(10) Gumbertus Ebroicenus eccleſiæ epiſcopus.

Wiſaus S. Mariæ H. epiſcopus.

(11) Inganardus Pictavenſis epiſcopus.

Æneas Pariſii indignus epiſcopus.

Audeſiodus Helenenſis epiſcopus.

Ego Alduinus indignus epiſcopus Arelatenſis.

Ego Fridolus indignus epiſcopus.

(12) Stadilo epiſcopus.

EPISTOLA SYNODALIS CONCILII EJUSDEM AD RERUM ECCLESIASTICARUM pervaſores, & ad pauperum prædatores.

Unde, & quando, ac qualiter acciderit, ut res eccleſiaſticæ domino ſint conſecratæ, & quantum ſit periculum pauperes deprædari.

*Anno incarnationis dominicæ* DCCCLX. *indictione* IX. XI. *Kalend. Novembres, ſancta ſynodus congregata in villa Tuſiaco Tullenſis parœciæ, epiſcoporum* XIV. *provinciarum, Lugdunenſium videlicet, Rothomagenſium, Turonenſium, Senonum, Viennenſium, Arelatenſium, Veſontionum, Mogontinenſium, Agrippinenſium, Trevirorum, Rhemorum, Biturigenſium; Burdigalenſium, Narbonenſium, omnibus Dei fidelibus, & ſanctæ eccleſiæ filiis, ad quos hac divinæ conſtitutionis notitia potuerit pervenire, pacem & ſalutem optat in domino.*

DEus omnipotens, ſummus & verus, unus ac ſolus, Pater ſcilicet, & Filius, qui eſt conſubſtantiale Verbum ejus, & utriuſque Spiritus ſanctus, utrique coæternus, ac coæqualis, Trinitas inconfuſa atque inſeparabilis, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre poteſt, nec locorum vel finito vel infinito ſpatio continetur, nec temporum vel finito vel infinito volumine variatur; neque enim eſt in ejus ſubſtantia, qua Deus eſt, quod brevius ſit in parte, quam toto; qui ſine initio eſt, & permanet ſine fine,



(1) *Supra*, Virodunenſis. (2) *Supra*, Vellaunenſium. (3) *Supra*, Arvernenſium. (4) *Supra*, Humfridus. (5) *Forte*, Agius. (6) *Supra*, Catalaunenſis. (7) *Supra*, Breindincus. (8) *Supra*, Godelſadus. (9) *Supra*, Adahulfus. (10) *Supra*, Gundebertus. (11) *Supra*, Engenoldus. (12) *Supra*, Strodilo Lemovicenſium.

fine, incommutabili æternitate vivens; creavit omnia ſimul, ex quibus currerent tempora, & implerentur loca, temporalibuſque & localibus rerum motibus ſæcula volverentur. In quibus rebus quædam ſpiritalia, quædam corporalia, viſibilia ſiquidem & inviſibilia condidit: formans materiem, quam nec alius, nec nullus, ſed omnino ipſe informem ac formabilem inſtituit, ut formationem ſuam non tempore, ſed origine præveniret: Eccl. 18. Gen. 1. teſtante ſcriptura: *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* &: *In principio fecit Deus cælum & terram*, & omnia opera ſua bona valde, quæ in cælo ſunt & quæ in terra. Duas quoque harum creaturarum ſuarum rationales creaturas, ſcilicet angelicam & humanam, imaginis & ſimilitudinis ſuæ dote ditatas, cum libero arbitrio condidit: ut ſicut ipſe non neceſſitate, ſed natura eſt bonus & voluntarie, & ita ipſæ rationales creaturæ non conſtrictæ neceſſitate, ſed bonæ eſſent, ut natura, ita & voluntarie. Quia ſi tales eſſent, ut liberæ voluntatis arbitrio malum vitare, & bonum non poſſent agere, lapidibus, & ceteris rebus inſenſibilibus, atque irrationabilibus potius quam Deo ſimiles eſſent, & merito illius retributione carerent, nec eſſet unde pro qualitate voluntatis & actionis remunerarentur a Deo. qui ideo bonus eſt, quia vult, non quia cogitur: quique bonum velle non ex accidenti, ſed ut & bonus & omnipotens eſſet eſſentialiter habet. Cui ſecundum quorumdam opinionem ſententiæ non repugnat, quod dicit apoſtolus, *Seipſum* 2. Tim. 2. *negare non poteſt*. Porro nec peccare, nec mori poteſt. Et tamen non falſo angelus & homo, qui potuere peccare, imaginis & ſimilitudinis ejus dignitate donati leguntur. Quia aliud eſt ſimilitudo, & aliud ſignaculum ſimilitudinis: & aliud imaginem eſſe, & aliud ad imaginem factum eſſe. Solus quippe conſubſtantialis Filius eſſentialiter imago inviſibilis, & ſplendor, & figura eſt ſubſtantiæ Dei Patris. Sic ad omnipotentis hoc vel magis omnipotentiam pertinet: quia aliud non poteſt quam bonum velle, & aliud quam bonus & omnipotens eſſe, & ſeipſum negare, peccare quoque, vel mori, mutari, falli, miſer fieri, ſeu vinci non poteſt. Hæc atque hujuſmodi abſit ut poſſit omnipotens. Sed quia non vult, non poteſt, quia & velle non poteſt. Non enim poteſt juſtitia velle facere quod injuſtum eſt, aut ſapientia velle quod ſtultum eſt, aut veritas velle quod falſum eſt. Ac per hoc non ſolum oſtendit veritas omnipotentem non eſſe, quod iſta non poſſit; ſed etiam cogit veritas omnipotentem non eſſe, qui hæc poſſit. Volens enim eſt Deus quidquid eſt. æternus ergo, & incommutabilis, & verax, & beatus, & inſuperabilis volens eſt. Si ergo poteſt eſſe quod non vult, omnipotens non eſt. eſt autem omnipotens. ergo quidquid vult poteſt: & ideo quod non vult, eſſe non poteſt, qui propterea dicitur omnipotens, quoniam quidquid vult poteſt. De quo & pſalmus dicit: Pſal. 134. *In cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit*. Nihil enim in cælo vel in terra fit, niſi quod ipſe aut propitius facit, aut fieri juſte permittit. Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & neminem vult perire. Sed juſtus dominus juſtitiam diligens, & iniquitatem non volens, eis quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, nec poſt primi hominis caſum vult tollere violenter ſuæ voluntatis arbitrium liberum; quibus reddere paratus eſt meritum, ut ſcriptura demonſtrat: Pſal. 33. *Quis eſt*, inquiens, *homo qui vult vitam?* & acſi Ibidem. reſpondenti, Ego, dominus dicit: *Diverte a malo, & fac bonum*. Et e regione volens ſalvari dicit:

A *Voluntarie ſacrificabo tibi.* &: *Ex voluntate mea* Pſal. 53. *confitebor illi.* De quo ſcriptum eſt: Pſal. 27. *Quia non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* Ut autem Pſal. 83. ambulantes ambulent & perſeverent in innocentia, ſanat & adjuvat eorum arbitrium gratia; atteſtante apoſtolo: 1. Cor. 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi: non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Quibus & aliis ſcripturæ ſententiis, quoniam poſt caſum primi hominis ineſt homini ad bene volendum, & ad bonum incipiendum & perficiendum, atque in bono perſeverandum, liberum arbitrium, gratia liberatum, & gratia de corrupto ſanatum, gratia præventum, adjutum, & coronandum. A bono autem deficiens, & in malo proficiens homo, B poſt caſum primi hominis habet arbitrium liberum, ſcilicet juſtitiæ liberum, peccati ſervum: quo qui ſe elongant a Deo volente congregare filios nolentis Jeruſalem, peribunt. Unde quia gratia Dei eſt, ſalvatur mundus: & quia ineſt liberum arbitrium homini, judicabitur mundus. Ex his namque rationalibus creaturis, angelica videlicet & humana, angelos ad ſe cognoſcendum atque perpetuo collaudandum in cæleſti gloria collocavit. Unde pars quædam angelorum ex ſuperbia debriata per liberum arbitrium cecidit, qui appellantur diaboli. & tales ſuo vitio ſunt effecti, ut jam non velint nec poſſint meriti eſſe boni. ſicut & illi qui per liberum arbitrium in voluntate conditoris permanſerunt, ipſius C gratia, & retributione juſtitiæ, acceperunt in munere, quod creator, cujus ſignaculum ſimilitudinis ſunt, habet eſſentia, ut non velint, nec valeant eſſe mali. Hominem vero opifex Deus corpore de limo terræ formavit, cui animam de incomprehenſibili nobis ſuæ virtutis opere, in moribus & æternitate ad imaginem & ſimilitudinem ſuam conditam, in qua, interiore videlicet homine, per fidem in nobis habitat, inſufflavit. In quo etſi exterior homo noſter corrumpitur, renovamur induentes novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate, & veritate. Et factum eumdem primum hominem in animam viventem, id eſt factam animam rationalem, factam carnem vivificantem, D atque in duabus, & ex duabus, ſcilicet ſpiritus ac luti ſubſtantiis in unitate perſonæ ſubſiſtentem, in paradiſo deliciarum, quem plantaverat ab initio, poſuit, ut operaretur eum, vel in eo, ſicut & quæ ei præcepit, & cuſtodiret ne illa admitteret, quæ & ſicut illi prohibuit. Cui ex latere fabricavit mulierem, dum in ſomno corporis obdormivit, unde & dixit: *Erunt duo* Gen. 2. *in carne una*, itaque jam non ſunt duo, ſed una caro, ſecundum præſcientiam ſuam, qua novit omnia etiam antequam fiant, vero demonſtrans indicio, quoniam ſine transfuſione ſeminis viri, ex femina ipſe venturus eſſet in carnem, ad redimendum hominem, qui in carne condidit hominem. E Et qui eum fabricavit ex pulvere, quo ſine ſeminis transfuſione hominem fecit ex homine, homines quoque fabricetur ex ſemine. Quique corporis morte in cruce pro omnibus mortis debitoribus, ſolus inter mortuos liber a mortis debito dormiens, prædeſtinatus Filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, & prædeſtinatorum omnium caput, ac lumen, atque exemplum factus ex muliere, legiſque lator qui legi nihil deberet, factus ſub obedientia legis, ut eos, qui ſub lege peccati & mortis futuri erant, redimeret, ut adoptionem filiorum, quam in Adam perdituri eramus, reciperemus: de his qui in eum credere voluerint, ſive

ad-





adventum ejus in carne præceſſerint, ſive etiam forent ſecuti, ( nam Act. 15. *per gratiam*, inquit, *Domini Jeſu ſalvari credimus, quemadmodum & illi* ) ædificaturus erat eccleſiam aperto lancea latere, de quo produxit aquam & ſanguinem, quibus nunc lavacro rigatur & poculo, id eſt mundatur aqua baptiſmatis, & per fidem illi incorporatur potato ſanguine redemptionis, juſtificata ſpiritu ſanctificationis. Hoc ſacramentum magnum eſt in Chriſto & in eccleſia. quæ eodem Spiritu ſancto ab immaculato divini fontis utero ſuos regenerat natos, quo & de illibata virgine Chriſtus eſt natus. Iſdem namque primus homo, quia & Eva ipſa eſt Adam, conditus ut dominaretur creaturæ a creatore factæ, & diſponeret orbem terrarum in juſtitia & æquitate, & in directione cordis judicium judicaret, ſi in accepta lege vitæ & diſciplinæ libero arbitrio permanſiſſet; Videlicet ſi in conditoris voluntate perſeveraſſet ut non peccaret; nec ipſe moreretur, nec mortales, neque mortis ac gehennæ filios generaret. Sed merito hujus permanſionis, & retributione juſtitiæ, ſicut & ſancti angeli acceperunt, accepiſſet in munere, quod creator, ad cujus imaginem & ſimilitudinem conditus eſt, habet eſſentia, ut nec peccare vellet, nec jam cadere poſſet. Ipſi autem diabolo invidenti quia illuc erat homo terrenus per debitam obedientiam aſcenſurus, unde ipſe cecidit per ſuperbiam angelicus ſpiritus, & mendacia ſuadenti plus credens, quam voluntati conditoris ſui obediens, abuſus arbitrio libero deſeruit Deum, & deſertus juſte a Deo, peccavit ac cecidit, & per malum velle perdidit bonum poſſe, qui per poſſe bonum vincere potuit velle malum. Qua de re facta eſt maſſa perditionis totius humani generis. De qua ſi nullus ad ſalutem eriperetur, irreprehenſibilis eſſet Dei juſtitia: quia vero multi ſalvantur, ineffabilis eſt Dei gratia, qui ab ipſo mundi primordio, incipiens ab Abel juſto, ſalutis humanæ præcones mundo in ſua infirmitate languenti, & in peccatorum ſuorum tenebris tabeſcenti, donec ipſe lux mundi adveniret, per patriarchas, & legis doctores atque prophetas, ac juſtos verbis & prodigiis prædicans, conſolando præmiſit. Tamdem ipſe, qui ſemper unum, & ubique eſt cum Patre & Spiritu ſancto eſſentia majeſtatis, propter nos homines & propter noſtram ſalutem, opere conceptus ejuſdem Spiritus ſancti, natus ex Maria virgine, id eſt ex virginea maternæ carnis ſubſtantia, in duabus & ex duabus naturis atque ſubſtantiis, divinitatis ſcilicet & humanitatis, verus per omnia Deus, & verus homo anima rationali & humana carne in unitate perſonæ ſubſiſtens, ad nos per præſentiam aſſumptæ veniens carnis, factis & dictis ad aliud in ſe credentes ſæculum invitavit, id eſt ad gloriam ſempiternam, quam angeli ſancti habent in cælo, & ad quam obtinendam conditus fuerat primus homo. Et quoniam ad illam pervenire non poſſumus, niſi Luc. 24. ſicut nos docuit de quo ſcriptum eſt: *Quia ſic oportuit pati Chriſtum, & intrare in gloriam ſuam*, dux & doctor hujus itineris, ſcilicet per labores ac dolores, quos in primo parente meruimus, promerentes regnum Dei, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis: & in iſtius agonis ſcammate certantes, ſine viatico non valemus ſubſiſtere. primitiva eccleſia, id eſt fideles in exordio naſcentis eccleſiæ vendebant omnia quæ poſſidebant, & deferebant poſſeſſionum ſuarum precium ad pedes apoſtolorum, docentes non debere a rationali homine ſerviri, ſed dominari di-

A vitiis, & uti eis in tranſitum, non eas amare pro æterna perventione. De quo precio dividebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Cum autem gratia Dei cœpit multiplicari credentium numerus, ad quorum ſuſtentationem non ſufficiebat precii reditus, quoniam omnes ad hoc non dabant, neque valebant compelli, ut a conjugio, & in totum a mundanis vacarent actibus, ne ſæculum deperiret, donec omnes qui ſalvandi ſunt, id eſt omnes prædeſtinati, veluti ſcriptum eſt, filii Dei, qui erant diſperſi, id eſt in maſſæ generaliter perditæ ex debito relictione conſperſi, & ex ea, antequam mundus fieret, prædeſtinatione Dei, cui nihil præteritum tranſiit, acciditque futurum, electi, ſcilicet gratia Dei, B congregentur in unum: in plenitudinem videlicet cæleſtis ac ſempiternæ eccleſiæ, ad quam tanti ex hominibus ſalvatis, & eidem ſociandis ſunt aſcenſuri unde diabolus cum ſuis ſequacibus cecidit, quanti illic electi angeli remanſerunt: ut unum ovile unius paſtoris ſcilicet, & individuæ Trinitatis perpetua viſione, & perfecta cognitione, quæ eſt non ſolum hominum, ſed & angelorum vita, ſine fine gaudeat, ſocietate glorioſa repletum: conſtituit idem dominus & magiſter ſalutis per ſanctos ſuos, in quibus & cum quibus loquebatur, & per quos ſuam gubernabat, & uſque hodie meritis & precibus gubernat eccleſiam; ut credentes non jam ex aſſe poſſeſſiones & prædia venumdarent; ſed de ipſis poſſeſ- C ſionibus domino conſecrarent. unde qui quaſi ſpecialiter eidem dominorum domino adhærent, & miniſtri ſermonis, & donorum æternæ ſalutis, atque mediatores inter Deum & homines ope fiunt aſſiduæ interceſſionis, vivant; & in omnibus neceſſariis, ſine quibus humana fragilitas non poteſt ſubſiſtere, eis in eleemoſynas eorum, qui eaſdem poſſeſſiones domino conſecrarunt, miniſtretur. ut dum Chriſti pauperes, atque miniſtri eccleſiæ, ex his in præſenti ſubſiſtunt ſæculo, largitores poſſeſſionum de ſua fideli eleemoſyna, ſicut & in baptiſmate, a malo funditus converſi, & cum fide recta perſeverantes in bonis operibus, mundentur a peccato, & efficiantur Chriſto, cui eas devoverant, conſortes in D cælo, ſicut ipſe dicit in evangelio: *Date eleemoſy-* Luc. 11. *nam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* & item: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Quapropter ſicut illi, qui ſeipſos ac divitias & poſſeſſiones ſuas domino fideli mente conſecraverunt, heredes Dei & coheredes Chriſti per prophetas & apoſtolos, & ab ipſo domino appellantur, & fiunt: ita & tales poſſeſſiones atque facultates, domino in ſuis eccleſiis, & in ſpecialibus ſervorum ipſius uſibus conſecratæ, propter fideles Chriſti, qui eis & exinde aluntur, Dei hereditas, cum orbis terrarum & plenitudo ejus ipſius ſit, quaſi ſpecialiter appellan- E tur. Sicut enim, quando omnis domus Iſrael domini hereditas vocabatur, tribus tamen Levi, quaſi decimatio adhuc etiam in lumbis Abrahæ a Deo electa, cum decimis & primitiis, urbibus & ſuburbiis, villabus atque poſſeſſionibus & facultatibus cunctis, ſpecialis domini hereditas, pars, vel aſſumptio dicebatur: ita & iſti, qui clerus, id eſt ſors vel pars domini appellantur, cum omnibus eccleſiis, id eſt divinis ovilibus ad ſe pertinentibus, ſpecialis Chriſti hereditas dicitur & exiſtit: cum omnes credentes ac credituri, tam ex circumciſione, quam qui ex præputio, Chriſti hereditas appellentur, dicente propheta: *Deus*, Pſal. 78.

ve-

ANNO CHRISTI 860.

*venerunt gentes in hereditatem tuam.* & : *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* (*Pſal. 2.*) De quibus quicumque indebite quodam abutitur, ſine ulla dubitatione illa maledictione multatur, & ipſa tenetur obnoxius, quam & cæleſtis & omnis terrena continue domino decantat eccleſia: (*Pſal. 82.*) *Qui dixerunt*, inquiens, *hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Deus meus, pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit ſilvam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, ut quærant nomen tuum domine. Erubeſcant, & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur & pereant, & cognoſcant quia nomen tibi dominus; tu ſolus altiſſimus in omni terra.* Sanctus quoque Anacletus papa, ab ipſo beato Petro apoſtolo presbyter ordinatus, poſtea in ſede Romana ſucceſſor illius factus epiſcopus, cum totius mundi ſacerdotibus judicavit: Qui abſtulerit, inquiens, aliquid patri vel matri, homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creavit: mater vero noſtra eccleſia, quæ in baptiſmo ſpiritaliter regeneravit. Ergo qui Chriſti pecunias & eccleſiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida eſt, atque ut homicida ante conſpectum juſti judicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi ſui iniquitatem operatur: qui autem res eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & ut ſacrilegus judicandus eſt. Item, ſanctus Urbanus papa & martyr: Res & facultates eccleſiaſticæ, oblationes appellantur, quia domino offeruntur, & vota ſunt fidelium, & precia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Sapphiræ, & oportet hujuſmodi tradere ſatanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit in die domini. Item, ſanctus Lucius papa: Rerum eccleſiaſticarum & facultatum raptores, a liminibus ſanctæ eccleſiæ anathematizatos apoſtolica auctoritate pellimus & damnamus, atque ſacrilegos eſſe judicamus. & non ſolum eos, ſed & omnes conſentientes eis: quia non ſolum qui faciunt rei judicantur, ſed etiam qui facientibus conſentiunt. Par enim pœna & agentes & conſentientes comprehendit. A qua pœna conſenſus liberi eſſe non poſſunt illi, quorum miniſterium eſt, & qui talia poſſunt prohibere, comprimere, & emendare, & ea non ſtudent corrigere. Et ſanctus Gregorius in epiſtola ad Sabinum ſubdiaconum: Sacrilegum, inquit, & contra leges eſt, ſi quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis ſtudiis ſuis tentaverit compendiis retinere. Et ſanctus Auguſtinus in ſermone euangelii ſancti Joannis dicit: Fur ſacrilegus loculorum ſacrorum & dominicorum eſt Judas: & qui aliquid de eccleſia furatur & rapit, Judæ perdito comparatur. (*Concil. Tolet. I. can. 11.*) Et item in ſacris canonibus a ſancto Spiritu dictatis, & Chriſti ſanctione confirmatis, ſcriptum eſt: Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperum, aut religioſum exſpoliaverit, & mandaverit ad ipſum epiſcopum, ut eum audiat; ſi contempſerit, invicem nihilominus percurrant per omnes provinciæ epiſcopos & quoſcumque adire potuerit, ut excommunicatus habeatur, donec audiat, & reddat aliena. (*Concil. Agath. Can. 4.*) Et in Agathenſi ſcriptum eſt: Clerici etiam, vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas, retinere præſumpſerint, aut id quod ipſi donaverunt eccleſiis, vel monaſteriis, crediderint auferendum, ſicut ſynodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab eccleſiis excludantur. Unde ſummopere caveant potentiores quique, unuſquiſque in ordine & dignitate ſua, ne præſumant in damnationem ſuam res ſibi eccleſiaſticas, neque fatigent, vel affligant inconſuetis conſuetudinibus Dei eccleſias, & loca ſanctorum: ſcientes quia, ut præmiſimus, res eccleſiaſticæ vota ſunt fidelium, patrimonia pauperum, precia peccatorum; & in tuitione atque defenſione Chriſti conſiſtunt, qui eas terræ principibus atque primoribus ad defendendum & conſervandum, non ad affligendum vel uſurpandum, ſive præſumendum, commiſit. Nam, quæcumque prætendatur a quocumque utilitatis, ſive neceſſitatis occaſio, ille corda omnium conſpicit, qui novit cogitationes hominum, & remunerat actiones, & etiam cogitationes irremuneratas nullatenus derelinquet. Quocirca omnis qui vult ſalvus fieri, & ab æterna morte liberari, & ad æternam vitam pervenire, attentiſſima cordis aure exaudiat quid Spiritus ſanctus per eos locutus eſt, quibus dixit dominus: (*Matth. 28.*) *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* & : (*Matth. 10.*) *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* & : (*Matth. 18.*) *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* & : (*Joan. 20.*) *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* & : (*Luc. 10.*) *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Dicunt enim illi, qui in cælo & in terra miraculis coruſcant, qui & uſque hodie nobiſcum vivunt, & cum ſucceſſoribus noſtris uſque in perpetuum vivent, quoniam apud dominum eſt merces eorum: (*Concil. Gangr. can. 7.*) Si quis oblationes eccleſiæ extra eccleſiam accipere, vel dare voluerit, præter conſcientiam epiſcopi, vel ejus cui hujuſmodi officia commiſſa ſunt, nec cum ejus voluerit agere conſilio, anathema ſit. Anathema autem interpretatur in Romana lingua alienatio: quia omnis talia faciens, quamdiu in illis peccatis manet, licet nos epiſcopi, qui in apoſtolis, & cum apoſtolis, non noſtro merito, ſed gratia divina, ligandi & ſolvendi poteſtatem accepimus, interdum tardi, interdum divini ſenſus ignari, interdum quæ committantur neſcientes, aliquando etiam commiſſa, ut expedit, corrigere non valentes, quæ ſtatuta ſunt exequi diſſimulemus, vel etiam negligamus, ut talem hominem ab eccleſia, & fidelium ſocietate excommunicantes non ſegregemus: jam tamen a ſacris canonibus excommunicatus & prædamnatus eſt, donec peccatum illud deſerat, & per ſatisfactionem eccleſiaſticam, & ſacerdotalem reconciliationem, domini gratiam, & fidelium ſocietatem recipiat. Et quicumque in peccatis ſuis, & talibus ſceleribus implicatus, ante ſatisfactionem neceſſariam, vitam iſtam finierit, communionem & ſocietatem cum electis in regno Dei habere nullatenus poterit; nec de inferni pœnis, & dæmonum ſocietate unquam liberari valebit. (*Ivo P. III. cap. 181.*) Sed ſunt forte tales, qui privilegia de locis & rebus Deo dicatis, ſanctorum manibus confirmata, parvipendentes ſibi, quia volunt, non quia poſſunt, excommunicationes uſurpatoribus rerum & facultatum eccleſiaſticarum a ſanctis domini intentatas alleviant, dicentes ſe pro hoc illata damnatione, id eſt anathematis vinculo, non teneri. De quibus ſanctus Gregorius in epiſtola ad Theoctiſtam patriciam dicit: Ipſi, inquiens, ſibi teſtes ſunt, quia Chriſtiani non ſunt, qui ligamenta ſanctæ eccleſiæ vanis ſe æſtimant conatibus ſolvere; ac per hoc nec abſolutionem ſanctæ eccleſiæ, quam præſtat fidelibus, veram putant, ſi ligaturas ejus valere non æſtimant.



ANNO CHRISTI 860.

Contra quos diutius diſputandum non eſt, quia per omnia deſpiciendi & anathematizandi ſunt: & unde ſe fallere veritatem credunt, inde in peccatis ſuis veraciter ligantur. Si qui ſunt igitur, qui ſub nomine Chriſtiano hæc aut prædicare audent, aut taciti apud ſemetipſos tenere, eos & ego, & omnes catholici epiſcopi, atque univerſa eccleſia, anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt, & contraria loquuntur. Rapinæ quoque, & deprædationes, quæ in iſtis regnis jam ex conſuetudine ſic ab omnibus pæne tenentur, quaſi peccata non ſint, aut quaſi levia peccata ſint, ſanctus Paulus apoſtolus, per quem locutus eſt Chriſtus, & qui antequam mortis debitum ſolveret, ad tertium cælum & paradiſum fuit raptus, ubi ſtuduit ſecreta domini verba, inter mortalia crimina ea poſuit dicens: (*1. Cor. 6.*) *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.* & iterum dicit: (*1. Cor. 5.*) *Si quis fornicator eſt, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumere.* id eſt cum tali non homine, ſed cum tali diabolo, non licet Chriſti diſcipulo, id eſt Chriſtiano homini, ante ſatisfactionem, id eſt correctionem atque emendationem, & dignam pœnitentiam, cibum ſumere. Sanctus quoque Joannes apoſtolus electus & dilectus Chriſti, qui in cœna ſupra pectus ejus recubuit, talem hominem etiam ſalutare vetat: (*2. Joan. 10.*) *Nec Ave ei*, inquiens, *dixeris: neque in domum eum receperis. Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis.* (*1. Tim. 5.*) Et item ſanctus Paulus dicit unicuique Chriſtiano: *Nec communicaveris peccatis alienis.* Et dominus, quando venturus eſt judicare vivos & mortuos, & in adventum ejus omnes homines reſurgent cum corporibus ſuis, & reddent de factis propriis rationem, ſe in judicio dicturum promittit in euangelio, his qui peccata ſua eleemoſynis redimere cum poſſent noluerunt: (*Matth. 25.*) *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Unde cogitandum eſt raptoribus, quo ibunt illi qui aliena rapiunt, ſi in infernum ibunt qui eleemoſynas non fecerunt. Et item dominus per Iſaiam prophetam dicit raptoribus: (*Iſa. 3.*) *Rapina pauperis in domo veſtra.* & : (*Eccl. 35.*) *Lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt: & exclamatio ejus ſuper deducentem eas. a maxilla in cælum coram Deo aſcendunt, & dominus non delectabitur in illis*, ſcilicet viduæ lacrymis, qui pater orphanorum, & defenſor viduarum, queritur contra judices dicens: (*Iſa. 1.*) *Cauſa viduæ non ingreditur ad eos.* Quapropter ſciant raptores, in cujus domo ſive corporis, ſive manſionis, rapina eſt pauperis, quia non habitat in illa domo Spiritus ſanctus, ſed ſpiritus malignus. Et ſi accedit ad communionem corporis & ſanguinis Chriſti ante dignam ſatisfactionem, non mundatur per illam communionem a peccato, ſed plenius poſſidetur a diabolo: ſicut Judas, quando in cœnam dominicam plenus rapina, & iniquitate, & avaritia atque cupiditate, communicare præſumpſit de manu domini ſalvatoris. Et forte tales erunt, cum hæc audierint, qui dicant: Non communicabimus. Sed ſciant, quia ſicut dominus dixit: (*Joan. 3.*) *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum.* ita dixit: (*Joan. 6.*) *Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* & ſicut dixit: (*Marc. 16.*) *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* ita etiam dixit: (*Joan. 6.*) *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die, & non morietur in æternum.* Propterea nullum aliud reſtat ſalutis refugium, niſi ut declinet quiſquis vult ſalvus fieri ab iſtis malis, & ab aliis mortalibus criminibus, & per pœnitentiam reconcilietur Deo, & communicet vivificis myſteriis, ut vivere valeat in æternum. Nihil enim prodeſt ulli homini ſi Chriſtianus vocatur, ſi opera Chriſti, quæ præcepit ipſe Chriſtus, non fecerit. immo etiam magis ad ſuum judicium Chriſtianus vocatur, qui ſub nomine Chriſti idola colit diaboli. Ipſa enim veritas, quæ Deus eſt, proteſtatur, quia qui ſervit mammonæ (ſic enim dæmon divitiarum præpoſitus appellatur) diabolo ſervit, vel idola colit diaboli: qui ſervit luxuriæ, voluntati carnis pro Deo ſervit. unde ſcriptum eſt: (*Philipp. 3.*) *Gloria eorum in confuſione eſt*, id eſt in genitalibus membris, quæ vulgo verecunda appellantur. Deum quippe ſcriptura gloriam appellavit, quæ dicit de Judæis: (*Pſal. 105.*) *Mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fænum.* Sed & de eis, qui gloriantur, quando ſua libidine caſtitatem expugnant, & aliorum toros maculant, hæc quæ ſupra idem dicit apoſtolus: (*Philipp. 3.*) *Gloria in pudendis eorum qui terrena ſapiunt.* & alibi ſcriptura: (*Prov. 2.*) *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Contra quod præcipit ut (*1. Cor. 1.*) *qui gloriatur, in domino glorietur.* Qui ſervit avaritiæ, idola colit, ſicut Paulus dicit: (*Coloſſ. 3.*) *Et avaritiam quæ eſt idolorum ſervitus.* Qui ſervit gulæ & ebrietati, ventrem pro Deo colit. unde item dicit: (*Philipp. 3.*) *Quorum Deus venter eſt.* Quæ ita non utique ad dignitatem dominantium, ſed ab infelicitate famulantium, ſic appellat apoſtolus. Qui fratrem, id eſt, Chriſtianum hominem, injuſte per potentiam opprimit; aut pro acceptione munerum juſtitiam facit, diabolum imitatur, & juſtitiam vendit, quæ Chriſtus eſt, ſicque ſimilis Judæ eſt. Qui veritatem pervertit pro invidia, aut veritatem reticet, aut dicit pro muneribus, diabolum imitatur, & Judæ ſimilis eſt. Et ſic de ceteris vitiis intelligendum eſt. & cui vitio quiſque ſervit, illi diabolo ſubjectus eſt, qui eidem vitio præpoſitus eſt, & cum eo ſine fine torquebitur, niſi digne antea pœnituerit. Et ne principes terræ, vel quilibet Chriſtiani, dicant: Epiſcopis, presbyteris & monachis ſtrictiora præcepta dedit Deus; nos qui homines laici, & ſæculares ſumus, hæc omnia attendere non valemus: audiant quid dominus in euangelio dicat: (*Joan. 8.*) *Qui eſt ex Deo, verba Dei audit. propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Et qui non eſt ex Deo, certum eſt quia ex diaboli parte eſt. Et quid lucrabitur, ſi etiam totum mundum habuerit, & animæ ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Idcirco quicumque eſt homo, audiat dicentem ſibi dominum per prophetam: (*Mich. 6.*) *Indicabo tibi homo quid ſit bonum: Facere judicium & juſtitiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Hæc fratres & filii, in quocumque ordine, & dignitate ſit quiſque Chriſtianus, ad vos ex domino mandata dirigimus, qui de omnibus hominibus dicit omni epiſcopo: (*Ezech. 33.*) *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me.* Ex me, inquit, & non: Ex te. Propterea hæc ſicut domini mandata ſuſcipite: cujus potentiæ non poteſtis, & cujus voluntati atque mandato non debetis reſiſtere, ſi non vultis ut veſtri proprii inimici ſaluti veſtræ obſiſtere. Nos autem talia vobis tacere nec poſſumus, nec audemus, quibus dominus per prophetam dicit, quod ſi non annuntiaverimus vobis, ſanguinem veſtrum de manu

noſtra

noſtra requiret. Et ab illis patribus, & prædeceſſoribus noſtris, quorum vices tenemus in terris, coram domino degradamur in cælis, ſi non exequimur, quæ illi ſtatuerunt regulis divinitus inſpiratis. Quapropter ſi vos ab his unde commonemini quantocius non correxeritis, ſicut illi in cælo, & nos in terra, una cum apoſtolicæ ſedis præſule, & omni ſacerdotum unanimitate, vos a Chriſti & fidelium ejus conſortio ſegregabimus. Quod ne nos agere compellatis, vos pro Chriſto & veſtra ſalute obnixius deprecamur. Vos autem ſi mandatis dominicis obedire ſtudueritis, & veſtram ſalutem, præſentem ſcilicet & futuram agetis; & gloria atque corona noſtra coram Deo eritis, qui de vobis reddemus illi in die judicii rationem: ſicut & vos de vobis ipſis, & de omnibus vobis commiſſis rationem eſtis ſine dubio redditùri. Et ideo multo ſtudio ſatagite, ut in illa tremenda die ab iniquorum conſortio ſegregati ſitis. quod tunc erit ſi modo a diabolicis & malis operibus, atque a perverſis hominibus vos ſeparaveritis: vindicantes contra diabolum, & vitia atque peccata, honorem veſtrum, qui homines ad Dei imaginem facti eſtis. Ad hoc enim, ſicut ſcriptum eſt, ut Deum timeat, & mandata ejus cuſtodiat, factus eſt omnis homo, propter quem factus eſt Deus homo, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

## EPISTOLA HINCMARI ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS, ſynodi ejuſdem juſſu & auctoritate ſcripta ad Rodulfum Bituricenſem, & Frotarium Burdigalenſem, metropolitanos Aquitaniæ.

De nuptiis Stephani, & filiæ Regimundi comitis.

*Hincmarus nomine, non merito, Rhemorum archiepiſcopus, ac plebis Dei famulus, reverentiſſimo Bituricenſium archiepiſcopo & cariſſimo fratri Rodulfo, & Frotario fratri & honorabili Burdigalenſium archiepiſcopo, cum omnibus provinciarum veſtrarum epiſcopis venerabilibus, plurimam optat in ſalvatore ſalutem.*

NUper ſynodo epiſcoporum XIV. provinciarum, Lugdunenſium videlicet, Rothomagenſium, Turonenſium, Senonum, Viennenſium, Arelatenſium, Veſontionenſium, Moguntinenſium, Agrippinenſium, Trevirorum, Rhemorum, Bituricenſium, Burdigalenſium, Narbonenſium, apud Tuſiacum villam Tullenſis parochiæ, anno incarnationis dominicæ DCCCLX. indictione IX. menſe Novembrio habita, delatæ ſunt litteræ querelam Regimundi comitis adverſus Stephanum depromentes quia videlicet idem Regimundus filiam ſuam præfato Stephano legaliter ad conjugii copulam dederit: ſed ipſe non illa utatur ut conjuge, eo quod, ut fatetur, cum aliqua ejuſdem puellæ propinqua quondam carnali commercio ſe miſcuerit: ſed cum qua, vel quam proxima affinitate conjuncta, indicare non velit. Hic litterarum ſenſus, ſi rite rememor, quarum verba non teneo, conſtitit in ſynodo recitatus. Unde liquet talis accuſatio non mereretur ſynodaliter obtinere ſponſum, quia nemo quemquam per ſcripturam abſens poteſt regulariter accuſare, & ſi legaliter filiam ſuam alteri nuptum tradidit, eam a ſua poteſtate dimiſit: pro qua ex hoc negotio, quod forte utrum ita an non ſit latere poterat, aut aliter quam ſit dictum interpretari, illum cui eam tradidit canonice accuſare non poterat. Qua de re accuſationem, ſive interpellationem adverſus maritum ſuum, ſi neceſſitas poſtulat, uxor debet conſerere, conſilium autem pater debet pro illa exinde quærere, vel correctionem viri ejus, ſuadendo, vel ſuggerendo modis quibus potuerit, & ipſe agere ſatis. Sed quoniam hæc ratio per tres circiter annos a plurimis ventilatur: & ambo viri nobiles & illuſtres, & juxta ſæculi dignitatem potentes, ſi inter ſe hinc diutius diſſident, maximum ſcandalum in eccleſia, & detrimentum in regno ob hoc accidere poterit. & quia iſdem Stephanus ibidem in domni regis erat obſequio; viſum eſt ſynodo, ut eum accerſeret, & quid de his diceret, per ipſum reſcire curaret. Vocato autem ut hæc relata fuere, poſt quædam ſuæ reſponſionis obloquia, petiit ut tantummodo cum epiſcopis ſibi loqui liceret. Et recedentibus aliis, quæ ſibi viſa fuerunt epiſcopis intimavit. Cum inter cetera dixerunt epiſcopi, quia de talibus, ex quibus Regimundi locutæ ſunt litteræ, & quæ per omnium pæne ora in regnis plurimis ventilentur, ei non ſecretum dare conſilium, neque privatum decernere poſſent judicium. Quapropter & ipſe, quod hinc apud ſe erat, in omnium dixit velle venire notitiam, & neceſſarium obtinere conſilium, & ſalubre ſibi decerni judicium: velle tamen prius, ut ſynodus patienter ejus audiret ſententiam, & tunc demum ſibi donaret conſilium, & promulgaret judicium. Et ut perſonam illius inducamus loquentem: Ut aſſolet, inquiens Stephanus, in fragili juventutis ætate cum quadam femina juvene mihi convenit. Sed & quando tempus mihi advenit, ut more prædeceſſorum meorum legitimum conjugium peterem, una cum conſenſu parentum & amicorum meorum, ipſius Regimundi, ut nobilis viri, filiam meis natalibus competentem apud eum in conjugem legaliter petii, & obtentam legaliter deſponſavi. In me autem reverſus, & ſciens quid fecerim, ad confeſſorem meum perrexi, & conſilium ejus quæſivi: ut quoniam juvenis femina, cum qua carnali commercio mixtus fueram, propinqua iſtius puellæ extitit, & audieram quod a quarto genu, & in reliquum pertinentes ſibi copulari non valerent, utrum cum hac deſponſata mihi puella ſub pœnitentia occulte manens, ſine mea & ipſius æterna damnatione, in connubio illam mihi potuiſſem conjungere. Qui oſtendit mihi librum, quem ut ſpero canones appellavit, & legit coram me, quoniam quamdiu poteſt affinitatis propinquitas computari, mihi, nec cuiquam Chriſtiano, cum cognata ſua, vel quam cognatus habuit, vel cum duabus cognatis ſalubriter liceret conjungi. & quamdiu in tali inceſtu maneremus, nec ego, nec illa, fructuoſam pœnitentiam agere poſſemus; neque talis inceſtus, niſi ſeparatione noſtra ab invicem ſanari valeret. Interea accidit diſcordia inter domnum regem ſeniorem meum, & meam juventutem, in tantum ut in illo regno ſolide non poſſem ſubſiſtere. Propterea ex utraque parte conſtrictus, nec frangere deſponſalia potui, nec eamdem ſponſam meam in conjugem ducere auſus fui: ne cum diſcordia ſenioris mei, etiam ipſius Regimundi, & nobilium parentum ejus, accumularetur diſcordia; & ſic aut de regno funditus pellerer, aut ſi in regno manere vellem, occumberem. Et idcirco per duo placita ſubterfugi, ne ſponſam meam in conjugem ducerem; Tandem autem neceſſitate compulſus, quia cauſa mihi de vita inſtabat, dotavi eam; & publicis nuptiis honoratam accepi. Sed ne illam, quæ adhuc ſana erat, mecum perderem, & mihi cumulatius



latius perditionem acquirerem, intactam hactenus conſervare diſpoſui. Et quoniam ita ſe rationis veritas per omnia habeat, & non dolo, neque odio, ſive deſpectu alicujus, aut amore feminæ alterius, niſi ſicut vobis modo Deo teſte narravi, hoc egerim: qualicumque modo vobis placet, per meipſum, & per parentes atque amicos, ſeu fideles meos, hoc vobis verum eſſe ſacramento, vel alio quolibet conveniente modo demonſtrabo: & ſi vultis ac quæritis, quantoſcumque ſervos meos decernitis inde in judicium mitto. & quale conſilium mihi inde ſecundum Deum ad meam ſalutem, & ſecundum ſæculum ad competentem honorem, & ad pacificationem Regimundi, & ad ſalvamentum & honorem ipſius puellæ dederitis, paratus ſum in omnibus, quibus valuero, obedire. Auditum autem eum ſynodus juſſit ſecedere. & dicentibus ſingulis, prout cuique viſum fuit, decretum eſt, ut vos comprovinciales archiepiſcopi, cum coepiſcopis veſtris, in regni illius convenienti loco, & tempore ſynodum condicatis, & placitum fiat, ubi princeps cum primoribus terræ interſit: ne, quod abſit, ex utraque parte, cum parentum & amicorum auxilio, illuſtres iſti viri convenientes, operante diabolo ſeditioſus valeat exoriri tumultus. Et hanc cauſam rex, cum viris nobilibus, inter viros nobiles pacificare procuret. Vos autem epiſcopali auctoritate, & canonica diffinitione eam dirimere, & ad debitum atque ſalubrem terminum ſtudeatis perducere. Revocato autem Stephano, conditio iſta illi propoſita, & ab eo eſt gratiſſime accepta. Hujus autem rei modum, & ordinem diffinitionis, quoniam puſillitas intelligentiunculæ meæ, quid exinde ſentiret, juſſa ſynodo ſuggerere ſtuduit, communi conſenſu ſanctæ unanimitati complacuit, ut ea litteris commendaret, & ſapientiæ veſtræ, ſicut tunc fuerunt in concilio acceptata, tranſmitteret. Et idcirco non quaſi neſcientibus hæc quæ ſequuntur vobis neceſſaria, nec ut arrogans auctoritatem ſpecialis ſcientiæ, vel jactans diffinitionis audaciam, ſed ut eccleſiæ ac veſter omnium videlicet ſervorum domini ſervus, & plebis dominicæ famulus, quamquam non ut debui, tamen ut potui, devotionis obedientia colligere, & collecta vobis tranſmittere procuravi. In quibus nihil de civili judicio, cujus cognitores non debemus eſſe epiſcopi, ponere, ſed quæ eccleſiaſticæ definitioni noſcuntur competere, quantum occurrit memoriæ, breviter ſtudui annotare. Ordinem judicii de nondum ſponte confeſſis, vel aperte convictis, quoniam aliter nemo, ut Leo papa decernit, poteſt regulariter judicari, ſanctus Gregorius in commonitorio ad Joannem defenſorem demonſtrat dicens: Primum ut judicium ordinabiliter fiat, quatenus ſint alii accuſatores, & alii teſtes: deinde ut cauſarum qualitas, ſi digna exilio, vel condemnatione ſit, exploretur: & præſente eo qui accuſatur, ſub jurejurando contra eum teſtimonium proferatur, & ſcriptis actuum inſeratur: & accuſatus licentiam reſpondendi & defendendi ſe habeat: Sed & de perſonis accuſantium & teſtificantium ſubtiliter eſt quærendum, cujus conditionis, cujuſve opinionis, aut ne inopes ſint, aut ne forte aliquas contra accuſatum inimicitias habeant: & utrum teſtimonium ex auditu dixerint, aut certe ſpecialiter ſe ſcire teſtati ſint: & ut ſcriptis judicata partibus præſentibus ſententia recitetur, & ſic omnia ſolenniter roborentur. De manifeſta autem, & nota plurimis cauſa, vel quæ ita confitetur ut iſta, ſi tamen ita & puella dixerit, ut Stephanus profitetur, quia ſæpe inter maſculos audimus & feminas, quia quod alter dicit, alter ſæpenumero denegat: non ſunt quærendi teſtes, ut ſanctus Ambroſius in epiſtolam ad Corinthios dicit, de fornicatore exponens ſententiam apoſtoli: Judicis, inquit, non eſt, ſine accuſatore damnare: quia & dominus Judam, cum fur eſſet, quia non eſt accuſatus, minime abjecit, cognito opere iſto pellendum illum fuiſſe de cœtu fraternitatis: omnes enim crimen ejus ſciebant, & non arguebant. Publice enim novercam ſuam loco uxoris habebat. in qua re neque teſtibus opus erat, neque tergiverſatione aliqua poterat tegi crimen. Et paulo poſt. Abſens facie præſens autem auctoritate ſpiritus, qui nuſquam abeſt, jam judicavi ut præſens eum qui hoc admiſit. Quapropter neceſſe eſt, ut Stephanus puellam adducat ad ſynodum, & pater ipſius puellæ veniat, & interrogetur puella, ſi verum eſt quod Stephanus dicit, ſe illam hactenus ſervaſſe intactam. Et quoniam de altera femina audivimus, quia volens liberari a conjuge, perſuaſa ſuper ſe aliqua quæ non erant, ut fertur, jam dixerit: debita ei libertas tribuatur, & periculum indicetur, ne perſuaſa pro veritate mendacium fateatur. Et ſi dixerit ita ut Stephanus, tunc ſi neceſſe fuerit, credulitas rationi & auctoritati conveniens ſacramento exinde ſuſcipiatur, vel per convenientem perſonam ſatisfactio, ſi ita neceſſitas exigit, judicio expetatur, quia non pro dolo, neque pro alia qualibet cauſa, Stephanus ſe a carnali copula puellæ hujus ſubtraxerit, niſi pro ea quam ipſe ſynodo indicavit: videlicet quia cum puellæ ſibi deſponſatæ conſanguinea, & carnis cognatione propinqua, carnaliter concubuerit. Hoc enim ſanctus Leo papa, & beatus Gregorius in re dubia a preſbytero, vel a quolibet tam viro quam femina, nobili vel ignobili, per ſacramentum fieri manifeſte decernunt, ſicut qui legere voluerit invenire valebit. inter cetera dicente beato juniore Gregorio in epiſtola per Denualdum presbyterum directa ad Bonifacium Moguntinum epiſcopum: In cauſa, inquiens, in qua certi non fuerint teſtes, qui criminis illati approbent veritatem, jusjurandum erit in medio, & illum teſtem proferat accuſatus de innocentiæ ſuæ puritate, cui nuda & aperta ſunt omnia, habeatque conſcientiæ ſuæ teſtem, quem habebit & judicem. Quæ ſacramenti purgatio, & in eccleſiaſticis, & in exteris legibus uſitatiſſima, & de fidei veritate etiam a primis ſæculis eſſe conſtat exorta. Judicium autem, non niſi pro pacis caritatiſque concordia, inter coæquales fieri ſolet: fit autem a ſubjectis ad ſatisfactionem majorum. quod in hac cauſa niſi ex placito fiat, non poteſt ex auctoritate requiri. Hinc autem cognita veritate, quoniam dictum eſt nobis, requiri a Stephano, ut feminam deſignet ex nomine, & certam propinquitatis affinitatem demonſtret, pro cujus concubitu huic puellæ ſe non valet ſalubriter carnali copula commiſcere: quia contra rationem & auctoritatem eccleſiaſticam, & Chriſtianæ devotionis morem, ab eo quæritur, ſi forte ab eo quæritur, quæ ex hoc apoſtolica decrevit auctoritas, & catholica tenet eccleſia, hic ponere dignum duximus: Leo univerſis epiſcopis per Campaniam, Samnium, & Picenum, atque univerſas provincias ſalutem. Magna indignatione commoveor, & dolore multo contriſtor, quod quoſdam ex vobis comperi, apoſtolicæ traditionis oblitos, & ſtudio ſui erroris intentos. Et poſt aliquanta: De pœnitentia ſcilicet, quæ a fidelibus poſtulatur, ne de

ANNO CHRISTI 860.

de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudibilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poſcunt non timeant publicare, removeatur improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pœnitentis. Et quoniam qualiter debeat iniri conjugium, & vetus & nova lex edocet, domino per Moyſem præcipiente, & evangelio demonſtrante: [Matth. 1.] *Cum eſſet*, inquit, *deſponſata mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent*, id eſt antequam nuptiali celebratione convenirent, ſicut in nuptiis celebratis idem oſtendit, quas ſua præſentia ſanctificare, & miraculo ibidem patrato illuſtrare dignatus eſt. Sed & ſanctus Evariſtus, quartus a beato Petro Romanæ ſedis epiſcopus, & ſanctus Siricius, & beatus Leo, atque ceteri quique doctores oſtendunt. quæ omnia hic ponere propter pluralitatem & longitudinem devitamus. Tantum dicere neceſſarium duximus, & inter æquales legitima fiunt conjugia, cum a parentibus, quorum intereſt, petita, & legaliter deſponſata, & dotata, & publicis nuptiis honorata femina conjugii copulæ ſociatur, & ex duobus unum corpus unaque caro efficitur, ſicut ſcriptum eſt: [Gen. 2. Matth. 19.] *Erunt duo in carne una*. jam non duo, ſed una ſunt caro. &: *Quod Deus junxit, homo non ſeparet*. De qua conjunctione magnus Leo papa ad Narbonenſem ſcribit epiſcopum: Non omnis, inquiens, mulier viro juncta uxor eſt viri, quia nec omnis filius heres eſt patris: Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales. Et paulo poſt: Unde cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem, haberet in ſe Chriſti & eccleſiæ ſacramentum; dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium. Et nos e regione hinc etiam oſtendere poſſumus, quia non omnes nuptiæ conjugalem copulam faciunt, quas non ſequitur commixtio ſexuum: ſicut nec ſemper illius eſt filius omnis & heres, cujus eſſe noſcitur heres. Nec habent nuptiæ in ſe Chriſti & eccleſiæ ſacramentum, ſicut beatus Auguſtinus dicit, ſi ſe nuptialiter non utuntur, id eſt, ſi eas non ſubſequitur commixtio ſexuum. Nec pertinere poterit illa mulier ad matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe commixtio ſexuum: ſicut dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium. Quod ita eſſe præfatus Leo demonſtrat dicens: Unde cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem haberet in ſe Chriſti & eccleſiæ ſacramentum. Et item idem: Igitur, inquiens, qui filiam ſuam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi eam conjugato dederit: niſi forte illa mulier & ingenua facta, & legitime dotata, & publicis nuptiis honeſtata videatur: Paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, ſi mulieres, quæ a viris habebantur, in matrimonio non fuerunt. Quibus ſententiis evidenter oſtendit, quia tunc eſt vera legitimi conjugii copula, quando inter ingenuos, & inter æquales fit, & paterno arbitrio viro mulier juncta, legitime dotata, & publicis nuptiis honeſtata, ſexuum commixtione conjungitur. Et tunc habent nuptiæ in ſe Chriſti & eccleſiæ ſacramentum, & tunc pertinere noſcitur mulier illa ad matrimonium, in qua & ſexuum commixtio, & nuptiale docetur fuiſſe myſterium. De quo myſterio Paulus apoſtolus ad Epheſios dicit: [Epheſ. 5.] *Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus eccleſiam. quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt. ego autem dico in Chriſto & in eccleſia.* Hinc ſanctus Ambroſius myſterii ſacramentum grande in unitate viri ac feminæ eſſe ſignificat. nec hoc tantum prodit, ſed aliam cauſam, quæ non diſcordet a memorato myſterio, flagitat, quam ſcit ad profectum humani generis pertinere, hoc eſt eccleſiæ & ſalvatoris. ut ſicut relictis parentibus homo uxori ſuæ adhæret, ita & relicto omni errore eccleſia adhæreat, & ſubjiciatur capiti ſuo, quod eſt Chriſtus. Quoniam una natura in viro & femina eſt: idcirco vir quaſi ſeipſum & mulierem diligere commonetur. Naturali ratione mulier portio corporis viri eſt: ac per hoc vir in muliere ſeipſum diligit. quomodo ſi fornicetur in ſeipſum peccat: quia duo in carne una ſunt. Non ergo perſonæ ſubſtantiam dividunt, ut per perſonas numerus fiat naturæ; ſed ſunt in unitate naturæ. Et S. Auguſtinus in libro de nuptiis & concupiſcentia dicit: Sane non tantum fecunditas, cujus fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cujus vinculum fides eſt, verum etiam quoddam ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis. unde dicit apoſtolus: [Epheſ. 5.] *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam*. Hujus procul dubio ſacramenti res eſt, ut mas & femina connubio copulati, quamdiu vivant, inſeparabiliter conjuncti perſeverent: nec liceat, excepta cauſa fornicationis, conjugem a conjuge dirimi. Hoc enim cuſtoditur in Chriſto & in eccleſia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio ſeparetur in civitate domini noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt in eccleſia catholica. Et ſanctus Gregorius in epiſtola ad Theoctiſtam patriciam dicit: Per ſe enim veritas dicit: [Matth. 19.] *Quod dominus junxit, homo non ſeparet*. quæ etiam ait: *Non licet dimittere uxorem excepta cauſa fornicationis*. Scimus enim quia ſcriptum eſt: [Geneſ. 2.] *Erunt duo in carne una*. Si igitur vir & uxor una caro ſunt, & religionis cauſa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel fortaſſe ad illicita migrantem, quæ eſt iſta converſio, in qua una eademque caro ex parte tranſit ad continentiam, & ex parte manet in pollutione? Si vero utriſque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accuſare? quando certum eſt, quia omnipotens dominus, qui minora conceſſit, majora non prohibuit. Et poſt aliquanta: Si vero continentiam, quam vir appetit, uxor non ſequitur; aut quam uxor appetit, vir recuſat, dividi conjugium non licet: quia ſcriptum eſt: [1. Cor. 6.] *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier*. Et in epiſtola ad Hadrianum



ANNO CHRISTI 860.

num Panormitanum: Nam, inquit, excepta fornicationis cauſa, virum uxorem relinquere, divina lex nulla ratione concedit: quia poſtquam copulatione conjugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non poteſt ex parte converti, & ex parte in ſæculo remanere. Et ſanctus Auguſtinus in libro de bono conjugii: Ad hoc enim nuptiæ ſunt, ut illa concupiſcentia, redacta ad legitimum vinculum, non deformis & diſſoluta fluitaret, habens de ſeipſa irrefrenabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indiſſolubilem fidei ſocietatem: de ſeipſa progreſſum immoderate coeundi, de nuptiis modum caſte procreandi. Debent ergo ſibi conjugati, non ſolum ipſius ſexus ſui commiſcendi fidem, liberorum procreandorum cauſa, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas: verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo ſervitutem: ut etſi alteri eorum perpetua continentia placeat, niſi ex alterius conſenſu, continere non poſſit. Ad hoc enim uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ut & quod non filiorum procreandorum, ſed infirmitatis & incontinentiæ cauſa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa de marito, non ſibi alterutrum negent; ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante ſatana, propter incontinentiam vel amborum, vel cujuſquam eorum. Et item in eodem libro: Generationis itaque cauſa fieri nuptias apoſtolus ita teſtis eſt: [1. Tim. 5.] *Volo*, inquit, *juniores nubere*: & quaſi ei diceretur, Ut quid? continuo ſubjecit: *Filios procreare, matres familias eſſe*, ad fidem caſtitatis illud pertinere: [1. Cor. 6.] *Uxor autem non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier*, ad ſacramenti ſanctitatem. & illud: [1. Cor. 7.] *Uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* & : *Vir uxorem ne dimittat*. Hæc omnia bona ſunt, propter quæ nuptiæ bonæ ſunt, proles, fides, ſacramentum. Et in libro de nuptiis & de concupiſcentia: In nuptiis tamen bona nuptibilia diligantur, proles, fides, ſacramentum: ſed proles, non ut naſcantur tantum, verum etiam ut renaſcantur. Naſcitur namque ad pœnam, niſi renaſcatur ad vitam. fides autem, non qualem habent inter ſe etiam infideles zelantes carnem: quis enim vir, quamlibet impius, vult adulteram uxorem? aut quæ mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc enim in connubio bonum naturale eſt quidem, carnale tamen. ſed membrum Chriſtiani conjugis adultero conjugi debet timere, non ſibi, & a Chriſto ſperare fides præmium quod libet conjugi. Sacramentum vero, quod nec ſeparati & adulterati amittunt conjuges, concorditer caſteque cuſtodiant. Solum eſt enim, quod etiam ſterile conjugium tenet jura pietatis, jam ſpe fecunditatis amiſſa, propter quam fuerat copulatum. Hæc bona nuptialia laudet in nuptiis: qui laudare vult nuptias. Et in Geneſi ad litteram, Quod bonum habent nuptiæ, & quod bonæ ſunt nuptiæ, peccatum eſſe nunquam poteſt. Hoc autem tripertitum eſt, fides, proles, ſacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera, vel altero concumbatur: in prole, ut amanter ſuſcipiatur, benigne nutriatur, religioſe educetur: in ſacramento, ut conjugium non ſeparetur, & dimiſſus, aut dimiſſa, nec cauſa prolis alteri conjungatur. Hæc eſt tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fecunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Nunc cum his quæ ſancti doctores dicunt de nuptiis, conferamus Stephani nuptias, non habentes amorem prolis, ſed neceſſitatem vitandi exilii, ſive mortis: non habentes ſervandæ conjugalis caſtitatis fidem, ſed incurrendi inceſtus mortiferi non parvipendendum timorem: non habentes incorporationis unitate Chriſti & eccleſiæ ſacramentum, ſed ſuperducentes turpitudini velamentum: totumque quod in eis eſt actum, figmentum ſimulationis fuit, non veritas. Quæ nuptiæ, licet inter ingenuos & inter æquales, paterno arbitrio deſponſationem atque dotationem præcedente, fuerunt celebratæ, etiamſi jam ſexuum commixtio eas ſubſequeretur, legitimam conjugii copulam obtinere non poſſent, nec ratum conjugium ſtabilire valerent, quin potius irrita omnia fierent: quoniam non ſine ſeparatione, propter inceſtus crimen, quod habere non poteſt Chriſti & eccleſiæ ſacramentum, vulnera quæ concumbentes inflicta ſuſciperent, medicamento pœnitentiæ in eis ſanari non valerent, ſicut ſubſequentes orthodoxorum & eccleſiæ magiſtrorum ſententiæ demonſtrabunt. Quapropter tales non myſticæ, neque legales in oculis Dei ſunt nuptiæ. Quia ſi per Stephani & puellæ, non ante Deum legaliter ductæ, ſed magis abductæ, coitum carnalis commixtionis ex his duobus unum corpus efficeretur, non ſecundum nuptiale bonum, ſed ſecundum inceſtale malum, propter inceſtum Stephani unum corpus efficerent, ſicut ſcriptum eſt: [1. Cor. 6.] *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*. Et ſic puella ab inceſtu ſana, per coitum juncta Stephano, inceſtuoſi caro fieret: & Stephanus illi junctus, ſicut antea fornicator, ita & poſt conjunctionem illius, quoniam cum propinqua ejus concubuit, quod nondum erat, inceſtuoſus exiſteret. Et propterea ſaniore conſilio, & puellæ ſanitati, quæ necdum infirmata erat, intactam eam ſervans providit, & ſe, ne gravius offenderet, cautius ſecundum Deum juxta quod res conjacuit cuſtodivit. Quia ſicut ſacri canones dicunt, tale connubium, vel potius adulterium, ſine ſeparatione ſanari non poterat, ſi carnaliter miſcerentur. Unde ibidem ſcriptum eſt: [Concil. Epaon. can. 30.] De inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtuoſos vero nullo conjugii nomine cenſemus deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt. Et S. Gregorius in epiſtola ad Felicem Sicilienſem epiſcopum, quem audierat perverſe interpretari quod B. Gregorius Auguſtino Anglorum epiſcopo conſilium ſecundum indulgentiam de Paganis a quarto genu, & in reliquum, ne a fide refugerent, dederat, quodque ipſi venerando papæ ſuggeſſerat, ad eumdem Felicem reſcribens dicit: Progeniem, inquiens, ſuam unumquemque, de his qui fideliter edocti, & jam firma radice plantati ſtant inconvulſi, uſque ad ſeptimam obſervare decernimus generationem, & quamdiu ſe agnoſcunt affinitate propinquos, ad hujuſmodi copulæ non accedere ſocietatem: nec eam, quam aliquis ex propria conſanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli profecto Chriſtianorum licet, vel licebit: quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis domino, & cunctis fidelibus: inceſtuoſos vero nullo conjugii nomine deputandos a ſanctis patribus dudum legimus conſtitutum. Nec hoc quoque in hac ſolicitudinis parte relinquimus, quod homines inceſtuoſi a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſunt ſeparandi, uſquequo per ſatisfactionem precibus ſacerdotum eidem ſanctæ eccleſiæ catholicæ reconcilientur. Et in edicto canonico ante corpus beati Petri prolato: Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema

ANNO CHRISTI 860.

ma ſit. Et reſponderunt omnes tertio, anathema ſit. Et non dubium eſt huic anathematiſmo nuptias Stephani ſubjacere debuiſſe, ſi cum iſta concumberet, qui ſe cum cognata ejus concubuiſſe fatetur. Et item in canonibus ſcriptum eſt: (Conc. Verd. can. 4.) De his qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit, ut quouſque in ipſo deteſtando & illicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad miſſam tantum catechumenorum in eccleſia admittantur: cum quibus etiam, nec cibum ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut apoſtolus juſſit, oportet. Et hinc plura ex canonibus potuiſſemus congerere, ſi inceſtu intercedente quod Stephanus devitavit, ſe & uxorem ſuam propter hoc neceſſe fuiſſet disjungere. Nunc autem, ne nuptiali ſimulationi ſuperaddatur inceſtus, quoniam oportet eos, & coram divinis, & coram humanis oculis legaliter ac rationabiliter disjungi, qui non legaliter in divina juſtitia viſi fuere conjuncti; talia ſanctorum patrum donemus teſtimonia, quæ ad agendam cauſam ſint manifeſtiſſime pertinentia. S. Ambroſius in epiſtolam ad Corinthios dicit: Non eſt enim frater, aut ſoror, ſervituti ſubjectus in ejuſmodi. hoc eſt, non debet reverentiam conjugii, ei qui horruit auctorem conjugii. Non enim ratum eſt matrimonium quod ſine domini devotione eſt. Et S. Hieronymus in tertio libro commenti epiſtolæ Pauli ad Epheſios: Quomodo itaque Chriſto ſubjecta eſt eccleſia, ſic ſubjecta ſit uxor viro ſuo. Quem enim habet principatum & ſubjectionem Chriſtus & eccleſia, huic eidem ordini maritus & uxor aſtringitur. Sed videndum, ut quomodo in Chriſto & in eccleſia ſancta conjunctio eſt, ita & in viro & in muliere ſancta ſit copula. Sicut autem non omnis congregatio hæreticorum Chriſti eccleſia dici poteſt, nec caput eorum Chriſtus eſt; ſic non omne matrimonium, quod non viro ſuo ſecundum Chriſti præcepta conjungitur, rite conjugium appellari poteſt, ſed magis adulterium. De quibus ita ſacri definiunt canones: Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt incundi melioris conjugii libertatem. Et in ſynodo apud Liptinas[*] habita, cui ſub Carlomanno principe Georgius epiſcopus, & Joannes ſaccellarius, ac ſanctus Bonifacius, ex præcepto Zachariæ papæ præſederunt, legitur, ut ſi vir mulieri deſponſatæ, dotatæ, ac publicis nuptiis ductæ ſecundum apoſtolum debitum conjugale non potuerit reddere, & hoc aut amborum confeſſione, aut certa qualibet approbatione fuerit manifeſtum, ut ſeparentur, & mulier, ſi ſe continere nequiverit, alteri viro legaliter nubat. Videlicet, quia ſecundum diffinitionem ſancti Leonis papæ, & traditionem doctorum ſuperius demonſtratam, dubium non eſt, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua conjunctione ſexuum non docetur Chriſti & eccleſiæ ſacramentum, hoc eſt nuptiale fuiſſe myſterium. Multo magis autem hujuſmodi, de quo agitur, ſeparato conjugio, aliam legaliter adire licebit copulam, cui concubitum non contradixit impotentia carnis, ſed reverentia mentis. In copula [illegible] conjugali, in qua deſponſatione, dotatione, & nuptiarum ſacramento, corporis ſcilicet, unitate, Chriſti & eccleſiæ docetur fuiſſe myſterium, niſi morte conjugis intercedente, conjugii non poterit ſolutio; ſicut [illegible] euangelica & apoſtolica teſtatur auctoritas, & omnium catholicorum doctorum chorus. Et beatus Auguſtinus in libro de adulterinis conjugiis dicit: Quoniam ſi vel pro intolerabili ac diuturna infirmitate concubitum vir exercere, aut femina ſuſtinere nequiverit, nec

[*] Anno Christi 743.

A etiam pro ſterilitate, ſeu religionis continentia, aut pro alia qualibet excepta fornicationis cauſa, vir & uxor, legaliter & carnali commixtione conjuncti, ſeparari valebunt. Quapropter hanc legem a domino audientes diſcipuli dixerunt: (Matth. 19.) *Si hæc cauſa ita cum uxore habetur, non expedit nubere.* Non tamen pro hoc dominus ſuam mutavit ſententiam. Unde & Leo ad Nicetam Aquilejenſem epiſcopum ſcripſit, ut ſi per bellicam cladem, & graviſſimos hoſtilitatis incurſus, ita quædam fuerint diviſa conjugia, ut abductis in captivitatem viris, feminæ eorum remanſerint deſtitutæ, quæ viros proprios, aut interemptos putaverint, aut nunquam a dominatione hoſtium crediderint liberandos, in aliorum conjugum B amplexus ſolitudine cogente tranſierint, quia a domino ſcriptum eſt: (Matth. 19.) *Jungitur mulier viro*, &: *Quod Deus junxit, homo non ſeparet*, ſi reverſi, vel raptæ reverſæ fuerint conjuges, legitima fœdera nuptiarum redintegranda perdocuit. Nec tamen tamquam pervaſorem quemquam judicari, qui perſonam ejus mariti vel uxoris, qui vel quæ jam non æſtimabatur, aſſumpſit: ſed inculpabile judicandum quod neceſſitas intulit, & reſtituendum quod fides popoſcit. Mulieres autem, vel viros, poſteriorum virorum vel uxorum delectatione captos, & ad priorum conjugum amorem redire nolentes, communione privari decrevit. Et quia eccleſiaſticæ regulæ de his etiam definitionis ſententiam proferunt, qui C ſponſalitiorum fidem infringunt, videtur nobis, non ſecundum auctoritatem promendo, ſed conſilium, ſi forte vobis ita viſum fuerit, dando, ut quia Stephanus, ſi ſponſalitiorum fidem fregiſſet, ſecundum legem civilem multam eorumdem ſponſalitiorum judicaretur componere: & ipſa puella, poſt deſponſalitia dotem acceptam, quam de ſeipſa, ſi carnaliter jungeretur, mercari debuerat, ut eamdem dotem habere non debeat, non ipſa, ſed Stephanus, ut videtur, commiſit; habeat loco multæ ſponſalitiorum dotem a Stephano ſibi datam, & cum eadem dote patri reſtituatur, & nubat parentum conſilio cui vult, tantum in domino, ſitque pax inter parentes ejus & Stephanum. Et ne quis argute his D quæ poſuimus volens reſiſtere dicat: Si dos manebit, & deſponſalitia, atque celebratæ nuptiæ non negantur, quomodo eſſe poterit, ut & Stephanus maritus, & illa uxor non maneant? aut quomodo ille alteri feminæ, & illa alteri viro ſe ſine adulterio conjungere poterunt? præſertim cum idem ſanctus Auguſtinus in præfato libro de bono conjugii dicat: Si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis ſacramentum ordinationis: & ſi aliqua culpa quiſquam ab officio ſuo removeatur, ſacramento domini ſemel impoſito non carebit, quamvis ad judicium permanente: ſic & in iſtis deſponſatione, dotatione, & nuptiis permanentibus, conjugale E vinculum permanebit, & alteri nemo eorum, niſi cujuſlibet ex eis morte intercedente, ſine adulterio ſe poterit jungere. Audiat, ſi quis hæc fuerit conatus opponere, quia de dotalitio puellæ habendo, non niſi propter pacificationem parentum ejus & Stephani, loco multæ fractorum ſponſalitiorum diximus, quam multam ſi diſſoluto dotalitio puellæ parentes exigere maluerint, aut utraque indulgere, vel utraque repoſcere, ipſi viderint, & legibus civilibus eorumdemque pacificationi exinde conveniat. Nos autem, quod ad nos pertinet, aſtute forte quærenti reſpondemus, quoniam hanc comparationem de ordinandis



ANNO CHRISTI 860.

dis poſitam beatus Auguſtinus, non de imaginaria viri & uxoris conjunctione, ſed de incorporata per ſexuum commixtionem copulatione poſuit, ſicut in proxime præcedentibus in ſit: Sequentur, inquiens, agnum pueri cantantes canticum novum, ſicut in Apocalypſi ſcriptum eſt, qui cum mulieribus ſe non contaminaverunt, nec ob aliud, niſi quia virgines permanſerunt. Nec ideo ſe arbitrentur meliores eſſe primis patribus ſanctis, qui nuptiis, ut ita dicam, nuptialiter uſi ſunt. Earum quippe uſus ſe ita habet, ut ſi quid in eis per carnis commixtionem fiat, quod excedit generandi neceſſitatem, quamvis venialiter factum contaminatio ſit. Et poſt paululum: Bonum igitur nuptiarum, per omnes gentes atque homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate ſacramenti, per quam nefas eſt etiam repudio diſcedentem alteri nubere, dum conjux ejus vivit, nec ſaltem ipſa cauſa pariendi, quæ cum ſola ſit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non ſubſequente, propter quam fiunt, ſolvitur vinculum nuptiale, niſi conjugis morte. Et ſtatim de ordinatione cleri ad plebem ſuppoſuit, ſub quo ſenſu in libro de nuptiis & concupiſcentia dicit: Ita manet etiam inter viventes quiddam conjugale, quod nec ſeparatione, nec cum altero copulatione poſſit auferri. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis; ſicut apoſtatæ anima, quæ de conjugio Chriſti recedens, etiam fide perdita ſacramentum fidei non amiſit, quod lavacro regenerationis acceperat. Redderetur enim procul dubio redeunti, ſi amiſiſſet abſcedens. Et in præcedentibus ipſius libri dicit de ſacramento nuptiarum: Propterea, inquiens, ſacramentum nuptiarum temporis noſtri, ſic ad unum virum & uxorem redactum eſt, ut eccleſiæ diſpenſatorem non liceat ordinare, niſi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus vel Paganus habuerit alteram, ordinandum eſſe cenſuerunt. De ſacramento enim agitur, non de peccato. Nam in baptiſmo peccata omnia dimittuntur. (1. Cor. 7.) Sed qui dixit: *Si acceperis uxorem non peccaſti, & ſi nupſerit virgo non peccat, & quod vult faciat, non peccat ſi nubat*; ſatis declaravit nuptias nullum eſſe peccatum. Propter ſacramenti autem ſanctitatem, ſicut femina, etiamſi catechumena fuerit vitiata, poſt baptiſmum in Dei virginem conſecrari, ita non abſurde viſum eſt, eum qui exceſſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quamdam amiſiſſe ſacram, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam. Et hinc dicat, ſi quis ad hæc quæ prædiximus opponere attentaverit, & nunc Stephanus morte præventus fuerit, & illa intacta, ſicut hactenus manet, permanſerit, & nubere non voluerit, quia catechumena vitiata, poſt baptiſmum in Dei virginem conſecrari non poterit, utrum hæc in ſacram virginem ab epiſcopo conſecrari valebit, qui non niſi virginem in virginitatis profeſſione, vel in legitima conjugii copula, ſacrare debet: ſicut nec epiſcopus fieri, qui præter virginem & unam duxit uxorem. Dicat etiam, ſi poſt mortem Stephani virgo permaneat, & ſe continere non potuerit, & nubere magis quam continere elegerit, utrum fratri ejuſdem Stephani copulari valebit. Quibus cum contradicere non valebit, aut in quæſtione ſua deficiat, aut ei noſtra ſolutio ſatisfaciat. Et hæc in vita Stephani, de conſecratione ſi delegerit, vel de

A maritatione ſi maluerit puella, fieri poſſe ratione & auctoritate monſtrante cognoſcat. ſciatque ut traditione majorem docuimus propter talem deſponſationem, dotationem, atque pro talibus nuptiis, ſicut iſtæ fuerunt, non eſſe conjugium, quibus defuit conjunctio ſexuum, ac cum prolis ſpe fidei ſacramentum. quæ ut plurimum in omni ſalutari actione, tum etiam in hoc negotio, in quo per nuptiale myſterium vir & uxor una caro efficiuntur, ſed in baptiſmate operoſius operatur, quo per fidei ſacramentum, non ſolum generaliter omnis eccleſia corpus Chriſti, ut dicit apoſtolus, & plenitudo fit ejus, verum ſigillatim ſingulus quiſque fidelis Chriſto incorporatus membrum ejus efficitur. Unde S. Beda in hoB milia euangelii dicit: Nam videtur, inquiens, qui baptizatur in fontem deſcendere, videtur aquis intingui, videtur de aquis aſcendere: ſola autem fidelium pietas novit, quia peccator in fontem deſcendit, ſed purificatus aſcendit. Ceterum oculis inſipientium videtur talis exire de fonte qualis intravit, totumque ludus eſſe quod agitur. Et in hac deſponſatione, dotatione, atque in his nuptiis, totum ſimulatio fuit, non veritas. Propterea ſicut ſanctus Leo, de his qui formam tantum baptiſmi ſine ſanctificationis virtute ſuſceperunt, decernit ut epiſcopali confirmatione firmentur: ita hæc non conjugii fides, ſed copulationis imago, eccleſiaſtica functione ſolvatur, & in eo qui indiget eccleſiaſtica medicina ſanetur. C Ceterum ſi hæc quæ poſuimus ſtudioſis vel curioſis nequaquam ſufficiunt, apponere adhuc etiam alia procurabimus. Ait enim beatus Auguſtinus in libro de nuptiis & concupiſcentia: Relinquet homo, inquiens, patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: quod magnum ſacramentum dicit apoſtolus in Chriſto & in eccleſia. Quod eſt in Chriſto & in eccleſia magnum, hoc in ſingulis quibuſque viris atque uxoribus minimum, ſed tamen conjunctionis inſeparabilis ſacramentum. Quapropter legaliter & nuptialiter copulati excepta cauſa fornicationis, ſeparari non poſſunt: & cauſa fornicationis ſeparati, aut permanere innupti, aut mutuo debent reconciliari, ſicut euangelica & apoD ſtolica docet auctoritas, & Africana ſynodus definivit: Placuit, inquiens, ut ſecundum euangelicam & apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa a marito, alteri conjungatur; ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. Et quia uxor a marito, vel maritus ab uxore, niſi *cauſa fornicationis*, non valet neque debet diſcedere, ex hac euangelica & apoſtolica doctrina beatus Auguſtinus in libro primo de adulterinis conjugiis ad Pollentium dicit: Quis eſt qui dicat, ſi diſceſſerit mulier a viro non fornicante, ut innupta permaneat, cum ei niſi a viro fornicante diſcedere omnino non liceat? Et item: Hanc ſolam cauſam fornicatioE nis dominus magiſter excepit, cum de dimittenda loqueretur uxore: deditque intelligi talem formam etiam a viro eſſe ſervandam, quoniam non ſolum mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir, ſed ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier. & propterea, niſi ex communi conſenſu, non valent etiam propter continentiam ſeparari. adeo ut ſi vir contra voluntatem mulieris converſus tondeatur, aut mulier ſine voluntate viri converſa veletur, mulieri vir, vel viro mulier, a ſancto Gregorio in epiſtola ad Secundum Taurominitanum epiſcopum, & in epiſtola ad Hadrianum

Panormitanum, jubeatur reſtitui. Si autem ex communi conſenſu ſe mutare permiſerint, & quilibet eorum ſe inde retraxerit, ad converſionem ſuum ſequi parem præcipitur. Cauſa autem fornicationis vir aut mulier ab invicem diſcedentes, propter ſacramentum nuptialis conjunctionis, aut innupti quouſque alter eorum moriatur manebunt, aut ſibi reconciliari ſtudebunt. Reconciliatio autem, poſt pœnitentiam & reconciliationem ſacerdotalem ejus qui peccavit, fieri debet, ut prius reſtituatur eccleſiæ ſacramento, & poſtea nuptiali myſterio. Et hinc ſanctus Auguſtinus in ſecundo libro de adulterinis conjugiis dicit: Licite itaque dimittitur conjux ob cauſam fornicationis, ſed manet vinculum pudoris, propter quod fit reus adulterii qui dimiſſam duxerit etiam ob hanc cauſam fornicationis. Sicut enim in ſe manente ſacramento regenerationis excommunicatus cujuſquam criminis reus, nec illo ſacramento caret, etiamſi nunquam reconcilietur domino: ita ſi manente in ſe vinculo fœderis conjugalis, uxor dimittitur ob cauſam fornicationis, nec carebit illa vinculo, etiamſi nunquam reconcilietur viro: carebit autem, ſi mortuus fuerit vir ejus. reus vero excommunicatus ideo nunquam carebit regenerationis ſacramento, etiam non reconciliatus, quoniam nunquam moritur Deus. Remanet itaque ut, ſi ſapere ſecundum apoſtolum volumus, non dicamus virum adulterum pro mortuo deputandum, & ideo licere uxorem ejus alteri nubere. Quamvis enim ſit mors adulterium, non corporis, ſed quod pejus eſt, animæ: non tamen de ipſa morte

1. Cor. 7.

loquebatur apoſtolus, cum dicebat: *Quod ſi mortuus fuerit vir ejus, cui vult nubat*: ſed de illa ſola qua de corpore exitur. Et item in eadem: Hæc namque alligatio quandoquidem non ſolvitur, etiamſi per repudium conjux a caſta conjuge ſeparetur; multo minus ſolvitur, ſi non ſeparata mœchetur. Ac per hoc non eam ſolvit niſi mors conjugis, non in adulterium corruentis, ſed de corpore exeuntis. Quapropter ſi receſſerit mulier ab adultero viro, & ei reconciliari non vult, maneat innupta. & ſi dimiſerit vir adulteram mulierem, & eam non vult recipere, nec poſt pœnitentiam, cuſtodiat continentiam, etſi non voluntate eligendi potioris boni, certe ex neceſſitate vitandi pernicioſi mali. Et hinc latius in præfatis libris doctor facundiſſimus diſputat, ſicut qui intelligenter legerit, neſcire non poterit. Sed & in primo libro de nuptiis & concupiſcentia dicit, quia lavacro regenerationis, & verbo ſanctificationis, omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundantur, atque ſanantur, non ſolum peccata, quæ omnia tunc remittuntur in baptiſmo, ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non ut baptiſma, quoties peccatur, toties repetatur, ſed quia ipſo, quod ſemel datur, fit ut non ſolum antea, verum etiam poſtea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodeſt vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur; vel poſtea, niſi præcederet? Et in epiſtola ad Bonifacium ſcribit: Non aliquid remanet in baptiſmo, quod non dimmittatur, præteritorum omnium peccatorum, ſi tamen ipſe baptiſmus non fruſtra foris habeatur, ſed aut intus detur, aut ſi foris datur, non foris cum illo remaneatur. Et quidquid ab eis, qui poſt acceptum baptiſmum hic vivunt, humana infirmitate contrahitur quarumcumque culparum, propter ipſum lavacrum dimittitur. Hinc liquido demonſtratur, quia ſicut ſemel acceptum baptiſmi ſacramentum, quo

A quiſque fidelis in unitate catholicæ eccleſiæ Chriſto incorporatur, poſtea nulla interveniente cauſa amittitur: ſic & vinculum conjugale, legaliter & nuptialiter celebratum, indiſſolubiliter manet connexum, licet fornicationis cauſa vel quacumque de cauſa videatur ſeparatum. Cauſa vero fornicationis ſeparatum, ſi poſt pœnitentiam fuerit reunitum, non tamen ideo erit reiteratum, quia permanet unum. Sed ſi in continentia pœnitentiali, quod magis pœnitentibus convenit, manere conjuges non valebunt, reconciliatione medicinali ex conſenſu mutuo, poſt eccleſiaſticam reconciliationem, indulgentia computabitur eſſe ſanatum: ſicut nec baptiſmum, quoties peccatur, toties reiteratur, ſed B pœnitentiæ medicamento per reconciliationem eccleſiaſticam, non iteratum creditur, ſed divina gratia reparatur. Reparari autem de non amiſſo eo modo dicitur, ſicut mens & corpus euchariſtiæ perceptione reparari, & ſatisfactione congrua renovari mentis noſtræ ſpiritus legitur. Et ſicut quæ ante baptiſmum, vel poſt baptiſmum humana ignorantia vel infirmitate peccantur, baptiſmatis munere eſt ut dignis pœnitentiæ fructibus remittantur: ita nuptiarum bono defenditur, ne crimina habeantur, quæ ab apoſtolo ſecundum indulgentiam conceduntur: illa videlicet, quæ concupiſcentia impellente non niſi conjugibus conceduntur. tantum ut cum legaliter nuptis naturaliter concumbatur. Natu-

Gen. 38.

C raliter autem dicimus, quia de Ona legitur, quod cum uxore naturaliter non concumbens interiit percuſſus a domino. Unde beatus Auguſtinus in libro de bono conjugii, & de nuptiis & concupiſcentia, & in aliis ſuis libris, ſufficientiſſime diſputat. Sed & ibidem inter alia dicit: Quod ergo præcipiunt apoſtoli conjugibus, hoc eſt nuptiarum; ſcilicet, uxori vir debitum reddat, & uxor viro, & filios procreare, matres familias eſſe. Quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit ad orandum, non cogunt nuptiæ, ſed ferunt. Et ſicut opera bona ad ſalutem æternam non proſunt ſine baptiſmatis ſacramento: & non eſt baptiſmum verum, quia non eſt ſecundum ſcripturam unum, id eſt, in unitate D catholicæ fidei unicum, ſi catholice non fuerit celebratum: ſic & legitimum & verum non poteſt eſſe conjugium, in quo docetur nuptiale non eſſe myſterium, vel quod non docetur nuptialiter copulatum. Unde & dominus de nuptiis Joannem volentem nubere, ut tradunt hiſtoriæ, non poſt celebratas nuptias, ſed de nuptiis, & ante carnis copulationem, vocando retraxit, qui legem non ſolvere, ſed adimplere venit. De cujus ſcilicet Joannis futura uxore, niſi cum dominus, non ſolum ante carnis unionem, verum & ante nuptiarum percelebrationem, revocaret, ſicut de beati Petri uxore, quæ continentiſſime perſeveravit, non legitur utrum in E continentia manſerit, an ſecundum legem veterem, ut ſemen in Iſrael relinqueret, alii forte nubere delegerit: in cujus arbitrio hoc non maneret, ſi poſt legales nuptias fuiſſent nuptialiter copulati. nec Joanni eſſet licitum, ſecundum evangelii documentum, ſi deſponſatam, dotatam, & publicis nuptiis honoratam duxiſſet, etiam ante unionem carnis relinquere, ſi non delegiſſet ex conſenſu in continentia permanere, ſed aliam ducere. Sicut non licet Stephano iſtam, quam deſponſavit, dotavit, & publicis nuptiis honoravit, licet ei non ſit mixtus, relinquere, & aliam cum pœnitentia, vel ſine pœnitentia ducere, niſi in iſtius concubitu inceſtale malum po-

tuiſſet





tuiſſet intervenire: ſed aut ex conſenſu cum ipſa in continentia Stephanus permaneret, aut ſi ſe continere non poſſet, cum ea nuptialiter copulatus maneret. Si autem ſine inceſtu, cum hoc debito ordine commixti forent, niſi ex mutuo conſenſu propter continentiam ſeparari non poſſent, aut propter fornicationem ſeparati, vel innupti permanere, vel ſibimet reconciliari deberent. & ſi cum inceſtu fuiſſent conjuncti, ſeparatione eorum ac pœnitentia adulterium ſecundum auctoritatem canonicam ſanari deberet. Et hæc ſibimet ita concinere ſacra demonſtrat au-

Matth. 1.

ctoritas, dicens de Maria & Joſeph: *Antequam*, inquit, *convenirent*, id eſt, antequam nuptiarum ſolennia rite celebrarent. Verbo enim conveniendi, non ipſum concubitum, ſed nuptias, quæ præcedere ſolent concumbendi tempus, inſinuat, quando ea quæ prius deſponſata fuerat, eſſe con-

Matth. 1.

jux incepit. Et paulo poſt: *Voluit occulte dimittere eam*. Videns Joſeph ſponſam concepiſſe ſuam, quam bene noverat a nullo vi fuiſſe attactam, cum eſſet juſtus, & juſte omnia vellet agere, optimum duxit, ut neque hoc aliis proderet, neque eam ipſe acciperet uxorem, ſed mutato occulte nuptiarum propoſito, in conditione eam ſponſæ manere pateretur ut erat. Sed ſi eam occulte dimitteret, neque acciperet conjugem, & illa ſponſa pareret, nimirum perpauci eſſent, qui eam virginem, & non potius autumarent eſſe meretricem, & quaſi adultera lapidaretur a Judæis. Unde & ſacri canones in capitulo, in quo de parentibus, qui fidem ſponſalitiorum frangunt, decernentes providentiſſime ſtatuerunt adjungere:

Concil. Elib. c. 54.

Si tamen, inquiunt, ſponſus vel ſponſa in gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes. quia quod parentes fidei fractæ debuiſſent judicium punitionis ſuſtinere, ad eos jam qui meruerant pertinebit. Et ut ad ſuperioris exempli ordinem redeamus, propterea conſilium Joſeph repente conſilio meliore mutatur, ut videlicet ad conſervandam Mariæ famam, ipſe eam celebrato nuptiarum conjugio conjugem acciperet, ſed ca-

Matth. 1.

ſtus caſtam perpetuo cuſtodiret, ut ſequitur: *Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini in ſomnis apparuit ei dicens: Joſeph fili David, noli timere*

Cap. 4.

*accipere Mariam conjugem tuam*. De cujus conjugii genere Siricius ad Himerium Tarraconenſem epiſcopum ſcripſit, dicens: De conjugii violatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ ſacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione

Conc. Ancyr. can. 10.

violetur. Et in concilio Ancyrano: Deſponſatas puellas, & poſt ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant deſponſatæ, etiamſi eis a raptoribus vis illata conſtiterit. Quæ ſupra taxato ordine non modo ſponſæ, verum etiam quaſi conjuges factæ, etiam violenter corruptæ, ita ſponſis reddendæ ſunt, ſicut etiam ſeparati, ſive fornicationis cauſa, & abſque mutuo conſenſu disjuncti conjuges rejungendi ſunt: fornicationis autem cauſa ſeparati, aut innupti manebunt, aut ex conſenſu ſibimet mutuo reconciliabuntur. De nuptiatis autem, ſed innuptis, id eſt de nuptiarum celebratione, in quibus arrhæ ſponſaliorum, & benedictio ſacerdotalis, & dotationis confirmatio, & Chriſti atque eccleſiæ myſterium ad completionis perfectionem dirigitur, ſed non carnis unione completur, ſed conſilium bonum, ut de Joſeph diximus, conſilio meliore mutatur, ut in continentia perpetuo maneatur, ibidem iterum

Matth. 1.

ſcriptum eſt: *Exurgens autem Joſeph a ſomno,*

A *fecit ſicut ei præceperat angelus domini, & accepit conjugem ſuam, & non cognoſcebat eam*. Accepit autem ad nomen conjugis, ob cauſas neceſſarias quæ tunc imminebant: & non cognoſcebat eam ad opus conjugale, ſed uterque in continentia permanebant. Quod & Paulus licenter fieri poſſe in epiſtola prima ad Corinthios, & Auguſtinus in libro primo de nuptiis & concupiſcentia demonſtrat dicens: Quibus vero placuerit ex conſenſu ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit ut vinculum inter illos conjugale rumpatur: immo firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ carius concordiuſque ſervanda ſunt, non voluntariis corporum nexibus, ſed voluntariis B affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum eſt ad Joſeph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & reliqua, quæ latius ibidem proſequitur. Qua de re his edocti teſtimoniis ſacræ auctoritatis, quicumque deſponſatas, dotatas, publicis nuptiis honoratas uxores ingenuas, vel ob hoc factas ingenuas duxerint, aut in perpetua continentia maneant, aut niſi hoc crimen inceſtuale, vel aliud quodlibet prohibuerit, quod in ſe vel ſecum non recipit Chriſti & eccleſiæ ſacramentum, nuptialiter nubant, ſi ſe ex conſenſu continere non poterunt, & non niſi fornicationis cauſa disjungantur: qui disjuncti, aut innupti permaneant, aut ſi continere non poſſunt, ſibi poſt pœnitentiam reconcilientur. Ubi autem, C ut in Stephani nuptiis, periculum cum periculo vitandum emerſerit, minus periculum ad majus devitandum periculum, ut ſanctus Gregorius in libris docet moralium, eligatur: ſed & ipſum quod eligitur periculum non negligatur, verum dignis pœnitentiæ fructibus, videlicet piis operibus, & profuſis lacrymis, ne æternaliter periculum maneat, ſed ſalutari remedio temperetur, aut penitus evadatur, apud omnipotentis domini miſericordiam obtineri modis omnibus ſatagatur. Nos autem hæc his idcirco interponere neceſſarium duximus, quia quoſdam, etiam qui ſe doctores eſſe dicebant, audivimus pertinaci contentione intendere, quaſi ex verbis beati Ambroſii, & ſancti Auguſtini, quæ parum diligenter in- D tenderant, virum non fornicantem, & a fornicatore muliere diſcedentem, aliam illa vivente ducere poſſe, & quæ cauſa fornicationis a viro receſſerit, non poſſe reconciliari: illam autem quæ non cauſa fornicationis, ſed alia qualibet receſſerit, aut reconciliari, aut innuptam debere remanere. non advertentes, quia ſic adulterino ſenſu interpretabantur verba apoſtoli, ſicut & illi, contra quos olim beatus Auguſtinus iſtos libros deſcripſerat, & Africana ſynodus, quæ præmiſimus, definivit, quando & Cæleſtianos eviſceravit, & ipſas etiam Pelagianorum medullas excuſſit. Nec mirum. ſic enim pravo erant infecti dogmate, ſicut & moderni Prædeſtinatiani, qui veterum Prædeſtinatianorum hæreſim, quaſi de ſancti Au- E guſtini verbis compilatam inſtaurare laborant. Quorum capita confregit, & verticem capillorum perambulantium in delictis ſuis conquaſſavit, atque contrivit beatus Cæleſtinus papa in epiſtola decretali ad Venerium, & ceteros Gallicanos epiſcopos: & iiſdem beatus Auguſtinus in libro de correptione & gratia, & de prædeſtinatione ſanctorum, ac bono perſeverantiæ. Sed & ſanctus Proſper, ex delegatione ſedis apoſtolicæ, in abſolutionibus objectionum Gallorum, Vincentianorum, atque Maſſilienſium, in libris etiam de vocatione gentium, catholico ſenſu, & perfecta evidentiſſimæ rationis facundaque do-





ctrina

ANNO CHRISTI 860.

ctrina eorum argumenta diſſolvit. Verba autem eorumdem auctorum, unde imperiti magiſtri talia inſulſa captarunt, hic poneremus, ſi non pro ſolutione nodum componere vitaremus. Addendum etiam neceſſarium duximus, ut his ſanctorum ſententiis cognoſcamus, nuptias, quas concubitus pro quibuſdam cauſis non ſequitur, ſolvi poſſe, & propter incontinentiam feminas ad alias convolare valere. Sed ſubtilis inveſtigatio, & rationabilis diſcretio in his prius eſt adhibenda, utrum quaſi naturalis in viris ſit hujuſmodi commixtionis impoſſibilitas, (quia & ſunt eunuchi, ſicut ſcriptum eſt, qui de matris utero ſic nati ſunt,) an hoc impedimentum operatione diaboli, ſicut fieri aſſolet, illis accidit. Quod ſi per ſortiarias, atque maleficas, occulto, ſed nunquam vel nuſquam injuſto, domini judicio permittente, & diabolo operante accidit, hortandi ſunt quibus iſta eveniunt, ut corde contrito, & ſpiritu humiliato, Deo & ſacerdoti de omnibus peccatis ſuis puram confeſſionem faciant, & profuſis lacrymis, ac largioribus eleemoſynis, & orationibus, atque jejuniis, domino ſatisfaciant, cujus judicio, pro ſuo merito, & ab illa benedictione privari inviti meruerunt, quam dominus primis parentibus ante peccatum in paradiſo donavit, qua etiam poſt peccatum genus humanum in totum privari non voluit: & per exorciſmos, atque cetera medicinæ eccleſiaſticæ munia, miniſtri eccleſiæ tales, quantum annuerit dominus, qui Abimelech ac domum ejus Abrahæ orationibus ſanavit, ſanare procurent. Qui forte ſi ſanari non poterunt, ſeparari valebunt. Sed poſtquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus junctæ fuerint, prioribus quos reliquerant, etiamſi poſſibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. Inceſtuoſas autem nuptias, propter inceſtus crimen, quod habere non poteſt, ut prius diximus, & iterum dicimus, Chriſti & eccleſiæ ſacramentum, non debere manere, ſed crimen ſeparatione & pœnitentia debere ſanari noſcamus. Stephani vero nuptias, de quibus agitur, ne inceſtus admittatur, debere diſſolvi modis omnibus cognoſcamus: & nuptias quæ nuptiale habent myſterium, non quacumque alia, niſi ſola fornicationis cauſa, poſſe diſſolvi, docente Veritatis auctoritate teneamus. Quoniam etſi communi conſenſu continentiam voverint conjuges, tanto obnixius, quanto ſpiritalius in domino juncti manebunt: quorum conjunctioni, ac indiviſæ ſeparationi, nulla ſimulatio in oculis ejus intervenire valebit, qui cordium ac renum ſcrutator eſſe dignoſcitur. Unde Stephanus pro fornicatione, de qua, niſi coactus neceſſitate eam publicaret, ſecreta confeſſione pœnitentiam agere poterat, & quia ſacro nuptiarum myſterio, licet neceſſitate compulſus, ſimulationis culpam ſuperinduxit, ſicut ille qui zizaniam tritico ſuperſeminare non metuit: & quoniam poſt tale connubium, antequam legaliter diſſolveretur, quod quaſi legaliter viſum fuit initum, alios pravo exemplo deſtruens, concubina uſus fuiſſe dicitur, juxta modum culpæ, cum pietatis modeſtia, quia reverentiam Deo exhibuit, ne inceſtum fornicationi adjungeret, a proprio epiſcopo ſecundum ejus arbitrium, quia canones ſic decernunt, pœnitentiam regularem ſuſcipiat, & cum dignis pœnitentiæ fructibus peragat, ut qui ſuo neglectu eccleſiam, & multos eccleſiæ filios ſcandalizare præſumpſit, eccleſiæ & ejus rectoribus atque filiis ſatisfaciat, & poſt ſatisfactionem, ſi ſe continere non poterit, juxta ſententiam ma-

*33. q. 1. Si per ſortiarias.* — *Gen. 10.*

gni Leonis papæ ad Ruſticum Narbonenſem epiſcopum, & ſecundum decreta ſancti Toletani concilii, copulam uxoris legitimæ expetat, ne iterum fornicationis crimen incurrat. In quo tamen, cum eodem patre loquentes ſanctiſſimo, non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus. Nam ſecundum veram cognitionem nihil magis ei congruit qui pœnitentiam agit, quam caſtitas perſeverans, & mentis & corporis. Cui ne laqueum injiciamus, remedii manum porrigimus, non imperium actionis imponimus. Quia etiam ſanctus Siricius de benedictione ſponſarum in decretis ſuis quædam ponere ſtuduit. De quibus, quod notum eſt, ſacri canones decernunt, & nos exinde aliqua diximus, & plura alia diceremus, ſi his nuptiis, de quibus loquimur benedictionem ſacerdotalem datam fuiſſe ex more eccleſiaſtico audiremus. Sed quibus debita fides defuit, locum benedictio ſacerdotalis non habuit. præſertim cum ſcriptum ſit: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite; Pax huic domui. & ſi fuerit in ea filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra: ſin autem, pax veſtra ad vos revertetur.* & Petrus domino & fidelibus dicit: *Fide purificans corda eorum.* & item ſcriptum eſt: *Omnia opera ejus ex fide.* & iterum: *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Et ubi peccatum manet, ante congruam ſatisfactionem benedictio locum non habet. Nihil enim, ut beatus dicit Gregorius, prodeſt oratio, ubi iniqua eſt actio. Poſt hæc omnia, ſi Regimundus filiam ſuam recipere non voluerit, aut illa in ſua libertate manere decreverit, indicandum eſt eis, quoniam ſi ipſa ſtuprum quodcumque conſenſerit, ad illum, vel ad illam, non autem ad Stephanum, quod perpetratum fuerit pertinebit. Debetis etiam vos, ſancti antiſtites, & Regimundo & Stephano, atque illorum parentibus & amicis, ex divino mandato ſuggerere, intimare, atque præcipere, ut pacem inter ſe, quam dominus præcepit, & ſine qua eum niſi ad judicium videre non poterunt, habeant: & terræ principes cum primoribus debent ſatagere, ne pro hac cauſa in eccleſia, & in regno, ſcandala & ſeditiones fiant. Quod qui eorum obedire contempſerit, juxta euangelicum præceptum, ſicut ethnicus & publicanus efficiatur: & ſecundum apoſtolum, qui non obedit verbo notetur, ut nemo ei commiſceatur. & qui hanc pacis doctrinam non receperit, nullus ei Ave dicat, ut non communicet peccatis ejus, & ſicut canones decernunt, oblatio ejus nec in ſacrario recipiatur. & qui ad pacem redire noluerit, tamdiu excommunicatus maneat, quamdiu ad pacem redire contempſerit, & ad caritatem, quæ operit multitudinem peccatorum, quantocius reditu feſtinet. Et item in canonibus ſcriptum eſt, ut de concilio bini vel terni judices ad quæque diffinienda deligantur atque mittantur, quæ eccleſiaſtico debent examinari ac definiri judicio, & alibi rationabilius atque convenientius quam in eodem concilio poterunt definiri. & quiſquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ ſedis epiſcopo fuerit probatum, det litteras ut nullus ei communicet donec obtemperet. Qua de re ſancta ſynodus vos, qui primarum ſedium regni Aquitanici eſtis, ad hanc cauſam diffiniendam, cum coepiſcopis veſtris, & principibus, ac terræ illius primoribus, eligere ſtuduit, quorum diffinitioni ſine ſuo periculo, & excommunicationis invectione, quiſquis vobis obtemperare diſtulerit, evadere non valebit.

Hæc

ANNO CHRISTI 860. *Decret. cap. 15. Conc. Tolet. VI. cap. 5.* — *Luc. 10.* — *Act. 15.* — *Rom. 14.*



ANNO CHRISTI 860.

Hæc de euangelica veritate, & apoſtolica atque canonica auctoritate, ſeu catholicorum doctrina & traditione, ſicut ſynodus ſancta juſſit, pro mediocritate ingenioli mei colligere ſtudui. De quibus, ſicut audivi quoniam quidam faciunt, nemo contra me debet iraſci: quia non meo ſenſu mea verba compoſui, neque quod meum non eſt mihi arrogare præſumpſi, neque ſtatuendo vel imperando in hac cauſa, quod non eſt meum, quiddam ſcribere procuravi, nullius præjudicans ſanæ ſententiæ, nec dehonorans auctoritatem, aut ad obſequendi quemquam cogere volens neceſſitatem. Sed cum B. Leone ſcribente ad Ruſticum Narbonenſem epiſcopum, dilectiſſimam atque reverentiſſimam fraternitatem veſtram commoneo, quia ſicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione convelli, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari: illa ſemper conditione ſervata, ut in his quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum inveniatur adverſum.

## NOTÆ JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Concilium Tullenſe II.*] Synodi hujus decretorum duplex fuit editio, quam utramque repræſentamus. una brevior cum epiſcoporum ſubſcriptionibus, quam priore loco poſuimus: altera prolixior, quæ ſynodica, quæ mox ſequitur, concilii epiſtola continetur, cujus auctor fuit Hincmarus Rhemenſis. Qua in ſynodo relecta, epiſcopi ob prolixitatem ipſius alteri breviori ſubſcripſerunt. De his ergo inter Hincmarum utrumque fuit controverſia. Nam cum ab Hincmaro patruo reprehenſus eſſet Laudunenſis, quod breviore illa uteretur, ipſe in epiſtola nondum edita ſic reſpondit: *Quod ſcripſiſtis ceterum, cariſſime frater, de ſcedula quaſi epiſcoporum diffinitionem continente in ſynodo quæ apud Tuſiacum fuerat habita, valde miratus ſum, ubi & quomodo adinveniſti quam antequam per Hettonem clericum tuum audirem nunquam vidi, vel nuſquam audivi: ſed nec qui modo adfuerunt epiſcopi eam ſe vidiſſe vel audiſſe dixerunt. Et ego illud non abre admirer, ſi Hardulcus epiſcopus, qui adfuit, eam ſe non vidiſſe nec audiſſe dixit. Nam ab eo illam accepi, & relegens tranſcribi juſſi.* Et iterum poſt alia. *Quod dicitis: Et miranda eſt tua prudentia, qualiter ſic placuit hanc mendacem, & in quibuſdam ſacris regulis obviantem compilationem habere & mihi tranſmittere, quam veram ſynodi definitionem, & ſacris regulis congruentem habere, & a me qualicumque primate tuo juxta regulas ſacras tenendam & ſequendam accipere. Illam epiſtolam, quam vos in eadem ſynodo a vobis archiepiſcopali adminiſtratione dictatam recitari feciſtis penes me habeo, & reminiſcor quia ob prolixitatem ipſius quibuſdam ſatagentibus, huic compendioſius diffinitioni collectæ ſubſcripſimus. Nam veſtram, tetraſtichum domino regi devotivum præmittentes, ita incipitis:* Sancta ſynodus congregata in villa Tuſiaco Tullenſis parœciæ. *In hac autem quæ incipit:* Cum in nomine Dei omnipotentis, *primum iſtud ita inchoat capitulum:* In primis igitur propter pertinaciam multorum, *&c.*

2 *Ex provinciis* XII.] In epiſtola ſynodali, atque in altera ſynodi juſſu ab Hincmaro ſcripta, quatuordecim provinciæ numerantur.

3 *Anno incarnationis.*] Ex Hincmari Laudunenſis verbis paulo ante prolatis, atque ex codice Virdunenſi, conſtat initium hujus epiſtolæ ducendum eſſe a ſequentibus verbis: *Sancta ſynodus congregata*, &c. Quare quæ præcedunt expungenda ſunt.

4 *Quod ſi per ſortiarias.*] Hunc locum ex Hincmaro Rhemenſi, ſed tacito libri nomine, citant Gratianus 33. quæſt. I. *Si per ſortiarias*, & Ivo Carnotenſis parte VIII. cap. 194.

# CONVENTUS EPISCOPORUM

## INCERTI IN GALLIA LOCI.

### Anno circiter DCCCLX. In quo actum de Ingeltrude Boſonis comitis uxore, quæ virum ſuum reliquerat.

Hujus conventus memoria intereſt in epiſtola Hincmari ad ipſum ſcripta, *ad interrogationem*, ut fert inſcriptio, *Guntharii archiepiſcopi Colonienſis*.

*Ex Labbei Append. to. VIII.*

*Hincmarus nomine non merito Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus, ſacro conventui.*

QUidam beato Ambroſio quædam propoſuit, ad quorum ſolutionem in craſtina illum ad eccleſiam invitavit, unde ſermonem adoriens, Ad ſolvendum, inquit, debitum creditori meo adveni. Sed & ego de mihi propoſita heri quæſtione, cujus ſolutionem nunc adſero, tunc domno Gunthario pro tribus cauſis reſpondere non potui: videlicet quia ad revertendum jam jamque commovebamur, & quoniam plures viri ſapientes in conventu conſiſtunt, quorum quidam certant proponere, quidam autem abſolvere, interdum neceſſitate compulſus tanta velocitate cogor verba confundere potius quam proferre, antequam alius mihi ſententiam ab ipſis labiis rapiat, ut nec bucca efferre ſufficiat, quod vel convulſa memoria ſubminiſtrat. Sed & ſicut ſcriptum eſt, *Qui fortiter premit ubera, exprimit butyrum: & qui vehementer emulget, elicit ſanguinem*: Timui ne ſi inconſulte ac præpropere reſponderem, in carnalem intellectum deciderem, quia occupatum ad alia cor meum me dereliquerat, & lumen intelligentiunculæ ſerenum mihi vel mecum non erat. Quapropter diſtuli, donec ſi forte ſecundum Prophetam mitteretur manus, quæ me cibaret intellectus volumine. Quæ videlicet totiens mittitur, quotiens quæ ante neſciebamus Divina nobis gratia revelantur. Qua de re propoſitionem domni Guntharii proferamus, & ſolutionem ex largitione Divinæ gratiæ pro captu noſtræ intelligentiæ referamus.

*Si*, inquit, *femina Boſonis ad nos venerit, & publice confeſſa fuerit, dicens, Mea culpa, virum meum adulteravi: quapropter timore mortis perterrita ad vos confugi, qui Dei eſtis vicarius, ut me & Deo ſalvetis, & a morte corporali, quæ mihi imminet ex parte mariti mei, me liberetis: utrum debeam illi publicam pœnitentiam imponere, quam aut in parochia mea, in quam confugit, ſejuncta a viro ſuo peragat, aut eam eidem viro ſuo ſub tali conditione reddere debeam, ut nullo modo eam interficiat, ſed poſt pœnitentiam, illam in conjugio habeat, quam ſi interfecerit, ſciat ſe eccleſiaſtica damnatione plectendum: quoniam nefas eſt quemquam in publica pœnitentia poſitum a quocumque interfici.*

Re-

*De Incarn. Domini.* — *Prov. 30.* — *Ezech. 3.*

ANNO CHRISTI 860.

Reſpondemus, feminam illam in tua vel alterius cujuſque parochia natam, baptizatam, nutritam, adultam, facultatum hereditate ditatam, Boſo ex alia non modo parochia verum ex alia provincia natus, & per omnia incrementa in perfectum virum perductus, ſub alterius epiſcopi cura degens, ſecundum legem Divinam & humanam, apud eos, quorum intererat, obtinuit, diſpenſavit, dotavit, publicis nuptiis honoravit, & ſibi in conjugii copula ſociavit, & unum corpus, unamque carnem ſecum effecit, ſicut ſcriptum eſt, *Erunt duo in carne una: jam non ſunt duo, ſed una caro*. Et, *quod Deus junxit, homo non ſeparet*. Niſi forte perpetuo, ex conſenſu, propter continentiam, unde tanto conjuncti ſunt amplius, quanto & ſpiritualius: aut ad tempus, ut vacent orationi, & revertantur iterum in idipſum, ne tententur a ſatana propter incontinentiam: aut cauſa fornicationis, qua ſeparati, aut ſic, ideſt, innupti & ſeparati maneant, aut mutuo reconcilientur. Quomodo poteris inferiorem partem corporis hominis illius, qui ſub alterius providentia degit, ſeparare & tenere ſub pœnitentia, quæ nec orationi continenter ſine conſenſu partis ſuperioris vacare poteſt? mulier enim non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir; & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier. Uxori vir debitum reddere debet, & uxor viro, ut non tententur a ſatana propter incontinentiam. Quod qui eorum non fecerit, niſi ex conſenſu propter Deum dimiſerit, parem ſuum, immo partem corporis ſui mœchari facit. Si tu huic feminæ pœnitentiam poſueris, quæ pars eſt corporis viri diœceſis alterius, ſine conſenſu rectoris & viri, contra regulas eccleſiaſticas facis, & docente Leone papa, honoris communione privaris. Et item ſi huic feminæ lege pœnitentiæ manum imponis, & illa membrum caput ſuum (caput enim mulieris vir) in alteram provinciam ſecuta fuerit, ſub providentia alterius præſulis: quis curam de ejus accipiet pœnitentia? quis ut reconcilietur ſecundum canones, ad ejus attendet lacrymas & confeſſionem, quam non audivit? quis ei manum ad reconciliationem imponet, ſacris regulis decernentibus, ut nemo epiſcoporum ſub manu poſitum alterius ſacerdotis, ad reconciliationem ſuſcipiat, neque reconciliatum ſine litteris vel conſenſu reconciliatoris recipiat? Et quomodo partem corporis, immo hominem alterius epiſcopi & parochiæ judicabis, quin pœnitentiali judicio condemnabis? cum ſcriptum ſit, quod ſanctus Gregorius hinc in ſuis decretis expoſuit:

*Deut. 23.* „*Si tranſieris per meſſem amici tui, fricans confricabis ſpicas manibus tuis, & manducabis, falcem autem non mittas*, ſive falce non metas: id eſt homines parochiæ alterius verbo prædicationis & exemplo operis (ita tamen ut non conculces ſimpliciorem fratrem tuum, ne incidas in ruinam & laqueum, vanam ſcilicet gloriam diaboli) in corpus Chriſti, quæ eſt eccleſia, feſtina trajicere, falcem autem judicii non permitteris mittere, vel falce judicii metere, id eſt incidere, ſive abſcidere. Et quoniam, ſicut ipſe Boſo dicit, eidem mulieri, quæ [illegible] ſua eſt, nullum crimen impingit, ſed non [illegible] negligentiam, quia ab ejus ſe ſubtra[illegible] & quantum ex ipſa eſt, illum mœchari [illegible] auctoritatem atque juſtitiam eum dimittens, & in aliis regnis circiter per triennium immota[illegible] contumax mandatis illius adeo extitit, ut nec compellata per tanta temporum ſpatia ad eum redierit, pro domni Apoſtolici eſt juſſione illi paratus indulgere: reſtat ut rex, in cujus regno degit, ſecundum conſcriptionem chirographi regum noſtrorum, eam ad viri ſui præſentiam adduci faciat, & tu epiſcopus, in cujus parochia immoratur, quia hoc non eſt regis, ſicut ſanctus Gregorius de his qui ad eccleſiam confugiunt, præcipit; ſi expoſcit neceſſitas, ſecuritatem de æquitate ſibi ſervanda apud virum ejus expetas & obtineas, & poſt hoc miſſus reipublicæ viro uxorem fuga lapſam reſtituat. Qui vir, ſi ſacramentum fregerit, & apoſtolicis monitis inobediens extiterit: epiſcopus, ad cujus curam pertinet, canonicum judicium in illum proinde exerat. Si autem mulier confeſſa, vel legaliter de adulterio convicta, incolumis evaſerit, lege eccleſiaſtica pœnitentiæ illam iſdem epiſcopus ſubigat, quia & mundanis legibus cautum atque uſitatum eſſe dignoſcitur, ut mala quæ perpetrantur, in illis locis emendentur in quibus perpetrata fuiſſe legaliter comprobantur. Præter hæc nihil mihi videtur agendum, niſi aut domni Apoſtolici monita exequamur, aut judicium incurramus. De ſacramento autem, quoniam quaſi ad pietatem confugit eccleſiaſticam, quia tuum, id eſt epiſcopale popoſcit auxilium, quod ex impunitate, in membrorum vel vitæ, ſi ita qualitas facti exegerit, legali privatione requiris, ſuper id quod ſanctus decrevit Gregorius pro eis etiam qui ad ſacraria ſacra confugerint, requirendum, videlicet de æquitate ſervanda, ſubtiliter debes perpendere, ne videaris vel dicaris non ſolum eccleſiæ, verum & totius mundi ſtatum & ordinem atque vigorem velle confundere atque deſtruere, & apoſtolicæ, atque apoſtolicorum virorum doctrinæ obſiſtere, qui non ſolum leges a Chriſtianis regibus promulgatas obſervaverunt, & obſervantes tradiderunt, verum etiam promulgandas expetierunt, ſicut in Carthaginenſis atque Africani concilii, ceterorumque conciliorum canonibus, & in decretis apoſtolicæ ſedis multoties reperitur. Unde & ſanctus Gregorius commonitoria ad Joannem Defenſorem, & ad alios etiam ex integro de legalibus edictis condiderat: & ſanctus Gelaſius ad imperatorem Anaſtaſium ſcripſit: Si enim, inquiens, quantum ad ordinem publicæ pertinet diſciplinæ, cognoſcentes imperium tibi ſuperna diſpoſitione conlatum, legibus tuis ipſi quoque parent religionis antiſtites, no vel in rebus mundanis excluſæ, videantur obviate ſententiæ: quo, oro, te decet affectu eis & convenit obedire, qui prærogandis venerabilibus ſunt attributi myſteriis? *Epiſt. 10. ſub initium.* Et S. Leo ad Turibium Aſturicenſem epiſcopum ſcribens, *Epiſt. 4. ſub initium.* „Merito, inquit, patres noſtri, ſub quorum temporibus hæreſis hæc nefanda prorupit, per totum mundum inſtanter egerunt, ut impius furor ab univerſa eccleſia pelleretur: quando etiam mundi principes ita hanc ſacrilegam amentiam deteſtati ſunt, ut autorem ejus, cum pleriſque diſcipulis, legum publicarum enſe proſternerent. Videbant enim omnem curam honeſtatis auferri, omnem conjugiorum copulam diſſociari, ſimulque Divinum jus humanumque ſubverti, ſi hujuſmodi hominibus uſquam vivere cum tali profeſſione licuiſſet. Profuit iſta diſtrictio eccleſiaſticæ lenitati, quæ etſi ſacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, ſeveris tamen Chriſtianorum principum conſtitutionibus adjuvatur, dum ad ſpiritale nonunquam recurrunt remedium, qui timent corporale judicium. Ex quo autem multas provincias hoſtilis occupavit irruptio, & executionem legum tem-

„pe-





„peſtates interclusere bellorum, ex quo inter ſacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt eſſe conventus, invenit ob publicam perturbationem ſecreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium ſubverſionem his malis eſt incitata, quibus debuit eſſe correcta. Lege librum XVI. legis Romanæ, lege decreta Damaſi, percurre Leonis epiſtolas, & ceterorum pontificum de diverſis conciliis ad imperatores tranſmiſſas: revolue Auguſtorum edicta de hæreticis ad petitionem pontificum promulgata, ſcrutare Cæſarum noſtrorum capitula, & invenies quantum profuerit atque proſit legum ſeveritas, non ſolum eccleſiaſticæ lenitati, verum totius Chriſtianitatis optandæ paci & colendæ tranquillitati. Sapientia namque, videlicet Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia, dicit: *Prov. 8.* *Per me reges regnant, & conditores legum juſta decernunt*. *Rom. 7.* Et Apoſtolus, *Lex quidem eſt ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum*. Unde Ambroſius, „Mandatum legem intelligi, evangelicus ſermo teſtatur, ait enim, *Si vis ad vitam venire, ſerva mandata*. *Matth. 19.* Et item Apoſtolus: *Galat. 3.* *Lex propter tranſgreſſiones poſita eſt*. Et, *1. Tit. 1.* *lex non eſt poſita juſtis, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis & peccatoribus, ſceleratis, contaminatis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur*. *Rom. 13.* Et item, *nam qui principantur, non ſunt timori bonis operibus, ſed malis*. Unde Ambroſius: „Principes hos reges dicit, qui propter corrigendam vitam, & prohibenda adverſa creantur, Dei habentes imaginem, ut ſub uno ſint ceteri. Et item Apoſtolus, *Ibidem.* *Vis autem non timere poteſtatem? bonum facito & habebis laudem ex illa*. Hinc idem doctor: „Laus ex poteſtate tunc ſurgit, cum quis innocens invenitur. Dei enim miniſter eſt tibi in bono. Manifeſtum eſt ideo rectores datos, ne malum fiat: ſi autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat: hoc eſt, ideo comminatur, ut ſi fuerit contemptus, vindicet, Dei enim miniſter eſt, vindex in ira in eum qui male agit. Quoniam futurum judicium Deus ſtatuit, & nullum perire volt, huic ſæculo rectores ordinavit, terrore interpoſito hominibus, velut pædagogi ſint, erudientes illos quid ſervent, ne in pœnam incidant futuri judicii. Ideoque ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, id eſt, ultionem præſentem, ſed etiam propter conſcientiam. Recte dicit ſubjectos debere eſſe, non ſolum propter iram, id eſt ultionem præſentem, parit enim vindictam, ſed propter futurum judicium, quia ſi hic evaſerint, illic eos pœna expectat, ubi accuſante ipſa conſcientia punientur. Et ſanctus Cyprianus in nono abuſionis gradu dicit: Quia regem non iniquum, ſed correctorem iniquorum eſſe oportet. Et item ibi inter cetera: Debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas & perjurantes non ſinere vivere, filios ſuos non ſinere impie agere. Et beatus Joannes Chryſoſtomus in homilia decima ſexta Matthæi Evangeliſtæ, *Matth. 5.* *Audiſtis*, inquit Dominus, *quia dictum eſt antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente*. Non enim ut nobis viciſſim effoderemus oculos ſanxit hanc legem, ſed ut metu, quo ab alio iſtud timemus pati, ipſi quoque tale quidpiam caveremus admittere, ut & qui ipſo voluntatis bono nollent a crudelitate deſinere, ſaltem metu cogerentur oculis parcere proximorum: ſi vero illud crudele dicitur, & homicidam & adulterum coerceri crudele dicatur. Sed inſipientium omnino iſta verba ſunt, & extremo furore dementium. Ego enim adeo metuo dicere hæc eſſe crudelia, ut his contraria etiam iniqua perdoceam, quod certe communis quoque ratio deprehendit. Tu enim dicis, quia oculum pro oculo juſſit auferri, idcirco crudelis: ego autem refero, quia niſi præcepiſſet iſtud, tunc vere apud plurimos talis fuiſſet, qualem tu eum falſo eſſe conquereris. Denique ſermone fingamus omnem legem eſſe diſſolutam, nec quemquam pro hujuſcemodi factis formidare ſupplicium, ſed cunctis prorſus malignis licere uti moribus ſuis, & adulteris, & homicidis, & furibus, & perjuris, & parricidis: nonne ſub hac licentia omnia pariter una confuſio iniquitatis involveret? nonne mille ſceleribus & cædibus urbes, fora, domus, maria, totuſque omnino mundus fuiſſet impletus? nam ſi legibus certe dominantibus, & vigente comminatione atque terrore, vix tamen voluntates cohibentur malignæ: ſi etiam hoc præſidium defuiſſet, quanam poſſet malitia ratione frenari? aut quæ non in vitam hominum peſtis irrueret? nec tamen ſolum iſtud crudele eſt permittere, ſcilicet malis agere quæ velint, ſed aliud quoque iſto certe nihil minus, id eſt læſum & immerito afflictum negligere atque deſpicere? Dic enim mihi, ſi quis feros homines ac ſemper malignos in unum colligens, gladiis armaret totamque circumire civitatem juberet, atque obvios ſibi quoſque confodere, quid tandem hoc eſſet immanius? at ſi alius eos quidem, qui ab illo armati eſſent, ligaret, violenterque conſtringeret, eos vero qui interimendi erant, ab iniquis illis manibus liberaret: quid e regione iſto inveniretur humanius? Hæc igitur etiam ad legem transfer exempla. Quæ enim oculum pro oculo effodere præcepit, timorem quaſi carnificem peccatoribus immittens, illius ſimilis invenitur, qui illos quos dixi cohibuit armatos: qui vero nullam omnino pœnam decrevit nocenti, ° ſed armaſſe tibi iniquitatem videtur, eumque imitatum fuiſſe, qui ſceleratos illos gladiis inſtruxit, inque totius civitatis immiſit exitium. Videſne quemadmodum non ſolum nullius crudelitatis, verum etiam maximæ pietatis ſunt illa præcepta? Et in epiſtolis beati Gregorii idem competenti ultione plectendis maleficis & iniquis ſæpe numero qui legere voluerit, invenire valebit. Unde, frater cariſſime, collige, quia contra hæc agere aut exigere, non ſolum eſt pietatis jura confundere, verum & ſacerdotali innocentiæ ac puritati detractionis moleſtias importare, & derogationis blaſphemias inrogare. Dicent enim maliloqui, Paulus dicit, *Rom. 1.* *Non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte*, iſte iniquos coerceri non ſinit. Unde & Dominus per Pſalmiſtam tali ſicut iſte eſt, ſacerdoti, *Quare*, inquit, *Pſal. 49.* *tu enarras juſtitias meas, & adſumis teſtamentum meum per os tuum? tu vero odiſti diſciplinam, currebas cum fure, cum adulteris portionem tuam ponebas*. Non enim foveret malos, ſi bonum diligeret: ſed diligens Dominum, & odiens vitium, quod ſuum ageret, & quod a Deo per conditores legum juſta decernentes decretum eſt, non oppugnaret. Et iniquæ mulieres ac perverſi homines inquient, faciamus quod volumus, & adeamus eccleſiam, vel epiſcopum, & erimus impuniti. Hinc namque vituperabitur miniſterium noſtrum, & erimus contemptibiles, ut videlicet le-

galem

° *Cor.* illum armaſſe impunitate videtur, eumque imitatur, qui.

ANNO CHRISTI 860.

galem juſtitiam injuſtis a Domino poſitam contemnentes, quia unaquæque lex juſta crimen non habet, ne ſit injuſta, & tamen criminoſum punit, ut vere ſit juſta. Et e regione quidam jactabunt, ſcriptura dicit, *Ne ſis multum juſtus. Beati quoque miſericordes.* Et, *judicium illi ſine miſericordia qui non facit miſericordiam.* Et, *ſuper exaltet judicium miſericordia.* Et Dominus adulteræ, *Nec ego te condemnabo, vade; & amplius noli peccare.* Et tu ſacerdos cui miſericordiam niſi miſero debes impendere? & illi claudis non miſerendo miſericordiæ viſcera, qui in eum liber es a punitione? Quam utrinſque partis derogationem erga ſacris myſteriis ſervientes provide atque diſcrete cavens beatus Gregorius, ad Leontium exconſulem ſcribit: Debet, „ inquiens, gloria veſtra meminiſſe, quia nunquam meas epiſtolas pro commendatione alicujus accepit, niſi ut protectionem veſtram faciente juſtitia præſtaretis, quia turpe eſt defendere quod prius non conſtiterit juſtum eſſe. Ego quidem homines propter juſtitiam diligo, non autem juſtitiam propter homines poſtpono. Et ad Romanum defenſorem, Patrocinia eccleſiaſtica, ſive mea ſuſcipiatis ſcripta, ſive etiam minime fuerint directa, ſub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus hi qui in furtis publicis implicati ſunt, a nobis non videantur injuſte defendi, ne opinionem male agentium ex indiſcretæ defenſionis auſu in nos ullo modo transferamus, ſed quantum decet eccleſiam, admonendo, & verbum interceſſionis adhibendo, quibus valetis ſuccurrite, ut & illis opem feratis, & opinionem ſanctæ eccleſiæ non inquinetis. Sed & de his qui ad ſepta eccleſiæ, & etiam ad ipſa ſacraria confugerint ſanctuarii, ad Joannem epiſcopum Calaritanæ civitatis ſcribit. „ Si, inquiens, de quibus eſt quæſtio, ad eccleſiam fortaſſe refugerint, ita debet cauſa diſponi, ut nec ipſi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppreſſi, damna ſuſtineant. Cura ergo veſtra ſit, ut eis ſacramento ab his, quorum intereſt, de ſervanda lege & juſtitia promittant, & per omnia commoneantur exire, atque ſuorum actuum reddere rationem.

*Eccl. 7. Matth. 5. Jacob. 2. Joan. 8.*

Hæc, domini & fratres, rogatus, vobis audientibus, a ſupra ſcripto venerabili conſacerdote noſtro, ſapientiæ veſtræ depoſui: quæ ſi illi ad interrogationem ſuam non videntur ſufficere, plura hinc poterit in ſanctorum paginis legere, & a noſtra mediocritate in ſolutionibus quæſtionum, de quibus ab aliis interrogatus ſum, viceſimæ ſecundæ, & viceſimæ octavæ latius invenire.

ANNO CHRISTI 860.

Quoniam quidem ſupra chirographi regum noſtrorum memoriam feci, quæ de his ibidem conſtituta ſunt, hic ſubnectere procuravi. Et quia per vagos, & tyrannica conſuetudine inreverentes homines, pax & quies regni perturbari ſolet: „ volumus ut ad quemcumque noſtrum talis venerit, ut de his quæ egit rationem & juſtitiam ſubterfugere non poſſit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat, niſi ut ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur: & ſi rationem rectam ſubterfugerit, omnes in commune, in cujus regnum venerit, illum perſequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur. Similiter & de eo agendum eſt, qui pro aliquo capitali & publico crimine a quolibet epiſcopo corripitur, vel excommunicatur, aut ante excommunicationem crimen faciens, regnum & regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam ſuſcipiat, aut ſuſceptam legitime peragat: interdum etiam inceſtam propinquam ſuam, aut ſanctimonialem, vel raptam, ſive adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens ſecum ducit. Hic talis, cum epiſcopus, ad cujus curam pertinebit, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi vel latendi locum in regno alicujus noſtrum inveniat, & Dei ac noſtros fideles ſuo morbo inficiat, ſed a nobis, vel per miniſtros reipublicæ conſtringatur, & ut ſimul cum diabolica præda, quam ſecum duxit, ad epiſcopum ſuum redeat, & de quocumque crimine publico debitam pœnitentiam ſuſcipiat, aut ſuſceptam legitime peragere compellatur.

*Capital. Caroli Calvi tit. 8. c. 4.*

ANNO CHRISTI 861.

# a CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM

## b OECUMENICUM FALSO NUNCUPATUM,

Quo c trecenti octodecim circiter epiſcopi, d Ignatii injuſtam condemnationem & Photii illegitimam intruſionem confirmarunt, anno domini DCCCLXI. tempore Nicolai papæ & Michaelis imperatoris.

*Acta hujus conciliabuli recitantur ſummatim infra a Niceta in vita ſancti Ignatii patriarchæ, quæ eſt præfixa actis ſynodalibus octavæ ſynodi.*

*Numerus epiſcoporum quantus.*

a *Conciliabulum.* ] In hac pſeudoſynodo a trecentis & octodecim (ut ipſi jactabant) ſchiſmaticis epiſcopis, Ignatius ab exilio ad judicium & ſententiam evocatus, iniquiſſime damnatur, & quaſi contra triceſimum canonem apoſtolorum ordinatus fuiſſet, a ſede patriarchali deponitur & plane degradatur. Legati ſedis apoſtolicæ diu multumque reluctati, horrendis tandem terroribus inducti, iniquæ ſententiæ ſubſcripſerunt. Cumque nullo ſupplicio Ignatium inducere poſſent, ut ſuam ipſius condemnationem ille propria manu & ſubſcriptione approbaret, ſubſcripſit pro eo Photius ita: *Ignatius indignus Conſtantinopolitanus confiteor me ingreſſum eſſe ſine calculis, & his annis non ſancte me geſſiſſe, ſed tyrannice.* Unde Nicolaus papa in epiſtola 9. ad Michaelem imperatorem hanc ſynodum latrocinalem merito appellat. Primum quod in ea omnia per vim, minas & terrores, nec quidquam ſecundum ordinem ſacrorum canonum geſtum fuerit: Secundo, quia a ſchiſmaticis & damnatis epiſcopis ſynodus celebrata eſt: Tertio quia eidem imperator contra canones interfuit & præſedit. Denique quod in ea litteræ apoſtolicæ partim non fuerint recitatæ, partim etiam Photius eaſdem depravarit & corruperit.

*Ignatius iterum condemnatur; quare?*

*Conciliabuli acta ...*



ANNO CHRISTI 861.

Hæc omnia prolixe Nicolaus papa in epiſtola 9. ad Michaelem imperatorem, & Nicetas prædicto loco. Duæ hujus conciliabuli actiones habitæ fuerunt; una pro cultu ſanctarum imaginum: altera in cauſa Ignatii: ambarum meminit Nicolaus papa in epiſt. 10. ad orientales. Apud Balſamonem duplex dicta reperitur, non alia de cauſa, quam quod duæ actiones prædictæ in ea habitæ fuerunt. Idem præ ſe fert titulus duorum ejuſdem pſeudoſynodi canonum apud eumdem Balſamonem his verbis præfixus: *Canones editi a ſancta & magna Conſtantinopolitana ſynodo prima & ſecunda, quæ congregata eſt in venerabili templo ſanctorum & benedictorum apoſtolorum.* Poſt hæc meditatus eſt opus quod Nomocanonem appellari voluit, quodque collectionem ſacrorum canonum & ſacrorum patrum reſponſiones continet præter ſeptimæ ſynodi, alioſve 17. canones. Vide Baronium anno 861. numero 1. & ſequentibus.

*An fuerit œcumenicum?*

b *Oecumenicum.* ) Ita apud Theodorum Balſamonem nominatum invenies, idque ob numeroſitatem epiſcoporum, & præſentiam legatorum ſedis apoſtolicæ. Quo nomine eam Nicolaus papa appellet, ſupra dixi.

c *Trecentorum octodecim epiſcoporum.* ] Ita Michael cum ſchiſmaticis epiſcopis gloriabatur: epiſtola enim quinta ad eum reddita hæc ſcribit Nicolaus papa: *Igitur quia ad inſtar Nicæni venerandi cœtum concilii, veſtrum, qui in depoſitione Ignatii patriarchæ adfuiſtis, totidem fere numerari dicitis, miramur. Et quid prodeſſe conſideramus ejus numeri collegium præeſſe, ubi ipſius ſententiæ prævaricantur, cujus & numerus imitatur?* Ita Photius veritatis & juſtæ cauſæ præſidio deſtitutus, numero & vi regia vincendum eſſe putabat.

d *Ignatii.* ] De Ignatii vita plura reperies infra in concilio œcumenico VIII.

ANNO CHRISTI 861.

☞ Adnotatio P. ANTONII PAGI ad Annum Chriſti 861. n. 2.

Hæc Pſeudo-Synodus, cujus meminit Auctor libelli Synodici, qui hoc tempore vivebat, poſt Paſcha anni Chr. 861. celebrata. Nicetas enim, poſtquam Ignatium in Synodo CP. depoſitum fuiſſe aſſeruit, de Photio ſubjungit: *Suggerit Imperatoribus, ut Ignatius ad ædem Apoſtolorum deductus, primus exauctorationem ſuam ipſe publice pro ambone legat &c. Pentecoſtes ſancta dies complebatur, cum ecce ſibi armatorum manus domicilium in quo degebat, corona præter omnem expectationem repente cingit.* Sed Ignatius vilem a ſervis ſumit veſtem, & deceptis cuſtodibus profugit, ut ex Niceta refert Baronius num. 20. & ſeqq. Quare cum Pentecoſtes feſtum anno 861. in diem 25. menſis Maii inciderit, menſe illo Synodus hæc celebrata. ☜

# a CONCILIUM ROMANUM I.

## IN CAUSA JOANNIS RAVENNATIS

Epiſcopi celebratum anno domini DCCCLXI. tempore Nicolai papæ & Ludovici ſecundi imperatoris.

*Joannes Ravennas epiſcopus hoc concilio damnatus & abſolutus.*

a *Concilium.* ) Cum Joannes Ravennatis eccleſiæ archiepiſcopus ſubditos ſuos fideles graviter afflixiſſet, innocentes excommunicaſſet, peregrinantium ſtudiis & piis operibus reſtitiſſet, monituſque hac de cauſa a pontifice, nequaquam abſtinuiſſet, vel etiam ad ſynodum vocatus aliquoties non comparuiſſet, pontifex eum in hoc patrum conſeſſu juſta anathematis ſententia condemnavit. Cumque ab imperatore Ludovico ſubſidium & auxilium fruſtra imploraſſet, omni præſidio deſtitutus tandem comparuit, actaque de commiſſis pœnitentia, in communionem eccleſiæ iterum receptus fuit. Acta hujus concilii tribus actionibus diſtincta extant apud Burchardum in libris decretorum. Eadem recitantur ab Anaſtaſio in vita Nicolai papæ. Quæ cum * ſupra excuſa inveniantur, hoc loco omittenda eſſe putavi.

* tom. IX.

*Ex Bacchinii Agnello Ravennate in Appendice.*

☞ *Actorum hujus ſynodi ſummarium ad ſingulos Ravennati Metropoli ſubditos epiſcopos ex Concilii præſcripto tranſmiſſum primus edidit ex Cathedralis Mutinenſis tabulario Cl. Abbas D. Benedictus Bacchinius in appendice ad Agnellum Ravennatem a ſe editum, & nos hic ex eo ſubjicimus.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Pontificatus Domini Nicholai ſummi Pontificis, & univerſalis Papæ anno IIII. Imperii piiſſimi Auguſti Ludovici anno XI. die octavo decimo menſe Novembris Indictione X. Capitula, quæ in ſancto Concilio a Beatiſſimo Domino Nicholao Papa Romæ collecto ſtatuta, atque canonice firmata ſunt contra Johannem Ravennatem archiepiſcopum.

I.

Epiſcopos per Æmiliam non conſecres, niſi poſt electionem Cleri & populi.

II.

Eoſdem quoties ad apoſtolicam ſedem venire voluerint, nequaquam prohibeas. Sed & nullam dationem contra canonicam auctoritatem ab eis exigas:

III.

Prædia, quæ præceptis diruptis a jure ſancti Petri ad *jus S. Apollinaris* tranſtuliſti, & per emphyteoſim vel *libellum* ex ſingulis hominibus contuliſti, diligenter exquire, & inventis ipſis emphyteoſim vel libellum dirumpe, & ad jura S. Petri, cujus fuerunt, reſtitue, & talem ultra facere nunquam præſumas.

Sollicitudinem omnium eccleſiarum Dei circumferentes convenit nos univerſorum neceſſitatibus conſulere, & omnibus vulneribus ſalubria conferre remedia; Dominicarum quippe ovium Paſtores ſumus. Sed tanto nobis præ cæteris ſpecialiter præſens cura major incumbit, quanto vicem illius gerimus, cui divino oraculo ipſæ oves ſpecialiter commendantur, cui & præcipiens ait: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Et ideo ſanctitas veſtra (vobis epiſcopis in Æmilia commorantibus) a Johanne archiepiſcopo Ravennate multis impulſionibus queritur agitari. Debemus manum apoſtolatus noſtri vobis quantocius porrigere; & quia vos ex illis fratribus eſtis, quos S. Petrus converſus eſt confirmare, neceſſe

ANNO CHRISTI 861.

ceſſe eſt, ut a tantis ejus impulſionibus veſtram fraternitatem eruentes, in petra, quam ipſe confeſſus eſt, ne ulterius ..................... vacillatis, ſtatuamus. Conſtat autem ſanctitatem veſtram, una cum fratribus & coepiſcopis Æmiliæ regionis Pontificio noſtro lamentabiles querelas flebili voce coram ſynodo, quam Romæ celebravimus, expoſuiſſe, cui cum numeroſo Campaniæ videlicet, Tuſciæ, & Pentapoleos, & aliarum regionum ſanctiſſimorum epiſcoporum cœtu, & ipſum Johannem archiepiſcopum interfuiſſe dignoſcitur. Oppreſſio vero injuriarum, quibus a præfato archiepiſcopo vos querebamini affectos, prima fuit, quam perhibuiſtis, eumdem Johannem archiepiſcopum Ravennatem per binos annos ſemel epiſcopia veſtra circuire, & tandiu per ſingula reſidere, quouſque ipſa paupertas, quæ ad utilitatem epiſcopii, & ſuſtentationem Clericorum, & pauperum, & gubernationem familiarum, ac ſuſceptionem peregrinorum, atque reſtaurationem Baſilicarum, vel epiſcopii, hinc inde ſeparatur, cum ſuis hominibus illam conſumat, & non antea inde recedere, quam ab epiſcopo loci illius ad archiepiſcopum & familiares ejus, quæ non debentur, dona non modica tribuantur. Inſuper omni anno, quod in toto mundo minime invenitur, colonicio more, berbices, & oblatas, vinum, & pullos, & ova archiepiſcopo, & ad ſuum archipresbyterum ſimiliter & ad Archidiaconum, & ad Vicedominum, & ad Arcarium, & ad majorem cubiculi, & ad Cartularium, & ad Scriniarium, & ad Defenſores, & ad Cubicularium, & ad majorem domus tribus pro omnibus his ſupradictis omne annualiter ſine intermiſſione ad unumquemque ſupradictum redditum ſicut tribuarii facere. Plebes quoque veſtras, & titulos, ac curtes, atque monaſteria epiſcopii veſtri pertinentia ad gubernationem veſtram, alienare & ſibi ſubjicere, & delere. Aliud autem non minori querimonia aſſeruiſtis, vos compelli ab eo epiſcopia veſtra deſerere, & more populorum, Ravennæ per ſingulos menſes alternis, vel mutatis vicibus miniſtrare, & infantuli parochiæ veſtræ illis diebus ſine chriſmate obire. Clericos præterea quoſcumque novatur alicujus utilitatis exiſtere, pro ſuo libitu aſſeveraſtis ad veſtram ſubjectionem, & diſciplinam eum eſſe ſubtrahere ſolitum. Nec minus magno clamore firmaſtis, quod idem archiepiſcopus vos non dimittat, quoties ad limina apoſtolorum amplectenda, vel ad ſedem venire vultis. Quas nimirum querulas voces, & inauditas aſſertiones reverendiſſimi epiſcopi, qui in eodem reſidebant ſancto Concilio, audientes omnes pariter clamaverunt, hæc præter canones fieri, & ut in perpetuum prohibuiſſemus, Præſulatum noſtrum ſupplices poſtulare. Quapropter tam pernicioſa gravamina, & tam mala conſuetudo in eccleſia Dei tyrannice eum pullulaſſet, dolentes maxime cum contra omnes ſanctorum Patrum regulas, & contra omnem eccleſiarum Dei morem in ſola Ravennate metropoli a præſumptoribus ſint temere uſurpata, ne aliis metropolitanis epiſcopis talia præſumendi occaſio remaneret, & eccleſiæ Dei tali inficerentur exemplo; ſtatuimus una cum omni ſancto Concilio hoc a vobis, & veſtris ſucceſſoribus, immo a veſtris ſanctis eccleſiis penitus reſecandum. Unde iterum eodem reverendo Concilio ipſi Johanni archiepiſcopo, & omnibus ſuis ſucceſſoribus interdiximus, & de unaquaque præſumptione pronunciatis capitulis, promulgatiſque ſententiis, apoſtolica auctoritate præcipimus, videlicet ut tale quid ulterius nequaquam nec ipſe, nec ejus ſucceſſores agere præſumant; quæ ſcilicet capitula apud nos retinentes, exemplaria eorum vobis pro futuris temporibus retinenda mandavimus. Sed quoniam fraternitas veſtra apoſtolatum noſtrum pro futura cautela, & propter omnimodam ſecuritatem ſuam præceptum auctoritatis noſtræ vobis ſpecialiter, veſtriſque ſucceſſoribus epiſcopis in perpetuum mittendum obnixe popoſcit; inclinati precibus veſtris per hujus præcepti ſeriem præcipimus expreſſe, jubemus, atque omni interdictione prohibemus, ut nullus amodo, & deinceps archiepiſcopus Ravennæ ad veſtra epiſcopia ſine voluntate veſtra accedere temptet, vel aliquam pecuniam a vobis exigere, vel res eccleſiæ veſtræ, aut monaſteria veſtra, ſive plebes, aut titulos, ſive prædia, per quodvis ingenium diripere audeat, neque vocare Ravennam præter tempora a patribus diffinita, quibus Concilia epiſcoporum bis in anno celebranda ſanxerunt, vos ullo modo præſumant. Hoc præ cæteris ſupprimendum, ut illud quod trigeſimale dicunt, Ravennæ ullo modo vos facere, aut cogere audeant. Itaque nec dationem aliquam archiepiſcopis Ravennatibus ſit licentia a vobis, veſtriſque ſucceſſoribus epiſcopis amodo, & deinceps, id eſt in perpetuum exquirendi; nec non & vobis licentiam tribuimus, ut quoties pro beatorum apoſtolorum amore, vel pro viſitatione apoſtolicæ ſedis præſulum more deceſſorum veſtrorum Romam occurrere vultis, nullum impedimentum vobis archiepiſcopus Ravennæ nec palam, nec occulte facere præſumat, ſed Deo comite vobis occurrere liceat. Sed & hoc decernimus, ac diffinimus, ut cum ſtatutis temporibus archiepiſcopus Ravennas vos ad Concilia convocaverit, nullo modo vos diutius retinendi licentiam habeat, itaut ultra xv. dies pro gravi neceſſitate Ravennæ nullo modo remoremini. Secundum ſaluberrimum S. Leonis Papæ decretum nec licentiam habeat Clericos matricis eccleſiæ veſtræ, vel diœceſeos abſque veſtra voluntate, a veſtra diſciplina, & ſubjectione ſubtrahere. Sed neque eccleſias, neque plebes, neque titulos, nec monaſteria epiſcopio veſtro pertinentia a veſtro regimine & ditione, ac ordinatione, eis licitum ſit auferre. Siquidem vobis, veſtriſque ſucceſſoribus epiſcopis manere decernimus, tam quidem clericos, quam omnia eccleſiæ veſtræ regendi, fruendi, ac ordinandi licentiam. Archiepiſcopo vero Ravennati nullam volumus habere ſuper vos valitudinem, vel facultatem, præter quam ſacri canones præcipiunt. Sane ſi in aliquo tempore quilibet Ravennas archiepiſcopus prænotata gravamina ſuper vos renovare, vel reducere temptans per longa jam tempora hæc vos ſolviſſe affirmare conatus fuerit, & tale jus in vos habuiſſe Ravennatum archiepiſcopum ante multa tempora probare niſus extiterit, nullas talis aſſertio vires obtineat, nec poſſit longitudo temporis ſuffragari, quod conſtet præter juſtitiæ regulam pernicioſe diu fuiſſe præſumptum; præcipue cum ſacri Canones doceant, non minus malam conſuetudinem, quam pernicioſam corruptelam eſſe vitandam. Proinde decernimus, ut nihil exhibeatis archiepiſcopo Ravennati, qui per ſingula tempora fuerit, niſi quod Canones ſancti præcipiunt, quodque cæteri epiſcopi per Liguriam, & Venetiam, atque Iſtriam ſuis metropolitanis exhibere probantur. Archiepiſcopum autem Ravennatem nihil a vobis exigere debere cenſemus; nec in vos aliquid jus exercere diffinimus, niſi ut ſuperius libavimus. Si quis autem archiepiſcopus Ravennas amodo & deinceps contra noſtræ auctoritatis præceptum, vel contra hujus decreti



ANNO CHRISTI 861.

tenorem in toto, vel in parte venire temptaverit, & vobis veſtriſque ſucceſſoribus epiſcopis ſuperius prohibita injunxerit, vel tulerit, vobiſque aliquid de præſignatis oneribus impoſuerit, & non in omnibus hujus paginæ textui obedierit, ſit ſententia Dei omnipotentis, beatique Petri & Pauli apoſtolorum principum, & apoſtolica authoritate anathematis innodatus vinculis, & tanquam contumax ſacrorum Canonum, & apoſtolicarum violator inſtitutionum, ab omni ſacerdotali alienus in perpetuum exiſtat officio. Hæc vero, quæ ſuperius ſcripta continentur, in perpetuum confirmamus, ac roboramus, ſalvo dumtaxat honore, & ſubjectione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, atque docibili reverentia, & congruo Pontificum apoſtolicæ ſedis obſequio.

Cujus præcepti tenori ſcripto per manus Leonis Scriniarii indictione ſubſcripſit decima.

Nomina autem epiſcoporum, qui huic ſancto Concilio interfuerunt, conſenſerunt, & ſubſcripſerunt, hi ſunt, videlicet.

Ildebrandus [1] Verulinus.
Johannes [2] Velitri.
Petrus [3] Gabo.
Magiſtrus [4] Porti.
Arſenius [5] Ortano.
Petronacius [6] Albano.
Luitprandus Cluſinus.
Petrus Aretinus.
Geremias [7] Sabroni.
Ragio [8] Niaraſis.
Ropertus [9] Nocerinus.
Arigiſus [10] Fulinatus.
Johannes Forchoninus.
Leodriſius Marſicanus.
Colo Reatinus.
Arnulphus [11] Bellue.
Oſipus [12] Peſtorenſis.
Anſelmus [13] Camortinus.
Lanſtrienſis [14] Petroſinus.
Dominicus Eugubinus.
Juſtinus [15] Gallicanus.
Silianus de Humana.
Articarius [16] Sinogallia.
Johannes [17] Faneſtrienſis.
Raguel [18] Benſaurienſis.
Johannes Ficoclenſis.
Dominicus [19] Calliſinus.
Johannes Falaritanus.
Martinus Narnienſis.
Leo Amerinus.
Aldericus [20] Tibertinus.
Dominicos [21] Centumceſenſis.
Andreas Nepeſinus.
Paulus [22] Corninus.
Otto Roſſelanus.
Stephanus Monteſeletranus.
Leo Sylvæ Candidæ.
Sergius [23] Balnearicius.
Landulphus Capuanus.
Petrus [24] Spolitinus.
Donatus Feſulanus.
Petrus Florentinus.
Johannes Tuſcanenſis.
Raſtaldus Suanenſis.
Bonifacius [25] Bilarius.
Martinus [26] Priverinus.
Johannes Subtrinus.
Sergius [27] Abinenſis.
Leo Gajetanus.
Leo Tiburtinus.
Petrus [28] Urbianus.
Johannes [29] Terracinus.
Petrus [30] Ferentinatus.
Johannes Ariminenſis.
Johannes Signinus.
Georgius Trajectanus.
Rodericus Caſtello Felicitatis.
Lepardus Ancona.
Dominicus [31] Trive.
Neo [32] Aratinus.
Conſtantinus Ferrarienſis.
Apollinaris Bobienſis.
Romanus Faventia.
Petrus Imolenſis.
Leopertus [33] Aforienſis.
Florus Cæſenatis.
Johannes Forumpopulienſis.
Apollinaris Livienſis.
Leo [34] Orbertano.
Aldualdus [35] Balneregienſis.
Paulus Subdiaconus Romanus.
Petrus presbyter viceagens Romanæ Eccleſiæ.
Johannes Archidiaconus Romæ.
Adrianus Presbyter Romæ.
Leo Presbyter Rom.
Romanus Presbyter Rom.
Petrus Presbyter Rom.
Lunicius Diaconus Rom.
Johannes Diaconus Rom.
David Subdiaconus Rom.
Benedictus Subdiaconus Rom.
Salomon Subdiaconus Rom.
Benedictus Subdiaconus Rom.
Martinus Subdiaconus Rom.
Donatus Subdiaconus Rom.
Georgius Subdiaconus Rom.
Petrus Subdiaconus Rom.
Romanus Subdiaconus Rom.
Leoninus Subdiaconus Rom.
Stephanus Subdiaconus Rom.
Elia Olacionarius Rom.
Joſeph Primiſcrinius Rom.



1 Verulanus. 2 Veliternenſis. 3 Gabienſis. 4 Leg. *Megiſtus Oſtienſis*, qui his temporibus ſedem hanc regebat. Portuenſis autem Antiſtes erat Rodoaldus an. 860. CP. miſſus pro cauſa Ignatii; Romam reverſus nonniſi an. 862. 5 Hortanus. 6 Albanenſis. 7 Leg. *Hieremias Abrutli*, ſeu *Aprutinus*. 8 Forte *Nurſias*, ſeu *Nurſinus*. 9 Nucerinus. 10 Fulginatenſis. *Fuline* dialectus Umbrorum eſt. 11 Lege, *Baluenſis*, ſeu *Valvenſis*. 12 Oſchiſius Piſtorienſis. 13 Camertinus. 14 Peruſinus. Petroſinus etiam epiſcopus pro Peruſino legimus in diariis Alexandri VI. a Jo. Burchardo relictis. 15 Forte, *Labicanus*. 16 Senogallienſis. 17 Fanenſis. 18 Piſaurenſis. 19 Galleſianus. 20 Tudertinus. 21 Centumcellenſis. 22 Fuit quidem Cornus Sardiniæ civitas; ſed cum huic concilio nonniſi Provinciarum Romam circum exiſtentium Antiſtites interfuiſſe videam, legendum puto, ſeu intelligendum de Paulo epiſcopo *Populonienſi* in Tuſcia, qui his temporibus illam regebat eccleſiam. Extitit enim *Corninum* in comitatu Populonienſi, uti ex documento ab Ughello Ital. ſac. t. 1. in Lucenſibus col. 800. edito; & Populonio paule ante exciſo Corninum migraſſe epiſcopum veroſimile eſt.
23 Num *Nomentanus* dicendus, a Balneis Labanen. vulgo *i Bagni di Grotta Marozza* Balnearicius nuncupatus? an *Manſuanenſis*, ſeu *Foronovanus* in Latio, quo tempore ibi ſediſſe Sergium epiſcopum legimus tom. x. Ital. ſac. in Antiquatis. 24 Spoletinus. 25 Blerinus, *ſeu* Blerenſis. 26 Privernines. 27 Sabinenſis. 28 Urbinas. 29 Terracinenſis. 30 Ferentinas. 31 Triventinus. 32 Alatrinus. 33 *Forte*, Adrienſis. 34 Urbevetanus. 35 Balneoregienſis.

ANNO CHRISTI 861.

# ** CONCILIUM SUESSIONENSE (1)

## IN QUO ROTHADUS EPISCOPUS

### Sueſſionenſis epiſcopali privatus fuit communione, donec obediret.

*De eo hæc paucis vetus annalium Bertinianorum auctor ad annum* 861. Hincmarus Durocortori Remorum archiepiſcopus ſynodo comprovinciali apud martyrium ſanctorum Criſpini & Criſpiniani ſecus civitatem Sueſſionis Rothadum ipſius urbis epiſcopum regulis eccleſiaſticis obedire nolentem epiſcopali privat communione ſecundum decreta canonum, donec obediat.

### OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

*De variis apud Piſtas conventibus, placitis, ſynodiſve, tum politicis, tum eccleſiaſticis, ab anno 861. ad 870. necnon de conciliis in cauſa Rothadi coactis.*

Piſtæ locus fuit in diœceſi Rothomagenſi ad ripam fluvioli Andellæ haud procul Sequana fluvio & Ponte qui dicitur Arcæ ſitus, atque occaſione Normannorum qui in Oſcello peninſula ſedem fixerant labente æræ Chriſti ſæculo nono celeberrimus. *Piſtret*, ſive *Piſtes*, atque inde ſubjecta vallis *le Val Pitan* vulgari idiomate nuncupatur, ut jam ab anno 1646. in chronologica conciliorum Galliæ ſynopſi omnium primi monuimus vitiſque eruditis Orderici Vitalis, annalium Bertinianorum, Flodoardi, et Sirmondi ad capitularia Caroli Calvi, aliorumque teſtimonia ſubminiſtravimus. Ibi villa regia fiſcuſve dominicalis aut palatium magnifice extructum extitit, ſæpiſſime a Carolo Calvo Francorum rege, ejuſque proceribus, atque epiſcopis ab anno 861. ad 870. frequentatum, dum colliſis operis, totiuſque pæne regni opibus firmiſſima munitio adverſus ſubitas Danorum piratarum excurſiones jactis in proximum Sequanam molibus caſtelloque ſuperimpoſito pararetur. Adjungemus quoque ſtrictim omnia, quæ in cauſa Rothadi Sueſſionenſis epiſcopi, factione Hincmari Remenſis archiepiſcopi ac Caroli regis ſtudio depoſiti, opera vero Nicolai I. papæ in priſtinum gradum reſtituti, geſta fuiſſe ex certis monumentis accepimus.

C

I. Si qua fides auctori annalium Bertinianorum, anno 861. ut mox docuimus, Rothadus ab Hincmaro in ſynodo comprovinciali apud martyrium SS. Criſpini & Criſpiniani ſecus civitatem Sueſſionis epiſcopali communione privatus eſt.

II. Ex iiſdem annalibus conſtat anno 862. Carolum regem omnes primores regni ſui ad locum qui Piſtis dicitur ubi ex una parte Andella, & ex altera Audura Sequanam influunt circa Junii Kalendas cum operariis & carris convocaſſe, ut in Sequana munitionibus conſtructis aſcendendo vel deſcendendo navibus aditus intercluderetur.

III. Anno eodem certum eſt rediiſſe regem ad Piſtas, quo placitum ſimul procerum & ſynodum epiſcoporum ante condixerat, & inter operandum de ſancta eccleſia ac regni negotiis cum fidelibus ſuis tractaſſe. Ibi Rothadum in ſynodo provinciali (anni 861.) epiſcoporum communione privatum cum ſua ſe contumacia quatuor provinciarum concilio (apud Piſtas ſcilicet) præſentaſſe.

In hoc concilio arbitror decreta fuiſſe capitula quatuor illa longiuſcula anno regni Caroli Calvi 22. indict. hallucinantur enim qui ad annum 865. poſt Binium in editionibus conciliorum referunt: duo enim illi characteres omnino repugnant & annum deſignant præſentem Chriſtianæ æræ 862. ante 20. Junii aut Kalendas Julias. Sirmondus annum legit 22. in 23. mutavit, atque in notis meminit privilegii de villa Lirado pro S. Martino Turonenſi: *Cum ſuper fluvium Sequanæ in loco, qui Piſtas dicitur,*

A *unanimiter concilium ageretur anno* DCCCLXII. *& ſubſcriptio, data menſe Auguſto 20. ejuſdem menſis.*

IV. Fratrum illum conventum ne Rothadus penitus deponeretur ſub appellatione ſedis apoſtolicæ ſervare diſpoſuiſſe, ſed eumdem poſt ejuſdem concilii (Piſtenſis) judicium, cum corrigi nollet, in ſuburbio Sueſſionum civitatis (a pluribus epiſcopis eo a rege miſſis) depoſitum fuiſſe. Verba annalium illorum haud dubie corrupta ſic ſe habent: *Sed iiſdem*, &c. quæ poſtea ſuo loco referentur.

V. Ad ſynodi illius (in urbe Sueſſionica, aut vicino aliquo loco juſſu regis, ejuſque anno 23. hoc eſt poſt Kalendas Julias coactæ) patres diverſarum provinciarum atque urbium acceſſiſſe Ludovicum San-Dionyſiani monaſterii abbatem cum monachis ſuis, ac ſtatuta quædam ad victum veſtitumque monaſticum ſpectantia patribus confirmanda obtuliſſe, quorum maximam partem paulo poſt proferemus ex Dupleſſio. Ibidem quoque confirmatum S. Lauderici privilegium.

B

VI. Hincmarum Remenſem antiſtitem veniente Carolo rege in eamdem civitatem acciris comprovincialibus ſuis epiſcopis matrem eccleſiam in honore ſanctæ Mariæ dedicaſſe eodem anno 862.

VII. Carolum regem 8. Kalendas Novembris anni 863. ſynodum in Vermerienſi palatio habuiſſe, ibique abbatiam S. Karilephi ſuper Robertum epiſcopum Cenomanicæ urbis, qui eam per apoſtolicam commendationem jure ſui epiſcopatus mancipatam tenere volebat, legaliter dijudicaſſe, & Rothadum nuper depoſitum, ſicut domnus papa ei mandaverat cum ſuis & epiſcoporum litteris atque vicariis Romam miſiſſe.

Hanc vero Vermerienſem ſynodum præceſſerat eodem anno altera ſynodus in Convicino villa publica propter Silvanectenſem urbem, in qua ab Hincmaro variiſque epiſcopis gradu ſuo dejectus eſt Rothadus, & in monaſterium retruſus, ut ex epiſtola Nicolai papæ & libello proclamationis Rothadi conſtat.

C

Addit Sirmondus & alteram ſynodum in Sueſſionicæ civitatis ſuburbio convocatam, in qua Carolo rege præſente damnatus Rothadus per varia loca diſtractus vexatuſque ſit altero in ejus cathedra ordinato epiſcopo. Verum Sueſſionicas ſynodos ante Silvanectenſem collocandas arbitror, ex fide annalium Bertinianorum.

VIII. Sequenti anno 864. eumdem Carolum regem ex mandato papæ Rothadum Romam direxiſſe, regniſque epiſcopos cum ſynodicis ſuis vicarios ſuos miſiſſe. Iis Ludovicum imperatorem tranſitum denegaſſe. Ipſos legatos cum regis tum epiſcoporum antequam ad propria remearent cauſas moræ Nicolao cognitas feciſſe, Rothadum vero ſimulata infirmitate Veſontione ſubſtitiſſe, atque ad Ludovicum imperatorem profectum ab eo veniam eundi Romam impetraſſe.

IX. Eodem anno 864. Carolum regem Kalendis Junii Piſtis generale placitum habuiſſe, in quo annua dona receperit & firmitates in Sequana ne Normanni per eum aſcendere poſſent fieri juſſiſſe. Suum quoque capitula 37. conſilio fidelium ſuorum conſtituiſſe, & ut legalia per omne regnum ſuum obſervari præcepiſſe. Vide titulum 31. capitularium Caroli Calvi a Sirmondo editorum: ubi edictum Piſtenſe dicitur ind. 12. regni 25. VII. Kal. Julias, ſive adnuntiatio domni Karoli apud Piſtas, qui inde profectus circa Kalendas Julii Compendium intravit.

D

X. Anno 865. memorat idem auctor anonymus Carolum perveniſſe ad Piſtas, ubi, id eſt, prope quam villam, in Oſcello ſcilicet peninſula, immorabantur Normanni; deputatiſque cuſtodibus qui fluminum ripas cuſtodirent ad Odriacam villam menſe Septembrio perrexiſſe.

Concilium Romanum ordine VII. ipſis fere ejuſdem anni primordiis celebratum fuerat, in quo Rothadus oblato proclamationis libello, nullis accuſatorum ſuorum præſentibus, epiſcopalibus indumentis veſtitus die feſto S. Agnetis 12. Kal. Febr. in priſtinum honorem a papa reſtitutus eſt, ut pluribus docet Anaſtaſius, quæque ſuperſunt acta & epiſtolæ.

XI. Normannis menſe Julio anni 866. ab inſula S. Dionyſii moventibus & per Sequanam deſcendentibus Carolum hoſtiliter ad Piſtas veniſſe cum operariis & carris ad perficienda opera, ne iterum piratæ ſurſum valerent aſcendere.

XII. Carolum regem medio menſe Auguſto anni 868. ad Piſtas veniſſe, & caſtello menſurato pedituras ſingulis ex ſuo regno dediſſe. Ad eum locum Hincmarum Remenſem ducto ſecum Laudunenſi epiſcopo nepote ſuo Hincmaro cum aliis epiſcopis ſcriptis & verbis regem adiiſſe, &c. Quaterniones regi tunc ab archiepiſcopo pro eccleſiaſtica libertate oblatos aliaque eodem ſpectantia a R. P. Ludovico Cellotio primum edita concilio Duziacenſi primo ſubjiciemus.

XIII. Eumdem principem de centum manſis unum haiſtaldum, & de mille manſis unum carrum cum duobus bobus ad Piſtas mitti præcepiſſe, quatenus ipſi haiſtaldi caſtellum quod ibidem ex ligno & lapide fieri præcepit excolerent & cuſtodirent.

XIV. Miſcellaneorum curioſorum a nobis anno 1651. editorum parte II. pag. 471. editum fuit diploma ex cartulario abbatiæ S. Benigni Divionenſis datum apud Piſtas XII. Kal. Auguſti ind. 11. anno trigeſimo regnante Carolo glorioſiſſimo Francorum rege, Heriboldo notario ad vicem Gauzleni recognoſcente. Qui characteres eumdem annum 869. non 870. deſignant. Videſis in eamdem rem titulum 34. capitularium Caroli Calvi & conſtituta Piſtis capitula 12. cum adnuntiatione. Synodum certe epiſcoporum ibidem celebratam eodem anno 869. docet carta donationis ab Egilone Senonenſi archiepiſcopo factæ monaſterio S. Petri, quam ſuo poſtea loco proferemus nullo menſis die adſcripto.

B

XV. Idem qui ſæpe laudatus a nobis hiſtoricus ſub finem periochæ anni 873. a continuatore Aimoini libri V. cap. 31. verbatim expreſſus, teſtatur Carolum Calvum menſe Octobrio ejectis ab Andegavis Normannis per Cenomanenſem civitatem & Ebroicenſe oppidum ac ſecus Caſtellum novum apud Piſtas Ambianos Kal. Novembris perveniſſe. Verum de his pro inſtituti noſtri ratione jam ſatis, ut quæ ſequuntur hactenus intricatiſſima melius impoſterum intelligantur.

ANNO CHRISTI 862.

# ** CONCILIUM SENONENSE

## INCERTO LOCO HABITUM ANNO DCCCLXII.

### De deponendo Herimanno epiſcopo Nivernenſi.

Synodicam nobis ſuppeditat Petrus Delalande V. Cl. ex codice Floriacenſi; Pontificis reſponſionem, Gratianus.

Ex Labbei Append. to. VIII.

C

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo domino patri ac papæ Nicolao, Vvenilo Archiep. Senon. & coepiſcopi ejus.*

SUggerimus manſuetiſſimæ paternitati veſtræ, in noſtra diœceſi, in oppido quod Nevernum dicitur, eſſe quemdam epiſcopali officio præditum nomine Herimannum, qui frequenter admonitus & diu expectatus ut revaleſceret, implere non ſufficit ipſum officium, mente non integra. Dicitur autem Melchiades papa decreviſſe, ne quis umquam pontifex ſine conſenſu papæ Romani deponeretur. Unde ſupplicamus, ut ſtatuta illius integra, ſicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini: ut hinc dictis ipſius confirmati, aut ſicut beatus Gregorius doctor fecit de Ariminenſi epiſcopo, ſimili incommodo laborante, ſequamur: aut ſicut ſanctus Gelaſius docet, removendus ſit mente percuſſus. Quo verum abſque dubietate ſciamus, expetimus & expectamus veſtrum judicium, ne in temeritatis calumniam aliquatenus incidamus, ſed veſtro inſtituti moderamine, veritatis & rectitudinis tramitem nullatenus deſeramus. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere.

*Reſponſio Nicolai papæ.*

[1] INdicas Herimannum epiſcopum, ſuper quibuſdam frequenter fuiſſe accuſatum: pro quibus, quia ex parte ipſius perſona deeſt, nos uni parti ad diſcrimen alterius credere procul dubio non poſſumus. Quamvis nec uſque adhuc qui fuerint illi exceſſus dixeris, nec utrum ſanæ mentis erat idem antiſtes, necne, cum ipſos exceſſus perpetrabat, evidenter oſtenderis: ſatiuſque arbitramur, quamlibet interim infirmitatem ad pœnam peccati, quam ad ipſum pertinere peccatum, cui magis conſulendum ſit & compatiendum, quam puniendum, vel aliquo modo feriendum. 7. q. 2. c. Indicas.

D

G. C. Ad idem forte Senonenſe concilium pertinet fragmentum epiſtolæ Nicolai Papæ, quod ſubjicio.

*Nicolaus Vvaniloni archiepiſcopo Senonenſi*. Revera juſtus mediator non eſt, qui uno litigante & altero abſente, amborum emergentes lites decidere non formidat. His ita præmiſſis volumus, & auctoritate apoſtolica monemus, ut ſi presbyter de quo agitur, poſt excommunicationem ſuam, apoſtolicam ſedem adire voluerit, nullus iter ejus impedire præſumat. 2. q. 5. c. Revera.



(1) Cauſam Rothadi Sueſſionenſis Epiſcopi cum Hincmaro Remenſi Archiep. accurate tractavit Natalis Alexander in Diſſert. VI. ſæc. IX. & X. pag. 2.

1 Integra Nicolai Papæ epiſtola extat in tom. antecedenti inter epiſtolas Nicolai.

ANNO CHRISTI 862.

# a CONCILIUM ROMANUM II.

## QUO, OCCASIONE QUORUMDAM

Orientalium, hæreſis Theopaſchitarum iterum pullulans damnata eſt anno domini DCCCLXII. tempore Nicolai papæ.

*In epiſtola ſeptima* " *Nicolai papæ duo canones in hac ſynodo conſtituti reperiuntur poſt hoc præambulum.*

* ſup. tom. IX.

INſuper autem quid in alia ſynodo a nobis olim collecta decreverimus adverſus eos, qui divinitatem domini noſtri Jeſu Chriſti cum Valentino, Manete, Apollinari & Eutyche ſectatoribus eorum contra primum paſtorem & apoſtolum, qui Chriſtum carne paſſum dicit, paſſibilem ore ſacrilego in quibuſdam regionibus veſtris prædicare dicuntur, ſubter annexis capitulis declaratur.

I.

Veraciter quidem credendum eſt, & omnimodis profitendum, quia redemptor noſter & dominus noſter Jeſus Chriſtus Deus & Dei Filius paſſionem crucis tantummodo ſecundum carnem ſuſtinuit, deitate autem impaſſibilis manſit, ut apoſtolica docet auctoritas, & ſanctorum patrum lucidiſſima doctrina oſtendit.

II.

Hi autem, qui ajunt, quia redemptor noſter & dominus Jeſus Chriſtus Deus & Dei Filius paſſionem crucis ſecundum deitatem ſuſtinuit (quod impium eſt, & catholicis mentibus execrabile) anathema ſit.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.* ] Hujus & alterius cujuſdam ſynodi Romanæ meminit Nicolaus epiſtola 70. his verbis: *Deinde bis facto concilio & lectis profanis geſtis quæ prædictus Leo a ſecretis detulerat,* &c. Cum enim ſub Nicolao papa undique magni momenti negotia ab oriente ſimul & occidente ingruerent, ſanctiſſimus pontifex frequentia voluit congregari concilia, ne quid inconſultis fratribus ageret. Baronius anno 862. num. 1.

Cur tam multa [illegible] concilia ſub Nicolao celebrata ſint.

# a CONCILIUM AQUISGRANENSE III.

## IN CAUSA THEUTBERGÆ

Uxoris Lotharii regis.

*In quo permiſſum eſt Lothario, ut aliud conjugium iniret.*

ANno DCCCLXII. indictione x. die III. Kalendarum Majarum, ex vocatione domni Hlotharii glorioſiſſimi regis, archiepiſcopi eorumque coepiſcopi Aquis convenerunt: videlicet Guntharius Agrippinenſis archiepiſcopus, & ſacri palatii archicapellanus, nec non & Theutgaudus Trevirenſis archiepiſcopus, Adventius Mediomatricorum epiſcopus, Atto Viridunenſis epiſcopus, Arnulfus Tullenſis epiſcopus, Franco Tungrenſis epiſcopus, Hungarius Trajectenſis epiſcopus, Ratoldus Argentoratenſis epiſcopus, ut divina auxiliante clementia, pro utilitate ac neceſſitate ſanctæ matris eccleſiæ, apud memoratum ſereniſſimum principem fideliter ac ſalubriter paſtorali proviſione intervenirent. unde noſtris jam periculoſis temporibus ſaltem ſero paſtoralis tuba inſonare prophetica admonitione debuerat, ubi dicitur: *Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam.* Iſa. 58.

I.

[illegible] ſimpliciter & fideliter malefidis Dei diſcrimina, & [illegible] mundi pericula replicantes, non ſine gravi gemitu noſtro Chriſtianiſſimo principi ad memoriam reduximus, ut non immemor vocationis ſuæ, quod nomine cenſetur opere compleat, ut rex regum Chriſtus, qui ſui nominis vicem illi contulit in terris, diſpenſationis ſibi creditæ dignam remunerationem reddat in cælis.

II.

Ad hæc ille, ſicut verus Dei cultor, noſtræ pariter ac veraciter annuit unanimitati, per omnia irrefragabiliter promittens, noſtris ſe obedire velle conſiliis, & rationabilibus obtemperare monitis. Et ut ita dixerimus, ultra quam credi poteſt, ita nobiſcum ſuum benigniſſimum informavit affectum, ut procul dubio pateret, quod ſuum cor illius amplexatur dextera, in cujus manu corda ſunt regum.

III.

Interea de his quæ ad ſtatum ſanctæ Dei eccleſiæ, & utilitatem regni, atque ſalutem populi ſibi commiſſi pertinent, ſalubribus reſponſis, & ſpiritalibus conſiliis, noſtram conſolatus eſt unanimitatem, ſe in omnibus paratiſſimum eſſe affirmans, ut verus adjutor, atque indefeſſus auxiliator noſtri ordinis, & totius ſanctæ religionis exiſtat.

IV.

Poſthæc humiliter ac devote paſtorale conſilium requiſivit, " libellum proclamationis, & ſuæ ſummæ neceſſitatis, in manibus noſtrorum fratrum imponens: ubi ſatis lugubriter divinum & paſtorale conſilium expetiit, ſuæque imbecillitatis cauſas queruloſis vocibus retractavit, qualiter in quadam femina, Theutberga nomine, factioſis perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus, immo non mediocriter repetebat, quod judicio epiſcoporum diſcidii ſententiam pertuliſſet. Quam, ſi idonea fuiſſet conjugali toro, & peſtifera inceſtus pollutione fœdata non eſſet, & vivæ vocis confeſſione publice condemnata, ſponte retineret. Porro ſe incontinentem eſſe profeſſus eſt, & ſine conjugali copula juvenilis ætatis ardorem ferre non poſſe aſſeruit. Procul dubio replicans, quod illi Theutbergam inceſtuoſam diximus, & ab omni concubina abſtinere præcepimus. & quod illi perdifficile eſt in juvenili ætate taliter permanere. Hinc vero teſtis adfuit Theutgaudus archiepiſcopus, quod juxta divinum atque ſuum conſilium, ſi aliquid in adhibita ſibi concubina deliquit, eccleſiaſtico medicamine adjutus, ſecretis jugibuſque hoc lacrymis, & vigiliis, ac ſpiritalis continentiæ macerationibus, inſuper eleemoſynarum largitionibus ſalubriter delevit. Et ut de multis pauca dicamus, ſi læta caro illum traxit ad culpam, afflicta ut credimus reduxit ad veniam.

* In cod. Palatino Bibl. Vaticanæ [illegible] Contestatio [illegible] Hlotharii, quam in ſine Actorum ſubjicimus.

V.

Igitur paſtoralis regiminis cura, ac divinorum eloquiorum documenta, noſtrorum fratrum animos ſolicitare cœperunt, quid nobis agendum, quidve tractandum eſſet, atque pro hujuſmodi querula proclamatione rationabiliter definiendum. illudque ante omnia formidantes, ne forte, quod abſit, poſt dignam ſatisfactionem, & ſaluberrimam reconciliationem, fragilitatis noxam tantus princeps incurreret, reverſus ad vomitum, & quaſi ſus lota in volutabro luti, illicitos aliquoties repeteret amplexus.

VI.

Inde actum eſt, quod pia fratrum ſolicitudo retractare decrevit, qualiter eccleſiaſticæ auctoritatis cenſuram in præſcripta femina Theutberga, ſua publica confeſſione exigente, complevit.

VII.

Allato itaque diverſorum conciliorum volumine, ex concilio Ilerdenſi capitulum XV. recitari fecimus, ubi ita ſcribitur: De his qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit, ut quouſque in ipſo deteſtando, & illicito carnis connubio perſiſtunt, uſque ad miſſam tantum catechumenorum in eccleſia admittantur: cum quibus etiam, nec cibum ſumere ulli Chriſtianorum, ſicut apoſtolus juſſit, oportet.

VIII.

Hinc quoque ſancti Ambroſii in expoſitione epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Corinthios capite XXXIII. Hos alloquitur, qui matrimonio juncti ſunt, ore dominico: *Uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam.* Hoc apoſtoli conſilium eſt, ut ſi diſceſſerit propter malam converſationem viri, jam innupta maneat. quod ſi continere ſe non poteſt, quia pugnare non vult contra carnem, ſuo viro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri, ut nubat, ſi virum ſuum cauſa fornicationis dimiſerit, aut apoſtaſiæ, aut illicita impellente laſcivia vir uſum quærat uxoris invertere: quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior. Si tamen apoſtatet vir, aut uſum quærat uxoris invertere, nec alteri poteſt nubere mulier, nec reverti ad illum. *Et virum uxorem non dimittere.* Subauditur autem, excepta cauſa fornicationis. Et ideo non ſubjecit, ſicut de muliere dicens, Quod ſi diſceſſerit, manere ſic: quia viro licet ducere uxorem, ſi dimiſerit uxorem peccantem. Non enim ea lege conſtringitur vir, ſicut mulier. Caput enim mulieris vir eſt. *Nam ceteris*, inquit, *ego dico, non dominus.* Hoc dixit, ut oſtendat quid proprio ore dominus juſſit, & quid hujus auctoritate conceſſit, quia & per iſtum dominus loquitur, qui ait: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?* 2. Cor. 13.

IX.

Ex a concilio Agathenſi capite LXII. De inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt. ibique poſt aliqua ita ſcribitur: Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

X.

De cetero his atque hujuſmodi canonicis ſanctionibus, & ſancti patris Ambroſii oraculis liquido perſpectis, credimus non illam fuiſſe idoneam, aut legitimam conjugem, neque a Deo præparatam uxorem, quæ publica, ut dictum eſt, confeſſione inceſtuoſo fornicationis crimine denotata probatur. Quocirca glorioſo principi noſtro, pro ſua in divino cultu devotiſſima affectione, atque victorioſiſſima regni tuitione, cui non ſolum nos, verum etiam canonica auctoritas inceſtuoſum conjugium interdicit, legitimum atque idoneum conjugium a Deo illi conceſſum non denegamus, juxta indulgentiam dicentis apoſtoli: *Melius eſt nubere quam uri.* 1. Cor. 7.

## " b CONTESTATIO HLOTHARII REGIS, appellantis epiſcopos de conjugio ſibi concedendo. "

b ex codice Palatino Bibl. Vaticanæ deſcripſit Holſtenius, miſit ad nos Eminent. Card. Fr. Barberinus.

VOs, o ſancti pontifices & venerandi patres, qui eſtis poſiti mediatores inter Deum & homines quibus commiſſa eſt noſtrarum cura animarum qui medicinam præſtatis vulneribus peccatorum qui ligandi atque ſolvendi habetis poteſtatem, & eſtis doctores atque ductores noſtri, ad vos humiliter proclamo, & veſtrum benignum atque fidele conſilium fiducialiter expoſtulo. Regalis enim poteſtas ſublimem debet recognoſcere ſacerdotalis dignitatis auctoritatem, quibus videlicet duobus ordinibus eccleſiaſticorum credentium auctore Deo, & regitur & gubernatur. Sed tantum ſuperiorem unum altero novimus, quanto excellentiam cæleſtis magiſterii Deo propinquiorem merito veneramur. Ideo qui vobis propter Deum humana fragilitate delinquimus, aut leviter vel ſponte oberramus, ad veſtram paſtoralem dignitatem ſolenniter recurrimus atque confugimus. Egomet igitur divina inſpirante clementia proprios cognoſcens errores, & tantarum maculas culparum expaveſcens atque exhorreſcens ſuppliciter confitendo veniamque poſtulando per vos a Chriſto remedium ſalutis exquiro. Multum certe de pietate veſtra confido, quia me ſpirituali compaſſione miſericorditer, & diſcrete ſuſcipi atque tractari minime dubito juxta illud apoſtoli.

Hic videtur aliquid deeſſe. H.

*Quis infirmatur & ego non infirmor? Et ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui ſpirituales eſtis inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis conſiderans te ipſum ne & tu tempteris.* Et alia ſcriptura monet, Calamum quaſſatum non conterendum. De cetero, patres, immenſas vobis gratias referimus quoniam & ſeniori patri noſtro fidem debitam conſervaſtis, ac poſt ejus obitum nobis in omnibus benigni & fideles extitiſtis. Et cum

2. Cor. 2. Galat. 6. Iſa. 42.

ANNO CHRISTI 862.

a) Hic deeſt verbum, *accendiſtis*: aut aliud ſimile. H.

cum multipliciter ac generaliter noſtram adoleſcentiam & labilem ætatem [a] procuraſtis quoque ſpecialiter; & diligenter circa fraudem nobis in nuncupata uxore illatam vigilaſtis. de quo ſiquidem negotio qualiter veſtris conſiliis actum fuerit ſcimus quia vos in memoria penitus habetis. Nam ipſam feminam de infando, & inceſtuoſo fornicationis contagio ſponte confeſſam juxta beati Pauli præceptum qui ait. *Ne commiſceamini fornicariis*; a nobis veſtra juſſione ſequeſtravimus. Quicquid tamen poſtea incontinentiæ fragilitate commiſi ſive neceſſitate ſive voluntate, veſtrum eſt oportune & rationabiliter emendare, atque meum eſt libenter obedire. Vos etenim ſcitis quia ab infantia ſeu pueritia inter feminas converſatus propter caſtitatis bonum, & impudicitiæ malum devitandum, ad portum legitimi conjugii pervenire deſideravi. Non ergo ignoro, quia quicquid ex hoc præter licitam copulam fuerit malo fornicationis & noxæ pollutionis aſcribi poſſit. Scio concubinam non eſſe uxorem, & nolo habere illicitam ſed licitam. Vos tamen memores juventutis meæ videte quid agendum ſit, cui nec uxor conceditur, nec concubina permittitur. Vobis notum eſt quid apoſtolus dicat: *Volo juniores nubere, filios procreare*. Et, *qui ſe non continet, nubat. Melius eſt enim nubere quam uri*. Et iterum: *Unuſquiſque ſuam uxorem habeat propter fornicationem*. Et Matthæus apoſtolus. [b] Deus nuptias benedixit, & permiſit amorem dominari in corporibus hominum. Itaque ſimpliciter loquor fateorque me non omnino poſſe durare abſque aliqua conjugali copula. Veruntamen cupio ſecundum interiorem hominem ab omni eſſe fornicatione alienus. Et nunc, cariſſimi, nos ſuppliciter veſtram imploramus ſanctitatem, ac pro illius amore qui nos redemit deprecamur, ut noſtro periculo corporis, & animæ ad utilitatem ſanctæ Dei eccleſiæ, & regni nobis commiſſi benigna caritate & devota fidelitate ſubvenire non differatis, quatenus & de proſperitate ac noſtra erga vos promptiſſima devotione pariter nos in domino gaudeamus & exultemus.

1. Cor. 5.

1. Cor. 7.

b) Hic deeſſe aliquid videtur. H.

** SENTENTIA EPISCOPORUM *Aquiſgrani coactorum, qua Lothario regi permiſſum eſt ut abjecta Theutberga uxore aliam ea adhuc vivente duceret*.

Ex eodem mſ. codice.

CUm ex diverſis provinciis totius regni ſereniſſimi regis Hlotharii ad Aquas-Granipalatii archiepiſcopi & epiſcopi conveniſſemus, ac paſtorali cura, & ſollicitudine eccleſiaſtica jura ventilaremus, ejuſdem principis noſtri cauſa ad medium deducta eſt, quæ de conjugii ſui controverſia jampridem noſtris in manibus fuerat evoluta. Paſtoris igitur ſummi domini videlicet noſtri Jeſu Chriſti, qui venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, exemplo informati, & auctoritate muniti, peccatoribus terrorem ſupplicii niſi reſipiſcant incurrere, veniamque ſi reſipiſcant permittere & concedere fiducialiter poſſe & debere ſcientes, præfatum regem divina nobis diſpoſitione donatum, & in ipſo regni tyrocinio fallaciter ſauciatum ut comperimus, acriter condoluimus, eumque laqueis quibus irretitum ſe ingemiſcebat, provide & fideliter erigere decertavimus, juxta illud apoſtoli: *Si quis erraverit ex vobis a veritate & converterit quis eum, ſcire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ ſalvabit animam ejus a morte*. Quod ergo omnibus impertiri jubemur, regi &

Jac. 5.

principi noſtro negare nequaquam debemus, qui priori conventui noſtro ſe humiliter exhibens lamentatus eſt in conjugii nomine ſe horribiliter defraudatum; nec tamen abſque tali conſortio juventutis ſuæ conſcius conſiſtere ſe poſſe adjecit, libellumque proclamationis & viam ſuæ ſalvationis depoſcentem divinitus aſpiratus porrexit. Cujus nos mœrori & anxietati, ut competebat, compatientes intellecto puræ devotionis affectu pœnitentiæ remediis præterita delere peccata & futura bonorum operum exhibitionibus præcavere monſtravimus. Quod & ille neceſſario & libenter amplectens ad exhortationem noſtram adhibitis ſibi quibuſdam ex collegio noſtro toto quadrageſimæ tempore jejuniis eleemoſynis ac reliquis Deo placitis operibus vigilanter inſiſtens congrua ſatisfactione dominum placare deſiderans id ſe promereri velle etiam diſcalciatis pedibus incedens patulo oſtendit. Deinde in hoc quoque concilio fragilitatis ſuæ caſus enucleavit, & ſalutis ſuæ conſilium utiliter ac laudabiliter a nobis quæſivit. Itaque ſecundum petitionem & devotionem ſuam ſervata ſollertiſſime humanæ pietatis forma & vigilantiſſime miniſterii noſtri moderata cenſura, qualiter ei proſpexerimus memoriæ mandare decrevimus. Feminam ſibi uxoris nomine & improbo conamine injectam potius quam legitime conjunctam pluribus didicimus documentis, & conjugem eſſe non potuiſſe quam plurimis atteſtationibus immo deteſtationibus ad poſtremum ſpontanea confeſſione ſua liquidius agnovimus. Quomodo enim poſſit matrimonio copulari quam juxta ſuam aſſertionem frater non pertimuit conſtuprare? dicente domino ad Moyſen. *Turpitudinem ſororis tuæ non revelabis*, & eodem Moyſe domino inſpirante terribiliter intonante. *Maledictus qui dormierit cum ſorore ſua filia patris vel matris ſuæ*. Hinc alia ſcriptura dicit. *Qui tenet adulteram ſtultus & impius eſt*. Hinc & apoſtolus. *Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur*. Hinc & in concilio Agathenſi cap. III. ita dictum eſt. *Qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit quouſque in ipſo deteſtando & illicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad miſſam tantum cathecumenorum in eccleſia permittantur. Cum quibus etiam nec cibum ſumere ulli Chriſtianorum ſicut apoſtolus juſſit oportet*. Hinc etiam beatus Ambroſius in expoſitione primæ epiſtolæ ad Corinthios cap. XXXIIII. ſcribit. *Poſtquam innuptis locutus eſt, & viduis, hos alloquitur, qui matrimonio juncti ſunt ore dominica uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit manere innuptam. Quod ſi continere ſe non poteſt, quia pugnare non vult contra carnem, ſuo viro reconcilietur*. Non enim permittitur mulieri ut nubat, ſi virum ſuum cauſa fornicationis dimiſerit, aut apoſtaſia aut illicita impellente laſcivia, vir uſum quærat uxoris quia inferior non hac lege utitur qua potior, ſi tamen apoſtata vir non uſum quærat uxoris invertere, nec alii poteſt nubere mulier; nec reverti cauſa fornicationis ad illum. *Et virum uxorem non dimittere*. Subauditur autem excepta fornicationis cauſa. Et ideo non ſubjecit ſicut de muliere diſcedens, quid ſi diſceſſerit manere ſic: quia viro licet ducere uxorem peccantem. quia non ea lege conſtringitur vir ſicut mulier: caput enim mulieris eſt vir. *Nam cæteris ego dico, non dominus*. Hoc dixit ut oſtendat quid proprio ore dominus juſſit, & quid hujus auctoritate conceſſit, quia & per iſtum dominus loquitur qui ait. *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?*

ANNO CHRISTI 862.

Levit. 18.

1. Cor. 6.

Ad



ANNO CHRISTI 862.

Ad hæc forte inter alia quis dicat. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Optime nimirum aptiſſimeque hoc in his obſervandum quos Deus conjungit, quia *a domino*, ut alibi ſcriptum eſt, *præparabitur viro uxor*. Sed quis audeat dicere hanc a Deo conjunctam vel præparatam, quæ tot ac tantis veteris, & novi teſtamenti inhibitionibus non ſolum non copulanda, ſed magis lugenda & in interitum carnis tradenda eſt ut ſpiritus ſalvus fiat ex proprii oris confeſſione monſtratur? juxta illud, *Ex verbis tuis juſtificaberis & ex verbis tuis condemnaberis*: & David eum qui ſe Saulem regem interemiſſe jactaverat, mox jugulare præcepit, dicens: *Sanguis tuus ſuper caput tuum, os enim tuum locutum eſt ego interfeci chriſtum domini*. Hinc Innocentius papa ad Toloſanos ſcribens affirmat, nullo modo abſolvi poſſe qui in ſe aut veri confeſſione aut teſtimonio falſitatis dixerit ſententiam mortis quæ dicta in alium puniretur, cum omnis qui ſibi fuerit mortis cauſa major homicida ſit. Sed & hoc ex epiſtola Valentini concilii ad Forojulienſes, & in concilio Africano cap. XCI. abundantiſſime demonſtratur. His quocirca aliiſque divinorum inſtrumentis eloquiorum non ſigniter imbutos ac mediocriter fultos ſi quis nos irrationabiliter, & inconſiderate in omni hoc negotio vel egiſſe vel definiſſe dicere præſumpſerit, niſi detractionis, & injuſtitiæ deprehenſionis maculam deterſerit, noverit ſe ante tribunal æterni judicis nobiſcum de his diſtrictiorem habiturum rationem. Quippe cum nullo livoris toxico aut amaritudinis zelo Deo teſte adverſus eamdem feminam moti aut alicujus favoris gratia ducti quippiam de ea feciſſe aut dixiſſe nos coram Deo proteſtemur, niſi quod moderatius, & manſuetius ſalva canonicæ auctoritatis regula quam violare nullatenus permittimur diligentiſſimo examine, & ſtudioſiſſima indagatione agendum reperimus, ſicut ex litteris diſcuſſionis noſtræ ſuper hac re a nobis conſcriptis dignoſcere fas eſt. Porro eidem principi ac ſeniori noſtro Hlothario poſt exceſſuum cognitionem, & errorum ſuorum convenientem mira afflictione punitionem ſcientes juxta ejuſdem profeſſionem aliam legem in membris ejus repugnantem legi mentis ſuæ, ne in deteriora labatur, uxorem ducere, filios procreare vetare non poſſumus, dicente apoſtolo: *Qui ſe non continet nubat, tantum in domino, melius enim nubere quam uri*. Et iterum. *Unuſquiſque propriam uxorem habeat propter fornicationem*: quæ ſcilicet neceſſitatis conceſſio eſt, non apoſtolicæ voluntatis, qui rurſus ait. *Vellem omnes homines eſſe ſicut & ego*. Et nos ergo idcirco iſta non omnimodis inhibere audemus, ut graviora facilius caveantur, & omnis indebita cauſatio ſollicitiori deinceps cuſtodia devitetur. Hujus ſeries rationis in commune a nobis domino inſpirante repertæ duobus ex noſtris fratribus litteris ſequeſtratim commendari injunctum eſt. Quod nocturno actum tempore primo mane ſacro concilio uterque ſcripturam ſuam præſentavit, & mira ſenſuum convenientia redolentem omnis cœtus noſter collaudavit, & de concordi ſententia domino gratias egit, quod ideo ſubjiciendum cenſuimus, ne ſi alterius ſcripturæ tenor in verbis diſcrepans in cujuſlibet manus devenerit non moveatur de diſſonantia ſermonum quem fidem accommodare compellit conſonantia ſenſuum.

Proverb. 19. 14. ex Græco.

Matth. 12.

2. Reg. 1.

1. Cor. 7.

** COLLECTIO VARIORUM LOCORUM *ex ſacra ſcriptura, conciliis, opuſculiſque patrum a duobus epiſcopis facta in conciliabulo Aquiſgranenſi ad ſolutionem hujus quæſtionis*: Si liceat homini uxore dimiſſa aliam ducere adhuc illa vivente.

SUper quæſtione de qua reverentia veſtra præcepit, ut inſpectis opuſculis patrum, quæ viderentur, vobis deſcriberemus, curavimus ut potuimus breviter & conſequenter quæ pertinent ad eam reſpondere.

Quæſtionis ſumma hæc eſt. *Si liceat homini uxore dimiſſa aliam ducere adhuc illa vivente*. In euangelio dominus ſecundum Matthæum ita dicit: *Dictum eſt quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det illi libellum repudii, ego autem dico vobis quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit adulterat*. Hic quidem dimitti uxorem poſſe, ſed fornicationis cauſa dominus teſtatur. Aliam vero nullam dicit eſſe cauſam cur poſſit dimitti; dimiſſa vero præter cauſam fornicationis nubere non poteſt alii, ſed neque duci ab alio. In utroque enim mœchia deprehenditur. An vero is qui mulierem cauſa fornicationis dimiſerit, aliam ducere non poſſit, in hoc loco non aperte ſignificatur. Alio vero in ejuſdem euangeliſtæ loco maniſeſtius exprimitur: ubi interrogatus dominus a Phariſæis: *Si liceat homini dimittere uxorem quacumque ex cauſa*, reſpondet: *Non legiſtis quia qui fecit ab initio maſculum & feminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Interim videtur præcipere ne uxor dimittatur, qua dimiſſa unius corporis factam eſſe diviſionem. Cum enim dicit, *jam non duo ſunt, ſed una caro*, oſtendit quicumque dimiſerit, quod unius carnis, id eſt corporis, faciat ſolutionem. Apoſtolus vero inferius: *Dico autem vobis: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem & aliam duxerit mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur*. Quod in ſermone obſcurius poſuit, hic maniſeſtius oſtendit: illic enim ait: *Quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa facit eam mœchari, & qui miſſam duxerit adulterat*; mulieris cauſam ſi nupſerit denotans, & ejus qui dimiſſam duxerit, ejus vero qui dimiſerit non maniſeſtans. Hic vero ait: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit niſi ob fornicationem mœchatur*, deſignans quia ſi dimiſerit non liceat ei aliam ducere, ſi mœchus eſſe noluerit. Unam tamen rem poſuit quæ faciat quæſtionem, dicens *niſi ob fornicationem*. Sed videamus quid alii dicant euangeliſtæ, in Marco legitur: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit adulterium committit, & ſi uxor dimiſerit virum ſuum & alii nupſerit mœchatur*. Nulla interponitur cauſa ſed ſimpliciter innuitur quod vir ſi dimiſerit uxorem ſuam & duxerit aliam adulterio polluitur. Quæ res in uxore quoque ſimiliter accipitur, ut ſi dimiſerit virum quacumque de cauſa & alii nupſerit adultera denotabitur. Videmus in iſto excludi euangeliſta, quod in Matthæo poſitum quæſtionem faciebat, Illud videlicet quod interpoſitum fuerat cauſa fornicationis, veluti ſi propter fornicationem mulier dimiſſa fuerat, quod is qui dimiſerat aliam ducere potuiſſet, ſed præſentis teſtimonii verbis agnoſcimus quod nequaquam ſive adulterii ſive alia quacumque cauſa dimiſſa fuerit uxor. liceat

ANNO CHRISTI 862.

Matth. 5.

Ibid. 19.

1. Cor. 7.

Marc. 10.

di-

Luc. 16.

A dimittenti aliam ducere : quod ſi fecerit adulterii culpa non erit immunis. Lucas vero : *Omnis qui dimittit uxorem ſuam & ducit alteram mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit mœchatur*. Gradatim igitur & quod in alio minus aperte in alio maniſeſtius ſignificatur. Matthæus fornicationis cauſam interponit, qua dimittenda ſit uxor. Marcus quod nulla de cauſa dimittenda ſit, quod ſi dimittitur nequaquam alii copulanda. Lucas vero dimitti poſſe dicit uxorem, ut intelligatur, ſive religionis ſive fornicationis cauſa, alteram tamen nullo modo fore ducendam. Quibus omnibus inſtruimur uxorem a viro non eſſe dimittendam, niſi vel fornicationis vel religionis cauſa intererit : quod ſi dimiſſa fuerit nec vir qui dimittit ducere
B poſſit alteram, nec dimiſſa alii nubere donec uterque, id eſt & qui dimittit & dimiſſa ſuperſtes fuerit.

1. Cor. 7.

Paulus apoſtolus : *His autem*, inquit, *qui matrimonio juncti ſunt præcipio non ego ſed dominus, uxorem a viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit manere innuptam aut viro ſuo reconciliari, & vir uxorem non dimittat*. Manifeſte uxoris determinat cauſam virum dimittentis ut maneat innupta, aut proprio viro reconcilietur. An vero virum ſi dimiſerit uxorem eadem lege conſtringat, quæſtionem facit propter illud quod in commentario beati Ambroſii legitur : *Quod quia penes vos eſt non fuit neceſſe ſubjicere. Dicimus tamen Paulum nequaquam ab euangelio diſſentire, nec aliud docere quam docuit Chriſtus*. Quid ſentiant euan-
C geliſtæ teſtimonia ſuperius poſita liquido demonſtrant. Unde quod hic minus poſitum eſt ab apoſtolo ſuper viri conditione dimittentis uxorem, & ex ſuperioribus ipſius apoſtoli datur intelligi, & ex euangeliſtarum teſtimoniis [a] convenerunt de uxore a viro diſcedente loqueretur, ait : *Quod ſi diſceſſerit, maneat innupta, aut viro ſuo reconcilietur*. Oſtendit non debere diſcedere, aut ſi diſceſſerit innuptam permanere, aut poſtremo quod reſtat viro ſuo reconciliari. Cum vero ſubjunxit : *Et vir uxorem non dimittat*, nihil ultra addens a ſuperioribus [b] ſubintelligendum ut ait uxorem non dimittat, aut ſi dimiſerit aliam non ducat, aut poſtremum quod eſt, uxori ſuæ reconcilie-
D tur. Quæ ſententia tam ipſius apoſtoli dictorum conſequentia quam euangeliorum conſonantia confirmatur.

a) Forte, convenit. Nam cum de uxore. H.

b) Forte, ſubintelligendum ait, ut uxorem. H.

Tranſeamus ad doctorum ex præſenti loco ſententias. Venerabilis Auguſtinus in ſermone domini ſecundum Matthæum : Non enim qui præcepit, inquit, dare libellum repudii [c] huic præcepit ut uxor dimittatur, Sed qui dimiſerit, inquit, det illi libellum repudii ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæſivit ſignificavit quantum potuit duris hominibus ſe nolle diſcidium. Et ideo ipſe dominus alio loco de hoc interrogatus ita reſpondit : *Hoc Moyſes propter duritiam veſtram fecit*. Dominus ergo ad illud confirmandum ut non facile uxor dimitta-
E tur ſolam cauſam fornicationis excepit. Ceteras vero univerſas moleſtias ſi quæ forte extiterint jubet pro fide conjugali pro caſtitate fortiter ſuſtinere, & mœchum dicit etiam virum qui eam duxerit quæ ſoluta eſt a viro. Cujus rei apoſtolus Paulus terminum oſtendit, quia tamdiu obſervandum dicit quamdiu vir ejus vivit, illo autem mortuo dat nubendi licentiam præſens auctor ſolutionem mulieris a viro faciendam eſſe non facile dicit, & ſolam cauſam fornicationis eſſe qua fieri poſſit, facta vero ſolutione aut reconciliando ſibi invicem aut neutrum alteri jure matrimoniali ſociandos.

c) Forte, hic. H.

Matth. 19.

In commentario Hieronymi ſecundum Matthæum : *Dictum eſt, quicumque dimiſerit uxorem ſuam det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis : Quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam*, & reliqua. In poſteriori parte iſtum locum plenius ſalvator exponit : Quod Moyſes libellum repudii dari juſſerit propter duritiam cordis maritorum non diſcidium concedens, ſed auferens homicidium. Multo enim melius eſt licet lugubrem evenire diſcordiam, quam per odium ſanguinem fundi. Auctor iſte domini fultus auctoritate diſcidium potius eligit ne homicidium fiat. Ut vero vel dimiſſus vel dimiſſa experiri poſſit denuo alias nuptias utroque vivente non dicit. In eodem commentario : ſola fornicatio eſt quæ uxoris vincat affectum, immo cum illa unam carnem in aliam diviſerit, & ſe fornicatione ſeparaverit a marito, non debet teneri ne virum quoque ſub maledicto faciat dicente ſcriptum : Qui adulteram tenet ſtultus & impius eſt. Ubicumque eſt igitur fornicatio & fornicationis ſuſpicio libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, ſic priorem dimitti jubet uxorem ut ſecundam prima vivente non habeat. Non interdicit beatus Hieronymus uxorem dimittendam in adulterio deprehenſam, & quod majus eſt etiam ſuſpicionis infamia denotatam, ſi non alias mariti potuerit ira frenari : ut tamen excludatur alterius cauſa ducendæ uxoris & caſtitatis zelo abjici proprie dicit non eſſe ſecundam ducendam [d] qui primam tenere noluerit.

d) Hic deeſſe aliquid videtur. H.

Venerabilis Beda presbyter in commentario euangelii Marci. Una ergo ſolummodo carnalis cauſa fornicatio, una ſpiritualis timor Dei, ut uxor dimittatur ſicut multi religionis cauſa feciſſe leguntur. Nulla autem cauſa eſt Dei lege præſcripta ut vivente ea quæ relicta eſt alia ducatur. Et hic dimitti poſſe non negat uxorem ſive fornicationis ſive religionis cauſa, aliam vero duci poſſe vivente priore, ſequens auctoritatem majorum non conſentit.

Sanctus Ambroſius in explicatione euangelii ſecundum Lucam. Prius dicendum eſt arbitror de lege conjugii ut poſtea de prohibendis divortiis diſputemus. Quidam enim putant omne conjugium a Deo eſſe maxime quia ſcriptum eſt : *Quæ Deus conjunxit homo non ſeparet*. (Matth. 19.) Ergo ſi omne conjugium a Deo, omne conjugium non debet ſolvi. Et quomodo dicit apoſtolus : Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat ? in quo & mirabiliter noluit apud Chriſtianos cauſam reſidere divortii. Et oſtendit non a Deo omne conjugium. Neque enim Chriſtianæ gentilibus Dei judicio copulantur cum lex prohibeat. Ex verbis hujus doctoris datur intelligi & non eſſe omne conjugium a Deo & in quibus hoc ſit intelligendum. Videlicet ſi Chriſtianus infidelem ducat, aut Chriſtiana Judæo nubat ; hujuſmodi conjugium quia non eſt a Deo fore ſolvendum. Si vero Chriſtianus Chriſtianam ducat, & quæ legaliter fieri debent compleantur, conjugium tale non negat eſſe a Deo in ſequentibus inquit : Noli ergo uxorem dimittere ne Deum tuæ copulæ diffitearis auctorem. Etenim ſi alienos multo magis uxoris debes tolerare & emendare mores. Audi quid dixerit dominus : *Qui dimittit uxorem facit eam mœchari* : etenim cui non licet vivente uxore mutare conjugium, poteſt obrepere libido peccandi ; itaque qui auctor erroris etiam reus culpæ eſt. Non eſſe dimittendam uxorem omnino proteſtatur : Quod ſi dimiſſa vel nupſerit vel clanculo ſe

cor-





A corruperit in eum culpa redundabit auctor diſcidii qui extiterit. Item in conſequentibus : Dimittis vero uxorem quaſi jure ſine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, ſed divina prohibet. Qui hominibus obſequeris Deum verere, audi legem domini quam obſequuntur etiam qui leges ferunt : (Ibidem.) *Quæ Deus conjunxit homo non ſeparet*. Tangit hoc loco quod apud ſæculi ſolet homines fieri in uxoribus dimittendis. Lege divina hoc penitus interdicitur, humanæ vero leges concedunt. Sed beatus Ambroſius potius divinis dicit quam humanis legibus obtemperandum. Et cæleſte jus humano præferendum eſſe juri, cui debent etiam ipſi ſubjici humana qui condunt jura. Item in conſe-
B quentibus : Pateriſne oro vivente te eſſe liberos tuos ſub vitrico aut incolumi matre degere ſub noverca ? Pone ſi repudiata non nubat, & hæc tibi debuit diſplicere cui adultero fidem ſervat. Pone ſi nubat neceſſitas illa tuum crimen & conjugium quod putas adulterium eſt. Quid enim refert utrum id aperta criminis confeſſione an mariti ſpecie adulterium admittas, niſi quod gravius eſt lege criminis feciſſe quam furtim. Plures innectit cauſas quibus diſcidium diſſuadeat, quod & impium ſit & iniquum. Impium ſi habens ex dimiſſa liberos & illa nupſerit filiique proprii ſub vitrico fuerint, quod fieri ſolet quando una cum matre etiam filii pelluntur, vel certe ſi ſola matre pulſa filii retineantur, & alia ducta uxore
C filii ſub noverca duxerint inliberalem vitam. Hæc quidem omnia impietatem proteſtantur. Porro ſi dimiſſa nubere noluerit continentia ſua adulterum virum condemnat. Et iniquum eſt caſtam ab incontinente dimitti. Vir quoque ſi alteram duxerit, nihilo minus iniquum [a] eſſe quia contra Dei leges facit, & idcirco in hac etiam parte iniquus exiſtit. Docet ergo nullo modo uxorem dimitti, quod ſi dimiſſa fuerit alteram duci minime nec liberum poſſe matrimonium dici aut eſſe ſine peccato, quamvis ex lege ſæculi habere patrocinium videatur, quandoquidem contra leges Chriſti nubitur.

a) Pro eſt. H.

Auguſtinus in libris de adulterinis conjugiis ſatis ſuperque diſputat : quos qui ſtudioſe lege-
D rit, nulla quæſtionis hujus cunctatio animam illius obtinere valebit. Ex quibus pauca curavimus in præſenti capitulo breviter annotare. Ut qui totius operis plenitudinem vel non valuerit vel noluerit procurare ; ex paucis cognoſcat quid in hac re auctor ille catholicus a catholicis teneri velit. In libro primo poſt multa ſic ait. Quid ſcriptum ſecundum Matthæum. Non quidem quod ad hanc rem pertinet dictum eſt totum, ſed ita pars dicta eſt ut intelligeretur a parte totum quod tanquam explanantes Marcus & Lucas ut clareſceret plenius ſententia totum dicere maluerunt. Cum itaque primum non dubitantes verum eſſe quod apud Matthæum legi-
E tur. (Ibidem.) *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam præter cauſam fornicationis, & aliam duxerit mœchatur*, quæſierimus utrum tantum iſte mœchetur ducendo alteram uxorem qui præter cauſam fornicationis priorem dimiſerit, an omnis qui dimiſſa uxore alteram duxerit, ut ibi ſit etiam ille qui fornicantem dimiſerit. Nonne ſecundum Marcum reſpondebitur nobis, Quid quæritis utrum ille ſit mœchus & ille non ſit, quicumque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit adulterium committit. Nonne etiam ſecundum Lucam dicetur nobis, Quid ambigitis utrum ille qui propter cauſam fornicationis uxorem dimiſerit, & aliam duxerit non mœchatur. Omnis qui dimittit uxorem ſuam & ducit alteram mœchatur. Ac per hoc quoniam fas non eſt ut euangeliſtas quamvis diverſis verbis de una re loquentes ab uno ſenſu eademque ſententia diſſentire dicamus. Reſtat ut Matthæum intelligamus a parte totum ſignificare voluiſſe, eamdem tamen tenuiſſe ſententiam, ut dimittens uxorem & alteram ducens quidam mœchetur, id eſt qui præter fornicationem dimiſerit : quidam vero non mœchetur, id eſt qui propter fornicationem dimiſerit. Sed omnis qui dimittit uxorem ſuam & ducit alteram mœchari minime dubitatur. Nam & illud quod etiam ſecundum Lucam ſequitur, qui dimiſſam a viro ducit mœchatur, quomodo eſt verum quomodo mœchatur, niſi quia illa quam duxit eo vivente a quo dimiſſa eſt adhuc uxor aliena eſt ? Si enim jam ſuæ non alienæ miſcetur uxori, utique non mœchatur : mœchatur autem, aliena eſt ergo cui miſcetur. Porro ſi aliena eſt hoc eſt ejus a quo dimiſſa eſt etiamſi propter fornicationis cauſam dimiſſa eſt, nondum dimittentis uxor eſſe ceſſavit, ſin autem illius eſſe ceſſavit, jam hujus eſt cui alteri nupſit. Et ſi hujus eſt non mœchus judicandus eſt ſed maritus ; ſed quia non eum maritum ſed mœchum dicit ſcriptura, adhuc illa illius eſt a quo etiam fornicationis cauſa abjecta eſt : & ideo quamcumque etiam jam illa dimiſſa ducit uxorem, quia cum alieno marito concumbit, adultera eſt. Unde autem fieri poteſt ut adulter etiam ipſe non ſit quem conſtat adulterare cum ea quam duxit ? Pluribus rationibus venerabilis oſtendit Auguſtinus quod ſive fornicationis cauſa dimittat quis uxorem, ſive præter fornicationem, & alteram duxerit, mœchatur. Et illa quæ ſive propter fornicationem, ſive fornicationis cauſa excepta dimiſſa alii nupſerit vivente viro mœchetur, nec tales nuptias legitimi poſſe matrimonii eſſe ſecundum eccleſiæ leges quas adulterio conſtat eſſe ſolutas.

Item in ſecundo libro Chriſtianis equidem loquor qui fideliter audiunt, caput mulieris ſunt : ubi ſe agnoſcunt duces, illas autem comites eſſe debere, & ideo cavendum viro illa ire vivendo qua timet uxor ſequatur imitando. Sed iſtis quibus diſplicet ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma ſervetur, & potius eligunt maximeque in hac cauſa mundi legibus ſubditi eſſe quam Chriſti quoniam jura forinſeca non eiſdem quibus feminas pudicitiæ nexibus viros videntur obſtringere. Legant quid imperator Antoninus non utique Chriſtianus de hac re conſtituerit, ubi maritus uxorem de adulterii crimine accuſare non ſinitur cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum, ita utrambo damnentur ſi ambos pariter impudicos conflictus ipſe convicerit. Nam ſupradicti imperatoris hæc verba ſunt, quæ apud Gregorianum leguntur. Sane, inquit, litteræ meæ nulla parte cauſæ præjudicabunt. Neque enim ſi penes te culpa fuit ut matrimonium ſolveretur, & ſecundum legem Juliam Euſtaſia uxor tua nuberet. Propter hoc reſcriptum meum adulterii damnata erit, niſi conſtet eſſe commiſſum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere an cum tu pudice viveres illi quoque bonos mores colendi auctor fuiſti, periniquum mihi videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat quam ipſe non exhibet, quæ res poteſt & virum damnare non ob compenſationem criminis mutui rem inter utrumque componere vel cauſam facit tolerare. Si hæc obſervanda ſunt propter decus terrenæ civitatis, quanto caſtiores quærit cæleſtis patria, & ſocietas angelorum. Quæ cum ita ſint. Numquid ideo minor eſt an potius major, & pejor virorum impudicitia quia

ineſt

ANNO CHRISTI 862.

ineſt illis ſuperba, & licentioſa jactantia. Monſtratur igitur doctoris auctoritate præſentis parem uxoris maritique culpam communi pœna feriendam, non licere viro quod non licet uxori, & ſicut illa non ſervando fidem marito mœchatur, ſic & vir fidem non ſervando uxori mœchus habetur.

His breviter prælibatis qui vult hujus auctoris ſententiam ſuper hac re plene cognoſcere, libros legat de quibus iſta decerpſimus, & videbit quia ſi uxor dimittitur, alii ſecundum euangelicam doctrinam ſociari nuptialiter non poteſt, nec tale matrimonium appellandum conjugium, ſed potius adulterium.

In canonibus apoſtolorum: Si quis laicus uxorem propriam pellens alteram vel ab alio dimiſſam duxerit communione privetur. Item in concilio Africano placuit ut ſecundum euangelicam & apoſtolicam doctrinam neque dimiſſus ab uxore neque dimiſſa a marito altero conjungantur, ſed ita maneant ut ſibimet reconcilientur, quod ſi contempſerint ad pœnitentiam redigantur, in quam cauſam legem imperialem petendum promulgari. In decretali Innocentii papæ. Et illud deſideratum eſt ſciri cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in conſortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat, ſed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud ſacerdotes deferre conſueverunt, & ideo mulieribus prodito earum crimine communio denegatur. Virorum autem latente commiſſo non facile quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur, recte utique ſummovebitur ſi ejus flagitium detegatur. Cum ergo par cauſa ſit, interdum probatione ceſſante vindictæ ratio conquieſcit. Hoc capitulum propterea interpoſitum eſt ut videamus in adulterii crimine parem eſſe pœnam tam viri quam uxoris, quamvis in uxore facilius ſoleat puniri non diſpari cauſa, ſed ceſſante delatore. Duo vero ſuperius capitula cum ſententiis patrum ſuppoſitis conveniunt videlicet ut uxore dimiſſa vel marito dimiſſo aut ſibi reconcilientur aut alteri non nubant.

Hactenus quod egimus probare contendimus quod is de quo agitur aut cœlebs manere aut uxori debet reconciliari, ſi tamen divinis litteris vel auctoritate patrum maluerit obtemperare. Quod autem opponitur non fuiſſe copulam illam legitimum matrimonium, quia non virgo nupſerit marito, ſed corrupta & hoc a fratre, quicquid ante fuerit priuſquam nupſerit ſi fidem poſtquam nupſit marito caſtitatem tenendo ſervavit, antiqua corruptela poſteriori caſtitati non præjudicat. Licet fuerit meretrix, licet proſtituta, licet multis corruptoribus expoſita, ſi nuptiale incontaminatum fœdus ſervaverit, prioris vitæ maculas poſterior mundicia diluit. Dicit enim apoſtolus. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſti facti eſtis. Hinc beatus Auguſtinus ad Pollentium ſcribens ait. Quod autem tibi durum videtur, ut poſt adulterium reconcilietur conjux conjugi, ſi fides aſſit non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros quos vel baptiſmate ablutos vel pœnitentia credimus eſſe ſanatos? Videmus igitur quod prioris vitæ corruptionem ſanctimonia conjugali credere debeamus eſſe mundatam, & quod deletum eſt vel baptiſmo vel pœnitentia id eſt continentiæ profeſſione, cujus teſtimonium conjugii pa-

A cta confirmant, non debet denuo in culpam vocari, nec deputari immundus qui ſordes pollutionis abjiciens, caſtitatis mundiciam conjugali fœdere diligenter conſervat. Nec contra apoſtolicam doctrinam eccleſiæque fidem videamur venire. In concilio Agathenſi. De inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos vero nullo conjugii nomine deputandos quos etiam deſignare funeſtum eſt.

Hactenus ex præſenti capitulo in litteris quas meminiſtis poſitum recognoſcitis, volentes qui poſuerunt probare quod conjugium de quo agitur, inceſtum potius quam conjugium ſit appellandum. Sed videamus ſequentia, hos enim eſſe

B cenſemus: ſubauditur inceſtos. Si quis relictam fratris quæ pæne prius ſoror extiterat carnali conjunctione polluerit. Si quis fratris germanam uxorem acceperit. Si quis novercam duxerit. Si quis conſobrinæ ſe ſociaverit. Si quis relictæ vel filiæ avunculi miſceatur aut patrui filiæ aut privignæ ſuæ, aut ex propria conſanguinitate aliquam aut quam conſanguineus habuit concubitu polluerit aut duxerit uxorem, quos omnes & olim atque ſub hac conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus.

Hinc igitur videmus inceſtum eſſe vel deſignari conjugium ſi conſanguineam vel quam conſanguineus habuit ducat uxorem, & tales nuptias reprobandas. Perſonæ vero de quibus agitur

C nulla ſibi ſanguinis propinquitate copulantur. Etſi dicitur a fratre polluta non fuit tamen in uxorem accepta. Et vel latet vel purgata eſt culpa dum vel nullis certis teſtibus comprobatur idoneo deficiente accuſatore ſeu manifeſta convictione, vel quod delictum eſt in adoleſcentia pucrili fragilitate purgavit ſatisfactio emendatione congrua per maritalem confederationem; ſiquidem in majorum conſtitutis exempla nos docent adoleſcentiæ lapſibus quantum indulgeri oporteat, ſiquidem adoleſcentem cum ſorore lapſum pœnitentiæ remedio dicunt eſſe ſanandum, non a conjugio penitus removendum. Quæ res ex ſanctorum dictis manifeſte comprobatur.

D Unde ſuperiori capitulo nuptiæ quas dicimus non videntur comprehendi quia remota ſunt a ſanguinis propinquitate. Nam etſi carnalis quædam per lubricum ætatis pollutio ſubripuit, delendum eſt pœnitentiæ remedio, non puniendum ſeparatione conjugii, nec maritus in uxoris lapſu polluitur, ſi nec opere nec conſenſu miſcetur. Denique ſi quemadmodum fertur illa pollutionem incidit, quid ad virum pertinet ſi cum ea caſte vixit? aut quomodo conjugis pollutio conjugem polluere poteſt? ſi caſte poſtquam nupta eſt vixit cum conjuge? Nec timendum ne maledicto ſit maritus cum tali junctus, propter illud quod Salomon dixit; *qui tenet adulteram ſtultus eſt*; quoniam poſtquam ei nupſit caſtita- Prov. 18.

E tem ſervavit, non enim antiqua reputanda ſunt delicta, ſi melior converſatio jam purgavit illa, ſicut enim infidelis jam non eſt infidelis, & ſicut humilis jam non eſt ſuperbus, & ſicut ſanctus jam non eſt immundus, ſic caſtus jam non eſt impurus, ſic quoque conjugium continentiæ ſanctitate mundum adulterii ſordibus non eſt addictum. Quamvis forte contingat ut priuſquam nubant uterque ſexus per quædam illicita ſe polluerit. Unde quamvis quondam illa contraxerit fortaſſis priuſquam nupſerit corruptionem, nupta tamen non legitime vocabitur adultera caſtitatis fidem ſi ſervaverit marito. Quod ſi ita eſt quomodo poteſt fornicationis cauſa dimitti a

marito



ANNO CHRISTI 862.

marito quandoquidem caſta manſit cum ipſo, quicquid uterque ante corruptionis pertulerit, & non ſit licitum ſolvi matrimonia niſi fornicationis interceſſerit nævum. Nec hujuſmodi nuptias eſſe velut inceſtas deputandum, quoniam etſi prius fortaſſis inceſta fuit, jam tamen non eſt quod fuit, dum legitimum tori fœdus inivit, & vivendo caſte cum legitimo conjuge damnavit illud quod ante fortaſſis per adoleſcentiam admiſit. Nam ſi volumus perpendere omnem illicitum coitum inceſtum eſſe non dubium eſt, ſed canones cum de inceſtis præſcribunt de conjugatis loquuntur non de his qui non licite paſſim coeunt, quos vel luxurioſos vel adulteros vocari manifeſtum eſt. Adulteros ſi in matrimonio conſtituti fidem ſibi vel unus eorum non ſervando illicitum cum alieno vel aliena exercet coitum. Ceterum vel qui nondum nupti ſunt vel qui intercedente morte ſeparati ſunt ſi concumbunt cum alieno vel aliena, non tales adulterio, ſed luxuriæ crimine denotantur. Ac propterea de talibus cum canones loquuntur non inceſtos vocant, quoniam omnis illicitus coitus inceſtus[a] eſt, ſed corruptionis libidine pollutos. Qua de re nec ille de quo agitur illam ſi teneat quæ dicitur a fratre polluta vocabitur inceſtus vel quaſi adulteram tenens quandoquidem illa nondum fuerat adultera nondum habendo maritum quamvis non ſervando caſtitatem fuerit polluta,[b] nec cum abnegato facinore conjugii caſtimoniam delegit, & fidem marito ſervavit, poteſt ſancta non adultera ita nec inceſta vocari. Quicquid enim antequam nupſerit egerit, in eam redundat non in maritum, & ſi ſe purgavit ab illis, & poſtquam nupſit caſta permanſit, non eſt jam quod fuit. Dicit namque beatus Auguſtinus in libro de bono conjugali: Mulier ſi fide conjugali violata fidem ſervat adultero, utique mala eſt, ſi nec adultero pejor eſt: Porro ſi eam flagitii pœniteat, & in caſtitatem rediens conjugalem pacta ac placita adulterina reſcindat, miror ſi eam fidei violatricem vel ipſe adulter putabit. Nulli dubium quod mulier adultero juncta polluta ſit, ſed ſi redit ad proprium torum adultero repudiato, & caſte vixerit ſecundum beati Auguſtini auctoritatem jam non debet vocari adultera, nec is qui ei conjungitur judicabitur tanquam ſtultus, vel eſt ſub maledicto veluti adulteram tenens, quandoquidem jam non ſit adultera adulterii flagitium quæ reſpuit, & cum viro ſuo vivere deinceps delegit. Alioquin ſi quæcumque committuntur ante nuptias poſtquam nuptum fuerit in crimine detineantur, licentia non modica tribuitur & viro & mulieri ſolvendi conjugium. Ut de mulieribus taceam, rarus aut nullus eſt vir qui cum uxore virgo conveniat. Et ſi propter prioris vitæ maculas liceat maritum in litem conſtituere judicabitur tanquam adulter, vel quia concubinam habuit vel quia fortaſſis fornicatus eſt antequam nupſerit, ſed nulla lex hoc dicit neque auctor quiſquam conatur hoc aſtruere, immo videtur iniquum & nulla fultum auctoritate ut judicium ſubeat ex eo quod jam vel pœnituit vel damnavit. Unde videtur juſte retineri poſſe matrimonium de quo agitur; nec poſſe judicari maritus tanquam vel inceſtam vel adulteram retineat, quandoquidem jam non ſit nec inceſta poſtquam

a) Pro, inceſta. H.

b) Forte, & cum. H.

A legitime nupſit, nec adultera poſſit dici, cum etſi aliter coierit ante, non poſtquam nupſit, hoc egerit.[c] Et quidem talis coitus luxuriæ ſed non adulterii. Hæc quidem rogati ſequentes patrum dicta ſcripſimus, ceterum an recte dicta ſint, vos judicabitis.

c) Forte, ſed. H.

## NOTÆ JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Concilium Aquiſgranenſe III.*] Triplex de Lotharii & Theutbergæ conjugio habita eſt ſynodus Aquiſgrani. Priores duæ anno DCCCLX. in quarum altera regi renunciarunt adulteram ipſum uxorem retinere non poſſe: in altera publicam Theutbergæ pœnitentiam decreverunt. Tertia hoc anno DCCCLXII. in qua Lothario, ut aliud iniret conjugium, permiſerunt.

B 2 *Concilio Agathenſi cap.* LXI.] Eſt canon LXI. de numero eorum qui ſynodo Agathenſi poſtea ſunt adjecti, & illi tamen adſcribi jam ſolebant.

## NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium Aquiſgranenſe III.*] Hunc conventum epiſcoporum Lotharius rex Francorum hac de cauſa indixit, ut honeſto aliquo prætextu Theutbergam uxorem legitimam dimitteret, & Waldradam pellicem, quam a pueritia adamaverat, in conjugem duceret. Promiſerat Gunthario Colonienſi archiepiſcopo Lotharius, teſte Reginone, futurum ut ejus neptem acciperet in uxorem: qua vana ſpe ille elatus, Theutgaudum Trevirenſem archiepiſcopum in ſuam ſententiam pertraxit. Variis itaque cauſis repudiandæ uxoris legitimæ excogitatis, per gravem errorem declararunt, quod cum Theutberga adulterii, ac

C inceſtus cum fratre Huberto commiſſi ſe reum confiteretur, Lotharius ejuſdem conjugio ſolutus, tamquam innocens, poſt dimiſſam adulteram cum alia matrimonium licite contrahere poſſet. Ad ejuſdem regis cauſam firmius corroborandam, Adventius oblato libello, (qui extat apud Baronium anno 862. numero 29.) longam texuit fabulam, qua conatur probare Waldradam Lotharii pellicem, ei jam a tenera ætate matrimonio junctam fuiſſe; Theutbergam vero poſtea eidem invito, a patre Lothario Auguſto obtruſam eſſe; ac proinde non Theutbergam, ſed Waldradam legitimam regis Lotharii uxorem eſſe. Eos qui concilio interfuerunt Nicolaus pontifex excommunicavit, ut patet ex epiſtola ejuſdem Nicolai, quam in approbationem conjugii falſo aſſerti Waldradæ, & in rejectionem Theutbergæ legitimæ uxoris ad ſuos legatos Metis delegatos perſcripſerat. Acta concilii ex perveruſto codice Trevirenſi a patre Chriſtophoro Broverio ſocietatis Jeſu presbytero accepta & deſcripta profitetur Baronius anno 862. num. 22. Eadem ſummatim refert Regino in chronico his verbis:

D *Non multo poſt interjecto tempore, iterum conventum ſynodalem Aquiſgrani coadunant, ubi rex libellum ſuæ proclamationis obtulit, ubi continebatur, qualiter in quadam femina Theutberga nomine fallacibus perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus, immo non mediocriter reprobavit, quo judicio epiſcoporum diſcidii ſententiam pertuliſſet. Quæ ſi idonea eſſet conjugali toro, & peſſimo inceſtus pollutione fœdata non fuiſſet, nec vilis oris confeſſione publice condemnata, ſponte eam retineret. Porro ſe incontinentem ipſo profeſſum eſt, & ſine copula juvenilis ætatis ardorem ferre non poſſe. Allatis itaque diverſorum conciliorum voluminibus, multa de inceſtuoſis recitata ſunt. Quibus recitatis; hanc definitivam ſententiam protulerunt: Credimus illam non fuiſſe idoneam ad legitimam conjugem, neque a Deo præparatam eſſe uxorem, quæ publica confeſſione inceſtuoſo fornicationis crimine deceptata probatur. Quocirca glorioſo principi noſtro, pro ſua in divino cultu devotiſſima aſſertione, ac victoriſſima regni*

E *tuitione, cui non ſolum nos, verum etiam canonica auctoritas interdixit inceſtuoſum conjugium, legitimum matrimonium a Deo illi conceſſum non denegamus, juxta indulgentiam dicentis apoſtoli: Melius eſt nubere quam uri. His ita patratis, Vualdrada in publicum proceſſit, ſtipata obſequentium multitudine: omniſque regia aula reſultat, Vualdradam reginam eſſe.*

Conciliabulum hoc a quo indictum fuerit.

Decretum conciliabuli.

Sententia pro Vualdrada.

1. Cor. 7.

ANNO CHRISTI 862.

# [a] CONVENTUS TRIUM REGUM FRANCORUM ET EPISCOPORUM GALLIÆ IN VILLA

## Ad Sablonarias dicta, quo inter tres Ludovicum, Carolum & Lotharium fratres & reges Galliæ pax eſt conſtituta ; anno domini DCCCLXII. tempore Nicolai papæ .

[a] *Conventus* . ] Cum Lotharius apud ſedem A apoſtolicam accuſaretur , quod Ingeltrudem uxorem Boſonis comitis fugitivam & adulteram, alioſque homines nefarios & ſceleſtos in regno ſuo contra litteras pontificias reciperet , ſcripta ad reges Galliæ nova epiſtola hunc conventum congregari mandavit . Laboravit in accelerando conventu rex Ludovicus : ideo imprimis , quod Carolus ſe a Lothario plane ſejunxiſſet , donec juſſa pontificis adimpleret . Res in conventu geſtas ex codice Ant. Auguſtini recitat Baronius anno 862. numero 26. & ſequentibus.

" * * *De eodem conventu hæc auctor annalium Bertinianorum ad an.* 862.

Ludovicus rex Germaniæ, directis miſſis blan- B diloquis ad fratrem ſuum Carolum , obviam ſibi in territorium Tullenſe venire petit . Et quia Carolus cum Lothario ante alloqui noluit , quam fratri ſuo cauſas diceret , quæ ei in Lothario diſplicebant , non mediocri querela inde ſermonibus eſt conflictum . Tandem Carolus cum epiſcopis qui ſecum aderant Ludovico & epiſcopis qui cum eo erant , ſcripto capitulatim oſtendit , pro quibus Lothario communicare nolebat, niſi profiteretur quod inde aut certam redderet rationem , aut ſecundum auctoritatem dignam oſtenderet emendationem. Poſt quam profeſſionem ſub hac convenientia , Carolus & epiſcopi qui cum eo erant , in C communionem Lotharium receperunt , & ſcriptas, ac a conſiliariis recitatas adnunciationes, quas de illorum conventu debuerunt populo nunciare , uſi conſilio præcipue Ludovicus & Lotharius Chuonradi ſui conſiliarii , Caroli autem avunculi , qui ſuperciliosa , ſed frivola , & nec ſibi adeo nec pluribus proficua more ſueto ſcientia nitebatur, ne innoteſcerentur populo cauſæ , quas Carolus Lothario reputabat, penitus rejecerunt . Verum Carolus contra eorum vota omnibus pleniter notum fecit , quia pro uxore contra evangelicam & apoſtolicam auctoritatem relicta altera ducta eſt : & quia uxori Boſonis , & Balduino , qui filiam ejus furatus fuerat in uxorem , excommunicatis com- D municaverunt , Lothario ante prædictam profeſſionem communicare nolebat . Sicque condicentes placitum ſui conventus in futuro menſe Octobrio in confinio Moſomagenſis & Vonzenſis comitatus, ab invicem ſeceſſerunt ...

" *Idem auctor anonymus paulo ante ſub ejuſdem anni periocha hæc habet plurimum lucis ſequentibus conciliis allatura , quæ tum in cauſa Rothadi Sueſſionenſis epiſcopi , tum in loco Piſtis dicto ab epiſcopis regniqne primoribus celebrata ſunt* . Cum Judith relicta Edelboldi regis Anglorum Balduinum comitem ipſo lenocinante & fratre ſuo Ludovico conſentiente mutato habitu ſecuta eſſet , Karolus rex epiſcopos & ceteros regni ſui primores conſulens , poſt mundanæ legis judi- A cium , canonicam in dictum Balduinum & Judith, quæ cum fure cucurrit , & adulteri portionem ſe fecit , ſecundum edicta beati Gregorii : Ut ſi quis viduam in uxorem furatus fuerit & conſentientes ei anathema ſint , depromi ſententiam ab epiſcopis petiit . Indeque Silvanectum perrexit . Ubi dum moraretur, &c.

Primores regni ſui ad *locum qui Piſtis dicitur , ubi ex una parte Andella , & ex altera Andura , Sequanam influunt* , circa Junii Kalendas cum multis operariis & carris convenire facit , & in Sequana munitiones conſtruens , aſcendendi vel deſcendendi navibus propter Nortmannos aditum intercludit . Ipſe cum uxore ſuper Ligerim , in loco qui Maidunus dici- B tur , datis per ſuos ſacramentis , cum Carolo filio loquitur; & eo quaſi ſubito , ſed voce ſubmiſſa & animo contumaci , erecto , in Aquitaniam remeante , ipſe ad Piſtis, quo Placitum ſimul & ſynodum ante condixerat , redit , & inter operandum de ſanctæ eccleſiæ ac regni negotiis cum fidelibus ſuis tractat . Ubi Rothadus Sueſſorum epiſcopus , homo ſingularis amentiæ , in ſynodo provinciali regulariter epiſcoporum communione privatus , cum ſua ſe contumacia quatuor provinciarum concilio præſentavit . Quem fraternus conventus , ne deponeretur penitus , ſub appellatione ſedis apoſtolicæ ſervare diſpoſuit . Sed iſdem poſt ejuſdem concilii judicium inde appellaverat , expetens, C * conſtitutis XII. ab eadem ſynodo judicii exequendi judicibus , novus Pharao propter ſui cordis duritiam & vetera ſæcula repræſentans , homo mutatus in belluam propter deſignatos exceſſus geſtorum * ſerie continentur , quoniam corrigi noluit , in ſuburbio Sueſſorum civitatis deponitur .

*Locus corruptus.* * *corrige , qui* geſtorum ſerie

*Ejuſdem Piſtenſis ſynodi expreſſa quoque mentio habetur in diplomate, quod in hiſtoria monaſterii San-Dionyſiani vulgavit Dupletius* .

" * * Anno ab incarnatione domini octingenteſimo ſexageſimo ſecundo , indictione decima , regni vero glorioſiſſimi domini noſtri re- D gis Caroli vigeſimo-tertio . Evocatis nobis epiſcopis , quorum nomina ſubſcriptionibus in fine declarantur , diverſarum provinciarum & urbium ad regalem ſynodum , & jam diu in tractatu rerum eccleſiaſticarum occupatis in loco qui dicitur Piſtis , rurſuſque a regia poteſtate Sueſſionica urbe conductis pro cauſis quibuslibet eccleſiæ audiendis : Dilecti filii noſtri monachi ex monaſterio pretioſorum martyrum Dionyſii , Ruſtici & Eleutherii , aſſiſtente reverentiſſimo & cariſſimo nobis abbate ejuſdem cœnobii Hludouvico , & petitiones eorum conſenſu firmante , ac pro eorum commodis nos humiliter deprecante , ſupplicaverunt unanimitatem noſtram , quo adverſus cupidorum inſidias



ANNO CHRISTI 862.

dias eos præmuniremus , ac auctoritate eccle- A ſiaſtica fulciremus : ne forte aliquando ſubſidii corporalis penuria, ſancti propoſiti diſpendium animæ eorum paterentur , ſed potius divinæ gratiæ affluentia , & regia munificentia largiente , noſtræ quoque mediocritatis non nihil ſuffragante diligentia , ſuppetentibus neceſſariis abſque ulla excuſatione valerent implere quod bonorum omnium auctori voverunt . Denique Hilduinus venerabilis abbas ipſius monaſterii ad eorum ſtipendiis neceſſaria quondam teſtamentum conceſſionis, ſub nomine privilegii , eis benigne largitus fuerit, quod ſubſcriptionibus ſynodalium epiſcoporum plene admodum roborari fecerat , clementer divæ B recordationis Hludouvico ſereniſſimo Auguſto annuente , de quibus & ipſe piiſſimus Cæſar, flagitante eodem Hilduino abbate , ipſis fratribus regale præceptum imperatorio jure firmaverat , inibi ad liquidum denominatis, unde ſtipendialis neceſſitas eis generaliter ſubminiſtrari debuiſſet . Quod privilegium , quia ob regni diviſionem & diverſarum incommoditatum rationem , ac temporis inſperati variatam mutabilitatem , ſub conſtituta lege ex integro ſervari non poterat : Placuit Hludouvico venerabili abbati , pro commoditate ipſorum fratrum , cum conſenſu epiſcoporum , petentibus eiſdem fratribus , quaſdam villas concedere ad neceſſitates eorum ſupplendas quæ C ex edicto Cæſaris Hludouvici , & privilegio Hilduini abbatis minus plene perſolvi poterant. Contulit ſiquidem eis Hludouvicus abba , villam Cormilias in pago Pariſiaco ſitam : Itemque Cormilias in pago Vilcaſſino , cum omni integritate , ſicut Gailenus regia donatione eamdem villam adeptus patribus ſancti Dionyſii rebus de ipſa caſa Dei in commutatione acceptis ex integro condonavit . Villam quoque Warniacum , &c. Juxta ſtatutum numerum refectiones fratribus quas piæ memoriæ Hludouvicus ( Hilduinus *legendum eſt* ) nobiliter ordinavit atque conſtituit de præfixis miniſterialibus in feſtivitatibus ſanctorum , quorum corpora in eodem loco ſunt humata, hoc eſt ſancti Dio- D nyſii, ſancti Hippolyti , ſancti Innocentii, ſancti Cucufatis, atque anniverſario Dagoberti regis ex Auriciaco & de rebus eccleſiæ irrefragabiliter eis ſubminiſtrentur . Caritates etiam in anniverſariis regum & abbatum de cellario abbatis juxta ſolitum accomodentur . Item refectiones fratribus de rebus eccleſiæ ac theſauri , veluti Hilduinus ordinaverat , ſubminiſtrandas , hoc eſt purificatione ſanctæ Mariæ , aſſumptionis ejuſdem , nativitatis , miſſa ſancti Perti apoſtoli , anniverſario Hludouvici imperatoris , feſtivitate omnium ſanctorum , dieque depoſitionis ſuæ decernimus . Ex ſuperiori vero curte ſimiliter in anniverſariis domni Karoli imperatoris & Hildegardis reginæ ac domnæ E Berthæ ſicut ipſa de rebus a ſe datis rationabiliter ordinavit. A parte vero fratrum, &c.

Obnixe denique nos quos ſancta eccleſia habet pontifices , & ego Hludovicus ipſius ſancti cœnobii abbas, omnes ſucceſſores noſtros iſtius ſanctæ eccleſiæ futuros prælatos obſecramus ut quod ſalubri & neceſſaria devotione ob Dei amorem & iſtorum ſanctorum honorem , ac animarum ſalvationem , firmavimus , A inviolabiliter perpetim obſervare procurent : & ſi aliter , quod abſit, iniqua ſcilicet cupiditate ſeu alicujus pravi conſiliatoris hortatu fecerint , ſe ante tribunal domini noſtri Jeſu Chriſti in die terribilis & juſti ejus examinis , in conſpectu ſanctæ & intemeratæ , ac ſemper virginis genitricis ejuſdem Dei omnipotentis , omniumque virtutum cæleſtium , ſanctique apoſtolorum principis , ſeu iſtorum glorioſiſſimorum martyrum in quorum honore monaſterium eſt iſtud conſtructum , necnon & ſancti Benedicti , hujus ſanctæ profeſſionis inſtitutoris , cunctorumque Dei electorum , damnabiliter judicandum cognoſcant: ſicut e contra, quod optamus potius & oramus , mercedem æternæ beatitudinis ſua di- B ligentia noverint recepturi , ſi in hoc pietatis opere, pro fideli obſervantia portionem ſtuduerint adipiſci . Flagitaverunt igitur ſæpe dicti fratres, ſicut ſupra tetigimus, ut poſt edictum regium continens nominatim prædicta & omnium ſumptuum rationes annuatim ab abbate præbendorum , quod a regia poteſtate domini noſtri Karoli, & a largitione ſereniſſimi Auguſti Hludouvici, ejus genitoris, dudum obtinuiſſent , omnibus neceſſariis ex his duobus præceptis in unum collectis , noſtræ auctoritatis privilegium mererentur, ut regali & eccleſiaſtico freti favore ſecurius domino militarent . Quorum petitionem omnino neceſſariam juſtamque judicantes , univerſa quæ domni Regis Caroli edictum comprehen- C dit , atque indulget , opitulante Deo rata & inviolata ſemperque ſervanda decernimus uſui famulorum ejus profutura , & ad reddendum intentius debitum obſequium eos accenſura , ſicut oportet veros ejus cultores . Quod ſi quis tanti regis , immo Dei beneficium , noſtramque benevolentiam fraudulenter ac violenter imminuere vel potius ſubvertere præſumpſerit, & ſui periculi competenter admonitus non illico feralis cupiditatis auſum rejecerit, & in ſtatum priorem cuncta redire permiſerit , eum velut rapacem atque ſacrilegum , a populi Dei ſocietate , juſto atque tremendo anathemate , ſeparamus , niſi digna pœnitentia , & ſubſequenti emendatione quæ perpere egit correxerit .

D Hoc autem noſtrum decretum ſicut eſt , ut verum eſſe credatur , & firmiſſime ab omnibus catholicæ fidei teneatur præſentibus ac futuris , ſubſcriptionibus propriis cuncti roborare ſtuduimus , & ut idem faciant in celebrandis deinceps ſynodalibus conciliis omnes noſtri ordinis obſecramus .

[1] † Ego Vvanilo munere divino Senonenſis epiſcopus, prius per advocatum , poſtea per memetipſum ſubſcripſi .

† Baltmundus archidiaconus ad vicem domini & patris mei Vvanilonis Senonum urbis archiepiſcopi ſubſcripſi .

Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Remorum epiſcopus ſubſcripſi .

E † Herardus Turonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi .

† Vvanilo humilis Rotomagorum epiſcopus ſubſcripſi .

† Erpuinus eccleſiæ epiſcopus Silvanectenſis ſubſcripſi .

† Helmeradus Ambianenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi .

† Hildegarius Meldenſis epiſcopus ſubſcripſi .



1 In his ſubſcriptionibus menda latere plurima Hadrianus Valeſius obſervavit in defenſione *Diſcept. de Baſilicis* p. 141. *Harduinus* .

ANNO CHRISTI 862.

† Ormundus diaconus ad vicem domini & patris mei Æneæ Pariſii epiſcopi ſubſcripſi.

Relegens ego ipſe Æneas Pariſii epiſcopus ſubſcripſi.

† Ego quidem Hairardus Lixovienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Freculphus Sanctonicenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Vvaltbertus Abrincatenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Actardus Namneticæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

† Hildebrandus Sagenſis epiſcopus ſubſcripſi.

† Gontbertus Ebrocenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ingenandus Pictavorum humilis epiſcopus ſubſcripſi.

Dodo Andegavenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Helias gratuita Dei diſpoſitione Eqnaliſmorum epiſcopus ſubſcripſi.

[a] Guiliborus Catalaunorum epiſcopus ſubſcripſi.

Folchricus indignus epiſcopus eccleſiæ [b] Auguſtætricorum ſubſcripſi.

Raginelmus Tornacenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

† Rodulfus Biturigum epiſcopus ſubſcripſi.

Hincmarus ſanctæ Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

† Erchenraus epiſcopus ſubſcripſi.

Odo Bellovagorum epiſcopus ſubſcripſi.

Hunfridus Morinenſis epiſcopus ſubſcriſi.

Iſaac ſanctæ Lingonenſis eccleſiæ indignus epiſcopus ſubſcripſi.

Chriſtianus Aurelianenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Flotharius Burdegalenſis epiſcopus ſubſcripſi.

† Hludouvicus abbas ſubſcripſi.

Jonas humilis Eduorum epiſcopus ſubſcripſi.

Godeſadus Cabilonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Braidingus Matiſcenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Agius humilis Aurelianorum epiſcopus ſubſcripſi.

Angilmodus Sueſſionicæ eccleſiæ indignus epiſcopus ſubſcripſi.

Giſlebertus Karnutenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

† Erluinus Conſtantianæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

In Dei nomine ego Lupus abbas monaſterii Ferrarienſis ſubſcripſi.

Bernardus abbas ſancti Benedicti ſubſcripſi.

Frodonus indignus abba Corbidnenſis monaſterii ſubſcripſi.

Engelgarius abba monaſterii ſancti Karileſi ſubſcripſi.

Gagſelmus abba monaſterii ſanctæ crucis ſubſcripſi.

Guilhelmus abba Karroſenſis monaſterii ſubſcripſi.

Vnbertus humilis abba ſancti Floriacenſis monaſterii ſubſcripſi.

Vvalfadus Reſbaconſis monaſterii abbas ſubſcripſi.

Abbo Nevernenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Gualtarius epiſcopus Aurelianorum ſubſcripſi.

Odo abba Foſſatenſis monaſterii ſubſcripſi.

a) al. Guilibertus. H.
b) Tr. Auguſtæ Trecaſſium. H.

Arnulfus abba monaſterii ſancti Sabini ſubſcripſi.

** Verumenimvero in diplomatis hujus ſubſcriptionibus latere plurima menda obſervavit Hadrianus Valeſius pag. 351. defenſionis diſceptationis de baſilicis, qua de re nos nonulla in annotationibus.

*Ibidem quoque confirmatum fuit privilegium monaſterii ejuſdem ſancti Dionyſii epiſcopi & martyris conceſſum a Landerico Pariſienſi epiſcopo.* Diploma illud editum fuit a D. Luca Dacherio O. B. pag. 377. ſexti ſpicilegii.

** In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione domini octingenteſimo ſexageſimo ſecundo, indictione decima, regni vero glorioſiſſimi domini noſtri Caroli regis XXIII. evocatis nobis epiſcopis, quorum nomina ſubſcriptionibus in fine declarantur, diverſarum provinciarum & urbium ad regalem ſynodum, & jam diu in tractatu rerum eccleſiaſticarum occupatis, in loco qui vocatur Piſtis, & rurſus a regia poteſtate Sueſſonica urbe conductis pro cauſis quibuslibet eccleſiæ audiendis, dilecti filii noſtri monachi ex monaſterio pretioſorum martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii, aſtante reverentiſſimo & cariſſimo nobis abbate de eodem cœnobio Hludovico, & petitiones eorum ſuo conſenſu firmante, & pro eorum commodis nos humiliter rogante, petierunt unanimitatem noſtram, quo adverſus cupidorum inſidias eos præmoniremus, & eccleſiaſtica auctoritate fulciremus, ne forte aliquando perverſorum infeſtationibus concuſſi, ſancti propoſiti diſpendium animæ eorum paterentur, ſed potius divinæ gratiæ affluentia, & regia munificentia largiente noſtræ quoque mediocritatis aliquid ſuffragante diligentia, omni prorſus & maxime clericorum infeſtatione ſecluſa, abſque ulla inquietudine valerent implere quod bonorum omnium auctori voverunt. Igitur hoc poſtulantes obtulerunt noſtris obtutibus, præſente etiam domno Carolo rege qui petitionibus prædictorum fratrum piiſſimo favebat affectu, quædam privilegia ſanctiſſimorum pontificum, necnon & præcepta clariſſimorum regum, de libertate prædicti monaſterii ab eiſdem ſuis temporibus honorifice confirmata, inſuper & apoſtolica auctoritate inviolabiliter corroborata. Ergo reſidens idem Deo amabilis rex Carolus in ipſa univerſali ſynodo, prædeceſſorum ſuorum præcepta & privilegia, ſeu confirmationes apoſtolicis auctoritatibus roboratas, maxime autem privilegium Landerici [a] religioſi Pariſiorum epiſcopi ſollicite conſideratum, quod ut hic regularis ordo inviolabiliter conſervaretur, terribiliter & mirabiliter obteſtando ob deprecationem D. Hlodovici filii Dagoberti inclyti regis factum, & ſanctorum qui uſque hodie in miraculis coruſcant, manibus roboratum ipſi eccleſiæ tradidit; & libertatis eam privilegio honoravit, publice recitari juſſit. Quo facto, hortatu pariter ac deprecatione ipſius præcellentiſſimi regis, Hludovici abbatis, ceterorumque ſancti Dionyſii monaſterii fratrum, petitionibus aſſenſum præbuimus, ſcilicet, ut ea quæ ſuperius comprehenſa ſunt noſtra qua prævalemus auctoritate roboraremus. Statuentes igitur ſancimus, omnes videlicet epiſcopi qui prædictæ ſynodo interfuimus, ut ea omnia quæ in prædictis privilegiis ſeu præceptis continentur, jam dicti monaſterii ſancti Dionyſii monachi, tam ipſi quam ſucceſſores eorum per ventura tempora abſque cujuslibet Pariſiacæ urbis epiſcopi repetitione, ſeu cujuſcumque reclamatione vel con-

a) Sergii Tom. VII.





ANNO CHRISTI 862.

contradictione, quiete in perpetuum poſſideant. Quin etiam ego ipſe Æneas, ac ſi indignus Pariſiacæ urbis epiſcopus, hoc conſentiens laudavi, privilegiumque domni Landerici anteceſſoris mei omnino æquitatis tramite ſervare approbans corroboravi, corroboratumque nunc & futuris temporibus mandavi, omnibuſque ſucceſſoribus meis per omnipotentem Deum, qui verbo ſuo cuncta creavit, & ſpiritu oris ſui univerſa formavit, interdico, ne quicquam ex his omnibus quolibet modo unquam repetere audeant. Si quis autem tanti regis, domni ſcilicet Caroli, immo Dei beneficium, hujuſque univerſalis ſynodi benevolentiam fraudulenter ſeu violenter ſubvertere præſumpſerit, eum velut rapacem atque ſacrilegum a populi Dei ſocietate, juſto atque tremendo anathemate ſeparamus, niſi digna pœnitentia, & ſubſequente emendatione quod perpere egit correxerit. Hoc autem noſtrum decretum, ſicut eſt, ut verum eſſe credatur, & firmiſſime ab omnibus catholicæ fidei cultoribus præſentibus & futuris teneatur, ſubſcriptionibus propriis firmavimus.

Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Remorum epiſcopus ſubſcripſi.

Angilmoldus Sueſſionicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Helmeradus Ambianenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Herpuinus Sylvanectenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Hincmarus Laudunenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Odo Belvagorum epiſcopus ſubſcripſi.

Hunfridus Morinenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Raginelmus Tornacenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Guiliborus Cathalaunorum epiſcopus ſubſcripſi.

Vvanilo ſanctæ metropolis eccleſiæ Senonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Æneas Pariſienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Giſlebertus Carnotenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Agius Aurelianorum epiſcopus ſubſcripſi.

Hildegarius Meldenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Abbo Nivernenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Vvenilo ſanctæ metropolis eccleſiæ Rothomagenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Hairardus Luxovienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Vvalbertus Abrincatenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Gombertus Ebroicenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Hildebrandus Sagenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Herluinus Conſtantianæ urbis epiſcopus ſubſcripſi.

Rodulphus ſanctæ metropolis eccleſiæ Bituricæ epiſcopus ſubſcripſi.

Herardus ſanctæ metropolis eccleſiæ Turonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Dodo Andegavenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Actardus Nanneticæ civitatis epiſcopus ſubſcripſi.

Jonas Æduorum epiſcopus ſubſcripſi.

Godelſaldus Cabilonenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Radingus Mattiſcenſium epiſcopus ſubſcripſi.

Frotarius ſanctæ metropolis eccleſiæ Burdegalenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Freculfus Sanctonicenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Ingenaldus Pictavorum epiſcopus ſubſcripſi.

Folcherius [a] Auguſtætricorum epiſcopus ſubſcripſi.

Adalgarius notarius ad vicem Gauſheni regiæ dignitatis cancellarii recognovit.

## ** CONCILIA DUO SUESSIONENSIA,

## PRÆSENTE CAROLO CALVO REGE.

Ex ſupplem. Concil. Gal. Labbeus in Append. to. VIII.

### Anno Chriſti DCCCLXII.

U*Trumque ſuppeditant annales Bertiniani ad annum* DCCCLXII. *Et prius quidem in hæc verba*: Karolus per Remi, civitatem Sueſſionis venit, ubi non incerto nuncio comperit, quia filia ejus Judith, relicta ſcilicet Edelboldi regis Anglorum, (quæ poſſeſſionibus venditis, quas in Anglorum regno obtinuerat, ad patrem rediit, & in Silvanectis civitatem, debito reginæ honore, ſub tuitione paterna, & regia atque epiſcopali cuſtodia ſervabatur, donec ſi ſe continere non poſſet, ſecundum Apoſtolum, ſcilicet competenter ac legaliter, nuberet) Balduinum comitem, ipſo lenocinante, & fratre ſuo Ludovico conſentiente, mutato habitu eſt ſecuta. Unde rex Karolus epiſcopos, & ceteros regni ſui primores conſulens, poſt mundanæ legis judicium, canonicam in jam dictum Balduinum, & Judith, quæ cum fure cucurrit, & adulteri portionem ſe fecit, ſecundum edicta beati Gregorii, ut ſi quis viduam in uxorem furatus fuerit, & conſentientes ei, anathema ſint, depromi ſententiam ab epiſcopis petiit. *Poſt quæ Nicolaus papa ſpondet eidem Carolo regi epiſtola 23. ſe penitus obſervaturum, quod ab epiſcopis in hos conjuges decretum fuit.* Noverit, *inquit*, dilectio veſtra, Balduinum, unde nobis intimaſtis, qui natam veſtram ſibi furto in uxorem contra fas ſociavit, quem ideo venerandi præſules, eccleſiam Domini in regno veſtro gubernantes, vinculis anathematis obligarunt, ad limina apoſtolorum acceſſiſſe, & ut a vinculis ſolveretur, atque per nos gratiam inveniret, ſedem adiiſſe apoſtolicam. Nos autem non ſolum eum a vinculis minime abſolvimus, aut in communione noſtra recepimus, ſed potius tam præſumptuoſam temeritatem deteſtati ſumus.

*Secundum fuit appendix quædam concilii Piſtenſis ejuſdem anni: in quo Rothadus Sueſſionenſis epiſcopus, jam excommunicatus ab altera Sueſſionenſi concilio, ad ſedem apoſtolicam appellavit*: Sed iiſdem poſt, *inquiunt annales iidem*, ejuſdem concilii judicium, unde appellaverat, expetens, conſtitutis duodecim ab eadem ſynodo judicii exequendi judicibus, novus Pharao propter ſui cordis duritiam, & vetera ſæcula repræſentans, homo mutatus in belluam, propter exceſſus, quoniam corrigi noluit, in ſuburbio Sueſſorum civitatis deponitur. *Aliquid amplius addit Rothadus, videlicet huic ſynodo Sueſſionenſi Carolum regem adfuiſſe, ibique ſuffectum Rothado alterum epiſcopum.* Acceleratur, *inquit*, de convocan-

ANNO CHRISTI 862.

canda ſynodo: qua in ſuburbio noſtræ civitatis congregata, rex inclytus a concilio eſt invitatus, &c. Denique Hincmarus archiepiſcopus meus in eodem concilio mihi intrepide, & ut reor, impie, judicium depoſitionis emiſit. Interea ordinatur epiſcopus in cathedra viventis, quamvis, ne unquam, poſt appellationem Romani pontificis hoc fiat, ſacri canones evidenter vetare noſcuntur. *Quæ omnia jam ſupra deſcripta ſunt, pag. 215. & ſeq. ſed confuſe, nec inſcripto ullius ſynodi nomine, niſi Piſtenſis, & quidem obſcurius indicato.*

Ex Galani Concil. Eccl. Armenæ cum Romana tom. 1. par. 2.

# CONCILIUM SCHIRACHAVANENSE

## IN SCHIRACHAVAN

Armeniæ majoris urbe, præſente Aſciut Pacratide Armenorum Principe Anno DCCCLXII. celebratum.

### CANON I.

SI quis non confitetur ſacroſanctæ ac vivificæ Trinitatis unam naturam, & tres perſonas; hoc eſt, Patrem a nullo principio; Filium a Patre; & Spiritum ſanctum ab utriuſque eſſentia exiſtentem, & utrique coæqualem: anathema ſit.

### II.

Si quis non confitetur, unum de ſancta Trinitate, Dei filium unigenitum, ſubſtantialiter & paterno ſinu demiſſum, & in ſanctæ virginis utero habitantem Deum illum interminum, cum circumſcriptibili carne (*intellige, ex eadem Virgine ſumpta*) compoſitum, permanſiſſe nihilo minus a Patre, & Spiritu ſancto inſeparabilem: anathema ſit.

### III.

Si quis non confitetur Deum Verbum, ineffabili, & admirabili modo ſubſtantialiter cum carne unitum ſine confuſione, ac ſine diviſione, Deum æternum eſſe, & hominem verum: anathema ſit.

### IV.

Si quis confitetur beatam Virginem Mariam vere ac proprie Deiparam eſſe, utpote quæ Deum Verbum ex Patre ante ſæcula genitum, quem nec cœli, nec Seraphim comprehendere poſſunt, & ſuo intemerate geſtavit in utero, & ſub ſervi forma modo inveſtigabili genuit, vitam hominibus allaturum: anathema ſit.

### V.

Si quis juxta impium Neſtorium aſſeruerit Dei filium in viro perfecto habitaſſe; atque naturas ſeorſim ab invicem duos filios, duo ſuppoſita, ac duas perſonas, alteram hominis, alteram Dei, ſeparaverit: anathema ſit.

### VI.

Si quis juxta Eutychis ſtultitiam temere dixerit, carnem divini Verbi fuiſſe de cœlo allatam; aut alterius, quam noſtræ, ſubſtantiæ; vel naturam divinam cum carne confuſam, aut in carnem converſam: adeoque vanam reddiderit noſtram Redemptionem: anathema ſit.

### VII.

Si quis non confitetur humanatum Dei Patris Verbum eſſe perfectum Deum, & perfectum Hominem; ex duabus naturis in uno ſuppoſito, & una perſona compoſitum; conſubſtantiale Patri ſecundum divinitatem, & conſubſtantiale nobis in omnibus excepto peccato ſecundum humanitatem: anathema ſit.

### VIII.

Si quis ſanctam Trinitatem paſſibilem dixerit, aut crucifixam; vel Filium non carne, ſed divinitate paſſum juxta Eutychis, & Manichæorum ineptias; vel ſolum hominem paſſum juxta nugas impii Neſtorii: anathema ſit.

### IX.

Si quis non confitetur, Deum Verbum, ac dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſanctum, fortem, & immortalem, pro noſtra ſalute, ſecundum carnem crucifixum, ac miſericordiam humano generi largientem, quique hoſtia ſimul, & ſacerdos tollat peccata mundi: anathema ſit.

### X.

Si quis non confitetur, filium Dei propter ſalutem gentium factum eſſe filium Virginis, ut nimirum filios hominum faceret filios Dei, ac Terrigenas patri conſecrans, in illa coruſcantium exercituum frequentia cum cœlicolis ſociaret: anathema ſit.

### XI.

Si quis non confitetur, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum jam inde ab utero Virginis perfectum, & glorioſum fuiſſe; nec non quantum ad ſepulchri, aut peccati corruptionem, incorruptibilem: vel eumdem dixerit ſubjectum neceſſario paſſionibus, tanquam purum hominem; & non potius, quod ſponte pro nobis noſtra ſit paſſus excepto peccato, ut nos ab inſidiis diaboli liberaret: anathema ſit.

### XII.

Si quis diſſentire dixerit traditiones apoſtolorum a traditionibus prophetarum; vel doctrinas priorum trium Conciliorum, Nicæni, Conſtantinopolitani, & Epheſini, a



ANNO CHRISTI 862.

doctrinis apoſtolorum & prophetarum: anathema ſit.

### XIII.

Si quis Chalcedonenſem ſynodum, aliaſve poſt illam ſequentes, contrarias, aut repugnantes eſſe cognoverit doctrinis apoſtolorum, vel prophetarum, vel trium ſanctorum præcedentium Conciliorum: & tamen præ humana captanda benevolentia, aut ſuis privatis commodis, eas nequaquam anathematizaverit: anathema ipſe ſit. (*Ut hypotheſis hujus canonis explicetur, audiendus eſt alius ſubſequens.*)

### XIV.

Si quis Chalcedonenſem ſanctam ſynodum, aut alias eam ſubſequentes, videlicet quintam, ſextam, & ſeptimam, concordes, & conſentientes fuiſſe cognoverit doctrinis apoſtolorum, & prophetarum, & trium ſanctorum præcedentium Conciliorum; & temere nihilominus præſumpſerit, eaſdem ſynodos anathematizare, aut calumnioſe dicere, fuiſſe turpi Neſtorio conſentaneas: ſciat, hujuſmodi anathema in ipſummet cadere; cum ſcriptum ſit: Qui innocentem execratur, execratur animam ſuam, & in caput ſui ipſius execratio revertetur: quin etiam & anathema ipſe ſit.

### XV.

Si quis non confitetur, Deum Verbum ita ſecundum unitam ſibi carnem paſſum eſſe, ut ejus impaſſibilis, & inſeparabilis a carne Divinitas fuerit in paſſionibus expers paſſionis: anathema ſit.

### OBSERVATIO.

Hiſtor. Litter. ſæcul. Photian.

Scripſerat ad Zachariam Armeniæ Catholicum Photius Patriarcha CP. miſſa per Joannem Nicææ Epiſcopum Epiſtola, qua Synodi Chalcedonenſis doctrinam de Incarnatione & duabus in Chriſto naturis pluribus argumentis confirmavit. His commotus Zacharias, Epiſcoporum Abbatumque ſuorum Concilium convocavit; quo damnata ſunt Neſtorii, Eutychetis, Dioſcori, Theopaſchitarum, & Manichæorum dogmata, doctrina catholica de duabus naturis reſtituta, Synodus Chalcedonenſis admiſſa quidem, ſed rectius, & per obſcuras verborum ambages, cum præ metu populi mentem ſuam hac de re γυμνῇ κεφαλῇ non auderent explicare. Conditi ſunt hanc in rem Canones XV. qui Armenice cum Latina verſione habentur apud Cl. Galanum *Conciliat. Eccleſ. Armen.* par. 2. tom. 1. p. 139. ubi Canonum IX. XI. XIII. XIV. in quibus aliquid obſcuritatis latere videbatur, ubertimam hanc explicationem addidit.

*Explanatio IX. Canonis.*

Galan. loco cit.

Contentio erat inter Armenios: Catholici enim juxta decreta toties a ſuis Patribus edita in præcedentibus Synodis, præſertim Charnenſi, rejiciebant a Triſagio, *Sanctus Deus*, Theopaſchitarum additionem illam, *qui crucifixus es pro nobis*; ne viderentur, divinam Trinitatem, in quam idem Triſagium refertur, paſſam, aut crucifixam aſſerere. Contra vero Schiſmatici eos calumniabantur, quaſi quod conſentientes Neſtorianis, nollent dicere unum de Trinitate, Deum Verbum, ſanctum, fortem, & immortalem, carne paſſum, ac crucifixum. Unde volens Synodus contentioni occurrere; atque idem Triſagium cum additione illa, a pleriſque Armeniis tenaciter ſuſcepta, & propugnata, ab hæretico in orthodoxum ſenſum revocare, & in filium ſolum dirigere; poſtquam in octavo Canone eos damnavit hæreticos, qui aſſerebant, Chriſti Divinitatem, atque adeo ſanctam Trinitatem; paſſam, & crucifixam; nunc in nono, ne ipſamet in ſuſpicionem a calumniatoribus adducatur, quod cum Neſtorianis conſentiat, pariter damnat, qui negarent, unum de Trinitate, Deum filium, ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſanctum, fortem, & immortalem ſecundum divinitatem, pro nobis in carne crucifixum eſſe &c.

Hinc manifeſtum fit, quod hæc Synodus non modo non ſuffragatur, ſed etiam horrendum denunciat anathema iis Armeniis, qui nunc eumdem ter ſanctum hymnum cum eadem additione, ac nulla facta Chriſti filii, neque carnis ejus mentione, erga Trinitatem concinunt, præſertim dum ſacra peraguntur myſteria; in quibus poſtquam Sacerdos una cum choro cecinit, dicens: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, ſanctus & immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miſerere noſtri*; referens in ſanctam Trinitatem eumdem hymnum ſic immediate proſequitur: *Deus ſancte, qui in Sanctis habitas, & voce ter ſanctus a Seraphim celebraris, & a Cherubim glorificaris, atque ab omni cœleſti Virtute adoraris; qui creaturas omnes ex non eſſe ad eſſe produxiſti: qui creaſti hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam: tu Domine ſuſcipe ex ore noſtro, qui peccatores ſumus, ter ſanctum hunc hymnum.* Vide, uti non ſolum erga filium, ſed in totam etiam Trinitatem dirigunt hic Triſagium cum additione, *qui crucifixus es*: ac ſi aperte dicant Trinitatem crucifixam. Multum autem miramur, cur Armenii execrabilem hunc Theopaſchitarum errorem, quem alioquin diſertiſſimis ubique verbis deteſtantur, in Triſagio tamen videri velint cum ſcandalo aliorum Chriſtianorum, per ſtultam iſtam Petri Fullonis appendicem, ſuſcipere. Quod ſi, ut dicunt, non in Trinitatem, ſed in ſolum filium illud referunt, quare non eo ſaltem modo, juxta quem Synodus hæc videtur eis permittere canunt: *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, Chriſte, qui ſecundum carnem crucifixus es pro nobis, miſerere noſtri.*

*Explanatio XI. Canonis.*

Caute legenda ſunt ambigua hujus Canonis verba, quæ Synodus, recta licet mente, non ea tamen, qua par erat, prudentia hic poſuit, ut eorum Pſeudomagiſtrorum tumultus impediret, qui Julianitarum erroribus imbuti docebant, Chriſti corpus fuiſſe ſubtile, & leve, & incorruptibile, & impaſſibile, & glorioſum, etiam ante reſurrectionem; neque Chriſtum paſſum eſſe noſtras infirmitates ex lege, & neceſſitate naturali, ſed quia eas pati voluerit, etiamſi naturaliter non fuerit illis ſubjectus: immo & aliquas ne vere quidem, ac proprie paſſum eſſe; ſed ita voluiſſe oſtendere, ut nos ſuo erudiret exemplo, tutoſque ab inſidiis Diaboli redderet. Ut hiſce igitur ab hæreſibus Synodus declinaret ſine hæreticorum tumultu, tres propoſitiones ambiguas hoc Canone concluſit, in quibus ejus mens explicanda breviter eſt.

Prima propoſitio eſt: *Chriſtus ab utero matris fuit perfectus, & glorioſus*: intelligit quantum ad animam, non quantum ad corpus. Oportuit enim animam Chriſti & perfectam eſſe per habitus ſcientiarum, virtutum, & gratiæ; ut facultatem haberet ſatisfaciendi pro peccatis hominum: & glorioſam eſſe per viſionem beatam divinæ eſſentiæ, ut intuitive Deum, cum quo hypoſtatice uniebatur videret. Quare tum glorioſa viſio, tum omnes aliæ virtutes, & perfectiones in anima Chriſti ſequutæ ſunt ad unionem hypoſtaticam, tanquam proprietates ad naturam. Et oportuit etiam, quod Chriſti corpus nec perfectum omnino eſſet, nec glorioſum, niſi poſt reſurrectionem; ſed eſſet ſubjectum infirmitatibus; pœnalitatibuſque humanis; ut Chriſtus materiam ſatisfactionis haberet: & ideo ejus divinitas voluit, ut animæ gloria non redundaret in corpus, niſi ſemel in Thabor, ne opus redemptionis impediretur, ſed Chriſtus eſſet, & videretur per omnia fratribus aſſimilatus, ac pateretur quæ conveniunt naturæ paſſibili. Quare, cum tres ſint ſtatus hominum, ſcilicet innocentiæ, culpæ, & gloriæ: ſicut de ſtatu gloriæ Chriſtus aſſumpſit comprehenſionem; & de ſtatu innocentiæ immunitatem a peccato; ita & de ſtatu culpæ aſſumpſit ſubjectionem pœnalitatibus hujus vitæ.

Secunda propoſitio eſt: *Chriſtus quantum ad ſepulchri, aut peccati corruptionem, fuit incorruptibilis.* Diſtinguere videtur Synodus triplex genus corruptionis in homine, primum, quod importet diſſolutionem corporis mortui in elementa, ex quibus compoſitum eſt, quam vocat corruptionem ſepulchri. *Secundum*, quod ſignificet defectus culpabiles tum animæ, tum corporis, ut vitia, fomitem concupiſcentiæ &c. quæ & animam, & corpus polluunt, corrumpuntque; quam vocat corruptionem peccati juxta illud 2. Petri 2. *In corruptione ſua peribunt.* Tertium, quod indicet reliquas affectiones humanas, pœnales quidem, ſed minime culpabiles, ut pati ſitim, famem, frigus, calorem, laſſitudinem, dolorem, mortem, aliaſque humanas infirmitates. Quod ergo ſpectat ad corruptionem ſepulchri,

ANNO CHRISTI 863.

docere voluit corpus Chriſti mortuum permanſiſſe incorruptum, juxta illud Act. 2. *Neque derelictus eſt in Inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*. Quod ad corruptionem peccati, Chriſtum fuiſſe incorruptibilem juxta illud Hebr. 7. *Sanctus, innocens, impollutus.* Quod autem ſpectat ad corruptionem tertii generis, ex eo quod excluſit ab illo tantum primam, & ſecundam corruptionem, aperte videtur voluiſſe includere tertiam; ſecundum quam nemo negabit, Chriſti corpus fuiſſe corruptibile, niſi qui voluerit cum Manichæis aſſerere illud non fuiſſe paſſibile, nec mortale, nec ejuſdem nobiſcum ſubſtantiæ.

Tertia propoſitio eſt: *Chriſtus non erat ſubjectus neceſſario paſſionibus, tanquam purus homo; ſed voluntarie paſſus eſt noſtra, ut nos ab inſidiis Diaboli liberaret*. Hæc propoſitio duplicem ſignificationem habere poteſt. Altera eſt, & catholica, juxta quam Synodus loquitur: Chriſtus, quamvis ut homo ex neceſſitate naturali obnoxius eſſet humanis infirmitatibus, juxta illud Rom. 8. *Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*: conditio enim carnis peccati eſt, quod habeat neceſſitatem ſuſtinendi mortem, & alias hujuſmodi paſſiones: tamen quia non purus homo erat, ſed etiam Deus, cui ſoli naturalia, utpote auctori naturæ, ſubduntur; poterat quidem, ut Deus, omnes illas naturales infirmitates in humana natura impedire, vel miraculoſe continendo curſum naturalem carnis paſſibilis, vel etiam naturaliter permittendo, ut animæ gloria redundaret in corpus; atque ideo non fuit neceſſario illis ſubjectus, ſed voluntarie ſimpliciter, quantum ad voluntatem divinam, paſſus eſt noſtra: vel etiam voluntarie ſecundum quid, voluntate humana; quia non coacte, & invite, ſed volens, ac lubens naturalem illam patiendi neceſſitatem pro redemptione hominum acceptavit: & hoc, ut nos ab inſidiis Diaboli liberaret, exhibendo nimirum nobis exemplum patientiæ, ac ferendo auxilium juxta illud Hebr. 2. *In eo, in quo paſſus ipſe eſt, & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur auxiliari*. Altera ſignificatio eſt, & hæretica juxta mentem Pſeudo-magiſtrorum: Chriſtus, ut homo, non erat ex naturali neceſſitate ſubjectus humanis infirmitatibus, ut reliqui ſubduntur homines; utpote qui glorioſo, & impaſſibili, aut cœleſti corpore præditus fuerit: ſed vel ideo paſſus eſt illas, quia pati eas voluit, cum alioquin ejus natura humana non fuerit talis, qualis & noſtra, ut ex naturali lege infirmitatibus hujuſmodi ſubderetur; vel ne illas quidem vere, ac proprie paſſus eſt; ſed voluit ita oſtendere, ut ſuo nos erudiret exemplo, & ſic ab inſidiis Diaboli liberaret. Quod autem juxta ſecundam hanc ſignificationem loquuta Synodus non ſit, conſtat ex præcedentibus verbis, præſertim tum Canonis ſeptimi, ubi ſubjicitur anathemati, qui Chriſtum non fateretur ſecundum humanitatem nobis conſubſtantialem in omnibus excepto peccato; tum ejuſdem undecimi Canonis, ubi dicitur Chriſtus incorruptibilis ſolum quoad ſepulchri & peccati corruptionem, & non etiam quoad reliquas humanas infirmitates.

*Explanatio XIII. & XIV. Canonis.*

Probe admodum noverat Synodus Schirachavanenſis quartum Concilium generale, tempe Chalcedonenſe (& idem dicto de quinto, ſexto, & ſeptimo) orthodoxum fuiſſe, & tribus aliis præcedentibus conſentaneum; falſumque quidquid virulenti, ac Neſtoriani adverſus illud Syrorum Eutychianorum impoſturis vulgatum fuerat. Nec ignorabat deceſſores alios Armenos Epiſcopos ad idem Concilium approbandum, non temere, & inconſulte, neque (ut inanis ille rumor in populo a ſchiſmaticis ſparſus jactabat) humanis incitamentis, illecebriſque illectos; ſed debitis prius ſcrutiniis, conſultationibuſque adhibitis, a ſancto potius ſpiritu, & efficacia veritatis inductos proceſſiſſe. Verum enimvero cum venerabile illud ejuſdem Concilii nomen a Pſeudo-magiſtris eo uſque infamiæ & contumeliæ perductum eſſet, ut plerique Armenii, etiamſi illius fidem profiterentur, abhorrerent tamen a nomine; verita Synodus eſt, ne qua adverſum ſe, ſi aperta & abſoluta ſanctione illud ſuſcipiendum decerneret, factioſæ plebis ſeditio (uti alias ſæpe contigerat) eorumdem Pſeudo-magiſtrorum inſtigatione concitaretur. Et quidem, quod ſpectabat ad fidem Chalcedonenſem jam in ſexto & ſeptimo Canone, Eutychem damnando, & duas naturas inconfuſas in una Chriſti perſona definiendo, optime rei proſpexerat. Supererat autem ſatisfacere nomini, honorique Concilii, nefandis hæreticorum calumniis ubique per Armeniam diffamati: ad hoc illa ut, non turbata ſui ipſius & populi pace, procedat, in iſto duplici canone periphraſi utitur; nimirum circuitione, anfractuque verborum (dum non audet aperte loqui) flexiloque ſtudet in prudentium lectorum animos occulte inſinuare ſuam ſententiam.

Idcirco anathema primum conſtituit adverſus eos, qui deprehendentes, per hypotheſin impoſſibilem, Synodum Chalcedonenſem (aut alias ſubſequentes) Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, & Epheſinæ Synodo adverſatiam extitiſſe, eam nihilominus ob reſpectus humanos nequaquam anathematizarent. Plane, ut populum a falſa ſuſpicione retraheret, quaſi imprecatorie dejerare voluit Synodus, ac ſi diceret: in memetipſam conſtitutum anathema feratur, ſi ex eo Concilium Chalcedonenſe nequaquam anathematizo, ſed ſuſcipio, quia moveor humano reſpectu; & non potius, quia illud orthodoxum inveniam, & triplici priori Synodo conſentaneum. At enim, ſiquidem ipſa poſt hujus canonis ſanctionem nullum adverſus illud pronunciavit anathema, quid aliud palam verbis iis indicare voluit? certe alterutrum: aut ipſam mente phanatica ſuo ſe anathemate percuſſiſſe; quo quid abſurdius? aut ſe probe cognoſcere, idem Concilium rectum omnino fuiſſe, nec a tribus aliis præcedentibus diſſentaneum: ac proinde antecesſores Epiſcopos permotos non eſſe humanis reſpectibus ad illud ſuſcipiendum.

Quod autem hac mente ſit ipſa loquuta, clarius in ſequenti Canone manifeſtat; dum ibi eandem Chalcedonenſem Synodum *Sanctam* appellat; eoſque execratur, velut temerarios impoſtores, qui, etiamſi illius innocentiam noſcerent, animo tamen iniquo & obſtinato maledictis inſectabantur. Cæterum hac in re ne ipſum quidem Scirachavanenſem Conventum culpa vacare duxerim. Dum enim humano ductus timore non audet aperte, ut par erat in re tam gravi, ſuam dicere ſententiam; ſed utitur circumloquutione, nonne experitur in eam culpam vere ipſe incidere, quam ſimulate in aliis reprehendit?

# CONCILIUM SILVANECTENSE (1)

## IN QUO ROTHADUS EPISCOPUS SUESSIONENSIS

### Hincmari archiepiſcopi factione damnatus, graduque ſuo dejectus, & in monaſterium retruſus eſt, anno Chriſti DCCCLXIII.

*Synodum hanc in Convicino villa publica propter Silvanectum congregatam, in eaque diverſarum provinciarum epiſcopos conveniſſe, docet Nicolai papæ ad illos reſcriptum. Interfuiſſe præterea Hincmarum archiepiſcopum, ac ſynodo velut omnium dominum præſediſſe, narrat in libello ſuo Rothadus. Qui cum ab Hincmaro, vetere in ipſum odio, ſic agi videret, ut damnationis in eum ſententia, ob presbyterum immerito, ut objectabant, depoſitum proferretur, ſedem apoſtolicam appellavit: ſed ne Romam iret variis artibus prohibitus eſt. Quin & ſynodo iterum in Sueſſonicæ civitatis ſuburbio convocata, cui rex Carolus interfuit, Hincmaro inſtigante damnatus, graduque ſuo dejectus eſt. Tum & altero in ejus cathedra ordinato, per varia loca diſtractus vexatuſque, vix tandem Nicolai papæ auctoritate, crebriſque epiſtolis, ut Romam ire liceret conſecutus eſt: Romæ autem priſtinæ dignitatis inſignia in concilio Romano publice recepit. Synodi porro Silvanectenſis acta per Odonem epiſcopum Bellovacenſem Romam miſſa non exſtant, ſed cujuſmodi ea fuerint, intelligi licet ex Nicolai ejuſdem papæ reſponſo, quod ſuperius inter illius epiſtolas repoſitum fuit.*

(1) Baronius ad an. 863. n. 12. & Sirmondus to. 3. Concil. Gal. damnationem Rothadi an. 863. in Synodo Silvanectenſi factam perperam ſcripſere, [illegible] inſcriptione Epiſtolæ Nicolai Papæ ordine 31. quæ dicitur *ad Epiſcopos Synodi Silvanectenſis* data, cum tamen, ut notavit Natalis Alexand. ſæcul. 9. & 10. par. 2. diſſert. 6. loco *Silvanectenſis* reſtituendum ſit *Sueſſionenſis*, quemadmodum ex Annaliſta Bertiniano eruitur. *Pagius ad An. Ch. 863. n. 5.*



ANNO CHRISTI 863.

## NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Concilium Silvanectenſe.*] Plurimorum epiſcoporum concilium fuiſſe docet Hincmarus, cauſam ſuam adverſus Rothadum muniens in epiſtola ad Nicolaum papam, quam recitat Flodoardus lib. III. cap. XII. *Diu illum*, inquit, *non ſine timore de periculo animarum ſibi commiſſarum portavi, & eum amplius portare non debui, ad plurimorum epiſcoporum concilium, ut vel eos audiret, deduxi: quorum non audire conſilium, ſed adverſum me poſtulare judicium maluit.* De hoc enim concilio intelligit, quod Silvanectenſe appellavit, quia juxta Silvanectenſium civitatem in Convicino villa celebratum eſt.

## NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.*] Cum Hincmarus Sueſſionenſis concilii confirmationem a Nicolao papa ſurreptitie obtinuiſſet, opus quod diu contra Rothadum epiſcopum Sueſſionenſem mente conceperat, perficere aggreditur, indictoque hoc concilio eumdem epiſcopatu depoſitum in monaſterium detruſit. Cumque ille ad ſedem apoſtolicam appellaret, eidem non modo nihil honoris detulit, ſed etiam alium quemdam in ejus locum ſurrogavit. Quod factum Hincmari iniquiſſimum, cum vicini compluresdeteſtarentur, non tantum ipſi injuriam Rothado illatam pontifici denuntiarunt, verum etiam libellum ſupplicem ipſius Rothadi (qui extat ſupra [*] poſt epiſtolam Nicolai 37.) eidem Nicolao pontifici obtulerunt. Ab ipſa ſynodo miſſa eſt Romam legatio per Odonem Bellovacorum epiſcopum, quæ peteret auctoritate apoſtolica confirmari, quæ ab ipſis in hac ſynodo acta fuiſſent. Addiderunt ſynodicam ad eumdem acerbiſſimam, quibus illi ea, quæ in Metenſi concilio conſenſu legatorum ſedis apoſtolicæ pro illegitimo Lotharii conjugio geſta erant, a Nicolao papa etiam approbata fuiſſe putantes, eumdem papam rogarunt, ut ſententiam ſuam mutaret, & generale concilium convocaret. Quibus omnibus acceptis; quid pontifex egerit, quidque reſponderit, ex epiſtola 32. Nicolai papæ ſupra patet, & in notis ſequentis concili Romani V. ſubjungam. Vide Baronium anno 863. num. 69.

ANNO CHRISTI 863. Acta concilii.

[*] Vide infra conc. Rom. VII.

Legatio a ſynodo Romam miſſa.

# EPISTOLÆ SYNODALES

## EPISCOPORUM REGNI LOTHARII.

### OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Silvanectenſis concilii, quodque proxime ſequitur, Metenſis jacturam utcumque lenient duæ epiſtolæ ab epiſcopis regni Hlotharii ſcriptæ, in quibus & ſynodi Metenſis dies prius indicta, ac poſtmodum, ut volunt, mutata deſignatur; & in laudem Hilduini, qui Hincmari dominus & nutritor fuiſſe dicitur, atque Rothadi Sueſſionenſis epiſcopi, multa proferuntur ſcitu non indigna. Utramque porro ex ſchedis V. C. Lud. Holſtenii deſcriptam juſſu eminentiſſimi S. R. E. cardinalis Franciſci Barberini miſit ad nos R. P. Petrus Poſſinus S. J.

### EPISTOLA PRIMA.

*Optabili in Chriſto fratri [*] Igmaro Theodgaudus primas Belgicæ Galliæ, Guntharius Agrippinenſis Coloniæ, & Arduicus Veſontionenſis eccleſiæ epiſcopi ſalutem & pacem.*

[*] Hincmaro.

RElegimus frater, & utinam frater Igmare, libellum tuæ accuſationis adverſus Hilduinum dilectum filium & fratrem noſtrum, ut credimus idoneum virum, in quo ipſum officio paſtorali indigum aſſeveras, & cauſas te ſcire, pro quibus iſdem electus ordinari non debeat, exclamas. Quamvis ab hac improbitate hoc ſolummodo te revocare vel temperare debuiſſet, quod ille tuus domnus & nutritor fuerit carus, ſi tamen memor & non ingratus fore voluiſſes, cujus iſte & affinitatem refert & nomen. Nunc quoniam delator eſſe voluiſti, quod reſtat non omittas. Te enim exſpoliaſti judicio, dum criminationis chartulam, quod tuo officio & honori, ut æſtimamus, non competebat, propria manu, quod negare non potes, in conventu regum principi noſtro Hlothario inconſulte porrexiſti, ac memoratum Hilduinum, noſque pariter ſuſpectos reddidiſti. Ergo quia te objecta probaturum promiſiſti, conſequens eſt, ut exequaris quæ promiſiſti: unde & te canonica commonemus auctoritate, ut accuſationis tuæ executionem canonice proſequaris. Quod ſi te accuſationi ſubtraxeris, & probationi defueris, noveris te canonicis de accuſatoribus regulis ſubjacere. Calumniæ vero quas ſynodalibus decretis obumbrare niſus es, in te atque in æquivocum nepotem tuum, qui ita provecti eſtis reflectuntur. Quorum neuter ex illa fuit eccleſia, in qua ambitione atque favore potentatus inthronizatus eſſe dignoſcitur. Hac conditione dehinc exigente ſynodo te adeſſe oportebit, quæ Idus Martias apud urbem Mediomatricum, Chriſti favente gratia, celebrabitur: ubi ſæpefatus frater aut tua probatione convincatur, aut ſua defenſione liberetur. Ubi quoque & nos tibi ex omnibus, quæ de eccleſia Cameracenſi ſcribens monuiſti & reprehendiſti, rationes reddendo reſpondere valeamus. In Chriſto te valere optamus.

### EPISTOLA II.

*Venerabilibus in Chriſto fratribus archiepiſcopis & epiſcopis in regno eximii regis Hludovici conſtitutis Theodgaudus Belgicæ Galliæ primas, Guntharius Agrippinenſis Coloniæ, Arduicus Veſontionenſis, Rotlandus Arelatenſis, Tado Mediolanenſis eccleſiarum archiepiſcopi, eorumque coepiſcopi ſalutem & pacem orant & optant.*

DIverſis eccleſiam Dei perturbationibus concuti & percelli quotidie exterius cernimus ac ſuſpiramus: interius vero vexari eam atque exuri in ſuorum diſſenſione membrorum, videntes nimium perhorreſcimus & dolemus. Neque enim dolere & lugere non poſſumus, quod ſanctos Dei ſacerdotes, Hincmarum videlicet archiepiſcopum religione & ſapientia longe lateque vulgatum, & Rothadum longiturnæ & venerabilis converſatione ſanctitatis famoſum, ita comperimus ab invicem diſcordaſſe, ut non veritus ſit metropolitanus idem ſuffraganeo eidem excommunicationis ſententiam intorquere, & officio privatum divino cuſtodiæ deputare. Sed quem e duobus magis defleamus admiratione ſimul ac ſtupore vallati neſcimus. Rothadum ſcilicet ita a vero exorbitaſſe, ut ei digne talia infligerentur, aut Hincmarum ita juſtitiæ & dignitatis limi-

ANNO CHRISTI 863.

limitem tranſiliſſe, ut aliquo amaritudinis aut ambitionis zelo devinctus ſeu devictus ſancto, ut credebatur, & annoſo epiſcopo talia inferre minime dubitaret. Ille etenim ſe injuſte damnatum proclamat, qui etiam inter alia excuſationum ſuarum munimina in appellatione Romani perſtabat pontificis. Iſte autem inter cetera invectionum commenta de contemptu & inobedientia ſui juſte eum ab officio ſacerdotali removere denuntiat. Quod quia nobis per omnia incertum eſt, quippe qui neutrius cauſam palam cognovimus, rumoribus nec facile credere audemus, nec abſentium diſſenſiones temere dijudicare debemus. Ob hoc tamen multos, immo pæne omnes ad quoſcumque hæc fama pervenit, nobiſcum ſcandalum paſſos non ſine gravi mœrore ſanctitati veſtræ mandamus, orantes & unanimitatem veſtram poſcentes, ut diſcordiam prædictorum antiſtitum animadverſis antiqui hoſtis inſidiis, & conſideratis humanæ fragilitatis exceſſibus, qualiter cœperit, & increverit, ſollicitius intendatis ac perpendatis, & nobiſcum domino mediante convenientes, dubietatis hujus nebulas ſtudioſiſſima indagine abſtergamus, & ad veritatis lucem vera luce revelante perducamus: quo aut Rothadus ſi juſte depoſitus comprobatur, omnium judicio conticeſcat, aut Hincmarus de injuſte damnato merito erubeſcat. Et ſcandalum ſive murmur, quod in ſancta eccleſia ſuper hac controverſia plurimos diverberat, noſtra vigilantia deſtructum atque ſedatum fatiſcat, ne tantum offendiculum Chriſtianum populum diutius perturbet. Neque ergo ullis hoc debet argumentis prætermitti, aut occaſionibus differri, quoniam ut meminiſſe nos arbitramur, & ſedes apoſtolica quondam ſuam ſententiam in melius commutavit, cum ſibi ſubreptum de quodam perſpexit, & Dioſcorus, quia ſanctum virum dignæ memoriæ Flavianum injuſte depoſuerat, a ſede apoſtolica damnatus evanuit, remanentibus aliis indamnatis, qui ei non ſponte, ſed quaſi coacte in depoſitione ſancti conſenſerant epiſcopi, quos ipſe Dioſcorus multiformiter & argute fallere callidus argumentator elaboraverat. Nolite jam nunc morari creſcente periculo, & inſultantibus ſancto ordini atque detrahentibus multis, qui gloriantes ſibi fiduciam promittunt, quod nobis invicem mordentibus atque diſſentientibus, uſquequaque nocere valeant. De quibus autem Rothadus queritur, noſque plurimum movet, ſanctitati veſtræ breviter ſubter annectimus. Si debeat presbyter aut diaconus a proprio epiſcopo juſte depoſitus, a metropolitano aut alio quolibet in gradum priſtinum ſine ejuſdem epiſcopi conſenſu reſtitui: cum in concilio Antiocheno cap. 3. de hoc ita habeatur: Si qui presbyteri aut diaconi a proprio epiſcopo excommunicati, auſi fuerint, &c. Item in eodem concilio cap. 6. Si quis a proprio epiſcopo communione privatus eſt, &c. Si debeat presbyter criminatus atque damnatus poſt quatuor annos reconciliari, cum de hoc in concilio Africano cap. 12. ita habeatur: Si quis infra annum cauſam ſuam purgare contempſerit, &c. Si debeat quilibet epiſcopus alterius ordinatum retinere, quanto minus capere vel in carcerem trudere, cum de hoc in decretalibus ita ſtatuatur: Nullus epiſcopus alterius parochianum præſumat retinere, &c. Et poſt aliquanta: Si quis metropolitanus epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodo propriam pertinet parochiam, &c. Si debeat epiſcopus alterius epiſcopi miniſtros ſcriptis invitare, aut aliquo modo ſollicitare, aut plebes alterius poteſtati ſuæ uſurpare; cum de hoc in Africano concilio ita dicatur cap. 10. Nullus debet collegæ ſuo facere injuriam, &c. Multa quinetiam in eodem concilio de his alia promulgantur. Si debeat epiſcopus minus quam a 12. audiri, quanto magis damnari, quod in Sardicenſi concilio evidentius inhibetur. Si debeat damnari vel in locum ejus epiſcopi ſubrogari alter epiſcopus, qui in appellatione perſtat Romani pontificis, niſi fuerit cauſa appellantis in ejus determinata judicio. Si poſſit ſuſpectum & minus certum judicium renovari, vel ſi ſuſpectus metropolitanus vicinos provinciæ judices convocare, unde multa in conciliis ſynodalibus & in decretis Romanorum pontificum continentur. Si debeat innocens vel inauditus damnari. Si debeat damnari eo quod ægritudine detentus ſynodo occurrere non potuit, cui non pro impoſſibilitate hoc ſed pro contemptu imputatur. Si debeat condemnari pro eo, quod & metropolitanum omnemque conventum ſuſpectum habeat, & contra ſe conſpiratos metuens aut ſciens, ad tempus ſynodi locum ingredi differt, Romanum pontificem ſemper appellans. Si debeat accuſator teſtis eſſe vel judex: vel ſi epiſcopum hæc univerſa conveniat agere pariter. Hæc itaque vos ſacerdotes domini, comminiſtri Dei noſtri, qui in lege domini meditamini die ac nocte, perſcrutatis & evolutis divinarum auctoritatum paginis rimari curate, utrum ſit hujuſmodi ſapientia deſurſum; quæ juxta apoſtolum primum quidem pudica eſt, deinde pacifica: an quod abſit, ea quam præmiſit, terrena, animalis, diabolica. [Jac. 3] Redeat itaque quantocius pia ſolertia veſtra & labore, ſancta eccleſia ac fraterna caritas in pacem, quæ ſcandalizata videtur aliorum improbitate.

# 1 a CONCILIUM METENSE

## IN SYNODO ROMANA MOX DAMNATUM.

De divortio Lotharii & Theurbergæ, conjugioque Vualdradæ, quod coram ſedis apoſtolicæ legatis Radoaldo & Joanne, ab epiſcopis regni Lotharii celebratum eſt, menſe Junio, anno Chriſti DCCCLXIII.

Ex editione P. Sirmondi.

*Coactum Nicolai papa juſſu fuiſſe hoc concilium, illius epiſtolæ declarant: cui & præeſſe legatos ſuos voluit, ut de Lotharii divortio definirent, ſed irrito conſilio. Lotharius enim, tametſi ſedis apoſtolicæ judicium expetierat, illudque expectaturus videbatur, anteverſis tamen, & VValdradam rejecta Theutberga ſibi copulavit: factumque arguentibus in ſynodo legatis, conſilio & auctoritate epiſcoporum ſe feciſſe teſtatus eſt. Annales incerti auctoris anno* DCCCLXIII. In regno, *inquiunt*, Lotharii, pro eo quod dimiſſa uxore legitima alteram duxit, ſynodus in Mettis congregata eſt



ANNO CHRISTI 863.

omnium epiſcoporum ejus, præter Hungarium Trajectenſem, quem ægritudo detinuit. Aderant & miſſi Nicolai Romani pontificis, ob eamdem cauſam diligenter inveſtigandam directi. In quo negotio ventilato, rex factum ſuum, propter quod arguebatur, conſilio & auctoritate epiſcoporum ſe feciſſe teſtatus eſt. Quod illi non inficiantes, quaſdam aſſertiones rationum veriſimilium, quibus geſtæ rei qualitatem munire niſi ſunt, oppoſuerunt, eaſque litteris comprehenſas, ut legati apoſtolici ſuggeſſerunt, per Guntharium Agrippinæ Coloniæ, & Theutgaudum Trevirenſem Galliæ Belgicæ archiepiſcopos, apoſtolicæ ſedis pontifici probandas tranſmiſerunt. Qui convocato Romanæ ſedis epiſcoporum concilio, & Metenſem anathematizavit ſynodum; & ad ſe miſſos epiſcopos depoſuit, & communione privavit. *Regino legatos pecunia corruptos fuiſſe ſcribit: Nicolaus ipſe pontifex in prævaricationis barathrum demerſos Lothario regi ſcribens conqueritur. At Regino idem concilium Metenſe Aquiſgranenſi præponit, ordine ut res docet præpoſtero. In Aquiſgranenſi enim facta eſt poteſtas Lothario alterius conjugii ineundi: nondum ergo inierat. At Vualdradam jam duxerat, cum celebratum eſt Metenſe. quod & ſynodi ipſius geſta probant, & Nicolai epiſtola ad epiſcopos Galliæ & Germaniæ, in qua Lotharium ait legitima repulſa conjuge, ſecundam ſibi adſciviſſe, neque ſedis apoſtolicæ judicium expectaſſe.*

*Annales Bertiniani ad an. 863. de Metenſi concilio ac proxime ſequenti Romano hæc obſervarunt.*

Carolus miſſos domni apoſtolici Nicolai, Rodualdum ſcilicet Portuenſem epiſcopum, & Joannem Ficoclenſem epiſcopum ſatis honorifice Sueſſionis in monaſterio S. Medardi recipit. Quos aliquamdiu ſecum retinuit, & conceſſa Balduino, qui ad limina apoſtolorum confugia fecerat, indulgentia, pro cujus obtentu venerant, cum epiſtolis ad apoſtolicam ſedem redire, muneratos abſolvit. Idem autem apoſtolicæ ſedis legati Mettis adeunt, ſynodum habituri ex delegatione apoſtolica circa medium menſem Junium pro divortio, quod inter Lotharium & uxorem ſuam Theotbergam acciderat, & pro ſuperinductione concubinæ Vualdradæ, quam contra leges eccleſiaſticas & mundanas in uxorem ſibi aſciverat. In qua ſynodo præfati miſſi corrupti muneribus, epiſtolas domni apoſtolici occultantes, nihil de his, quæ ſibi commendata fuerant, ſecundum ſacram auctoritatem egerunt. Ut autem aliquid viderentur egiſſe, Guntharium Colonienſem archiepiſcopum, & Theutgaudum Treverenſem æque archiepiſcopum, cum veniis quas in eadem ſynodo ſubſcripſerunt epiſcopi, Romam ire juſſerunt, ut judicio domni apoſtolici ipſa diffiniretur. Domnus apoſtolicus quæ acta fuerant plene cognoſcens, & Rodoaldum ſimiliter cupiditate in Conſtantinopoli cum Zacharia ſocio ſuo epiſcopo nuper corruptum damnare volens, ſynodum convocavit. Quod ſentiens Rodoaldus, noctufuga lapſus diſparuit. Guntharius vero & Theutgaudus Romam pervenientes, primum in ſynodo, & poſtea in eccleſia S. Petri, ſicut habetur in ſubditis, ab apoſtolico ſunt damnati.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis ſanctiſſimis confratribus noſtris, Hincmaro Remenſi, & Vuaniloni Rothomagenſi, ſeu omnibus confratribus noſtris, archiepiſcopis & epiſcopis in regno Caroli glorioſi regis conſiſtentibus. Scelus, quod Lotharius rex, &c. *quæ paulo poſt excudentur.*

### NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Concilium Metenſe.* ] Præceperat in ſuperioribus epiſtolis Nicolaus papa, ut ſynodo Metenſi cum legatis intereſſent bini epiſcopi ex regno Caroli, totidemque ex Germania & Burgundia, ubi Ludovicus & Carolus alter imperabant. Sed horum nullus adfuit, ſatagente Lothario ut ſoli regni ipſius epiſcopi convenirent, quia conſilium ſuum aliis omnibus improbari ſentiebat.

### NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.* ] Hic conventus epiſcoporum, quem Nicolaus papa in epiſtola ſynodali concilii Romani ſubſequentis, ſynodi nomine indignum eſſe judicat, congregatus eſt iſta occaſione. [Occaſio conciliabuli quæ?] Poſt pacem & concordiam in conventu præcedente initam, Lotharius rex, ut fratrem Carolum eluderet, ejuſque pœnam & vindictam ſubterfugeret, ad ſedem apoſtolicam provocavit, rogans pontificem, ut ſynodum in Galliis celebrandam indiceret, & ad eam legatos mitteret, qui una cum epiſcopis cauſam ſuam cognoſcerent & judicarent. [Qui interfuerint?] Colonienſi enim & Trevirenſi archiepiſcopis, quos in ſuas partes pertraxerat, confidebat, eorumque patrocinio ſuam cauſam approbandam eſſe firmiter ſibi perſuadebat. Detulit appellationi regis ſanctiſſimus pontifex, indixit ſynodum Metis in Gallia celebrandam, convocavit Galliæ & Germaniæ epiſcopos, & ad eamdem Radoaldum & Joannem ſedis apoſtolicæ legatos, dato iis rerum agendarum commonitorio ablegavit. Factum eſt initium concilii anno 863. per indictionem undecimam, menſe Junio in urbe Metenſium. [Tempus conciliab.] Præter Hungarium Trajectenſem, omnes epiſcopi cum prædictis legatis apoſtolicis interfuerunt. De legatis hæc Regino. *In Franciam venientes pecunia corrupti magis faverunt iniquitati quam æquitati. Tandem ad regem pervenientes cum ei declaraſſent legationis ſuæ cauſas, tale reſponſum acceperunt: Se nihil aliud egiſſe, niſi quod epiſcopi ipſius regni in generali ſynodo ſibi agendum præmonſtraſſent. Dederunt autem iidem legati conſilium regi, ut illos epiſcopos, qui illi ſynodo præfuerunt ad ſedem apoſtolicam deſtinaret, qui verbis ac ſcriptis univerſali papæ ſatisfacerent.* Hæc de legatis pontificiis Regino.

De rebus in hoc conventiculo geſtis, deque repudio Lotharii injuſte comprobato, in annalibus Francorum a Pithœo editis hæc ſummatim recitantur. *Hoc anno 863. in regno quoque Lotharii pro eo quod dimiſſa uxore legitima alteram duxit, ſynodus in Metis congregata eſt omnium epiſcoporum ejus præter Hungarium Trajectenſem, quem ægritudo detinuit. Aderant & miſſi Nicolai Romani pontificis ob eamdem cauſam diligenter inveſtigandam directi. In quo negotio ventilato rex factum ſuum propter quod arguebatur, conſilio & auctoritate epiſcoporum ſe feciſſe teſtatus eſt. Quod illi non inficiantes, quaſdam aſſertiones rationum veriſimilium, quibus geſtæ rei qualitatem munire niſi ſunt, oppoſuerunt, eaſque litteris comprehenſas, ut legati apoſtolici ſuggeſſerunt, per Guntharium Agrippinæ Coloniæ, & Theutgaudum Trevirenſem Galliæ Belgicæ archiepiſcopos, apoſtolicæ ſedis pontifici probandas tranſmiſerunt.* Hæc annales Francorum. Anaſtaſius bibliothecarius ſupra in vita Nicolai his addit, quod ſupradicti epiſcopi una cum Hagano Bergomenſi epiſcopo non tantum dimittendæ Theutbergæ, & in conjugium ſumendæ Waldradæ auctores extiterint, verum etiam diſſolverint illam ſententiam, quæ in Ingeltrudem, quæ per ſeptem annos virum ſuum Boſonem comitem reliquerat, auctore pontifice pronuntiata fuerat. Vide epiſtolas Nicolai 17. 18. 22. 23. & 28. Item quam una cum commonitorio ad Radoaldum & Joannem legatos Roma tranſmiſſam invenies in appendice epiſtolarum ſupra. Vide item Baronium anno 863. numero 18. & ſequentibus, & acta concilii Romani III. immediate ſubſequentis.

¶ 1 CON-

ANNO CHRISTI 863.

# 12 CONCILIUM ROMANUM III.

## IN QUO SYNODUS METENSIS

Damnata eſt, ejuſque acta reſciſſa, & Guntharius ac Theutgaudus archiepiſcopi, præcipui Lothariani divortii aſſertores, depoſiti ſunt, Romæ in Lateranenſi palatio celebratum, anno Chriſti DCCCLXIII. Nicolai papæ VI.

### TITULI CANONUM.

I. *De ſynodo in Metenſium urbe a Theutgaudo & Gunthario archiepiſcopis congregata penitus abolenda.*

II. *Depoſitio Theutgaudi & Guntharii archiepiſcoporum.*

III. *De ceteris epiſcopis, qui complices fuerunt.*

IV. *De Ingeltrude Boſonis comitis uxore.*

V. *De ſententiis antiquis, & interdictis ſedis apoſtolicæ.*

Ex editione F. Sirmondi.

### PRÆFATIO, SIVE EPISTOLA NICOLAI PAPÆ AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis ac ſanctiſſimis fratribus noſtris, archiepiſcopis & epiſcopis per Galliam, Italiam, & Germaniam conſtitutis.*

7.q.1. Scelus quod.

SCelus quod Lotharius rex, ſi tamen rex veraciter dici poſſit, qui nullo ſalubri regimine corporis appetitus refrenavit, ſed lubrica enervatione magis ipſius illicitis motibus cedit, in duabus feminis, Theutberga ſcilicet & Vvaldrada, commiſit, omnibus manifeſtum eſt. Sed & dudum epiſcopos Theutgaudum & Guntharium in tali facto eum habuiſſe tutores & fautores, pæne totus orbis undique ad limina, ſeu ſedem apoſtolicam confluens referebat, abſentibus quoque idipſum ſcribentibus noſtro apoſtolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de epiſcopis tale quid audire nullatenus ſperabamus: donec ipſi Romam tempore concilii venientes, coram nobis & ſancta ſynodo tales inventi ſunt, quales fuerunt a multis ſæpiſſime prædicati; ita ut ſcriptura, quam ſuis ſtipulaverant manibus, quamque volebant ut noſtro roboraremus chirographo, caperentur: & dum muſcipulam innocentibus apponere ſatagerent, inſidiis ſuis illaqueati ſunt ipſi. Sicque completum eſt, Deo auctore, quod in proverbiis legitur: *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Siquidem ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos vero, qui in hoc flagitium falſo cecidiſſe dicebamur, favente domino, cum juſtitiæ prævaricatoribus reſurreximus & erecti ſumus. Itaque decernente nobiſcum ſancta ſynodo in præſentia depoſiti, & ab officio ſacerdotali excommunicati, atque a regimine epiſcopatus alienati indubitanter exiſtunt. Unde veſtra fraternitas canonum normam cuſtodiens, & decretorum ſanctiones obſervans, caveat ne hos, quos nos abjecimus, recipere in ſacerdotum catalogo præſumat. Depoſitionis autem ſententia quam in

Prov. 1.

Pſal. 19.

prædictos Theutgaudum & Guntharium protulimus, cum ceteris capitulis, quæ ſancto concilio nobiſcum ſanciente promulgavimus, inferius annexa monſtratur.

### CAPITULA, SEU DECRETA ROMANÆ SYNODI.

#### I.

Synodum quæ nuper, id eſt ſub piiſſimo imperatore Ludovico per indictionem XI. menſe Junio in Metenſium urbe ab epiſcopis, qui noſtrum prævenerunt judicium, collecta eſt, quique apoſtolicæ ſedis inſtituta temere violarunt, extunc & nunc, & in æternum judicamus eſſe caſſatam, & cum Epheſino latrocinio reputatam, apoſtolica auctoritate in perpetuum eſſe ſancimus damnandam, nec vocari ſynodum, ſed tamquam adulteris faventem, proſtibulum appellari decernimus.

#### II.

11.q.3. Theutgaudum.

Theutgaudum Trevirenſem primatem Belgicæ provinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ archiepiſcopos, nunc coram nobis, & ſancta ſynodo, ſub geſtorum inſinuatione, qualiter cauſam Lotharii regis, & duarum mulierum ejus, Theutbergæ ſcilicet & Vvaldradæ, recognoverint & judicaverint, ſcriptum ſuper hoc propriis roboratum manibus offerentes; nihilque ſe plus vel minus, aut aliter egiſſe oro proprio multis coram poſitis affirmantes; & ſententiam, quam a ſede apoſtolica in Ingeltrudem uxorem Boſonis ſanctiſſimus frater noſter Mediolanenſis archiepiſcopus Tado, & ceteri coepiſcopi noſtri petierant emittendam, & nos divino ſuccenſi zelo ſub anathematis obteſtatione canonice protuleramus, publice viva voce ſe violaſſe confitentes; in quibus omnibus invenimus eos apoſtolicas atque canonicas ſanctiones in pluribus exceſſiſſe, & æquitatis normam nequiter temeraſſe; ab omni judicamus ſacerdotii officio permanere penitus alienos. Et ideo Spiritus ſancti judicio, & beati Petri per nos auctoritate, omni epiſcopali exutos regimine conſiſtere deſi-



ANNO CHRISTI 863.

definimus. Quod ſi juxta præcedentem conſuetudinem tamquam epiſcopi auſi fuerint aliquid de ſacro miniſterio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia ſynodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis: ſed communicantes eis omnes abjici ab eccleſia, & maxime ſi poſteaquam didicerint adverſus memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eis communicare tentaverint.

#### III.

Ceteri autem epiſcopi, qui complices horum, Theutgaudi ſcilicet & Guntharii, vel ſectatores eſſe feruntur, ſi cum his conjuncti ſeditionem, conjurationes, & conſpirationes fecerint, vel ſi a capite, id eſt a ſede beati Petri, illis hærendo diſſenſerint, pari cum eiſdem ratione teneantur adſtricti. Quod ſi cum ſede apoſtolica, unde eos principium epiſcopatus ſumpſiſſe manifeſtum eſt, ſapere de cetero per ſemetipſos, vel miſſos ad nos legatos ſuos cum ſcriptis ſuis profeſſi extiterint, noverint ſibi a nobis veniam negandam, nec amiſſionem honorum ſuorum pro retro actis præſumptionibus aut ſubſcriptionibus, quas pro inſanis fecerunt geſtis, per nos ullomodo formidandam.

#### IV.

Ingeltrudem filiam quondam Mattefredi comitis, quæ a Boſone proprio viro relicto, ecce jam per ſeptem circiter annos hac atque illac vagabunda diſcurrit, nuper cum fautoribus ſuis regulariter anathematizavimus: ſed propter contumaces eam iterum anathematis vinculo duximus innodandam. Sit igitur a Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, uno & vero Deo, ab omnibus ſanctis patribus, & ab univerſa ſancta Dei catholica & apoſtolica eccleſia, & a nobis penitus anathema, cum omnibus complicibus & communicatoribus, atque auxiliatoribus ſuis. ita ut ſicut jam decrevimus, ſi quis ei canonice vel favere in aliquo præſumpſerit, ſi quidem clericus fuerit, eodem vinculo conſtrictus, officium clericatus amittat: monachi vero, & laici, ſi inobedientes decreto præſenti fuerint, ſimiliter anathematizentur. Sane ſi eadem mulier ad virum ſuum reverſa fuerit, vel ad apoſtolicam beati Petri ſedem Romam properans acceſſerit, veniam ei poſt dignam ſatisfactionem procul dubio non negabimus. Verumtamen ſub priori vinculo anathematis, quo illam prius & nunc obligavimus, interim conſtricta permaneat. Si quis autem eidem Ingeltrudi, ad apoſtolicam beati Petri ſedem Romam ſpecialiter properanti vel occurrenti, neſcius communicaverit, aut ſciens opem in veniendo præſtiterit, nullo pro hoc vinculo teneatur innexus.

#### V.

25.q.1. Si quis.

Si quis dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro catholica fide, pro eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, a ſedis apoſtolicæ præſide ſalubriter promulgata contempſerit, anathema ſit.

*** Execrandam ſæculis omnibus Guntharii ejuſque adjutoris Theutgaudi inſaniam pluribus enarrat auctor annalium Bertinianorum ad annum Chriſti 864.*

Ludoicus imperator Italiæ nominatus incentore Gunthario ad ſuam injuriam referens, quoniam Legatos ſui fratris Lotharii per ipſius fiduciam & interventionem Romam directos apoſtolicus, ut ſupra monſtravimus, degradavit: ſeque ipſum furore non capiens, comitantibus ſecum Legatis Theutgaudo atque Gunthario, cum conjuge, Romam ea intentione pergit, quatenus aut papa Romanus eoſdem reſtitueret epiſcopos, aut hoc facere non volenti noxie quodammodo manum mitteret. Quod audiens apoſtolicus, cum litaniis generale jejunium ſibi & Romanis indixit, ut Deus apoſtolorum ſuffragiis præfato imperatori mentem bonam & reverentiam erga divinum cultum, & apoſtolicæ ſedis auctoritatem donaret. Imperatore autem perveniente Romam, & ſecus baſilicam B. Petri degente, clerus & populus Romanus cum crucibus & letaniis jejunium celebrantes, beati Petri memoriam adeunt, & ab hominibus imperatoris, cum gradus ante baſilicam beati Petri cœperunt aſcendere, in terram proſtrati, & variis ictibus flagellati, & crucibus ac vexillis confractis, qui evadere potuerunt fugati ſunt. In quo tumultu & crux mirabilis & veneranda a ſanctæ memoriæ Helena decentiſſime fabricata, in qua lignum mirificæ crucis poſuit, & ſancto Petro munere maximo contulit, confracta & in lutum projecta eſt, unde a quibuſdam ut fertur, Anglorum gentis hominibus collecta, & cuſtodibus reddita eſt. Quæ flagitia ut apoſtolicus in Lateranenſi palatio degens comperit, & paulo poſt illum capiendum non incerto nuncio didicit, latenter navem intravit, & per Tyberim ad eccleſiam S. Petri ſe contulit, ubi duobus diebus ac noctibus ſine cibo ac potu manſit. Interea homo, cujus præſumptione præfata crux veneranda confracta fuerat, moritur, & imperator febre corripitur. Quapropter conjugem ad apoſtolicum mittit, cujus fidei juſſione apoſtolicus ad imperatorem venit, & habita mutua ſermocinatione, ſicut inter eos convenit, apoſtolicus Romam ad Lateranenſe palatium rediit. Tunc imperator Guntharium & Theutgaudum degradatos, ut ſecum venerant, Franciam redire præcepit. Tunc Guntharius hæc diabolica capitula, & hactenus inaudita, quæ cum hac præfatione, quando Romam, ut præmiſimus, in Ludoici obſequio rediit, epiſcopis regni Lotharii miſit, per Hilduinum fratrem ſuum clericum, adjunctis ei ſuis hominibus, apoſtolico miſit: dans illi in mandatis, ut ſi apoſtolicus illa nollet recipere, ſuper corpus beati Petri ea jactaret.

Sanctis ac venerandis fratribus & coepiſcopis Guntharius atque Theutgaudus in domino ſalutem.

ANNO CHRISTI 863.

tem: Rogamus ſuppliciter cariſſimam fraternitatem veſtram, ut nobis pro vobis aſſidue orantibus, ſanctarum precum ſolatia impendatis & ne turbemini, neque terreamini pro his, quæ fama forte de nobis ac vobis ſiniſterius nunciat. Confidimus de domini noſtri clementiſſima bonitate, quia neque in regem noſtrum, neque in nos, opitulante Deo, inimicorum prævalebunt inſidiæ, neque gaudebunt de nobis adverſarii noſtri. Nam quamvis domnus Nicolaus, qui dicitur papa, & qui ſe apoſtolum inter apoſtolos adnumerat, totiuſque mundi imperatorem ſe facit, ad illorum inſtinctum & votum, quibus conſpiratus favere dignoſcitur, nos damnare voluiſſet: tamen modis omnibus Chriſto propitio ſuæ inſaniæ renitentes invenit, & quidquid inde fecit non mediocriter illum poſtmodum pœnituit. Miſimus vobis hæc ſubſcripta capitula, quibus cognoſcatis noſtram adverſus præfatum pontificem querimoniam. Nos autem egreſſi a Roma, longiuſque recedentes, iterum ad Romam revocati ſumus. Quo nos incipientes reverti, has vobis litterulas ſcripſimus, ut non miremini quod longiores agimus moras. Dominum regem noſtrum tam per vos ipſos, quam per veſtros miſſos & litteras ſæpius viſitate & confortate, eique quoſcumque poteſtis amicos & fideles conciliate: maxime Hludovicum regem admonendo ſemper invitate, & cum illo de communi utilitate diligenter inquirite, quoniam in pace eorum [a] regnum erit pax noſtra. Æquo animo eſtote, & tranquillo corde, domini fratres, quia Deo volente talia vobis nunciare ſperamus, in quibus abſque errore poteritis advertere ſpiritum domini docentem quid & quomodo agere debeatis. Tantum omnimodis præfatum regem commonere curate, ut inter varias ſuggeſtiones ita maneat immobilis, donec & ipſe rerum cauſas cognoſcat. Ceterum deſiderantiſſimi fratres, neceſſarium vobis eſt, & laude dignum, ut promiſſam regi noſtro fidem coram Deo & hominibus inviolabiliter conſervemus. Deus omnipotens vos in ſuo ſancto ſervitio conſervare dignetur.

a) Forte, regum, N.

CAP. I. Audi domne papa Nicolae, patres & fratres coepiſcopi noſtri ad te nos direxerunt, & nos ſponte venimus conſulere videlicet tuum magiſterium ſuper his, quæ pariter, prout vobis viſum fuit, & adjicientibus & approbantibus notum eſſe potuit, judicavimus, auctoritates rationeſque, quas ſecuti fuimus, ſcriptis oſtendentes: ut tua ſapientia, perſcrutatis omnibus, quid inde ſentiret, & quid vellet, nobis demonſtraret. Et ſi illud melius tua ſanctitas inveniret, ut nos inſtrueres & doceres hoc humiliter poſtulamus: parati quidquid rectius & probabiliter inſinuares, una cum confratribus noſtris ſanis acquieſcere documentis.

CAP. II. Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes reſponſum, nihil certitudinis nihilque doctrinæ nobis expreſſiſti, ſed tantum quodam die in publico dixiſti, nos excuſabiles apparere & innocentes juxta noſtri adſertionem libelli.

CAP. III. Ad ultimum nos evocati ad tuam præſentiam deducti ſumus, nihil adverſitatis ſuſpicantes, clauſis obſeratis oſtiis, conſpiratione more latrocinali facta, & ex clericis & laicis turba collecta & permixta, nos opprimere inter tantos violenter ſtuduiſti, atque ſine ſynodo & canonico examine, nullo accuſante, nullo teſtificante, nullaque diſputationis diſtrictione dirimente, vel auctoritatum probatione convincente, abſque noſtri oris confeſſione, abſentibus aliis metropolitanis & diœceſanis coepiſcopis & confratribus noſtris, extra omnium omnino conſenſum tuo ſolius arbitrio ex tyrannico furore damnare noſmet voluiſti.

CAP. IV. Sed tuam maledictam [b] ſententiam a paterna benignitate alienam, a fraterna caritate extraneam, adverſum nos injuſte & irrationabiliter contra leges canonicas prolatam, nequaquam recipimus: immo omni cœtu fraterno, quaſi maledictum fruſtra prolatum contemnimus atque abjicimus. Teipſum quoque, damnatis & anathematizatis, ſacramque religionem abjicientibus ac contemnentibus faventem & communicantem, in noſtram communionem noſtrumque conſortium recipere nolumus: contenti totius eccleſiæ communione, & fraterna ſocietate, quam tu arroganter te ſuperexaltans deſpicis, teque ab ea elationis tumore indignum faciens, ſequeſtras.

b) Hæc verbis [illegible] familiaris papam [illegible] vitia.

CAP. V. Igitur ex tuæ levitatis temeritate propria tibimet ſententia anathematis peſtem inflixiſti, exclamans, *Qui apoſtolica præcepta non ſervat, anathema ſit*, quæ tu multipliciter violare & violaſſe dignoſceris, divinas ſimul leges & ſacros canones, quantum in te eſt, evacuans, prædeceſſorum tuorum pontificum Romanorum veſtigia ſequi nolens.

CAP. VI. Nunc ergo, quia fraudulentiam & calliditatem tuam experti ſumus, non quaſi ad illatam nobis contumeliam provocati ſumus: ſed contra tuam iniquitatem zelo accenſi, nec noſtræ vilitatis perſonam attendentes, ſed omnem noſtri ordinis univerſitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.

CAP. VII. Quid noſtræ ſpecialis propoſitionis ſumma fuerit, in paucis replicamus. Lex divina & canonica aptiſſime probat, etiam venerandæ ſæculi leges adſtipulantur, quod nulli licet ingenuam virginem alicui viro tradere in concubinatum, maxime ſi illa puella nunquam illicitæ aſſentire voluit copulæ. Et quia ſuo viro parentum conſenſu, fide, affectu ac dilectione conjugali ſociata eſt, uxor profecto, non concubina habenda ſit.

Apoſtolicus autem præcognitus hæc recipere noluit.

Suprascriptus autem Hilduinus armatus cum hominibus Guntharii, eccleſiam beati Petri apoſtoli ſine ulla reverentia intrans, diabolicum ſcriptum, ſicut ſuus frater Guntharius ei præceperat, ſi apoſtolicus illud nollet recipere, ſuper corpus beati Petri jactare voluit, & a cuſtodibus prohibitus, eoſdem cuſtodes cum fuſtibus tam ipſe quam & ſui complices verberare cœperunt, adeo ut unus ibidem occiſus fuerit. Tunc ipſum ſcriptum ſuper corpus beati Petri jactavit, ſeque iſdem, & qui cum eo venerunt, evaginatis gladiis protegentes, de eccleſia exierunt, & ad Guntharium peracto lugendo negotio redierunt. Imperator poſt paucos dies patratis a comitatu ſuo multis deprædationibus, & manſionum deſtructionibus, ac ſanctimonialium ceterarumque feminarum conſtuprationibus atque hominum cædibus, nec non & eccleſiarum infractionibus, Roma exiens Ravennam venit, ibique paſcha dominicum cum tali ſicut meruit Dei & apoſtolorum gratia celebravit. Guntharius autem in ipſa cœna domini Coloniam veniens, miſſas celebrare & ſacrum chriſma conficere ut homo ſine Deo præſumpſit. Theutgaudus vero a miniſterio, ſicut ei fuerat præceptum, ſe reverenter abſtinuit. Ceteris denique epiſcopis apud Lotharium



ANNO CHRISTI 863.

rium id ſatagentibus, epiſcopatum a Gunthario Lotharius tulit, & ſuo tantum conſilio Hugoni Conradi Caroli regis avunculi & materteræ ſuæ filio, tonſura clerico, & ordinatione tantummodo ſubdiacono, moribus autem & vita a fideli laico diſcrepanti, donavit. Unde motus Guntharius, quidquid de theſauro eccleſiaſtico in eadem civitate fuit reſiduum auferens, Romam iterum, ut omnia Lotharii & ſua figmenta de Theutberga & Waldrada apoſtolico ex ordine pandat, regreditur. Sed & epiſcopi regni Lotharii legatos ſuos cum libellis pœnitentiæ, & profeſſionibus canonicis, quoniam ab evangelica veritate & apoſtolica auctoritate, ſacriſque regulis in cauſa Theutbergæ ac Waldradæ non mediocriter deviaverant ad apoſtolicum dirigunt. Lotharius vero, Ratoldo Argentoratenſis urbis epiſcopo cum ſcriptis falſa more ſuo de ſua excuſatione & voluntaria correctione loquentibus præmiſſo ad apoſtolicum ipſe per Gundulphi-villam & Romerici-montem obviam fratri ſuo ad locum qui Urba dicitur, vadit. Carolus cum epiſtolis per Rodbertum Cinomanicæ urbis epiſcopum Romam, ſicut apoſtolicus juſſerat, Rothadum dirigit. Sed & epiſcopi regni ejus vicarios ſuos cum ſynodicis litteris de cauſa ipſius Rothadi ad apoſtolicam ſedem mittunt, quibus Ludoicus tranſitum denegat. Ipſi autem legati tam regis quam epiſcoporum impoſſibilitatis ſuæ cauſas Romam veniendi clanculo papæ cognitas faciunt. Rothadus ſimulata infirmitate Veſoncio ceteris patriam repetentibus remanet, & poſt aliorum regreſſum per curiam, ſuffragantibus ſibi Lotharii & Ludoici Germaniæ regis fautoribus, Ludoicum imperatorem Italiæ adiit, quatenus ipſius ſolatio Romam valeat pervenire.

*Idem vero anonymus ſcriptor hæc ſub ejuſdem anni periocha ſubjicit.*

Nicolaus papa denuo epiſtolas per omnes archiepiſcopos & epiſcopos Galliarum, Germaniarum, & Belgicæ provinciæ mittit, pro confirmatione depoſitionis Theutgaudi Treverorum, & Guntharii Colonienſis archiepiſcoporum, ſed & aliis epiſcopis, qui ex regno Lotharii in divortio Theutbergæ, & ſuperinductione concubinæ Vvaldradæ conſenſerunt, & ad eum cum profeſſione ſua miſerunt epiſtolas ſuas, indulgentiam largiendo, ſicut in ſcripto ſuperius continente promiſerat, dedit. Synodum Romæ convocat circa Kalendas Novembris, indicans ſe in ea eorumdem olim archiepiſcoporum depoſitionem denuo confirmaturum, & tractaturum de cauſa Lotharii & Ignatii Conſtantinopolitani epiſcopi præcedenti anno depoſiti. In cujus loco quidem laicus attonſus & mox ordinatus eſt epiſcopus. Ad quam ſynodum prædicti Theutgaudus & Guntharius ſponte perrexerunt, putantes Ludoici imperatoris interventu ab apoſtolico poſſe reſtitui.

*Nec omittenda quæ ad annum ſequentem paulo poſt annotavit duriora.*

Nicolaus papa Arſenium Ortenſem epiſcopum, & conſiliarium ſuum, cum epiſtolis ad Hludouvicum & Carolum fratres, ſed & ad epiſcopos ac primores regnorum illorum, ea quæ Lotharius per fratrem petierat continentes, non cum apoſtolica manſuetudine, & ſolita honorabilitate, ſicut epiſcopi Romani reges conſueverant in ſuis epiſtolis honorare: ſed cum malitioſa interminatione tranſmittit. Iſdem autem Arſenius per Curiam & Alemanniam ad Hludouvicum Germaniæ regem in Franconofurd palatium veniens, epiſtolas apoſtolici ei tradidit, & inde in Gundulfi villam ad Hlotarium venit, cui & epiſcopis ac primoribus regni ſui, epiſtolas papæ dedit continentes, quia niſi uxorem ſuam Theotbergam reciperet & Vvaldradam abjiceret, renunciante ſibi Arſenio, illum ab omni Chriſtianorum ſocietate debuiſſet rejicere: quem in pluribus epiſtolis has præcedentibus excommunicatum, & a conſortio Chriſtianorum ejectum multoties prædicaverat. Et ſic de Lothario ad Carolum circa medium Julium menſem in Attiniacum palatium Arſenius veniens, uniformes ſicuti Ludoico & Lothario regibus, epiſtolas ſuas ſatis honorifice tradidit, & Rothadum canonice a quinque provinciarum epiſcopis dejectum & a Nicolao papa, non regulariter ſed potentialiter reſtitutum, ſecum reducens, Carolo præſentavit. Et cum ſacri canones dicant, ut ſi epiſcopus a gradu dejectus ab epiſcopis provinciæ ad epiſcopum Romanum confugerit, ſcribat Romanus epiſcopus finitimæ & propinquæ provinciæ epiſcopis, ut ipſi omnino diligenter cauſam inquirant, & juxta fidem veritatis diffiniant. Eodem die ipſam Theotbergam reginam Arſenius epiſcopus & legatus apoſtolicæ ſedis cum prænominatis omnibus archiepiſcopis in manibus Lotharii regis reddiderunt atque dederunt, non ſolum ſub eadem obteſtatione, ut ſupra, verum etiam ſub adjuratione & excommunicatione, ut ſi in omnibus, ut ſuperius legitur, non obſervaverit atque impleverit, non ſolum in præſenti vita, ſed etiam in æterno Dei terribili judicio, cum beato Petro principe apoſtolorum redditurum rationem, & ab ipſo æternaliter in eodem judicio damnandum, & in igne perpetuo concremandum. *Tum quibuſdam interjectis.*

Arſenius epiſcopus impetratis apud Carolum, pro quibus ad eum venerat, ad Gundulfi villam cum Lothario, quo Theotberga eum præceſſerat, pergit. Ibi quoque per aliquot dies morans propter Vvaldradam, quæ illuc ad eum deduci, & ab eo in Italiam deduci debebat, Lothario & Theotberga regio cultu paratis & coronatis, in die aſſumptionis ſanctæ Mariæ miſſas celebrat: & inde cum præfata Vvaldrada verſus Urbam, quo dicebatur Hludouvicus Italiæ imperator obviam Lothario venturus, pergit. Inde per Alemanniam, & Bajoariam, pro recipiendis patrimoniis eccleſiæ ſancti Petri in eiſdem regionibus conjacentibus, Romam rediit.

## NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Concilium Romanum.*] Damnati hac in ſynodo Theutgaudus & Guntharius archiepiſcopi, ſynodi Metenſis anteſignani, virulento adverſus Nicolaum ſcripto reſponderunt, quod extat in annalibus Pithœanis: hic vero a nobis edi viſum eſt ſupervacuum.

## NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.*] Ea quæ apud acta concilii prolixius recenſentur, annales Francorum Pithœi breviſſime commemorant his verbis: *Qui* (Nicolaus ſcilicet pontifex Romanus) *convocato Romanæ ſedis epiſcoporum concilio & Metenſem anathematizavit ſynodum, & adſe miſſos epiſcopos* (*Guntharium ſcilicet & Theutgaudum*) *depoſuit, & communione privavit, juſte quidem & canonice, ut ſcriptis ſuis ipſe fatetur: injuſte vero, ſicut illi ſcriptis & aſſertionibus firmare conantur.* Eadem habent Regino in chronico & Anaſtaſius in vita Nicolai, qui præterea, quæ in actis recenſentur, addit eoſdem archiepiſcopos epiſtolas pontificis ad libitum falſaſſe. Vide Baron. an. 863. n. 20. 21. 22. & ſeqq.

ANNO CHRISTI 863. ANNO CHRISTI 863.

# a CONCILIUM ROMANUM IV.

## QUO ZACHARIAS APOSTOLICA LEGATIONE

In oriente male functus excommunicatur & deponitur : Photius & Gregorius Syracuſanus condemnantur : Ignatius ſedi Conſtantinopolitanæ per ſententiam reſtituitur; cultuſque imaginum adverſus Iconoclaſtas confirmatur, anno domini DCCCLXIII. tempore Nicolai papæ.

Cur Nicolaus papa in epiſtola 7. ſex tantum œcumenica concilia nominet.

a *Concilium.* ) Acta & capitula bujus concilii extant in epiſtola 7. Nicolai papæ, quæ ſupra excuſa reperitur: de qua hoc obſervatu dignum eſt, quod ſex dumtaxat ſynodos œcumenicas citat ideo, quia acta ſeptimæ ſynodi Romæ extantia, ita ex Græco male reddita & tranſlata habebantur, ut quantumvis ea ab Hadriano papa I. ejuſque ſucceſſoribus probata & confirmata eſſent: poſteri tamen non eodem præconio, titulo nimirum œcumenico eadem proſecuti fuerint, quoadusque fidelioribus adhibitis exemplaribus ex puriſſimis fontibus Latinitati darentur : quod præſtitit egregie Anaſtaſius bibliothecarius, ut in ejus præfatione ad Joannem octavum ſupra in no- A tis VII. concilii prolixius annotavi. Dum itaque Nicolaus in hac epiſtola de ſeptima ſynodo tacuit, ex prædicta cauſa circa ipſam judicium ſuum dumtaxat ſuſpendit: nunquam vero œcumenicam eſſe dicendam negavit. Photius calumniator hanc rem in deteriorem partem accipiens, Nicolao papæ, ut infra videbis, negotium faceſſit, quaſi non niſi ſex œcumenicas ſynodos ille reciperet: cum tamen plurimis litteris edocuerit, eam ſemper ab eccleſia Romana receptam atque ſervatam, univerſalique eccleſiæ ſervandam fuiſſe propoſitam. Hac de re plura infra dicemus. Vide Baronium anno 863. num. 6.

# a CONCILIUM ROMANUM V.

## QUO ACTA CONCILII (1) SILVANECTENSIS

Reprobantur, & Rothadus ſedi epiſcopali, a qua ejectus fuerat, reſtitui jubetur. celebratum eſt anno domini DCCCLXIII. tempore Nicolai papæ.

Acta concilii quæ?

a *Concilium.* ] Cum judicium Silvanectenſis ſynodi per ſynodicam ejuſdem concilii Nicolao pontifici innotuiſſet, & ſupra memoratus libellus appellationis Rothadi Sueſſionenſis epiſcopi eidem papæ redditus fuiſſet, accepiſſetque eas, quas Hincmarus Rhemenſis archiepiſcopus, & Carolus rex per eumdem legatum miſerant epiſtolas, collecto Romanæ eccleſiæ presbyterio atque vicinis epiſcopis, adhibita diligenti totius cauſæ conſultatione, acta ſynodalia Silvanectenſis concilii, utpote quæ ſacris canonibus adverſarentur, omnino improbavit, & ſimul irrita reddidit. Eadem hac ſynodo conſtitutum fuit, ut niſi Hincmarus, aliique complures epiſcopi ter quaterve moniti Rothadum Sueſſionenſem epiſcopum iniquiſſime ſede ſua amotum ſpatio B triginta dierum reſtituerint, a miſſarum celebratione omnes ſuſpenſi habeantur, eamdemque pœnam incurrant, quam ipſi Rothado injuſte inflixerant. Cumque iidem Silvanectenſis concilii patres ſua epiſtola ſynodali allegaſſent, Rothadi appellationi non fuiſſe deferendum ideo, quod ei leges imperiales adverſarentur: reſponderunt pontifex & epiſcopi hujus concilii, non eſſe utendum legibus ſæcularibus & imperatoriis ſanctionibus, quando leges eccleſiaſticæ illis contradicunt. Hæc omnia prolixius recenſentur in epiſt. 32. Nicolai papæ quam ad ſynodum Silvanectenſem reſcripſit. Item epiſt. 25. 29. 31. & 38. ex qui- C bus videre eſt, quod epiſcopi primo & ſecundo moniti adhuc contumaces extiterint. Vide Baronium anno 863. n. 82. & ſequentibus.

CON-

1 Seu potius *Sueſſionenſis*. Vide quæ ſupra attulimus ex Pagio ad pag. 226.



ANNO CHRISTI 863. a 862. ANNO CHRISTI 863. a 862.

# CONCILIUM IN LOCO QUI DICITUR PISTIS;

## AD SEQUANAM FLUVIUM CELEBRATUM,

Anno Chriſti DCCCLXIII. " tempore Nicolai papæ I.

*Videtur autem potius quidam eſſe regni procerum conventus, quam epiſcoporum ſynodus: ſed quia habet quædam digna lectu huc aſcripſimus* : ita Surius. *Auctor annalium* " *hujus conventus nuſquam meminit, fortaſſe quia politicus magis quam eccleſiaſticus conventus eſt.*

a ſeu potius 862. quem deſignant duo characteres, indictio ſcilicet 10. & annus 22. Caroli Calvi: itaque excuſum parte ſeu titulo 29. capitularium Caroli Calvi a Sirmondo noſtro anno 1623. vulgatorum.
a Fithcranorum ſeu Fuldenſium.
a ſ. provinciis.
a DCCCLXII.
a in edit. Sirmondi an. regni dicitur XXIII. qui ab exeunte Junio aut ineunte Julio ducebatur.

### PRÆFATIO.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex, & epiſcopi, abbates quoque & comites, ac ceteri in Chriſto renati fideles, qui ex diverſis * principiis ſuper fluvium Sequanam in locum, qui Piſtis dicitur, ubi exigentibus peccatis noſtris aliquamdiu ſedes fuit Northmannorum, convenimus anno incarnationis dominicæ DCCCLXIII. " anno vero XXII. " regni domini noſtri Caroli regis glorioſi, indictione decima.

### CAPITULA.

### I.

REges & epiſcopi, qui ante nos fuerunt, ducti amore & timore divino, cum ceterorum fidelium Dei conſilio atque conſenſu plura ſtatuerunt capitula providentes, qualiter ſancta eccleſia ſtatum debitum & honorem, & regni habitatores in omni ſtatu & ordine haberent legem atque juſtitiam. Nos etiam pro qualitate rerum & opportunitate temporum quædam huic cauſæ convenientia capitula ſuperaddidimus. Sed diabolo ſatagente, ſupervenientibus perturbationibus tam a Paganis, quam & a nomine tenus Chriſtianis miſerabiliter excitatis, incepta bona defecerunt, & in tantum in hoc regno mala horribilia increverunt, ut in nobis videamus & ſentiamus completum, quod olim eſt per prophetam prædictum: *Terram veſtram in conſpectu veſtro alieni devorant, & erit in vaſtitate hoſtili, & pervenit gladius uſque ad animam, quoniam alieni inſurrexerunt in nos, & fortes quæſierunt animas* " *veſtras, & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum*, contra quos defenſionem paravimus. Sed defenſionis auxilio, ſicut neceſſe fuerat, hactenus adjuti non ſumus. Unde, compellente cordis dolore, nobis eſt exclamandum, quod rex bonus obſidionis anguſtia tribulatus exclamavit, dicens: *Dies tribulationis & blaſphemiæ dies iſte: venerunt filii uſque ad partum, & vires non habet parturiens.* Hæc omnia vidimus, ſenſimus & dolemus: quia cum hoſtes irruerunt, defenſores noſtri præparati ſunt, ſed ad præparata non convaluerunt, quia illum ſanctum Spiritum, qui requievit ſuper adjutorem in opportunitatibus, in tribulatione, Chriſtum dominum noſtrum, & quem per impoſitionem manus epiſcopalis in conſignatione accepimus, contriſtatum malignis operibus a nobis effugavimus, ſpiritum ſcilicet conſilii & fortitudinis, quem quia ita, ut nobis neceſſe fuerat, non habemus, ideo contra inimicos no- A ſtros ſtare viriliter, & vincere fortiter non valemus. Quæ utraque ſibi neceſſario ſunt conjuncta, quia neque virtus ſine conſilio, nec conſilium ſine virtute utile eſſe poteſt. Quid igitur proſunt, qui per conſilium præparantur, dum ad prælium fortitudine non procedunt? Filii quippe uſque ad partum veniunt, quando apta conſilia uſque ad deſiderium efficiendi operis procedunt. Sed virtutem non habet parturiens, quia dum infirmus quiſque conſilia concipit, hæc ad utilitatem aliquantam, per B partum operis non producit: videmuſque impletum, quod ad nos eſt ante prædictum populo contra voluntatem ſuam facienti: *Anathema in medio tui, non poteris ſtare coram inimicis tuis*: qui contra placatus, placentibus ſibi dixit: *Nullus ſtabit contra vos*. Sed & ideo terram noſtram in conſpectu noſtro alieni devorant, quoniam alienos a Deo diabolos, effugata gratia ſancti Spiritus, in animas noſtras recepimus. Ideo terra noſtra deſerta eſt, ſicut in vaſtatione hoſtili, quia flores & fructus fidei, ſpei, & caritatis, & humilitatis, & caſtitatis, & ſobrietatis, ac ceterarum virtutum, ab ara cordis noſtri de- C vaſtavimus, & pro illis ſpinas vitiorum, & urticas peccatorum, & cicutas vanitatis in nobis ipſis, etiam laborantes, ut inique agamus, non decreſcere, ſed & incrementare cum ſtudio fecimus. Ideo habitatores terræ occiſi & fugati ſunt, quia noſipſos peccati gladio occidimus, & omnia bona, quæ nobis dominus, ſive in intellectu naturali, ſive in doctrina, ſive in divitiis, ſive in honoribus, ſive in familiaritatibus, quas nobis contulit apud * nobis potentiores, ad carnis voluntatem convertimus, & nos & omnia quæ nobis dominus dedit, ab illius voluntate, pro qua nobis facienda illa donavit, D avertimus. Quod unuſquiſque poteſt in ſeipſo recognoſcere, ſi etiam de ſingulis membris ſuis cogitat, quid fecit & quid facit, per id quod Deus ad operandam ſuam ſalutem donavit. Et ſicut de membris corporis inveniet apud ſeipſum, ita de membris animæ poterit invenire, quæ per ſpiritualia vitia diſpergit atque diſperdit, & ſpiritales in ſe virtutes a Deo ſibi collatas, aut effugat, aut conculcat. Ideo eccleſiæ & villæ incenſæ ſunt, quia ignis avaritiæ & rapacitatis atque invidiæ & adulteriorum, ac ceterarum E immunditiarum, non ſolum per naturalem ſexum, ſed etiam per eum ſexum, qui eſt contra naturam ſine pœnitentia, & ſine reſipiſcentia in nobis exarſit & ardet. Et quoniam illum ſpiritum, qui ſuper humilem & quietum, & ſermones ſuos trementem requieſcit, per ſuperbiam & inobedientiam ac præſumptionem a nobis expulimus: ideo ſanctorum ac protectorum noſtrorum corpora, de ſepulcris ſuæ requietionis effoſſa

Iſa. 1. Pſal. 53. — a noſtras — 4. Reg. 19. — Iſa. 11. Pſal. 9. — Joſ. 7. Deut. 11. — Iſa. 1. — Jer. 9. — * videtur expungendum. — Rom. 1. — Iſa. 66.

ANNO CHRISTI 863.

effoſſa ſunt. Et quia nos ſpiritui maligno, [a] juſta Dei permiſſione poteſtatem habenti, & ſuper nos aſcendenti non reſiſtimus, ut fugiat a nobis: idcirco ſervi & ancillæ Dei de locis ſuis expulſi ſunt, & nos de quiete cæleſtis paradiſi, & de conſortio cæleſtis eccleſiæ, id eſt, angelorum ſanctorum ejecti ſumus, niſi per dignos pœnitentiæ fructus ad hæc unde cecidimus redeamus: & quia nos tales efficimur, de quibus dominus per prophetam dixit: *Cauſa viduæ non ingreditur ad eos*, quaſi apud nos facta eſt venalis juſtitia, ut ad eam nemo poſſit pervenire, niſi viam ei aperuerint munera. Ideo vota fidelium & precia peccatorum, quæ ſacris locis collocata fuerunt, propter peccata noſtra de hoc regno ſunt penitus exportata, & vendentes juſtitiam & veritatem, & in his ſcilicet ipſum Chriſtum, qui eſt nobis a Deo factus juſtitia, & qui dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita*, niſi digne pœnituerint, cum Juda traditore Chriſti, æterna expectant incendia, & quia ſanguis ſanguinem tetigit, id eſt, culpæ culpis adjunctæ ſunt, & ſicut ſcriptum eſt, *adulterium, & homicidium, & mendacium, & furtum, & perjurium inundaverunt*; &: *iniquitates noſtræ ſupergreſſæ ſunt capita noſtra*: ideo nobiles noſtri & de epiſcopali [b] ordinatione & de aliis ordinibus interierunt, & capti, cum maximo detrimento & regni & eccleſiæ ſunt aut redempti, aut interempti. Et quia nos per peccata noſtra a terra viventium peregrinati ſumus, idcirco, ſicut ſcriptum eſt: *Propheta & ſacerdos iverunt in terram, quam ignorabant*. Et poſt hæc omnia pius pater, cujus multis miſerationibus non ſumus conſumpti, quoniam non defecerunt miſerationes ejus, materna pietate nos flagellat, & expectat, ut ipſa vexatio donet intellectum auditui noſtro, qui illa credere noluimus, quæ per ſcripturas nobis ſe illaturum promiſit, ſi illius voluntatem non faceremus. Et oſtendit nobis in exterioribus vaſtationibus, quæ de interioribus depopulationibus intelligere debeamus, [b] & iis intellectis ad illum redeamus, qui iterum nobis in ſcriptura multipliciter promiſit, inter quæ veraciter ſic veritas dixit: *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos, & quare moriemini in peccatis veſtris?* Et quia non credidimus promittenti, credamus tandem aliquando vel juranti: *Vivo ego, dicit dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: niſi converſi fuerimus*, ſicut jam videmus, *gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum*, id eſt, vindictam, *tetendit, & paravit*, ad exercendam duriorem vindictam, ſicut item de reprobis ſcriptum eſt: *Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*. Et hoc, quod videmus & ſentimus, pars eſt vindictæ, quia majora & plura & graviora venient ſuper nos, niſi fuerimus converſi, ut ſcriptum eſt: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos*. Unde ſicut dicit apoſtolus, *ſicut exhibuimus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ad ſerviendum immunditiæ & iniquitati, ita exhibeamus membra noſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem, quia ſtipendia*, id eſt, retributio, *peccati, mors: gratia autem Dei* pro bonis operibus donata, *eſt vita æterna*. Et ſicut quando ſolemus de iſtis frequentibus itineribus reverti ad manſiones noſtras detonſi, & [c] decalvati cum drappis & calceamentis depannatis, & tunc nos reficimus & reparamus: ita vel nunc reparemus nos per cor contritum & humiliatum, & per confeſſiones ex puro corde, & per benignitatem mentis, & per concordiam cum Dei voluntate, quia per diſcordiam & regnum

Margin: a) Juxta Dei permiſſionem, legit Baluzius in Capitular. — Iſa. 1. — 1. Cor. 10. Joan. 14. — Oſee 4. Pſal. 37. — [b] ordine — Jer. 14. — Iſa. 28. — b) Forte, ut iis. H. — Zach. 1. Ezech. 33. — Ibidem. — Pſal. 7. — Pſal. 10. — Sap. 5. — Rom. 6. — c) In MS. Palat. ſeu Vatic. delaniati. H.

iſtud temporale imminutum & pæne deſertum, & æternum regnum perditum habemus. Quia nec omnes reges eſſe poſſumus, nec regem ſuper nos a Deo conſtitutum, qui, ſicut ſcriptum eſt: *Impoſuit homines ſuper capita noſtra*, habere ſuſtinemus, non attendentes quia (ſicut dicit apoſtolus) *non eſt poteſtas niſi a Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Quoniam Deus, qui eſſentialiter eſt rex regum & dominus dominantium, [a] partitione nominis & numinis Dei, id eſt, poteſtatis ſuæ voluit & eſſe, & vocari regem & dominum pro honore & vice ſua in terris. Et ſicut archangelus, qui nunc eſt diabolus, cum ſuis ſequacibus, quia per humilitatis ſubjectionem conditori ſuo ſubditus eſſe noluit, & per coæqualitatem caritatis coangelis ſuis ſocius eſſe deſpexit, de cælo cecidit: ita & illi, qui poteſtati a Deo conſtitutæ propter Deum & in Deo ſubjecti eſſe nolunt, & patres vel coæquales in regno habere non ſufferunt; per quam debitam ſubjectionem, & parilem æqualitatem, Dei amici & angelorum conſortes eſſe poterant, ſubjecti diabolo, & Dei inimici conſtituuntur. Quapropter de diabolo ſcriptum eſt: *Ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*, & illius ſubjectis dominus apud quem non eſt viciſſitudinis obumbratio, quamdiu in ipſo malo perſeverant, ſemper in euangelio dicit: *Vos ex patre diabolo eſtis*, non quia a diabolo ſunt facti aut generati, ſed quia diabolum imitati. Reparemus ergo nos per pœnitentiam & confeſſionem, & per eleemoſynas, unuſquiſque ſecundum poſſibilitatem ſuam, & quantum quiſque recognoſcit ſe a Deo aruiſſe per culpas, tantum bibat compunctionis ſuæ lacrymas, & tunc proficient in aqua iſta [b] quas facimus [d] firmitates, ſi per bona opera reſtruxerimus quas in nobis deſtruxerunt peccata virtutum munitiones, quæ & tunc proficient, ſi mala, quæ fecit quis prius, prout poterit emendaverit, aut rapta ſolvendo, aut per indulgentiam deprecando, atque mala cetera per dignam pœnitentiam abolendo; & tunc proficient, ſi inante cuſtodierit, ne de illis ſe ſordidet, de quibus ſe emendavit, quia ſcriptum eſt: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, dicit dominus. Quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere*. Quia qui ſe bonis operibus & lacrymis & orationibus a peccato mundat, & iterum gravia peccata perpetrat, talis eſt, ut ſanctus Petrus dicit, *ſicut ſus, quæ ſe jactat in luto, & ſicut canis, qui remanducat vomitum ſuum*: Et timere debet, ne ipſas lacrymas in conſpectu Dei reddat immundas, per quas mundari potuit a peccatis. Quæ non dicimus, ut ſi iterum alius ceciderit poſt confeſſionem in peccatis, ut in peccatis quaſi deſperatus jaceat, ſed ut a peccatis, quantum poteſt, ſe caveat: & ſi fragilitate ceciderit, quia ſcriptum eſt: *Numquid qui cadet non adjiciet ut reſurgat?* dicat: *Nunc cœpi*, & per immutationem dexteræ excelſi ſemper per pœnitentiam reſurgat, ne illum ultimus dies in peccatis inveniat, & ſine fine perditus fiat.

II.

Unde quia ſolent medici, quando genera infirmitatum, vel morbus in terram venit, generalem medicinam conficere, unde omnes poſſint ſanari: ita nunc communiter hanc medicinam, cooperante & medicante domino, ſtatuimus ad recuperandam & conſervandam ſanitatem noſtram, ne & in iſto ſæculo gravius affligamur, & in futuro ſæculo, quando de iſto corpore exierimus, æternis tormentis cruciemur: id eſt, ut unuſquiſque epiſcopus in ſua parochia, & miſſi in illorum miſſaticis, & comites in illorum comitatibus, cum ma-

Margin: Pſal. 65. — Rom. 13. — [a] participatione — Job 41. — Joan. 8. — [b] Forte ... d) ... H. — Iſa. 1. — 2. Pet. 2. — Pſal. 40. Pſal. 76.



ANNO CHRISTI 863.

maximo ſtudio & ſumma diligentia curam habeant, ut quicumque raptores & prædatores ubi ſunt, cujuſcumque homines ſint, ad rationem reducantur, & ſecundum legem, quæ ibi male facta habent, emendent, aut ſolvant ſecundum legale placitum, aut per indulgentiam ſibi impetrent perdonari. Et epiſcopi ſecundum qualitatem & quantitatem peccatorum abſque acceptione perſonarum, rapacibus & his ſimilibus vitiis nominatis, & convictis, pœnitentiæ leges injungant, inſpecta diſcretione & qualitate, prout cuique ad ſalutem viderit expedire. Ad quæ ſpecialiter exequenda, quædam de pluribus capitulis prædeceſſorum regum & ſynodalium hic ponere dignum duximus, commonentes epiſcopos & comites, ut illa capitula, quæ inde ante hos annos in unum collecta fuerunt, & in Cariſiaco epiſcopis & miſſis noſtris per univerſum regnum noſtrum ad exequendum donavimus: ſed & illa quæ conſenſu fidelium noſtrorum fieri juſſimus, quando confratri noſtro Lothario glorioſo imperatori apud Valentinianas locuti fuimus, & fidelibus noſtris denuntiari, & obſervare præcepimus, ad præſentiam reducant, & illa relegant. Et quia hæc pauca hic brevitatis cauſa ſubſcripſimus in talibus rebus, quæ eis advenerint ad emendandum, & [a] hinc inde ſi non invenerint, per illa & per alia capitula regia & ſynodalia quæ emendanda ſunt, & emendanda præviderint, emendare procurent. Si vero & juxta diabolicam calliditatem, & ſecundum humanam fragilitatem nova quæcumque acciderint, quia nova morborum genera nova quærunt medicamentorum experimenta, morem ſequentes prædeceſſorum noſtrorum, ſancti Spiritus gratia illuſtrati, contra venena diaboli miniſtrare curabimus medicinalia antidota Chriſti.

III.

Communi placito conſtituimus, ut uſque ad miſſam ſancti Remigii, id eſt, Kalendas Octobris ſpatium habeant illi, qui in iſtis temporibus iſtas deprædationes, & alia malefacta criminaliter & publice fecerunt, ut inde apud dominum, & apud eos, quibus malefecerunt, ſe pacificent. Et quiſquis hoc non fecerit, bannum noſtrum dupliciter componat: ſcilicet & quia poſtquam rapinas & alia malefacta in Cariſiaco, & poſtea apud Confluentes, cum dilecto fratre noſtro Ludovico glorioſo rege, & nepote noſtro Lothario forbannivimus. Et poſt iſtum bannum, per conſenſum omnium factum illa emendare ſicut illis ſpatium dedimus, noluerunt, & omnia quæ commiſerunt, legaliter componere compellantur, & per publicam pœnitentiam, ſecundum ſacros canones, Deo & eccleſiæ, in quam peccaverunt, ſatisfaciant: quibus ſi obedire noluerint, aut per fidejuſſores ad præſentiam noſtram perducantur, aut omnia quæ in regno noſtro habent, in bannum mittantur, & epiſcopali auctoritate a communi eccleſiaſtica & omnium fidelium ſocietate excludantur.

IV.

De honore autem eccleſiarum ac ſervorum Dei, & de rapinis atque aliis malis ſeu præſumptionibus, ab iſta die, & in reliquum compeſcendis, capitula avi & patris noſtri temporibus conſtituta, hic ſubjungere, & ut omnimodis obſerventur, ex banno noſtro præcipere, dignum & neceſſarium duximus. Scriptum eſt enim in illis capitulis: Si quis intra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam noſtro fideli, ejuſque homini aliquid vi abſtulerit, in triplo cui aliquid abſtulerit, legibus componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt, LX. ſolidos nobis perſolvat: poſtmodum

Margin: [a] hic inde capitulan. 1. — Lib. VI. 36.



vero ante nos a comite adducatur, ut in baſtonico, vel in alio carcere truſus, uſque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam ſi publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam: quoniam *raptores*, ut ait apoſtolus, niſi veram egerint pœnitentiam, *regnum Dei non poſſidebunt*. Qui vero de rebus eccleſiarum aliquid abſtulerint, gravius inde judicentur, quia ſacrarum rerum ablatio ſacrilegium eſt: & ſacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abſtulerit, aut abripuerit. Extorres namque a liminibus matris ſanctæ eccleſiæ tales perſonæ uſque ad ſatisfactionem eccleſiæ, quam læſerunt, ſunt habendæ atque firmiter denotandæ. Et item ſanctus Paulus per quem locutus eſt Chriſtus, dicit: *Quia neque rapaces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei poſſidebunt*. Et iterum: *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida eſt, cum hujuſmodi nec ſumere cibum Chriſti diſcipulo*, id eſt, Chriſtiano licet ante ſatisfactionem, id eſt, correctionem, ac emendationem, & dignam pœnitentiam. Et ſanctus Joannes apoſtolus, talem ſalutare, aut in domum recipere vetat, & ſacri canones Spiritu ſancto per eos dictati qui in cælo cum Deo regnant, & in terris miraculis coruſcant, conſtituerunt dicentes: Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperem aut religioſum expoliaverit, & mandaverit ad ipſum epiſcopus, ut eum audiat, & eos contempſerit, invicem mox ſcripta percurrant per omnes provinciæ epiſcopos quoſcumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur donec audiat, & reddat aliena. Et de rebus ac facultatibus eccleſiaſticis dicunt: Si quis oblationes eccleſiæ extra eccleſiam accipere, vel dare voluerit, præter conſcientiam epiſcopi, vel ejus, cui hujuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum ejus agere voluerit conſilio, anathema ſit. Et item in capitulis avi & patris noſtri ſcriptum eſt de his, qui in exercitu quoſcumque ſecum ducunt, quod & nos intra patriam volumus obſervari.

Deinceps omnibus denuntiari volumus, ut unuſquiſque cognoſcat, omnes qui in ſuo obſequio ſunt, ſive ſui ſint, ſive alieni, ut ille de eorum factis rationem ſe ſciat redditurum, ut quidquid in pace violanda deliquerint, ad ipſius debeat periculum pertinere, ea ſcilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, ſive coram miſſo noſtro dignas pœnas perſolvat, & ſenior qui ſecum talem duxerit, quem aut conſtringere noluit, aut non potuit, ut noſtram juſſionem ſervaret, & inſuper in regno prædas facere non timuerit per illius negligentiam: ſi autem eum de his non admonuerit, & poſtquam negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, & eum corrigere, ſicut decet, neglexerit, honore ſuo privetur: ut ſcilicet neuter illorum ſine juſta vindicta remaneat. Vos autem epiſcopi, euangelica & apoſtolica atque epiſcopali auctoritate, ſeniorem & regni quemlibet potentem, ſi commonitus juxta euangelicum præceptum, ſe ſuoſque homines corrigere noluerit, & licet ipſe talia non faciat, tamen ſi ſui vel in ſuo obſequio manentes talia fecerint, ſi eos non correxerit, & emendari quæ faciunt non obtinuerit, eoſque ad pœnitentiam non perduxerit: ipſe excommunicetur ſecundum ſacros canones, donec ſuos homines ad emendationem & pœnitentiam reducat. quia melius judicavimus illum excommunicari per cujus [a] fortiam ſui talia faciunt, quam omnes illos, qui nec Deum timent, nec epiſcopos, neque miſſos reipublicæ, propter ejus [a] fortiam reverentur, & excommunicati ipſi non cor-

Margin: 1. Cor. 6. — 1. Cor. 6. 1. Cor. 5. — 2. Joan. — Tol. 1. c. 11. — Gangr. 7. — Lib. III. 15. — [a] id eſt, injuriam, vires, violentiam, &c. [a] Græce φορτίον, onus, φορτικὸς onerosus, moleſtus, &c. Rom. 1. [a] formam

ANNO CHRISTI 863.

A corriguntur, & alios ſuo morbo inficiunt: quia dicente apoſtolo, *non ſolum qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte*. Non eſt liber a conſenſu, qui quod emendare poteſt, emendare negligit: quapropter ſine dubio peccati ſe participem facit. Si autem ipſe potens vel ſenior ſatisfecerit epiſcopo, & miſſis regiis, quia ſuos homines ad emendationem & ad pœnitentiam non poteſt adducere, ſed ſe ipſum vult aut a talibus immunem oſtendere, aut digne ſatisfacere, & hujuſmodi maleficos a ſuo obſequio rejicere, & ut Dei inimicos perſequi, tunc aut non excommunicetur, aut ab excommunicatione ſolvatur. Et item in capitulis imperatorum ſcriptum eſt: *Comites vero & miniſtri eccleſiæ in eorum miniſteriis, & hoc plenius & de noſtris & de ſe, & de ſuis hominibus fiant. Et quicumque prima & ſecunda vice de his a comite admonitus, non ſe correxerit, volumus ut per eumdem comitem etiam negligentia & ad noſtram notitiam perferatur, ut auctoritate quod in noſtro capitulari continetur ſubire cogatur*. Et item: *De noſtra pace in exercitali itinere ſervanda uſque ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicumque auctorem damni ſibi illati nominatim cognoſcit ut juſtitiam de illo quærat & accipiat*. Et item: *Si quis in exercitu vel infra regnum ſine juſſione dominica per vim hoſtilem aliquid prædari voluerit, aut fenum tollere, aut granum, ſive pecora majora vel minora, domoſque infringere vel incendere, hæc ne fiant omnimodo prohibemus. Quod ſi ab aliquo præſumptuoſe factum fuerit, LX. ſolidos, ſi liber eſt, ſit culpabilis, & omnia cimelia reſtituat, aut cum duodecim teſtibus ſe purget. Si vero ſervus hoc fecerit, ſententiæ capitali ſubjaceat, & dominus omnia cimelia reſtituat, quia ſervum ſuum non correxit, nec cuſtodivit, ut talia non perpetraret: quoniam ſi noſipſos comedimus, cito deficiemus. Unuſquiſque tamen cuſtodiat exercitum ſuum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat*. Similiter & collectas, quas Theotiſca lingua Herizuph appellat, & infractiones immunitatum, & incendia & aſſalituras in domos, & conjurationes, & conſpirationes, & ſeditiones, & raptus feminarum, ſicut & divinæ & humanæ leges prohibent, & prædeceſſores noſtri reges prohibuerunt, firmiter ex banno etiam & nos prohibemus. Nos quoque epiſcopi, auctoritate Dei & ſacrorum canonum, ſicut ſancti pontifices DCXXX. in Chalcedonenſi concilio conſpirationem fieri prohibuerunt: & ſicut cetera concilia epiſcoporum hujuſmodi pernicioſa facta vetuerunt, & nos prohibemus, quia facientes illa per eorum judicium, qui cum Deo jam in cælo regnant, & a cæleſti eccleſia, & a Chriſtianorum ſocietate ſeparati ſunt, niſi per dignos pœnitentiæ fructus ad hoc redeant, ut ſanctæ eccleſiæ poſſint redonari. Similiter ut hæc capitula, quæ hic annotata ſunt, ita per hæc & illa omnia, quæ in ſupraſcriptis locis ſcilicet in Cariſiaco & apud Valentinianas collecta & conſtituta ſunt, obſervari præcipimus, & omnes communiter confirmamus. Si autem aliquis quicumque inobediens extiterit, cum ſumma feſtinatione epiſcopi, comites & miſſi noſtri notum facere curent, ut quantocius ad noſtram præſentiam illum venire jubeamus, & dignam ultionem ſecundum judicium fidelium noſtrorum ſuſtineat, & ſi, quod abſit, talis emerſerit, qui Dei timorem poſtponat, & eccleſiaſticam auctoritatem contemnat, & regiam poteſtatem refugiat, ſciat quicumque ille fuerit, quod & ſecundum canonicam auctoritatem ab omnium

Lib. II. 23. & 24.

Lib. V. 129.

Cap. 17. 11. q. 1. Conjurationem.

A Chriſtianorum cœtu, & a ſanctæ eccleſiæ conſortio, & in cælo & in terra alienus efficietur, & regali poteſtate, atque omnium regni fidelium unanimitate, ſicut Dei & eccleſiæ inimicus, & regni Dei devaſtator, perſequetur uſquedum a regno exterminetur. Et ſi aliquis comes fuerit, qui hoc in ſuo comitatu fecerit, aut ibi talia increſcere permiſerit, aut ipſe illa non emendaverit, aut nobis nota non fecerit, ut noſtra auctoritas talia corrigat; ſciat quia talem ſententiam inde ſuſtinebit, ſicut tempore anteceſſorum conſuetudo fuit. Epiſcopus autem ſecundum Toletani concilii [a] capitulum ſeptimum, ad quem pertinere noſcuntur illi, qui talia contra Deum & eccleſiæ pacem faciunt, ſi & eos quolibet B munere vel favore aut negligentia admonere noluerit, ut aut revertentes ſuſcipiat aut contemnentes de eccleſia rejiciat, excommunicatus a collegio ceterorum epiſcoporum habebitur, quouſque emendationis vel damnationis eorum ab eo ſententia promulgetur: quoniam niſi communiter certaverimus, ut in omnibus juſtitia & ab omnibus conſervetur, nec rex pater patriæ, nec epiſcopi propitiatores & reconciliatores populi ad ſalutem æternam, nec qui participatione nominis Chriſti Chriſtiani vocantur, hoc quod humano ore dicimur, in divinis oculis eſſe valemus. Ut autem hæc quæ obſervanda ſupra ſcripſimus ac prænominavimus, nunc & de cetero certius & expreſſius a nobis atque a ſuc- C ceſſoribus inconvulſa ſerventur, propriis manibus hic ſubſcribere communi conſenſu decrevimus, ea conditione ſervata, ut omnis in cunctis ordinibus lex juris debiti, & honor ab omnibus obedienter & fideliter cooperante domino conſervetur. Poſt hæc omnia relecta & collaudata communi conſenſu decrevimus, ut ſi aliquis homo propter mala facta, quæ emendare & per legem & per pœnitentiam noluerit, ſeniorem ſuum dimiſerit, aut ab illo propter hæc ejectus fuerit, ab alio non recipiatur, donec illa quæ male fecit, emendet & per legalem compoſitionem, & per eccleſiaſticæ ſatisfactionis pœnitentiam.

ANNO CHRISTI 863.

[a] VI. 7.

D ☞ Subſcriptiones ex Privilegio Dionyſiano *ex Mabillon. de re Diplom. lib. 5. tabella 5. pag. 453.*

Ex Belaiſ Collect. Concil. Rotomag. Provinc.

Wenilo munere divino Senonenſis eccleſiæ epiſcopus.

Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Remorum epiſcopus.

Wanilo humilis Rotomagorum epiſcopus.

Herpuinus Silvanectenſis epiſcopus.

Æneas Pariſii epiſcopus.

Jonas humilis Eduorum epiſcopus.

Godelſadus Cabillonenſis epiſcopus.

Herluinus Conſtantienſis epiſcopus.

Gontbertus Ebroicenſis epiſcopus.

Heirardus Lixuvienſis epiſcopus.

E Hildebrandus Sagenſis eccleſiæ epiſcopus.

Raginelmus Tornacenſis eccleſiæ epiſcopus.

Erchanraus indignus ſanctæ Catalaunenſis eccleſiæ epiſcopus.

Odo indignus Belloacenſium epiſcopus.

Hildegarius Meldenſis epiſcopus.

Folchricus indignus Auguſtæ Tricorum epiſcopus.

In ſecundo ordine.

Otulfus ſanctæ Auguſtæ Tricorum eccleſiæ epiſcopus.

Adalhardus abba ſubſcripſi.

Hludovicus abba.

Wal-



ANNO CHRISTI 863.

Waldo abba ſubſcripſi.

In Dei nomine Ego Lupus.

Frodoinus indignus abbas ſubſcripſi.

Hincmarus Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus.

Gauzlenus regiæ dignitatis Cancellarius.

Vulfadus Resbacenſis eccleſiæ abb.

Datum VII. Id. Julii anno ab Incarnat. Domini DCCCLXI. Indict. VIII. regni vero glorioſiſſimi regis Karoli XXII. In ſupradicto loco Piſtis heribergo.

## OBSERVATIO P. GUILLELMI BESSIN in Concil. Rotomag. Provinc.

Sunt Piſtæ, vulgo *Pitres*, non longe a Ponte arcus poſitæ, ſcilicet ubi ex una parte Andella, & ex altera parte Audura Sequanam influunt, ut in Annalibus Bertinianis legitur. De his frequens mentio in chartariis Monaſteriorum, maxime S. Audoeni & Pratellens. Caroli Calvi principatu Piſtas rebus publice geſtis inclaruiſſe perſpicuum fit ex tribus Synodis inibi celebratis. Poſtea Normannis ceſſit caſtrum Piſtenſe, quod tandem evaſit in exigui nominis viculum.

Synodus Piſtenſis prima Regalis dicitur, quia Rex cum Epiſcopis & proceribus aderat: Dicitur etiam univerſalis, quia ex pluribus Galliarum provinciis Antiſtes illuc convenerat. Inchoatam jam fuiſſe ab an. 861. demonſtrant authenticæ illius literæ, quas ad authographum collatæ habentur *de re diplomat. lib. 5. tab. 54.* Sic enim deſinunt: *Datum VII. Kalen. Julii anno ab Incarnatione Domini DCCCLXI. Indictione IX. regni vero glorioſiſſimi regis Caroli XXII. in ſupradicto loco Piſtis.*

Patres ibidem congregati perſeverarunt ad annum ſequentem, ut eccleſiæ regnique vulneribus mederentur, ut multis oſtenditur documentis *de re diplomat. lib. 4. cap. 116.* At paganorum incurſionibus fatigati Sueſſiones recipere ſe coacti ſunt.

Heribergum idem eſt ac parata manſio & hoſpitium. Inde heribergare in Capitulis Bononienſibus Karoli Magn. cap. 2. hoſpitio excipere, *herberger*.

Subſcriptiones Concilii hujus longe plures edidit Labbeus ex Dubleto ſupra pag. 757. & 758. unde apparet authographum a Dubleto neutiquam inſpectum, ſed mendoſum dumtaxat apographum.

## ADDITIO AD CONCILIUM PISTENSE.

Editum ſupra eſt hoc concilium ad an. 863. cui anno Binius illud attribuerat, cum ſuperiori adſcribendum fuiſſet, & collocandum p. 215. in qua & in ſequentibus, nonnulla ſunt ad illud ſpectantia. Addendum hic privilegium eccleſiæ S. Martini tributum, & in eodem concilio confirmatum.

## PRIVILEGIUM SANCTI MARTINI TURONENSIS,

### Confirmatum in ſynodo Piſtenſi.

Ex ſupplemento concilior. antiq. Gall. Labb. in Append. tom. VIII.

UTilitas eccleſiaſticæ doctrinæ licet fluctuoſo procellarum turbine feriatur, tamen ſtrenua pontificum ſolertia optabile ſalutis percipit remedium, ſicque pacis nutritur incrementum, & juſtitiæ decus floreſcit. Ideoque anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXII. Indictione decima, anno ſiquidem piiſſimi regis Caroli Calvi XXIII. cum ſuper fluvium Sequanæ, in loco qui Piſtas dicitur, unanimiter ſacroſanctum concilium pontificum ageretur ex regno magni & orthodoxi Caroli, inter aliqua canonici profectus commoda ſpiritali aptiſſima lucro, contigit Herardum venerabilem ſanctæ metropolis Turonorum epiſcopum, neceſſitudinis cauſas fratrum in monaſterio beatiſſimi & precioſiſſimi confeſſoris Chriſti Martini ſancte viventium pandere, qualiter prædictus locus lamentabile devaſtationis inſolitæ malum a perfida gente Normannorum pertulerit; & quomodo metu claſſici exercitus pericula peſſimi diſcurſus damna perpeſſus fuerit. Manifeſtavit et- A iam, ſicut ſacri dominici ovilis paſtor, iſdem pontifex ſolitam clementiæ magnitudinem regiæ dignitatis qualiter conceſſerit piiſſimus rex Carolus eiſdem fratribus quaſdam villas nominatim in præcepto ſuæ largitatis adnotatas, inſuper & villam Liradum, ad quam declinationis confugium facerent, ſi eorum fraternitatem prædictus paganorum incurſus pervaderet. Quinetiam nunc, ſicut ipſo narrante eorum archiepiſcopo comperimus, ſimile perſecutionis ex ejuſdem gentis feritate detrimentum experiuntur, qui in præfato Ligeris flumine commorantur. Idcirco quia neceſſarium duxit eorum pius præſul nobis intimare regiæ clementiæ conſuetum opus, conceſſionem ſcilicet ſupradictarum villarum, ne forte cauſa va- B rii perfugii ſanctitatis culmine pollens fratrum ovile a tramite rectæ operationis deviaret, placuit noſtræ auctoritatis inviolabili privilegio adnotare regiæ munificentiæ largitatem. Statuimus igitur, annuente regia dignitate, ac clero ſupplicante ſacroſancti monaſterii præſtantiſſimi confeſſoris, cenſuræ noſtræ edicto, communi rationis conſilio atque decreto, ut prædictæ villæ ſeu Leradus ſtipendiis & neceſſitatibus fratrum jam dicti monaſterii ſancti Martini cum univerſitate appendicium ſuarum integerrime perpetuo deſerviant, ita ut nullus vir has villas de eorum dominatione auferat, quibus miſericordiæ ſuæ beneficium in hoc munere regia poteſtas fratribus in eodem cœnobio beati Martini morantibus, largiri C voluit. Qui autem hoc edictum a ſanctis patribus inſtitutum irrumpere, aut qualibet præſumptione vel occaſione conatus fuerit evertere, æternæ damnationis malum cum prævaricatoribus legis ſanctæ perferat: poteſtate autem nobis a Domino ligandi & ſolvendi cælitus contributa dicente, *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*. Hac virtutis confidentia nitentes, cæligenæ ſalvationis aditum claudimus obice malitiæ ſuæ objecto ſub anathematis vinculo, qui huic neceſſario beneficio in ſubtractione prædictæ villæ conſentiens aut operator extiterit, niſi Divino fultus ſuffragio correctionis honore ditatus extiterit. Harum ita- D que cenſurarum ſtatuta inconvulſe & inviolabiliter a nobis facta, in cælo & in terra confirmata, manuum ſubſcriptione cenſuimus corroborare, abſentium quoque confratrum voluntatem ſimili conſenſus diſponimus vigere libramine.

Matth. 16.

Herardus Turonicæ metropolis epiſcopus huic privilegio conſenſit.

Wenilo munere divino Senonenſis epiſcopus.

Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Remorum epiſcopus.

Item Wenilo Rotomagenſis humilis epiſcopus.

Rodulfus Bituricenſium ſanctæ metropolis eccleſiæ epiſcopus.

Hildegarius eccleſiæ Meldenſis epiſcopus.

E Æneas Pariſiorum licet indignus epiſcopus.

Folchricus indignus epiſcopus Auguſtæ Tricorum.

Erluinus eccleſiæ Conſtantiæ epiſcopus.

Hildebrandus Sagenſis eccleſiæ epiſcopus.

Rageñelmus Noviomagenſis eccleſiæ epiſcopus.

Odo Belvacenſis eccleſiæ licet indignus epiſcopus.

Gildebertus Carnutenſis eccleſiæ epiſcopus.

Chriſtianus Autiſiodorenſis eccleſiæ epiſcopus.

Hencanraus [a] Catalaunenſis eccleſiæ epiſcopus.

[a] Erchanradus.

Hil-

ANNO CHRISTI 863.

Hilmeradus Ambianenſis eccleſiæ epiſcopus.
Ludovicus abbas.
Gautelmus abbas.
Engelgarus abbas.
Wlfardus abbas.
Itherius abbas.
Froduinus abbas.
Data in menſe Auguſto, Idus xx.* ipſius menſis, anno XXIII. regnante Carolo rege.
Geringus diaconus ſcripſit.

* Hic mendum ſubeſt.

☞ *Neque prætereunda privilegii in gratiam Monachorum Aniſolentium confirmatio, & epiſtola a Patribus Piſtenſis ſynodi in eamdem rem ad Rotbertum Cenomanenſem epiſcopum miſſa.*

Ex Theſaur. Anecdot. to. IV.

*Privilegii Anolenſium Monachorum confirmatio in Concilio Piſtenſi.*

Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXII. indictione x. regni glorioſi Regis Karoli a) XXIV. in ſynodo habita in loco, qui dicitur Piſtis, quibuſdam huic privilegio renitentibus, inſpectis rurſum auctoritatibus priorum & recentium regum, approbatum, & confirmatum eſt ab omnibus, & decretum, ut abſentes, & eorum qui obierant ſucceſſores, idipſum ſubſcriptionibus propriis roborarent.

a) Lege XXII.

Hierardus pietate divina Turonicæ metropolis epiſcopus huic privilegio ordine ſucceſſoris ſubſcripſi.

Hincmarus Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus huic privilegio prædeceſſoris mei vices reſtitui & vires.

Eneas Pariſienſis epiſcopus.

Folchricus Auguſti Tricorum indignus epiſcopus hoc privilegio denuo relectum, & a ſanctis Patribus corroboratum, vices prædeceſſoris mei adimplevi.

Erchenraus indignus epiſcopus ſimiliter.

Giſlebertus humilis Carnotenſium epiſcopus hoc privilegium denuo a ſanctis Præſulibus relectum ac roboratum, gerens vices prædeceſſoris mei Frotbaldi firmare curavi.

Odo Belloacenſis eccleſiæ epiſcopus conſenſum patris mei Herminfridi confirmans ſubſcripſi.

Ercambertus ſanctæ Bajoacenſis eccleſiæ epiſcopus conſenſum prædeceſſoris mei huic privilegio & vires reddidi, & ſubſcripſi.

Raimelmus Noviomagenſis eccleſiæ epiſcopus relectum a ſanctis Patribus privilegium judicio prædeceſſoris mei ſubſcripſi.

Chriſtianus Autiſſiodorenſis ſedis epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi, & vices prædeceſſoris mei cofirmavi.

EXEMPLAR EPISTOLÆ, quam miſerunt ſancti Præſules, concilium in loco qui dicitur Piſtis, celebrantes, Rotberto Cenomannenſium epiſcopo pro confirmatione ejuſdem privilegii, & de concordia abbatis Ingilgarii fratrumque Aniſolenſis cœnobii.

Unanime Concilium habitum in loco, qui appellatur Piſtis, cariſſimo fratri & coepiſcopo Rotberto Cenomannicæ urbis perpetuam ſalutem.

Expectata diu fraudati veſtra præſentia, metropolitano veſtro dilectiſſimo nobis Herardo Turonorum præſuli litteras vobis tradendas commiſimus, quibus ſignificamus, quæ libentius viva, ut ajunt, voce indicaremus. Cauſam Monachorum ſancti Carileſi, quæ principis voluntate, nobis ſuadentibus, dilata eſt donec cum veſtris auctoritatibus rediretis, poſtquam vos venturos deſperavimus, diligenter examinare curavimus, priſcorum regum & recentium edictis ſollicite conſideratis, comperimus privilegium indulgentia ejuſdem glorioſi domini noſtri Regis Caroli conceſſum, juſte rationabiliterque dudum noſtra auctoritate firmatum, quod etiam decernentibus ad Dominum ſucceſſerant, ſubſcriptionibus propriis roborarunt. Quamobrem hortamur ſanctitatem veſtram, ut in ſtabiliendo veſtra ſubſcriptione eidem privilegio, quamquam deceſſor veſter Haldricus id facere declinaverit, nequaquam vos difficiles præbeatis. Veritas enim & juſtitia abſque rubore & dolore ſequenda ſunt; maxime his qui prædicationem ſuam aliter ſolidare non poſſunt; recipiatiſque venerabilem Ingilgarium abbatem, & fratres ejus monachos, veſtra pace & concordia ſine dubio perfrui optantes, hoc vos ſine cunctatione ac dilatione agere deſideramus. Sin autem id, quod Deus avertat, non obtinuerimus, in ſocietate caritatis, quam nobis viciſſim debemus, nequaquam valebimus permanere: cum ab obſervatione æquitatis nequaquam audeamus recedere. Hæc reſpectu veſtri honoris taliter temperavimus, ne ſi totum rei geſtæ ordinem texeremus, indecorem aliquid ſcriberetur. ☞

## NOTÆ P. JACOBI SIRMONDI, S.J.

*Rex & epiſcopi.* ] Inde ſynodus regalis appellatur in privilegio de libertate S. Dionyſii, quia rex aderat; & ſynodus univerſalis, quia ex diverſis provinciis convenerant epiſcopi, qui privilegio eidem ſubſcribunt numero amplius xxx. Ex annorum Chriſti nota & Indictionis, Julio menſe vel Auguſto habitam colligimus, cum annus Karoli XXIII. inchoatus jam eſſet, Indictio x. nondum finita. Quod plane confirmant verba privilegii ſynodi ipſius de villa Lirado, pro S. Martino Turon. *Cum ſuper fluvium Sequanæ, in loco qui Piſtas dicitur, unanimiter ſacroſanctum concilium ageretur anno* DCCCLXII. & ſubſcriptio, *Data menſe Auguſto* XX. *ipſius menſis.*

*Locum qui Piſtis dicitur.* ] Piſtas noſtri fere Pixiacum ad Sequanam eſſe tradunt. Rem incertam facit, quod pagum Pinciacenſem, ſive, ut Titulo XX. ſcriptum eſt, Pinceſiſum, ipſum eſſe non abnuunt Pixiacenſem pagum, in quo archidiaconatus eſt eccleſiæ Carnotenſis. Qui autem conſentaneum eſt, a Piſtis Pinceſiſum formari, vel tam diverſis nominibus eumdem locum deſignari? Accedit quod Aimoinus lib. V. c. XXXI. Karoli regis deſcribens iter ab Andegavis ad Ambianos, *per Cenomannos, & Ebroicenſe oppidum, ac ſecus caſtellum novum apud Piſtas*, Ambianos perveniſſe ſcribit. Abſurda porro itineris illius ratio videatur, niſi Piſtas multo infra Pixiacum fuiſſe intelligamus. De Piſtis ſane conſtat, primum ad Sequanam fuiſſe. Deinde pontem & caſtellum habuiſſe. Ibi præterea ſedes aliquandiu fixiſſe Normannos, quod Titulus hic teſtatur. Et quoniam Normannos in Oſcello Sequanæ fluminis inſula reſediſſe, indicat Karoli proclamatio adverſus Weniloneṁ c. V. idemque diſerte affirmat Hincmarus in libello de villa Noviliaco, qui editus eſt cum Flodoardo: haud vanus fortaſſe conjector fuerit, qui Piſtas eo loco quærendas ſuſpicetur. In epiſcopatu Rotomagenſi fuiſſe, argumento eſt epiſtola Hincmari, quam Weniloni Rotomagenſi ſcripſerat, *de operariis & opera quam faciebat ad Piſtas in Sequana*, cujus meminit Flodoardus lib. III. c. XXI.

*Cum drappis & calceam.* ] Drappi hodie Gallis ſunt panni. Sed ut pannos Itali vocant veſtes ipſas e panno, ita hoc loco drappos dixit veſtes e drappis. Drappos autem depannatos, veſtes uſu detritas & detaſas, qua



qua forma item detonſos homines & delavatos dixerat, pro intonſis & illotis. Drapporum & drappalium nomen frequens apud Marculfum, & reliquos formularum auctores. Leguntur & drappæ laneæ in epiſtola Salomonis Brittonum regis ad Hadrianum II.

*Fac. firmitates.* ] Caſtella & munitiones. ut Tit. XXXI. poſt finem edicti: *Caſtella & firmitates & hajas.* Pontibus enim & caſtellis Sequanam & Ligerim munire illo ſæculo neceſſe fuit propter incurſiones Normannorum. Tit. XLIII. c. XXVI. *De caſtellis ſuper Sequanam & ſuper Ligerim ex utraque parte.* De caſtello novo apud Piſtas paulo ante dictum eſt ex Aimoino, iterumque audiemus Tit. XXXI. De ponte ſcribit Hincmarus Karolo regi apud Flodoardum lib. III. c. XVIII. *De opera pontis, quem rex cum ipſo, ac ceteris nonnullis fidelibus ſuis, faciebat ad Piſtas in Sequana.*

*In bannum n. mittantur.* ] In fiſci poteſtatem redigantur. Tit. XXXI. c. VI. *& ſic ipſæ res illi judicio ſcabiniorum in bannum mittantur.* Hincmarus Karolo regi de Hincmaro nepote: *Quicquid de rebus & facultatibus eccleſiaſticis ad gubernandum acceperat, juſſione veſtra in bannum, quod ius lingua Latina preſcriptio confiſcandi vocatur, eſt miſſum.*

---

# ANALECTA OPUSCULORUM QUÆ SIRMONDI

Notis commemorata ſunt.

*I. Præceptum Caroli Calvi pro eccleſia in Magniaco vico.*
*II. Conſilium Hincmari archiepiſcopi de pœnitentia Pippini junioris.*
*III. De Nomenoii Brittonis tyrannide.*

I.

## PRÆCEPTUM CAROLI CALVI pro Eccleſia in Magniaco vico pagi Nivernenſis.

IN NOMINE *ſanctæ & individuæ Trinitatis.* KAROLUS *gratia Dei rex.*

SI fidelium noſtrorum aurem celſitudinis noſtræ petitionibus commodaverimus, morem prædeceſſorum noſtrorum parentum regum ſcilicet exercebimus. Igitur notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ, præſentibus ſcilicet atque futuris, quia in conflictu altercationis fraternæ, quando me notiſſima concertatio agebat, ut vires reſiſtendi penes me reſtaurarentur in fratrem, Nevernenſem comitatum deveni apud Magniacum vicum, ubi corpus ſacratiſſimum beati Vincentii confeſſoris Chriſti memorabili veneratione percolitur: ibique munificum largitorem Deum in ejus commemoratione adorans deprecatus ſum, ut ejus ſuffragiis munimen Divinæ protectionis adipiſcerer, quatenus per ſuam exoptabilem interceſſionem tranquillæ proſperitati reſtituerer. Quin vero ſub ſpe talis adſecutionis votis me obligavi ibidem, ac beneficia temporalia conferre ejus miniſtris perſeveranter promiſi. Quocirca percepta quiete, potituſque victoria, ut ſpes anhelabat, libuit perquirere dotem ipſius eccleſiæ, ſcire volens utrum ſeriem ejuſdem tenoris haberet, quam avus memorabilis noſter Karolus quondam imperator cunctis vicis fieri ſtatuit: quam noſtris obtutibus delatam, reperimus a jam dicto tenore alienam exiſtere, ſcilicet per diminutiones aliorum beneficiorum ceſſiſſe poteſtatibus res quondam ibidem delegatas. Tunc placuit nobis, res pariter collectas per auctoritatis noſtræ conſcriptionem ibi redintegrare, quæ abſtractæ inde fuerant, cum iis quæ ibi perdurabant, & per diviſibilia exercitia tres inde diviſiones fieri: unam in uſu ſalutaris ſacrificii, ac reparationis eccleſiæ, alteram ad luminaria adminiſtranda, tertiam ad uſus neceſſarios clericorum ibi deſervientium excolendos. Quas quindecim manſis & colonicis quatuor, quæ ſolvunt in cenſum denarios duodecim, ibidem, ſolidos quatuor fieri ſtatuimus, quos a noſtris noſtrorumque fidelium uſibus ex comitatu Nevernenſi abſtraximus, & in honore omnipotentis Dei, nec non & veneratione ſanctorum ejus Nazarii & Vincentii, quorum reliquiæ ibi venerantur, ſicut antiquitus extiterat, reſtaurando ibi contulimus. quemadmodum in altero auctoritatis noſtræ præcepto, quod de eadem ratione ad presbyterii honeſtatem fieri juſſimus, reperiri poteſt, permanente in ſuo ſtatu ratione presbyterii ex ſuo beneficio ibi collato. Volumus etiam matri eccleſiæ Nevernenſi omnia hæc ſint ſubjecta, ſub noſtraque immunitate poſita, & nullius oneris cultum alii ibi exerceant, ſed ſub tutela præſulis ejuſdem loci ordinata conſiſtant: ubi anni orbita redeunte, libram ceræ in cenſum in feſtivitate S. Cyrici publice perſolvant. Quapropter volumus, ut nullus comes, nullus judex, nulla oppoſita perſona, exinde quicquam exigere præſumat, nec cenſum, nec paratam, nec aliquod obſequium ſervitutis, ſed jam dictæ matri eccleſiæ tali ordine deſervire. Et liceat Adalardo presbytero, cujus labore & ſtudio hoc agimus, ſuiſque ſucceſſoribus, memoratas res quiete poſſidere, & abſque obſtaculo alicujus impeditionis perpetualiter tenere & ordinare: ut pro incolumitate mea, & conjugis ſoboliſque proſperitate, beatus Vincentius, in cujus commemoratione agitur, ante Deum pacis precator adſiſtat. Sed & hoc cunctis catholicis orthodoxa religione viventibus notum manere volumus, quia pro ſtudio laboris & conſtructionis, quod eidem loco Adalardus presbyter impendit, licentiam conceſſimus, ut nullus ſe opponat ſucceſſor, qui jam dictæ eccleſiæ ſacerdos ſubrogetur poſt ejus obitum, niſi quem in vita ſua ipſe elegerit, & vice ſua miniſtrum conſtituerit, aut ex parentela progeniei ſuæ, aut quemlibet alium, quem ad id peragendum idoneum providerit. Ipſi quoque a nullo temporale donum acquiratur, niſi ſoli Deo, cui ſervitio fungi unicuique ſacerdoti convenit. Et ut noſtræ largitionis præſens auctoritas firmior habeatur, & diligentiori obſervatione cuſtodiatur: annuli noſtri impreſſione ſubterſignari juſſimus.

Signum Karoli K R O L S glorioſiſſimi regis.

Datum XIII. Kalendas Januarias Indict. VI. anno XVIIII. regnante Karolo glorioſiſſimo rege. Actum in Magniaco in Dei nomine feliciter.

CON-

## II.

# CONSILIUM
## HINCMARI ARCHIEPISCOPI

### De pœnitentia Pippini junioris, olim regis Aquitaniæ.

Lib. XII. ep. 17. SAnctus papa Gregorius in decretis ad Felicem Siciliensem epiſcopum: *Progeniem ſuam unumquemque, uſque ad ſeptimam obſervare decernimus generationem*, &c. Item in decreto ſynodali ante B. Petri corpus: *Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema ſit*, &c.

Cap. 6. S. Siricius papa in decretis ſuis de apoſtatis monachis: *Has, inquit, impudicas, deteſtabileſque perſonas, a monaſteriorum cœtu, eccleſiarumque conventibus eliminandas eſſe mandamus*, &c.

Cap. 3. IN HOC CAPITULO ſtat modo Pippinus, & in alio capitulo quod de apoſtatis idem Siricius decrevit. Quia vero nunc dicit ſe pœnitere de præteritis malis, quia habitum & profeſſionem ſuam deſeruit, & ſacramentum quo ſe conſtrinxit graviter violavit; & quia cum paganis ſe junxit & profitetur ſe ad ſuam profeſſionem & habitum velle redire: quoniam illius cauſa ſynodali diffinitione atque judicio decreta fuit, ſi tempus & locus permitteret, ſynodali judicio immutari debuerat. Nunc autem quia hinc judicium, & hinc nos circumſtat miſericordia: pro judicio ſynodali nobis ſequenda ſunt quæ a ſede apoſtolica, & per ſynodalia judicia ſunt diffinita: dicente B. Leone, quia *in diſpenſandis Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe gemitum lacrymaſque negligere, cum ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam*, „ *dicente Apoſtolo*: Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo „ capti tenentur ad ipſius voluntatem. Et item idem in decretis ſuis dicit: *Propoſitum monachi proprio arbitrio aut voluntate ſuſceptum deſeri non poteſt abſque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet et reddere. Unde qui relicta ſingularitatis profeſſione ad militiam vel ad nuptias devolutus eſt, publica pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt. Quia etſi innocens militia, & honeſtum poteſt eſſe conjugium: electionem meliorem deſeruiſſe, tranſgreſſio eſt.* Et ſequendum eſt de eo Leonis capitulum, quo dicit: *Si convivio ſolo gentilium & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis & manus impoſitione purgari, ut deinceps ab idolothytis abſtinentes, ſacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos niſi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.* Et Nicæni canones de his qui præter neceſſitatem prævaricati ſunt qualiter pœniteant dicunt. Quia vero, ut audivi, paralyſi ſolet Pippinus percuti, ſequenda eſt de illo ſententia magni Leonis, quæ dicit: *His qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur venia moras vera converſio, dicente Dei* „ *ſpiritu per prophetam*: Cum ingemueris, tunc „ ſalvus eris; & *alibi*: Dic tu iniquitates tuas prior „ ut juſtificeris: & *iterum*, quia apud Dominum „ miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Et

(Margin notes: Epiſt. 91. ad Theodor. — 2. Tim. 2. — Ep. 92. ad Ruſtic. c. 14. — Ibid. c. 19. — Can. 11. — Ep. 91. ad Theod. — Iſa. 30. & 43. Pſal. 129.)

A Innocentius dixit: *De pœnitentibus; qui ſive ex gravioribus, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha ei remittendum, Romanæ eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Ceterum de pondere æſtimando delictorum ſacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis: ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Sane ſi quis in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat.* Plura ſunt alia, quæ hinc poſſumus colligere, niſi iſta crederemus poſſe ſufficere. Unde quantum mihi videtur, non præjudicans ſynodali ſententiæ de Pippino decretæ, B ſed confiſus de Dei miſericordia, qui per apoſtolum ſuum dicit, *ut ſuper exaltet miſericordia judicium*, & de caritate confratrum noſtrorum, & de auctoritate ſacrorum canonum, & pontificum Romanorum, exhortandus eſt Pippinus, ut puram confeſſionem de omnibus peccatis ſuis, quæ ab ineunte ætate perpetravit, ſecrete faciat: quia forte talia fecit, quæ turpe eſt etiam in publicum dicere. Et de hoc quod ſuum habitum dimiſit, & ſe perjuravit, & quia cum paganis ſe junxit, (de qua ſua conjunctione multa mala ſunt perpetrata) coram eccleſia inter publice pœnitentes ſe lacrymabiliter accuſet, & pœnitentiam & reconciliationem humiliter petat: & de omnibus quæ vel ſecrete confeſſus fuerit, vel publice C ſe accuſaverit, per manus impoſitionem epiſcopalis auctoritatis publice reconcilietur, & reconciliatus tonſuram clericalem accipiat, & habitum monaſticum recipiat, & profiteatur ſe de cetero ſervare quæ expetit & expedit, & ſic communionem ſacri altaris recipiat. Reconciliatus autem benigne tractetur, ut tali loco ſub libera cuſtodia miſericorditer cuſtodiatur, & cuſtodes monachos ac bonos canonicos habeat, qui eum exhortentur, & quorum doctrina & exemplo bene de cetero vivere, & præterita peccata plangere diſcat: & quorum providentia, & loci convenientia, ita cuſtodiatur, ut ad priſtinum vomitum redire nequeat, etiamſi diabolo ſuadente voluerit: & recidivum D ſcandalum per eum in ſancta eccleſia & in iſta Chriſtianitate oriri non poſſit. Accipe, frater & fili, iſtam rotulam; ſed & illam de cognatione non conjungenda: & porta illas domno regi, & relege coram illo. Et de iſta fac ſecundum illius conſilium & commendationem: & de illa cognatione non conjungenda, per ejus conſilium & auxilium ſequere ſacras auctoritates tibi directas. Providentia de Pippino non eſt negligenda, & ut certi ac fideles cuſtodes illi adhibeantur ſatis eſt procurandum: nec obliviſcendum quod de eo in monaſterio S. Medardi accidit, & quod de Karlomanno in Corbeja evenit. Nam quod factum eſt, adhuc fieri poteſt.

(Margin notes: Ep. 1. ad Decent. c. 7. — Jacob. 2.)

E

## III.

## DE NOMENOII BRITTONIS TYRANNIDE.

### Quomodo Nomenoius tyrannus Brittonum de quatuor Epiſcopatibus fecit ſeptem, tempore Karoli Calvi regis Francorum.

NOmenoius valde ſuperbus urbem Namneticam, Redonicam, ac etiam Andegavenſe territorium, & Cenomanenſe uſque Medunam invaſit. His autem urbibus & territoriis nominatis in ſua ditione aſſumptis ſuperbior extitit & potentior. Contemptoque omnino jure Francorum regio, regem ſe fieri poſſe exiſtimavit. Multiſque artibus, ut doloſus & fraudulentus, perquirens quibus id modis aſſequeretur, reperit ut epiſcopos totius ſuæ regionis aliqua ſeductione expelleret, & alios conceſſione ſua conſtitutos in locis illorum ſubrogaret: ſicque facile conceptam tyrannidem poſſe perficere excogitavit. Æſtuante vero principe, & plurima eviſcerata facie ſecum animo revolvente quomodo conceptum ſcelus perpetrare poſſet: tandem invenit unum ex complicibus ſuis, qui ſe circumvenire poſſe epiſcopos, & abſque ulla examinatione & purgatione aliqua infamari & damnari fateretur. Quod audiens tyrannus, lætus efficitur, multa ei ſpondens, ſi dictis facta compenſaret. Miniſter itaque doli convocans Britannos epiſcopos: Scitote, inquit, domini ſacerdotes, unum me vobis cauſa ſalutis veſtræ pandere myſterium, quod audierim a ſecretis principis, quia niſi epiſcopi ſe reos ex eis quæ eis obiicerentur eſſe audiente conventu præſulum, quos aliunde a diſcuſſione reatus ipſorum dux invitaverat, profiterentur, nec eos lateret ſine dilatione capite plectendos fore. Quo audito epiſcopi conſternati animo præter Dei & eccleſiæ leges omnia ſe profiteri quæ malignus perſuadebat, antequam morte multarentur, promiſe- A runt. In craſtinum autem evocans princeps in monaſterio S. Salvatoris ſynodum epiſcoporum atque procerum, adhibuit teſtes falſiſſimos precio conductos adverſus Suſannum Venetenſem, Salaconem Aletenſem, Felicem Coriopitenſem, Liberalem Oximenſem, epiſcopos, qui dicerent eos precio in eccleſia intruſos muneribus ſæpe ſacros ordines fuiſſe largitos, & omnibus criminibus obnoxios fore. Cumque reticerent epiſcopi repentino mortis metu perculſi, requiſiti ſunt a conventu, utrum vera eſſent quæ opponebantur. Qui ita ſe habere profeſſi ſunt. Depoſitiſque in concilio virgis & anulis pontificalibus, Gallias petierunt, ad Karolum ſe conferentes. Nomenojus vero patrato ſcelere pſeudoepiſcopos conſtituit loco ipſorum. B Cogitans autem epiſcopos, quos elegerat, a metropolitano Turonenſi benedictionem minime poſſe conſequi, nec acceſſum ad eum metu regis habere, ex quatuor epiſcopatibus ſeptem compoſuit. Quorum apud Dolum monaſterium unum conſtituit, quem archiepiſcopum fieri decrevit. Monaſterium vero S. Brioci ſedem conſtituit epiſcopalem. Similiter etiam S. Rabutuali. Hos tres uſurpatitios epiſcopos inſtituit, ceteris quatuor in antiquis urbibus derelictis. Provincia itaque Turonenſis ita reciſa, Nomenojus Dolo monaſterio epiſcopos ſuos congregans, ſe in regem ungere fecit.



(Margin: ANNO CHRISTI 863.)

(Margin: ANNO CHRISTI circiter 863. Ex Supplemento Concil. Galliæ. Labbeus Append. tom. VIII.)

# CONCILIUM INCERTI LOCI IN AQUITANIA
## JUSSU NICOLAI PAPÆ CONGREGATUM.

### Anno Chriſti circiter DCCCLXIII. In quo Stephanus comes Arvernorum, præſentibus ejuſdem papæ legatis accuſatus de quibuſdam criminibus, ſub excommunicationis pœna ſatisfacere cogitur.

*ACcuſationum capita leguntur, tum in concilio Tullenſi II. ubi de nuptiis ejus cum filia Regimundi comitis Toloſani, tum in epiſtola 66. Nicolai papæ ad eumdem Stephanum ſcripta, in qua recenſet etiam & iſtud, quod dejecto ſanctiſſimo Sigone Arvernenſi epiſcopo, in locum ejus pervaſorem Adonem clericum ſubſtituerit.* Nam quia, *inquit amplius*, nonnulla impudica, ac ſceleſtiſſima de te inculcantur, apoſtolica auctoritate ſancimus, ut de his pleniſſime ſatisfacturus, in noſtrorum legatorum præſentia, qui conſtitutæ a nobis ſynodo præeſſe debebunt, in loco præfixo occurrere ſtudeas. Quodque ſi neglexeris, & præſentiam tuam a ſynodico examine defraudare tentaveris: ſcias te præſulatus noſtri auctoritate a vini & carnium participatione omnino excommunicatum, quoad uſque Romæ in noſtra ſpeciali præſentia diſtrictam poſiturus rationem adſiſtas. Pervaſor vero ſanctæ Arvernenſis eccleſiæ, ſi illic remorari tentaverit, & aliquod impedimentum ſanctiſſimo Sigoni epiſcopo fa- C cere quacumque argumentatione præſumpſerit, ſciat ſe pari modo non tantum a vini & carnium, verum & a corporis & ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti participatione penitus eſſe ſejunctum. *Quam Nicolai ſanctionem executioni demandatam videmus ex epiſcoporum ſubſcriptionibus, qui Sueſſionenſi III. interfuere concilio, ubi adeſt Sigo Arvernorum epiſcopus. Porro ſynodi locum non declarat Nicolaus: attamen in Aquitania celebratam fuiſſe conjectura eſt, quod de comite ac epiſcopo Aquitanis eſſet quæſtio: quodque jam prædicta ſynodi Tullenſis juſſu ideo ſcripta fuerit ad Aquitaniæ metropolitanos de Stephano eodem accuſato epiſtola, cujus exemplum & ordinem erat probabile Nicolaum papam in hac ſynodo convocanda ſequuturum.* D *Epocham vero hujus eam fecimus, qua tempore diſtat æquali a concilio Tullenſi II. anni 860. cui ſubſcribit Stabilis Arvernenſium epiſcopus, in eadem ſede Sigonis præceſſor, & a concilio Sueſſionenſi III. anni 866. cui videmus Sigonem ſucceſſorem adfuiſſe.*

CON-

ANNO CHRISTI 863.

# CONCILIUM VERMERIENSE,

## IN QUO DE CONTROVERSIA ROBERTI

### Cenomanenſis epiſcopi cum monachis ſancti Karileſi agitur.

*Ex iiſdem ſup. & Labbeo.*

*Synodi hujus nobis eſt auctor Nicolaus papa, increpans Hincmarum archiepiſcopum Remenſem epiſt. 16. in editione concil. quod monachis ſancti Karileſi favens, Caroli regis animum adverſus Robertum Cenomanicæ urbis epiſcopum commoverit.* Pro eo quod, *inquit*, monaſterium ſancti Karileſi ad jus eccleſiæ ſibi commiſſæ vindicare veſit, & in ſynodo quæ modo dicitur a ſanctitate tua colligi, fertur quod neſcio quas inſidias, quaſi ex alia ratione, illi nitamini præparare, lædere eum magnopere geſtientes, quod de tanto viro indignum credere judicavimus. *Meminerunt & amplius annales Bertiniani ſcilicet loci ac* A *menſis quibus eadem habita eſt ſynodus ad annum 863. his verbis.* Carolus, *inquiunt*, VIII. Kal. Novembris ſynodum in Vermeria palatio habuit, ibique abbatiam ſancti Karileſi ſuper Robertum epiſcopum Cenomanicæ urbis, qui eam per apoſtolicam commendationem juri ſui epiſcopatus mancipatam tenere volebat, legaliter evindicavit. *Tandem controverſia hæc fuit ab epiſcopis in regno Caroli Calvi conſtitutis diſcuſſa in gratiam monachorum; libertatemque huic monaſterio ab iiſdem epiſcopis conceſſam, ad ejuſdem regis petitionem confirmavit idem papa Nicolaus, ut patet ex ejus epiſtolis hac de re ad diverſos conſcriptis.*

ANNO CHRISTI 864.

# [1] CONCILIUM ROMANUM VI.[1]

## QUO RADOALDUS PORTUENSIS EPISCOPUS

### In legatione apoſtolica prævaricator inventus, epiſcopatu depoſitus & excommunicatus eſt anno domini DCCCLXIV. tempore Nicolai papæ I.

*Cauſa concilii.*

* *Concilium.* ] Radoaldus Portuenſis & Joannes Ficoclenſis epiſcopi, rerum agendarum commonitorio inſtructi, ſedis apoſtolicæ auctoritate in Galliam ablegati fuerant ad concilium Metenſe, ut cauſam repudiatæ legitimæ conjugis Lotharii regis diligenter examinarent. Verum illi, ut ſupra dixi in notis ejuſdem concilii Metenſis, a Lothario rege *pecunia corrupti, magis*, inquit Regino, *faverunt iniquitati, quam æquitati*, datoque adulatoribus epiſcopis conſilio, iniquæ ſententiæ conciliabuli Metenſis cooperati fuerunt. Quare cum actis ejuſdem concilii reprobatis, atque Gunthario Colonienſi & Theutgaudo Trevirenſi archiepiſcopis condemnatis, legati ſedis B apoſtolicæ prævaricationis ſuæ nullam adhuc pœnam retuliſſent (Radoaldus enim dum cognoviſſet, Zachariam epiſcopum Anagninum ſuum in legatione orientali collegam, ſententia ſedis apoſtolicæ damnatum, atque ab epiſcopatu depoſitum eſſe, male ſibi conſcius & novi criminis patratione paveſcens, per loca incognita & invia vagabatur, ut judicium pontificis ſubterfugeret) hæc ſynodus auctoritate Nicolai papæ congregata, Radoaldum aliquoties citatum, & contumaciter refugientem, epiſcopatu ſimul & communione eccleſiæ privavit. Hæc ex ſeptima & decima Nicolai papæ epiſtola Baronius anno domini 864.

*Cur judicium legatorum prævaricatorum huc uſque dilatum?* *Radoaldi pœna qualis?*

[1] Anno 863. circa Kalendas Novembres Nicolaum Papam Romæ Synodum celebraſſe docet Annaliſta Bertinianus his verbis: *Synodum Romæ convocat circa Kalendas Novembris, indicans ſe in ea eorumdem olim Archiepiſcoporum depoſitionem denuo confirmaturum, & tractaturum de cauſa Lotharii, & Ignatii Conſtantinopolitani Epiſcopi..... ad quam Synodum prædicti Theutgaudus & Guntharius ſponte perrexerunt, putantes Ludoici Imperatoris interventu ab Apoſtolico poſſe reſtitui.* Hæc vero Synodus an eadem ſit cum allata a Labbeo viderint eruditi.



ANNO CHRISTI 864.

# PISTENSIS SYNODUS II.

### Seu edictum Piſtenſe, anno DCCCLXIV.

*Ex Beſſin Concil. Rotomag. Provinc.*

KAROLUS GRATIA DEI REX.

NOtum eſſe volumus omnibus Dei & noſtris fidelibus, quoniam hæc quæ ſequuntur capitula nunc in iſto placito noſtro, anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXIV. anno videlicet regni noſtri ipſo propitio XXV. Indictione XII. VII. kalendas Julias, in hoc loco qui dicitur Piſtis, una cum fidelium noſtrorum conſenſu atque conſilio conſtituimus, & cunctis ſine ulla refragatione per regnum noſtrum obſervanda mandamus.

## CAPUT I.

Primo conſideravimus de honore eccleſiarum, & ſacerdotum, ac ſervorum Dei, & immunitate rerum eccleſiaſticarum, ut nullus ſibi de ipſis rebus contra auctoritatem præſumat: & comites epiſcopis & miniſtris eccleſiæ in eorum miniſteriis adjutores in omnibus fiant, ſicut in capitulari prædeceſſorum ac progenitorum noſtrorum continetur, in ſecundo libro capitulo XXIII. & quicumque comitum vel miniſtrorum reipublicæ hæc quæ mandamus obſervare neglexerit, ſi prima & ſecunda vice de his admonitus non ſe correxerit, volumus ut negligentia comitis ad noſtram notitiam per epiſcopos & per miſſos noſtros deferatur, & aliorum negligentia per comites ad noſtram notitiam deferatur, ut noſtra auctoritate, quod in capitulari prædeceſſorum noſtrorum continetur, ſubire cogantur.

## II.

Poſt hæc de orphanorum & viduarum cauſis, & de regalibus juſtitiis, & ſummopere de raptoribus puellarum & viduarum & ſanctimonialium, & de his qui presbyteros flagellare præſumunt, & qui eos de eccleſiis ſine epiſcoporum conſenſu ejicere vel recipere, aut cenſum de manſo vel ex his quæ Domnus & genitor noſter in ſuis capitularibus eccleſiis in immunitate conceſſit, exigere non timent, & qui cenſa de rebus eccleſiaſticis ad eccleſias perſolvere detrectant, ut firmiter a miſſis, & comitibus noſtris inquirantur, & acriter diſtringantur, & plena juſtitia inde fiat, ſecundum quod in capitularibus avi & patris noſtri ſtatutum habetur, & ipſi contemptores legum, divinæ ſcilicet & humanæ ad noſtram præſentiam legaliter perducantur, ut inde conſilio fidelium Dei ac noſtrorum commendemus quid de talibus hominibus ſit faciendum, qui nec Deum timent, nec contra ſanctos canones facere, nec legem & præceptum regium infringere pertimeſcunt ſalva cenſura eccleſiaſtica, & epiſcopalis pœnitentiæ vindicta.

## III.

Ut lex & juſtitia unicuique in ſuo ordine omnibus conſervetur, & pacem, quam proxime, teſte Deo, propriis manibus communi conſenſu confirmavimus, quando hic placitum noſtrum habuimus, ſic omnes & infra patriam, & quando ad placitum unuſquiſque venerit, & quando redierit, & quando neceſſitas nobis evenerit, ut hoſtem noſtrum adnuntiemus, uſque conſtituta loca ſecundum conſuetudinem & ca- A pitula prædeceſſorum noſtrorum obſervare procuret. Et qui contra hanc confirmationem per contemptum venerit, aut quantocius quod contra hanc confirmationem exceſſum fuerit, emendare neglexerit, ab epiſcopis & miſſis ac comitibus noſtris hoc nobis nuntiari mandamus, quatenus tantum Dei & noſtrum & totius chriſtianitatis contemptum, ſicut ſecundum leges divinas & humanas invenerimus, emendare curemus, ne ipſo noſtro judicio a Deo, quod abſit, condemnati ſimus. Et videant epiſcopi & miſſi & comites noſtri ne ſi contra noſtram communem confirmationem aliquis per contemptum fecerit, & emendare noluerit, per alium quam per illos qui ad hoc conſtituti ſunt, B hunc contemptum ſciamus: quoniam ſi per alium quam per illos hoc, ſicut non convenit, audierimus, ſicut nec ipſi a peccato immunes erunt, ſic nec ab ultione immunes exiſtent.

## XX.

*Burchard. cap. 116.*

Ut comites, & omnes reipublicæ miniſtri, ſeu ceteri fideles noſtri provideant quatinus juſtus modius, & æquus ſextarius, ſecundum ſacram ſcripturam, & capitula prædeceſſorum noſtrorum, in civitatibus & in vicis vel in villis ad vendendum & emendum fiat, & menſuram ſecundum antiquam conſuetudinem de palatio noſtro accipiant. Et ſi cui reputatum fuerit menſuram adulteraſſe, ſi liber homo eſt, aut ſacramento ſecundum legem ſuam ſe expurget; aut C ſi culpabilis invenitur, bannum noſtrum perſolvat, & a miniſtris reipublicæ tollatur quod cum injuſta menſura vendere voluit. Si autem colono ſervo hoc reputatum fuerit, judicio Dei ſe inde examinet; & ſi convictus fuerit, perdat rem, id eſt, hoc unde menſuram adulteratus eſt, inſuper & nudo corio virgis cædatur. Et ſive ſervus, ſive liber poſt legalem emendationem epiſcopale judicium ſuſcipiat, quia contra interdictum Dei fecit. Ait enim: *Æquus tibi ſit modius, & ſextarius æquus.* Et alibi: *Menſuram & menſuram odit Dominus.* Et item: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* Quod peccatum inter illa capitalia peccata computatur, de quibus apoſtolus dicit, quod qui ea fecerit, D *cum hujuſmodi nec cibum ſumere* licet chriſtiano. Similiter per civitates & vicos atque mercata miniſtri reipublicæ provideant, ne illi qui panem & carnem per deneradas, & vinum per ſextarios vendunt, menſuram adulterare poſſint; ſed quantos menſurabiles panes de juſto modio in unaquaque civitate epiſcopi vel abbates a ſuis piſtoribus recipiunt, tantos menſurabiles panes de eodem modio a piſtoribus qui panem vendunt, fieri faciant. Quod ſi inventi fuerint menſuram adulterare, vel minuere, & damnum ſuſtineant, & virgis cædantur. Homines etiam, quibus hoc commiſſum eſt, ut provideant, ne menſuræ minorentur. Si de perjurio quod juraverunt quod hoc conſentire non debuiſſent E fuerint convicti, ſecundum legem puniantur, aut perdant manum, aut redimant, aut grave damnum ſuſtineant, & poſtea ab epiſcopo de perjurio publicam pœnitentiam accipiant.

*Levit. 19.* *Prov. 20.* *Pſal. 14.* *1. Cor. 5.*

ANNO CHRISTI 865.

Obſervatio P. Guillelmi Beſſin.

In quarto & quinto capitulo agitur de reverentia Regi exhibenda: in 6. & 7. de coercendis ac puniendis prædonibus. In octavo & ſequentibus ad 24. de monetis, vigeſimo excepto, in quo de menſuris. In 25. 26. 27. de A armis & militia. In 28. 29. 30. & ſequentibus ſeptem, de regio cenſu & de aliis, quæ cum Eccleſiæ diſciplinam nullatenus ſpectent, omittimus. Unum in cap. 9. 13. 15. 20. & 33. obſervamus, illos nempe qui adverſus Principis edicta peccaſſent, non modo pecuniaria mulcta, ſi eſſent ingenui; ſi ſervi, virgarum ictibus; ſed præterea Epiſcopali judicio publicæ pœnitentiæ fuiſſe ſubjectos.

# ¹ CONCILIUM ROMANUM VII.

## IN QUO ROTHADUS EPISCOPUS SUESSIONENSIS

### In priſtinum honorem a Nicolao papa reſtitutus eſt die natali ſanctæ Agnetis, XII. kalendas Februarias, anno Chriſti DCCCLXV.

Ex Sirmondi conciliis decerpta eſt hæc obſervatio.

¹ *Concilium Romanum VII.*) Synodi hujus occaſionem, actorumque ſummam & ſeriem in Nicolai papæ vita deſcripſit Anaſtaſius. *Hincmarus, inquit, Rhemorum archiepiſcopus Rothadum Sueſſionicæ urbis epiſcopum, ſedis apoſtolicæ judicium appellantem, contra Sardicenſis concilii regulas depoſuit, cuſtodiaque arcta ſervari præcepit. Cujus videlicet depoſiti ter beatiſſimus papa libellos cum innocentiæ ſuſcepiſſet, ad ipſum archiepiſcopum ſcripſit, monens litteris, & præcipiens, ut depoſitum Rothadum Romam dirigeret cum ſuis miſſis audiendum. Sed veniente eo hanc Romanam ſecundum beati papæ ad urbem, & per novem circiter menſes hic commorante, nunquam penitus ex accuſantium parte quiſquam adfuit, qui coram ſanctiſſimo præſule cum eodem Rothado contenderet. Tunc in die vigiliarum nativitatis domini noſtri Jeſu Chriſti, quo ſecundum olitanam conſuetudinem hujus apoſtolicæ ſedis præſul, cum clero & populo, in baſilica Dei genitricis Ad præſepe miſſarum officia celebrare conſueverat, convenienti cum omnibus papa benignus, fecit in ambone publice de ipſo Rothado ſermonem, ſignificans qualiter ſedem apoſtolicam appellans depoſitus fuerit, & in conſpectu ſuo nullus per tot menſes accuſatorum occurrerit. Denique conſentiente ſibi epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum, omniumque conventu, decrevit ut dignus eſſet idem Rothadus indui ſacerdotalibus indumentis, qui a nemine per tot menſes accuſabatur, & ad ſedis apoſtolicæ judicium proclamabat, ne honore privaretur. Ubi veſtitus epiſcopali Rothadus indumento, omni tempore ſe pollicitus eſt ſuis infeſtatoribus reſponſurum. Rurſus expectatis aliquantis diebus, ſcilicet uſque in diem natalitium ſacræ virginis Agnetis, qui eſt XII. Kalendas Februarias, ſed nec ſic quiſquam adfuit adverſum Rothadum jam reſtitutum epiſcopum aliquid altercans. Conveniente ergo beatiſſimo præſule cum omnibus, in baſilica ipſius virginis, foris muros Urbis via Numentana, idem Rothadus epiſcopus excuſationis & promiſſionis ſuæ, qua pollicitus fuit ſe omni tempore accuſatoribus ſuis reſponſurum, libellum ſummo pontifici tradidit. Qui coram cunctis audientibus juſſu præſulis eximii eſt recitatus; ubi etiam reſtitutionis ejus forma relecta eſt. Et poſt omnium conſenſum in eccleſia beatæ Conſtantiæ, juxta eamdem ſanctæ virginis baſilicam, decreto beatiſſimi hujus præſulis ſæpedictus Rothadus, jam reſtitutus epiſcopus, miſſarum ſolemnia ſolenniter celebravit. Sequenti vero die, congregata in domo, quæ nuncupatur Leoniana, denuo ſynodo, excuſatoque ipſo, ſicut in* B *libellis ab eo recognitis, duobuſque quaternionibus inſertis, atque diverſo tempore miſſis & oblatis, archivoque hujus ſedis repoſitis continetur, Rothadus, ne talia ſacerdotes, & maxime ſedem apoſtolicam appellantes, ultra diſcrimina paterentur, ſicut prænotatum eſt, in gradum priſtinum eſt reſtitutus, & ad propriam ſedem cum apoſtolicis ſanctionibus remiſſus; quatenus veſtitus epiſcopalibus infulis, ſi provocatus fuiſſet de cetero, ſuis accuſatoribus coram ſedis apoſtolicæ præſule reſponderet. Cum quo & ſanctiſſimus, & a Deo conſervandus præſul, tam pro reſtitutione illius, quam pro abolenda regis Lotharii copula, & pace etiam & concordia regum Galliarum conſervanda, Arſenium epiſcopum, hujus almæ ſedis apocriſiarium & miſſum illico deſtinavit.* C Hactenus Anaſtaſius. Sequuntur deinceps ſynodi ejuſdem monimenta, quæ ſuperſunt: hoc eſt ſingulorum fere, quæ ab Anaſtaſio commemorantur, exemplaria. Primum ergo locum obtinet libellus Rothadi epiſcopi Sueſſionenſis, male antehac *Rothadi appellatio* inſcriptus, quaſi in Gallia editus tum fuerit cum ad ſedem apoſtolicam appellavit. Conſtat enim Romæ poſtea oblatum fuiſſe a Rothado, cum is ſextum jam menſem in Urbe tranſegiſſet. Sequitur deinde ſermo Nicolai papæ in miſſa de cauſa Rothadi. Sic enim appellandum docet Anaſtaſius, cum inter Nicolai epiſtolas epiſtolæ titulum falſo gerat numero XXXVIII. Tertio poſt loco poſitæ ſunt litteræ abſolutionis, ſeu reſtitutionis Rothadi. D Poſtremo diverſæ Nicolai epiſtolæ ad regem, ad Hincmarum metropolitanum, ad epiſcopos Galliæ univerſos, ad clerum & plebem Sueſſionenſem, & ad Rothadum ipſum pro Rothado ſcriptæ, cum is jam abſolutus honorique ſuo reſtitutus rediret in Galliam.

## LIBELLUS PROCLAMATIONIS ROTHADI EPISCOPI, QUEM NICOLAO papæ obtulit, cum Romæ ſextum jam menſem expectaſſet.

*Domino meo ſanctiſſimo, atque reverendiſſimo Nicolao ſummo pontifici & univerſali papæ.*

E EGo Rothadus peccator, Sueſſionenſis eccleſiæ, ſedem appellans apoſtolicam, irregulariter epiſcopatu privatus, calamitatum mearum ſuggero lugubrem hiſtoriam, non omnia quæ paſſus ſum retexens, quod impoſſibile forſitan erat,

¹ Hujus concilii prima ſeſſio habita anno antecedenti in pervigilio Nativitatis Domini, in qua Rothadus [illegible] reſtitutus eſt; XII. vero kal. Febr. habita altera ſeſſio, in qua Rothadi reſtitutionis forma relecta eſt.



ANNO CHRISTI 865.

erat, & ne nimis faſtidioſa narratio tuis, piiſſime præſul, auribus importuna videretur. Venerabilis igitur metropolitanus Hincmarus, ſanctæ Rhemenſis eccleſiæ antiſtes, quibuſdam occaſionibus exortis, acri circa me infeſtatione certans, diu multis ac variis laboribus meam vexabat exiguitatem. Ego autem, quantum poteram, illum tolerans, in his ei nequaquam pro ſuo libitu acquieſcere volui quæ ſacris perpendebam auctoribus eſſe contraria. Dumque ad ſynodum, juſſu glorioſi regis Caroli, pro utilitate ſanctæ Dei eccleſiæ convocatam, epiſcopi conveniſſemus, & ipſe quaſi omnium dominus præſidens ac prævalens, ſententiam in me damnationis violenter ac præcipitanter jaculari acceleraret, hanc ego apoſtolicam ſedem, atque apoſtolicum præſulem, univerſalis eccleſiæ ſummum proviſorem, appellare maturavi. Cumque mihi hoc denegare non præſumeret, ſancta ſynodo decernente, ægre tamen eundi præbebat aſſenſum, conſtituens dinumeratos dies, ultra quos omnino non retardarem iter. Inde ego feſtinato curſu ad noſtram civitatem reverſus, de inſtanti itinere moras non patiebar, quam lætus, ſi ad apoſtolorum limina contendere meruiſſem, ut ad domini mei tanti pontificis & piiſſimi patris, omnium ad ſe confugientium tutiſſimi defenſoris ac protectoris, ſacram pervenirem præſentiam. Cumque jam e vicino parati itineris immineret egreſſus, litteras domino meo regi, & meo archiepiſcopo dirigere curavi, noſtram illis eccleſiam committens, multumque poſtulans, ut juxta ſuum uterque officium eam dirigere procurarent, donec de me excellentiſſimus Romanæ urbis præſul finem determinaret legitimum. Miſi & litteras ad illum olim presbyterum, pro cujus ego regulari depoſitione, quia in ſtupro fuerat deprehenſus, & abſciſſus a meo judicabar metropolitano, ut & ipſe mecum huc ante tuam, domine papa, audientiam examinandus adveniret. Quarum exemplaria præ manibus habeo, & ſi vobis placet, apoſtolatui veſtro offeram. Aliqua quoque capitula conſcripta cuidam noſtro confratri & coepiſcopo tranſmiſi, ſub eodem temporis articulo per eaſdem manus deferens, quæ ut præmiſſum eſt memorato regi & antiſtiti deſtinaveram. In quibus ſane capitulis mea talis poſtulatio continebatur, aliis epiſcopis qui in meam damnationem participare nolebant inſinuanda, ut ipſi parati eſſent, ſicut fraternitatis amatores & ſectatores caritatis, juxta beatiſſimi apoſtoli ſanctionem, meam defendere ac tueri ſalutem. (I. Timoth. 6.) Sed ille meus unanimis frater, cui hanc mei curam committebam, tunc defuit. Hincmarus tamen continuo cauſam perſenſit. Adhuc dominus rex, & iſdem meus prælatus, in eodem loco manebant, ubi ſub una eademque mora meæ parvitatis epiſtolæ, & illa capitula, uti relatum eſt, præſentabantur. Moxque Hincmarus ipſe archiepiſcopus ſcriptorum portitorem diligenter juſſit inquiri, cur illis non oſtenderet apices quos ſigillatim detulerat. Qui confiteri compulſus reſpondendo ſubjunxit: Quia ille, inquiens, ad quem mihi crediti ſunt perferendi, non hic modo apparet. Nec ceſſavit ille, donec perſuaſo rege ſubito quaſi collecta ſynodo ex ipſis qui ſupererant epiſcopis presbyterum introduci fecit invitum, ipſum videlicet litterarum latorem. Cœperunt hinc & inde in medio poſitum movere, pulſare, & perurgere, ſicuti hoc callide per inſidias argumentatum erat, ut litteras, quas Rothadus per eum ſuo ad ſynodum metropolitano direxerat, citius præſentaret. Neque ad ſynodum miſſus ſum, ait, neque a Rothado epiſcopo, A cujus nec ego ſum clericus, litteras accepi Hincmaro reddendas. Cumque nullomodo presbyter ipſa vellet capitula prodere, jubente tamen rege coactus reddidit: moxque Hincmarus regem poſtulavit, ut Traſulfum abbatem ad me dirigeret. qui ad noſtram civitatem celerrime perveniens, me jam paratum ut noſtrum iter arriperem invenit. Tunc ipſe abbas in atrio eccleſiæ aſſiſtens, publica voce ex verbo regis, & Hincmari archiepiſcopi auctoritate, prohibere curavit, ut nullus omnino ab ipſa civitate mecum egrederetur, ac ire volentem Romam me proſequeretur. Nequaquam ita faciam, ego ſubintuli: ſed ſicut primum Romanum appellavi pontificem, iter diſpoſitum, Deo auxiliante, B minime differam. Hinc ego mirabar, & ſtupebam, quid ſibi vellet talis immutatio, aut cur me a meo itinere retardarent. Sed prius aliquot dies fama vulgabat, quod Hincmarus archiepiſcopus dicere volebat, quaſi ego per aliqua capitula ſcribens renovari mihi judicium petiveram. Quod certe falſiſſimum eſt, cum nec illa capitula ad eum direxi, neque de aliquo tali judicio ibi mentionem egi, nec electorum judicum, ſecundum ſacros canones, aut nomina, aut certe numerum expreſſi. Teſtor Deum creatorem omnium, quia nec in cogitatione mihi ſubripuit, ut appellationem hujus eminentiſſimæ ſedis ad aliam aliquo modo rationem diverterem. Proh dolor! ablata eſt migrandi facultas, & circumſeptus C cuſtodia in eadem ſum civitate retentus. Acceleratur itaque de convocanda ſynodo. qua in ſuburbio noſtræ civitatis congregata, rex inclytus a concilio eſt invitatus. Tunc tres Hincmarus archiepiſcopus epiſcopos ad me miſit, mandans ad ſynodum ipſam ut ſine mora venirem. Quibus ego reſpondi, quod non mihi ita liceret, neque ego hoc ullatenus auderem, ut in præjudicio ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnium eccleſiarum matris, ejuſque excellentiſſimi rectoris, circa poſito cuicumque præbeam aliquo modo aſſenſum. Ad illam ſummam auctoritatem ſine intermiſſione appello, cui nullus poteſt contradicere, quæ a domino Jeſu Chriſto per beatum Petrum apoſtolum tantum meruit principatum. Judicium D ergo illius ad quam proclamavi expeto, nec alibi niſi Romæ judicari conſentio, quia præpoſterus ordo eſt inferiorem ſuperiori anteferri. His auditis, qui miſſi fuerant ſynodo renuntiaverunt. Iterum ſecundo & tertio me continuatim invitantes, in eadem invenerunt ratione perſiſtere. Noviſſime vero induſtrioſe perſuadebant, ſuam offerentes fidem, nihil incommodi perpeſſurum, aut ſaltem domino regi in proximo loco ſynodi locuturus occurrerem. Quod etiam mihi noſtri fratres eccleſiæ noſtræ filii jam ſuadere cœperunt, ut pio principi meæ parvitatis exhiberem præſentiam. Annui ego, & ad loca quo me ducebant tranſivi, ſacerdotalibus veſti[illegible] indumentis, ſanctum euangelium & ſign[illegible] E ctæ crucis circa mea pectora gerens. [illegible]que me in quoddam diverſorium pro foribu[illegible]di a noſtris omnibus ſeparatum intro[illegible], obnixis precibus poſtulavi per Leudon[illegible]conum, ut dominus rex locum mihi [illegible]geret ſecum loquendi. Qui mox pro ſu[illegible]ate ad me indignum venire dignatus eſt [illegible]que benigne audivit, ſed exaudire non e[illegible]ſus. Nam cum illum valde ſuppliciter [illegible]que rogarem, ut mihi Romam eundi lib[illegible]n, ſicut ipſe conceſſerat, non tolleret, [illegible]que apoſtolicam ſedem in ſuis privileg[illegible]raret, reſpondit hoc ad meum ſpecialit[illegible]

ANNO CHRISTI 865.

politanum, ſanctumque pertinere conventum; ſe tantum ſacris epiſcoporum monitis ac diſpoſitionibus humiliter obediturum profitebatur. & illico recedens in ſynodum abiit, ibique reſedit. Rurſus tres conſequenter epiſcopos ad me miſerunt, qui multum fortiter ad ſynodum ut introirem hortabantur, meque impellebant, nunc blandiendo, nunc minando, me ſubvertere volentes. Sed ego toto anniſu juxta votorum meorum primam intentionem perſeverare contendi. Porro cum me perſpicerent ſuis nolle ſtudiis acquieſcere, obſeratis oſtiis in eadem ſum cella incluſus; neque egredi omnino poteram, donec de me peccatore, ſicut quibuſdam tunc placuit, diffinirent. Meus etenim archiepiſcopus voluntatis ſuæ propoſitum, quantum poterat, implere curavit: factuſque eſt gratis meus ipſe accuſator, ipſe teſtis, ipſeque judex. & ſicut me abſentem prout voluit culpabat, ſic & temere judicare, nec timuit, nec retractavit. Sed inter alia quæ mihi mendaciter objiciebat, hoc unum ſpecialiter ingeſſit, quod presbyterum, cujus ſupra feci mentionem, injuſte depoſuiſſem. Quod procul dubio falſum eſt, ut multi idonei teſtes & epiſcoporum, & ceterorum clericorum, ſive laicorum, & noverunt & noſcunt. Quem tamen ipſe jam tribus annis tranſactis, abſque meo conſenſu, ſeu conſultu, in ſuam receperat communionem, eique ſacerdotali officio, quo cum XXXIII. epiſcoporum judicio legaliter privatus erat, contra canonum ſtatuta fungi præcepit. illum vero presbyterum, quem in locum damnati per tres etiam circiter annos ſubſtitutum habebam, per violentiam me ignorante ſibi fecit adduci. Nam cum in dominicorum die ipſe presbyter paratus eſſet in eccleſia miſſarum ſolennia populo celebrare, juſſu archiepiſcopi repente ibi homines affuerunt, qui presbyterum extra baſilicam dolo educentes ſubito rapuerunt, & infatigabili curſu citius ad ejus præſentiam pertraxerunt. Quem ipſe mox excomunicatum in carcerem retrudi juſſit, illumque depoſitum genitalibus truncatum in meæ parœciæ eccleſia reſtituit. Hinc quoque mihi contumaciæ & obſtinationis imputabat reatum, quoniam ſibi in talibus inobediens exiſterem: hoc a me exigere volens, ut non quaſi confrater & coepiſcopus, ſed ut proprius clericus, ad ſua vota famularer. Similiter quod propter indebitam appellationem ad apoſtolicam ſedem ſuis obtemperare precibus contemnerem; immo, quod ego non opinabar, canonicis inſtitutionibus contrairem. Hæc autem & alia mihi pari modo falſa adſcribebat, quæ divina favente gratia, & miſericordia opitulante, quaſi favilla ad nihilum redigentur, & quaſi fumus evaneſcent, te quidem, domine clementiſſime & coangelice papa, cum apoſtolorum meritis cooperante ac ſuffragante. Non enim meipſum a multis meis excuſo peccatis, aut de bonis juſtifico, cum ſciam quod innumera de me dici poſſint non bona. Verumtamen illa, quæ malitioſe ad meam video damnationem eſſe reperta, Deo teſte & judice, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, non vera eſſe pronuntio. Denique ſæpefatus archiepiſcopus meus in eodem concilio tamquam imperator triumphans, & tamquam ſummus eccleſiæ pontifex decernens, ſubjugata ſuo poteſtatui, & oppreſſa fratrum humilitate, jam mihi intrepide, & ut reor impie, judicium depoſitionis emiſit: parvipendens quod ulli ulterius inde eſſet rationem redditurus, & quaſi hoc nulli deberet, in ſeipſo confidens, & illud ſatis innotuit, quando me, quia ipſum ſolum offenderam, nullius poſſe alterius ſublevari [illegible] auxilio demonſtrare conabatur, totumque mihi noceret, quod aliud ſperabam petebamque præſidium. Et ecce tres epiſcopi, quos Hincmarus hujuſmodi ſimplicitatis eſſe noverat, ſententia excommunicationis, immo conſpirationis, ab ipſo meo damnatore accepta, ad me violenter incluſum properabant, & ſicut illis injunctum fuerat, lacrymoſis ſuſpiriis mihi propinabant. Mox ego in terra provolutus orabam, & adjurabam per nomen æterni Dei, ut ab iſto judicio ceſſarent, mihique, ut aſſidue petebam, Romam proficiſcendi licentiam non adimerent. Tunc e veſtigio, tamquam in latronem, more ſatellitum homines in me manus injecerunt, meque rapaciter ad carceralem duxere cuſtodiam. Quantis poſtea ſim affectus injuriis, ac per diverſa loca diſtractus, quanto fuerim labore fatigatus, tædet me, pudetque referre. Ad hoc namque coartare ſatagebant, interdum aliquos honores, id eſt, unam abbatiam repromittentes atque ſpondentes, tantum ut in meam damnationem ego ſubſcriberem. Interea ordinatur epiſcopus in cathedra viventis, quamvis ne unquam poſt appellationem Romani pontificis hoc fiat, ſacri canones evidenter vetare noſcantur. Neque enim, ſancte pater, tua mandata per apoſtolicas epiſtolas debita reverentia, moreque ſolenni, ſive auditu congruo, fuerunt obſervata. Denique requirere dignetur veſtra ſancta paſtoralis ſolicitudo atque diligentia, quale mihi immerito teſtimonium noſtra perhibuit eccleſia, quando veſtris venerabilibus legatis, Radoaldo atque Joanni, obvia fuit turba civitatis noſtræ, ac circumjacentis regionis; & quid ab eis expetere magnis clamoribus, multiſque precibus circa ſuum paſtorem ſatagebant; licet ab Erchanrao epiſcopo, meo condiœceſano, magnis minis atque percuſſionibus admodum prohiberentur, regis atque archiepiſcopi me interdictione denuntiata, ne omnino aliquid hujuſmodi clamare præſumerent. Et nunc ego omnium epiſcoporum minimus, qui tamen apud quoſdam non epiſcopus, ſed juxta paternitatis veſtræ beatitudinem epiſcopus vocor, in domino valde confidens, ad præcellentiam veſtri præſulatus, piiſſime domine, confugere elegi, & de magnificentiſſima bonitate veſtra auxilium ſperans, ad ſanctorum apoſtolorum ſacratiſſima limina, opem ſuffragaminis impetraturus, decenter acceſſi. Ecce jam per dimidium annum ante januam apoſtolicæ pietatis pulſans aſſiſto, rationem de omnibus, quæ mihi falſo & injuſte ſunt objecta, reddere paratus: nulluſque eſt qui in præſenti aliquam adverſum me vocem proferat accuſationis. Et quoniam ante veſtram dignationem, neque me falſum exhibere, neque negotii mei cauſas exponere, vel preces meas, ut decuerat, ſcio perorare: reſtat ut ipſi de me, ſecundum ſapientiam cælitus vobis donatam, miſericorditer quod cœpiſtis perficiatis, ne ſe jactitent temeratores, propter meam vilitatem & indignitatem, apoſtolica jura & canonica prævaluiſſe infirmare ſtatuta.

## SERMO NICOLAI PAPÆ I.

*Quem de Rothadi cauſa ex ambone in miſſa fecit in baſilica ſanctæ Mariæ ad præſepe, die vigiliarum nativitatis domini.*

PRopter eos fratres, qui non ſemper affuerunt nobiſcum, neceſſe eſt ſanctitati veſtræ cauſam Rothadi fratris & coepiſcopi noſtri, quan- [illegible] tum



ANNO CHRISTI 865.

tum dominus donaverit poſſe, per ordinem reſerare. quatenus una nobiſcum negotium illius ad liquidum noſcens fraternitas & unanimitas veſtra, nobiſcum etiam, & de privilegiis apoſtolicæ ſedis, ſeu ſanctæ Romanæ eccleſiæ, a quibuſdam nequiter imminutis & evacuatis doleat, & zelo ferventiori accenſa, de his recuperandis ſolicita ſit & intenta, ac de tanto viro, Rothado videlicet conſacerdote noſtro, retractare ac præmeditari ſtudeat; quatenus is, qui ſemper a finibus terræ, ut ita dicam, ad nos & prius abſens clamavit, & beati Petri apoſtolorum principis memoriam inter ſævientium linguas oblivioni non tradidit; ſed de monaſteriali diſtricta cuſtodia, velut Jonas de ventre ceti, & Daniel de lacu leonum, ad dominum, & ad dilectores vel dilectos apoſtolos ejus vociferatus eſt, & deinde abſtractus, licet deſtitutus vel exſpoliatus, atque omni ex parte attenuatus, tandem Deo duce præſidium ſuum, id eſt ſedem Petri, in qua ſpei ac fiduciæ ſuæ pedes acſi ſupra firmam petram ſtatuerat, requiſivit, & plurimis difficultatibus & incommodis, atque impedimentorum retinaculis Dei deſtructis virtute, quod inhianter & anxie deſideravit adeptus eſt; cum conſolatione, & auxilio, ac omnis priſtini ſui ſtatus recuperatione, ad exemplum & fiduciam multorum recedat: & privilegia ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſeu ſedis apoſtolicæ, ſemper intemerata, minime ulterius hæc violare præſumentes, conſiſtant atque permaneant. Denique, fratres, cum præſens Rothadus a multis fuiſſet retro temporibus a metropolitano ſuo, & quibuſdam ſectatoribus ſuis, etiam a ſublimiori ſæculi perſona inceſſanter obſervatus, ut aliquo modo eorum inſidiis caperetur, & Dei gratia protectus nunquam omnino capi potuiſſet: tandem pro quodam presbytero, qui in turpi fuerat flagitio deprehenſus, & membris genitalibus detruncatus, materiam inimici ejus adverſus eum læſionis ſumpſerunt, eo quod ſceleratum illum presbyterum ab officio removiſſet, & poſt tres annos, quod canones non admittunt, minime nullam vocem proclamationis habentem reſtituere voluiſſet. Cujus rei gratia facto concilio generali, quod ſine apoſtolicæ ſedis præcepto nulli fas eſt vocandi, vocaverunt hunc epiſcopi, quos, Hincmari Rhemorum archiepiſcopi ſuggeſtione, regia fecerat illuſio convenire, quatenus rationem de illo presbytero coram ſynodo redderet. Qui libenter quidem primum perrexit: ſed poſtea, cum vidiſſet eorum alios quidem timore regis Caroli qui aderat obſeſſos, alios autem favore Hincmari hoſtis ſui pellectos, judicium ipſorum rationabiliter devitans, utpote quorum hos quidem jam patiebatur infeſtos, alios autem jam ex præcedentibus judiciis habebat ſuſpectos, ſedis apoſtolicæ judicium poſtulavit, & in urbe Roma, canonum fultus auctoritate, agendum ſibi negotium proclamavit. Quo audito Hincmarus ad modicum quidem licentiam illi Romam veniendi conceſſit, ſed poſt paululum penitus impedivit. Siquidem rurſus convocatis quibuſdam epiſcopis, juſſit hunc ad ſynodum examinandum accedere. Qui hæc audiens reſpondit ſe apoſtolicam ſedem appellaſſe, ac ejus petiiſſe judicium, & idcirco non poſſe ad illud convenire judicium: quia non eſſet licitum a majori ad minorem provocare prorſus auctoritatem. Quamobrem nimis abſurdum eſt, quod Hincmarus fingit dixiſſe Rothadum, poſtquam ad judicium ſedis apoſtolicæ provocavit, iterum mutata voce aliorum judicia poſtulaſſe. Quod etiamſi ita fuiſſet, ſicut veſtra novit fraternitas, ab illo fuerat emendandum, & ne a majoris auctoritatis examine ad minoris valetudinis provocaſſet judicium, corrigendum. Licet nullis pateat indiciis, a noſtro illum ad alterius cucurriſſe judicium, quem conſtat in ipſo articulo contra ſe proferendæ ſententiæ, ſedem apoſtolicam appellaſſe. At qui ab illa ſe judicari popoſcerat, & coram omnibus exclamaverat, juſtum non foret, ſi ad eorum ſe judicia convertiſſet. quamvis & ipſe ſedem apoſtolicam ſi nullatenus appellaſſet; contra tot tamen & tanta decretalia ſe efferre ſtatuta, & epiſcopum inconſulte deponere, ſicut vos bene noſtis, non debuerunt. Quomodo vero alios judices elegit Rothadus, cum in illo ſcripto, per quod fingunt eum a noſtro ad ſuum judicium provocaſſe, nec noſtrum ſpreviſſe, nec illorum petiiſſe judicium judicetur? præcipue cum ſi judices præter nos elegiſſet, & certum numerum eligendorum judicum expreſſiſſet, & non utique fraternum ſolatium ſicut per illud ſcriptum poſtulavit, ſolummodo poſtulaſſet. Utrum tamen ipſum ſcriptum a Rothado miſſum ſit, necne, certiſſime neſcitur: quoniam alterius, & non Rothadi, homo fuiſſe convincitur, qui ſcriptum portaſſe noſcitur. Quamquam etſi nunquam provocaſſet, nunquam omnino præter ſcientiam noſtram deponi debuerit: quia ſacra ſtatuta & veneranda decreta epiſcoporum cauſas, utpote majora negotia, noſtræ diffiniendas cenſuræ mandarunt.

## EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I.
### AD CLERUM ET PLEBEM ECCLESIÆ ROMANÆ.

Abſolutio & reſtitutio Rothadi epiſcopi.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ſanctæ Romanæ catholicæ eccleſiæ epiſcopis, presbyteris, & diaconibus, & cunctæ in Chriſto generalitati Romanæ plebis.*

NOtum ſit dilectioni veſtræ, fratres mei & filii cariſſimi, quod quidam Gallorum epiſcopi, zeli & invidiæ diaboli facibus accenſi, quia mors, ſicut ſcriptum eſt, per invidiam introivit in orbem terrarum, huic fratri noſtro Rothado, venerabili viro inſidiantes, & per octo circiter annos, quemadmodum illum proprio privarent epiſcopatu, judicio meditati ſunt. Sed cum diutiſſime laborantes, nihil diſcriminis potuiſſent ſuper eum inducere, noviſſime mundanis poteſtatibus uſi, depoſitionis ſententiam in eumdem ſedem apoſtolicam appellantem immaniſſime protulerunt, & in munitionem & abominationem privilegiorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, immo beati Petri apoſtolorum principis, gradu proprio pulſum, carcerali cuſtodiæ manciparunt. Unde iſtum clamantem ut adducerent, & ad noſtrum illum judicium ad quod ante depoſitionem, & poſtea, imprætermiſſe provocaverat, cum ſuis vicariis, qui illum ſi valerent accuſatione digna appeterent, deſtinarent, plurimis epiſtolis eiſdem epiſcopis juſſimus, & hortati ſumus. Sed ecce, dilectiſſimi, ſicut ipſi ſcitis, ſex menſibus jam præſente Rothado Romæ apud nos manente, & nobis accuſatores vel vicarios eorum præſtolantibus, nullus qui hunc accuſaret adeſſe videtur. In quo fratres, quid aliud datur intelligi, niſi quod ſanctus papa dicit Bonifacius, quia ſicut qui eſt innocens ut abſolvatur quærit, ita judicium nocens ſubterfugit? Verum nos, Deo auctore, beatorumque principis apoſtolorum Petri apoſtoli fulti

Epiſt. 39.

Sap. 2.

Epiſt. ad Patroclum & alios.

ANNO CHRISTI 865.

ti ſuffragio, deceſſorum quoque noſtrorum ſecuti veſtigia, privilegia ſedis apoſtolicæ, quæ illi male fregiſſe probantur, recuperare ſtudentes, jam fatum virum, præſentem videlicet Rothadum, priſtino gradui, priſtinis officiis, ac priſtino epiſcopatui reſtituimus, & per omnia talem eum reddimus, qualem illum fuiſſe conſtat ante excommunicationis & depoſitionis ſententiam in eum prolatam, vel quando ſedem apoſtolicam appellabat, & canonice provocabat.

## EPISTOLA EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I, AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Hortatur ut Rothado reſtituto faveat, & res ejus eccleſiæ ablatas reddi jubeat.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Carolo glorioſo regi.*

Epiſt. 40.

QUamquam Rothadum venerabilem epiſcopum, ſedem apoſtolicam appellantem, domini ſacerdotes, qui in regno veſtro eccleſias ſibi commiſſas gubernant, in contemptum beati apoſtolorum principis Petri, per quem apoſtolatus & epiſcopatus in Chriſto cepit exordium, cujuſque licet immerito agimus epiſcopatum, privare nunquam debuerant: tamen quia hoc præſumpſerunt, immo conati ſunt agere, æquanimiter ſatis pro veſtra deprecatione pertulimus, & ut tantam temeritatem corrigerent, eis hortamenta & præcepta potius quam flagella ſæpius adhibuimus: Sed horum, immo hujus contumaciæ, nullus auctor, niſi Hincmarus Rhemorum epiſcopus extat, qui & prædictum Rothadum, etiamſi nunquam ad noſtra provocaſſet judicia, nequaquam deponere debuit; ſed contemptis nobis, quantum ex ſe fuit, depoſuit, & multitudinem juſſionum noſtrarum ut peripſema duxit. Denique cum noſtris auribus fuiſſet ipſius Rothadi depoſitio intimata, mox epiſtolam apoſtolatus noſtri miſimus, qua juſſimus jam fatum Rothadum, aut honori eccleſiæ propriæ reſtitui, aut Romam cum aliquibus de epiſcopis, vel vicariis eorum qui illum damnaſſe videbantur, in præſentiam noſtram dirigi, aut certe, ſi neutrum fieret, tamdiu poſt xxx. dierum ſpatium depoſitores ejus a miſſarum ſolenniis vacarent, quouſque nobis ſuper his obedire curaſſent. De qua etiam epiſtola veſtræ tunc intimavimus excellentiæ; ſed hanc frater Hincmarus, quid dicam audire, cum videre illam, more Dioſcori velatus, neglexerit? Ne quem vero moveat, quamobrem Rothadum epiſcopum Romam venire, vel apud nos audiri ac judicari juſſimus, noverit canonicam ſuper hoc paternam traditionem, ac ſpecialem prærogativam apoſtolicæ ſedis, nos extitiſſe zelatos atque ſecutos. Denique ut pauca de multis commemorem, ſi adverſus provinciæ metropolitanum epiſcopum vel clericus habeat querelam, juxta Chalcedonenſes regulas jubetur ut petat primatem diœceſeos aut ſedem regiæ urbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſum judicetur. Quod tamen nulli dubium eſt multo magis apud Romuleam urbem, quam apud Conſtantinopolitanam, eſſe penitus obſervandum. Nam & ipſe Rothadus, ſecundum Sardicenſe concilium, agendum ſibi negotium in urbe Roma clamavit; & beatus Innocentius papa ſine præjudicio Romanæ eccleſiæ præcipit, cum cauſæ vel contentiones inter clericos, tam ſuperioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, nulli licere relictis his ſacerdotibus, qui in eadem provincia Dei eccleſiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Sed & papa Julius orientalibus ſcribens, utramque partem, Athanaſii ſcilicet & adverſariorum ejus accelerare præſentiam, quatenus utraque parte præſente audiretur reus, & ab omnibus condemnatus de cetero cohiberetur a ſacerdotio. Oportebat, inquam, primum hoc fieri, & tunc vacante loco alterum conſtitui. In quibus tamen omnibus multipliciter adhuc contempti, per Odonem poſt hæc venerabilem epiſcopum, ad eadem rurſus inter multa monita miſimus, videlicet ut Rothadus eductus de monaſteriali cuſtodia, vel prioris eccleſiæ proprio redderetur honori, vel Romam cum vicariis epiſcoporum, qui depoſitioni illius conſenſerant, in conſpectu noſtro examinandum deſtinarent, aut poſt xxx. dies, nec ipſe Hincmarus, nec ceteri epiſcopi, qui eum damnaverant, licentiam faciendi miſſas haberent. Sed denuo frater noſter Hincmarus, in contumelia noſtra verſatus, non ſolum non obedire nobis delegit, verum etiam epiſtolam noſtram, quam ad eum, & ad epiſcopos, qui in depoſitione Rothadi ſibi conſenſerant, miſeramus, apud ſe per quatuor menſes retinens, quæ de Rothado decrevimus, etiam inter hæc diverſis aliis pro hac eadem cauſa noſtris epiſtolis per nonnullos directis crebro contemptis, agere recuſavit. Præterea Rothadum de monaſteriali cuſtodia eductum, in civili commutari præcepit. Tandem aliquando nobis ſcribens, miſiſſe una cum ceteris epiſcopis vicarios ſuos, qui cum Rothado in noſtram præſentiam pervenirent: ſed dictum illis eſſe nullum ſibi aditum Italiam penetrandi præ cuſtodibus fore, qua de re unde venerant rediiſſe. Quo facto quid inanius vel ſtultius æſtimari poteſt, quam ad ſolum vacuum ſermonem, nulla perſona ſibi reſiſtente, nulloque ſibi adverſario certo contradicente, deſerere tantum opus, & ſine ulla utilitate retroverti? Præſertim cum ſi certiſſime eos impeditos, quo minus commiſſa ſibi reſponſa vel eccleſiaſtica negotia conſummarent, comprehendiſſemus, zelo competenti ſuccenſi, tanto contra hujuſmodi temeratores ferventius inveheremur, quanto hanc impietatem ab ipſis fuiſſe patratam certius noſſe utique videremur. Verum hæc luſorie nobis illi vel dicunt, vel operantur: cum ecce biennium tranſierit, ex quo diverſis modis pro jam fato viro laborantes, modo hoc, modo illud eis proponentibus, nihil omnino profecimus: ſed adhuc diſſimulamus, adhuc operimur, & ut cum beato Simplicio papa dicamus, nolumus exaggerare quod geſtum eſt, ne cogamur judicare quod dignum eſt. Nam docente ſancto æque papa Zoſimo, contumeliæ ſtudio hoc quidquid interdictum toties uſurpatur. Sane his interim omiſſis conſiderare libet, quia prius Odo venerabilis epiſcopus præſentialiter poſitus, & inde ceteri noſtri legati, nihil accuſationis adverſus Rothadum epiſcopum ſe detuliſſe teſtati ſunt: & illi epiſcoporum vicarii, qui ab ipſis ſuis præſulibus, ut rationem dejectionis Rothadi exponerent, mitti dicebantur, nobis profeſſi ſunt, ſcribentes ab itinere, quod non ad accuſandum Rothadum fuerint a ſuis antiſtitibus deſtinati. Præſertim cum ſæpedictus Rothadus in apoſtolica, quam petiit ſede, ecce octo circiter menſibus ſit commoratus, & qui hunc accuſaret, nullum nos penitus videre potuerimus. Ergo cum ita ſit, reſtat, ut qui nullum patitur accuſatorem, nullo merito ſuſtineat omnino ſuæ integritatis diſpendium. Denique tunc conſtat accuſatorem examen ſubterfugere, quando ſe juſtas poſſe querimonias habere deſperat. Sic nimirum Judæi lapidibus adulteram mulierem obrui debere putabant. ubi ad verum judicium hanc detulerunt, & quod exiſtimabant videre non viderunt, & quod non putabant audire audierunt, confuſi & reveriti diſceſſerunt. Sic ergo, ſic depoſitores Rothadi, cum ad examen judicii, in quo iidem inimici fuerunt, ipſi accuſatores & judices, venerunt, in faciem ipſius, quem ſupplantare voluerunt, immobiles perſtiterunt. At ubi ad noſtrum provocatum eſt judicium, in quo Deo revelante veritas ſi exaggeraretur, in lucem clareſceret, omnia falſitatis argumenta deſtructa ſunt, & fabricatores mendacii terga ſubito converterunt. At vero Rothadus epiſcopus, conſcientia purus, converſatione innocens, columbarum ſimplicitate ac prudentia ſerpentis inſignis, cum ad examen Romanæ eccleſiæ ventum eſſe perſpexit, ubi nullum ſuſpectum habet, nullum inimicum paſſus eſt: ubi, inquam, ut ſanctus ait papa Cæleſtinus, ſemper catholicis ſubvenitur, judicium non timuit, examen ſuum renovari petivit, & quidquid a nobis deliberari cerneret, libenti ſuſcipiendum mente diſpoſuit. quia, ut beatus ait Bonifacius papa, nullus dubitat quod ita judicium nocens ſubterfugit, quemadmodum ut abſolvatur qui eſt innocens quærit. Ergo videant accuſatores, vel damnatores Rothadi, qua intentione cum eo judicium ſubire refugerint: quia Rothadus, qui eſt auctore Deo innocens, concilium ſanctorum non ſolum non ſubterfugit, ſed & magnopere poſtulavit. Itaque ſciat ſublimitas veſtra, Deo opifice a nobis ſæpefatum epiſcopum priſtinæ dignitati & eccleſiæ reſtitutum. In quo utrum veritate fulciatur quod de veſtra dilectione a nonnullis refertur, modo patebit. Si enim millia gemmarum & precioſarum ſpecierum beato Petro daretis, nec illi tam accepta, nec nobis quam ſi nobis ſuper hoc obediatis profutura exiſterent: nimirum cum illius ſit hominum ſalutem exquirere, non cumulos theſaurorum coacervare. Favete tandem, quæſumus, nobis pro crebro dicto viro toties adeuntibus, & eccleſiam ſibi commiſſam recipiendi per vos non impedimentum, ſed præſidium prorſus inveniat. Ne quæſumus dicatur de nobis procedente tempore, quod nunc de Theodorico ſcripto profertur. Qui ante patrimonii vel eccleſiarum, quas amiſerat, receptionem, papam Symmachum, utpote Arianus & ſceleratiſſimus rex, cum impugnatoribus ſuis in diſceptationem confligere juſſit, cum poteſtate ejus omnia, quæ per ſuggeſtiones inimicorum ſuorum amiſerat, reddenda ab honorabilium Italorum epiſcoporum concilio juſſa fuiſſent, & legaliter prius ſtatui priſtino redditus, tunc veniret ad cauſam, & ſi ita recte videretur, accuſantium propoſitionibus reſponderet. Cujus rei documento, & aliis nonnullis decretis & exemplis imbuti, idipſum de Rothado epiſcopo nos quoque decrevimus. Quapropter obteſtamur & obſecramus, ut piis noſtris monitis, non pravorum hominum ſuaſionibus, pareatis: ſcientes quia ſi peſſimo regi, quod abſit, vos æquiparantes, ſuper hoc nobis negotio concordantes obaudire renuitis, vos procul dubio de caritate & memoria noſtra deletos. Quoniam ita Dei & apoſtolorum auctoritate decrevimus & ſtatuimus, ut quicumque ſæpe memorato Rothado epiſcopo ad recipiendam eccleſiam ſibi olim commiſſam, vel ad epiſcopale miniſterium peragendum, aliquatenus impedimento fuerit, donec acquieſcat, & ad illi reſiſtendum conatus deponat, a ſacroſanctis myſteriis & ab eccleſiæ fieret ingreſſu remotus, atque ab omni communione fidelium ſequeſtratus. Præterea veſtram volumus noſſe experientiam, noſtris auribus fuiſſe multis referentibus intimatum, quod diverſæ res, & nonnulla præſidia ſanctæ Sueſſonicæ eccleſiæ juri competentia, ab invaſore ibidem conſecrato extitiſſent pro libitu diſpoſita, & in beneficium data: vel etiam, eo juſto Dei judicio decedente, ab excellentia veſtra quibuſdam hominibus æque in beneficio collata. Quamobrem etiam, & in hoc dilectionem veſtram hortamur atque precamur, ut eadem præſidia, & ipſas res, quæcumque & ubicumque ſint, jam fatæ eccleſiæ reſtitui pia veſtra præcipiat eminentia, & ut cuncta juri ejus reddantur, veſtra ſatagat excellentia: ita ut ſecundum ſacrorum canonum ſanctionem, in poteſtate epiſcopi res omnes eccleſiæ conſiſtant, & ille ſecundum timorem Dei, quibus voluerit, & quomodo voluerit, illas diſpenſet. quod tamen veſtræ pietatis, pro amore Dei & apoſtolorum principum, ac noſtro, fieri ſatagat induſtria. Scientes profecto, quia qui his rebus frui voluerit, & eas præfatæ eccleſiæ reddere forte diſtulerit, nos hunc ab eccleſiæ finibus, anathematis nexibus irretitum, & ſacroſanctis myſteriis ſequeſtratum, veluti profanum eliminamus, & quaſi rapacem & impium, & a contubernio fidelium procul dubio abjicimus.

Marginal notes: Conc. Chalced. can. 9. — Can. 4. — Epiſt. ad Victricium. — Epiſt. 5. — Epiſt. ad Joannem Ravennatem. — Epiſt. ad Heſychium. — Epiſt. 4. — Epiſt. ad Patroclum & alios. — Synod. Rom. 4.



## EPISTOLA EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM Rhemenſem.

Rothadum legitime reſtitutum oſtendit. ſuam illi eccleſiam, & res ablatas reddi jubet: tum, ubi reſpirarit, cum eo Romæ confligi, ſi libeat.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro Rhemenſi archiepiſcopo.*

Epiſt. 41.

SI coram tuæ prudentiæ oculis ullus eſſet paternorum canonum, vel apoſtolicæ ſedis reſpectus, nunquam Rothadum Sueſſonicæ urbis epiſcopum ſine noſtræ tentaſſes ſcientiæ notione deponere. Præcipue cum negotium, quod merito inter majora connumeratur (de perſona ſcilicet judicare, cujus in eccleſia ceteris ordo major eſt) ventilanti & multipliciter rimanti tibi adeo de ſe difficiles exitus daret, ut octo circiter annos ut deponeretur elaboraveris, & in tanta perplexitate cauſarum, & in tanta intercapedine temporum, nullam beati Petri memoriam prorſus habueris. Cujus contra is qui deponebatur mentionem faciens, tua decernente religioſitate proprio gradu caruiſſe dignoſcitur. Et cum in ſuis opportunitatibus ad ſedem apoſtolicam beatitudo tua ſcripſerit, & ab illa ſibi manum porrigi contra falſos fratres popoſcerit, & quædam privilegia concedi ſibi petierit, in cauſa Rothadi ſolum, quaſi ejus ſolatii non indiga, ſedis apoſtolicæ non memor fuit, nec utique viſitatrix. Quinimo contra appellantem hanc eumdem venerabilem virum, tanta molimina, tantaque præparare machinamenta minime formidaſti: ut poſtquam data ſibi Romam veniendi licentia fuerat, priuſquam tibi & regi * valeſcecetat, poſtea hunc a noſtro examine ad tua, ut ita dicam, tribunalia deduxeris, (quia ſynodus dici non poteſt ubi noſter nullus præbetur aſſenſus) & ingredi prætorium nolentem depoſitioni tyrannico more ſubjiceres, occaſionem ſumens de quadam epiſtola, tamquam Rothadus, poſtquam ad noſtrum appellaverat judicium, rurſus ad veſtrum mutata voce

* valeſceret

ANNO CHRISTI 865.

voce provocaſſet examen, quod omnino falſum eſt. Illa nempe epiſtola, per quam hoc conaris frui, ſicut veritate claret, & apud nos ſubtili valde inveſtigatione repertum eſt, fratribus a Rothado mittebatur, quos reum contra ſe conſpiraſſe non noverat, ac eos per hoc nec ſuſpectos habebat. In qua videlicet epiſtola, non noſtrum judicium aſpernatur, non ſedem apoſtolicam ſpernit, nec aliena judicia poſtulat, nec electorum judicum numerum exprimit, quinimmo nec nomina memorat; ſed ſolum fratres & coepiſcopos de ſua certificat innocentia, & hos reddit intentos, quatenus ſi forte apoſtolatui noſtro, ſecundum ſacrorum indulgentiam canonum, ſcribere his examinis renovandi gratia in finitima poſitis placeret; ut ipſe illo in tempore nobis ſuggeſtum ire meditabatur, & nos quoque acturos putabat, ſuæ conſuleret innocentiæ, ac juſto libramine cauſam ſuam, ſecundum diſpoſitionem noſtram, ſine acceptione perſonarum exequeretur.

2. q. 6. Arguta ſapientia.

Sed arguta ſapientia tua, utinam in bono accepta, fomitem judicii, & materiam diſpoſitionis adverſus Rothadum aſſumpſit, & ab itinere ſedis apoſtolicæ revocavit, & continuatim ſedem apoſtolicam appellantem damnavit, & carcerali cuſtodiæ mancipavit: cum etiamſi nullus a veſtro judicio provocaſſet, privilegia tamen apoſtolicæ ſedis vos oblivioni tradere nullatenus debuiſſetis, quibus venerandi canones judicia totius eccleſiæ ad hanc deferri jubent, & ab illa, ſicut Gelaſius meminit, nuſquam appellari ſanxerunt: ac per hoc ipſa de omnibus judicare, ab illa viro nulli eſt appellare permiſſum. ſed etiamſi ad veſtrum provocaſſet a noſtro judicio, a vobis extabat tamquam erroneus corrigendus. quinimmo nec ante ſpecialiter fuerat corrigendus, quia vobis peculiarius erat penitus amplectendus. At ubi obdurato mentis intuitu, hæc omnia poſtpoſuiſſe contra ſpem dolenter audivimus, miſſis litteris noſtris præcepimus, ut eum de carceris anguſtia educeres, & aut mox priſtino gradui redderes, aut illum cum vicariis tuis, & epiſcoporum qui depoſitioni ejus conſenſerunt, in noſtram præſentiam deſtinares. Quod ſi neutrum ageres, poſt xxx. dies, poſtquam illa noſtra lecta fuiſſet epiſtola, nec tu, nec ullus eorum qui in hoc tibi conſenſum præbuerant, miſſarum ſolennia celebraret, donec quæ ſibi pro Rothado a nobis fuerant imperata perficeret. Quam contemplatus, etiam ſolo tactu tuo indignam judicans, Dioſcorum in hoc imitatus, ſaltem hanc legere nullo modo conſenſiſti. Unde Rothado adhuc in cuſtodia demorante, per Odonem venerabilem epiſcopum eadem tuæ ſanctitati, & ceteris complicibus tuis, per epiſtolas vobis reſcribentes injunximus: addentes pariter, quod ſi nobis de cetero inobedientes eſſetis, nos jam fatum virum Rothadum priſtinæ dignitati, & eccleſiæ redintegraturos, & vobis condignam viciſſitudinem reddituros. Quas fraternitas tua IX. Kalendas Julii, ut fertur, ſuſcipiens, per quatuor circiter menſes neminem has paſſus es intueri. Poſt hæc autem Rothado, tandem de cuſtodia educto, licentiam Romam veniendi vix quidem dediſti: ſed vicarii, quos cum illo mittere debuiſti, uſquequo voluerunt profecti, ſuis nobis de itinere ſignificavere, dictum illis fuiſſe quod nullus præ hoſtibus penetrandæ Italiæ ſibi pateret acceſſus, & præcipue quod eorum, quorum auxilio fulciri debuerant, fruſtrarentur obventu. Subdentes inſuper, quia ſi pervenire Romam utcumque valuiſſent, nullam adverſus Rothadum omnino deferrent calumniam. Et his ita geſtis, quia primum quidem præ-

A ſumptiones, prævaricationeſque veſtras ſumus experti, deinde vero inobedientia & tergiverſatione tua comperta, atque deinde Rothado penes nos ſine ullo accuſatore octo circiter menſibus jam retento, & diutius ac ſubtilius examinato, vobis & vicariis veſtris clamantibus, nil vos adverſus eum accuſationis habere, quid niſi ut, ſecundum promiſſionem ſuperius memoratam, tandem priſtino epiſcopatui redderetur, omnino reſtabat? Quod per noſtram mediocritatem jam nunc factum tua noſſe poterit prorſus induſtria. Cui rei monemus omnimodam patientiam exhibere tua non negligat utcumque ſolertia, ne talionem reddere tibi, ſicut dudum promiſimus, noſtra cogatur auctoritas.

2. q. 6. Arguta ſ. Hæc quippe &c.

Hæc quippe nos in B Rothado idcirco noveris operatos, ut privilegia ſedis apoſtolicæ, quæ male a vobis violata eſſe videbantur, & a nobis tot impenſis laboribus, veſtra reſiſtente contumacia, recuperari non poterant, auctoritate apoſtolica, & canonica patrum deliberatione, priſtino tandem & proprio decorarentur honore. Ceterum ſi forte quis adverſus Rothadum voces habet, vel ſi ipſe a ſanctitate tua juſtas contra ſe hactenus ſuſtineat querimonias, volumus & decernimus, ut utraque parte conveniente, quidquid illud eſt, coram noſtra ſpeciali præſentia dirigatur. Quod ſi nullus calumniis coram apoſtolatu noſtro ſæpefatum virum impetere voluerit, quæ de illo decrevimus, illibata & imminuta C conſiſtant. Tandem aliquando unum e duobus, quod vult fraternitas tua, ſibi a nobis optione propoſita eligat: quia utrumque canonicum eſt, utrumque ad ſedis apoſtolicæ pertinet privilegium. Videlicet aut quæ de ſæpefato fratre & coepiſcopo noſtro Rothado diſpoſuimus adimplens, in nullo refragatrix, ſed executrix inveniatur: aut certe Romam coram nobis, ſeu ſancta Romana eccleſia, cum ipſo conflictum ſumptura, & pro hoc altercatura, properare ſine dilatione maturet. Ita dumtaxat, ut prius ipſe Rothadus cunctis ablatis, ſicut ſtatuimus, recuperatis honoribus, & vires longo tempore feſſas priori valetudini redditas reſumens, diutius poſſideat, & ſuis omnibus perfruatur. Quod ſi D neutrum ſine procurata mora fortaſſis agere volueris, & reſultare his quæ de illo ſtatuimus ſolito more ulterius curaveris, ab omni ſis ſacerdotali dignitate, Dei per nos judicio, & auctoritate ſedis apoſtolicæ, de cetero ſequeſtratus, ita ut nunquam locum ſatisfactionis, aut ordinis reſtitutionem opperiaris.

## EPISTOLA EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I. AD UNIVERSOS EPISCOPOS GALLIÆ.

Ut Rothadum a ſe reſtitutum benigne ſuſcipiant. ubi multa de ſedis apoſtolicæ privilegiis, & de pontificum Romanorum decretalibus copioſe diſſerit.

E

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris archiepiſcopis & epiſcopis apud Gallias conſtitutis.*

Epiſt. 41.

QUamvis ſingularum eccleſiarum, quæ propter diverſitatem terrarum multæ eſſe dicuntur, cum una ſit & unica ſponſo ſuo, ſicut ipſe in canticis canticorum dicit; *Una eſt columba mea*. & per pſalmiſtam: *Erue de manu canis unicam meam*. paſtor, & epiſcopus, ac pontifex dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui hanc creavit & re-

Cant. 6. Pſal. 21.



ANNO CHRISTI 865.

2. Pet. 2. Hebr. 7.

& redemit, exiſtat: ita ut ille veraciter ac principaliter iſta ſit omnia, juxta quod fidelibus per primum apoſtolum dicitur: *Converſi eſtis nunc ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum*. & juxta quod egregius prædicator de eo loquens: *Talis*, inquit, *decebat ut nobis eſſet pontifex*. ſubiturus tamen ad cælos hanc apoſtolis commendavit, ac per eos, tamquam hereditario jure ſucceſſoribus eorum, nobis ſcilicet, quos paſtores, & epiſcopos ac pontifices ſuper ipſam conſtituit, ejus providentiæ curam indulſit, quatenus pro patribus nati filii, & pro eis conſtituti principes in omnem terram, imitatores eorum eſſemus, ſicut & ipſius Chriſti.

Leo ep. 88. ad Anaſtaſium.

Verum & inter beatiſſimos apoſtolos, ſicut & ille magnus Leo ſcribit, in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt, ut ceteris præmineret. De qua forma epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio: & magna diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia vindicarent, ſed eſſent in ſingulis provinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia. & rurſus quidam in majoribus urbibus conſtituti, ſolicitudinem ejus ſuſciperent ampliorem: per quos ad unam Petri ſedem univerſalis eccleſiæ cura confluerct, & nihil unquam a ſuo capite diſſideret. Quod niſi quidam ex vobis nullo interiori comprehendiſſent obtutu, nunquam Rothadum epiſcopum Sueſſonicæ urbis ſine conſenſu noſtro depoſuiſſent, deprædarentur, & in exilium pulſum monaſteriali cuſtodiæ manciparent. Nam quomodo non omnes vobis omnia vendicatis, qui judicia epiſcoporum, quæ merito inter majora numerantur negotia, veſtræ deliberationi tribuiſtis? An modicum vobis eſſe videtur, fratres & coepiſcopos veſtros præter apoſtolicæ ſedis conſenſum depoſitioni ſubjicere? Quod ſi damnationes epiſcoporum non inter majora negotia dinumeratis, quorum jam cauſas inter majora computatis negotia? Quid rogo de presbyteris, vel de inferioris gradus clericis agitur, quorum apud nos quoque

Can. 9.

cauſa Chalcedonenſis concilii regulis, cum ratio exigit, audiri jubetur? Si epiſcopos tanta facilitate deponitis, quomodo rogo per vos, quorum vel in ſingulis provinciis habetur prima ſententia, vel qui in majoribus urbibus conſtituti ſolicitudinem ſuſcipitis ampliorem, ad unam Petri ſedem univerſalis eccleſiæ cura confluit, qui de majoribus deponendis epiſcopis nihil ad ejus notitiam deferre curatis? An epiſcopi de univerſali eccleſia non ſunt, ut de illis damnandis per vos aliquid ad unam Petri ſedem deferri non curetur? Vel quomodo nil uſquam a ſuo capite diſſidet, cum de adjudicandis præcipuis membris eccleſiæ, id eſt, epiſcopis, a capite, id eſt, ſede apoſtolica diſſentitis? An ſedes apoſtolica caput non eſt? Fruſtra ergo, ut multa prætercam; concilium Sardicenſe ad Julium

Conc. Sardic. in epiſt. ad Julium.

epiſcopum inter cetera dixit: Optimum & valde congruentiſſimum eſſe videtur, ſi ad caput, id eſt, ad Petri apoſtoli ſedem, de ſingulis quibuſque provinciis domini referant ſacerdotes. Ecce ſedem Petri caput appellatam, cui de ſingulis provinciis domini referre ſacerdotes debent. E contra vos adeo hanc deſpicitis, ut ad eam nihil de majoribus eccleſiæ negotiis referre curetis, ac epiſcopum inconſulta & contempta illa deponere præſumatis, & præcipue ſedem apoſtolicam appellantem. Nimis namque abſurdum eſt quod dicitis, Rothadum, qui ad judicium ſedis apoſtolicæ provocavit, iterum mutata voce veſtra judicia poſtulaſſe. Quod etiamſi

A ita fuiſſet, a veſtra fuerat fraternitate corrigendus, & quia a majori ad minoris auctoritatis provocaſſet judicium, emendandus. Licet certis non patere poſſit ullis judiciis, a noſtro illum ad veſtra cucurriſſe judicia, quem conſtat in ipſo articulo contra ſe proferendæ ſententiæ ſedem apoſtolicam appellaſſe, & quod ſe ab illa judicari poſceret, coram omnibus exclamaſſe. Æquum non foret, ſi ad veſtra ſe judicia convertiſſet, quamvis etſi ſedem apoſtolicam nullatenus appellaſſet, contra tot tamen, & tanta vos decretalia efferri ſtatuta, & epiſcopum inconſultis nobis deponere nullo modo debuiſtis. Quod tamen vos, ut ſervata vobiſcum medullitus caritate dicam, poſtpoſuiſſe dolemus, & B diverſorum ſedis apoſtolicæ præſulum decreta in hoc vos contempſiſſe negotio, non immerito reprehendimus. Abſit enim, ut cujuſcumque, uſque ad ultimum vitæ ſuæ diem qui in fide catholica perſeveravit, vel decretalia conſtituta, vel de eccleſiaſtica diſciplina quælibet expoſita, debito cultu, & cum ſumma diſcretione non amplectamur opuſcula, quæ dumtaxat & antiquitus ſancta Romana eccleſia conſervans, nobis quoque cuſtodienda mandavit, & penes ſe in ſuis archivis, & vetuſtis rite monumentis recondita veneratur. Abſit, ut ſcripta eorum quoquomodo parvipendenda dicamus, quorum videmus Deo auctore ſanctam eccleſiam, aut roſeo cruore floridam, aut roriſluis ſudoribus, & ſalubribus eloquiis adornatam.

Diſt. Si Romanorum.

C Si enim ipſorum decreto ceterorum opuſcula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod ſedes apoſtolica probat, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: & quanto potius quæ ipſa pro catholica fide, pro profanis dogmatibus repellendis, pro variis & multifariis eccleſiæ neceſſitatibus, & fidelium * moribus, diverſo tempore ſcripſit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorſus in quibuslibet opportunitatibus diſcretione vel diſpenſatione magiſtra reverenter aſſumi? Quamquam quidam veſtrum ſcripſerint, haud illa decretalia priſcorum pontificum in toto codicis canonum corpore contineri deſcripta, cum ipſi, ubi ſuæ intentioni hæc ſuffragari D conſpiciunt, illis indifferenter utantur, & ſolum nunc ad imminutionem poteſtatis ſedis apoſtolicæ, & ad ſuorum argumentum * privilegiorum, minus accepta, eſſe perhibeant. Nam nonnulla eorum ſcripta penes nos habentur, quæ non ſolum quorumcumque Romanorum pontificum, verum etiam priorum decreta in ſuis cauſis præferre noſcuntur. At nunc, ubi ſuis animis reſultare, & privilegia tanto nos, ut in ſui ſtatus incolumitate perſiſtant, elaborare non ceſſamus, quanto univerſæ eccleſiæ profuiſſe, prodeſſe, ac profutura ſemper eſſe probantur. Dignum ergo eſt, ut ubi univerſa fabricæ moles innititur, ibi firmum validumque habeatur in omnibus fundamentum.

* al. motibus.

* augmentum

Diſt. XIX. Si Romanorum. §. Si ideo.

Porro ſi ideo non eſſe decretales E epiſtolas priſcorum pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur adſcriptæ, ergo nec Gregorii ſancti, nec ullius alterius qui ante vel poſt ipſum fuit, eſt aliquod inſtitutum vel ſcriptum recipiendum, eo quod in codice canonum non habeatur adſcriptum. Ergo doctrinam eorum, & ſanctiones de codicibus ſuis eradant. ut quid vel membranas occupant, poſtquam non habentur acceptæ? Sed quare multum immoremur, cum nec ipſas divinas ſcripturas novi & veteris teſtamenti jam recipimus, ſi iſtos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in codice eccleſiaſticorum canonum

num habetur inſertum. Sed reſponſuri ſunt iſti, qui non ad obediendum potius quam ad reſiſtendum ſemper parati ſunt, dicentes quod inter canones inveniatur capitulum ſancti papæ Innocentii, cujus auctoritate doceatur a nobis utrumque teſtamentum eſſe recipiendum, quamquam in ipſis paternis canonibus nullum eorum contineatur ex toto inſertum. Quibus ad hæc aſſerendum eſt, quoniam ſi vetus novumque teſtamentum recipienda ſunt, non quod codici canonum ex toto habeantur annexa, ſed quod de his recipiendis ſancti papæ Innocentii prolata videtur eſſe ſententia; reſtat nimirum, quod decretales epiſtolæ Romanorum pontificum ſunt recipiendæ, etiamſi non ſunt canonum codici compaginatæ: quoniam inter ipſos canones unum B. Leonis capitulum conſtat eſſe permixtum, quo ita omnia decretalia conſtituta ſedis apoſtolicæ cuſtodiri mandantur, ut ſi quis in illa commiſerit, noverit ſibi veniam negari. Ait enim capitulo V. ſuorum decretalium: Ne quid vero ſit, quod prætermiſſum a nobis forte credatur, omnia decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita veſtræ dilectioni cuſtodiri mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. Dicendo vero omnia decretalia conſtituta, nullum de decretalibus conſtitutis prætermiſit, quod non mandaverit eſſe cuſtodiendum. Et rurſus aſſerendo omnium deceſſorum noſtrorum, nullum pontificum Romanorum, qui ante ſe fuerit, excepit, cujus ita non præceperit decretalia conſtituta ab omnibus cuſtodiri, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. Itaque nihil intereſt, utrum ſint omnia decretalia ſedis apoſtolicæ conſtituta inter canones conciliorum immixta, cum omnia in uno corpore compaginari non poſſint, & illa eis interſint, quæ firmitatem his quæ deſunt, & vigorem ſuum aſſignent. Præſertim cum ſynodalia geſta, inter quæ ipſi canones ſtatuti ſunt, in codice canonum non habeantur, ſed a nobis omni cultu debito venerentur. Conſonat autem huic beatiſſimo papæ Leoni ſanctus & facundiſſimus in decretis ſuis papa Gelaſius, ita inquiens: Decretales epiſtolas, quas beatiſſimi papæ diverſis temporibus de urbe Roma, pro diverſorum patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendas decernimus. In quo notandum, quia non dixit decretales epiſtolas quæ inter canones habentur, nec tantum, quas moderni pontifices ediderunt; ſed quas beatiſſimi papæ diverſis temporibus ab urbe Roma dederunt. Dictis autem diverſis temporibus, etiam illa tempora vir ſanctus comprehendit, quæ crebreſcentibus paganorum perſecutionibus ad ſedem apoſtolicam deferri cauſas epiſcoporum difficillime permittebant. His ita divina favente gratia prælibatis, oſtendimus nullam differentiam eſſe inter ea decreta, quæ in codice canonum habentur ſedis apoſtolicæ præſulum, & ea quæ præ multitudine vix per ſingula voluminum corpora reperiuntur: cum omnia & omnium deceſſorum ſuorum decretalia conſtituta; atque decretales epiſtolas, quas beatiſſimi papæ diverſis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter eſſe ſuſcipiendas & cuſtodiendas, eximios præſules, Leonem ſcilicet & Gelaſium, mandaſſe probavimus. Quamvis & hoc, quod ſæpe commemoratus B. Leo, apoſtolicæ ſedis antiſtes, ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem archiepiſcopum ſcribit, quorumdam

Decret. c. 17.

Epiſt. ad epiſcopos per Campaniam.

In Synodo Romana de ſcriptis canon.

Epiſt. 18.

A veſtrorum præſumptionem potentiſſime ferit, & quod talia negotia nobis inconſultis diffinire minime debeatis, manifeſte denuntiat. Ait enim: Nam cum majora negotia, & difficiliores cauſarum exitus; liberum tibi eſſet ſub noſtræ ſententiæ expectatione ſuſpendere, nec ratio tibi, nec neceſſitas fuit, in id quod menſuram tuam excederet deviandi. Et item deinceps: Præſertim, inquit, cum etiamſi quid tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerit quid ad tua conſulta reſcriberem. Et paulo poſt: Sed etiamſi quid grave, intolerandumque committeret, noſtra erat expectanda cenſura, ut nihil eſſe prius decerneres, quam quid nobis placeret agnoſceres. Quod nos quoque de Rothado vobis non B irrationabilius dicere poſſumus: quia dum octo fere annos ventilaveritis, nec ratio vobis, nec neceſſitas fuit, in id quod menſuram veſtram excederet deviandi. Sed etiamſi quid grave, intolerandumque committeret, noſtra erat expectanda cenſura, ut nihil prius decerneretis, quam quid nobis placeret agnoſceretis. Sed dicitis judicia epiſcoporum non eſſe majora negotia, nec difficiliores cauſarum exitus. At nos horum merito judicia majora negotia dicimus, & difficiliores cauſarum exitus judicamus, qui quanto gradus ſunt præcipui, & in eccleſia Chriſti ſublimiores, tanto, cum de horum ſtatu vel caſu agitur, majora negotia & difficiliores cauſarum exitus agitari, vel haberi creduntur. Ipſi quippe primi in eccleſia, ipſi arun- C dinem tenentes metiuntur ſanctam Jeruſalem, ipſi fabricæ Dei præſunt, ipſi ſpeculatores civitatis Dei ſunt, ipſi arietes, ipſi paſtores gregis dominici, ipſi columnæ domus ſummi regis exiſtunt. An majora negotia cauſas inferiorum clericorum eſſe conjicitis, ut horum cauſas nobis, & epiſcoporum vobis negotia tribuatis? Quamvis & inferioris gradus clericorum cauſas apud nos, cum tempus vel res exegerit, eſſe finiendas, e diverſo procul dubio colligamus, ſicut B. papa dicit Innocentius. Si quæ autem cauſæ vel contentiones inter clericos tam ſuperioris ordinis, quam inferioris etiam fuerint exortæ, ut ſecundum ſynodum Nicænam congregatis ejuſdem provinciæ epiſcopis jurgium terminetur: nec alicui liceat, ſine præjudicio tamen D Romanæ eccleſiæ, relictis his ſacerdotibus, qui in eadem provincia Dei eccleſiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. An majora negotia metropolitanorum tantum eſſe fatemini? Sed audite rurſus quid de epiſcopis ſanctus aſſeveret Leo. Quibus, inquiens, etſi dignitas communis eſt, ordo tamen generalis eſt, & revera unus de ſeptem eccleſiæ gradibus eſt, metropolitanorum ſcilicet & reliquorum epiſcoporum ordo. Et quod dicit apoſtolus, oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, non video minus metropolitanis, quam ceteris epiſcopis convenire. Niſi forte epiſcopatu ſe privet, quiſquis metropolitanorum ad ſe hoc apoſtoli dictum non æſtimet pertinere. Unde nos non minoris numeri, nec alterius famæ E accuſatores, teſtes, vel judices quærimus in negotiis epiſcoporum, quam exigimus in cauſis metropolitanorum. Unde tam illorum, quam iſtorum negotiorum nobis exitus reſervari merito volumus, & jure decrevimus. Totius enim eccleſiæ, Deo auctore, generaliter ſolicitudinem gerimus, & omnium utique qui eccleſiam faciunt cura conſtringimur, atque omnium quorum nos maxima cura expectat, noſtrum præcipue debent promereri judicium, ſicut Innocentius ad Alexandrum ſcribens Antiochenum, non ſcilicet ſolum metropolitanorum, ſed & omnium omnino ſacerdotum, quinimmo univerſorum qui ſe de ovibus principaliter di-

vini-

Epiſt. ad Victricium.

Epiſt. 20.





vinitus Petro commendatis eſſe non neſciunt: id eſt, non ſolum cunctorum, qui de illorum numero ſunt de quibus dominus principi apoſtolorum dixit: *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, ſed etiam qui de his piſcibus ſunt, qui intra rete, quod ab ipſo ad litus trahi ſpecialiter juſſum, eſſe ſe recognoſcunt. Adhuc tamen percontari propter contentioſos libet, quænam judicia, vel quorum eſſe majora negotia prædicatis, ſi epiſcoporum cauſas non inter præcipua computatis negotia? An laicorum & vulgarium populorum judicia inter majora negotia ponitis, quos pæne quotidie cum veſtris, & ſine veſtris epiſtolis, ad diſcutiendos & judicandos ſuſcipimus, & diſcuſſos, vel judicatos, vel abſolutos dimittimus? Denique aut ſæcularium judicia inter majora, & epiſcoporum inter minora negotia collocabitis, & vobis epiſcoporum, nobis laicorum judicia reſervabitis: aut certe, ſi epiſcoporum judicia ſunt majora negotia, juxta Leonem liberum vobis eſſe debuit, hæc ſub noſtræ ſententiæ expectatione ſuſpendere. aut ſi perſona judicandi tale aliquid mereretur, expectandum vobis fuerat quid ad veſtra conſulta reſcriberem. Abſurdum eſt enim, ut laicos quoſque & minimos, qui ſunt in eccleſiis veſtris, noſtro mittatis judicandos, & addatis quotidiano labori, & epiſcoporum, qui præcipua eccleſiæ membra ſunt, veſtræ ſubdatis deliberationis arbitrio. His vero tandem omiſſis, Deo duce, ſcitote nos, quod temeritate magiſtra perperam a vobis commiſſum eſt, & quod inconſultis nobis in Rothado fratre & coepiſcopo noſtro præpropere perpetraſtis, (etiamſi nunquam ſedem apoſtolicam appellaſſet) Dei auctoritate, & beatiſſimorum Petri ac Pauli principum apoſtolorum, ſeu omnium deceſſorum meorum, nec non & ſanctorum trecentorum decem & octo patrum, qui apud Nicæam ſub Conſtantino pio principe convenerunt, penitus evacuantes, & in irritum ducentes, præfatum Rothadum priſtino gradui, priſtinæ dignitati, priſtino reddidiſſe prorſus honori: ita ut divina myſteria conficiendi priorem facultatem adeptus, omnique ſacerdotali reſtitutus officio, ſine cujuslibet contradictione, propriæ receptæ libere præſit eccleſiæ, a qua inconſultis nobis expulſus eſt. Denique cum ante biennium ſcriptis & verbis inſtanter egiſſemus, ut idem Roibadus, aut propriæ redderetur eccleſiæ, aut certe Romam cum vicariis veſtris, & ipſius accuſatoribus, ad examinandum & judicandum nobis deſtinaretis, & nihil apud vos impetrare potuiſſemus, dum modo hoc, modo illud ad excuſandas excuſationes in peccatis objiceretis: tandem aliquando, Deo inſpirante, & Nicænæ nobis ſynodi decreto ſuffragante, quo inter cetera præcipitur, ut ſuis privilegia ſerventur eccleſiis, ratum duximus, jam fatum Rothadum, memores ſcilicet privilegiorum apoſtolicæ ſedis, a vinculis quibus illum, ne uteretur officio, nec ſuæ præeſſet eccleſiæ, colligaſtis, quia nos non cenſuimus, abſolvendum. Neque enim tam ſtolidus, tamve poterit traditionis tramite devius inveniri, qui ceteris eccleſiis privilegia ſervari, & ſoli Romanæ eccleſiæ adimi debere perhibeat, quæ omnium eccleſiarum magiſtra, mater, & caput eſt. Si quis autem tacita forte, quia non audet aperta muſſitatione fateri, Romanæ hujuſcemodi eccleſiæ privilegia non fuiſſe; quibus ſedes apoſtolica aliorum ligata præſulum facultatem habuerit diſſolvendi, præter quod priſca rerum probatione, & nonnullarum recitatione ſcripturarum convincitur, teſtis eſt beatus Gelaſius, quem idcirco ad teſti-

Luc. 22.

A monium ſuper his perhibendum produximus, quia hunc non ſolum vita & doctrina plurimum commendat, verum etiam rem, de qua agitur, in paucis adſtruit & oſtendit. nobis videlicet brevi ſermone propinans, quod de multorum voluminum fontibus hauſit. Scribens enim epiſcopis per Dardaniam conſtitutis, inter cetera: Nec plane, ait, tacemus, quod cuncta per mundum novit eccleſia. quoniam quorumlibet ſententiis ligata pontificum ſedes beati Petri apoſtoli jus habeat reſolvendi, utpote quæ de omni eccleſia fas habeat judicandi. Item idem ad epiſcopos orientales, poſt quingentos inquit annos conſtituta Chriſti eos velle ſubvertere, cum xxx. annorum lex hominum non poſſit abrumpi. ſanctum Atha- B naſium ideo non damnatum a ſynodo orientis, quia ſedes iſta non conſenſerit, vel ſanctum Joannem Conſtantinopolitanum, vel ſanctum Flavianum. Si ergo hac non conſentiente ſola, ii damnati a ſynodo orientis, non potuerunt eſſe damnati; conſequens eſt etiam, qui eadem ſola damnante, ſine ſynodo damnatus fuerit, damnatus ſit. In quo inter cetera notandum eſt, quia ſi hos, qui poſt quingentos annos ſtatuta Chriſti tentabant ſubvertere, tanta vir ſanctus increpatione redarguit, cum xxx. annorum lex hominum non poſſit abrumpi; quanto magis exprobrandi ſunt, qui ea etiam poſt octingentos, & eo amplius, annos nituntur evellere? Quæ vero ſtatuta Chriſti dixerit, inferius declaravit, cum C ſola ſede apoſtolica non conſentiente neminem poſſe damnari, & ſola ea conſentiente, qui damnatus fuerat, damnatum haberi expoſuit. Statuta itaque Chriſti dixit poſt quingentos annos ſubvertere; quia jam quinquies centum circiter anni præterierant, quando venerabilis papa dixit ſedem apoſtolicam hæc ſtatuta Chriſti promeruiſſe. Privilegia enim ſua a Chriſto eccleſia Romana per Petrum conſecuta eſt, & ipſa ſunt ſtatuta Chriſti: quæ quidam tunc poſt quingentos, nunc poſt octingentos annos exinanire conantur. Eccleſiæ inquam Romanæ adeo ſunt antiqua & vetera privilegia, ut Nicæna ſynodus, ſicut a Bonifacius præſul apoſtolicus epiſcopis per Theſſaliam conſtitutis ſcribens ait, non aliquid ſuper D eam auſa ſit conſtituere, cum videretur nihil ſupra meritum ſuum poſſe conferri. Omnia denique noverat huic domini ſermone conceſſa. Si omnia, ergo & epiſcoporum judicia. Perhibente autem beato Bonifacio, quod Nicæna ſynodus ſuper eam, haud dubium quin Romanam eccleſiam, non auſa ſit aliqua conſtituere, cum videret nihil ſupra meritum ſuum poſſe conferri, omnia denique huic noverat domini ſermone conceſſa: & objurgante ſancto Gelaſio eos, qui conſtituta Chriſti volebant ſubvertere, cum privilegia Romanæ ſedis moliebantur infringere: maniſeſte datur intelligi, eadem eſſe conſtituta Chriſti, quæ ſunt omnia illa, quæ huic eccleſiæ ſynodus Nicæna noverat domini ſermone conceſſa. E A tempore quippe quo ſynodus Nicæna fuerat conſummata, nondum quingenti uſque ad Gelaſium anni tranſierant, ut de Nicænæ ſynodi ſtatutis tantus vir dixiſſe videatur, eos poſt quingentos annos ſtatuta Chriſti velle ſubvertere. Reſtat ergo, ut illius temporis mentionem fecerit, a quo quingentorum circiter annorum curricula uſque ad ſe devoluta poterant comprehendi. Chriſtus enim privilegia conſtituta in Petro diſpoſita vel firmata Romanæ contulit eccleſiæ, ſuper quam nihil ſynodus quælibet auſa eſt merito conſtituere, cum ſciat omnia illi domini ſermone conceſſa. Diſpenſationem quippe redem-

dem-

Epiſt. 11.

a Vide Tomi V. pag. 849.

ANNO CHRISTI 865.

demptionis humani generis ante tempora ſæcularia dominus omnipotens penes ſe ordinatam cuſtodiens, & tempore carnis oſtendens, aſcenſurus ad cælos, in apoſtoli Petri, per quem & apoſtolatus & epiſcopatus ſumpſit exordium, confeſſione curaque præcipue collocavit. qui tunc per ſe, & deinceps per ſuæ ſolicitudinis heredes, circa humanum genus, quæ ſibi dominus commendavit, non deſtitit exhibere. Hæc enim ille, hæc ſucceſſores ejus ex tunc agere non omittunt, modo verbis, modo decretorum ſuorum epiſtolis ab urbe Romana diverſis temporibus datis, commiſſarum ſibi ovium providentiam principaliter exercentes. Itaque Rothadum epiſcopum, de quo hactenus noſtris contempſiſtis obedire mandatis, tandem a nobis, immo a Deo, priſtino gradui reſtitutum benigne ſuſcipite. quia ille euangelicus filius rediens non ſolum ſuſcipi meruit, ſed & dignus paternis complexibus invenitur, & annulum fidei recipit, & ſtola circumdatur, per quam quid aliud, quam ſacerdotii declarantur inſignia? Nec probabilis extitit apud patrem ſenior filius, quod invidit recepto: nec tantum meriti habuit penes patrem perſeverando, quantum noxæ contraxit non recipiendo germanum. Ergo ſuſcipite illum ut fratrem, ſuſcipite, inquam, illum ut mea viſcera. Solicitos autem vos pro ſalute libenter audio: contra caput etiam ſi faciendum eſt, non libenter admitto. Cui manus porrigenda eſt, vobiſcum porrigo: cui porrigo, mecum porrigite. Si cui autem aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego, etſi quid donavi propter vos, in perſona Chriſti, ut non poſſideamur a ſatana. Non enim ignoramus verſutias ejus, qui ſuper diſceſſione lætatur. Apoſtoli vero declaratæ benignitatis verba ſunt, ſicut ea viri beatiſſimi apoſtolicæ ſedis præſules, Innocentius & Bonifacius, ſapientiſſime replicarunt. Porro quiſquis contra hoc noſtri apoſtolatus decretum, poſt notitiam ejus ſe efferens, ſæpe fato Rothado epiſcopo, ad recipiendam & regendam Sueſſonicæ urbis eccleſiam, aliquod palam vel occulte præparaverit offendiculum, vel ſi perſonæ ipſius quoquomodo inſidiatus extiterit; quinimmo ſi quis veſtrum ad eccleſiam recipiendam illi, tamquam frater fratri, adjutorium non præſtiterit, utpote qui videt fratrem ſuum neceſſitatem habere, & claudit viſcera ſua ab eo, & veluti is in quo caritas Dei non manet, ab ipſa caritate quæ Deus eſt, & a corpore & ſanguine Chriſti, & a nobis qui membra illius ſumus, habeatur omnimodis alienus. Porro ne juſtitiam regere noſtræ tantum videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æſtimemur canonicis legibus contraire, ſancimus atque decernimus, quatenus ſæpedictus Rothadus, venerabilis epiſcopus, paratus ſit omni regulariter poſcenti de ſe, quia Deo propitio nulli parti favere volumus contra juſtitiam, coram ſedis apoſtolicæ præſule reddere rationem. Ita dumtaxat, ut ſecundum majorum diffinitiones, ante omnia, quæ prius poſſederat integro jure recipiat: adeo ut talis ſit in omnibus, qualis ante ſententiam contra ſe prolatam fuiſſe dignoſcitur. Sicque demum, eccleſia recepta, & epiſcopatu libera ſecuritate poſſeſſo, proximis & amicis, rebus, & ipſis reſumptis viribus, veſtitus quoque, & ſpiritualibus armis tectus, accuſatoribus reſpondeat ſuis, & unde impetitur, pleniſſima ſtudeat hos qui foris atque intus ſunt ſatisfactione certificare.

## EPISTOLA EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I. AD CLERUM ET PLEBEM SUESSIONICAM.

ANNO CHRISTI 865.

Ut reſtitutum ſibi Rothadum epiſcopum omni affectu excipiant.

*Clero & plebi conſiſtenti Sueſſioni.*

Epiſt. 41.

SIcut piorum parentum eſt, de orbitate natorum acri valde lamentatione lugere: ita devotorum filiorum proprium eſt, de patris amiſſione vehementi mœrore affici, & ardore valido cruciari: ac per hoc contra naturam quodammodo agitur, ſi una pars ſine alterius partis ſocietate anxietur & doleat. Sed in hoc vos, cariſſimi filii, ſicut de vobis frequens narrat opinio, nequaquam, Deo gratias, frigidi, nequaquam extitiſtis ingrati. Denique nullus dubitat quas devotio veſtra, proprio deſtituta præſidio, ipſa quantum ad hominem pertinet orphana remanens, varias & multiplices calamitates pertulerit. Sed ille qui fidelibus diſcipulis dixit: *Non relinquam vos orphanos*, non ſolum præſenti ſua majeſtate protexit, ſed etiam propitia, quo deſolati & deſtituti eratis, pro ſua redonavit pietate rectorem: nobis ſcilicet, qui in eo vivimus, movemur, & ſumus, ad eum vobis reddendum nutu ſuæ miſerationis interius imperans, & competenter erudiens. Ecce enim venerabilem virum Rothadum, fratrem noſtrum, & coepiſcopum noſtrum, veſtrum autem patrem, paſtorem, atque magiſtrum, cujus longa jam eruditione inſtructi, cujus olim ſacri verbi pane refecti, cujus diuturnis laboribus & vigiliis circumſepti, cujus magiſterio & doctrina Deo eſtis auctore refecti, prioris infulis ſacerdotii, & priſtinis redintegratum honoribus, ac omnibus epiſcopatus officiis reſtauratum, veſtræ alacri devotioni & piæ dilectioni remiſimus. Habetis præterea in hoc beatæ recordationis Athanaſii prudentiſſimi ſacerdotis exemplum: cujus tolerantia cui non conſolationi ſit? cui non ſpem faciat ejus inexpectata reverſio? Ejicitur Ario perſequente, ſed revocandus domino proſequente. Paſſus eſt carcerem, paſſus eſt anguſtias. nec mirum, ſi vir apoſtolicus ea paſſus eſt, quibus ſe apoſtolus gloriatur exercitatum. In his tamen omnibus ſecutus eſt illum, qui ſibi in tribulationibus ſe placere teſtatur, fugatus illinc, & in noſtris partibus roboratus eſt. Denique hic ei redintegratus ſtatus eſt, & in hac ſede requiem communionis invenit, a qua ſemper catholicis ſubvenitur. Sancti autem papæ Cæleſtini verba ſunt hæc, quæ nos Rothado poſſimus non inconvenienter aptare, præter quod ille reverendi Athanaſii, & blaſphemi Arii mentionem fecit: in præſentiarum vero Hincmarus proſequens, & Rothadus innocens in cauſa ſunt. Gaudete itaque, fratres in domino, & iterum dico gaudete: modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Exultate filii cariſſimi, & de reddito vobis patre, Deo immenſas gratias perſolvite. Lætamini oves dominicæ, ac pro reſtituto paſtore, ſummo paſtori laudum officia canite. Congregamini filii excelſi, exite obviam ei, tripudiantes cum hymnis & pſalmis, & canticis ſpiritualibus, altiſona domino præconia concinentes, illum ſuſcipite cum honore, adite eum cum hilaritate, obedite ei ſicut patri reverendiſſimo, ſicut magiſtro, & in omnibus circa eum ut devotiſſimos vos quietiſſimoſque filios exhibete: ſcientes divinum præſidium procul dubio non ei defuturum, & quamdiu ſpiraculum omnipotentis erit,

Joan. 14.

Epiſt. 4. ad Conſtantinopolitanos.

& ha-



ANNO CHRISTI 865.

& halitus vitæ ſpirabit in naribus meis, ſolatium noſtrum in ſuis opportunitatibus adfuturum. Qua de re rurſus apoſtolatus noſtri præceptione veſtræ unanimitati jubemus, quatenus taliter agere veſtra ſatagat induſtria, ut in nullo ſine affectione circa jam fatum virum & epiſcopum veſtrum reperiamini: ſed ita noſtris pro eo monitis pareatis, ut animadverſio, quæ de contemptu noſtri oriri poterat, in retributionem juſtæ mercedis concedente domino convertatur.

## EPISTOLA EJUSDEM NICOLAI PAPÆ I. AD ROTHADUM EPISCOPUM Sueſſionenſem.

Quod illum ita reſtituat, ut paratum deinceps eſſe velit adverſariis reſpondere, ſi quid conentur objicere.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo Rothado epiſcopo ſanctæ eccleſiæ Sueſſonicæ.*

Epiſt. 49.

DEceſſorum exempla meorum imitans, mirabiliumque virtutum eorum flagrantiam ſequens, oportet omnibus larga me hujus eccleſiæ, quæ mater eſt omnium Dei eccleſiarum, pietatis ubera præparare, atque univerſis undique ad eam confluentibus, tamquam fidelem & prudentem ſummi patris familias ſervum, apertum ejus exhibere miſericordiæ gremium. Et ideo, quia conſtat ſanctitatem tuam metropolitano tuo, & quibuſdam ejus ſequacibus te impetentibus, nobis inconſultis gradus tui jacturam ſuſtinuiſſe, & eccleſia propria caruiſſe; ac deinde nobis etiam decernentibus hanc minime hactenus recepiſſe, & juxta quod juſſeramus, nullam tuæ dilectionis reſtitutionem habere: Nos hanc depoſitionem, utpote quæ ſine ulla noſtra ratione irregulariter eſt effecta, depoſitionem nec fuiſſe, nec eſſe deliberamus, cum etiam nec fuerit dies, qua & abſentem, & præſentem, non inter epiſcopos habuerimus, ſcripſerimus, & coluerimus. Et ideo auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium deceſſorum meorum ſedis apoſtolicæ præſulum, priſtino gradui, ac priſtinæ reformamus eccleſiæ: ita ut quicumque tibi ad recipiendam eccleſiam olim tibi commiſſam, vel ad epiſcopale miniſterium peragendum, aliquatenus impedierit, donec acquieſcat, & tibi obſiſtendi conatum deponat, a ſacroſanctis myſteriis, & ab eccleſiæ ſit ingreſſu remotus, atque ab omni communione fidelium ſequeſtratus. Quia quem præſentialiter nemo accuſat, nos inter damnatos habere nec poſſumus, nec debemus. Præcipue cum damnatores tuos, vel vicarios eorum, frequentibus apoſtolatus noſtri vocaverimus apicibus, & nullum ipſorum te accuſantium videre penitus quiverimus: ſed tantum quidam præſens poſitus, & alii ſcriptis ſuis nobis ſignificaverunt, quod nulla te accuſatione impetere voluiſſent, ſed nec etiamſi ſecundum juſſionem noſtram venire potuiſſent, adverſus ſanctitatem tuam accuſationes aliquas attuliſſent. Et proinde, quia per tot curricula temporum, ſufficientibus datis induciis, nullus ad tui accuſationem acceſſit, præcipue cum tu ad reddendam rationem paratus ſemper extiteris, nos te nec damnare poſſumus, nec inter damnatos relinquimus. Reſumat ergo venerabilitas tua officium olim commiſſum, fruatur beneficio divinitus ſibi collato, utatur epiſcopali miniſterio, priſtina dignitate reſumpta recipiat eccleſiam, quam tibi dominus commendavit, & quam tu quoque bonis initiis percepiſti, & veraci ac multiplici fama teſtimonium tibi dante, dignis ſucceſſibus adornaſti: ita ut ſine quacumque & cujuſcumque contradictione, vel impedimento, talis habearis in omnibus, qualis ante prolatam in te excommunicationis & depoſitionis ſententiam extitiſſe agnoſceris. Sane ne juſtitiam regere noſtræ tantum videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æſtimemur eccleſiaſticis legibus obviare, ſancimus ut ſanctitas tua, prius receptis omnibus, quæ ante poſſediſſe dignoſcitur, & eccleſiæ poteſtate fruens, & per aliquod tempus inoffenſe gubernans, reſumptis viribus, & ſibi ablatis omnibus redintegratis, ſic demum, ſi qui ſunt qui tibi aliquid conentur objicere, fortis jam & valida cum ipſis diſceptationis luctamina aggrediatur; & juxta quod ratio dictat, & ſacræ præcipiunt ſanctiones, veſtitus cum veſtito, & armatus cum armato, eccleſiaſtico more, tempore a nobis præordinando, coram ſedis apoſtolicæ præſule, contra tuos adverſarios conflictum ineas, quidquid regulariter diffinitum fuerit procul dubio ſuſcepturus. Quia vero de ſanctæ eccleſiæ Sueſſonicæ, vel de ſibi competentium diverſorum locorum rebus, multi multa detraxiſſe, ac diverſo modo hactenus illis frui dicuntur: ſancimus atque decernimus, ut poſt ſecundam & tertiam conventionem & admonitionem ſanctitatis tuæ, quiſquis res præfatæ eccleſiæ, quibus tu aliquando ad uſum vel ſuſtentationem illic ſervientium, vel tibi obſequentium, fruitus fuiſſe dignoſceris, retinere, & ſibi ulterius abſque voto tuo vendicare tentaverit, & illas qualeſcumque, & ubicumque, & quantæcumque fuerint poſſidendas prædictæ eccleſiæ Sueſſonicæ minime dimiſerit, tamquam ſacrilegus anathematis reus vinctus, ab eccleſiæ gremio, atque ſacro corpore, & precioſo domini noſtri Jeſu Chriſti ſanguine, donec præſenti decreto noſtro acquieverit, habeatur omnibus modis alienus, & tamquam violentus invaſor atque tyrannus, ſit Chriſtianorum communione privatus: ita ut qui hujuſmodi in communione ſuſceperit, ſimili pœna teneatur adſtrictus. Scripta per manum Petri notarii regionarii, & ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in menſe Januarii, indictione XIII. Bene vale in nomine domini.

ANNO CHRISTI 865.

### NOTA SEVERINI BINII.

*Concilium.*] Hincmarus Rhemenſis archiepiſcopus cum reliquis Galliarum epiſcopis, qui Silvanectenſi concilio interfuerant, & Rothadum Sueſſionenſem epiſcopum injuſto judicio epiſcopatu ſuo amoverant, vinculiſque in monaſterium detruſerant, a Nicolao pontifice ter quaterve moniti (prout 25. & 29. pluteſque aliæ Nicolai papæ epiſtolæ indicant) juſſui pontificis tandem obtemperantes, ipſum Rothadum vinculis ſolverunt, idque pontifici per diaconum & ſcriptas ad eum epiſtolas ſignificarunt. Cumque pontifex ſcripta ad Rothadum epiſtola trigeſimaquarta, eum Romam venire juſſiſſet, Hincmarus vero aliter quam promiſerat ab incepto itinere eumdem aliquoties impediviſſet, peremptorium terminum ſiſtendi illum Romæ præſcripſit: quo devoluto, ille Rothadum libere Romam abire permiſit; ſed noluit, ut pontifex præceperat, ſuos legatos mittere, qui adverſus eum cauſam proſequi poſſent. Cum vero jam octo menſes agerentur, ex quo Rothadus Romam veniens accuſatores expectaret, nec aliquis omnino compareret, qui pro Hincmaro & univerſo concilio Silvanectenſi cauſam proſecuturus adeſſet. Nicolaus pontifex non eſt paſſus diutius Romanæ eccleſiæ majeſtatem adverſariorum contumacia traduci. Quamobrem ex ſacrorum canonum præſcripto ad Rothadi reſtitutionem judicium præparavit. Quomodo autem id exorſus, atque ad finem uſque proſecutus fuerit, Anaſtaſius bibliothecarius ſupra in vita Nicolai pontificis enarrat his verbis:

Hincmarus Rhemenſis epiſcopus quid in Rothadum.

Cauſa concilii.





Ve-

ANNO CHRISTI 866.

Acta concilii I.

*Veniente Rothado huc Romanam ſecundum mandatum beati papæ ad urbem, & per novem menſes hic commorante, nunquam penitus ex accuſantium parte quiſpiam adfuit,* &c. His anno domini DCCCLXIV. peractis, ſequente anno menſe Februario hanc ſynodum pontifex convocavit, in qua Rothadum per ſententiam ſynodalem poſt multos labores exantlatos, ſuæ eccleſiæ pleniſſime reſtituit. Quomodo autem iſta peracta fuerint, refert Anaſtaſius prædicto loco. Vide Baronium anno 865. num. 1. & 864. num. 17. & 18.

# a CONCILIUM SVESSIONENSE III.

## NICOLAI PAPÆ JUSSU PRO CAUSA

Vulfadi & ſociorum ejus convocatum, celebratumque indictione XIV. die XV. kalendas Septembres, anno Chriſti DCCCLXVI. Nicolai ejuſdem papæ anno VIII. Caroli Calvi regis XXVII.

Ex editione J. Sirmondi.

## ELENCHUS OMNIUM QUÆ AD SYNODUM PERTINENT SUPRASCRIPTAM.

I. *Epiſtola Nicolai papæ ad Hincmarum archiepiſcopum Rhemenſem, qua ſynodum pro cauſa Vulfadi & ſociorum ejus convocari jubet.*

II. *Epiſtola Caroli regis ad Nicolaum papam paulo ante ſynodum Sueſſionenſem ſcripta, ut eccleſiam Bituricenſem interim Vulfado committere liceat.*

III. *Epiſtola Nicolai papæ ad Carolum regem, ut de Vulfado & ſociis ejus ante ſynodi definitionem nihil innovetur.*

IV. *Epiſtola generalis Nicolai papæ ad Herardum archiepiſcopum, & alios, qua ſynodum congregari jubet.*

V. *Schedula, ſeu libelli quatuor ſynodo per vices oblati ab Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.*

VI. *Annuntiatio Herardi archiepiſcopi, regis ac ſynodi juſſu facta.*

VII. *Synodica concilii Sueſſionenſis III. ad Nicolaum papam.*

VIII. *Epiſtola altera concilii ejuſdem ad Nicolaum, de Britonum infeſtationibus, & de Actardo epiſcopo, qui Romam cum actis ſynodi mittebatur.*

IX. *Caroli regis epiſtola ad Nicolaum, de his quæ facta fuerant in ſynodo.*

X. *Privilegium monaſterii Solemniacenſis ab eadem ſynodo Sueſſionica conceſſum & ſubſcriptum.*

XI. *Epiſtola Nicolai papæ, qua ſynodicæ concilii ejuſdem epiſtolæ reſpondet.*

XII. *Epiſtola Nicolai papæ ad Hincmarum, ejuſdem argumenti.*

XIII. *Epiſtola Nicolai papæ ad Carolum regem, qua ſuperiori ejus epiſtolæ reſpondet.*

XIV. *Epiſtola Nicolai papæ ad Vulfadum & ſocios ſuis gradibus reſtitutos.*

## I.

## EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM Rhemenſem,

Qua ſynodum pro cauſa Wlfadi, & ſociorum ejus, apud Sueſſionem convocari jubet.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.*

MUltorum a partibus Galliarum ad limina vel ſedem confluentium apoſtolicam relatione didicimus, ſanctitatem tuam quoſdam clericos, qui de conſecratione fuerant Ebbonis quondam Rhemenſis antiſtitis, propriis gradibus pepuliſſe. Quorum dejectionem audientes, quia etiamſi nullo ſpeciali privilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur, oppreſſis tamen ſubvenire, & ad exemplum dominicum eliſos erigere & compeditos ſolvere nos oportet, operæ precium duximus in archivis ſanctæ Romanæ, cui Deo auctore deſervimus, eccleſiæ ſtudioſius quærere, & ſi ſcripto forte memoria quælibet apud nos, ſive de illis, ſive de ordinatore ipſorum eſſet recondita, diligenter inveſtigare. quod & fecimus. Siquidem ex his quibuſdam Deo revelante repertis, nihilo minus etiam concilii quod nobis ipſe miſiſti, videlicet in quo præſignati clerici degradati ſunt, acta relegimus. Sed his omnibus, id eſt tam illis monumentis, quæ penes nos habentur, quam his quæ ſanctitas tua nobis deſtinavit, rite collectis, enucleanterque recenſitis, nondum liquido patet eoſdem clericos regulariter gradu proprio caruiſſe. Verum nos nec hos interim juſtificamus, nec pro hoc quemlibet condemnamus, nec facile vocem iſtorum ſpernimus, nec reverentiam tuam improvide reprehendimus. Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum, id eſt, humilium, dignoſcamur: hoc vero, ne de incognitis immature judicare quippiam videamur. Proinde neceſſario præſentis epiſtolæ ſalubribus fraternitatem tuam hortamur affatibus, uti commemoratos viros, Wlfadum ſcilicet, collegaſque ipſius, clementi animo & tranquilla ſtudeat ad ſe magnanimitate vocare, depoſitaque omni funditus animoſitate, de reſtitutione ipſorum ſecum fraterne tractare, atque miſericorditer conſummare contendat. Laudabilius quippe judicavimus, ac coram Deo acceptius eſſe credidimus, ſi reſpectu divinitatis interrogata conſcientia ſolus illorum reſtaurationem ſine quavis ipſe refragatione admiſeris, quam ſi prius renitens, detecta tamen juſtitia cum multis hanc poſtea fueris amplexatus. Jam vero ſi flecti ad hoc te munda conſcientia non permittit, præcipimus fratres noſtros, Remigium Lugdunenſem, Adonem Viennenſem, Wenilonem Rothomagenſem, una cum ceteris archiepiſcopis & epiſcopis Galliarum & Neuſtriæ, quibus tamen poſſibilitas eſt, in idipſum cum beatitudine tua, & ſuffraganeorum tuorum, apud Sueſſionem urbem diœceſeos tuæ pariter convenire. Ad quorum venerandum conventum Wlfadum quoque, cum jam præſignatis paribus ejus, vos accerſire procul dubio volumus. Siquidem omnibus, videlicet tam archiepiſcopis & epiſcopis, quam ipſi Wlfado & ſo-





ANNO CHRISTI 866.

ciis ejus, noſtras hoc jubentes litteras deſtinavimus. Ubi canonice per ordinem cuncta, quæ in eis geſta ſunt, examinantes & ſubtilius inveſtigantes, ſi de illorum reformatione juſtum quid vel pium ſenſeritis, ſine contradictione perficite, & eos in ſuis ordinibus reſtituite. Præterea ſi diſceptantibus, vel fortaſſis alia atque alia decernentibus vobis, præfati dejecti ſedem appellaverint apoſtolicam, & ejus ſpeciali ſe judicio damnari vel abſolvi petierint, præcipimus ut ſi ſanctitas tua, vel ſi Vulfadus, aut ſocii ejus, ad nos venire per ſe non poſſunt, vicarios veſtros ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox poſt conſummatum concilium XV. Kalendas Septembres præſentis XIV. indictionis auctoritate noſtra collectum, veſtras præſentaturos perſonas, nullam penitus excuſationem prætendentes, utrique ad ſedem B. Petri emittatis. In quo ne forte ſiniſtra cogitatio ſubrepat, dicens eoſdem remotos clericos nullam jam vocem proclamationis habere, pro eo quod anni metas tempus dejectionis eorum exceſſerit: ſciendum eſt, nihil tale in canonibus, ubi de appellationibus ad Romanum præſulem legitur, penitus reperiri. alias autem & iſtos forſitan intra annum provocaſſe clarebit. Denique, ſicut epiſtola penes nos inventa ſanctæ memoriæ quarti papæ Leonis innuit, ſedem apoſtolicam eos appellaſſe jam nos incunctanter agnovimus. Quamvis longe inter ſe diverſa ſit omnimoda depoſitio, de qua nunc agitur, & ſuſpenſa excommunicatio, cujus vocem proterve utique clamantem, non humiliter petentem, poſt annum non audiendam quædam regula ſtatuit. Quia vero nonnulli, Pharaonem miniſtroſque ipſius imitantes, ſæpe cum ſenſerint oppreſſos quoſque atque dejectos, de ſuis neceſſitatibus, ſicut olim Iſrael filios, vociferari, iniquis eos operibus opprimunt, & oneribus exquiſitis affligunt: idcirco coram Deo ſanctitatem tuam admonemus, ut cum fortaſſis noſtris apicibus animati crebro dicti viri dejectionis ſuæ cauſam venire ad examen obtinuerint, nullam ex his quilibet indignationem tuam ſuſtineat, nullum ad cœpta peragenda per ſuggeſtionem reverentiæ tuæ patiatur incommodum. Sed dicturus es, ſedis apoſtolicæ te privilegia confirmantia quæ de ipſis ſtatuta ſunt viris habere. Bene & argute. Sed ſi penes te, ſicut exemplaria quæ apud nos rejacent, fideliter reſervantur, & ea diligenter relegeris, profecto reperies quia ſumma firmitaſque ipſorum in apoſtolicæ ſedis reſervata ſit arbitrio poteſtatis. Nimirum quæ ſic aliena jura cuſtodit, ut ſua non minuat: ſic honorem debitum dat, ut ſuum non tribuat alienis: ſicque dilectionem tuam texit ab hoſte, ut ipſa ſe flagitantium exhiberi nequeat hoſtis. Unde ſicut nos contra cunctos adverſantes tibi, Deo juvante, clypeum protectionis noſtræ parati ſumus opponere: ita fraternitas tua ſtudeat his, qui apoſtolorum ſuffragia poſtulant, benigno ſemper favore ſuccurrere, & arma quæ contulimus ſic pro te ſint valida, ut totius pro nobis, ubi neceſſe eſt, non contra nos, roboris firmitatem obtineant. Agat igitur in his fraternitas tua, ut præter debitam obedientiæ reverentiam, quantus ſit in mente tua circa nos amor, qui auro & lapidibus pretioſis potior eſt, luce clarius innoteſcat, & per horum exhibitionem det ſpeciale ſuæ caritatis indicium: & quæ intus nonnunquam ſolummodo flagrat, in his propriæ nunc radios ſuæ claritatis foras amittat. Porro ſcito nos fratri & coepiſcopo noſtro Remigio Lugdunenſi antiſtiti præcepiſſe, ut te prius adiens noſtras dilectioni tuæ litteras porrigat: & ſic demum, ſi reſtitutioni præfatorum conſentire ſolius tuæ auctoritatis auſu vereris, ad convocandum ſtatutum ſententia noſtra jam deſignatum concilium epiſtolas noſtras ſibi delatas quibus a nobis deſtinatæ ſunt mittere ſatagat. Quidquid vero in concilio fuerit a vobis examinatum atque repertum, ſub geſtorum ſerie diſcretioni noſtræ, ſicut veneranda decreta ſtatuunt, mittite, & noſtræ auctoritati quæ ſalubria videbuntur roboranda, plena fidelique relatione dirigite. Ad extremum vero provide, ne ullo pacto quod de præfatis remotis clericis ſanximus æſtimes negligendum cum a nobis incunctanter noſſe poteris, ſi contemptum fuerit, omnimodis ulciſcendum. quippe quod nec caritas fraternitatis, nec diſpenſatio loci, cui Deo auctore præſidemus, quouſque regularem finem opitulante ipſo capiat, a nobis patitur omittendum. Optamus ſanctitatem ſeu fraternitatem tuam in Chriſto bene valere. Data III. Nonas Aprilis, indictione XIV.

Alia curſus ad Carolum regem de cogenda ſynodo eadem Nicolai epiſtola, ſed mutila, legebatur in ſchedis Nic. Fabri. *inquit Sirmondus in appendice ad III. tomum conc. Galliæ.*

## II.

## EPISTOLA CAROLI REGIS AD NICOLAUM PAPAM I.

Paulo ante ſynodum Sueſſionenſem ſcripta, ut eccleſiam Bituricenſem Vulfado interim committere liceat.

*Sanctiſſimo & reverentiſſimo patri Nicolao catholicæ atque apoſtolicæ ſedis ſummo pontifici, & univerſali papæ, Carolus gratia Dei rex & ſpiritalis filius veſter.*

SAnctitatem paternitatis veſtræ ſi quotidie corporali præſentia, veluti mentis aſpectu, videre mereremur, multiplici immo ineffabili gaudio lætaremur, & quem viſceribus animi amplectimur, humili devotoque ſtringeremus amplexu. Sed quia ut cupimus ſpatia terrarum id facere denegant, nacta occaſione ad ſublimitatem ſanctitatis veſtræ ſæpe dirigere optamus, ut ſaltem affamine litterarum colloquentes certificari de ſancta ſoſpitate veſtra mereamur, de qua multi aliis ex partibus varia nuntiantes nos terrere non ceſſant. Non enim modico lætaremur gaudio, ſi aliquem veſtrorum de vobis proſpera nuntiantem frequenter reciperemus. Et quia nobis tantas gratias de receptione unius refertis, quem non ut voluimus, ſed ut tunc tempus dictavit, pro honore & amore veſtro ſuſcepimus, appareret major devotio, ſi ſæpe hoc agere contingeret. Nam ſi, quod optamus, & quod Deus omnipotens ſua miſericordia concedat, celſitudinem ſanctitatis veſtræ aliquando has in partes recipere, vel illic videre mereremur, tunc vere cognoſceretis, quam devoti & fideles erga vos eccleſiamque vobis a Deo commiſſam exiſtimus. Omnino enim ſicut ſpecialem patrem divina diſpoſitio vos univerſali eccleſiæ ſuæ præpoſuit, ita ſpecialiter in caritate Chriſti ſanctam paternitatem veſtram diligimus, atque ſacris juſſionibus veſtris obedire deſideramus. Quod enim a vobis præcipitur, ſapientia & pietate munitur. Quapropter hæc conſiderantes quidquid nuper veſtra ſanctitas nobis agere mandavit de cauſa fidelis miniſterialis noſtri Vulfadi, ſociorumque

ANNO CHRISTI 866.

A ejus, qui dejecti ſunt propter ordinationem Ebbonis quondam Rhemenſis archiepiſcopi, prout valuimus executi ſumus. atque Hincmaro venerabili archiepiſcopo quibuſcumque modis potuimus ſuadere laboravimus, ut conſentiret juſtitiam præceptumque ſanctitatis veſtræ de ipſis: quod & ille dulcibus promittit verbis, quid tamen ſub melle lateat adhuc ignoramus. Sed quia nobis mandaſtis, ſi illum ad nos trahere ut vobis obediret non valeremus, ſolicite caveremus ne ipſe nos ad ſe trahere quibuſcumque valeret argumentis, quo aut ne vobis obediret fautorem nos haberet, aut contra memoratos dejectos animum noſtrum commoveret; e contra obnixe precamur, ut nullo ſuadente conſentientes quod vos agere pro amore Dei cœpiſtis dimittatis, & quod B nos pro juſſione veſtra facimus, ad opprobrium & contumeliam evenire non poſſit. Etenim, ſicut juſſiſtis, celebraturi ſumus ſynodum xv. Kalendas Septembres, in qua omnes epiſcopi & fideles regni noſtri parati ſunt in reſtauratione prædictorum dejectorum unanimiter adeſſe, & quod mandaſtis perficere, veſtrique etiam partem ſalvare. Et ne miremini, quare nunc ſanctitati veſtræ talia, & per tales miſſos inculcamus, dum ſimilia vobis, poſtquam ad nos miſiſtis, per Ericum hominem cariſſimi nepotis noſtri Hludouvici imperatoris mandavimus; ne pro aliqua levitate factum & inconſtantia animi deputetis, breviter vobis intimabimus. Rodulfus Bituricenſis eccleſiæ archiepiſcopus nuper defunctus C eſt, & ipſa eccleſia ſapienti, & ſtrenuo virilique paſtore indiget, propter quorumdam levitatem morum, & inconſtantiam ipſius gentis. Unde conſilio accepto omnes epiſcopi & fideles regni noſtri, ipſaque etiam diœceſis, unanimiter in electione prædicti Vvlfadi conſenſerunt. Nam ſi illum talem non haberemus in regno noſtro, trahendus eſſet ex alio, propter maximam neceſſitatem ipſius loci. Maxime tamen, quia commendavimus ipſum regnum, ipſamque eccleſiam, dilectiſſimo filio noſtroque æquivoco, cujus infantiam, infirmitatemque, quæ ei peccatis noſtris merentibus accidit, conſiderantes, non potuimus recuperationem ſimilem reperire. Sed quia D nondum in futura ſynodo cauſa ſuæ reſtitutionis definita erat, noluimus antequam vos conſuleremus, cui omnia noſtra conſilia, uxorem, prolemque noſtram, regnum, univerſaque noſtra committimus, & per vos ſanctis principibuſque apoſtolis, quorum tutamen quotidie imploramus, quorumque auxilium humili deprecatione depoſcimus, ullo modo illum prædictæ eccleſiæ præponere. Idcirco nunc tam cito ad veſtram remiſimus ſanctitatem, quia veremur ne aliquo ingenio ordinatio illius ab aliquo dilatari poſſit. Penitus enim dimittere nec decet, nec juſtum eſt: neque nos & epiſcopi noſtri fieri patiemur tantam auctoritatem habentes. Et ideo rogamus, E ut auctoritate ſanctitatis veſtræ, ne diu contra auctoritatem canonicam viduata prædicta eccleſia maneat, poſſit ordinari in officio presbyteratus menſe Septembri, ut mox futurus epiſcopus agat quæ huic miniſterio conveniunt. Alias autem non modica perturbatione poteſt undique tanta mater eccleſia concuti, pro qua ſola neceſſitate accelerari neceſſario depoſcimus. Si vero hoc vobis diſplicet, antequam vobis de jam dicta ſynodo renuntietur, liceat mihi vel ipſam eccleſiam propter ſæpedictam neceſſitatem illi committere, ne undique a pravis concutiatur hominibus. Fatemur enim, ſi ita vitam illius cognoviſſetis, veluti novimus, etſi ille nollet, a vobis

A ad ordinem epiſcopatus traheretur. Et quia talem illum novimus, ubi maxima neceſſitas regni noſtri imminet, conſtituere volumus, immo providentia divina, ſine cujus nutu nunc nullo modo credimus accidiſſe, ut talis homo tali præponeretur loco, qui ſecundum Deum regere poſſet & ſciret. maxima tamen ſtrenuitate laboris agente. Nam ſi inter barbaras nationes illum mitteremus, nec majorem laborem, nec majorem fructum mercedis acquirere illi valeremus. Et niſi zelo divino tacti, & ſpe fructuoſi ſui laboris animati, nullo modo a præſentia noſtra ſeparare voluiſſemus, ſcientes noſtris utilitatibus illum proficuum eſſe, atque ſupplemento obſequii ipſius nos ex parte quieſcere. Quidquid vero reſtat, totum ſapien- B tiæ ſanctitatis veſtræ committimus. & ſicut ſub clypeo protectionis noſtræ ipſum ſocioſque ejus commiſiſtis, ita ipſum collegaſque illius veſtræ ſanctitati commendamus. ne ſpe fruſtrata quod ex vobis acceperunt, æternam pro ipſis inter innumera bona recipiatis mercedem.

## III.

## EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD CAROLUM REGEM.

Ut de Vvlfado & ſociis ejus ante ſynodi definitionem nihil innovetur.

C *Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Carolo glorioſo regi.*

EXcellentiæ veſtræ litteras, quæ pro verbis mella ſtillabant, perlegentes, denuo fidei, qua circa ſanctam Romanam flagratis eccleſiam, comperimus patenter inſignia; denuo humilitatis & promptiſſimæ devotionis veſtræ reperimus erga ſedem apoſtolicam difficulter exponenda virtutum faſtigia. Verumtamen nihil in illis verbis veſtra caritas aſſerit, niſi quod noſtra jamdudum experimento ſolertia didicit: nihil ſcriptis oſtendere nititur, niſi quod nos pæne quotidie factis aſpicimus. Quod enim poteſt eſſe manifeſtius ſummæ devotionis veſtræ, ac laudabilis affectus indicium, quam id quod in D cauſa venerabilis abbatis Vvlfadi, vel ſociorum ejus, veſtra ſtudet exhibere benignitas? Denique nos quidem ad eorum auxilium vos primitus incitavimus: ſed tanta nunc pietas veſtra ſolicitudine, reverentiam circa primos apoſtolorum ſervando, quorum præſidium petunt, pro illis urgetur, ut pluſquam nos poſtulaſſe viſi ſumus, modo veſtra pia noſcatur ex hac anhelare prorſus induſtria. Siquidem nos, tamquam clementiſſimum principem, & geminam caritatem habentem, vos ad juſtam dejectorum relevationem invitavimus, non ad immaturam erectionem eorum improvide provocavimus. Verum qualiter nos hinc ſimus hortati, prima vobis ex hoc epiſtola negotio miſſa luce clarius indi- E cat. Sic ergo veſtra, quemadmodum illa dictat nos a vobis poſtulaſſe, pro eis exequatur providentia, & veſtra ſine culpa manebit apud Deum æquiſſima, ſicut credimus, excellentia. Præterea nos alacrem veſtram olim nobis præcognitam, & innumeris probatam experimentis, ceu devotiſſimi filii obedientiam recolentes, & ut in hac quoque cauſa circa reverentiam principum apoſtolorum hanc oſtenderetis affectantes, ſcripſimus vobis, utpote cariſſimo filio, quatenus eos, quorum clamor ad ſedem ipſorum pervenerat, benigno in ſua juſtitia juvantes affectu, vobis quoque nihilo minus per interceſſiones eorum acqui-



ANNO CHRISTI 866.

A acquirere ſatageretis auxilium: non ut ſuper Dei reprehenſionis induceretis eccleſiam ſeminarium. Talem quippe nos eccleſiam Dei, qui ei per abundantiam ſupernæ gratiæ præſumus, juxta modum acceptæ diſtributionis exhibere debemus, qualem hanc auctor ejus proprio ſanguine purgans exhibuit: id eſt, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi. Quomodo autem nunc irreprehenſibiliter agi poteſt, quando penes nos tam de ordinatione ipſius, diverſa ſcripta rejacent, quædam hos accuſantia, quædam etiam defendentia? pro quibus examinandis & diſcernendis ſynodum, ſicut noſtis, iſto in tempore reverentiſſimorum epiſcoporum in regno veſtro juſſimus celebrari. Quorum rela- B tione ſub geſtorum ſerie, quæ in ea de repulſione præſignatorum virorum reperta fuerint, nobis volumus, quemadmodum decretalia conſtituta præcipiunt, referari, ſicque demum decernentibus nobis quod Deo placet ordinari. Nam nos, qui cunctorum hominum, ſed præcipue ſacerdotum, maturam cupimus fore ſententiam, quomodo definitivum de minus cognitis judicium proferamus penitus ignoramus, antequam per memoratos antiſtites cuncta quæ ventilanda eſſe ab eis decrevimus, pleniter per ordinem agnoſcamus. Jam vero, ſi priuſquam quid de illis inventum fuerit nobis ab epiſcopis intimetur, dejectorum clericorum aliquem reſtituamus, & examen ab eis ſynodice patrandum judicio noſtro præve- C nimus, ut quid eos fruſtra vexari, ut quid ſupervacue tanto itinere fatigari volumus? aut quid opus fuit eis tantam injuriam vel confuſionem ingerere? Itaque ſi vultis ut juſtitiæ ac pietatis negotium, quod cœpimus, Chriſto duce ad calcem uſque ſicut dignum eſt perducamus; quæque in ſynodo ſæpedicta de prænotatis ejectis clericis reperta fuerint, agite quo nobis omnium epiſcoporum qui conveniunt relatu pandantur: & ita dein quod dominus revelaverit a nobis diffiniendum procul dubio præſtolamini. quoniam ſi ſapientia eſt ſicut theſaurus effodiendus, reſtat ut etiam quæ ſapienter agenda ſunt omni ſcrutinio ſint, velut obriza, penitus inquirenda. Optamus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto D bene valere, dilectiſſime fili. Data xv. Kalendarum Septembrium, indictione xiv. (An. Ch. 866.)

## IV.

## EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD HERARDUM ARCHIEPISCOPUM Turonenſem.

Præcipit ut niſi Hincmarus Wlfadum & ſocios ſuis gradibus ultro reſtituat, Concilium Sueſſione ad xv. Kalend. Septembres convocetur, in eoque reſtituatur.

E *Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro ' Herardo Turonenſi archiepiſcopo, ſeu omnibus venerabilibus epiſcopis diœceſeos tuæ.*

MUltorum a partibus Galliarum ad limina vel ſedem confluentium apoſtolicam relatione didicimus, fratrem noſtrum Hincmarum Rhemenſem archiepiſcopum quoſdam clericos, qui de conſecratione fuerant Ebbonis præceſſoris ſui, propriis gradibus pepuliſſe. Quorum dejectionem audientes, quia etiamſi nullo ſpeciali privilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur,

A oppreſſis tamen ſubvenire, & ad exemplum dominicum eliſos erigere, & compeditos ſolvere nos oportet; operæ precium duximus in archivis ſanctæ Romanæ, cui Deo auctore deſervimus, eccleſiæ ſtudioſius quærere, & ſi ſcripto forte memoria quælibet apud nos, ſive de illis, ſive de ordinatore ' ipſorum, eſſet recondita, diligenter inveſtigare, quod & fecimus. Siquidem ex his quibuſdam Deo revelante repertis, nihilo minus etiam concilii, quod nobis ipſe miſit frater & coepiſcopus noſter Hincmarus, videlicet in quo præſignati clerici degradati ſunt, acta relegimus. Sed his omnibus, id eſt tam illis monumentis quæ penes nos habentur, quam iis quæ idem antiſtes nobis deſtinavit, rite collectis, ' enucleanterque re- B cenſitis, nondum liquido patet eoſdem clericos regulariter gradu proprio caruiſſe. Verum nos nec hos interim juſtificamus, nec pro hoc quemlibet condemnamus: nec facile vocem iſtorum ſpernimus, nec reverentiam jam dicti fratris improvide reprehendimus. Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum, id eſt humilium, dignoſcamur: hoc vero, ne de incognitis immature judicare quidpiam videamur. Proinde neceſſario epiſtolæ noſtræ ſalubribus eumdem communem fratrem noſtrum hortati ſumus affatibus, uti commemoratos viros, Wlfadum ſcilicet collegaſque ipſius, clementi animo & tranquilla ſtuderet ad ſe magnanimitate vocare, depoſitaque omni funditus animoſitate, de reſtitutione ipſo- C rum ſecum fraterne tractare, atque miſericorditer conſummare contenderet. Laudabilius quippe judicavimus, ac coram Deo acceptius eſſe credidimus, ſi reſpectu divinitatis interrogata conſcientia, ſolus illorum reſtaurationem ſine quavis ipſe refragatione benignus admitteret, quam ſi prius renitens, detecta tamen juſtitia, cum multis hanc poſtea ſequeretur. Jam vero, ſi hunc flecti ad hoc munda conſcientia non permittit, præcepimus vos, una cum ceteris archiepiſcopis & epiſcopis Galliarum & Neuſtriæ, quibus tamen poſſibilitas eſt, in idipſum, cum prædicto fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro & ſuffraganeis ejus, apud Sueſſonicam urbem pariter convenire. Ad quorum venerandum conventum D Wlfadum quoque cum jam præſignatis paribus ejus vos accerſere procul dubio volumus. Si quidem omnibus, videlicet tam ipſi crebro nominato antiſtiti, ac reliquis archiepiſcopis & epiſcopis, quam Wlfado & ſociis ejus, noſtras hoc jubentes litteras deſtinavimus. Ubi canonice per ordinem cuncta quæ in eis geſta ſunt examinantes, & ſubtilius inveſtigantes, ſi de illorum reformatione juſtum quid vel pium ſenſeritis, ſine contradictione perficite, & eos in ſuis ordinibus reſtituite. Præterea ſi diſceptantibus, vel fortaſſis alia atque alia decernentibus vobis, præfati dejecti ſedem appellaverint apoſtolicam, & ejus ſpeciali ſe judicio damnari vel abſolvi petierint, præcepimus, ſi ſæpedictus frater & coepi- E ſcopus noſter Hincmarus, vel Wlfadus aut ſocii ejus, ad nos venire per ſe non poſſunt, vicarios ſuos ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox poſt conſummatum concilium xv. Kalendas Septembris præſentis xiv. indictionis auctoritate noſtra collectum, eorum præſentaturos nobis perſonas, nullam penitus excuſationem prætendentes, utrique ad ſedem beati Petri tranſmittant. In quo ne forte ſiniſtra cogitatio ſubrepat, dicens eoſdem remotos clericos nullam jam vocem proclamationis habere, pro eo quod anni metas tempus dejectionis eorum exceſſerit, ſciendum eſt nil tale in canonibus, ubi

' ordinatione

' enucleate

ANNO CHRISTI 866.

de appellationibus ad Romanum præſulem legitur, penitus inveniri. Alias autem & iſtos forſitan ante annum provocaſſe clarebit. Denique, ſicut epiſtola penes nos inventa ſanctæ memoriæ quarti papæ Leonis innuit, ſedem apoſtolicam eos appellaſſe jam nos incunctanter agnovimus. Quamvis longe inter ſe diverſa ſint omnimoda depoſitio, de qua nunc agitur, & ſuſpenſa excommunicatio, cujus vocem, proterve utique clamantem, non humiliter petentem, poſt annum non audiendam quædam regula ſtatuit. Sed ad hæc crebro dictus antiſtes dicturus eſt, ſedis apoſtolicæ ſe privilegia, confirmantia quæ de ipſis ſtatuta ſunt viris, habere. Bene & argute. Sed ſi penes illum ſunt exemplaria, ſicut jactat, quæ apud nos fideliter reſervantur, & ea diligenter relegerit, profecto reperiet, quia ſumma firmitaſque ipſorum in apoſtolicæ ſedis reſervata ſit arbitrio poteſtatis. Nimirum quæ ſic aliena jura cuſtodit, ut ſua non minuat: ſic honorem debitum dat, ut ſuum non tribuat alienis: ſicque dilectionem ejus texit ab hoſte, ut ipſe hanc flagitantium exhiberi nequeat hoſtis. Nam & arma illi a nobis collata ita volumus pro eo ſint valida, ut potius pro nobis, ubi neceſſe eſt, non contra nos firmitatem obtineant. Si quidem etiam ab eo privilegiorum apoſtolicæ ſedis decreto non habito, quæ ſanctitas ejus ſtatuit, nos violanda non ducimus, niſi forſan ſacris legibus inveniantur adverſa. Porro ſcitote nos fratri & coepiſcopo noſtro Remigio Lugdunenſi antiſtiti præcepiſſe, ut ſi reſtitutioni præfatorum frater coepiſcopus noſter Hincmarus conſentire ſolius ſuæ auctoritatis auſu veretur, ad convocandum ſtatutum ſententia noſtra jam deſignatum concilium, epiſtolas noſtras ſibi delatas vobis, quibus a nobis deſtinatæ ſunt, mittere ſatagat. Quidquid vero in concilio fuerit a vobis examinatum atque repertum, ſub geſtorum ſerie diſcretioni noſtræ, ſicut veneranda decreta ſtatuunt, mittite, & noſtræ auctoritati quæ ſalubria videbuntur roboranda plena fidelique relatione dirigite. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data 3. Nonas Apriles, indictione XIV. *Et hoc tenore conſtantes miſſæ ſunt aliis epiſcopis diverſarum provinciarum.*

## NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Herardo Turonenſi.*) Ejuſdem exempli alteram vidimus, *Adoni ſanctæ Viennenſis eccleſiæ archiepiſcopo*. Cum hac autem generali epiſtola, quæ ad diverſos miſſa fuit archiepiſcopos, aliam peculiarem dedit Nicolaus ad Hincmarum Rhemenſem, quam in appendice * deſcripſimus.

* Vide ſup. pag. 290.

## V.

## SCHEDULÆ SEU LIBELLI QUATUOR SYNODO PER VICES OBLATI ab Hincmaro Rhemenſi.

### Hæc quæ ſequitur ſchedula prima porrecta eſt ſynodo.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus, Remigio, Vvenilo[ni], & ceteris archiepiſcopis & epiſcopis; domni papæ Nicolai auctoritate ad ſynodum, quo & exiguitatem noſtram cum coepiſcopis noſtris venire præcepit, in hanc Sueſſionum civitatem pro cauſa Vvlfadi & collegarum ejus convocatis.*

SI vobis viſum fuerit per quoſcumque ad rei notitiam, ſecundum ſeriem litterarum domni apoſtolici, canonice per ordinem cuncta, quæ in ſupraſcriptis fratribus geſta ſunt, examinare & ſubtiliter inveſtigare, ut quod juſtum & pium ſenſum fuerit de cauſa eorum ſine contradictione, ſicut idem domnus apoſtolicus & fraternitati veſtræ & humilitati meæ ſcripſit, poſſitis perficere, devote ac libenter accipiam. Et ſi hanc quæ ſequitur brevem reſponſionem, quantum ex me eſt, ad apoſtolica ſcripta videritis vobis ſufficere, non ingratum forte habebitur, quod ad rem pertinentia ſuccinctiſſime refero. Videlicet quia Rhemenſis eccleſiæ filii de collegio Vvlfadi ab Ebbone poſt depoſitionem ſuam ordinati, non meo judicio, nec ab epiſcopis ſolummodo Rhemorum provinciæ, primum ſuſpenſi & poſtea dejecti, ut meo vel communi cum eis tantum placito, juxta Nicænos & Antiochenos canones, humaniorem aut alteram ſuſcipere ſententiam valeant: ſed prius ſuſpenſi, & proceſſu temporis a ſynodo epiſcoporum quinque provinciarum, ad quam provocaverant, ſecundum decreta Innocentii ad Rufum & Euſebium, inſpectis quæ ſcripſit ad Marcianum, & juxta Zoſimi ſucceſſoris Innocentii decreta ad Patroclum Arelatenſem epiſcopum, & ad Maſſilienſem eccleſiam, ſed & alias plures eccleſias, de his quos Proculus vitæ ſuæ conſcius, datis litteris in abdicationem ſui, per profeſſionis atque ſubſcriptionis ſuæ libellum ſacerdotio ſubmotus ordinavit: juxtaque ſacros canones, & Leonis ac ceterorum Romanæ ſedis pontificum decreta, quæ hic ponere prætermiſi, & ſtudio brevitatis, & ut vobis notiſſima, ſunt judicati, & ab eccleſiaſticis ordinibus dejecti, præjudicante Leone papa, atque dicente: Omnia decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita a veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. In qua, ut regulæ ſacræ dicunt, perfecta & canonica epiſcoporum quinque provinciarum ſynodo, quoniam eccleſiæ mihi commiſſæ filii finitimos epiſcopos pro cauſa ſua interpellarunt; & hujuſmodi Africæ provinciæ canones vicinos epiſcopos audire, & inter eos ac proprium epiſcopum adhibitos ab eis epiſcopos jubent querimoniam diffinire: ego Wlfadum & collegas ejus non judicavi, neque ab ordinibus eccleſiaſticis pepuli, vel dejeci, nec etiam cum judicibus eorum ſubſcripſi, ſicut norunt qui interfuerunt, & ipſa etiam epiſcopalia geſta; eorum inconvulſis ſubſcriptionibus ſubnixa, a quibus fuere patrata, præſentialiter monſtrant. Unde jubentibus eiſdem epiſcopis tantum bajulus fui, cauſam videlicet eccleſiæ mihi commiſſæ ab illis diffinitam ad ſedem apoſtolicam deferendi. Quæ domni apoſtolici Benedicti privilegio ſub anathematis interpoſitione, ut inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur, ſunt confirmata: & demum domni Nicolai papæ confirmatione, ſicut ſanctæ recordationis Benedictus pontifex illam confirmavit, ſalvo Romanæ ſedis in omnibus juſſu atque judicio, ſub terribili anathemate, ut quæcumque perſona, magna vel parva, temerario auſu contra hoc ſuum apoſtolicum decretum agere præſumpſerit, anathematis vinculo ſit innodatus, ſunt roborata: velut hic poteſtis retexere, & ſigilla eorum ſalva, ac incorruptas ſcripturas atque ſubſcriptiones valetis inſpicere. Et quia ſedes apoſtolica, ut in decretis ſuorum pontificum legimus, in hoc prorſus ſua ſibi magnopere jura conſervat, & aliena cuſtodit, immo ſua propria

Nicæn. Can. 5. Antioch. Can. 4.

Innocent. ep. 21. & 11. Zoſimi epiſt. 4. 11. & 12.

Epiſt. 1. ad epiſcopos Campaniæ.

Conc. Afric. Can. 91.



ANNO CHRISTI 866.

pria facit, ut omnis quæſtio ad eam relata judicio & ſuæ confirmationis deciſione finem accipiat; omnem ex hac cauſa ſuſpicionem querulitatis hæ duorum præclariſſimorum luminarium confirmationes atque ſubſcriptiones a noſtris regionibus & mentibus abſtulerunt. Nunc vero, quia iſdem domnus & pater noſter Nicolaus papa ſuis epiſtolis ex hoc negotio a vobis ſanxit refricari judicium, monente apoſtolo: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*, quod privilegio apoſtolicæ ſedis de ipſis fratribus decernit vel decreverit, ut competit meæ ſubditioni, obedio & obediam, ſicut hactenus conſervavi ea, quæ domni Benedicti & ſua fuerunt auctoritate firmata. Et item dicente apoſtolo: *Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata*, ſicut ſervavi, uſque in præſens quæ prædeceſſores quorumdam veſtrorum cum quibuſdam ex vobis regulariter ex iiſdem fratribus diffinierunt: ita & quæ de ipſis canonice juxta tenorem epiſtolarum domni apoſtolici diffinieritis, priſcis, ut dicit Gelaſius, pro ſui reverentia manentibus conſtitutis, & reſervato per omnia ſententiæ ac juris privilegio apoſtolicæ ſedis, regularibus veſtris diffinitionibus, ſolicitus ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, conſentiam. Qui iſtorum fratrum, de quibus agitur, vel quorumcumque aliorum felicitati non invideo; nec per quamcumque malitiam eos nocere feſtino: quorum ſalubrem ac regularem ſtatum & cupivi & cupio, & quæſivi & quæro, & de quorum dejectione dolui ſatis ac doleo, quia nemo majus diſpendium de illorum dejectione habet, quam ego. Quos, ſicut mihi domnus apoſtolicus dignatus eſt ſcribere, juſtum quid vel pium ſentiens, ſine retractatione in ſuis ordinibus conſenſu ac judicio coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ reſtituere maturarem, ſi illos ab eiſdem gradibus cum eorum tantum judicio dejeciſſem. Ad quod me, juxta ejus verba diſcretiſſima, quia eos non dejeci, flecti munda conſcientia non permiſit. Et hoc meo auſu facere vereor, quoniam a vobis, aut a deceſſoribus veſtris, quinque videlicet provinciarum epiſcopis, quorum meo conſenſu expetierunt judicium ſecundum ſacros canones electorum ex conſenſu partium diffinitione fuere dejecti. Et idcirco aliorum opus in illorum reſtitutione nullatenus uſurpare præſumpſi: quia, ſicut ſcitis, regulæ ſacræ uſque ad ſimilem excuſationis vindictam decernunt, ut ab aliis dejecti ab aliis non recipiantur, minime autem reſtituantur: ſed aut eorumdem, aut majoris concilii epiſcoporum diſcuſſiones ac judicia præſtolentur. Et quia Leo dicit, ut in his quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum inveniatur adverſum: & domnus ac pater noſter Nicolaus papa vobis, ut mihi videtur, ſcripſit, quoniam quæ ſtatuta ſunt de præfatis viris, violanda non ducat, niſi forſan ſacris legibus inveniantur adverſa, ſimplici ac ſincera cordis intentione ex regulis ſacris perſpicue tarditati ſenſus mei monſtrari expecto, utrum quæ diffinierunt fratres & coepiſcopi noſtri, ſicut hactenus obſervata ſunt, de cetero ut regulis concordantia debeant obſervari, an illorum diffinitio ut inventa legibus ſacris adverſa debeat refutari. Sed & mihi oſtendi expecto apertius, quam in ſuis ſacris litteris intelligere valeam, ſi domni Benedicti, ac ejuſdem domni Nicolai ſuper eamdem diffinitionem ſub anathemate confirmationis privilegia, niſi forte illa ipſe ſua ſingulari auctoritate diſſolvenda & immutanda viderit, quorum ſummam firmitatemque nobis omnibus ſcripſit in apoſtolicæ ſedis reſervatam arbitrio poteſtatis, nos ſine regularum & ſedis apoſtolicæ præjudicio, ſineque noſtro communi periculo, diſſolvere & immutare poſſimus: Cæleſtino dicente, quæ a nobis res digna ſervabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permiſſa frangatur? Sed & a nobis non eſt parvipendenda granditer Leonis papæ ad Leonem Auguſtum de ſe ſcripta ſententia: Si quæ, inquit, deſtruxi hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo, & eis me ultionum conditionibus ſubdo, quas non ſolum auctoritas beatæ memoriæ Marciani, ſed etiam ego mea confeſſione firmavi. De quibus ultionum conditionibus quid a ſancto Spiritu per concilia provinciæ Africæ, quidve Dei ſapientia, qua ut ſcriptum eſt conditores legum juſta decernunt, legibus ſit decretum, melius ipſi ſcitis. Quod ſi etiam hoc de ſe intelligens, & his legum conditionibus ſubdi tantus papa & primæ ſedis pontifex præcavendo refugit, qualiter eiſdem ultionum conditionibus ſubdi præcavendo timere nos debeamus ſubjecti, patenter oſtendit. Sed & de contempto anathemate neceſſitate, (quanto magis deliberatione?) rite prolato, quod in præfatis privilegiis continetur, quid ſanctus Gregorius ad Theoctiſtam patriciam dicat, ſapientiam veſtram a Deo doctam non latet. Et Symmachus dicit ad ipſam ſacroſanctam catholicam religionem pertinere: cujus omnis poteſtas infringitur, niſi univerſa, quæ a domini ſacerdotibus ſemel regulariter ſtatuuntur, perpetua ſint. quod alias contingere poterit, ſi ſucceſſor deceſſoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ geſta ſunt, faciat rata eſſe quæ geſſerit. Et Gelaſius: Patres, inquit, noſtri catholici videlicet doctique pontifices, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apoſtolica, ſecundum ſcripturarum tramitem, traditionemque majorum, facta ſemel congregatione ſanxerunt, inconvulſum voluerunt deinceps firmumque conſtare: ne in hac eadem cauſa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præſumptione permiſerunt; ſapientiſſime pervidentes, quoniam ſi decreta ſalubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra ſingulos quoſque prorſus errores ſtabile perſiſteret eccleſiæ conſtitutum, ac ſemper iiſdem furoribus redivivis omnis integra diffinitio turbaretur. Hæc itaque de litteris divinitus inſpiratis accepta, vel pro rei notitia manifeſtata, non ad reſultandum, quod abſit, in aliquo domni papæ decretis apoſtolicis, vel ad reſiſtendum veſtris regularibus diffinitionibus profero: ſed ut quomodo his quæ in dejectione illorum diffinita ſunt hactenus obedivi, ſic in eorum reſtitutione, cujus eſtis a domno apoſtolico arbitri conſtituti, ſi a vobis fienda canonice inventa & patrata fuerit, quantum ex me eſt, præfatis regulis ſacris, & epiſcopalibus atque apoſtolicæ ſedis exinde confirmationibus, periculoſe non obviem; & a præceptionibus, quæ in apoſtolicis epiſtolis continentur, a quibus, domino annuente, vel tranſverſo, ut dicitur, ungue ſcienter & per contumaciam non exorbitabo, in nullo per ignorantiam deviem, & qualiter abſque diſcrimine ſequi debeam regularem veſtram, quorum ex delegatione ſedis apoſtolicæ intereſt, diffinitionem, per ipſarum regularum tramitem liquido cognoſcere valeam. Ad hoc enim vel maxime ad ſynodum venit epiſcopus, ut aut diſcat, aut doceat, aut corrigatur, aut corrigat. Et Cæleſtino dicente, ut nulli ſacerdoti ſuos

Hebr. 13.

1. Cor. 1.

Decr. cap. 2.

Epiſtola 95. ad Ruſticum Narb.

Epiſtola 3. ad epiſcopos Apuliæ & Calabriæ.

Epiſt. 84.

Lib. 9. ep. 79

Epiſt. 6. ad Æonium.

Epiſt. 11. ad Dardanos.

Decret. 10. epiſcopis per Apuliam, &c.

ANNO CHRISTI 866.

ti ſuos liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod patrum poſſit regulis obviare, neceſſe eſt ut ea hinc decernatis, ne aut in quæſtionem reveniant, aut occaſio exinde alicujus præſumptionis exſurgat, aut illa diſſolvere temporibus noſtris vel ſucceſſorum noſtrorum oporteat, Quanta, inquit Symmachus, vicariis beatiſſimi Petri apoſtoli judicabitur eſſe reverentia, ſi quæ in ſacerdotio præcipiunt eiſdem tranſeuntibus diſſolvantur? quia ut idem dicit, non poteſt ex parte firmum eſſe quod generalitatis tangit injuriam,

*Epiſtola 1. ad Æonium.*

## HÆC QUÆ SEQUITUR SCHEDULA SECUNDA PORRECTA EST SYNODO,

Clam dicente quodam interdum non depoſitum, interdum fuiſſe reſtitutum Ebbonem.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus ſancta ſynodo domni papæ Nicolai auctoritate convocata.*

### I.

DE Ebbone, unde quidam loquuntur, qui cauſam ejus neſciunt, vel ſcire aut audire non volunt, cum quocumque per contentionem nullam conſeram quæſtionem, quia nec domnus apoſtolicus mihi agendum hoc ſcripſit, nec cum eodem Ebbone in vita ſua extiti altercator, nec poſt mortem ejus illius ſum derogator, nec ejus ſedis invaſor extiti, quam ab eo ſecundum regulas ſacerdotio defuncto quartus, poſt eos qui eam tenuerunt, canonice in ea electus & ordinatus regendam ſuſcepi. Ratione autem dictante, quam omni poſcenti negare non debeo, veritatem proferre licite valeo. Idem namque a ſe, juxta ſacras regulas & traditionem eccleſiaſticam, ac decreta ſedis Romanæ pontificum, Zoſimi, Joannis, atque Gregorii, ſicut ab eis conſtitutum multoties legitur, per profeſſionis ſuæ libellum, ea moderatione, quam Leo magnus papa decrevit ad univerſos epiſcopos per Samnium, & Picenum, & Tuſciam, dictatum & propria manu ſubſcriptum, in ſynodo ſe depoſuit, & epiſcopali miniſterio ſpoliavit, atque ſecundum ſuam profeſſionem & ſubſcriptionem a quadraginta tribus epiſcopis judicium depoſitionis ſuſcepit; ſicut ille ipſe libellus, quem ſynodo porrexit, & notitia ſynodalis, quæ habemus, evidenter oſtendunt. Ut enim dicit Gelaſius, ideo vocatur ad judicium certa quæcumque perſona, ut aut fateatur objecta, aut ut convincatur objectis. Sed hunc & actio pæne omni mundo nota convicit, & ipſe propria ſe voce & ſubſcripta profeſſione damnavit. Poſtea vero ſine ulla regulari reſtitutione idem miniſterium epiſcopale, quo ſe privaverat, contra ſacros canones uſurpavit. Et demum ſub papa Sergio Romam veniens, ab eo, ut damnatus in laica tantum communione maneret, diſtricta ſententia, ſicut & geſta ipſius papæ demonſtrant, condemnatus fuit. Qui cum metropolis Rhemorum, in qua fuerat ordinatus, per decennium poſt depoſitionem ejus paſtore vacaret, ſed & uſque ad terminum vitæ ſuæ, cum fere decem & ſeptem annos poſt damnationem ſuam vixerit, eamdem ſedem, qua regulariter ſe privavit, canonice non repetiit, nec obtinuit, neque ullum canonicæ ſuæ reſtitutionis documentum ſynodo cuilibet, vel principibus terræ, ac populis, qui eum damnatum fuiſſe noverant, ſecundum regulas ſacras oſtendit. Et ſi quis vult dicere, eum fuiſſe regulariter conſenſu epiſcoporum, vel ſedis apoſtolicæ reſtitutum, ſicut ſanctus Gelaſius in decretali ſua epiſtola de Acacio dicit, quem ſui complices ac fautores reſtitutum fuiſſe fingebant: doceat a quibus, & ubi ille conſenſus reſtitutionis ſit geſtus; ſi ſecundum eccleſiæ regulas celebratus, ſi paterna traditione profectus, ſi majorum more prolatus, ſi competenti examinatione depromptus, ſi ad primam ſedem, cujus intererat, de ſententia qua tenebatur obſtrictus, ſecundum eccleſiæ regulas eſt relatum, ſi eadem quæ ligavit abſolvit. Si hæc ita geſta non ſunt, cum nec a pontificibus legitime & eccleſiaſticis legibus fuerit expeditus, nulla ſæculari poteſtate potuit præter eccleſiæ tramitem prorſus abſolvi. Nec quiſquam ei poſt depoſitionem quaſi reſtituto communicare debuerat, in ea dumtaxat cauſa, unde a ſeipſo & ab epiſcoporum concilio, inſuper & ab apoſtolica ſede excommunicatus extiterat, ſine reſtitutionis ſuæ canonicis litteris, ab eis a quibus fuerat reſtitutus ſecundum morem confectis, ſicut ſacri canones, & decreta Felicis papæ demonſtrant. Quapropter, ut Leo ad Theodorum ſcribit, quod manens in corpore recepit, conſequi exutus carne non poterit. Unde taliter viſum eſt de illo tenendum, ſicut Gelaſius de Acacio dicit: Talis eſt, inquiens, dictus, qualis ligatus eſt, talis uſque in finem permanſit, talis eſſe non deſtitit. Ita talis eſt hodie, qualis eſt & dictus, non talis eſſe jam non poteſt. nunquam igitur talis permanendo ſolvendus eſt. Et conſtat quia comedens fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturatus, docente Innocentio, qui particeps factus eſt damnato, quomodo debeat honorem accipere invenire non poſſum: dimiſit reliquias ſuas parvulis ſuis. Sed & de eo omnem quæſtionem, ſecundum leges eccleſiaſticas & mundanas, quas probat eccleſia, qui damnatus fuit anno incarnationis dominicæ DCCCXXXV. indictione XIII. ſub die Kalendarum XV. Nonas Martii, jam tricennale & amplius eo tempus excludit.

*Leo epiſt. 85.*

*In tomo de anathematis vinculo.*

*Felix in ſynodo Romana.*

*Leo epiſtola 59.*

*Pſal. 16.*

### II.

Sed dicitur uſque ad vitæ ſuæ terminum epiſcopale miniſterium in omnibus eccleſiaſticis muniis peregiſſe. Quæ præſumptio a ſanum ſapientibus non ſumitur in exemplum: quia & in veteri & in novo ſacerdotio vetus hoc artificium eſt diaboli, & quia plures hoc præſumpſerunt, ſicut Bonoſus, contra cujus morbum Innocentius, & Proculus, adverſus quem laboravit non modice Zoſimus, & Acacius, quem dejecit Felix, & ſequens ſacros canones, ac decreta prædeceſſorum ſuorum, cum præſumptione & uſurpatione ſua peremit & extinxit Gelaſius. Et plures alii fuerunt, qui in hanc præſumptionis ſententiam tranſierunt, & tranſeuntibus conſenſerunt. de quibus in noſtro ſæculo quoſdam audivimus, quoſdam etiam qui hoc egerunt vidimus. Sed monente ſcriptura non debemus turbam ſequi ad male agendum, & ut Innocentius loquens de Bonoſo dicit: Quotiens a populis, aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non poteſt vindicari, inultum ſolet tranſire: priora ergo dimittenda dico Dei judicio, & de reliquo maxima ſolicitudine præcavendum. Et de incongruo ſacris ſcripturis ac ſanctorum decretis multorum conſenſu, item in decretis apoſtolicæ ſedis legitur, quia etſi omnes ſacerdotes, & mundus aſſentiat, damnatio conſentientes involvit, non prævaricationem conſenſus abſolvit. Non enim crimen minuitur, ſed accreſcit, cum generale ſit ex privato. Hoc enim Deus omnium indicavit, qui mundum peccantem generali diluvio interemit: & ſacrum dicit Nicænum concilium, quia quod irreprehenſibile eſt catholica defendit eccleſia: Nam ſi hoc impune fuerit licitum, ut hi auctoritatem in ſacris ordinibus miniſtrandi, vel eoſdem ordines tribuendi uſurpent, qui aut penitus non acceperint, aut contra regulas ordines ſacros acceperint, aut quibus regulariter miniſterium ſacrorum ordinum fuerit interdictum, omnis ordo & vigor eccleſiaſticus non tantum nutabit vel confundetur, quam penitus deſtruetur.

*Decret. 56. Epiſt. Rufo, Euſebio, &c.*



ANNO CHRISTI 866.

*Can. 9.*

### III.

Quia denique in Moguntina provincia miniſtravit, contra omnem auctoritatem eſſe cognoſcitur. Nam Antiocheni canones de vacante epiſcopo, & vacante eccleſia regulam præfixerunt: ſed & de illo, qui manus impoſitionem epiſcopatus accipit & miniſtrare detrectat; nec non & de illo, qui ordinatus nullo ſuo vitio ad parochiam, in qua ordinatus fuerat, non accedit. De quibus regulis nulla Ebboni convenit. Et canones Sardicenſes de vim injuſte patientibus, & pro diſciplina & catholica confeſſione, vel pro defenſione veritatis expulſis, vel pericula evadere quærentibus, quid teneri debeat manifeſte demonſtrant. Sed nec iſta regula Ebbonem abſolvit: cum & ſacerdotes, & omnis pæne mundus, & ipſa etiam ſedes apoſtolica, ejus falſis criminibus appetitum, quadam traditione pro honoribus cum juramento exinde acceptis venditum, & ab imperio, atque ab ipſo eccleſiæ aditu, pium Auguſtum Hludovicum ſatagente ipſo abjectum graviſſime ingemuerit, & innoxium a criminibus inventum, & juſtiſſime reſtitutum, totus in orbe terrarum mundus gaudio exultaverit, & Ebbonem dejiciendum, qui irreverentius manum in chriſtum domini miſerat, ut reum majeſtatis, una cum ipſo clamaverit. Sed neque neceſſitate cogente; propria amiſſa provincia, ſecundum Chalcedonenſes canones, civitate in qua ordinatus fuerat captivata, prorſus ab hoſtibus extitit, ut alibi incardinari valeret; ſicut in decretis beati Gregorii, & aliorum ſedis Romanæ pontificum invenimus: nec injuſte & contra regulas ſacras dejectus, & regulariter ſedi ſuæ ſecundum Sardicenſes canones juſſu ſedis apoſtolicæ refricato judicio reſtitutus, ullo documento canonico invenitur. Quapropter ab ipſa, ubi immorabatur, parochia contra concilium Africanum appetitus, ut ibi decretum eſt, poteſtate judiciaria per rectorem provinciæ protinus excludi, & neque ab eccleſiis quibus præfuit, neque a quolibet nomine decenſari debuerat. Conſtat ergo juſte dejectus ea quæ ſua non fuerant præſumpſiſſe. cujus non neceſſe eſt nos merita actuſque diſcutere, cum habeat conſcientiæ & operis ſui teſtem quem habet & judicem. Nam ut Leo dicit, quæ patefacta ſunt quærere, & quæ perfecta ſunt retractare, & quæ ſunt diffinita convellere, quid aliud eſt, quam de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?

*Can. 16. 17. 18.*

*Can. 21.*

*Can. 10.*

*Can. 3.*

### IV.

De mea etiam ordinatione, cui forte ſi aliqui occulte, quod aperte non audio, derogant, in nullam altercationem contra quemcumque intrabo, quia ſicut dicit apoſtolus, *in mortuis teſtamentum eſt confirmatum*. Nam cum Rhemenſem eccleſiam Folco fere per novem annos ſine ulla regulari Ebbonis reclamatione tenuiſſet, & poſt eum Noto pæne per annum & dimidium eamdem ſedem ſimiliter ſine ulla Ebbonis repetitione tenuiſſet, ſub Sergio papa in ſynodo plurimorum archiepiſcoporum & epiſcoporum apud Bellovacum diœceſeos Rhemorum habita, a clero & plebe ipſius metropolis, ſed & ab epiſcopis ejuſdem provinciæ petitus, & ab archiepiſcopo tunc meo, & proprio epiſcopo, nec non & a coepiſcopis ipſius provinciæ, ſecundum Laodicenſe concilium, cum conſenſu abbatis mei, & fratrum monaſterii in quo degebam, epiſcopis Rhemenſis provinciæ, & clero ac plebi ipſius metropolis per canonicas litteras traditus, & cum decreto canonico, præſentia vel conſenſu omnium ſuffraganeorum ipſius metropolis, & a metropolitano meo, qui me illis tradiderat, ſum in eadem eccleſia, omnibus acclamantibus, abſque ullius contradictione vel repetitione, canonice, & ſecundum decreta ſedis Romanæ pontificum ordinatus: ipſaque ordinatio mea non ſolum Rhemorum provinciæ epiſcoporum, ordinatorum videlicet meorum, ſecundum Africanum concilium ſubſcriptionibus eſt roborata, verum & omnium pæne Galliarum, atque Neuſtriæ, nec non & Aquitaniæ epiſcoporum manibus ſubſcripta epiſtola ad præfatum Sergium papam unanimiter dirigenda; ſed & edicto domni regis Caroli manu propria confirmato, & ſigillo ipſius corroborato, eſt comprobata. Quæ omnia Sergio, antequam mittere ad illum concurrerem, in brevi defuncto, Leoni papæ ſunt miſſa. Indeque a domno imperatore Hlothario ſuam epiſtolam eidem Leoni papæ dirigente, in qua ſcripſit quantum pro reſtitutione Ebbonis apud Sergium papam ſategerit, & nihil obtinere potuerit, favoribus proſecuta, & ab eodem Leone papa & uſu pallii, & privilegio ſedis apoſtolicæ, ac pluribus apoſtolicis ſuis epiſtolis, ut videlicet in loco paſtoris ſacerdotio defuncti, eſt multoties approbata. Quamque ordinationem meam ſanctæ memoriæ gratia & nomine Benedictus, ſed & domnus ac pater noſter papa Nicolaus, ſuis privilegiis eam corroborarunt. Quæ in epiſcopali concilio & ante ordinationem electio, & poſtea ordinatio canonice patrata fuiſſe, non contra cujuſcumque quæſtionem, ſed adverſus ſuſurrantium atque occulte muſſitantium derogationes, ut omnis iniquitas oppilaret os ſuum, ex ſacris regulis eſt demonſtrata. Sed & illud in cauſa eſt, cur inde in nullam altercationem contra quemcumque modo intrare non deliberem, quoniam domnus papa ſuis apoſtolicis litteris mihi non ſcripſit, ut cuicumque inde per quæſtionem debeam reddere rationem. Quod non de diffidentia dico, quaſi documentorum probamentis ad iſta deficiam, in quo jure ſi quis audet, audeo & ego: ſed Leonis ad Leonem Auguſtum verba pro modulo meo ſequens, dicentis, quia de rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem, ſicut Deo placuit definitis, nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma ſint, quæ tanta per ſanctum Spiritum fixit auctoritas. Cum tantus ac tantæ ſedis papa ſe ad hæc diceret non audere, ego tantillus homuncio ſuper ea quæ tot conciliorum & tantorum pontificum ſedis apoſtolicæ de ordinatione mea qualiſcumque plebis Dei famuli, ſicut certiſſima monimenta declarant, approbavit & fixit auctoritas, tamquam de re dubia vel infirma, nullum audeo inire certamen.

*Hebr. 9.*

*Can. 12.*

*Epiſt. 84.*

ANNO CHRISTI 866.

### V.

De his autem fratribus noſtris, de quibus nuper nobis communiter domnus apoſtolicus ſcripſit, ſi vobis ad apoſtolica ſcripta non ſufficit brevis

ANNO CHRISTI 866.

vis a me data reſponſio, ecce habetis geſta epiſcopalia, & privilegia domni Benedicti, & domni Nicolai, quæ vobis demonſtrant qua ratione, & quo ordine, quave auctoritate, & a quibus, & ubi, & quando patrata ſint quæ in eos acta fuerunt. Quibus omnibus perſcrutatis, ſecundum domni & patris noſtri apoſtolici papæ diſcretiſſimum ac regulare mandatum, quod juſtum & pium inveneritis, ſecundum canones ſacros decernite, & abſque ulla, quantum ex me eſt, contradictione perficite: quia ſicut in præcedenti ſchedula vobis ſcripſi, nec illius apoſtolicis præceptis, nec veſtris regularibus definitionibus contradicam.

VI.

Ceterum ſi veſtræ beneplacitæ voluntati neceſſarium viſum fuerit, non ad ullam contentionem, nec adverſum alicujus quæſtionem, ſed ob pleniorem rei notitiam, ut de Ebbonis adhuc latius regulari depoſitione, & nulla canonica reſtitutione, ſed & de mea qualiter celebrata ſit ordinatione, vel qua ratione fratres & coepiſcopi noſtri in ſynodo Meldenſi filios Rhemenſis eccleſiæ, de quibus agitur, ſuſpenderunt, vel unde accepit Sueſſonica ſynodus non debere in gradibus eccleſiaſticis eos manere, rationem & ordinem, atque auctoritatem, quæ ibi oſtenſa, & a ſolicitudine exiguitatis meæ ſuſcepta ſunt, ne offendam reticens dicendam in tempore veritatem, veſtræ fraternitati pandere non negabo. Tantum ut non vos moroſa, & forte vobis, ſi nota eſt, non neceſſaria ratio tædeat, & ſic veritas a me poſſit oſtendi, quatenus veſtræ unanimitatis caritas erga me debeat conſervari. Qui abſque noſtro detrimento non ſolum fratribus, ſed & inimicis prodeſſe deſidero, & apoſtolicis mandatis quacumque contumacia non reſulto, nec fraternis veſtris monitis & regularibus diffinitionibus intentionem vel manus obvias tendere paro. ea tamen conditione, quod & vos velle & ſtudere cognoſco, ut regularum ſtatus & ſedis apoſtolicæ privilegium maneat, & commune periculum noſtrum vitari prævaleat.

Poſt hanc ſchedulam ſynodo oſtenſa ſunt geſta epiſcopalia Sueſſonicæ ſynodi, per manus Hincmari Laudunenſis epiſcopi, & geſta ſynodi Bituricenſis provinciæ per manus Raginelmi Tornacenſis epiſcopi: & privilegium domni Benedicti per manus Erchanrai Catalaunenſis epiſcopi, & privilegium domni Nicolai per manus Hodonis Belvacenſis epiſcopi. Et poſt hæc omnia, data eſt quæ ſequitur ſchedula, qualiter priſcis, ut dicit Gelaſius, pro ſui reverentia manentibus conſtitutis, & ſalvis apoſtolicæ ſedis privilegiis, cum eorum etiam ſalvamento, qui ſynodo ſubſcripſerunt, in qua fratres de quibus agitur fuere dejecti, per indulgentiam & auctoritatem domni papæ in ſuis ordinibus recipi & provehi poſſint abſque contradictione, migratis jam omnibus, qui in Ebbonis depoſitione fuerunt, epiſcopis, excepto ſolo Rothado: ſed & eis qui illi excommunicato dicebantur communicaſſe, & aliis in eorum locis ſubſtitutis. ac per eos, ut ita dicamus, innumeris ordinatis tantum ut de cetero ſcandala, quæ hinc valent emergi, domni apoſtolici auctoritate & providentia devitentur.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus Remigio, Vueniloni, & ceteris archiepiſcopis & epiſcopis, domni papæ Nicolai auctoritate ad ſynodum, quo & exiguitatem meam cum coepiſcopis noſtris venire præcepit, in hanc Sueſſonum civitatem pro cauſa Vulfadi & collegarum ejus convocatis.*

ANNO CHRISTI 866.

Epiſt. 1. ad Exuperium.

Epiſt. 91. ad Ruſticum.

Legimus ſcribente beato Innocentio, quod de quibuſdam obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt. Et ſanctus Leo dicit, quia ſicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione convelli, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum, oporteat temperari. velut & de quodam indulgentiæ jure dicit: In quo, inquiens, non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus. Et facundiſſimus Gelaſius: Priſcis, inquit, pro ſui reverentia manentibus conſtitutis, quæ, ubi nulla vel rerum vel temporum perurget anguſtia, regulariter convenit cuſtodiri; hic procul dubio, qui in eccleſiaſticarum narratur altitudine dignitatum, & in cujus virtute bonis operibus corda ponenda ſunt, gradibus utique diſtributis, cunctis Deus noſter & rector populis prædicandus eſt Chriſtianis. ubi nemo ſibimet aliquid jam æſtimet imminutum, cum & de uniuſcujuſque gradus perfectione nil deperit, & convenienter retinendo quod cæleſti diſpenſatione collatum eſt, pariter nobis & cognoſcibilem Deum fieri, & tribuit eſſe rectorem. Nam etſi quid indulgetur de temporum quantitate, moribus aggregata ſtrenuitate penſatur, ſi vitæ jam propoſito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum: dummodo illa nullatenus diſſimulata ſubrepant, quorum quodlibet ineſſe claruerit, merito clericalibus infulis reprobabilem convincat eſſe perſonam. Et ſi illa nonnunquam ſinenda ſunt, quæ, ſi ceterorum conſtet integritas, ſola nocere non valeant: illa tamen ſunt magnopere præcavenda, quæ recipi ſine manifeſta decoloratione non poſſint. Et Africanum concilium de virginum velatione retractans, ita manere conſtitutionem prioris concilii, ubi nulla perurget neceſſitas, decrevit, ut non obſit poſteriori concilio certis pro cauſis ea quæ conſtituta fuerant immutanti: nec poſterius concilium priori obviet, ubi nulla illud perurget neceſſitas immutare. Sed & de Donatiſtis decrevit, ut conſentientibus fratribus & coepiſcopis, maxime autem apoſtolica ſede, a quibus inde fuerat diffinitum, quatenus ſecundum uniuſcujuſque epiſcopi catholici voluntatem atque conſilium, qui in eodem loco gubernat eccleſiam, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus ejuſdem diviſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt: quod multarum & pæne omnium Africanarum eccleſiarum, quibus talis error exortus eſt, exempla teſtantur. Non ut concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſolvatur: ſed ut illud manet circa eos qui ſic tranſire ad catholicam volunt, ut nulla per eos unitatis compenſatio procuretur. Per quos autem vel omnimodo perfici, vel adjuvari manifeſtis fraternarum animarum lucris catholica unitas in locis quibus degunt viſa fuerit, non eis obſit quod contra honores eorum, quamvis ſalus nulli interclusa ſit, in tranſmarino concilio ſtatutum eſt. Unde manentibus ſtatutis, abſque regularum & apoſtolicæ ſedis præjudicio, & judicantium ullo diſcrimine, quos non ſolum auctoritas Carthaginenſis concilii ab omni nævo defendit,

Epiſt. 6. ad epiſcopos per Lucaniam; &c.

Concil. African. Cap. 93.

Can. 35.



ANNO CHRISTI 866.

ſi eorum fuerit ſoluta ſententia, qui convinci non poſſunt vel inimico animo judicaſſe, aut aliqua cupiditate aut gratia depravati: verum & idem concilium, ſed & Antiochenum, atque decreta ſedis Romanæ pontificum, Innocentii, Zoſimi, atque Leonis, eos commendant, per quæ ſua confirmavere judicia, quæ fratres & coepiſcopi noſtri in Sueſſonica ſynodo Rhemenſis eccleſiæ filiis, ab Ebbone poſt depoſitionem ſuam ordinatis, cenſura eccleſiaſticæ ſeveritatis judicaverunt, ubi eos non judicavi, nec cum judicibus eorum ſubſcripſi manente etiam, ut oportet & neceſſe eſt, auctoritate privilegiorum domni Benedicti & domni ac patris noſtri Nicolai papæ: ſi illi placet cui cuncta bona placent, ut deceſſoris ſui Benedicti & ſua privilegii a ſe confirmati ſententia de his fratribus propter miſericordiam per indulgentiam immutetur, ubi exinde ſcriptum habetur, ſalvo Romanæ ſedis in omnibus juſſu atque judicio: & aliter decretum confirmetur, nobiſque tenendum mandetur, juxta moderationem Innocentii, qui obſervationem priorem duriorem, poſteriorem autem interveniente miſericordia inclinatiorem dicit. & veſtra fraternitas, qui eoſdem fratres judicaſtis, vel quorum deceſſores illos judicaverunt, unanimi benignitate, juſtitia, pietate condita conſenſerit atque decreverit, ſicut ſacra & myſtica Nicæna ſynodus de Novatianis, & per indulgentiam, in epiſtola ad univerſos epiſcopos per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim conſtitutos, de Meletio damnato clementi conſilio, dum ſubtili veraque ratione nullam veniam mereretur, & ab eo poſt damnationem illius ordinatis, quos Meletianos appellat, decrevit. Nam idem Meletius, ut in veraci & recipienda hiſtoria legimus, unius civitatis Ægyptiorum epiſcopus, ſub Petro Alexandrinæ civitatis archiepiſcopo, qui ſuſcepit Diocletiano imperante martyrium, depoſitus eſt, & propter alias multas cauſas, & maxime quia in perſecutione fide negata ſacrificaverat. Ergo damnatus habuit multos ſequaces, & hæreſiarches factus eſt eorum qui hactenus ab eo in Ægypto Meletiani vocantur, nullam juſtitiæ ſatisfactionem habens cur remanſerit ab eccleſia ſeparatus. Dicebat quidem injuſtitiam ſe paſſum, & obloquebatur ſibi, derogabatque Petro. ſed Petrus in perſecutione percepta martyrii palma defunctus eſt. iſte vero retulit detractiones in Achillam, qui poſt Petrum ſuſcepit epiſcopatum. & rurſus in Alexandrum, qui poſt Achillam noſcitur ordinatus. Inter hæc igitur ſupervenit quæſtio Ariana, & Meletius una cum ſuis defendebat Arium, conſpiratione facta cum eo adverſus epiſcopum. De quo Meletio, & ejus complicibus, præfata ſacra ſynodos in præſcripta epiſtola pacis redintegrandæ & unitatis gratia hæc decrevit ad locum: Placuit, inquiens, Meletium quidem clementi conſilio, dum ſubtili veraque ratione nullam veniam mereretur, manere quidem in propria civitate, nullam vero omnimodis habere poteſtatem neque eligendi, neque ordinandi, nec in provincia, nec in qualibet civitate, purumque nomen tantummodo poſſidere. eos autem qui ab eo ſunt conſtituti, myſtica ordinatione firmatos habere honorem & miniſterium, ut tamen ſequentes ſint modis omnibus univerſorum, in ſingulis parochiis & eccleſiis a cariſſimo & comminiſtro noſtro Alexandro conſecratorum, ut in his nulla poteſtas ſit placitos ſibi eligere, aut nomina eorum præferre, aut omnino aliquid agere præter voluntatem eccleſiæ catholicæ præſulis Alexandri. Gratia namque Dei, & orationibus veſtris, in nullo ſchiſmate repertos, ſed ſine macula in catholica & apoſtolica eccleſia permanentes, dignum eſt poteſtatem habere & eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi qui clero ſunt digni, & abſolute facere omnia ſecundum legem & ſanctiones eccleſiæ. Si quem vero contigerit requieſcere in eccleſia, tunc provehi in honorem defuncti eos qui nuper aſſumpti ſunt, ſolummodo ſi videantur digni, & populus eos elegerit, condecernente ſimul & conſignante maxime Alexandriæ civitatis epiſcopo. Hoc itaque aliis quidem conceſſum eſt omnibus: in perſona vero Meletii nequaquam eadem placuerunt propter priorem indiſciplinationem ejus, & propter procacitates ejus, ac petulantiæ voluntatem: ne ulla daretur auctoritas vel poteſtas homini, qui poſſet rurſus eaſdemque indiſciplinationes inſtruere. Et Anaſtaſius junior papa ad Anaſtaſium imperatorem ſcribens de ordinatis a damnato Acacio, recipiendos in ſuis ordinibus dicit. Quamquam eadem epiſtola ſacris canonibus, & decretis Innocentii, Zoſimi, & Leonis, atque Gelaſii a quibuſdam non convenire dicatur. quia ut ambigua ſententia in eadem epiſtola idem Anaſtaſius ſcribit, & baptizavit catholice, non canonice, nec ſecundum ſacras regulas, neque ſecundum eccleſiæ catholicæ conſuetudinem ſacerdotes vel Levitas damnatus ordinavit Acacius. quia poſſunt etiam interdum laici catholici baptizati, ut dicit Gelaſius, catholice baptizare, & etiam criminoſi adhuc ſedentes ſuper cathedram, ſicut ſcribæ & Phariſæi, & ſicut Judas pro miniſterii dignitate inter apoſtolos ſibi commiſſa, & nondum judicio aperto amiſſa, pro ſuo officio quæ in eodem miniſterio operanda ſunt operari. Sunt & alia, quæ hic poni poterant, niſi obviari eis ab aliis conſtitutis ſanctorumque decretis manifeſte cognoſcerentur. quoniam, ut Daniel dicit, *pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia*, aliter de hujuſmodi decreta fuiſſe inveniuntur. Et idcirco iſta poſuiſſe ſufficiat, quæ indulgentiæ potius miſericordiam ſequi, quam cenſuram juſtitiæ intentare videntur. His ergo ita ſe habentibus, quantum ex me eſt, ſedis apoſtolicæ benignitati, & veſtræ fraternitatis beneplacitæ conſenſioni, ſolicitus ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, in fratrum iſtorum regulari ſtatu non obvio. Quorum, ſicut in præcedenti ſchedula vobis porrecta præmiſi, ſalubrem ac regularem ſtatum & cupivi & cupio, & quæſivi & quæro, & de quorum dejectione dolui ſatis & doleo, quia nemo majus diſpendium habet de illorum dejectione, quam ego. Et hæc quidem ſcripſi pro mediocritate ingenioli mei, devotionem mentis meæ circa fratres oſtendens, priſcis, ut dixit Gelaſius, pro ſui reverentia manentibus conſtitutis, & reſervato per omnia ſententiæ ac juris privilegio apoſtolicæ ſedis, & non præjudicans veſtræ vel cujuſcumque rationabiliori, ſeu plus tenendæ, ac majoris auctoritatis ſententiæ, quam ſi mihi oſtenſa fuerit paratus ſum ſine contradictione aliqua ſequi. Illa tamen modis omnibus in iſtorum ſtatu, ſi tamen a vobis unanimiter inde conſenſum, & a domno papa fuerit confirmatum, conditione ſervata, quam & apoſtolica ſedes pro eccleſiaſtico vigore ab omnibus petimus faciat conſervari, & a veſtra fraternitate neceſſe eſt provideri, ne hac, quod abſit, occaſione auctoritatem in ſacris ordinibus miniſtrandi uſurpent, qui aut penitus non acceperint, aut contra regulas acceperint, vel quibus regu-

Epiſt. 2. ad Exuperium.

Can. 1.

Epiſtola concil. Nicæni ad Ægyptios.

Epiſtola unica.

Dan. 12.

regulariter miniſterium fuerit interdictum. quoniam ſi hoc impune fuerit licitum, omnis ordo & vigor eccleſiaſticus non tantum nutabit, quantum penitus confundetur. Sunt cum iſtis & alia, de quibus provide domni apoſtolici ſumma auctoritas, & ſub ejus magiſterio hinc veſtra ſolers conſiderabit ſagacitas, quæ in alio diplomate mea vobis oſtendet humilitas, ne ſub hujus rei occaſione in eccleſia poſſint emergi. Veſtra autem prudentia & hæc clarius, & alia quæ ſenſus mei paucitas non poteſt attingere contemplabitur, & domni apoſtolici ſupereminens ſapientia multo ſolicitius & videbit quæ providenda ſunt, & præſentibus medelam & futuris imponet cuſtodiam.

## POST HÆC ISTA QUÆ SEQUITUR SCHEDULA SYNODO EST PORRECTA, ſed quibuſdam ſcandalizantibus non eſt perlecta.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus Remigio, Vveniloni, & ceteris archiepiſcopis & epiſcopis domni papæ Nicolai auctoritate ad ſynodum, quo & exiguitatem meam cum coepiſcopis noſtris venire præcepit, in hanc Sueſſonum civitatem pro cauſa Vvlfadi & collegarum ejus convocatis.*

QUod invitus dico, & ſupprimere in totum non audeo, ne forte mihi ab his qui hoc ſciunt imputetur quod calliditate aliqua occultaverim veritatem: & ſi hæc cauſa juxta veterum conſtitutionem judicio ſynodali decreta, ſine diffinitione ſynodalis ſententiæ modo quolibet fuerit refragata, dilecto fratri noſtro Vvlfado ad noxam cujuſcumque redivivo furore valeat deputari. Iidem namque dilectus frater noſter, poſt omnia quæ de ſua & collegarum ſuorum adjudicatione a ſynodo epiſcoporum quinque provinciarum diffinita, & a ſedis apoſtolicæ auctoritate ſub anathematis interpoſitione ſunt confirmata, ſine audientia & conſilio epiſcopalis concilii ſacerdotum qui eum judicaverunt, ſineque auctoritate Romani pontificis qui ipſa judicia confirmavit, inconſulta etiam Rhemenſi eccleſia, extra provinciam ejus, in qua baptizatus, & in clericum tonſus, atque per plures annos in eccleſia publice ſacras ſcripturas legit, ubi ſicut Africanum decrevit concilium cap. LVIII. poſtquam ſemel legit, ab alia eccleſia inconſulte recipi non debuerat, ſicut idem concilium cap. XXI. manifeſte demonſtrat, Lingonenſem eccleſiam paſtore viduatam, ut ibi ordinaretur epiſcopus, ſub nomine vocati epiſcopi uſurpare præſumpſit, ejuſque faculta-
Can. 25. tes, quæ ſecundum Chalcedonenſe concilium penes œconomum futuro debuerant reſervari epiſcopo, ſuis ſuorumque uſibus arrogavit. decernente ipſo concilio, ut eos qui auſi fuerint poſt diffinitionem magnæ & univerſalis hujus ſynodi quidquam ex his quæ ſunt prohibita perpetrare, decrevit ſancta ſynodus a proprio
Can. 14. hujuſmodi gradu recedere, & Antiocheno concilio, de damnatis aliquid præſumentibus de miniſterio, ut nullo modo liceat eis nec in alia ſynodo ſpem reſtitutionis habere. Et ab hac præſumptione ſynodali auctoritate, cujus habemus
Luc. 17. conſtitutionem, revocatus, jubente domino, *ſi peccaverit (in te) frater tuus, increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi*, per ſatisfactionis libellum propria manu firmatum recipere communionem, qua regulariter ſecundum Nicænos & Chalcedonenſes canones, ac decreta Gelaſii ſuc-

A rat privatus, promeruit, ſicut idem ipſe libellus, qui præ manibus habetur, oſtendit. In quo ſub jurejurando per ſanctam Trinitatem unius deitatis profeſſus eſt ſe nunquam & nuſquam ad ſibi interdictam præſumptionem, & ad graduum eccleſiaſticorum adminiſtrationem ulterius aſpiraturum: neque aliam hujuſmodi temeritatem, qua pax eccleſiæ valeat perturbari, & quies ſacerdotalis poſſit inquietari, ſcienter vel libenter ulterius moliturum. Quem libellum coram epiſcopis Pardulo Laudunenſi, Gontberto Ebrocenſi, Æneа Pariſii, coramque rege, & quamplurimis aliis nobis judicibus ſuis a ſynodo conſtitutis porrexit. decernente beato Gregorio, ut revertentes a ſchiſmate jurejurando profiteantur & ſubſcri-
B bant, ſe nunquam ad ſchiſma quo redierant reverſuros. & ſecundum traditionem Leonis papæ ſcribentis ad Januarium epiſcopum: Saluberrimum eſt, inquit, & ſpiritalis medicinæ utilitate pleniſſimum, ut ſive presbyteri, ſive diaconi, vel cujuslibet ordinis clerici, qui ſe correctos videri volunt, prius errorem ſuum damnari a ſe ſine ambiguitate fateantur: ut ſenſibus pravis & dudum peremptis nulla aſpirandi ſuperſit occaſio, nec ullum membrum eccleſiæ talium poſſit ſocietate violari, cum per omnia illis profeſſio propria cœ-
Epiſt. 11. perit obviare. Et ad Flavianum Conſtantinopolitanum epiſcopum de erroneo ab eccleſiaſtica diſciplina: Si, inquit, fideliter aut utiliter dolet, & quam recte mota ſit epiſcopalis auctoritas, vel
C ſero cognoſcit, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem omnia quæ ab eo male ſunt ſenſa, viva voce & præſenti ſubſcriptione damnaverit, non erit reprehenſibilis erga correctum quantulacumque miſeratio, quia dominus noſter verus & bonus paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & qui venit animas ſalvare, non perdere, imitatores nos ſuæ vult eſſe pietatis, ut peccantes juſtitia coerceat, converſos autem miſericordia non re-
Epiſt. 15. pellat. Et item ad Anatolium Conſtantinopolitanum epiſcopum de Attico presbytero ſcripſit, ut remota omni dubitatione Chalcedonenſis ſynodi diffinitionem de fide, quam & apoſtolicæ ſedis firmavit auctoritas, profiteatur ſe per omnia ſervaturum, adjecta ſubſcriptione manus
D propriæ, quæ in eccleſia populo præſente recitetur. Quibus conſtat, eos qui ab eccleſiaſtica traditione deviant per contemptum, taliter recipi debere: quoniam, ut Hilarus dicit, non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in injuriam ipſius domini proſilitur. De quibus, ſi a ſua profeſſione vel ſubſcriptione exorbitaverint, Carthaginenſe dicit concilium: Si quis, inquiens, contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerit in aliquo, ipſe ſe honore priva-
Epiſt. 119. lib. 7. bit. & ſanctus Gregorius ad Maximum epiſcopum Salonitanum de Andrea diacono dicit, quia flagitari judicium non debet de cauſa quam ipſe judicavit. Sed quia contempta fuerat indebita præſumptione, non ſolum diffinitio ſynodalis
E epiſcoporum, ſed & apoſtolicæ ſedis domni Benedicti papæ auctoritas, opportunitate inventa, per venerabilem fratrem & coepiſcopum noſtrum Hodonem exemplar privilegii domni Benedicti, ſub fidei adſtipulatione, dirigens domni Nicolai papæ auctoritati, ab eo quod ſuus deceſſor firmaverat corroborari popoſcit. non ad injuriam, quod abſit, ſedis apoſtolicæ, quaſi ejus adhuc in ambiguum ſententia duceretur, & ob id non ſufficerent quæ ab ea ſemel domni Benedicti papæ auctoritate, ut inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur, & aſpirantes indebite anhelitus compreſſi funditus perpetuo maneant,





fuerant confirmata: ſed quoniam incauta præſumptio ut conſtitutio geminaretur exegit. quatenus ſi obſtinatio permanere diligeret, ſe poſt tot prohibitiones diffinita impune non poſſe tentare cognoſceret. Hæc non per malitiam dicta, ſed ne ut putarentur per vafritiem tacita, ad veſtram notitiam neceſſarium duxi perducere, qui canonice cuncta per ordinem, quæ in præfato fratre noſtro Vvlfado & collegis ejus geſta ſunt, ſecundum præceptionem domni noſtri papæ, examinare & ſubtilius inveſtigare, & ſi quid juſtum piumque ſenſum fuerit, de illorum reformatione debetis perficere, ne quid forte prætermiſſum videatur, quod vobis ſcire, & unde a vobis conveniat diffiniri.

## VI.

## ANNUNTIATIO HERARDI ARCHIEPISCOPI, REGIS AC SYNODI juſſu facta.

*Ne mirum ſit, quod cauſa jam ante definita iterum in hac ſynodo retractetur: & cur reginam uxorem ſuam rex tam ſero nunc tandem ab epiſcopis benedici poſtulet.*

AUctoritas ſacra, & ſpecula miniſterii, unde vobis veſtram ſalutem nuntiare debemus, fratres, nos commonent, ut ſemper ſi-
1. Pet. 3. mus parati ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe & fide: ut illa quæ agimus, qua intentione ac fide agamus, & qua ſpe nobis a Deo remunerari credamus ea quæ recta intentione agimus, miniſterio noſtro commiſſis, ſive ſimpliciter, ſive non ſimpliciter quærentibus, vel non quærentibus intimemus, ne aut ſimplices ſuſpicione ſiniſtra in actibus noſtris offendant, aut impuri locum detrahendi nos invenientes delinquant. Hoc enim ſpeculatorum officium eſt, quo nomine nos epiſcopi non merito ſed gratia nominamur a domino, ut imminentia proſpicientes pericula, his quorum ſalutem ſuſcepere tuendam annuntient. Quapropter, fratres, quorumdam cogitationibus, quorumdam vero verbis ſatisfacere bonum duximus, qui cogitant forte, ac dicunt, quoniam antea in hoc eodem loco ante aliquot annos quidam noſtrum, & quorumdam noſtrorum deceſſores, ſynodum tenuimus, & eamdem cauſam, quam tunc diffinivimus, nunc quoque, quaſi non fuerit bene diffinita, cum etiam & a ſede apoſtolica ſit terminata, mutavimus, & ob id noſtra ſententia vilis poſſit haberi, quaſi ad mobilitatem humanæ gratiæ noſtras ſententias immutemus, vel, ut dicamus apertius, venumdemus. Non ita eſt, fratres, quoniam in epiſcopali miniſterio non eſt Eſt & Non, ſed ſemper Eſt, id eſt ſtabilitas in illo eſt: quia in Chriſto hoc ſacrum miniſterium radicatum eſt, qui nunquam conſilium, ſed ſæpe mutat ſententiam, tam per ſeipſum, quam & per ſuos fideles, de quorum numero ſua clementia nos computa-
Matth. 18. mur, quibus veridica voce promiſit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum*. &: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, fiet illis*. Et quia Deus ſæpe ſuam mutet ſententiam, neceſſarium vidimus ut de multis unum teſtimonium nobis omni-
Ezech. 18. bus amplectendum dicamus, ait dominus: *Si dixero impio morte morieris, & ille impius converſus fuerit a via ſua prava, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet & non morietur. omnes iniquitates ejus quas fecit in oblivione erunt*

A *coram me*. Nam & poſt legis duritiam, quam dedit per angelos in manu Moyſi, dedit euangelii gratiam per apoſtolos & eorum ſucceſſores omnibus prædicandam. Quia ut ſanctus Leo apoſtolicæ ſedis magnus ornatus dicit, ſicut ſunt
Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem. quædam quæ nulla poſſunt ratione converti, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari: ſic tamen, ut quod ſequendum fuerit inventum, nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum inveniatur adverſum. Quod & in hac cauſa ſumus ſecuti, ſicut in ſanctis auctorita-
Pſal. 84. bus invenimus, qui in pſalmo canimus: *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt*. & ſemper ſuperexaltet judicium
B 1. Cor. 12. miſericordia: dicente apoſtolo: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtrabo*, id eſt caritatem, quæ omnibus deſiderat miſereri, & cunctis vult in commune proficere. Perfecta enim ſunt ea, quæ ad correctionem hominum, & ad cenſuram debitæ ſeveritatis epiſcopali ſententia proferuntur: ſed excellentiora ſunt quibus dilectionis benignitate ſubditorum ſaluti, & communi eccleſiarum utilitati ac conſultui providemus. Unde manentibus ſtatutis prioribus, quæ ſecundum auctoritatem conſtituta ſunt per juſtitiæ ſeveritatem, licitum eſt nobis per eaſdem ſupereminentes auctoritates, quæ impendunt miſericordiam, immutare duriores ſententias correctione facta per eminentiorem viam, ſcilicet caritatem. Et ſicut
C de prioribus ſtatutis ſedem apoſtolicam conſuluimus: ita & ex hac diffinitione noſtra ejuſdem matris omnium eccleſiarum reſponſionem expectamus. quatenus ſi ita ut præduce illius commonitione, qua ad hunc locum convenimus, his quæ per indulgentiam miſericorditer invenimus, concordaverit atque conſenſerit, eccleſiæ conſultibus faveamus. Ceterum, fratres, volumus vos ſcire, quia domnus & ſenior noſter Carolus rex glorioſus noſtræ humilitatis petit devotionem ut auctoritate miniſterii nobis a Deo collati, ſicut ipſe in regem eſt unctus & conſecratus epiſcopali auctoritate unctione ſacra & benedictione, veluti in ſcripturis legimus dominum præcepiſſe ut reges ungerentur & ſacrarentur in re-
D giam poteſtatem: ita uxorem ſuam dominam noſtram in nomine reginæ benedicamus, ſicut & a ſede apoſtolica, & a noſtris deceſſoribus antea de aliis factum comperimus. Et ut non vobis ſit mirum, quare hoc petat, fraternitati veſtræ rationem reddere maturamus. Videlicet quia ſicut multis eſt cognitum, Deus omnipotens ſua gratia iſtud regnum in manus ſuorum anteceſſorum mirabiliter adunavit, quod ipſi deceſſores ſui nobiliter gubernaverunt, & per ſucceſſiones ſua progenies uſque ad hæc tempora rexit. Et iſti noſtro ſeniori Deus filios, ſicut vobis notum eſt, dedit. In quorum nobilitate, ad ſanctam eccleſiam, & regnum, quod Deus illi ad regendum commiſit, fideles illius ſpem maxi-
E mam ſe habere ſunt gratulati. De quibus ipſe aliquos Deo obtulit, ut etiam de fructu ventris ſui oblationem Deo offerret. aliquos Deus adhuc ætate immatura ſua gratia de hoc ſæculo ra-
Sap. 4. puit, *ne*, ut ſcriptum eſt, *malitia mutaret corda eorum*. aliquibus autem, quod vos non latet, ſuo judicio talem paſſionem permiſit incurrere, ſicut fideles illius agnoſcuntur dolere. Propterea petit benedictionem epiſcopalem ſuper uxorem ſuam venire, ut talem ſobolem ei dominus de illa dignetur donare, unde ſancta eccleſia ſolatium, & regnum neceſſariam defenſionem, & fideles illius deſiderabile adjutorium, & iſta

ANNO CHRISTI 866.

chriſtianitas optabilem tranquillitatem, & legem atque juſtitiam, cum illis quos adhuc habet, annuente & cooperante domino poſſit habere. Et de hoc in ſanctis ſcripturis habemus auctoritatem, quia ſicut dominus ad Abraham dixit: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, cui jam centenario de nonagenaria uxore Iſaac filium dedit; ita & ipſum Iſaac uxorem ſterilem accipere fecit, ut & in hoc, ſicut in multis ſolet facere, miſericordiæ ſuæ largitatem oſtenderet. Et inde dicit ſcriptura quia *deprecatus eſt Iſaac dominum pro uxore ſua, eo quod eſſet ſterilis, & concepit*. Et non ſit vobis mirum, cur antea hoc non fecit, quia, ſicut ſacra ſcriptura dicit, in primordio conjunctionis maſculi & feminæ dixit dominus ad Evam: *Ad virum tuum erit converſio tua, & ipſe dominabitur tui*. Et cum jam eſſent moribus in legitima conjunctione maturi, & provectæ ætatis Abraham & Sarra, & ut ſanctus Petrus dicit: *Sarra obediebat Abraham, dominum eum vocans*, dixit dominus ad Abraham, quod antea nec ipſi, nec alio homini legimus illum dixiſſe: *Omnia quæ dixerit tibi Sarra, audi vocem ejus*. Jam enim & Abraham presbyter merito vocabatur, & defecerant muliebria, id eſt omnis laſcivietas, Sarræ. Et tunc acceperunt benedictionem ſeminis benedicti a domino, in quo benedicuntur omnes gentes, amen. His ergo fulti auctoritatibus, ad diſpenſanda Dei dona, qui ab illo miniſtri ejus ſumus ad hoc conſtituti, ut Leo dicit, non debemus eſſe difficiles, nec devotorum petitiones negligere: maxime ſi ipſas petitiones evidentibus judiciis ex Dei viderimus inſpiratione conceptas. Quia multiplex miſericordia Dei ita ſaluti humanæ ſubvenire decrevit, ut præcipue ſacerdotum ſupplicationibus ipſa ſalus debeat obtineri. Cui operi, ut in ſacris litteris legimus, ipſe ſalvator intervenit, nec unquam ab his abeſt quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*. Et ſi quid per ſervitutem noſtram bono ordine & gratulando implemus affectu, ut Leo dicit, non ambigamus per Spiritum ſanctum nobis fuiſſe donatum. Et ideo, fratres, quoniam ita eſt, & noſtra pro vobis miniſtratio & veſtra erga nos conjuncta devotio, ut una fiat apud dominum ſupplicatio, ſicut legimus, quia ad hoc conſtituti ſunt ſacerdotes, ut prius pro ſuis, deinde pro populi orent peccatis, & oratio fiebat ſine intermiſſione ad Deum pro Petro, id eſt, pro omni epiſcoporum choro, orantibus nobis pro communi noſtra, immo pro totius eccleſiæ ac populi neceſſitate atque ſalute, commune votum etiam veſtra communis proſequatur oratio apud eum qui facit unanimes habitare in domo, & vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Margin: Geneſ. 22. — Gen. 25. — Gen. 3. — 1. Petr. 3. — Gen. 21. — Math. 28. — Act. 12.

## Nota Jacobi Sirmondi, S. J.

a. *Annuntiatio Herardi.*) Prior pars hujus orationis ad Vvlſadi ſociorumque cauſam ſpectat, cujus gratia ſynodus fuerat congregata, poſterior ad Hermintrudis reginæ coronationem in eadem ſynodo factam, & alio loco editam poſt capitula Caroli Calvi.

# VII. SYNODICA EPISTOLA CONCILII SVESSIONENSIS III. ad Nicolaum papam.

Excuſant Hincmarum, qui auſus non ſit ſua & comprovincialium auctoritate Vvlſadum & ſocios reſtituere, qui in ſynodo quinque provinciarum fuerant depoſiti. Sibi etiam in concilio, tametſi de illorum reſtitutione aſſentiuntur, conſentaneum viſum eſſe, rem totam pontifici, a quo inchoata eſt, conſummandam reſervari.

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo domino, patri ac papæ Nicolao, ſynodus Sueſſoni habita juſſu & auctoritate ſanctiſſimi apoſtolatus veſtri, æternæ felicitatis beatitudinem in Chriſto.*

CONvenimus ſiquidem, ut ſacratiſſimis veſtræ paternitatis apicibus nobis injunctum eſt, xv. Kalendarum Septembrium, xiv. indictionis, Remigius Lugdunenſis, Frotarius Burdigalenſis, Herardus Turonenſis, Wenilo Rothomagenſis, Egilo Senonenſis archiepiſcopi, cum diœceſanis conſacerdotibus, ad præmiſſam nobiſque deſignatam urbem. Ubi etiam confrater & coepiſcopus Hincmarus cum ſuis ſuffraganeis, veſtris obtemperans monitis, devote ſuæ ſanctitatis noſtræ unanimitati exhibuit præſentiam. Nec non e latere frater Vvlſadus, & collegæ ipſius, ad idem juxta apoſtolatus veſtri inſtitutum pariter defluxere concilium. Interea Luitbertum Moguntiacenſis eccleſiæ archiepiſcopum, paternitatis veſtræ largitate palliatum, pro ſanctitatis ejus reverentia & ſapientiæ amplitudine, interventu glorioſiſſimi domini noſtri filii veſtri, in eadem ſynodo nobis aſſociari expetivimus. Dum ergo humilitatis noſtræ famulatus, veſtræ pietatis inſtitutis, in cauſa præſcripti fratris collegarumque ejus ſubmiſſe fideliterque intenderet, comperimus fratrem & conſacerdotem noſtrum Hincmarum, quem ſalubribus hortari dignati eſtis affatibus, uti memoratos viros clementi animo & tranquilla ſtuderet ad ſe magnanimitate vocare, depoſitaque omni funditus animoſitate, de reſtitutione ipſorum fraterne tractare atque miſericorditer conſummare contenderet, non procaciter renilum, ſed neque animoſitate vel malevolentia declinaſſe, quin paternitatis veſtræ piis conſiliis effectum præpropere exhibere maturaret. Sed quoniam, ut illius ore loquamur, ipſe nec ſuæ ſedis auctoritate, nec comprovincialium ſuorum ſolummodo ſocietate, juxta Nicænos & Antiochenos canones, eos ſuſpendit ac judicavit, ſed neque depoſuit, nec cum judicibus eorum ſubſcripſit, quos conſtat [a] a ſynodo quinque provinciarum Sueſſionis habita, cujus vos acta relegiſſe & qualiter præſignati clerici degradati fuerint repeiſſe, nobis aperire dignati eſtis: ne ſcilicet a pauciori numero eorum inconſiderata & minus debita provida fieret reſtitutio, pro tempore diſtuliſſe, & juxta largitionis veſtræ decretum, ſacræ ſynodi profeſſus eſt ſe præſtolatum eſſe præſentiam. Et ideo ad hoc illum prius flecti munda non permiſit conſcientia: ne quod tantorum virorum ſtatuerat unanimitas, temere exinaniret unius ſedis auctoritas. De illorum autem fratrum reformatione, præcedente pietatis veſtræ libramine, qui oppreſſis miſericorditer ſubvenire, afflictis opem ferre, & innocentes abſolvere, ſolito & indefectivo conſueſtis opere, poſtpoſita quantum ex nobis eſt totius auſteritatis & ſeverita-

Margin: a) Seu concil. Suession. II.





ANNO CHRISTI 866.

tis cenſura, dejectioni illorum fratrum vobiſcum compatientes, quos ut veſtri apoſtolatus litteræ ad glorioſiſſimum ſeniorem noſtrum regem Carolum, veſtrum peculiarem filium, directæ intimavere, non mediocriter moribus & ſcientia pollere, & proficuos eccleſiæ Chriſti novimus eſſe, congregato & devotiſſime coadunato vobiſcum noſtro ſpiritu, quod pium juſtumque ſentitis ſentimus, quod decernitis exequimur, & quod deliberaveritis, eorum in omnibus congratulantes reſtitutioni, efficaciter nos amplectendum fatemur. Et quia de recuperatione eorum a veſtræ ſapientiæ medela ſumpſit exordium, oportet omnino, & æquum fore claret, totius ejuſdem negotii ſummam præſtantiæ veſtræ conſummari decretis. Pium namque & juſtum videtur, ut quos propria importunitas in ſubreptione graduum non addicit, benignitatis veſtræ efficacia, & noſtra mediocritate proſequente, ad famulandum Deo ſecundum beneplacitum illius, in priſtinum ſtatum relevando reformet atque reſtituat. Et quos non procacia obnoxios fecit, ſed obedientia inculpabiliter in adeptionem ſacrorum graduum, juxta ſinceriſſimum ſagacitatis veſtræ intellectum induxit, neceſſe eſt per miſericordiam Dei præferentiæ veſtræ ſtudiis fulciri, atque viſceribus ſanctæ matris eccleſiæ ordinabiliter reduniri. Præterea præceptionibus veſtris ex æquo operam dantes, ſicut nobis de præſignatis fratribus apex ſanctitudinis veſtræ edocuit, ſine contradictione perficere, eoſque in ſuis ordinibus reſtituere maturaremus, niſi privilegiis ſanctæ Romanæ ſedis, per reverendum confratrem Hincmarum archiepiſcopum noſtræ unitati prolatis, quæ de ipſis viris quædam ſtatuunt, debita reverentia exhiberetur: quorum ſumma perfecta & integra firmitas, ut claret & juſtum eſt, in apoſtolicæ ſedis reſervata eſt arbitrio poteſtatis. Nobis enim in horum fratrum dejectione non quidem diſceptantibus, nec alia atque alia decernentibus, ſed unum idemque ſentientibus, ne imperfectio pro inobedientia deputetur, oramus. Sed ut quondam Joab obſidens urbem Rabbath, David regi fidiſſimo, †*ne cum a me*, inquit, *vaſtata & capta fuerit, vobis & non nomini meo aſcribatur victoria*: ita & nobis in præſentis rei negotio decertantibus, & quædam deflorantibus, non tamen terminantibus, ſolummodo magiſteriali veſtro culmini eorum aſſignetur reſtitutio, attribuatur reformatio, aſcribaturque redintegratio. Prævio ergo, ut in omnibus competit, excellentiæ veſtræ decreto, quæ in ipſis & de ipſis depoſitis fratribus agenda conſideramus, exemplis præcedentium atque majorum inſtitutis edocti, quæ etiam copioſius multoque luminoſius celſitudinis veſtræ clarent induſtriæ, veſtræ ſinceriſſimæ paternitati ſubmiſſæ humilitatis obſequiis humiliter intimare curavimus. Papa inquit Innocentius, quod de quibuſdam obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt. & ſanctus Leo, quia ſicut quædam ſunt, quæ nulla poſſunt ratione convelli, ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari: mirabiliter inſtituens de virtute omnium matre atque nutrice diſcretione, ad condimentum agendarum quarumdam definitionum, in utilitatem eccleſiaſticorum monumentorum. Et Gelaſius: Priſcis, inquit, pro ſui reverentia manentibus conſtitutis, quæ, ubi nulla vel rerum vel temporum perurget anguſtia, regulariter convenit cuſtodiri: hic procul dubio, qui in eccleſiaſticarum narratur altitudine dignitatum, & in cujus virtute bonis operibus corda ponenda ſunt, gradibus utique diſtributis, cunctis Deus noſter & rector populis prædicandus eſt Chriſtianis. Ubi nemo ſibimet aliquid jam æſtimet imminutum, cum & de uniuſcujuſque gradus perfectione nil deperit, & convenienter retinendo quod cæleſti diſpenſatione collatum eſt, pariter nobis & cognoſcibilem Deum fieri, & tribuit eſſe rectorem. Nam etſi quid indulgetur de temporum quantitate, moribus aggregata ſtrenuitate penſatur, ſi vitæ jam propoſito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum. dummodo illa nullatenus diſſimulata ſubrepant, quorum quodlibet ineſſe claruerit, merito clericalibus infulis reprobabilem convincat eſſe perſonam. Et ſi illa nonnunquam ſinenda ſunt, quæ, ſi ceterorum conſtet integritas, ſola nocere non valeant: illa tamen magnopere ſunt præcavenda, quæ recipi ſine manifeſta decoloratione non poſſint. Et Africanum concilium de virginum velatione retractans, ita manere conſtitutionem prioris concilii, ubi nulla perurget neceſſitas decrevit, ut non obſit poſteriori concilio certis pro cauſis ea quæ conſtituta fuerant immutanti, nec poſterius concilium priori obviet, ubi nulla illud perurget neceſſitas immutare. Sed & de Donatiſtis decrevit, ut conſentientibus fratribus & coepiſcopis, maxime autem apoſtolica ſede, a quibus inde fuerat definitum, quatenus ſecundum uniuſcujuſque epiſcopi catholici voluntatem atque conſilium, qui in eodem loco gubernat eccleſiam, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus ejuſdem diviſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt. Quod multarum & pæne omnium Africanarum eccleſiarum, in quibus talis error exortus eſt, exempla teſtantur. Non ut concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſolvatur, ſed ut illud maneat circa eos qui ſic tranſire volunt ad catholicam, ut nulla per eos unitatis compenſatio procuretur: per quos autem vel omnimodo perfici vel adjuvari manifeſtis fraternarum animarum lucris catholica unitas in locis quibus degunt viſa fuerit, non eis obſit quod contra honores eorum, quamvis ſalus nulli intercluſa ſit, in tranſmarino concilio conſtitutum eſt. Unde manentibus ſtatutis, abſque regularum apoſtolicæ ſedis præjudicio, & judicantium ullo diſcrimine, quos mens veſtra, non ſolum auctoritas Carthaginenſis concilii, ab omni nævo defendit, ſi eorum fuerit ſoluta ſententia, qui convinci non poſſunt, vel inimico animo judicaſſe, aut aliqua cupiditate aut gratia depravati. Verum & idem concilium, & Antiochenum, atque decreta ſedis Romanæ pontificum, Innocentii, Zoſimi, atque Leonis, eos commendant per quæ ſua confirmavere judicia, quæ fratres & coepiſcopi noſtri in Sueſſonica ſynodo de Rhemenſis eccleſiæ filiis ab Ebbone poſt depoſitionem ſuam ordinatis cenſura eccleſiaſticæ ſeveritatis judicavere. Manente etiam, ut oportet & neceſſe eſt, auctoritate privilegii domni Benedicti, & veſtræ conſenſionis decreto. Si tamen vobis placet, cui bona cuncta placent, ut de his fratribus auctoritate veſtræ ſinceritatis prædıce immutetur ſententia, ſecundum quod ſacra & myſtica ſynodus Nicæna, in epiſtola fratribus per Ægyptum & Libyam & Pentapolim conſtitutis directa, de ordinatis a Meletio epiſcopo damnato decrevit: videlicet ut myſtica ordinatione

Margin: 2. Reg. 12. † codic. quia ſenſus ſpurius eſt, ne c. a. m. inquit, v. & c. f. vobis nomini meo aſcr. v. — Epiſt. ad Exuperium. — Epiſt. ad Ruſticum. — Epiſt. 6. 19. Ad epiſcopos per Lucaniam. — Ibidem. — Concilium Africanum c. 93. — Idem c. 45.

ANNO CHRISTI 866.

firmati haberent honorem & miniſtorium, & proveheretur quilibet eorum in honorem epiſcopi in eccleſia defuncti, ſi viſus foret dignus, & eum populus elegiſſet, cum conſenſu Alexandrini epiſcopi, ſub cujus cura præfatæ regiones degebant. Ita & iſti per veſtræ liberaliſſimæ ac piiſſimæ auctoritatis ſanctionem in ordinibus ſuis recipiantur, & ſi tempus ac locus atque ratio poſtulaverit, quilibet eorum in locum cujuſque defuncti epiſcopi, ſi populus eum elegerit, & dignus inventus fuerit, auctore domino regulariter provehatur. His denique reverenter explicitis, devotione unanimitatis noſtræ erga præſcriptos fratres antiſtitio veſtro reſerata, pro eccleſiaſtico vigore ab omnibus immobiliter conſervando, quæſumus providendum, ne hac, quod abſit, occaſione alii quicumque auctoritatem in ſacris ordinibus miniſtrandi uſurpent, qui aut pœnitentiam non acceperunt, aut contra regulam aſſumpſerunt, vel qui regulariter amiſerunt. quoniam ſi hoc impune fuerit licitum, omnis ordo & vigor eccleſiaſticus non tantum nutabit, quantum penitus jam confundetur. Poſtremo ſupereminens ſublimitatis veſtræ ſapientia hæc & alia, quæ intellectus noſtri exiguitas non valet attingere, perſpicaci indagatione contemplabitur, multoque ſolicitius providebit cavenda, nobiſque ſignificabit ſequenda, ut & præſentibus medelam, & futuris dignanter impendat cuſtodiam. Apoſtolatus veſtri decus præpollentiſſimum ad eccleſiæ ſanctæ ſublimitatem & pacem optamus ubique pollere, & perpetua ſtabilitate ad ſuffragii noſtri munimen atque tutelam vigere. Data anno incarnationis domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXVI. anno regni glorioſiſſimi regis Caroli XXVII. VIII. Kalendas Septembris.

*Hæc ſunt nomina epiſcoporum qui præſenti interfuere concilio.*

Hincmarus Rhemorum archiepiſcopus.
Remigius Lugdunenſis archiepiſcopus.
Frotarius Burdigalenſis archiepiſcopus.
Herardus Turonenſis archiepiſcopus.
Wenilo Rothomagenſis archiepiſcopus.
Egilo Senonenſis archiepiſcopus.
* Liutbertus Mogontiacenſis archiepiſcopus.
Rothadus Sueſſionenſis epiſcopus.
Erpoinus Silvanectenſis epiſcopus.
Agius Aurelianenſis epiſcopus.
Actardus Nannetenſis epiſcopus.
Hildebrandus Sagienſis epiſcopus.
Hincmarus Laudunenſis epiſcopus.
Rotbertus Cenomanenſis epiſcopus.
Hunfridus Morinenſis epiſcopus.
Iſaac Lingonenſis epiſcopus.
Hildegarius Meldenſis epiſcopus.
Æneas Pariſienſis epiſcopus.
Erchanraus Catalaunenſis epiſcopus.
Hodo Belvacenſis epiſcopus.
Erambertus Bajocacenſis epiſcopus.
Giſlebertus Carnotenſis epiſcopus.
Fulcricus Tricacenſis epiſcopus.
Raginelmus Noviomenſis epiſcopus.
Liudo Æduorum epiſcopus.
Bernoldus Matiſconenſis epiſcopus.
Girboldus Cabilonenſis epiſcopus.
Helias a Ecolebitenſis epiſcopus.
Arduinus Vallavenſis epiſcopus.
Sigo Arvernorum epiſcopus.
Haldo Lemovicenſis epiſcopus.
Hilduinus Ebrojacenſis epiſcopus.

* al. Luitbertus.

a) *Tre.* Engoliſmenſis. H.

Joannes Camaracenſis epiſcopus.
Seginandus Conſtantiacenſis epiſcopus.
Abbo Nevornenſis epiſcopus.

VIII.

## EPISTOLA ALTERA CONCILII EJUSDEM AD NICOLAUM PAPAM I.

De Britonum infeſtationibus, & de Actardo epiſcopo, qui Romam cum actis ſynodi mittebatur.

*Sanctiſſimo ac reverendiſſimo domino patri & papæ Nicolao, reverenda ſynodus Sueſſionis* XV. *Kalendas Septembris auctoritate ſancti præſulatus veſtri habita, æternum in domino felicitatem.*

CUm reſpectus fidelium ad apoſtolicæ ſedis, matris ſcilicet omnium, pia ubera opportune intendat, fraternitas noſtra propter variarum rerum eventus, ſuæque opportunitatis ſubſidia, propterque paſtoralitatis jura divinitus tanto patri & papæ dignanter collata, frequentibus apicibus apoſtolatus veſtri culmen pulſare decertat: quo & in his, in quibus minus debito ſufficit, paſtorale ſolatium ſumat, & beneficentiæ veſtræ referta, ſanctarum etiam inſtitutionum documentis informata, ad majora & meliora quotidianis incrementis Deo ſibi miſerante proficiat. Veſtram ſiquidem non latere beatitudinis excellentiam novimus, diœceſin Turonicam auſteritate Britonum diutino a ſua metropoli divulſam penituſque diſciſſam: ita ut, ſicut idem Turonicus metropolitanus Herardus, pariterque Namneticus Actardus frequenti indagine, nec non etiam in præmiſſa Sueſſonica ſynodo evidenti atque multiplici ſtylo pariter & ſermone nobis intimavere, licet nobis multis præcedentibus indiciis hæc eadem non poſſent latere, jam vicenus & eo licet paululum adſit annus, quo tyrannica feritate reſumpta, nec comprovincialia cum Turonico metropolitano celebrent concilia, nec in epiſcoporum conſecrationibus ad eumdem quidquam reſpiciant, illi quoque ſedi nullo pacto ſe ſubdant. Sed neque ad generalitatis noſtræ ſynodum, ſi quando apoſtolatus veſtri auctoritas noſtram fraternitatem pro quibuslibet emergentibus vel imminentibus negotiis aggregandam decernit, illorum præſentiam, legatos, litteras, cum infra ſinum occiduæ Galliæ commorentur, & nec juga montium, nec marinum pelagus, ſed neque gravis intercapedo terrarum convolare prohibeat, noſtræ unanimitati quemquam habere meruimus. Unde fit ut nullus cultus religionis inter eos, nullus diſciplinæ vigor haberi poſſit in illis: quoniam cum ſint barbari, feritate nimia tumidi, nullis ſacris inſtitutis obediunt, nullis præceptionibus ſanctorum patrum ſe ſubdunt: ſed pro libitu inſipientiæ, malevolentiæque ſuæ cuncta peragunt. Frequentibus iidem apicibus matris & magiſtræ ſanctæ ſedis Romanæ, deceſſorumque veſtrorum admoniti, & ut feritate depoſita, quia ſunt nomine tenus Chriſtiani, apoſtolicis atque canonicis decretis ſe ſubderent, ſunt vocati, ſicut evidenti indicio in archivis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſi placet, valetis reperire. Sed quidam illorum nec ſibi legi, nec paſſi ſunt audire; neque ullo pacto a cœpto pravitatis ſuæ repreſſi ſunt itinere. Hinc



ANNO CHRISTI 866.

Hinc fit, quod hactenus parochiam Namneticam a muro ejuſdem urbis præſignato fratri noſtro Actardo ſubreptam habeant: ſed & res omnes ejuſdem ſedis obſtinata pervaſione detineant. In nullo diſſimilia Turonicæ metropoli, & Andegavenſi eccleſiæ, pariterque Cenomanenſi, in rebus quæ ipſis ſunt attiguæ, certum eſt eos agere. Sed & omnis pæne Neuſtriæ eccleſia crudelem eorumdem feritatem perpetitur, rebuſque quibus illis convicinatur cupide denudatur. Quibus autem injuriis, oneribus, atque ſerviciis utriuſque ordinis, conditionis, & ſexus homines opprimant, melius viva voce celſitudo beatitudinis veſtræ poterit noſſe. De epiſcopis autem ab eiſdem temere & irreverenter non ſolum abſque veſtri pontificatus notitia, verum etiam abſque ullius ſynodici conventus examine atque conſenſu ejectis, id eſt de a Salacone Doleſe, adhuc quidem licet expulſo ſuperſtite, cui loco ſe jactitant ſedem metropolim contra fas habere, prædicto quidem fratre expulſo, atque duobus in ipſa ſede nuncupative ſubrogatis abſque metropolitæ ſcientia vel conſenſu: Suſanno etiam Venetenſe adhuc ſuperſtite, alioque ſuæ ſedi indebite ſubſtituto; frequens ad ſanctam Romanam eccleſiam proceſſit mentio, cum adhuc ipſi exules demorentur, licet quoſdam idem dux Britannicus infra præſentis anni ſpatium, veſtræ auctoritatis inſtitutis præmonitus, quos b [non ſolummodo] ſuæ gentis & linguæ eſſe noverat, abſque ſynodi præſentia, ſine ullo reconciliationis vel reſtitutionis ordine, verbo ſuo ſolummodo reſtituerit. & quomodo qualiterque placuerit ſedes amiſſas recipere, non eccleſiaſtica determinatione, ſed barbarica deliberatione permiſerit. Interea ut more præceſſorum ſuorum idem auctor Britonum fidentiſſimo filio veſtro, domno & ſeniori noſtro Carolo, in cunctis obtemperet, ſeque omni humiliatione debita colla ſubmittat, annuoſque cenſus perſolvat, quia iſdem ſpecialis filius veſter diverſo unde ſecus Northmannorum aliorumve agitatur incommodo, veſtris ſuaſionibus & ut expedit redargutionibus quæſumus decernite. Qui ſi contra hortamenta ſalubria præcellentiæ veſtræ demum aſpirare nititur, gladio ſancti apoſtolatus veſtri ſe percellendum debito cognoſcat libramine. His ergo ita breviter prælibatis, ne aliquod veſtræ pietatis excellentiæ generemus incommodum, a præſenti ſynodo fratrem & conſacerdotem noſtrum Actardum veſtræ paternitatis aſpectibus pertractavimus deſtinandum, qui viva voce, veroque ſibi notiſſimo ſermone ad liquidum hæc, quæ ſuccincte proſequimur, poterit reſerare. Cui petimus, humiliterque depoſcimus, ut ſanctæ benignitatis veſtræ ſublimitas aurem pietatis clementer accommodet, eique ſolitæ manum manſuetudinis porrigat. Videlicet ut rebus omnibus, id eſt ſede in qua ſpes nulla recuperandi ſibi eſt, cum parochia exſpoliatus pietatis veſtræ adminiculo adjuvetur, & ſicut expulſus penitus a propria ſede; utriuſque gentis Northmannorum & Britonum feritate & continua perſecutione cenſura veſtri moderaminis relevetur. Omnibus ergo ad ubera materna convolantibus, opemque ſibi ferre poſcentibus, ſicut ſemper impendere munificentiæ veſtræ benignitate, miſericordi largitate ſueſtis, ita & huic petitioni, quam frequenti & neceſſario ſtylo veſtræ præcellentiæ offerimus, miſericorditer ſubvenire, eorumque de quibus agitur hactenus indomitam feritatem principali mucrone comprimere, & eccleſiæ ſanctæ filiis paſtorali ſolicitudine dignamini, quæſumus, efficaciter ſuccurrere, pater & papa beatiſſime.

a) Apud Ducheſnium tom. 2. Hiſt. Franc. p. 407. Salaco Aletheſis dicitur. Har.

b) Videntur, quæ ſunt incluſa parentheſi, redundare. H.

*Hi epiſcopi præſenti interfuere concilio:*

Remigius Lugdunenſis metropolis ſedis epiſcopus.
Hincmarus Rhemorum metropolis epiſcopus.
Herardus Turonorum metropolis epiſcopus.
Wenilo Rothomagenſium metropolis epiſcopus.
Egilo Senonum metropolis epiſcopus.
Leotbertus Moguntionum metropolis epiſcopus.
Frotarius Burdigalenſium metropolis epiſcopus.
Rothadus Sueſſionum epiſcopus.
Erpuinus Silvanectis epiſcopus.
Hunfridus Morinenſium epiſcopus.
Erchanraus Catalaunenſium epiſcopus.
Hincmarus Laudunenſis epiſcopus.
Odo Bellovacenſis epiſcopus.
Rainelmus Tornacenſis epiſcopus.
Joannes Camaracenſis epiſcopus.
Actardus Nannetenſis epiſcopus.
Agius Aurelianenſis epiſcopus.
Giſlebertus Carnotenſis epiſcopus.
Hildegarius Meldenſis epiſcopus.
Abbo Nivernenſis epiſcopus.
Fulcricus Trecaſſenſis epiſcopus.
Æneas Pariſiacenſis epiſcopus.
Hildebrannus Saiorum epiſcopus.
Rotbertus Cenomanenſis epiſcopus.
Erambertus Bajocaſſium epiſcopus.
Seginandus Conſtantinenſis epiſcopus.
Hilduinus Ebrocenſis epiſcopus.
Iſaac Lingonenſis epiſcopus.
Liudo Æduorum epiſcopus.
Girbaldus Cabilonenſis epiſcopus.

IX.

## CAROLI REGIS EPISTOLA AD NICOLAUM PAPAM I.

De his quæ facta fuerant in ſynodo.

*Laudant Hincmari obedientiam, clericorum integram reſtitutionem pontifici a ſynodo reſervatam ſcribit, & a ſe interim eccleſiam Bituricenſem VVlfado commendatam.*

SAnctæ paternitatis veſtræ reverenter excepimus apices, quibus nobis clamores & gemitus depoſitorum ab Hincmaro honorando præſule, Vulfadi ſcilicet, ſociorumque ejus, aures veſtræ dignationis penetraſſe aperuiſtis: quin etiam noſtram filiolitatem, ut eumdem venerandum antiſtitem ad hoc hortaremur, & admonere pro Dei amore curaremus, ſummopere prædicare decreviſtis. ajentes ut eumdem ad obtemperandum præcellentiæ veſtræ ſolertia noſtra decertaret flectere: ſin autem, ſolicite præcavere, ne quibuslibet argumentis in non obediendo vobis nos inclinare valeret. Egimus itaque ſummo ſtudio, ſecundum paternitatis veſtræ rogatum, & reverenter memoratum antiſtitem eodem de negotio alloquentes, ſicut devotum in reliquis, ita quoque paratiſſimum in hoc ipſo ad obediendum vobis & nobis comperimus, ita ut non ſolum non reſiſtere, ſed etiam primus parere apoſtolatus veſtri promptiſſime præceptionibus feſtinaret. Quare autem de reſtitutione

ANNO CHRISTI 866.

ne memoratorum virorum, ſecundum veſtram ad eum denuntiationem, cum ſuffraganeis ſuis non perfecerit, a ſynodo præceptione veſtra ſuper ipſo negotio Sueſſioni congregata deſtinata epiſtola evidentius declarabit. Quod enim de tuitione eorum ſanctitudo veſtra quæſivit, & nobis filio veſtro ſignificavit, ſi neceſſe fore apparuiſſet, magnopere effeciſſemus. Sed favente Deo idem, de quo agimus, pontifex benigne ſtatutum veſtrum excipiens, ut affectuoſus pater, cum aliis aggregatis venerabilibus epiſcopis, eorum cauſam mitiſſima deliberatione definivit, libentiſſime manſuetudinis veſtræ obediens omnimodis epiſtolaribus affatibus: & quos voto pietatis excellentiæ veſtræ perſpecto, tranquillo, pacifico, atque benigno uſque ad præſentiam ejuſdem ſynodi, ut evidenter comperimus, tractavit animo, in cunctis deinceps, fretus veſtri moderaminis concilio, præſcriptos fratres fulcire, pioque ſolatiari non deſtitit auxilio. Quæ omnia conſequenter cum reliquis conſacerdotibus omnino explere acceleraret, niſi juxta privilegium deceſſoris veſtri domni Benedicti, ac veſtrum, ſummam vobis reſervandam cœpti de reſtitutione docerent negotii. Quia vero ſæpedictus antiſtes altitudini veſtræ devotiſſimus, & apoſtolico conſtitutionis veſtræ decreto, & noſtro etiam hortatui, omnimodis gratantiſſime paruit, nec in aliquo renuere tentavit, noſtra ſupplici petitione ampliorem gratiæ munificentiam apud vos ſe percepiſſe gratuletur, proindeque vobis ſeſe acceptiorem omnino perſentiat. Poſthæc, quia fratrem illum Vvlfadum, de quo agitur, ut veſtræ ſanctitatis apices exponunt, moribus & ſcientia penes nos vigere comperimus, Bituricenſem eccleſiam, ceu ſanctæ paternitati veſtræ aliis litteris ſignificavimus, quia dare abſque apoſtolatus veſtri determinatione diſtulimus, commendare ſibi eamdem eccleſiam cum rebus ſibi pertinentibus acceleravimus. Scilicet ut in deſtructione earum non tantum ſæviens valeret quorumlibet pravorum inſtantia, quærentium diripere non ſua, & vaſtare crudeliter aliena. Quare ut in eodem loco illius valere & vigere queat ſtudioſitas, citius reverentia paternitatis veſtræ quid ſancto animo veſtro de eo ceteriſque ſederit aperire dignetur, efficiatque ſublimitas veſtra feſtinantius de ipſa, quod pro eo ad vos ſæpius noſtra popoſcit ſupplex expetitio: quoniam ſumma neceſſitate illis urgente melioris voluntatis qui in illo ſunt regno hoc ipſum aſſidua imprecatione depoſcunt. Verum multarum perturbationum impedimenta, non ſolum noſtris temporibus, ſed etiam prædeceſſorum noſtrorum, aut vix aut nunquam eidem regno defuiſſe noſcuntur. Atque ideo neceſſe eſt ut in adjutorium filii noſtri, caſu vobis notiſſimo infirmati, & eorum qui ſibi ſunt noſtra fidelitate & ſua adhæſi, quo valentius reſiſtere adverſariis omnimodis poſſint, idem de quo flagitamus maturius dirigatur veſtræ paternitatis provectibus ſuffragantibus, domine beatiſſime & admodum deſiderantiſſime pater & papa.

X.

## PRIVILEG. A SYNODO SVESSIONICA CONCESSUM MONASTERIO Solemniacenſi.

Cum eccleſiarum omnium prædia, bonorum hominum ſtudiis & votis ſalubribus ſingulis titulis condonata privilegiis propriis egeant roboranda, tanto firmius a ſæculari cupiditate credimus eſſe & ſpecialius præmunita, quanto majori eccleſiaſticæ dignitatis, ſæculariſque potentiæ, fuerint modis omnibus auctoritate firmata. Igitur anno incarnationis domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXVI. indictione XIV. regni autem domni Caroli regis XXVI. dum apud urbem Sueſſionicam jubente Nicolao urbis Romæ pontifice, ſynodus ex diverſis Galliæ, Neuſtriæ, atque Aquitaniæ epiſcopis confluentibus, XV. Kalendarum Septembrium haberetur, ibique per conſilia epiſcoporum, qui ex diverſis regnorum partibus advenerant, ea quæ in eccleſiaſticis ordinibus conſtare videbantur, ſubtiliter tractarentur; juſſit magna ſynodus communi tractatu perquirere, qualiter omnis ordo eccleſiaſticus in divinis cultibus ageretur, & quomodo actum miniſtraretur. Talibus ergo dum regia claritudo cum ſummi ordinis ſacerdotibus invigilans deſerviret, ſeſeque ad exaltationem ac reparationem in quibuſdam membris eccleſiæ piis ſtudis mancipatus accingeret, venit quidam abba venerabilis, Bernardus nomine, ex monaſterio Solemniaco nuncupato, regiam clementiam, & ſynodalem adiens pietatem, pro privilegiis ipſi monaſterio impetrandis, quibus ſub tuitione regia atque apoſtolica & ſynodali defenſione perpetuo muniretur. Talia ergo dum ſibi ſuiſque fratribus concedenda humiliter poſtularet, innotuit regiæ dignitati, noſtræque ſynodo reſidenti qualiter vir venerabilis atque beatiſſimus Elegius Viromandenſis eccleſiæ epiſcopus, amore ſupernæ hereditatis accenſus, cœnobium ipſum in Limovicino rure, quod Solemniacus vocatur, in honore omnipotentis Dei, & veneratione beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ac martyrum Dionyſii & ſociorum ejus, Criſpini atque Criſpiniani, nec non & Pancratii, ſeu & confeſſorum, Martini, Hilarii, Medardi, Remigii, & Germani, ſuo opere ædificare ſategit, monachoſque ibidem inſtituit, qui & divinam in eodem loco exercerent militiam, & pro eccleſiæ totius ſtatu ſupernam implorare decertarent clementiam: & quomodo per teſtamentum firmiſſimum propria ſanctiſſimaque ſua manu, atque aliorum, qui in ſuo teſtamento releguntur, epiſcoporum ſanctorum, corroboravit a) devotiſſime atque promptiſſime voluntate, idem monaſterium monachis in eodem degentibus, ac ſucceſſoribus eorum in venturis generationibus jure tradidit eccleſiaſtico, nec non & hereditario. Eo videlicet tenore, quatinus ſub tuitione, atque quem trito ſermone mundeburde vocant, Dagoberti regis, qui tunc temporis apicem regni tenebat, & ſucceſſorum ejus, ſine aliqua contradictione, ſive uliquorum hominum infeſtatione, in facultatibus eorum viverent, & normam ſancti Benedicti inviolabiliter tenerent: & quomodo Deo dilectus idem rex Dagobertus, cognitis viri ſanctiſſimi ejuſdem epiſcopi Elegii ſtudiis, præfatum monaſterium, cum omnibus rebus juſte & legaliter ad ſe pertinentibus, tam ſui donatione quam etiam bonorum hominum collatione, per auctoritatem præcepti ſui proprio abbati, atque monaſterio degentibus, ſecundum morem prædeceſſorum fidelium regum, libentiſſime confirmavit. His igitur omnibus abbatis venerabilis relatione Bernardi regiæ poteſtati ac ſynodali concilio cognitis, obtinuit ipſius abbatis devotiſſima & veneranda precatio, apud ejus ſynodique ſublimem clementiam, ut noſtra præſenti atque inviolabili innovatione, quoniam Northmannorum crudelitate graſſante priora inſtrumenta incendio fuerant concremata, hujus prædictæ firmitatis ſtabilitas muniretur. Reſidentibus ergo nobis apud urbem ſuperius memoratam, atque de reipublicæ utilitate tractantibus, præmiſſi abbatis Bernardi petitionem ſuper innovandum prædicto monaſterio privilegium humili & digna ſuggeſtione accepimus. Cujus piis petitionibus ſimul cum regia ſublimi clementia annuentes, præſens privilegium in honore Dei omnipotentis, & veneratione eorumdem ſanctorum, adjecta regiæ præſidentiæ auctoritate decrevimus roborandum, & ſicut ſequentia manifeſtant ſubſcriptione propria confirmandum. Quatinus hinc inde & regali munificentia & auctoritate epiſcopali convenienter munitum, præſentibus futuriſque temporibus valeat inviolabiliter permanere illæſum. Et interpoſita obteſtatione per virtutem ſanctæ crucis, & ſanctorum ipſo in monaſterio quieſcentium, ut eumdem locum a tam ſanctiſſimo viro conſtructum, nec ſibi aliter niſi tutela defenſionis ac tuitionis reges uſurpent, nec cuiquam clericorum canonici habitus, aut laicorum, quod abſit, eum attribuant; ſed ſub tutela ac defenſione, cum proprio, ut dictum eſt, ex ipſo monaſterio & regulari abbate ſibi retineant: monachoſque in eodem loco degentes ſub alis ſuæ protectionis quietos eſſe permittant, & Deo ſecundum auctoritatem & regulam ſancti Benedicti militare, & pro ſtatu univerſalis eccleſiæ enixius obſecrare concedant. Decedentibus quibuſcumque abbatibus ſucceſſorem ex eodem loco ſibi liceat eligere, & ſibi regulariter inſtituere. Si quis vero, quod abſit, hujus privilegii deſtructione fraudulentus violator in poſterum emerſerit, ſalutem propriam negligens, aliorumque ſalutem perſequens, regiæ majeſtatis reus exiſtat, atque hujus concilii, quorum ſubſcriptione roboratum videtur, vinculum anathematis, niſi hæc correxerit, ſuſtineat.

a) ſen. devotiſſima atque promptiſſima.

### SUBSCRIPTIONES.

Vvlfadus, etſi indignus, gratia tamen Dei ſanctæ metropolis Biturigenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Frotarius Burdigalenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Remigius Lugdunenſis archiepiſcopus ſubſcripſi.

Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Rhemorum epiſcopus ſubſcripſi.

Rothadus humilis Sueſſionenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Vvenilo ſanctæ matris eccleſiæ Rothomagenſis archiepiſcopus ſubſcripſi.

Herardus Turonicæ metropolis archiepiſcopus ſubſcripſi.

Egil Senonenſis eccleſiæ archiepiſcopus ſubſcripſi.

Agius humilis Aurelianorum epiſcopus ſubſcripſi.

Æneas Pariſienſis epiſcopus ſubſcripſi.

Giſlebertus humilis Carnutenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Hildebrandus Sagenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Ercambertus gratia Dei Bajocacenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Fulchrius indignus epiſcopus Auguſtæ Tricorum ſubſcripſi.

Odo Belvacenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Huntfredus humilis Morinenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hilduinus Ebrocenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Sigo indignus epiſcopus ſubſcripſi.

Rainelmus Vermandenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Aldo Limovicæ ſedis indignus epiſcopus ſubſcripſi.

Hildegarius Meldenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Iſaac ſanctæ Lingonenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Erchenraus Catalaunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Bernaldus Matiſcenſis ſanctæ ſedis epiſcopus ſubſcripſi.

Liudo Heduenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Hincmarus Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Rotbertus Cenomanicæ urbis epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi.

Helias Æquoaliſinorum epiſcopus conſentiendo ſubſcripſi.

Hardvuinus Valavenſis urbis eccleſiæ epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi.

Actardus Namnetenſis epiſcopus huic decreti privilegio ſubſcripſi.

Girbaldus Cavilonenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes Camaracenſis epiſcopus huic privilegio ſubſcripſi.

Seginandus Conſtantinenſis epiſcopus ſubſcripſi.

*Singulis epiſcoporum nominibus in autographo præfixum eſt de more Chriſti nominis monogramma; vel crucis effigies. Vvlfadi porro ſubſcriptio primo loco extra ordinem poſt alias adjecta videbatur, inquit Sirmondus.*

XI.

## EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD EPISCOPOS SYNODI SVESSIONICÆ.

Hincmarum graviter perſtringit, quod in cauſa clericorum dejectorum callide ac diſſimulanter egerit, quodque Benedicti papæ litteras mutilas & corruptas proferre auſus ſit. Quare epiſcopos iterum convenire, & clericorum hiſtoriam accurate perſcribere, clericos vero interim ſuis gradibus reſtitui jubet. Non probat autem quod Vvlfadum ante plenam reſtitutionem ad epiſcopatum promoverint.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris archiepiſcopis & epiſcopis, qui per gratiam Dei & decretum noſtrum apud Sueſſonicam urbem convenerunt.*

Reverentiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Egilonem de veſtro ſacro collegio ad apoſtolicam pervenientem ſedem, magna cum exultatione ſuſcepimus, & de agnita per eum omnium veſtrum ſtatus incolumitate lætiores effecti, auctori grates immenſas rependimus. Illud præcipue bonum atque jocundum arbitrantes, quoniam vos fratres ſicut corpore, ita & mente in unum cohabitaſſe comperimus, & in dejectorum fratrum relevatione unum cor & unam animam una cum ſpiritu noſtro poſſediſſe cognovimus. Spiritus quippe ſancti præſentiam teſtatur congregatio ſacerdotum, & in

medio

ANNO CHRISTI 866.

medio ſui dominum habere ſe monſtrant, qui in ipſius nomine conveniunt in idipſum. Nos etenim clamorem eorumdem dejectorum ſpernere clericorum ratio nulla ſivit, & ad vociferationes eorum ad ſedem apoſtolicam etiam ſub deceſſoribus meis frequenter emiſſas, aures obturare paterna caritas non permiſit. Portamus quippe onera omnium qui gravantur, quinimmo hæc portat in nobis beatus apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit ac tuetur heredes. Verum cum nonnulla ſcripta ſedi apoſtolicæ diverſis temporibus delata, vel etiam ab ea data, ob hujus reperiendam rei certitudinem diligenter inveſtigaremus: accidit ut etiam, Deo revelante acta concilii, quod auctore fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro præfatos viros ſegregaſſe dignoſcitur, ab eodem venerabili antiſtite nobis dudum tranſmiſſa, cum actionibus pro Rothado venerabili epiſcopo venirent ad manus. In quibus quanta reprehenſionum inveniatur congeries, ſi voluerimus exhibere per ſingula, facilius chartæ quam verba deficient. Ibi namque falſitas in ipſo mox actionum invenitur principio. An non falſitas, cum ſponte perveniſſe dejecti illi ad eccleſiæ januas pro ſua neceſſitate ſcribuntur, qui veniſſe probantur inviti? Præcipue cum Vulfadus ibidem non fuerit, cujus nomen inter petentium nomina fallaciter extitit recitatum? Ibi ante tempus examinis, jam judicatum, & ante legitimum judicium, condemnatum fuiſſe dignoſcitur. Ibi ante audientiam, & ante certum numerum collectorum epiſcoporum, presbyteri diaconique privationi miniſteriorum ſuorum ſubduntur. Ibi metropolitanus antiſtes modo ſua jura deponit, modo reſumit: modo ſubeſt ſynodo, modo præeſt, modo quaſi accuſatus, modo accuſator, modo judex accedit: & pro libitu propria vicibus alternantibus cuncta diſponens, more cujuſdam animantis, non ſemper unius ejuſdemque coloris apparet. Ibi inquam nolentes proclamare, proclamare coguntur, & tamquam accuſatores libellum proclamationis porrigere compelluntur: licet tenorem libelli juxta morem geſtis frater noſter Hincmarus non inſeruerit, cum eiſdem nonnulla minus etiam neceſſaria probetur inſeruiſſe. Ibi abſens, & ut illic habetur, ægrotus addicitur, & dolor ſuper dolorem apponitur, dum abſens Vulfadus libello quaſi præſens adſcribitur, & in lecto jacens, nunquamque reclamans, ſocietatem habere cum præſentibus reclamatoribus falſo prætenditur. In quo conſiderandum eſt quia ſi leges ſæculi etiam de rebus pecuniariis, quæ extra nos ſunt, ægrotum reſpondere non cogunt, quanto minus a domini ſacerdotibus infirmus quilibet compelli ad querimoniam debuit de negotio, quod in eumdem ipſum conflari dignoſcebatur, & quod hunc ad depoſitionis caſum impellere probabatur? quo dolore in hac vita major ubi quæſo eſt? Et ut ſtrictim pæne omnia complectamur, ibi ſola obedientia ſubditorum, quam apoſtolus præpoſitis exhibere jubet, reputatur in culpam; & qui prælati judicio temere non reſtiterunt, ſed humiliter colla ſuppoſuerunt; ſeveriſſime puniuntur. Ibi qui nulla propria noxa deliquerunt, hæreticorum damnationem tamquam hæretici inciderunt, & qui miſericordiam petivere, nec juſtum judicium percipere meruerunt. Sed quid mirum, ſi textus & finis ejuſdem concilii accepti non ſunt, quando in nomine domini juxta morem inchoatum non eſt? Nam ut ait apoſtolus, omne quodcumque fecerimus in verbo

Coloſſ. 3.

aut in opere, omnia in nomine domini Jeſu facienda præcipiente, ritus eccleſiaſticus in colligendis conciliis id obſervet, & in hoc dumtaxat, abdito permittente divino judicio, fuerit prætermiſſum: conſtat procul dubio, non eos in nomine domini congregatos extitiſſe, ac per hoc cum minime in ſui medio habuiſſe, qui tale concilium immo conventicula ſua de ſanguinibus contra pſalmiſtam congregaverunt, & quoddam animal imitati, non niſi extinctis propriis filiis poſſe ſubſiſtere putaverunt.

Pſal. 11.

ANNO CHRISTI 866.

Jam vero, ſi idem concilium ab apoſtolica ſede fuiſſe prætenditur approbatum, quemadmodum id verſuta fuerit cavillatione ab apoſtolica ſede perceptum, fraternitati veſtræ breviter intimamus. Denique frater & coepiſcopus noſter Hincmarus, de memoratis clericis, Vulfado ſcilicet & collegis ipſius, quod ſibi viſum eſt, conſummato mox præceſſori meo beatæ recordationis Leoni præſuli non ſemel ſupplices litteras miſit, quatenus idem concilium approbans auctoritate apoſtolica roboraret. Quod ille non ſolum minime annuit, verum etiam agere ſolicite tenuit, dicens idcirco ſe petitiones ejus pro confirmanda ſynodo, in qua depoſiti præfati viri fuerant, ſuſpendiſſe, eo quod per aliquos ex his epiſcopis, qui ſynodo reſederant, ut dubitatio foret radicitus evulſa, ſtatuta ejuſdem ſynodi deſtinare debuiſſet: præcipue cum ibidem legati ſedis apoſtolicæ præſentes non fuerint. Poſtremo eo quod hi, quos ille auctoritate ſynodi affirmabat depoſitos, per proprias litteras ſedem apoſtolicam appellaverint, & vellent ſua ſe apoſtolica audiri præſentia, & tunc, ſi culpabiles invenirentur, non abnuerent canonicam ſuſtinere cenſuram. Sed venerabilis Hincmarus, ſciens utique concilium iſtud, ut ſupra oſtenſum eſt, reprehenſionibus non paucis reſperſum, acta quidem illius per neminem epiſcoporum, qui his interfuerunt, deſtinavit: ut tamen firmarentur, denuo precibus agere non ceſſavit. Sed dejectorum iterato clamore crebreſcente clericorum, nec ſic quod petebatur laudabilis præſul indulſit. Præcepit autem per alteram ſuæ ſanctionis epiſtolam, ut idem frater Hincmarus ad concilium cum illis occurreret, ad quod ſuum ipſe legatum, Petrum videlicet epiſcopum Spoletanum, e latere ſuo direxerat, ad renovandum videlicet judicium vice ſua, & congregatis rurſus epiſcopis ad depoſitorum reclamantium, auxiliante domino, trutinandum ac ſopiendum negotium. Ita ut ſi eiſdem dejectis clericis contigiſſet, ut in ipſa debuiſſent depoſitione perſiſtere, & obedire renuiſſent, ſedemque apoſtolicam iterum expetiſſent, ne ſedis apoſtolicæ diſſolveretur privilegium, illis ad eam veniendi non negaretur licentia. Cum quibus præcepit ut frater Hincmarus, vel miſſus ejus veniret: quatenus cum fratribus ſuis epiſcopis æquum de his judicium conferre potuiſſent, & utraque parte conveniente cauſas eorum eadem ſedes ſancta canonice diffiniſſet. Verum ille, qui prius epiſcopum, legatum videlicet concilii ſui, ſedis apoſtolicæ viſioni ſubtraxerat, etiam ſuam audientiæ ab eo deſignatæ præſentiam ſubducens, probavit de ſe illa quæ dicta ſunt: videlicet quod tale concilium ſtatuerit, quale ſuperius ſtrictim monſtratum eſt. Interea eo voti effectu fruſtrato, apoſtolicæ ſedis pontifex Leo, qui fratris Hincmari propoſitum noverat, ab hac luce ſubtractus eſt. Cumque ſanctæ memoriæ Benedictus, vir apoſtolicus, ei ſucceſſiſſet in ordine pontificatus, rurſus reverendus Hincmarus arma præparat, & eidem ſum-



ANNO CHRISTI 866.

mo præſuli, tamquam ſuarum inexperto verſutiarum, latenter ſubripit, & in ipſo conſecrationis ejus principio ſuadet, ut concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret: non tamen ei ullo modo ſubripi aut ſuaderi potuit, ut a juſtæ diffinitionis & diſcretiſſimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret. verumtamen, ſicut videre eſt, & ipſi jam forſitan agnoviſtis, ita per quoddam ei privilegium conceſſum illius concilii roboravit inſtitutum, ut auctoritatis ſummam ſedi apoſtolicæ reſervaret, & ut vobis jam ſcripſimus, ita tribuit honorem alteri, ut ſibi quod tribuebat non demeret. Unde actum eſt, ut quod male petitum fuerat, Spiritu docente Dei, bene ſapiens præſul concederet, & nihil proficeret humana ſubreptio, ubi pectus tanti pontificis divina replebat infuſio: nec obeſſet cujuſdam ſuaſio, ubi antiſtitis ſancti prudens obviavit & providentiſſima moderatio: dum in ipſo privilegio tenorem præmiſerit, quod ſic decretum eſt ab eo manenda inconvulſa quæ petebantur, ſi ita eſſent per omnia, quæ de illa ſynodo ſibi a fratre noſtro Hincmaro referebantur. Interpoſuit enim ancipitem in eo ſententiam dicens: Si ita eſt noſtroque ut ſcriptis præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, ratas eaſdem, quin diffinitiones, apoſtolica promulgamus fore auctoritate. Licet ipſe hujus tenoris circumſtantiam de collati privilegii textu excipiens, & noſtræ viſioni ſubduxerit, & aliorum notioni ſubtraxerit. Interſerens inſuper quæ idem ſummus pontifex aut nunquam, aut aliter ſanxerat. Ipſe namque de memoratis diffinitionibus dixit: Ratas eaſdem apoſtolica promulgamus fore auctoritate, ſemperque manere ſtatuimus, & ſequentia, quæ ipſe quidem aliter poſuit, frater vero Hincmarus quædam addens, plura ſubtrahens, vel commutans, aliter proſecutus eſt. Sed adhuc & in alio mira fratris Hincmari rurſus accedit aſtutia, & ſoli proprio voto favens ſe immiſcet prudentia. Denique cum apoſtolicæ & reverendæ memoriæ deceſſor noſter papa Benedictus ei privilegium, de quo nunc diximus, contuliſſet, ita quæ in eo continentur firmavit, ut ſuſpenſam ſententiam his jungeret, & ut per omnia ſedi apoſtolicæ ſua privilegia, ſicut jam fati ſumus, & auctoritatis propriæ jura, (quem in hoc & nos quoque ſecuti ſumus) inviolabilia reſervaret: interponens præterea nodos anathematis in eos, quibus prohibendum cenſuit, ne quilibet contra eadem canonica conſtituta, & decreta pontificum Romanorum pertinaciter obviaſſet: id eſt, ne quis vel contra illa, quæ fratri Hincmaro conceſſerat, vel quæ ſedi propriæ reſervarat, agere tentaviſſet. Sed ille, quæ horum ſuo libitui favere conſpexit, omnium notitiæ patefecit: quæ autem ſedis ſunt apoſtolicæ reſervata juri, cunctorum notioni ſubduxit. Teſtantur hoc exemplaria ejuſdem privilegii, quæ ab eo ſunt ad ſedem apoſtolicam diverſo tempore miſſa. Quantum vero talis ſcriptorum depravatio ac mutilatio noceat, ipſi jam potuiſtis advertere, qui in concilio videntes quædam ipſius conſtituti, ſicuti veſtro relatu didicimus, quædam vero non videntes, cœptum circa oppreſſos pium laborem deterriti minus perfectum deſeruiſſe nunc dignoſceremini, niſi noſtris inſtructi monitis, & noſtris ibidem confortati litteris inveniremini. Miſerat enim ſæpe memoratus antiſtes, egregiæ recordationis deceſſori meo per ſcripta ſua, quod iidem clerici ad vicinos epiſcopos provocaverint, contra ſe libellum proclamationis dederint, judices ſibi ipſi elegerint, & cetera, quæ longum eſt

numerare, ſignificans. At ille divinitus inſpiratus, ei reſcribens: Si inquit ita eſt, noſtroque ut ſcriptis præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, (quod frater Hincmarus de textu penitus eraſit) ratas eaſdem (ſubauditur diffinitiones) apoſtolica promulgamus, non in omnibus, ut ipſe addidit, fore auctoritate, ſemperque manere ſtatuimus. Deinde ſubjunctum eſt, quod ipſe longe aliter mutavit ſcribens, ut inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur. Nunc autem cum ita non fuiſſe, tam a nobis, quam a ſancto concilio veſtro extiterit comprobatum, quod ſuggeſſerat merito in irritum ductum eſt, quod contra dejectos non ſimpliciter impetraverat. Sed ad propoſitum redeamus. Igitur tandem aliquando clericis ſæpe memoratis, qui ſemper ad apoſtolicam ſedem appellaverunt, etiam nobis litteris ſuis pro dejectione ſua querimoniam exponentibus, non fuit diſſimulandi, non fuit nobis tacendi libertas, quibus major cunctis Chriſtianæ religionis zelus incumbit. Ac ideo primum quidem fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro miſimus, uti commemoratos viros, Vulfadum ſcilicet, collegaſque ipſius, clementi animo ſtuderet ad ſe revocare, depoſitaque omni funditus animoſitate, de reſtitutione ipſorum ſecum fraterne tractaret, atque miſericorditer conſummare contenderet. alioquin ad concilium vobiſcum, quibus & nos quoque pro hoc ipſo ſcripſimus, ſimul occurreret; quatenus omnes in unum convenientes, cauſas eorumdem clericorum examinaretis, & non aliqua emergente diſceptatione, Deo præ oculis habito, diffiniretis. ſi vero quælibet inter partes diſceptatio proveniret, ad ſedem apoſtolicam noſtrum ſuſcepturæ ſpeciale judicium perſonæ vices tenentes utriuſque lateris convenirent. Quo Dei gratiæ juvamine peracto, ſuſcepimus nunc litteras amplectendæ dilectionis omnium veſtrum, maniſeſtiſſime ſignificantes, crebro memoratos clericos a totius conſona voce concilii dignos graduum ſuorum receptione pronuntiatos. ubi nulla, ſicut eiſdem litteris veſtris reperimus, diſceptatio provenit: nulla, ſicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit: nullus accuſator, nullus condemnator repertus eſt: ſed cunctorum una eademque ſententia, atque in reſtitutione ipſorum diffinitio claruit, eiſdem innoxiis a cunctorum unanimitate modis omnibus approbatis. Quamquam vos non egeritis ſolenniter, minime, ſecundum quod nos decreveramus, ſedi apoſtolicæ plena relatione actionum ſeriem reſerantes: adeo ut propemodum ipſius veſtri concilii geſtis incognitis, ad diffiniendum quid de ſæpedictorum clericorum ſtatu pæne retraheremur, niſi labor prædeceſſorum noſtrorum, apud nos in rerum geſtarum ſcripturis inventus, nos ad ſe tandem perficiendum pleniter animaſſet. Debuiſtis enim, quidquid de Ebbonis dejectione, relevatione, horum clericorum promotione, & ipſius Ebbonis iterata repulſione, ad aliamque eccleſiam migratione, vel undecomque ibi quippiam ventilatum eſt, nobis ſcripto unanimiter, pleniter, ac fideliter intimare: non ſolum autem nobis intimare, verum etiam monumentis inſertum ad pleniorem penes nos notitiam & certitudinem reſervare. Sed quia hoc negligentia prætermiſſum eſt, ſaltem nunc omni diligentia procurate, ut quæcumque ſuper hac reſcripta, tam a nobis prius & nunc, quam a vobis edita reperiuntur, & quid hinc coepiſcopus Hincmarus, & illi dejecti clerici ſedi apoſtolicæ ſuggeſſerint atque retulerint: in volumen unum

ANNO CHRISTI 866.

ANNO CHRISTI 866.

unum ordine quo miſſa ſunt redigantur, & apoſtolicæ ſedi, ut competens eſt, vobis eorum exemplaribus reſervatis, ſummo ſtudio dirigantur. Quod cum diligenter actum fuerit, tunc profecto plene ſcire poſſumus, cuncta vos in concilio ſtrenue peregiſſe: & quod hactenus omiſſum eſt, hoc ordine Chriſto juvante recuperabitur. In quo tamen agendo venerabilem Vulfadum præ ceteris abundantiorem convenit curam arripere. Deinde vero volumus vos eſſe ſolicitos, ut ſi de cetero tale quid forte contigerit evenire, pro quo conventum in regionibus veſtris fieri ſacerdotum præcipiamus, hoc inter cetera nulli penitus oblivioni tradatis: ſed poſt omnia id agere majorum more ſtudioſiſſime ſatagatis. Arridet autem huic unanimitatis veſtræ ſententiæ atque diffinitioni etiam fratris & coepiſcopi noſtri Hincmari profeſſio: quia non ſolum eoſdem fratres, & antea ſe minime ab officio ſuſpendiſſe, vel judicaſſe, aut a gradibus ejeciſſe, ſive in repulſione ipſorum ſubſcripſiſſe; verum etiam & nunc ad ſynodum, ſicut nos præcepimus, conveniſſe, & his quæ de reſtitutione illorum ceteri antiſtites conſenſerunt, paratiſſime annuiſſe, & obtemperare curaſſe teſtatur. cujus etiam nomen in epiſtola ſynodica, (ſicut noſtra relatio indicat) una cum nominibus veſtris, qui ſimul conveniſſe dignoſcimini, pariter adſcriptum inventum eſt. Illud tamen ridere libuit, quod idem antiſtes crebro memoratos clericos ab officio ſe minime ſuſpendiſſe, vel judicaſſe, aut a gradibus ejeciſſe fatetur: præſertim cum hæc non veritate fulta multis eſſe probatur indiciis, quæ ſuperius ſummatim tetigimus, & nunc ea vel plura commemorare ſtudio brevitatis omittimus. Nam niſi ille eos, etiam ante omnem audientiam, & adhuc cum ad ſe non accuſantes, ſed miſericordiam poſtulantes acceſſerint, ab officio ſuſpendit; quid eſt quod in actis concilii ſui, quod ipſe ad ſedem apoſtolicam miſit, ab eo ſuſpenſi ab officio fuiſſe memorantur? quibus cum tacens nihil ipſe reſponderit, quid aliud, niſi vera eos proſecutos, ſilentio ſuo tribuit patenter intelligi? Et e diverſo illi ſuper quo querelas ſuas crebro dicto ſanctæ memoriæ Leoni papæ mittebant? vel quem, niſi eum, ſuum impulſorem a gradibus propriis, & infeſtum ſibi, quem circa ſe veluti patrem benignum debebant cognoſcere, frequenti relatione pandebant? Poſtremo niſi ille in dejectione ipſorum ſubſcripſit, immo niſi totius depoſitionis eorum ſeriem ipſe ſcripſit, quid eſt quod ei in ſubinde memorato privilegio, quod ſibi ab apoſtolica ſede roborari petiit, beatæ memoriæ deceſſor meus ad eum loquens, quod ipſe diffinitiones illas in ſynodo cum ceteris epiſcopis collecta, juxta relationem utique ſuam propriis digitis roboraverit, manifeſtat? Quod ſi dicit, nunquam ſe in illa ſynodo ſubſcripſiſſe, ergo nec deceſſor noſter aliquam ei ſynodum privilegio ſuo firmavit? quippe cum ipſe eam, quam auctoritate apoſtolica ſtabilivit, propriis digitis ipſius roboratam ſpecialiter fuiſſe commemoret. Igitur fratres cariſſimi, nos in præfatorum clericorum reſtitutione gradus, omnibus hactenus argumentis rite collectis, & omnium veſtrum hortatu generalis incitante conſenſus, omnimodam conniventiam præbere potuiſſe cognoſcite. Sed quoniam non ſecundum decretum noſtrum eorum examinatio mera & perfecta diſcuſſio provenit, nec promotio vel abjectio ipſorum in ſynodali conventu qualis fuerit, liquido reperta eſt, nec apoſtolicæ ſedi ſufficienti relatu monſtrata: idcirco paululum a conſummanda reſtitutione ipſorum interim deliberativum conſenſum noſtrum coercere neceſſarium duximus. Verum quia in decernendo & in judicando quod canonice deliberatum eſt, ac in reſtituendis ſæpedictis clericis, atque in omnibus, Deo præduce, ſicut decuit & ordo popoſcit, noſtra præceſſit auctoritas; conveniens ac honeſtum eſt, ut juxta poſtulationem veſtram, noſtræ firmationis perfecta ſubſequatur integritas, eo dumtaxat ordine, ut frequentius intimati clerici, qui evidentiſſime irregulariter ab officio graduum ſuorum ſuſpenſi fuiſſe noſcuntur, & hinc ſedem apoſtolicam ſæpiſſime provocaſſe nonnullis indiciis comprobantur, ante omnia priſtinis gradibus & officiis reformati conſiſtant. ita ut prioribus redditi gradibus & ordinibus, & quodammodo ſuis omnibus reveſtiti, vires adverſus impetentes ſe integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire poterit. Quibus videlicet gradibus ac officiis fruentibus eis, fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro licentia ſit, intra totius hujus capedinem anni, ſæpedictos exhibere clericos ab ordinibus ſuis canonice fuiſſe dejectos: ita ut quidquid habet calumniarum, proſequendi & exequendi ſibi ſit omnino facultas. Quod ſi totius hujus anni circuitu dilapſo, contra eos nullam juſtam apud ſedem apoſtolicam querimoniam compoſuerit, nec illos appetere de quocumque vel cujuſcumque reatu, vel exceſſu, ſeu damnatione ſtuduerit; ipſis quidem deinceps in ordinibus permanentibus, nos profecto nulli torpori dabimus operam, nec ullo pacto a ſumma ceſſabimus diligentia, donec aut ipſe nunc illos juſte comprobet reſtitutos, aut juſte per ſe quondam oſtendat remotos. Alioquin nos ſubſequenter exhibere procul dubio convenit, non ſolum ſæpe fatos clericos præjudicialiter abſque canone ab officio ſequeſtratos, verum etiam ordinatorem eorum inconvenienter, ac ſine conſequentia eccleſiaſtica, regimine præſulari privatum. Quod plane præter eum nullus, ut remur, omnino dubitat, nullus profecto non prædicat. quandoquidem & nobis ita claret, quantum autumare poſſumus, quemadmodum his qui in illo tempore præſto fuiſſe memorantur.

Illud tamen, cariſſimi, prætereundum inter cetera fore non duximus, quod quantum relationis veſtræ ſeries innuit, minus caute quam ſanximus regularia conſtituti noſtri executi ſitis edicta. Nos quippe, etſi appellantium ſedem apoſtolicam clericorum, & ad judicium ejus provocantium cauſam, propter amovendum a vobis prolixioris laborem itineris, illic audiri, vel etiam diffiniri ſtatuimus: non tamen quemquam eorum promovendum, vel ad eminentiorem ordinem provehendum indulſimus, quemadmodum nunc factum eſſe veſtro favore per ſcripta veſtra didicimus. Miramur inſuper, & quærimus, quænam illa ſit ſumma rei, quam vos noſtræ auctoritati reſervaſſe prætenditis, & hanc invenire non poſſumus. Quam enim nobis ſummam reſervaſtis negotii, cujus adeo finem perducere maturaſtis, ut nobis inconſultis, etiam paſtoralem reſtitutis conferre ſolicitudinem patereminі? & qui ad eos priſtino gradui reformandos noſtræ auctoritatis eguiſtis, ad promovendum reſponſum noſtrum nequaquam præſtolari duxiſtis? Quantum autem filius noſter Carolus glorioſus rex id a nobis exegit: ſed nos veſtram caritatem & honorificentiam, quos jam convenire juſſeramus, merito conſervantes, nullo pacto, priuſquam rerum nobis exitus per

vos



ANNO CHRISTI 866.

vos patefieret, conſenſum in hoc præbituros ſemper ei reſcripſimus. quod, fratres, ſaltem ad vicem minime cuſtodientes, laudo vos, ſed in hoc non laudo. Porro ſi quiſpiam ſedem apoſtolicam, per Sergium ſanctæ memoriæ papam, Ebbonem quondam archiepiſcopum indignum clericali communione ſanxiſſe perhibet, noverit quoniam talem ſedes apoſtolica debuit Ebbonem, donec ſynodali ejus examine cauſa diſcuteretur, habere, qualem ab aliis habitum non ignorabat. Statutum quippe in magna & veneranda Nicæna ſynodo legerat, ut de his qui communione privantur, ſeu ex clero, ſeu ex laico ordine, epiſcopis per unamquamque provinciam ſententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur: requiratur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet epiſcopi vitio, videatur a congregatione ſecluſus. Donec igitur auctoritate ſua hujuſcemodi puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet vitio, examinatio vel dijudicatio proveniret, apoſtolica ſedes nihil agere debuit, niſi quod egit. videlicet ut ab aliis abjectum ipſa nequaquam indiſcuſſe ſuſciperet. Præcipue cum prædictus Ebbo non quaſi pro depoſitione ſua queritans, & legitime reſtitui volens examine præcedente ſedem apoſtolicam appellaverit: ſed, ut codex epiſcopalis indicat, a contumacibus ſuaſus, & his junctus, repente & reconciliari ab ea, & pallio decorari quærens, & quaſi epiſcopus inter epiſcopos, nulla cauſæ diſcuſſione præveniente, communicari poſcens, ad eamdem ſummam ſedem acceſſerit, a qua jam reprobatus ab aliis merito debuit reprobari, donec ſupplex ab ea ſeſe canonice poſceret adjuvari. Nam conſtat, ut ſanctus papa ſcribit Gelaſius, uniuſcujuſque ſynodi conſtitutum, quod univerſalis eccleſiæ probavit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem præ ceteris oportere, quam primam, quæ & unamquamque ſynodum & ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus apoſtolus domini voce perceptum, eccleſia nihilo minus ſubſequente, & tenuit ſemper & retinet. Verumtamen qualiſcumque fuerit, vel quæcumque pertulerit Ebbo, a ſe ordinatis, qui nihil præter humilitatem & obedientiam exhibuerunt, nullum prorſus intulit offendiculum. quoniam & beatiſſimus Leo ad Mauros ſcribens, ita de quodam Maximo præcipit dicens: Maximum quoque, licet reprehenſibiliter ordinatum, tamen ſi Donatiſta jam non eſt, & a ſpiritu ſchiſmaticæ pravitatis alienus eſt, ab epiſcopali, quam quoquomodo adeptus eſt, non repellimus dignitate. Et Anaſtaſius ejuſdem apoſtolicæ ſedis præſul, quod mali bona miniſtrando ſibi tantummodo noceant, nec eccleſiæ ſacramenta commaculent, ad Anaſtaſium principem ſcribens evidentiſſima ratione demonſtrat. Oramus ſanctam fraternitatem veſtram in Chriſto nunc & ſemper valere. Data VIII. Idus Decembris, indictione XV. [a]

Conc. Nicæni c. 5.

Epiſt. 11. ad Dardanos.

Epiſt. 91.

Epiſt. unica.

[a] Anno Chriſti 866.

XII.

## EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM Rhemenſem.

Ejuſdem argumenti cum præcedente. Hincmari enim fraudes aperit circa clericos dejectos, & circa litteras Benedicti papæ. Sub finem etiam arguit quod pallio conceſſum ultra modum uti diceretur.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.*

EPiſtolam beatitudinis tuæ cum epiſtola ſynodi miſſam per legatum ejuſdem veſtri ſacrati collegii, Egilonem videlicet fratrem & coepiſcopum noſtrum, ſuſcipientes, & tam ex ipſis epiſtolis, quam ex verbis ejuſdem venerabilis viri, devotionem & ſupplicem parentiam tuam, quam erga ſedem apoſtolicam habes, etiam nunc agnovimus, perpetuamque benevolentiam tuam, quam circa dejectos fratres & filios alacriter exhibuiſſe te dicis, laudamus. nimirum qui & ſecundum apoſtolum fleviſſe te cum flentibus indicas, & nunc gaudere cum gaudentibus manifeſtas. (Rom. 12.) Quorum & nos quoque clamorem clericorum ſpernere ratio nulla ſivit, & ad vociferationes eorum ad ſedem apoſtolicam etiam ſub deceſſoribus meis frequenter emiſſas, aures obturare paterna caritas non permiſit. Portamus quippe onera omnium qui gravantur: quinimmo hæc portat in nobis beatus apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit ac tuetur heredes. Verum cum nonnulla ſcripta ſedi apoſtolicæ diverſis temporibus delata, vel etiam ab ea data, ob hujus reperiendam rei certitudinem diligenter inveſtigaremus: accidit ut etiam Deo revelante acta concilii, quod auctore te præfatos viros ſegregaſſe dignoſcitur, a te nobis dudum tranſmiſſa cum actionibus pro Rothado venerabili epiſcopo, venirent ad manus. In quibus quanta reprehenſionum inveniatur congeries ſi voluerimus exhibere per ſingula, facilius chartæ quam verba deficient. Ibi namque falſitas in ipſo mox actionum invenitur principio. An non falſitas, cum ſponte perveniſſe dejectos illos ad eccleſiæ januas pro ſua neceſſitate ipſe deſcribas. qui veniſſe probantur inviti? præcipue cum Wlfadus ibidem non fuerit, cujus nomen inter petentium nomina fallaciter extitit recitatum? Ibi ante tempus examinis jam judicatum, & ante legitimum judicium condemnatum fuiſſe dignoſcitur. Ibi ante audientiam, & ante certum numerum collectorum epiſcoporum presbyteri diaconique privationi miniſteriorum ſuorum ſubduntur. Ibi metropolitanus antiſtes modo ſua jura deponit, modo reſumit: modo ſubeſt ſynodo, modo præeſt. modo quaſi accuſatus, modo accuſator, modo judex accedit, & pro libitu proprio vicibus alternantibus cuncta diſponens, more cujuſdam animantis, non ſemper unius ejuſdemque coloris apparet. Ibi inquam nolentes proclamare, proclamare coguntur, & tanquam accuſatores libellum proclamationis porrigere compelluntur, licet tenorem libelli juxta morem geſtis non inſerueris, cum eiſdem nonnulla minus etiam neceſſaria proberis inſeruiſſe. Ibi abſens, & ut illic habetur ægrotus addicitur, & dolor

ſuper

ANNO CHRISTI 866.

A ſuper dolorem apponitur; dum abſens Wlfadus libello quaſi præſens aſcribitur, & in lecto jacens nunquamque reclamans, ſocietatem habere cum præſentibus reclamatoribus falſo prætenditur. In quo conſiderandum eſt, quia ſi leges ſæculi etiam de rebus pecuniariis, quæ extra nos ſunt, ægrotum reſpondere non cogunt, quanto minus a domini ſacerdotibus infirmus quilibet compelli ad querimoniam debuit de negotio, quod in eumdem ipſum conflari dignoſcebatur, & quod hunc ad depoſitionis caſum impellere probabatur. quo dolore in hac vita major ubi quæſo eſt? Et ut ſtrictim pæne omnia complectamur, ibi ſola *Hebr. 13.* obedientia ſubditorum, quam apoſtolus præpoſitis exhibere jubet, reputatur in culpam, & qui B prælati judicio temere non reſtiterunt, ſed humiliter colla ſuppoſuerunt, ſeveriſſime puniuntur. Ibi qui nulla propria noxa deliquerunt, hæreticorum damnationem tanquam hæretici inciderunt, & qui miſericordiam petiverunt, nec juſtum judicium percipere meruerunt. Sed quid mirum, ſi textus & finis ejuſdem concilii accepti non ſunt, quando in nomine domini juxta morem inchoatum non eſt? *Coloſſ. 3.* Nam cum apoſtolo, omne quodcumque fecerimus Deo in verbo aut in opere, omnia in nomine domini Jeſu facienda præcipiente, ritus eccleſiaſticus in colligendis conciliis id obſervet, & in hoc dumtaxat, abdito permittente divino judicio, fuerit prætermiſſum: conſtat procul dubio, non eos in nomine domini C congregatos extitiſſe, ac per hoc eum minime in ſui medio habuiſſe, qui tale concilium, immo *Pſal. 15.* conventicula ſua de ſanguinibus contra pſalmiſtam congregaverunt, & quoddam animal imitati, non niſi extinctis propriis filiis poſſe ſubſiſtere putaverunt. Jam vero ſi idem concilium ab apoſtolica ſede prætenditur fuiſſe approbatum, quemadmodum id verſuta fuerit cavillatione ab apoſtolica ſede præceptum, fraternitas tua non neſcit. Denique de memoratis clericis, Wlfado ſcilicet & collegis ipſius, quod tibi viſum eſt, conſummato, mox præceſſori meo beatæ recordationis Leoni præſuli non ſemel ſupplices litteras miſiſti, quatenus idem concilium approbans auctoritate apoſtolica roboraret. Quod ille non D ſolum minime annuit, verum etiam agere ſolicite renuit, dicens, Idcirco ſe petitiones tuas pro confirmanda ſynodo, in qua depoſiti præfati viri fuerant, ſuſpendiſſe, eo quod per aliquos ex his epiſcopis, qui in ſynodo reſederant, ut dubitatio foret radicitus evulſa, ſtatuta ejuſdem ſynodi deſtinare debuiſſes, præcipue cum ibidem legati ſedis apoſtolicæ præſentes non fuerint. Poſtremo quod hi, quos tu auctoritate ſynodi affirmabas depoſitos, per proprias litteras ad ſedem apoſtolicam appellaverint, & vellent iterum ſua ſe apoſtolica audiri præſentia, & tunc ſi culpabiles invenirentur, non abnuerent catholicam ſuſtinere cenſuram. Sed venerabilitas tua ſciens utique concilium iſtud, ut ſupra oſtenſum eſt, E reprehenſionibus non paucis reſperſum, acta quidem illius per neminem epiſcoporum, qui his interfuerant deſtinavit: ut tamen firmarentur, denuo precibus agere non ceſſavit. Sed dejectorum, iterato clamore crebreſcente clericorum, nec ſic quod petebatur laudabilis præſul indulſit. Præcepit autem per alteram ſuæ ſanctionis epiſtolam, ut ipſe ad concilium cum illis occurreres, ad quod ſuum ipſe legatum, Petrum videlicet epiſcopum Spoletanum, e latere ſuo direxerat: ad renovandum ſcilicet judicium vice ſua, & congregatis rurſus epiſcopis ad depoſitorum reclamantium, auxiliante domino trutinandum ac

A ſopiendum negotium. Ita ut ſi eiſdem dejectis clericis contigiſſet, ut in ipſa debuiſſent depoſitione perſiſtere, & obedire renuiſſent, ſedemque apoſtolicam iterum expetiſſent, ne ipſius apoſtolicæ ſedis diſſolveretur privilegium, illis ad eam veniendi non negaretur licentia. Cum quibus præcepit ut tua fraternitas vel miſſus ejus veniret: quatenus cum fratribus ſuis epiſcopis æquum de his judicium conferre potuiſſet, & utraque parte conveniente, cauſas eorum eadem ſancta ſedes canonice diffiniſſet. Verum qui prius epiſcopum, legatum videlicet concilii tui ſedis apoſtolicæ viſioni ſubtraxeras, etiam tuam audientiæ ab ea deſignatæ præſentiam ſubducens, probaſti de te illa quæ dicta ſunt: videlicet quod tale B concilium ſtatueris, quale ſuperius monſtratum eſt. Interea te voti effectu fruſtrato, apoſtolicæ ſedis & beatæ recordationis pontifex Leo, qui fraternitatis tuæ propoſitum noverat, ab hac luce ſubtractus eſt. Cumque ſanctæ memoriæ Benedictus vir apoſtolicus ei ſucceſſiſſet in ordine pontificatus, rurſus reverentia tua arma præparat, & eidem ſummo præſuli, tamquam ſuarum inexperto verſutiarum, latenter ſubripit, & in ipſo conſecrationis ipſius principio ſuadet, ut concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret: non tamen ei ullo modo ſubripi aut ſuaderi potuit, ut a juſtæ definitionis & diſcretiſſimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret. Nam ſicut videre eſt, & ipſe C liquido noſti, qui ejuſdem privilegii paginam penes te habere repoſitam dignoſceris, ita per privilegium tibi conceſſum illius concilii roboravit inſtitutum, ut auctoritatis ſummam ſedi apoſtolicæ reſervaret. Unde actum eſt, ut quod male petitum fuerat, Spiritu docente Dei, bene ſapiens præſul concederet; & nihil proficeret humana ſubreptio, ubi pectus tanti pontificis divina replebat infuſio: nec obeſſet cujuſquam ſuaſio, ubi antiſtitis ſancti prudens obviavit & providentiſſima moderatio. dum in ipſo privilegio tenorem præmiſerit, quod ſic decretum eſt ab eo manenda inconvulſa quæ petebantur, ſi ita eſſent per omnia, quæ de illa ſynodo ſibi a ſanctitate tua referebantur. Interpoſuit enim D ancipitem in eo ſententiam dicens: Si ita eſt, noſtroque ut ſcriptis præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, ratas eaſdem, quin diffinitiones, apoſtolica promulgamus fore auctoritate. Licet tu hujus tenoris circumſtantiam de collati privilegii textu minus ſimpliciter excipiens, & noſtræ viſioni ſubduxeris, & aliorum notioni ſubtraxeris: interſerens inſuper quæ ille aut nunquam, aut aliter ſanxerat. Ipſe namque de memoratis diffinitionibus dixit: Ratas eaſdem apoſtolica promulgamus fore auctoritate, ſemperque manere ſtatuimus, & ſequentia. Quæ ipſe quidem aliter poſuit: tu vero addens atque commutans proſecutus es, dicens: Ratas eaſdem apoſtolica E promulgamus in omnibus fore auctoritate, ſemperque manere ſtatuimus, ut inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur. Quod quantum inter ſe diſcrepet, videlicet quod ille promulgavit, & quod tu minuiſti, vel adjeciſti, vel mutaſti, ipſe perpendis. Sed adhuc & in alio mira fraternitatis tuæ accedit aſtutia, & ſoli proprio voto favens ſe immiſcet prudentia. Denique cum apoſtolicæ ſanctitatis atque memoriæ idem deceſſor noſter papa Benedictus tibi privilegium, de quo nunc diximus, contuliſſet, ita quæ in eo continentur firmavit, ut ſuſpenſam ſententiam his jungeret, & ut per omnia ſedi apoſtolicæ ſua privilegia, ſicut jam fati ſumus,

& au-



ANNO CHRISTI 866.

A & auctoritatis propriæ jura, (quæ in hoc & nos quoque ſecuti ſumus) inviolabilia reſervaret. Interponens præterea nodos anathematis in eos, quibus prohibendum cenſuit, ne quilibet contra eadem canonica conſtituta & decreta pontificum Romanorum pertinaciter obviaſſet: id eſt, ne quis contra illa quæ tibi conceſſerat, vel quæ ſedi propriæ reſervarat, agere tentaviſſet. Sed tu quæ horum tuo libitui favere conſpexiſti, omnium notitiæ patefeciſti: quæ autem ſedis ſunt apoſtolicæ reſervata juri, cunctorum notioni ſubduxiſti. Teſtantur hoc exemplaria ejuſdem privilegii, quæ ſunt ad ſedem apoſtolicam diverſo tempore miſſa. Quantum vero talis ſcriptorum depravatio aut mutilatio noceat, ipſe jam potuiſti cum B fratribus & coepiſcopis tuis advertere. qui in concilio videntes quædam ipſius conſtituti, ſicut relatu ipſorum didicimus, quædam vero non videntes, cœptum circa oppreſſos pium laborem deterriti minus perfectum deſerviſſe nunc dignoſcerentur, niſi noſtris inſtructi monitis, & noſtris ibidem confortati litteris invenirentur. Quamobrem jure fortaſſis te fraudis aliquid in talibus committere fateri poſſemus, niſi reverentiæ tuæ, quod ipſe non ſperas, parcere noſtra moderatio ſtuduiſſet. Siquidem relationum detruncatio, non ſolum cognitionem ab hominibus ſubtrahit, verum etiam audientes in errorem inducit. Ecce enim dicimus, Juſtus dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo: unde ſi una C ſola ſyllaba ſubtrahitur, blaſphemia protinus in Deum ſine cunctatione committitur. Si ergo unius ſyllabæ tantum in Deum piaculum gignit ablatio, quantum putas tot poteſt dictionum reciſio ignorantibus generare diſpendium? Quamvis ſit in hoc facto & aliud quoque ſubtiliter conſiderandum. Nam cum anathematis interpoſitio, non ſolum illos, qui contra beneficia tibi conceſſa committunt, verum etiam & hos, qui jura ſedis apoſtolicæ temere diſſolvunt, complectendo percellat, & tu ipſam interpoſitionem anathematis, quæ ad ſedis apoſtolicæ pertinent privilegia tacens, poſt textum præceptionis tibi conceſſæ, in eo dumtaxat quod te mulcet commemoraveris, aperte claret te nos hujuſmodi D argumento callide tetigiſſe: cum profecto liqueat, ſic illud vinculum anathematis deceſſoris noſtri decretum non obſervantes percellere, ut tamen jus apoſtolicæ ſedis ſemper maneat illibatum; & ſi ita eſſe quod ſuggerebatur, foret per omnia comprobatum. Quod ergo nos in cauſa dejectorum egimus clericorum, ad ſedis apoſtolicæ pertinet privilegium, ac per hoc merito inde ſumus immunes. Tu vero violationis ejuſdem privilegii haberis obnoxius: qui pulſis illis clericis ad ſedem apoſtolicam provocantibus, manum obicem ſubdole præparaſſe cerneris, ac per hoc illatam in eodem conſtituto anathematis pœnam convenientius incidiſſe crederis. Videlicet dum talem crebro dicti privilegii textum & tenorem additione, E detruncatione, ac mutatione tua cunctis oſtenderis, ut merito ſubinde memoratis clericis metum & deſperationem poſſet incutere, ac eos ab inchoata reclamationis voce prorſus avertere. Nam cum nobis, quos noſti utique priſco eccleſiæ Romanæ more in regeſtis exemplaria ſcriptorum, quæ a ſede dantur apoſtolica, reſervare, & quos conjicere potuiſti, cum tempore deceſſoris mei darentur, ea etiam præſentialiter intuitos eſſe, ſic mutilatum & depravatum idem inſtitutum mittere non formidaveris, quam depravatum & defraudatum nullam hujus experientiam habentibus ad ſubverſionem vim patientium forſitan

A exhibuiſti? Quam profecto rem magnopere, frater cariſſime, fugere debuiſti: veritus videlicet, ne ſi non adverſus ſæpedictum tibi collatum privilegium, vel contra principale ſedis apoſtolicæ jus agere videreris, ſaltem ne in aliquo ipſe falſarius, quod abſit, a ſacerdotali verecundia repertireris. Miſiſti enim egregiæ recordationis deceſſori meo per ſcripta tua, quod iidem clerici ad vicinos epiſcopos provocaverint, contra te libellum proclamationis dederint, judices ſibi ipſi elegerint, & cetera quæ longum eſt dinumerare ſignificans. At ille divinitus inſpiratus tibi reſcribens: Si, inquit, ita eſt, noſtroque ut ſcriptis præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, (quod tu de textu penitus eraſiſti) ratas B eaſdem (ſubanditur diffinitiones) apoſtolica promulgamus, non in omnibus, ut ipſe addidiſti, fore auctoritate, ſemperque manere ſtatuimus. Deinde ſubjunctum eſt, quod tu longe aliter mutaſti ſcribens, ut inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur. Nunc autem cum ita non fuiſſe, tam a nobis, quam a ſancto concilio veſtro fuerit comprobatum, quod dudum ſuggeſſeras, merito in irritum ductum eſt, quod contra dejectos non ſimpliciter impetraveras. Sed ad propoſitum redeamus. Igitur tandem aliquando clericis ſæpe memoratis, qui ſemper ad apoſtolicam ſedem appellaverunt, etiam nobis litteris ſuis pro dejectione ſua querimoniam exponentibus, non fuit diſſimulandi, non fuit nobis tacendi libertas, C quibus major cunctis Chriſtianæ religionis zelus incumbit. Ac ideo primum tibi miſimus, uti commemoratos viros, Wlfadum ſcilicet, collegaſque ipſius, clementi animo ſtuderes ad te revocare, depoſitaque omni funditus animoſitate, de reſtitutione ipſorum tecum fraterne tractares, atque miſericorditer conſummare contenderes. alioquin ad concilium cum ceteris in illis regionibus conſtitutis archiepiſcopis & epiſcopis, quibus & nos quoque pro hoc ipſo ſcripſimus, ſimul occurreres: quatenus omnes in unum convenientes cauſas eorumdem clericorum examinaretis, & non aliqua emergente diſceptatione, Deo præ oculis habito diffiniretis. Si vero quælibet inter partes diſceptatio proveniret, ad ſedem D apoſtolicam, noſtrum ſuſcepturæ ſpeciale judicium perſonæ vices tenentes utriuſque lateris convenirent. Quo Dei gratiæ juvamine peracto, ſuſcepimus nunc litteras amplectendæ dilectionis omnium veſtrum, manifeſtiſſime ſignificantes, crebro memoratos clericos a totius conſona voce concilii dignos graduum ſuorum receptione pronuntiatos. Ubi nulla, ſicut eiſdem litteris veſtris reperimus, diſceptatio provenit, nulla, ſicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit: nullus accuſator, nullus condemnator repertus eſt: ſed cunctorum una eademque ſententia, atque in reſtitutione ipſorum diffinitio claruit, eiſdem innoxiis a cunctorum unanimitate modis omnibus approbatis. Ergo E ſi innoxii ſunt illi quondam depoſiti ab unanimitate omnium approbati, qui depoſuerant quomodo ſint innoxii jure, neſcimus. Arridet autem hujus unanimitatis veſtræ ſententiæ, atque diffinitioni, etiam tua, quamvis non ſimplex, ſummiſſa tamen profeſſio, qua non ſolum eoſdem fratres, & antea te minime ab officio ſuſpendiſſe, vel judicaſſe, aut a gradibus ejeciſſe, ſive in repulſione ipſorum ſubſcripſiſſe, verum etiam & nunc ad ſynodum, ſicut nos præcepimus, conveniſſe, & his quæ de reſtitutione illorum ceteri antiſtites conſenſerunt, paratiſſime annuiſſe, & obtemperare curaſſe teſtaris. Cujus etiam

ANNO CHRISTI 866.

jam nomen in epiſtola ſynodica, ſicut ejus relatio indicat, una cum convenientium fratrum & conſacerdotum nominibus pariter adſcriptum inventum eſt.

Illud tamen ridere libuit, quod fraternitas tua crebro memoratos clericos ab officio ſe minime ſuſpendiſſe, vel judicaſſe, aut a gradibus ejeciſſe fatetur: præſertim cum hæc non veritate fulta multis etiam probentur indiciis. Sed quamvis ſuperius ſummatim tetigiſſemus quæ geſta ſunt, nolumus tamen hæc pleniter exaggerare; ne compellamur quæ digna ſunt judicare. Nam niſi tu illos, etiam ante omnem audientiam, & adhuc cum ad te non accuſantes, ſed miſericordiam poſtulantes acceſſerint, ab officio ſuſpendiſti, quid eſt quod in actis concilii tui, quod ipſe ad ſedem apoſtolicam miſiſti, a te ſuſpenſi ab officio fuiſſe memorantur? Quibus cum taceus nihil ipſe reſponderis, quid aliud niſi vera eos proſecutos ſilentio tuo tribuiſti patenter intelligi? Et e diverſo illi ſuper quo querelas ſuas crebro dictæ ſanctæ memoriæ Leoni papæ mittebant, vel quem niſi te ſuum impulſorem a gradibus propriis, infeſtum ſibi, quem circa ſe veluti patrem benignum debebant cognoſcere, frequenti relatione pandebant? Poſtremo, niſi tu in dejectione ipſorum ſubſcripſiſti, immo niſi totius depoſitionis eorum ſeriem ipſe ſcripſiſti; quid eſt quod in ſubinde memorato privilegio, quod tibi ab apoſtolica ſede roborari petiſti, beatæ memoriæ deceſſor meus ad te loquens, quod tu diffinitiones illas in ſynodo cum ceteris epiſcopis collecta, juxta relationem utique tuam, propriis digitis roboraveris, manifeſtat? Quod ſi dicis, nunquam te in illa ſynodo ſubſcripſiſſe, ergo nec deceſſor noſter aliquam tibi ſynodum privilegio ſuo firmavit. Quippe cum ipſe eam, quam auctoritate apoſtolica ſtabilivit, propriis digitis tuis te ſpecialiter roboraſſe commemoret.

Jam vero, quod in epiſtola tua nobis ſcripſiſti, dicens eorumdem clericorum ſalubrem ac regularem ſtatum & cupiſſe te & cupere, & quæſiſſe & quærere, quis audiens eorum qui curſum negotii vel controverſiæ hujus novit, non miretur, & non obſtupeſcat? Porro ſi cupiſti, ubi eſt certamen, quod pro eorum, utpote filiorum, recuperatione ſumpſiſti? & ſi quæſiſti, ubi apparet? ubi datur ſaltem intelligi? Verum oſtende tu nobis quando ſtatum eorum cupiveris, vel quæſieris, & nos oſtendemus tibi prolixitate dimiſſa breviter, quod non ſtatum, ſed caſum ſemper eorum cupiveris & quæſiveris. Nam quid eſt quod obtinere modo legatis, modo litteris, apud deceſſores meos, Leonem ſcilicet & Benedictum beatæ recordationis pontifices te cupere & quærere ſignificas, niſi ut eorum quidem dejectio firmetur, reſtitutio vero nunquam ſperetur, caſus perpetuo roboretur, ſtatus aliquando minime reformetur? Ecce quomodo ſtatum eorum cupiviſti, ecce quomodo ſtatum quæſiſti. Sed dicis fortaſſe, te non qualemcumque ſtatum eorum, ſed ſalubrem ac regularem cupiviſſe atque quæſiſſe. Verum vel hoc quibuſvis exhibe teſtibus, aut quibus cupis oſtende probationibus. Nam tua, nec alia quæ penes nos rejacent, de te tale quid indicant ſcripta; cum potius ad omnimodam ruinam ipſorum affectum tuum jugiter intentum fuiſſe patenter inſinuent. Ad extremum, ſi tu eos non dejeciſti, quare non cum tui fuerint erexiſti? Jam vero, ſi & id tua ſola auctoritate agere nequiviſti, quare pro eis apoſtolicæ ſedis auctoritatem non petiviſti? quam ſic contra eos utinam non petiſſes. Siquidem ubi eſt dolor, quem pro eis, utpote pro filiis, incurriſti? ubi eſt ſaltem modicus labor, quem pro reſtituendis illis clementer arripuiſti? Quamvis forte verum ſit, quod te dejectioni eorum condoluiſſe & ſtatui gaudere teſtaris: hoc dumtaxat modo, ut ſicut de dejectione ipſorum condolueras, ita nunc de ſtatu congaudeas. quia videlicet nec tunc caſui eorum condoluiſti, nec nunc ſtatui fortaſſe congaudes. Sed inter hæc libet ad epiſtolæ tuæ verba intuitum mentis inflectere, & quam nobis non ſimpliciter ſcripſeris, ſtrictim oſtendere. Indecens quippe eſt, licet te non pudeat, ſedi apoſtolicæ ſubdole ſcribere, niſi aſtutiæ tuæ argumenta ipſa valeat comprehendere. In illa namque epiſtolæ tuæ conſtantia, nihil de abjectione clericorum eorum commemoraſti; & quam injuſte fuerint depoſiti, nihil penitus demonſtraſti: cum te oportuerit eoſdem profiteri clericos, pro conſecratione ſibi per Ebbonem collata, nullam ſui gradus pati debuiſſe jacturam. Præſertim cum ipſe cum ceteris fratribus & coepiſcopis tuis in ſynodica epiſtola, quam ad ſedem apoſtolicam communiter miſiſtis, Ebbonem [a] ſolam iram principis in ſua qualicumque dicta damnatione incurriſſe profitearis. Verum ſi ita ſacros canones intellexiſti, cum illos judicaſti, ſaltem hoc ipſum diceres, & quod hinc nos cenſuiſſemus, utpote majoris auctoritatis, amplecti contenderes. Per talem enim confeſſionem, quam Ebbo feciſſe prætenditur, nemo canonicæ damnationi ſubjicitur. Quod ſi tu taces, nos ſilere non poſſumus, & quod omnes injuſtum fatentur, ipſe juſtum, quantiſlibet utaris argumentis, probare non poteris. Quod ſi formidatum eſt, ne injuſta damnatio eorum in diſcrimen redundaret auctoris, & ideo quod injuſte fuerit prolata taceatur, non congruum initur conſilium. Facilius quippe veniam quis veritate, quam exquiſitis & minus aptis adinventionibus, impetrat. Præſertim cum veritas liberet, mendacium vero perdat. maxime cum non ſit timendum, ubi timor non eſt: nec agnoveris nos talem circa te geſtare dilectionis affectum, ut quid te velimus incurrere detrimenti, cum potius tui ſemper avidi fuerimus augmenti. Nam & Ebbonis cauſa, & iſtorum clericorum negotium, quæ prima tranſierunt, ut tibi cautelam non diſcrimen tribuant, anhelamus. Regiam quippe viam tenentes, ſic illis prodeſſe decrevimus, ut tuæ ſanctitati obeſſe nullo modo videremur: ſicque rurſum ſecuritatem tibi ſuper hoc præbemus, ut clericis crebro dictis hanc nullatenus adimamus. Ad ultimum vero, epiſtola, quæ nobis a te nunc miſſa dicitur, utrum tua fuerit, convenienter ambigitur; cum nec legatum tuum, qui hanc a te nobis tranſmiſſam ediceret, direxeris, nec eam ſigillo tuo ſecundum morem ſignare ſtudueris. Unde mirandum eſt, cum in dejectionem ipſorum clericorum etiam volumen non breve compoſueris. quamobrem in reſtitutionem ſaltem unam epiſtolam ſimplicem non edideris. In quo apparet, quantum ibi alacritatis, quantum hic deſidiæ ſtudium fuerit. Quamvis hæc ne nos arbitreris ad diſcrimen quodlibet tuæ ſanctitatis vel dignitatis exaggeraſſe, cum meliora eſſe vulnera diligentis, quam fraudulenta odii oſcula non neſcias: ſed ne adeo in privilegiorum tuorum defenſionem vel elationem immoderatius erigaris, ut apoſtolicæ ſedis jura quoquomodo temere tetigiſſe videaris. Nam mala conſuetudo, quæ non minus, quam pernicioſa corruptela vitanda eſt, niſi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis aſſumitur: & incipiunt prævaricatio-

ANNO CHRISTI 866.

Dist. 8. Mala conſuetudo.



ANNO CHRISTI 866.

cationes & variæ præſumptiones, celerrime non compreſſæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari. Igitur nos in præfatorum clericorum reſtitutione gradus, omnibus hactenus argumentis rite collectis, & omnium veſtrum hortatu generalis incitante conſenſus, omnimodam conniventiam præbere potuiſſe cognoſce. Sed quoniam non ſecundum decretum noſtrum eorum examinatio mera & perfecta diſcuſſio provenit, nec promotio vel abjectio ipſorum in ſynodali conventu qualis fuerit liquido reperta eſt, nec apoſtolicæ ſedi ſufficienti relatu monſtrata, idcirco paululum a conſummanda reſtitutione ipſorum interim deliberativum conſenſum noſtrum coercere neceſſarium duximus. Verum quia in decernendo, & in judicando quod canonice deliberatum eſt, ac in reſtituendis ſæpedictis clericis, atque in omnibus, Deo præduce, ſicut decuit, & ordo popoſcit, noſtra præceſſit auctoritas: conveniens ac honeſtum eſt, ut juxta poſtulationem veſtram, noſtræ firmationis perfecta ſubſequatur integritas: eo dumtaxat ordine, ut frequentius intimati clerici, qui evidentiſſime irregulariter ab officio graduum ſuorum ſuſpenſi fuiſſe noſcuntur, & hinc ſedem apoſtolicam ſæpiſſime provocaſſe nonnullis indiciis comprobantur; ante omnia priſtinis gradibus & officiis reformati conſiſtant: ita ut prioribus redditi gradibus & ordinibus, & quodam modo ſuis omnibus reveſtiti, vires adverſus impetentes ſe integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire poteſt. Quibus videlicet gradibus ac officiis fruentibus eis fraternitati tuæ licentia ſit, intra totius hujus capedinem anni ſæpedictos exhibere clericos ab ordinibus ſuis canonice fuiſſe dejectos: ita ut quidquid habes adverſus eos calumniarum proſequendi & exequendi tibi ſit omnino facultas. Quod ſi totius hujus anni circuitu dilapſo, contra eos nullam juſtam apud ſedem apoſtolicam querimoniam compoſueris, nec illos appetere de quocumque vel cujuſcumque reatu vel exceſſu ſeu damnatione ſtudueris, ipſis quidem deinceps ſuis ordinibus permanentibus, nos profecto nulli torpori dabimus operam, nec ullo pacto a ſumma ceſſabimus diligentia, donec aut tu juſte nunc illos comprobes reſtitutos, aut juſte per te quondam oſtendas remotos. Alioquin nos ſubſequenter exhibere procul dubio convenit, non ſolum ſæpefatos clericos præjudicialiter abſque canone ab officio ſequeſtratos, verum etiam ordinatorem eorum inconvenienter ac ſine conſequentia eccleſiaſtica regimine præſulari privatum: quod plane præter te nullus, ut remur, omnino dubitat, nullus profecto non prædicat. quandoquidem & nobis ita claret, quantum autumare poſſumus, quemadmodum his qui illo in tempore præſto fuiſſe memorantur. Poſtremo ſcire te volumus, noſtris auribus intimatum eſſe, fraternitatem tuam non certis temporibus, & juxta morem aliis metropolitanis antiſtitibus definitis, pallio a ſede apoſtolica conceſſo uti. Quod valde diſplicet, ſi id a ſanctitate tua fuerit elate commiſſum, ut humilitatis oblita ceteris fratribus ſuis ſtudeat videri ſublimior: quamvis hoc non ad inanem gloriam utendum ſit, ſed ad ornatum cunctarum virtutum geſtandum. Quod bene tempore, quo ipſius pallii uſum a ſede apoſtolica percepiſti, ſcripto paginæ more ſolito tibi oſtenſum atque præceptum eſt. Cujus uſus ſi fraternitati tuæ a ſede apoſtolica omni tempore conceſſus eſt, licet ſit præter eccleſiæ conſuetudinem perceptus, ac per hoc rationabiliter amittendus, (nam privilegium meretur, ut ſanctus papa Simplicius ſcribit, amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate) tamen his noſtris admonitus competenter affatibus, ſtude ita modeſte hoc uti, ut nec elatio mentis invadat, nec jactantia inflet, nec vana gloria vulneret, nec modum propriæ dignitatis excedat, nec temperantia, ſine qua ceteræ virtutes imperfectæ conſiſtunt, oblivioni tradatur. Optamus fraternitatem veſtram nunc & ſemper bene valere. Data VIII. Idus Decembris, indictione XV.

ANNO CHRISTI 866.

An. Ch. 866.

## XIII.

## EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. AD CAROLUM REGEM.

Reſpondet ad ſuperiores ejus litteras de geſtis in ſynodo Sueſſionenſi.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Carolo glorioſo regi.*

CUm talem ſe gloria veſtra circa nos ſemper exhibeat, & frequentibus vel litteris vel legatis miſſis erga pontificium noſtrum devotæ viſitationis cultum impendat, & decretis noſtris obedientiæ ſublimia colla gratanti facilitate ſummittat: non niſi beatum Petrum apoſtolum dilectorem ſuum, cujus locum meritis oppido diſcrepantes obſervamus, in nobis honorare ſe debet pro certo cognoſcere. immo Deum in ſuo apoſtolo venerari, qui & ſanctis ſuis tantam gloriam tribuit, & nos ſolicitudinis eorum heredes ac ſucceſſores eſſe conſtituit. Sed & nos gratiarum actiones condignas promptæ devotioni veſtræ referentes, multo magis ejus omnipotentiæ, per quem & pro cujus nomine talia gerantur, laudes aſſidue perſolvere non ceſſamus. De cetero, fili cariſſime, grates piæ benignitati veſtræ rependimus, quoniam totum deſiderium ſuum colligens in dejectorum clericorum recuperando ſtatu, ſtuduit delere noxam, quam in depoſitione ipſorum conſenſum præbendo contraxerat. Et credimus quod ſuperet merces alacritatis, quam nunc habuiſtis in receptione, delictum quod commiſeratis in eorum dudum repulſione: quoniam iſtud Dei amore, illud hominis ſubreptione patratum eſt. Verumtamen hortamur, & ſicut dilectum filium admonemus, cavere vos ne talibus de cetero conniventiam facile tribuatis: quoniam quod hodie committitur, utrum ad emendationem pervenire quandoque valeat ignoratur. Illud præterea commemorare libet, quod inter alia epiſtolæ veſtræ de fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro textus enuntiat, dicens videlicet, quod omnino conſequenter cum reliquis conſacerdotibus omnino explere acceleraret, niſi juxta privilegium deceſſoris noſtri domni Benedicti, & noſtrum, ſummam nobis reſervandam cœpti de reſtitutione docerent negotii. Quorum ſcilicet privilegiorum tenorem ſi non ſuatim frater Hincmarus partim celaſſet, & quædam, quæ illic habentur inſerta, quadam aſtutia cognitioni communi negaſſet, neminem putamus privilegia noſtra a ſedis apoſtolicæ inſtitutis, vel ab obedientia quam exigimus, avertiſſent. Non enim nos inobedientiam prædicavimus, vel ne obtemperaretur decretis ſedis apoſtolicæ definivimus: cum potius eiſdem teſtantibus privilegiis, ſalvo Romanæ ſedis in omnibus juſſu atque judicio, ſynodum, quam ille pro clericorum dejectione memoratorum collegerat, ſtabi-

ANNO CHRISTI 866.

ſtabiliter eſſe manendam cenſuerimus: & ea conditione ipſius privilegii tenorem ei firmaverimus, ſi nunquam ille a ſedis apoſtolicæ præceptionibus aliquo tempore diſcrepaſſet. Fruſtra ergo privilegia a ſede ſibi apoſtolica conceſſa, ne ſanctiones explere noſtras acceleraret, aſſeverat impediſſe: cum conſtet potius, ut ipſorum textus inſinuat, quo magis ad obediendum nobis accelerartet, ea hunc multipliciter admonuiſſe: atque ſi rata, quæ ſibi collata fuerant circa ſe ſentire voluiſſet, ad obtemperandum inſtitutis noſtris ſe illa plenius ac abundantius incitaſſe. Glorioſiſſimæ præterea caritati veſtræ denuo pro Balduino gratias agimus, denuo circa eum exhibitum tantum inclitum veſtræ devotionis affectum laudamus, denuo quod deeſt, oblatis pro eo petitionibus noſtris, ſuppleri per pietatis veſtræ munificentiam deprecamur. Juſtum enim eſt, ut bonum, quod pro divinitatis reſpectu nobis intervenientibus cœpiſtis, ut obedientiæ ac dapſilitatis veſtræ, atque clementiæ merces perfecta ſit, conſummare benevole ſatagatis. De cetero, cariſſime, vigil eſto, & ſolerter intentus circa ſanctam Romanam eccleſiam, & erga ſedem apoſtolicam, quemadmodum Dei cultores parentes veſtros extitiſſe nonnulla ſcripta & probabiles viri teſtantur: quoniam illæ penitus veſtri, dilectorumque veſtrorum, penes apoſtolorum confeſſiones nullo modo poterunt oblivîſci. De reſtitutis vero clericis quid decreverimus, epiſtola noſtra fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro miſſa recitata ſapientiæ veſtræ auribus poterit intimare. Optamus excellentiam veſtram in Chriſto nunc & ſemper bene valere, dilectiſſime fili. Data VIII. Idus Decembris, indictione XV.”

^b Anno Chriſti 866.

## XIV.

## EPISTOLA NICOLAI PAPÆ I. ³ AD VULFADUM CLERICUM RHEMENSEM, & ſocios.

Gratulatur de ipſorum reſtitutione, quam ratam habet, monetque ne injurias ulciſcantur, & ut Hincmaro præſertim reverentiam exhibeant.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus clericis, Vulfado ſcilicet & ceteris qui cum eo dudum depoſiti, nunc vero decreto ſedis apoſtolicæ ac ſynodali promulgatione reſtituti Deo auctore conſiſtunt.*

Divinæ miſerationis plenitudinem neminem velle perire, nec de ſacrato numero gregis ſui caſu quolibet decidere, nullus, qui divitias bonitatis ejus conſiderat, prorſus ignorat, cum etiam proprio Filio non pepercerit, ſed pro nobis omnibus tradiderit illum: cujus ovis, quæ perierat, pietatis humeris reportatur ad gregem; cujuſque clementiæ viſcera nos quoque pro modulo noſtro ſectantes, non paſſi ſumus voces veſtras diu contemnere, nec ſuper contritione ac gemitu veſtro compaſſionis aures obſtruere; nec dejectionem, quam a fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro, ſeu ceteris epiſcopis, nullius æquitatis cenſura pertuliſtis, ſine iteratæ ventilationis examine præterire. Ideoque juſſimus fratrum & coepiſcoporum noſtrorum Galliæ, Neuſtriæ, vel Germaniæ ſynodum celebrari, & cauſam veſtram in eodem venerando concilio examinari, & non aliqua emerſa diſceptatione, Deo præ oculis habito, diffiniri. Quo Dei gratiæ juvamine peracto ſuſcepimus nunc litteras ſynodi, relationem omnium continentes epiſcoporum, vos innoxios cunctorum unanimitate comprobatos, & a totius conſona voce concilii dignos graduum veſtrorum receptione pronuntiatos, manifeſtiſſime referentes. Ubi nulla diſceptatio, nulla varietas alia atque alia defendentium, nullus accuſator vel condemnator inventus eſt: ſed cunctorum, una cum jam dicti fratris & coepiſcopi noſtri Hincmari conſenſu, una eademque ſententia, atque in reſtitutione veſtra par omnium conſonantia, ſimiliſque pronuntiata definitio claruit. Propterea & nos quoque in reſtitutione veſtra, & receptione graduum veſtrorum, conniventiam præbuiſſe cognoſcite, & congratulari vobis pro ſtatu veſtro, quemadmodum de abjectione condoluimus, procul dubio credite. Igitur quoniam in decernendo & in judicando quod canonice deliberatum eſt, & in reſtituendis vobis Deo præduce ſicut decuit & ordo popoſcit, noſtra præceſſit auctoritas, conveniens ac honeſtum eſt, ut noſtræ firmitatis perfecta ſubſequatur integritas. Ea pro re congaudemus vobis, & ut jam faſſi ſumus congratulamur, & quæ decreta ſunt ſuper ſtatus veſtri recuperatione, Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum principum Petri ac Pauli, atque per eos noſtræ mediocritatis auctoritate roboramus, & ut ſecundum beneplacitum domini jugi ſtabilitate faciente Deo maneant libenter oramus. Præterea volumus & hortamur vos, ut tales de cetero in omnibus vos exhibeatis, ut in nullo ingrati circa beneficia domini vobis collata reperiamini. Proinde miſericordiæ ipſius gratias agite, & quoniam vos in finem non deſeruit ſemper in mentem reducite, humilitatem præ oculis ſemper habentes & cor veſtrum ad meditandum quæ æterna ſunt, infatigabiliter erigentes: ante omnia vero ſolicite præcaventes, ne memores veſtrarum ſitis injuriarum, neque ſuccenſeatis adverſus eos, qui has vobis intuliſſe probantur. Fratri autem & coepiſcopo noſtro Hincmaro debitam humilitatem, & competentem reverentiam exhibete: nec ſit aliquo tempore vobis licentia contra eum, pro eo quod ab eo fueritis ab officio ſuſpenſi, querimoniam componendi, vel ſiniſtram viciſſitudinem retribuendi. Quoniam nos in erectione veſtra nullius ruinam quæſivimus, nec ſic unam partem ſtabilire volumus, ut partis alterius dignitatis vel juris detrimenta patiamur. Fruimini ergo hujus noſtræ præceptionis decreto, & hoc pro veſtri munimine, ac graduum ſtabilimento, contra omnes calumniatores veſtros utimini: vobiſque ſemper exiſtat facultas in opportunitatibus ad ſedem apoſtolicam provocare, & ejus judicium ſecundum canones præſtolari. Nolumus tamen vos ignorare, nos fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro dediſſe inducias, ut intra ſpatium anni hujus licentiam habeat contra vos de dejectione vel reſtitutione veſtra, ſi velit, apud nos negotium exequendi. Quod idcirco dicimus, ut ſolicitos vos reddamus, & qualiter ſi neceſſe fuerit ei reſiſtatis, ante præſciatis, ut ejus telis arma juſtitiæ veſtræ præparare valeatis. Optamus vos in Chriſto bene valere. Data VIII. Idus Decembris, indictione XV.

NOTA



ANNO CHRISTI 866.

## NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

³. *Ad Vulfadum & ſocios.* ] Vulfadi viciſſim, & ſociorum, in codice Laudunenſi extat epiſtola ad Nicolaum, in qua gratias agunt de ſua reſtitutione, petuntque ut ſibi ad altiores gradus provehi liceat, quam in appendice protulimus.

## NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.* ] Hanc ſynodum auctoritate Nicolai papæ indictam fuiſſe, teſtatur epiſtola Nicolai papæ ad Herardum Turonenſem archiepiſcopum, quam ex bibliotheca Nicolai Fabri Pariſienſis cum aliis quibuſdam hactenus nuſquam editis, in fine epiſtolarum Nicolai ſupra ſubjungi procuravi. In eadem hac ſynodo lectam fuiſſe epiſtolam Nicolai papæ de excommunicatione Guntharii & Theutgaudi archiepiſcoporum, inſcriptio epiſtolæ 46. præfixa indicare videtur. Quid vero in hoc concilio geſtum, factum, dictumve fuerit, ſupradicta ſynodalis epiſtola ſatis aperte declarat. Vide Baronium anno 866. num. 48. 67. & 72.

## OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Pariſienſe concilium non recte huic anno Chriſti 866. adſignatur in nupera ſumma conciliorum ex privilegio ſupra jam edito pag....... tomi IX. ad annum Chriſti 847. indictione decima, quo canonica electio abbatis Corbejæ ad Somonam fluvium ſtabilita eſt ab Hincmaro aliiſque epiſcopis atque abbatibus. Certe ut alia modo non urgeam, Paſchaſius Ratbertus ipſius monaſterii abbas, qui privilegium hoc relegit, ratumque decernens ſubſcripſit, jam abierat pridem ad ſuperos cum Ercenrado Pariſienſi epiſcopo, Freculfo Lexovienſi, aliiſque pluribus, ut docent vel ipſæ ſubſcriptiones conciliorum ab anno 847. ad 866. celebratorum.

Porro de ſynodis Sueſſionenſi ac proxima Trecaſſina aliiſque ad hæc tempora ſpectantibus nonnulla obſervatu digniſſima memorant annales Bertiniani ad annos 866. & 867.

“ ᵇ Carolus menſe Auguſto Sueſſionis civitatem adit, & ſynodo a papa Nicolao convocatæ conſidet. Ubi ſecundum prædicti apoſtolici commendationem, quæſtione dirempta de Vulfado & collegis ejus ab Ebone quondam Remorum archiepiſcopo poſt depoſitionem ſuam ordinatis, quoniam regulæ ſacræ non poterant aperte convelli, pro ſui reverentia, & quorumdam reſpectu, & rege ac quibuſdam pro Vulfado nimium ſatagentibus, ſchiſma & ſcandalum aliter vitari non potuit, inventum eſt ut quia ſynodi epiſcoporum quinque provinciarum regularis definitio ex præfatorum dejectione, Benedicti papæ & Nicolai ſubſcriptionibus fuerat confirmata; ſecundum indulgentiam Nicænæ ſynodi de his quos damnatus ordinavit Meletius, & juxta traditionem Africani concilii de Donatiſtis, in gradibus reciperentur; ſi tamen Nicolao papæ placeret ſuam immutare quam confirmavit ſententiam. Indeque ſynodus congregata per Egilonem Senenſem archiepiſcopum, cum aliis pro quibus perrexerat, præſcripta conditione Nicolao papæ litteras mittens, ſine ſacerdotum diſcordia eſt ſoluta. Et licet juxta Innocentii decreta quod de hujus neceſſitate temporis quondam reperit, ceſſante neceſſitate debuiſſet utique ceſſare pariter quod urgebat, quia alius eſt ordo legitimus, alia uſurpatio, quam ad præſens fieri tempus impellit, quoniam nil aliud. Sed hoc ſummopere quærebatur, ut quocumque modo Vulfadus fieri poſſet epiſcopus, tolerabilius quibuſdam eſt viſum propter vitandam ſeditionem hanc neceſſitatem, quæ nunc, ſicut & tunc urgebat, iterum in medium devocaret: ac ſi conſilio Jacobi & ſeniorum Hieroſalem, etiam poſt legis abolitionem circumciſo Timotheo cum Paulo legis cerimonias exercere, quam tumultus in eccleſia & in poteſtate regia concitare. His ita diſpoſitis, Carolus jamdicto Vulfado Bituricenſem metropolim, nuper defuncto Rodulpho archiepiſcopo, ante cauſæ diffinitionem arbitratu ſuo committit. Sed antequam iidem epiſcopi ab ipſa recederent urbe, Carolus eos petit ut uxorem ſuam Hirmintrudem in reginam ſacrarent, quod & ipſo atteſtante in Baſilica ſancti Medardi fecerunt, & una cum eo illi coronam impoſuerunt. De quo loco idem Rex cum regina Attiniacum palatium obviam Lothario adit. Quo Teutbergam nomine tantum reginam Hlotarii, quæ Romam pergendi licentiam habuit, revocant: & miſſaticum communiter ordinantes, Carolus per Egilonem Senenſem archiepiſcopum, & Hlotarius per Adonem Viennenſem archiepiſcopum, ac per Vualtarium ſuum a ſecretis domeſticum, papæ Nicolao quæ ſibi viſa ſunt ſecretius mandant.

Poſthæc Carolus ad conſignandam Bituricenſem Metropolim Vulfado, filium ſuum Carolomannum abbatem monaſterii ſancti Medardi tranſmittit. Quo pervenientes poſt ſolutam ut præmiſſum eſt, ſynodum, atque poſt litteras ex eadem ſynodo per Egilonem archiepiſcopum Nicolao papæ directas, ſtatim in menſe Septembris a quibuſdam epiſcopis legibus eccleſiaſticis minus neceſſario peritis, factione prædicti Vulfadi emendicatis, & minis a Carolomanno ex auctoritate patris ſui flexis, contra omnes leges eccleſiaſticas ſæpefatus Vulfadus pro ordinatione epiſcopali maledictione indutus eſt ſicut veſtimento. Cujus exordinator potius quam ordinator Aldo Lemovicenſis epiſcopus, in ipſa ordinatione febre correptus, in brevi moritur.

Caroli filius nomine Carolus, & Aquitanorum rex, plaga, quam in capite ante aliquot annos acceperat, cerebro commoto, diutius ᶜ epelemtica paſſione vexatus, III. Kalend. Octob. in quadam villa ſecus Boſentiacas moritur, & a Carolomanno fratre ſuo, atque a Vulfado, in eccleſia ſancti Sulpicii apud Biturigam ſepelitur.

ᶜ epilepſia

Deinde pergens Mettis ad colloquium fratris ſui Hludovici regis Germaniæ, XIII. Kalendas Junii obvium habuit in palatio Salmuntiaco Egilonem Senenſem archiepiſcopum, cum epiſtolis Nicolai papæ de reſtitutione clericorum Remenſis eccleſiæ Vulfadi ſcilicet, & collegarum ejus. Pro quibus valde ſatagens, ut in ſuis habeantur gradibus reſtituti, multa Hincmaro Remorum archiepiſcopo impoſuit in eiſdem epiſtolis, quæ non eſſe vera manifeſta ratione conſtabant. Attulit etiam præfatus archiepiſcopus eidem domno Carolo epiſtolas prædicti papæ ad Lotharium & epiſcopos regni ejus, de cauſa uxorum illius, Theotbergæ videlicet, atque Vualdradæ, eamdem Vualdradam mitti Romam præcipiens. Quas Carolus Lothario obviam ſibi ad Attiniacum palatium venienti ex parte ipſius apoſtolici dedit.

Carolus ſynodum apud Trecas VIII. Kalend. Novembris auctoritate Nicolai papæ indicit, & cauſa venandi, ac expendendi autumnale tempus, in abbatia ſancti Vedaſti, & in Audriaca villa, ac circum circa morandi, diſponit.

Synodus provinciarum, Remenſis, Rothomagenſis, Turonenſis, Senonum, Burdegalenſium, atque Bituricenſium, apud Trecas VIII. Kalend. Novembris convenit. Ubi quidam epiſcopi, ut aſſolet, gratia regis Caroli Vulfa-

*Ad verbum hæc in Frodoardo lib. III. hiſt. eccleſ. Rem. c. XVII. quo illa hinc deſumpſit.*

ANNO CHRISTI 866.

Vulſado faventes, quædam contra veritatem, ac canonum ſacram auctoritatem adverſus Hincmarum moliri cœperunt. Sed iſdem Hincmarus eorum molitionibus ratione & auctoritate obvians, plurimorum ſententia prævalente, rerum geſtarum ordinem, de quibus agebatur communi conſenſu epiſtola ſcriptum per Actardum venerabilem Namnetenſem epiſcopum papæ Nicolao, epiſcopi qui convenerant tranſmiſerunt. Cujus epiſtolæ tenor idem extitit qui fuit in epiſtola Hincmari Remorum epiſcopi, quam per clericos ſuos ſub peregrinorum habitu propter contrariorum vitandas inſidias præcedente Julio menſe Romam miſerat. Epiſtolam autem in præſcripta ſynodo factam & archiepiſcoporum qui convenerant ſigillis ſignatam, Actardus perferendam ſuſcipiens, cum quibuſdam epiſcopis ad Carolum, ſicut ipſe præceperat, rediit. Carolus autem immemor fidelitatis atque laborum, quos pro ejus honore, & regni obtentu, ſæpefatus Hincmarus per plures annos ſubierat, eamdem epiſtolam ſibi ab Actardo dari exegit, & archiepiſcoporum ſigilla confringens, geſta ſynodi relegit. Et quia ſicut voluerat in eadem ſynodo Hincmarus non extitit confutatus, epiſtolam ſuo nomine ad Nicolaum papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam & bulla ſui nominis ſigillavit, & cum epiſtola ſynodali per ipſum Actardum Romam direxit. Præfati autem Hincmari clerici in menſe Auguſto Romam venientes, Nicolaum papam jam valde infirmatum, & in contentione, quam contra Græcorum imperatores Michaelem & Baſilium, ſed & contra Orientales epiſcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter uſque ad menſem Octobrium ibidem ſunt immorati. Nicolaus vero papa gratanter ſuſcipiens quæ Hincmarus ſcripſerat, ei de omnibus ſibi ſatisfactum eſſe reſcripſit. Sed & alteram epiſtolam eidem & ceteris archiepiſcopis & epiſcopis in regno Caroli conſtitutis tranſmiſit, innoteſcens præfatos Græcorum imperatores, ſed & Orientales epiſcopos calumniari ſanctam Romanam eccleſiam, immo omnem eccleſiam quæ Latina utitur lingua, Quia jejunamus in ſabbatis. Quod Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere didicimus. Quia presbyteros ſortiri conjuges prohibemus. Dicentes ipſi Græci, quod chriſma ex aqua fluminis Latini conficiamus. Reprehendentes nos Latinos, Quod octo hebdomadibus a caſei & ovorum eſu more ſuo non ceſſamus. Dicentes etiam, Quod in paſcha more Judæorum ſuper altare pariter cum dominico corpore agnum benedicamus, & offeramus. Succenſentes etiam nos, quia clerici apud nos barbas ſuas radunt. Dicentes, quia diaconus non ſuſcepto presbyteratus officio apud nos epiſcopus ordinatur. De quibus omnibus per ſingulas provincias a metropolitanis cum eorum coepiſcopis ſibi reſcribi præcepit, alloquens eumdem Hincmarum in epiſtolæ fine hoc modo. Tua, inquit, frater Hincmare, caritas cum hanc epiſtolam legerit, mox ut etiam ad archiepiſcopos, qui in regno filii noſtri Caroli glorioſi regis conſiſtunt, deferatur, ſummopere agere ſtudeat: & ut de his ſinguli in diœceſibus propriis una cum ſuffraganeis ſuis, in cujuſcumque regno ſint conſtituti, convenienter tractare, & nobis quæ repererint ſuggerere curent, eos incitare non negligant. Ita ut eorum omnium, quæ præſentis epiſtolæ noſtræ circumſtantiæ continent, tu & ſtrenuus executor illic exiſtas, & apud nos verax & prudens ſcriptorum tuorum ſeriei relator inveniaris. Data x. Kal. Novembris, indictione I. Quam epiſtolam Hincmarus Idus Decembrias primæ indictionis ſuſcipiens, in Corbonaco palatio conſiſtenti regi Carolo cum pluribus epiſcopis relegit, & per alios archiepiſcopos, ſicut in mandato acceperat, dirigere ſtuduit. Nicolaus papa Idus proxime præcedentis menſis Decembris obiit. cui ſucceſſit Adrianus papa electione clericorum, & conſenſu Ludoici imperatoris, in pontificatu. Quem Actardus Romam veniens cum ſupra ſcriptis epiſtolis, in apoſtolica ſede jam ordinatum invenit.

Arſenius autem magnæ calliditatis, & nimiæ cupiditatis homo, ſpe falſa ſeducens Theutgaudum & Guntharium, de reſtitutione ipſorum, ut ab eis exenia acciperet, Romam venire fecit. Qui diutius ibi manentes, pæne omnes ſuos amiſerunt. Tandem autem Theutgaudus ibidem mortuus eſt, & Guntharius vix corporis mortem evaſit.

Lotharius Theutbergam uxorem ſuam Romam miſit, ut ſeipſam criminaretur, quatenus ab ejus conjugio ſeparari valeret. Sed Adrianus papa atque Romani talibus næniis non credentes, juſſa eſt ad virum ſuum reverti.

Carolus conſenſu fratris ſui Ludoici quoſdam epiſcopos ad Autiſſiodorum in futuris Kalendis Februarii convenire præcepit, ut de cauſa Lotharii quædam tractarent.

# HINCMARI RHEMENSIS

## EPISTOLÆ ALIQUOT

### Ad Concilium Sveſſionenſe III. anno DCCCLXVI. celebratum pertinentes.

I.

### AD NICOLAUM PAPAM

Per Egilonem miſſa cum actis ſynodi Sueſſion. anno DCCCLXVI.

Edidit Sirmondus ex veteri codice MS.

*Domino ſanctiſſimo & reverentiſſimo patrum patri Nicolao primæ ac ſummæ ſedis apoſtolicæ & univerſalis eccleſiæ papæ, Hincmarus Remorum epiſcopus, & veſtræ ſanctiſſimæ paternitatis devotiſſimus famulus.*

An. Ch. 866. DEcimo quinto Kalend. Septembris XIV. Indictionis, ſecundum veſtram apoſtolicam juſſionem, ad Sueſſorum civitatem, cum fratribus ac coepiſcopis Remorum provinciæ, archiepiſcopis & epiſcopis illuc, ex mandato veſtro convenientibus, occurrere feſtinavi, quo etiam dilectum fratrem noſtrum Wlfadum venire commonui. Eos etiam fratres noſtros de ipſius collegio, qui ſub noſtra cura degunt, mecum adduxi, quos, ſicut mihi ſcribere dignati eſtis, juſtum quid vel pium ſentiens, ſine retractatione in ſuis ordinibus conſenſu ac judicio coepiſcoporum Remenſis provinciæ, reſtituere maturarem, ſi illos ab eiſdem gradibus cum eorum tantum judicio dejeciſſem. Sed quoniam ſynodi epiſcoporum quinque provinciarum, quorum meo conſenſu expetierunt judicium, diffinitione fuere dejecti; & ſicut melius ſapientia veſtra novit, ſacri canones uſque ad ſimilem excommunicationis vindictam decernunt, ut ab aliis dejecti, ab aliis non recipiantur, minime autem reſtituantur, ſed aut eorumdem, aut majoris concilii epiſcoporum diffinitiones ac judicia præſtolentur: aliorum opus in illorum reſtitutione nullatenus uſurpare præſumpſi, quos meo arbitrio ab officio non ſuſpendi, & in præfata ſynodo epiſcoporum quinque provinciarum, non tantum non judicavi vel dejeci, verum nec cum judicibus eorum ſubſcripſi: quia mihi commiſſæ eccleſiæ filii finitimos epiſcopos juxta canones Sardicenſes pro cauſa ſua interpellarunt, & Africæ provinciæ canones hujuſmodi vicinos epiſcopos audire, & inter eos ac proprium epiſcopum adhibitos ab eis epiſcopos jubent querimoniam diffinire. Unde humiliter obſecro ne pro inobedientia mihi reputetis, quoniam eos non ſtatim reſtitui, qui ad ſynodum, ſicut præcepiſtis, hoc ſolo meo auſu agere veritus, obedienter occurri, & his quæ fratres & coepiſcopi noſtri, veſtræ ſanctiſſimæ paternitatis devotiſſimi filii, veſtra fulti auctoritate, de illorum reſtitutione decreverunt, ſecundum quod myſtica Nicæna ſynodus, ſcribens ad diœceſim eccleſiæ Alexandrinæ, de ordinatis a Meletio damnato epiſcopo, clementi conſilio ſtatuit, videlicet ut myſtica ordinatione firmati haberent honorem & miniſterium, & proveheretur quilibet eorum in honorem epiſcopi in eccleſia defuncti, ſi viſus foret dignus, & eum populus elegiſſet, cum conſenſu Alexandrini epiſcopi, ſub cujus cura diœceſis illa degebat, condecernente quodammodo ſimilia Africano concilio de Donatiſtis: quæ non vobis ut incognita ingeruntur, ſed ut notiſſima inculcantur, ſacrorum canonum & ſedis apoſtolicæ manentibus conſtitutis paratiſſime annuere, & ſolicitus ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, obtemperare curavi: reſervato per omnia ſententiæ ac juris privilegio ejuſdem apoſtolicæ ſedis, & ſalva diffinitione ac confirmatione expectatæ veſtræ diſcretionis atque auctoritatis. Et quia ſynodo, per hunc venerabilem archiepiſcopum Egilonem, qui interfuit actionibus, dirigente epiſtolam omnium noſtrum, qui adeſſe potuimus, cum ipſo voce loquentem, quoniam ſi eis manum porrigitis, vobiſcum pariter porrigemus, Wlfado & ejus collegis pro diſceptatione diverſa judicantium, in eadem ſynodo omnibus conſonanter idipſum ſentientibus, ſedem apoſtolicam non fuit neceſſarium appellare. Idcirco hujuſmodi legatum, qui meam vobis repræſentans perſonam, cujuſcumque diverſa ſentientis allegationibus, quæ modo nullæ ſunt, reſponderet, & veſtram exinde diffinitionem referret, omiſi dirigere: quia quæ verbis & ſcriptis mihi per iſtum religioſum archiepiſcopum exinde ſequenda atque tenenda mandaveritis; pro ſcire & poſſe, obedire & conſervare curabo, ſicut hactenus ea, quæ inde fuerant ſtatuta & confirmata, ſervavi. Nec cauſa inobedientiæ miſſum meæ ſubditionis cum hoc venerando archiepiſcopo dimiſi tranſmittere: ſed quia ſic intellexi in litteris veſtræ auctoritatis contineri, tunc ſolum, ut verbis earum utar, ſi diſceptantibus, vel fortaſſis alia atque alia decernentibus nobis, præfati dejecti ſedem appellaverint apoſtolicam, & ejus ſpeciali ſe judicio damnari vel abſolvi petierint, ſi ego, vel ſi Vulfadus, aut ſocii ejus, ad vos venire per nos non poſſemus, vicarios noſtros ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox poſt conſummatum concilium XV. kalend. Septemb. præſentis XIV. Indictionis auctoritate veſtra collectum, noſtras præſentaturos vobis perſonas, nullam penitus excuſationem prætendentes, utrique ad ſedem beati Petri mitteremus. Unde ſupplico, ut merear ſcripto hinc veſtram diffinitionem recipere, quam paratus ſum, ut oportet, obnixius obſervare. Geſtorum autem ſeriem, de omnibus quæ in concilio relata, examinata, atque reperta ſunt, quæ, ſicut veneranda decreta ſtatuunt, diſcretioni veſtræ dirigi præcepiſtis, ut quæ ſalubria videbuntur, corroborentur: ſi forte aliqua ſuperſunt epiſtolæ ſynodali, quæ debeant explanari, hic venerandus ac religioſus ſanctitatis veſtræ devotiſſimus filius, & unanimis frater ac conſacerdos noſter Egilo archiepiſcopus plena fidelique relatione apoſtolicæ auctoritati veſtræ poterit patefacere, & ſicut ea viſu & auditu comperit, ac epiſcopaliter contulit, intimare. Sed & de præfatis fratribus noſtris, Remorum eccleſiæ filiis ab Ebone poſt depoſitionem ſuam ordinatis, qui inter canonicos & monachos, urbanos & parochianos, una cum Vulfado apud nos non ſunt amplius quam novem, de quibus ſanctiſſima veſtra paternitas mihi ſcripſit, ut cum dejectionis ſuæ cauſam venire ad examen optaverint, nullam ex his quilibet indignationem meam ſuſtineat, nullum ad cœpta peragenda per ſuggeſtionem meam patiatur incommodum, qualiter me antea & poſtea erga eos egiſſe in ſynodo fratres & coepiſcopi noſtri una cum eo repererint, ſufficienter dignationi veſtræ prævalet enarrare. Quorum ſalubrem ac ſingularem ſtatum & cupivi & cupio, & quæſivi & quæro, & quorum dejectioni condolui, & ſtatui eorum congaudeo. De Teutberga etiam regina, unde ſublimitati veſtræ ab humilitate mea mandari rogaſtis, quia Hlotharium vel ipſam Teutbergam, poſtquam Arſenius venerandus epiſcopus, & ſanctæ eccleſiæ Romanæ apocriſiarius, ab Attiniaco palatio domni Karoli regis glorioſi perrexit, non vidi, certæ ſalubritatis rationem mandare vobis non valeo. *Et alia manu.* Deus omnipotens ſanctitatem veſtram, ad doctrinam & correctionem ſanctæ ſuæ eccleſiæ, in ſuo apto ſervitio per annorum multa curricula conſervare dignetur, Domine ſanctiſſime & reverentiſſime patrum pater in Domino. Data Kalend. Septemb. Indictione XIV.

II.

### AD EGILONEM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

Romam euntem inſtruit de iis quæ in ſynodo geſta ſunt in cauſa Vulfadi, & quemadmodum in Urbe gerere ſe debeat.

*Hincmarus nomine non merito Remorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus, ſanctiſſimo & reverentiſſimo Egiloni archiepiſcopo, & cariſſimo ac unanimi atque fidiſſimo mihi, plurimam in ſalvatore ſalutem.*

QUanta fiducia veſtra utar dilectione, ex veſtra mente penſare poteſtis. Non enim aliter in mente mea vos teneo, quam me alterum, exceptis peccatis meis.

Quapropter ſicut in vobis & de vobis confido, & ſicut vobis & pro vobis in omnibus eſſe cupio, ita erga me in omnibus ſitis. Ceterum exemplar epiſtolæ domni Apoſtolici, ad domnum

num Karolum, quod non mandaſtis, ſed & exemplar epiſtolæ mihi directæ, ſicut mihi mandaſtis, dilectioni veſtræ tranſmitto. Exemplar autem epiſtolæ, quæ uniformiter per archiepiſcopos iſtius regni directa eſt, vos habetis, ſine qua ire non debetis.

Mitto etiam vobis capitula, in quibus ſumma continetur de omnibus epiſtolis, quas pro iſta cauſa vobis omnibus domnus Apoſtolicus miſit. Et neceſſe vobis erit, ut ipſa capitula bene cognita habeatis, & memoria teneatis quæ ſparſim in ipſis epiſtolis continentur: ut ſi illi quos ſcitis, more ſuo ſua dicta involvere voluerint, habeatis veritatem quam illis reſpondere poſſitis. De ſcriptis denique quæ porrexi in ſynodo, de quibus mandaſtis ut diſcernerem ſi vobis ad portandum neceſſaria forent, non mihi viſum eſt vos ullam habere neceſſitatem: ſed videtur mihi, quia ſi oſtenſa fuerint Apoſtolico aut Romanis, ut aliquam dubitationem poſſint afferre domno Apoſtolico, quaſi contentiones inter nos fuerint in reſtitutione Wlfadi; & una cum veſtro miſſatico ſuſpecta ſynodi & mea epiſtola fiat, inde aliquod impedimentum & dilatio ad ea quæ ſenior noſter cito obtinere vult de ipſo Wlfado. Et puto non diſplicebit quibuſdam, ſi aliqua occaſio interciderit, unde ad illos ſit ei neceſſe recurrere, & ſicut mihi jam mandatum eſt, increſcit Apoſtolico & Romanis tanta legere. In ſcripto quippe quod primum dedi, nihil aliud habetur, niſi quia ego non ſuſpendi eoſdem fratres ab officio, neque judicavi, neque a gradibus eccleſiaſticis eos dejeci, neque cum judicibus eorum ſubſcripſi, ſed ſynodus epiſcoporum quinque provinciarum, & quod vos regulariter inde inveniretis, ego ſine cunctatione ſequerer ſecundum tenorem epiſtolarum domni Apoſtolici. Unde & ſynodus & ego rationem reddimus in epiſtolis noſtris domno Apoſtolico, quare eos ego non reſtitui. Alterum autem ſcriptum ideo dedi, quia ſicut ſcitis non putabat me Wlfadus ad illum condeſcendere velle: & licet non in mea præſentia, tamen audiebam per alios illum dicere interdum, Ebonem non fuiſſe regulariter depoſitum, interdum autem regulariter reſtitutum. Et ideo demonſtravi eumdem Ebonem regulariter depoſitum, & non regulariter reſtitutum. Qui damnatus anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXXV. IV. Nonas Martias, & per decem & ſeptem annos poſtea in carne vivens, ſuam ſedem regulariter in ſynodo non repetiit, neque obtinuit, nec etiam ſuam canonicam reſtitutionem, aut a ſede apoſtolica aut a ſynodo regulariter factam, ſecundum canones & decreta ſedis Romanæ, alli ſynodo in vita ſua oſtendit, & omnem quæſtionem de illo ſecundum leges eccleſiaſticas & humanas jam tricennale & eo amplius tempus excludit. Quoniam ut Leo ad Theodorum ſcribit, quod manens in corpore non recepit, conſequi exutus carne non poterit. De cujus depoſitione admodum plura habeo quam in ſynodo modo oſtenderim, ſicut & in ipſo ſcripto in ſynodo eſt relectum, ubi me canonice electum & canonice ordinatum monſtravi. In quibus, ſicut ſcitis, & Rex & omnes concordaverunt, ſcientes me non in duritia velle contra Wlfadum perſiſtere, qui interdum etiam dicebat quod meus non eſſet clericus, anguſtians, ſicut ſcitis, ut qualicumque modo gradus poſſet habere. Quæ etiam ſcripta vobis non ad oſtendendum, ſed ad habendum mitterem, ſi notarius noſter infirmus illa tranſcribere concurriſſet. Poſtea autem oſtenſa eſt ſynodus, cui ego non ſubſcripſi: in qua ab ipſis, qui Ebonis damnationi interfuerunt, & verbis & ſcriptis atque auctoritatibus, coram rege comprobatum fuit, qualiter Ebo a ſe juxta decreta Zoſimi, Leonis, Joannis & Gregorii, per libellum profeſſionis manu ſua ſubſcriptum, & a quadraginta tribus epiſcopis, ſecundum ſuam profeſſionem & ſubſcriptionem, regulariter depoſitus fuit, & regulariter reſtitutus non fuit. Et ob id, ſecundum decreta Innocentii, qui ſcribens ad Martianum Naxitanum epiſcopum, (Epiſt. 11.) juſſit eos recipi in ſuis ordinibus, quos Bonoſus ante damnationem ſuam ordinavit; poſtea ſcribens ad Rufum & Euſebium ac ceteros Macedoniæ epiſcopos, (Epiſt. 17.) eos quos poſt damnationem ſuam idem Bonoſus ordinavit nequaquam recipi in ordinibus eccleſiaſticis permiſit: & ſecundum decreta Zoſimi ad Aurelium, (Epiſt. 6.) & ad univerſos epiſcopos per Africam & ceteras provincias conſtitutos, & ad Maſſilienſem eccleſiam, & ad Patroclum Arelatenſem epiſcopum, de his quos poſt damnationem ſuam Proculus ordinavit, qui ſe libello profeſſionis ſuæ ſubſcripto in ſynodo depoſuit: & ſecundum decreta Leonis & ſacrorum canonum: qui excommunicato communicarunt in dejectione permanere, iſti fratres judicati fuerunt. Oſtenſa eſt etiam ſynodus epiſcoporum provinciæ Bituricenſis, cui præſedit Rodulfus, manibus eorum ſubſcripta, in qua ab ipſis qui interfuerunt, & ab Aiulfo, qui unus fuit de judicibus Ebonis, audierunt, comprobatum fuit eumdem Ebonem regulariter fuiſſe depoſitum. Deinde oſtenſa ſunt privilegia domni Benedicti, & domni Nicolai, qui ſuis ſubſcriptionibus & Ebonis depoſitionem, & iſtorum dejectionem confirmaverunt. Quæ ſi omnia vobis longum fuerit enarrare, breviter poteritis dicere, quæ bene firma tenere debetis, quia ſcitis quales ſunt quidam. Et peto ut non diſpliceat vobis, quod talia vobis mando firma tenere debere, quaſi me putem vobis ſapientiorem, quia ex caritate hoc dico, & talia mihi a vobis mandari vellem, ſi tale miſſaticum haberem, ſicut vos habetis. Verba autem quæ vos firma habere debetis, & etiam veſtra, ſi aliquis inde fuerit tentatus, iſta ſunt. Quia ſecundum tenorem epiſtolarum domni Apoſtolici, ſicut in eis ſcriptum habetur, cuncta per ordinem quæ in illis fratribus geſta ſunt canonice examinantes, inveniſtis Ebonem juſte & regulariter depoſitum, & non regulariter reſtitutum, & iſtos fratres non a me, ſed a ſynodo epiſcoporum quinque provinciarum judicatos ſecundum ſacros canones, & decreta Innocentii, Zoſimi, & Leonis, ſicut in ſynodali epiſtola continetur. Et quia in domni Apoſtolici epiſtolis continetur, ut quæ ſtatuta ſunt non ducat diſſolvenda, niſi ſacris legibus inveniantur adverſa: & in eiſdem epiſtolis intelligens ſynodus ipſius benignitatem erga hos fratres, inventa eſt iſta auctoritas Nicæni Concilii de ordinatis a Meletio quondam damnato epiſcopo, quam epiſcopi in ſynodali epiſtola illi unanimiter mandant, ut priſcis, ſicut dicit Gelaſius, pro ſui reverentia manentibus conſtitutis, & ſalvis apoſtolicæ ſedis privilegiis, cum eorum etiam ſalvamento, qui ſynodo ſubſcripſerunt, in qua fratres de quibus agitur fuere dejecti, per indulgentiam & auctoritatem ipſius in ſuis ordinibus recipi & provehi poſſint abſque contradictione, migratis jam omnibus qui in Ebonis depoſitione fuerunt epiſcopis, excepto ſolo Rothado. Verum & illi epiſcopi, qui eidem Eboni poſt depoſitionem ſuam dicebantur communicaſſe, jam ad Divinum judicium migraverunt, & aliis in eorum locis ſubſtitutis, ac per eos, ut ita





dicamus, innumeris ordinatis, a nullo iſtorum fratrum reſtitutio contradicitur. Tamen ſi vos non gravaret, multum vellem, ut omnem plenitudinem ſupra ſcriptam de Ebonis depoſitione, & de iſtorum adjudicatione, domno Apoſtolico referretis, quod ſapientiæ veſtræ committo arbitrio, cui melius credo, quam ſi ipſa ſcripta tranſmitterem. Eſt etiam, quoniam ſi aliqua ſcripta per vos mitterem, & vos illa portaſſetis, niſi tantum epiſtolam ſynodalem, & meam epiſtolam concordantem eidem epiſtolæ: ſcitis quales ſumus, poſſet fieri ut aliquorum mentes inde contra nos ſcandalum ſumerent, quod & modo in ſynodo, quantum potui, devitavi, ubi, ſicut comprobatum eſt, iſtos fratres non judicavi, nec eidem ſynodo ſubſcripſi. Et erant auctoritates canonicæ & decretorum ſedis Romanæ pontificum, quibus ipſi epiſcopi hos fratres judicaverunt: & qui eidem ſynodo ſubſcripſerunt, me tacente neceſſe habebant hoc ſtatuere quod judicaverunt & ſubſcripſerunt: aut contra profeſſionem aut ſubſcriptionem ſuam euntes, ſecundum Carthaginenſe concilium ſe honore privarent: & privilegia ſedis apoſtolicæ duorum pontificum, qualia ſunt, & quæ confirmaverunt quod ipſi epiſcopi judicaverunt, ipſi vidiſtis & audiſtis. Tamen ne ſcandalum fieret, ſecutus exemplum Domini, qui dixit ad Petrum, nos cenſum non debemus, ſed ne ſcandalizemus eos, videlicet qui cenſum exigebant, *da ſtaterem de ore piſcis pro me & pro te*: vitato ſcandalo & præjudicio ſedis apoſtolicæ, ut non nos, ſed ipſius auctoritas, ſi voluerit, ſolvat & immutet ſuam ſententiam quam ligavit & confirmavit, ſervandam vidi unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ſimiliter & in hoc ſicut & ibi, ut nullum ego ſcriptum mittam, nec vos aliud portetis, niſi quod cum rege & cum epiſcopis nobis convenit.

Eamus ſimpliciter, quia ſicut ſcriptura dicit, *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter.* Sed ſi locum videritis, domno Apoſtolico aperire debetis, quoniam multi jam dicunt, ſi illa firma non fuerunt quæ tunc inde confirmata ſunt, nec iſta quæ modo fiunt, firma erunt. Et nihil eſt jam firmum quod epiſcopi & apoſtolica ſedes decernunt. Neque de noſtris judiciis, nec etiam de excommunicatione curant, nec presbyteri a nobis degradati pro noſtro judicio, ſuum miniſterium dimittent, quia nihil eſt firmum quod agimus: ſed ſicut vult Rex, ſicut nos aut odium movet, aut gratia, aut cupiditas, aut timiditas, ita & noſtra & apoſtolicæ ſedis vadunt judicia. Et recordari debetis Apoſtolico, qualiter de ſua excommunicatione & propriæ manus confirmatione fecit Guntharius. Qua de re providendum eſt in talibus, quia jam homines plus proclives & voluntarii ſunt ad impune peccandum quam ad regularem diſciplinam ſuſcipiendam & obſervandam. Et ſi domnus Apoſtolicus a vobis quæſierit ipſas auctoritates, qualiter iſti dejiciendi judicati fuerunt: poteſtis ſi vobis videtur illi reſpondere, quia unanimiter epiſcopi ſuum ſtudium ad hoc converterunt, ut iſti fratres reſtituerentur: unde illi miſerunt auctoritatem quam invenerunt. Et quia non fuit eorum ſtudium ut in dejectione permanerent, illas auctoritates ſacrorum canonum, & decretorum Innocentii, Zoſimi, Leonis, quæ ſupra dictæ ſunt, & illi ſunt ſatis cognitæ, ei tranſmittere omiſerunt. De quorum reſtitutione, ſi Vulfadus in cauſa non foret, ſatis Eccleſia indurare potuiſſet, qui inter canonicos & monachos, urbanos & parochianos, una cum Vulfado non ſunt amplius quam novem. Ego dico quod mihi videtur caritatis affectu: veſtra autem prudentia & ad hæc & ad plura alia, Deo gratias, ſatis ſufficiet. Peto etiam ut ad hoc quod domnus Apoſtolicus mihi ſcripſit de duritia Pharaonis, ſicut in epiſtola mihi miſſa legetis, ei ex ordine condicatis quam benigne eoſdem fratres & antea & poſtea tractavi, ſicut coram ipſis in ſynodo comprobavi, ne talem me æſtimet, ſicut me æmuli mei illi depingunt. Et habete exemplaria de epiſtola ſynodali, & de mea epiſtola: ut ſi aliqui inde quiddam voluerint dicere, poſtquam illas Apoſtolico dederitis, habeatis earum exemplaria, & habeatis eas bene cognitas. Similiter ſatagite, ut illas epiſtolas quas domnus Apoſtolicus de iſta cauſa facere jubebit, legatis antequam huc mittantur, ne aliquem dolum in eis ſcriptores, ſicut dicuntur facere, poſſint imponere. Et non obliviſcamini ut faciatis certum Apoſtolicum, quia illa epiſtola quarti Leonis papæ de iſtorum fratrum reclamatione, quam memorat in ſuis epiſtolis, iſtis Ciſalpinis regionibus non innotuit, niſi per ſuas nuper miſſas epiſtolas. Et rogate aliquem de veſtris memoroſum hominem, qui vos ſæpe admoneat, quoniam occupati eritis, ut non obliviſcamini impetrare geſta pontificum, ab initio geſtorum Sergii papæ, in quibus invenitur Ebo fuiſſe damnatus, uſque ad præſentem annum iſtius præſulatus, quia nos in iſtis regionibus ſatis hoc indigemus. Nam aliorum pontificum geſta, ſi vos non habetis, per me aut per Folcricum habere poteritis.

De omnibus iſtis quæ dilectioni veſtræ mando, qualiter vobis placeant, aut qualiter diſpliceant, quantum vobis placuerit & licuerit; & quæ mitto, qualiter ad vos ſalva pervenerint, per iſtum miſſum noſtrum mihi litteris remandate. In concluſione autem vobis ſcribo, quod ſanctus Petrus apoſtolus Apollinari dixit, quando eum Ravennam prædicare tranſmiſit, Dominus meus Jeſus Chriſtus mittat angelum ſuum coram te, qui cuſtodiat vias tuas ante te, & annuat quæ poſtulaveris.

## III.

### Ad Nicolaum Papam.

Reſpondet increpatoriis ejus litteris purgans ſe de tumore ac dolo, & de objectis in cauſa Ebonis & Vulfadi, tum de Benedicti papæ privilegio, & actis ſynodi Sueſſionenſis, deque immoderato uſu pallii.

*Domino ſanctiſſimo & reverentiſſimo patrum patri Nicolao, primæ ac ſummæ ſedis apoſtolicæ & univerſalis eccleſiæ papæ, Hincmarus Remorum epiſcopus & veſtræ ſanctiſſimæ paternitatis devotiſſimus famulus.*

DEcimo tertio Kalend. Junii præſentis XV. Indictionis, mandatus a domno noſtro, devotiſſimo filio veſtro, Karolo rege glorioſo, obviam illi eunti ad colloquium fratris ſui Hludouvici regis glorioſi ad Metis civitatem quo ſecum me duxit ad palatium ejus, quod Salmontiacus dicitur in Laudunenſi parochia, veniens, & ſecundum juſſionem illius fratres noſtros de Vulfadi collegio mecum ducens, quo & fratres ac conſacerdotes noſtros Rothadus Sueſſorum epiſcopus, & Hincmarus Laudunenſis epiſcopus convenerunt, conveniente etiam præfato dilecto fratre noſtro Vulfado litteras ſanctiſſimæ (A Sirmondo edita ex codice S. Mariæ Laudunenſis.)

ANNO CHRISTI 866.

mæ paternitatis & præcellentiſſimæ auctoritatis veſtræ coram eodem domno rege & prædictis fratribus noſtris ab Egilone venerabili archiepiſcopo Senonenſi accepi. In quibus, ſed & in litteris generaliter ad epiſcopos qui in ſynodo, veſtra auctoritate congregata apud Sueſſiones fuerunt, ibidem relectis, tantas & tales increpationes indignitati meæ a dignitate veſtra inlatas inveni, ſicut peccata mea merentur. Unde ſi præſens corpore vobis adeſſem, quod ſanctus Spiritus per os beati Benedicti in regula ab ipſo dictata præcipit, ſine cunctatione vel aliqua mora exequi procurarem. Si quis, inquit,
„ frater, pro quavis minima cauſa a quocumque
„ priore ſuo corripitur quolibet modo, vel ſi le-
„ viter ſenſerit animos prioris cujuſcumque con-
„ tra ſe iratos vel commotos quamvis modice, mox
„ ſine mora tamdiu proſtratus in terra ante pedes
„ ejus jaceat ſatisfaciens, uſque dum benedictio-
„ ne ſanetur illa commotio. Quod quia corporaliter ante veſtræ ſanctitatis veſtigia implere non valeo, mente & ſpiritu, ubicumque ſum, cum debita mentis devotione adimpleo. Suadente beato Gregorio ſanctitatis veſtræ prædeceſſore, atque dicente in expoſitione evangelicæ ſententiæ, Matth. 5. *ſi offers munus tuum ad altare*, ac reliqua: Debe-
„ mus, inquit, ad proximum quamvis longe po-
„ ſitum longeque disjunctum mente ire, eique
„ animum ſubdere, humilitate illum ac benevo-
„ lentia placare: & ſcilicet conditor noſter, dum
„ tale placitum noſtræ mentis aſpexerit, a pecca-
„ to nos ſolvet, quia munus pro culpa ſumet.

Et quia tempus annuum quod in litteris humilitati meæ directis de cauſa fratris Vulfadi collegarumque ejus inveni, ex benignitatis veſtræ commotione mihi conceſſum intellexi, diutius ſuſtinere paſſus non fui, quin poſt reverſionem de præfato itinere, nunc conſequenter iſto qui inſtat menſe Julio præſentis XV. Indictionis cum domno noſtro rege in hoſte ex omni regno ſuo collecta contra Brittones & Nortmannos illis conjunctos, ſicut & ceteri confratres ac conſacerdotes noſtri, ſecundum noſtrarum regionum gravem conſuetudinem, cum ſuis vadunt, quam longe infirmitate attritus potero, cum hominibus commiſſæ mihi Eccleſiæ perrecturus, quantocius potui veſtræ ſublimitati ſatisfacturus, has humilitatis litteras ad veſtræ ſanctitatis veſtigia, quoniam propter inſidias principum mihi infeſtorum, quibus ad ſua vota placere non audeo, aperte non valui, modo quo potui tranſmittere maturavi. Denique poſt præfatas veſtræ auctoritatis epiſtolas, relectum eſt in ſupradicto loco decretum veſtræ præceptionis de reſtitutione prædictorum fratrum noſtrorum, & quod decreviſtis libenter amplexi ſumus: Et quod præfatus venerandus archiepiſcopus Egilo mihi ex veſtro mandato inde injunxit, ſine retractatione exequi procuravi. Qua de re nil aliter, niſi veluti a veſtra auctoritate eſt diffinitum, in poſtmodum repetere cupio, ſicut in proceſſu horum doloris mei apicum, pro commotione erga me veſtra explanans plenius inculcabo, in quibus ut legitur a doloroſo dictum, Job 16. *Si locutus fuero, non quieſcet dolor meus; & ſi tacuero, non recedet a me.* Scio enim quia niſi multam rubiginem in me conſpiceret fictor meus, non totiens me iſto igne purgationis, ex apoſtolicæ ſedis auctoritate quorumdam factione adverſus exiguitatem meam commota, tam duriter conflaret, & utinam expurgaret. Sic enim bonæ memoriæ dominus Hlotharius in initio ordinationis meæ, apud Sergium, & poſtea apud ſucceſſorem ipſius Leonem, pro contentione regni quam erga fratrem ſuum habebat, domnum Karolum, cujus obſequiis fideliter adhærebam, ſategit. Unde poſtea, Deo inſpirante pœnitentiam egit, & litteris ad ſedem apoſtolicam miſſis quod exceſſerat corrigere ſtuduit. Per quos etiam ſereniſſima ſanctitatis veſtræ tranquillitas erga indignitatem meam totiens & adeo ſit commota, non debet a me conquiri, nec indebitis ſuſpicionibus debeo agitari. Duo tamen ſunt quæ tenere me veraciter puto, & tertium quod in mente mea cognoſco. Scilicet quia commotio animi veſtri erga humilitatem meam, non ex veſtris propriis motibus, ſed alienis procedat ſuggeſtionibus. Et ſi vera eſſent quæ vobis de me a quibuſdam audio dicta, non ſolum merito erga me taliter moveremini, verum & incomparabiliter ſeverius quam moveamini zelo rectitudinis accenderemini. Sed gratia illi, cujus gratia ſum id quod ſum, quia perhibente mihi teſtimonium conſcientia mea, licet in aliis ſim peccator, tamen in his de quibus me apud auctoritatem veſtram audio denotari, non talis ſum in oculis divinis, qualis depingor in auribus humanis. De tumore namque erga ſedem apoſtolicam, omnium eccleſiarum matrem atque magiſtram, jam apud ſanctæ recordationis Sergium atque Leonem fueram denotatus: ſed debitis obſequiis, cooperante Domino, quocumque ſe locus mihi præbuit, demonſtravi quod fidelis & devotus, humilis quoque atque ſubjectus ſemper in omnibus & ubique erga ſedem apoſtolicam & ejus rectores extiterim: & modo cum tumore, quem quantum potui ab ineunte ætate vitavi, doloſitate atque crudelitate, apud ſanctam & prudentiſſimam ſimplicitatem veſtram videor denotari. Qui poſtquam ſenſualiter percepi dictum a ſancto Spiritu, & imprecari a ſancta Dei eccleſia, de his qui in corde & corde loquuntur, Pſal. 11. *Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa* Pſal. 30. ac *muta fiant labia doloſa*, Pſal. 5. & ut *virum ſanguinum*, ita nihilominus *& doloſum* abominari a Domino, doloſitatem & crudelitatem quaſi Eccl. 21. *a facie colubri* fugiens execrari curavi, ſciens beatos eſſe miſericordes, & judicium illi futurum ſine miſericordia, qui non facit miſericordiam. De quibus vitiis, in iſtis partibus eccleſia mihi commiſſa, ſed nec vicinæ eccleſiæ adverſum me hactenus fuere conqueſtæ, ſed nec modo conqueruntur. Unde datur intelligi, quoniam illi qui de me iſta falſo diſſeminant, ſi vel ſimilitudines aliorum criminum in me percepiſſent, (quod non ad excuſandum excuſationes in peccatis fateor) utique vobis non tacuiſſent. Sed benedictus Dominus, qui hactenus non dedit me in captionem dentibus eorum qui ſæpe expugnaverunt me a juventute mea, & non potuerunt mihi, protegente Domino, qui de multis tribulationibus eripuit me, in quem ſpero quia & adhuc eripiet. Hæc, domine & pater ſanctiſſime, cum omni animi contritione, & qua poſſum humilitate depoſco, ut penſantes quanto cordis mœrore ſint dicta, non aſpernanter accipiatis, & non ſubdole auctoritati veſtræ ſubjectionem meam ſcripſiſſe, vobis a quoquam perſuaderi ſinatis. Nec ea quæ modo dignationi veſtræ ſcribere fiſus de clementia veſtræ benignitatis præſumo, ad hoc ſcripta intelligatis, quaſi increpationibus veſtris duriter ſuſceptis, contumaci corde reſiſtere, & quæ ſcripſiſtis, irreverenti fronte vel erecta cordis cervice diſſolvere, aut veſtris apoſtolicis juſſionibus, vel diffinitionibus reſultare modo quolibet, vel in modico velim; qui ſicut domino famulus & patri filius, in



ANNO CHRISTI 866.

in omnibus ſatisfacere & parere apoſtolicæ veſtræ auctoritati deſidero.

Ceterum de Ebone de quo humilitati meæ ſanctitatis veſtræ ſublimitas ſcripſit, multa & in regum, & in geſtis epiſcoporum, qui jam nos ad Dominum præceſſerunt, & adhuc nobiſcum in ſuis monimentis atque ſubſcriptionibus vivunt, habentur, quæ apud nos & apud alios in noſtris regionibus conſervantur, multa etiam in ſcrinio ſanctæ & ſummæ ſedis Romanæ haberi non dubito. Unde ne videar quaſi mei cauſa mortuo derogare, & ſepulti reprehenſibilia geſta velle reſuſcitare: de actis quæ apud nos exinde conſervantur, cur & qualiter depoſitio ejus acciderit, rationabilius videtur a nobis ſileri quam pleniter & ex ordine dici. Sed & contra multiplicem ſapientiam veſtram, quæ excedit noſtrum ſenſum atque intelligentiam, & contra veſtram ſummam auctoritatem, quæ ſupereminet noſtram ſubjectionem, de illius qualicumque depoſitione quamcumque contentionem, quod abſit, conſerere, vel quamcumque reſultationem inire non volo, non præſumo, non debeo. Præſertim cum & ipſe, & illi qui eum non clamantem vel reſiſtentem, ſed potius, quantum ab eis qui interfuerunt videri potuit, ſponte conniventem ante triginta & tres annos jam evolutos judicaverunt, illic procul dubio ſint, ubi unuſquiſque ſub tanto judice, cujus oculis nuda & aperta ſunt omnia, non poſſunt perdere ſui meriti qualitatem. Verumtamen ut pauca ex eorum geſtis ob rei notitiam vobis ſuggerendam commemoremus, Hildemanno eccleſiæ Belgivacorum epiſcopo, calumniis, quibus fuerat denotatus, regulari ſatisfactione exuto, Ebo, qui pridem cum aliis archiepiſcopis & epiſcopis libellum, quem habemus, de reſtitutione imperatoris Hludovici manu ſua cum additamento archiepiſcopi edidit, in eadem ſynodo ſecundum traditionem apoſtolicæ ſedis, velut Zoſimus de Proculo, Joannes de Contumelioſo, Gregorius de Paulo, decernentes oſtendunt: & ſicut Gregorius multoties de epiſcopo non valente pro infirmitate corporis ad miniſterium epiſcopale adſurgere, quod ſi voluerit hoc modo (videlicet dato libello) ab epiſcopatu ſe removere valeat, ſcripſit, datis litteris in abdicationem ſui, ſacerdotio ſe ſponte amovit.

Quem, ut Alexander papa in decretis ſuis oſtendit, metus aut vis vel fraus, quæ a nemine pertulit, innoxium vel excuſabilem reddere nequiverunt. Neque, ut Gregorius de Pompejo monſtrat, violentia aut afflictio, quæ a nullo ſuſtinuit, nec etiam reclamatio ad apoſtolicam ſedem, quam præſens in judicio non emiſit, ei conſulere debuerunt: qui nullo cogente, nec etiam poſtulante, ſed propria ſponte, conſcius criminum, de quibus partim in ſynodo fuerat accuſatus, partim autem, niſi locum peteret quærendi conſilium, cum quibuſdam epiſcopis, foret nihilo minus accuſandus, & de quibus ſe purgare non poterat, ſecundum eorumdem epiſcoporum conſilium, ſequentium Africanum concilium, propter eccleſiæ opprobrium, & inſolentem inſultationem ſæcularium, ne dignitas ſacerdotalis pollueretur, libellum temperantia, quam beatus Leo ad univerſos epiſcopos per Campaniam & Samnium, ceteraſque provincias decrevit, manu ſua ſubſcriptum, propriaque confeſſione atteſtatum, ſynodo ſine ulla reſultatione porrexit.

Et Africani canones teſtimonio epiſcopi, etiam de ſe mentientis, adeo credi debere dicunt, ut epiſcopatum amittat, ſicut & Dominus in evangelio Luc. 19. monſtrat dicens: *Ex ore tuo te judico*: &, *ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Et David propheta mentienti quod occiderit Saul, Matth. 12. 2. Reg. 1. *Sanguis tuus ſuper caput tuum, os enim tuum locutum eſt adverſum te.* Et ſanctus Gregorius de Andrea, quia flagitari judicium non debet de cauſa quam ipſe judicavit; quia ſi verum de ſe confeſſus fuit, ſicut in libello ſuæ profeſſionis quem habemus, ſcriptum eſt, cujus exemplar cum exemplari notitiæ ſynodalis, ſanctæ memoriæ Leoni papæ directum eſt, in quo pro reatibus ſuis a pontificali miniſterio alienum ſe reddidit, & alium in loco ſuo abſque repetitione canonica conſecrari decrevit; tamquam criminoſus ſuo teſtimonio a miniſterio pontificali ceſſare, & juxta Leonis & Gregorii decreta, ad promerendam miſericordiam Dei, privatam ſeceſſionem expetere debuit.

Et ſi falſum de ſe protulit, tamquam falſus contra ſemetipſum teſtis abjiciendus fuit, prohibente Domino, Exod. 20. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Quod ſi non licuit contra proximum, multo minus contra ſemetipſum. Et idcirco, ut judices ſui dixerunt, juſte & rationabiliter a pontificali miniſterio alienum una cum ipſo eum reddiderunt.

De quibus, quantum reſcire poſſumus, qui in nomine epiſcopi tunc fuerunt, in iſtis Ciſalpinis regionibus nemo in corpore vivit, niſi ſolus Rothadus: licet adhuc plures ſuperſint, qui eccleſiam & provinciam ſuam, eum prius nullo impetente, deſeruiſſe contra regulas ſacras noverunt, & poſt ejus depoſitionis ordinem cognoverunt. Et Apoſtolus Hebr. 7. *teſtamentum* dicit *in mortuis confirmatum.* Verum & de his qui me in illius loco ordinaverunt, non habentur ſuperſtites, niſi præfatus Rothadus & Erpoinus: quamvis in iſtis provinciis, Remorum ſcilicet, Trevirorum, Agrippinenſium, Moguntinæ, Lugdunenſium, Arelatenſium, Narbonenſium, Rotomagenſium, Turonenſium, Senonum, Bituricenſium, Burdegalenſium, non facile plures inveniri poſſint epiſcopi, vel presbyteri, aut diacones, qui aut ab illis non ſint ordinati, qui in Ebonis depoſitione fuerunt (& me quidam eorum & ab eis ordinati ordinaverunt) aut qui in ordinatione mea conſentientes non ſubſcripſerint, ſeu qui a me aut ab illis non ſint ordinati: quos ego Dei gratia ordinavi. Qui poſt decennium quam idem Ebo, ſicut Ciſalpini epiſcopi dixerunt, depoſitus fuerat, & ſine regulari repetitione vel reclamatione permanſerat, atque poſt annum quam a Sergio papa ſententiam notam ſuſceperat, quam rectiſſime auctoritas veſtra, ut videlicet Divinæ legis oraculum, in epiſtola ſynodali per Egilonem directa nobis expoſuit, in ſynodo apud Belgivacum civitatem Remenſis provinciæ, a Clero & plebe Remorum metropolis, ſed & ab epiſcopis ejuſdem provinciæ petitus & electus, & cum decreto canonico præſentia & unanimitatis conſenſu omnium ſuffraganeorum ipſius metropolis, cunctis adclamantibus, nullo autem reclamante vel contradicente, regulariter in eadem eccleſia ſum ordinatus, ſicut epiſtolæ de ordinatione mea ſanctæ memoriæ Leoni papæ directæ, & ſcripta eccleſiaſticæ traditionis, quæ in Remenſi eccleſia conſervantur, oſtendunt.

In quibus inter cetera ſecutos ſe fore dixerunt epiſcopi, ordinatores videlicet mei, auctoritatem Africani concilii, quod miſſis epiſcopis, eccleſiæ diutino tempore pro fuga Equitii deſtitutæ juſſit ordinari epiſcopum: & Damaſi papæ decreta, ad Paulinum epiſcopum a congregata in urbe Roma ſynodo directa, de epiſcopis adhuc etiam Epiſt. 3. in

ANNO CHRISTI 866.

in ſtatu ſuo manentibus, & contra regulas tranſmigrantibus. Eos, inquit, qui de eccleſiis ad eccleſias migraverunt, tamdiu a communione noſtra habemus alienos, quamdiu ad eas redierint civitates, in quibus primum ſunt conſtituti. Quod ſi alius, alio tranſmigrante, in loco viventis eſt ordinatus, tamdiu vacet ſacerdotii dignitate qui ſuam deſeruit civitatem, quamdiu ſucceſſor ejus quieſcat in Domino.

Ego autem decernentibus ſacris canonibus Carthaginenſis concilii, ut quicumque clerici vel diaconi, pro neceſſitatibus eccleſiarum non obtemperaverint epiſcopis ſuis, volentibus eos ad honorem ampliorem in ſua eccleſia promovere, nec illic in gradu ſuo miniſtrent, unde recedere voluerunt (quod & ſanctus Gregorius in epiſtola ad Galliarum epiſcopos adprobat, dicens: Sicut is qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus; ſic qui ultro ambit, vel importunum ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus: mentis & corporis ad obediendum epiſcopis & ordinatoribus meis colla ſuppoſui: quoniam aliter, ductus devotione, ſicut tunc mihi videre videbar, agere non præſumpſi. Qui in monaſterio, ubi ab ipſis rudimentis infantiæ ſub canonico habitu educatus, indeque eductus, in palatio domni Hludovici imperatoris non modico tempore manſi: converſis autem ad regularem vitam & habitum fratribus in monaſterio ſancti Dionyſii, ubi nutritus fueram, in illud, ſæculum fugiens, ſine ſpe vel appetitu epiſcopatus, aut alicujus prælationis diutius degui: & exinde adſumptus, familiaribus obſequiis præfati imperatoris, ac epiſcoporum conventibus, pro ſola obedientia mihi injuncta inſerviens, poſt aliquot annos monaſterii quietem repetii. A quo, peccatis meis exigentibus, rupto ancoræ fune, quo me in portu negligenter devinxeram, ſub obtentu ſalutis plurimorum, perſuaſus hortamentis eorum, quibus facilius quam mihi neceſſe foret credidi, ad tempeſtates maris magni & ſpatioſi periculoſiſſime ſum rejactatus.

Lib. 7. epiſt. 110.

Emenſo autem anno poſt ordinationem meam, Hlotharius imperator, ut prædixi, cauſa fratris ſui erga me commotus, epiſtolas a Sergio papa exegit, ſicut poſtea mihi innotuit, pro refricando concilio de Ebonis depoſitione, quaſi diſcordia eſſet in Remenſi eccleſia pro mea ordinatione, quod nullatenus conſiſtit. Unde iſdem domnus apoſtolicus litteras domno Karolo miſit, præcipiens, ut Guntboldum Rotomagenſem archiepiſcopum cum ceteris epiſcopis regni ſui, quos prædictus Guntboldus ad hoc ſibi eligeret, obviam miſſis ejus Treveris ad hanc cauſam diſcutiendum dirigeret, & me ad ipſam ſynodum venire faceret. Ipſi quoque Guntboldo inde litteras miſit, ut cum poſt diem ſanctæ Reſurrectionis miſſos ſuos idem domnus papa in ſervitium imperatoris mitteret, ad prædictum locum cum epiſcopis hanc cauſam diffiniturus adiret. Sed & mihi inde litteras miſit, ut ad idem venirem concilium. Nos autem expectavimus eoſdem miſſos uſque ad condictum terminum, & non venerunt.

Quapropter auctoritate litterarum domni papæ Sergii, annuente domno noſtro rege Karolo, cum conſenſu archiepiſcoporum & ceterorum epiſcoporum regni ipſius, Guntboldus ſynodum condixit, quo Ebonem litteris, quarum exemplar habemus, per Erpoinum provinciæ Remenſis epiſcopum directis, ex auctoritate prædicti papæ convocavit: ut ſecundum ejus commendationem, hanc cauſam regulariter diffiniret, & diffinitionem ipſius rei ad ſedem apoſtolicam ſecundum ſacras regulas referre curaret. Quo iſdem Ebo ſibi conſcius venire non voluit, nec ut apud ſedem apoſtolicam, a qua notam ſententiam ſuſcepit, abſolveretur ſategit, cum eundi illuc facultatem habuerit, quoniam diu in Italia immoratus, & proprietatem de facultatibus Remenſis eccleſiæ comparatam poſſederit, & abbatiam ſancti Columbani apud Hlotharium obtinuerit, ſed & in iſtis regionibus alteram abbatiam adeptus fuerit, quas & habuit uſque dum legationem in Græciam a Hlothario ſuſceptam exequi detrectavit, & ob id honores quos a præfato imperatore acceperat perdidit, & per clementiam Hludouvici regis Germaniæ in provincia Moguntina conductum promeruit. Et nullum documentum canonicum de ſua reſtitutione, vel a ſede apoſtolica abſolutione, ſicut præcipiunt regulæ, in vita ſua ſynodo ulli oſtendit.

Qui ſine documenti teſtimonio vel litteris de ſua reſtitutione, ut Felix papa decrevit, miniſtrare vel recipi in miniſterio ſacro non debuit, a ſe & a plurimarum provinciarum metropolitanis cum ſuis coepiſcopis in judicio præſens, & ad ſedem apoſtolicam non reclamans, conſonanter excluſus. Maxime quia per tot annos, etiam poſt acceptam ſententiam a ſede apoſtolica, innocentiam ſuam non aſſeruit, quam demonſtrare non potuit: ſed & quia ante regularem audientiam, vel ante prolatam & confirmatam atque oſtenſam a ſede apoſtolica ſuam reſtitutionem, per edictum imperiale Hlotharii imperatoris, quod habemus, miniſterium epiſcopale præſumpſit, quod, ut Gelaſius in epiſtolis ſuis de Acacii damnatione oſtendit, manifeſtiſſime ſacris eſt canonibus inimicum, qualia & quanta judicia incurrerit melius ipſi ſcitis.

Nam etſi, ut prædiximus, exigente imperatore Hlothario, a ſede apoſtolica litteræ miſſæ fuerunt pro ſynodo ex hac cauſa congreganda, cum legatus ipſius ſedis in has partes veniret: tamen ſicut ad nullam ſynodum, ſed nec ad eam quam Guntboldus auctoritate litterarum domni Sergii papæ congregavit, iſdem Ebo convenit: ita nec miſſus a ſede apoſtolica pro ſynodo ex hoc congreganda in iſtas partes advenit, veluti & epiſtola ipſius imperatoris, nec non & epiſcoporum Belgicæ Galliæ, Neuſtriæ, & Aquitaniæ provinciarum epiſtola, cum litteris domni regis Karoli, ſanctæ memoriæ Leoni papæ directæ, quas in ſcrinio Romano credimus ſervari, demonſtrant.

Sicque ſepædictus Ebo, abſque ulla repetitione vel reclamatione ſuæ ſedis apud quamcumque ſynodum, vel apud ſedem apoſtolicam, a qua fuerat decretum, ut nec communionem inter clericos ſuſciperet, poſt datas litteras papæ Sergii, pro ſynodo ex hac cauſa congreganda, cum miſſos ſuos in iſtas partes dirigeret, & poſt ſynodum auctoritate litterarum ipſius congregatam, quo vocatus, ut prædiximus, non convenit, uſque ad obitum ſuum permanſit. Videlicet, ſicut ſuperius memoratæ litteræ auctoritatis noſtræ demonſtrant, talis a ſede apoſtolica & papa Sergio habitus, qualis ab aliis non ignorabatur haberi, id eſt, ut codex epiſcopalis oſtendit, pro criminibus ſuis honore privatus, & ab eccleſia pulſus, & ideo, ante ſynodalis examinis diſcuſſionem, ad quam Dei judicio non pervenit, ſecundum ſacros Nicænos canones non receptus.

Quod ergo, ut Leo ſcribit, manens in corpore non recepit, conſequi exutus carne non poterit. Sicut ſanctus Gelaſius de Acacio dicit, qui a ſede apoſtolica damnatus & non reſtitutus, licet Anaſtaſius papa, ſicut in libro epiſcopali legimus, eum recipere voluerit, vitam finivit. Talis eſt, inquiens, dictus, qualis ſignatus eſt nunquam eſſe ſolvendus, talis uſque in finem permanſit, talis eſſe non deſtitit. Ita talis eſt hodie qualis eſt & dictus, non talis eſſe jam non poteſt. Nunquam igitur talis permanendo ſolvendus eſt.



ANNO CHRISTI 866.

De dilecto autem fratre noſtro Wlfado, & ejus collegis, de quibus mihi ſumma dignitatis veſtræ auctoritas quæ ſibi placuit ſcripſit, nihil aliud ſanctitati veſtræ ſcribere præſumpſi, niſi quod increpationes veſtras non negligenter, ſed diligenter ſuſcipio, & præceptiones obedienter obaudio. Et quia illis ſufficere debet præſtabilis auctoritatis veſtræ benignitas, & mihi abundanter ſufficiet, ſi ſatisfactionem humilitatis meæ ſuſcipientes, credere dignati fueritis me vobis ſimpliciter ſcripſiſſe.

Nam ſecundum ordinatorum meorum præceptionem, qui mihi necdum duobus exactis menſibus poſt ordinationem meam, in ſynodo apud Meldis civitatem habita præceperunt, catenus ignoranti, quod Ebo poſt depoſitionem ſuam aliquos in Remenſi eccleſia ordinaverit, ut eis mecum uſque ad diligentiorem tractatum miniſtrare non permitterem, egi. Et hoc ipſum eiſdem fratribus (decernente Carthaginenſi concilio, ut ordinatis epiſcopis vel clericis, prius ab ordinatoribus ſuis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta concilii feciſſe pœniteant) per Pardulum tunc diaconum eccleſiæ Remenſis, qui interfuit ſynodo, mandaverunt: quoniam canones poſteriores anterioribus jubent deferre, poſt ſynodum apud Sueſſiones habitam, cum eorum litteris, quarum exemplar habemus, & quas in Romano ſcrinio inveniri poſſe exiſtimo, cum meis pro eorum petitione litteris, & cum aliis petitionibus meis, ad ſedem apoſtolicam domno papæ Leoni, pro confirmandis eorum geſtis, ex eiſdem fratribus ad ſynodum non coactis, quæ non ſcripſi, nec eis ſubſcripſi, ſicut & in ſynodo veſtra auctoritate collecta oſtendi, me direxiſſe non denego.

In quibus geſtis veram præfatorum fratrum proſecutionem adverſum me ſilentio non firmavi: unde ex communi conſenſu, ſecundum canones, ſicut eos intelleximus, judices poſtulavi. Quorum ſententiam ſequendam vidi, uſquequo majoris auctoritatis aliter exinde diffinitionem acciperem. Recepta autem domni papæ Leonis excuſatoria epiſtola cur eadem geſta non confirmaverit, dicens inter cetera: „Cauſas pro quibus hoc uſque ad tempus ſuſpendimus, caritati veſtræ dicemus. Prima igitur hæc eſt, quia ſicut ab epiſcopis prænominata ſynodus utiliter ventilata ſive ſcripta eſt, ita per aliquos ex eis, ut dubitatio foret radicitus evulſa, ſtatuta veſtræ ſynodi deſtinare debuiſtis. Neſciens quia nos metropolitani in iſtis regionibus non habemus poteſtatem, ut ſine conſenſu vel juſſione regis, aut nos ipſi ire, aut coepiſcopos noſtros quoquam longius poſſimus dirigere.

Subjunxit autem idem pontifex in ſuis apoſtolicis litteris dicens: „Alia autem juxta votum veſtri deſiderii id nos perficere minime permiſit: eo quod legati ſedis apoſtolicæ præſentes ibidem non fuerunt, neque imperialis epiſtola nobis talis eſt præſentata, quæ hoc quod expetendum miſiſtis, ſpecialiter indicare potuiſſet. Quarta ſcilicet cauſa hæc eſt, quia hi, quos depoſitos caritas veſtra auctoritate ſynodi fore adfirmat, per proprias litteras ſedem apoſtolicam appellati ſunt, & volunt iterum noſtra ſe apoſtolica audiri præſentia, & tunc ſi culpabiles inventi fuerint, non ſe abnuunt canonicam ſubire cenſuram.



Et poſtquam has litteras domni papæ Leonis accepi, ſicut mihi innotuit, domnus Hlotharius petente quodam epiſcopo regni ſui qui adhuc vivit, per Petrum Aretinum epiſcopum præfato domno papæ mandavit, ut geſta epiſcoporum de eiſdem clericis non firmaret. Quæ cum ad fratres & coepiſcopos noſtros retuli, rogantibus eis apud Hlotharium imperatorem epiſtolam exinde, ipſo ex animo largiente, per miſſos meos obtinui, ubi inter cetera ita ſcriptum habetur: „Sed ad noſtras petitiones exequendas & obtinendas Petrum venerabilem & dilectiſſimum nobis Spoletinum epiſcopum viva voce noſtra vice executorem inſtruximus: & alium Petrum venerabilem æque & amantiſſimum epiſcopum Aretinum litteris commonuimus, & alios fideles veſtros atque noſtros ſimiliter inde monuimus, & reliqua.

Sicque cum iſta epiſtola, & cum legatione imperatoris, per præfatum venerabilem epiſcopum miſſos meos cum litteris Romam direxi, quibus in via nuncius venit de obitu papæ Leonis. Pervenientes autem Romam cum præfatis litteris, & intervenientibus prædictis epiſcopis, domnus nomine & gratia Benedictus mihi quod noſtis privilegium inde direxit. Synodum autem pro ſæpedictis clericis, aut a Petro Spoletino, aut ab alio aliquo in iſtis regionibus, nec fama, nec veritate, ex apoſtolica auctoritate congregatam, vel congregari juſſam, ſicut & per alios in iſtis partibus reſcire poteſtis, unquam audivi: niſi illam quæ anno præterito veſtræ auctoritatis juſſione extitit congregata, in qua eorum reſtitutioni ſecundum traditionem majorum paratiſſime annui. Quam, poſteaquam litteras veſtræ auctoritatis inde ſuſcepi, ſalubrem ac regularem cupivi: & idcirco ab ipſis qui eos deſtituerunt, vel non a minori numero, una cum meo conſenſu, eos reſtitui peroptavi. Et propterea inde uſque ad ſynodum expectavi, & plenius a ſede apoſtolica veſtra auctoritate firmandam cupivi, cujus arbitrio poteſtatis reſervata erat ſumma, ac firmitas privilegiorum apoſtolicæ ſedis, ſicut & veſtræ epiſtolæ nobis directæ continent, & in epiſtola ſynodali, cujus exemplar habemus, ſanctæ auctoritati veſtræ directa communi conſenſu, ſcripſimus: in qua nullam mentionem de quacumque Ebonis depoſitione habuimus.

Sed & litteris meæ exiguitatis ſimplici mente inſerui inter cetera dicens: „Quia ſynodo per hunc venerabilem archiepiſcopum Egilonem, qui interfuit actionibus, dirigente epiſtolam omnium noſtrum qui adeſſe potuimus, cum ipſo voce loquentem: quoniam ſi eis manus porrigitis, vobiſcum pariter porrigemus. Et item poſt aliquanta. Quæ verbis & ſcriptis mihi per iſtum religioſum archiepiſcopum exinde ſequenda atque tenenda mandaveritis: pro ſcire & poſſe, obedire & conſervare curabo. Quam epiſtolam idcirco, ut veraciter vobis confitear, ſigillatam non miſi, quia ſynodus epiſtolam a ſe directam non ſigillavit, ducens incongruum, ut quoniam archiepiſcopus de ipſa ſynodo, qui eidem veſtris ad eam vocatus apoſtolicis litteris interfuit, ad vos mittebatur, quaſi incredulo epiſtola ſigillata committeretur; & quod ſynodus non egit, ego agere, ne ſcandalum cuiquam generarem, non præſumpſi.

ANNO CHRISTI 866.

Sanctitas igitur veſtra, caritate quæ omnia credit repleta, veraciter mihi credat, quia ſimpliciter & abſque ullo dolo in reſtitutione prædictorum fratrum, poſtquam veſtram diſpoſitionem inde reſcivi, ex benevola mente conſenſi, & ſimpliciter ac ſine ullo dolo ſcripſi, quæ veſtræ ſanctitati tranſmiſi. A quo conſenſu modo quolibet poſtea non diverti, niſi veluti in præfatis litteris vobis ſcripſi, dicens, reſervato per omnia ſententiæ ac juris privilegio apoſtolicæ ſedis, & ſalva diffinitione ac confirmatione expectatæ veſtræ diſcretionis atque auctoritatis. Nunc autem ſuſcepta diffinitione de illorum reſtitutione, quam veſtra, ſicut decuit & ordo popoſcit, ſumma auctoritas præceſſit, & ſubſequente ſynodali conſenſu, veſtræ perfectio firmationis corroboravit, nunquam vel nuſquam exinde quamcumque querimoniam contra quemcumque molior vel diſpono, intendo vel cupio habere, renovare, excitare ſive conſerere.

Nec meditatus ſum, litteris pro hoc veſtræ benignitatis acceptis, a conſenſu in ſynodo, contra ipſius diffinitionem & veſtram confirmationem aliquid removere ex tunc in poſtmodum uſque in ſempiternum. Quia enim nullo crimine proprio denotati, neſcientes Ebonem damnatum, non importune ad ordinationem, ſicut ipſi dicunt, & non eſt qui contradicat, ſe ingeſſerunt, ſed electi & vocati obedierunt, ſicut ſecundum excellentiam ſapientiæ veſtræ domno regi Karolo ſcripſiſtis, ſi nollent obedire volenti eos ad majorem gradum provehere, omnes illi velut procaciter renitentes reprehenderentur, & tamquam contumaces circa ſacros canones damnarentur, veluti in epiſtola epiſcopis, qui per gratiam Dei & decretum veſtrum apud Sueſſionis urbem convenerunt, directa, intimaſtis. Qualiſcumque fuerit, vel quæcumque pertulerit Ebo, a ſe ordinatis, qui nihil præter humilitatem & obedientiam exhibuerunt, nullum prorſus intulit offendiculum: quoniam & beatiſſimus Leo ad Mauros ſcribens, ita de quodam Maximo præcipit dicens: Maximum quoque licet reprehenſibiliter ordinatum, tamen ſi Donatiſta jam non eſt, & a ſpiritu ſchiſmaticæ pravitatis alienus eſt, ab epiſcopali, quam quoquo modo adeptus eſt, non repellimus dignitate.

Epiſt. 9. ſub finem.

Et Anaſtaſius ejuſdem apoſtolicæ ſedis præſul, quod mali bona miniſtrando ſibi tantummodo noceant, nec eccleſiæ ſacramenta commaculent, ad Anaſtaſium principem ſcribens, evidentiſſima ratione demonſtrat. Cui ſane pio ſenſui, ſicut in eorum decretis cum additamento conditionum legimus, juxta quemdam modum non inconvenienter coaptari poſſe videtur quod beatus Auguſtinus ſcripſit, de cujus ſenſu ac verbis Anaſtaſius papa in præfata epiſtola hinc quædam aſſumpſit. Si quem forte, inquit, coegerit extrema neceſſitas, ubi catholicum per quem accipiat non invenerit, & in animo pacem catholicam cuſtodiat, per aliquem extra unitatem catholicam poſitum acceperit quod erat in ipſa catholica unitate accepturus, ſi ſtatim etiam de hac vita emigraverit, non eum niſi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum catholicæ congregationi etiam præſentia corporali redierit, unde nunquam corde diſceſſerat, non ſolum non improbamus quod fecit, ſed etiam ſecuriſſime veriſſimeque laudamus, quia præſentem Deum credidit cordi ſuo, ubi unitatem ſervabat.

1. prima unica.

Exemplar denique privilegii ſanctæ memoriæ Benedicti, ſine ulla mutilatione vel adjectione ſeu immutatione, per venerabilem fratrem & coepiſcopum noſtrum Hodonem ſanctiſſimæ paternitati veſtræ tranſmiſi. De quo & in epiſtola a me per illum vobis directa, inter alia, ſi placet, poteſtis relegere; ubi ſcriptum habetur: Mitterem, inquam, ipſam authenticam privilegii chartam, quam beatæ recordationis præceſſor veſter domnus Benedictus mihi ſua auctoritate direxit: ſed timui ne mihi inde aliquid ſiniſtri in via contingeret, & ſolatio, quod inde adverſus inſurgentium impetus habeo, fierem deſtitutus. Veſtra vero dignatio in ſcrinio ſanctæ Romanæ eccleſiæ ex more exemplar illius poteſt requirere, & utrum ita ſe habeat evidenter agnoſcere. In quo ſi veſtræ ſanctitati placet, neceſſe eſt nobis ut quædam ſuperaddatis, quæ hic frater ac filius noſter, juxta quod neceſſitates noſtras cognoſcit, veſtræ ſuggeret ſanctitati. Quia, ſicut S. Auguſtinus dicit, neceſſe eſt, ut ad nova morborum genera, nova quærantur medicamentorum experimenta. Sed & de ſynodo apud Sueſſiones habita, de qua, factione cujuſdam clerici noſtri, qui a nobis negligentiis ſuis territus aufugerat, quiddam ibi ſub quadam dubitatione eſt poſitum; hic frater ac filius noſter vobis rei veritatem poteſt narrare, qui eidem ſynodo interfuit, & adhuc in nomine abbatis ſubſcripſit.

Hæc ſunt verba mea in epiſtola ſanctæ paternitati veſtræ directa. Nam ſi inde quod ibi eſt poſitum, *ſi ita eſt*, eraſiſſem, ſuperflue quod quiddam ibi ſub quadam dubitatione eſſet poſitum ſcriberem. Et ſi aliquid ibi adderem, mutarem, vel demerem: ut in ſcrinio ſanctæ Romanæ eccleſiæ exemplar illius requireretis, & utrum ita ſe haberet agnoſceretis, ſcribere non auderem. Ceterum ſi quocumque modo, quacumque occaſione, a quocumque aliter ad vos delatum fuit: tamen ego per præfatum venerabilem coepiſcopum noſtrum, ſicut ſe habet exemplar ipſius privilegii vobis direxi. Quod ſi vobis non fuerit tædium, reſervato in Romano ſcrinio illud quod per eum miſi conferre, verum invenietis.

Sed & illum ipſum privilegii tomum, & non exemplar, ſynodo veſtra auctoritate congregatæ, cum privilegio veſtræ ſanctitatis oſtendi, & incorruptas ſcripturas atque ſigilla monſtravi, & ex integro, coram filio veſtro domno rege Karolo, audientibus omnibus epiſcopis, & qui ſynodo interfuerunt, relegi feci.

Unde in epiſtola ſynodi veſtræ auctoritati directa, ſcriptum inter cetera habetur ad locum: In ſuis ordinibus reſtituere maturaremus, quin prædictos fratres, niſi privilegiis ſanctæ Romanæ ſedis, per reverendum confratrem noſtrum Hincmarum archiepiſcopum noſtræ unanimitati prolatis, quæ de ipſis viris quædam ſtatuerunt, debita reverentia exhiberetur: quorum ſumma, perfecta, & integra firmitas, ut claret & juſtum eſt, in apoſtolicæ ſedis reſervata eſt arbitrio poteſtatis. Quod ſynodus vobis non ſcriberet, ſi integra privilegia eis non oſtendiſſem.

De eo quod benigniſſima & ſanctiſſima paternitas veſtra mihi eſt dignata ſcribere, ut non arbitrarer ad diſcrimen quodlibet quæ mihi mandata ſunt exaggeraſſe, cum meliora eſſe vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oſcula eſſe, non neſciam, ſed ne adeo in privilegiorum meorum defenſionem vel elationem immoderatius erigar, ut apoſtolicæ ſedis jura quoquo modo temere tetigiſſe videar: veraciter fateor, hoc nunquam in cor meum aſcendit, qui ſemper, & apoſtolicæ ſedi, & ejus rectoribus, poſtquam me noſſe potui, pro meo ſcire & poſſe fidelis & devotus, & humilis ac ſubjectus extiti, ſum, & adjuvante Domino permanebo.



Privilegia autem ſedis apoſtolicæ non ideo petii, ut mihi non ſufficeret quod ſacri canones, & decreta ſedis Romanæ pontificum, cuique metropoli ſedi concedunt: & nec alia, vel amplius quam eccleſiæ Remorum conlatum eſt ex antiquo, mihi largiri ſpecialiter appetii, neque appeto. Sed quia non ſolum diœceſis, verum & parochia mea, inter duo regna ſub duobus regibus habetur diviſa, & res mihi commiſſæ eccleſiæ ſub multorum principum poteſtate conjacere videntur, de quibus aut parum aut nihil utilitatis eccleſia noſtra poteſt habere, quia veteres coſtitutiones jam quaſi pro vili apud quoſdam habentur: his novis decretis carnales & animales homines territi, quiddam reverentius contra eccleſiam indignitati meæ commiſſam agerent. De quibus privilegiis, quorum defenſionem mihi non arrogo, ſed nec de aliis quibuſcumque eſt unde inflari valeam vel efferri, qui etſi juſtus fuero, non levabo caput, ſaturatus afflictione & miſeria.

Poſtremo de pallio, a mea præſumptione non certis temporibus & juxta morem aliis metropolitanis diffinitis uſo, unde veſtræ ſanctitatis auribus intimatum eſſe indignitati meæ ſcripſiſtis: auctoritati veſtræ veraciter fateor, quod & in iſtis regionibus per alios, ſi vobis placuerit, reſcire valebitis, quia niſi in die Natalis Dominici, & in die ſanctæ Reſurrectionis ejus, vix in toto anno eodem pallio utor: quoniam de illorum numero peccatis meis exigentibus factus, de quibus ſcriptum eſt, Impedimenta ſæculi fecerunt eos miſeros, raro in decretis feſtivitatibus, quo pallio uti metropolitanis conceditur, in ſede mea propter multas occupationes & neceſſitates eccleſiæ & regni, eſſe mihi permittitur. Et niſi quando in eadem ſede ſum in decretis feſtivitatibus, non ſolum non totiens, ſicut mihi conceſſum eſt, verum vix aut nunquam eodem pallio utor.

Pro cujus uſu apud ſedem apoſtolicam nihil petii, niſi ſicut deceſſores ac prædeceſſores mei eo uti, & in epiſcopi ordinatione, ſolebant. Non enim uſum pallii eſſe meæ dignitatis puto, ſed genii ſedis metropolis eſſe cognoſco. Et cum multi ſint ſancti epiſcopi, qui eodem pallio non utuntur, non neſcio quia ſi ſine virtutibus, quas exponente beato Gregorio pallium ſignat, pallio utor, etſi excellentiorem ceteris Remorum provinciæ ſedibus metropolim ſedem pallii uſus demonſtrat in oculis hominum, non tamen majorem me facit in oculis Domini.

Et veraciter confiteor ſanctæ veſtræ paternitati, quia ſi epiſcopus ordinatus non eſſem, non ſolum pallii uſum non quærerem, quoniam ſcio, ſine ordinatione epiſcopali, fide recta & operibus bonis per Dei gratiam vitam æternam me potuiſſe adquirere in iſto ſæculo: cognoſcens illud, ſicut modo cognoſco, epiſcopalem ordinem non ſubirem, ſi vitare valerem. Sed & nunc jam ſufficit mihi anima mea pro ſpolio. Ego enim multis afflictus infirmitatibus, & ætate gravatus ac injuriis fatigatus, jam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat. Quapropter licet alius ab amicis meis Ciſalpinis in partibus Romanis, ſicut a multis jactatur, confingat: ad aliud me oportet tendere, & de aliis cogitare, quam alicui pompæ ac oſtentationi; minime autem in eccleſiaſtico miniſterio adplaudere, aut modo quolibet inſervire.



Hæc autem de quibus clariſſimæ ſanctitati & famoſiſſimæ ſapientiæ veſtræ ſcripſi, non ad ullam controverſiam, vel contumacem reſultationem, quod abſit, protuli: ſed animatus veridica ſententia veſtræ, immo Divinæ auctoritatis, quam mihi ſcribere dignati fuiſtis, dicentes quia veritas liberet, mendacium vero perdat, humiliter veritatis narrationem ſuggeſſi. Tandem meæ ſervituti a veſtra dignatione remandari depoſco de fratribus noſtris, Remenſis eccleſiæ filiis, veſtra auctoritate in ſuis ordinibus reſtitutis, quoniam venerandus archiepiſcopus Egilo ex veſtra auctoritate eis præcepit, ut in ſuis gradibus miniſtrarent, & ad altiores aſcendere non præſumerent, utrum debeam eos ad altiores gradus provehere, ſi confratres ac comminiſtri noſtri illos elegerint: quoniam eorum animos mea incuria lædere nolo, & ne contra veſtram juſſionem ac diſpoſitionem agam, modis omnibus devitare cupio, qui apoſtolicæ ſedis decretis in omnibus parere deſidero. Deus omnipotens ſinceritatem veſtram, ad doctrinam & correctionem ſanctæ ſuæ eccleſiæ, in ſuo apto ſervitio per annorum multa curricula conſervare dignetur, domne ſanctiſſime & reverentiſſime patrum pater in Domino.

## IV.

## AD NICOLAUM PAPAM

Ejuſdem argumenti cum ſuperiore, maximaque ex parte iiſdem verbis contexta.

*Domino ſanctiſſimo & reverentiſſimo patrum patri Nicolao, primæ ac ſummæ ſedis apoſtolicæ & univerſalis eccleſiæ papæ, Hincmarus Remorum epiſcopus, & veſtræ ſanctiſſimæ paternitatis devotiſſimus famulus.*

Litteras ſanctiſſimæ paternitatis & præcellentiſſimæ auctoritatis veſtræ, XIII. Kalendas Junii, XV. Indictionis, ab Egilone venerabili archiepiſcopo Senonenſi accepi, in quibus, ſed & litteris generaliter ad epiſcopos, qui in ſynodo veſtra auctoritate congregata apud Sueſſiones præterito anno fuerunt, tantas & tales increpationes indignitati meæ a dignitate veſtra inlatas inveni, ſicut peccata mea merentur. Quibus ad omnia reſpondere, & humilitati meæ præſumptuoſum, & ſublimitati veſtræ conſtat incongruum: præſertim cum poſt multa, puſillitatem meam refoventes, mihi ſcribere dignati fueritis, dicentes: Hæc ne nos arbitreris ad diſcrimen quodlibet tuæ ſanctitatis vel dignitatis exaggeraſſe, cum meliora eſſe vulnera diligentis quam fraudulenta odientis oſcula non neſcias.

Ceterum quoniam propter multas & maximas ac pæne continuas infeſtationes paganorum atque falſorum Chriſtianorum, quas patimur, continue laborantibus antea epiſcopis regionum noſtrarum, in unum convenire non licuit, ut nobis communiter veſtræ ſanctitatis epiſtola communiter miſſa relegeretur, & ſicut juſſiſtis, quæcumque ſuper hac re, de qua agitur, ſcripta tam a vobis prius & nunc, quam a nobis edita reperiuntur, & quid inde humilitas mea, & illi dejecti clerici, ſedi apoſtolicæ ſuggeſſerimus, vel retulerimus, in volumen unum ordine quo miſſa ſunt redigerentur, & apoſtolicæ ſedi, ut competens eſt, eorum nobis exemplaribus reſervatis, ſummo ſtudio dirigerentur. Nunc in aliqua regni parte, aliquantulum de paganorum infeſtatione reſpirantes, ſed aliarum anxietatum gemitibus la-

ANNO CHRISTI 865.

borantes, & adhuc graviora quæ imminent metuentes, & fratres ac coepiſcopi noſtri devotiſſimi filii veſtri, quæ juſſiſtis, videlicet de Ebonis dejectione, & de ipſius reſtitutione, ac fratris Vulfadi & collegarum ejus promotione, & de præfati Ebonis iterata repulſione, atque ad aliam eccleſiam migratione, ſed & quæ de ordinatione mea compererunt, exequi ſtudio fideli procurant. Et humilis mea ſervitus, de his quæ indignitati meæ veſtra ſcripſit dignatio, omni humilitate ac puritate conſcripta, his quæ auctoritati veſtræ collectis dirigunt, ſubjungenda & ſuggerenda atque perferenda ſecundum veſtram præceptionem eis porrexi. De dilecto ſcilicet fratre noſtro Vulfado & ejus collegis de quibus mihi ſumma dignitatis veſtræ auctoritas quæ ſibi placuit, ſcripſit, nihil aliud ſanctitati veſtræ ſcribere præſumo, niſi quod increpationes veſtras non negligenter, ſed diligenter ſuſcipio, & præceptiones obedienter obaudio. Et quia illis ſufficere debet præſtabilis auctoritatis veſtræ benignitas, & mihi abundanter ſufficiet, ſi ſatisfactionem humilitatis meæ ſuſcipientes, credere dignati eritis, me vobis ſimpliciter ac veraciter inde ſcripſiſſe, Nam ſecundum ordinatorum meorum præceptionem, qui in Ebonis dejectione fuerunt, & mihi necdum duobus exactis menſibus poſt ordinationem meam, in ſynodo apud Meldis civitatem habita præceperunt, eatenus ignoranti quod Ebo poſt dejectionem ſuam aliquos in Remenſi eccleſia ordinaverit, ut eis mecum uſque ad diligentiorem tractatum miniſtrare non permitterem, egi. Et hoc ipſum eiſdem fratribus decernente Carthaginenſi concilio, ut ordinatis epiſcopis vel clericis prius ab ordinatoribus ſuis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta concilii feciſſe pœniteant, per Pardulum, tunc diaconum Remenſis eccleſiæ qui interfuit ſynodo, mandaverunt. Ab ea autem ſynodo Pardulus mecum Remis reverſus, eiſdem fratribus qui nobiſcum erant, & de quibus agebatur, hoc quod mihi præceperant epiſcopi, retulit, & ut non in gradibus, quos ab Ebone poſt depoſitionem ſuam acceperant, miniſtrarent, uſque ad diligentiorem tractatum obſervarent, præcepit. Frater quippe Vulfadus adhuc mecum non erat: ſed poſt plures evolutos menſes, ſi rite remetior, antequam fere anni ſpatium compleretur, de alia provincia ad me veniens, cum benignitate eſt & cum liberalitate ſuſceptus & honorabiliter habitus, uſquequo domno noſtro regi Carolo ipſo petente illum commendavi. Defuncto autem Ebone anno Incarnationis Dominicæ DCCCLI. Indict. XIV. XIII. Kalendas Aprilis, quia præfati fratres noſtri ab eo ordinati qui mecum erant, poſt annos circiter octo ſuæ ab officio ſuſpenſionis, anno ſcilicet Incarnationis Dominicæ DCCCLIII. me petierunt, eiſdem fratribus ad ſynodum ire permiſi, & his qui indiguerunt, ſubſidium neceſſarium, ut ad ipſum concilium ſine difficultate ire poſſent, miniſtrari præcepi. Ubi eos non judicavi, neque dejeci, nec etiam cum judicibus eorum ſubſcripſi, ſicut norunt qui interfuerunt, & ipſa epiſcopalia geſta, quæ authentica cum ſubſcriptionibus epiſcoporum qui eis ſubſcripſerunt, ſine mea ſubſcriptione, præterito anno in ſynodo veſtra auctoritate apud Sueſſiones habita oſtendi, demonſtrant. Et quoniam canones poſteriores anterioribus jubent deferre, præcipientibus eiſdem epiſcopis, cum eorum litteris, quarum exemplar habemus, & quas in Romano ſcrinio inveniri poſſe exiſtimo, cum meis pro eorum petitione litteris, & cum aliis petitionibus meis, ad ſedem apoſtolicam domno papæ Leoni pro confirmandis eorum geſtis, quæ non ſcripſi, me direxiſſe non denego: in quibus geſtis veram præfatorum fratrum proſecutionem adverſum me ſilentio non firmavi. Unde ex communi conſenſu ſecundum canones, ſicut eos intelleximus, judices poſtulavi, quorum ſententiam ſequendam vidi, uſquequo majoris auctoritatis aliter exinde diffinitionem acciperem. Recepta autem domni papæ Leonis excuſatoria epiſtola: *&c. ut in ſuperiori epiſtola uſque ad finem.*

ANNO CHRISTI 866.

Ex Tomo III. Conciliorum Galliæ, omiſſa in collectione regia.

# CLERICORUM REMENSIUM

## EPISTOLA AD NICOLAUM PAPAM,

### Cujus auctoritate gradibus ſuis fuerant reſtituti.

*Domino reverentiſſimo & apoſtolatus culmine decenter ſublimato Nicolao univerſali papæ, Remenſis eccleſiæ filii, ab eccleſiaſticis gradibus quondam prohibiti, ſed pietatis veſtræ ſacro ſtudio eiſdem, auctore Deo, redditi.*

MUltiplices totius famulatus noſtri laudum actiones perſolvimus, quod ſolicitudine qua univerſali præcipitis ſolerter eccleſiæ, noſtris quoque precibus atque clamoribus clementer miſereri, noſque a gradibus propriis pulſos canonice reſtitui, miſericorditerque redintegrari juſſiſtis, Sed & patrem noſtrum reverendum archiepiſcopum Hincmarum ſuper noſtra reſtitutione benevolum atque devotum piis noſtri apoſtolatus adhortationibus in omnibus perſenſimus, noſque deinceps paterno moderamine, piaque lenitate tractare incunctanter credimus, Cui impigro & ſummiſſæ devotionis obſequio obedienter in cunctis parere gaudemus. Ceterum Egilo venerandus archiepiſcopus regreſſus a veſtræ dominationis præſentia, nobis veſtra de parte injunxit, tamdiu in receptis gradibus immorari, quouſque benigniſſimam pietatis veſtræ ſerenitatem noſtri placuerit reminiſci, & clementiæ juxta quod veſtra ſagaciſſima delegaverit clementia, de nobis terminari. Et idcirco veſtræ clementiæ provoluti veſtigiis ſupplices preces fundimus, ut ſicut hactenus noſtris clamoribus aurem accommodare dignati fuiſtis, ita de cetero, ſi forte Deo miſerante, aliquem noſtrum eccleſia mater ad altiora vocare, ac neceſſario promovere quæſiverit, veſtræ auctoritatis in hoc ſibi clementiam propitiari ſentiat; ut apices ſanctitatis veſtræ ad venerabilem Hincmarum noſtrum archiepiſcopum deſtinare, nobiſque, quibus manum pietatis porrigere veſtra conſuevit ſublimitas, in præſenti quoque poſtulatione, licet immeritis, pro ſanctæ paternitatis veſtræ intuitu ſubvenire non renuat pietas, ſitque prædux & prævia in noſtri promotione clementia, ſicut extitit in reſtitutione veſtra largiſſima gratia. Gloriam ſancti apoſtolatus veſtri Divina virtus protegat, & perpetua felicitate corroboret, ornet, & amplificet, papa beatiſſime.

" ** PRI-



ANNO CHRISTI 867.

# " ** PRIVILEGIUM (1) MONASTERII ATREBATENSIS CONCESSUM

### In concilio Vermerienſi circa annum " DCCCLXVI.

" Ego malim 869. de quo concilio plane conſtat.

*Ex archivo monaſterii S. Vedaſti Atrebatenſis.*

HInemarus Rhemorum archiepiſcopus, ac plebis Dei famulus, omnibus confratribus noſtris archiepiſcopis, & epiſcopis nunc ad ſynodum vocatis, atque mecum Vermeriaco palatio conſtitutis. Gaudendum eſt nobis, fratres cariſſimi, ac nimis in domino Jeſu Chriſto exultandum, pro ſenioris noſtri Caroli ſereniſſimi ac glorioſiſſimi regis ferventiſſimo ſtudio, quod ob amorem Dei & ſalutem animæ ſuæ gerit circa monaſteria & loca ſanctorum relevanda, inſtauranda, atque religioſe ordinanda. Ad quod negotium, ut ferveret, ſi forte teperet, nos epiſcopos conveniret illum admonere. Sed ille, Deo gratias, Spiritu ſancto plenus, utilitatibus ac neceſſitatibus ſervorum immo pauperum Chriſti conſulens, non ſolum nos admonet, ſed etiam humiliter deprecatur, ut in hac re illius adjutores prompta voluntate exiſtamus; videlicet ut quod ille per ſuum præceptum confirmavit, nos divina auctoritate & noſtra epiſcopali ſententia ita corroboremus, ut in æternum nullus mortalium id audeat temerare atque violare. Nunc vero maxime de monaſterio ſanctiſſimi confeſſoris Chriſti Vedaſti, ejuſdemque loci monachis, quod dicitur Nobiliacus, curam atque ordinationem præ manibus habet: quoniam ipſam abbatiam nunc noviter, reddente [a] ſibi nepote ſuo Lothario rege, recepit, quam olim poſt bellum Fontanidum fratri ſuo Lothario imperatori ob gratiam firmioris inter ſe amicitiæ præſtitit. Quapropter idem dominus rex ſenior noſter de eadem abbatia, ſicut ſibi ſuiſque fidelibus viſum eſt, quaſdam res, villas, prædia, mancipia, cum omnibus ſuis appendiciis imperiali præcepto ſuo indidit, auctoritate ſigilli ſui ſignavit, atque confirmavit. quarum villarum nomina ſunt hæc. Ad matriculam ſcilicet eccleſiæ Manubodvillam, Bais Senons, Herbotciſternam, Pomerias, Herlinicurtem, manſos decem, cum omni longo Bragio; Maminium, Morſole; & Sceldogotheium, Juventiacum; & in dominica curte manſum. Has villas, cum mancipiis, & omnibus ad ſe pertinentibus, in uſus luminariorum, matriculariorum & ceteris quæ in eccleſiis in præfato monaſterio poſitis neceſſaria fuerint, deputavit, cum omni cenſu de omnibus precariis monaſterii eo modo, ut quidquid etiam ad medicinam opus fuerit, ex præfatis villis ſuppleatur. Ad neceſſaria vero fratrum, victus ſcilicet, & potus, has villas delegavit: medietatem vici, qui vocatur Novavilla, juxta ipſum monaſterium ſiti, & tabernam unam, Filciacum villam, Dominicam curtem Theuludum, Bigartium, Hernancurtem, & Bernallam. In pago Belvacenſi, Medioanas, Puteas aquas, & Ungiſcurtem, manſum indominicatum unum, & alios manſos viginti quatuor, cum eccleſia, & vineis, & ceteris appendiciis. Valles ſuper fluvium Summam, cum camba una, & duobus molendinis, & manſis ad eoſdem pertinentibus, Stragas, Saliacum, Atramentarias, Maſt, Marcheim, Strigotheim, precariam Emmonis & Tagentarii. Has omnes villas, cum ceteris omnibus uſibus fratrum æternaliter deſervituras deputavit. Ad cameram vero fratrum præfatorum has villas deſtinavit: Athcias, Salciacum, Limacum, Campanias; & in Fontanido manſos tres, & manſum unum in Lambras, & alterum in Hadas, cum homine nomine Godone, & tabernam unam in vico monaſterii, cum omnibus appendiciis, familiis, & eccleſiis, & univerſis ad ſe pertinentibus. Ad portam vero Vernejam villam, & in Auſinio, manſum unum cum molendino; & in Aoez, manſos quinque cum molendino, & decimam omnis abbatiæ. Ad hoſpitale vero pauperum; in Daginvilla manſos ſeptem; & in Bonejam villam & Totſales, manſos tres, & quintam partem omnis decimæ, quæ ad portam venerit; & de omnibus lignariis omnium villarum quæ ad præpoſituram vel ad cameram pertinent, carros decem. Ad domum vero infirmorum, omne teloneum ex mercato. Pro remedio namque animæ genitoris & genitricis ſuæ, ac pro ſalute ſua, & Ermentrudis ſuæ cariſſimæ conjugis, dedit has villas fratribus, Trontellicurtem, Silliacum, Lutoſum montem, ac Tilgidum; ut in eorum anniverſariis, refectio pleniſſima eis præparetur. Unde nos omnes epiſcopi, qui ſynodali evocatione hic adſumus ſenioris noſtri Caroli regis juſſu, ex auctoritate Dei omnipotentis & poteſtate nobis divinitus collata præcipimus atque ſtatuimus, ut nullus rex, nullus epiſcopus, nullaque perſona alia de jam fatis rebus, & de nominatis villis, prædiis, & mancipiis ipſis monachis deputatis unquam in ſequenti tempore aliquid agere præſumat; ſed illarum ordinatio in abbate vel monachis pendeat: nullaque omnino ſervitia, nec manſionaticos, nec paraſredos, nec carricaturas ab illis villis exigat; nec placita in illorum villis quiſque teneat, ut ipſi monachi ab omni ſæculari inquietudine immunes, libere, religioſe, & quiete in monaſterio viventes, abſque ullius ſenioris impedimento ipſas res teneant, dominentur, atque poſſideant, Deique miſericordiam pro ſenioris noſtri, proliſque regiæ ſanitate & æterna beatitudine, proque totius ſanctæ eccleſiæ ſtatu ac pace illos fideliter exorare delectet. Monaſterium vero ipſum, ejuſque cuſtodia, atque omnis ordinatio ad ipſos monachos, & ad abbatem, quem ſibi elegerint, pertineant. Neque canonici extra clauſtrum ad habitandum admittantur ulterius, ſicuti hactenus, omnimodis inhibemus; excepto ſervitores illorum: quia non modicas diſſenſiones audivimus propter hoc in illo exortas fuiſſe cœnobio. Si quis vero, quod abſit, his noſtris præceptis & ſtatutis aliqua levitatis vel avaritiæ, cupiditatis, vel malitiæ præſumptione contraire voluerit, vel aliquod impedimentum ſupradictis monachis vel abbati beatiſſimi Vedaſti inferre tentaverit quolibet ingenio, qualibet

a) Annal. Bertin. an. 866. Abbatiam S. Vedaſti donante ſibi Lothario ſuſcepit. Baluz.



(1) Emendatius illud exhibemus ex Baluzio ad Marcam de Concordia Sacerdotii & Imperii p. 314. edition. Francofurt. 1708.

ANNO CHRISTI 867.

arte, quoquomodo, clam, vel manifeſte, omnium noſtrum ſententia damnatus a Patre & Filio & Spiritu ſancto Deo omnipotente, cui injuriam facere non timuit, quia ipſe dixit; *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, anathematis vinculis obligatus a cœtu ſanctorum ſeparatus in æternum, cum his, quorum vermis non moritur, & ignis non extinguitur, niſi publica ſatisfactione digne pœnituerit; depoſito, ſi laicus fuerit, ſæcularis militiæ cingulo; ſi clericus, eccleſiaſtici honoris dignitate. Pax vero & miſericordia Dei ſuper illos qui illa cuſtodierint quæ in iſto divinæ noſtræque auctoritatis privilegio conſcripſimus, noſtriſque nominibus in Dei nomine firmavimus. Amen. Statuimus denique ut hoc idem privilegium a nobis editum, divinaque auctoritate roboratum per omnes ſynodos quæ in poſterum agendæ ſunt, deferatur. Noſtroſque oramus humiliter ſucceſſores, ut pro Dei amore & ſancti Vedaſti, ipſi quoque ſubſcribendo corroborent, quod a nobis conſtitutum eſt.

Hincmarus ſanctæ metropolis Rhemorum archiepiſcopus ſubſcripſi.
Egilo divino munere archiepiſcopus Senonenſis ſubſcripſi.
Wenilo Rotomagenſis archiepiſcopus ſubſcripſi.
Herardus Turonis archiepiſcopus ſubſcripſi.
Vulfadus Bituricenſis archiepiſcopus ſubſcripſi.
Froterius Burdegalenſis archiepiſcopus ſubſcripſi.
Erchenraus Catalaunenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Hildegarius Meldenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Folcricus Auguſtæ Tricorum epiſcopus ſubſcripſi.
Hilmeradus Ambianenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Helias indignus * epiſcopus ſubſcripſi.

* Engoliſmenſis.

Æneas Pariſiacenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Raginelmus Noviomagenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Gumbertus Ebroicenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Ercanbertus gratia Dei epiſcopus * ſubſcripſi.

* Baiocenſis.

Joannes Cameracenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Walterius Aurelianenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Villebertus Carnotenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Hincmarus Laudunenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Heirardus Levovienſis epiſcopus ſubſcripſi.
Chriſtianus Dei gratia epiſcopus * ſubſcripſi.

* Autiſſiodorenſis.

Erpuinus Sylvanectenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Odo Belvacenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Rothadus Sueſſionenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Anſelmus Lemovicenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Iſaac Lingonicæ epiſcopus ſubſcripſi.
Actardus Nannetenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Abbo Nivernenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Sigenandus Conſtantiacenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Hildebrandus Saienſis epiſcopus ſubſcripſi.
Bodo Auguſtodunenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Carlomannus abbas ſubſcripſi.
Hugo abbas ſubſcripſi.
Gauzlenus abbas ſubſcripſi.
Hiduinus abbas ſubſcripſi.
Vulfo abbas ſubſcripſi.
Berengarius abbas ſubſcripſi.
Vulfardus abbas ſubſcripſi.
Hildebertus abbas ſubſcripſi.
Odo abbas ſubſcripſi.
Fulco abbas ſubſcripſi.
Ego Gauzlenus abbas juſſu domini Hincmari archiepiſcopi hoc privilegium ſcripſi & ſubſcripſi.

# a CONCILIUM (ω) TRICASSINUM NICOLAI PAPÆ I.

Juſſu apud Trecas ab epiſcopis, qui præcedenti anno apud Sueſſiones convenerant, celebratum die VIII. kalendas Novembris anno Chriſti DCCCLXVII.

Ex editione P. Sirmondi.

## EPISTOLA EPISCOPORUM IN REGNO CAROLI ET LOTHARII ad epiſcopos in regno Ludovici manentes.

Ad ſynodum convocantur.

*Reverentiſſimis atque ſanctiſſimis fratribus omnibus archiepiſcopis & coepiſcopis in regno domini & glorioſi regis Hludovici conſiſtentibus, devotiſſimi fratres omnes archiepiſcopi, & coepiſcopi ex regnis dominorum & glorioſiſſimorum regum Caroli atque Hlotharii ſummæ felicitatis gaudium, pacem, & ſempiternam in Deo vero beatitudinem.*

CLaret veſtræ prudentiæ quod periculoſorum temporum ſeries jam jamque illo tendere cernitur, ut ſancta mater eccleſia in ſuis rebus, & ordinibus non modica patiatur diſcrimina. Quam acerba vero ſcandala; & quam deteſtabilia ſchiſmata in his regnis, & ſanctis Dei eccleſiis magis magiſque crebreſcant (quod lugubre dicendum eſt) cuncti pæne ſanctæ matris eccleſiæ filii acriter ſentiunt. Hinc fieri videmus eccleſiarum deprædationes, ſuarumque rerum rapaciſſimas mutilationes, pontificum quoque dehonorationes, optimorum conculcationem, ſubjectorumque importabiles oppreſſiones, ſpoliationes, orbationes, captivitates, & ceteras intolerabiles ærumnas, * poteſt omnia mala, quæ nobis pro noſtris peccatis ab impiis inferuntur paganis. Unde nos, deſideratiſſimi fratres, graviter condolentes, hos lacrymabiles veſtræ ſanctitati direximus apices, humiliter petendo, ut nobis in tantis miſeriarum gurgitibus conſtitutis, veræ caritatis piæque compaſſionis auxilium ferre non dedignemini, implentes illud apoſtoli dictum: *Si patitur unum membrum, compatiuntur neceſſe eſt omnia membra.*

Qualis rerum ſtatus.

* [illegible]

1. Cor. 12.

Et quia unum corpus ſanctæ eccleſiæ per orbem diffuſæ ab uno paſtorum principe regitur, omnium quoque membrorum debet communi ac ſalubri proviſione tueri. Quippe ſancta & inviolabilis apoſtolicæ dignitatis antiquitas a Chriſto domino noſtro in fide fundata totam eccleſiæ ſucceſſionem ſalubribus & felicibus inſtituit documentis; inter quæ decenter inſeruit, bis in anno concilia celebrari ut ſacræ religionis & canonicæ auctoritatis norma, ſanctiſſimorum præ-

(ω) Ex hoc Concilio editum privilegium pro Eccleſia Nivernenſi de Magniaco a Mabillonio allatum in lib. 6. de re Diplomat. p. 540. cui ſubſcribit etiam Heliſeus, qui non legitur ſubſcriptus Synodicæ hujus Concilii.



ANNO CHRISTI 867.

ſulum conciliis, & Chriſtianiſſimorum principum ſanctionibus roborata in nullo a ſuæ rectitudinis ſtatu interpolata varietate rerum exorbitaret. Et quia hoc idem rarius celebratur, non modice perſentit eccleſia. Revera malignorum perſecutio admodum ſæviens eccleſiaſtica negotia perturbare non ceſſat. Et ne ad ſuæ rectitudinis tramitem ullo pacto redire queat, ipſos quoque miniſtros Chriſti ab invicem dirimere ſatagit. Quid itaque inter hæc agendum eſt, dilectiſſimi fratres, aut quo nos vertere oportet? quemque invocabimus niſi cælorum principem? quoniam ipſe prope eſt omnibus invocantibus ſe in veritate. Ipſum ſuppliciter obſecramus, ut corda quorumlibet ſchiſmaticorum ad meliora convertat, & ſuas juſtitias in eis oſtendat, ne navis eccleſiæ procelloſis turbinibus fiat ſubmerſa: populuſque Chriſtianus, immo eccleſiaſticus ordo fiat confuſus. Ob quam rem multum, deſiderantiſſimi fratres, ob illius amorem, cujus Spiritu totum corpus eccleſiæ ſanctificatur & regitur, veſtræ ſanctitatis ſolertiam ad generalem ſynodum invitamus; de generali ſanctæ eccleſiæ utilitate, officio, & fervido ſtudio tractaturi. Quod quidem non temere ac præſumptuoſe expetimus, ſed potius cum conſultu & conſenſu noſtrorum glorioſiſſimorum principum Caroli, & Lotharii. Unde illi ferventiſſimo zelo pietatis accenſi, petitionibus epiſcoporum, juxta canonicam inſtitutionem ſalubriter acquieverunt; immo dilectum fratrem noſtrum Adventium ſanctæ * mediæ matri.... eccleſiæ epiſcopum Hludovicum regem, inter cetera legationis verba interpellare ſanxerunt, ut & ſuæ majeſtatis conſenſus veſtram ſanctitatem ad jam dictum concilium venire permittat. Credimus enim, quod Chriſtus Deus noſter, in cujus manu corda ſunt regum, ejuſdem principis cor ad ſuam & noſtram, omniumque fidelium communem, ſaluberrimam utilitatem vertere debeat, ſuæque ſerenitatis conſenſus, veſtram ſanctitatem ad ſtatuenda & relevanda eccleſiaſtica negotia, in eadem ſynodo dirigere non abnuet.

Pſal. 144.

* Mediomatricorum.

Porro circa diem 9. Kalendarum Majarum eamdem ſynodum in loco qui vocatur Trecas, celebrare diſponit noſtra in commune omnis eccleſia. Ergo agat veſtra ſancta unanimitas, & ad concilium divina, ut credimus, diſpoſitione coadunandum, citiſſime confluat concurrentibus etiam nobis: ut inſtanter ac perſeveranter de credita nobis paſtorali cura, auxiliante paſtorum principe, decertemus, & ſi neceſſe fuerit uſque ad mortem agonizemus. Multum equidem prævalebit ſancta & concors epiſcoporum coadunatio, quæ cælos dividit & aperit, animas ligat & ſolvit, quod & præteritis temporibus multis claruit vicibus. Etenim ſynodalibus conventibus atque decretis totus orbis Chriſto dicatus & ab hæreticorum veſania, & ſchiſmaticorum violentia, & Judæorum perfidia, Paganorum quoque * infeſtigatione factus eſt immunis & pacatiſſimus. Multi quippe reges & principes ſynodalibus decretis colla ſubdiderunt. Igitur per illuſtrium pontificum inſtituta multi infideles ab erroribus ſunt erepti, & ad viam veritatis atque canonicæ diſciplinæ dignoſcentiam tranſducti, & ad æternæ pacis gaudia ſunt ſublimati. Cur ergo nos, cariſſimi & Chriſto devoti milites, in noſtro agone torpeſcimus? Quare non æmulatores legis, præcedentiumque patrum ſumus, ut illorum comparticipes gloriæ efficiamur? Si enim prophetica tuba terribiliter clamat: *Maledictus vir, qui prohibuerit gladium ſuum a ſanguine*, ut quid noſtra vox & auctoritas, immo pia unanimitas, ac zeli ardor tepeſcit, quorum numeroſitas ſalus erit eccleſiæ?

* l. infeſtatione.

Jer. 48.

Confidimus enim in domino, quia ſi in unum conglobata fuerit noſtra ſincera fraternitas, multiplex eccleſiæ Dei propagabitur utilitas, adjuvante domino noſtro Jeſu Chriſto, qui ſuis fidelibus promiſit, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quos etiam inter preſſuras conſtitutos ſpiritali armavit antidoto dicens: *Confidite, quia ego vici mundum.* Verum humiliter conteſtamur veſtram ſanctitatem per viventem in ſæcula ſæculorum, ut hujus epiſtolæ verba ex affectu veræ caritatis procedentia benigne a veſtra ſanctitate ſuſcipiantur, & per legatos veſtros in manibus omnium archiepiſcoporum & coepiſcoporum fideliter imponantur. Omnipotens Deus deſiderabilem ſanctitatem veſtram virtutum floribus multipliciter inſignitam, ad exaltationem ſanctæ Dei eccleſiæ conſolari, ſemperque exaltare dignetur. Amen.

Matth. 28.

Joan. 16.

## EPISTOLA SYNODICA CONCILII AD NICOLAUM PAPAM I.

Totam Ebbonis, ordinatorumque ab eo clericorum hiſtoriam accurate, ut juſſi fuerant, exponunt: & pallium pro Vulfado petunt.

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo domino patri ac univerſali papæ Nicolao, epiſcopi qui præterito anno per gratiam Dei & decretum veſtrum apud Sueſſonicam urbem cum aliis qui tunc nequiverunt adeſſe, VIII. Kalendas Novembris prima indictione apud Trecas convenimus.*

SEriem rerum geſtarum de Ebbonis quondam Rhemorum archiepiſcopi dejectione, ſed & de ipſius reſtitutione, nec non & de fratris Vulfadi ac collegarum ejus promotione, & jam dicti Ebbonis iterata repulſione, ad aliamque eccleſiam migratione, unde a nobis inveſtigari & vobis remandari juſſiſtis, quia his nemo noſtrum in ordine epiſcopali interfuit, niſi frater Rothadus, ſicut ex rerum & epiſcoporum monimentis, atque relationibus, qui interfuerunt, & ſcriptis ſuis poſteris reliquerunt, breviter collegimus, veſtræ ſanctiſſimæ paternitati & præcellentiſſimæ auctoritati tranſmittimus. quæ antea colligere, & auctoritati veſtræ dirigere, neceſſarium non putavimus: atque ideo ampliora ſcribere ſagacitati veſtræ ſuperſedimus. Nobis in dejectorum fratrum, de quibus ſcripſiſtis, reſtitutione, non quidem diſceptantibus, nec alia atque alia decernentibus, ſed unum idemque, ſecundum traditionem majorum, quam diſcretioni veſtræ intimare curavimus, ſentientibus, quos non procacia obnoxios fecit, ſed obedientia inculpabiles in adeptionem ſacrorum graduum, juxta ſinceriſſimum ſapientiæ veſtræ intellectum induxit, ſine contradictione in ſuis ordinibus reſtituere maturaremus, niſi privilegiis ſanctæ Romanæ ſedis, per reverendum contratrem noſtrum Hincmarum archiepiſcopum noſtræ unanimitati prolatis, quæ de ipſis viris quædam ſtatuerunt debita reverentia exhiberetur. Quorum ſumma, perfecta, & integra firmitas, ut claruit & juſtum eſt, in apoſtolicæ ſedis reſervata erat arbitrio poteſtatis: quorumque privilegiorum authenticas chartas cum ſalvis ſigillis & incor-

Hæc epiſtola cum deſuncto fuiſſet Nicolao papæ, reddita eſt Hadriano II. ejus ſucceſſori.

ANNO CHRISTI 867.

incorruptis ſcripturis, idem confrater & conſacerdos noſter, non ad ullam controverſiam, ſed ad debitam reverentiam ſedi apoſtolicæ, ut dignum eſt, exhibendam oſtendit, cum geſtis epiſcoporum, quorum vos acta relegiſſe, & qualiter præſignati clerici degradati fuerint reperiſſe, nobis aperire dignati eſtis. Nobis quoque in ejuſdem rei negotio decertantibus, & quædam deflorantibus, non tamen terminantibus, eo uſque cauſam perduximus, ut ſolummodo magiſteriali veſtro culmini eorum aſſignaretur reſtitutio, attribueretur reformatio, aſcriberetur redintegratio. Unde poſtea unanimitas noſtra in quamcumque partem proterve non declinavit. etſi quidam inevitabili neceſſitate in aliquo eorum ſecus quam ſcripſimus peragere maturarent: urgente quoque devotiſſimi filii veſtri domini noſtri pro regni totius diſcidio regali juſſione. Egimus ſiquidem prout potuimus, in ſuccincta collectione de geſtis rerum & epiſcoporum, ex cauſa Ebbonis, & ut præcepiſtis & præſignavimus, veſtræ auctoritati tranſmittimus. Juſto Deo judice permittente, & invidia diaboli operante, olim recolendæ memoriæ Hludovici pii Auguſti filii, factione malivolorum hominum, ſine conſilio atque conſenſu papæ Gregorii, quem Hlotarius ſub obtentu pacificandi eos cum patre Roma promoverat, & ſecum uſque in Eliſatium pagum perduxit, patrem imperio pepulerunt, & ſub cuſtodia uſque ad Sueſſionis civitatem perduci fecerunt. Et ut populo credibile poſſet fieri, quod merito fuerat a regno expulſus, in eum quædam crimina conficta fuerunt, pro quibus prætextu publicæ pœnitentiæ ab eccleſiæ liminibus eum excludi quorumdam epiſcoporum judicio, Ebbone, ut dicebatur in hoc præcipue ſatagente, obtinuerunt. uſque dum Hlotarius territus conventu plurimorum fidelium ejuſdem imperatoris, fuga lapſus patrem ſuum adhuc ab ingreſſu eccleſiæ ſequeſtratum dimiſit, & abſcedente illo, qui affuerunt epiſcopi, imperatorem in eccleſia ſancti Dionyſii reconciliaverunt, & eccleſiaſticæ communioni reſtituerunt. Quod Ebbo audiens, pondere perpetratæ in imperatorem actionis, quæ illi maxime reputabatur, exterritus, relicta ſua provincia, in alteram provinciam fugam arripuit. ubi aliquamdiu delitescendo ſe occulere poſſe putavit, uſquequo rerum eventu videret quid ſibi ſalubrius agere poſſet. Quod imperatorem latere non potuit: & fama vulgante quod contrarias imperatori partes ſequi diſponeret, per Rothadum coepiſcopum ſuum, & per Ercanraum, in cujus eccleſia latitabat, ſed & per alios ſuos fideles eum ad ſe imperator ſub cuſtodia deduci præcepit. quem in monaſterio S. Bonifacii uſque ad tempus ſynodi ſervari præcepit. Ad quam anno incarnationis dominicæ DCCCXXXV. omnes qui convenerunt epiſcopi, ſingillatim libellos de reſtitutione imperatoris communi conſilio atque conſenſu ediderunt: quos in corpus unius voluminis nobis oſtenſi congeſtos propriis manibus ſubſcripſerunt, cum quibus & Ebbo libellum manu ſua auctoritate archiepiſcopali ſubſcriptum edidit, in quo profeſſus fuit, quidquid in ipſius imperatoris dehonoratione atque regni privatione contumelioſe geſtum fuerat, nec canonice, nec juſte factum fuiſſe. ceterorum etiam epiſcoporum, qui ad eumdem conventum confluxerant libelli de objectis criminibus in imperatorem compilati non tacent. Et poſt datos libellos, venientes epiſcopi cum imperatore, & quam plurimis ejus proceribus atque fidelibus, in urbem Metenſium in baſilica beati Stephani, inter alia quæ tunc ibi fuere acta, Ebbo publice tam pro imperatoris placanda offenſa, quam pro gratia ejus recuperanda, & ſua injuria removenda; quædam minus caute, pro ſui tamen ereptione, in imperatoris juſtificatione, & in ſua denotatione pronuntiavit. Indeque ad Theodonis villæ palatium cum quibus perrexerat imperatore regreſſo, in epiſcoporum ſynodo Ebbo præſens ab imperatore præſente eſt accuſatus, quod eum falſo fuerat criminatus, & eiſdem falſis criminibus impetitum a regno dejecerat, armiſque ab eo ablatis, nec confeſſum, nec convictum, contra regulas eccleſiaſticas, ab eccleſiæ aditu ac Chriſtianorum ſocietate eliminaverat. In quo moleſtiſſimum in ſe ſentiens domnum imperatorem, petiit Ebbo ſeceſſum, quatenus ſine præſentia imperatoris liceret ei in ſynodo epiſcoporum ſuam agere cauſam. Quod obtinens, convocavit ad ſe quoſdam epiſcopos, & eorum uſus conſilio, ut & ipſe opprobrium vel periculum imminens de impetitis vel impetendis declinaret, & ſacerdotalis dignitas inſultationem ſæcularium devitaret, libellum temperantiæ, juxta decreta Leonis papæ, ſicut tunc cautius invenire potuerunt, dictavit, & ſcribi coram ſe fecit, ac propria manu ſubſcripſit, eumdemque propriæ ac judicum ſuorum vocis profeſſione atteſtatum, ſynodo in abdicationem ſui ſponte porrexit. Poſt cujus libelli recitationem, & epiſcoporum quibus ſecretius confeſſus fuerat reſponſionem, omnium denuntiatione actum eſt, ut a pontificali ceſſaret miniſterio. Cujus libelli exemplar papæ Leoni miſſum auditu didicimus: ſed & veſtræ auctoritati in altera ſchedula, cum his quæ eidem libello epiſcopi ſuperaddiderunt, dirigimus. Quæ qualiter regulis ſacris conveniant, veſtra trutinabit clariſſima ſapientia. Sicque ſine reclamatione manifeſta, in Ciſalpinis regionibus idem Ebbo per diverſa monaſteria commendatione imperatoris deguit, uſque ad annum incarnationis dominicæ DCCCXL. & uſque ad obitum ipſius imperatoris, qui eodem anno XII. Kalendas Julii contigit. Defuncto autem eodem imperatore, Hlotharius ab Italia in Franciam venit. Cui ad Wormatiam civitatem Ebbo, deducente Boſone abbate, cui commendatus ad cuſtodiendum fuerat occurrit, eique Hlotharius poſt aliquot dies per edictum imperiale, quod in altera ſchedula vobis mittimus, ſedem & diœceſin, conſentientibus & cooperantibus non paucis epiſcopis, ſicut ibidem eſt ſcriptum, reſtituit. Carolo denique a Hlothario Sequanam tranſmiſſo, Ebbo + Rhemorum eccleſiam recepit, & tenuit, atque epiſcopale miniſterium, ſuffraganeis eccleſiæ Rhemorum epiſcopis præſentibus ac conniventibus, agere cœpit: & hos fratres, de quibus agitur, Vulfadum videlicet, & ejus collegas, tempore canonico ordinavit. Qui ſicut profitentur, de excommunicatione & reſtitutione illius tunc aliud neſcierunt, niſi quoniam in eccleſia Rhemenſi eum ab epiſcopis, ſicut ipſe dicebat, regulariter reſtitutum, nullo contradicente, ſolenniter ſacrum officium & pacifice per annum circiter celebrare viderunt. Et non ſe ad ſacros ordines provehendos importune ingeſſerunt, ſed acclamatione & atteſtatione ipſius eccleſiæ, ut ordinarentur obedierunt: Et hoc modo, ut diximus, per illud temporis ſpatium Ebbo Rhemenſem eccleſiam tenuit, donec Carolus reſumptis viribus & copiis Sequanam tranſmeavit, & in Belgicam regionem iterum reverſus fuit. Quod audiens Ebbo,



ANNO CHRISTI 867.

relicta Rhemenſi eccleſia, ad Hlotharium receſſit, & in ejus familiaribus obſequiis, vario eventu accidente inter illum & fratres ejus, manſit, & in Ciſalpinis regionibus abbatiam ſancti Remacli, ſed & abbatiam ſancti Columbani in Italia apud eum obtinuit. ubi rerum proprietatem precio comparavit: & per idem tempus ipſius imperatoris diverſas legationes in diverſas partes peregit, uſque dum anno incarnationis dominicæ DCCCXLIV. una cum Drogone Metenſium epiſcopo ſub Sergio papa Romam adiit. Quorum ſiquidem adventum moleſte Sergius papa accipiens, quid in eum intulerit, ſufficienter epiſtola ſancti apoſtolatus veſtri nobis miſſa edocuit. Demum Roma reverſus, quodam proceſſu temporum legationem in Græciam a Hlothario ſibi injunctam ſuſcepit, quam exequi detrectavit. Et idcirco ſibi ab eodem imperatore abbatiis ablatis, & a ſe data ſupraſcripta proprietate Hirmingardi imperatrici, Hludovici largitione regis Germaniæ in provincia Moguntina, & regione Saxoniæ, non longe a vicinitate finium Northmannorum, quibus a Paſchali papa prædicator fuerat deſtinatus, epiſcopium Hildenesheim vacans obtinuit: ubi etiam, auctoritate cujuſdam privilegii nobis oſtenſi, a beato Gregorio papa ſibi collati, connivente ſupra memorata ſua reſtitutione, miniſterium pontificale fine tenus exercuit. Hujus quippe exemplar vobis in alia ſchedula mittimus, quo continetur, in tranſmigratione alterius parochiæ ut epiſcopali & prædicationis licenter fungeretur officio. Anno autem incarnationis dominicæ DCCCXLV. Carolus ſynodum epiſcoporum regni ſui apud Belgivacum civitatem provinciæ Rhemenſis convocavit. ubi inter cetera eccleſiæ ac regni negotia neceſſaria, de Rhemenſi eccleſia, quæ Fulcone abbate ſive presbytero illam diu tenente, & Nothone eidem in ea ſuccedente, ſicut Hlotharius imperator in epiſtola Leoni papæ, poſtquam cum fratre ſuo rediit in concordiam, directa demonſtrat, & Ebbone ut præmiſimus ad aliam eccleſiam tranſmigrato tanto tempore, paſtore vacabat, cum eis tractare cœpit. Qui auctoritate Damaſi papæ de epiſcopis, etiam in ſtatu ſuo manentibus, & contra regulas tranſmigrantibus, ſed & Africani concilii, quod miſſis epiſcopis quibuſdam reſultantibus, eccleſiæ diutino tempore pro fuga Equitii deſtitutæ juſſit ordinari epiſcopum; unanimi conſenſu, neceſſitate cogente, & ratione atque auctoritate ſuadente, decreverunt ut jam poſt decennium, quam idem Ebbo amotus fuerat, in Rhemenſi eccleſia ordinaretur epiſcopus. Unde a clero & plebe ipſius metropolis, ſed & ab epiſcopis ejuſdem provinciæ petitus, ſicut petitio eorumdem manibus ſubſcripta declarat, & ab archiepiſcopo tunc ſuo Senonenſi, & proprio epiſcopo Pariſiorum, nec non & a coepiſcopis aliis Senonenſis provinciæ, cum conſenſu abbatis ſui, & fratrum monaſterii in quo degebat, favente etiam domno Carolo rege glorioſo, epiſcopis Rhemenſis provinciæ, & clero ac plebi ipſius metropolis, per canonicas litteras ipſorum ſubſcriptas manibus, quas patenter nobis oſtendit, frater Hincmarus eſt traditus. Sicque de proprio jam eccleſiæ ipſius clero effectus, cum decreto canonico eligentium manibus roborato, judicio metropolitanorum, & eorum qui circumcirca fuerunt, ſecundum Laodicenſe concilium, præſentia & unanimi conſenſu omnium ſuffraganeorum ipſius metropolis, adſtante quoque metropolitano ſuo qui eum cum conſenſu coepiſcoporum ſuorum illis tradiderat, omnibus acclamantibus, nullo reſultante aut * abdicente, canonice, & juxta decreta ſedis Romanæ pontificum, veluti litteræ nobis oſtenſæ, quas Africanum concilium ordinatum ab ordinatoribus ſuis jubet accipere, monſtrant, in ea eſt ordinatus. Qui juxta ſanctionem Carthaginenſis concilii, quam & auctoritas veſtra apoſtolicis litteris ſuis inſeruit, quamque ſanctus Gregorius in epiſtola ad Galliarum epiſcopos approbavit, mentis & corporis ad obediendum epiſcopis & ordinatoribus ſuis colla ſuppoſuit. Emenſo autem anno poſt ordinationem ejus, Hlotharius imperator, pro contentione regni, quam erga fratrem ſuum domnum Carolum habebat, cujus obſequiis præfatus Hincmarus fideliter adhærebat, erga eum commotus, epiſtolas a Sergio papa exegit pro refricando judicio de Ebbonis abjectione, quaſi diſcordia eſſet in Rhemenſi eccleſia pro ejus ordinatione. Unde idem papa domno Carolo, ſed & Guntbaldo archiepiſcopo, & eidem Hincmaro litteras miſit, ut cum poſt diem ſanctæ reſurrectionis miſſos ſuos in ſervitium imperatoris mitteret, Trevirim cum epiſcopis ad hanc diſcordiam ſopiendam convenire ſtuderent. Qui expectatis eiſdem miſſis uſque ad condictum terminum, ut ab epiſcopis illius temporis comperimus, minime venerunt, ſicut in litteris continetur, Hlotharii imperatoris, & Caroli regis, & epiſcoporum Ciſalpinarum regionum, quas ſanctæ memoriæ prædeceſſori veſtro Leoni directas didicimus, & in ſcrinio ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſervari credimus. Hæc ſicut veſtra juſſit auctoritas, quæ de Ebbonis quondam archiepiſcopi, quæ ante triginta & tres circiter annos extitit, abjectione, & poſt de ipſius reſtitutione, nec non & de fratris Vulfadi ac collegarum ejus promotione, & jam dicti Ebbonis iterata repulſione, ad aliamque eccleſiam migratione, in eorum qui jam nos ad dominum præceſſere ſcriptis, verum & quæ illorum qui interfuerunt veridicis ut putamus relationibus comperimus, ſubjungentes quædam de electione reverendi fratris & coepiſcopi noſtri Hincmari, veſtræ auctoritati deſtinamus. Scripta quoque, quæ hinc a veſtra auctoritate directa, & veſtræ ſanctitati remiſſa relegimus, ordine quo miſſa vel remiſſa fuerunt, ſecundum veſtram juſſionem in volumine iſto congeſſimus, & ſi forte alia ex hoc negotio aut a vobis aut ad vos miſſa fuerunt, nos tamen non legimus. Quæ etiam frater & conſacerdos noſter Hincmarus nobis veſtræ auctoritati mittenda porrexit, ſecundum quod præcepiſtis, dicentes inter alia; *Quæcumque ſuper hac re ſcripta a nobis prius & nunc, quam a vobis edita reperiuntur, & quid hinc coepiſcopus Hincmarus, & illi dejecti clerici ſedi apoſtolicæ ſuggeſſerint, atque retulerint, in volumen unum ordine quo miſſa ſunt redigantur, & apoſtolicæ ſedi, ut competens eſt, vobis eorum exemplaribus reſervatis, ſummo ſtudio dirigantur*, his ſubjuncta dirigimus. His ergo ita pro quantitate intelligentiæ noſtræ decurſis, ſummiſſæ devotionis obſequio veſtri apoſtolatus exoramus magnificam beatitudinem, ut ſapientiſſima indagine conſideratis utriuſque partis relatis, more beatiſſimorum prædeceſſorum veſtrorum, quæ de ſtatu ſacri pontificalis ordinis ab eis ſtatuta & imprævaricabili auctoritate firmata ſunt, ut immota de cetero maneant, mucrone apoſtolico quorumcumque metropolitanorum temeraria præſumptione ſuppreſſa, quin etiam reliquorum epiſcoporum quorumcumque, ſeu quantorumcumque, audaci conniventia penitus ſummota,

privi-

Concil. Africani can. 45.

Can. 12.

* id eſt, contradicente.

Can. 6.

ANNO CHRISTI 867.

privilegia & decreta ſervari innovata conſtitutione decernatis: ita ut nec veſtris, nec futuris temporibus, præter conſultum Romani pontificis, de gradu ſuo quilibet epiſcoporum dejiciatur, ſicut eorumdem ſanctorum anteceſſorum veſtrorum multiplicibus decretis & numeroſis privilegiis ſtabilitum modis mirificis extat: videlicet ne aliqua varietate & vilitate ſummus ordo diaboli administratione nutare aut irregulariter labefactari ſinatur, domine beatiſſime, & omni orbi papa celebrande. Veſtram denique inter hæc ſanctiſſimam & præſtantiſſimam ac piiſſimam paternitatem cum omni ſupplicationis devotione petimus, ut conſulentes laboribus atque afflictionibus noſtris aſſiduis, & eccleſiarum commiſſarum nobis, fratris & conſacerdotis noſtri Wlfadi ordinationem, cujus reſtitutioni & promotioni propitiari dignati fuiſtis, largitione quoque uſus pallii confirmare & condecorare dignemini, & his omnibus quæſtionibus paterna benignitate, incumbente vobis ſolicitudine totius univerſalis eccleſiæ, terminum perneceſſarium ponere deliberetis. Sacri culminis veſtri apoſtolatus proſperitatem, ad honorem & tutamentum ſanctæ ſuæ eccleſiæ, Chriſtus Jeſus diutius conſervare dignetur.

*Hæc ſunt nomina epiſcoporum, qui huic Trecaſſinæ ſynodo interfuerunt.*

Hincmarus Rhemorum epiſcopus.
Herardus Turonum epiſcopus.
Wenilo Rothomagenſis epiſcopus.
Frotarius Burdigalenſis epiſcopus,
Hegilo Senonenſis epiſcopus.
Wlfadus Bituricenſis epiſcopus,
Rothadus Sueſſonum epiſcopus,
Actardus Namnetis epiſcopus.
Hildegarius Meldenſis epiſcopus.
Æneas Pariſii epiſcopus.
Hincmarus Laudunenſis epiſcopus,
Giſlebertus Carnotenſis epiſcopus,
Ercanraus Catalaunenſis epiſcopus,
Ercambertus Bajocenſis epiſcopus.
Odo Belgivacenſis epiſcopus.
Folcricus Trecaſſinenſis epiſcopus,
Liudo Auguſtidunenſis epiſcopus,
Joannes Camaracenſis epiſcopus,
Hilduinus Ebrocenſis epiſcopus,
Abbo Nevernenſis epiſcopus.

Et eorum metropolitanorum epiſcoporum ſigillis hoc volumen præſtantiæ veſtræ directum superſigillari nobis eſt viſum. Data IV. Nonas Novembris indictione prima.

## EPISTOLA CAROLI CALVI REGIS AD NICOLAUM PAPAM I.

De Ebbonis cauſa, ut pontifex per Anſegiſum mandarat, uberrime ſcribit. Excuſat deinde acceleratam Wlfadi promotionem, & pallium pro eo petit. Actardum etiam epiſcopum legatum ſuum commendat.

*Domino & reverentiſſimo patri Nicolao, catholicæ & apoſtolicæ ſedis ſummo pontifici, & univerſali papæ, Carolus gratia Dei rex, & ſpiritualis filius veſter.*

Quamvis omnium Deo miniſtrantium ſacerdotum unice expoſcenda ſuffragia, & veneranda faſtigia, congruum decentiſſimumque, pater ſanctiſſime, antiſtitumque excellentiſſime,

A noſtra comperit liberalitas, veſtræ præ ceteris reverentiæ pontificatus regia colla ſubmittere, veſtriſque ſaluberrimis monitis aurem cordis ad obtemperandum humillima devotione ſubdere. Quippe quem luce clarius cernimus, eccleſiæ inter mundi turbulentam voraginem fluctuantem ſolidiſſimam ancoram conſtitutum, paxillumque immobilem, in quo ſarcinam dependere noſtrorum valeamus peccaminum, Dei gratiſſima clementia credimus attributum. Tanto namque benevolentiam pietatis veſtræ noſtra ferventius ardeſcit humanitas, quanto vos perſpicimus unicum ad defenſionem crudelium belluarum eccleſiam Chriſti infeſtiſſime lacerare volentium extitiſſe. Igitur quoniam ſancti- B tatis veſtræ litteris epiſcopis regni noſtri mandaſtis, ut de cauſa Ebbonis vobis ſcriberent quidquid ſecundum veritatem comperire poſſent: nobis vero non litteris, ſed per ſervum veſtrum * Anſigiſum monachum, quando hoc anno inſtimato Egilone archiepiſcopo ſecundo Romam ad veſtram paternitatem rediit, mandaſtis ut vobis veritatem rei ſcriberemus, & ſcripto noſtro ſignaremus. Ut vero veſtræ ſanctæ paternitati in omnibus pareamus, quæ de ipſo vidimus & ſcimus, fideliter vobis ſignificamus. Nam nullus epiſcoporum jam ſupereſt, præter Rothadum, qui tunc ipſius cauſæ interfuerit. Ac ne quid præterire patiamur intactum, primo de natalibus ipſius cenſuimus exequendum. C Ipſe igitur Ebbo regii fiſci familia oriundo progreſſus, regia pietate pii ac glorioſi avi noſtri Caroli ſuſceptus, palatinis negotiis non mediocriter annutritus, libertate donatus, * ad nobilitatem vehementis ingenii, in ſacris ordinibus gradatim promotus, genitori noſtro Hludovico piiſſimo Auguſto Aquitanicum regnum regenti ab eodem glorioſo eſt ad ſerviendum deputatus. Quem ipſe ſervitio ſtrenuum, ingenioque agilem comperiens, non poſt multum temporis bibliothecarium conſtituit. Poſt obitum vero divæ recordationis avi noſtri Caroli excellentiſſimi imperatoris, genitor noſter Hludovicus piiſſimus Auguſtus, Deo donante, paternum adeptus imperium, Rhemorum venit ad urbem: ubi præ- D ceſſor veſter ſanctæ memoriæ Stephanus ſummus pontifex ei obviam venit, atque in imperii honorem eum Deo inſpirante conſecravit. Eo tempore Vulfarius præfatæ urbis venerabilis archiepiſcopus valida vexabatur infirmitate, qua & mortuus eſt. Eo autem defuncto, & ab imperatore, ſecundum ſacrorum canonum inſtitutionem, plebi electione conceſſa, contigit eos quemdam virum, Giſlemarum nomine, ad pontificatus honorem elegiſſe. Qui dum ante epiſcopos diſcutiendus aſſediſſet, oblatus eſt ei textus evangelicus. Cum autem ipſum aliquatenus legere, nihil tamen intelligere omnes pariter cognoviſſent, reprobatus ac velut inſipiens ab omnibus eſt dejectus. Tunc vero domno imperatori E viſum eſt, ut præfatus Ebbo pro ſcientiæ capacitate, meritorumque reverentia, ad jam dictum promoveretur epiſcopatum. Quod cum plebi atque omnibus ſane ſapientibus eſſet relatum, placere ſibi omnes unanimiter affirmavere: ac ſic ſecundum canonicam inſtitutionem eſt archiepiſcopus ordinatus. Prima vero vice, quando inſtigante diabolo Francorum populus imperatorem ſibi a Deo ordinatum, & ab apoſtolica ſede coronatum, ſuo ſunt moliti propellere imperio, ipſe Ebbo in ipſius fidelitate immobilis perſtitit, & ut rectum erat, uſque ad recuperationem perſeveravit. Secunda vero, cum hortatu & molimine

Hlo-

*Marginal notes:* * al. Anſegiſum. — * ob



ANNO CHRISTI 867.

Hlotharii fratris noſtri omnis populus a piæ recordationis genitore noſtro receſſit, & eum, uxore ipſius in Italiam, Tardonem ſcilicet civitatem, abducta, cuſtodia mancipavere, nos quoque, non adhuc decennem, quaſi multorum criminum obnoxium, pari cuſtodia Prumia monaſterio mancipandum delegavere. Abducto autem imperatore a Hlothario Sueſſionis monaſterium S. Medardi, ipſe Ebbo, cum aliis pæne omnibus epiſcopis, quibuſdam volentibus, quibuſdam invitis, jam dictum imperatorem nec confeſſum, nec ab aliquo convictum, uxore & filio, & omnibus fidelibus, dignitate privatum, ab eccleſiæ communione removerant. Tandem vero clementia miſerantis Dei humilitatem pii imperatoris reſpi- B ciens, tetigit corda quorum voluit, & ut eum cuſtodia educerent, & imperio reſtituerent, ſua inſpiravit miſericordia. Quem in monaſterio beatiſſimorum martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii a cuſtodia reducentes archiepiſcopi & epiſcopi, ut dignum erat, ſe in eum humiliter deliquiſſe confitentes, veniam ab eo ſuppliciter poſtulaverunt, Hlotharium vero ab imperiali poteſtate ſecedere hortati ſunt. Unde ipſe & qui cum eo erant, ab illo in alias partes receſſerunt. His Ebbo compertis, dum Rhemis moraretur, territus Pariſiacam fugit ad urbem ad quemdam recluſum, ut ſaltem cum eo deliteſcens, imperatoris iram evaderet. imperator namque hoc audiens, quia non longe erat, ſtrenuos & fideles nuntios dirigens; eum comprehendi & cuſtodia mancipari C juſſit, eccleſiam vero Rhemenſem Fulconi venerabili abbati commendavit. Inde Mettis civitatem eſt ductus, ubi in eccleſia ſancti Stephani ambonem coram omnibus conſcendens, profeſſus eſt non æquum in glorioſum imperatorem dominum ſuum intuliſſe judicium. Ibi etiam idem piiſſimus imperator ab omnibus epiſcopis, clero, & populo, eſt honorabiliter coronatus, & priſtino reſtitutus imperio. Hinc iterum placito generali convocato, præfatum Ebbonem ſibi juſſit exhiberi, & cum pro illata injuriarum contumelia, ac nonnullis epiſcopis præſentibus, * epiſcopi ſiquidem imperatori ſatisfacere, & pontificalem reverentiam ſervare cupientes, obtinuerunt apud D eumdem imperatorem, ut non coram laicis, ſed in ſacrario ipſius Ebbonis cauſa diſponeretur. Ebbo autem omni temporali privatus ſubſidio, omnique humano deſtitutus ſolatio, tempori conſulens, accerſito quodam recluſo, nomine Framegaudo, miſit per eum genitrici noſtræ Judith glorioſæ imperatrici annulum, quem ab ea quondam acceperat, quem etiam, quotieſcumque aliquo tangebatur incommodo, mittere ſolebat, & ut ſui miſereretur flebiliter peroravit. Eumdem vero annulum genitrix noſtra in ipſo noſtræ nativitatis articulo, quia archiepiſcopus erat, pro ſua religione & ſanctitate, ut noſtri jugiter in ſuis orationibus memor eſſet, ei miſerat. Tunc ipſa horum reminiſcens, E ejuſque lacrymabilia ſuſpiria agnoſcens, pio ſuaſu apud epiſcopos, qui illuc convenerant, obtinere curavit, quatenus & imperatoris animum ſatisfaciendo lenirent, & leges divinas tranſgrediendo non violarent, ne forte vindictam ſeveritatis exercentes in eum qui in eos deliquerat, non viderentur dignam Deo reddere viciſſitudinem, qui eos a tanto periculo miſericorditer liberaverat. Statuerat enim animo, ut pro reverentia tanti miniſterii nullatenus in depoſitionem cujuſquam epiſcopi præberet aſſenſum. Et ob hoc apud pium imperatorem obtinuit, ne in ejus depoſitionem amplius impel-

A leret. quod & ſecundum moderatiſſimum ejuſdem genitricis noſtræ glorioſæ imperatricis conſilium ſatisfacerent piiſſimo imperatori, & in eumdem Ebbonem non aliam ſententiam intuliſſent, niſi quam ipſe ſcripto ediderat. Hanc autem authenticam ſcriptionem a præfato Fulcone venerabili abbate, cui tunc eccleſia Rhemenſis commiſſa fuerat, Hincmarus venerabilis archiepiſcopus accepit, & vobis eam, ut ipſe nobis retulit, tranſmiſit. Sed utrum pure ac ſimpliciter vobis ſit directa ignoramus. Hoc tamen veriſſime novimus, quod nullus epiſcoporum eam propria manu ſubterfirmaverit. Nam idem Ebbo, comperta inevitabili ſui diſcriminis cauſa, protulit tres teſtes, tamquam ſuos B confeſſores; Ajulfum videlicet archiepiſcopum, Moduinum, & Badaradum epiſcopos: qui vicem illius obtinentes dicerent, ſi ita verum eſt, ut ipſe Ebbo eis confitebatur, conſilium ei darent, ut a pontificali miniſterio abſtineret. Qui etiam ſibi alios tres adſciverunt, qui eum illis confitentem viderunt, Nothonem ſcilicet archiepiſcopum, Theudericum & Actardum epiſcopos. Quibus expletis, reductus eſt in cuſtodiam. His autem ab epiſcopis taliter definitis, domnus imperator per Godefridum monaſterii ſancti Gregorii venerabilem abbatem ſuæ dignitatis litteras prædeceſſori veſtro domno Gregorio venerando papæ dirigit, ejus aſſenſum, ſi fieri poſſet, in depoſitione ipſius Eb- C bonis expoſtulans. Ipſe vero per præfatum abbatem ſuæ auctoritatis litteras ei remiſit, ſed quid in ipſis inſertum fuerit, omnibus epiſcopis, & cunctis regni noſtri ordinibus habetur incognitum. Sed ſanctitatis veſtræ ſolertia per ſcrinia dignitatis veſtræ inveſtigare poterit, quid iſdem prædeceſſor veſter ſenſerit inde. Credimus tamen, quia ſi in abjectionem prædicti Ebbonis domnus imperator ipſum prædeceſſorem veſtrum fautorem habuiſſet, continuo vacanti eccleſiæ illi alium pontificem ſubrogaſſet. quod quidem moderatiſſimo conſilio agere differens efficaci egit ſagacitate, ut & ſic audacia in hujuſmodi viris temerariis deinceps comprimeretur, & eccleſiæ ſtatus non labe- D factaretur. Poſt obitum vero domni imperatoris, præfatus Ebbo ab illo qui eum cuſtodiebat fratri noſtro Hlothario ductus eſt. Quem iſdem frater noſter venerabiliter & benigne ſuſcipiens, cum epiſcopis qui cum eo tunc juncti erant, quorum ipſe Ebbo uſus conſilio, dudum libellum ſuæ confeſſionis, [a] ut imperatori ſatisfaceret, communi eorum conſenſu ſuis gradibus eſt reſtitutus. Nobis autem pro imminentibus negotiis in Aquitaniæ partes recedentibus, ab univerſo Rhemenſis eccleſiæ clero & populo avidiſſime expetitus, ſicque demum a coepiſcopis & ſuffraganeis ſuis ſedi priſtinæ eſt reſtitutus. Cui tunc omnes qui affuerunt communicaverunt, omneſque ſuffra- E ganei, qui eo abſente ordinati fuerant, annulos & baculos, & ſuæ confirmationis ſcripta, more Gallicarum eccleſiarum ab eo acceperunt. Univerſis autem, quibus ad eum præſtabatur acceſſus communicantibus, Vulfadum & alios quoſdam ipſius eccleſiæ filios ibi ordinavit. Hæc de Ebbonis dejectione & reſtitutione breviter prælibavimus, ut ex his veſtræ ſagacitatis decernat prudentia, utrum hæc ad Vulfadi pertineant depoſitionem, necne. Si quis autem veſtræ ſanctitati intimavit quod iſdem ad Sueſſonicam ſynodum canonice vocatus fuerit, & ſuæ damnationis litteras firmaverit, aut porrexerit, ſciatis nullatenus verum eſſe, quia nec ipſi ſynodo interfuit.

His

a) Deeſſe videtur vox, dederat. H.

ANNO CHRISTI 867.

His ita geſtis, neceſſarium duximus, nos humillime & devotiſſime ante conſpectum majeſtatis veſtræ noſtris apicibus excuſabiles reddere, eo quod ante reverſionem Egilis reverendi archiepiſcopi, vel reſcriptionem veſtri præſulatus, præfato Vulfado ſedem Bituricenſis archiepiſcopatus commendavimus, & eum epiſcopi nulla temeritate, ſed magna incumbente neceſſitate, fiſi de magnitudine miſericordiæ veſtræ, ad honorem epiſcopatus provexerunt. Ideo enim eum in illas Aquitaniæ partes ad filium & æquivocum noſtrum direximus, & eccleſiam illam ei commendavimus, quoniam eum in educatione alterius filii noſtri, Carlomanni ſcilicet ſervi veſtri, quem veſtræ beatitudini ſpecialiter commendavimus, & aliis utilitatibus noſtris experti ſumus & ingenio ſtrenuum, & moribus probum, & nobis in omnibus fideliſſimum. In qua acceleratione ſi quid veſtræ ſanctæ ſerenitatis animo diſplicuit, a veſtra ſancta paternitate nobis donari depoſcimus. Et quia in eodem regno magna Paganorum perſecutio graſſabatur, quos miſericors dominus per filium noſtrum & fideles ſæpe proſtravit, & ea occaſione non minor malorum Chriſtianorum infeſtatio latius effervebat, ſicut hic noſtrorum apicum gerulus viva voce vobis indicare poteſt; ipſa urgente neceſſitate ipſius regni excitati epiſcopi, ne majora mala ſuperceſcerent, & præſentia ſedarentur, & quoniam illius regionis ſedes illa principatum obtinet, ut ejus prudentia & vigore, auctoritate etiam ſedis freti, facilius mala exorta compeſcerent, tempori conſulentes ejus ordinationem maturaverint. In cujus ordinationis maturatione quia veſtra licentia, pro jam dicto imminente periculo, expectata non eſt, veſtra benigniſſima ſanctitate petimus indulgendum. Præterea veſtram præ omnibus glorioſam & amplexabilem paternitatem ſuppliciter exoramus, ut ſi quid in ſanctis promiſſionibus veſtris confidere audemus, hinc appareat nos apud vos plurimum poſſe, ut quidquid in prædictis dimittendum eſt dimittatis, & prædictum fideliſſimum ſervum veſtrum Vulfadum pallio apoſtolicæ auctoritatis exornando decoretis, & decorando confirmetis. Actardum Namneticæ quondam ſedis venerabilem epiſcopum, exilium, vincla, mare, dura pericula paſſum, ſed gratia Dei liberatum, Northmannis nimium Britonibuſque vicinum, ac perinde civitas ſibi commiſſa, olim florentiſſima, nunc exuſta & funditus diruta, redacta per decennium cernitur in eremum, fidelem legatum noſtrum veſtræ ſanctiſſimæ paternitati dirigimus, quod litteræ noſtræ minus habent, pro tempore & per ſpatium vobis placens verbo tenus ſignificandum. Cui quia nulla manet ſpes in propria, ſi annuit & favet vigilantiſſima veſtræ diſcretionis ſolertia, voluntate & mente promptiſſima optamus vacantis ſedis conſtituatur in cathedra, quo poſſit injuncta ſibi & ordinata peragere miniſteria, quoque valeat utilitatibus eccleſiaſticis, & obſequiis parere noſtris. Qui Romæ deſtinavit aliquas facere moras, ut adventantibus Britonibus poſſit coram poſitus eos convincens, ſuæ eccleſiarumque vicinarum ab eis perpetrata pandere detrimenta. Unde ſynodus Sueſſionica & Tricaſſina ſe monuerat legationem ſumere, quatenus gens temeraria, fallax, & barbara, apoſtolico mucrone a talibus auſis exceſſibus coerceatur, & præſumptione præſenti. Huic noſtro alumno, veſtroque clientulo, ſolito more oramus pietatis veſtræ caritoſiſſima viſcera patula fore; quo valeat mens diutino quaſſata mœrore vivis ac ſalientibus reſolidari & recreari fluentis.

*CODEX LAUDUNENSIS.*

Has proxime præcedentes epiſtolas Actardus Namneticæ urbis epiſcopus a ſynodo apud Trecas habita Romam deferens, Nicolaum defunctum, & Hadrianum ordinatum loco ejus invenit, cui & epiſtolas tradidit. Ad quas iſdem Hadrianus papa iſtas quæ [a] ſequuntur epiſtolas reſcripſit. duas ſcilicet ad epiſcopos, qui præfatæ ſynodo interfuerunt, quarum unam detulit Sulpicius miſſus Vulfadi, alteram Actardus, ſimul cum epiſtolis quæ ſequuntur, Carolo regi & Hincmaro Rhemenſi epiſcopo miſſis.

[a] en ... [illegible]

NOTÆ JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Seriem rerum geſtarum.*] Quam colligi, & ad ſe mitti juſſerat Nicolaus epiſtola LIX. reſcribens ſynodo III. Sueſſionenſi.

2 *Fugam arripuit.*] Pariſiacam ad urbem, ut eſt in ſequenti epiſtola Caroli regis. At fuſius iſta commemorantur in narratione clericorum Rhemenſium, cujus ſupra meminimus: *Morabatur*, inquit, *tunc temporis Ebbo epiſcopus in monaſterio ſancti Baſoli, infra parochiam Rhemenſem, claudus utroque pede, & nimia aſſictus infirmitate. Timens vero, quia nec cum Lothario exire potuerat, nec animum imperatoris adverſum ſe quidquam emollitum habebat, ne ſicut tali turbine fieri ſolet a levibus & indiſciplinatis hominibus, quaſi pro infidelitate domni imperatoris perderetur, juſſit ſe deportari ad fluvium nomine Maternam, qui propius erat, & mitti in navim, atque Pariſios ad quamdam deduci cellulam cujuſdam recluſi, ſperans ſe ibi tuto latere poſſe, uſque dum aut animum imperatoris quoquomodo placare potuiſſet, aut recepta ſanitate ire poſt Lotharium valeret. Audiens vero domnus imperator eum illuc transfugiſſe, miſit & juſſit eum deduci ad Foldam monaſterium ſancti Bonifacii, ibique ſervari, & poſt biennium adduci ad Theodonis villam in parochia Metenſi, ubi erat placitum imperatoris publicum.*

3 *Per diverſa monaſteria.*] Clericorum Rhemenſium narratio: *Finito autem concilio, reductus eſt ſub arcta cuſtodia ad idem ſancti Bonifacii monaſterium. Poſt aliquantum vero temporis, commendatus eſt ſimiliter ad cuſtodiendum Freculfo Lexovienſi epiſcopo. Inde Boſoni abbati in monaſterio ſancti Benedicti, ſub cujus manu exulabat, quando domnus imperator viam univerſæ carnis ingreſſus eſt carnis.*

4 *Rhemorum eccleſiam recepit.*] Clerici Rhemenſes: *Remiſſus eſt autem a jam dicto imperatore Lothario, ſeu a præfato concilio, ad ſedem propriam, Rhemenſem ſcilicet eccleſiam. Ad quam veniens VIII. Idus Decembris, receptus eſt ab epiſcopis ſuffraganeis ſuis, Rothado epiſcopo, Simeone epiſcopo, Lupo epiſcopo, una cum legatis omnium aliorum epiſcoporum Rhemenſis diœceſeos, qui variis detenti infirmitatibus illuc corporali præſentia occurrere non valentes, ſuam tamen per eccleſiaſticos legatos, & excuſatorias litteras, illi exhibuerunt præſentiam. Inſuper etiam a canonicis & monachis, atque corregionalibus presbyteris totius diœceſis, atque infinita multitudine utriuſque ſexus. Qui omnes cum ramis palmarum & cereis ardentibus, laudeſque Deo intimis cordibus, & excelſiſſimis vocibus proclamantes, longe ei ab eccleſia obviaverunt, & uſque ad eccleſiam indeſinenter pſallentes eum perduxerunt. Tunc oratione completa, ſilentioque impoſito, aſcendit Rothadus epiſcopus ambonem, ducens ſecum Ingbertum monachum. Et primo allocutus eſt gaudente plebe de deſiderabili reverſione proprii paſtoris, & qualiter reſtitutus a ſancto concilio, ſeu ab imperatore Lothario, eis remittebatur: & juſſit Ingbertum monachum alta voce ipſam ejus reſtitutionem legere. Dederunt etiam, præſente omni eccleſia, legati epiſcoporum unuſquiſque aſſenſum proprii ſui epiſcopi & plebis ſcriptum. qui omnes ab Ingberto monacho publice recitati ſunt. His ita peractis, iterum reboantibus ſignis, & vociferante omni eccleſia* Te Deum laudamus, *ductus eſt jam ſæpe dictus Ebbo epiſcopus in veſtiarium, & indutus epiſcopalibus veſtimentis. ſimiliter etiam alii epiſcopi, & proceſſerunt cum eo ad celebrationem miſſæ. Nam Rothadus epiſcopus dextra manu eum ſuſtentans habuit ſuæ partis Lupum Catalaunenſis eccleſiæ epiſcopum, & Hildegardum presbyterum, poſtea vero Meldenſis eccleſiæ epiſcopum: ſiniſtra autem manu ſuſtentans eum Simeon epiſcopus ſimiliter ſuæ partis habuit Erpuinum epiſcopum, & Vitaum Cameracenſis eccleſiæ chorepiſcopum. Et ſic ad ſanctum altare cum eo procedentes ad propriam ſedem deduxerunt, atque cum eo conſedentes in omni pontificali officio ipſa die ei communicaverunt.* Et alia quæ ſequuntur de epiſcoporum ordinatione datis annulis & baculis confirmata.

5 *Quamvis omnium.*] Extat, tum in codice ſanctæ Mariæ Laudunenſis, tum in altero ſancti Laurentii Leodienſis, in quo alia erant plurima Hincmari opera, quæ conjecturam faciunt, hanc etiam ab Hincmaro regis nomine dictatam epiſtolam fuiſſe.

NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.*] De rebus in hac ſynodo geſtis Flodoardus in hiſtoria Rhemenſi libro 3. capite 17. iſta ſcribit: *Anno dominicæ incarnationis octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo ſynodus provinciarum Rhemenſium, Rothomagenſium, Turonenſium, Senonum, Burdigalenſium, atque Bituricenſium, apud Trecas octavo Kalendas Novembres convenit. Ubi quidam epiſcopi ut aſſolet, gratia regis Caroli Vulfado faventes, quædam contra veritatem & canonum ſacram auctoritatem adverſus Hincmarum moliri cœperunt. Sed eodem Hincmaro eorum molitionibus ratione & auctoritate obviante, plurimorum ſententia prævalente, rerum geſtarum ordinem de quibus agebatur communi conſenſu epiſtola ſcriptum per Actardum venerabilem Namnetenſem epiſcopum papæ Nicolao epiſcopi qui convenerant tranſmiſerunt. Cujus epiſtolæ tenor idem extitit qui fuit in epiſtola Hincmari Rhemorum epiſcopi, quam per clericos ſuos ſub peregrinorum habitu propter contrariorum vitandas inſidias præcedente Julio menſe Romam miſerat. Epiſtolam autem in præſcripta ſynodo factam & archiepiſcoporum qui convenerant ſigillis ſignatam Actardus perferendam ſuſcipiens cum quibuſdam epiſcopis ad Carolum ſicut ipſe præceperat rediit. Carolus autem immemor fidelitatis atque laborum, quos pro ejus honore & regni obtentu ſæpefatus Hincmarus per plures annos ſubierat, eamdem epiſtolam ab Actardo ſibi dari exegit, & archiepiſcoporum ſigilla confringens geſta ſynodi relegit, & quia ſicut voluerat in eadem ſynodo Hincmarus non extitit conſutatus, epiſtolam ſuo nomine ad Nicolaum papam dictari in contrarietatem Hincmari fecit, quam & bulla ſui nominis ſigillavit, & cum epiſtola ſynodali per ipſum Actardum Romam venientes Nicolaum papam jam valde infirmatum, & in contentione, quam contra imperatores Græcorum Michaelem & Baſilium, ſed & contra orientales epiſcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter uſque ad menſem Octobrem ibidem ſunt immorati. Nicolaus papa gratanter ſuſcipiens quæ Hincmarus ei ſcripſerat, de omnibus ſibi ſatisfactum eſſe reſcripſit. Sed & alteram epiſtolam eidem & ceteris archiepiſcopis & epiſcopis in regno Caroli conſtitutis tranſmiſit, innoteſcens præfatos Græcorum imperatores, ſed & orientales epiſcopos calumniari ſanctam Romanam eccleſiam, immo omnem eccleſiam quæ Latina utitur lingua, Quia jejunamus in ſabbato; quod Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere dicimus: quia presbyteros ſortiri conjuges prohibemus; & quoniam eoſdem presbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes inhibemus, dicentes ipſi Græci quod chriſma ex aqua fluminis Latini conficiamus: reprehendentes nos Latinos quod octo hebdomadibus ante paſcha a carnium, & ſeptem hebdomadibus a caſei & ovorum eſu more ſuo non ceſſamus, dicentes etiam quod in paſcha more Judæorum ſuper altare pariter cum dominico corpore agnum benedicamus & offeramus. Succenſentes etiam nobis, quia clerici apud nos barbas ſuas radunt, & dicentes, quia diaconus non ſuſcepto presbyteratus officio apud nos epiſcopus ordinatur. De quibus omnibus per ſingulas provincias a metropolitanis cum eorum coepiſcopis ſibi reſcribi præcepit.* Hæc Flodoardus quæ ſummatim excerpta ſunt ex epiſtola Nicolai 70. ſupra.

ANNO CHRISTI 867.

# CONCILIABULUM CONSTANTINOPOLITANUM

## Photii, quo damnatur Nicolaus PP.

Ex P. Pagi ad an. 867. n. 12.

DE *hac Pſeudo-Synodo Metrophanes in literis ad Manuelem Patricium hæc habet*: Cum intellexiſſet (*nempe Photius*) Legatos Pontificis Romani in Bulgariam miſſos, confirmationem ejus reprobaſſe, omneſque Bulgariæ Principes & ſubjectos chriſmate iterum inunxiſſe, tum vero velut æſtro percitus œcumenicam ſynodum confinxit. Cui confictæ ſynodo, qui tum imperitabant, Michaelem & Baſilium noſtrum Præſides induxit; Orientis etiam trium Patriarchiorum Vicarios, ac totum Senatum Palatinum, & Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopos; nec non accuſatores inſtituit, qui Nicolai Papæ ſcelera videlicet exponerent, & deplorarent, judiciumque ſynodi implorarent, teſteſque adhibuit, qui accuſatorum calumnias confirmarent. Atque ipſe quidem ficta erga Papam pietate reſpondebat, non eſſe abſentem judicandum, interimque orationes contra Papam aſſidentium ſibi Antiſtitum, quaſi repugnantium ſibi inferebat, quibus ſcilicet victus accuſationes admiſerit, cauſamque cognoſcere cœperit. Itaque tandem ſexcentis obrutum falſis criminibus Nicolaum damnat, atque anathemata in illum & communicantes cum illo conjicit, confictis omnium, qui per ejus ſcilicet ſomnia erant in Conciliabulo, ſubſcriptionibus, Imperatorum nempe duorum, & trium Vicariorum Orientis, totius Senatus, & Hegumenorum, & Clericorum. *Auctor vero libri de Synodis Synodo CL.* Photius Nicolai contra ſemet excandeſcentem animum agnoſcens, Michaele, in omnia mutabili, ſibi adſcito, clamque compoſita ſynodo, Locumtenentes aliorum Patriarcharum comminiſcens, voces, & ſubſcriptiones omnium Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Abbatum ſibi ſubjectorum conſcripſit, & Patriciorum penitus noſcentium, quando, & quomodo, & propter quid coacta eſſet. Per quos omnes depoſitionem & anathematiſmum Papæ Romano Nicolao divina ſapientia imbuto miſit per Zachariam Chalcedonenſem Metropolitam, & Cariæ Theodorum, qui in Laodicæam aſcenderat, *tranſlatus ſcilicet a Caria ad Laodicenſem Epiſcopatum. De hoc Conciliabulo legendus etiam Anaſtaſius in Præfatione ad Synodum VIII.*

ANNO CHRISTI 867.

# CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM,

## In quo Photius deponitur, & Ignatius ſedi ſuæ reſtituitur.

*Ex P. Pagi ad an. Ch. 867. nu. 13.*

BAſilius imperator *poſtero die quam renuntiatus erat Imperator*, ideoque die 25. Septembris, *Photium e throno deturbatum in cœnobium Scepen appellatum ejicit*, inquit Nicetas, qui paucis interpoſitis ſubdit. *Tunc vero Baſilius Imp. adductum in Magnaura palatium Ignatium, ſilentio indicto, multis laudibus cohoneſtavit. Dies erat dominica tertia & vigeſima Novembris* (anno nempe 867. quo Dominica & dies ille coincidunt) *quo etiam anni tempore prius in exilium pulſus erat*; (textus Græcus habet) *ſicut prius in exilium* A *pulſus erat*; (eodem nempe die, licet non eadem feria;) *qui Dei præſidio & clementia fretus novennalem ac perfectam ex virtutis certamine lauream adeptus, Eccleſiæ ſuæ throno reſtituitur*. Curopalates ait: *Coacta ſynodo abdicavit Photium, qui ſibi honorem illum vindicaverat*; quæ ſynodus nonniſi ex Epiſcopis, qui Conſtantinopoli erant, componi potuit. De hac Photii abdicatione, & Ignatii reſtitutione agit Baſilii Imper. Epiſtola ad Nicolaum, quæ extat in Concilio VIII. act. 3.

# VITA,

## EPISTOLÆ ET DECRETA

## HADRIANI PAPÆ II.

HAdrianus * natione Romanus, ex patre Talaro, poſtea epiſcopo regionis tertiæ, ſedit annos quinque. Hic ex proximitatis genealogia beatæ recordationis Stephani IV. & Sergii junioris pontificum deſcendens, dum miris polleret actibus, a venerandæ memoriæ Gregorio quarto ſedis apoſtolicæ præſule ſubdiaconii ſortitus eſt miniſterium. *(Fit ſubdiaconus.)* Deinde vero in Lateranenſe patriarchium familiariter aſſumptus laudabiliter converſatus ad regendum titulum ſancti Marci confeſſoris Chriſti atque pontificis presbyter ordinatus tam inculpabiliter degit, tam viriliter miniſtravit, ut non tantum ſicut factus presbyter, ſed ſicut futurus pontifex, reverenter ab omnibus coleretur. *(Et presbyter.)* Siquidem in eo erat in Chriſto ejuſque genitrice (apud cujus Præſepe jugibus orationibus incumbebat) tanta fiducia, ut benefaciens non deficeret, nec quidquam diſcriminis, cuncta quæ habere poterat diſcretiſſime largiens, incurrere formidaret.

Nam cum die quadam inter compresbyteros ſuos a ſanctiſſimo papa Sergio conſuetudinaliter denariis quadraginta perceptis domus ſuæ portas revertens ingredi vellet, ac præ multitudine peregrinorum, quæ ibi fiducialiter more ſolito velut ad horreum commune confluxerat, omnino nequiret: miſericordia motus * equeſtri ſuo retulit, nil ſine tantis fratribus in tantillis denariis ſibi eſſe commune. *(Liberaliſſimus in pauperes.)* *(* equeſtri diſpenſatori ſuo.)*

Cumque ille neque tertiæ parti pauperum ſingulos denarios poſſe ſufficere intuliſſet, in virtute, inquiens, Chriſti, qui de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiavit, non ſingulis ſingulos, ſed ternos ſingulis de[illegible] erogabo. Et hæc dicens, forinſecus port[illegible], ac de manu equeſtris ſui ſuſcipiens, [illegible] cunctis egredientibus ternos ſigillatim [illegible] erogavit. *(Miraculoſe multiplicantur denarii.)* In qua redundatione cum mir[illegible] equeſter non ſolum non defeciſſe denarios, quinimmo ſuperfuiſſe, liberalis presbyter, qui ſupererant demum recipiens, multitudini familiæ ſuæ ternos nihilo minus per- B ſonatim nummos largitus eſt. At cum ſex itidem ſupereſſent, Vides, inquit, quam largus, & quam ſuavis ſit omnipotentiſſimus dominus, qui quadragenariam quantitatem nummorum & fratribus noſtris per ternos diſtribuit, & mihi ternos, tibique ternos æqua ſorte ſervavit. Erat præterea tantæ hoſpitalitatis & largitatis, ut non immerito beato Job in his valeat comparari, nam ab infantia crevit cum eo miſeratio, & de utero matris cum ipſo egreſſa eſt. *(Job 31.)* Non deſpiciebat prætereuntem, eo quod non haberet indumentum, cujus latera nimirum ovium calefaciebat velleribus, nec buccellam quidem ſuam comedebat ſolus, cum hanc cum pupillis & egenis comederet. Quippe qui oculus C eſſet cæco, & pes probabatur exiſtere claudo, & ut ſcriptis virtutum ejus multiplicitas referatur, pater erat pauperum & cordis viduæ conſolator. Oſtium ejus viatoribus patebat, nec erat clauſa janua domus ipſius quidpiam poſtulantibus ab eo, ut ab omni clericali gradu, ab omni ſenatorio, & populari concordiſſimo cœtu, ſicut poſt mortem IV. papæ Leonis, ita poſt obitum III. Benedicti pontificis ſubire ſummum pontificium, niſi ipſe diverſis argumentis, & exquiſitis excuſationibus verecunde ſubterfugiſſet, cogeretur. *(Refugit ſummum pontificatum.)* Sed cum apoſtolicæ memoriæ ſanctiſſimus papa Nicolaus rebus exceſſiſſet humanis, & iſte impræſentiarum tertio * quintum & vigeſimum annum tranſiret, *(* xx. al. 75.)* omnes D urbis Romanæ concives ſimul & hi quos extrinſecus tunc adeſſe contigerat, tam pauperes, quam divites, tam clericalis ordo, quam cunctum populi vulgus, omnis ſcilicet ætatis, profeſſionis, & ſexus, contemptis omnibus ejus excuſationibus Hadrianum deſiderant, Hadrianum dari ſibi præſulem ac paſtorem exoptant. *(Omnes conſpirant in Hadrianum.)* Nulluſque in totius urbis ampliſſimo ſpatio repertus eſt, niſi vel ſe, vel ſuum quemque provehi voluiſſet, qui non Hadrianum promoveri ad hoc culmen medullitus exoptaret. Proceres vero, licet ſoluto in duas partes corpore viderentur eſſe diviſi, una tamen mente, parique circa hunc *(Dubitant nonnulli proceres.)*





flagrabant ardore, quoniam cauſam diviſionis A eorum non niſi nimius in tantum virum faciebat caritatis affectus, dum ſic alterutra pars ſibi præferri geſtiret, ut ſi hunc altera pars deligeret, pars altera penitus dubitaret, nec erat * ibi parti alteri * retinendi voluntas, niſi quia opinabatur eam ſua in alium vota dirigere, *(* ulla * forte retinendi)* præſertim cum multi monachorum, pleriquæ religioſorum ſacerdotum ac fidelium laicorum cælitus emiſſis viſionibus, multo jam tempore Hadrianum futurum pontificem, non ſolum non dubitarent, verum etiam apertis vocibus proclamarent. Inter quos quidam Hadrianum in ſede apoſtolica pallio humeris obducto reclinatum videbant. *(Viſiones divinæ de futuro pontifice.)* Alii eum cum apoſtolicis infulis miſſas celebrantem. Nonnulli more apo- B ſtolico in baſilica Lateranenſi aureos erogare. Plerique in equo, cujus ſeſſione ſanctiſſimus papa Nicolaus ad ſanctum Petrum pergens uſus fuerat, eum cum pontificali pallio impoſitum præcedentibus axiomaticis, & ſubſequentibus reliquis turbis in urbem redire, patriarchiumque ſubire conſpexerant. Verum ubi evidentibus indiciis hunc eumdem utraque diligi claruit, tanta in eum unitas, & animorum, & corporum fuit, ut unum in eis erga eumdem domini ſacerdotem cor, & unus ſpiritus ineſſe omnibus videretur; ita ut lapis angularis, ſalva reverentia Jeſu Chriſti domini noſtri, quodammodo poſſit vocari. Quoniam per oſtenſionem, immo profectionem ſuam, ſolvens inimicitias C cordium, fecit utraque unum. Collectis igitur omnibus tam epiſcopis cum univerſo clero, quam primoribus urbis, cum obſecundantibus ſibi populis, ab eccleſia ſanctæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ, quæ appellatur Ad præſepe, rapitur, trahitur, & ad Lateranenſe patriachium certatim, ac procerum & plebis multitudine deportatur. *(Diſt. 63. c. 29. & addit.)* Quod audientes tunc miſſi principis moleſte tulere, indignati ſcilicet non quod tantum virum nollent pontificem, quem nimirum anxie cupiebant, ſed quod ſe, dum præſentes eſſent, Quirites non invitaverint, nec optatæ a ſe futuri præſulis electioni intereſſe conſenſerint. Qui accepta ratione, quod non Auguſti cauſa contemptus, ſed fu- D turi temporis hoc omiſſum fuerit omnino proſpectu, ne videlicet legatos principum in electione Romanorum præſulum mos expectandi per hujuſmodi fomitem inoleſceret, omnem ſuæ mentis indignationem medullitus ſedavere, ac ad ſalutandum electum etiam ipſi humiliter acceſſere.

Cumque patriarchium Lateranenſe aſcenderent, atque deſcenderent, tantis clamoribus univerſæ plebis, ut ſibi diu deſideratus vir ad conſecrandum daretur clamitantis obſeſſi ſunt, ut nullus eorum loquentis ſecum collegæ ſui verba poſſet audire. Erat enim cernere ſingulos circa conſecrandum pontificem E tantam dilectionis efficaciam poſſidere, quantam nec vidiſſe, nec viſurum unquam quis æſtimaſſet. Denique omnes hunc certatim coram eiſdem legatis rapere, & ad ſummum pontificatus apicem provehendum trahere, ac anxie nitebantur portare, niſi blanditiis ſenatorum, & conſiliis aliquantulum ſedati fuiſſent. Quorum omnium unanimitatis deſiderium audiens Ludovicus Chriſtianiſſimus imperator, cognoſcens etiam qualiter in eo decretum ſuis ſubſcriptionibus roboraverunt, valde gaviſus eſt. *(Imperator approbat electionem factam.)* Et ut tantus domini famulus, cunctiſque gentibus videlicet tam Romanis, quam A diverſis advenis deſideratus & deſiderabilis Chriſtianæ plebi præficeretur medullitus exoptavit: & mox imperialem ſcribens epiſtolam, cunctos Romanos quod dignum tanto elegiſſent officio præſulem collaudavit, per quam videlicet innotuit, nulli quidpiam præmii fore ex conſecratione ipſius quoquo modo pollicendum, cum ipſe hanc non ſuorum ſuggeſtione, ſed Romanorum potius unanimitate commotus ardentiſſime cuperet provenire. *(Epiſtolam ſcribit ad Romanos.)* Maxime cum reddi quæ ablata fuerant, non auferri ab eccleſia Romana, vel deperire quidpiam ſe diceret amare. Itaque ſabbato, peractis rite orationibus, vigiliis, & eleemoſynis, dominico ſecundum morem idem venera- B bilis ſacerdos ab univerſitate ad eccleſiam ſancti Petri apoſtolorum principis deductus XIX. Kalendarum Januariarum indict. I. anno præfati Auguſti XIX. per epiſcopos reverendiſſimos, ſcilicet Petrum Gavenſem, Leonem Silvæ candidæ, deinde tertio loco Donatum Oſtienſem, quia epiſcopus Albanenſis obierat, Formoſus vero Portuenſis a beatiſſimo Nicolao ad prædicationem & inſtructionem Bulgarorum deſtinatus exiterat, benedictionem ſummi pontificatus ad conſolationem videlicet multorum ſanctæ Dei eccleſiæ filiorum, qui factioſorum tyrannide liberius ſolito ſæviente inter unius deceſſionem & alterius ſubſtitutionem pontificis diverſis agebantur exiliis, variiſque afficiebantur C incommodis, ſuſcipere meruit in nomine domini. *(Hadrianus conſecratur.)*

Siquidem ad celebritatem miſſæ ipſius tam incredibilis extitit multitudo, ut certatim de manu ejus omnibus communicare nitentibus Theutgaudus Trevirorum archiepiſcopus, & Zacharias Anagninus epiſcopus, qui a domno Nicolao ſacerdotio denudati, etiam communione caruerant, ſimulque Anaſtaſius, qui dudum a Leone Benedictoque pontificibus presbyterio denudatus inter laicos communicare ſolitus erat, eccleſiaſticam communionem ſub congrua ſatisfactione receperint. *(Depoſiti a Nicolao I. epiſcopi recipiuntur ad communionem.)* Igitur mox ad patriarchium Lateranenſe reverſus eſt, & conſuetudinem ab eo, qua diverſorum xeniorum hinc inde con- D fluentium (retentis ſolum quæ uſibus menſarum ſufficerent reliquiis) precia capiuntur, excluſit, dicens, non eſſe pium quod gratis accipimus precio venumdare, & cariores habere rationalibus fratribus irrationabiles nummos, pro quibus Chriſti precioſus eſt cruor effuſus. Sed parvipendantur, inquit, obſecro hæc pudenda preciorum commercia, & quod gratis accepimus, gratis, juxta præceptum domini, largiamur, & oblationes Chriſti cum ejus hoſpitibus ac inopibus partiamur, propter quos has nobis tribui divinitus ſcimus. E veſtigio etiam Dominicum & Grimoaldum epiſcopos, quos deceſſor ſuus ſanctæ recordationis papa Nicolaus in Bulgariam patriam ire præceperat, & a ſe in ipſo E articulo ſui diſceſſus abſolverat, quique videntes tanti patris obitum ire diſtulerant, eadem fungentes legatione direxit, & quaſdam epiſtolarum, quas ille mittendas delegerat, ut ſe ejuſdem voluntatis & ſtudii fore oſtenderet, ſuo nomine titulari præcipiens, in quantum tempeſtas fluctuoſi temporis permittebat, piiſſimi patris votum pius heres implevit. *(Mittit epiſcopos in Bulgariam.)*

His ab urbe dimiſſis, continuo exules, Gaudericum videlicet Velitrenſem, & Stephanum Nepeſinum epiſcopos, & Joannem cognomento Simonidem, quos procaciſſima falſitas, ſereniſſimo Auguſto incuſans, domo patriaque pro-

ſcripſerat, ab Auguſta manſuetudine multis epiſtolarum documentis requirere ſtuduit, dicens, ſe bonum eccleſiæ Dei paſtorem videri non poſſe, niſi oves quas fideles ſanctæ eccleſiæ infidelis vir per ſuam ſurreptionem proſcripſerat recepiſſet.

Qua religioſa ſuggeſtione lætificatus Auguſtus, una cum Chriſtianiſſima conjuge, non ſolum eos, propter quos ſummus pontifex miſerat, honorifice ad urbem remiſit; verum etiam quoſcumque privata ſimultate tamquam reos imperatoriæ majeſtatis, & in ergaſtulis quilibet truſerat, ut reverterentur, præcepit.

Baſilicam a Nicolao ſ. erectam depingit.

Poſt hæc ſummus pontifex baſilicam Nicolaitanam quam ſanctiſſimus papa Nicolaus (a fundamentis adeo luculenter cum tribus aquæductibus fabrefactis extruxerat, ut omnes Lateranenſes baſilicas ſui pulcritudine ſuperaret, juxta votum deceſſoris ſui picturis variis decoravit.

Imitatur deceſſorem Nicolaum.

Cujus ipſe converſationis exempla ſic ſolertiſſime ſequebatur, ut ab hoſtibus ſancti Nicolai, qui in omnibus ejus acta penitus infringere nitebantur, Nicolaitanus & ſcriberetur, & publice diceretur. Quorum ſcilicet hoſtium, quia nonnullos parturientes injuſtitiam, conceptum dolorem effuſuros eſſe cognoſcens, penes ſe, veluti zizania inter frumenta uſque ad maturitatis tempus diſpenſatorie retinebat, rumore fallaciter exurgente creditum eſt, quod omnia deceſſoris ſui acta, quæ

Suſpectus quibuſdam quaſi contrarius ſit Nicolao.

ille zelo divino ſanxerat, hoſtes vero ejus ad proprios libitus infamabant, voluiſſet infringere. Unde accidit ut omnes occidentalium regionum epiſcopi ſolennes ac honorificas literas emittentes religioſam ejus memoriam, utpote orthodoxæ & veræ philoſophiæ pontificis excolendam, ſummo pontifici jugiter inculcarent. A cujus videlicet ſanctiſſimi Hadriani papæ collegio, cum per dies aliquot quidam Græcorum, & aliarum gentium ſervorum Dei per id tempus Romæ morantium, ſe clanculo ſuſpendiſſent, ſexta feria LXX. idem ſanctiſſimus antiſtes eos ſecundum conſuetudinem refectionis gratia ſolito plures numero convocavit. Quorum omnium manibus per ſemet humiliter aquam fudit, cibos appoſuit, pocula miniſtravit, & quod nullum pontificum ante ſe feciſſe noverat, ut eos promptiores ad prandium redderet, cum illis diſcubuit, canticis ſpiritalibus ibi per totum ſpatium jugiter laudes concrepantibus.

Hadrianus papa humiliat ſe coram convivis dicta ſuſpicione laborantibus.

Dum ſurrexiſſet ab epulis in faciem ſuam coram omnibus procidit, dicens: Rogo vos, & ſuppliciter obſecro, patres, fratres, & filii, ut fundatis domino pro ſancta catholica eccleſia ſua preces, oretis pro Chriſtianiſſimo filio noſtro Ludovico imperatore Auguſto, ut ei Deus omnipotens, ad noſtram perpetuam pacem, Saracenorum faciat ſubditam nationem. Oretis

Supplex petit orare pro ſe.

etiam pro me fragili & imbecilli, ut det mihi Chriſtus virtutem tantam eccleſiæ ſuæ multitudinem in ſanctitate & juſtitia regendi, qui commiſit beato Petro apoſtolo cunctos regere quos redemit; quatenus qui curarum ſæcularium pulvere caligans, plerumque ſpiritalia minus luculenter intueor, veſtra mihi jugis oratio, quæ tanto purior, quanto ab inquinamentis ſæculi remotior eſt, divinitus ſuffragetur. Cumque illi pro ſe magis illum oportere preces fundere clamitarent, qui tanto acceptior apud Deum haberetur, quanto ſolus pro omnibus in laborare ferventius, interna miſeratione commotus cum lacrymis ait:

Quia pro valde bonis orare, cariſſimi, gratiarum actiones Deo perſolvere eſt, precor ut dominum patrem, deceſſoremque meum ſan- A ctiſſimum, & orthodoxum papam Nicolaum habentes in veſtris orationibus communes grates domino referatis, qui eum eccleſiam ſuam miſeratus elegit, & ad excludendum mundi tumidiſſimos ſtrepitus, ſicut Joſue, clypeo protectionis armavit, & gladio ſpiritalis potentiæ roboravit.

Suſpicione quæ erat de Nicolao papa liberatur.

Quo audito cuncti famuli domini, videlicet Hieroſolymitani, Antiocheni, Alexandrini, ac Conſtantinopolitani, quorum aliqui legationibus mundi principum fungebantur, diutino ſtupore attoniti, in vocem clariſſimam prorupere, dicentes: Deo gratias, Deo gratias, qui talem eccleſiæ ſuæ præficiendum diſpoſuit, qui noſſet, ſui patris & deceſſoris reverentiam præ oculis B ponens, gregem dominicum in virga & baculo paſcere: teſtamentumque patrum non convellere, ſed implere. Deo gratias: Deo gratias, qui in ſede ſui apoſtoli non poſuit apoſtaticum papam, qui domus ſuæ fundamenta poſuit non ſuper arenam, ſed ſuper firmiſſimam petram, qui te ſuccedere fecit ſanctiſſimo papæ Nicolao, nec ab ejus decretis abſcedere. Eia, ceſſet invidia, mendax fama recedat. Domino noſtro Hadriano a Deo decreto ſummo pontifici, & univerſali papæ vita: dictum eſt ter. Cumque manu ſilentium innuiſſet, ſummus præſul intonuit, dicens: Reverentiſſimo, ſanctiſſimo & orthodoxo domno Nicolao a Deo decreto ſummo pontifici & univerſali papæ ſempiterna memoria: dictum C eſt ter. Novo Heliæ vita perennis & immarceſcibilis gloria: dictum eſt ter. Novo Phinees æterni ſacerdotii inſulas merenti ſalus æterna: dictum eſt ter. Sequacibus ejus pax & gratia: dictum eſt ter.

Acclamationes in honorem Nicolai papæ ſuſa.

Dux Spoletanus tyrannus Romam occupat.

Igitur Lampertus Vintonis filius, dux Spoletanus, tempore conſecrationis hujus venerandi pontificis Romanam urbem præter conſuetudinem ſicut tyrannus intravit, non rebellantem ſicut victor ſatellitibus ſuis ad prædandum diſtribuit, majorum domos multis muneribus vendidit, nullis monaſteriis, eccleſiis nullis pepercit, quinimmo nobiliſſimi generis puellas tam intra Urbem, quam extra, ſuis ſatellitibus indifferenter diripiendas conceſſit. Propter quæ apud Au- D guſtos piiſſimos Romanorum quærimoniis prægravatus, ducatum perdidit, iram principum, & invidiam pæne cunctorum Gallorum, tamquam revera ſedis apoſtolicæ hoſtis adjudicatus, incurrit.

Dux Spoletanus privatur ducatu.

Papa excommunicat urbis prædones.

Mox Romanus pontifex tanta tyrannide liberatus Hiſtaldum, Vvalterium, Gilpianum, Odonem, & Theupertum, cum cunctis aliis raptoribus & prædonibus, quouſque rapta redderent, ſibique legaliter ſatisfacerent, omni eccleſiaſtica communione privavit. Sed Theupertus quæ rapuerat haud difficulter reddere ſtuduit. Hiſtaldus vero vir Deo devotus, belloque fortiſſimus, ad præſulem ſe percutientem tota humilitate converſus eſt, ejuſque gratiam ſecundum omne E Romanorum libitum, ſatisfacturus accipiens, ſpem quoque reſumendæ communionis accepit. Quam nimirum recipere prævaluiſſet, niſi conjurationi Lampertorum poſtea conſcius cum viris excommunicatis ac rebellibus fugiens Beneventum petere maluiſſet.

His ita compoſitis poſtquam Michael Græcorum imperator Bardam Cæſarem, Photii fautorem, ſuum, ſicut perhibent, interitum machinantem peremit, Baſilium collegam ſibi adoptans imperatorem conſtituit: cumque novus imperator Baſilius a catholicis, tamquam qui ſemper eis faverit, ſummo ſtudio coleretur, Michael a ſpa-



donibus ſuis (dubium an filii voluntate) peremptus eſt. Moxque Baſilius rerum potitus, primo quidem non ſe fuiſſe conſcium necis Michaelis, ut fertur, omnibus ſatisfecit. Tum vero ſecundum Romanæ eccleſiæ conſtitutum pervaſorem Photium pepulit, & Ignatium patriarcham, populo annitente, patriarchio reſtituit, ac ex utraque parte, Ignatii videlicet patriarchæ, Photiique neophyti, legatos Romam per ſuum ſpatharium Baſilium nomine deſtinavit, qui præſente ſummo antiſtite alternatim confligerent, & juſtitia ſuffragante aut juſtificarent Photium, aut perpetuo condemnarent. Sed divino judicio diſertiſſimam partem Photii pelagus ſorbuit, & ſimpliciſſimam partem Ignatii cum legato imperiali ſalvam ſervavit. Nulluſque ex neophyti parte niſi monachulus, Methodius nomine, ſolus evaſit. Qui poſtmodum neque Photium, pro cujus parte venerat, neque Ignatium, contra quem, ſed neque univerſalis eccleſiæ, ad quam venerat, jura ſuſcipiens, tertio conventus, tertio perfidiæ denotatus, ſemel anathematizatus, abſceſſit.

Photius pſeudopatriarcha pellitur, & Ignatius reſtituitur.

Photii patroni in mari pereunt.

At vero Baſilius legatus imperatoris, & Joannes metropolita Cæſareæ Cappadociæ Nicolao fuerant deſtinati. Hinc ſanctiſſimo papæ Hadriano cum epiſcopis & proceribus in ſecretario ſanctæ Mariæ majoris juxta morem ſanctæ ſedis apoſtolicæ reſidenti ſe ſatis humiliter præſentarunt; dona & epiſtolas obtulerunt: quibus ſuſceptis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cujus conamine Conſtantinopolitana eccleſia de ſchiſmate purgata ſurrexerat, multiplices gratias retulere, ac poſt innumera laudum præconia concordi voce dixere: Devotiſſimus filius veſter imperator Baſilius, & patriarcha munere veſtro reſtitutus Ignatius, dum eccleſia Conſtantinopolitana per interventum veſtrum invaſorem Photium propuliſſet, in archivo ejus librum ſumma falſitate congeſtum contra ingenium ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſanctiſſimique papæ Nicolai reperere. Quem bullatum quaſi vere contagioſum a ſua urbe penitus propulere, vobiſque utpote ſummo capiti, cui Chriſtus cælo terraque ſolvendi atque ligandi poteſtatem tribuit, miſere.

Quem, precamur, ſuſcipientes rimamini, & fraudulentiam quam inſontibus Conſtantinopolitis noſter verſipellis Photius inferre potuit, ex eo quod in hanc ſanctam Romanam eccleſiam non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hujuſmodi, audacem linguam exacuit prorſus advertite. Et quid eccleſiæ Dei de hoc latrocinio ſit ſentiendum, quod ſub nomine ſynodi furtim ab eo confictum eſt, palam omnibus promulgate. Utrarumque partium conſeſſum pontificem annuenti, Romanam contra ſedem apoſtolicam, pontificemque ipſius, quia Photius vocem non habuit, ſententiam forte præcipitare potuit, judicium vero librare non potuit. Sed a ſede apoſtolica bis judicatus biſque damnatus eſt.

Et quia viribus ſuis Photius confidens in ſanctiſſimum pontificem noſtrum Nicolaum falſa garrire non timuit, os ſuum nimirum in cælum poſuit, & linguam ſuam, ut terram pertranſiret, exeruit. Ideoque conciliabuli ipſius librum ſcrutandum admittimus, ut auctor illius & fabricator mendacii, & inventor perverſorum dogmatum tertio judicetur. Egreſſus metropolita librum exhibuit, & in terram præcipitavit, imprecando illi dicens: Tu maledictus Conſtantinopoli, ſis Romæ iterum maledictus. Te miniſter Chriſti Nicolaus novus Petrus veritatis

Photii liber maledicitur.



A amator attrivit. Et ſpatharius calce ſuo, enſeque librum percutiens, nihilo minus ait: Credo in hoc opuſculo diabolus habitat, quia per os complicis ſui Photii ea, quæ per ſe dicere nequit, eructat.

Nam & ſubſcriptionem Baſilii noſtri imperatoris poſt ſubſcriptionem Michaelis, quem ebrioſiſſimum ſubſcribere noctu ſuaſit, falſiſſime continet, quam ejus non eſſe reſtitutio Ignatii declaravit, & ſatisfactio noſtra, ſi vobis placuerit, jurejurando firmavit. Neque enim unius ſemper catholici Baſilii nomen potuit falſo ſuis feralibus commentis inſerere, qui mutato charactere potuit multorum abſentium epiſcoporum nomina cum paucis complicibus ſuis deſcribere. B Quorum videlicet epiſcoporum univerſitas tam immunis eſt hujus ſubſcriptionis, quam tenoris ignara. Siquidem nullus Conſtantinopolitanorum, quando illud conciliabulum collectum fuiſſet (quia revera nec fuit) agnovit, ſed quia Conſtantinopolim comprovinciales, veluti regiam civitatem, pro diverſis negotiis inſtar iſtius urbis aſcendunt, pervicaciſſimus Photius mendacium ſuum veritatis medicamento, ſicut ei a primævo fuerat inſtitutum, linivit.

Photius falſo imperatoris & epiſcoporum nomina libro ſubſcripſit.

Dum in locum quorumdam ſanctiſſimorum epiſcoporum cives quidem aliquorum illorum, ſed transfugas, ut fama vulgatum eſt, muneribus excæcatos, ſubſcribere fecit. Inde eſt, quod ſubſcriptionum iſtius videntur diverſi cha- C racteres, & quidam eorum acutiori penna, quidam groſſa, nonnulli vero decrepitum ſimulantes groſſiori membranam inquinantes deſcribunt, ut videlicet fraude præſentium, ſimplicitati abſentium illudatur: & illud credat facilius univerſitas eſſe veriſſimum, quod diſſimilibus litteris fecerit falſitas eſſe diverſum. At vos illico ſubſcriptionum quidem diſſimilitudinem referentes characteres videbitis. Fraudem vero, niſi Conſtantinopolim, ut omnis illa eccleſia deprecatur, miſeritis, minime cognoſcetis. Tunc ſummus pontifex utriuſque linguæ peritis librum ſcrutandum per aliquot dies decrevit, & omnia quæ in eo continebantur coram ſynodo fideliter propalari; quæ ubique o- D mnia ſtrenue perſcrutata eſt. Nam venerabilis pontifex, annitente omni ſenatorio popularique conventu, apud beatiſſimum Petrum apoſtolum in defenſionem ſuæ eccleſiæ deceſſoriſque ſui ſacrum concilium convocavit. Et primo quidem per legatos Conſtantinopoleos veritate luculenter audita, deceſſoris ſui ſuper hujuſmodi litteras legens, ſiniſtram ipſius famam purgavit. Deinde Photium cum conciliabulo complicibuſque ſuis tertio anathemate perculit. Ad extremum vero ceterorum ſubſcriptionibus & ſententiis roboratum, præ foribus graduum nefandi dogmatis librum cunctorum pedibus conculcatum excuſſit. Quem nimirum rogus, ut fomentum quoddam ignis excepit, & pene, antequam E ſemiuſtum credi potuiſſet, cum magno fœtore, piceoque colore conſumpſit. Et cum forte focus inundatione pluviæ naturaliter debuiſſet extingui, & ad pluviam quaſi ad guttas olei flamma convaluit, & in laudes Dei, ſanctiſſimique papæ Nicolai, ſimulque Hadriani ſummi pontificis miraculi ſtupor tam Latinorum quam Græcorum corda reſolvit. Poſt hæc cum epiſtolis deceſſoris ſui, ſicut ab eo fuerat ordinatum, Donatum epiſcopum Oſtienſem, & Marinum diaconum Conſtantinopolim deſtinavit, deinde ejuſdem epiſtolas ſuo tantum nomine titulatas, & commonitorium. Sed & Stephanum Nepeſinum epiſcopum ſocia-

Photii librum papa dat examinandum.

Concilium convocatur Romæ.

In ignem liber Photii conjicitur.

Legati a papa miſſi Conſtantinopolim.

ſociavit, eiſque præcepit, ut omne ſcandalum eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſolerter ſopirent, conſecratiſque a Methodio & Ignatio ſub ſatisfactione libelli, quem de ſcrinio ſuſceperant, proprias eccleſias redderent. Photianis vero ſub. eadem, ac diſtrictiori ſatisfactione communicarent quidem, ſed ſacerdotum judicium, uſque ad ſedis apoſtolicæ ſententiam manente ſanctiſſimi papæ Nicolai judicio protelarent. Itaque multorum anfractuum laborioſos circuitus penetrantes, tandem Chriſto præduce Theſſalonicam veniunt, in quam Baſilius imperator Euſtachium ſpatharium candidatum cum ſuæ ſalutationis officio ſanctæ Romanæ eccleſiæ legatis obviam deſtinavit.

*Imperator obvios eis mittit legatos Theſſalonicam.*

Qui eos admodum honorifice per contigua itineris loca ducens Sillambriam pervenerunt. Ubi a Siſinnio imperiali protoſpathario, & Theogniſto patriarchali hegumeno, qui Romæ apud ſanctiſſimum papam Nicolaum pro reſtituendo Ignatio ſedulus interceſſor extiterat, cum quadraginta equis de ſtabulo imperiali, & totius menſæ argenteo apparatu, officialibuſque, qui ſibi ad omnem libitum famularentur, ſunt excepti, ad Caſtrum rotundum, in quo eſt eccleſia miræ magnitudinis ſancti euangeliſtæ Joannis nomine dicata, favore Auguſtali ſabbato manſionem ſuſcipiunt. Et dominica, quæ quinta decima dies Septembris erat, indictione tertia, ſingulos equos cum ſellis aureis devotione imperatoria capientes, obviatis omnibus ſcholis, videlicet ſpathariorum, candidatorum, ſtrategorum, mandatorum, ceterorumque palatinorum ordinum, cum omnibus clericorum planetatis ordinibus ad portam Auream veniunt. Ibi a Paulo librorum cuſtode, & Joſeph vaſorum cuſtode, ſimulque Baſilio ſacellario, eccleſiaſticis induti veſtibus ſalutati cum ſyncellis patriarchæ Conſtantinopoleos ſolenniter præceduntur, & ab omni populo cum cereis & lampadibus proſequuntur. Sicque ad Irenes palatium deſcendentes, in domum, quæ dicitur Magnaura, a Joanne a ſecretis, ſpathario que candidato, & Strategio ſpathario candidato, qui ſubminiſtrationis gratia deputati fuerant, laudabiliter ſuſcipiuntur, per quos imperialia mandata ſuſcipiunt devotiſſime procul dubio ſuggeſta, ne forte moleſte ducerent, quod imperiali natalitio imminente, in craſtinum ſuſcipi non valerent. Quo feliciter celebrato, miſit imperator in occurſum ipſorum omnes ordines palatinos.

*Honorifice ſuſcipiuntur Conſtantinopoli.*

Quibus præcedentibus ante imperatorem in chryſotriclinio ſibi continuo aſſurgentem ſalutabundi conveniunt, apoſtolicas epiſtolas imperatori offerunt: quas imperator per ſemet ſuſcipiens oſculatur. De ſtatu Romanæ eccleſiæ, & ſalute domni Hadriani ſummi pontificis, deque omni eccleſiaſticorum, ſenatoriorumque ordine ordinabiliter perſcrutatur, legatoſque amabiliter oſculatus, Ignatio patriarchæ juſſionem apoſtolicam perlaturos abſolvit. Qui ſequenti die ad imperatorem redeunt, a quo taliter alloquuntur: Sanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ per ambitionem pervicaciſſimi Photii diverſis ſchiſmaticorum fluctibus laceratæ ſancta omnium eccleſiarum [illegible] mater eccleſia Romana, ſanctiſſimi domni [illegible] ſalis papæ Nicolai (ſicut ex eis [illegible] auctoritate præſens pater noſter Ignatius, qui [illegible] fuerat a Photianis expulſus, ſedi propriæ [illegible], juvante domino, reſtitutus eſt, poteſt [illegible] intelligi) fida proviſione conſuluit.

*Conveniunt Baſilium imperatorem, qui epiſtolas papæ oſculatur.*

*Abſoluti, id eſt dimiſſi.*

*Oratio imperatoris ad legatos.*

Quapropter nos cum omnibus orientalibus pa-

A triarchis, metropolitanis, atque epiſcopis, cenſuram ſanctæ matris noſtræ Romanæ eccleſiæ per biennium præſtolantes, propter Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur, & tandem aliquando auctoritate veſtri ſacri collegii tam peſtiferæ Photianæ tergiverſationis ſcandala propellantur; quatenus unitas & tranquillitas optatæ diutius juxta decretum ſanctiſſimi papæ Nicolai reſtaurentur. Legati ſanctæ ſedis apoſtolicæ reſponderunt: Et nos ideo venimus; ideo miſſi ſumus: ſed neminem orientalium veſtrorum nunquam in noſtram ſynodum ſuſcipere poſſumus, niſi oblato libello, cujus formam de ſcrinio ſanctæ ſedis apoſtolicæ ſumpſimus, nobis fuerit ſatisfactum. Imperator & patriarcha dixe-

*Reſponſio legatorum.*

B runt: Quia novum hoc & inauditum de libello proferendo aſſeritis, neceſſe eſt ut tenoris illius formam videamus. Nec mora, libelli forma prolata eſt, & de Latino in Græcum converſa omnium notitiæ declaratur. Quorum quidam libellum proferentes in ſancta ſynodo reſederunt: proferre nolentes extra ſynodum inglorii relicti ſunt, ſed dictim fervore ſancti Spiritus temperati, præmiſſa libelli ſatisfactione ad unitatem ſacræ ſynodi reverſi ſunt. In hanc ſynodum Photius ille perverſor de multis criminibus perpetratis rationem redditurus adducitur. Omnes epiſtolæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ contra eum prolatæ leguntur. Et depoſitionis ac anathematis ſententia dudum apoſtolica ſede prolata, in eum ab omnibus iden-

*Hæc fuit VIII. ſynodus œcumenica.*

*Photius in ſynodum accitur & damnatur, libris ejus combuſtis.*

C tidem jaculatur, inque ipſius conſpectu nefandiſſimi conciliabuli profanata volumina, quibus contra ſanctiſſimum papam Nicolaum ſuſurra fauce latraverat, igne combuſta, veritatis, innocentiæque lampas emicuit. Qui laqueum, quem olim alteri paraverat glorificandus, nunc rationis virtute ad extremam taciturnitatis inertiam devolutus intravit; & apertum ſibi communionis oſtium, qui ſub ſatisfactione libelli ſuſcipiendus admonebatur, quaſi cæcus in meridie declinavit. Denique geſtis ſalubriter omnibus, quæ in decem ſeſſionibus ſynodi textus complectitur, legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ textum ſynodi, ne quid Græca levitas falſum in eam congeſſerit, Anaſtaſio ſanctæ ſedis apoſtolicæ bibliothecario

*Synodi decem habitæ ſeſſiones.*

*Acta ſynodi Anaſtaſio bibliothecario Græce perito examinanda dantur.*

D (qui tunc temporis pro cauſa Ludovici ſereniſſimi noſtri Auguſti cum Suppone archiminiſtro poſt eos Conſtantinopolim, divina ut creditur diſpenſatione, pervenerat) ſubtiliter inquirendum, antequam ſubſcribant, committunt. A quo, quia in utriſque linguis eloquentiſſimus exiſtebat, ſtudioſiſſime perſcrutatus, omne quod ad laudem ſereniſſimi noſtri Cæſaris ſanctiſſimus domnus Hadrianus pontifex in epiſtola ſui deceſſoris Arſenio epiſcopo imminente adjecerat, reſecatum inveniunt.

Quapropter epiſtolam ſedis apoſtolicæ, fraudulenter corroſam ſummis clamoribus conqueruntur, fatentes ſe nullo modo ſynodalibus actionibus ſubſcripturos, niſi totius epiſtolæ integri-

E tas geſtis ſynodicis jungeretur. Hoc modo Romanis certantibus, Græcis vero, non eſſe in ſynodo de laude imperatoris, ſed de ſolius Dei tractandum altiſone reſpondentibus, nomenque Imperialis noſtro Cæſari penitus invidentibus; tandem ad hoc uſque perventum eſt, ut interpoſita conditione voluntatis apoſtolicæ diffinitis ſententiis minus finite ſubſcriberent, ita legentes: Ego ille vices agens domini mei ſanctiſſimi & univerſalis Hadriani papæ in hac ſancta ſynodo præſidens uſque ad voluntatem ejuſdem eximii præſulis, ad omnia, ut ſuperius legitur, conſenſi, & manu propria ſubſcripſi.

His



His expletis quidam Græcorum imperatorem A conveniunt, & Conſtantinopolitanam eccleſiam per oblatos libellos in poteſtatem Romanam redactam flebiliter conqueruntur, & dubietate ſubſcriptionum, omnia quæ in ſynodo decreta fuerant, revolvenda, cunctaque recidivis erroribus confundenda fatentur: & niſi libellos reciperent, libertatem priſtinam ſe non poſſe recipere fingunt. Et illico quidam libellorum a cuſtodibus, quoniam excellentiorum epiſcoporum libellos legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ, futurorum præſcii, prorſus occuluerant, defraudantur. Ac per hoc incredibiliter conſternati ipſi legati, Supponis archiminiſtri, & Anaſtaſii diſertiſſimi ſanctæ ſedis apoſtolicæ bibliothecarii fideliſſimis auxiliis innituntur. Quibus diverſo modo non ſine magno labore periculis imminentibus, libellos quidem vix tandem recipiunt: ſed imperatoris iram pro nimia ſuæ diſtrictionis fidei vehementer incurrunt.

Igitur poſt diem tertium, quo ſacratiſſima ſynodus cum ſuis ſcriptionibus omnino in codice conſummata, retractaque eſt ad omnem elegantiam in eccleſia ſanctæ Sophiæ fuerat, ab imperatore in domo, quam cum vicariis patriarcharum, videlicet Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, ſimulque patriarcha Ignatio, qui cum aliquibus ibi reſidebat, callide convocati ſedere jubentur, & quod principes Bulgarorum eis literas, & dona per Petrum aliolque direxerint, audiunt.

*Bulgarorum legati audiuntur.*

Quorum legationem imperatore potiſſimum annuente ſuſcipiunt, ſicque poſt ſalutationem Petrus Bulgarorum legatus exorditur: Domnus Michael princeps Bulgaricus audiens quod pro utilitate ſanctæ Dei eccleſiæ ex diverſis partibus auctoritate ſedis apoſtolicæ conveneritis, gratanter accepit, vobiſque, qui ex ſede apoſtolica miſſi eſtis, quia in veſtro tranſitu veſtris eum literis viſitare dignati eſtis, multiplices gratias agit. Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Nos quia vos filios ſanctæ Romanæ eccleſiæ novimus, inſalutatos vos præterire neque debuimus, neque voluimus: quos nimirum ſancta ſedes apoſtolica ut propria membra complectitur.

*Bulgari filii Romanæ eccleſiæ.*

Bulgarorum legati dixerunt: Uſque hodie pagani fuimus, & nuper ad gratiam Chriſtianitatis acceſſimus: ideoque, ne in aliquo errare videamur, cui eccleſiæ ſubdi debeamus, a vobis, qui vices ſummorum patriarcharum geritis, noſſe deſideramus. Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Sanctæ Romanæ eccleſiæ, cui per te, o Petre, tuus † ſenior & beato apoſtolorum principi Petro cum omni gentis ſuæ populo ſe tradidit, a cujus ſucceſſore, videlicet egregio papa Nicolao, & præcepta vivendi, & epiſcopos ac presbyteros ſuſcipere meruit: vos & pertinuiſſe & pertinere debere etiam in eo monſtratis, quod poſtulatos noſtros ſacerdotes & ſuſcepiſtis, & hactenus veneratione congrua retinetis.

*† Senior, id eſt dominus rex.*

Bulgarorum legati dixerunt: A ſancta Romana eccleſia ſacerdotes nos petiiſſe, & ſuſcepiſſe, & hactenus habere nos confitemur, & eis in omnibus obedire decernimus, verum utrum Romanæ an Conſtantinopolitanæ eccleſiæ rationabilius ſubdi debeamus, cum his patriarcharum vicariis definite. Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Propter quæ nos ſancta ſedes apoſtolica cum orientalibus diffinienda mandaverat, domino juvante finivimus; de cauſa autem veſtra non ſecus quam diffinita eſt definienda,

*Bulgarorum legati quærunt utrum Romanæ an potius Conſtantinopolitanæ eccleſiæ debeant ſubeſſe.*

quia nihil in mandatis accepimus, nihil vel diffinimus, vel in præjudicium ſanctæ Romanæ eccleſiæ diffiniendum cenſemus. Quinimmo, quia omnis veſtra patria noſtris ſacerdotibus ubique plena eſt, nulli vos niſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ pertinere debere, diffinitiva ſententia, quantum ex nobis eſt, promulgamus.

*Legati papæ reſpondent, Romanæ ſubeſſe debere.*

Vicarii orientalium patriarcharum Bulgaris dixerunt: Quando vos illam patriam cepiſtis, cujus poteſtati ſubdita erat, & utrum Latinos, an Græcos ſacerdotes habuerit, dicite?

Legati Bulgarorum dixerunt: Nos illam patriam a Græcorum poteſtate armis evicimus, in qua non Latinos, ſed Græcos ſacerdotes repe-

B rimus.

Vicarii orientalium reſponderunt: Si Græcos ſacerdotes ibi repeiſtis, manifeſtum eſt, quia ex ordinatione Conſtantinopoleos illa patria fuit.

*Orientales volunt Conſtantinopolitanæ debere ſubeſſe ob linguam Græcam.*

Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: A Græcis ſacerdotibus argumentum ſumere non debetis: quia linguarum diverſitas eccleſiaſticum ordinem non confundit. Nam ſedes apoſtolica, cum ipſa Latina ſit, in multis tamen locis pro ratione patriæ Græcos ſacerdotes & ſemper & nunc uſque conſtituens, privilegii ſui detrimentum ſentire nec debet, nec debuit.

Vicarii orientalium patriarcharum dixerunt: Etiamſi Græcorum presbyterorum ordinationem veſtri juris fuiſſe doceatis; illam tamen patriam

C Græcorum regno pertinuiſſe nunquam negare poteritis.

*Romanus papa habet jus etiam Græcos ſacerdotes ordinandi & mittendi.*

Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Sicut Bulgariæ nobis diverſo modo pertinere ordinationem nos dicentes mendacium non loquimur, ita nimirum eamdem Bulgariam ex Græcorum regno fuiſſe nunquam negamus. Sed intueri vos decet, quia aliud ordinant jura ſedium, aliud patiuntur diviſiones regnorum. Nos de diviſione regnorum non agimus, ſed de jure ſedium loquimur.

*Non jure regnorum, ſed ſedium.*

Vicarii orientalium patriarcharum dixerunt: Illud quod vobis diverſo modo Bulgariam pertinere dicitis, addiſcere volumus. Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Sedes apoſto-

D lica, juxta quod decretalibus ſanctiſſimorum Romanorum præſulum doceri poteritis, utramque Epirum, novam videlicet, veteremque, totamque Theſſaliam, atque Dardaniam, in qua & Dardania civitas hodie demonſtratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonice ordinavit, & obtinuit. Ac per hoc ordinationem, quam tunc paganorum Bulgarorum irruptione amiſerat, non a Conſtantinopolitana eccleſia, ut modo fingitur, abſtulit, ſed ab his ſactis modo Chriſtianis recepit. Secundo modo, quia Bulgari, qui jure gentili ſibi patriam ſubjugantes, ecce per tot

*Epirus utraque jam olim papæ ſubjecta.*

*Tribus rationibus probant legati Bulgaros jure ſubdi Romanis.*

E annos retinent quod ceperunt, ſedis apoſtolicæ ſemet (ut ſuperius diximus) patrocinio ordinationique ſpecialiter committentes, nobis debent nec immerito ſubjici, quos ultronea voluntate magiſtros elegere. Tertio modo, quia eoſdem Bulgaros ſancta ſedes apoſtolica, juſſu quondam ſanctiſſimi papæ domini Nicolai, tam per aliquos noſtrum qui hic ſumus, illic multas eccleſias dedicantes, ſacerdotes creavimus, quam per Paulum, Dominicum, Leopardum, ac Formoſum venerabiles epiſcopos, ſed & Grimoaldum coepiſcopum noſtrum, quem hactenus iſti Bulgari cum multis noſtris ſacerdotibus in conſpectu noſtro habere ſe faſſi ſunt, a diverſis erroribus ad catholicæ fidei verita-

tem

tem multo ſudore, Chriſti gratia præduce, transferens, ecce ultra triennium tenuit, tenet, ordinat, ac diſponit. Ideoque conſequens non eſt, ut ſine conſcientia Romani ſummi pontificis eccleſia Romana, de quibus præſentialiter veſtita cernitur, ſpolietur.

*Romana eccleſia ſola jus habet judicandi de aliis, & nulla de ipſa.*

Vicarii orientalium patriarcharum dixerunt: At quem iſtorum modorum modo diſpenſare velitis, edicite. Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſponderunt: Sancta ſedes apoſtolica vos, quia revera inferiores eſtis, ſuper ſua cauſa judices nec elegit, nec per nos eligit, utpote quæ de omni eccleſia ſola ſpecialiter fas habeat judicandi: ſed neque nobis de hac cauſa ſententiam proferre commiſit. Quapropter quod ab ea faciendum non accepimus, ejus cognitionis judicio quæ librorum multiplicitate ad defenſionem ſui multa proferre prævalet, ex integro reſervamus; a qua omnis veſtra ſententia tanta facilitate deſpicitur, quanta levitate profertur.

*Orientales contendunt Bulgaros ſubjectos eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.*

Vicarii orientalium patriarcharum dixerunt: Satis indecens eſt, ut vos, qui Græcorum imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in regno noſtri principis ordinandi jura ſervetis. Quapropter Bulgarorum patriam, quam ex Græcorum poteſtate dudum fuiſſe, & Græcos ſacerdotes habuiſſe comperimus, ſanctæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, a qua per paganiſmum receſſerat, nunc per Chriſtianiſmum reſtitui judicamus.

*Reclamant legati papæ.*

Legati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reclamantes dixerunt: Sententiam quam non electi, neque admiſſi, ſive tumore, ſeu gratia, vel quidquid illud eſt, modo præcipitaſtis potius quam protuliſtis, auctoritate ſancti Spiritus uſque ad diffinitionem ſanctæ ſedis apoſtolicæ omnino reſcindimus, ita ut nullo modo vel nomen habere ſententiæ mereatur. Teque adjuramus, patriarcha Ignati, auctoritate ſanctorum apoſtolorum principum coram Deo, ſuiſque angelis, omnibuſque præſentibus conteſtamur, ut ſecundum hanc epiſtolam ſanctiſſimi reſtitutoris tui domni Hadriani ſummi pontificis, quam tibi ecce offerimus, induſtria tua ab omni Bulgaria ordinatione immunem te, nullum tuorum illuc mittendo, cuſtodias, ne ſancta ſedes apoſtolica, quæ tibi tua reſtituit, per te ſua perdere videatur, quin potius, ſi, quod non credimus, juſtam te habere querimoniam æſtimas, ſanctæ Romanæ eccleſiæ reſtitutrici tuæ ſolenniter ſuggerere non omittas.

*Ignatius patriarcha cedit legatis.*

Tunc patriarcha Ignatius apoſtolicam epiſtolam ſuſcipiens, licet magnopere admonitus eam legere diſtuliſſet, reſpondit: Abſit a me, ut ego his præſumptionibus contra decorem ſanctæ ſedis apoſtolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi ſubripi valeat, nec ita ſeniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo ipſe committam. Hoc fine collocutio illa finita eſt.

*Legati papæ dimiſſi non ſatis decenter.*

Sed imperialis commotio, licet ſpem fronte ſimularet, augmentum ſuſcepit. Legatos tamen ſanctæ Romanæ eccleſiæ ad prandium convocans bonis optimis decoravit, eoſque Theodoſio ſpathario, non ea qua congruebat ſolicitudine, [illegible] gratia commendavit, Acodyr[illegible] perducti, negligenterque ſine ulla proviſione dimiſſi. Poſt dies aliquot navigantes, in Sclavorum [illegible] ducti manus, proh dolor, inciderunt, [illegible] omnibus, ac authentico, in quo ſubſcriptiones omnium fuerant, exemplari denudati ſunt, ipſique capite

*A Sclavis male tractantur.*

plexi fuiſſent, niſi ab his, qui ex illis aufugerant, ſibi timuiſſent. Tandem apoſtolicis imperialibuſque litteris ab exilio liberati, & undecimo Kalendarum Januariarum die, indictione quarta, Romam reverſi, omnia quæ ſuperius diximus coram ſanctiſſimo ſummo pontifice ac proceribus retulerunt, nihilque aliud ſcripturarum, quam librum actionis Ignatii, & libellos quos a Sclavis receperant, & reliquos libellos quos Supponi archiminiſtro, & Anaſtaſio prudentiſſimo bibliothecario ſanctæ ſedis apoſtolicæ (* cujus præſcientiæ ſolicitudine exemplar amiſſæ ſynodi, quod ſibi ſcribendum impetraverat, eccleſia Romana ſuſcepit) dudum Conſtantinopoli commendaverant, oſtendere potuerunt.

** forte, præſcentis.*

Superiore tempore Formoſus Portuenſis & Paulus Populonienſis venerabiles epiſcopi, qui cum ceteris juſſu ſanctiſſimi papæ Nicolai cauſa prædicationis deſtinati fuerant, remeantes de Chriſtianitate Bulgarorum, ac omnimoda ſubjectione, qua ſpecialiter ſanctæ Romanæ eccleſiæ devotiſſima colla ſubmiſerant, ſedem apoſtolicam recrearunt, & Michaelis Bulgarici regis legatum, Petrum nomine, ſummo pontifici præſentarunt. Qui legatus cum donis regalibus regias quoque litteras obtulit, ſummum præſulem ſummopere deprecantes, ut aut Marinum ſibi bene compertum diaconum archiepiſcopum conſecratum remitteret, aut aliquem ex cardinalibus dumtaxat ſuæ eccleſiæ virum ſapientia, perſona, vitaque archiepiſcopatu digniſſimum Bulgaris eligendum dirigeret, quem poſt approbationem eorumdem, denuo remeantem archiepiſcopali miniſterio ſublimaret. Sed Marino Conſtantinopolitanum miſſaticum devotiſſime, ut diximus, ſortito, ſummus pontifex Silveſtrum quemdam Bulgaris eligendum direxit, quem cum Leopardo Anconitano, & Dominico Tarviſienſi epiſcopis, ſimul & litteras pro archiepiſcopo aut Formoſo Portuenſi epiſcopo remittendo importuniſſime deprecantes remittentibus Bulgaris magna ſub velocitate recepit. Quibus inter nonnulla reſcripſit, ut quemcumque nominatim devotio relegalis exprimeret, cum ſine dubio pontificalis proviſio Bulgaris archiepiſcopum commodaret. At vero Bulgarorum rex expectationum moras diutius ferre non valens, ad Græcorum imperatorem natorum Theodoræ occaſione alterna regna ſibi alternatim rapere machinabantur adductus eumdem Petrum, quem a Roma ſine deſiderii ſui effectu ſero receperat, cum aliis e latere ſuo Conſtantinopolim requiſitionis gratia, cui potiſſimum Bulgaria pertinere deberet, emiſit, ibique a legatis noſtris, quod juri Romano pertinerent, ſunt convicti, at poſtmodum per orientales Conſtantinopolitanoſque donis ac promiſſionibus perſuaſi Græcos ſacerdotes, juxta quod Grimoaldus epiſcopus, qui ab his ſe repulſum fatetur, ſuſcipientes noſtros ejiciunt, & per eumdem Grimoaldum epiſcopum, quia ſine conſcientia ſedis apoſtolicæ, commiſſum ſibi prædicationis officium deſerens, Romam ditiſſimus remeavit, magnum epiſtolæ volumen frivolis allegationibus tamquam ſub prætextu deliberatæ ſententiæ ſynodo præſidentium implicatum apoſtolicæ ſedi ſuper excuſatione ſua remiſit. In quo facto quia epiſcopus a Bulgaris expulſum epiſtola tacente ſe aſſerit, & presbyteri non ſe pulſos a Græcis, vel Bulgaris, ſed ab epiſcopo circumventos, profecto dubium, quin mutuæ ſubſit proditionis imago, donec Chriſtus

*Bulgaris Latini ſacerdotes pelluntur.*

*Locus mendoſus.*



ſtus renum ſcrutator & cordium, in ſuorum ſervorum examine hanc in lucem protulerit, non videtur.

*Videntur aliqua deeſſe ſub finem.*

## NOTA SEVERINI BINII.

*Hadrianus pontifex factus quando.*

a *Hadrianus.*) Cum ab obitu Nicolai papæ menſtruo ſpatio ſedes pontificia paſtore deſtituta fuiſſet, decimo nono Kalendas Januarias Hadrianus erga pauperes munificentiſſimus, dandiſque eleemoſynis miraculoſe illuſtratus, in thronum apoſtolicum, quantumvis reluctaretur, evectus fuit communi totius cleri ac populi conſenſu. Ludovicus imperator electionem Hadriani legatis imperialibus abſentibus factam, ea intentione, ne conſuetudo expectandi legatos imperatoris electioni apoſtolicæ præjudicium pareret, non tantum non improbavit, ſed legitime factam commendavit, & deinceps ita fieri & uſurpari per litteras demandavit.

*Photii ſcripta comburuntur.*

Poſtquam volumen Photii contra Nicolaum papam confictum accepiſſet, illudque viris doctis & peritis examinandum tradidiſſet, convocato concilio Romano, de quo infra, Photium ter anathemate perculit, ejuſque volumen igni adjudicavit. Ejuſdem auctoritate ad petitionem orthodoxorum orientalium indicta eſt octava ſynodus œcumenica, de qua, præter ea quæ in vita Hadriani ſupra recenſentur, plura dicemus infra in notis ejuſdem concilii.

Lotharius rex Galliæ Hadrianum per epiſtolam rogat, ut quod a Nicolao obtinere non poterat, ipſe benigne concedat: nimirum, ut pro ſui expurgatione ad urbem venire liceat. Sed cum aliquoties illud petenti papa denegaſſet, permiſit tandem: non ſine ingenti orientalium Romæ degentium offenſione, quaſi ex profeſſo acta ſancti Nicolai papæ prædeceſſoris ſui reſcinderet omnia, eo ipſo, quod quem ille urbis acceſſu indignum prohibuerat, hic admiſerit: quoſque ille cum Gunthario Colonienſi relegaverat, aliiſve pœnis addixerat, hic ab exilio revocaverit, & a pœnis abſolverit. Qua ratione autem ab hac ſuſpicione ſe liberaverit, refertur in vita Hadriani papæ ſupra.

*Actardus quis?*

Actardum Nannetenſis eccleſiæ epiſcopum litteris duarum ſynodorum Trecenſis & Sueſſionenſis commendatum a Northmannis ſua eccleſia ſpoliatum, & a Britannis eadem peſſumdata multa perpeſſum, virum pietate & doctrina inſignem, cum Romam veniſſet, digne excepit, eumque, ut haberet unde viveret providit, atque etiam pallio exornavit. Hæc ex epiſtolis Hadriani pro Actardo ad diverſos ſcriptis.

*Lothario defuncto regnum ejus Carolus invadit.*

Lothario rege defuncto, Carolus Calvus regnum, quod Ludovico fratri illius jure hereditario debebatur, per tyrannidem invaſit. Quod cum pontifex intellexiſſet, eas quas infra cuſas invenies epiſtolas ad Carolum regem ejuſque regni optimates & epiſcopos ſcriptas per legatos tranſmiſit: verum pontificis reprehenſionem a Carolo bene acceptam, neque infecta legatos dimiſſos fuiſſe, cum filium ejus, quem in vinculis detinebat, Carlomannum liberaſſent, teſtatur Aimoinus libro quinto capite vigeſimo ſeptimo.

*Ludovicus imperator coronatur rex Galliæ.*

Ludovicus imperator coronatur Romæ ab Hadriano rex Francorum, & ſucceſſor fratris germani in illo regno, cujus regem Carolum Calvum jam ante coronaverat Hincmarus Rhemenſis epiſcopus. Quæ res cum Baſilio in oriente innotuiſſet, ille ad eum legatum miſit cum litteris quibus increpabat uſurpantem nomen imperatoris, quod ille e litteris Hadriani papæ per legatos Conſtantinopolim allatis abradi juſſerat, quantumvis legati ſedis apoſtolicæ reclamarent. Quibus acceptis, Ludovicus ad eumdem Baſilium Autprandum legatum decrevit; cui ad eumdem imperatorem gravem & ſatis acrem apologeticam dedit epiſtolam, quæ extat apud Baronium anno 871. num. 51.

*Baſilius nomen Ludovici imperatoris eraſit.*

*Exemplum conſtantiæ fidei.*

Tempore Hadriani papæ eccleſia Anglicana dignum exemplum regis maximi, pii, fideique conſtantis exhibet: De quo Matthæus Weſtmonaſterienſis iſta ſcribit: *Erat rex Æthelredus in tentorio miſſam audiens, ubi cum ſæpe a ſuis invitaretur ad certamen, conſtanter affirmavit ſe non receſſurum priuſquam presbyter miſſam complevisset. Quæ fides Chriſtiani regis multum ſibi profuit die illa; victo ſcilicet adverſario hoſte potentiſſimo.* Hæc Matthæus.

*Hadriani obitus.*

Poſt hæc cum Hadrianus papa ſediſſet annos quatuor, menſes decem, & dies ſeptemdecim, mortuus eſt anno redemptoris noſtri octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, ipſis Kalendis Novembris: teſtatur illud Aimoinus hujus temporis ſcriptor * libro 5. cap. 29. in fine.

** errat.*

*Quis auctor vitæ Hadriani?*

Is enim qui poſt Anaſtaſium vitam Hadriani ſecundi & Stephani ſexti deſcripſit, collector potius, auctore Baronio, quam ſcriptor vitarum pontificum prætoritorum eſt aſſirmandus.

Onuphrius Panvinius in Platinam poſt Nicolaum I. hæc notat: *Ad hunc uſque Nicolaum Romanorum pontificum vitas ſcripſit Anaſtaſius monachus, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ bibliothecarius, ſub quo & ejus ſucceſſoribus Hadriano II. & Joanne VIII. in orbe floruit. Quæ ſequuntur concinnavit Guilielmus quidam alter bibliothecarius, quæ in libro, qui ſub Damaſi nomine circumfertur, extant.* Sed cum omnes Vaticanæ bibliothecæ codices Anaſtaſii hujus & quorumdam ſequentium pontificum vitas habeant, hanc ſententiam Onuphrii divinationem eſſe putat Baronius anno 58. num. 7.

## EPISTOLA I. HADRIANI PAPÆ II.

### AD BASILIUM.

Laudat imperatorem quod Ignatium reſtituerit. Nicolai pro Ignatio decreta pollicetur ſe obſervaturum. Theognoſtum exarchum commendat.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo filio & Chriſtianiſſimo imperatori Baſilio a Deo protecto ſemper Auguſto.*

QUoniam, tranquilliſſime imperator, audiſti vocem Dei, &c. *Extat infra actione 7. octavæ ſynodi verſionis Anaſtaſii.*

## II. AD IGNATIUM.

Miratur quod ſe de ejus reſtitutione certiorem non fecerit: pollicetur ſe obſervaturum quæ a Nicolao pro eo decreta ſunt. Theognoſtum exarchum, nec non Euthymium imperatoris legatum ei commendat.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei honorabiliſſimo fratri & conſacerdoti noſtro Ignatio ſanctiſſimo patriarchæ Conſtantinopolitano.*

COnvenerat ſanctitatem tuam, licet nos ad ſui adjutorium primum minime provocaverit, &c. *Extat actione 7. octavæ ſynodi verſionis Anaſtaſii.*

## EPISTOLA BASILII IMPERATORIS

### AD NICOLAUM PAPAM.

*Hæc epiſtola miſſa eſt Nicolao, ſed eo defuncto reddita eſt Hadriano.*

Brevi reperit quæ alias ſcripſit de calamitatibus, quibus Conſtantinopolitanam eccleſiam imperii ſui initio vexatam reperit: nuntiatque Photio expulſo Ignatium fuiſſe reſtitutum. Petit per legatos, ut ſtatuat, quid agendum cum his qui a Photio fuerunt ordinati, vel cum eo communicaverant. Poſtulat, ut quid ipſe pontifex ſtatuerit, per ejus legatos ſibi ſignificet.

*In nomine Patris, & Filii, & ſancti Spiritus unius, & ſolius, & veri Dei, Baſilius fidelis imperator Romanorum, Nicolao ſanctiſſimo papa Romano, & ſpirituali quoque patri noſtro.*

QUaliter ſe habeat mentis noſtræ voluntas ſuper eccleſiaſticis negotiis noſtris, &c. *Extat infra actione 3. verſionis Anaſtaſii, & Græcolatina nova translationis in eadem ſynodo, actione 3.*

III. AD

## III. AD BASILIUM IMPERATOREM.

Significat legatos ad Nicolaum miſſos ſe recepiſſe. Imperatorem de Ignatii reſtitutione laudat. Clericorum cauſas qui Photio adhæſerant, vult in ſynodo Conſtantinopoli juſſu ſuo celebranda agi: in qua etiam jubet Photii conciliabuli exemplaria comburi, & Romanæ ſynodi capitula a ſingulis epiſcopis ſubſcribi: poſtremo ſuos & Ignatii legatos commendat.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Deo amabili ac piiſſimo imperatori Baſilio Auguſto Chriſtianiſſimo & deſiderabiliſſimo filio.*

LEgationis excellentiæ tuæ præſtantiſſimos gerulos ad anteceſſorem meum, *&c. Extat infra prima actione octavæ ſynodi Latinæ verſionis Anaſtaſii, item Græcolatinæ eadem actione octavæ ſynodi, ſed alterius tranſlationis.*

## EPISTOLA IGNATII AD NICOLAUM PAPAM.

Ita epiſtola miſſa fuit Nicolao, ſed eam, eo defuncto, recepit Hadrianus.

Gratias agit pontifici, quod Photium, cujus facinora narrat, damnaverit, ſeque ſuæ ſedi reſtituendum decreverit, quod ab imperatore executioni mandatum nuntiat: conſulitque per legatos pontificem, quid de iis agendum, qui aut a Photio promoti, aut a ſe ordinati, Photium ſecuti ſunt: præcipue vero commendat archiepiſcopum Cæſareæ, qui reſipiſcens a Photii errore, a quo fuerat ordinatus, multa pro fidei veritate paſſus eſt. demum petit, ut his de rebus legatos Conſtantinopolim mittat.

*Deo honorabili dilecto fratri & comminiſtro Nicolao ſanctiſſimo papæ ſenioris Romæ, Ignatius miſericordia Dei archiepiſcopus Conſtantinopolitanus.*

EOrum vulnerum atque liverum qui in membris hominis conſiſtunt, *&c. Extat actione 3. VIII. ſynodi.*

## IV. AD IGNATIUM PATRIARCHAM.

Narrat prædeceſſoris Nicolai diligentiam, quam in ejus reſtitutione adhibuit, ſuamque parem voluntatem teſtatur. Gratulatur de ejus reſtitutione, qua de cauſa imperatorem commendat. Oſtendit eos qui a Photio ordinati ſunt ab omni ordine eſſe depoſitos: eos autem qui ab Ignatio promoti Photio communicaverant, ſi libellum quem legati deferunt ſubſcripſerint, recipiendos decernit. Præcipit ut Romanæ ſynodi capitula in concilio epiſcopi ſubſcribant: demum Joannem metropolitam commendat.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri & comminiſtro noſtro Ignatio patriarchæ Conſtantinopolitano.*

N[illegible] pandere, nec profecto lingua humana [illegible] *&c. Extat infra actione 3. octavæ ſynodi* [illegible] *Anaſtaſii, & eadem actione Græcolatinæ, ſed* [illegible] *tranſlationis.*

A

## EPISTOLA SYNODICA EX CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO AD HADRIANUM II.

Nuntiat diligentia legatorum omnia recte eſſe peracta. Imperatorem laudibus effert, & a pontifice confirmationem petit.

*Domino ſanctiſſimo & coangelico ſummo ſacerdoti & univerſali papæ Hadriano, ſancta & univerſalis ſynodus Conſtantinopoli congregata, in domino ſalutem.*

OPportunum eſt cum ſapientiſſimo Salomone nunc & nos clamare: *&c. Extat in fine octavæ ſynodi verſionis Anaſtaſii.*

B

## V. AD BASILIUM IMPERATOREM.

Laudat ejus religionem. Conqueritur apocriſiarios ſuos nudos ac deprædatos rediiſſe. Ægre fert Ignatium Bulgaris antiſtitem conſecraſſe. De tribus capitulis quæ in ſynodo octava manſerant indefinita, quæque Ignatius & Baſilius imperator per litteras ad pontificem ſcriptas ab eo definiri petiverant, reſpondet nihil ab eo diverſum, quod jam conſtitutum erat, denuo ſe poſſe decernere. Eugnomenum & Theognoſtum de multa ſedulitate commendat.

C *Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimis ac ſpiritalibus filiis Baſilio, Conſtantino, & Leoni piiſſimis & tranquilliſſimis imperatoribus.*

LEctis excellentis imperii veſtri litteris, *&c. Extat in fine octavæ ſynodi, ex verſione Anaſtaſii.*

## VI. AD SYNODUM TRICASSINAM.

Probat illorum in colligendis geſtis diligentiam, & pallium concedit Vulfado. Hortatur ut Nicolai nomen ſcribant in diptychis, caveantque ne quidquam contra ejus acta vel decreta D tentetur,

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei ſanctæ & in Chriſto diligendæ ſynodo apud Trecas collectæ.*

LEgationis veſtræ ſcripta, beatæ memoriæ deceſſori meo papæ Nicolao miſſa, nos jam in ſede illius divina dignatione locati ſuſcepimus, promptiſſimamque obedientiam veſtram, quam in colligendis geſtis, ſecundum definitionem prænominati ſanctiſſimi præſulis exhibuiſtis, laudavimus. Et licet ad ſeriem rerum geſtarum luce clarius agnoſcendam non ſufficiant, quæ tam de Ebbonis dejectione, quam de his quæ E poſtmodum acta ſunt unanimitas veſtra deſcripſit, & nonnulla rationi veſtræ deſint eorum quæ ſuper his geſta ſunt, quæque jam memoratus & ſemper memorandus pontifex apoſtolicæ ſedi voluit ex integro reſerari: pium tamen laborem veſtræ ſanctitatis & ſtudium non ſolum laudabile, ſed & longe lateque prædicabile judicamus. Innocentia quippe jam nunc fratris & coepiſcopi noſtri Vulfadi & collegarum ejus, quam quidam emergens caſus per non brevis temporis intercapedinem obumbraverat, retractatione & refricatione veſtræ ſacratæ & apoſtolicæ ſedis auctoritate frequenter adunatæ ſolertiæ, ecce, Deo gratias, venit ad lucem, & juſtitiæ ſuæ radios



radios ad omnium omnino certitudinem foras quaſi ſolis ſplendor extendit. Ideoque nos veſtrum judicium, ac veſtram ſententiam, quam apoſtolicæ ſedis cenſura, ſicut exegit ordo, præceſſit, approbamus, admittimus & corroboramus: atque poſtulationi veſtræ, cui quidquam negari difficillimum eſt, annuentes, ad pleniorem confirmationem, uſum pallii jam dicto fratri noſtro Vulfado Bituricenſi antiſtiti, ſecundum priorem conſuetudinem, ad genium & decus eccleſiæ ſibi commiſſæ, & inſtructionem ipſius concedimus. Quod etiam ſæpe memoratus deceſſor noſter jamdudum libenter annueret, ſi quæ nunc miſiſtis ipſe reciperet, vel ſi is qui hoc ſuſcipere conabatur, a Bituricenſi miſſus probaretur eccleſia. Sed quod ille non egit, ecce nos egimus. Quin potius, quod ille perficere deliberaverat, nos ecce Deo auctore ſupplevimus. Non quippe eſt diverſitas operis, ubi eſt una eademque concordia voluntatis: præſertim cum debeamus ei in labore ſuccedere, cui ſucceſſimus in honore. Nimirum qui ſumus, ut pſalmiſta canit, *Pro patribus nati filii*, & conſtituti, quamvis longe meritis impares, ſuper omnem univerſalis ſanctæ eccleſiæ terram. (Pſal. 44.) Precamur autem, & obſecramus in domino, ut ſicuti nos unanimis fraternitatis veſtræ precibus annuimus, & aſſenſum de cetero non ſolum in hoc, ſed & in omnibus præbere diſponimus; ita quoque vos meis nunc votis ſatisfacere procurantes, crebro dictum apoſtolicæ recordationis papam Nicolaum in codicibus vel diptychis eccleſiarum veſtrarum ſcribi, & nomen ejus inter ſacra miſſarum ſolennia impretermiſſe recitari faciatis: ita ut aliis quoque fratribus, & diœceſeon veſtrarum ſacerdotibus, idipſum agere præcipiatis. Nihilo minus vero ſuadere veſtræ dilectioni curamus, & admonemus, ut tam Græcis principibus, quam omnibus omnino clericali fungentibus ordine, contra perſonam ejus, vel acta ſeu decreta ipſius, agere vel decernere quidquam tentantibus, tam verbo, quam ſcripto viriliter obvietis, ac validiſſime reſiſtatis. Scientes præterea, quia quæcumque hic adverſus ejus perſonam, vel decreta geruntur, me his nunquam præbiturum fore conſenſum: nec eis a quibuſcumque, vel quomodocumque fiant, meum intereſſe mentis, vel definitionis, aut diſpoſitionis affectum. Quamquam ſi quilibet apoſtolicæ ſedis miſericordiam humiliter poſtulaverint, circa hos præmiſſa ſatisfactione mitius agere nullo modo velimus inflexibiles apparere. Tantum ne hujuſmodi homines ſic innocentiam ſuam aſſerere ſtudeant, ut in accuſationem tanti pontificis, maximeque in Dei judicio collocati, quoquo modo prorumpere audeant: præcipue cum illum, dum advixit, nemo impetere præſumpſerit, vel eum de injuſto judicio arguere, vel tenuiter auſus extiterit; niſi forte hunc quis humiliter adiit, cui ille ſatisfactione nondum curata jure remittere non conſenſit. Eſtote igitur circa hæc vigiles, eſtote fortes, & iſta omnibus ultra Alpes conſtitutis epiſcopis nuntiantes, ut & ipſi quoque ſuper his ſoliciti & intenti propugnatores ſint, ſalutaribus monitis incitate. (Ivo parte 5. cap. 34.) Quoniam ſi ſedis apoſtolicæ præſul, vel ipſius decreta, deteſtationi vel abdicationi habentur, nullius veſtrum vel nomen vel inſtitutum firmum aut ſtabile permanere valebit. Quin potius & dogmatibus, quæ de ſancta & individua Trinitate a præſulibus ſedis apoſtolicæ promulgantur, non-

A nulla poſſunt fieri detrimenta, ſi præcedentium quorumque & maxime primæ ſedis pontificum ſtatuta vel ulli, quod dici nefas eſt, quin & ipſo auditu prorſus horrendum, a ſubſequentibus quibuſque, immo & inferioribus, abolitioni cuidam vel damnationi ſubjiciantur, vel impiæ temeritatis auſu ſaltem ſoli derogationi prodantur. Sanctam fraternitatem veſtram optamus nunc & ſemper in Chriſto bene valere. Data IV. Nonas Februarii, indictione prima.

## VII. AD EPISCOPOS SYNODI SUESSIONENSIS.

Actardum epiſcopum, pro quo ſcripſerant, eccleſiæ quæ vacabit, etiam metropolitanæ B incardinari jubet, eique ad afflictionum ſolatium pallii uſum concedit.

*Reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus & coepiſcopis noſtris, qui præterito anno apud Sueſſionicam urbem convenerunt.*

INter cetera quæ apoſtolicæ ſedis auctoritate in idipſum convenientes, de fratre jam & coepiſcopo noſtro Vulfado, & collegis ipſius præterito anno ſynodice definiſtis, etiam apoſtolicæ ſedi cauſam venerabilis fratris noſtri Actardi, Namneticæ quondam urbis epiſcopi, ſeu tribulationes expoſuiſtis: ſimul etiam hunc miC rifice commendantes, quo illi a tanta ſede ſubveniretur, unanimiter ac magnopere poſtulaſtis. Quorum relationem, ſive ſuggeſtionem, tanto gratanter tantoque libenter nos, jam Deo auctore illius ſedis licet immerito moderamine potiti, ſuſcepimus; quanto hanc ex fraternæ dilectionis affectu prodiiſſe luce clarius intelleximus. Præcipue cum ei vobiſcum præceſſorum meorum, Leonis ſcilicet & Nicolai ſanctiſſimorum præſulum, recenſita ſcripta non parvipendendum perhibeant teſtimonium. Igitur illi omnium qui in concilio Tricaſſino inventi ſunt legatione fungenti, & inſtantius pro hoc ſatagenti, pallium fratri & coepiſcopo noſtro Vulfado ſanctæ Bituricenſis eccleſiæ, ſicuti jam per alia ſcripta D ſignificavimus, deferendum commiſimus. Sed quia idem reverendus antiſtites, ut veſtra relatio manifeſtat, a propria eccleſia diutino jam tempore paganorum perſecutione propulſus, hac illacque peregre proficiſcitur, huc atque illuc multis jam feſſus ærumnis vagabundus incedens, valde dolemus, & ei fraterna vincti caritate compatimur: maxime cum apoſtolice dictum ſit: *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* (1. Joan. 3.) Illud ſane præcipue flentes, quod tantæ ſcientiæ tantæque morum probitatis viro ſub hujuſcemodi prætextu vagante, maximum diſpendium dominicis ovibus generetur: dum ſcilicet utilitas, quæ per E hunc eccleſiæ Chriſti provenire poterat, tantis jam temporibus excludatur. Qua de re ſecuti prædeceſſorum patrum inſtituta, & apoſtolicæ ſedis exempla pontificum, præcipueque beati papæ Gregorii, qui circa hujuſmodi, quæ nos nunc erga præfatum antiſtitem Deo favente ſtatuimus, ſæpe ſtatuiſſe dignoſcitur, decernimus hunc ſanctiſſimum crebro jam dictum fratrem noſtrum & coepiſcopum Actardum eccleſiæ, quæ forte ſuo fuerit viduata rectore, penitus incardinari: quatenus in ea conſtitutus & officia epiſcopalia, quæ per impoſitionem manus accepit, exerceat, & paſtorale miniſterium ſolenniter agens, oves domi-

dominicas ſapientiæ ſibi divinitus attributæ ſale condiat, & de hac lucrum conditori ſuo ſine quolibet impedimento reportet. Si tamen ejus eccleſia, ut ipſius, & metropolitani proprii, ac litterarum veſtrarum circumſtantia innuit, funditus diruta, & per nonnulla curricula jam in ſolitudinem redacta eſſe dignoſcitur, paganis videlicet non ſolum tranſitum, ſed etiam ſtationem ibidem facientibus, ac per hoc depopulatis undique locis habitatore carentibus, ſublatis etiam a Britonibus ſibi quæ remanſerunt rebus, nec ei minorem quam ſua fuerat dari volumus: cum licet hoc minime poſtulet, ne videlicet alicujus ambitionis fama notetur, etiamſi ſe metropolis fortaſſis obtulerit, conveniat conſequi potiorem. Nimirum qui inter cetera virtutum ſuarum inſignia barbarorum rabiem ſæpe perpeſſus, Chriſtumque confeſſus, jam nunc Deo jure dicere debeat: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*. Pro cujus rei obtinendo prorſus effectu, dilecto filio noſtro Carolo glorioſo regi preces direximus, & ecce veſtram unanimem caritatem, quo pietatis hujus operis favorem & ſtudium curetis indeficiens præſtare, præſentibus hortamur affatibus. Et ut noſtram vultis erga vos in opportunitatibus eſſe benevolentiam, ita veſtra erga hunc fratrem, cui manum porrigimus, vobis quoque manum porrigentibus, donec quod decrevimus effectum capiat, promptiſſima pateſcat induſtria. Siquidem & nos, illius, multiplici miſeriæ, & diutinæ peregrinationi, atque continuo mœrori compatientes, decus illi pallii ſolo miſerationis affectu contulimus. Quod non aliter illi, nec cuilibet abſque metropolitis concederemus, niſi multoties hunc exilia, mare, vincula paſſum, etiam ad capitalem ſententiam frequenter tractum fuiſſe comperiſſemus: & niſi hoc ipſe ſuis tantis ac talibus detrimentis, quin potius meritis, pro celerrimæ conſolationis ſolatio meruiſſet, ut ſcilicet habeat pro exilio & catena pallii ornamenta, non ad eccleſiæ, cui incardinandus eſt, perpetuum inſtitutum, ſed ad ſuum ſpecialem certique temporis uſum. Siquidem indignum ducimus, quemquam ad apoſtolicam ſedem, ubi ſemper catholicis ſubvenitur, accedere tribulatum, & non ex quavis parte conſolatum recedere. Debet enim noſtra compatiendi abundantia aliorum ſuppleri inopia, quo valeat eſſe mœrens cum mærentibus, & cum gaudentibus gaudens, & conſolatus jam queat Deo auctore conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

Pſal. 93.

## VIII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Reſpondet litteris quas ad Nicolaum de Ebbone ſcripſerat. pallium Vulfado concedit. petit ut Actardo faveat ad vacantem eccleſiam adipiſcendam.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Carolo glorioſo regi.*

ACTARDUS venerabilis quondam Namnetice [illegible] ad apoſtolica perveniens limina, [illegible]tudinis epiſtolam detulit, quam quidem vos ſanctæ memoriæ deceſſori meo papæ Nicolao deſtinaſtis: ſed nos [a] jam vice illius in apoſtolica ſede [illegible]natione ac miſera- A tione divinæ magnitudinis ordinati ſuſcepimus. Unde quæ ab illo flagitata ſunt, nos pro viribus, indigni licet heredes, ſupplere, & opitulante Chriſto forte tamquam non ingrati filii paternum debitum perſolvere maturavimus. Quamdiu enim merita beati Petri apoſtoli Deo, cui omnia vivunt, non moriuntur, nequaquam fidei ſuæ vel ſolicitudinis heredes deficient: nec deerunt prorſus qui regulam, quam circa Deum ferventiſſimæ caritatis oſtendit, pro quantitate virium, proque capacitate divinitus collati doni ſequantur. Ipſe namque quidquid ab indignis miniſtris negligenter agitur, ſupplet: ipſe locum, quem olim delibatione proprii corporis domino conſecravit, quiſcumque vel qualiſ- B cumque vicarius extet, ſuæ tamen claritatis lumine hodieque indeficienter illuſtrat. Cui etſi deſunt merita ſucceſſoris, ſed adſunt beneficia deceſſoris, ac primi ſedis ejuſdem ſeſſoris. Itaque de Ebbonis quondam Rhemenſis archiepiſcopi qualiſcumque reſtitutionis negotio benignitatis veſtræ litteris ſatis edocti, obedientiam & ſtudium, quod hinc juxta definitionem apoſtolicæ ſedis exhibuiſtis, approbavimus, & auctori, a quo cuncta bona procedunt, immenſas gratiarum actiones perſolvimus. Verum illa ſi eſſent, apoſtolica ſedes de Ebbone ad liquidum invenire ſatagebat, quæ reſtituendis a fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro olim dejectis clericis poſſent aliquid generare diſcriminis. At C vero cum nec idem Ebbo erroris alicujus defenſioni, quo hæreticus quis efficitur, dederit operam, nec jam memorati clerici aliud in hoc niſi humilitatem & obedientiam exhibuerint, illa quæ de Ebbone dici poſſunt, quia, ut opinamur, nihil ad utilitatem proficiunt, jamjamque ſilentio cotegantur: maxime cum & ipſe, & omnes epiſcopi, præter Rothadum, qui cauſæ illius notitiam habuere, deceſſerint, & præ longitudine temporis ad liquidum indubie, quæ tunc acta ſuper hoc ſunt negotio, ſciri non poſſint, atque de his qui ad dominum migraverunt nobis facile judicare non liceat. Cum enim in manu judicii Dei conſiſtant, ſi humanis diffinitionibus quidquam de his tribuatur, non D ſolum præſumptionis, ſed & damnationis eſt prorſus indicium. Ille quippe Ebbo ſuo jam domino aut ſtat, aut cecidit: quod ſi ſtat, quis hunc conetur dejicere? ſi vero cecidit, quis nitatur erigere? niſi forte is, qui ſua divino judicio præponere impia temeritate deliberat. Relinquatur ergo hujuſmodi Dei cunctarum intentionum ſcrutatoris judicio: nimirum qui, ſecundum apoſtolum, conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorum, quique juxta fidei noſtræ ſtabile fundamentum judicaturus eſt vivos & mortuos. Præterea non modicas gratias veſtræ benignitati referimus, quoniam [b] prælatis reſtituendis clericis, quibus apoſtolicam ſedem manum porrigere ſenſit, ipſa quoque E ad laudem Dei, & reverentiam principum apoſtolorum, nec non & honorem ſedis ipſorum, manum porrigere alacri ſtudio procuravit. Quamobrem poſtulantibus jam vobis, ut primus eorum, Vulfadus ſcilicet frater & coepiſcopus noſter, pallii uſu more deceſſorum ſuorum noſtræ auctoritatis largitione decorari potuiſſet, merito condeſcenſionis aures accommodavimus. Et quoniam in reſtituendis his cum ſedis apoſtolicæ ſtudiis concordaſtis & concertaſtis ad percipiendum quoque quod deerat, veſtram flocci pendere dilectionem ſatis inconveniens duximus. Innumeras nihilo minus pietati

Act. 10.

a) Forte, eam. H.

b) Forte præfatis. H.



tati veſtræ gratias rependimus, quoniam tanta compaſſionis viſcera circa prædictum fratrem noſtrum coepiſcopum Actardum, ſicut ex relatione ipſius, & ex epiſtolæ veſtræ pio affectu datur intelligi, exhibere contendit, ut dolorum & ærumnarum ipſius maximam partem vos geſtare luce clarius innoteſcat. Verum nos votis excellentiæ veſtræ conſonantes, non ducimus tantum virum, & eccleſiæ Chriſti perneceſſarium, debere tantis involvi miſeriis, vel tantis gravari, cum ſit etiam ætatis maturitate maceratus, incommodis, præſertim cum & ſcientia non contemnenda polleat, & hunc veſtri regni eccleſiarum præſulum relatio non parvipendenda commendet. Qua de re, ſi ejus eccleſia, ut ipſius, & metropolitani proprii, B ac multorum antiſtitum, nec non & literarum veſtrarum circumſtantia innuit, funditus diruta, & per nonnulla curricula jam in ſolitudinem redacta eſſe dignoſcitur; paganis videlicet non ſolum tranſitum, ſed etiam ſtationem ibidem facientibus, ac per hoc depopulatis undique locis habitatore carentibus, ſublatis etiam a Britonibus, ſi quæ remanſerant, rebus, aliam ei vacantem dumtaxat concedendam decrevimus. Cujus decreti neceſſario inſtituto libenter æquum more ſolito præbete pro Chriſti dilectione favorem. Nec ei minorem, quam ſua fuerat, dari volumus, cum licet hoc ipſe minime poſtulet, ne videlicet alicujus ambitionis fama notetur, conveniat conſequi potiorem. Nimirum qui inter cetera virtutum ſuarum inſignia barbarorum rabiem ſæpe perpeſſus, Chriſtum confiteri, non ſolum coram hominibus, verum etiam coram paganis & infidelibus non erubuit. Ei ergo, cujuſcumque ſint numeri, merito poſſunt oves Chriſti committi, qui ipſum Chriſtum etiam inter gladios & vincula diverſaque pericula prædicare non renuit. Unde & nos illius multiplici miſeriæ, & diutinæ peregrinationi, atque continuo mœrori compatientes, decus illi pallii ſolo miſerationis affectu contulimus: quod non aliter illi, nec cuilibet abſque metropolitis concederemus, niſi multoties hunc exilia, mare, vincula paſſum, etiam ad capitalem ſententiam frequenter tractum fuiſſe comperiſſemus: & niſi hoc ipſe ſuis tantis ac talibus detrimentis, quin potius meritis, pro celerrimæ conſolationis ſolatio meruiſſet: ut ſcilicet habeat pro exilio & catena pallii ornamenta, non ad eccleſiæ cui incardinandus eſt perpetuum inſtitutum, ſed ad ſuum ſpecialem certique temporis uſum. Potiatur igitur tanti decoris ornatu, qui inter ſacerdotum infulas præcipuum tenere locum dignoſcitur, quatenus etiam per hoc inſigne veſtra excellens admoneatur induſtria, & hujus ſacrati muneris reverentia pium cor veſtrum ſolicitius ac ſalubrius urgeatur, quo tantus vir veſtro quoque favore vacantis, etiamſi ſe metropolis obtulerit, eccleſiæ moderamina conſequatur: ad excludenda videlicet cuncta contra ſe injecta obſtacula, & peragenda divinitus ſibi collata epiſcopalia miniſteria. Siquidem indignum ducimus quemquam ad apoſtolicam ſedem, ubi ſemper catholicis ſubvenitur, tribulatum accedere, & non conſolatum recedere: præſertim cum quemdam Romanorum principum, etiam a fide Chriſti extraneum, non debere quempiam ab imperatore triſtem diſcedere perhibuiſſe quædam fateantur hiſtoriæ. Debet enim noſtra compatiendi abundantia aliorum ſuppleri inopia: quo valeat eſſe A mœrens cum mœrentibus, & cum gaudentibus gaudens, & non in ſcabellum pedum in perſonarum acceptione cernuus, ſed conſolatus queat jam Deo auctore conſolari eos qui in omni preſſura ſunt, per Jeſum Chriſtum dominum noſtrum. Oramus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto bene valere dilectiſſime fili. Data VII. kalendas Martias, indictione prima. An. Ch. 869.

## IX. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Laudat Hincmarum, eumque hortatur ut Carolum regem ad conſtantiam excitet in cauſa Lotharii, & ut Actardo vacans eccleſia tribuatur.

B *Reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.*

LIcet frequens ſanctitatis tuæ fama, quæ nunquam niſi cum laude ſemper exiſtit, te nobis dudum fecerit manifeſtum; tamen ut virtutum probabiliumque morum tuorum prædicamenta liquidius agnoſceremus, fratrum noſtrorum, videlicet Arſenii venerabilis apocriſiarii ſedis noſtræ, quin & Actardi, ſanctiſſimorum præſulum, nec non & dilectiſſimi filii mei, ſanctæ ſedis apoſtolicæ bibliothecarii, fecit Anaſtaſii multis præconiis plena delectabiliſque relatio. Qua de re ſic animam meam tuæ dilectionis ardorem con- C cepiſſe cognoſce, tamquam ſi millies mutuis frueremur alloquiis. Habeto ergo noſtræ repromiſſionis pignus, & in nobis, ut in noſtris anteceſſoribus, fiducia tota prorſus innitere. Præterea ſanctitas tua bene novit, quanta ſedes habuerit apoſtolica in cauſa Lotharii regis certamina, & per præſules ſuos, Benedictum ſcilicet & Nicolaum, quot hinc labores aſſumpſerit. Unde & nos, habentes eumdem ſpiritum, quem & iidem patres noſtri habuiſſe probati ſunt, eadem hinc quæ illi ſequimur & decernimus. Quamobrem tuæ fraternitatis induſtriam ſpecialiter admonemus, uti quod ſuper hoc olim negotio geſſiſti ſtudium nullatenus enervari conſentias: ſed vice noſtra fretus, coram regibus & præſidibus de teſti- D moniis domini loqui non ceſſes: ita ut quod auctore Deo deſtructum eſt, nullis doloſe machinantium reædificari valeat argumentis. In quo videlicet pietatis opere, quia de regibus idem dilectus filius noſter Carolus, de ſacerdotibus vero tu potiſſimum ſedi apoſtolicæ ſedule laboranti concurriſtis & concertaſtis, tuam proprie cohortamur inſignem ſolertiam, quo & ipſa pravis viriliter obviet, & prædictum piiſſimum regem, uti conſummet bonum quod inchoaverat, indeſinenter commoneat: quatenus & variarum virtutum veſtrarum tunica uſque ad talos pertingat, & ſacrificium boni veſtri operis Deo cum cauda oblatum holocauſtum effici mereatur: nec non & illud de vobis dicatur, quod de Job ſan- E cto, dum a divinis non ceſſaret obſequiis, ſcriptis aſſeritur: videlicet ubi non legitur, Quia ſic fecit Job per aliquot dies; ſed, *Sic faciebat Job cunctis diebus*. Nam & ſancta animalia non poſt ſe, ſed ante ſe gradi viſa ſunt, cum incederent. Porro Actardum venerabilem epiſcopum fraternæ caritatis ulnis amplectere, & in opportunitatibus pro beatorum principum apoſtolorum amore ſemper auxiliari memento. Verum non hæc ideo dicimus, quaſi te ille ſibi compaſſum & miſertum fuiſſe non prædicet: ſed ut quod nunc uſque proxime feciſti caritatis intuitu, nunc etiam primorum perficias apoſtolorum, ad quorum limina feſti-

Job 1.

Ezech. 1.

feſtinavit, ac præſidium poſtulavit, dilectionis affectu. Inſta igitur opportune, importune, & quia propria caret, apud dilectiſſimum jam factum filium noſtrum excellentiſſimum regem Carolum noſtra vice impetrare ſtudeto, uti ſuo quoque favore vacans ei epiſcopalis, etiamſi ſe metropolis obtulerit, eccleſia tribuatur. Fortis enim domini bos ipſo auctore conſiſtit, & ideo plurimæ ſegetes ei ad trituram procul dubio committi debent. Nam ſcriptum eſt: *Ubi plurima ſegetes, ibi manifeſta fortitudo boum.* Optamus fraternitatem tuam nunc & ſemper in Chriſto bene valere. Data VIII. Idus Martii, indictione prima.

Proverb. 14.
An.Chr. 868.

## X. AD HERARDUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

Ut Actardo epiſcopo concedat monaſterium quod in ejus diœceſi olim tenuit. Sibi curæ futurum, ut Britonibus contra ipſius eccleſiæ privilegia nihil concedat.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Herardo archiepiſcopo Turonenſi.*

MIſerias & diras calamitates Actardi communis fratris & coepiſcopi non eſt exponendi tuæ reverentiæ ulla neceſſitas. Quippe cum ipſa, utpote in his ſocia, & pæne ſemper contigua, earum liquidius nobis experientiam habeat: ut ſicuti de ſanctimonia ſua credendum eſt, immo ut ipſo antiſtite referente comperimus, ejus continuis ærumnis non modice compaſſa ſit & miſerta. Verum quia noſtris ſæpe & apud dilectionem tuam litteris adjuvari, & apoſtolorum principum, quorum præſidia tanto labore tantoque ſtudio requiſivit, amoris intuitu ſibi quamdam proprie voluit conſolationem conferri; caritatem tuam his hortamur & deprecamur apicibus, ut inter alia beneficiorum tuorum ſibi collatorum inſignia, monaſterium illud, quod olim in diœceſi ſua tenuiſſe dignoſcitur, tua nunc conſequatur ob amorem jam memoratorum apoſtolorum largiente benevolentia: quatenus qui ſuis valde deſtitutus eſſe comperitur, hinc ſaltem alienis ſuſtentationibus adipiſci queat ſuæ vitæ ſubſidium. Quod te negaturum profecto non credimus, ſi quam ſit a fratre frater adjuvandus intenta mente conſideres; ſi quam ſit indignum, ut quod a benignitate tua intuitu tantorum apoſtolorum dilectionis depoſcitur, petitor minime conſequatur, ſolerti, ſicut decet, perpendet induſtria. De his vero, quæ de eccleſiæ tuæ, vel diœceſeos privilegiis idem venerabilis Actardus præcipue ſuggeſſit, Salomoni duci & populo Britannorum ſufficienter deſcripſimus: quod etiam in exemplari, quod ſecum idem antiſtes deferet, experientia tua quibit agnoſcere: nihilque quod contra rationem poſtulabunt, ſi fortaſſis ad nos eorum aliqui venerint, agnoveris eos a nobis, opitulante domino, fore penitus adepturos. Optamus fraternitatem tuam in Chriſto bene valere. Data [illegible] Idus Martias, indictione prima.

An.Chr. 868.

## XI. AD ACTARDUM EPISCOPUM.

Pallii uſum Actardo conſolationis cauſa concedit.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo Actardo ſancta eccleſia Namnetica diebus vita tua tantummodo.*

SI ſecundum divinæ pietatis viſcera circa neminem conſiſtit reprehenſibilis quantacumque miſeratio, quanto potius erga illos exhibenda eſt totius caritatis affectio, qui circa divinum cultum irreprehenſibiles apparentes, diverſarum dein tentationum exercitia pertulerunt, nec tamen in tentationibus Chriſto popitio defecerunt? Qua de re benedicimus Deo Patri domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo ſcilicet totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſſimus & ipſi conſolari eos qui in omni preſſura ſunt. Tibique, frater Actarde, qui dira fatigatus, & diuturna captivitatis miſeria quaſſatus, nec inter enſes infidelium defeciſti, quin etiam Dei providentia mirabiliter erutus & liberatus, circumquaque peregrinando procul a propria eccleſia, procul a notis & proximis, propter eorumdem rabiem barbarorum, & continuam Britonum oppreſſionem, quibus heu nimium vicinus eſſe noſceris, & pæne pejus ab eis quam a piratis inſecutionem pateris, curriculis jam multis incedis, decus pallii pro Dei ſolius amore, quem inter furentium paganorum manus & gladios confeſſus es, prævidimus concedendum. Quo videlicet pallio, cum fueris auctore Dei noſtroque decreto aliquem vacantem adeptus epiſcopatum, ſcias a nobis eidem te ſtabiliter incardinatum: vel ſi contigerit forſan in proprio, certis valeas uti temporibus. Quod non aliter tibi, nec cuilibet abſque metropolitis concederemus, niſi multoties exilia, mare, vincula, paſſo, etiam ad capitalem ſententiam frequenter tracto, teſte tuo metropolitano, qui & id nobis litteris innotuit, & tibi ſpem in ſede propria non ſupereſſe ſignificavit, hoc tua ad celerrimæ conſolationis ſolatia tanta exigerent detrimenta, quin potius merita: ut videlicet habeas pro exilio & catena pallii ornamenta, non in tuæ eccleſiæ perenne decretum, ſed ad tuum certo tempore vitæque præſentis ſpecialiter uſum. Utere igitur, annuente Deo, pallio a nobis tibi ſolo miſerationis & conſolationis affectu collato; &, niſi ſedis apoſtolicæ præſulibus ingratus extiteris, prænotato tenore illius, dum vixeris, ornare decore. Quod tamen fraternitati tuæ ad miſſarum ſolennia tantum celebranda concedimus: in die dumtaxat ſanctæ ac venerandæ domini noſtri Jeſu Chriſti reſurrectionis ac nativitatis, ſeu aſcenſionis die, & in aſſumptione beatæ Dei genitricis ſemper virginis Mariæ, ſeu in natalitiis beatiſſimorum apoſtolorum, ſive in nativitate ſancti Joannis Baptiſtæ, nec non & in natali ſancti Chriſti confeſſoris Martini die, pariterque in ſolennitatis eccleſiæ tuæ die, verum etiam & in ordinationis tuæ natalio concedimus die, ſicuti a beatiſſimo prædeceſſore noſtro Gregorio hujus apoſtolicæ ſedis præſule ſancitum eſt. In ſecretario vero induere tua fraternitas pallium debeat, & ita ad miſſarum ſolennia proficiſci; & nihil ſibi amplius auſu temerariæ præſumptionis arrogare: ne, dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate etiam quæ licere poterant amittantur.

Si



Si quid autem de rebus Namneticæ diœceſeos, tam a depopulatione nefandæ gentis Northmannicæ, quam a Britannorum ſubreptione remanſit, ad tuam decernimus pertinere ſolicitudinem. Porro cenſemus, apoſtolicæque inſtitutionis auctoritate definimus, ut nullus metropolitanorum antiſtitum, vel ceterorum epiſcoporum, in controverſia criminis, ſi ſedem appellaveris apoſtolicam, vel ejus ſpeciali expetieris audiri vel diſcuti fortaſſis examine, præſumat de te proferre, non noſtro præmiſſo decreto, judicium: ſed apoſtolicæ ſedis tantum reſerveris examinandus vel judicandus incunctanter arbitrio: cujus videlicet decreto vel largitate vacanti eccleſiæ incardinatus & palliatus eſſe dignoſceris. Scriptum per manum Zachariæ notarii, & ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in menſe Februario indictione prima. Bene vale. Quinto Kalendas Martias, per manus Anaſtaſii bibliothecarii ſanctæ ſummæ ſedis apoſtolicæ. Imperante domino noſtro piiſſimo perpetuo Auguſto Ludovico magno imperatore anno XIX. & poſt conſulatum ejus anno XVIII. indictione prima.

An.Ch. 868.

## XII. AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

De victoriis Ludovici imperatoris adverſus Saracenos, cujus interim & Lotharii fratris quæ ſunt, tangi vetat.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Ludovico glorioſo regi.*

INter exordia divinitus ordinati, licet in indigno miniſtro, pontificatus mei, pacis ſtudium præ ceteris virtutibus prædicandi ſuadendique mihi neceſſitas non inconvenienter incumbit. Nimirum cum etiam in ipſius dominicæ nativitatis principio cæleſtis exercitus militiæ viſæ ſint, quæ clamarent: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ubi profecto ſolerter intuendum eſt, quia ſicut tunc paſtores, qui ſuper gregem ſuum præ ceteris vigilaverunt, tanti tripudii videre præ ceteris gaudia meruerunt: ita nos tunc procul dubio cæleſtium bonorum lætitiam adipiſci merebimur, ſi ſuper oves dominicas ſolicite vigilemus: ne videlicet has vel per inſidias odii ſeu diſcordiæ vorax lupus invadat, vel per cupiditatem avidus ille leo deglutiat, qui docente apoſtolorum principe circuit quærens quem devoret. Ideoque nunc, fili cariſſime, opportune importune ſuadeo, admoneo, & inſtanter adhortor, ut pacis & dilectionis vinculum, quæ major eſt omnibus virtutibus & holocautomatibus, inſolubiliter in omnes & invicem obſervare gloria tua contendat, & inter ſubjectos medullitus cuſtodiri ſemper admoneat. In hoc enim regni veſtri ſtatus poterit incolumis tutius permanere, ſi vos neminem concutientes a nullo concuti dignoſcamini. Præterea nolumus ignorare celſitudinem tuam, dilectiſſimum & ſpiritalem filium noſtrum Ludovicum, piiſſimum & a Deo protectum imperatorem, non adverſus ſanctæ religionis filios, ut quidam, pugnare, nec contra fidei Chriſtianæ domeſticos, ſed adverſus filios Belial, & adverſus Chriſti nominis inimicos, pro ſanctæ eccleſiæ, & præcipue noſtra ſecuritate, proque fidelium liberatione multorum, qui pæne jam ſine tenus apud Samnium periclitabantur, ita ut etiam fines noſtros infeſtatio jam jamque Saracenorum invaderet. Egreſſus a ſummo ſublimitatis proprio ſolio, & a pacatiſſimæ quietis ſuæ fundamine, nec corpori parcit, nec æſtibus, nec algoribus, nec denique ullis eventibus cedit; ſed omnia incommoda, omnia diſcrimina pro Chriſti nomine tolerans, nihil eſt quod pro Chriſtianorum ereptione recuſet arripere, nihil eſt quod pro fidelium quiete ac pace declinet aſſumere. Denique non modicam eccleſiæ ſanctæ quietem per eum divina jam pietas operata eſt, non modicæ paganorum vires fortitudine ſuperna proſtratæ ſunt. Siquidem ſæpius eoſdem tamquam mures e cavernis ſuis egreſſos ad ſua latibula terga vertere compulit, & brachia contra noſtros exerta potenti virtute reſolvit. Quin & nobis omnibus, qui longe ſumus & qui prope, magnæ ſecuritatis præſidium condonavit, dum ſcilicet nonnullos eorum proſtravit, nonnullos etiam ab eorum ſuperſtitioſo ritu convertens, Chriſti fidei & veræ religionis itinera ſectari perdocuit. Qua de re ratum ducimus veſtram commonere magno opere celſitudinem, quo non veſtris motibus, non aliorum ſuggeſtionibus incitati, quidquam quæ illius ſunt concutere præſumatis. Non ſolum autem quæ illius ſunt, verum etiam quæ fratris ipſius, Lotharii videlicet glorioſi regis, conſiſtunt, nullo commovere patiamini prorſus inſtinctu. Qui enim tangit ea quæ fratris ejus ſunt, illa quæ ipſius ſunt tangit: & qui illum livore victus commovet, hunc procul dubio commovere dignoſcitur. Quamobrem ſuademus, & dilectionem veſtram his apicibus cohortamur, ut iniquis ſuaſionibus non cedatis, nec ſiniſtra machinantibus aures accommodetis: ſed unuſquiſque veſtrum ſuo jure contentus, quæ alterius ſunt uſurpare non tentet, nec invadere quocumque modo nitatur, quod invaſum non modicum poteſt invaſori generare ſine dubitatione diſcrimen. Provideat ergo prudentia veſtra, ne jam fato deſiderabiliſſimo filio noſtro ſemper Auguſto, cauſam Dei exequenti, & hereditatem domini vindicanti, ac ipſius bella præliantí, quodlibet offendiculum præparetur, quo ſanctæ Dei eccleſiæ quavis ex parte impediatur, vel profectus fidelium excludatur: ſed potius tela veſtra paganorum acies paveant, & jacula veſtra hi qui ſine Deo ſunt acuta reperiant. Quin penitus, ſecundum apoſtolum, non ſit vobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, id eſt homines, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Alioquin manum apoſtolicæ ſedis cum eodem piiſſimo principe fortiter eſſe cognoſcite, & arma noſtra illi munimina validiſſima conferentia, ſummo agonotheta nobis concertante, & beatorum principum apoſtolorum interceſſione cooperante, præparata ſine cunctatione prænoſcite. Optamus gloriam veſtram nunc & ſemper in Chriſto valere, dilectiſſime fili. Data pridie Idus Februarias, indictione prima.

Luc. 2.
I. Petr. 5.
Epheſ. 6.
An.Ch. 868.

## ** LOTHARII REGIS EPISTOLA AD HADRIANUM PAPAM.

Electionem ad ſummum pontificatum gratulatur ac de Nicolai deceſſoris nimia ſeveritate conqueritur.

*Sanctiſſimo & perbeatiſſimo Hadriano ſummo pontifici & univerſali papæ Hlotharius divina præveniente clementia rex æternæ beatitudinis & præſentis proſperitatis pacem & gloriam.*

INfauſta relatio, & in ambiguo hactenus manens, ut ita dicamus, acriter noſtræ ſerenitatis tranſverberavit aures; intimando quod beatæ mo-

moriæ dominus Nicolaus univerſalis papa ab hac lacrymarum valle vocante Chriſto deceſſerit, cum ſanctis, ut credimus, inæſtimabiliter coronandus. (unde " noſtræ manſuetudinis affectio admodum ingemiſcens, gemino dolore concutitur. Videlicet quod mater omnium eccleſiarum Dei, ſancta & apoſtolica eccleſia, tali ac tanto caruit patre, atque in cæleſti Hieruſalem lucerna ardens & lucens noſtris periculoſis temporibus a tenebroſis malefidis Dei finibus ſit remota) nec differt, ut omnis Chriſtiana religio de tanto pontifice doleat, & omnis ordo eccleſiaſticus de prudentiſſimo ac ſanctiſſimo papa ingemiſcat. Revera nos potius deflemus; qui cauſas noſtræ calumniæ inſolentes & fraudulentas æmulatorum noſtrorum querimonias tam benigno patri æquitatis & juſtitiæ B lance ponderandas ac determinandas ad tempus & in parte commiſimus. Sed quod ' lugubriter replicamus, plus apud ſanctitatem illius valuere noſtrorum inimicorum inſidiæ & ſimulatæ deceptiones, quam noſtra ſimplex & pura defenſio. Quippe patienter atque æquanimiter, ultra ſufferentiam omnium prædeceſſorum noſtrorum, noſtram regiam dignitatem, ac divinitus attributam poteſtatem, reverentiæ illius, immo potius apoſtolorum principis, humiliter ſubmiſimus, & ultra quam credi poſſet, ſuis paternis monitis fidenter paruimus, ac miſſorum ſuorum varia & multiplicia hortamenta ſectando propter amorem Dei, & reverentiam ſanctorum, in aliquibus a noſtro regio ' themate, ſecus quam oporteret, in parte exorbitavimus. Igitur ſperantes & modis omnibus credentes, in ſanctiſſimo pontifice fidum noſtræ tuitionis auxilium ponimus. Sed neſcimus quibus ſuggeſtionibus, aut certe ſuperfluis promiſſionibus actum eſt, quod inſperata dilatio multiplices peperit ſimultates; atque ob hoc noſtra reſpublica non modicam uſquequaque pertulit læſionem. Nos autem litteris & verbis indeſinenter proclamantes, & diverſis legationibus eadem repetentes, humiliter poſtulavimus, ut nos & accuſatores noſtri juxta divinas & humanas leges, ſui pontificii audientiam mereremur, ut ratio docet noſtram præſentiam exhibendo. Sed toties repulſi tandem multipliciter coacti, judicium ac refugium noſtrum in illa collocavimus D petra, de qua pſalmiſta confidens ajebat: *Montes excelſi cervis, petra refugium herinaciis.* Porro illud potiſſimum noſtræ mentis aciem obnubilavit, quod nos ab ipſa ſancta ſede repellimur, quorum progenitores & atavi illam ſanctam matrem eccleſiam divino auxilio pie ac fideliter patrocinantes protexere. Et quidem ultra quam fari poſſit, congratulamur, quod Bulgares, & alia Paganorum feritas, ad limina ſanctorum apoſtolorum invitatur, immo quod ſancta eccleſia, juxta vaticinium prophetæ, *Dilatat locum tentorii ſui, & longos facit funiculos ſuos, ac pelles tabernaculorum ſuorum extendit.* Sed non modice contriſtamur, quod tam crebro illuc anhelando audientia prædeceſſoris veſtri potiri non valuimus. Sed his omiſſis, ad E noſtræ mentis propoſitum, & veſtri Deo digni apoſtolatus excellentiam redeamus, & uti dignum eſt gloriam in excelſis Deo reſonemus qui roſeo proprii ſanguinis pretio acquiſito gregi miſericordiſſima dignatione proſpiciens, veſtri pontificis jubar ſua electione in ſede ſanctæ matris eccleſiæ collocavit, ad noſtram & totius Chriſtianæ plebis ſalutem. " Et quia omnipotens Deus princeps paſtorum in illa ſancta ſede, veſtri pontificatus apicem ſublimavit noſtræ ſerenitatis ſalubre auxilium, ad defenſionem [illegible] atque honorem pontificatus veſtri, more prædeceſſorum noſtrorum, in omnibus exhibere parati ſumus [illegible] A omnium conditore, nullus catholicorum regum, nullus Chriſtianorum principum devotior veſtræ ſanctitati, & promptior veſtræ utilitati eſſe deſiderat, quam noſtra exiguitas. Nam ſi tempus arriſerit, & auxiliante divina clementia ſcandala ſopita conquieverint, quæ ſimulate & ſuggeſtione æmulorum noſtrorum, membrorum videlicet ſatanæ, enormiter emerſere, veſtrum multipliciter deſideramus conſpectum, & veſtris Deo dignis animari colloquiis, ac melliflua benedictione potiri. Denique almifluam paternitatem veſtram humiliter precamur, ut nullum regiæ dignitatis & nominis nobis conſimilem præferre quoquomodo, aut præponere noſtræ manſuetudini decernatis, neque etiam apices beatitudinis veſtræ nobis porri- B gendos per aliquem dirigere placeat, niſi aut per noſtrum legatum, aut certe per veſtrum a veſtro ſancto latere deſtinatum, vel per nuntium auguſtiſſimi germani noſtri Hludovici imperatoris: quia ut vere fateamur, non modica ſimultas hactenus iſtis in partibus per hujuſmodi factum orta noſcitur, & niſi in poſterum caute prævifum fuerit, quoddam poterit generare diſcrimen. Interim modis omnibus obſecramus, ut de veſtra optabili proſperitate literis veſtris celſitudinem noſtram certam reddentes, caræ filiationis munus nobis impertiri dignemini, " & veſtris almifluis precibus noſtram apud dominum commendabilem atque veniabilem exerceatis ſerenitatem: quatenus tanti patris precibus ſuffulti, creditum nobis regimen, C Chriſto opitulante, gubernare valeamus. Omnipotens Deus veſtri pontificis ſplendifluum jubar, atque angelicam ſanctimoniam diu nobis incolumem conſervare dignetur. Amen.

* Annalis clauſa deſunt apud Reginonem libro II. [illegible] Nicolai papæ ad eum [illegible] laudes [illegible] adjicit.

' lugubrius.

' ſchemate.

Pſal. 103.

Iſai. 54.

* Regino in pauca contraxit tit. loco.

" Hæc quoque prætermiſit Regino.

## OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Epiſtola qua Lothario regi Hadrianus papa reſpondit non extat integra uſpiam quod ſciam, unus Regino libro II. chronicorum ad annum 868. hæc poſterorum memoriæ paucis commendavit & velut in ſumma: *Ad hæc ſupradictus papa reſpondit: Sedem ſancti Petri ſemper paratam eſſe dignam ſatisfactionem ſuſcipere, nec quod divinæ humanæque leges juſte decernunt unquam repuliſſe. Itaque ſi immunem ab objectis ſe ſciret cum omni fiducia ſedem apoſtolicam oportere adire, ut expetitam benedictionem perciperet: ſi culpam autem recognoſceret, nihilominus abſque heſitatione venire feſtinaret condigna pœnitentiæ remedia ſuſcepturus.*

## XIII. AD LOTHARIUM REGEM.

*Quod Theutbergam ſolutionem matrimonii Romæ poſtulantem ad Lotharium redire juſſerit, donec in ſynodo de ea re ſtatuat. Monet Lotharium ut eam in conſortium recipiat, aut ſi alio in loco interim conſiſtat, promiſſas illi abbatias ad vitæ ſubſidia concedat.*

QUia beato Petro apoſtolorum principi dominus noſter oves ſuas, totam videlicet eccle- E ſiam, precioſo jam ſanguine ſuo redemptam, poſt paſſionis vincula, poſt clavorum vulnera, & crucis ludibria, atque reſurrectionis gloriam, tertio commendavit dicens: *Paſce oves meas, paſce agnos meos*, nos vice utique apoſtolatus illius domino in omnibus cooperante fungentes, in virga æquitatis & juſtitiæ, in longanimitate benignæ humilitatis & patientiæ, gregem domini pabulo ſpiritalis vitæ paſcendum, & cura ſolerti cuſtodiendum divina ſuſcepimus voluntate. Os apoſtolatus noſtri, ſeptiformis ſpiritus gratia plenum, pro regni tui ſtabilitate, felicitateque perpetua, ſempiterna nempe vera animæ ſalute, qua nunc & in æternum beate ſecuriterque fruaris, o inclyte rex Lothari, [illegible]

Joan. 21.



vicibus indefeſſis aperientes, excellentiam tuam A paterno monemus affectu, & jure apoſtolico exhortamur, quatenus malorum hominum conſiliis relictis, & mortiferis perſuaſionibus omnimodo ſpretis, aurem cordis tui cæleſti ſane clavigero beato Petro in nobis loquenti aperias, omnique animoſitate & inclyta mundi dilectione procul abjecta, ea quæ juſtitiæ ac rectitudini maxime congruunt prædicantes toto deſiderio audias, evidentique perficias devotus affectu, quia non auditores, ſed factores legis Deus fore juſtos approbat. Unde ſedis apoſtolicæ ſalubrem admonitionem & correctionem venerabili ſinceraque mente ſuſcipere ſtude. Duo igitur a te carnis devicto illecebra dudum commiſſa videntur illicita, quæ ab anteceſſore noſtro piæ memoriæ pa- B pa Nicolao cenſura fuerant emendata canonica. Unum, videlicet nefarium Theutbergæ legitimæ conjugis tuæ divortium: alterum vero, ſceleſtiſſimus Vvaldradæ mœchæ concubitus: quæ non ſolum lex omnis divina reprobat, condemnat, & fieri omnimodis vetat, ſed etiam mundana prohibent jura. De quibus nos iterum reſcribere nullatenus ſtuderemus, niſi vos a juſtitiæ tramite per incentiva carnis procul dubio deviaſſe, bonumque conjunctionis legitimæ vinculum diſſolviſſe, & ad illicitum ac priſtinum ſtuprum incongruis reverti velle occaſionibus agnoſceremus. Theutberga itaque illuſtriſſima regina conjux veſtra, ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli ad limina veniens, menteque devota orationis deſiderium C complens, noſtram faciem contemplari, cauſaſque ſuæ neceſſitatis nobis ore proprio exponere quæſivit. Quæ cum a nobis, pro amore Dei & veſtro, & ab omni noſtra eccleſia honorifice, ſicut oportebat, ſuſcepta fuiſſet; dixit ſe propter quamdam corporis ſui infirmitatem, & quia non legitimo vobis antea fuerit conjuncta connubio, a veſtro velle ſeparari conſortio, & ob amorem Dei ſæculi dignitatem & gloriam abjicere, ac ſub leni jugo Chriſti cervicem cordis ſubmittere. Quibus profecto auditis, & domino auxiliante diligenter conſideratis, non modico fuimus turbati ſtupore; quod ſe pro talibus a vobis quæreret ſeparare, cum ſcriptum ſit dicente domino: *A Deo jungitur mulier viro*: & iterum: *Quod Deus junxit, homo non D ſeparet.* Et cum ipſa, ſicut dixit apoſtolus, ſui corporis non habeat poteſtatem, ſed vos, cui domini eſt voluntate legitimo matrimonio regalique toro conjuncta. Cui ſane quamvis cum veſtræ voluntatis conſenſu atque licentia hocce ſupplici nimis a pace depoſceret, noſtrum in tali voluntatis ſuæ deſiderio conſenſum nullo modo præbuimus. Licentiam vero illi revertendi ad magnitudinis veſtræ conſortium, juraque matrimonii regalis illibata cuſtodiendi præcepimus. Super his autem, quibus ſe a vobis quærit disjungere, tam repente ſine multorum fratrum noſtrorum conſilio, & ingenti examine, finitivam nunc proferre ſententiam, aut conſenſus noſtri immaturam dare licen- E tiam jure diſtulimus. Deo autem nobis ſalutis opem vitamque præbente, tam pro his quam etiam pro aliis eccleſiaſticis cauſis ſynodum facientes, & talia ſubtili examine indagantes, ut ſecundum Deum ſalvi eſſe poſſitis, idonea ſatis intentione deliberabimus coram Deo ſalvatore noſtro, atque finiemus. Propter quod excellentiam tuam apoſtolicis monemus alloquiis, & hortamur in domino, ne aurem nobilitatis tuæ conſiliis impiorum & veritati repugnantium verbis inclines; ſed potius dominicis & apoſtolicis præbens gratanter præceptis, eamdem Theutbergam nobiliſſimam reginam conjugem tuam dilectionis amore A in conjugale conſortium lætus recipias, & pro amore Dei & ſancti Petri, noſtroque ſimul, honore digno eam retinere, ſicuti corporis proprii membrum dilectum, procures. Quod ſi ob itineris longitudinem & aſperitatem, vel aliquam carnis incommoditatem, ad vos uſque ipſa pervenire diſtulerit, elegeritque in aliquo proprietatis ſuæ loco ſibi utili magis conſiſtere, interim, donec ſynodus, ut prædiximus, fiat, ſalva & incolumis ſub veſtra regali tuitione atque defenſione ſecura permaneat; habeatque in poteſtate ſua ipſas abbatias quas ei dare ipſe ore proprio promiſiſti: de quarum ſumptibus atque reditibus neceſſaria poſſit habere ſtipendia, dignaque ſubſidia. Sin vero quilibet veſtrum ei aliquam fuerit molitus B contrarietatem inferre, aut periculoſe præſumpſerit nocere; ſciat ſe a nobis perpetui anathematis vinculo eſſe procul dubio innodandum, & ab omni Chriſtianorum conſortio ſeparandum. Te autem, ſi talibus conſenſum præbueris, omnimodis excommunicandum.

Prov. 19. 14. ex Græco.

Matth. 19.

1. Cor. 7.

a ) Forte, ſupplici a pace. H.

## XIV. AD VVALDRADAM.

*Vvaldradam, quia reſipuiſſe dicebatur, Ludovici imperatoris rogatu, communioni eccleſiæ reſtituit ea lege, ut ad Lotharii ſocietatem non redeat.*

NEmo plane dubitat nullum facinus eſſe, quod eccleſia data ſibi divinitus poteſtate C ab eo deſiſtentibus non poſſit abſolvere, & pœnitentibus relaxare, cui dicitur: *Quæcumque dimiſeritis ſuper terram, dimiſſa erunt & in cælis: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis.* In quibuſcumque omnia ſunt, quantacumque & qualiacumque ſint. Quod etiam in ſententia tua rationabiliter obſervandum eſt, qua licet fueris obligata, quia tamen, ſicut multorum, ſed præcipue dilectiſſimi filii noſtri Ludovici clementiſſimi Auguſti, cui fides in omnibus adhibenda eſt, relatione didicimus, a nævo, quo tenebaris obſtricta, reſipuiſſe diceris, & ab obſtinatione, qua videbaris annexa, diſceſſiſſe narraris, pietatis tibi viſcera noveris & apoſtolicæ ſedis aperta, & tam vinculis anathema- D tis & excommunicationis exutam, quam cunctorum Chriſtianorum, Dei & beatorum primorum apoſtolorum auctoritate, ſocietati redditam, atque communioni te gaude reductam: ita ut deinceps eccleſiam ingrediendi, & orandi, convivandique, ſeu cum ceteris Chriſtianis loquendi, ſit tibi auctore Deo data licentia: præfati dumtaxat regis ſocietati, propter antiqui hoſtis verſutias, nullo pacto penitus adhærendi. Quod tamen beneficium, quamquam hoc moderatio flagitaſſet eccleſiaſtica, quæ ſicut incorrectis inflexibilis, ita correctis ſemper debet eſſe flexibilis, inſtantiam precum & incomparabilem dilectionem deſiderabilis & ſpiritualis filii noſtri jam memorati & jugiter memorandi Au- E guſti, tam tibi celeriter impetraſſe cognoſce. Cujus ſcilicet poſtulatio, ſicut non niſi juſta creditur, ita quoquo modo poſtponenda non ducitur. Verum tu ſic te de cetero ſtude munire, ut donum ſolutionis, quod in terra percipere cerneris, in cælo Deo auctore veraciter capere merearis. Nam ſi te coram humanis oculis abſolvendam exhibes, & coram Dei conſpectibus obligata conſiſtis, nec nodo cares, nec veniam impetras, quin immo & pro ſimulatione potiori nexu ligaberis. Etenim divino fertur oraculo, quia homo videt in faciem, Deus autem cor intuetur. Ergo ne delecteris in infimis, ſed ſuperna

Matth. 18.

Joan. 20.

1. Reg. 16.

cordis intuere ſemper obtutibus. Caduca ſunt quæ cernuntur, quæ vero non videntur æterna conſiſtunt. Noli rogo pro terrenis cæleſtia, pro viſibilibus gaudiis perdere gaudia, quæ quidem nec cogitari ſufficiunt. Nullus tibi blandiatur, qui enim te beatificant, ipſi te decipiunt. Denique quantiſcumque velaminibus juſtitia & veritas occultetur, quandoque tamen ſplendorem foras ſuæ claritatis emittet, nec poterit omnino diutius nubilo ſcævæ defenſionis obduci. Quod favente Deo tam ſedis apoſtolicæ ſtudio, quam rectiſſimi principis, cariſſimi videlicet filii noſtri, cui nunquam tortitudo quælibet aliquando placuit, ſed nec placere quoquo modo poterit, ſolicitudine, radios ſuos ut ſolis candor extendet.

## XV. AD EPISCOPOS GERMANIÆ.

Abſolutam a ſe Vualdradam, & congruentibus monitis inſtructam ſignificat.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris archiepiſcopis & epiſcopis in regno Ludovici glorioſi regis conſtitutis.*

SIcut obſtinatis & incorrigibilibus debetur vindicta, ita a converſis atque correctis amovenda eſt ultio & adhibenda curatio. Quapropter nos Vualdradæ, quæ multorum ut refertur atteſtatione a priſtinis & illicitis affectibus ad ſalutiferum correctionis iter converſa eſt, remedia miſerationis apoſtolicæ ſedis exhibere conſenſiſſe, illamque vinculo excommunicationis vel anathematis auctoritate Dei & principum apoſtolorum abſolviſſe cognoſcite: ita ut deinceps domini eccleſiam ingrediendi, & orandi, convivandique, ſeu cum ceteris Chriſtianis loquendi ſit ei auctore Deo conceſſa licentia. Cui Vualdradæ videlicet competentia monita deſtinavimus, & quæ conveniebant litteris inculcanda prævidimus: quarum ſcilicet litterarum textum ſibi veſtra fraternitas exhiberi ſummopere poſtulet. Et quoniam ita convenit, a vobis exigendum & agnoſcendum decernimus, quatenus per hoc ſcire valeat veſtra ſanctitas apoſtolicæ ſedis auſteritatis & manſuetudinis, remiſſionis & refrenationis indicia, & moderantiſſimæ diſcretionis prorſus inſignia. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data pridie Idus Februarias, indictione prima.

## XVI. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Commendat illi eccleſiam Laudunenſem, dum Hincmarus epiſcopus Romam venit: Northmannum vero, niſi ablata reſtituat, excommunicari jubet.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.*

ILluſtrem Hincmarum [a] Lugdunenſem epiſcopum, deſiderio viſendorum ſanctorum apoſtolorum liminum anhelantem, & libenter amplectimur, & adventum illius non ſolum non differimus, verum etiam ne ultra Kalendas Auguſti ſtare audeat, gravitate apoſtolica, ſcientes illum tali voto ſpiritaliter poſſe proficere, prohibemus. Huic ergo in veniendo, ſicut auctoritas apoſtolica, ſic faveat & epiſcopalis humanitas: quatenus epiſcopatus ejus omni careat per veſtram ſolicitudinem detrimento, dum prædiorum ſuorum, perverſe a Northmanno poſſeſſorum, liberalitate veſtra per interceſſionem noſtram fuerit potius augmento. Quapropter & Northmannum ſcito auctoritate apoſtolica continuo ab eccleſiaſtica communione, niſi præſentialiter ſe omnibus Lugdunenſis eccleſiæ rebus exuerit, per tui oris officium repellendum, & venerabilem virum Hincmarum epiſcopum, ſi propoſito Romam veniendi abuſus, quod bene vovit, reddere non ſtuduerit, tranſgreſſoris judicio, quod Deus averterit, puniendum. Quicumque igitur a tempore, quo Romam venire cœperit, uſque in id, quo Chriſto duce ad propria remeaverit, in quibuslibet rebus illius eccleſiæ quodlibet operatus fuerit detrimentum, quoniam epiſcopatum ejus ſanctitati tuæ ſpecialiter poſt regem ſervandum committimus, tamdiu ſe noverit ſacramento corporis & ſanguinis domini fore privandum, quamdiu ſanctæ Lugdunenſi eccleſiæ, & tibi, ipſiuſque pontifici, legitime, immo canonice fuerit ſatisfactum. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere.

[a] Hoc eſt, Laudunenſem, a Lugduno Clavato: Laon, H.

## XVII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Commendat regi eccleſiam Laudunenſem, dum ejus epiſcopus Romam venit.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Carolo excellentiſſimo regi.*

ILluſtrem Hincmarum Lugdunenſem epiſcopum, deſiderio viſendorum ſanctorum apoſtolorum liminum anhelantem, & libenter amplectimur, & adventum illius non ſolum non differimus, verum etiam ne ultra Kalendas Auguſti ſtare audeat, gravitate apoſtolica, ſcientes illum tali voto ſpiritaliter poſſe proficere, prohibemus. Huic ergo in veniendo, ſicut auctoritas apoſtolica, ſic faveat & humanitas regia: quatenus epiſcopatus ejus omni careat per veſtram ſolicitudinem detrimento: dum prædiorum ſuorum, perverſe a Northmanno poſſeſſorum, liberalitate veſtra per interceſſionem noſtram fuerit potius augmento. Sicut enim gaudemus cum ſerenitatem tuam erga ſtatum eccleſiaſticum, more prædeceſſorum principum, liberalem tam litteris audimus quam vocibus: ſic nimirum, cum eam in aliquo diſtrahentem extra conſuetudinem ſuam comperimus, tota valetudine contriſtamur. Quapropter & Northmannum ſcito auctoritate apoſtolica continuo ab eccleſiaſtica communione, niſi ſe præſentialiter omnibus Lugdunenſis eccleſiæ rebus exuerit, repellendum; & venerabilem virum Hincmarum epiſcopum, ſi propoſito Romam veniendi abluſus, quod bene vovit, reddere non ſtuduerit, tranſgreſſoris judicio, quod Deus averterit, puniendum. Quicumque igitur a tempore, quo Romam venire cœperit, uſque in id, quo Chriſto duce ad propria remeaverit, in quibuslibet rebus illius eccleſiæ quodlibet operatus fuerit detrimentum, quoniam epiſcopatum ejus gloriæ veſtræ ſpecialiter ſervandum committimus, tamdiu ſe noverit ſacramento corporis & ſanguinis domini fore privandum, quamdiu ſanctæ Lugdunenſi eccleſiæ, & vobis, ipſiuſque pontifici legitime,



immo canonice fuerit ſatisfactum. Optamus regiam excellentiam veſtram ſanctæ ſedis apoſtolicæ ſcita conſuetudinaliter obſervantem in Chriſto ſemper valere.

## XVIII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

De cauſa Herlefridi presbyteri.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei glorioſo Carolo regi.*

QUod præſentem presbyterum Herlefridum, poteſtate ſui præſulis pluſquam canonica veritate perculſum, ad ſedem apoſtolicam, utpote caput omnium eccleſiarum, venire paſſi eſtis, bene quidem feciſtis: ſed nunc melius faceretis, ſi quod in civili concilio apud ſuum epiſcopum perperam geſtum eſt, in provinciali ſynodo apud vos rationabiliter, & apud fratrem noſtrum Hincmarum archiepiſcopum caſſaretur. Quapropter apoſtolica dilectione gloriam veſtram hortamur, ut aut præſentialiter huic Herlefrido presbytero ſuam eccleſiam cum omnibus ſuis, uſque ad tempus provincialis ſynodi hanc libere poſſeſſuro, pro tempore quod ſacri canones definiere, ſolenniter reddere faciatis, aut Erpuinum epiſcopum ſuum legatum nobis, qui hæc plenius veriuſque renuntiet, præſentialiter mittere cogatis: quatenus dum luce clarius cuncta noverimus, ſciamus in quem apoſtolicæ animadverſionis ſententiam proferamus. Deus vos incolumes cuſtodiat, dilectiſſime fili.

## XIX. AD PROCERES REGNI LOTHARII.

Poſt mortem Lotharii regis, hortatur ut fideles ſint Ludovico imperatori illius fratri, cui regnum hereditario jure debeatur.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus primatibus & glorioſis comitibus conſiſtentibus in regno domni Hlotharii, quondam magni imperatoris, & genitoris domni Hludovici imperatoris.*

Rom. 12. PErfectæ procul dubio caritatis eſt bonum, ſecundum apoſtolum, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Unde quia Hlotharius quondam rex veſter divina de hoc ſæculo juſſione migravit, vos de obitu ipſius valde triſtes effectos, & lugubri doloris ingentis amaritudine, utpote viros fideles, repletos eſſe cognoſcimus, carnalique affectu ejus nunc tranſitum flere: noſter non minus apoſtolicus animus vobis compatiens & condolens, non ſolum pro æterna illius requie atque ſalute, ſed etiam pro præſenti conſolatione veſtra, pro pace, concordia, & unitate, quam vos ex toto corde ſequi, & fideli omnino devotione amplecti ceu Chriſti membra nullam habentia maculam, quæ inſtantem aut futuram mortis perniciem vobis poſſit inferre, incunctanter, ut oportet, flebilibus dominum precibus precati ſumus. Et quotidie ſuppliciter exoramus, ut & illi, qui carnali obiit conditione, vitam perpetuam, & vobis miſericordiæ largitate conſolationis, pacis, & unanimitatis affectum & deſiderium inſpirare donareque dignetur. Quoniam ipſe eſt, qui nos paterno more virga juſtitiæ corripit, ac purgationis mœrore affligit, & ipſe nos in omni tribulatione noſtra clementer conſolari dignatur, ut poſſimus ſuſtinere, nunquamque deficere. Quamobrem, filii cariſſimi, apoſtolicæ ſedis magiſterio plurimum debentes, nos, qui per ſupernam gratiam apoſtolorum principis fungimur vice, omniumque eccleſiarum Dei curam & ſolicitudinem nobis a domino præ ceteris delegatam habentes, antequam antiquus noſter adverſarius mentes veſtras occultis & impiis nequitiæ ſuæ verſutiis corrumpat, & morbo inſanabili ſauciet, armis præcincti divinis, occurrere, ſalubribuſque vos informare præceptis debemus: quibus humiliter obedientes, ſicut omnes qui ab initio Deo placuerunt, ſalvi eſſe poſſitis, dicente domino in euangelio: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Joan. 14. Quapropter caritatem veſtram, o cariſſimi in domino filii, apoſtolica tuba monemus, & cæleſti magiſterio exoramus, ut pro regni ſtabilitate, vos nunc in eadem fide, mentiſque ſinceritate, generaliter omnes ſatagatis conſiſtere circa dilectiſſimum ac ſpiritalem filium noſtrum, domnum Hludovicum imperatorem Auguſtum, quam circa divæ memoriæ quondam Hlotharium imperatorem patrem illius mundo pectore conſervaſtis: ut nullus mortalium, cujuſcumque ſit dignitatis & gloriæ, vos ab apoſtolicæ ſedis præcepto monituque ſalubri poſſit modis aut argumentis quibuslibet revocare, vel a via veritatis in obliquum deflectere, nec ullius præcepta magis, quam beati Petri apoſtoli, per os noſtrum prolata, vobiſque utiliora, jucundis percipere auribus ſtudeatis. Quoniam ipſi & paterno & hereditario jure ſecundum legem & rationem hoc regnum debetur, & per paternæ hereditatis ſucceſſionem ſummopere pertinet: quippe cum eum præfatus genitor illius, quondam imperator, conſtituerit imperatorem, regnique totius heredem præ ceteris ſublimaverit natis. Sicut Iſaac quondam Jacob filio ſuo benedicens, dominum illum Eſau conſtituit: ita & Gen. 27. huic ceteris prælato totum omnino eſt a patre conceſſum imperium. Quem ipſe adhuc vivens imperiali voluit & conſenſit una vobiſcum ab apoſtolica ſede diademate coronari, ſceptroque potiri ſine dubio auguſtali permiſit. Ideo nobilitatem veſtram monemus & obteſtamur in domino, ut nullatenus ab eodem vos ſpiritali filio noſtro Auguſto quibuslibet promiſſionibus vel minis alicujus ſeparare, dividereque tentetis; ſed illi quamdiu ſuperna vixerit voluntate, in omnibus veluti proprio ſeniori, proprio imperatori, juſtoque heredi regni obedire, fidemque illæſam more ſolito conſervare, ſtudioque ſagaci ſemper attendite, ut Dei omnipotentis & ſancti Petri gratiam, noſtramque plenariam habere mereamini benedictionem, & apoſtolicæ communionis conſortium. Nam quem ex vobis contraria tentare nitentem, atque apoſtolicæ ſedis monitis in contemptum beati Petri apoſtoli cæleſtis regni clavigeri ſpretis, ad aliam ſe partem conferre cognoverimus, velut infidelem, & eccleſiaſticæ paci ac ſaluti contrarium, a noſtri apoſtolatus communione non ſolum alienum habebimus; ſed etiam anathematis vinculo jure meritoque alligare omnino curabimus: & nos ſecundum apoſtolicæ privilegium dignitatis & poteſtatis, ipſum excellentiſſimum ac ſpiritalem filium noſtrum, domnum Hludovicum imperatorem Auguſtum, regni hujus provinciæ, ſcilicet Galliæ totius, regem, dominum

num & imperatorem, ſicuti jam olim a Deo præordinatum eſſe conſtat, & ab anteceſſoribus noſtris pontificibus ſtatutum multis videtur indiciis, habemus, & quouſque ſuperfuerit ipſe, eum habere ſtudebimus. Quod ſane regnum ſi tyrannus aliquis, contra divinam & apoſtolicam voluntatem, invadere præſumpſerit, apoſtolicæ ſine mora ſuſtinebit ultionis cenſuram. Optamus nobilitatem veſtram unanimi devotione conſiſtere, & in inſolubili caritatis vinculo manere conjunctos.

## XX. AD PROCERES REGNI CAROLI CALVI.

Hortatur ut Carolum regem deterreant, ne invadat regnum Lotharii, & ut Paulum ac Leonem legatos ſuos benigne ſuſcipiant.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus glorioſis ducibus, comitibus, & ceteris primatibus in regno Caroli excellentiſſimi regis conſtitutis.*

OMnes quidem virtutes Chriſti cultoribus ſectandæ ſunt, ſed nulla utilius quam pax cum dilectione mutua inter omnes, & maxime inter ſublimiores perſonas, cuſtoditur & colitur. Quanto enim quis ſublimior, tanto ad mores ſuos quoſque trahendum conſtat eſſe facilior. Ideoque his præſentibus opportune moneo, ſuadeo, & exhortor apicibus, quo pacis bonum in omnes, ſed præcipue inter ſublimiores mundi principes, ædificare & conſtituere ſatagatis. In hoc enim dilecti filii mei regis veſtri regnum citius poterit incolume permanere, ſi neminem ille concutiens, a nullo concutiatur. Non autem ignorare vos credo, qualiter deſiderabiliſſimus & ſpiritalis filius meus Hludovicus, piiſſimus & a Deo protectus imperator, non ut quidam adverſus ſanctæ religionis filios, non contra fidei Chriſtianæ domeſticos, ſed adverſus filios Belial, adverſus Chriſti inimicos, præcipue pro noſtra ſecuritate, proque multorum liberatione fidelium, qui fine tenus apud Samnium, & circumquaque regiones, jam jamque periclitabantur, ita ut etiam fines noſtros infeſtatio propemodum Sarracenorum invaderet, egreſſus a ſummo ſublimitatis propriæ ſolio, & a pacatiſſimæ requiei ſuæ fundamine, non corpori parcat, non æſtibus, non algoribus, non denique ullis eventibus cedat: ſed omnia incommoda, omnia diſcrimina pro Chriſti nomine tolerans, nihil eſt quod pro Chriſtianorum ereptione recuſet arripere; nihil eſt quod pro fidelium quiete ac pace declinet aſſumere. Denique non modicam eccleſiæ ſanctæ quietem per eum divina pietas operata eſt; nec modicæ paganorum vires fortitudine ſuperna proſtratæ ſunt. Siquidem ſæpius hoſtes, tamquam mures cavernis ſuis egreſſos, ad ſua latibula terga vertere compulit, & brachia contra noſtros exerta potenti virtute diſſolvit. Quin & nobis omnibus, qui longe fuimus & qui prope, magnæ ſecuritatis præſidia contulit: dum ſcilicet nonnullos eorum proſtravit, nonnullos etiam ab eorum ſuperſtitione convertens, Chriſti fidei & veræ religionis itinera ſectari perdocuit. Qua de [illegible] tamen [illegible]imus, veſtram commonere dilectionem, quo præfato glorioſo regi veſtro, & filiis ejus ſuggerere ſatagat, & prudenti conſilio ſuadere contendat, quatenus nec ſuis moribus, nec aliorum ſua[illegible] impulſus, quæ tanti principis & tam pii Augusti ſunt, invadere vel ſolicitare conſentiat, eorum videlicet, quæ cum ſine

in regno glorioſæ memoriæ Hlotharii quondam regis germani ſui, ad ſe ſuffragantibus cunctis legibus, non tam pro fraterna ſucceſſione, quam pro paterna diſpoſitione, hereditario jure pertinere probantur. Qui enim concutit fines, & ſolicitat homines, qui ſub moderamine quondam jam nominati regis erant, illa quæ Dei ſunt, & eccleſiæ utilitati conveniunt, concutit: & qui hunc avaritia victus commovet, magnum procul dubio eccleſiæ diſpergit augmentum. Iniquum præterea eſt, ut quod fratres ſibi mutuo, pro integra inter ſe ac nepotes ſuos cuſtodienda parte regnorum, quam ſinguli diſtincta ſorte perceperant, juramentis terribilibus ſpoponderant, impia prævaricatione violetur, vel cujuſquam cupidinis fomite temeretur: cum potius pio conveniat affectu fratrem fratri, ac patruos nepotibus, totius præſidium conferre juvaminis, & ſecundum promiſſam invicem juramento fidem, omnis auxilium præſtare ſolatii. Præcipue jam fatum inclytum regem veſtrum, qui hunc nepotem ſuum, magnum ſcilicet Auguſtum, de patris proprii dextra, cum omnibus quæ ad eum pertinere viderentur, ad fovendum roborandumque pro viribus veluti ſecundus pater accepiſſe dignoſcitur. Iniquum autem & inſtar ſacrilegii eſt, ut qui ſe ultro pro ſalute fidelium, & maxime pro ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris ſuæ defenſione, tot periculis offert, a cœpto pietatis alicujus factione ſtimulatus recedat opere, atque ad patriam coactus vindicandam procedat hereditatem. Verum quiſquis ſuo vitio tam ſancto labori, cupiditatis æſtibus accenſus, aliquod impedimentum præſtiterit, condignam profecto, apoſtolica ſede ſanciente, luet cum ſuis fautoribus ultionem. Unde ſi quiſquam veſtrum hujus diabolicæ ambitionis auctorem ſectatus fuerit, vel ei quoquomodo in rapinis concupiſcenti favorem contulerit, anathematis vinculis innodabitur, ac pro hoc a regno domini ſeparatus, cum impiorum omnium capite, quod eſt diabolus, merito deputabitur. Attendat ergo rex prudentiſſimus, veſtris quoque probabilibus conſiliis adhortatus, ne iniquorum ſuaſionibus cedat, nec ſiniſtra machinantibus aures accommodet: ſed proprio jure contentus, quæ ſua non ſunt uſurpare non tentet, nec invadere quocumque modo nitatur, quomodo invaſum non modicum poteſt invaſori generare diſcrimen. Ne itaque jam memorato dilectiſſimo filio meo, domino ſemper Auguſto, cauſam Dei exequenti, hereditatem domini vindicanti, ac ipſius bella prælianti, quodlibet offendiculum præparet, quo ſanctæ Dei eccleſiæ quavis ex parte impediatur utilitas, vel profectus fidelium excludatur. Alioquin manum apoſtolicæ ſedis cum eodem piiſſimo principe fortiter eſſe comperiat, & arma noſtra illi munimina validiſſima conferentia, ſummo agonotheta nobis concertante, & beatorum principum apoſtolorum interceſſione cooperante, præparata ſine cunctatione prænoſcat. Hos præterea miſſos apoſtolicæ noſtræ ſedis, Paulum & Leonem venerabiles epiſcopos, dilectos conſiliarios noſtros, quos pro pace & concordia ſanctæ Dei eccleſiæ illuc deſtinavimus, ob reverentiam principum apoſtolorum Petri & Pauli benigne ſuſcipite, & ea quæ vobis pro utilitatibus Chriſtianæ fidei atque religionis dixerint, aure cordis percipientes, ad effectum perducere feſtinate. Optamus gloriam veſtram in Chriſto bene valere. Data Nonis Septembris, indictione III.

XXI. AD



## XXI. AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CALVI CONSTITUTOS.

Ut Carolum regem deterreant ab invadendo regno Lotharii, & Paulum ac Leonem miſſos a ſe legatos benigne ſuſcipiant.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis & ſanctiſſimis fratribus & coepiſcopis noſtris in regno Caroli glorioſi regis eccleſiam domini gubernantibus.*

INter exordia pontificatus mei pacis ſtudium præ ceteris virtutibus prædicandi ſuadendique arripuiſſe memini. Quippe qui noverim, quod in dominicæ nativitatis principio cæleſtis militiæ viſus ſit exercitus, qui clamavit: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. [Luc. 2.] Ubi profecto ſolerter attendendum eſt, quia ſicut paſtores, qui ſuper gregem ſuum præ ceteris vigilaverunt, tanti tripudii videre præ ceteris gaudia meruerunt: ita nos qui paſtores dicimur, tunc cæleſtium bonorum lætitiam adipiſci merebimur, ſi ſuper oves dominicas ſolicite vigilemus: ne videlicet has vel per inſidias odii ſeu diſcordiæ vorax lupus invadat, vel per cupiditatem avidus ille leo deglutiat, qui ut princeps apoſtolorum ſcribit, rugiens circuit quærens quem devoret. [1. Pet. 5.] Ideoque, fratres cariſſimi, nunc etiam id ipſum repeto, id ipſum oportune vel importune ſuadeo, prorſus efflagito. Quamobrem ut pacis ſeu dilectionis vinculum, quæ major eſt omnibus virtutibus & holocautomatibus, veſtra quoque ſanctitas inſolubiliter inter omnes, ſed præcipue inter ſublimiores perſonas obſervari doceat, indeſinenter adhortor. Quapropter illud a vobis exigo, ut ſoliciti exiſtentes, ſi quos ſenſeritis velle filii noſtri glorioſi regis veſtri Caroli fortaſſis animos ad invadendum regnum, quod defuncto quondam inclyto rege Hlotario, ad dominum deſiderantiſſimum filium noſtrum piiſſimum imperatorem rediit, jureque hereditario illi debetur, nequiter incitare; vos qui ſpirituales eſtis, horum carnales voces, quin potius & ipſum excellentiſſimum regem, ac filios ejus tamquam veri epiſcopi, a tanto compeſcere piaculo ſtudeatis. Quinimmo ad favorem & opem ejus hunc inflammantes hortemini, atque ſicut eum in fide ſua tamquam alter pater ſuſcepit, ita foveat, & hunc ut proprium genitum amplectatur. Iniquum enim, & inſtar ſacrilegii eſt, ut qui ſe ultro pro ſalute fidelium, & maxime ſanctæ Romanæ eccleſiæ, matris ſcilicet omnium Dei eccleſiarum, defenſione, tot mortis caſibus offert, alicujus factione ſtimulatus, a cœpto pietatis recedat opere, atque ad patriam vindicandam procedat hereditatem. Non enim debet paternam hereditatem ille dimittere, qui, Deo gratias, non ignorat Naboth Iezrahelitam pro ſola paterna vinea, etiam contra regem impium defendenda, uſque ad mortem lapidum perveniſſe. [3. Reg. 21.] Verum ſi & labor alicujus ambitione impediatur, quoniam paternum deſeri patrimonium ſurripientibus non oportet, per quem quid tale contigerit, una cum fautoribus & ſectatoribus ſuis, dignam paremque animadverſionem exſolvet. Et ſi quis veſtrum tam nefariæ temeritatis auctorem vel tacendo fugerit, vel non reſiſtendo conſenſerit, non jam paſtoris, ſed mercenarii nomine ſe noverit fore cenſendum: & quia jam non pertinebit ad eum de ovibus, non pertinebit conſequenter de paſtoralibus dignitatibus. Hos præterea miſſos apoſtolicæ noſtræ ſedis, Paulum & Leonem venerabiles epiſcopos, dilectos conſiliarios noſtros, quos pro pace & concordia Dei eccleſiæ illuc deſtinavimus, ob reverentiam principum apoſtolorum Petri & Pauli benigne ſuſcipite, & ea quæ vobis pro utilitatibus Chriſtianæ fidei atque religionis dixerint, aure cordis percipientes, ad effectum ducere feſtinate. Optamus ſanctam fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data Nonis Septembris, indictione III.

## XXII. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Benevolentiam ſuam Hincmaro pollicetur, eumque hortatur ut operam ſuam interponat, ne regnum Lotharii quiſquam invadat. Legatos denique Paulum & Leonem commendat.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi.*

SAnctimonia tua quam fuerit apoſtolicæ memoriæ papæ Nicolai familiaris, non forte dedit oblivioni. In cujus videlicet familiaritatis ſinu nos quoque te recipientes, fiduciam penes apoſtolatum noſtrum fraternitati tuæ gratanti mente offerimus. Præterea noveris miſiſſe nos epiſtolas quaſdam in Gallicanarum partium regiones, tam reges, quam præſules, & omnes omnino regnorum primates, ad comprimendum ambitum, & unicuique jus proprium reſervandum, competenter admonentes, cohortantes, ſuadentes, conteſtantes, prohibentes, & deterrentes. Cujus rei ſolicitudinem ſanctitas tua ſpeciali quodammodo certamine ſuſcipiens, vice noſtra tam reges, quam ceteros Dei vel mundi miniſtros, admonendo, ſuadendo, & prohibendo, a cupiditatis vel avaritiæ vitio comprimat & compeſcat, ut ſcilicet unuſquiſque ſuis contentus alienum non ſurripiat, non ſolicitet, non uſurpet. Præcipue ut regnum quondam regis Hlotharii, quod cariſſimo filio noſtro domino imperatori jure debetur, vel homines in eo degentes, mortalium nullus invadat, nullus commoveat, nullus ad ſe conetur inflectere. Quoniam ſi per hujuſcemodi temeritatem caritatem ſcindere, concordiam dividere, invidentiæ facibus inardeſcere, cupiditatis æſtibus anhelare, propinquitatem telo crudelitatis percellere, ſcandalum in eccleſia Dei generare non pertimeſcit, non ſolum per mediocritatis noſtræ miniſterium, Deo auctore, viribus infirmabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Chriſtianitatis privatus, cum diabolo, quem ſuper hoc imitatur, omnino locabitur. Tua vero reverentia, ſi in hoc ſtrenue ſecundum datam ſibi divinitus ſapientiam laboraverit, noſtræ ſibi, ut prætulimus, familiaritatis fiduciam non dubitet modis omnibus tribuendam, nec diffidat benevolentiæ noſtræ benignitatem, cum neceſſitas exegerit, ſuis opportunitatibus adfuturam. Hos præterea miſſos apoſtolicæ noſtræ ſedis, Paulum & Leonem venerabiles epiſcopos, dilectos conſiliarios noſtros, quos pro pace & concordia Dei eccleſiæ illuc deſtinavimus, ob reverentiam principum apoſtolorum Petri & Pauli benigne ſuſcipe, & ea quæ tibi pro utilitatibus Chriſtianæ fidei atque

reli-

religionis dixerint, ore cordis percipiens, ad effectum ducere feſtina. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data Nonis Septembris, indictione III.

## XXIII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Regem increpat, quod Lotharii regnum invaſerit, & ſedis apoſtolicæ legatos contempſerit: mandatque ut regno illo excedat, & alios legatos benigne ſuſcipiat, Joannem videlicet, Petrum, Vvibbodum, ac Joannem, epiſcopos, & Petrum presbyterum cardinalem.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Carolo glorioſo regi.*

SAcrorum itaque dogmatum evidentiſſimis documentis & apoſtolicis informamur exemplis, ut mitius agere debeamus cum mitibus, & ſeverius per juſtitiam delinquentes corripiamus. Sed neque nos Deo placere poſſumus, ſi paſtoris vicem ſuſcipientes, non opus paſtoris, ſed mercenarii latibula præſtolamur, & veniente lupo fugimus, ne ſolatium conferamus. Super quibus illud cavere debemus, quod dominus per prophetam loquitur dicens: *Canes muti, non valentes latrare.* & rurſum: *Væ paſtoribus*, inquit, *qui paſcebant ſemetipſos*; & reliqua. (Eſai. 56. Ezech. 34.) Quod ſi cunctis paſtoribus dominici gregis dominus pro deſidia væ generaliter dicit, tanto magis nos illam ſententiam formidare debemus, quanto præ omnibus & pro omnibus, non ſolum honoris, ſed etiam oneris in humeris noſtris pondera quoque geſtamus. An non pro te, rex, rationem coram domino ponere compellemur? ſi, ut illud interim ſileamus, quod miſſos apoſtolicæ ſedis more regali recipere contempſiſti, ſanctum tuum non reprehendimus, & ſpiritali zelo redarguere deſiſtimus, quando contra divinam, ſanctorumque patrum auctoritatem, atque contra propriæ fidei ſponſionem, qua jurejurando pollicitus es, ne aliena, & præcipue fratrum tuorum regna concupiſceres, aut invaderes, regnum quondam Hlotharii imperatoris, quod ſpiritali filio noſtro, domno Hludovico Auguſto filio ejus, juxta divinas & humanas leges debetur, præſumpſiſti invadere, & in reatum perjurii incidere non formidaſti. Numquid a mente excidit, quod veſtra veſtrorumque juramenta ſedi apoſtolicæ deſtinata diſcuſſimus, roboravimus, & in archivo noſtro hodie illa recondita retinemus? Quod ſi nec tibi iſta ſufficiunt, tunc ad majoris reprehenſionis tuæ cumulum tuis te ſpecialibus ſententiis convenimus, & ut ad cor tuum redeas, ex oris tui profeſſionibus incitamus. Quando igitur Hludovici, fratris tui filii, ſuperatus viribus regnum perdidiſti, numquid non epiſtolam, quam habemus præ manibus, ſedi apoſtolicæ direxiſti? in qua inter cetera confeſſus fuiſti dicens: Cum fratribus noſtris poſt Fontanicum bellum in unum convenimus, & inter nos diviſione regnorum facta, pacem fecimus, & jurejurando juravimus, quod nemo noſtrum regni alterius metas invaderet. Nunc autem regno meo juramentis ſpretis invaſo atque ſublato, miſereatur veſter apoſtolatus, & ne nomen Chriſti blaſphemetur in gentibus, ſine vindicante facinus non relinquatur. Ecce qualiter aliena tibi concupiſcere minime convenit, ecce tibi oſtenſum eſt, quod juramenta publice facta contempta ſunt. poſtremo ad fortioris tuæ reprehenſionis indicium, aliquantiſper monſtratum eſt, quod & te impunitum dimittere non debemus. Qui quod alii facere precabaris, nunc in ſimili opere tibi facere juſto nos oportet judicio, & te de tuis actibus increpare: præcipue cum apertius demonſtraris, quod labiis tantum, & non corde, devotum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, veluti in epiſtolis ad deceſſores noſtros & nobis a te directis continetur, te jactitares eſſe filium. & nunc adeo devotio fidei tuæ caſſata eſt, ut jam, quia convenientibus reſponſis miſſos noſtros a te minime dimiſiſti, nobiſque reſcribere callide omiſiſti, miſſos tuos vel epiſtolas, quas te miſſurum indicaſti, hactenus ad contemptum apoſtolicæ ſedis non direxiſti. Quod ſi quis alius tale tibi dedit conſilium, fidem circa te minime veram ſervavit: ſi autem in hoc tuo tantum conſilio uſus es, minus regalis excellentia quam debuit fecit. De pacis vero & concordiæ unitate, cujus nos inter piiſſimum Cæſarem & te mediatores eſſe debere ſuggeſſeras, libentiſſime ſuſcepimus, & agere cœpimus. Sed illi contra hoſtes Chriſtiani nominis dimicanti, pro liberatione populi Dei multis laboribus inſiſtenti, & bella domini præliando, Saracenorum multitudinem ſuperanti, ut pax fieret, cedere noluiſti: quin potius non ut pacis amator, ſed ut ſcandali concitator, etiam & tyrannidis manifeſtiſſimus executor, pacis tempus non es præſtolatus: quia poſtquam hæc illi callide mandare curaſti, domni imperatoris regnum magis ac magis invaſiſti, ſolicitaſti, ordinaſti, & homines ipſius regni ad tuam fidelitatem jurare feciſti. Cui talia facere pertimeſceres, niſi ipſe tantis laboribus ad perpetuam pacem ſanctæ eccleſiæ diu noctuque pro Chriſti amore fidenter hæreret. Qui a cœptis bonis, in quibus illi te ſolamina oportebat conferre magis, quam Chriſtianum populum contra fidem debitam perſequi, manum & opus non ſubtrahens, dubium non eſt quod omnipotentem dominum ad hæc peragenda ſibi propitium faciet, & de hoſtibus Chriſtiani nominis triumphum cito percipiet. Sed his ſuccincte prolatis, quoniam, ut prædiximus, ſicut omnium pondera in humeris noſtris geſtamus, ita omnium actus prævidere debemus, ne pro humanis favoribus nos hæc dicere quis exiſtimet, ſi forte accideret, ut principes noſtri, quibus a te pervaſum regnum jure debetur, ſibi illatas injurias non vindicarent; nos uſque ad veram emendationem, quia omnes ſalvare volumus, perjuria illa, atque invaſionum tyrannides impunitas nullo pacto dimitteremus: quia non ambitione regni, ſed juſtitia commovemur, & non terrarum ſpatia quærimus, ſed ex debito vitiis ac pravitatibus quibuſcumque reſiſtere vigilamus. Igitur ut interim perpaucis gloriam tuam conveniamus, monemus, & auctoritate apoſtolica quibus poſſumus modis ſpiritaliter ſuademus, paternoque affectu præcipimus, ut jam tertio monitus ab invaſione regni ſpiritalis filii noſtri Chriſtianiſſimi principis te penitus ſubtrahas & compeſcas, aliena non concupiſcas, & quod tibi non vis fieri, illi non facias. Noli juſtis tuis competentibuſque tibi rebus injuſte captas tyrannice ſociare, ne & juſte poſſeſſas amittas, & injuſte pervaſas juſto Dei judicio te ambiiſſe pœniteat. Nos etenim, quoniam ſalvum te conſiſtere cupimus, & ut anima corporeque felici ſucceſſu polleas anhelamus, niſi ſaltem nunc noſtris, aliiſve ſalubribus parueris monitis, ut & prius inobediens noſtræ



ſpiritali cenſuræ conſtiteris, nullo pacto, nulloque prætermittemus ingenio, quo minus Deo juvante, partes illas noſmetipſi petamus, & quod noſtri eſt miniſterii penitus peragamus. Poſtremo magnopere commonemus, ut hos apoſtolatus noſtri præcipuos miſſos, Joannem videlicet, atque Petrum, Vvibbodum, & Joannem, reverendos epiſcopos, nec non & Petrum religioſum presbyterum cardinis noſtri, dilectumque familiarem noſtrum, pro principum apoſtolorum ab omnibus præferenda reverentia & amore, benigne ſuſcipias, & utpote a tanta ſede digreſſos, honorifice receptos colas. Ipſis enim, quæ pagina reticuit, tibi dicenda injunximus: & ideo quidquid verbo tenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admitte: & ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigila. Optamus gloriam tuam in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data v. Kalendas Julii, indictione III. (An. Chr. 870.)

### NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1. *Sacrorum itaque dogmatum.*) Caroli ad ſingula hujus epiſtolæ membra reſponſionis meminit Hadrianus in epiſtola XXVIII. Legatos autem, quos a Carolo rege contemptos ait, Paulum & Joannem epiſcopos intelligit, de quibus in epiſtola XV. & duabus ſequentibus.

## XXIV. AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

Ut regem moneant, ut a regno Lotharii abſtineat, & legatos benigne ſuſcipiant.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris archiepiſcopis & epiſcopis in regno Caroli glorioſi regis conſtitutis.*

NUper apoſtolatus noſtri miſſis atque epiſtolis reverentiam veſtram ſalutiferis exhortationibus, ut vobiſmetipſis conſuleretis, monuimus, & juxta quod vos oportuit, fraternitatis affectu non immerito corripuimus. Sed tantum apoſtolica monita contempſiſtis, quantum nec noſtris epiſtolis reſpondiſtis, nec regem veſtrum Carolum grave facinus incurrentem procul dubio doluiſtis. An non grave ſcelus incurrit, quando, ſicut multi veſtrum noverunt, ſui oblitus, jusjurandum, quod olim cum fratribus ſuis pepigit, quo nemo illorum regnum alterius invaderet vel uſurparet; ut evidentiſſime patefactum eſt, regnum quondam Hlotharii imperatoris, quod jure divo imperatori domno Hludovico filio ejus ſemper Auguſto debetur, ſpretis juramentis invaſit, & perjurii incidit crimen? Unde valde miramur, obſtupeſcimus, & dolemus, ut ſi vos fidem illi promiſiſtis, quare voſmetipſos perditis, & non eum modo ſuggerendo, modo illud aut illud opponendo, ut reſipiſcat circumvenitis: quin potius vobis conſentiendo, & illi, tam deteſtabilia faciendo, quod veſtri non fecere parentes, gehennam paratis. Præfatus ſiquidem imperator, terrena regna non ambiens, pro liberatione populi Dei multis laboribus fatigatus, triumphales in Sarracenorum cervices potius manus, quam in eum regnum ſuum tollentem extendit. Redite ergo ad vos, dilectiſſimi, & ut olim fœdera inter ſeniorem veſtrum, fratreſque illius, cum juramentis habita, ſed modo corrupta reformentur, ſine ceſſationibus laborate. Commonete jugiter illum juxta veſtrum miniſterium, & ut epiſcopalis in vobis non refrigeſcat caritas, providete. Et ſi eum ſalvum conſiſtere vultis, ut regni jura ad ſe non pertinentia deſiſtat invadere, opportune importune inſiſtite. Aliena non concupiſcat, aliena non rapiat, & quod ſibi non vult fieri, alii prorſus non faciat. Reminiſcatur ſcripturæ dicentis: *Non concupiſces rem proximi tui.* & rurſum: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* (Exod. 20. Matth. 7.) Nos enim non tantum regnum cuicumque augendo, quam juſtitiam requirendo, iſta proſequimur, & ne quis pro temporali regnum perdat æternum, non indebite conteſtamur. Quod ſi & nunc his ſalubribus noſtris exhortationibus atque monitionibus tam jam fatus rex, quam vos parere contempſeritis; ſcitote quia ducti paterno affectu, ferventiſſimoque zelo juſtitiæ, ſtatim Chriſto opifice partes illas penetrabimus, & in contemptores dignam dabimus ultionem. Poſtremo magnopere commonemus, ut hos apoſtolatus noſtri præcipuos miſſos, Joannem videlicet, atque Petrum, ſeu Vvibbodum & Joannem reverendos epiſcopos, nec non & Petrum religioſum presbyterum cardinis noſtri, dilectumque noſtrum familiarem, pro principum apoſtolorum ab omnibus præferenda reverentia & amore, benigne ſuſcipiatis, & utpote a tanta ſede digreſſos, honorifice receptos colatis. Ipſis enim quæ pagina reticuit, vobis dicenda injunximus. Et ideo quidquid verbo tenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admittite, & ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigilate. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data v. Kalendas Julii, indictione III.

## XXV. AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

Arguit Hincmarum, quod Carolum regem a regni Lotharii pervaſione non revocarit, litteriſque apoſtolicis non reſcripſerit. Hortatur ut regem ab eo conſilio deterreat, & alios legatos ea de cauſa miſſos ei commendat.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Hincmaro Rhemenſi archiepiſcopo.*

SI beneficiorum domini, quæ ſedis apoſtolicæ inſtantia conſecutus es, memor eſſes; aut ſi ita de proximi, ſicut de propriis, caſibus juxta quod ſcriptum eſt condoleres, profecto aut amor Dei, aut timor gehennæ, ad paſtoralis curæ miniſterium peragendum a ſomno deſidiæ excitaret, & ad annuntiandum iniquo iniquitatem ſuam vel modicum invitaret. Sed ut in multis cernimus, & oculo mentis noſtræ conſpicimus, abundante iniquitate, & multorum caritate refrigerante, ipſi paſtores mercenariorum morem ſequuntur, qui vident lupum venientem, & dimittunt oves, & fugiunt. Primum tamen reminiſci debes, ſi unquam apoſtolicis epiſtolis non reſcriptum ſit, & convenientibus reſponſis de negotiis unde agebatur, apoſtolicæ ſedi remiſſum: ſicuti tuam reverentiam pro noſtro contemptu feciſſe penitus conſtat, quando nuper per noſtros miſſos in Galliarum partes epiſtolas tam tibi, quam aliis deſtinavimus, & nullum inde reſponſum recepimus. Sed quia de his alio loco dicendum eſt, reſtat ut te de tuis actibus per juſtitiam, ex caritate tamen, reprehendere non omittamus.

Quis

A Quis igitur melius te novit, quod filii quondam Hludovici imperatoris in unum convenientes regnum inter ſe diviſerunt, jureque jurando ſibi invicem promiſerunt, ut nullus eorum regnum alterius fratris ſibi uſurparet, aut omnino pervaderet? & tunc Carolus rex, ſacramentis illis contemptis, regnum, quod Hlothario imperatore defuncto domino ſereniſſimo imperatori filio ejus debetur, invaſit, & fidem debitam violavit. Tu vero, quia ſiluiſti, & contra tale facinus ſaltem leviter non inſurrexiſti, non ſolum conſors, ſed etiam, quod eſt deterius, hujus tyrannidis auctor eſſe videris. Et ideo, ne & noſipſi pro taciturnitatis ſilentio apud Deum redditorem unicuique juxta opus ſuum, reprehenſibiles eſſe videamur, B apoſtolicis ſomnolentiam veſtram excitamus affatibus, & qui aliter non debemus, ut ad te revertaris præcipimus. Memento quod dominus tales per prophetam increpet dicens: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die domini.* [Ezech. 13.] Quocirca ut ab invaſione regni ſpiritalis filii noſtri Hludovici principis rex veſter jam tertio monitus procul recedat, inſiſte, ut amplius perjurium non incurrat, invigila, & ut pro retro culpis peractis apoſtolatus noſtri jaculis non feriaris, præcave. Quia neque tu, qui honore & dignitate ceteris illius regni epiſcopis es ſublimior, ſilentiis opprimi debes: neque, ſi non regi prave agenti reſtiteris, coram nobis excuſabilis poteris inveniri. C Mone igitur eum ut ſe corrigat, regnumque quondam Lotharii imperatoris, quod ad eum non pertinet, invadere jam deſiſtat. Jam vero, ſi in obſtinationis ſuæ perfidia poſt veſtram conventionem perſiſtere maluerit, quam juxta noſtra monita reſipiſcere, ab illius vos communione atque conſortio ſequeſtrate, & ſecundum apoſtolum, [2. Joan. v. 10.] nec Ave ei dicentes, ſi noſtræ communionis vultis eſſe participes, præſentiam ejus modis omnibus devitate. Nam & nos ita uniuſcujuſque juſtitiam volumus & exquirimus, ut ſi idem rex noſtris apoſtolicis exhortationibus, ſalubribuſque præceptis mox ſuſceptis his litteris non obedierit, & a tantis tyrannicis factionibus non declinaverit, adjuvante Deo, D nec mora, continuo iter noſtrum noſtros ſubſequetur legatos: & quidquid de talibus tantiſque viris, Deum per nos omnino ſpernentibus, oportet peragere, præveniente gratia ſancti Spiritus, præſentialiter peragemus, nullo pacto, nulloque retractationis impedimento, talia ſine ultione digna prætermittentes. Poſtremo magnopere commonemus, ut hos apoſtolatus noſtri præcipuos miſſos, Joannem videlicet, atque Petrum, ſeu Vvibbodum, & Joannem, reverendos epiſcopos, nec non & Petrum religioſum presbyterum cardinis noſtri, dilectumque noſtrum familiarem, pro principum apoſtolorum ab omnibus præferenda reverentia & amore, benigne ſuſcipias, & utpote a tanta ſede digreſſos, honorifice receptos colas. E Ipſis enim quæ pagina reticuit, tibi dicenda injunximus. Et ideo quidquid verbo tenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admitte, & ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigila. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data v. kalendas Julii, indictione III.

## XXVI. AD PROCERES REGNI CAROLI CALVI.

Eadem quæ in epiſtola XXIV. ad epiſcopos.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus optimatibus regni Caroli glorioſi regis.*

NUper apoſtolatus noſtri miſſis atque epiſtolis reverentiam veſtram ſalutiferis exhortationibus, ut vobiſmetipſis conſuleretis monuimus, & juxta quod vos oportuit, paternitatis affectu non immerito corripuimus. B Sed tantum apoſtolica monita contempſiſtis, quantum nec noſtris epiſtolis reſpondiſtis, nec regem veſtrum Carolum grave facinus incurrentem procul dubio doluiſtis. An non grave ſcelus incurrit, quando, ſicut multi veſtrum noverunt, ſui oblitus, jusjurandum, quod olim cum fratribus ſuis pepigit, quo nemo illorum regnum fratris alterius invaderet vel uſurparet, ut evidentiſſime patefactum eſt, regnum quondam Hlotharii imperatoris, quod jure divo imperatori domno Hludovico filio ejus ſemper Auguſto debetur, ſpretis juramentis invaſit, & perjurii incidit crimen? Unde valde miramur, obſtupeſcimus, & dolemus, ut ſi vos fidem illi promiſiſtis, quare C voſmetipſos perditis & non eum modo ſuggerendo, modo illud aut illud opponendo, ut reſipiſcat circumvenitis: quin potius vobis conſentiendo, & illi tam deteſtabilia faciendo, quod veſtri non fecere parentes, gehennam paratis. Præfatus ſiquidem imperator, terrena regna non ambiens, pro liberatione populi Dei multis laboribus fatigatus, triumphales in Sarracenorum cervices potius manus, quam in eum regnum ſuum tollentem extendit. Redite ergo ad vos, dilectiſſimi, & ut olim fœdera inter ſeniorem veſtrum, fratreſque illius, cum juramentis habita, ſed modo corrupta, reformentur, ſine ceſſationibus laborate. Et ſi eum ſalvum conſiſtere vultis, ut regni jura ad ſe non pertinentia deſiſtat invadere, opportune inſiſtite. D Aliena non concupiſcat, aliena non rapiat, & quod ſibi non vult fieri, alii prorſus non faciat. Reminiſcatur ſcripturæ dicentis: *Non concupiſces rem proximi tui.* [Exod. 20.] & rurſum: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* [Matth. 7.] Non enim tantum regnum cuicumque augmentando, quam juſtitiam acquirendo, iſta proſequimur, & ne quis pro temporali regnum perdat æternum, non indebite conteſtamur. Quod ſi & nunc his ſalubribus noſtris exhortationibus atque monitionibus tam jam fatus rex, quam vos parere contempſeritis; ſcitote quia ducti paterno affectu, ferventiſſimoque zelo juſtitiæ, ſtatim Chriſto opifice partes illas penetrabimus, & in contemptores dignam E dabimus ultionem. Poſtremo magnopere commonemus, ut hos apoſtolatus noſtri præcipuos miſſos, Joannem videlicet, &c. *uſque ad finem ut in epiſtola* XXIV. *ad epiſcopos.* Optamus induſtriam veſtram in Chriſto bene valere. Data v. Kalendas Julii, indictione III.





## XXVII. AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

Commendat legatos ſuos, & Ludovici imperatoris, propter Lotharii regnum a Carolo invaſum miſſos. Epiſcopum Coloniæ ſine ſuo conſultu ordinatum fuiſſe conqueritur.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Hludovico glorioſo regi.*

SIcut ſæpe per miſſos & epiſtolas veſtras comperimus, de exaltatione matris veſtræ Romanæ eccleſiæ jucundamini, & cum cariſſimo filio noſtro domino Hludovico Auguſto omnem concordiam, omnemque pacis dilectionem & fidei poſſidetis, & inſolubiliter, quemadmodum idem ſereniſſimus imperator nobis innotuit, vos retinere multis coram poſitis profitemini. Unde glorioſæ veſtræ ſerenitati nonnullas grates referimus, & ut in cœptis bonis perſeveretis, apoſtolicis affatibus, fili cariſſime, incitamus: quoniam ſcriptum eſt: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* [Matth. 10.] Sed & laudanda eſt plane veſtra conſtantia, quæ ſui non immemor fidem promiſſam merito cuſtodivit, & velut frater veſter Carolus, alterius regni jura, Hlotharii quondam ſcilicet imperatoris, quæ juxta divinas atque humanas leges eidem piiſſimo imperatori filio ejus debentur, nec invaſit, nec concupivit. Pro quibus ſcilicet iniquiſſimis actibus, quos idem Carolus Deo contempto peregit, & pro juramentis quæ corrumpere non trepidavit, valde obſtupeſcimus & miramur. Quia & illorum, quos deviare cognoſcimus, tantum animarum pericula gemimus & dolemus, quantum pro omnibus illi, qui nos ſuo gregi præeſſe dignatus eſt, rationes ponere procul dubio compellemur. Verumtamen miſſos noſtri apoſtolatus, cum ejuſdem ſpiritalis filii noſtri Auguſti legatis, tam ad vos, quam ad eumdem Carolum, ſicut nos nuper facere propoſuimus, ecce direximus. Quos benigne ac honorifice pro amore apoſtolorum ſuſcipientes, omnes utilitates & opportuna in opere præſenti negotia cum eis tractetis: quatenus, his peractis, ſicut nos & ſæpe dictus Auguſtus ſperamus, iidem miſſi ſalvi atque illæſi per veſtrum adjutorium, ad prædictum regem, duce Deo, perveniant, & regredi valeant. Jam vero ſi idem rex ab invaſione illa ceſſaverit, & ſuæ tyrannidi ceſſerit, ecce bene. Sin autem, ſcitote quia per nos illuc iter veniendi accelerabimus, & velut in contemptorem Dei, ac apoſtolicarum monitionum, ultionem debitam inferemus: ne nobis imputetur, ſi ille impunitus remanſerit, & ſi ſe a pravis actibus, perjuriis ſcilicet ac concupiſcentiis, aliiſque nefandis ſceleribus non correxit, venturus judex eum de manibus noſtris requirat, & pro deſidia merito reprehendat. Miramur præterea gloriam veſtram in præficiendo epiſcopo Agrippinæ Coloniæ tam indiſcrete præbuiſſe conſenſum: cum evidentiſſime ſcires, quod apoſtolicæ ſedis judicio atque conſultu ibidem debuerit ordinari antiſtes, cujus cenſura nuper fuerat eadem eccleſia ſuo privata rectore. Et quidem quod poſt judicium ſedis apoſtolicæ factum eſt, dure ſuſcepimus: ſed quod tua ſuper hoc devotio, quam circa nos habere probaris, omnimodis tacuit, durius æſtimamus. Præcipue quia Guntharii dudum archiepiſcopi cauſam, antequam in locum illius ſubſtitueretur epiſcopus, nos iterum audituros, & A vocem ejus admiſſuros fore ſpopondimus. Præfatam quippe ordinationem nec confirmamus, nec ratam habere decernimus, quouſque ille qui ordinatus eſt, noſtræ exhibeatur præſentiæ, & utraque pars coram nobis diſcuſſa, conventus ſynodalis perpendatur audientia. Poſtremo magnopere commonemus, ut hos apoſtolatus noſtri præcipuos miſſos, Joannem videlicet, atque Petrum, ſeu Vvibbodum, & Joannem, reverendos epiſcopos, nec non & Petrum religioſum presbyterum cardinis noſtri, dilectumque noſtrum familiarem, pro principum apoſtolorum ab omnibus præferenda reverentia & amore, benigne ſuſcipiatis, & utpote a tanta ſede digreſſos, honorifice receptos colatis. Ipſis enim quæ pagina reB ticuit, vobis dicenda injunximus. Et ideo quidquid verbo tenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admittite, & ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigilate. Optamus gloriam tuam in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data v. Kalendas Julii, indictione III.



## XXVIII. AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

Commendat legatos, monetque ut regi ſuo perpetuam pacem cum imperatore ſuadeant.

C *Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, archiepiſcopis & epiſcopis in regno Hludovici glorioſi regis conſtitutis, ſalutem.*

GRatias agimus Deo omnipotenti pro vobis, quod, ſicut fidelium relatione comperimus, ut inter ſereniſſimum principem noſtrum dominum Hludovicum Auguſtum, & glorioſum regem æquivocum ejus & patruum, ſeniorem ſcilicet veſtrum, firma caritas & pax perpetua maneat, utpote fidei cuſtodes invigilatis, & ut fœdera inter eos habita inconvulſa conſiſtant, ſuadere curatis. Quocirca, dilectiſſimi, noſtris vos apoſtolicis monitis exhortamur, ut in hoc ſemper perſeveretis, & idipſum ei ſuadere puro peD ctore ſtudeatis. Tam eſt enim illi invictus Auguſtus benevolus, quantum erga omnes probatur eſſe piiſſimus. State ergo in fide, viriliter agite, & Deo odibilium facta declinate: quia non decet vos fidem veſtram corrumpere, ſicut illos, qui Carolo regi ſeniori ſuo pro humano favore conſenſerunt, ut regnum ipſius principis noſtri pervaderet, & perjurii noxam incurreret. Pro quibus vos merito collaudamus, & ut in cœptis perſeveretis, paternitatis affectu præcipimus: quia *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* [Matth. 10.] Poſtremo magnopere commonemus, ut hos apoſtolatus noſtri præcipuos miſſos, videlicet Joannem atque Petrum, ſeu Vvibbodum & Joannem reverendos epiſcopos, nec non & Petrum religioE ſum presbyterum cardinis noſtri, dilectumque noſtrum familiarem, pro principum apoſtolorum ab omnibus præferenda reverentia & amore, benigne ſuſcipiatis, & utpote a tanta ſede digreſſos, honorifice receptos colatis. Ipſis enim quæ pagina reticuit, vobis dicenda injunximus. Ideo quidquid verbo tenus expoſuerint, ſine ſcrupulo prorſus admittite, & ut efficaces ad nos reverti valeant, omnimodis vigilate. Optamus ſanctitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data v. Kalendas Julii, indictione III.

## XXIX. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Pro Carolomanno Caroli regis filio, qui a patre vexatus ad pontificem per legatos ſuos & litteras confugerat.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Carolo regi.*

INter cetera exceſſuum tuorum, quibus alienis uſurpando invaſiſſe crederis, illud quoque nihilo minus objicitur, quod etiam beſtiarum feritatem excedens, contra propria viſcera, id eſt, contra Carolomannum genitum tuum ſævire minime vereris: ita ut more ſtruthionis, quod ex libro beati Job diſcimus, obduraveris ad filium tuum, quaſi non ſit tuus: cum videlicet non ſolum paterna gratia & beneficiis privans, verum etiam regni finibus eliminans, atque quod impium eſt, ut excommunioni ſubmittatur, affectans. Verum quia idem Carolomannus ſedem apoſtolicam legatis ſuis, tamquam quibuſdam pedum ſuorum paſſibus adiit, & per proprias litteras nos appellat, quin potius interpellat: primo quidem ab hujuſcemodi conatum tuum intentu auctoritate apoſtolica refrenamus: deinde vero, ne adverſus apoſtolum ad iracundiam provoces filium tuum, ſalubriter exhortamur. Atque ideo & gratiam ei tuam ſicut convenit redde, & illum, ut revera proprium filium, paternis affectibus ſuſcipe, nec non & priſtinis beneficiis ac honoribus reſtituere ſatage, donec ſaltem apoſtolatus noſtri miſſi ad te veniant, & ſalvo debito utriuſque veſtrum honore, quidquid de illo ſalubrius inventum fuerit, competenti executione ac diſpenſatione ordinetur ac diſponatur. Ergo ne adjicias peccatum ſuper peccatum; ſed & de priſtinis invaſionis & avaritiæ pravitatibus deprecare, & correctionis oſtenſa perfectione, veniam eccleſiaſticam recipere totis medullis exopta, & ne fine tenus pereas, uſquequaque decerta: quatenus per hoc finis pravitatum finis animadverſionis efficiatur, & præſtante Deo, cum termino culpæ terminus accedat & pœnæ. Data III. Idus Julii, indictione IV.

Job 39. Ephes. 6.

## XXX. AD PROCERES REGNI CAROLI CALVI ET LOTHARII QUONDAM REGIS.

Prohibet ne arma capiant contra Carolomannum.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus glorioſis comitibus, & ceteris fidelibus in regno Caroli, & in regno quondam Lotharii regum conſtitutis.*

AUditui noſtro ſonuit, quod Carolus rex etiam belluarum furorem tranſcendens, contra propria viſcera, id eſt, contra Carolomannum filium ſuum ſævierit, hunc videlicet non modo paterna gratia & beneficiis privans, verum etiam regni ſui metis eliminans: quin etiam conetur adverſus filium exercitum congregare, & vos omnes adverſus eum talis niſibus deſtinare. Unde, quia per hujuſmodi contentionem atque conflictum ſæpe ſanguinis effuſio contigit, providendum ſummopere decrevimus, ne tale pronefas noſtro proveniat tempore, ac per hoc nomen Dei blaſphemetur in gentibus. Ideoque pacem & non bella volentes, (nam pſalmiſta domino dicit: A *Diſſipa gentes quæ bella volunt*) ea quæ pacis ſunt inter genitorem & genitum, ſi poteſtis, conſtituite. Porro ſi non poteſtis, ſaltem bellis cedite, prælia diſſipate. Alioquin, quiſquis veſtrum contra Carolomannum caſtra moverit, arma ſuſtulerit, vel læſionis exercitia præparaverit, ac per id ut effundatur fidelium ſanguis conſtruxerit, non ſolum excommunicationis nexibus innodabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus in gehenna cum diabolo deputabitur. Optamus vos in Chriſto bene valere. Data III. Idus Julias, indictione IV.

Pſal. 7.

## XXXI. AD EPISC. IN REGNO CAROLI ET QUONDAM LOTHARII CONSTITUTOS.

B Prohibet ne Carolomannum excommunicent.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, archiepiſcopis & epiſcopis in regno Caroli & in regno quondam Hlotharii regum eccleſiam domini gubernantibus.*

PRæſulatus noſtri auribus intimatum eſt, Carolum regem Carolomannum filium ſuum gratia ſua privatum, poſt multa dira ſimul & dura crudeliter irrogata, beneficiis, & ab ipſis quoque regni ſui metis eliminaſſe: quinimmo ut vos etiam in eum excommunicationis ſpicula jacere- C tis, ſanctimoniæ veſtræ nihilo minus ſuaſiſſe. In quo quid aliud intelligi datur, ſi rei ſe ita veritas habet, niſi quod reſti delictorum, quam multipliciter extendendo contexuit, adhuc iſtud quoque impietatis genus velit adjicere, & ſeſe talibus iniquitatum captum funiculis & conſtrictum geſtiat irretire? unde nimirum valde dolemus, & ei affectu ſpirituali compatimur. Et quamvis exteriorem circa illum pacem ſolvamus, interiorem tamen integram conſervamus. Nam & ideo illum percutimus, ut ſanemus: & flagella idcirco extrinſecus adhibemus, ut intrinſecus vulnera delictorum curemus. Verbera namque corrigentis ſunt, non pœnæ damnantis. Verum quia idem Carolomannus noſtris miſſis ſuis, D quaſi quorumdam pedum ſuorum greſſibus, adiit, & per ſyllabas proprias apoſtolicam ſedem appellat, quin potius interpellat: decernimus, nullam vos in eum excommunicationis jaculaturos omnino ſententiam; quouſque videlicet nos, qui ſacerdotum domini matura volumus eſſe judicia, univerſa quæ geſta ſunt, veraciter agnoſcamus. Alioqui invalidam apoſtolicæ pondere auctoritatis futuram, contraque reverentiam veſtram potius non immerito ſævituram. Satius autem, & ſine dubitatione præſtantius eſt, ne Carolus proprium filium ſpernat, ne domeſticos ſeminis ſui deſpiciat, ne jura propinquitatis ſolito more corrumpat, ne pacis & caritatis fœdera violet, ne caduca manſu- E ris anteferat, ne temporalia æternis præponat. Præterea præfatus Carolomannus inſontem quidem ſe circa patrem multipliciter aſſerit. Verum ut nos, non adſtruendo, ſed ratiocinando, quæ animadvertimus fateamur, quid mirum, ſi Carolus præcepta Dei, præfixos metis ſuis terminos tranſferendo, aliena invadendo, contemnens, ex ſuis reperit, qui ejus voluntatibus contrairet, & de lumbis ſuis procederet, qui ipſius nutibus reſultaret? cum non ignoremus protoplaſtum, contra Deum ſe per inobedientiam erigentem, & vetita contingentem, non ſolum exteriora quæque rebellantia cognoviſſe, verum etiam



etiam in ſemetipſo quæ ſibi obſiſterent inveniſſe? Quod tamen non dicimus, quaſi Carolomannum rebellem circa patrem fatentes, aut contumacem genitum erga genitorem fore docentes: ſed quid ſecreto juſtoque divino judicio fieri poſſit conſiderantes, & ut hæc rex Carolus ſolerter attendat, ſalubriter admonentes. De quibus omnibus ſcitote nos ipſi regi Carolo ſcripta noſtra miſiſſe, & exhortatoria pontificatus noſtri monita direxiſſe. Optamus fraternitatem veſtram in Chriſto bene valere. Data III. Idus Julias, indictione IV.

## XXXII. AD EPISCOPOS SYNODI DUZIACENSIS.

Actardum epiſcopum a Namnetica ſede transfert ad Turonicam. Hincmari Laudunenſis depoſitionem improbat, eumque Romam cum adverſario ad renovandum judicium venire jubet.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris, archiepiſcopis & epiſcopis qui apud Duziacenſem Rhemenſis provinciæ ſynodum convenerunt.*

Ex codice S. Remigii Rhemenſis.

CAritatis veſtræ literas per Actardum venerabilem coepiſcopum, & glorioſi regis Caroli legatum, ſuſcepimus, & quid de eo ad ſuggeſtionem & deprecationem noſtram egeritis, non ſolum in eis, verum & per ipſum cognovimus. Egiſtis enim ut decebat, oſtendentes in ipſo veræ fraternitatis fervorem, & in nobis eccleſiæ, cui, licet indigni, vicarii tamen digniſſimi principis apoſtolorum præſidemus, debitum cum reverentia honorem. De quo prout ſignificaſtis, peregimus. Nam ſicut ſynodus expoſtulavit, plebs & Turonicus clerus cum concorditer elegit, per noſtræ apoſtolicæ auctoritatis decretum conſtituimus cardinalem metropolitanum, & archiepiſcopum Turonicæ eccleſiæ, atque provinciæ: quoniam dicente Antero papa in epiſtola ſua, quibuſdam eum de mutatione epiſcoporum de civitate in civitatem conſulentibus: Scitote eam communi utilitate atque neceſſitate fieri licere, ſed non libitu cujuſquam, aut dominatione. Petrus namque ſanctus magiſter noſter & princeps apoſtolorum de Antiochia utilitatis cauſa translatus eſt Romam, ut ibidem potius proficere poſſet. Euſebius quoque de quadam parva civitate apoſtolica auctoritate mutatus eſt Alexandriam. Similiter & Felix de civitate, qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam & bonam vitam quam habebat, communi epiſcoporum & reliquorum ſacerdotum ac populorum conſilio, translatus eſt Epheſum. Non enim tranſit de civitate in civitatem, qui non ſuo libitu hoc facit, aut ambitu, ſed utilitate quadam, aut neceſſitate, aliorum hortatu & conſilio potiorum transfertur: nec transfertur de minore civitate ad majorem, qui hoc non ambitu, non propria voluntate facit; ſed aut vi a propria ſede pulſus, aut neceſſitate coactus, aut utilitate loci aut populi, non ſuperbe, ſed humiliter ab aliis translatus & inthronizatus eſt, quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Et alios nonnullos, ſicut tripartitæ hiſtoriæ ſeries prodit, legimus pro temporis neceſſitate de una eccleſia fuiſſe mutatos in aliam: quia aliter tractanda eſt neceſſitatis ratio, aliter voluntatis. Unde ſancti patres Nicæni capitulo ſecundo dicunt, quoniam plura aut A per neceſſitatem, aut alias cogentibus hominibus, adverſus eccleſiaſticam facta ſunt regulam. Et ſanctus Leo papa cap. 44 decretalium ſuorum dicit, omittendum eſſe, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit. Ita tamen hoc permittentes, ut Namneticæ eccleſiæ, cui fuerat ordinatus, in eo quod remanſit, quod deſtructa habetur, jura poteſtatemve nullo modo ſubtrahamus. Interponentes paſtoralis vigoris cenſuram, ut ſi quandocumque, vel quicumque alium, ipſo ſuperſtite, in præfata metropoli, & in iſta, vel in earum pertinentiis, locare tentaverit, aut ordinare locare præſumpſerit, eccleſiaſticæ, dumtaxat communionis conſortio careat. Sane poſt ejus deceſſum, electio canonica, & ordi- B natio a ſuffraganeis epiſcopis ejuſdem metropoleos Turonicæ canonico celebretur ex more. Quod ſi Namneticæ contigerit eccleſiæ ad priorem Chriſto auxiliante ſtatum redire, nihil officiat ei hæc neceſſitatis unitio, quam videlicet exigit paganorum vaſtatio, quo minus proprium valeat habere pontificem. Sed vidimus eum valde triſtiſſimum propter perſecutionem paganorum. Et cum omnes ſint pæne res ipſius eccleſiæ depopulatæ, veſtræ dirigimus fraternitati, ut fraterna eum caritate commoti viribus totis adjuvare, apud excellentiſſimum regem veſtrum humiliter intercedendo, viriliter ſatagatis: quatinus veſtro ingenti certamine Chriſti eccleſia quieta & ſecura, & propriis rebus dita- C ta glorioſaque conſiſtat. Igitur de Hincmari Laudunenſis epiſcopi depoſitione pontificio noſtro ſcripſiſtis, quatinus de eo ſecundum quod canonicum eſt vobis reſcribere juberemus. Primo denique veſtræ reſpondemus caritati, quia cum clamaret in ſynodo ſe ad ſedem apoſtolicam velle incunctanter venire, atque in præſentia ejus pro objectis ſibi ab adverſario criminibus reſpondere, damnationis in eum non erat proferenda ſententia. Tamen, ſicut ipſius concilii actionibus legitur, quoniam ſalvo in omnibus judicio ſedis apoſtolicæ, illum ab epiſcopis fuiſſe judicatum aſſeritis, nos, non aliqua contra quoslibet commoti invidia, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus D & auctoritate apoſtolica, nullius partis favorem aut obſequium, ſed rei geſtæ veritatem magis invenire cupientes, jubemus ipſum Hincmarum Laudunenſem epiſcopum veſtra fretum potentia ad limina ſanctorum apoſtolorum, noſtramque venire præſentiam. Quo ſane veniente, veniat pariter accuſator idoneus, qui nulla poſſit auctoritate legitima reſpui. Et tunc in præſentia noſtra, & totius ſedis Romanæ ſynodali collegio, cauſa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquiſita; ſecundum Deum & ſacrorum canonum conſtitutiones ſpiritu Dei prolatas, ſine protelatione aliqua finietur: quoniam geſta ſynodalia quæ nobis mandaſtis, & illius judicantur damnatione, dicente nobis bea- E to Gregorio ad Conſtantium Mediolanenſem epiſcopum de quodam ab eo damnato epiſcopo, idonee ſatisfacere non videntur. Ideo temere aliquid de epiſcopi perſona decernere nec debemus, nec poſſumus, ne (quod abſit) reprehenſibiles inveniamur in noſtris, quibus aliorum jure competit retractare ſententias.] Item in alia epiſtola ſua Felici Sicilienſi: Nec nos, inquit, contra inauditam partem aliquid poſſumus definire.] Hinc etiam ad Marinum quemdam ſcholaſticum ſcripſit dicens: Quia, ſicut præfati ſumus, cauſarum origo & qualitas omnino nobis ignota eſt, pronuntiare aliquid definitive non poſſu-

Epiſt. ad Nicetam Aquileien. — Epiſt. unica in princip. — Lib. XII. cap. 8. — Lib. VII. epiſt. 10. — Lib. VII. indict. II. epiſt. 41. Lib. eod. epiſt. 61.

poſſumus: ne, quod reprehenſibile nimis eſt, de rebus non bene cognitis proferre ſententiam videamur.) Unde & ſanctus Leo, ſedis & doctrinæ apoſtolicæ decus, dicit in epiſtola ſua Flaviano Conſtantinopolitano pro Eutychete presbytero hæretico: [Epiſt. 2.] Quoniam nos, qui ſacerdotum domini matura volumus eſſe judicia, nihil poſſumus incognitis rebus in cujuſquam partis præjudicium definire, priuſquam univerſa quæ geſta ſunt, veraciter audiamus.) Hinc & beatus Job dicit: [Job 29.] *Cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam.* Inde etiam in Pentateucho dominus dicit: [Gen. 18.] *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. deſcendam & videbo, utrum clamorem qui venit, opere compleverint, an non eſt ita, ut ſciam.* Ecce dominus omnipotens, cui nihil abſconditum eſt, ſed omnia ei manifeſta ſunt etiam antequam fiant, cur hæc & alia multa per ſe inquirere dignatus eſt, niſi ut nobis exemplum daret, ne præcipites in diſcutiendis ſeu judicandis negotiis eſſemus, & ne mala quorumquam prius quiſquam præſumat credere, quam probare? Cujus exemplo monemur, ne ad proferendam ſententiam unquam præcipites ſimus, aut temere quoquo modo judicemus. Quibus nimirum exemplis admoniti, aliter in præſenti de prædicto Hincmaro, niſi eum Romam veniendi, vobis mandare diſtulimus. Nam grave mentibus veſtris videri non debet, in præſentia ſedis apoſtolicæ ut illius retractetur judicium; quia veritas exagitata ſæpius magis ſplendeſcit in lucem, & pernicies revocata in judicium gravius & ſine pœnitentia condemnatur. Nam fructus divinus eſt, juſtitiam ſæpius recenſeri; nullumque bonum eſt, quod non pulcrius eluceſcat, ſi plurimorum fuerit ſententia comprobatum. Unde quouſque cauſa illius, ſicut prætulimus, fuerit iterum refricata atque finita, epiſcopus in ipſa Laudunenſi eccleſia nullatenus ordinetur. Quapropter quæ vobis ſalubri & apoſtolica præceptione facienda mandamus, toto anniſu & fideli devotione, ſicut filii cariſſimi, adimplere facereque debetis, ſi noſtro illibate frui apoſtolico ſemper deſideratis conſortio. Generalitatem veſtram optamus in Chriſto bene valere. Data VII. Kal. Januarii, indictione V. [An. Ch. 871.]

## XXXIII. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Dolet regem ſedis apoſtolicæ monita ægrius tuliſſe. Hincmari Laudunenſis depoſitionem non probat, eumque Romam ad retractandum judicium mitti jubet. Actardum vero ad eccleſiam transfert Turonenſem.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Carolo glorioſo regi.*

LAudabilis caritatis & ſapientiæ pudicæ ac pacificæ vigore atque decore magnitudinem excellentiæ veſtræ, o cariſſime in domino fili, longe lateque florere, nitide ſplendere audimus. Sed quia literis veſtris, apoſtolicæ correptionis apices [illegible]tim retexendo, adverſum paternitatem [illegible] quoddam indebitæ reprehenſionis murmur [illegible] tumultuoſum nobis clamorem miſiſtis; nec [illegible] er pontificii noſtri monita & correptiones [illegible] ſe comperimus; liquido patet vos adhuc perfectæ aliquid caritatis minus dumtaxat habere. De illa enim dicit apoſtolus: [1. Cor. 13.] *Caritas patiens eſt, benigna eſt, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Omnia igitur quæ vobis a ſede apoſtolica, caſtiſſima utique matre veſtra, cui per Dei gratiam præſidemus, directa ſunt, velut aliquo ſedule negotio exigente mittuntur, auribus patefactis audire, alacri mente percipere, animoque grato amplecti, ſicut filius cariſſimus debes, & patris verba dilecti, non ex voto male optantis, ſed ex radice veræ procedentia caritatis, humili ſemper debetis intentione recipere: quæ ſicut Salomon ait, [Eccl. 12.] *quaſi ſtimuli, & ſicut clavi in altum defixi eſſe videntur*; quod culpas delinquentium neſciant palpare, ſed pungere. Unde quoniam te virum perfectum, & per omnia Deo placentem habere cupimus, ceu prudens pater, qui cariſſimum filium ſuum, etiam non delinquentem, ne quando ſecurus exiſtens flagitiis ſe audacter commiſceat illicitis, flagello ſevero affligere non deſiſtit, quia nec propter amorem carnis diſciplinali parcendum eſſe virgæ a ſapiente monemur. Hinc etiam de ipſo Deo noſtro, quem cœtus omnium fidelium patrem quotidie vocat, legimus ſcriptum: [Hebr. 12.] *Quem diligit dominus, caſtigat, & corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Quapropter ſcire vos decet, quia Deo permittente, juſto utique, quamvis alto & ſecreto conſilio ſuo, pro veſtri ſalute talia veſtræ ſerenitati a ſede apoſtolica ſæpius monita venire videntur. Ideo magis omnipotenti domino immenſas gratias agere, nobiſque deinde paternæ laudis gratanter debetis præbere obſequium, & non reprehenſionis vel murmurationis modicæ verba dirigere. Nam nos, nullius zelo livoris, nullius ſubdolæ calliditatis dolo, vel etiam favore alicujus tranſitoriæ laudis, cariſſimam veſtræ nobilitatis & magnitudinis prudentiam & dilectionem modo affabiliter monere, modo autem pro regiæ poteſtatis gloria, vobis, quoties neceſſaria temporis res, vel proximi depoſcit neceſſitas, humilis precator aſſiſtere, aliquando vero verbis ſeverioribus fidenter corripere, ut Chriſti gratia in melius ſemper proficiatis, ſtudemus. Igitur de Hincmari Laudunenſis epiſcopi depoſitione pontificio noſtro ſcripſiſtis; *& cetera quæ ſequuntur, ut in epiſtola præcedenti, uſque ad* temere quoquo modo judicemus. Nos in depoſitione illius, quamdiu vivimus, nullatenus conſentiemus, niſi ad noſtram ipſo veniente præſentiam, cauſa ejus depoſitionis noſtro fuerit examine diligenter inquiſita, atque finita. Quibus nimirum admoniti, aliter in præſenti de prædicto Hincmaro, niſi eum Romam veniendi, vobis mandare diſtulimus. Actardum denique venerabilem antiſtitem legatum veſtrum, de quo & nos olim vobis mandavimus, & vos veſtris apicibus noſtræ clementiæ direxiſtis, ſicut & ſynodus expoſtulavit, plebs & Turonicus clerus concorditer elegit, jam conſtituimus per noſtræ apoſtolicæ auctoritatis decretum cardinalem metropolitanum & archiepiſcopum Turonicæ provinciæ: ſic tamen, ut Namneticæ eccleſiæ, cui fuerat deſtinatus, in eo quod remanſit, quia deſtructa habetur, jura poteſtatemve nullo modo ſubtrahamus. Interponentes paſtoralis vigoris cenſuram, ut quandocumque vel quiſcumque alium ipſo ſuperſtite in præfata metropoli, & in iſta, vel in earum pertinentiis locare tentaverit, aut ordinare præſumpſerit, eccleſiaſticæ communionis conſortio careat. Sane poſt ejus deceſſum electio canonica, & ordinatio a ſuffraganeis epiſcopis ejuſdem metropoleos Turonicæ canonice celebretur ex more: & ſi Namneticæ contigerit eccleſiæ ad priorem redire ſtatum, nihil officiat ei hæc neceſſitatis unitio, quam exegit paganorum vaſtatio, quo minus proprium valeat habere pontificem. Sed vidimus eam valde triſtem propter perſecutionem paganorum; & cum omnes ſint pæne res ipſius eccleſiæ depopulatæ, precamur largiſſimam munificentiam & caritatem veſtram, ob amorem Dei & ſancti Petri, noſtramque deprecationem, & hoc ſit in memoriale perpetuum, quod conceſſeritis nobis hoc donum, ut non patiamini tantum locum peſſum ire, & in deſolationem, præſertim cum fuerit ex antiquo metropolis, & meritis glorioſiſſimi confeſſoris Chriſti Martini honorabilis, ſemperque venerabilis, & inter Gallicanas eadem vel ſecunda vel tertia provincia Turonenſis, & multis quæ ab ea diſtractæ ſunt, ditata villis, poſſeſſionibus, & abbatiis. Et cum aliæ, quæ ſub ea ſunt, civitates jam ſint pæne deſtructæ, harum matrem tantam & metropolim ne patiamini deſtrui, deſolari, & dehonorari veſtro in tempore. Quin potius ſtudete eam de rebus veſtris propriis, vel procul ab ea poſitis, vel tutis a paganis, ditare, continere, & extollere. Quia tunc ea vobis in æternum confirmatis, cum quæ eccleſiarum Dei obſequiis condonatis, & reſervatis omnibus ſua jura metropolitanis. Noſtis enim, quia omne monaſterium in poteſtate epiſcopi conſiſtere debet juxta canonicam auctoritatem: & quia hoc eſt tranſgreſſum, ideo plurima monaſteria habentur deſtructa, ſicuti monaſterium ſancti Medardi Turonis, in quo jacent epiſcoporum primi Turonenſium Lidorius & Gatianus; ſicut & Monaſterium majus, ſicut etiam alia in eadem civitate monaſteria, quæ forſitan per epiſcopale miniſterium, & veſtrum ſapientiſſimum conſilium, & largiſſimum donum, poterunt redire ad priorem ſtatum. Debent etiam vici omnes eccleſiæ cujuslibet parochiæ in poteſtate conſiſtere præſulis, ſicut moris eſt eccleſiis plurimis. Res etiam quæ de eadem eccleſia noſcuntur fuiſſe, & olim ſunt abſtractæ, precamur vos eidem reſtituere, & ſicut precati jam ſumus, ad præſens de veſtris rebus propriis per præceptum veſtrum eam ditare, conſtruere, & vobis in æternum propriam facere, ut non vocetur, ut antiquitus, Cæſarodunum ulterius, ſed Karolidonum in perpetuum. Omnipotens dominus ſerenitatis veſtræ regalem excellentiam ſalvam in omnibus atque incolumem in ſui ſemper amore conſervare dignetur.



### NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Laudabilis caritatis.*) His rurſum Hadriani literis offenſus Carolus prolixam epiſtolam reſcripſit, quæ inter ceteras edita eſt poſt Hincmari opuſcula, embolo ſub finem adjuncto, quod inſtar habet alterius epiſtolæ, revera autem ad eamdem ipſam referendum eſt. Carolum porro Hadrianus, acceptis ejus literis, ſequenti epiſtola XXXIV. placare conatus eſt.



## XXXIV. AD CAROLUM CALVUM REGEM.

Regem aſperioribus literis offenſum, multa de ejus laudibus prædicans, placare ſtudet. De Actardo ad ſedem Turonicam tranſlato. Imperium Carolo poſt Ludovici obitum promittit. Et de Hincmaro Laudunenſi.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectiſſimo filio & glorioſiſſimo Carolo regi, conjugique ſalutem in Chriſto.*

LIteras veſtræ nobilitatis per venerabilem filium & fratrem noſtrum Actardum epiſcopum ſuſcepimus: in quibus multa reclamatoria, reſultatoria, & tumultuoſa perſpeximus, aliter quam optaveramus murmurantia. Regnum Dei nullus murmurans accipit, nec murmurare poterit accipiens. [Prov. 1.] *Audiens enim ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit.* Nos vero, licet indigni, tamen ſumus illius vicarii, cui commiſit Deus eccleſiam ſuam, dans ei poteſtatem ligandi atque ſolvendi: & qualeſcumque ſimus, illius primi ſeſſoris meritis, quamdiu merita ejus in cælis non moriuntur, quod operandum eſt in eccleſia ſibi commiſſa, ab ipſo repletur. Et quidem quia quaſi tumores & læſiones veſtras palpitare ſenſimus, has oleo conſolationis per melos dulciſſimæ caritatis, & ſanctæ dilectionis unguentum fovere, lenire, & ad integritatis ſanitatem perducere medicamento quo valemus optamus. Cum noverimus omne donum optimum, & omne datum perfectum deſurſum eſſe deſcendens a patre luminum, procul dubio donum ſapientiæ diligimus divinitus tibi collatum. Prædicatur enim de te, & longe lateque diffunditur, quod ſis ſapiens & Deum timens. Scriptum eſt enim: [Prov. 1.] *Principium ſapientiæ timor domini.* Narratur etiam quod ſis juſtus, quod congruit regiæ poteſtati, cunctiſque judicibus, divina prædicante ſapientia: [Sap. 1.] *Diligite juſtitiam qui judicatis terram.* Annuntiatur etiam a pluribus probis, permaxime a comminiſtro & fratre verbo tenus noſtro, veſtroque, & fratrum noſtrorum regni veſtri, Doziacenſis ſynodi archiepiſcoporum & epiſcoporum legato, archiepiſcopo jam a nobis conſtituto Turonenſibus Actardo, quod ſis amator, exaltator, & illuſtrator ſpecialis in orbe terrarum, & permaximus eccleſiarum Dei: ita ut nullus ſit epiſcopus, nullumque monaſterium in regno tuo, quod non auxeris rebus propriis, & reſtitueris ſuis perplurimum, optareſque ferventer & deſiderares hanc principis apoſtolorum Petri primam ſedem exaltare, honorare, multiſque muneribus vicarium ejus, & clerum ſibi commiſſum ditare, & ab omnibus hoſtibus, prout poſſe & tempus dictaverit, defenſare, Deumque totis viſceribus in hoc glorificare, monente propheta ex perſona domini: [1. Reg. 2.] *Qui glorificant me, glorificabor in eis.* Quocirca ſapientia præcellentem cum timore Dei, & diligentem juſtitiam, & glorificantem Deum, quis non diligat? quis non ambiat? quis non deſideret? quis non optet revera, ſicut regem præcellentem, ſicut juſtitiam moderantem, ſicut Deum glorificantem? In veritate credite nobis, quia tales virtutes ſic diligo in vobis, ſicut animam meam. Scriptum eſt enim: [Levit. 19.] *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* & talem intelligo proximum, quem conſtat talibus virtutibus repletum: & a die illa,

qua vobis per præfatum fratrem noſtrum mandavi fideles orationes & certiſſimas amicitias, nunquam alioſum declinavi. Et ſi quædam literæ delatæ vobis ſunt aliter ſe habentes in ſuperficie, vel ſubreptæ, vel a nobis infirmantibus extortæ, vel a qualibet perſona confictæ, durius aut acrius mordaciter ſonantes: id tamen nobis fixum ſemper manſit in mente, quod vobis ſignificavimus devote. Nec alienum judicavimus, judicamus, & judicabimus a noſtra communione mentis devotione quem diligimus tota animi intentione; judicantes dignum laude, propheta monente: *Rectos decet laudare*. Quem profecto ſperamus, ſi nobis ſuperſtes fuerit, noſtris omnibus propinquis & amicis manum porrigere conſolationis; indolem & fidem ejus cernentes in affinitatem propinquorum noſtri deceſſoris. Namque ſolet ſæpe uterque parens in prolem opprobria vel maledicta congerere, quam optat ſine crimine & læſione manere. Cui ſimile ſolet ſæpe doctoribus & prædicatoribus contingere. Quapropter non ad ſonum, ſed oportet ad votum reſpicere. Præfatum veſtrum denique legatum, ſicut ſignificaſtis, & ſynodus & plebs expoſtulavit & Turonicus clerus, jam conſtituimus cardinalem metropolitanum & archiepiſcopum Turonicæ provinciæ, per ferulam, pitacium, & annulum, nec non per noſtræ auctoritatis literale decretum. Sic tamen, ut Namneticæ eccleſiæ, cui fuerat deſtinatus: *& cetera, ut in epiſtola præcedenti, uſque ad* Karoli donum in perpetuum. Igitur ergo integra fide, & ſincera mente, devotaque voluntate, ut ſermo ſit ſecretior, & literæ clandeſtinæ, nullique niſi fideliſſimis publicandæ, vobis confitemur devovendo, & noteſcimus affirmando, ſalva fidelitate imperatoris noſtri, quia ſi ſuperſtes ei fuerit veſtra nobilitas, vita nobis comite, ſi dederit nobis quislibet multorum modiorum auri cumulum, nunquam acquieſcemus, expoſcemus, aut ſponte ſuſcipiemus alium in regnum & imperium Romanum, niſi teipſum. Quem, quia prædicaris ſapientia & juſtitia, religione & virtute, nobilitate & forma, videlicet prudentia, temperantia, fortitudine atque pietate refertus, ſi contigerit te imperatorem noſtrum vivendo ſupergredi, te optamus omnis clerus & plebs & nobilitas totius orbis & urbis, non ſolum ducem & regem, patricium & imperatorem, ſed in præſenti eccleſia defenſorem, & in æterna cum omnibus ſanctis participem fore. De pontifice Laudunenſi Hincmaro a præſulibus decem provinciarum depoſito, & a metropolitano ſuo venerabili fratre Hincmaro archiepiſcopo, reſervato per omnia hujus primæ ſedis privilegii judicio, cumulata in ſynodalibus literis, & præfati metropolitani, & veſtris, nec non in libello reclamationis cleri & plebis Laudunenſis, ſeu in libello continenti ſeriem geſtorum ſynodi, tanta dictu nefanda, tantaque execranda, & auctorem ſuum damnantia referuntur, ut incredibilia ab ignorantibus videantur. Sed de his nihil audemus judicare, quod poſſit Nicæno concilio, & quinque ceterorum conciliorum regulis, vel decretis noſtrorum anteceſſorum obviare. At de his quod præfati canones [illegible] decreverunt, ipſique cum ipſis una vobiſcum congregati cum noſtro ſpiritu ſimiliter [illegible] quod ſtatuunt, ſtatuimus; & quod judicant, judicamus. Nec in ullo deviantes a tenore canonico, ſervantes omnibus ſua jura metropolitanis, & ut verbis loquamur beati papæ Leonis: Alios enim, inquit, nobis commiſſos regere non poſſumus, niſi hos qui

Pſal. 32.

Epiſt. 1. ad epiſcopos Italiæ.

ſunt perditores & perditi perſequamur zelo dominicæ fidei, & a ſanis mentibus, ne peſtis hæc latius divulgetur, ſeveritate qua poſſumus abſcindamus, & quæ male pullulaſſe noſcuntur, radicitus evellantur, & meſſem dominicam nulla zizania corrumpant. Ita enim fructum uberem quæ ſunt ſincera præſtabunt, ſi ea quæ natam ſegetem enecare conſuerunt, diligentius amputentur. Sed quia non ſatis idonea videntur & matura noſtris, & huic ſanctæ ſedi condigna, donec ad hanc ſanctiſſimam & apoſtolicam, quam appellavit, ſedem ſpatium habeat veniendi: ideo veniat, & oſtenſis ſibi literis, quas nobis miſiſtis, & libello continenti ſeriem ſynodi, libellulo etiam cleri & plebis Laudunenſis proclamationem, aſſerens ſe injuſte damnatum: tunc electis judicibus, non tamen eo prius in gradu reſtituto, aut ex latere noſtro directis legatis, cum auctoritate noſtra refricentur quæ geſta ſunt, & negotia in qua orta ſunt provincia canonice terminentur. Quod ſi venire detrectaverit, clareat quod idem ipſe dederit locum damnationis in ſemetipſum, nec ſacer ordo differendo moram patiatur vel detrimentum. Qualiter autem, aut quomodo, vel quando veniat, vel adducatur, ſeu interim cuſtodiatur, præfato confratri noſtro communi legato Actardo archiepiſcopo vobis in mandatis & alia clandeſtina commiſimus manifeſtanda. Sanctorum apoſtolorum Petri & Pauli interceſſione, noſtraque ſupplicatione, & pro ordine nobis a Deo collato, benedictionem mereamini, vitæ præſentis proſperitatem, regiam & imperialem dignitatem, noſtramque & bonorum omnium communionem & ſocietatem, peccatorum omnium remiſſionem, & æternæ vitæ glorioſiſſimam reſurrectionis felicitatem. Amen.

Epiſt. 1. ad epiſcopos Campaniæ.

## ” ** XXXV. AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Nicolaum deceſſorem ſuum miris laudibus cumulat ſeque excuſat quod quædam ab eo ſeverius zelo juſtitiæ pertractata magiſtra æquitate moderando mitigarit.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri Adoni archiepiſcopo Viennenſi.*

EPiſtolam ſanctitatis tuæ magna cum exultatione ſuſcepi, & relegens innumeras omnipotenti Deo grates exſolvi, quia creditæ ſpeculationis officium non torpori tradere conſentis, ſed ſtrenue cunctis quam ſit in ſanctæ eccleſiæ rectoribus ſollicitius exercendum, ſtudio non contemnendo demonſtras. Ecce enim pro domo Dei non ſegnis paterfamilias ſatagis, cujus nimirum zelo comederis. Ecce pro civitate Dei ut fortis propugnator ſollicitaris, cujus profecto quæ ad pacem ſunt rogare non deſinis. Igitur quæ pro privilegiis eccleſiæ Romanæ vel decretis deceſſoris mei apoſtolicæ memoriæ papæ Nicolai ſine mutilatione ſervandis hortaris, laudamus, quæ ſuades admittimus, & quæ mones penitus approbamus. Siquidem acta præfati pontificis tanto a nullo patimur quolibet pacto convelli, quanto ipſe nobis poſt longa tempora inter nubila præſentis vitæ quaſi quoddam novum ſidus apparens, & vitæ vel doctrinæ ſuæ fulgore auctore Deo errorum tenebras abigens, non quod abolendum, ſed quod imitandum ſit & fecit & docuit. Denique quis etiamſi nihil aliud rationis obſtaret ejus aliqua caſſari permitteret, niſi qui ſua quandoque infirmanda



docere voluiſſet. Nam ut beatus papa docet Gregorius, nimis eſt aſperum, & præcipue bonis ſacerdotum moribus inimicum, [a] niſi quempiam quacumque rationis excuſatione & quæ bene ſunt ordinata reſcindere, & exemplo ſuo docere ceteros ſua quandoque poſt ſe conſtituta diſſolvere. Sane ſi forte ſunt quæ idem ſacratiſſimus & vere Deo plenus antiſtes pro temporis vel cauſarum qualitate magiſtra æquitate geſſit, veluti ſi quemquam zelo juſtitiæ ſtudio corrigendi percuſſit, & nos ea rurſus pro temporis æque vel cauſarum imitatione aliter moderando mitigamus, non illa caſſare, ſed quæ ipſe cœpit conſommare dignoſcimur. Nam etſi ille vulnus aſpero medendi genere curare cœpit, & nos leni fomento illud ad ſanitatem perducere ſatagimus, utrique non diverſum ſed unum ſtudium gerimus. Quia & ille quæ tunc congruere proſpexit adhibuit, & nos quod nunc aptum fore conſideramus apponere non renuimus. Si igitur ille a lenibus inciperet, non ſanaret: Si vero aſperis nos dandam filo tenus operam judicaremus, nihilominus ad ſanitatis vota nullomodo pertingeremus. Si ergo te ſcandalizat diverſitas medicamentorum, cum magis debeat ædificare una eademque inventio medicorum, immo ſanitas ægrotorum. Quia & ipſe ſi curatio languentium acceſſiſſet inter ſanos & providentia divina curatos hos recipere nullatenus contempſiſſet. Legerat enim & inter alia hujuſmodi documenta pleniter noverat dicente domino: Videte quoniam ego ſum Deus. Ego occidam & vivere faciam. percutiam, & ego ſanabo. Et certe præfatus Magnus antiſtes Gregorius ſcribit: Sicut inquiens perſeveranti culpæ debetur jure vindicta, ita reſipiſcentibus eſt venia concedenda. Verum hinc hoc dixiſſe ſufficiat. Ceterum monemus dilectionem tuam, ut ſi qua ſunt, quæ ad communem eccleſiæ pertinent utilitatem, vel quæ noſtræ ſedi ſpiritali genio convenire perſpexerit, intente pertractet, & præſulatui noſtro actutum ſcienda denuntiet. Quatinus per hoc, quantum beati Petri memoriam vel ſedem diligat, & quantum illi hærere ſatagat, luce clarius innoteſcat. Sicque demum in ejus ſoliditate perſiſtens, nullius auctore Deo fluctus paveat ſupervenientis incurſum. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto nunc & ſemper bene valere. Data VIII. Idus Maii, indictione prima. “

a) forte, niſi H.

PA. Chr. 868.

## ” ** XXXVI. AD EUMDEM.

Laudat ejus zelum ingeniique acumen in præcavendis inſidiis impiorum.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Adoni Viennenſi archiepiſcopo.*

LEgatus cum literis a beatitudine tua deceſſori meo ſanctæ memoriæ papæ Nicolao deſtinatus me in ſede illius, quia ſic dominus voluit, ordinatum invenit. Et quia noluimus fruſtrare pium ſtudium tuum, nos illius vice, licet propter legati moram partim de his quæ ſcripſiſti fraternitati tuæ reſpondimus. Debemus enim ei in labore ſuccedere, cui per Dei gratiam ſucceſſimus in honore. Igitur de admonitione quam per Vvaltarium comitem circa glorioſum regem Hlotharium exercuit ſollicitudo tua grates multas rependimus. In eo quippe te præcipue induſtrium paſtorem dominici gregis oſtendis, quo inſidias lupi præcavendas eſſe longe poſitus adhortaris. Perſcrutatis præterea quaterniunculis, quos idem legatus detulit, ingenium & acumen ſenſus tui mirati ſumus, & auctorem protinus conlaudamus. Verum ſicut exemplaria epiſtolarum, quæ apoſtolicæ recordationis deceſſor noſter ſuper hac re in Gallias, & ad omnes epiſcopos ultra ..... poſitos deſtinavit, indicant, & ſicuti nonnulli primores xx. *&c. quæ in mſ. codice deſiderantur.*

” ** *De diverſis ab Hadriano papa ſcriptis in Gallias epiſtolis plura refert auctor annalium Bertinianorum ad annum 868. quæ rerum per ea tempora geſtarum memoriam refricant.*

CArolus ſabbato ante palmas ad monaſterium ſancti Dionyſii rediit, ibique paſcha celebravit. Et inde antequam Silvacum adiret, ſecunda die rogationum Adventio Metenſium epiſcopo, & Grimlando Lotharii cancellario deferentibus epiſtolas Adriani papæ, accepit unam ſibi directam, in qua iſdem apoſtolicus præcepit, ut regno Hludouvici imperatoris, ac regno Lotharii nullam moleſtiam ingerat. Alteram autem epiſtolam de abſolutione Vvaldradæ ad epiſcopos regni ipſius Caroli detulerunt, ſimiles dicentes miſſas epiſcopis regni Hludouvici atque Hlotharii. Abſolutio autem ipſius Vvaldradæ ea conditione eſt facta, ut Hlothario nullo pacto cohæreat. Silvacum autem Carolus perveniens, Actardum Namnetenſem epiſcopum Roma venientem ſuſcepit, ſibi deferentem epiſtolas, quarum una reſponſum reddidit de his quæ Nicolao in contrarietate Hincmari mandavit: inter cetera ei inculcans, ut de cetero ac perpetuo talis inutilis quæſtio ſopita maneret. Alteram autem epiſtolam Hincmaro detulit, laudibus & fidelitatis directionibus repletam, & ut ejus vice in iſtis partibus de Lothario fungeretur. Tertiam autem archiepiſcopis aliiſque epiſcopis Ciſalpinis detulit, ut quia iſdem Actardus pro paganorum infeſtatione & Brittonum oppreſſione in ſua civitate manere non poterat, ſi locus eveniret, etiam de metropoli iſdem Actardus in vacante civitate paſtore, auctoritate apoſtolica ab epiſcopis provinciæ ipſius incardinetur.

CON.

ANNO CHRISTI 868.

ANNO CHRISTI 868.

# CONCILIUM ROMANUM[1]

## APPROBATUM.

In quo Photius ter anathemate perculſus eſt, ejuſque volumen contra Nicolaum papam editum, igni eſt adjudicatum, anno domini DCCCLXVIII. tempore Hadriani papæ II.

Acta hujus concilii extant ſupra apud Anaſtaſium in vita Hadriani II. item infra actione VII. octavæ ſynodi Græce & Latine ſatis perſpicue & breviter recitantur tribus allocutionibus ſeu colloquiis diſtincta. Incipiunt ſic: *Debemus, fratres & dilecti filii, agri dominici cultores eſſe ſtudioſi*, &c.

# CONVENTUS EPISCOPORUM

## APUD CARISIACUM

### Anno Domini DCCCLXVIII.

In quo VVillebertus presbyter Turonicæ diœceſis examinatur; alibi poſtea conſecrandus in epiſcopum Catalaunenſem.

Ex ſupplementis Concil. Gal. ubi hoc editum ex MS. Leodienſi. Labbeus in Append. tom. VIII.

A ANno ab Incarnatione Domini DCCCLXVIII. Indictione ſecunda, III. Nonas Decembris, convenientibus apud Cariſiacum in eccleſia ſancti Remigii, pro examinatione Vvilleberti presbyteri, qui futurus erat Catalaunenſis epiſcopus, Hincmaro diœceſis Remenſium archiepiſcopo, item Hincmaro Laudunenſium epiſcopo, Odone Belgivacorum epiſcopo, cum legatis Rothadi, Erpoini, Hilmeradi, Raginalmi, & Joannis, ejuſdem diœceſis coepiſcoporum, vicem eorumdem patrum ſuorum cum tractoriis, ſicut regulæ præcipiunt, exhibentibus, & quampluribus abbatibus, canonicis, monachis, presbyteris, diaconibus, atque ſubdiaconibus. Convenientibus nihilominus archiepiſcopis & epiſcopis aliarum provinciarum, B Vvenilone videlicet Rothomagenſium archiepiſcopo, Herardo Turonorum archiepiſcopo, Egilone Senonum archiepiſcopo, & Fulchrico ipſius coepiſcopo: præſentes adfuerunt clerus, ordo & plebs Catalaunica, deceſſionem ſui patris Erchanrai quondam epiſcopi dolentes, cum decreto canonico manibus ſingulorum roborato, Vvillebertumque, quondam ſacri palatii presbyterum, a ſe electum, ab Hincmaro archiepiſcopo, & ejus coepiſcopis petentes ſibi ordinari epiſcopum. Quos invehens idem archiepiſcopus Hincmarus, cur obitum præfati epiſcopi per illos non cognoverit, ſed per alios hoc reſcierit, & rationes reddens, pro qua cauſa duæ electiones in eadem eccleſia factæ fuerint, C ſcilicet quia prima non regulariter facta exſtiterit, quoniam decretum non canonice factum fuit, ſed poſtea miſſo ad eamdem eccleſiam viſitatore Odone epiſcopo, & votis omnium in unum concordantibus, aliud decretum quod canonicum foret, fieri præcepit. Quo decreto coram omnibus relecto, & nominibus ſingulorum qui illud ſubſcripſerant recitatis, interrogati ſunt tam canonici & monachi de monaſteriis in eadem parochia ſitis, quam etiam parochiani presbyteri, & nobiles laici, ſi in eadem electione ipſius Vvilleberti presbyteri conſentirent: qui omnes viva voce dixerunt, quod & ipſi, & illi qui illo venire non potuerunt, in eadem electione conſentirent.

Tunc Hincmarus archiepiſcopus dixit: Quia Vvillebertum eligitis, & nos illum non cognoſcimus, oſtendite illum nobis, ut ſciamus quis ſit, & perſcrutemur ſi tanto honore dignus inveniri poterit. Qui in præſentia veniens interrogatus eſt, unde eſſet: iſque reſpondit, pago Turonico oriundus. Iterum interrogatus, cujus conditionis eſſet: & ille, peccatis quidem obnoxius, ſed Dei gratia, natura liber. Item ubi didiciſti? item B ipſe, in ſchola Turonica liberalibus diſciplinis erudiendus traditus ſum. Item cujus ordinis, vel cujus es ordinatus? item ipſe, præſentis patris mei domni Herardi per ſingulos gradus, uſque ad diaconum ſum ordinatus, poſtea autem ab eodem patre meo Herardo litteris ad Erpoinum datis, presbyterii onus ſuſcepi. Item Hincmarus, qua de cauſa in noſtram diœceſin veniſti? & ille, per licentiam præſentis mei archiepiſcopi Herardi, a parentibus meis, regiis ſum mancipatus obſequiis. Item Hincmarus, quod miniſterium in regio obſequio ſuſcepiſti? & ille, inbreviator ſive deſcriptor ſtipendiorum regalium, & relator a domno rege ſum conſtitutus. Item Hincmarus, quia conductor alienarum rerum fuiſti, audi quid C ſanctum Chalcedonenſe inde dicat concilium. Et lectum eſt hoc capitulum, ad quod reſpondit: Sicut dixi, non fui conductor alienarum rerum, nec turpia lucra, vel exactiones, ſive tormenta in hominibus exercens, ſed ut præfatus ſum, deſcriptor, & relator ſolummodo ſtipendiorum regalium. Unde interrogati ſunt hi, qui in corte degebant, ſi ſcirent in illo miniſterio hoc illum exercuiſſe, quod ſacerdotali miniſterio minime

Can. 3.

(1) Concilium Romanum ab Hadriano PP. coactum an. 868. 4. Id. Octob. Indict. 2. in quo confirmavit excommunicationem, & depoſitionem Anaſtaſii tit. S. Marcelli Presb. Card. a ſuis prædeceſſoribus Leone IV. & Benedicto III. factam. Hadriani ſententia legitur apud Labbeum tom. 9. in actis Concilii Romani an. 853. Utrum autem in hac eadem Synodo, qua actum eſt contra Photium, actum etiam ſit contra Anaſtaſium, mihi pro incomperto eſt, cum [illegible] referuntur adverſus Photium acta, nulla indictione, vel nota temporaria conſignata ſint.



A nime conveniret. Qui reſponderunt & clerici & nobiles laici, quod nullo modo in eodem miniſterio perpetratum haberet, quæ ſacris canonibus & ſuo miniſterio in aliquo obviare deberent. Iterum interrogatus eſt, ſi aliquod miniſterium de rebus eccleſiaſticis aliquo habuerit loco; qui reſpondit, quod præpoſituram monaſterii S. Vedaſti, jubente Joanne epiſcopo, & conſentientibus fratribus, ſuſceperit. Et de hac juſſione litteræ Joannis epiſcopi ibi relectæ ſunt, idipſum continentes, & etiam teſtimonio fratrum de eodem monaſterio, quod ita ſe res haberet, & de bona vita & converſatione ſua, & quod non in eodem monaſterio quiddam contra ſacras regulas egerit, confirmatum eſt. Proſecutus eſt domnus Hincmarus: Quia miniſteria domni regis habuit, B neſcimus ſi iidem dominus rex ab eo aliquid repetit vel repetere debeat, unde nobis ſua voluntas vel auctoritas neceſſaria foret. Et porrectæ ſunt litteræ cum ſigillo domni regis, continentes, quod de omnibus quæ illi commiſit, optime ei rationem reddiderit, & nihil ab eo repetebat, vel unquam repetere deberet: inſuper & ſi eum dignum ad onus epiſcopale invenire valerent, epiſcopum Catalaunis eum ordinari petebat.

Denique de his ſupraſcriptis coram omnibus teſtimonio multorum & litteris idoneo approbato, Hincmarus epiſcopus ad Herardum archiepiſcopum dixit: Quia veſter natus, nutritus vel educatus & ordinatus dignoſcitur; & clerus, ordo, C & plebs Catalaunica illum expoſcit: habeamus veſtram licentiam, ut regulariter una vobiſcum eum examinemus, ſi tanto oneri vel honori dignus. Qui libentiſſime annuit, & juſſus eſt ſedere coram eis. Data eſt ei regula paſtoralis Gregorii, & juſſum eſt ut relegeret capitulum de eo qui præeſſe debet, ubi ſcribitur: nulla ars docere præſumitur. Quo relecto interrogatum illi eſt, ſi illud intelligeret, & ſecundum hoc vivere vel docere vellet: qui reſpondit, utique. Iterum datum ei ad relegendum capitulum de canonibus, ubi ſcribitur, Qui epiſcopus ordinandus eſt: & profeſſus eſt ſe omnia intelligere, & obedire velle. Tunc relecta ſunt ei placita, quæ epiſcopus jam ordinatus, ab ordinatoribus, & electoribus D ſuis ſuſcipere debet, ubi continetur, qualiter vivere, docere, & ſubditos ſuos regere debet ſecundum ſacros canones, diem præſerentia & conſulem: & interrogatum eſt, ſi ſecundum ea omnia agere vellet, quæ minime abnuit. Tunc demum oſtenſus eſt illi libellus fidei & profeſſionis ſuæ, ut legeret coram omnibus, quæ in eo ſcripta erant; & ſi ea ita credere ac tenere vellet, manu ſua ſubſcriberet, & archiepiſcopo ſuo habenda traderet: ſi autem in eo quædam inveniret, quæ ſenſum ſuum offenderent, liber, ſicut venerat, exiret. Quibus relectis, verbis fidem accommodavit, & per omnia ſe tenere, credere, ac prædicare velle profeſſus eſt.

Quia enim, Deo gratias, poſt examinationem eum catholicum, litteratum, & omnimodis aptum A ad ſarcinam epiſcopalem ſuſcipiendam invenerunt, ſed tamen de aliena provincia illum fore cognoverunt: relecta ſunt ſacrorum canonum capitula, quid de eo dicerent, qui de aliena provincia peti deberet. Et inventum eſt quod ab eo petere illum deberent, cujus natus, nutritus, & ordinatus foret. Humiliter domnus Hincmarus archiepiſcopus, ſimul cum coepiſcopis & clero, ordine, ac plebe Catalaunica, ab Herardo archiepiſcopo eum petiit & impetravit, ac canonice illum ei commiſit. Quem ſuſceptum monuit, ut ſi ab eo epiſcopus ordinari vellet, libellum fidei ac profeſſionis ſuæ, quem jam relegerat, & quæ in eo ſcripta erant, ſe credere ac tenere ante paululum profeſſus fuerat, manu ſua propria in capite nomen ſuum B ſcriberet, & ad finem ſubſcriptione ſua roboraret: quod ſine dilatione ipſe fecit.

Tunc relectæ ſunt tractoriæ epiſcoporum, qui præ variis incommoditatibus ad eamdem examinationem venire non potuerunt, continentes quidquid ſuper examinationem & ordinationem ſæpe fati Vvilleberti canonice inventum & actum fuerit, ſe per omnia aſſenſum præbere. Et ſic denunciatus eſt dies & hora ac locus ordinationis ejus, id eſt Nonis Decembris in monaſterio quod Britennacus dicitur, in diœceſi Remenſi, & parochia Noviomagenſi: & commonitus eſt idem Vvillebertus ab epiſcopo ſuo Hincmaro, ut ab infantia ſua per ſingulos gradus ſuos pronuntiaret Domino viam ſuam, quatenus C in denominata die ad tanti oneris dignitatem gratioſus accedere valeret.

Die autem, hora, & loco denominato convenit domnus epiſcopus Hincmarus cum coepiſcopis ſuis, Hincmaro, Hodone, & legatis, qui tractorias ſupradictas ſuorum epiſcoporum detulerunt. Et quia jam pleniter examinatus coram ſupradictis epiſcopis & coram clero ac plebe fuerat, quando & domnus Hincmarus ſufficientem ſermonem de eo, coram epiſcopis & aliis multis clericis & laicis, & ad omnem populum ante diem Dominicam in ſexta feria fecerat, & brevitas diei id poſcebat: intermiſſo ipſa die ſermone, poſt introitum & Gloria in excelſis Deo, & orationem primam de adventu Domini, D ſecundam autem de ordinatione epiſcoporum, ſive poſt litanias, ſicut ſacri canones præcipiunt, in epiſcopum conſecratus eſt, & poſt lectionem apoſtoli perlectam, & reſponſoria, & alleluia, & euangelium, & Credo in unum, & oblata, & Miſſarum ſolemnia, ſicut mos eſt, peracta: placita, quæ ante pridem ei relecta fuerant, quæque ordinatos ab ordinatoribus ſuis ſacri canones accipere jubent, diem & conſulem præferentia, manibus archiepiſcopi & coepiſcoporum, ac legatorum vice patrum ſuorum ſubſcripta, cum capitulo Pauli apoſtoli ad Timotheum noviter ordinatum, ubi dicitur, *Teſtificor coram Deo* E *& electis ejus angelis, ut hæc cuſtodias*, iidem epiſcopi in mandatis depoſuerunt: & unuſquiſque ad propria remeavit.

1. Tim. 5.

# [1] CONCILIUM VVORMATIENSE

## PROVINCIALE EX PARTE REPROBATUM,

Habitum in cauſa eccleſiaſticæ diſciplinæ, anno domini DCCCLXVIII. tempore Hadriani papæ II. & Ludovici imperatoris II.

### TITULI CANONUM.

I. *Quibus temporibus debeat ſacramentum baptiſmi exhiberi.*

II. *Ut præter epiſcopum nullus chriſma conficiat.*

III. *De conſecranda eccleſia.*

IV. *Quid in ſacrificio offerri debeat.*

V.

(1) Ex hoc Concilio editæ ſunt literæ, quibus Hereſienſis parthenii fundatio confirmatur. Iis appoſita ſunt ſigna Liutberti Moguntiacenſis Epiſcopi, Adalvvini Salzburgenſis, Rimperti Hammaburgenſis, Alfridi Hildeneſheimenſis, Gvazonis (l. *Gunzonis*) Wormacienſis, Salomonis Conſtantienſis, Annonis Friſiogenſis, Lantfridi Sabionenſis, Ermenrici Pataviensis, Oigeri Rubelacenſis, Liutgeri (l. *Wigarii*) Auguſtburgenſis, Liudberti Mimigarnifordienſis, Thiadrici Mimindenſis, Hildegrimi Halverſtadienſis, Liuthardi Paderbonenſis, Erale Feridenſis, Ægiberti Oſnabrugenſis, Bernardi Chorepiſcopi, Hejonis Abbatis & presbyteri, Adalgari Abbatis & presbyteri, Thyadrici Abbatis & presbyteri, Bravvardi Abbatis, & Egelberti Abbatis. Hæc nomina ſingillatim referre viſum eſt, quia deſunt in actis hujus Concilii. *Mabillon. Annal. Benedict.* tom. 3. lib. 56. n. 93.

v. *De baptiſmi ſacramento.*

vi. *Ut eccleſia cum rebus ſuis ad epiſcopi ordinationem pertineat.*

vii. *De oblationibus fidelium, ſeu de redditu eccleſiæ, quot portiones fieri debeant.*

viii. *De his quæ prohibentur presbyteris in eccleſiaſticis ſacramentis.*

ix. *De epiſcopis ceteriſque ſacris miniſtris, ut ab uxoribus abſtineant.*

x. *De incriminatis, qualiter expurgari debeant.*

xi. *De ſacerdotibus in fornicationem lapſis.*

xii. *De ſacerdotibus, quibus crimen fornicationis impingitur.*

xiii. *Ut epiſcopus pro levibus & parvis cauſis neminem excommunicet.*

xiv. *De clericis, ſi excommunicati pro levibus cauſis, aut innocentes fuerint.*

xv. *Si in monaſteriis aliquid furatum fuerit, qualiter ipſi fratres ſe inde expurgare debeant.*

xvi. *Ut nulli epiſcopo liceat a ſynodo, vel ante peractam ſynodum diſcedere.*

xvii. *Ut epiſcopi, presbyteri, diaconi, canes ad venandum, & accipitres habere non debeant.*

xviii. *De clericis qui ſine epiſtola ſui epiſcopi proficiſcuntur.*

xix. *De vagis & inobedientibus clericis.*

xx. *De feminis ſacro velamine conſecratis.*

xxi. *De viduis quæ ſacrum velamen capiti impoſuerunt.*

xxii. *De parvulis a parentibus intra ſepta monaſterii traditis.*

xxiii. *De profeſſione monachorum.*

xxiv. *Ut nullus ſæcularium eccleſiam aut clericum fatigare præſumat.*

xxv. *Sub quam cauta conſideratione erga pœnitentes ſacerdos exiſtat.*

xxvi. *De his qui ſacerdotem ſponte occiderint.*

xxvii. *De eo qui meditatione odii, vel propter avaritiam paganum occiderit.*

xxviii. *De eo qui inſaniens aliquem occiderit.*

xxix. *De eo qui arborem incidit, & dum operi neceſſario inſiſtit, aliquis ſubtus ipſam arborem deveniens opprimitur.*

xxx. *De patricidis & fratricidis.*

xxxi. *De leproſis fidelibus, ſi participationem dominici corporis & ſanguinis percipere debeant.*

xxxii. *In quota generatione ſibi fideles copulantur.*

xxxiii. *De his qui cum duabus ſororibus fuerint fornicati, vel cum his perſonis, de quibus ſacra ſcriptura prohibet.*

xxxiv. *De eo qui cum commatre ſpiritali, vel cum ea quam de ſacro fonte baptiſmatis ſuſceperit, aut cum illa quam ante epiſcopum tenuerit, cum ſacro chriſmate fuerit uncta, fornicationem perpetraverit.*

xxxv. *De mulieribus quæ conceptos utero infantes voluntate excutiunt, vel quæ dormiendo filios ſuffocare videntur.*

xxxvi. *De eo qui viduam in matrimonium ſuſceperit, & cum filia ipſius, quam ex priori marito habuit, concubuerit, vel quæ patri filioque ſe ſubſternunt, ſeu de his qui cum duabus ſororibus concubuerint.*

xxxvii. *Qui pro diverſis erratibus pœnitentiam ſubierint, ſi a propriis uxoribus ſeparari debeant.*

xxxviii. *De his qui ſervos ſuos judicibus non judicantibus necant.*

xxxix. *De domina, quæ zeli cauſa ancillam ſuam* [illegible]

*occiderit.*

xl. *Si epiſcopus ſervum alterius clericum fecerit.*

xli. *De his qui odio ad pacem non revertuntur.*

xlii. *Ne ſine accuſatione legitima condemnetur quiſpiam.*

xliii. *De refugis ac perfidis laicis.*

xliv. *De adulteris.*

xlv. *Ut curam rerum eccleſiaſticarum tantum epiſcopus habeat.*

xlvi. *De eadem re, ex concilio Antiocheno.*

xlvii. *Bona eccleſiæ quot partibus dividenda, ex decretali papæ Gelaſii, capite 29. prima decretalis.*

xlviii. *Ut abſque præceptione nova baſilica non dedicentur.*

xlix. *De conſtituendis presbyteris.*

l. *De manſis uniuſcujuſque eccleſiæ.*

li. *De presbyteris uniuſcujuſque eccleſiæ.*

lii. *De villis, novis eccleſiis in eis noviter conſtitutis.*

liii. *De eccleſiis deſtructis, vel de nonis & de decimis.*

liv. *De eccleſiarum honore.*

lv. *Ut eccleſia cum rebus ſuis ad epiſcopi ordinationem pertineat.*

lvi. *De ordinatione presbyterorum.*

lvii. ..........

lviii. *De honore pro eccleſiis dando.*

lix. *De decimis diſpenſandis.*

lx. *De petendo chriſmate.*

lxi. *De non quærendo clericis judicio ſæculari, ex Carthaginenſi concilio.*

lxii. *De epiſcopis aut presbyteris vagis in parochia aliena non admittendis, ex concilio Carthaginenſi.*

lxiii. *De concubitu vago & inceſtuoſo, ex concilio Carthaginenſi.*

lxiv. *De carne a beſtiis læſa, aut per ſe mortua non edenda: item de apibus hominem necantibus, necandis, ex concilio Carthaginenſi.*

lxv. *Animalia quæ quibus comedi quomodo licita, ex concilio Carthaginenſi.*

lxvi. *Si quis presbyter contra epiſcopum ſuum inflatus ſchiſma fecerit, anathema ſit.*

lxvii. *Ut nullus epiſcopus, presbyter, & diaconus, conductor ſit.*

lxviii. *Lectoribus neceſſario vel uxores ducendæ, vel continentia profitenda.*

lxix. *De fenore clericis inhibito.*

lxx. *De infantibus baptizandis, quoties dubitatur, utrum fuerint baptizati.*

lxxi. *De clericis qui intra annum cauſam ſuam non procurant.*

lxxii. *De epiſtola ſancti Jacobi apoſtoli, in qua pro infirmis præcipit orare.*

lxxiii. *De diaconiſſis mulieribus, ex concilio Chalcedonenſi, cap. 15.*

lxxiv. *De conjuratione vel conſpiratione, ex eodem, cap. 18.*

lxxv. *Quod non liceat clericis poſt mortem epiſcopi ſui, res ad eum pertinentes diripere, ex eodem, cap. 22.*

lxxvi. *Quod non oporteat ordinationes epiſcoporum diu differre, ex eodem, cap. 24.*

lxxvii. *De his qui rapiunt puellas, ex eodem, cap. 26.*

lxxviii. *Quota generatione conjugia copulari debeant.*

lxxix. *De honore pro eccleſiis dando.*

lxxx. *De his qui ſuſpenduntur in patibulis.*

PRÆ-





## PRÆFATIO.

DUm ſtudio amoris Chriſti, ac juſſione excellentiſſimi glorioſique domini Ludovici regis, cujus tanta erga Deum devotio extat, ut non ſolum in rebus humanis, verum etiam in cauſis divinis maximam ſemper ſolicitudinem gerat, apud Vvormaticam civitatem, anno ab incarnatione domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLVIII. indictione prima, XVII. Kalendas Junii conveniſſemus, ut de quibuſdam eccleſiaſticis utilitatibus communis a nobis tractatus ageretur: primum gratias ſalvatori noſtro Deo omnipotenti retulimus, quod nos ob ſuam immenſam pietatem ſalubri conventu ad tractanda eccleſiaſtica negotia dignatus eſt aggregare. Poſtea communi tractatu ac diligenti conſideratione, priorum patrum auctoritatem ſecuti, capitula in ſubſequentibus attitulata, a nobis promulganda eſſe neceſſarium duximus. Et quoniam generale concilium egimus, oportuit primum noſtræ vocis ſermonem de Deo eſſe, ut poſt profeſſionem fidei noſtræ, ſequentia noſtri operis vota quaſi ſupra fundamentum firmiſſimum diſponerentur.

*Profeſſio epiſcoporum apud Vvormatienſem civitatem* XVII. *Kalendarum Junii in ſynodali conventu conſiſtentium,* ☞ [a] *quorum nomina ſunt Adaluvinus Archiepiſcopus* [ Salzburg ] *Liutbertus Archiepiſcopus* [ Moguntiacenſis ] *Rimbertus Archiepiſcopus* [ Hammaburg. ] *Anno Epiſcopus* [ Friſingenſ. ] *Salamon Epiſcopus* [ Conſtantienſis ] *Gunzo Epiſcopus* [ Wormacienſ. ] *Arno Epiſcopus* [ Wurzburg. ] *VVitgarius Epiſcopus* [ Auguſtburgenſ. ] *Luitbertus Epiſcopus* [ Mimigarnifordienſ. ] *Ambrico Epiſcopus* [ Ratiſpon. ] *Otgarius Epiſcopus* [ Rubelacenſis ] *Gebahardus Epiſcopus* [ ...... ] *Ratolfus Epiſcopus* [ Strazburg. ] *Ermricus Epiſcopus* [ Patavienſis ] *Heſſi Epiſcopus* [ Curienſis ] *Egibertus Epiſcopus* [ Oſnabrugenſ. ] *Erolfus Epiſcopus* [ Feridenſis ſeu Verdenſis ] *Hildegrimus Epiſcopus* [ Halverſtadienſ. ] *Theodricus Epiſcopus* [ Mimindenſis ] *Luithardus Epiſcopus* [ Paderbonenſ. ] *Lantfridus Epiſcopus* [ Sabionenſis ] *Theotto Abbas, Adalgarius Abbas, Hetto Abb. Brunvvardus Abb. Aſchericus Abb. Teotrocus Abb. Egilbertus Abb.* ☜

a) Ex MS. Bibl. Cæſar. hæc edidit P. Hanſizius in Germ. ſacr. tom. 1. pag. 161.

COnfitemur & credimus ſanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum naturaliter eſſe, unius ſubſtantiæ, unius naturæ, unius majeſtatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non factum, ſed ingenitum profitemur. Fons ergo & origo ipſe eſt totius Trinitatis. Pater namque ineffabili ſubſtantia Filium genuit, nec tamen aliud quam quod ipſe eſt, genuit, Deus Deum, lux lucem. Filium quoque de ſubſtantia Patris ſine initio ante ſæcula natum, nec tamen factum, fatemur. Igitur non ſicut Filius a Patre, ita Pater a Filio eſt: quia non Pater a Filio, ſed Filius a Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, ſed non de Filio. Si enim Pater ſemper fuit; ſemper habuit Filium, cui Pater eſſet: & ob hoc Filium de Patre natum ſine initio confitemur. Spiritum enim ſanctum, qui eſt tertia in Trinitate perſona, unum atque æqualem cum Deo Patre & Filio credimus eſſe Deum, unius ſubſtantiæ, unius quoque naturæ: nec tamen genitum vel creatum, ſed a Patre Filioque procedentem, ambormu eſſe ſpiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de Filio tantum procedit ad ſanctificandam creaturam, ſed ab utriſque procedere monſtratur, quia caritas ſive ſanctitas amborum eſſe agnoſcitur. Et nec Patris tantum, nec Filii tantum, ſed ſimul Patris & Filii ſpiritus dicitur. In relativis vero perſonarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus ſanctus ad utroſque refertur. Quæ cum relative tres perſonæ dicantur, una tamen natura vel ſubſtantia creditur: nec ſicut tres perſonas, ita tres ſubſtantias prædicamus; ſed unam ſubſtantiam, tres autem perſonas. Quod enim Pater eſt, non ad ſe, ſed ad Filium: & quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt. Similiter Spiritus ſanctus non ad ſe, ſed ad Patrem & Filium relative refertur in eo, quod ſpiritus Patris & Filii prædicatur. In hac ergo ſancta Trinitate tres perſonas, unum Deum confitemur. Ergo non ipſum qui eſt Pater, dicimus eſſe Filium, vel Spiritum ſanctum: nec ipſum Filium Patrem aut Spiritum ſanctum fatemur, nec Spiritum ſanctum Patrem vel Filium dicere valemus: ſed quod Pater eſt, hoc eſſe Filium, hoc eſſe & Spiritum ſanctum ſine ulla ambiguitate pronuntiamus: perſonas enim diſtinguimus, non naturam deitatis ſeparamus. Tres ergo illas unius atque inſeparabilis naturæ perſonas, ſicut non confundimus, ita ſeparabiles nullatenus prædicamus: cum nulla ante aliam, nulla poſt aliam, nulla ſine alia vel extitiſſe, vel quidpiam * operaſſe aliquando creditur. Inſeparabiles ergo inveniuntur, & in eo quod ſunt, & in eo quod faciunt. Habet enim Pater æternitatem ſine nativitate, Filius æternitatem cum nativitate, Spiritus vero ſanctus æternitatem proceſſionis a Patre & a Filio ſine nativitate. De his vero tribus perſonis, ſola Filii perſona hominem verum ſine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria virgine, novo ordine, novaque nativitate aſſumpſit. Novo ordine, quia inviſibilis divinitate, viſibilis monſtratur in carne. Nova autem nativitate eſt genitus, quia incorrupta virginitas & virilem coitum neſcivit: & fecunda per Spiritum ſanctum, carnis materiam miniſtravit. Dei enim filius non perſonam hominis accepit, ſed naturam. Naturam quippe noſtram in unitatem ſuæ perſonæ aſſumpſit: & idcirco filius Dei, & filius hominis, unus eſt Chriſtus. In eo namque quod filius eſt Dei, æqualis eſt patri: & in eo quod eſt filius hominis, minor eſt patre. Qui etiam, ex quo homo eſt, pro delictis noſtris paſſionem ſuſtinuit: mortique addictus & cruci, veram carnis mortem accepit. Tertia quoque die virtute propria ſuſcitatus, de ſepulcro ſurrexit. Hoc ergo exemplo capitis noſtri, in hac carne qua nunc ſumus & movemur, reſurrecturos nos credimus. Idem autem dominus & ſalvator noſter peracto reſurrectionis ſuæ triumpho, paternam ſedem repetiit, a qua per divinitatem nunquam diſceſſit. Inde in fine ſæculorum venturus judicabit vivos & mortuos, reddetque ſingulis prout quiſque geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum. Eccleſiam catholicam precio ſui ſanguinis redemptam, cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Credimus & confitemur unum baptiſma in remiſſionem omnium peccatorum. Hanc ergo fidem profeſſionis noſtræ inviolatam nos retinere, & ab ea nunquam deviare promittimus: hancque, qui ſalvus eſſe cupit, ſine ulla ambiguitate retinere ſtudeat.

CA-

## CANONES.

### I.

Sacroſancti autem baptiſmi ſacramentum non niſi in paſchali feſtivitate & pentecoſte unuſquiſque fidelium noverit eſſe præbendum, exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubveniri.

### II.

Chriſma conficere nullus præter epiſcopum præſumat: nam illi ſoli hæc dignitas conceſſa eſt.

### III.

Placuit, quoties ab aliquo fidelium ad conſecrandas eccleſias epiſcopus invitatur, non quaſi ex debito munus aliquod a fundatore requirat; ſed ſi ipſe quidem aliquid ex ſuo voto obtulerit, non reſpuatur. Attamen unuſquiſque epiſcopus meminerit, ut non prius dedicet eccleſiam, niſi antea dotem baſilicæ & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminaribus, vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum qui ibidem ſerviturі ſunt, tamquam domus privata conſecretur eccleſia.

### IV.

Cum igitur magiſter veritatis verum ſalutis noſtræ ſacrificium ſuis commendaret diſcipulis, panem tantum & calicem ſub hoc ſacramento præbuiſſe cognoſcimus. Ideoque præter panem & vinum cum aqua mixtum, aliud offerri non debet. Calix enim dominicus vino & aqua permixtus debet offerri. Quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo quando in calice vinum aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & jungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice domini, ut commixtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Non enim poteſt calix domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur.

### V.

Dum quidam ſacerdotes in quibuſdam partibus terræ trinam, quidam ſimplam merſionem faciunt, a nonnullis ſchiſma eſſe conſpicitur, & unitas fidei ſcindi videtur. Nam dum partes diverſæ & quaſi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos eſſe contendunt. Proinde quid a nobis in ſacramenti diverſitate finiendum ſit, apoſtolicæ ſedis * informemur præceptis, non noſtram, ſed paternam inſtitutionem ſequentes. Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ eccleſiæ pontifex, efflagitante ſanctiſſimo Leandro epiſcopo, de hac diverſitate quid potius eſſet ſequendum, inter cetera reſcribens ei, ſic ait: De trina vero merſione baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quam ipſi ſenſiſtis: quia in una fide non officit ſanctæ eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus: ut dum tertio ab aquis infans educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quod ſi quis forte etiam pro veneratione ſummæ Trinitatis æſtimet fieri; neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizandum ſemel in aquis mergere: quia dum in tribus ſubſiſtentiis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poterit, infantem in baptiſmate vel ter, vel ſemel mergere: quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari. Quod ſi nunc uſque ab hæreticis infans in baptiſmate tertio mergebatur, finiendum apud vos eſſe non cenſeo, ne, dum merſiones numerant, divinitatem dividant: dumque quod faciebant, faciunt, morem veſtrum ſe viciſſe glorientur. Quapropter quia de utroque ſacramento, quod fit in ſancto baptiſmo, a tanto viro reddita eſt ratio, utrumque rectum, utrumque irreprehenſibile in ſancta Dei eccleſia habeatur. Et ne forte cuiquam ſit dubium hujus ſimplex myſterium ſacramenti, videat in eo mortem & reſurrectionem Chriſti ſignificari. Nam in aquis merſio, quaſi in infernum deſcenſio eſt: & rurſum ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. Item videat in eo unitatem divinitatis, & Trinitatem perſonarum oſtendi: unitatem, dum ſemel mergimus: Trinitatem, dum in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti baptizamus. Panditur hujus ſingularis baptiſmatis myſterium etiam ſacrarum ſcripturarum exemplis. Paulo apoſtolo atteſtante: *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube & mari.* [1. Cor. 10.] Mare quippe rubrum ſignificat baptiſmum, Chriſti ſanguine conſecratum, per quod populus Dei ſemel tranſiit. Ibi tamen erat tota Trinitas, præcedens populum in columna ignis & nubis. In igne quippe ſignificatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus ſanctus. Jordanis quippe fluenta cum area populus Dei ſemel tranſit, per quod ſignificatur ſimpla merſio baptiſmatis, cujus ſacramento eccleſia abluitur, & de ſæculi hujus laboribus per baptiſmum, quaſi per Jordanem, ad terram cæleſtis repromiſſionis ingreditur.



ANNO CHRISTI 868.

### VI.

Multi contra canonum conſtituta eccleſias quas ædificaverint, & ab epiſcopo poſtulaverint conſecrari, dotem quam eidem eccleſiæ contulerint, ad epiſcopi ordinationem putant non pertinere. Quod factum & in præterito diſplicet, & in futuro prohibetur. Ergo omnia ſecundum conſtitutionem antiquam jura eccleſiarum ad epiſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant.

### VII.

De redditu vero eccleſiæ, & de oblatione fidelium, quatuor fiant portiones: quarum unam ſibi retineat epiſcopus, alteram clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam eccleſiaſticis fabricis noverit reſervandam.

### VIII.

Igitur presbyteris quamvis cum epiſcopis plurima myſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis & eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint. Conſecratio ergo virginum, & benedictio vel unctio altaris a presbyteris minime fiat. Similiter non liceat eis eccleſias conſecrare, nec per impoſitionem manus paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare, ſed nec publice quidem in miſſa quemquam pœnitentium reconciliare. Hæc enim omnia illicita eſſe presbyteris cognoſcuntur, quia pontificatus apicem non habent: quæ tamen omnia epiſcopis auctoritate canonum conceduntur.

### IX.

Placuit ut epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, abſtineant ſe a conjugibus, & non generent filios. Quod ſi hoc decretum violaverint, ab honore clericatus pellantur.

### X.

[2. q. 4. Si epiſcopo aut presbytero.] Si epiſcopo, aut presbytero cauſa criminalis, hoc eſt, homicidium, adulterium, furtum, & maleficium imputatum fuerit, in ſingulis miſſam * celebrare, & ſecretam publice dicere, & communicare debet, & de ſingulis ſibi imputatis innocentem reddere. Quod ſi non fecerit, quinquennio a liminibus eccleſiæ extraneus habeatur, ſicut antiqui canones inſtituerunt.

[* ſtudeat.]

### XI.

Sacerdotes igitur, ſi in fornicationis laqueum ceciderint, & criminis manifeſtus ſive oſtenſus fuerit actus, ſacerdotii non poſſunt habere honorem, ſecundum canonicæ inſtitutionis auctoritatem.

### XII.

Sacerdotes qui in crimine fornicationis fuerint accuſati, & crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipſi non manifeſtaverint, quid aliud agendum eſt, niſi quod in nono Cæſareenſis ſancti concilii capitulo legitur ac demonſtratur? Tamen ſi ipſi juramento ſe voluerint purificare, licentiam habeant. Similiter & diaconi, ſi fuerint accuſati, peragant.

### XIII.

Ut nullus ſacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus cauſis a communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri juſſerunt aliquid committentes.

### XIV.

Epiſcopi vero ſi ſacerdotali moderatione poſtpoſita, innocentes, aut in minimis cauſis culpabiles excommunicare præſumpſerint, & ad gratiam feſtinantes recipere fortaſſis noluerint, a vicinis epiſcopis cujuſlibet provinciæ communio illis uſque ad tempus ſynodi non negetur.

### XV.

Sæpe contingit, ut in monaſteriis furta perpetrentur, & qui hæc committunt, ignorentur. Idcirco ſtatuimus, ut quando ipſi fratres de talibus ſe expurgare debeant, miſſa ab abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipſe abbas præceperit, præſentibus fratribus: & ſic in ultima miſſæ celebratione, pro expurgatione ſua corpus & ſanguinem domini noſtri Jeſu Chriſti percipiant, quatenus ita inde innocentes ſe eſſe oſtendant.

[2. q. 5. Sæpe contingit. Hic canon tamquam erroneus abrogatus eſt. Vide ſanctum Thomam 3. p. quæſt. 80. art. 6. ad 3.]

### XVI.

Si quis autem epiſcoporum ſynodo neglexerit adeſſe, aut cœtum fratrum, antequam concilium diſſolvatur, [a] reddiderit deſerendum: alienatum ſe a fratrum communione cognoſcat, nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti ſynodo fuerit abſolutus.

[a) Forte, crediderit. H.]

### XVII.

Epiſcopis, presbyteris, atque diaconibus, canes ad venandum & accipitres non liceat habere. Quod ſi quis harum perſonarum hac fuerit voluptate detentus, epiſcopus tribus menſibus ſe a communione ſuſpendat, presbyter duobus menſibus, diaconus uno menſe ab omni officio & communione abſtineat.

### XVIII.

Presbytero, aut diacono vel clerico, ſine antiſtitis ſui epiſtola [b] ambulandi communionem in officio ſuo celebrando nullus impendat.

[b) Forte vetur, ambulanti. H.]

### XIX.

Placuit etiam, ut * ſive in miniſterio diaconii, vel presbyterii officio aliquis conſtitutus exiſtat, ſi epiſcopi a quo ordinatus

[* al. ſi in miniſterio diaconi, vel presbyteri off.]

ANNO CHRISTI 868.

dinatus eſt, præceptis non obedierit, ut in delegata ſibi eccleſia officium dependat aſſiduum, quouſque in vitio permanſerit, & communione & honore privetur.

XX.

Feminæ ſcilicet, quæ ſacro velamine ſunt conſecratæ, ſi fuerint (quod nolumus) fornicatæ, velamen deponere non præſumant: ſed pœnitentiæ jugo ſummopere decertare feſtinent, ut ad indulgentiæ & remiſſionis valeant gratiam pervenire.

XXI.

Vidua quidem, quæ ſacrum capiti velamen impoſuerit, & inter ceteras velatas feminas in eccleſia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit: ſi profeſſa eſt in eodem habitu permanere, ſpondens nunquam religionis deponere velamen, a religionis obſervantia diſcedere non præſumat. Quod ſi præſumpſerit, & ad id quod ſpoponderat, revocari non poteſt, a liminibus ſanctæ eccleſiæ ſegregetur; donec ad emendationis remedia confugiat.

XXII.

Vide ſynod. Tridentinæ ſeſſ. 25. c. 17. & 18.

Si pater vel mater filium filiamque intra ſepta monaſterii in infantiæ annis ſub regulari tradiderint diſciplina, non liceat eis, poſtquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi, & matrimonio copulari. Hoc ergo omnino devitandum eſt: quia nefas eſt, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur. Igitur (ut prædiximus) non liceat eis ſuſceptum habitum unquam deſerere: ſed convicti quod tonſuram, aut religioſam veſtem aliquando habuerint, in religionis cultu habituque velint nolint, permanere cogantur.

XXIII.

Monachum ergo aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnes ad ſæculum interdicimus regreſſus.

XXIV.

Si quis vero ſæcularium per calumniam eccleſiam aut clericum fatigare tentaverit, & * victus fuerit, ab eccleſiæ liminibus & a catholicorum communione, niſi digne pœnituerit, arceatur.

* convictus.

XXV.

Pœnitentibus, ſecundum differentiam peccatorum, ſacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque ſacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem quoque, modumque culparum, & affectus gemituſque delinquentium diligenter examinare, manifeſteque cognoſcere: temporum etiam & perſonarum, locorum quoque & ætatum qualitates inſpicere, ut etiam pro conſideratione eorum;

A ætatum vel temporum, ſeu pro qualitate delictorum atque gemituum uniuſcujuſque delinquentis, a ſacris regulis oculos non reflectat.

XXVI.

Qui ſacerdotem morti voluntate tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præſumat: jejunet autem uſque ad veſperam, exceptis feſtis diebus atque dominicis. Arma non ſumat, & ubicumque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, ſed propriis pedibus proficiſcatur. Eccleſiam B per quinquennii tempus non ingrediatur, ſed cum ſacrarum orationum officia, aut miſſarum ſolennia celebrantur, ante fores baſilicæ perſeveret, orans ac deprecans Deum, ut tanto crimine abluatur. Poſt expletum vero quinquennii tempus ingrediatur eccleſiam, nondum vero communicet, ſed inter audientes tantummodo ſtet, vel dum facultas conceditur, ſedeat. Et cum decimi anni curſus fuerit finitus, communicandi ei licentia concedatur, & equitandi tribuatur medela: maneat autem in reliquis obſervationibus, & tres dies per hebdomadam jeju- C net, ut perfectius ad culmen purificationis pervenire mereatur.

XXVII.

Qui odii meditatione, vel propter avaritiam paganum occiderit, quia non levi vitio committitur, ut homicidam convenit pœnitere: quandoquidem nec exteris gentibus, niſi oblatam pacem reſpuerint, bellum eſt populo antiquo penitus inferre præceptum.

Deut. 20.

XXVIII.

Si quis inſaniens aliquem occiderit, ſi ad ſanam mentem pervenerit, levior ei pœni- D tentia imponenda eſt, quam ei, qui ſana mente tale quid commiſerit. Cui quamvis pœnitentia ſit imponenda, quia ipſa infirmitas cauſa peccati, licet fortaſſis occulta, contigiſſe creditur, * a) tantum tamen levior, quam ei qui ſanus aliquem occiderit, quantum inter inſanum & ſanum, irrationabile & rationabile, conſtat eſſe diſcriminis.

a) Fort. tanto. H.

XXIX.

Sæpe contingit, ut dum quis operi neceſſario inſiſtens arborem incidat, aliquis ſubtus E ipſam veniens deprimatur: & idcirco ſi voluntate vel negligentia incidentis arborem factum eſt, ut homicida pœnitentiæ debet omnino ſubmitti. Quod ſi non voto, non incuria illius, non denique ſcientia contigit, ſed dum ille operi neceſſario fortaſſis incumberet, iſte inſperatus occurrens, ſub arborem improviſus devenit, & ſub ipſa, nemine valente penitus adjuvare, ſuppreſſus eſt, inciſor arboris homicidæ procul dubio non eſt comparandus.

Diſt. 50. c. Sæpe contigit dum quis.

XXX.



ANNO CHRISTI 868.

XXX.

Statuimus ut patricidæ & fratricidæ per unius anni curriculum ante fores baſilicæ orantes domini clementiam perſeverent. Completo autem anni curriculo, introducantur in eccleſiam: tamen inter audientes, uſque dum unius anni ſpatium finiatur, ſtent, cum ad miſſarum ſolennia vel alia ſacra audire officia venerint. His ita peractis, ſi pœnitentiæ fructus in eis conſpicitur, corporis & ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti participes fiant, ut deſperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, & jejunent uſque ad nonam horam diei quotidie, exceptis feſtis diebus atque dominicis. Abſtineant a vino, medone, atque cerviſia mellita tres dies per hebdomadam. Arma gerere non audeant vel ſumere, niſi contra paganos. Et ubicumque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, ſed pedeſtri more proficiſci ſtudeant. Tempus autem hujus pœnitentiæ in epiſcoporum ponimus arbitrio, ut ſecundum converſationem illorum, aut extendere, vel minuere valeant. Ab uxoribus, ſi habuerint, non ſeparentur. Si autem non habuerint, & ſe continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio feminas, ne in fornicationis voraginem incidere videantur. Et ſi finis vitæ illorum venerit antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, viaticum illis non negetur.

XXXI.

Leproſis autem, ſi fideles Chriſtiani fuerint, dominici corporis & ſanguinis participatio tribuatur: cum ſanis autem eis convivia celebrare non permittatur.

XXXII.

In copulatione fidelium, generationis numerum non diffinimus, ſed id ſtatuimus, ut nulli Chriſtiano liceat de propria conſanguinitate ſive cognatione uxorem accipere, uſque dum generatio recordatur, cognoſcitur, aut memoria retinetur.

XXXIII.

Si quis cum duabus fuerit ſororibus fornicatus, aut cum his perſonis, de quibus ſacra ſcriptura prohibet, ſi dignam egerit pœnitentiam, & caſtitatis non valuerit continentiam ſuſtinere, liceat ei legitimam in conjugio uxorem accipere. Similiter & mulier quæ tali fuerit ſcelere lapſa, ut fornicationis non perducatur ad chaos, perficiat. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus ſolummodo ſtatuimus.

XXXIV.

Si quis cum commatre ſpiritali fuerit fornicatus, uſque ad dignam pœnitentiam anathematis percutiatur ictibus. Similiter & illum percutere promulgamus, qui cum



A ea, quam de ſacro fonte baptiſmatis ſuſceperit, aut cum illa quam ante epiſcopum tenuerit, cum ſacro chriſmate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit ſcelus: legitimam autem, ſi habuerit, non dimittat uxorem.

XXXV.

Mulieres igitur, quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidæ procul dubio judicandæ ſunt. Illæ vero, quæ dormiendo filios ſuffocare videntur, leviter de his B judicare oportet: quia nolentes, & non ſentiendo, ad hunc devolutæ ſunt caſum.

XXXVI.

Si vir viduam in conjugium duxerit, quæ ex priori marito filiam habuit, & cum eadem filia poſtmodum concubuerit, conjugium modis omnibus diſſolvatur, & vir ille pœnitentiæ ſubjaceat ſanctionibus, ita ut per triennii tempus a ſacro corpore domini noſtri Jeſu Chriſti ſuſpendatur & ſanguine. Carnem non manducet, abſtineat a vino, & ſingulis diebus jejunium celebrare feſti- C net, exceptis feſtis diebus atque dominicis. Orationibus omni inſiſtere ſolicitudine, integriterque perficere ſummopere ſtudeat. Similiter autem de mulieribus, quæ clanculo, patri ſe in concubitu ſubſternunt, & filio, obſervandum eſt. Taliter quidem & de his ſancimus, qui duabus ſe abſconſe ſororibus pollutos cognoſcunt.

XXXVII.

Illi ſcilicet, qui pro *diverſis* erratibus, vel quibuſcumque piaculis pœnitentiæ jugo fuerint ſummiſſi, legitimo nullatenus matrimonio ſeparentur, ne in fornicationis voragi- D ne demergantur: & dum ad alta ſublevari ſperantur, corruant in cœno.

XXXVIII.

Si quis ſervum proprium ſine conſcientia judicum, qui tale quid commiſerit, quod morte ſit dignum, occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum ſanguinis emundabit.

XXXIX.

Si qua femina furore zeli accenſa, flagris verberarit ancillam ſuam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum ſit, voluntate an E caſu occiderit: ſi voluntate, ſeptem annos: ſi caſu, per quinque annorum tempora legitimam peragat pœnitentiam.

XL.

Si ſervus, abſente vel neſciente domino ſuo, epiſcopo autem ſciente quod ſervus ſit, diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipſe in clericatus officio permaneat: epiſcopus tamen eum domino duplici ſatiſfactione perſolvat. Si vero epiſcopus

ANNO CHRISTI 868.

*cum ſervum eſſe neſcierit, & ita eum ad ſacros ordines promovit, qui teſtimonium de illo perhibebant, aut eum poſtulabant ordinari; ſimili recompenſatione teneantur obnoxii.

XLI.

Placuit etiam, ut quicumque odio aut longa inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem revocari diutina intentione nequiverint, a civitatis primitus ſacerdotibus arguantur. Qui ſi inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de eccleſiæ cœtu juſtiſſima excommunicatione pellantur.

XLII.

Dignum eſt, ut vita innocentis non maculetur pernicie accuſantium. Quiſquis igitur a quolibet criminatur, non ante accuſatus ſupplicio deputetur, quam accuſator præſentetur, atque legum & canonum ſententia exquiratur; ut ſi indigna ad accuſandum perſona invenitur, ad ejus accuſationem non judicetur.

XLIII.

Nobis igitur ratio perſuadet ſynodalis decernere, ut quicumque laicorum in adverſitate propriæ gentis, aut patriæ, vel regiæ poteſtatis, ad externas partes ſe conferendo, noxius fuerit ultra repertus, non ſolum omni rerum ſuarum proprietate privetur, ſed & perpetua excommunicatione damnato, numquam illi, præterquam in ultimo mortis ſuæ, communio tribuatur.

XLIV.

Si cujus uxor adulterium fecerit, aut vir alienam uxorem irruerit, ſeptem annos pœnitentiam agat.

NOTA LAURENTII SURII CART.

Uſque ad hoc quadrageſimum quintum capitulum excluſive omnia ſuperiora capitula, dempto quadrageſimo, in quodam vetuſto manuſcripto exemplari habebantur: ea porro quæ ſequuntur, decrant: quæ ſane ad hanc ſynodum pertinere non videntur, cum interdum repetantur, quæ jam ſuperius iiſdem pæne verbis ſancita leguntur. Conſtat autem ſub eodem Gunzone epiſcopo duas eſſe Vvormatiæ habitas ſynodos, alteram anno Chriſti 8[illegible], alteram 868. Utrum vero illæ duæ ſynodi conjunctim habeantur, an aliud aliquid in cauſa ſit, quod hæc impreſſa a manuſcripto exemplari diſcrepant, incertum habemus. Fit autem in decreto Ivonis non ſemel mentio ſynodi Vvormatienſis, [illegible] inde citati, inter hos omnes typis excuſos non extant.

XLV.

Canon eſt apoſtolorum 39.

Omnium negotiorum eccleſiaſticorum curam epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet; nec ei liceat ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei ſunt, condonare. Quod ſi pauperes ſunt, tamquam pauperibus ſubminiſtret, ne eorum occaſione eccleſiæ negotia deprædentur.

XLVI.

Cap. 15.

Epiſcopus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes qui indigent. Summa quoque reverentia & timore Dei participet & ipſe quibus indiget, ſi tamen indiget, tam ſuis, quam fratrum, qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturis, ita ut in nullo qualibet occaſione fraudentur, juxta apoſtolum ſic dicentem: *Habentes victum & tegumentum, his contenti ſumus.* Tim. 6.

XLVII.

Quatuor autem tam de *reditibus, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet eccleſiæ facultas admittit (ſicut dudum rationabiliter decretum eſt) convenit fieri portiones: quarum ſit una pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta eſt fabricis applicanda, &c. 12. q. 2. Quatuor autem. Supra c. 7.

XLVIII.

Baſilicas noviter inſtitutas (non petitis ex more præceptionibus) dedicare nemo audeat, nec ambiant ſibimet epiſcopi vendicare clericos poteſtatis alienæ. De conſecr. diſt. 1. Baſilicas.

XLIX.

Statutum eſt, ut ſine auctoritate vel conſenſu epiſcoporum, presbyteri in quibuslibet eccleſiis nec conſtituantur, nec expellantur. Et ſi laici clericos probabilis vitæ & doctrinæ epiſcopis conſecrandos * ſuis in eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet occaſione rejiciant. * ſuiſque

L.

Sanctum eſt ut unicuique eccleſiæ unus manſus integer abſque alio ſervitio attribuatur. Et presbyteri in eis conſtituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus neque de præſcripto manſo aliquod ſervitium faciant, præter eccleſiaſticum. Et ſi amplius aliquid habuerint, inde ſenioribus ſuis debitum ſervitium impendant. 23. q. 8. Sanctum eſt. Manſus eſt certa ſpatium [illegible].

LI.

Statutum eſt, poſtquam hoc impletum fuerit, ut unaquæque eccleſia ſuum presbyterum habeat, ubi id fieri facultas, providente epiſcopo, permiſerit.

LII.

Sancitum eſt de villis novis eccleſiis in eis noviter conſtitutis, ut decimæ de illis villis ad eaſdem eccleſias conferantur.

LIII.

De eccleſiis ſane deſtructis, vel de nonis & de decimis, ſive de clauſtris canonicorum qualiter conſtitui & ordinari a nobis placuerit, aliis capitulis ſubter adnotavimus.

LIV.

Sed & de eccleſiarum honore, quomodo Deo adjuvante, quantum in nobis eſt, vigeat, ſimiliter in ſubter adnotatis capitulis inſertum eſſe dignoſcitur.





ANNO CHRISTI 868.

LV.

Multi contra canonum conſtituta eccleſias quas ædificarunt, & ab epiſcopo poſtulaverint conſecrari, dotem, quam eidem eccleſiæ contulerunt, ad epiſcopi ordinationem putant non pertinere: quod factum & in præterito diſplicet, & in futuro prohibetur. Ergo omnia ſecundum conſtitutionem, ad epiſcopi poteſtatem pertineant.

LVI.

Ut presbyteri non ordinentur, priuſquam examinentur, ut excommunicationes paſſim & ſine cauſa non fiant.

LVII.

Ut nullus laicus presbyterum in eccleſia mittere vel ejicere præſumat, niſi per conſenſum epiſcopi.

LVIII.

Ut epiſcopi prævideant, quem honorem presbyteri pro eccleſiis ſenioribus tribuant.

LIX.

Ut decimæ in poteſtate epiſcopi fiant, qualiter a presbyteris diſpenſentur.

LX.

In ſynodo Vaſenſi, in qua ſederunt epiſcopi octodecim, capitulo * ſecundo: Per ſingula territoria presbyteri ab epiſcopis, non prout libitum fuerit, vicinioribus, ſed a ſuis propriis per annos ſingulos chriſma petant appropinquante ſolennitate paſchali: nec per quemcumque eccleſiaſticum, ſed ſi qua neceſſitas aut presbyterorum, vel diaconorum occupatio eſt, per ſubdiaconum: quia inhonorum eſt, inferioribus ſumma committi. Optimum eſt autem, ut ipſe ſuſcipiat, qui eo in tradendo uſurus eſt: & ſicut reliquiæ ſanctorum deportari ſolent, ita deportet. * tertio.

LXI.

Clericus nequaquam præſumat apud ſæcularem judicem, epiſcopo non permittente, pulſare: ſed ſi pulſatus fuerit, reſponſum non proponat, nec audeat criminale negotium in judicio ſæculari proponere. Si quis vero ſæcularium per calumniam eccleſiam aut clericum fatigare tentaverit, & * victus fuerit, ab eccleſiæ liminibus & catholicorum communione, niſi digne pœnituerit, arceatur. * convictus.

LXII.

De epiſcopis & de presbyteris vagantibus, qui parochias non habent, nec ſcimus ordinationem eorum qualiter fuit, placuit juxta inſtituta ſanctorum patrum, ut in alterius parochia miniſtrare, nec ullam ordinationem facere debeant ſine juſſione epiſcopi, in cujus parochia ſunt. Et ſi hoc facere præſumpſerint, ab officio ſuſpendantur interim, ᵃ quod ad ſynodum exinde venerint, & ibidem ſecundum canonicam inſtitutionem accipiant ſententiam, niſi tantum pro cauſa itineris. Et ſi ullus clericus aut laicus talem epiſcopum aut presbyterum defenſaverit, ſine commeatu epiſcopi cujus parochia eſt, excommunicetur uſque ad emendationem. a) ſorte, quo-ad ad. H.

LXIII.

Si quis cum matre & filia in adulterio manſit, neſciente matre, quod cum filia manſiſſet: ſimiliter & filia neſcia, quod cum matre manſiſſet: & poſtea ille vir ſi acceperit mulierem, dimittat eam, & uſque in diem mortis ſuæ non habeat uxorem. Et illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum: & illa mater & filia, cum quibus in adulterio manſit, ambabus neſcientibus, quod cum matre & filia manſiſſet, habeant viros. Nam in notitiam illarum ſi venerit hoc ſcelus, dimittant maritos, & agant pœnitentiam: & illarum mariti & illi poſteriores, accipiant mulieres. Similiter & de duabus ſororibus, qui cum una in adulterio manſit, & aliam in publico accepit, non habeat mulierem uſque ad mortem. Et illæ duæ ſorores neſcientes, accipiant viros: & ſi in notitiam eis venerit forma ſuperior ſervetur. Si quis cum noverca ſua dormierit, nec ille nec illa poſſunt ad conjugium pervenire. Si quis cum filiaſtra ſua dormierit, * ſimiliter ſententia poteſt ſtare. Qui cum duabus ſororibus dormierit & una ex illis antea ei uxor fuerit, nullam uxorem poſtea habeat, nec illa ſoror habeat virum. 35. q. 2. & 3. Si quis cum matre & filia. * ſimilis

LXIV.

Animal vulneratum a beſtiis & guſtatum, licitum eſt manducare, ſi homo prius illud animal vivum occiderit. Si vero mortuum fuerit prius, dejiciatur caro ejus. Si apes occidunt hominem, occidi debent feſtinanter: mel tamen manducetur.

LXV.

Animalia quæ a lupis ſeu a canibus lacerantur, non ſunt comedenda, niſi porcis & canibus: nec cervus nec capra, ſi mortui inveniuntur. Porci autem, qui ſanguinem hominis guſtantes tetigerunt, manducentur: ſed qui cadaver mortuum lacerantes manducaverint, carnes eorum manducare non licet, uſque dum macerantur poſt annum. Piſces autem licet manducare, quia alterius naturæ ſunt. Aves vero & alia animalia, ſi in retibus ſtrangulantur, non ſunt comedenda.

LXVI.

Ab univerſis epiſcopis dictum eſt: Si quis presbyter a præpoſito ſuo correptus fuerit, debet utique apud vicinos epiſcopos conqueri, ut ab ipſis ejus cauſa poſſit audiri, ac per ipſos ſuo epiſcopo reconciliari. Quod niſi fecerit, ſed ſuperbia (quod abſit) inflatus ſe ſecernendum ab epiſcopi ſui communione duxerit, ac ſeparatim cum aliquibus faciens ſacrificium Deo obtulerit, anathema ſit, & locum amittat. Et ſi querimoniam Carthag. 2. cap. 8.

ANNO CHRISTI 868.

juſtam adverſus epiſcopum non habuerit, inquirendum erit.

### LXVII.

Carthag. 3. cap. 15.

Item placuit, ut epiſcopi, presbyteri & diacones non ſint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhoneſto victum quærant: quia reſpicere debent ſcriptum eſſe: *Nullus militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* (2. Tim. 2.)

### LXVIII.

Carthag. 3. cap. 19.

Placuit ut lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.

### LXIX.

Carthag. 3. c. 16. & c. 4.

Item placuit, ut clericus, ſi commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: ſi ſpeciem, eamdem ſpeciem, quantam dederit, accipiat. Et ante viginti quinque annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur; & ut lectores populum non ſalutent.

### LXX.

Carthagin. concil. 5. cap. 6.

Item placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, nec ipſi ſunt per ætatem de traditis ſibi ſacramentis idonei reſpondere, abſque ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat ſacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati Maurorum fratres noſtri conſuluerunt, quia multos tales a barbaris redimunt.

### LXXI.

Carthag. concil. 5. cap. 24.

Rurſus conſtitutum eſt, ut quoties clericis convictis & confeſſis in aliquo crimine, vel propter eorum, quorum verecundiæ parcitur, vel propter eccleſiæ opprobrium, aut inſolentem inſultationem hæreticorum atque gentilium, ſi forte cauſæ ſuæ adeſſe voluerint, & innocentiam ſuam aſſerere, intra annum excommunicationis hoc faciant. Si vero intra annum cauſam ſuam purgare contempſerint, nulla eorum vox penitus poſtea audiatur.

### LXXII.

Ex Ep. 1. Innocent. I. ad Decentium.

Sane quoniam de hoc, ſicut de ceteris, conſulere voluit dilectio tua, adjecit filius meus Cæleſtinus diaconus in epiſtola ſua, ſic eſſe a tua dilectione poſitum illud, quod in beati apoſtoli Jacobi epiſtola eſt conſcriptum: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſuſcitabit illum dominus. Et ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.* (Jac. 5.) Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere; qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quod ab epiſcopo confectum, non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus ut Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate ad ungendum. Ceterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de epiſcopo ambigatur, quod presbytero licere non dubium eſt: quia epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt. Ceterum ſi epiſcopus aut poteſt aut dignum ducit aliquos a ſe viſitandos, & benedicere & tangere chriſmate ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere. nam pœnitentibus iſtud fundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti. nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur concedi?

### LXXIII.

Concil. Chalced. c. 10.

Diaconiſſam non ordinandam ante annum quadrageſimum, & hoc cum ſummo libramine. Si vero ſuſcipiens manus impoſitionem, & aliquantum temporis in miniſterio permanens, ſemetipſam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujuſmodi, cum eo qui eidem copulatur.

### LXXIV.

Concil. Chalced. c. 3.

Conjurationis vel conſpirationis crimen & ab exteris legibus eſt omnino prohibitum: multo magis hoc in Dei eccleſia, ne fiat admonere convenit. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes aut conſpirantes, aut inſidias ponentes epiſcopis aut clericis, gradu proprio penitus abjiciantur.

### LXXV.

Concil. Chalced. c. 21.

Non licere clericis poſt obitum ſui epiſcopi, res ad eum pertinentes diripere, ſicut antiquis quoque canonibus conſtitutum eſt. Quod ſi hoc facere tentaverint, graduum ſuorum periculo ſubjacebunt.

### LXXVI.

Concil. Chalced. c. 25.

Quoniam quidam metropolitanorum, quantum comperimus, negligentius commiſſos ſibi greges & ordinationes epiſcoporum facere differunt, placuit ſanctæ ſynodo intra tres menſes ordinationes celebrari, niſi forte neceſſitas excuſabilis præparet tempus dilationis extendi. Quod ſi hoc minime fecerit, correptioni eccleſiaſticæ ſubjacebit. Verumtamen redditus eccleſiæ viduatæ penes œconomum ejuſdem eccleſiæ integri reſerventur.

### LXXVII.

Concil. Chalced. c. 27.

Eos qui rapiunt mulieres ſub nomine ſimul habitandi, vel cooperantes aut conniventes raptoribus, decrevit ſancta ſynodus, ut ſi quidem clerici ſunt, decidant gradu proprio: ſi vero laici, anathematizentur.

### LXXVIII.

Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur. Ubi autem poſt interdictum factum inventum fuerit, ſeparetur. Sane eadem quæ in viri, hæc nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum regula cuſtodienda eſt: Quoniam



ANNO CHRISTI 868.

niam conſtat eos duos eſſe in carne una, ideo communis illis utrimque parentela eſſe credenda eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Erunt duo in carne una.* (Genſ. 2.)

### LXXIX.

Ut epiſcopi inceſtuoſos punire & inveſtigare ſtudeant, omnino decrevimus. Qui ſi pœnitere noluerint, de eccleſia expellantur, donec ad pœnitentiam revertantur. Quod ſi ſacerdotum noluerint admonitionibus aurem accommodare, volentes in priſtinis perdurare criminibus, oportet eos per ſæcularis potentiæ diſciplinam a tam prava conſuetudine coerceri.

### LXXX.

Eſt hic ipſe canon 27. Concil. Moguntini an. 747.

Quæſitum eſt ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus, poſt confeſſionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad eccleſias deferenda ſint, & oblationes pro eis offerendæ, & miſſæ celebrandæ, an non. Quibus reſpondimus: Si omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine ſecundum canonicum juſſum danda eſt, cur non etiam eis qui pro ſuis peccatis pœnam extremam perſolvunt? Scriptum eſt enim: *Non vindicat Deus bis in idpſum.* (Nahum. 1.) Nam dominus ait: *In quocumque die converſus fuerit peccator, peccata ejus non reputabuntur ei.* (Ezech. 18.) Et iterum ei: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* (Ibidem.) Salutem ergo homini adimit, quiſquis mortis tempore pœnitentiam denegat: & deſperat de miſericordia Dei, qui eam ad ſubveniendum morienti ſufficere vel in momento non credit poſſe. Latro ergo perdidiſſet in cruce præmium ad Chriſti dextram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſſet. (Luc. 23.) Nam cum eſſet in pœna, pœnituit: & per unius ſermonis profeſſionem, habitaculum paradiſi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum converſio in ultimis poſitorum, mente potius eſt æſtimanda, quam tempore, propheta hoc aliter aſſerente: *Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.* (Iſai. 30. 15. ex Græco.)

#### NOTÆ SEVERINI BINII.

Concilii Wormatienſis canon 15. erroneus eſt.

a *Concilium.*) Quo tempore hæc ſynodus celebrata fuerit, initium actorum ſynodalium aperte indicat. Id quod canone decimo quinto de occultis furibus per euchariſtiæ perceptionem explorandis conſtituitur, erroneum eſt, & ab eccleſia reprobatum, ut S. Thomas 3. part. quæſt. 8. art. 6. ad 3. Bellarminus lib. 2. de concil. cap. 8. Poſſevinus in apparatu ſacro, verbo *Vuormatienſe concilium*, oſtendunt. Illi qui ſupra recitantur canones, diverſorum conciliorum eſſe videntur, ut manifeſte teſtatur illa F. Laurentii Surii admonitiuncula ſupra quadrageſimo quinto canoni præfixa, his verbis: *Uſque ad hoc quadrageſimum quintum capitulum excluſive omnia ſuperiora capitula*, &c. ut ſupra.

b *Vuormatienſe.*) Sic dictum a Vuormatia, quæ eſt perveruſtum Vangionum oppidum a Treveris (ut quidam putant) originem trahens, & Treverenſibus olim ante natum Chriſtum ſubdita, poſtea Romanis, donec ab Attila Hunnorum rege exciſa eſt. Hodie inter Germaniæ urbes celebre nomen obtinet. Sedem quondam archiepiſcopi habuit, ſed ea in Moguntinos tranſlata, modo epiſcopalis eſt.

#### OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

In manuſcripto codice V. C. Nicolai Camuzatii Trecenſis canonici nec idem canonum numerus reperiebatur, neque idem ordo. Qui enim in excuſis primus occurrit, legitur in mſ. ſextus; qui ſecundus locum 30. occupat, qui tertius trigeſimi ſexti, et ſic de aliis: quod monuiſſe oportuit, ne ſi in ſimilem illi codicem forte incidas, ab hoc noſtro concilio diverſum quid te nactum eſſe arbitreris.

## CONCILIUM INCERTI LOCI

### EPISCOPORUM GALLIÆ ET BURGUNDIÆ.

**Anno Chriſti circiter DCCCLXVIII. Scilicet initio pontificatus Hadriani.**

Ex Labbe Appendice Tom. VIII.

Chronicon *Hugonis Flaviniacenſis*: Defuncto, *inquit*, B. Nicolao, cum imperante Ludovico ſucceſſiſſet Hadrianus, & miſiſſet litteras Galliarum epiſcopis, ut non alios ordinarent epiſcopos, niſi quibus præfatus imperator epiſcopatum concederet, & ordinari mandaret: non conſenſerunt venerabiles epiſcopi, ſed congregati litteris factis communiter ſuggeſſerunt papæ, ſe decreta ſanctorum patrum fideliter obſervare velle, & ſecundum ſcita canonum epiſcopos conſecraturos, quorum textus in catalogo ſacrarum ſcripturarum habetur. Scripſit & aliam epiſtolam Gerardo duci, & Rofrido comiti, & omnibus Galliarum comitibus, ut nullius hominis favore & gratia permitterent alios viros eccleſiaſtici ordinis in epiſcopiis totius Galliæ & Burgundiæ conſecrare epiſcopos, niſi quos Ludovicus imperator juberet. Cui ſatis luculenter & honeſte obviaverunt præfati venerabiles Galliarum epiſcopi, litteras illas per verba ſingula diſcutientes, & quod ſanctorum patrum decretis conſona non eſſent humiliter ſuggerentes: inque hujus reſponſionis extremitate, epiſtolam papæ Nicolai prædeceſſoris ſui interſerentes, quam ad quemdam epiſcopum Galliæ miſit, inter cetera de ordinibus ſacris pie & dilucide exprimens in hæc verba: Illud autem, frater cariſſime, ridiculoſum ſonuit, quod apicum tuorum gerulum nobis commendans, hunc presbyterum eſſe Gerardi illuſtris comitis perhibuiſti. Verum quid hoc ſcribens prudentia tua dicere voluerit, & quid ſuper hujuſcemodi verbo intelligeretis, fateor, nos ignoramus. Nunquid Gerardus comes illum presbyterum conſecravit? nunquid de ipſius eſt diœceſi? ubi hoc didiciſti? niſi quia presbyteri non ſpecialiter eccleſiæ poſſeſſionis, aut martyrii, ſecundum ſacras ſcripturas ordinantur, ſed in domibus laicorum conſtituuntur, cum ſæcularibus converſantur, ut jam non Dei nec eccleſiæ cujuslibet, ſed illius comitis & illius ducis dicantur, ita ut impletum ſit quod per prophetam dicitur: *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos.* (Iſa. 24.) Quod fortaſſe unum eſt eorum, quæ, cum convenerimus unanimiter in idipſum, oportebit decentius emendari, & tamquam venenatum elleborum amputari.

ANNO CHRISTI 869.

# Η ΑΓΙΑ ΚΑΙ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΗ
# ΟΓΔΟΗ ΣΥΝΟΔΟΣ
## ΤΕΤΑΡΤΗ
## ΤΩΝ ΕΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΙ.
# SANCTA SYNODUS OCTAVA GENERALIS,
## CONSTANTINOPOLITANA QUARTA.

### ADMONITIO EDIT. ROM. ad Lectorem.

* ex editione Romana.

Non præponitur, ut in aliis factum eſt, hiſtoria * octavi concilii; quod eam Anaſtaſii præfatio complectatur: qui & eidem concilio, ut ipſe teſtatur, interfuit. Ac propterea Anaſtaſii verſio cum ejuſdem ſcholiis hoc loco præcedit ſine Græco contextu, quia Græca ſynodus octava quæ extat, hanc Anaſtaſii verſionem, quippe prolixiorem, non exæquabat. Ergo hanc ejuſdem Anaſtaſii veterem interpretationem Græca deinceps conſequetur editio, cum nova verſione nuper recognita, quæ illi reſpondet.

## CAUSÆ ET PRÆFATIO
## CELEBRATÆ OCTAVÆ SYNODI
### HISTORICO STYLO DEPROMPTA.

*Domino ſancto & coangelico patri patrum Hadriano ſummo pontifici & univerſali papæ, ego famulus veſter Anaſtaſius peccator abbas, & ſummæ veſtræ apoſtolicæ ſedis bibliothecarius.*

QUia ſuperna providentia, quæ ſingula ſingulis ita diſtinguit temporibus, ut ſanctos ſuos veluti ſplendentia quædam aſtra non pariter, ſed vicibus diſcretis ad illuminationem eccleſiæ ſuæ proferat; apoſtolatum veſtrum noſtris temporibus quaſi quoddam fulgidum ſidus produxit, cujus tempore atque auctoritate, ſancta univerſalis & magna ſynodus octava celebraretur, & ſacra doctrina; cælum ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ C tenebris errorum depulſis, jubar veri luminis illuſtratum perciperet: operæ precium duxi, tam ad laudem auctoris, quam ad æternam apoſtolatus veſtri memoriam ſcripturæ tradere, veſtræque dominationi breviter intimare quæ fuerit ejuſdem ſanctæ ſynodi materia celebrandæ, vel quod apoſtolicæ ſedis ſuper hæc diſponendi ſtudium vel auctoritas: quid etiam ab illa vel tractatum, vel fuerit definitum. Quamobrem quoque vel octava, vel dicatur univerſalis, quis etiam interpretatus illam extiterit, & ne ipſi ſynodo præſumptio cujuſque quæ in ea definita non ſunt, proceſſu temporis addat, ſolicitos reddere, ac intentos lectores. Quæ videlicet notans, non quaſi inſcio apoſtolatu veſtro, ſcribendo refero, ſed tamquam horum D conſcio & teſte, hiſtorica expoſitione ad memoriam veſtram reduco.

Tempore itaque Michaelis & Theodoræ matris ejus imperatorum, abdicato iconomacho Joanne, electus & conſecratus eſt patriarcha Conſtantinopoleos Ignatius, qui Michaele quondam imperatore, cujus filius erat, imperium ſponte religionis amore dimittente, eunuchus invidia factus eſt: deinde monaſtica vita electa, in cœnobio a primæ A va ætate miris eluxit morum & virtutum ſplendoribus, ac per id diuturnis exercitiis eruditus, & in omni ſcientia & opere bono probatus jam ſenex, cunctorum unanimitate ad ſummi ſacerdotii petitus & promotus eſt apicem. Sane reſtiterunt hujus provectioni quidam perpauci epiſcopi, inter quos erat Syracuſanus Gregorius: eo quod eos propter diffamata & publicata nonnulla crimina in ſacerdotio [a] vitæ, ante refricationem in eos illati judicii ſe non poſſe recipere, canonica ſit, ac miti ratione profatus: propter quæ, quia illa ſatisfactione non abluerunt, merito poſtmodum ab eo & ſynodo abdicati ſunt. Favebat autem his quidam ſenator ſæcularis adminiſtrationis fungens officio, a ſecretis, nomine Photius, qui ad patriarchale conſcendere B faſtigium affectans, cum eis ſcorſum colligebat, & fideles quoſque a ſanctæ communionis participatione avertens, divinis intereſſe myſteriis, dum a patriarcha Ignatio celebrarentur, penitus recuſabat: nihil habens in cauſa pietatis, unde pontificem proprium reprehenderet, niſi quod ſuſpicabatur eum vitam deceſſoris ſui, id eſt, ſanctæ memoriæ patriarchæ accuſare Methodii, cum ille non ſolum hunc in nullo penitus accuſaret, verum etiam miris laudibus ſemper efferret, quin potius memoriam illius inter ſanctos patriarchas, dum divina myſteria gererentur, faceret, & diem anniverſarium ſolenniter & imprætermiſſe ſuper ejus nomine celebraret. Quamvis hoc ipſum idem Photius ſicut cetera illius geſta ſiniſtre interpretans, callide fa- C cere ſuis auditoribus prædicaret, alia inquiens eum in corde tenere, alia in opere demonſtrare.

a) Fort. vetitæ, ita Hæt.

Cum igitur Photius ſociatus ſchiſmaticis, quorum auctor præfatus erat Syracuſanus Gregorius, perſuaderet cunctis, qui quaſi pio circa Methodium (habentes quidem zelum juſtitiæ, ſed non ſecundum ſcientiam) affectu flagrabant, quod patriarcha Ignatius derogator eſſet ejuſdem ſanctæ memoriæ Methodii, & idcirco quaſi parricida foret habendus, fama crebreſcit: Bardam ſcholarem domeſticum, & Theodoræ imperatricis germanum, [b] inceſtu nurum propriam uſu fœdare, quem patriarcha criminis redarguit, interminatus excommunicandum, niſi a tanto flagitio ceſſaviſſet: cujus redargutionis modum ille non ferens, prænota- D tis ſchiſmaticis ac depoſitis jungitur, & verſutum in patriarcham ſarcinat argumentum. Perſuaſit enim imperatori Michaeli, ut matrem & Theclam ſororem ſuam, quæ & ipſa cum matre ac fratre imperii fuerat ſceptra ſortita, tondere patriarchæ præciperet, & in monaſterio collocaret. quod cum patriarcha renueret, pro eo quod utraque imperatrix hanc interim non eligeret ſponte profeſſionem, maxime quia his ſecundum morem ſicut ceteris imperatoribus & imperatricibus juraverat non ſe ullo in-

b) Fort. inceſto. H.



ANNO CHRISTI 869.

in tempore inſidiaturum. Bardas protinus ad imperatorem juvenem: Heus, inquit, imperator ſaltem nunc non advertis Ignatium tuæ ſpirare neci, & matrem imperii alii geſtire, futuro ſcilicet imperatori, ſociare marito. Hæc miſerrimus egit, nec propriæ germanæ, imperatrici videlicet parcens, ut & in patriarcham ulciſceretur, & utraque imperatrice, id eſt, matre ac filia imperio pulſa, ipſe vel vivi fieret imperatoris ſocius, vel eo a ſe facilius interempto, jam ſubrogaretur ſucceſſor. Tunc imperator aure tanti præſtigii credulus & iratus, matrem cum ſororibus tonſam palatio pepulit, & Ignatium ſchiſmaticorum ac Bardæ ſuggeſtione a regimine patriarchatus abegit, ſubrogatuſque eſt pro eo præfati Bardæ favore Photius, de quo ſupra relatum eſt, prohibentibus ſacris canonibus, & venerandis legibus, neminem ex laicali militia ſubito ad ſacerdotium promoveri. Ignatius vero dum pelleretur, eccleſiam ligavit, ne quiſquam abſque ſe in ea ſacra celebrare tentaret officia. Quo audito, Bardas adeo eum in inſula, in qua erat relegatus, diverſis tormentis affecit, ut dentes illius fregerit, & continuis lacerarit colaphis, uſque quo ſe refutare regimen ſuæ profiteretur eccleſiæ, qua videlicet jam præjudicialiter fuerat exſpoliatus, & ante omnem diſcuſſionem penitus denudatus.

His ergo compertis, cœperunt nonnulli metropolitani antiſtites, ac inferioris ſacerdotii vel laici, pontificis ſui tormentis compatientes, dejectionemque dolentes, rectorem ſibi proprium reddi magnopere clamitare: quod Photius ſentiens, perſuaſo imperatore, ſubminiſtrante Barda, congregavit concilium quorumdam epiſcoporum, adulatione ſibi vel timore faventium, & eumdem Ignatium depoſuit, & anathemate perculit, populum ab eo per hoc tamquam a damnato ſcindere ſperans, cui tamen uſque ad hoc veluti presbytero divina ſacrificia conficiendi præſtabat aſſenſum. Quo geſto magis ac magis pietas fidelium accenditur, & eo conſtantius ab univerſis ovibus proprius paſtor exquiritur, quo verſutius lupi crudelitas fuerit. Præterea Photius in hac parte ſe fruſtratum intuens, ad ſedem apoſtolicam mittit, cui magnus tunc deceſſor veſter præſidebat papa Nicolaus; quatenus illa, ſicut ipſe ſperabat, approbante vel decernente, mox omnium ora reſiſtentium obſtructa ſilerent, & aditus ſibi progrediendi qua vellet omnes omnino pateſcerent; ignorans ſtolidus, quod apud beatum Job de Deo legitur: *Qui ſi incluſerit hominem, nemo eſt qui aperiat.* Cujus legationem præfatus ſummus pontifex ſuſcipiens & pertractans, licet hucuſque verſutiarum ejus atque geſtorum ignarus, pæne cuncta quæ ab eo acta fuerant, ſagaci deprehendit acumine: & non Ignatium, ut Photius poſtulaverat, ſed potius ipſum Photium repulit, verum tramitem juſtitiæ ſequens, miſſis Conſtantinopolim miſſos, Radoaldum ſcilicet Portuenſem, & Zachariam Anagninum, epiſcopos, atque literas, quarum tenorem qui legerit, facilius noſſe poterit: in quibus, quia & de venerandis iconibus quæſtio erat, nonnulla etiam ſuper his conſcripta reperiuntur. Pervenientibus igitur miſſis apoſtolicæ ſedis Conſtantinopolim, & concilio congregato, Græci epiſtolas ſuſcipientes, quidquid in eis erat pro Ignatio vel contra Photium, inverterunt, ſubtraxerunt, & in concilio legi minime pertulerunt: miſſis Romanis quid legerent, quidve non legerent, nullatenus intelligentibus, vel etiam advertentibus, quin potius præ vi ac timore jam jamque deficientibus. quid plura? Ignatius in medium trahitur, coram miſſis apoſtolicæ ſedis jam ſenio feſſus ſtatuitur, & denuo damnationi A ſubmittitur; quin & ſacerdotalibus infulis exſpoliatur, quaſi validior fieret depoſitio, ubi ſedis apoſtolicæ per vicarios ſuos auctoritas adfuiſſet, cum in his nec illius interfuerit auctoritas, nec miſſi illi vicariorum more, ut epiſtolæ dant intelligi, fuerint deſtinati. Quod ſedes apoſtolica diſcens, tantam injuſtitiam impune deſeri minime paſſa eſt, ſed ſcribit a tali præſumptione ceſſandum, ſuoque decreto Photium non obedientem cum complicibus ſacra dignitate nudat, & cum omnibus fautoribus anathema fore decernit, jam dictis miſſis ſuis primitus ſententiam ſecundum exempla reverendæ memoriæ Felicis papæ in Vitalem & Miſenum epiſcopos ſimiliter excedentes ſynodaliter inferens, & quam ſibi fratris dejectio eſſet gravis, etiam filiis B ſuis non parcens, palam cunctis dedit intelligi. Cujus cenſuræ Photio minime parente, ſacratus fidelium catalogus magis inflammatur, & ab ejus ſe communione catervatim ſequeſtrat, horreſcens quod nec a tanta ſede perculſus corrigi conſenſerit, quippe cum durior ſilice, etiam verbera dura impudenti fronte contempſerit. quod Photius moleſtiſſime ferens acriter indignatur: & licet Bardas, Cæſar poſtmodum factus, cujus auxilio fulciebatur, digna retributione ab imperatore Michaele fuerit interfectus, nihil tamen ſævitiæ ſuæ minuit: ſed alios quidem privatione honorum ac dignitatum, alios vero proſcriptione facultatum damnat, hos exilio longo & carceribus relegat, illos tormentis diverſis afficit; atque ut breviter omnia com- C prehendantur, nulla profeſſio ſexus, vel ætas ab eo impunita deſeritur, niſi conſors ſuæ communionis inventa: adeo ut communionem ejus declinantium nonnullos, quibuſdam exceptis, qui contemplationi operam dantes, clauſi habebantur, abſtraxerit; alios vero in monte Olympo eremiticam vitam ducentes fugaverit, eorumque tuguria ſeu ſpeluncas igni perdiderit; quemdam autem ſibi communicare renuentem etiam vivum ex inferiori parte uſque ad dimidium corporis ſepelierit: & (quod horribilius eſt) conciliabulum præſidente Michaele imperatore colligit, falſos homines quaſi vicarios orientalium ſedium format, accuſatores muneribus armat, & mendaciis conſtruit, teſtes eos adſciſcit, quos & accuſatores opponit. Judices D nonnunquam & in accuſati perſonam admittit, exceſſus quoſdam quaſi præfati ſummi pontificis fingit, impingit, & ſicut putabat, damnatione ſimul & anathemate punit: cunctis qui aderant, exceptis perpaucis, & his fautoribus impietatis, clamantibus non eſſe juſtum, in ſummum & primum pontificem, & præcipue ab inferiori quomodolibet ſententiam proferendi, cum id nec canon quiſquam admittat, nec aliqua eccleſiæ conſuetudo fieri doceat. Verum iſte falſarius falſorum exceſſuum adverſus inſontem abſentem & invictum, mendacem codicem compilat, mille circiter antiſtitum ſubſcriptiones falſas interſerit, ſibi nemine prorſus conſentiente vel conſcribente ex illa numeroſa epiſcoporum multitudine, niſi uno & viginti præſuli- E bus. Unde jam profuſius ſancti habitus viri eum fugiunt, & quaſi ſqualorem quemdam declinant, alterum Dioſcorum hunc appellantes, & præcurſorem antichriſti, immo ipſum antichriſtum exiſtimantes, quem ſcilicet hominem peccati, filiumque perditionis apoſtolus appellaſſet, qui profecto extolleretur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ceterum conſtruit & aliam technam hic perverſorum dogmatum cultor, & perſuadet imperatori præcipere, neminem teſtamentum facere, vel per alterius, niſi per Photii manus ſuas eleemoſynas erogare: quod non ob aliud adinvenit inventor malorum, niſi ut cum acciperet & erogaret ſubſtan-

Job 12.

2. Theſſ. 2.

ANNO CHRISTI 869.

ſtantias divitum, proprias a minus curioſis erogaſſe putaretur, ac per hoc a cunctis quaſi dapſilis & munificus amaretur; ſimul etiam ut ſaltem per hoc omnes ei coacti communicarent, quandoquidem conſpicerent, nec ipſa ſe animarum ſuarum remedia poſſe, niſi per manus ejus ſaltem in ipſo mortis articulo poſitos operari. Præterea & aliud iniquitatis ſuæ retiaculum, quo mentes ſimplicium caperet, texens, quotquot ad exteriorem ab eo diſciplinam inſtruendi veniebant, proprio ſcripto ſpondere cogebat ſe ſecundum fidem Photii de cetero credituros; quaſi duæ fides eſſent, una ſcilicet Chriſti, & altera Photii: & hoc nihilo minus callide molitus, ut communionis ſuæ quoſcumque vel quomodocumque laqueis irretiret; & eſſet impoſſibile ſe unquam evelli, quem nimirum conſtaret, tot fixis hærere radicibus, dum his nec aliam fidem, niſi quam ipſe teneret, habere quoquo modo licuiſſet: quod maximum ſcandalum mortalibus excitavit, dicentibus: itane, ſi Photius hæreſiarcha fuerit, debent filii noſtri aut fidei catholicæ deſertores eſſe, aut juramenti vel ſui chirographi tranſgreſſores? erant enim inter eos nonnulli clariſſimis natalibus oriundi: nam & ante annos aliquot idem Photius duarum unumquemque hominem animarum conſiſtere prædicabat. Qui cum a Conſtantino philoſopho magnæ ſanctitatis viro fortiſſimo ejus amico increpatus fuiſſet, dicente; cur tantum errorem in populum ſpargens, tot animas interfeciſti? Reſpondit: Non ſtudio quemquam lædendi, talia, inquit, dicta propoſui, ſed probandi, quid patriarcha Ignatius ageret, ſi ſuo tempore qualibet hæreſis per ſyllogiſmos philoſophorum exorta pateſceret, qui ſcilicet viros exterioris ſapientiæ repuliſſet: verum ignoravi me ſub hujus fomite propoſitionis tot animas fore læſurum. Ad quod ille: O ſapientia mundi quæ infatuatur & deſtruitur! Jactaſti ſagittas in multitudinem copioſæ turbæ, & ignoraſti quemlibet ex his omnibus vulnerandum. Certe omnibus liquet, quia ſicut oculi quantumlibet ſint magni & aperti, ſi fumus palearum interjacuerit, videre ultra non poſſunt: ita oculi ſapientiæ tuæ quantumlibet ſint magni & patuli, avaritiæ tamen & invidiæ fumo penitus obcæcati, tramitem juſtitiæ videre non poſſunt: ac per id verum eſt quod dicis, neminem ictu tuo putaſſe eſſe lædendum, cum ſic obcæcatum ſenſum prædictis adverſum patriarcham paſſionibus habens, nec quid emiſeris, prævidiſti. Interea occiditur Michael, remanet ſingularis in imperio Baſilius. Unde & nuncupatur ab omnibus monocrator. Incipit inquirere & inveſtigare, quodnam fuerit ſedis apoſtolicæ judicium, vel decretum tam ſuper iconomachis, qui ſenſim contra ſacras imagines garrire rediviva præſumptione videbantur, quam ſuper Ignatio vel Photio promulgatum. Qui cum ei reſponſum eſſet, apoſtolicam ſedem ab undecima indictione, ſicut ab olim in throno Conſtantinopolitano Ignatium ſtabiliiſſe, Photium vero nullius clericalis ordinis dignum aliquo modo cenſuiſſe, atque ſuper his innoteſcendis diverſa ſcripta Conſtantinopolim, ac per omnes orbis terrarum terminos direxiſſe; protinus eadem ſcripta curioſo ſatis intentu requirit, & inventa ubi a Photio profundius obruta conſiſtebant, præ oculis veluti ſpecula ponit, & horum lectione magiſtra, quæ ab eadem ſumma ſede decreta fuerant, celeri conſummat effectu: id eſt, & Photio ſacro miniſterio poſt depoſitionem irregulariter abutenti, throno Conſtantinopolitano cedere perſuadet, & Ignatium hunc recipere adhortatur. Verum quia & Ignatius thronum quo præjudicialiter fuerat expulſus, abſque iterata potioris ſedis, id eſt, primæ auctoritate non recipere propoſuerat, & imperator tantum (pro nefas) & ubique diſperſum a Chriſti eccleſia generali ſatagebat eradicare ſententia, viſum eſt utrique, Romam, & ad tria patriarchia fore mittendum orientis, & a Roma quidem decreta diſpenſatoria, & ſicut erant culparum cauſarumque diſcretiones, ita & pœnarum qualitates judicandarum, nec non & perſonas vice fungentes apoſtolica poſtulandum. A thronis autem orientalibus conſenſus nihilo minus & perſonas ducendum, ſane notandum, quod ceteri throni nil, inter Agarenos poſiti, ſuper hoc negotio ſumpſere laboris: ſed poſt Conſtantinopolim venientes, quod a ſede apoſtolica fuerat elaboratum atque decretum, reverenter admittunt, & præconiis miris attollunt, atque huic addendum, minuendumve nil omnino decernunt. Mittitur itaque Romam a parte quidem Ignatii, Joannes metropolita Silei, qui & Perges Pamphyliæ præerat eccleſiæ: a parte vero Photii Petrus metropolita Sardenſis, qui contra Ignatium cum jam memorato Gregorio auctor factus fuerat eccleſiaſticæ ſciſſionis: porro a principe deſtinatur regius ſpatharius Baſilius nomine, qui inter utramque partem coram ſede apoſtolica medius haberetur, & fidelis eorum quæ ſedes eadem decreviſſet, auditor & nuntius: ſed Petrus quidem, licet nova navi, & quam ipſe ſibi elegerat, veheretur, naufragium ſimul & mortis periculum pertulit; & qui navim Chriſti, hoc eſt, eccleſiam ſciderat, navis ſuæ ſciſſionem non inconvenienter incurrit. ceteri ſane legati Romam pervenientes, epiſtolas & profanum codicem, in quo continebantur geſta conciliabuli, quæ Photius adverſus apoſtolicæ memoriæ papam Nicolaum falſo fuerat commentatus; atque omnia quæ crebro memorato eximio præſuli deſtinata fuerant, quia ille ad meliorem vitam migraverat, tibi præclaro ſucceſſori ejus, domine junior Hadriane præſul [a] eximiæ ſedis apoſtolicæ, gubernacula egregie moderanti præſentant: qui accingens ſicut vir lumbos tuos, * & Danielis pueri ſpiritum ſumens, & nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram a via regia declinans, quæ ille decreverat decreviſti, & quæ ſtatuerat ſtatuiſti, atque omne providi patris edictum pius heres executus, injurias propriæ ſedis protinus vindicaſti. Nam ſynodo mox apud beatum Petrum collecta, profanum codicem illum cremari cenſuiſti, & ita fieri apud Conſtantinopolim, ſi quæ exemplaria ejus ibidem invenirentur, jure mandaſti: quod & factum eſt, & auctorem ejus pro tanta temeritate denuo damnans, hujus paria occultantes cenſura ſimili ſequeſtraſti. Miſſiſque cum auctoritate apoſtolica vicariis & epiſtolis decretalibus, juſſiſti fieri Conſtantinopoli ſynodum, pro multis quidem neceſſitatibus eccleſiæ, ſed pro his præcipue, quæ hucuſque breviter annotata ſunt, quæque in hujus ſynodi geſtis inveniuntur, in qua ſcilicet Photius ob id etiam ſpecialiter condemnatur, quoniam depoſitionem vel anathema præſumpſit in ſanctæ memoriæ papam Nicolaum nominare. Facta eſt igitur hæc ſacroſancta ſynodus anno imperii Baſilii pii principis tertio, quæ univerſos patriarchales thronos, ſicut aliarum ulla in eorum loci ſervantibus præſules habens, univerſalis non inconvenienter ab omnibus appellatur. univerſalis eſt enim. Primo quia catholica fides in ea & ſanctæ leges, quæ non ſolum a ſacerdotibus, ſed & ab univerſis Chriſtianis coli debent & venerari, contra hoſtes earum conſona voce defenditur. Deinde, quia cum Chriſtus in corpore ſuo, quod eſt eccleſia, tot patriarchales ſedes, quot in cujuſque mortali corpore ſenſus locaverit, profecto nihil generalitati deeſt eccleſiæ, ſi omnes illæ ſedes unius fuerint voluntatis, ſicut nihil deeſt motui corporis, ſi omnes

a) Forte, eis nisi. H.

* al. & lumbis pueri spiritum, &c.



ANNO CHRISTI 869.

omnes quinque ſenſus integræ communiſque fuerint ſanitatis. Inter quas videlicet ſedes quia Romana præcellit, non immerito viſui comparatur: qui profecto cunctis ſenſibus præeminet, acutior illis exiſtens, & communionem, ſicut nullus eorum, cum omnibus habens. Tertio, quia cum Photius tot exceſſuum ſuorum morbo univerſam eccleſiam maculaverit, univerſalis curatio adhibita eſt, ut totum curaretur, quod totum fuerat maculatum. Nam tantum hujus ambitionis pullulavit longe lateque temeritas, ut mox Hieroſolymis quidam laicus nomine Salomon extemplo clericus factus, ſit ordinatus antiſtes. quod nunquam factum eſt etiam ab ipſo Jacobo, qui primus illic epiſcopus extitit; niſi poſtquam Photius noviter in clero plantatus, & confeſtim præſul factus auditus eſt. Apud Conſtantinopolim autem nonnulli ex tunc laici etiam virtutibus operam tribuebant, tantum ut ad hanc ſacram poſſent pertingere dignitatem: at ubi compotes fieri nequiverint, mox continentiæ frenis laxatis, in ſuis * voluptatibus ire cœperunt, & quod non ſanctitatis, ſed avaritiæ cultores exiſterent, protinus oſtenderunt; adeo ut diverſis modis a Romanis miſſis horum quidam obtinere tentaverint, ne regula promulgaretur, quæ tunc de non repente ſæcularibus in ſacerdotium provehendis, in hac eadem ſynodo promulgata eſt. Præterea penes Alexandriam & Antiochiam in tantum radix hujus peſtis exrevit, ut a tempore promotionis crebro dicti Photii hactenus evelli non poſſit. (!) Nec fatendum creditur, quod tunc univerſalis jure diceretur, ſi pro fide celebrata conſiſteret; cum & in hac nonnulla quæ ad fidem pertinent, ſint definita, & in ceteris univerſalibus conciliis multa diſpoſita inveniantur; quæ ad fidei doctrinam non pertinent, quod non minus in fide quam in legis prævaricatione peccent ex concilio Conſtantinopolitano acta: quamvis non minus in ſanctas regulas quam in catholicam fidem delinquatur, & diabolus non pro fidei pravitate, ſed ob perverſitatem operum perpetuo maneat condemnatus. Nam ſicut unicuique ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ita & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa: ac per hoc hujuſmodi fidei cuſtores, ſicut ſcriptum eſt, confitentur quidem ſe noſſe Deum, factis autem negant: & ideo ſicut rectæ fidei ſinceritatem maculantes, ita ſanctæ regulam juſtitiæ violantes, ab omnium ſunt unanimitatis æquo libramine corrigendi, vel certe juſta ſententia puniendi: ſicut econtra non ſolum rectæ fidei, verum etiam ſancti operis ſtrenui cuſtodes ab omnibus ſunt laudandi, & digna præmiorum cæleſtium ſorte ditandi.

* al. voluptatibus.

aliquid videtur deeſſe.

Hebr. 11.

Jacob. 2.

ad Titum 1.

Porro proprium nomen hujus rite quærimus ſynodi. Nam ſi hydræ ac hippocentaurorum, qui non ſunt, utique nomina dicuntur, quanto congruentius hujus ſynodi nomen ſciri debet, quæ utique eſt, ne videlicet nomine carens, comparetur rebus in maris profundo poſitis, quæ quidem ſunt; ſed quia ad notitiam hominum non pervenerunt, hactenus nomine carent. Itaque ſi ſynodus tantum dicatur, non proprie dicitur: habet enim hoc nomen commune cum aliis numeroſis conciliis, ſi ſynodus univerſalis appelletur. Nec ſic de hac quod ſingulariter poſſidet prædicabitur: nam hoc nomine cum generalibus ſeptem ſynodis utitur. Porro ſi ſynodus Conſtantinopolitana dicatur, non dicetur proprie: ſunt enim & aliæ Conſtantinopolitanæ ſynodi. Jam vero ſi ſynodus univerſalis Conſtantinopolitana & octava vocetur, nec ſic definitive nomen ejus prædicabitur: non enim eſt octava, ſed quarta ſynodus earum, quæ Conſtantinopoli univerſaliter celebratæ ſunt. Nuncupanda eſt ergo ſine omni contradictione ſynodus univerſalis octava, ut & appellatio quam cum ſeptem aliis conciliis ſortita eſt, non celetur, & nomen proprium, quod ſingulariter poſſidet, deſignetur.

Igitur cum hæc celebraretur venerabilis ſynodus, accidit me famulum veſtrum miſſum a Ludovico piiſſimo imperatore cum duobus aliis viris inſignibus intereſſe, ferentem etiam legationem ab apoſtolicis meritis, decorato præſulatu veſtro, cauſa nuptialis commercii, quod efficiendum ex filio imperatoris Baſilii, & genita præfati Dei cultoris Auguſti, ab utraque parte ſperabatur ſimul & parabatur. In tam enim pio negotio, & quod ad utriuſque imperii unitatem, immo totius Chriſti eccleſiæ libertatem pertinere procul dubio credebatur, præcipue ſummi pontificii veſtri quærebatur aſſenſus. Dei ergo nutu actum eſt, ut tanti negotii cum loci ſervatoribus apoſtolicæ ſedis & ipſe fine gauderem, & veniens fructuum in exultatione portarem manipulos, qui per ſeptennium ferme pro eo indefeſſe laboraveram, & per totum orbem verborum ſemina ſedulo ſcribendo diſperſeram.

Nam pæne omnia, quæ ad præſens negotium pertinent, quæque a ſede apoſtolica Latino ſermone prolata ſunt, ſive quæ in hujus ſynodi codice, ſive quæ in aliis voluminibus continentur, ego ſummis pontificibus obſecundans, deceſſori ſcilicet veſtro ac vobis, expoſui, & poſtmodum Conſtantinopoli pro prædicta cauſa repertus, non pauca in his veſtris loci ſervatoribus, ut ipſi quoque teſtantur, ſolatia præſtiti, qui etiam diverſos hominum eventus conſiderans, geſta hujus ſynodi, quæ apoſtolicæ ſedis loci ſervatores in uno volumine ſecum portaturi conſcripſerant, in altero codice tranſcripta Romam uſque deferre propoſui. Unde factum eſt, ut eiſdem loci ſervatoribus in prædones incidentibus, & codicem ipſum cum omnibus ſupellectilibus ſuis amittentibus, ego codicem quem detuleram Romam, vexiſſe dignoſcerer, quem ſanctitas veſtra grato ſuſcipiens animo, mihi ad transferendum in Latinam tradidit dictionem. ad quod opus ego idoneum eſſe me denegavi, licet in interpretandis ex archivo in Romanum ſermonem ſcripturis præſenti tempore quoddam conamen arripere nitar, & nonnulla jam ad ædificationem plurimorum, & præcipue veſtri deceſſoris hortatu interpretatus ediidiſſe dignoſcar. Verum vicit juſſio tanti pontificis, dum non deeſt obedientia prompti miniſtri. Interpretans igitur hanc ſanctam ſynodum, verbum e verbo, quantum idioma Latinum permiſit, excerpſi; nonnunquam vero manente ſenſu, constructionem Græcam in Latinam neceſſario commutavi. Rara præterea interpreti doctiori enucleanda ſervavi; quædam etiam ſicut mihi nota erant, nimirum qui tam Romæ, quam Byzantii poſitus, in cunctis his ſolicite laboravi, ſcholiis in marginibus codicis exaratis annotavi, vel etiam, ſicut mihi viſum eſt, explanavi. Sane & hoc notandum, quia quædam ſcripturarum, quæ ſuper his a ſede apoſtolica Conſtantinopolim miſſæ ſunt, deficientibus urbis ejuſdem interpretibus, non ex toto recte tranſlata in Græcitatem inveni; quorum ipſe nonnulla, & quantum anguſtia illic morandi permiſit

---

* 1 Hæc quæ ſequuntur, uſque ad *Porro proprium nomen*, inferius ponenda videntur poſt hæc verba: *& nomen proprium, quod ſingulariter poſſidet, deſignetur.*

miſit temporis, emendavi; partim vero, ut reperi hactenus incorrecta reliqui.

Ad extremum plane monendum eſt, & pro futurorum cautela temporum arctius memoriæ commendandum, ne forte procedente tempore in Græcis codicibus reperiatur huic ſanctæ ſynodo quidquam a Conſtantinopolitana ſuatim additum vel mutatum, nihil minus vel amplius in eadem ſynodo definitum fuiſſe, niſi quæ in Græco ejuſdem ſynodi actionum codice in Romana eccleſia ſcripta reperiuntur, & in Latinitatem fideli ſatis ſtylo tranſlata, in archivo ejuſdem eccleſiæ recondita comprobantur, quæque omnium patriarchalium ſedium loci ſervatorum, & ipſorum quoque imperatorum atque cunctorum antiſtitum ſubſcriptionibus roborata, & nunc uſque ſignata conſiſtunt. Sane epiſtolæ tam ſynodi, quam patriarchæ & imperatorum ad Romanum pontificem miſſæ, quæ in codicis actionum ipſius ſynodi calce habentur inſertæ, reverenti ſunt cultu recipiendæ. Nam a totius ſynodi conſenſu, dum adhuc ageretur, decretæ ſunt & expoſitæ. Cur autem iſta præmiſerim, breviter annotabo. Siquidem cum rex Vvlgarorum cum propria gente Chriſti fidem ſuſcepiſſet per hominem Romanum, id eſt, quemdam presbyterum Paulum nomine, documentum atque myſterium propoſitum habuit a ſede apoſtolica, non modo fidei regulam, ſed & ſanctæ legis ſumere diſciplinam. quod & fecit, non ſolum a præfato presbytero, verum etiam per divinam revelationem inſtructus: quæ ſic temporum qualitatem diſcrevit, ut poſtrema in priorem reformaret ſtatum & ordinem. Nam tota Dardania, Theſſalia, Dacia, & utraque Epirus, atque ceteræ regiones juxta Iſtrum fluvium ſitæ, apoſtolicæ ſedis veſtræ moderamine antiquitus præcipue regebantur & diſponebantur. Sed poſtquam imperatores Romanorum, qui nunc Græcorum appellantur, variorum fautores vel incentores effecti errorum, ſanctam Chriſti eccleſiam diverſis hæreſibus ſcindere minime formidaverunt; Scidit Deus imperium eorum, & in occiduis partibus paulatim regnare, ſuperno decernente judicio, ceſſaverunt: donec Romanos pontifices ſuis pravitatibus incurvare conantes, nec valentes, ac per hoc multiplicibus pœnis afficientes, Heſperiæ poteſtatem jam prorſus amitterent, occidentis etiam amiſſo imperio, nihilo minus Romanis pontificibus, quia jam jubere nequeunt, ſuadere nituntur; ſuis læſis favorem ſenſibus accommodandum. Sed quia iſti cum Petro ſuper petram veræ confeſſionis ſtantes peſtiferam ſuggeſtionem audire poſſunt, obaudire non poſſunt, mox illi quoniam aliter eos lædere nequeunt, patrios & antiquos terminos transferunt, privilegia ſedis apoſtolicæ corrumpunt, & pæne omnia jura diſponendarum diœceſeon auferunt, atque ſuis hæc fautoribus conſentaneis & ſectatoribus conferunt: cum quibus etiam jus, quod ſedes apoſtolica ſuper prædictas regiones habuit, quia juxta ſe ſitæ videbantur, uſurpant, & Conſtantinopolitanæ diœceſi nequiter applicant; cum beatus papa videatur dicere Innocentius ad Alexandrum Antiochenum, inter alia ſcribens: Non ergo viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum, Dei eccleſiam commutari, honores aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit imperator; ſed his nec ipſi diu fruuntur, ſiquidem jam memorata Vulgarorum gens protinus irruit, & univerſa circa Danubium occupat, ſicque Græci principes, quod ſedi ſubripiunt apoſtolicæ, in duplum quodammodo & ſecundum legem reſarciunt, nam cum jure diœceſeos uſurpatæ etiam ſua, id eſt, imperii proprii par-

A tem poteſtatis amittunt. Verum tandem aliquando volens omnipotens Deus, qui olim filios Iſrael etiam poſt triginta & quadringentos annos ab affligentium preſſuris eripuit, ſalubremque doctrinam edocuit, has etiam regiones cum populo ſuo ad rectum fidei tramitem, æquamque juſtitiæ normam perducere, inſpiravit jam memorato principi Vvlgarorum, per merita Petri, cujus in arcto ſitus interventionem ſibi apud Deum adeſſe precatus eſt, ſicque de numeroſis cuneis hoſtium triumphavit, mittere Romam, & a ſede apoſtolica fidei & ſanæ traditionis poſtulare doctrinas: quod pius princeps non ſegnis executor effecit, & mittens ad apoſtolicam ſedem cui deceſſor veſter tunc papa egregiæ ſanctitatis præſidebat Nico-
B laus, & non ſolum dogmata orthodoxæ fidei, verum etiam ſanctæ vitæ diſciplinam ab ea, quin & ad utrumque idoneos inſtitutores expetiit, & accepit, Paulum ſcilicet Populonienſem & Formoſum Portuenſem, ſanctæ converſationis antiſtites. Qui ad principem pervenientes, totamque jam memoratorum Vulgarorum patriam, cujus ſupra partes commemoravimus, peragrantes, terram cordium linguæ vomere præſcindendo, & Chriſtum, extirpatis errorum vepribus, in hominum mente plantando, fluentiſque ſacri baptiſmi rigando, atque impoſitione manuum ſuarum ſuper capita fidelium, & Deo dicata templa vel altaria incrementum perfectionis per ſanctum Spiritum invocando, dum apoſtolicus ille pontifex, & ut ita
C dicatur, cæleſtis homo & terreſtris angelus ſuperſtes habitus eſt, minime ceſſaverunt. Ad cujus imitationem eadem agi ſtrenue tu ſucceſſor ejus almæ ac ſummæ magnitudinis præſul, medullitus anhelaſti, & in his conſummandis ſatagere non ceſſaſti. In tantum autem pietas creverat principis, & abundabat circa beatum Petrum venerationis affectu, ut quadam die manu propria capillos ſuos apprehenderet, & contemplantibus cunctis ſe Romanis miſſis tradiderit dicens: Omnes primates & cuncti populi Vvlgarorum terræ cognoſcant, ab hodierno die me ſervum fore poſt Deum beati Petri & ejus vicarii.

Quæ Græci de die in diem audientes invident, & tantæ gloriæ avidi, ut eum poſſint a Romana ſe-
D de avertere, diverſa requirunt ingenia, munera poſt munera numeroſa mittentes, & ſophiſtica ei argumenta creberrime proponentes. At ille ut columna manſit immobilis, donec eorumdem Græcorum fraude deciperetur; ſcribentium ei, atque dicentium; quod de patria illa utrum Romano an Conſtantinopolitano pontifici ſubdi debeat, inter vicarios Romanos, patriarchamque Ignatium Conſtantinopoli diſceptatio fuiſſet canonice ventilata; & conjunctis Romanis orientis ſedium loci ſervatores judicaverint Vvlgarorum diœceſim urbi fore ſubjiciendam, cui ante Vvlgarorum adventum ſubdebatur: cum alia ſit in mundanis negotiis, alia in eccleſiaſticis diſpoſitio juris; & quamvis regio illa Græcis fuerit antea ſubdita, nullum tamen in
E ea ſibi jus vindicare legitime potuerunt, quam armis olim amiſſam per tot tempora bellando recipere non valuerant: quamvis & priuſquam Græcis fuerit ſubdita, Romani hanc poſſediſſe pateſcant, nec illam Græci, ut ſupra monſtratum eſt, tenuiſſe memorentur, niſi dum ſceptris Romanicis potirentur. quamquam etſi huic Græci principes regioni quantum ad rempublicam attinet, dominati ſint, non tamen præjudicare poſſunt Dei eccleſiæ juri, quæ quantumlibet illi cum diverſis nationibus conflictantes, ſive victi, ſive victores extiterint, non novit niſi caritatem & pacem. Unde quidam magiſtrorum ejus exclamat: *Si quis videtur*





*tur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque eccleſia Dei.* licet hoc ipſum an loci ſervatores orientis decreverint, nullis certis probetur indiciis. Quamvis enim Romani loci ſervatores & Vvlgarorum miſſi cum imperatore, ſeu patriarcha, nec non & orientis loci ſervatoribus conveniſſent, his tamen omnibus in uno conclavi poſitis, nulli deforis venienti patebat aditus, niſi cui vel imperator vel patriarcha forſitan permiſiſſet. Unde factum eſt, ut quidquid Romani aſſererent, nec orientis loci ſervatores, nec Vvlgares miſſi intelligerent: & rurſus quidquid orientales dicerent, nec Romani loci ſervatores, nec Vvlgarorum miſſi cognoſcerent. Dum videlicet nullus adeſſet, niſi unus imperatoris interpres, qui nec Romanorum, nec orientalium loci ſervatorum voces aliter audebat edere, niſi ut jam imperator ad ſubverſionem Vvlgarorum imperarat; excepto quod datum eſt miſſis Vvlgarorum quoddam ſcriptum Græcis verbis & literis exaratum, continens quaſi loci ſervatores orientis inter loci ſervatores Romanos & patriarcham Ignatium * arbitros exiſtentes, judicaverint, Vvlgarorum patriam quæ in Illyrico conſtituta eſt, diœceſi Conſtantinopolitanæ ſubjiciendam, cum ab olim in utraque Epiro, Dardania, Dacia, Theſſalia, & ceteris in Illyrico ſitis provinciis ſemper ſedis apoſtolicæ diſpoſitio facta clareat, ſicut diverſæ pontificum Romanorum a Damaſo papa per eaſdem provincias miſſæ teſtantur epiſtolæ & has Græcorum principes ſola vi, faventibus ſibi Conſtantinopolitanis præſulibus, cauſſa dumtaxat, quam ſuperius annotavimus, exhortans, ab apoſtolica ſede ſubegerunt. ſuper quibus recipiendis ideo apoſtolica ſedes nullam reperitur feciſſe querelam, quoniam mox has, ut prædictum eſt, ſæpe memorata Vvlgarorum natio adit, & ſibi jure poteſtatis omnia vindicat. At ubi religio redit, confeſtim & diœceſeos fas ſedi propriæ reformatur. Hæc cum Romani, & his ſimilia, loci ſervatores ſummatim Græcorum locutiones advertentes, aſſererent, etiam hoc perſecuti ſunt dicentes: Omnibus liquet, neque nos, neque loci ſervatores orientalium ſedium cauſſa vindicandarum quarumlibet diœceſeon veniendi Conſtantinopolim invitatos, ſed controverſiam, pro qua diſponenda & definienda, vel a piis imperatoribus expetiti, vel a præſulibus noſtris deſtinati ſumus (Deo auctore) ſane diſſolvimus, & propria ſinguli ſubſcriptione ſignavimus. ſuper diœceſi autem Illyrici, quam ſedes apoſtolica jure priſco, & impræſentiarum ſibi a poſſeſſoribus ejus reddito nunc quieta retentione poſſidet, & regulariter utitur; eadem principalis ſedes neque pulſata eſt, neque ut pro ea mitteret, altercandum ullo modo provocata: ſed neque nos perſonas advocatorum vel aſſertorum ejus aſſumimus, neque quid illa ſi adeſſet, reſponderet objectis, agnoſcimus; quippe qui nihil hinc ab ea in mandatis accepimus, ac per hoc diſceptare non juſſi quidquam non poſſumus; verum nec loci ſervatores orientis judicum ſe perſonas aſſumpturos in controverſiis, in quibus ab utraque non ſunt parte judices appellati vel electi, conjicimus, præſertim cum apoſtolus perhibeat; Mediator, inquiens, unius non eſt; & ſacri canones non quorumcumque, ſed electorum judicum ſententiam minime ſpernendam edoceant, & quidam probabilium patrum dicat: Juſtus mediator non eſt, qui ſic unam partem audit, ut alteri parti nihil reſervet. Hæc itaque diximus, intentos reddere ſtudioſos curantes, ne forte proceſſu temporis quidquam de ſubjicienda Conſtantinopolitanæ diœceſi Vvlgarorum terra ſtatutum vel definitum ab univerſali & octava putetur ſynodo, vel actionum illius co-

* ſort. arbitri.

A dici a Græcis hinc aliquid adjici præſumatur. Nam familiaris eſt illis iſta præſumptio, & ſingularis quodammodo ambitionis indicium: ſiquidem in ſecunda ſynodo contra ſtatuta magnæ Nicænæ ſynodi, & ſanctorum decreta præſulum Romanorum, Alexandrinæ privilegia ſedis Conſtantinopolitano contulere pontifici; & quædam penes illos reperiuntur capitula regularum, quæ illi quidem tertiæ dicunt exiſtere ſynodi, cum apud Latinos nec in vetuſtiſſimis inveniantur editionibus. In quartæ quoque ſynodi quibuſdam codicibus quoddam de privilegiis Conſtantinopoleos oſtendunt capitulum, quod inter canones ejuſdem ſynodi ab univerſa eccleſia veneratos, nec Latinitas, nec alia lingua ſub ſole recipere comprobatur. Quod-
B que licet ab Anatolio, & imperatore, vel fautoribus eorum, poſt omnia geſta ſynodi & prolatos canones in abſentia Romanorum loci ſervatorum clam depromptum extiterit, mox tamen ibi ipſum ab eiſdem loci ſervatoribus eſt repulſum, & a ſede apoſtolica, quæ ut eadem ſynodus fieret, ſola decrevit, ſolaque jus habuit eos recipiendi, quos ſynodica decreta protulerant, non ſolum non admiſit, verum etiam continuo reſpuit; quodque Anatolius vel imperator, quia ut firmaretur a ſede apoſtolica, cui tunc magnus præſidebat Leo, impetrare non potuit, in ejus poſitum poteſtate confeſſus eſt. Nihilominus & alia oſtendunt regularum numeroſa & præſumptuoſa ſatis capitula, priſcæ traditioni pæne omnia valde contraria,
C quæ a ſexta falſo perhibent ſynodo promulgata; cum ſexta ſynodos nullam protulerit præter fidei regulam: ſed quas ejus aſſeverant regulas, longe poſt ſextam ſynodus ab ipſis conſtat eſſe penes ſe privatimque depromptas. Porro in ſeptimæ ſynodi codice, quia ſæpe contra canones Conſtantinopoli ex neophytis antiſtites provehuntur, & eo tempore Taraſius ex laicis patriarcha fuerat ordinatus, ita epiſtolam beatæ recordationis papæ Hadriani exiſtimant tranſcribendam, ut nihil in ea ex his, quæ ad prædictum præſulem vel contra neophytos idem pontifex ſanctiſſimus ſcripſerat, vel ſcriptum, vel tranſlatum Græce reperiatur. Sic igitur Græci accepta occaſione celebratorum univerſalium conciliorum, frequenter egiſſe
D clareſcunt, & nunc minuendo, nunc addendo vel mutando, nunc in abſentia ſociorum, nunc in abſcondito angulorum, nunc extra ſynodum, nunc poſt ſynodum, aſtutia ſua, immo fraude communibus ſanctionibus abutuntur, & ad ſuos libitus cuncta quæ ſibi viſa fuerint, etiam violenter inflectunt. Itaque quidquid in Latino actionum octavæ ſynodi codice reperitur, ab omni eſt fuco falſitatis extraneum: quidquid vero amplius ſive de diœceſi Vvlgarica, ſive aliunde in Græco ejuſdem ſynodi codice forſitan invenietur, totum eſt mendacii venenis infectum. Denique diſceptatio, quam coram imperatore, vicariis, & Vvlgaribus, tantum ſuper Vvlgarum terra ſupra fuiſſe ſignificavimus actam, poſt ſynodum con-
E ſummatam, canoneſque in viginti prolatos & ſeptem tantum capitulis atque terminum fidei depromptum, & omnia hæc in quinque codicibus ſcripta ſive compacta, & omnium ſubſcriptionibus roborata, ſed & ipſos codices plumbea bulla munitos, atque ſigillatim loci ſervatoribus traditos, patriarchalibus ſedibus deferendos, effecta eſt. Ne ergo Græcorum ſuatim aſtutia, quin potius doloſitas etiam circa præſentem ſynodum agat: hæc me admonendi cauſa dixiſſe ſufficiat. Ceterum bene novi quod juxta proverbiatorem, *Fruſtra jactatur rete ante oculos pennatorum.* Unde quiſquis ſapientiæ ac prudentiæ pennis ad alta

ANNO CHRISTI 869.

ſuſtollitur, omnes inſidiarum muſcipulas, quæ a Græcis in infimis tendi poterunt, alto contemptionis ſaltu tranſcendet. Divinitas apoſtolatum veſtrum per multos annos ſervare dignetur, domine beatiſſime papa.

* id eſt, Breve compendium.

## BREVIS COMPENDIOSUS

MONUMENTORUM A S. ET UNIVERSALI *ſynodo VIII. per ſingulas ejus ſacratiſſimas actiones facta pro catholica eccleſia, id eſt, pro apoſtolicis & orthodoxis dogmatibus, & ipſius ſaluberrimo ſtatu.*

Auctore Anaſtaſio Bibliothecario.

PRima quidem actio continet præfationem & ſeſſiones, ſynodi præceptionem, patriarchalium perſonarum ingreſſionem, male tractatorum epiſcoporum, hortatum Romanorum vicariorum, eos ad ſedendum jubentem: epanagnoſticum ab imperatore miſſum, aſſertionem vicariorum & principum, interrogationes Bahanis patricii & præpoſiti, & reſponſiones Romanorum vicariorum. Epiſtolam Hadriani papæ ad Baſilium imperatorem, gratiarum actiones ſynodi poſt lectam epiſtolam. Theodoſii patriarchæ Hieroſolymorum epiſtolam ad Ignatium patriarcham, approbationes commendatitiarum epiſtolarum, libellum Romanum, interlocutionem præfati Bahanis, laudes libelli, definitionem Thomæ Antiocheni & Eliæ Hieroſolymitani vicariorum capitulatim, ſecundum ſtatuta papæ Nicolai factam approbationem definitionis, interrogationes ſenatus pro Photio, & reſponſiones vicariorum: harum approbationem, gratiarum actiones & laudes.

Secunda vero continentur actione ſeſſio ſynodi, ingreſſio epiſcoporum qui ceciderant, libellus eorum, interlocutio vicariorum Romanorum pro libello Romano ſcribendo, lectio & ſcriptio ejuſdem libelli, receptio epiſcoporum, ingreſſio presbyterorum, diaconorum, & ſubdiaconorum, cum libello pœnitentiæ, & horum ſcripti ab eis Romani libelli receptio: epitoma, eorum qui ceciderunt laus cum interpretationibus verſuum.

Tertia autem actione habetur ſeſſio ſynodi, ſuggeſtio Metrophanis & quorumdam coepiſcoporum ejus pro legendis epiſtolis imperatoris Baſilii, & Ignatii patriarchæ, Romam miſſis, exactio vicariorum pro efficiendo Romano libello, aliqui epiſcopi, qui interim hoc agere renuerunt, ſed poſtea peregerunt. Epiſtolæ imperatoris prædicti & Ignatii patriarchæ ad Nicolaum papam, epiſtola Hadriani papæ ad Ignatium patriarcham per Donatum & Stephanum epiſcopos, & Marinum diaconum: gratiarum actiones & laudes & verſus.

Quarta præterea refertur actione ſeſſio ſynodi, relatio de Theophilo & Zacharia dudum epiſcopis: interlocutio ſenatus, Metrophanis metropolitæ, ac Romanorum vicariorum. Ingreſſio Zachariæ ac Theophili in ſanctam ſynodum, & altercatio ipſorum & Romanorum vicariorum: epiſtola Nicolai papæ ad Michaelem imperatorem per Radualdum & Zachariam tunc epiſcopos deſtinata: interlocutio judicum, & epiſtola ejuſdem pontificis præfato imperatori per Leonem a ſecretis tranſmiſſa: interlocutio Theophili dudum epiſcopi, & Theodori metropolitæ Cariæ: Epiſtola papæ Nicolai ad Photium per Leonem a ſecretis: exhibitio non recepti Photii a patriarchiis: memoria libellorum a Zacharia & Theophilo Romæ factorum: preces cum laudibus.

ANNO CHRISTI 869.

A Porro quinta continetur actione ſeſſio ſynodi copioſior, annuntiatio Pauli charthophylacis, Zachariam ſive Photium adeſſe nuntiantis. Miſſio hominum vicariorum cum imperiali homine ad eum, & ipſius cum ipſis ſermocinatio: lectio ſermonum Photii, & dictatus ad eum ſynodi per Eliam ſyncellum: lectio vocis Photii. Acclamatio ſynodi ad Photium. Ingreſſio Photii, & quis eſſet, & ſi reciperet conſtituta patrum. Vicariorum percunctatio Romanorum, ſilentium, & tandem locutio Photii ac orientalium. Vicariorum reſponſio, hortatio Romanorum vicariorum: ſed rurſus Photius tacet. Lectio epiſtolarum Nicolai papæ, quæ lectæ ſunt in quarta actione: ſed Photius iterum ſilet, ante quem & altera Nicolai papæ B legitur epiſtola ſibi per Radualdum & Zachariam miſſa. Allocutio Eliæ vicarii Hieroſolymitani. Allocutio Romanorum vicariorum: quæ lecta ſunt, approbantur. Hortatio Romanorum vicariorum & Bahanis patricii ad Photium, & ejus reſponſio. Item Bahanes admonet, & Photius tacet, & ſibi datis induciis, egreditur, & ſæpe dictus Stephanus laudat.

Jam vero ſexta ſcribitur actione ſeſſio ſynodi, pronuntiatio Metrophanis metropolitæ Smyrnæ, epanagnoſticum Romanorum vicariorum. Intromiſſio epiſcoporum Photii, ante quos lectæ ſunt epiſtolæ papæ Nicolai ad Michaelem imperatorem & Photium per Leonem a ſecretis miſſæ, quaſque quarta continet actio: acclaC matio Eliæ ſyncelli, diſputatio imperatoris Baſilii, & Euchemonis ac reliquorum Photii epiſcoporum: aſſertio Zachariæ Photii epiſcopi, & diſputatio imperatoris cum epiſcopis partis Photii: locutio Eulampii, & indignatio Romanorum vicariorum: imperatoris verbum, & requiſitio epiſcoporum ab Ignatio conſecratorum, a Romanis vicariis cum eis loquentibus: contradictio Metrophanis metropolitæ Smyrnæ adverſus præſcriptum Zachariam, ſermo Romanorum vicariorum & admonitio imperatoris ad ſchiſmaticos: ſimiliter Romanorum vicariorum & ceterorum ad eoſdem iterata imperatoris admonitio, ſimul & laudes.

Septima ſane actione indicatur convenientium D ſeſſio, ingreſſio Photii baculo innixi, quem ab eo Marinus Romanus vicarius jubet auferri: vicariis Romanis Photium ad faciendum libellum hortantibus, & cum omni ſynodo ad pœnitentiam provocantibus, ille hos econtra cum ſuis ad pœnitentiam magis impellit; cui contradicit orientalium vicariorum ſermo. Bahanis interrogatio, Photii reſponſio, & ejus epiſcoporum ingreſſio, ſynodi & Photii epiſcoporum intentio, allocutio ad eos imperatoris per Bahanem præpoſitum, & hujus cum illis altercatio, & imperatoris aſſertio. Photii rurſus epiſcoporum & Bahanis diſſenſio, vicariorum Romanorum pro legenda epiſtola papæ Nicolai clero miſſa Conſtantinopoleos, exhortatio; quod & factum eſt: E item epiſtola papæ Hadriani ad Baſilium imperatorem per Theognoſtum exarchum, & altera ad Ignatium miſſa: lectio epiſtolarum Hadriani papæ ad imperatorem & patriarcham per Donatum, Stephanum & Marinum vicarios deſtinatarum; quæ in tertia ſcripta ſunt actione: & concilii ab eodem papa in eccleſia beati Petri collecti geſtorum ſubſcriptio papæ, epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum: commonitorium Romanorum vicariorum ad Photium, acclamatio Ignatii ad ſynodum, anathematiſmus Photii & partis ejus, ſeu præconia & imprecationes imperatoris & ſynodi: ac ſuper Photio verſus.

Octa-



ANNO CHRISTI 869.

Octava quoque memoratur actione ſynodi ſeſſio, imperatoris allocutio per Bahanem, & Romanorum vicariorum pro abolendis chirographis injuſtis, & horum cum actis conciliabulorum, a Photio contra papam Nicolaum & patriarcham Ignatium patratorum combuſtio: libellus Petri monachi, & examinatio falſorum vicariorum, & de hujuſmodi beati papæ Martini capitulum: allocutio Metrophanis, Theodori Crithini Iconomachi accerſio, & ſuper ipſis diſcuſſio: capitulum papæ Nicolai de imaginibus, converſio quorumdam Iconomachorum, imperatoris & ſynodi monitis: anathematiſmus in Iconomachos & in Photium & partem ejus prolatus, preces & laudes.

Ceterum nona nihilo minus actione continetur, poſt ſeſſionem ſynodi, ſuggeſtio ſenatus annuntiantis veniſſe vicarium Alexandrinæ ſedis, cujus hortante ſynodo, epiſtola commendatitia legitur & ipſe receptus, quæ acta ſunt, approbat, & ita ſenſus ejus: recitatur in ſcriptis examinatio falſorum teſtium, qui contra patriarcham juraverunt Ignatium, & horum pœnitentia: inde intromiſſio & diſcuſſio veſtimenta ſacerdotalia induentium, [a] cum eſſent ſæculares, divina quaſi celebrant myſteria. Sermo Romanorum vicariorum & alter orientalium: iterata falſorum vicariorum diſcuſſio, gratiarum actio; imprecationes & laudes, atque ſuper Photio verſus.

a) Forte, qui cum. L.

Porro decima continet actio ſynodicam ſeſſionem, conſidentibus imperatoris occidui, & principis Bulgarici miſſis: regolas & terminum fidei ab eadem expoſitum ſynodo. Interrogatio imperatoris, & totius ſynodi reſponſio approbans regulas lectas & terminum, imprecationes quoque ac laudes. Gratiſica vox imperatoris ad ſynodum: ſermo ejuſdem imperatoris, in quo epiſcopis bona promittit, & hortatur, ut ſi quis aliquid contra ſynodum dicere velit, ſine timore fateatur; licet non eſſe laicis ſuper eccleſiaſticis negotiis diſponendi jus, magiſtra ratione demonſtret. Monet ut ſchiſmata vitent, ut contra hæreſes vigilent, ut contentiones declinent, ut forma ſint ſubditis. Interrogatio imperatoris, utrum ſynodo placeat, quod lectum eſt: quæ omnia approbat, & ſubſcriptione firmare pollicetur. Imperator poſt omnes epiſcopos ſe velle ſubſcribere dicit. Ordo ſubſcriptionis, vox ſenatus, ſynodo recipere profitentis: laudes, ſubſcriptiones vicariorum, imperatorum & epiſcoporum: epiſtola ſynodi encyclica, & ad Hadrianum ſanctiſſimum papam, epiſtola imperatorum ad patriarchas: item epiſtola patriarchæ Ignatii ad Hadrianum ſanctiſſimum papam, conſulentis eum ſuper tribus capitulis: mox poſt ſynodum ejuſdem ſancti concilii conſultu tranſmiſſa epiſtola imperatoris Baſilii ad eumdem, epiſtola ejuſdem beatiſſimi papæ reſcribentis ad eumdem principem.

Expliciunt capitula, quid unaquæque ſynodi actio contineat, breviter indicantia.

ACTIO I. CONC. VIII. GENER.

*Geſta ſanctæ ac univerſalis octavæ ſynodi, quæ Conſtantinopoli congregata eſt.*

## ACTIO PRIMA.

Dei principale Verbum, quod ipſa Veritas eſt, Chriſtus videlicet omnium noſtrum ſalvator & dominus, habens nimirum univerſorum ſæculorum in ſe notionem & circumplexionem, & omnia ſciens antequam eſſent, conſulens ſanctæ



ACTIO I. CONC. VIII. GENER.

A catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ ſuæ, male operantium verſutias præoſtendit, ita dicens in evangeliis: *Attendite a falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoſcetis eos.* per quos videlicet manifeſte notavit formam malignitatis & pravitatis, quæ abſconſa eſt in interiori homine: * qui ſpeciem quidem & formam pietatis demonſtrant, actiones vero ſimiles peſſimis affectionibus, quæ circa animam ſunt, operantur. Propterea mox intulit: *Numquid colligunt de ſpinis uvam, aut de tribulis ficus? Ita omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit.* Et oſtendens quod impoſſibile ſit, ea quæ alterius ſunt generis, in B alterius tranſmotari naturam, continuo intulit: *Non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere: omnis arbor non fructum bonum faciens excidetur, & in ignem mittetur. Itaque a fructibus eorum cognoſcetis eos.* Photius igitur eſt etiam temporibus noſtris vir malignitate, ac nequam opere plenum interiorem hominem habens, qui propter ambitum & amorem gloriæ, & ut vocaretur Rabbi, bonum ſe eſſe fingebat, & habitum & formam pietatis habere ſimulabat. In quibus & tunc imperantes traduxit atque ſeduxit: & per humanam machinationem, & regiam poteſtatem atque potentiam, eccleſiam noſtram obtinuit, legitimo & beatiſſimo ſummo paſtore illius & ſanctiſſimo paC triarcha Ignatio inique dejecto atque expulſo: ſed poſt paululum & mox figurata perſona ſublata, & hypocriſi in abolitionem converſa, declarata eſt rurſus ex fructibus arbor etiam eiſdem ipſis, qui propemodum imperium retinebant, & inconſulte hunc promovere propoſuerunt, ac inutiliter & infructuoſe poſtea pœnituerunt: ſed & fugiendus & odiendus omnibus; quibus, qui in orbe noſtro ſunt, piis & induſtriis etiam magis effectus eſt, maxime autem & præcipue miſericordiſſima principali & Dei providentia ſanctæ Romanorum eccleſiæ & patriarchalibus thronis, qui in oriente ſunt, manifeſtum eum faciente per peſſimos pravoſque fructus, quos germinavit. Hinc ergo zelator Deus & D ultionum dominus, qui adverſarios ſuos & contemptores auferri divinæ juſtitiæ, veluti alterum Eliam Zeloten reperiens, beatiſſimum papam Nicolaum excitavit in auxilium veritatis: qui in Spiritu ſancto & lupi pellem per ea quæ ſcripſit, crebro dirupit, & interiorem inſaniam & rabiem publicavit, & palam exhibuit, Deique ſermonem, qui eſt diſcretor cogitationum, & gladium ſpiritus opponens, confeſtim ac ſtatim arborem radicitus amputavit; quippe quæ neque bene plantata fuerat, neque fructus bonos emiſerat: atque raptorem, & lupum, & graſſatorem animarum, tamquam latronem & furem interfecit, & confuſionis ſacerdotes, qui cum eo erant, pariter interemit; magis autem, E quemadmodum alter Petrus, alterum Ananiam furtim auferentem aliena, & Spiritui ſancto mentientem, ſuorum ſententia verborum occidit, miniſtrante videlicet & obſequente divinæ voluntati atque decreto, Chriſti amico & divinitus gubernato, ac ſecum ferente * nomen, Baſilio Deo amiciſſimo imperatore noſtro, qui univerſalem ſynodum congregans, quæ viſa ſunt Spiritui ſancto, pie peregit, reprobato quidem & omnimodis dejecto atque abrogato eo, qui ſecundum antiphraſeos tropum nominatus eſt * Photius, abdicatis autem & his qui ab eo promoti ſunt, & in quocumque gradu eccleſiaſtico

Matth. 7.

* id eſt, pſeudo-prophetæ.

Matth. 7.

Ibidem.

Bardam Cæſarem fautorem Photii dicit.

Alter. 10.

* Secum ferente nomẽ: cujus nomẽn cum dignitate concordat. denique eiſdem pene literis, Baſilius, quibus Baſileus I. Imperator ſcribi dignoſcitur.

* Photius namque illuminatus interpretatur.



con-

ANNO CHRISTI 869.

conſecrati: quibuſdam quidem horum omni tantummodo ſacerdotali catalogo privatis, eo quod redarguerint & reprobaverint etiam multum ante conſecratorem ſuum, ſuper his quæ hunc inique ac irregulariter gerere conſpiciebant: quibuſdam autem una cum ipſo abdicatis ſimul & anathematizatis, eo quod ſectatores ejus & conſonantes in omnibus ipſius nequam operibus deprehenſi ſint; inſuper & Iconomachi, qui contra ſanctas & venerabiles imagines impios & læſos ſenſus habent; id eſt, quod & illi exiſtimationis & damnationis acceperunt decretum atque ſententiam, corroborato videlicet & incardinato regulariter atque ſynodice in propria ſede Ignatio ſanctiſſimo patriarcha Conſtantinopolitano, ita ut nunc divinæ ſcripturæ compleatur eloquium, quod dicit: *Perfectio rectorum deducet eos, & ſupplantatio reprobantium captivabit eos.*

Provb. 11.

## INCIPIT ACTIO.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen. Anno tertio conſulatus amicorum Chriſti & piiſſimorum imperatorum noſtrorum Baſilii & Conſtantini perpetuorum Auguſtorum, indictione tertia, menſe Octobris, die quinta, feria quarta, propoſitis precioſis & vivificis lignis, & intemeratis ſalutis noſtræ euangeliis in dextris partibus * catechumeniorum nominatiſſimi templi ſanctæ ac magni nominis Sophiæ: conveniéntibus autem Donato & Stephano, Deo amabiliſſimis epiſcopis, & Marino venerabili diacono, locum tenentibus Hadriani ſanctiſſimi ac beatiſſimi archiepiſcopi ſenioris Romæ, & Ignatio honorabiliſſimo archiepiſcopo magni nominis Conſtantinopoleos novæ Romæ, & ſanctiſſimis vicariis orientis, Thoma videlicet ſanctiſſimo metropolita Tyri, locum tenente ſedis Antiochiæ, eo quod eadem viduata eſſet eccleſia; & Elia Dei cultore presbytero, & ſyncello locum tenente Theodoſii ſanctiſſimi archiepiſcopi ſedis Hieroſolymorum. Deinde ſecundum juſſionem amicorum Chriſti & piiſſimorum magnorum imperatorum noſtrorum Baſilii & Conſtantini, præſentibus & audientibus laudabiliſſimis patriciis, videlicet Theodoro laudabiliſſimo patricio & præpoſito, Hemerio laudabiliſſimo proconſule ac patricio, Theophilo laudabiliſſimo proconſule ac patricio, Leone laudabiliſſimo proconſule ac patricio, Joanne laudabiliſſimo patricio ac logotheta * okeoſdromi, Leone laudabiliſſimo patricio & domeſtico excubitorum, Paulo laudabiliſſimo patricio & eparcho prætoriorum, Manuele laudabiliſſimo patricio, Theophylacto laudabiliſſimo patricio, Petronace laudabiliſſimo patricio, & Oreſte protoſpathario & domeſtico * ycanatorum. His ergo congregatis, ſanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ, & Ignatius ſanctiſſimus archiepiſcopus Conſtantinopoleos, & honoratiſſimi vicarii orientis dixerunt: Ingrediantur epiſcopi omnes, quotquot laboraverunt & certaverunt pro verbo veritatis, utpote conſentanei Ignatii ſanctiſſimi archiepiſcopi Conſtantinopoleos. Et ingredientibus illis, Nicephoro videlicet Deo amantiſſimo metropolita Amaſiæ, Joanne Deo amantiſſimo metropolita Silei, Niceta Deo amantiſſimo metropolita Athenarum, Metrophane Deo amantiſſimo metropolita Smyrnæ, Michaele Deo amantiſſimo metropolita Rhodi, Georgio Deo amantiſſimo epiſcopo Hiopoleos, Petro Deo amantiſſimo epiſcopo

* Catechumenia dicuntur loca, in quibus catechumeni inſtruuntur.

* Ac magiſtro laudabiliſſimo patricio, & præpoſito.
* Prodromi celeris curſus.

* parentum. Vide Gloſſar. Græcum Du Cangii.

A Troadis, Niceta Deo amantiſſimo epiſcopo Cephaludii, * Anaſtaſio Deo amantiſſimo epiſcopo Magneſiæ, Nicephoro Deo amantiſſimo epiſcopo Crotonæ, Antonio Deo amantiſſimo epiſcopo Aliſi, & Michaele Deo amantiſſimo epiſcopo Cercyrorum: ſanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ & orientis dixerunt: Sedeant ſecundum ordinem ſuum, quia digni ſunt, & beatos & ter beatos hos æſtimamus. Et ſedentibus eis, ſtans in medio Bahanes famoſiſſimus patricius & præpoſitus, ad ſanctam ſynodum dixit: Imperator noſter ſanctus epanagnoſticum tranſmiſit, & ſi jubetis, & placet vobis, recitetur coram ſancta ſynodo. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ ac orientis dixerunt: Pla-
B cuit nobis ſermo. & accipiens Theodorus vir devotus a ſecretis legit: Cum divina & benigniſſima providentia nobis gubernacula univerſalis navis commiſiſſet, omne ſtudium arripuimus, & ante publicas curas, eccleſiaſticas contentiones diſſolvendi, & procellas, quæ per multos annos ex invidia odientis bonum ſatanæ expanſæ ſunt, in ſtabilem tranquillitatem per meliorem quamdam proviſionem transferendi: hic quidem, munito divinitus imperio noſtro ſemper hoc deſiderium gerente, & ita opportunum eſſe optime perpendente, ac ab aliis patriarchalibus ſedibus vicarios adducere, propter jam dictam cauſam, judicante, cooperatus eſt intentioni gubernati divinitus imperii noſtri ſo-
C lus infinitæ potentiæ rex & princeps pacis, &, ut aſpicitis, conſilium noſtrum complevit, & in idipſum convenire atque concurrere fecit, a ſeniori quidem Roma epiſcopos duos, & diaconum unum de * definitis ſeptem, prudentia & intellectu ac vita venerabili decoratos; ab oriente vero * protothronum Antiochiæ, id eſt, ſanctiſſimum metropolitam Tyri, omni reverentia plenum: a Hieroſolymitana autem ſancta Dei eccleſia, ſancta videlicet Sion, de qua exiit qui prophetatus eſt, & nova lex, & diſcretor omnium gentium domini ſermo, ſanctiſſimum ſyncellum virum apoſtolicum, & omni ſapientia divina & humana refertum. Igitur cooperatione & gratia Chriſti univerſorum regis, & Dei cun-
D cta tenentis, his, quæ prava omnibus vobis eſſe videbantur, in directa, & aſperis in vias planas, imperatoria diligentia & ſtudio noſtro tranſlatis, commonemus & cohortamur omnes vos, fratres, ut cum multo pudore ac reverentia conveniatis ad ſanctam hanc & univerſalem ſynodum, tamquam & communem, & univerſis aptam, atque ſine livore medelam, nullam vitioſam motionem vel affectum ferentes, nec ad contentioſam voluntatem reſpicientes, ſed potius vinci bene, quam vincere culpabiliter ac injuſte ſcientes. Sic enim unuſquiſque, qui vitiatum interiorem patitur hominem, ſanitatem & æternam ſalutem recipiet. At vero & ad voſipſos acclamationem imperii noſtri proponimus; quippe qui potesta-
E tem ſynodici judicii divinitus accepiſtis. Etenim vos veritatis eſſe ac divinæ juſtitiæ, ſecundum quod eſt poſſibile, dilectores & imitatores nequaquam quidem ambigimus: ſed ut & Deo munitum imperium noſtrum, ſecundum datam ſibi poteſtatis menſuram, in eccleſiaſticis negotiis nihil tacuiſſe pateſcat, eorum, quæ debentur atque conveniunt; depoſcimus & religionem veſtram, ut omnis gratiæ ac odii nunc maxime ſuperatrix efficiatur; quin potius & impaſſibili beatæque naturæ ad perſonam non accipiendam, omni robore, quantum fieri poteſt, aſſimiletur; & neque perſonam potentis per gra-
dum

ACTIO I. CONC. VIII. GENER.

* Al. Anaſtaſio.

Epanagnoſticum dicitur ſcriptum quod prius legitur. [illegible]

* Definitum eſt [illegible] ſeptem [illegible] [illegible] -id eſt, primæ ſedis [illegible] chiæ [illegible] ſeat.



ANNO CHRISTI 869.

dum vel per amicitiam accipiat, neque pauperis miſereatur in judicio: ſic enim ſecundum conſilium utique ac voluntatem Dei, atque tranquilliſſimi imperii noſtri, pacatiſſima ſubſequetur eccleſiarum ordinatio. Et poſt lectionem, vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Iſta res univerſalis eſt, & pertinens ad utilitatem eccleſiæ: & hoc recitari ſanctæ ſynodo placet, & nobis omnibus. Thomas & Elias ſanctiſſimi vicarii orientis dixerunt: Placuit & nobis ſimiliter. & ſacer ſenatus dixit: Et nobis omnibus placuit. Et ſurgens iterum Bahanes famoſiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Epiſcopi petunt una cum ſenatu, ut certificentur hora iſta, unde ſitis, & quam poteſtatem, vel quales literas habeatis. Donatus & Stephanus ſanctiſſimi epiſcopi, Marinus Deo
B amantiſſimus diaconus, vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Hoc nos uſque nunc non invenimus in univerſali ſynodo factum, ut vicarii ſenioris Romæ a quolibet perpendantur, utrum talem exiſtimationem habeant. Bahanes famoſiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Et nos propter inhonorantiam apoſtolici throni non dicimus hoc, ſed quia anteriores veſtri accedentes miſſi, Radoaldus ſcilicet & Zacharias, deceperunt nos, alia in mandatis habentes, & alia facientes. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Ergo ut omnem dubitationem emittamus e cordibus veſtris, & verbis & operibus certificemus vos, quia ſecundum ea quæ mandata & juſſa ſunt nobis,
C ita diſponemus: ecce & epiſtolas habemus ad imperatorem & patriarcham, & ſi jubetis, legentur. & ruſus iidem ipſi dixerunt: Piiſſimus & amicus Chriſti imperator, & ſanctiſſimus Ignatius patriarcha Conſtantinopoleos, miſerunt apocriſarios ſuos nobiliſſimos viros & fideliſſimos ſancti imperii ſui & eccleſiæ Dei; Joannem metropolitam Silei, & Baſilium ſpatharium ampliſſimum virum, ad beatiſſimum papam Nicolaum. Sed quoniam ille ad dominum profectus eſt, ſuſcepit epiſtolam Hadrianus ejus ſucceſſor ſanctiſſimus papa ſenioris Romæ, rogantes eum, ut mitteret apocriſarios ſuos Conſtantinopolim, quatenus error & zizania extirparentur de eccleſia Conſtanti-
D nopoleos: & ecce gratia Dei venimus in conſpectu ſanctorum imperatorum, & reperimus in eadem ſancta Conſtantinopolitanorum eccleſia ſanctiſſimum patriarcham Ignatium, & præ manibus habemus epiſtolam, quam tranſmiſit imperatori ſanctiſſimus papa Hadrianus, qui etiam poteſtatem nobis dedit, ut, ſecundum quod beatiſſimus papa Nicolaus diſpoſuit de ſancta Conſtantinopolitanorum eccleſia, ita ordinemus, ut moderemur atque firmemus, ut nullus adverſus eam pugnare poſſit; & ut quæ ipſe ſanctiſſimus Hadrianus edidit confirmemus. Cujus enim ſuſcepit honorem, ſuſcepit etiam & laborem; quia propter hoc Deus poſuit eum in eccleſia ſua. Ecce epiſtola ſanctiſſimi papæ Hadriani, & ſi vultis,
E ſecundum quod prædiximus, legatur. Sancta ſynodus dixit: Legatur. Et accipiens Marinus Deo amantiſſimus diaconus ſanctæ Romanorum eccleſiæ, epiſtolam Latine legit magna voce in audientiam omnium, in Græcum eam eloquium transferente Damiano venerabiliſſimo regio clerico & interprete.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Deo amabili ac piiſſimo imperatori Baſilio Auguſto Chriſtianiſſimo & deſiderabiliſſimo filio.*

LEgationis excellentiæ tuæ præſtantiſſimos gerulos ad anteceſſorem meum apoſtolicæ recor-



A dationis papam Nicolaum deſtinatos, nos licet indigni, quoniam ita dominus imperavit, vices ejus adepti, ſuſcepimus; innumeraſque laudes & gratiarum actiones tota mente totaque prorſus intentione Deo perſolvimus; nimirum, qui facit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus, quique omnia jura regnorum, omniumque continens poteſtatem, his tuum diebus ſuſcitavit cælitus protectum imperium, per quod apoſtolica ſedes ipſo auctore cœptum pro eccleſia Conſtantinopolitana pietatis opus conſummaret, & ejus jam jamque removens funditus caſum inſtauraret, tandem aliquando gratulabunda, qui male ceciderat, ſtatum, & mercenario, quinimmo lupo rapace non parcen-
B te gregi, penitus ſequeſtrato, rectorem ei redderet proprium, & paſtorem reformaret legitimum. Igitur o quam vobis eſt illa laudabilis & omnibus veneranda, quam, inquam, eſt ſedes apoſtolica laudabilis, & merito a cunctis mortalibus efferenda, quæ ſemper catholicis ſubvenire conſuevit, quæ ſemper gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus non ceſſavit! Sed & tu, felix imperator, & multis præconiis dignus, qui verborum ſemina divinorum, non ut ager petris, aut ſpinis, aut vepribus occupatus, ſed ut terra bona corde bono ſuſcipiens, fructum multiplicem attuliſti, & quaſi verus eccleſiaſtes, mox perceptis habenis imperii, eccleſiæ paci conſulere magis, quam ad ceteras
C res humanas attendere procuraſti, ac per id alter quodammodo Salomon, id eſt pacificus, temporibus noſtris apparuiſti: audiſti quippe verba Dei patris tui, & non dimiſiſti legem eccleſiæ matris tuæ; adeo ut, quod deceſſori tuo pro ea ſuggerebatur, ipſe perfeceris. Et quia, ſecundum ſcripturam, *nemo eſt qui poſſit corrigere quem Deus deſpexerit*, eo incorrecto, divina permiſſione deficiente, ipſe correctiones ejuſdem eccleſiæ operari ſatagis. Intellexiſti enim, ut literæ tuæ manſuetudinis innuunt, quibus vulneribus ſauciata, te cælitus conſecuto imperium, quæ apud vos eſt, manebat eccleſia: & quod hæc ſedes hujuſcemodi mederi poſſet vulneribus, magiſtris fidei noſtræ ſcrutatis, liquido didiciſti.
D Atque ideo hæc curare cupiens apoſtolicæ ſedis decreti remedium ſaniſſime requiſiſti: cujus nimirum medicamentis eccleſia Conſtantinopolitana, ſæpe præſulibus ejus languentibus, infirmata, priſtinam ſoſpitatem vigoremque reſumpſit. Nam quibuſdam ipſorum nonnunquam errantibus, quibuſdam vero imminentis perſecutionis injuriam ſuſtinentibus, hæc ſemper ſubvenire non deſtitit, illis ſcilicet tramitem directionis oſtendens, iſtis pietatis manum ſemper extendens. Itaque, fili cariſſime, & venerabilis ſemper Auguſte, noveris, quidquid erga ſanctiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium, vel circa ſchiſmaticum Photium, divini-
E tus inſpiratum & juſtitiæ zelo ſuccenſum te literis intimas peregiſſe, nobis & univerſæ occidentalium eccleſiæ per omnia placuiſſe; præſertim cum nil egeris, * præter quod apoſtolica ſedes cum totius Heſperiæ præſulibus jamdudum * agendum decrevit, & nulla mora interveniente, perficiendo mandavit: quæ videlicet cum his omnibus propter id cælitus protecto imperio tuo grates multifarias reddunt, & humillimæ obedientiæ tuæ præconia laudibus eximiis * indagare non deſinunt. Porro de ſacerdotibus, vel ceteris, qui contra pacem eccleſiæ facientes, unitatem ejus ſcindere præſumpſerunt, & in fratrem & coepiſcopum noſtrum multifariam commiſſ-

ACTIO I. CONC. VIII. GENER.

Eccl. 7.

* ſort. præter ea quæ
* agenda

* inclamare

ANNO CHRISTI 869.

miſiſſe probantur: ſuper quibus etiam decre-
tum ab apoſtolica ſede clementia tua more pri-
ſcorum principum poſtulat: ſciat dilectio tua,
quia ſicut diverſo modo deliquiſſe referuntur,
ita diverſis eos definitionibus ſubjici non in-
convenienter oportere perpendimus. Quorum
tamen differentias apoſtolicæ ſedis legatis, una
cum fratre & comminiſtro noſtro Ignatio con-
venientibus, quemadmodum nobis deſuper da-
tum eſt, moderandas commiſimus. Verum quia
pietas tua cum eccleſiaſtica miſericordia nos cir-
ca illos ad id quod humanius eſt exhortatur, te
nolumus ignorare, quoniam ultra quam dici
poſſit hinc, fateor, mœrore comprimimur, im-
menſoque dolore conſtringimur, eos nimirum
non ſolum beatæ memoriæ deceſſoris mei pa-
pæ Nicolai, quibus & ipſe ſubſcripſi, juſtis
ſanctionibus creberrime percellentibus, verum
etiam ſanctorum patrum regulis ſeveriſſime, ſeu
quodammodo peremptorie punientibus. Ve-
rumtamen propter pacem eccleſiæ facilius ob-
tinendam, propterque tantam multitudinem,
ſi tamen reſipuerint, miſericorditer liberan-
Epiſt. 6. dam; ut cum ſancto Gelaſio papa dicamus: Ne-
ceſſaria rerum diſpenſatione conſtringimur, &
apoſtolicæ ſedis moderamine convenimur, ſic
canonum paternorum decreta librare, & retro
præſulum prædeceſſorumque noſtrorum præ-
cepta metiri; ut quæ præſentium neceſſitas tem-
porum reſtaurandis eccleſiis relaxanda depoſcit,
adhibita conſideratione diligenti, quantum pot-
eſt fieri, temperemus: quod & nos æqua poſ-
ſumus pro lucrandis fratribus ratione proſe-
qui, & temporum neceſſitati conſulendo pe-
nitus imitari; Photii dumtaxat ordinationem
ab hujus moderamine pietatis interim prorſus
excipientes, * eamque paſſim & præter examen
* ſerie, eamque. nullatenus admittentes. Dicit enim altiſona ec-
cleſiæ tuba, ſanctus videlicet ſedis apoſtolicæ
papa Leo: cujus ſententiam quidquid ubique ca-
tholicum eſt, velut cæleſte miratur, celebrat,
& veneratur oraculum: Cum ſæpe quæſtio de
male accepto honore naſcatur, quis ambigat
nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non
doceatur fuiſſe collatum? Neque enim inter
Photium mœchum, & Maximum Cynicum a
ſynodo ſecunda damnatum, vel inter ordina-
tiones hujus & illius diſtinctionis aliquid eſſe
conſicimus. Atque ideo pari fine conſtringi de-
bere videntur, qui par habuiſſe cum eo princi-
pium modis omnibus comprobantur. Siquidem
& juxta quod præfatus magniloquus pontifex
univerſis per Cæſarienſem Mauritaniam conſtitu-
Epiſt. 91. tis epiſcopis ſcribit: Difficile eſt, ut bono per-
agantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.
& infra: Non ergo in cujuſquam perſona præ-
termittendum eſt, inquit, quod in ſtatutis gene-
ralibus continetur, nec putandus eſt honor ille
legitimus, qui fuerat contra divinæ legis præce-
pta collatus. Et certe fideliſſimus & prudentiſ-
ſimus vir Baſilius imperialis ſpatharius & preces
veſtras nobis pro his in perceptis ordinibus re-
cipiendis multiplices detulit, & adeo conſtans &
continuus penes nos in precibus perſtitit, ut ſi
non legitime recipi poſſe quoquo modo crede-
rentur ipſius, ut ita dicamus, inſolentia vi-
cti, recipiendos eſſe profecto ſtatueremus.

Verum & circa hos poſt reverſionem miſſorum
noſtrorum, poſtque rerum geſtarum nobis expo-
ſitas differentias, & indagatas liquidius perſo-
narum, culparum & provectionum qualitates,
atque diſtantias, ſi quid miſerationis impertien-
dum, ducente Deo, apud quem omnia poſſibi-
A lia ſunt, nobis fuerit reſeratum, non erimus ACTIO I. CONC. VIII. GENER.
penitus inflexibiles: nimirum qui ſemper ad o-
mne bonum cupimus exiſtere ſuaſibiles. Volu-
mus ergo, per veſtræ pietatis induſtriam, illic
numeroſum celebrari concilium, cui noſtri quo-
que miſſi præſidentes, & culparum perſonarum-
que differentias liquido cognoſcentes, juxta quod
in mandatis acceperunt, ſingulorum libere diſ-
cretiones exerceant: in quo videlicet ſacro cœtu
execrando vanitates concilii, quod adverſus ſedis
hujus actum eſt prorſus injuriam, cuncta decer-
nimus exemplaria, prorſus a poſſeſſoribus ſuis
ablata, in mediumque delata, contemplantibus
cunctis, igni cremari; nec ſupereſſe apud quem-
libet ex his omnibus ſaltem unum jota, vel unum
B apicem, niſi forte quis totius clericatus, immo
totius nominis Chriſtiani dignitate, anathemate
perculſus, carere voluerit. Non enim nos tam
deteſtandum collegium, niſi Ariminenſi ſub
Conſtantio, vel Epheſino a Dioſcoro congrega-
to latrocinio comparandum decernimus. Accen-
datur circa protectorum tuorum reverentiam,
beatorum videlicet apoſtolorum principum, fili
dilectiſſime, tuæ zelus pietatis, & tantorum
ficta commenta præſtigiorum remanere nullo
modo penes aliquem patiatur: ſed & ſi quiſquam
hæc defendere, vel occultare, ſibique in poſte-
rum fortaſſe reſervare tentaverit, tua publicis
legibus promulget multiplex ſapientia, quid
hujuſmodi perſona poſt imperiale debeat edi-
C ctum redargutionis incurrere, vel quantum con-
veniat, ſi non correctionis, ſaltem correptionis
incidere; quatenus per hoc, pura de cetero con-
ſcientia, cum pſalmiſta veraciter canere valeas:
*Odivi congregationes malignorum, & cum impiis* Pſal. 25.
*non ſedebo. Lavabo inter innocentes manus meas*,
&c. Inſuper exhortamur, & ſalubri ſuadere ſtu-
dio procuramus, ut imperatoriæ inſtantiæ veſtræ
anniſu, ſententiarum capitula, quæ ſynodice in
eccleſia Dei, ubi ſanctum corpus apoſtolorum
Petri principis requieſcit, pro abolendis profa-
nis conciliis, Conſtantinopoli a Photio, tam ad-
verſus ſedis apoſtolicæ reverentiam, quam con-
tra fratris & comminiſtri mei Ignatii pontificium
congregatis, communi conſonantia promulga-
D vimus, apud vos in ſynodo cunctorum ſubſcri-
ptione roborentur, & in ſingularum archivis
eccleſiarum provide recondantur. Porro divini-
tus protectum imperium tuum precamur, ut Ba-
ſilium, Petrum, Zoſimum, & alterum Baſilium,
qui ſcelerum ſuorum conſcii, & cupiditatis ar-
dore ſucceſſi propoſitum deſeruerunt, & ſine
commendatitiis literis Conſtantinopolim prope-
raverunt, ad nos per præſentes apoſtolicæ ſedis
miſſos remittat; quatenus dum profeſſionem, &
loca, quæ propter Deum primitus elegerunt,
repetierint, & tibi cæleſte præmium conferatur,
& illis ſuarum lucrum animarum, divinitate pro-
pitia, concedatur: alias autem, ſi ſanctorum pa-
trum regulæ calcari minime, vel contemni ten-
E tantur, eos impune profecto nullus penes ſe re-
tinere prorſus audebit: apud nos quippe a rudi-
mentis ᵃ ablactati, & ſanctæ ſunt converſationis a) ſecundo [illegible]
habitum conſecuti, quin & in monaſteriis noſtris
officium presbyteratus adepti: interim tamen
eos, quod ſint excommunicati, donec ad nos red-
ierint, tamquam ſacrorum violatores canonum,
cognoſcere volumus. His ita prælibatis, obſe-
cramus divinitus redimitum tranquillitatis tuæ ca-
put, in cœpto pietatis opere circa fratrem & con-
ſacerdotem meum Ignatium perſiſtere, atque a de-
cretis apoſtolicæ ſedis in nullo quoquomodo de-
viare, ſed promulgationibus ejus arctius hærens,
a pro-



ANNO CHRISTI 869.

a propoſito noli recedere, & quouſque unitas
fiat eccleſiæ, nulli ſtude, quæſumus, deſidiæ ce-
dere. Nemini quippe profuit unquam bonum
cœpiſſe, & minime conſummaſſe. Quamobrem,
regnum, quod temporaliter aſſecutus es, perenni-
ter adipiſcaris, coronamque pro corruptibili ca-
pias incorruptam, hoc pietatis opus perficere ſa-
tage, perfectumque coram ſummo agonotheta
Chriſto repræſentare decerta. Poſtremo dilectos
fratres meos, Donatum ſcilicet ſanctæ eccleſiæ
Oſtienſis, & Stephanum ſanctæ eccleſiæ Nepe-
ſinæ reverendiſſimos & ſanctiſſimos epiſcopos,
atque filium meum Marinum apoſtolicæ ſedis
diaconum, conſiliarios noſtros, tuæ commen-
dantes pietati, precamur ut eos ob amorem præ-
cipuorum apoſtolorum Petri & Pauli, a quorum
ſede mittuntur, benigne ſuſcipias, & tamquam
nobiſmetipſis aures credulitatis accommodes; fa-
miliaritatis videlicet tuæ fiduciam illis impen-
dens, & præfatos in eis eximios interceſſores
tuos apoſtolos reverenter attendens, quos ut ce-
leriter ad nos remittas obnixe depoſcimus. Cu-
pimus enim tam de ſanctæ eccleſiæ redintegrato
ſtatu, quam de incolumitatis tuæ conceſſo divi-
* propter nitus dono, ſemper in domino gratulari; ac * per
hoc hortamur & deprecamur, ut apud vos nul-
lam moram ſuſtinere faciatis, ſed tuæ benignita-
tis ſolatio freti velociter de omnibus, quæ illic
ſecundum Deum geruntur, nos adventu ſuo con-
ſtituant lætiores.

Commendamus etiam clementiæ tuæ tam re-
verendiſſimum & ſanctiſſimum fratrem noſtrum
Joannem metropolitanum Sylæi, qui a fratre &
coepiſcopo noſtro Ignatio ad ſedem apoſtolicam
directus eſt, quam etiam glorioſum & ſpectabi-
lem virum Baſilium imperialem ſpatharium, qui
cum eo a Deo conſervando tranquillitatis tuæ
imperio deſtinatus eſt, qui tanta, poſtquam il-
linc profecti ſunt, offendicula (ut didicimus) per-
2. Cor. 11. tulerunt, ut nullum properantes pene periculo-
rum, quæ Paulus in epiſtolis ſuis dinumerat,
evaſiſſe videantur. Quapropter dignis ſunt vi-
ciſſitudinibus a pietate veſtra remunerandi, qui
pro eccleſia Chriſti, proque injuncta ſibi a pie-
tate tua legationis conſummatione tot ac talia
ſubire promptiſſime conſenſerunt. Alterum ve-
ro nominatum in ſcriptis tuis metropolitam, do-
mino diſpenſante, non vidimus; quia enim,
ſicut iſte a reverendo patriarcha Ignatio, ita ſeor-
ſum ille a Photio tyranno mittebatur. Volens
Deus oſtendere non in duo eccleſiam ſuam fore
ſcindendam, quod videlicet malum Jeroboam
3. Reg. 12. quondam in Iſrael rex impius egit. Nolens etiam
nos auctoris hujuſmodi ſchiſmatis nec ipſam quo-
que viſionem percipere, antequam ad nos per-
veniret, juſto judicio ſuo pelagus cooperuit eum;
& qui populum diviſerat Dei, diviſa eſt ſuper
eum aqua, devenitque in profundum tamquam
lapis. Verum ſi forte movetur a Deo redimitum
imperium veſtrum, quia præfati legati penes nos
diutiſſime morati ſunt, precamur, & obnixe fla-
gitamus, non eis imputetur, nimirum qui, ut
dimitterentur, non horis, non momentis, non
denique clamantes atque pulſantes ullis interval-
lis parcere conſentiebant, ſed inſtantibus, & ir-
remotis laboribus, & ſolicitudinibus omnium ec-
2. Cor. 11. cleſiarum Dei, quas ſecundum apoſtolum circum-
ferimus, adſcribatur.

Non enim requies ulla nobis, nec otium fuit
a die perventionis eorum, tunc videlicet eccle-
ſiæ, quæ apud vos eſt, cauſam tractantibus; nunc
aliarum quoque partium mundi negotia * more
* mora perperi diſponentibus; præſertim cum ad hanc
A ſolam controverſiam, qua pro eccleſiæ Con- ACTIO I. CONC. VIII. GENERAL.
ſtantinopolitanæ commotione petimur, digne
modificandam, licet prolixum fuerit, ipſum
tempus non ſufficere crederetur revera, quam
interius, & omni diligentia nos oportebat exa-
minare, ac eorum quoque qui longe ſunt fra-
trum & coepiſcoporum noſtrorum ſuper hoc con-
ſenſus, immo conſilia præſtolari. *Salus enim*, te-
ſte Salomone, *ubi multa conſilia*. Non enim in Prov. 11.
aliquem horum hinc indignetur veſtra tranquil-
litas, nos non propriæ voluntatis impedivit ali-
qua tarditas, ſed multiplex prohibuit numero-
ſarum eccleſiarum per induſtriam noſtram ſuble-
vandarum properare neceſſitas. Piiſſimum im-
perium veſtrum gratia ſuperna cuſtodiat, ei-
B que omnium infidelium gentium ferocitates ad
* exaltationem ſanctæ eccleſiæ potenti virtute * exaltatio-nem
ſubſternat.

Et poſt lectionem epiſtolæ ſanctiſſimus archie-
piſcopus Conſtantinopoleos Ignatius, & omnes
Deo amabiliſſimi epiſcopi cum magnificentiſſi-
mis principibus clamaverunt: Benedictus Deus,
qui dignatus eſt, nos ſatisfactionem recipere
perfectam de ſanctitate veſtra. Et poſt hoc ſan-
ctiſſimi vicarii ſenioris Romæ & tota ſancta ſy-
nodus expetierunt ut legerentur orientalium vi-
cariorum commendatitiæ literæ, ad cognoſcen-
dum unde & ipſi venerint, & quam poteſtatem
acceperint a propriis ſedibus. Et his taliter fa-
ctis, ſtans Helias Deo colendiſſimus presbyter &
C ſyncellus & vicarius Hieroſolymitanus in audi-
tionem omnium dixit: Non ignorat Chriſti ami-
ca dilectio veſtra, fratres, nec ignoravit, tam a
nobiſipſis quam a dictatoribus noſtris imperato-
ribus diſcens, qui ſumus, unde, & quales: ve-
rumtamen ad pleniorem ſatisfactionem dicimus
& nunc rurſus ad vos. Nam ſanctiſſimus qui-
dem Thomas metropolita Tyri, ſicut & vobis
notum eſt, primæ ſedis exiſtens ſedis Antiochiæ:
qua patriarcha privata, ipſe locum tenet ſedis
illius, uſquedum fiat patriarcha in eadem ſede:
ob hoc non oportuit eum deferre literas miſſas
ab alio aliquo, cum ipſe auctoritatem & pote-
ſtatem haberet in eadem ſede; pro eo vero quod
Græce difficile loquatur, ab eo exhortatus hæc
D nunc dixi. Ego autem, quia ſyncellus ſum ſe-
dis Hieroſolymitanæ, ſequens juſſiones Theodo-
ſii ſummi ſacerdotis noſtri, literas ejus præ ma-
nibus habens huc veni, quas & vos audiſtis. Si
vero antea quidam non audierunt, & maxime
propter vicarios ſenioris Romæ, ecce præſto ſunt,
& legantur, quatenus ſinguli cum diligentia co-
gnoſcentes veritatem, certificamini. Nos autem
& aliud quid volumus oſtendere Deo amiciſſimæ
caritati veſtræ, quia multo tempore hic demo-
rantes, & diutius anxiati, accepimus per ſuppli-
cationem ad piiſſimum & ſanctum imperatorem
noſtrum, petentes celerem abſolutionem ad pro-
pria; qui cum ſit compatiens & miſerator, at-
que miſericors, annuit lacrymis noſtris; & vo-
E lebat mox ſatis nobis facere, noſque celerius di-
mittere hinc, juſſit nos denudare ſibi ſcripto no-
ſtras ſuper poſitis negotiis voluntates, & quo
modo futuri eramus, venientibus fratribus vica-
riis ſenioris Romæ, dicere ac judicare de eccle-
ſiaſticis cauſis. Nos autem † Deo teſtimonio, qui † hoc eſt, Deo teſte.
novit abſcondita hominum, & interrogat corda
& renes, nihil per gratiam neque acceptationem
perſonæ probantes vel judicantes, per ſcripta
ſenſus noſtros & de præpoſitis rebus expoſuimus,
quæ & a nobis lecta, nunc oſtendent lucidius
& planius eoſdem ſenſus noſtros, atque judi-
cia. Legantur igitur primo quæ ſcripta ſunt a
patriar-

ANNO CHRISTI 869.

patriarcha noſtro, atque demum cum Dei adjutorio ſenſus noſtros per expoſitas a nobis definitiones diſcetis. Deo amiciſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Placuit nobis. Legantur. Similiter & ſancta ſynodus dixit: Legantur. Et accipiens Stephanus Deo amiciſſimus diaconus ſanctæ Conſtantinorum eccleſiæ & devotus notarius legit:

*Per omnia ſanctiſſimo fratri, & comminiſtro domino Ignatio, gubernacula moderanti nominatiſſimæ Conſtantinopoleos, univerſali patriarchæ, Theodoſius ſervus Jeſu Chriſti Hieroſolymorum.*

Honorabiliſſimis & cultu digniſſimis literis veſtræ ſanctitatis ſuſceptis, a Deo glorificatæ, veſtris quidem divinitus datis valetudinibus & incolumitatibus magnopere congratulati ſumus, proſpere conſervandos vos ab omni malitia exoptantes: ſed dolere nos fecit, & multo mœrore replevit eccleſiæ veſtræ negotiorum diſſonantia, per membrorum videlicet alternam communionem & conſonantiam: quoniam ſecundum vetuſtiſſimum ſermonem confluentia una, conſpiratio una, & compaſſio una eſt in omnibus, quæ ſunt orthodoxarum eccleſiarum: ſed ſicut in membris quædam quidem ad vivendum, quædam autem ad bene vivendum naturaliter effecta ſunt conditoris virtute, & ſtella a ſtella differt in claritate, ita & circa eccleſias ſentiendum eſt. Id enim, quo inordinate poſita eſt illa, quæ ſtabilita excellenter & prælata conſiſtit, conſequenter contriſtabit ſequentes atque minores, quoniam & majus hinc diſcrimen efficit: operatrice namque cauſa aliquantiſper a naturali motu commutata, & a pleniſſimis & multum capacibus locis defluente, ac emanante, plus erit fluxus accedens, quod moleſtiam inferat. Sic itaque * ex præcipue nobis mœſtibilia & triſtiora conſtituerunt, quæ geſta ſunt veſtræ confuſionis cauſa; ſed qui poſuit reſinam in Galaad, & medicum præparavit illic, ipſe [a] enim ad puram ſerenitatem & pacificam ordinationem reduxit veſtra, & reducet in univerſalem lætitiam, & tranquillam quietem communis domini divinitas, longæva manſuetudine ac ſoſpitate conceſſa, ut per ejus curam, quam de omnibus gerit, atque ſolertem providentiam, cum proprio etiam commune proſpere gerat, ſuperno nutu conſuete conſpirante atque coaccedente; per ſingula veſtris quoque divinitus præmium conſecuta contumelis, & diſtractionibus, quas perpeſſi eſtis ab his, qui violentius in vobis, & crudelius uſi ſunt poteſtate; triſtem pariter & gratum affectum accommodavimus, tam videlicet intactam ab omni dolore ac moleſtia ſuper impoſitione fore nobiliſſimam, & honorabilem ſanctitatem veſtram cupientes; quamquam oppido manifeſte ſcientes, quia fulgentius aurum & lucidius erit, ſi igni coaptetur, vel ſi abundantiori conflatione quodam modo extenſum ab ea quæ ineſt ſibi commiſtione pejoris materiæ, expurgetur. Eſt enim & quando propter inſolentem deſidiam mentium noſtrarum ab integritate animorum partim averſi, & bene diſponere, ac agere opinati, a vero utique commiſſo procul efficimur, ſemitam, quæ ad rectitudinem ducit, negligentius declinantes, atque perplexione deterioris improvide, quod melius eſt, turbulentum ſtatuimus.

* ea

Jerem. 8.
a) Forte, etiam. H.

Hinc animarum noſtrarum ſapientiſſimus medicus apte nobis in tribulatione dilatat appoſitam caliginem intellectui animarum noſtrarum ſenſim emundans, ad reſplendendam illuminationem regni ſui, atque juſtitiæ in cordibus noſtris. Ne igitur crucieris neque anxieris, præcedentes tentationes per mentem accipiens. Inexpediens enim & incongruum perfectioni virtutis & mundiſſimo mundo divinæ ac honorandæ converſationis, & diſciplinæ tuæ conſiſtit hujuſmodi, ſed honorabilem & decentem morem; bene ab infantia uſque ad ſenectutem directum reſpiciens, omnia longanimiter ac modeſte & prompte pati procura. Non autem docendo aut admonendo hæc dicere præſumpſi ad virum verbi & operis perfectione coruſcantem; ſed caritatis copia detentus ſuaviter conſolatoriis verbis uti propoſui. Neque enim fluvius totus ſemper fluens, fonte quolibet opus habet; honorabilitatem tuam ajo divina ſapientia plenam. Noſti autem utique, ſanctiſſime, cauſam, ob quam neque ſcribere neque mittere potuimus ad vos, ne forte fieremus penes poteſtatem, quæ nos tenet exiſtimationi malæ vel ſuſpicioni. Etenim multam benevolentiam & compaſſionem oſtendunt in nos, licentiam nobis præbentes ædificandi eccleſias noſtras, & tenendi ſine prohibitione mores noſtros; juſte agentes, & in nullo nobis injuriam vel violentiam inferentes.

ACTIO I. CONC. VIII. GENER.

Quoniam vero tam ab † hamera, qui apud nos eſt, quam * abhominatoriis literis juſſi ſumus, tranſmiſimus, ſicuti poſtulavit, oculum noſtrum & ſyncellum apoſtolici throni noſtri ornatiſſimum & bonum cultorem Heliam, locum, & perſonam noſtram obtinentem, qui diſtinguere poteſt & diſcernere quæ quæruntur ſecundum rationem. Cum quo & ſanctiſſimum Thomam princeps Saracenorum deſtinavit, præſulatu fungentem urbis Tyri, qui ſedis eſt Antiochiæ, ſecundum quod hunc quæſiſtis mitti per honorabiles literas veſtras. Noſtis autem utique, ſanctiſſimi, quia multa temeritate ac auſu hos tranſmiſimus, præcipitanter ac audacter ad ereptionem, quaſi quorumdam Saracenorum, apud vos in cuſtodia conſiſtentium. Precamur igitur & rogamus, ut loquaris ad aures a Deo coronati & piiſſimi domini noſtri, quo donet nobis quotquot voluerit magnifica ejus dominatio Saracenos, ad ſatisfactionem noſtrorum, & in ſuſpectam repræſentationem meorum, quinimmo ad ſalutem noſtram, & tegmen omnium noſtrum. Si enim tam ab imperiali, quam veſtra providentia non fuerit hoc taliter ordinatum, pavor non modicus erit in omnimodam perditionem noſtram, cum opportunitatem invenerint. Præterea ſperans penes ſacratiſſimam & ſolertiſſimam affectionem tuam impetrare quæ cordi ſunt, poderem & ſuperhumerale cum mitra, pontificalem ſtolam ſancti Jacobi apoſtoli & fratris domini & primi archiepiſcoporum, quam anteceſſores mei patriarchæ circumamicti, ſemper in ſancta ſanctorum ingrediebantur, ſacerdotio fungentes, videlicet ſanctam memoriam vitæ, & ſanctum calciare: quæ & ipſe ego indutus ſum, eadem gerens tuo deſiderabili & honorando mihi capiti, ex amore & dilectionis copia tranſmiſi; quatenus ſanctifica ſuavitate, ac tactu ſanctorum locorum, utpote dignus, perfruaris: ſimul autem & ſacrum vas * cimiliorum ſanctæ reſurrectionis; craterem argenteum cum imaginibus in terra Sylem tranſmiſi, cum devoto præceptore ac ſyncello Helia † apoſtolici throni noſtri ad ſanctificationem noſtræ ſanctiſſimæ eccleſiæ, & memoriam noſtræ humilitatis. Et poſt lectionem ſanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Bona expoſitio placuit nobis. Et poſt hoc ſurrexit Bahanes famoſiſſimus patricius & præpoſitus, ut ex perſona totius ſynodi, & dixit: Per formatas quæ lectæ ſunt credidimus eſſe per omnia in perfecta certitudine eos qui miſſi ſunt a ſeniori Roma ad nos veraces. ſimiliter & orientis duarum ſedium, Antiochiæ ſcilicet & Hieroſolymæ, Donatus & Stephanus ſanctiſſimi epiſcopi, & Marinus honorabilis diaconus locum tenentes ſanctiſſimi papæ Hadriani dixerunt: Legatur libellus quem ſancta Romanorum eccleſia expoſuit. Sancta ſynodus dixit: Audiamus eum. Et accipiens eum Damianus reverendiſſimus imperialis clericus & interpres, prædictum libellum legit Latine magna voce in audientiam omnium. Et poſt lectionem libelli aſcendens Stephanus Deo amabilis diaconus, devotus notarius legit eumdem libellum Græce.

† [illegible] Græci vocant principem [illegible] notarum: interpretatur autem, ut ferunt, lingua eorum, præpoſitus.
* for. a bominatoriis.

* reconditorum peculiorum.

† Propter Jacobum apoſtolum dicit.



ANNO CHRISTI 869.

*In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Imperantibus dominis piiſſimis & perpetuis Auguſtis Baſilio & Conſtantino ejus filio, a Deo coronatis pacificis magnis imperatoribus, anno tertio, menſe Octobris, indictione tertia.*

Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire: deinde a conſtitutis Dei & patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum; ſicut enim ſcriptum eſt: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*: ſic rurſus legitur: *Fides ſine operibus mortua eſt*. Et quia non poteſt domini noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententia, dicentis: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*; hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus: quia in ſede apoſtolica immaculata eſt ſemper catholica reſervata religio, & ſancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide atque doctrina ſeparari minime cupientes, & patrum, & præcipue ſanctorum ſedis apoſtolicæ præſulum, ſequentes in omnibus conſtituta, anathematizamus omnes hæreſes, ſimul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium, qui contra ſacras regulas, & ſanctorum pontificum Romanorum veneranda decreta, repente de curiali adminiſtratione ſæcularique militia ſublatus, ſuperſtite Ignatio patriarcha, in Conſtantinopolitanam eſt pervaſorie, immo tyrannice, a quibuſdam ſchiſmaticis vel anathematizatis atque depoſitis inſtitutus eccleſiam, donec ſedis apoſtolicæ ſanctionibus inobediens perſeverans, ejus ſententiam, tam de ſe, quam de patriarcha noſtro Ignatio, ſpreverit, & conciliabuli acta, quod ſe auctore contra ſedis apoſtolicæ reverentiam congregatum eſt, anathematizare diſtulerit. Sequimur autem ſanctam ſynodum, & amplectimur, quam beatæ recordationis papa Nicolaus, cui & ipſe dominice coangelice ſumme pontifex Hadriane ſubſcripſiſti, ante ſacratiſſimum Petri & * Pauli apoſtolorum eximii corpus celebravit: ſimul & quam tu ibi ipſe nuper egiſti, & omnia, quæ in his ſtatuta ſunt, ſecundum decreti veſtri moderationem venerabiliter conſervabimus, recipientes quos recipiunt, & damnantes omnes qui in illis damnati ſunt, & præcipue jam dictum Photium, & Gregorium Syracuſanum, patricidas videlicet, qui contra ſpiritalem patrem ſuum linguam eximere minime formidarunt; atque perſeverantes in ſchiſmate ſequaces eorum, nec non & qui in illorum communionis ſocietate permanſerint, communionis omnis gratia eos cum ipſis indignos, ſi tamen vobiſcum non obedierint, judicantes. Etenim quorum ſe quis communioni miſcuerit, ipſorum ſimilem meruit in juſtificatione vel damnatione ſententiam. Synagogas vero malignantium, immo ſpeluncam latronum, & conventicula ſanguinum, & fabricatorum mendacii, atque inventorum perverſorum dogmatum, quæ ſub Michaele imperatore bis contra beatiſſimum patriarcham Ignatium, & ſemel adverſus apoſtolicæ ſedis principatum factioſe conſpiraverunt, inſolubilibus anathematis nexibus innodamus, & defendentes ea, vel impia geſta ipſorum celantes, & non potius, ſi hæc invenerint, concremantes, & anathematizantes uſque ad ſatisfactionem & obedientiam, dignos eadem anathematis ſententia judicamus. Porro de venerabiliſſimo Ignatio patriarcha noſtro, & de iis qui ex parte hujus ſunt, quod auctoritas apoſtolicæ ſedis veſtræ decrevit, tota mente ſequimur, & religioſa devotione veneramur, atque pro noſſe & poſſe noſtro pia intentione ac ſpiritali conflictu defendimus. Quoniam, ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus apoſtolicam ſedem, & obſervantes ejus omnia conſtituta, ſperamus ut in una communione quam ſedes apoſtolica prædicat eſſe mereamur, in qua eſt integra & vera Chriſtianæ religionis ſoliditas; promittentes etiam, ſequeſtratos a communione eccleſiæ catholicæ, id eſt non conſentientes ſedi apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe myſteria. Hanc autem profeſſionem meam ego [a] ille epiſcopus [b] manu propria ſcripſi, & tibi ſanctiſſimo, ac ter beato, & coangelico noſtro [c] ſummo pontifici, & univerſali papæ Hadriano per legatos tuos, Donatum videlicet & Stephanumos ſanctiſſimos epiſcopos, atque Marinum ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ diaconum obtuli, [d] menſe illo, die illo, indictione quota.

Hebr. 11.
Jac. 2.
Matth. 16.

* ſitte Abundat Pauli.

ACTIO I. CONC. VIII. GENERAL.

[e] *Subſcriptio.*

[f] Ego ille epiſcopus ſanctæ illius huic profeſſionis meæ libello, facto a me in beatiſſimo Hadriano ſummo pontifice & univerſali papa, ſubſcripſi, & teſtes qui ſubſcriberent rogavi.

*Subſcriptio teſtium.*

Ego [g] ille baſilicos hic, huic libello facto ab illo in Hadriano beatiſſimo ſummo pontifice & univerſali papa, rogatus ab eo teſtis ſubſcripſi.

## NOTÆ IN PRÆCEDENTEM LIBELLUM.

*Ex editione Romana.*

Notandum eſt, & memoriæ commendandum, quoniam libelli hujus tenorem beatæ recordationis Nicolaus papa expoſuit: ſed quia tunc a prævaricatoribus non eſt admiſſus, rurſus ab Hadriano fauſtiſſimo papa, mutato nomine pontificis Conſtantinopolim eſt tranſmiſſus, ſecundum cujus firmationes archiepiſcopi metropolitani, & ceteri epiſcopi Conſtantinopolitanæ dioeceſeos, nec non & omnes omnino clerici, qui vel in honore vel in communione eſſent, ſyngraphum ſedi apoſtolicæ Græce ſcriptum, & tam propriæ manus ſcripto, quam teſtium a ſe rogatorum teſtimonio & ſubſcriptione roboravere, nomina & tempus ſignantes, quo ſinguli chirographum ſuum ſcribebant, & ſedis apoſtolicæ vicariis porrigebant, ita ut nullus vel antiſtitum vel reliquorum clericorum in ſynodalem fuerit conventum receptus, qui non ſecundum exemplar hujus codicilli chirographum ſcripſit, & miſſis ſedis apoſtolicæ eccleſiæ Romanæ minime deferendum porrexit. Verum poſtquam omnes chirographa ſua fecerant, & teſtibus roborata tradiderunt, ſurrexerunt quidam eorum, & ad ſanctiſſimum patriarcham Ignatium atque ad Baſilium pium imperatorem accedentes, ſecreto dixerunt, non bene factum fuiſſe; quod eccleſiam Conſtantinopolitanam tanta ſubjectio-

Admonitio Anaſtaſii.

ANNO CHRISTI 869.

ctione Romanæ ſubdi eccleſiæ permiſerint, ita ut hanc ei tamquam dominæ ancillam tradiderint. Quibus verbis imperator commotus, juſſit primoribus, qui vicariorum apoſtolicæ ſedis obſequio deputaverint unum, illi ad aliquam eccleſiam cum ſuis pergerent, ipſi manſionem eorum ingreſſi chirographa illa latenter auferrent: nam eos palam ſcandalizare penitus recuſabat. Cum ergo vicarii, Donatus ſcilicet & Stephanus epiſcopi, atque Marinus diaconus ad collocutionem patriarchæ perrexiſſent, cuſtodes fures facti, penetrantes domum, quamdam partem clanculo ex numeroſis illis chirographis abſtulere. Quo vicarii reverſi comperto, taliter inter alia imperatori dicentes dixere: Nos quidem Romam ob amiſſa chirographa redire non audebimus, tu tamen inchoatæ pro eccleſiæ ſtatu pietatis nihil omnino mercedis lucraberis. Nos autem, qui pro cauſa nuptialis contractus inter utrumque imperatorem efficiendi aderamus, his ei verbis dicta tranſmiſimus: Non decet imperatoriam poteſtatem antea facere quæ deſtruenda ſunt, vel deſtruere quæ non deſtruenda conſiſtunt. Cum ergo conſenſu tuo chirographa facta fuerint, ſi male conſenſiſti, palam pœnitentiam age, & quod feciſti, non clam, ſed palam deſtrue. Jam vero ſi bene feciſti conſentiendo, ut ſedi apoſtolicæ pro futura cautela fierent ab epiſcopis chirographa, quamobrem ea, pœnitens de bono, ſublata regi conſentis? Jam vero ſi fateris quod non voto tuo factum fuerit ut auferrentur chirographa, reſpondemus: Tum liquido patebit voto tuo non fuiſſe tantum piaculum commiſſum, cum hos diſtringens, quos vicariis pro cuſtodia dediſti, quæ ablata ſunt eos reddere jure coegeris: neque enim alii debent reſtituere, vel corrigere, ſi quid vicarii perdiderunt, vel ſi quid ſiniſtri perpeſſi ſunt, niſi illi qui nos cum ſuis omnibus ad cuſtodiendum reverenter, & ſalvandum integriter imperatoria pietate receperunt. At vero imperator, his auditis, acceſſivit vicarios, & eis omnia chirographa reddidit, ita ut nec unum ſaltem deficere pateretur, dicens: Ego quidem ut magiſtram eccleſiaſticorum negotiorum ſedem apoſtolicam per meos legatos adii, & ideo veſtram præſentiam præſtolatus ſum, ut veſtro decreto & ſolertia eccleſia noſtra remedia ſanitatis reciperet, & nos non noſtris moribus, ſed veſtræ ſententiæ pareremus. Ergo chirographa, quæ a noſtris ſacerdotibus, ac cunctis clericis ſalubriter exegiſtis, recipite, & ſpirituali patri noſtro ſanctiſſimo papæ repræſentate; ita ut ſi quis eorum per abrupta vitiorum, vel devia pravitatum ſolito incedere more tentaverit, his quodammodo habenis, ab eo refrenetur, & talibus loris ad rectum juſtitiæ tramitem revocetur. Quo facto vicarii gaviſi, libellos acceptos nobis cauſe deferendos tradiderunt: qui videlicet antequam remeandi ad patriam iter arripuiſſent, ſeparati ſumus, quia a Dyrrachio navigio venimus Sipontum, deinde terreno itinere Beneventum, poſthæc Romam, eoſdem libellos portantes: miſſi vero ſedis apoſtolicæ, a Dyrrachio ſimili modo navim ingreſſi, Anconam petebant: ſed Exdavenorum piratas incurrentes, omnia quæ poſſidere videbantur penitus amiſerunt, & ſimul codicem actionum præſentis ſynodi. Verum ego qui Romanæ bibliothecæ curam gerebam, ſtudium habui a Conſtantinopoli mecum ipſius ſynodi codicem deferendi, delatumque ſummo pontifici præſentavi, ac per hæc factum eſt, ut ſedes apoſtolica, Deo auctore, codicem ſynodi per nos ſuſciperet, & libellos miſſis quidem a nobis redditos, ſed per nos ſalvatos haberet, quos nimirum, ſi miſſi penes ſe, ut codicem ſynodi, & cetera ſcripta haberent, hos procul dubio perderent. *Hæc Anaſtaſius.*

a *Ille.* ] Ex Græco pronomine ὁ δεῖνα, *talis*.

b *Epiſcopus*, ] Sanctæ illius eccleſiæ.

c *Summo pontifici.* ] Quamvis Græce ſummus acrotatus appelletur, quia hoc nomen inuſitatum apud illos, & valde abſonum idiomati, Græcorum apparet, pro ſummo, Græcus interpres magnum vel maximum poſuit. Verumtamen quos illi archiereas dicunt, ſummos pontifices, vel ſummos ſacerdotes, interpretes noſtri, ſive principes ſacerdotum tranſtuliſſe inveniuntur.

d *Menſe illo.* ] Cetera ideo hic tempora poſita non ſunt, quia non pariter omnes hujus profeſſionis chirographa conſcripſerunt, ſed unuſquiſque qui ſe in dignitate ſua, vel in eccleſiaſtica communione, vel in ſynodali cœtu recipi poſtulabat, illud tempus chirographo ſuo inſerebat quo veniens id ſcribebat, & teſtium a ſe rogatorum ſubſcriptione roboratum vicariis tradebat.

e *Subſcriptio*, ] Hic in codice authentico Græco poſt Latinum libellum poſitus eſt idem ipſe libellus Græce interpretatus, quamvis pro ignorantia Latinarum literarum jam nunc Latino hunc ſcribere Græci paulatim omittant. Sed notandum eſt, quia ſi hujus libelli aliqua in Græca interpretatione videntur haberi aliter quam in Latina editione, non voluntate, ſed neceſſitate factum eſt. Interpres enim in quibuſdam quidem proprietates Græcæ dictionis minus conſequens, in quibuſdam vero Latinitatis eloquia liquide neſciens, [illegible] quid ex eodem libello mutaſſe dignoſcitur.

f *Ille.* ] Non ſolum diverſæ dignitatis epiſcopi, ſed & reliqui ſacerdotes, & clerici, ac monachi, ſicut chirographum, ita & ſubſcriptionem hujuſmodi patraverunt.

g *Baſilicos.* ] Hic nomen hominis proprium ponitur, ſed hoc nomen dignitatis habetur. Baſilicos Græce dicitur imperialis natura, aut exſpatharii imperialis, aut proſpatharii, aut alterius dignitatis. Imperiales homines fuerunt, qui rogati teſtimonii ſui ſcripto & adſtipulatione chirographa ſigillatim roboraverunt.

ACTIO I. CONC. VIII. GENERAL.

Et poſt completionem libelli ſilentio facto, ſurgens Bahanes famoſiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Imperatores noſtri ſancti quod juſtum eſt quærunt, & canonem adimpleturi ſunt, non ad voluntatem ſuam, ſed ad profectum multorum, & ſicut Deus reficitur. Vos autem ad hæc conveniſtis, ut ſicut conſpicitis, juſtitiam & veritatem faciatis. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Placet omnibus vobis libellus iſte, qui plenus fide, & canonizatus, atque perfectus omni ſapientia exiſtat? eſt orthodoxus gratia divina a Romanorum eccleſia miſſus. Tota ſancta ſynodus exclamavit: Juſte & convenienter lectus nobis libellus expoſitus eſt a ſancta Romanorum eccleſia, & propterea omnibus placet. Bahanes famoſiſſimus patricius & præpoſitus ex perſona ſacri ſenatus ad orientis vicarios dicit: Dicite & ipſi manifeſtius quid videatur vobis ſuper lecto libello? putas concordatis Romanis, an non? Sanctiſſimi vicarii orientis dixerunt: Concordamus. Legatur autem & definitio quæ hic a nobis expoſita eſt, cujus & ſuperius mentionem fecimus, ut cognoſcatis concordiam noſtram. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Legatur. Et accipiens † Stephanus Deo amiciſſimus diaconus & devotus notarius legit:

† [illegible]

*Definitio Thomæ metropolitæ Tyri* [a] *primi ſeſſoris, & primatis ſedis Theupoleos Antiochiæ, & Heliæ presbyteri & ſyncelli throni Hieroſolymorum, ſanctæ Chriſti Dei civitatis locum, & perſonam tenentis Theodoſii ſanctiſſimi patriarchæ Hieroſolymorum habita Conſtantinopoli, priuſquam vicarii perveniſſent ſenioris Romæ.*

VEſtris eccleſiaſticis negotiis confuſionem patientibus ex inſtigatione odientis bonum dæmonis, & zizaniorum ſatoris, omnium procurator atque proviſor erexit Romano principatui rectorem Deo amiciſſimum & veritatis ferventiſſimum amatorem, piiſſimum videlicet Baſilium magnum imperatorem, per quem eccleſiaſtica ſcandala, & offendicula modis omnibus interimere, & omnem Chriſtianum orbem ad meliorem & nitidiorem ordinem adducere voluit: qui ſecundum intentionem divini conſilii omnia & dicere & facere anhelans, convocavit & humilitatem noſtram de orientalibus ſedibus ac diœceſibus, ut cum his qui putabantur advenire atque concurrere a ſeniori Roma, ſanctiſſimis vicariis, circumſpecte eccleſiaſtica diſſolveremus certamina, propter quod & nunc uſque perſeverantes, illorum præſtolamur adventum. Quoniam vero multa facta eſt tarditas, & ſuſpicamur ex Agarenorum tyrannica poteſtate propter tantam moram multas nobis ſuperventuras calamitates atque neceſſitates, immo vero & noſtrum totum genus Chriſtianorum propter talem cauſam ſummittendum variis tentationibus, nequaquam eos, qui a Roma venire putabantur, [b] expectare juſtum putavimus, ſed & ſuperfluum & ſupervacuum arbitramur eſſe: præſertim cum ea, quæ Romæ regulariter ac ſynodice geſta ſunt, præ manibus habeamus, ita ut hinc conſtet una nobiſcum



ANNO CHRISTI 869.

biſcum eſſe beatiſſimum papam Nicolaum per literarum ſuarum voces, adhuc etiam & ſucceſſorem ejus beatiſſimum Hadrianum papam per proprias epiſtolas. Nam & Chriſtum dominum noſtrum per euangelium, tamquam per vivam vocem, loqui convenienter arbitramur, & credimus; nec non & apoſtolum Paulum, & reliquos omnes apoſtolos, prophetas, atque doctores. Ipſi ergo habentes nobiſcum beatiſſimum papam Hadrianum, ineptum & incongruum omnino putamus deſpicere fluctuantem Chriſti & ſalvatoris noſtri eccleſiam per dilationem diſpoſitionis, quæ illi debetur. Hinc ergo velut ex neceſſitate, nunc vobis denuntiamus juſtificationem Dei, & divinæ miſericordiſſimæque providentiæ conſilium atque judicium, quantum ad capacitatem noſtram attinet. Eſt igitur a nobis editum & ſancitum de negotiis quæ nunc mota ſunt, ut omnimodis obſequantur & obediant definitionibus & decretis beatiſſimi papæ Nicolai omnes homines; quibus & nos favemus & concordamus, nimirum qui multum ante ipſorum lectionem, & cognitionem, eadem & excogitavimus ac [c] judicavimus, & prædicavimus.

### CAPUT I.

Ergo ſanctiſſimus quidem patriarcha Ignatius ſit beneplacito Dei Patris, & gratia domini noſtri Jeſu Chriſti, & operatione ſanctiſſimi Spiritus, ratus & ſtabilis in throno ſuo, a nemine moleſtiam ſuſtinens, vel coercitus a propria archierarchica dignitate, atque honore, dirigens verbum veritatis.

### II.

Epiſcopi autem, & presbyteri, ac diaconi, ſeu cujuſcumque ordinis clerici, quotquot poſt iniquam depoſitionem ſanctiſſimi & comminiſtri noſtri Ignatii diſceſſerunt a Photio, & idcirco a ſuis ſedibus ſunt remoti, ac depoſitioni ſubmiſſi, iſti ſuas recipiant ſedes ad fungendum incunctanter ſacerdotio, nullatenus aliunde prohibiti: qui enim pro veritate privati ſunt iis quæ poſſederant, non ſolum illorum, unde ceciderunt, digni ſunt eſſe participes, verum etiam aliorum, quorum quæque poſſint recompenſare digna prioribus afflictionibus.

### III.

Qui vero beati Methodii & ſanctiſſimi Ignatii manus impoſitionem habent epiſcopi, vel presbyteri, vel diaconi, aut cujuſcumque ordinis clerici, & uſque in finem cum Photio ſacerdotio fungi paſſi ſunt, in repulſione autem ejuſdem Photii ad Dei ſanctam & catholicam atque apoſtolicam eccleſiam concurrerunt, & nunc uſque ad terminationem ſanctæ ſynodi concurrere feſtinaverunt, nec hos communis omnium Chriſtianorum amatrix filiorum eccleſia mater avertit, ſed ſinibus recipiet, materno more circa natos benignitate ſuccenſa, & votum [a] inceſſabile monſtrans, [d] epitimiis, ut par eſt, ſanctiſſimi patriarchæ Ignatii, quæ ipſe voluerit, hos adoptans, & placate ſuſcipiens. Nam beati termini papa Nicolaus in Photio, & in manus impoſitione ejus ſola, & in Syracuſano Gregorio dedit definitivam damnationem. In reliquis autem prænominatis duabus conſecrationibus poteſtatem ſanctiſſimo patriarchæ Ignatio credidit: oportebat enim eum, qui multis difficultatibus pro credita ſibi divinitus eccleſia tentatus fuerat, portionem aliquam liberalitatis in admiſſione ſacerdotum percipere.

[a] *alias*, miſerabile.

ACTIO I. CON. VIII GENER.

### IV.

Photium autem, quemadmodum beatus Nicolaus de illo decrevit, alienum modis omnibus exiſtimamus ab omni ſacerdotali dignitate, operatione ac nomine [a] uſquam per nullum modum vel tempus accepturum locum ſatisfactionis; ſed & anathemati tranſmittimus, niſi forte obedierit ſynodicæ judicationi papæ Nicolai, & ſententiam noſtram ſuſceperit.

[a] *forte*, nuſquam per ullum.

### V.

Gregorius præterea Syracuſanus, ut ante depoſitus, & ante damnatus a nobis, etiam ita deputatur depoſitus, & condemnatus: non enim ut contrarii juſti decreti venimus, ſed ut æquorum & a patribus traditorum canonum & ſanctionum confirmatores pariter & fautores. Qui vero ſeducti ſunt, & a Photio manus impoſitionem ſuſceperint, tamquam malis operationibus ejus cooperantes & faventes, atque condecernentes effecti, omni ſacerdotio judicantur indigni: ſicuti & papa Nicolaus adverſus eos ſynodice promulgavit.

Damnatio invaſoriæ ordinationis.

### VI.

Hæc itaque a nobis ita & edita ſunt, & decreta, & Dei nutu [a] dicimus fideliter & præſcripta ſunt; hæc & dicimus & prædicamus, atque vobis ſcripto commendamus; & hæc omnes conſervare deliberamus, quotquot Chriſti vocatione cenſentur: & nobiſcum affatur, & monet Jacobus frater domini, primuſque ſummus ſacerdos & præſul Jeruſalem civitatis ſanctæ; ex magna quoque Antiochia, ubi Chriſti hereditas celebratiſſimum cognomen explevit, Petruſque ibidem [e] primus ſacerdotio functus eſt, deinde [f] Ignatius Deifer, & hujus ſucceſſor, hæc conſervare debere, ac nullam prævaricationem prædictorum [a] præſumere, ne omne jus eccleſiæ reprobare inveniamini, neque [a] enim modicum eſt quod pæne modicum eſt. *Nam & qui omnem ſervaverit legem, in uno autem offendat, factus eſt omnium reus.* Quiſquis ergo a notitia præceptorum beatiſſimi papæ Nicolai, & hoc [a] [a] ſe judicio noſtro auſus fuerit reprobare aliquid eorum quæ hic proferuntur, vel moleſtiam inferre auditibus potentum ad alicujus reprobationem, vel receperit hujuſmodi, iſte, quiſquis ſit, ſive ſacerdos, ſive laicus, ſive quicumque monachus, ſive cujuſvis ordinis clericatus, anathema ſit a Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & privatus gloria Dei, & heres æterni tormenti, & coheres diaboli, atque alienatus a Chriſtianorum gratia, tamquam qui irridet Chriſti veri Dei noſtri munificentiam, [g] quam dedit ſacerdotibus, dicens: *Quemcumque ligaveritis ſuper terram, erit ligatus & in cælis & quemcumque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutus, & in cælis.* Qui enim verax eſſe Chriſti verbum exiſtimat, & annuntiat, creditque quod ea, quæ ſuper terram ligata ſunt, ligentur & in cælis, & quæ ſuper terram ſoluta ſunt, ſolvantur & in cælis; quæ a ſacerdotibus ligata ſunt, quomodo putas, audebit ſolvere, & [a] ſolutum ligare? Manifeſtum eſt ergo, quod Deum contemnens, hujuſmodi & divinum magiſterium irridens, & honoranda præcepta reprobans, juſtam non effugiat pœnam. Cum his autem ſubſequetur & alia quædam valde difficilis & cita commotio: at vero ſi reprobaverit ſaltem unum ex his quæ hic ſcripta ſunt, & a beato papa Nicolao ante judicata, fiet æſtus in eccleſia veſtra continuus, & ſimultas eccleſiaſticorum negotiorum, ita ut nunquam videri poſſit in eccleſia quilibet ordo. Ubi enim eſt utique concurſus omnis patriarchalis throni, & ut idipſum

[a] *forte redundat verbum dicimus.*

[a] *ſubauditur* affatur & monet.

[a] quod pæne modicum eſt. *Nota.* *Jacob.* 2.

[a] *Forte ſe redundat.*

a) *Forte*, hocce. H.

*Matth.* 16.

[a] *forte* ſoluta.

ANNO CHRISTI 869.

idipſum dicatur omnis ſacrati catalogi; ſi diabolico conſilio ambiguitatem quis habeat, difficile profecto erit, ut aliquando firmitatem vel pacem poſſideat eccleſiaſticus ordo. Anathema ergo illi qui ſecundum aliquid præſumpſerit reprobare quidquam ex iis quæ hic inſcribuntur a Patre, ſicut jam dictum eſt, & Filio, & Spiritu ſancto. Amen. Ad confirmationem autem præſentis definitionis, ſubſcripſit unuſquiſque noſtrum manu propria, quemadmodum ſubinſertur.

## NOTÆ IN PRÆCEDENTEM definitionem ex editione Romana.

a *Primi ſeſſoris.* ] Primum ſeſſorem, id eſt protothronum, ſive primum ſeſſorem dicunt epiſcopum, eorum ſcilicet epiſcoporum qui ad Theopolitanam, hoc eſt Antiochenam pertinebant eccleſiam.

b *Expectare.* ] Quando hæc iſti dicebant, annum integrum Conſtantinopoli morantes habebant: verum nota quia ſine ſedis apoſtolicæ præciſſis decretis nil agunt.

c *Judicavimus.* ] Judicavimus eo ſenſu dicunt, quo apoſtolus dicit: *Non judicavi me ſcire niſi Chriſtum, & hunc crucifixum*: judicavimus tamen dicunt, non promulgavimus. Hoc enim poſt Romanorum adventum & definitionem egere: nam antea privatim tantum, quod ſic eſſet judicandum, quibuſdam ſignificabant. (1. Cor. 2.)

d *Epitimiis.* ] Multi quidem increpationes interpretantur, ſed iſto, & multis in locis, pro pœnis ponuntur, quas eccleſia ubicuique pro qualitate culparum præcipit obſervandas, ut puta jejunia, fletum, abſtinentiam ciborum, genuflexiones, & his ſimilia.

e *Primus ſacerdotio.* ] Nota quia non dicitur primum, ſed primus: nam primum a Chriſto pontificatum ſuſcepit, qui poſtea primus epiſcopus Antiochiæ præſedit.

f *Ignatius Deifer.* ] Tradunt Græci quod parvulus, quem dominus advocatum ſtatuit in medio, dicens: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut hic parvulus*, &c. iſte Ignatius fuit, & idcirco hunc Deiferum nuncupent: unde nec apoſtoli auſi fuerint ei, cum ad eccleſiæ præſulatum promoveretur, amplius manus imponere, nimirum quem ore Dei laudatum, & ipſius tactu ſanctificatum cognoverint. (Matth. 18.)

g *Quam dedit ſacerdotibus.* ] Nota quod apoſtoli ſacerdotes prædicentur a ſancta ſynodo etiam extum quando his dictum eſt: *Quemcumque ligaveritis, vel ſolveritis ſuper terram, erit ligatus, vel ſolutus & in cælis.* Ergo Petrus, qui hoc ſpecialiter ante omnes audire meruit, primum ſacerdos effectus eſt: ceſſit itaque ſermo opinantium Jacobum fratrem domini primum ſacerdotem fuiſſe: verum primus ſacerdos fuit eorum, qui non a domino, ſed ab apoſtolis ordinati ſunt. Primus epiſcopus fuit, ſed eorum qui Hieroſolymis epiſcopatum ſortiti ſunt. (Matth. 16.)

Et poſt lectionem definitionis tota ſynodus dixit: Ecce audivimus & ſententiam orientalium, ſequentem, ac faventem judicio ſanctiſſimi papæ Nicolai, & convenimus in eam. Sanctiſſimi & honorabiliſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt ad orientis vicarios: Vos fratres noſtri dicite: Veſtra eſt definitio? & ſcriptum hoc, quod lectum eſt, vos dediſtis? Thomas honorabiliſſimus metropolita Tyri & Helias Deo colendiſſimus presbyter & ſyncellus, orientis vicarii, dixerunt: Etiam noſtrum eſt, & nos id ſcripſimus, cum hic eſſemus. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Vere tenetis ſicut audivimus? Thomas & Helias ſanctiſſimi vicarii orientis dixerunt: Ita tenemus placita hæc, quemadmodum audiſtis. Honorabiliſſimi vicarii Romæ dixerunt ad ſanctam ſynodum: Placet vobis? Sancta ſynodus exclamavit: Placet omnibus. Et poſt hoc ſacer ſenatus per Bahanem famoſiſſimum patricium & præpoſitum ad honorabiliſſimos Romanorum vicarios dixit: Rogamus vos, ſanate contritionem noſtram. Nos quidem acquieſcimus iis quæ juſſit judicium veſtrum, ſed convenit ut jubeatis ipſi alia, quæ ſi audierimus, juvent nos. Photium aliquando non videntes, quomodo eum condemnaſtis? * Cum quo repertus eſt coram vobis, quomodo protuliſtis adverſus eum anathema? dicite nobis. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Beato Petro apoſtolo donavit poteſtatem Chriſtus, & Deus noſter, dicens ei: *Petre, ecce ſatanas expetivit cribrare te, ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Non ergo poterat ter beatiſſimus & ſanctiſſimus papa Nicolaus in ſede illa tantum tendere tempus, ut non confortaret fratres ſuos, & ſanctiſſimum patriarcham Ignatium. Nam ſanctiſſimus papa Nicolaus, videns literas, & epiſtolas Photii pervaſoris, [a] & abſentem, tamquam præſentem, per epiſtolas ejus & apocriſiarios judicavit eum. Magnificentiſſimi principes dixerunt: Et quem miſit? Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Si jubeatis audire ſecundum conſequentiam, dicemus. Magnificentiſſimi principes dixerunt: Volumus. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Primitus miſſus eſt Arſabir legatus Michaelis imperatoris, & cum eo miſſi ſunt quatuor epiſcopi: ([b] nomina eorum ignoramus) deferens ſecum & epiſtolam regiam, ſignificantem in ſe cauſam hæreſeos imaginum, & in fine literarum illarum oſtendentem etiam † emiſſionem ſanctiſſimi patriarchæ Ignatii. Petebat autem ut mitteret apocriſiarios ſuos Conſtantinopolim, & miſit Radoaldum & Zachariam quondam epiſcopos, & venerunt huc, & fecerunt latrocinale concilium, & ſynagogam malignantium contra ſanctiſſimum virum Ignatium patriarcham, & quaſi depoſuerunt eum. Tunc reverſi ſunt Romam cum apocriſiario Leone a ſecretis, ferente & ipſo iterum epiſtolam regiam, & invaſoris & adulteri Photii, & libellum manifeſtantem ſynagogam malignantium factam adverſus Ignatium ſanctiſſimum patriarcham. Tunc cognoſcens diviſerus papa Nicolaus ſcrutatus omnia, fecit ſynodum, & convocavit omnes occidentales epiſcopos, [c] archiepiſcopos, metropolitas, & omnem clerum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac totum ſenatum principum Romanorum, & damnaverunt libellum, & concilium malignantium, quod factum erat adverſus ſanctiſſimum virum Ignatium, & depoſuit apocriſiarios qui venerant huc, Radoaldum ſcilicet, & Zachariam, & ab omni honore ſacerdotali & communione pepulit eos; quoniam communicaverunt, & conſenſerunt, & conſtituerunt invaſorem ac adulterum Photium; & abdicavit concilium malignantium. Propter hoc ergo opus damnavit & anathematizavit Photium. His tacentibus, ſurgens Bahanes famoſiſſimus patricius & præpoſitus, ut ex perſona ſacri ſenatus, interrogavit orientis vicarios: Et vos tempus multum feciſtis, hic expectantes a Roma vicarios, quomodo prope habentes Photium, non quæſiſtis, & vidiſtis, & ita condemnaſtis eum? Et ſurgens Helias Deo colendiſſimus presbyter & ſyncellus, locum retinens Theodoſii ſanctiſſimi archiepiſcopi Hieroſolymorum dixit: Noſtis omnes, amici Chriſti, fratres, quia Spiritus ſanctus, qui locutus eſt in prophetis, ipſe & in apoſtolis eſt affatus, & omnia quæcumque geſta ſunt a patribus noſtris olim, & in lege poſita ſunt, & gratia ſpirituali acta conſiſtunt; & ideo patriarchalia capita in mundo poſuit Spiritus ſanctus, ut in eccleſia Dei pullulantia ſcandala per ea exterminentur, & pacifica conſtitutio in ipſa interveniat, & concedatur. Igitur cum præſidens & præcedens ſenes ſenioris Romæ nequaquam receperit Photium, nec etiam orientis tres throni, videlicet Alexandriæ, & Antiochiæ, ac Hieroſolymorum, non erat opus vocare illum ad examinationem vel rejudicationem. Hujuſmodi enim actiones de iis qui recepti ſunt in eccleſiis Dei, & cunctis ſedibus, ſolitæ ſunt fieri. De iis autem qui nunquam in ſeniori Ro-

* alias Cum repertus eſt. * alias coram vobis quomodo repertus eſt.

ACTIO I. CONC. VIII. GENER. Luc. 22.

† id eſt, expulſionem.

ri Ro-



ANNO CHRISTI 869.

ri Roma & reliquis ſedibus recepti ſunt, nullum omnino debet iteratum haberi judicium. Hujuſmodi enim in ſemetipſis evidentem habent propriam damnationem, ita ut & nos bene fecerimus eum, qui nunquam a ſeniori Roma & orientalibus thronis receptus eſt, nullatenus adducentes ad retractationem examinis: habebat enim hanc ſecum ferens manifeſtiſſimam ſui damnationem. Alium itaque nos patriarcham Conſtantinopoleos neque cognovimus neque recipimus temporibus iſtis, præter hunc ſanctum virum, patriarcham videlicet Ignatium, ex quo thronum Conſtantinopoleos gratia Dei & electione eccleſiaſtica tenuit, hunc habuimus receptum in ſedibus noſtris: & ſi advenientes huc non inveniſſemus eum in patriarchio ſuo, ſed in inſula exilii ſui, alium non ſuſciperemus, ſed hunc eumdem appellaremus patriarcham Conſtantinopoleos. Quoniam vero gratia Dei hunc invenimus in throno ſuo, communicavimus, & comminiſtravimus, & ſimul manducavimus, & bibimus cum eo, tamquam qui communicator & comminiſter noſter ab olim uſque in hodiernum diem extiterit. Hæc enim etiam a primordiis venientes excelſa voce prædicavimus, ut non exiſtimaremur ab aliquo maligna gerere velle, quaſi furtim abſtracti adhæſerimus ſancto viro huic, ſed ſecundum antiquam opinionem, quam habuimus de illo, eamdem haberemus uſque in præſens. Quamvis autem non collocuti cum Photio fuerimus facie ad faciem, tamen diverſimode & frequenter cum iis, qui unanimes & conſentanei ac protectores ejus ſunt, convenientes, didicimus ea quæ pro ſui defenſione videntur eſſe inutilia, & vana conſiſtere. Quod enim dicunt patriarcham Ignatium poſt injuſtam depoſitionem ſuam, cum in exilio eſſet in inſula, feciſſe refutationem, talem refutationem neque ſenior Roma, neque nos recipimus, eo quod præter canonem ſit eccleſiaſticum facta. Si autem dixerint aliqui, quia ii qui manus impoſitionem Photii fecerunt, & qui ſimul inventi ſunt, digni eadem cum ipſo pœna & damnatione ſint, hoc non veraciter dixerint: etenim cum ſimus infirmæ naturæ, non ſemper ferimus mortem imminentem nobis, & ideo formidantes, nonnunquam etiam ea quæ nolumus agere inviti compellimur. Denique & iſti, qui ex conſecratione beati Methodii, & ſanctiſſimi Ignatii timoribus ſubacti, & pavore regio, & poteſtativa tyrannide incurvati ſunt, & concurrerunt propter violentiam; deinde confeſtim & poſt pauxillum reprobaverunt quæ ab illo præſumpta ſunt contra Ignatium ſanctiſſimum patriarcham, & receſſerunt ab eo, venia ſunt digni: & maxime ii qui mala paſſi ſunt, & diverſas ab eo tribulationes, & depoſitiones, & cuſtodias, & exilia pertulerunt; quos beatos eſſe & nos quoque judicamus, quemadmodum & ante nos definierunt Nicolaus & Hadrianus ſanctiſſimi patriarchæ Romani. Hæc ergo nos & his ſimilia in poſterum cognoſcentes, verum & a primordiis comperientes, neque Photium recepimus, neque manus impoſitiones ejus admiſimus; nihil enim incertum factum eſt nobis tanto hic tempore demorantibus. Hæc quidem velut in compendio diximus, cauſam demonſtrantes qua vocati ſumus, & adhæſimus ſanctiſſimo patriarchæ Ignatio, & nequaquam provocavimus Photium ad examen, vel iteratum judicium. Etenim & ipſe Photius miſit per quemdam imperialis dignitatis ad ſanctiſſimum metropolitam Tyri, ſi forte aliquando receperit ſe in throno Antiochiæ: & confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt quia nunquam ſuſcepimus Photium in throno Antiochiæ. Itaque neque in ſeniori Roma, neque in throno Hieroſolymorum, neque in throno Antiochiæ ſuſceptus Photius, quomodo putas eſſet apud nos * retractione judicii dignus? Hæc nunc dicimus, ſufficienter valentia exhibere voluntatem & reſponſionem noſtram ſuper quibus interrogati ſumus. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Ecce contritionem noſtram ſanaſtis atque curaſtis, & omnes confitemur a Deo judicium ſanctum ſanctarum trium ſedium: *ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo*, (Chriſtus ait) *ibi ſum in medio eorum*. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Ita moris eſt ſanctæ Romanæ eccleſiæ canonicam diligentiam poſſidendi, & propter eccleſiaſticum ordinem eum, qui per feneſtram ingreſſus eſt in caulas ovium, ut lupum perſequendi; & gaudet ſancta hæc ſynodus de veſtra honorabili reſponſione. Etiam hodie auribus noſtris induxiſtis & oſtendiſtis veram fidem; quod enim ore dicitis opere deſideratis finire. Bahanes famoſiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Habet aliquid veſtra ſanctitas hodie, ut diſponat? Deo amiciſſimi vicarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ dixerunt: Vellemus ordinare de libello, quantum poſſemus, ſed quia tranſacta eſt hora, hujus rei gratia, in alio conventu, Deo favente, faciemus quod debemus. Et ſurgens ſacer ſenatus dixit: Benedictus Deus, quia meruimus videre ſanctam diem iſtam, & honorabilem cœtum noſtrum: ecce hæc omnia ſecundum rationem veritatis terminata ſunt. Deinde ſtans in medio Stephanus Deo amiciſſimus diaconus ſanctæ Conſtantinopolitanorum eccleſiæ & devotus notarius laudem hujuſcemodi: Multos annos imperatorum Baſilii & Conſtantini: Magnorum principum & imperatorum multos annos: Orthodoxorum imperatorum multos annos: Depoſitorum injuſtitiæ multos annos: Pacificorum imperatorum multos annos: Hoſtium mendacii multos annos: Amatorum & fautorum veritatis & juſtitiæ multos annos: Eudoxiæ piiſſimæ Auguſtæ multos annos: Nicolai beatiſſimi papæ Romani æterna memoria: Hadriani orthodoxi papæ Romani multos annos: Ignatii orthodoxi patriarchæ Conſtantinopoleos multos annos: Orthodoxorum patriarcharum orientis multos annos: Orthodoxi ſenatus multos annos: ſanctæ & univerſalis ſynodi æterna memoria.

ACTIO I. CONC. VIII. GENER.

* forte retractatione.

Matth. 18.

## NOTÆ IN SUPERIORA ex edit. Romana.

a *Tanquam præſentem.* ) Quamvis totus mundus noſſet Photium ex laico ſubito factum epiſcopum, & viventis ſedem præſulis invaſiſſe; quia tamen abſens erat, non eum antea judicavit, quam bis per miſſos & epiſtolas ipſius illum noxium comperiſſet, & rurſus hunc per miſſos ſuos & epiſtolas bis ut corrigeretur admonuiſſet.

b *Nomina eorum ignoramus.* ) Urgente illos propoſitæ locutionis proſecutione, nomina epiſcoporum eis ad memoriam recurrere tam concite minime potuerunt: quibus tamen nomina erant Methodius metropolita Gangrenſium, Samuel Chonorum epiſcopi, atque Theophilus Iconii, & Zacharias Tauromeniæ pſeudoepiſcopi, qui legationem & epiſtolas a Photio ſedi apoſtolicæ detulerunt.

c *Archiepiſcopos.* ) Licet vocaverit archiepiſcopos, nullus tamen excepto Ravennate ob temporis incommoditatem occurrit. Verum ille cum aliquantis & Photium repulit, & Ignatium patriarcham admiſit, privilegio ſcilicet ſedis apoſtolicæ fretus, quæ ſola jus habet quorumlibet ligamenta vel ſolutiones pontificum ſolvendi vel ligandi; cum utique de omni eccleſia fas habeat judicandi.

ANNO CHRISTI 869.

ACTIO II. CONC. VIII. GENERAL.

## ACTIO SECUNDA.

IN nomine domini & dominatoris omnium Jeſu Chriſti vere Dei & ſalvatoris noſtri. Conſulatus protectorum & tranquilliſſimorum imperatorum noſtrorum dominorum, Baſilii quidem anno tertio, Conſtantini autem filii ejus anno ſecundo, perpetuorum Auguſtorum, indictione tertia, Nonis Octobris, præpoſitis precioſis & vivificis lignis ac intemeratis & ſanctis evangeliis, conveniente autem ſancta & univerſali ſynodo, Donato Deo amantiſſimo epiſcopo Oſtienſi, & Stephano Deo amiciſſimo epiſcopo Nepeſino, atque Marino reverendiſſimo diacono ſanctæ Romanæ eccleſiæ, locum obtinentibus ſanctiſſimi Hadriani papæ Romani, & Ignatio ſanctiſſimo patriarcha Conſtantinopoleos, & Thoma ſanctiſſimo metropolita Tyri, locum obtinente ſedis Antiochiæ, ac Helia Deo colendiſſimo presbytero & ſyncello, locum obtinente throni Hieroſolymorum: præſente quoque ſacro ſenatu, videlicet Theodoro magnificentiſſimo proconſule ac magiſtro, Bahane magnificentiſſimo patricio & præpoſito, Hemerio magnificentiſſimo proconſule ac patricio, Theophilo magnificentiſſimo proconſule ac patricio, Leone magnificentiſſimo proconſule ac patricio, Joanne magnificentiſſimo patricio & logotheta okeos dromi, Leone magnificentiſſimo patricio & domeſtico excubitorum, Paulo magnificentiſſimo patricio & præfecto prætoriorum, Manuele magnificentiſſimo patricio, Theophylacto magnificentiſſimo patricio, Petronate magnificentiſſimo patricio, Horeſte laudabiliſsimo protoſpathario & domeſtico ycanatorum: atque ſanctiſsimis epiſcopis, videlicet Nicephoro Deo amiciſsimo metropolita Amaſiæ, Joanne Deo amiciſsimo metropolita Sylæi, Niceta Deo amiciſsimo metropolita Athenarum, Metrophane Deo amiciſsimo metropolita Smyrnæ, Michaele Deo amiciſsimo metropolita Rhodi, Georgio Deo amiciſsimo epiſcopo Heliopoleos, Petro Deo amiciſsimo epiſcopo Troadis, Niceta Deo amiciſsimo epiſcopo Cephaludii, Athanaſio Deo amiciſsimo epiſcopo Magneſio, Nicephoro Deo amiciſsimo epiſcopo Cotronæ, Antonio Deo amiciſsimo epiſcopo Aliſii, Michaele Deo amiciſſimo epiſcopo Cercirorum: his ita convenientibus, ſtetit in medio [a] Paulus Deo amiciſsimus [b] chartophylax, & dixit: Ipſi qui ceciderunt ſub Photio venerunt cum libello, quid videtur vobis? expetunt enim ingredi ſanctam hanc & univerſalem ſynodum. Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ & orientis, & omnis ſancta ſynodus dixit: Ingrediantur. Et ingreſsi ſunt prædicti epiſcopi præferentes libellum in manibus ſuis, & adorantes propoſita intemerata judicia prociderunt ſanctæ ſynodo. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Qui eſtis vos qui intraſtis hoc epiſcopi, & a quo conſecrati eſtis? Theodorus metropolita Cariæ dixit: A domino noſtro ſanctiſsimo patriarcha Ignatio, & beatiſsimo Methodio. Sanctiſsimi vicarii ſeniori Romæ dixerunt: Et quot eſtis? Theodorus reverendiſsimus metropolita Cariæ dixit: Numerum neſcimus. Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Quid dicitis? Quid habetis? Quid vultis? Epiſcopi dixerunt: Procidimus ſanctæ & univerſali huic ſynodo, pœnitentiam expetentes. Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Quid eſt hoc quod fertis? Epiſcopi dixerunt: Libellus confeſsionis, ſuper quibus peccavimus in dominum noſtrum ſanctiſsimum patriarcham Ignatium. Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Confitemini vos peccaſſe in hac cauſa? Epiſcopi dixerunt: Confitemur. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: In libello ita habet ut ore veſtro dicitis? Epiſcopi dixerunt: Legatur libellus, & tum ea quæ de nobis ſunt certiſsime comperietis. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt ad Dei cultores vicarios orientis: Aptum apparet vobis, ac omni ſanctæ ſynodo, ut ſuſcipiatur libellus confitentium ſe peccaſſe? Sanctiſsimi vicarii orientis & tota ſancta ſynodus dixerunt: Si placet ſanctitati veſtræ, ac honorabiliſsimo patriarchæ Ignatio; & nobis bonum videtur, ut ſuſcipiatur, & in conſpectu ſynodi legatur. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Ergo quoniam omnibus placet, ſuſcipiatur & legatur. Et accipiens Stephanus Deo amiciſsimus diaconus & notarius ſanctæ Conſtantinopolitanorum eccleſiæ de manibus jam denuntiatorum epiſcoporum, legit magna voce in audientiam omnium.

### NOTÆ IN PRÆCEDENTIA ex edit. Romana.

a *Paulus Deo amiciſſimus.*) Paulus iſte archiepiſcopus quondam fuit a Photio conſecratus, ſed quia cum ceteris, qui a Photio manus impoſitionem ſuſcepere, ſecundum ſententiam papæ Nicolai condemnatus eſt, & quoniam is erat utilis pro conſolatione damnationis ab Ignatio patriarcha chartophylax effectus eſt: ſcripſerat enim & papa Romanus ut alia illum, excepto ſacerdotio, quantacumque vellet, dignitate ditaret.

b *Chartophylax.*) Interpretatur chartarum cuſtos. Fungitur autem officio chartophylax apud eccleſiam Conſtantinopolitanam, quo bibliothecarius apud Romanos, indutus videlicet infulis eccleſiaſticorum miniſtrorum, & agens eccleſiaſtica cuncta prorſus obſequia, exceptis illis ſolis quæ ad ſacerdotale ſpecialiter ac proprie pertinere probantur officium. Sine illo præterea nullus præſulum aut clericorum aforis veniens in conſpectum patriarchæ intromittitur, nullus eccleſiaſtico conventui præſentatur, nullius epiſtola patriarchæ miſſa recipitur, niſi forte a ceteris patriarchis mittatur, nullus ad præſulatum vel alterius ordinis clericatum, ſive ad præpoſituram monaſteriorum provehitur, niſi iſte hunc approbet & commendet, atque de illo ipſi patriarchæ ſuggerat, & ipſe præſentet.

### LIBELLUS.

SI quidem eſſent ignota in ſeniori Roma, quæ dira contigerunt a Photii mente, † impugnatoris eccleſiæ, oporteret humilitatem noſtram multum texere ſermonem, roborantem quæ circa nos perpetrata ſunt, & quibus & quot ab ipſo atrocitatibus ſummiſsi ſumus: quia erat vir alia quidem loquens, & alia cogitans, & operam dans mendacio: ex arte gentilium ſemper proponebat bona, deveniebat autem in mala, & erat potens ad ſuperandum & decipiendum, ut non eſt factus, nec fiet ullus hominum. Unde cum talis eſſet, ſupplantavit nos, ſed ſermonem prolixum ſupra modum facere nolumus, habentes vos eorum quæ dicuntur teſtes. Nam ſcitis utique vos, qui meruiſtis obſecundare ſanctiſsimo papæ Nicolao, lucernæ eccleſiæ, ac luminari totius orbis, & ipſius comminiſtri eſtis effecti, quia incomparabilis erat in ſacerdotibus, vita & ſermone reſplendens, quem pæne nec macula tetigit: ſed hic in talem & tantum virum non ſegnis extitit fingere mente infeliciſsima detentus (quem non vidit, nec cognovit) maculam plurimam, innumeram & coacervatam: & poſt multitudinem etiam, magnitudine prævaluit in vanitate ſua: & ſi mendaces, attamen de oriente ex omnibus patriarchis apocriſiarios quaſi concordantes, & certiſsime quæ a ſe dicebantur noſcentes, multo ſtudio duxit, ut hujuſmodi virum depoſitioni ſubmitteret: & habens conſentaneos teſtes falſos, tranſmiſit commenta, mendacia, & viros deceptos, & veniebant ad complendum quæ ſibi viſa extiterant. Et niſi Deus omnes operibus manuum ſuarum compeditos ligaſſet, nos utique cum hujuſmodi caderemus; nimirum qui pro paſtore lupus eſſe videbatur. Diximus de Nicolao parum. Non ſolum autem huic talia operatus eſt, ſed & ipſum ſanctiſſimum ſacerdotem ac paſtorem noſtrum, qui nos impoſitione ſanctarum manuum ſuarum, cum eſſet ſummus antiſtes, ſanctificavit, multis prius ſtudiis, cum ſæcularis eſſet, impugnans, & in nos inſpirans poſtea hypocriſim, cuncta negavit, & omnibus conſentaneis ſuis, vel qui ſub ipſo eramus, ſuaſit ut ſe chirographis terribilibus profiterentur eum ſe habituros patriarcham patriarcharum, & ſummum ſacerdotem ſummorum ſacerdotum; & tunc quidem in nobis ita faciebat. Poſtera vero die fraudes conſuebat adverſus eum, & mendaciorum infinitam multitudinem, quaſi criminum materiam habentium, quemadmodum & adverſus beatiſſimum Nicolaum geſſit: quæ & volebat in omnia patriarchia tranſmittere; ut ſicut ipſe poſt modicum depoſitionem ac anathematiſmum in eum fecit, ut olim voluit, ita & ceteri patriarchæ facerent. Sed hujus fraudem non celavit Deus, ſed omnibus patefecit; & hi qui dolum manifeſtum fecerant, exiliis & proſcriptionibus, ac flagris, atque multis tædiis ſummiſſi ſunt: ſed nec ſic valuit ſe reprimere, ſed quemadmodum impetum habuit miſeri voti ſui, depoſitionem & anathematiſmum fecit, & in eum, his factis, quid malorum in ipſum ex tunc non egit? Nonne dentes ejus radicitus evulſit, faciens eum in facie percuti? Nonne pedes ejus ferreis vinculis munivit? Nonne cum fuga lapſis, & fugacibus ſervis, in fœtoribus & ſordibus damnavit eum, ut moraretur tempore non pauco? Nonne denudans eum veſtimentis, quæ induebat abſque prima parvula tunica, hujus crura ſcidit, & in ſepulcro, quod in modum rogi factum eſt, deluſum locari fecit, candelas fundens quæ ibidem elucebant, ne, aquam eis habentibus, cum ſiti ureretur, ad refocillationem potaretur ex illis? Nonne hunc erectum ſtare facientes, tulerunt virgam, quam tenens in manibus fulciebatur, ſenectutis imbecillitatem conſolans? Nonne ſine cibo ac potu multis cum diebus tranſigere fecerunt? Nonne exulem illum fecit, ubi fiunt frequenter incurſus barbarorum, & rapiuntur homines, qui locis illis inhabitant, & gladii efficiuntur impendium? Sed quæ ab eo ſuſtinuit tantæ multitudinis ſunt, ut dinumerare in vanum laborare ſit: neque enim ſermo valebit hæc enarrare. Et tunc, quem? † Imperatorum filium, & imperatorum nepotem, qui angelicam vitam ſubiens, habitu monaſticæ converſationis indutus eſt, qui Deo placabilis, & angelis reverendus, atque dæmonibus metuendus apparuit. Ex his, quot exiguitatem noſtram ſeveritatibus ſubmiſerit, etſi dicere non poſſumus, vos colligere ac noſſe valetis: ſi enim talibus ſummis ſacerdotibus, ſcilicet papæ Nicolao, & ſanctiſſimo patriarchæ Ignatio, talia operatus eſt, nobis utique humilibus mentis munditia qualia fecerit non ignoratis. Multi enim ex nobis cum infidelibus gentibus in prætorio mulctati ſunt, fameque, ac ſiti, ſeu ceteris miſeriis afflicti, ad ſecandum marmora pro lignis damnati ſunt: alii autem pro eo, ut cum lignis ferirentur, ſpatha percutiebantur, a iis qui feriebant, non ut ſacerdotes, neque ut homines carnem ferentes, ſed ut inanimata corpora percutientibus. Illud vero, quod calcibus ſubmittebant, & huic pœnæ ſubjectis viſcera evellebant, ut leve tormentum habebant. Id præterea, quo monilibus ferreis afficiebat, & catenis vinciebat, fenum poſt multos dies in eſcam præbens, humanitatem multam eſſe putabat. Quot autem in tenebroſis & umbra mortis, in fœtoribus mortiferis includebant, nec tegebant, cum facerent? ſed glorianteſ, & cachinnantes magna voce, neſcientibus cum feritate atque jactantia loquebantur, ludentes. Et rogati ut talibus miſericordiam præberent, magis inſaniebant, ac deterius cauſabantur. Alios etiam in extremitates orbis, & in alienigenarum loca fecit exiliari. His atrocitatibus ſubmiſſi nos, & in ſummum ſacerdotem noſtrum, & in eos qui cum illo perſeverabant, pejora his & ſæviora committi videntes, afflicti & fatigati ſumus, videlicet tam in aliis fieri hæc aſpicientes, quam ipſi talia patientes; ideoque deterriti incidimus ſeductionem & errorem atque vim ſæviſſimam; & non ſponte fecimus quæ dicere confitentes confundimur. Sed omnia hæc facta ſunt in nos, neceſſitate ab eo & vi non ceſſante, voluntateque noſtra ſe nullo modo flecti conſentiente: lacrymis enim & gemitibus penitus replebamur & facientes, & poſtquam faciebamus. Sed eſt nobis ſpes ſalutis non ex operibus noſtris, neque ex juſtitia quam fecimus, neque enim fecimus: licet enim reſtiterimus, & multam vim perpeſſi, multiſque tormentis ſubacti ſimus, in finem tamen in miſeriis non ſubſtitimus. Eſt ergo ſpes ex eo, quo vos eſtis imitatores Dei, & qui vos miſerunt, atque dominus & ſummus ſacerdos noſter ſimili modo. Etenim & Deus luxurioſum filium propterea in paradigma poſuit, (Luc. 15.) qui, omni vita ſua male conſumpta, veniens ad patrem ſuum, ſuſceptus eſt, & non utcumque, ſed cum ſymphonia, & epulis & veſtitus a proprio patre, priſtinum indumentum & primam ſtolam recepit: ut daret formam temperantiæ ac moderationis faciendæ ſuper nos, qui recidimus: & publicanum humiliatum juſtificavit, & meretricis lacrymas ſuſcepit, atque latronis confeſſionem admittens, hunc ipſo die in paradiſum introduxit. (Luc. 18. Luc. 7. Luc. 23. Matth. 20.) Hos vero qui in vinea pondus totius diei ſuſtinuerunt, & qui una hora tantummodo perſeveraverunt, ut media prætereamus, pari fecit dignos mercede: ac ei cui multum debebat, & cui pauca, ex æquo donavit, ut ad majorem dignitatem attraheret, quibus multum dimiſit. (Luc. 7.) Cum hujuſmodi ſpe in humilitate animæ, & contritione cordis, ad ſanctitatem veſtram accedentes, hunc vobis libellum dedimus, non in labiis doloſis, neque in dolo mentis. Ipſe Deus teſtis eſt, qui etiam vades eſt noſter: ſed ex ſinceritate ac munditia ſperantes in miſeratione Dei noſtri, qui hominem amat, & interceſſiones ſanctæ ac intemeratæ Dei genitricis Mariæ, & ſanctorum apoſtolorum, & beatiſſimi ac ſanctiſſimi papæ † Nicolai, atque ſancti patris noſtri & ſummi ſacerdotis Ignatii, veſtræque beatitudinis orationes, nec non & ſanctiſſimorum vicariorum orientis, jam non taliter nos expaveſcere, ſed manum accipientes a vobis, quæ nos confortet, & in rectitudine ſtatuat; & quantum ex propoſito uſque ad ſanguinem decertare in eccleſiaſticis cauſis, ut & culparum quas fecimus, ex hac correctione, * in ſatisfactione cordis indulgentiam percipiamus:

† [illegible]

† Ignatius enim filius imperatoris Michaelis, & nepos imperatoris Nicephori fuit.

† Nota quod non ſolum interceſſiones Dei genitricis & apoſtolorum, verum etiam ſanctiſſimi quondam papæ Nicolai ſe ſperare fatentur.

* *alias* & ſatisfactione cordis.

ANNO CHRISTI 869.

mus: & non ulterius Photio, vana ſapienti, A
vel conſentaneis ejus, dum permanſerint in
execratione ſua, & ſanctæ Dei catholicæ eccle-
ſiæ diſſonaverint; concordabimus, nec erroris
ejus & ſeductionis turbulenta fluenta guſtabi-
mus. Ecce enim ea, quæ ab ipſo bibimus, &
amarum & doloſum, ac exitiale poculum ex-
ſpuentes, noſmet in hanc ſanctam ſynodum pro-
jicimus, profitentes etiam accepturos nos eſſe
libenter a ſanctiſſimo ſummo ſacerdote noſtro
epitimium definitum. Si autem poſt hanc ere-
ctionem, quæ in nos ſine calliditate atque con-
turbatione facta eſt, nos callide agere contra
eccleſiam Dei in aliquo voluerimus; ſit nobis
depoſitio a Patre, & Filio, & Spiritu ſancto,
& nulla ad erectionem ulterius revocatio. Do- B
natus ſanctiſſimus epiſcopus Oſtiæ, & Stepha-
nus ſanctiſſimus epiſcopus Nepæ, & Marinus
Deo amiciſſimus diaconus ſanctæ Romanorum
eccleſiæ vicarii Romani interrogaverunt epiſco-
pos: Cujus eſtis conſecratio? Epiſcopi dixe-
runt: Diximus quia beati Methodii, & ſanctiſ-
ſimi Ignatii. Sanctiſſimi vicarii Romani dixe-
runt: Suſcipimus vos ſecundum præceptionem
ſanctiſſimi papæ noſtri Hadriani propter confeſ-
ſionem libelli pœnitentiæ veſtræ. Reverendiſſi-
mi epiſcopi dixerunt: Et nos adoramus vos, &
ſuſcipimus vos judices, & judicium veſtrum tam-
quam ex perſona Filii Dei habemus. Sanctiſſimi
vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Quot eſtis nu-
mero? Illi autem dixerunt: Et antea diximus C
quia neſcimus. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ
dixerunt: Ecce ſancta Romana eccleſia non clau-
dit viſcera ſua omnibus vobis, ſi offertis libellum
ex toto corde veſtro. Et iterum iidem ipſi ſan-
ctiſſimi vicarii ſenioris Romæ ad epiſcopos dixe-
runt: Detulimus libellum a ſancta Romana ec-
cleſia, a ſanctiſſimo papa Hadriano, mandatum
ab eo accipientes, exigere a vobis fieri ipſum li-
bellum, & ſic vos ſuſcipere: vultis ergo facere
quod juſſum eſt a ſanctiſſimo papa Hadriano? Epi-
ſcopi dixerunt: Volumus, & placet nobis, &
ſubſcribimus. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ
dixerunt: Volumus & jubemus relegi eum in con-
ſpectu omnium. Et accipiens Stephanus Deo ami-
ciſſimus diaconus & notarius legit libellum Græ- D
ce, qui a Romano fuerat tranſmiſſus, qui etiam
in prima lectus eſt actione. Et poſt lectionem ſan-
ctiſſimi vicarii ſenioris Romæ ad epiſcopos dixe-
runt: Libellum hunc audiſtis? Placet vobis? Scri-
bite illum. Suſcipitis omnia quæ edita ſunt a ſan-
cta Romana eccleſia? Reverendiſſimi epiſcopi di-
xerunt: Placet, ſcribimus, & ſuſcipimus omnia.
Donatus reverendiſſimus epiſcopus Oſtienſis, &
Stephanus ſanctiſſimus epiſcopus Nepeſinus, &
Marinus reverendiſſimus diaconus ſanctæ Roma-
næ eccleſiæ, dixerunt: Et ſcribite eum. Et ſuſ-
cipiens Theodorus Cariæ, ſcripſit illum. De-
inde ſimiliter Euthymius Catanæ, Photius Na-
coliæ, Stephanus Cypriorum, alter Stephanus
Cilyræ, Theodorus Sinopes, Euſtachius Aemo- E
niæ, Xenophon Milaſſi, Leo Daphnuſiæ, Pau-
lus Meles; omnes iſti ſcripſerunt Romanum li-
bellum, & dederunt hunc ſanctiſſimis vicariis
Romanis, etiam cum ſubſcriptione teſtium. Et
poſt hoc Thomas & Helias ſanctiſſimi vicarii
orientis ad ſanctiſſimos vicarios Romanos dixe-
runt: Omne quod diſpoſuiſtis placet nobis. San-
ctiſſimi vicarii Romani dixerunt: Quoniam bo-
num diligitis, ideo, fratres noſtri venerandi,
placet nobis & veſtra diſpoſitio. & rurſus iidem
epiſcopi ad orientales vicarios dixerunt: Si vide-
tur vobis bonum eſſe, detur decidentium epi-
ſcoporum pœnitentiæ libellos. Patriarchæ ſan-
ctiſſimi vicarii orientis dixerunt: Videtur no-
bis eſſe bonum. Ignatius ſanctiſſimus patriar-
cha Conſtantinopoleos dixit: Ponatur libellus
ſuper precioſa ligna, & ſancta euangelia, &
ſic eum accipiant, & dent mihi. Sanctiſſimi
vicarii ſenioris Romæ una cum orientalibus di-
xerunt: Ponatur. Et ponentes epiſcopi libel-
lum ſuper ſancta euangelia, & precioſa li-
gna, & rurſus ſumentes eum, dederunt Igna-
tio ſanctiſſimo patriarchæ Conſtantinopoleos:
& ſumens patriarcha ſuperhumeralia, tradidit
eis. Primo autem omnium dedit Theodoro me-
tropolitæ Cariæ, & dixit ei: Ecce ſanus fa- Jo. 5.
ctus es, jam noli peccare, ne deterius tibi ali-
quid fiat. Theodorus reverendiſſimus metro-
polita Cariæ dixit: Confugimus ad ſanctitatem
tuam tota anima, & mente munda, tradentes
propria manu libellum confeſſionis noſtræ, ac
profitentes uſque ad totam vitam noſtram con-
ſervare quæ illic ſcripta ſunt inconvulſa. Igna-
tius ſanctiſſimus patriarcha Conſtantinopoleos di-
xit: Bene ac decenter feciſtis, filii dilectiſſimi
noſtri. Ecce ſuſcipio vos, ſicut miſericors & be-
nevolus pater prodigum filium ſuum reverſum ad
pœnitentiam; propterea quia & ſancta Romano-
rum eccleſia benigniori affectu mota eſt erga reve-
rentiam veſtram, quibus & concordaverunt et-
iam orientales ſedes. Et poſt hoc Theodorus re-
verendiſſimus epiſcopus Sinopæ dixit: Non ſo-
lum epitimiis ſumus digni, ſed & pœnis; ſed mi-
ſericordia tua magna eſt domine. Xenophon re-
verendiſſimus epiſcopus Milaſſi dixit: Cum ſim
multis pœnis dignus, ſuperhumerale accipio. Et
poſtquam acceperunt ſuperhumeralia ſua, ſede-
runt ſinguli in ordine ſuo. Et iterum Paulus Deo
amiciſſimus chartophylax ſtans in medio dixit:
Poſtquam ingreſſi ſunt in hanc ſanctam ſyno-
dum epiſcopi, qui ceciderunt, ecce præſto ſunt
& presbyteri, habentes eumdem libellum, &
rogantes ſanctitatem veſtram, ut intrent in hanc
ſanctam ſynodum: quid ergo placet ſanctitati
veſtræ? Sancta ſynodus dixit: Cujus conſecra-
tionem habent? Paulus Deo amiciſſimus char-
tophylax dixit: Beatiſſimi Methodii, & ſanctiſ-
ſimi Ignatii. Sanctiſſimi vicarii dixerunt: Intrent.
Et intraverunt, Thomas primus presbyterorum,
Coſmas ſecundus atque defenſor, Pantaleo pres-
byter, Joachim presbyter & defenſor, Megiſtus
presbyter, Nicephorus presbyter, Theodoſius
presbyter, Epiphanius presbyter, Theophylactus
presbyter, Siſinnius presbyter, Gregorius presby-
ter, & paria epiſcopis facientes, tradiderunt li-
bellum pœnitentiæ: deinde ſcribentes & ipſi Ro-
manum libellum, ſuſceperunt a patriarcha oraria
ſua, dicente ad eos: Cognoſcite quia verax homo
ſum, & ſermo meus finem habet. Ecce enim ma-
gnam meruiſtis compaſſionem & veniam a ſancta
Romanorum eccleſia, & omnibus nobis. Poſt-
quam ergo ingreſſi ſunt epiſcopi ac presbyteri,
rurſus ſtans Paulus Deo amiciſſimus chartophy-
lax in medio dixit: Similiter & diaconi, qui ce-
ciderunt, habentes præ manibus libellum pœni-
tentiæ, deprecantur ſanctam ſynodum ut in-
troeant. Sancta ſynodus dixit: Cujus conſecratio
ſunt? Paulus Deo amiciſſimus chartophylax di-
xit: Beatiſſimi Methodii & ſanctiſſimi Ignatii,
Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ & orientis, ac
ſancta & univerſalis ſynodus, dixerunt: Intro-
eant. Et introierunt, Conſtantinus diaconus,
Joannes diaconus, Stephanus diaconus, Mi-
chael diaconus, Chriſtophorus diaconus, Leo
diaconus, Theodoſius diaconus, Nicolaus dia-
conus,

ACTIO II. CONC. VIII. GENER.



ANNO CHRISTI 869.

conus, Sophronius diaconus. Et ait Ignatius A
ſanctiſſimus patriarcha ad eos: Utique ex pro-
poſito feciſtis libellum quem fertis? Reveren-
diſſimi diaconi dixerunt: Deus ſcit, domine,
quia ex multa alacritate illum fecimus; ipſe enim
novit conſcientias noſtras quomodo erant circa
ſanctitatem tuam, cum tyrannidem patereris.
Quæ vero Photio fecimus, coacte ac inviti feci-
mus; ſed gratias agimus Deo, & ſanctitati tuæ,
o domine, quia non retribuiſti nobis ſecundum
peccata noſtra, & culpas noſtras; ſed compaſſus
nobis, miſeratus & miſertus es noſtri, & dimi-
ſiſti nobis peccata noſtra. Et facientibus eis ſimi-
lia epiſcopis, & presbyteris. & accipiens patriar-
cha oraria ipſorum, reddidit eis. Et poſt hoc,
iterum ſtans in medio Paulus Deo amiciſſimus B
chartophylax dixit: Venerunt & ſubdiaconi qui
ceciderunt in ſanctam hanc ſynodum, eumdem
libellum præ manibus habentes, ingredi poſtu-
lantes. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ & o-
rientis dixerunt: Ingrediantur, placet enim no-
bis. Et ingreſſi ſunt, Thomas † domeſticus ſub-
diaconorum, Euſtachius, Stephanus, Photinus,
Joannes, Paulus, Thomas: & facientibus ſi-
milia pari modo, dedit & ipſis proprii honoris
inſignia. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixe-
runt: Secundum formam hanc, ſecundum quam
hodierna die ſuſcepimus epiſcopos & presbyte-
ros, & diaconos, & ſubdiaconos qui ceciderunt,
ſuſcipi deinceps decernimus omnes qui ſimiliter
peccaverunt, & pœnitentiam agunt. Et poſt hæc C
ſanctiſſimus patriarcha Ignatius dixit: Epitimia
quæ indicta ſunt iis qui ceciderant epiſcopis &
presbyteris, & diaconis, & ſubdiaconis, ab hac
ſancta & univerſali ſynodo, in audientiam o-
mnium legantur; quatenus fiant omnibus mani-
feſta. Et accipiens Stephanus diaconus & nota-
rius legit: Sit remedium, & ſalutem animæ
ferens, ac valde diſcretum epitimium ſacerdo-
tum qui per multam conſuetudinem ceciderunt,
& negaverunt propria chirographa, quæ bene
ac regulariter edita ſunt ad ſpiritalem conflictum,
& unitatem ſanctæ catholicæ eccleſiæ. Si quidem
carnibus veſcuntur, abſtinere ſe a carne, caſeo,
& ovo: ii vero qui carnes non comedunt, abſti-
nere a caſeo & ovo, & piſcibus quarta feria, & D
paraſceve, * legumina & olera cum oleo, & pau-
co vino, facereque genuflexiones quinquaginta
per ſingulos dies, & dicere Kyrie eleyſon, cen-
ties, &, Domine peccavi, centies, &, Domine
ignoſce mihi peccatori, centies; recenſereque
ſextum pſalmum, & trigeſimum ſeptimum, &
quinquageſimum: hæc mando tibi cuſtodire uſque
ad Chriſti nativitatem, non autem habeas poteſta-
tem miniſtrandi, nec agendi quoquo modo quæ
ſacerdotum ſunt, & tunc in natalitiis magni Dei
& ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti recipies ſacerdo-
tium tuum, & mecum eris ſacerdotio fungens, &
miniſtrans immortali æterno Deo. Et poſt le-
ctionis epitimiorum completionem, rurſus ipſe
Stephanus collaudavit: Multos annos imperato- E
rum Baſilii & Conſtantini: Magnorum dictato-
rum & imperatorum multos annos: Orthodoxo-
rum imperatorum multos annos: Pacificorum im-
peratorum multos annos: Depoſitorum injuſti-
tiæ multos annos: Hoſtium mendacii multos an-
nos: Amatorum & fautorum veritatis & juſtitiæ
multos annos: Nicolai beatiſſimi papæ Romani
æterna memoria: Hadriani orthodoxi papæ Ro-
mani multos annos: Ignatii orthodoxi patriar-
chæ Conſtantinopoleos multos annos: Ortho-
doxi ſenatus multos annos: Sanctæ & univerſalis
ſynodi æterna memoria. † Deus depoſuit molimi-
na Photii, quæ incipiunt in divino loco, & ſimul
depoſuit eum, ut mendacii amicum & conculca-
torem venerandæ figuræ.

† Primum ſubdiaconorum Græci domeſticum vocit, quem Romani ob ſtationarii.

* forte deeſt edere.

† Jambici verſus hi ſunt apud Græcos.

---

## ACTIO TERTIA.

IN nomine domini & dominatoris Jeſu Chriſti
veri Dei & ſalvatoris noſtri. Conſulatus a Deo
coronatorum dominorum noſtrorum, Baſilii qui-
dem anno tertio, Conſtantini autem filii ejus
anno ſecundo, imperatorum perpetuorum Au-
guſtorum, indictione tertia, quinto Idus Octo-
bris. Propoſitis & vivificis lignis, & intemeratis
ſalutis noſtræ euangeliis in dextris partibus cate-
chumeniorum opinatiſſimi templi ſanctæ ac ma-
gni nominis Sophiæ, convenientibus autem Do-
nato Deo amiciſſimo epiſcopo Oſtienſi, & Ste-
phano Deo amiciſſimo epiſcopo Nepeſino, ac
Marino reverendiſſimo diacono ſanctæ Romanæ
eccleſiæ: locum habentibus Hadriani ſanctiſſimi
& beatiſſimi archiepiſcopi ſenioris Romæ, &
Ignatio honorabiliſſimo archiepiſcopo magni no-
minis Conſtantinopoleos novæ Romæ, ac ſan-
ctiſſimis vicariis orientis, Thoma ſcilicet ſanctiſ-
ſimo metropolita Tyri, locum habente ſedis An-
tiochiæ, eo quod viduata eſſet eadem eccleſia, &
Helia Deo colendiſſimo presbytero & ſyncello,
locum poſſidente Theodoſii ſanctiſſimi archiepi-
ſcopi ſedis Hieroſolymorum: deinde per juſſio-
nem amicorum Chriſti & Dei cultorum magno-
rum imperatorum Baſilii & Conſtantini; præſen-
tibus & audientibus etiam magnificentiſſimis prin-
cipibus, videlicet Chriſtophoro magnificentiſ-
ſimo magiſtro, Babane magnificentiſſimo patri-
cio & præpoſito, Paulo magnificentiſſimo pa-
tricio & præfecto, Leone magnificentiſſimo pa-
tricio & domeſtico excubitorum, Joanne magni-
ficentiſſimo patricio & logotheta * acuti curſus, * lege veloris.
Manuele magnificentiſſimo patricio, Theophy-
lacto magnificentiſſimo patricio, Petronate ma-
gnificentiſſimo patricio, Oreſte famoſiſſimo pro-
toſpathario & domeſtico icanatorum: conſiden-
tibus autem & Deo amiciſſimis epiſcopis, id
eſt, Nicephoro Deo amiciſſimo metropolita
Amaſiæ, Niceta Deo amiciſſimo metropolita
Athenarum, Metrophane Deo amiciſſimo Smyr-
næ, † Theodoro Deo amiciſſimo metropoli-
ta Cariæ, Euthymio Deo amiciſſimo metro-
polita Catanæ, Michaele Deo amiciſſimo me-
tropolita Rhodi, Photio Deo amiciſſimo Na-
coliæ archiepiſcopo, Athanaſio Deo amiciſſi-
mo epiſcopo Anſii Magneſiæ, Georgio Deo
amiciſſimo epiſcopo Heliopoleos, Stephano ami-
ciſſimo epiſcopo Cibyræ, Niceta Deo amiciſſi-
mo epiſcopo Cephaludis, Stephano Deo ami-
ciſſimo archiepiſcopo Cypſallorum, Theodoro
Deo amiciſſimo epiſcopo Sinopæ, Baſilio Deo
amiciſſimo epiſcopo Pyrgii, Gregorio Deo ami-
ciſſimo epiſcopo Meſinæ, Euſtathio Deo ami-
ciſſimo Æmoniæ, Xenophonte Deo amiciſſimo
epiſcopo Milaſſi, Leone Deo amiciſſimo epiſco-
po Daphnuſiæ, Petro Deo amiciſſimo epiſcopo
Troadis, Samuele amiciſſimo epiſcopo Antri,
Antonio Deo amiciſſimo epiſcopo Aliſeos, Ni-
cephoro Deo amiciſſimo epiſcopo Crotonæ,
Michaele Deo amiciſſimo epiſcopo Cercyrorum.
His ita convenientibus, ſurgens Metrophanes
Deo amiciſſimus metropolita Smyrnæ, una
cum Nicephoro Deo amiciſſimo metropolita A-
maſiæ, & Niceta metropolita Athenarum, di-
xit: Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fa-
cere

ACTIO III. CONC. VIII. GENER.

† Quamvis ipſe Theodorus poſt ſcriptum Romanum libellū, inducta culpa, quam contra patriarcham Ignatium, ab illo recedendo, & contra ſubſcriptionem ſuam agendo commiſerat, per libellum pœnitentiæ acceptus ſit; poſtea tamen deprehenſus, quod in depoſitione ac anathemate papæ Nicolai ſcripſerit, ab univerſa ſynodo ſola pro hac cauſa dejectus eſt, duntaxat B. Petri judicio reſervatus.

ANNO CHRISTI 869.

cere Paulus magnus apoſtolus jubet & ſancit. Videtur autem omnibus nobis honeſtum eſſe, ac perfecto ordini proximum, ut deinceps hæc ſancta & univerſalis ſynodus audiat epiſtolas amici Chriſti imperatoris noſtri, quas miſit ad ſanctiſſimum papam Romanum, & orientis præſules; & rurſus ſanctiſſimi patriarchæ noſtri, deinde beatiſſimi papæ Hadriani ad ſanctiſſimum dominum noſtrum; ut & ſancta ſynodus ſatisfactionem adhuc majorem accipiens, glorificet Deum, qui cooperatus eſt piiſſimo imperatori noſtro in conciliis & optimis ſtudiis, gratiaſque agat & ſanctiſſimo patriarchæ noſtro, & vobis ſanctiſſimis vicariis. Donatus & Stephanus ſanctiſſimi epiſcopi; & Marinus reverendiſſimus diaconus, vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Audivimus quia ſunt quidam errantes ex conſecratione beatiſſimi Methodii, & ſanctiſſimi Ignatii, & neſciunt quid ſit pietas & miſericordia ſanctæ Dei eccleſiæ atque judicium; & ideo renuunt ſcribere Romanum libellum, quem miſit ſanctiſſimus papa Hadrianus. Ante omnia ergo mandamus bono cultui veſtro, ut eatis ad eos, & ſecundum canonicam auctoritatem accerſatis eos, ita dicentes: Sancta ſynodus advocat vos, ut faciatis quod decretum & cenſitum eſt auctoritate, & ſuſcipiamini a ſancta ſynodo; neque enim vult claudere viſcera ſua; invitat ergo vos venire; ac ſecundum libelli ſatisfactionem facite, quemadmodum & ceteri fratres veſtri fecerunt; & ſuſcipit vos ſancta & univerſalis ſynodus. Thomas & Helias ſanctiſſimi vicarii orientalium ſedium dixerunt: Secundum ſolitas & canonicas præceptiones apoſtolorum ac ſanctarum ſynodorum & nos providemus, nutu miſericordiæ ducti, ut adſciſcantur ad hanc viam ſalutis, ad quam & fratres eorum * ſuccurrerunt. Congruum ergo eſt, ut eatis ad eos, & provocetis illos ad ſalutem animarum ſuarum. Dicite itaque eis cum benevolentia & convenienti fraterno affectu: Advocamus vos; ſi ergo feceritis quæ videntur ſanctæ ſynodo, introite in ea, & ſuſcipiet vos. Et abeuntes Metrophanes Deo amiciſſimus metropolita Smyrnæ, & Nicephorus Deo amiciſſimus metropolita Amaſiæ, ac Niceta Deo amiciſſimus metropolita Athenarum, dixerunt quæ ſibi fuerant imperata ad Theodulum reverendiſſimum metropolitam Ancyræ, & Nicephorum reverendiſſimum metropolitam Nicææ; qui reſponderunt ita: De propoſita ſubſcriptione rationem reddimus ſanctitati veſtræ, quia propter rationabiles & irrationabiles ſubſcriptiones, quæ ante factæ ſunt, gravati definivimus nos, & vinculum impoſuimus non ulterius ſubſcribere, præter id quod ſubſcripſimus, & profeſſi ſumus fidei noſtræ ſymbolum, quod jacet in chartophylacio venerabilis patriarchæ, tempore conſecrationis noſtræ. Propter quod dicimus vobis, & rogamus ſanctam ſynodum, ſi poſſibile eſt, indulgeat nobis quod deliberavimus conſervare uſquedum vixerimus. Deo amiciſſimis metropolitis deferentibus hujuſmodi reſponſionem, ſanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Legatur reſponſio eorum in audientiam omnium. Et accipiens Thomas venerabilis ſubdiaconus ac devotus vicarius in auditionem ſanctæ ſynodi legit. Et iterum vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Legatur † epiſtola a Deo muniti imperatoris noſtri, quam miſit ad ſanctiſſimum papam Nicolaum. Et accipiens Theodorus devotus a ſecretis legit.

* alias currerunt.

† Ad Hadrianum miſſam dicunt, quoniam Papa Hadrianus ſuſcepit, quæ tamen ad Nicolaum fuerat ſcripta.

ACTIO II. CONC. VIII. GENER.

*In nomine Patris, & Filii, & ſancti Spiritus unius, & ſolius, & veri Dei, Baſilius fidelis imperator Romanorum Nicolao ſanctiſſimo papæ Romano, & ſpirituali quoque patri noſtro.*

QUaliter ſe habet mentis noſtræ voluntas ſuper eccleſiaſticis negotiis noſtris, o divinum & ſacrum atque inſtar Aaron reverendum caput, in priori epiſtola innotuimus. Neſcientes autem, ſi ſanctis veſtris, & ſecundum Moyſen Deo gratiſſimis, ſit poſita palmis (multæ namque in longinquo itinere impedientes accidunt cauſæ) neceſſarium conſpeximus primum quæ in eadem continebantur epiſtola in brevi commemorare, & nunc quæ defuerunt ſupplere. Habebat itaque in quibus malis eccleſiam noſtram, quando imperii divinis orationibus veſtris gubernacula ſuſcepimus, invenerimus male jacentem, inſanabiliter languentem, legitimo rectore denudatam, tyrannide detentam, alieni paſtoris ſervituti ſubjectam, omnia inſtar ancillæ patientem magis, quam more reginæ quidquam gerentem. Hæc ſunt quæ illa ſignificabat epiſtola. Et quædam a nobis agenda fore viſa ſunt, quædam vero paternæ ſanctitati veſtræ penitus relinquenda. Verum nobis nihil amplius debere fieri viſum eſt, niſi, ut Photius quidem a ſede removeretur, & ſecum quieſcere hortaremur: quippe qui multa contra veritatem, & contra ſacrum pontificium veſtrum commovit; in tantum enim rabies illius profecit. At vero Ignatius ſanctiſſimus & ſpiritalis pater noſter, qui clare injurias & tyrannidem pertulit ſecundum judicium & juſtificationem, quæ in diverſis epiſtolis veſtris inventa eſt (quamquam per eaſdem literas vix nunc omnibus manifeſtum conſtituimus: ſic enim ipſæ literæ obrutæ, & nullatenus quibuſdam oſtenſæ fuerint ab iis qui ante nos principatum tenuerunt) per æquam & juſtam veritatem ad proprium thronum revocaretur: reliquis autem finem imponendum, immo vero & hæc eadem approbandum, atque horum ſequentia terminandum, ſpirituali ſanctitati veſtræ dimiſimus. Videlicet de his ſacerdotibus qui ex utraque parte peccaverunt, & ante a ſanctiſſimo patriarcha Ignatio conſecrati ſecundum ſcripturæ ſuæ confeſſionem, in veritate minime permanſerunt, quam qui a Photio viro impudenti manus impoſitionem ſuſceperunt: nec non & de his ſummis ſacerdotibus, & ſacerdotibus, atque abbatibus, qui diverſimode ſcripſerunt: quorum quidem alii vi vel tyrannide, alii vero ſimplicitate aut levitate, quidam vero ſeductione ac verſutiis, quidam vero muneribus & honoribus diverſimode decepti ſunt. Pauci enim † ſuperiores laqueo illius prorſus effecti ſunt, immo vero dicendum eſt, quia pæne omnes ſacrati, tam priores, quam poſteriores, qui ſub nobis ſunt, male, & ut non oportebat tractati ſunt. De quibus decretum & judicium mittere paternam ſanctitatem veſtram * præſcribentes popoſcimus, & nunc expetimus: addentes huic epiſtolæ pro his, qui ceciderunt benigniſſimam poſtulationem, & maxime de iis qui pœnitentiæ locum requirunt, & ad legitimum ſummum ſacerdotem recurrunt: quatenus non eccleſiæ noſtræ ſummis ſacerdotibus, & ſacerdotibus qui ſub omni regimine noſtro conſiſtunt, commune occurrat naufragium, propemodum univerſis illis de falſis & importabilibus guſtantibus iniquitatis rheumatibus. Super his itaque poſtulamus compatientiſſimum ſacerdotium

† Id est, [illegible]

* hoc eſt, [illegible] ſcribentes.



ANNO CHRISTI 869.

* ut veniam acciperet ab eo.

dotium tuum, ut manum porrigat humanitatis, & eorum diſpenſet ſalutem, qui proprium dumtaxat peccatum pronuntiant, * & veniam accipere de eo qui male ac nequiter ab ipſis moleſtatus eſt ſummo ſanctiſſimo ſacerdote depoſcunt: eos enim qui permanent in malitia, & nolunt ad veritatis ſemitam repedare, nullus modus vel ratio a condemnatione liberabit. Ut autem manifeſta etiam iis qui ex ſorte ſunt Photii veſtra divina & apoſtolica fiat ſententia, tam de ſanctiſſimo patre noſtro & patriarcha Ignatio, quam de miſerrimo Photio, deſtinati ſunt ab amabili Chriſto imperio noſtro ad paternam ſanctitatem veſtram ab utraque parte apocriſiarii; a ſanctiſſimo quidem patriarcha Ignatio Joannes metropolita Silæi, a Photio vero Petrus metropolita Sardis, cum quibus & a divinitus munito imperio noſtro miſſus eſt Baſilius ſpatharius; quos volumus ut paterna ſanctitas veſtra ſuſcipiat, & in conſpectu epiſcoporum, qui ex utraque parte directi ſunt, quæ videbuntur ſanctitati tuæ eccleſiaſticis legibus atque canonibus de ſummis ſacerdotibus, & ſacerdotibus ſanciat: cum hiſque mittat nobis reverendiſſimos apocriſiarios, ut certificetur expreſſius & purius ſanctiſſima eccleſia noſtra, cujus voluntatis ſanctitas tua ſuper utriſque conſiſtat. Ita pater ſpiritalis, & divinitus honorande ſumme pontifex, accelera pro eccleſiæ noſtræ correctione & conflictu contra injuſtitiam atque ad veritatis ſatisfactionem multam nobis congeriem bonorum donare, id eſt unitatem mundam, compagem ſpiritalem ab omni contentione ac ſchiſmate liberam, eccleſiam in Chriſto unam, & ovile uni obſecundans paſtori, cujus tu miniſter ac immolator exiſtis veriſſimus. Saluto ſanctum & deſiderabile mihi caput quaſi labiis per literas. Vale. Miſſa eſt menſe Decembris, die undecimo.

Nicolaus P. obierat die 13. Novemb. H.

Et poſt lectionem prædictæ epiſtolæ accipiens Stephanus Deo amabilis diaconus & devotus notarius epiſtolam ſanctiſſimi patriarchæ Ignatii, quam ad ſanctiſſimum papam Hadrianum miſerat, legit:

Iſta epiſtola miſſa quidē eſt Nicolao, ſed eo defuncto ſuſcepit Hadrianus.

*Deo honorabili, dilecto fratri & comminiſtro Nicolao ſanctiſſimo papæ ſenioris Romæ Ignatius miſericordia Dei archiepiſcopus Conſtantinopolitanus.*

EOrum vulnerum atque livorum qui in membris hominis conſiſtunt multos medicos protulit ars; hanc quidem paſſionem alio accipiente, & alteram altero, & per experientiam amputante, & medente; eorum vero quæ in membris ſunt Chriſti & Dei ſalvatoris, omnium noſtrum capitis, & ſponſæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, unum & ſingularem præcellentem atque catholiciſſimum medicum ipſe princeps ſummus, & fortiſſimus ſermo, & ordinator, & curator, & ſolus ex toto magiſter Deus omnium produxit, videlicet tuam fraternam ſanctitatem, & paternam almitatem: propter quæ dixit Petro magno & ſummo apoſtolorum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et iterum: *Tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis.* Tales enim beatas voces non ſecundum quamdam utique ſortem apoſtolorum principi ſolum circumſcripſit & definivit, ſed per eum ad omnes qui poſt illum ſecundum ipſum efficiendi erant ſummi paſtores, & diviniſſimi ſacrique pontifices ſenioris Romæ, tranſmiſit: & ideo ab olim & priſco tempore in exortis hæreſibus & prævaricationibus eradicatores & interemptores malorum zizaniorum, & tabefactorum, & penitus inſanabiliter ægrotantium membrorum, multi multoties facti ſunt eorum, qui ſanctitatem & ſummam paternitatem tuam illic præceſſerunt; ſucceſſores ſcilicet principis apoſtolorum, & illius zelum in fide, quæ ſecundum Chriſtum eſt, imitantes: & nunc noſtris temporibus beatitudo tua digne tractavit datam ſibi a Chriſto poteſtatem. Et quemadmodum quis peritus belli, & optimus prætor, ſanctiſſime & amantiſſime frater noſter, omnibus potentiorem, & omnia vincentem veritatem, tamquam quædam valde fortia & inexpugnabilia proponens arma, hujus æmulos dejeciſti, & cum Chriſto & per Chriſtum mundum viciſti, & eum qui divina furatus eſt, & diſpoliavit aliena, & per feneſtram in atrium ovium more latronum intravit, & prædatus eſt animas multorum, deinde etiam ſe arroganter extulit, & cervices erexit contra Deum omnipotentem, & in tantum jactanter elatus eſt, ut conventum ſine ſubſiſtentia & ſine perſona fingeret contra irreprehenſibile & diviniſſimum & ſacrum pontificium tuum, quemadmodum fabula hippocentauros & tragelaphos; quod etiam latenter ad principem miſit. Hujuſmodi ergo non ſanctum operatorem, atque omni opere malo repletum, videlicet eum qui ſecundum antiphraſeos tropum Photius nominatur, opere manus pontificalis, & apoſtolicæ poteſtatis tuæ a communi eccleſiæ reſecaſti corpore, & ſummo te Petro æquiparans, tamquam novum Ananiam, ſententia potentium verborum tuorum occidiſti, & privationes ſpiritalis vitæ, ut alterum Simonem, per anathema morti tranſmiſiſti; & nos qui injuriam paſſi ſumus, ſicut juſtiſſimus & fratrum amiciſſimus, & juſte juſtificaſti, & eccleſiæ, quæ apud nos eſt, & proprio throno, propter quæ ſategiſti atque ſcripſiſti, utpote apoſtolicæ & ſummæ poteſtatis ſuſceptor, digne ac rationabiliter reſtituiſti, & fluctum qui hic inerat diſſipaſti, & tranquillitatem eccleſiis contuliſti. A Deo quippe provectus & a Chriſto dilectiſſimus & manſuetiſſimus & juſtiſſimus noſter imperator, voto & conſilio & decreto & judicio tuæ ſanctitatis, favens olim, etiam nunc alacriter obediens, ut filius veſter proprius, & fideliſſimus utrique, quæ digna ſunt exhibuit, & multa tribulatione feſſam noſtram ſenectutem, adhuc etiam omnes qui pro juſtitia Dei multas & varias tribulationes ſuſtinuerunt, imperialiſſima prudentia uſus, animavit & conſolatus eſt. Pro quibus omnibus gratificas laudes atque voces referentes ſuper omnia Deo, & veſtræ beatitudini, miſimus debite Joannem beatiſſimum & ſanctiſſimum metropolitam Sylæi, virum Dei cultorem, & divino intellectu repletum, qui etiam per totos novem annos pro verbo veritatis cum nobiſipſis perſecutionem & mala cetera paſſus eſt, & Petrum Dei amantiſſimum epiſcopum Troadis, qui eadem & ipſe paſſus eſt, & pariter decertavit cum † * regali homine, rationem ſimul vobis poſituros pro nobis, & quæ epiſtolæ deſunt viva voce adimpleturos & manifeſtaturos qualem & quantam & quam magnam dilectionem habeat & affectum humilitas noſtra circa fraternam ſanctitatem veſtram: ſimul autem & de ceteris eccleſiaſticis ordinibus accepturos, quæ Deo placeant, & veſtro intellectui & ſapientiæ & poteſtati diſtinctiones, atque diſpoſitiones. Duplex eſt enim ſacerdotalis catalogi conſecratio: nam quidam a nobis hanc ſuſce-

Matth. 16.

ACTIO II. CONC. VIII. GENER.

† Innuit imperatorem Ludovicum. a) Barda Cæſare. H.

ANNO CHRISTI 869.

ſuſce- erunt, & propria manu pro nobis ſua ſponte ſcripſerunt; quidam vero ab iniquo & interfectore Photio. Multi quidem de noſtra conſecratione, gratia Dei confortati, reſtiterunt ei fortiſſime, per nullum modum in inhonorantiam & contumeliam noſtram, & in eam quam putant depoſitionem communicantes; ſed & multas & varias tribulationes, & anguſtias, ac dira exilia, & cuſtodias perpetientes: quos præcipue ſuſcipiens & tua beatitudo, bene ſcio quod ſupremis extollat honoribus, ut certatores veraciter pietatis. Plures autem propria chirographa tranſgreſſi ſunt, & ceciderunt, & pro temporis & utilitatis ſuæ cauſa in omnibus Photii temeritatibus & malignis actibus ab initio uſque ad finem ſectatores & communicatores & cooperatores effecti ſunt, (B) frequenter contra nos ſubſcribentes, licet non voluntarie, ſed vim & tyrannidem paſſi. Sunt autem apud eos, qui contra veritatem poſtea in rabiem verſi, & quemadmodum quadam ſatanæ operatione furentes, validiſſimam etiam contra nos oſtenderunt inſaniam. Primum igitur de hujuſmodi imploramus dari diſpoſitionem; deinde de his qui ab illo manus impoſitionem ſuſceperunt, & ſecundum ea etiam ipſi ſimiliter per omnia fruſtra nequiter egerunt: inſuper de presbyteris, qui ex noſtra conſecratione conſiſtentes, ſemel ei communicaverunt, vel fortaſſis bis & ter ex arcta anguſtia, non tamen ſubſcripſerunt injuſtitiæ chirographo, & rurſus receſſerunt, & uſque in præſens voluntarie vacant: (C) adhuc etiam de iis qui cum communione etiam ſubſcriptionem geſſerunt, mox autem otium complexi ſunt: & ſuper hos etiam de his qui manus quidem impoſitionem a Photio & voluntarie & non voluntarie ſuſceperunt, reveriti tamen, ſacerdotio prorſus nullo modo functi ſunt. Porro manus impoſitionem ab eo accepit Cæſareæ Cappadociæ archiepiſcopus reverentiſſimus & perſeverantiſſimus Paulus poſt concilium vanitatis, quod contra humilitatem noſtram tenuit prius: in ſecunda vero ſynodo reproborum, ut dicit propheta, viriliter valde propugnans ob veritatem & triumphans, & divulgans eorum interfectricem mentem, & nullo tempore vel modo contra humilitatem noſtram ſubſcribens, (D) ſed ob idipſum multa paſſus, & multimodas neceſſitates ſuſtinens, alio quodam meliori ſcilicet affectu dignus habebitur a fraternitate veſtra. Hæc igitur ſunt capitula, pro quibus expoſcimus ſolutionem & ordinationem in ſcriptis mitti humilitati noſtræ. Inſuper autem & vicarios veſtræ beatitudinis epiſcopos dignos & rationabiles, ut cum eis bene & convenienter diſponamus eccleſiam, quæ apud nos eſt, quam providentia Dei per interceſſionem ſummi Petri, & inſtantiam atque interventionem veſtram recepimus: & accipiant negotia finem utilem & congruentiſſimum in gloria Dei, & veſtræ fraternæ ſanctitatis, Chriſtique imitatricis beatiſſimæ paternitatis.

(E) Et poſt lectionem hujus epiſtolæ, accipiens Marinus reverendiſſimus diaconus & vicarius ſenioris Romæ epiſtolam, quæ miſſa eſt a ſanctiſſimo Hadriano papa ad ſanctiſſimum patriarcham Ignatium, legit Latine, voce grandi in audientiam omnium, in Græcum ſermonem eam vertente ac interpretante Damiano reverendiſſimo regio clerico ac interprete.

(A) *Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri & comminiſtro noſtro Ignatio patriarchæ Conſtantinopolitano.*

ACTIO III. CONC. VIII GENERAL.

NEc ſcriptura pandere, nec profecto lingua ſufficit enarrare, quantas, o dilectiſſime frater, pro eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatu, atque pro tua ſpecialiter erectione, certaminum palæſtras deceſſor meus ſanctæ memoriæ papa Nicolaus cum ſubjecta ſibi eccleſia indeſinenter exercuit, & uſque ad melioris vitæ tranſitum toleravit, adeo ut in ipſo ſuæ migrationis articulo pro commendanda cauſa tua, vel eccleſiæ (B) tibi divinitus commiſſæ, nec ſcribendo ſibi pepercit, nec pro hac, ſi non loquendo, ſaltem innuendo, ceſſaverit; donec officium dumtaxat oris amitteret, & oculos penitus obſeraret. Cujus affectum & nos quoque ſumentes, ſicut divina gratia ei ſucceſſimus in honore, ita & merito ſucceſſimus in labore, & ſicut ſudorum ejus & diſpoſitionum tunc extitimus communicatores, ita quoque nunc optamus & ſatagimus eſſe in cunctis obſervatores. Quanto vero gaudio quantaque ſimus exultatione repleti, percipientes auditu, quod de ſanitatis tuæ recuperatione jugi geſtabamus affectu, nec os exprimere, nec calamus prævalet exarare. Unde benediximus Deo, & totius cordis jubilatione laudavi- (C) mus, excitanti videlicet dilecti filii noſtri Baſilii principis & Auguſti ferventiſſimum ſpiritum, non ſolum ad vindictam maleſactorum, verum etiam ad laudem bonorum, ſcilicet qui eripuit eccleſiam Dei, dum quotidie, quia non conſenſit adultero, traheretur tam ad corporis, quam ad animæ mortem, inſtar utique Danielis ſanctiſſimam eripientis Suſannam a ſententia mortis, quam impudici presbyteri, qui videbantur regere populum domini, non autem regebant, ſed potius Photii more perdebant, nequiter extorſerunt. Præterea quæ præfatus apoſtolicæ recordationis pontifex regulariter ac ſynodice tam de ſchiſmatico & mœcho Photio, & ordinatione, immo execratione ipſius, atque Syracuſano Grego- (D) rio, quam etiam de te ſpecialiter & de compatientibus tibi ſanxerit & definierit, tenore valebis ejus epiſtolarum, quas ſuper his diverſo tempore Conſtantinopolim deſtinavit, patenter ediſcere. Verum ſi ad notitiam tuæ beatitudinis non pervenerunt, a miſſis noſtris has accipiens, ad inſtructionem tuam & monumentum futurorum reſerva; cognoſcens interim, & certiſſime ſciens nos a decretis ejus nullo modo diſceſſuros, ſed ejus ſicut locum, ita & ſtudium poſſidentes, ipſius, quantum ratione magiſtra poſſumus, veſtigia ſecuturos: quatenus ad lucernam mandatorum ejus in hujus caliginoſi ſæculi loco gradientes, inoffenſis pedibus, Deo duce, incedere valeamus. Quamobrem & in his, (E) ſuper quibus a nobis diſpoſitiones & diſcretiones exigis, nil ſequendum præter ejus divinitus inſpirata decreta conſpicimus; præ omnibus & ſuper omnia Gregorium Syracuſanum, & Photium tyrannum & quos idem Photius in gradu quolibet ordinaſſe putatus eſt, ab epiſcoporum numero vel dignitate, quam uſurpative ac ficte dedit, merito ſequeſtrantes. Primo, quia Photius Maximo, & ordinatio ejus, vel potius execratio, iſtius ordinationi pæne in cunctis videtur eſſe ſimillima. Secundo, quia ſic ſe habet per deceſſorem meum apoſtolicæ ſedis decretum, cujus judicium nuſquam præcipiunt ſacri canones retracta-

Dan. 13.

ri,



ANNO CHRISTI 869.

ri, dum tamen conſeant eam in aliorum quæque renovanda ſeu definienda negotia perſcrutari: noſque convenit, ut prætulimus, ejus in omnibus conſtituta ſectari. Tertio, quia Photius vir forenſis, curialis, neophytus, invaſor, atque adulter, nec non & anathemate condemnatus exiſtens, nihil habuit, * ſe ſequentibus propinaverit. Photio certe, præſidente auctore, dictum eſt ab anathematizatis: Conſecratus non ſolum non accipit Spiritum ſanctum, ſed & quod antea habuit ſlamen aufertur ab eo: verum quamvis hoc tyranni Photii dictum favore, ipſeque ſuper hujuſmodi ſententia delectatus, cum male a ſe promotis, ei conſenſum præbuerit, quamvis etiam non iis, de quibus hoc fruſtra dictum eſt, valeat coaptari: (B) quia tamen veraciter dictum eſt, eorum magis damnationi procul dubio congruit, qui ab anathematizato & damnato Photio, per impoſitionem manus, non lucrum, ſed vulnus in capite ſuſceperunt. In quo ergo judicio judicaverunt, ſecundum euangelium, judicandum eſt de eis, & in qua menſura menſurati ſunt, eſt eis utique remetiendum, atque pro magno illis habendum, ſi ſaltem ſero ad te paſtorem ſuum, quem poſt Chriſtum olim jam, & per Chriſtum utique conſecuti ſunt, repedantes, ac ſine majori temporalique promotione, domino contrito corde humiliatoque ſpiritu famulantes, bona ſtuduerint expectare futura. Ceterum de Paulo Cæſarienſi, de quo ſermo a te multus eſt habitus, interim, quod de ceteris, qui a Photio promoti ſunt, decrevimus obſervandum, (C) jure ſtatuimus. Præterea perſecutionum tolerantia, vel palæſtræ certaminum quas adverſus tyrannum vel mœchum pro veritate multipliciter exercuiſſe teſtaris, ſuam habent profecto mercedem, & immarceſcibilem præſtolantur a cæleſtium bonorum largitore coronam. Sane cetera eccleſiæ beneficia largiſſime conſequatur, & honore competenti, tam apud ſanctimoniam tuam penes omnes, merito perfruatur. De his autem ſacerdotibus, vel clericis, qui a beatæ memoriæ patriarcha Methodio, vel a ſanctimonia tua conſecrati ſunt, hæc forma ſervabitur, ut ſiquidem ſunt inter eos qui gratia Dei confortante invaſori Photio reſtiterunt, per nullumque modum inhonorantiæ vel contumeliæ fraternitatis tuæ, aut putativæ depoſitioni communicaverunt, ſed & varias tecum ob hoc tribulationes & exilia, quin & depoſitiones pertulerunt; hos beatos, & ter beatos dixerim, & inter Chriſti confeſſores connumerandos decreverim; adeo ut habeant inſignem in ea, quæ apud vos eſt, eccleſia locum, & præcipua circa dilectionem tuam fiducia perfruantur: ita ut ſecundum multitudinem dolorum ipſorum, conſolationes tuæ animas eorum lætificent, more ſcilicet Dei qui reddet ſingulis ſecundum opera ipſorum. Porro ceteris qui ex conſecratione fraternitatis tuæ ſunt, & ſive ſponte ſive vi ſe ad Photium contulerunt, ſi ſub ſatisfactione libelli, cujus exemplar miſſis noſtris commiſimus, ad te remeaverint, quamvis contra profeſſionem vel ſubſcriptionem ſuam egerint, ac multipliciter adverſus ſummum ſacerdotium tuum, & in contemptum ſedis apoſtolicæ exarſerint, eos generaliter in ſuis gradibus confirmantes, ignoſcendum decrevimus. Diſcipuli enim ſumus mitis & miſericordis magiſtri, qui, apoſtolorum principe teſte, *paſſus pro nobis, nobis reliquit exemplum ut ſequamur veſtigia ejus, qui peccatum non fecit, ut nos ſcilicet lucrifaceret, nec inventus eſt dolus in ore ipſius; & tamen cum malediceretur, non remaledicebat, & cum pateretur, non comminabatur.* Si qui autem ex iis

* forte quam ſi.

Matth. 7.

1. Petr. 2.

(A) ſunt, qui aliter vel in Deum, vel adverſus conſtituta patrum, quia & ipſa Dei Spiritu prolata conſiſtunt, deliquiſſe vel exceſſiſſe probantur, hos volumus, adhibita ſibi noſtra quoque auctoritate, a pontificio tuo regulariter examinari, & paternis definitionibus amodo & deinceps omnino ſubmitti. Cum enim beatus Petrus domino non dicat: *Si peccaverit* in te, ſed *in me*, *frater meus, dimittam ei uſque ſepties?* apte datur intelligi ea nos fratribus impunita poſſe dimittere, quæ in nos, non quæ in dominum, vel in dominica conſtituta, patrantur. Dicit enim ſcriptura: *Si peccaverit homo in hominem, rogabit pro eo ſacerdos; ſi autem in Deum peccaverit, quis rogabit pro eo?* Sane hos, qui in nefando conciliabulo, (B) quod in injuriam & derogationem ſedis apoſtolicæ Conſtantinopoli factum eſt, voluntarie ſubſcripſiſſe probantur, cujuſcumque ſint ordinis vel profeſſionis, nulla venia dignos eſſe, niſi multa miſeratio ejuſdem, quam lædere niſi ſunt, apoſtolicæ ſedis occurrat, evidentiſſima ratio docet, & multifaria majorum ſanctio manifeſte demonſtrat.

ACT. III. CON. VIII GENER.

Matth. 18.

1. Reg. 2.

Quin & univerſalis Chalcedone habita ſynodus adeo hujuſmodi temeritatem deteſtata eſt, ut in ſententia quam in Dioſcorum protulit, hoc maxime memorare videatur, cum de ipſo dicit: Secundis exceſſibus priorem iniquitatem valde tranſcendit: præſumpſit enim & excommunicationem dictare adverſus ſanctiſſimum & beatiſſimum ar- (C) chiepiſcopum magnæ Romæ Leonem. Priorem autem iniquitatem, pravitatem utique dicit hæreticam. Unde nota quod Dioſcorus ſecundis exceſſibus, quos in excommunicatione Romani papæ dictata patravit, etiam hæreſim Eutychianam valde tranſcendiſſe referatur. hinc & Anatolius ait: Propter fidem non eſt damnatus Dioſcorus, ſed quia excommunicationem fecit domino archiepiſcopo Leoni.

Concil. Chalced. act. 3.

Nam & adverſus reverentiam tuam inter cetera hanc unam calumniarum in te illatarum, quaſi accuſationem texuerunt æmuli tui, opinantes videlicet, tamquam in contemptum reverendæ mentionis papæ Benedicti erectus, in contumeliam illius, nec epiſtolam ejus ſuſcipere, dicti Dio- (D) ſcori more, conſenſeris. Quia ergo in cauſa, quam in te impingere fallacibus accuſationibus tentaverunt, illi veracibus probationibus inveniuntur obnoxii, idcirco ipſi potius judicium quod judicaverunt ſubire, & ſententiam, quam protulerunt, incurrere, Simonis nexibus irretiti, jure debent. Ergo fraternitas tua curet neceſſe eſt, ut ſententiarum capitula, quæ ſynodice in eccleſia Dei, ubi ſanctum corpus apoſtolorum principis Petri requieſcit, pro abolendis profanis conciliis, Conſtantinopoli a Photio, tam adverſus ſedis apoſtolicæ reverentiam, quam adverſus ſanctimoniam tuam congregatis, communi conſonantia promulgavimus, apud vos in ſynodo cunctorum ſubſcriptione roborentur, & in ſin- (E) gularum archivis eccleſiarum provide recondantur. Poſtremo reverendiſſimum & ſanctiſſimum communem fratrem noſtrum Joannem metropolitam Sylæi beatitudini tuæ magnopere commendamus: de quo videlicet fraternitatem tuam nolumus ignorare, quoniam quibuſcumque mœroribus vel moleſtiis ex tot accidentibus vobis incommodis cor noſtrum fuerit vulneratum: quia ſicut ſcriptum eſt: *Legatus fidelis ſanitas*; ita medicamento ipſius fidelis legationis, quod in vobis hinc turbide diuturna hucuſque mœſtitia ſauciaverat, eſt ſanatum: ut pæne nil reſiduum, quod exinde ſanitate indigeat, idem vir prudentiſſimus

Prov. 13.

in pe-

in pectore noſtro reliquerit. Quamobrem conſolatione multa dignus habendus, & a ſancta fraternitate tua quiete, refrigerio, & omni eſt veneratione ditandus, atque in eccleſiaſticis negotiis diligentiſſime moderandis irremote tenendus; propter quæ videlicet ipſe pericula infinita, non ſolum per mare, ſed & per aridam gradiendo ſuſtinuit; quin potius penes nos demorans, & cauſa tui jugiter pulſans, & continuas nobis moleſtias irrogans; neque quaslibet ſibi ferias contulit, nec ullam quotidiano labori noſtro requiem dedit. Sanctam fraternitatem veſtram optamus nunc, & ſemper, & in Chriſto bene valere, dilectiſſime ac ſacratiſſime comminiſter. Data quarto Idus Junii, indictione ſecunda.

Et poſt lectionem epiſtolæ ſanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Eſt canonice ac ſynodice acta epiſtola hæc. Sancta & univerſalis ſynodus dixit: Canonica, & ordinata, & plena juſtitiæ eſt epiſtola, quæ lecta eſt ſanctiſſimi papæ Hadriani. Et poſt hoc ſurgens Metrophanes Deo amiciſſimus metropolita Smyrnæ dixit: Ex epiſtolis quæ nobis lectæ ſunt modo, liquidius cognovimus, amici Chriſti, imperatoris noſtri diligentiam, & ſtudium quod habet ad pacificandum eccleſiam Dei, & ſanctiſſimi domini noſtri & patriarchæ Ignatii humilitatem, & quomodo impleat eloquium ſcripturæ, quod perhibet: *Omnia cum conſilio fac*: nec non & ſanctiſſimi papæ Romani ſolertem locutionem, & pudorem, quem in divinis, circa divinorum canonum cuſtodiam & obſervantiam habet, & ejuſdem imitantem quantum fieri poteſt, miſericordiam & benignitatem; quos & magnifice ſuſcipientes, omnes gratias egimus Deo, qui dignos nos fecit hujuſmodi ſanctiſſimos vicarios contueri.

Et poſt hoc ſtans in medio Stephanus Deo amiciſſimus diaconus & devotus notarius laudavit ita: Multos annos imperatorum Baſilii & Conſtantini: Magnorum imperatorum & dictatorum multos annos: Orthodoxorum imperatorum multos annos: Pacificorum imperatorum multos annos: Depoſitorum injuſtitiæ multos annos: Hoſtium mendacii multos annos: Amatorum & fautorum veritatis & juſtitiæ multos annos: Eudoxiæ piiſſimæ Auguſtæ multos annos: Nicolai beatiſſimi papæ Romani æterna memoria: Hadriani orthodoxi papæ Romani multos annos: Ignatii orthodoxi patriarchæ Conſtantinopoleos multos annos: Orthodoxorum patriarcharum orientis multos annos: Orthodoxi ſenatus multos annos: Sanctæ ac univerſalis ſynodi æterna memoria.

## VERSUS JAMBICI.

*Chorus patriarcharum honorabilis & magnus*
*Peſſimum inimicum proſequitur, ut lupum,*
*A thalamo caſto, & venerabilibus locis;*
*Photium aio amariſſimum apoſtatam.*

## ACTIO QUARTA.



IN nomine domini & dominatoris omnium Jeſu Chriſti veri Dei & ſalvatoris noſtri. Conſulatus a Deo coronatorum & tranquilliſſimorum dominorum noſtrorum, Baſilii quidem anno tertio, Conſtantini vero filii ejus anno ſecundo, perpetuorum Auguſtorum, indictione tertia, tertio Iduum Octobris, propoſitis pretioſis & vivificis lignis, & intemeratis ſalutis A noſtræ evangeliis in dextris partibus catechumeniorum opinatiſſimi templi ſanctæ ac magni nominis Sophiæ: convenientibus autem Donato Deo amiciſsimo epiſcopo Oſtienſi, & Stephano Deo amiciſsimo epiſcopo Nepeſino, & Marino Deo amiciſsimo diacono ſanctæ Romanæ eccleſiæ, locum retinentibus Hadriani ſanctiſsimi & beatiſsimi archiepiſcopi ſenioris Romæ, & Ignatio ſanctiſsimo archiepiſcopo magni nominis Conſtantinopoleos novæ Romæ, ac ſanctiſsimis vicariis orientis, videlicet Thoma ſanctiſsimo metropolita Tyri, locum retinente ſedis Antiochiæ, eo quod vidua exiſteret eadem eccleſia, & Helia Dei cultore presbytero & ſyncello, locum retinente Theodoſii ſanctiſsimi archiepiſcopi ſedis Hieroſolymorum: B deinde ſecundum juſſionem amicorum Chriſti & piiſsimorum magnorum imperatorum noſtrorum Baſilii & Conſtantini; præſentibus & audientibus etiam magnificentiſsimis principibus, videlicet Chriſtophoro magnificentiſsimo patricio & magiſtro, Bahane magnificentiſsimo patricio & præpoſito, Leone magnificentiſsimo patricio & proconſule, Leone magnificentiſsimo patricio & domeſtico excubitorum, Joanne magnificentiſsimo patricio & logotheta oxeos curſus, Manuele magnificentiſsimo patricio, Theophylacto magnificentiſsimo patricio, Petronate magnificentiſsimo patricio, Oreſte magnificentiſsimo protoſpathario & domeſtico C icanatorum, Siſinnio magnificentiſsimo ſpathario: conſidentibus Deo amiciſsimis epiſcopis, id eſt Nicephoro Deo amiciſsimo metropolita Amaſiæ, Niceta Deo amiciſsimo metropolita Athenarum, Metrophane Deo amiciſsimo metropolita Smyrnæ, Theodoro Deo amiciſsimo metropolita Cariæ, Euthymio Deo amiciſsimo metropolita Catanæ, Michaele Deo amiciſsimo metropolita Rhodi, Photio Deo amiciſsimo archiepiſcopo Nacoliæ, Stephano Deo amiciſsimo archiepiſcopo Cypſallorum, Athanaſio Deo amiciſsimo epiſcopo Aniſii Magneſiæ, Georgio Deo amiciſsimo epiſcopo Helii, Stephano Deo amiciſsimo epiſcopo Cibyræ, Niceta Deo amiciſsimo epiſcopo Cephaludii, Theodoro Deo amiciſsimo D epiſcopo Sinopæ, Baſilio Deo amiciſsimo Pyrgii epiſcopo, Gregorio Deo amiciſsimo epiſcopo Meſinæ, Euſtathio Deo amiciſsimo Æmoniæ, Xenophonte Deo amiciſsimo epiſcopo Milaſsi, Leone Deo amiciſsimo epiſcopo Daphnuſiæ, Petro Deo amiciſsimo epiſcopo Troadis, Samuele Deo amiciſsimo epiſcopo Antri, Niceta Deo amiciſsimo epiſcopo Photiæ, Nicephoro Deo amiciſsimo epiſcopo Cercyrorum. His itaque taliter convenientibus, ſtans in medio Bahanes magnificentiſsimus patricius & præpoſitus dixit: Sunt epiſcopi duo, conſecrationem habentes beatiſsimi Methodii, Theophilus & Zacharias vocati, qui Photium recipientes, diffamant, quod recepiſſet Romanorum eccleſia Photium. Si er- E go placet ſanctitati veſtræ, ingrediantur in ſanctam & univerſalem ſynodum, & rejudicentur. Donatus Deo amiciſſimus epiſcopus Oſtienſis, & Stephanus Deo amiciſſimus Nepeſinus, & Marinus Deo amiciſſimus diaconus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, locum retinentes Hadriani ſanctiſsimi papæ Romani, dixerunt ad ſanctiſſimos vicarios ſedium orientis, & ad univerſam ſanctam ſynodum: Si conſideretis aptum eſſe, mittantur aliqui ad prædictos viros, ut interrogent illos, cujus conſecrationis ſunt, & cui communicant. Sancta & univerſalis ſynodus dixit: Aptum eſt & conveniens. Et miſſi a vica-







vicariis ſenioris Romæ, Pancratius religioſus A clericus, ab orientis vero vicariis, Ananias religioſus clericus, a ſenatu autem Gregorius inclytus ſpatharii cubicularius, dixerunt illis: Sancta & univerſalis ſynodus miſit nos, ut interrogemus vos, cujus conſecrationis ſitis, & cui communicetis. Theophilus & Zacharias quondam epiſcopi dixerunt: Nos domini Methodii ſumus conſecrationis; communicavimus autem domino Photio patriarchæ. Et reverſis his qui miſſi ſunt lecta eſt vox Theophili & Zachariæ dudum epiſcoporum per Theodorum virum devotum a ſecretis in medio ſanctæ & univerſalis ſynodi in audientiam omnium, & ſancta ſynodus exclamavit: Sit portio Theophili & Zachariæ cum Photio. Poſt hæc magnificentiſſimi & B glorioſiſſimi principes per Bahanem magnificentiſſimum patricium & præpoſitum dixerunt: Imperatores noſtri ſancti miſerunt ſervos ſuos, qui ſenatus vocatur, qui voluntate Dei hic honoratos eſt ſecundum omnia, ut ſimus diſtricti eorum quæ geruntur auditores. Si vultis ergo a nobis, ſicut ſe habet ordo ſynodicus, in fine ſanctæ ac univerſalis hujus ſynodi exigere proprias ſubſcriptiones per me indignum ſervum ſanctorum imperatorum noſtrorum, cuncti fratres mei & compatricii dicunt ſanctiſſimo domino noſtro patriarchæ, & ſanctiſſimis vicariis, tam ſenioris Romæ, quam orientalium ſedium: Niſi audierimus & ab ipſo Photio in conſpectu noſtro ſtante, & ab epiſcopis ejus, & iis C qui habentes conſecrationem beatiſſimi Methodii & ſanctiſſimi Ignatii apoſtatæ facti ſunt, ut in conſpectu noſtro obtruantur ora ipſorum ex canonicis & ſynodicis præceptionibus, non ſcribet manus noſtra unam literam in ſynodo iſta: audiant quæ judicata ſunt a ſeniori Roma in conſpectu noſtro, & ſi nihil contradicere potuerint, ſanabitur mundus ex conſenſu ipſorum. Si hoc autem factum non fuerit, ſcimus quia noſtri non egetis ad ſcribendum in fine a vobis geſtorum. Quomodo enim ſubſcribemus in hujuſmodi judicio, illis clamantibus atque dicentibus: Audiamus depoſitionem noſtram, damnemur, audientibus nobis ut poſtulat juſtitiæ ratio, & nullus ſermo ipſorum fit? Hoc non eſt D juſtum, uti nos arbitramur: quid ergo videtur vobis, facite: nos enim, & antequam veniret ſanctitas veſtra a Deo conſervandam in civitatem ſanctorum imperatorum noſtrorum, eamdem opinionem habuimus, tam de judicio beatiſſimi papæ Nicolai, quam de receptione ſanctiſſimi papæ Hadriani, ac certificatione & confirmatione honorabilis ſacerdotis ſanctiſſimi domini patriarchæ noſtri. Poſt vicarios autem orientis vidimus & vos, & ſuſcepimus tamquam ſanctos apoſtolos. Rogamus ergo ut hi qui languent ſanentur, & corrigamus qui non habent certitudinem veritatis, & erigamus qui deorſum jacent. Niſi enim ita hæc omnia diſcutiantur, conſcientiæ hominum non curabuntur. Metrophanes E Deo amiciſſimus metropolita Smyrnæ ſurgens, dixit: Divinus apoſtolus ita inquit: *Prophetias nolite ſpernere; omnia autem probantes, quod bonum eſt retinete.* (1. Theſſ. 5.) Sanctiſſimos itaque vicarios ſenioris Romæ ut prophetas ſuſcipientes, nequaquam ſpernimus. Probantes autem verba magnificentiſſimorum principum, invenimus ea juſta & congruentia; & propterea etiam epiſcopi omnes, & ſancta hæc ſynodus, favemus poſtulationi magnificentiſſimorum principum, ut examinentur illi, & interrogentur, ſi recipiant eos judices: & accepto loco ſatisfactionis, ſi quidem juſtificati fuerint, ut cuncti libenter ſuſcipiamus: ſi vero damnati extiterint, ut omnes acquieſcant. Nunc ergo exigantur in ſcriptis fateri, ſi hanc ſanctam & univerſalem ſynodum, & quæ ab ea judicantur admittunt, & jure ingrediantur. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Et quos dicitis introduci ignorant quid judicavit ſancta Romana eccleſia? Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Ignorant: cum enim non eſſent ibidem, nec audiſſent opus veſtrum in faciem, qualem certitudinem habere illos ex audita vultis ad ſuam * ipſius condemnationem? Donatus & Stephanus Dei amiciſſimi epiſcopi, & Marinus reverendiſſimus diaconus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Nobis non licet reſcindere judicium ſacrorum Romanorum pontificum; hoc enim contrarium eſt canonicis inſtitutis: quoniam præſentes illic per proprios miſſos, & Romæ demorantes contra ſe ſententiam & prolatam damnationem in Photium, & in manus impoſitionem ejus, & audierunt, & liquido didicerunt. Verumtamen ut manifeſtiorem eis juſtam judicationem ſanctæ Romanæ eccleſiæ faciamus, ingrediantur, & exaudiant legi ſynodicas definitiones, & judicia beatiſſimi papæ Nicolai, & certificentur magis ac magis. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Hoc bonum eſt & optimum: audiant illi judicium beatiſſimi papæ Nicolai in conſpectu noſtro, & ſi habuerint * quod ad contradictionem, dicent, aut perſuaſi acquieſcent; quod ſi habent, * contradicendi ſuſcipiant propriam damnationem; ſi vero non ſuſceperint, tunc fiet quod fuerit viſum canonibus. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Excuſationem quærunt, totus mundus, oriens, occidens, & ſancta Conſtantinopolitana eccleſia, novit quia judicium datum eſt adverſus eos. Ab undecima enim indictione damnavit eos ſynodice ſanctiſſimus papa Nicolaus, & per tot ſpatia temporum non cognoverunt ſententiam quæ in eos prolata eſt: non eſt hoc excuſatio; fugere volunt judicium. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Immo non fugiunt judicium, ſi enim voluiſſent fugere, non oporteret eos clamare magna voce, Quia judicemur, ſed potius oporteret eos ſeorſum recedere, & fugam arripere; ſed quod per multum temporis per voces & ſermones abſolutos creatura omnis audivit, volunt per opus & ipſa geſta certificari. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Ingrediantur, & ſtent illic deorſum in ultimo loco, & audiant epiſtolam quam miſit ad imperatorem Michaelem ſanctiſſimus papa Nicolaus per Radoaldum & Zachariam. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Ut jubetis. rogamus autem ſanctitatem veſtram, ut & convocentur, & ex iis qui Photii ſunt ſaltem tres vel quatuor, ut audiant, vel ut iſti ſæculares qui ſtant poſt nos: bonum habet fieri multum. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Si fateantur tres illi, quod ex omnibus illis veniant, qui ſunt ex parte ſua, patiemur ingredi eos hoc. Bahanes magnificentiſſimus præpoſitus & patricius dixit: Rogamus ut fiant vel quinque. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Ingrediantur, ſed nos non propter contentionem advocamus eos, ſed ut tantum beatiſſimi papæ Nicolai epiſtolam audiant. Et miſſi quidam aſſiſtentium ad convocandum eos, non invenerunt illos. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes ad vicarios ſenioris Romæ ac orientalium ſedium dixerunt: Neſcientes

* ſorte ipſorum

* hoc eſt quid dicere

* id eſt contradicere

ANNO CHRISTI 869.

ACTIO IX. CONC. VIII. GENER.

A
tes quod quærerentur a ſancta & univerſali ſynodo, diſceſſerunt, & non ſunt inventi: duo autem illi, qui paulo ante interrogati ſunt a veſtra ſanctitate, Theophilus ſcilicet & Zacharias, præſto ſunt, & ſicut jubetis. Idcirco enim & illi, ut apparet, diſceſſerunt, eo quod dimiſerunt hos duos, & ſe, opinati quia nobis opus non habent hodie; ceterum, ſi jubet ſanctitas veſtra, negotium duorum quæratur. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Duæ perſonæ illæ habent libellum quem porrigant, an ſermonem tantum habent ad ſanctam ſynodum? Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Non; ſed iſti ſunt illi duo, qui omnimodis lædunt multitudinem illam, eo quod certificent eos hujuſmodi, quia comminiſtravit nobis papa Nicolaus.
B
Et in hoc habet ſatisfactionem multitudo; quoniam ſi recepit hos duos, & communicavit eis, recepit utique & Photium, & communicavit ei: ſi autem illum recepit & communicavit, utique una die vocatus eſt patriarcha: & ſi vocatus eſt una die patriarcha, habemus quod dicamus multum. Iſtis autem duobus convictis, quia ea quæ dicunt ad multitudinem ſuam & mendacia, & inania, ſeu invalida ſunt, ex modico iſto fiet utilitas multis. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Abſit, quod beatiſſimus Nicolaus in ſancta Romana eccleſia recepiſſet aliquando Photium patriarcham Conſtantinopolitanum uno die vel una hora in collegio ſacerdotali.
C
Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Benedictus Deus: certificentur & iſti, ut accedant ad veritatem. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Quoniam dicunt ſe communicaſſe cum ſanctiſſimo papa Nicolao, ingrediantur, & ſtent in uno loco, & audiant quod definitum eſt de illis. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Immo interrogentur & diſcutiantur, quomodo dicant: Quia communicavimus beatiſſimo papæ Nicolao; cum omni enim certitudine hoc perhibent. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Intrent. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Ut quis eos afferat? ipſi conſecratio ſunt Methodii: & omnino expoſitio libelli veſtri
D
ſancit eos qui conſecrationem habent beatiſſimi Methodii, & ſanctiſſimi patriarchæ Ignatii, quæcumque, & quantacumque deliquiſſent & in eum, volentes pœnitere, veniam & juſtificationem mereri; ac ideo hujuſcemodi etiam vos advocantes, nihil peccatis. Donatus & Stephanus Deo amiciſſimi epiſcopi, & Marinus venerabiliſſimus diaconus, ſanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Quoniam pridem commiſſi ſunt ad eos, qui a nobis abierunt, dixerunt illi: Quia cum Photio communicamus, ideo non vocamus illos. Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Et multi eorum qui hic ſedent epiſcoporum, Photio communicabant uſque in finem. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt:
E
Attamen iſti per libelli ſatisfactionem recepti ſunt. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Sed illi libellum non audierunt; non eſt malum litigare verbis utiliter. Duodecim diſcipulos habuit dominus noſter Jeſus Chriſtus, Thomas vero, qui dubitavit, & incredulus & infidelis damnatur? non. Ad multorum enim certitudinem facta eſt incredulitas ejus: veniant & iſti, ſi forte magis per infidelitatem impiorum, & verborum impugnationem, lucrum multum per duos multis efficiatur. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Ingrediantur. Et intrantibus Zacharia & Theophilo dudum epiſcopis, dixerunt ſanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ ad ſacram ſynodum, & inclytum ſenatum: Iſti ſunt, qui * deſideraverunt intrare in ſanctam ſynodum: quid deſiderant audire? quid dicunt? Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Interrogentur ipſi, & dicent deſiderium ſuum. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Nomina ipſorum qui vocantur? Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Zacharias & Theophilus. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Hi qui petierunt introire in ſanctam ſynodum, faciunt libellum hunc quem expoſuit ſanctiſſimus papa Hadrianus, & implent omnia quæ præcepit? Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Interrogentur. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Interrogate illos. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Ut obſecundantes verbo veſtro, ex præceptione veſtra interrogamus eos, non per poteſtatem noſtram; poteſtas enim hæc veſtra eſt. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Interrogate illos, ſi volunt facere libellum qui miſſus eſt a ſancta Romana eccleſia. Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit ad jam dictos dudum epiſcopos: Deſideratis audire libellum? Zacharias & Theophilus dudum epiſcopi dixerunt: Nec libellum deſideramus audire, nec volebamus huc venire: juſſit imperator ut inveniremur in palatio, & coram præſentia ejus reperti ſumus illic hoc modo, non propter libellum. Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Dixiſtis in palatio: Quia oſtendere habemus per omnia, quia ut ſacerdotes ſanctiſſimo papæ Nicolao comminiſtravimus? Zacharias & Theophilus quondam epiſcopi dixerunt: Diximus, & iterum dicimus, quia ut ſummi ſacerdotes ſuſcepti ſumus a papa Nicolao, & comminiſtravimus ei, & recepti ſumus ab illo. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Abſit; mendaces ſunt, & non dicunt veritatem. Zacharias & Theophilus dudum epiſcopi dixerunt: Et ſi mendaces ſumus, ne interrogetis nos. Marinus Deo amiciſſimus diaconus & vicarius Romanus dixit: Et quid vobis videtur, numquid omnis qui interrogatur, ut profecto verax interrogatur? Theophilus dudum epiſcopus ad ſacram ſynodum ait, oſtendens Marinum reverendiſſimum diaconum vicarium ſenioris Romæ: Ipſum qui loquitur mihi interrogate; Romæ erat, cum hæc agerentur, an non? Marinus honorabiliſſimus diaconus & vicarius ſenioris Romæ dixit: Ego ſubdiaconus Romanæ eccleſiæ eram in diebus illis, conſecratus a Leone ſanctiſſimo papa Romano, & in eccleſia Romana miniſtrabam a duodecimo anno temporis nativitatis meæ; & quando iſti venerunt Romam cum Arſabir, ego miniſtrabam in eccleſia Romana ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ dicitur Præſepis. Illic eos ſuſcepit ſanctiſſimus papa Nicolaus per ſatisfactionem libelli, & juramenti, & non contulit eis communionem in loco epiſcoporum. Si vere contradixerint, oſtendant quod ſuſceperit eos in communionem ut epiſcopos. Theophilus dudum epiſcopus dixit: Numquid ignotus eram ego? Ab imperatore ac a ſynodo miſſus ſum. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Detuliſtis literas, quando aſcendebatis cum vicariis Radoaldo & Zacharia? Theophilus & Zacharias dudum epiſcopi dixerunt: Neſcimus. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: In hoc cognoſcat omnis ſancta & ſacra ſynodus, quia mendaces ſunt, dicentes: Apocriſiarii miſſi ſumus

cum



ANNO CHRISTI 869.

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

A
ac proprio ſcripto ſe Conſtantinopolim a ſede apoſtolica directum iiſſe, & quæ ſibi a nobis agenda fuerant injuncta neglexiſſe, ac quæ ſibi fuerant prohibita peregiſſe, confeſſus eſt Ignatium ſcilicet ſine juſſione apoſtolicæ ſedis deponendo & Photio contra noſtri apoſtolatus præceptionem communicando. Tunc, decernente ſancta nobiſcum ſynodo, depoſitionis & excommunicationis ſuæ ſententiam præfatus Zacharias accipiens, foveam, quam aliis præparavit, incidit. Alterius, id eſt Radoaldi, examinatione propter abſentiam uſque ad aliam ſynodum protelata, ad quam canonice ſæpe invitatus, quia non occurrit, depoſitionis & excommunicationis ſententiam, quam complex ejus promeruit, inſuper,
B
& anathematis, ſi cum Photio de cetero communicaſſet, obligamentum merito non evaſit. Dignum quippe fuit ut par iniquitas par gigneret utrique judicium, & æqualitas eſſet in retributione, quibus parilitas extitit in tranſgreſſione. Nam quia idem Radoaldus objecta non diluit, vera eſſe, quæ de illo dicebantur, etiamſi alia nulla conſtarent indicia, examen ſubterfugiens, omnino firmavit. Et idcirco jure illo non profuit abſentia, quam ipſe non caſu accedente, ſed voluntate propria miniſtrante, quemadmodum Neſtorius quondam atque Dioſcorus, ſibi procuraſſe probatus eſt. (Epiſt. 3.) Nam, ut ſanctus papa Bonifacius in decretali ſua docet, manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui in
C
dulto & toties delegato judicio, purgandi ſe occaſione non utitur. Nihil enim intereſt utrum in præſenti examine omnia quæ dicta ſunt comprobentur, cum ipſam quoque per confeſſionem procurata toties conſtet abſentia. Hinc etiam egregius ſedis apoſtolicæ præſul & magnus eccleſiæ propugnator ſcribit Hormiſda: Soli, inquiens, declinant examen conſcientiæ, quæ juſſa ſunt non tenentes. Sed ut quid multa proſequamur, cum, juxta quod dominus dicit, (Matth. 7.) *in quo judicio judicaverunt, judicatum ſit de eis: & in qua menſura menſi ſunt, remenſum ſit eis?* Contigit enim illis, quemadmodum Vitali quondam & Miſeno epiſcopis, qui ſicut iſti, Conſtantinopolim miſſi, eorum, pro quibus deſtinati
D
ſunt, adverſæ parti communicando, non executores, ſed impugnatores inventi ſunt. De quibus beatus Felix apoſtolicæ ſedis antiſtes, & Alexandrini Petri ſeu Conſtantinopolitani Acacii præſulum damnator, imperatori Zenoni ſcribens, inter cetera: Vitalem, ait, atque Miſenum, [a] cur vel impulſi ad iſta conſenſerint, honore ſimul & communione apoſtolica cenſura privavit; quoniam factum eſt, ſicut ipſe Cyrillo abbati Acymetenſi ſcribit, ut eorum prævaricatione deciperetur populus Chriſtianus: qui rurſus de eis mentionem faciens, ad jam fatum principem de eorum tranſgreſſione dicit: Plebi ſuaſum eſt Chriſtianæ nos talibus præbuiſſe conſenſum, quos mox, ut regreſſi ſunt, prævaricatio impune non habuit.
E
Nam eos apud beatum Petrum apoſtolum ſancta mecum ſynodus reſidens, dum convicti plura mentirentur, ordine & communione nudavit, ne, eorum incorrecta perfidia, ſecuritas proveniret inimicis. Porro, quæ in ſuperius memorata venerabili & ſancta ſynodo unanimiter ac conſonanter de Photio uſurpatore ac invaſore Conſtantinopolitanorum eccleſiæ, atque fautoribus ejus, ſeu de fratre ac conſacerdote noſtro Ignatio patriarcha, vel de his qui ex parte ipſius ſunt, nec non & de ſacris imaginibus; canonice, rationabiliter, catholiceq; ſtatuerimus & promulgaverimus, ſubter annexis capitulis declaratur.

[a] Forte, cum H.

## I.

Photius, qui ex ſchiſmaticorum, & ſe a ſanctæ communionis participatione avertentium parte eſſe dignoſcitur, & a ſæculari miniſtratione, atque militia, & ex foro ſubito tonſuratus, a Gregorio Syracuſano dudum epiſcopo a ſynodo damnato, & ab apoſtolica ſede convicto, epiſcopus ordinatus eſt: &, vivente ac ſuperſtite conſacerdote noſtro Ignatio, ſanctæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ patriarcha, ſedem ipſius invaſit: & in ſponſam, quam a Chriſto ſponſo immaculatam cuſtodiendam, veluti amicus ſponſi, perceperat, non per oſtium, quod Chriſtus eſt, ſed aliunde ex adverſo in ovile dominicum, more furis, atque latronis, ingrediens, acſi violentus rapax & ſceleſtus adulter irrupit. Deinde cum damnatis & anathematizatis, atque cum his qui ne ſacerdotale officium ante audientiam præſumerent, a deceſſore meo ſanctæ memoriæ Benedicto papa fuerant obligati, quotidie ac indifferenter communicans & converſans, contra fidem promiſſam, contraque ſuam profeſſionem, qua pollicitus eſt ſe adverſus jam fatum patriarcham nullum ſiniſtrum conſilium eſſe facturum, congregavit concilium, & una cum ſequacibus ſuis, depoſitis & damnatis, excommunicatis & anathematizatis, & aliis ſine ſedibus, atque cum his, a quibus vel ille irregulariter & illicite provectus fuerat, vel quos ipſe temere ac indebite provexerat, contra eumdem fratrem, & comminiſtrum noſtrum Ignatium depoſitionem facere, & anathema dicere auſus eſt. Deinde apoſtolicæ ſedis miſſos, quos pro cauſa ſacrarum imaginum, & pro inquirenda, & nobis renuntianda jam fati patriarchæ dejectione, & ob inveniendum modum promotionis hujus neophyti, deſtinaveramus; quibus potuit argumentis a noſtris mandatis avertere, more Acacii quondam Conſtantinopolitani hæretici patriarchæ, præſumpſit, & ad proceſſionem, quæ ei cum comparibus ſuis habebatur, ſicuti eorum profeſſione patefactum eſt, & ſancto Spiritu revelante, venerandæ ſynodo, quæ a nobis collecta eſt, claruit; ad damnatorum & ſchiſmaticorum communionem, contempta legatione, quæ vel Gentilium more ſervari debuit, pertraxit, & in illuſionem beati Petri apoſtoli, a cujus ſede profecti fuerant, non ſolum inefficaces redire fecit, ſed etiam impugnatores omnium quæ fuerant mandata monſtravit. Poſtremo epiſcopos, qui ei tamquam adultero & pervaſori communicare noluerunt, exilio relegavit, & ſui ſceleris complices in eorum ſubrogare locis non timuit. Et uſque hodie eccleſiam Dei diverſis perſecutionibus impugnare non deſinit; ita ut fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium ſanctiſſimum patriarcham inauditis pœnis & horribilibus tormentis afficere non quieſcat; ſed & omnes quotquot pro veritate & fide cum eodem perſiſtere comprehenderit, quibus prævalet modis, perdere imprætermiſſe moliatur. Hæc & his ſimilia contra euangelica, apoſtolica, prophetica, atque canonica inſtituta ſe efferens, ſit Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum principum Petri & Pauli, ac omnium ſimul ſanctorum, atque venerandorum ſex univerſalium conciliorum auctoritate, nec non & Spiritus ſancti per nos judicio, omni ſacerdotali honore & nomine alienus, & omni clericatus officio prorſus exutus: ita ſi poſt notitiam hujus ſanctionis, quam divina inſpiratione de-



prom-

ANNO CHRISTI 869.

promptam eſſe credimus, cum unanimitate & concordia ſanctæ ſynodi ſit procul dubio promulgata, tentaverit in Conſtantinopolitano throno præſidere, aut ſæpe fatum venerabilem coepiſcopum noſtrum Ignatium, quo minus eccleſiam ſibi commiſſam ſine quavis inquietudine regere poſſit, impedierit, vel ſi ulterius auſus fuerit aliquid de ſacro miniſterio more ſacerdotis contingere, juxta præcedentem conſuetudinem, nullo modo liceat ei communionis ſpem, aut locum habere ſatisfationis, ſed anathematis vinculis innodatus, una cum communicatoribus ſuis atque fautoribus perpetuo Dei per noſtram mediocritatem judicio ac ſententia ſacrum corpus & ſanguinem domini noſtri Jeſu Chriſti, non niſi vicino mortis periculo, omnino percipiat: ut hæc unuſquiſque diſcens, nequaquam de cetero temeraria præſumptione ex laicis ſubito in dominicis caſtris, inſperato quodammodo impetu irrepere audeat, & principatus amore ante ducatum præſtare velit, quam tironis conſummet officium; & ante tentet docere, quam diſcere, ſicut in eadem Conſtantinopolitana eccleſia ſæpe præſumptum eſſe comperimus. Et rurſus, ne contemptis clericis, quorum utpote in tam magna urbe copioſa multitudo eſt, quippe ab ipſis, ut ita dixerimus, incunabulis impætermiſſo labore in eccleſia Chriſti deſudant, & indeſinentia domino exhibent ſervitutis obſequia, is qui deforis eſt alterius ovilis Chriſti repente principatum arripiat, & nitatur quos eſſe ſuos non recognoſcit diſcerpere, & grex dominicus incipiat eum, utpote extraneum & improviſum, omnino contemnere; præſertim cum perſpiciat nil ſibi ſtipendia profuiſſe meritorum, & alienum ſuorum cernat conſumere fructus laborum.

II.

Gregorium ſane, qui Syracuſanæ eccleſiæ irregulariter atque Deo contempto præeſt, eo quod & ipſe ex parte ſchiſmaticorum ſit, & poſtquam a ſynodo epiſcopatus officio privatus, & a deceſſore meo ſanctæ memoriæ papa Benedicto obligatus eſt, & Photium laicum ſubito conſecrare in epiſcopum non formidavit, & de ſacro miniſterio auſus eſt multa contingere, juxta præcedentem conſuetudinem ſancimus, & juxta canonicam deliberationem apoſtolica auctoritate definimus atque ſtatuimus omni ſacerdotali carere atque privatum fore miniſterio; ita ut nullo modo liceat ei in qualibet ſynodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis. Quod ſi de reliquo præſumpſerit in ſacro officio more ſacerdotis quovis tempore miniſtrare, anathema ſit: ſed & ſi contra fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium turbas excitaverit, vel ab ejus communione fideles averterit, anathema ſit, & omnes communicantes ei ab eccleſia abjiciantur; ſed & ipſi anathemata ſint.

III.

Eos vero quos Photius neophytus & Conſtantinopolitanæ ſedis invaſor in quolibet eccleſiaſtico ordine provexit, quoniam manifeſtum eſt eos in omnibus conſecratoris ſui pravitatibus conſenſiſſe, atque ei poſt invaſionem communicaſſe, omni clericali officio privamus, & apoſtolica atque canonica auctoritate, & ſynodali decreto eos penitus ſequeſtramus.

IV.

Reverendiſſimum & ſanctiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ patriarcham, qui primo quidem imperiali violentia ac terrore proprio throno privatus eſt, & poſtea a Photio adultero, prævaricatore ac pervaſore ſedis Conſtantinopolitanæ, & ab ejus complicibus, excommunicatis videlicet & anathematizatis atque damnatis, & ſine epiſcopalibus ſedibus, & a deceſſore meo ſanctæ recordationis Benedicto papa, obligatis hominibus, anathematizatus eſt, & poſtremo ab apoſtolicæ ſedis miſſis contra noſtram præceptionem, ut ſanctæ ſynodo Spiritus ſanctus revelavit, & Zacharias dudum epiſcopus, qui unus de eiſdem duobus legatis extitit, propria confeſſione manifeſtavit, infulis eſt ſacerdotalibus deſpoliatus, auctoritate ſummi judicis domini noſtri Jeſu Chriſti promulgamus, ſancimus, atque decernimus, unquam nec fuiſſe nec eſſe depoſitum, vel anathematizatum, tamquam qui ab imperiali potentia ſit abſque ulla canonica auctoritate pulſus eccleſia, & tamquam qui ab obligatis nullo poſſit haberi vinculo colligatus; & ab eis qui nullam cum judicandi poteſtatem, vel ab apoſtolica ſede habuerint auctoritatem, nullum ſui honoris diſcrimen pati debuerit. Et ideo illum, id eſt eumdem fratrem & conſacerdotem noſtrum Ignatium patriarcham, omni vinculo anathematis ab eo remoto, per poteſtatem divina voce beatiſſimo Petro collatam, & per auctoritatem ſacrorum canonum & decretalium conſtitutionum, more ſanctorum patrum prolatarum, priſtino honori, priſtinæ dignitati & ſedi, priſtino gradui & patriarchio, ac priſtinis pontificalibus infulis atque officiis reſtituimus, ſtatuimus, ac confirmamus: ita ut quicumque poſt notitiam hujus apoſtolicæ, atque ſynodicæ ſanctionis, quo minus omnia quæ præmiſimus inſignia pontificatus recipiat, cum impedierit, & non in omnibus huic decreto obedierit, vel ſe ab ejus communione ſeparaverit, vel ulterius contra eum aliquod judicium proferre tentaverit, abſque ſedis dumtaxat apoſtolicæ præmiſſo conſenſu, ſiquidem clericus fuerit, ab omni clericatus officio coram Deo & hominibus ſit alienus, atque perenni pœna, tamquam qui magiſtrum prodit, cum Juda traditore conſtringatur: & niſi a prava intentione receſſerit, perpetuo anathemate maneat condemnatus: ſi vero laicus fuerit ille, quiſquis eſt, huic noſtræ conſtitutioni contra ire tentans, & eum ſedem & omnem priſtinam dumtaxat dignitatem recipere non permiſerit; vel ſi poſt receptam priorem ſedem denuo illum impellere, & a patriarchio expellere tentaverit, vel perſonæ ipſius, ſeu ſacerdotali honori aliquam moleſtiam ſine hujus primæ ſedis conſenſu intulerit, omni benedictione paterna privetur, & maledictione Chanaan, filii Cham, qui verecundiam patris videns non cooperuit ſed irriſit, mulctetur, & cum parricidis æterna pœna, domino judicante, percellatur, & nexibus anathematis, non niſi reſipiſcens, penitus eruatur.

V.

Eos autem epiſcopos, ſeu cujuslibet ordinis clericos, qui poſt injuſtam dejectionem fratris & coepiſcopi noſtri Ignatii, vel in exilio relegati, vel miniſterio aut gradu invidioſe privati ſunt, ſtatuimus, ut exilio diſſoluto proprias ſedes atque gradus recipiant. Quod ſi quiſquam huic decreto noſtro contra ire præſumpſerit, & ut ſedes vel gradus reſumant impedierit, quouſque obtemperaverit, anathema ſit. Sane ſi quidam ex eis ab aliis criminantur, decernimus eos antea ſedes quidem & proprios gradus recipere; judicari autem niſi a ſede Romana non patimur: ſed ſi qua præter regulam forte egiſſe dicuntur,



ANNO CHRISTI 869.

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

dicuntur, noſtro eos decreto judicandos reſervari ſtatuimus, juxta quod & ſacri præcipiunt canones.

VI.

Quoniam oportet nos majorum noſtrorum ſtatuta immoto mentis intuitu conſervare, & in omnibus ſanctorum patrum ſemper dogmata venerari; definimus de ſacris & reverendis imaginibus domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque ſemper virginis genitricis Mariæ, omniumque ſanctorum, qui Deo ab Abel juſto placuiſſe creduntur, quæ eccleſia ſancta in univerſo orbe diffuſa antiquitus accepit, quæque ſedis apoſtolicæ præſules pro eis decreverunt ac ſtatuerunt illibata perſiſtere, atque intemerata manere. Quapropter [a] Joannem quondam Conſtantinopolitanum antiſtitem, & ſequaces ipſius, qui eas ſcangendas atque calcandas eſſe ore polluto aſſeverant, quamdiu de his nobiſcum non ſenſerint, & juxta ſanctorum pontificum Romanorum decreta & aliorum catholicorum patrum inſtituta non ſapuerint, ſancimus eos a Chriſto & ab eccleſia catholica atque apoſtolica eſſe anathema. Hæc ſunt quæ ſedes apoſtolica ſtatuit: hæc ſunt quæ ſynodice regulariterque decrevit: hæc ſunt quæ vos tanto ſtudioſius oportet amplecti, tanto ſolicitius obſervare, quanto ſatius noſtis, quæ ab ea ſtatuta fuerint, hæc univerſalem ſemper eccleſiam tenuiſſe; ita ut contra ſingulos errores in eccleſia exortos, prior hæc ſecundum primatus ſui auctoritatem ſententiæ terminum dederit. Et ita demum univerſalis eccleſia, licet aliquando per aliquantulum temporis in quibuſdam reluctata ſit; quæ illa tamen probavit, quandoque probaverit; & quæ illa refutavit, ipſa etiam refutaverit. Verum vos quomodocumque obedieritis vel non obedieritis divinis inſtitutis, vel paternis canonibus; nos tamen in Ignatii fratris & coepiſcopi noſtri quocumque diſcrimine, priuſquam a nobis ſpecialiter ad iterationem ejus perducatur negotium, quia nec hactenus conſenſimus, aliquando, Deo nos confirmante, nullo modo conſentiemus. Sed nec in Photii ſacerdotali provectui præſtando favore vota condeſcenſionis noſtræ modo quolibet inclinabimus, ſed omnibus viribus noſtris, atque conatibus, pro cœptæ juſtitiæ provectione, pro reſtaurando videlicet legitimo, & repellendo mœcho, quamdiu vivemus, curare, & quod noſtrum eſt agere nullatenus, auctore Deo, ceſſabimus, & nunc obſecrando, nunc hortando, nunc increpando, nunc etiam regulariter admonendo. Inſuper & auctoritate apoſtolica eos qui contumaces fuerint feriendo, nunc verbis, nunc literis, quod rectum & juſtum atque inchoatum eſt, die ac nocte cum virtute ſummi opificis conſummare ſtudebimus. Ergo fraternitas veſtra literarum ſaltem nunc tenore cognoſcat, ſedem beati Petri apoſtoli, neophyto, & mœcho, & Conſtantinopolitanorum eccleſiæ invaſori Photio, olim juſteque damnato, ac nihilo minus præſentia ſynodali nuper eliſo, vel fautoribus ejus, niſi a prævaricatione ceſſaverint, communionis nunquam præbituram eſſe conſenſum. Qui, ut cetera nunc omittamus, a Gregorio Syracuſano, vel ceteris ſchiſmaticis inſtructus, immo deſtructus, contra omne fas nulli præſidere poteſt eccleſiæ. Nam merito deſtructus eſſe creditur, qui a deſtructo ædificari ſperans, etiamſi qua alia bona fortaſſis habuit, nimiæ præſumptionis ejus temeritati communicans, perdidit. Nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam noſcebatur eliſus? Quomodo quemquam in aliquo eccleſiaſtico poterat ordine ſtabilire, qui eccleſiæ unitatem ſcindens, ipſe jam videbatur omnino dejectus? Sicut enim ligatus ligare, & dejectus dejicere non potuit, ſic deſtructus conſtruere, & eliſus quemquam ordinare nequivit. In ſummo quippe ſtatus ſui oportet eum vigore conſiſtere, & firmis inniti per omnia baſibus, qui alterum vel proſternere vel conatur ſtatuere. Gregorius ergo, qui canonice ac ſynodice depoſitus & anathematizatus erat, quemadmodum poſſet quemquam provehere vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius ex Gregorio percepit, niſi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit; per eorum quippe, ut legitur, manus impoſitionem & invocationem dabatur Spiritus ſanctus, qui noverat mundas ad dominum levare manus. Ceterum Gregorius, qui tranſgreſſor factus eſt legis, ad iracundiam ſui magis, quam ad conſecrationem alicujus, Spiritum ſanctum per impoſitionem ſuæ manus ſine dubio provocavit, etiamſi is qui ordinandus erat nullas alias haberet ſibi regulas obviantes. Hinc enim ſcriptum eſt: *Qui obturat aures ſuas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis:* ſi execrabilis, utique non audibilis: ſi non audibilis, ergo inefficax: ſi inefficax, profecto Photio nihil præſtans; nimirum qui vulneratum caput per illam manus impoſitionem potius habere dignoſcitur. Porro ſi prætendit injuſte ab Ignatio ſe fuiſſe depoſitum, quid de omnibus qui in ſynodo illo tempore convenerunt, ſententiamque in eum protulerunt, perhibebit? Quod ſi & illos injuſte feciſſe dicere præſumit, quare cum eis nunc communicat, & quoſdam eorum ſacerdotio dignos exiſtimat; quos tamen recte prius non judicaſſe reprehendit, & ſententiæ, quam protulerunt, eos ſecundum ſe debere ſuccumbere non neſcit. Sed videamus quorum judicio vel quorum auctoritate Gregorius poſt depoſitionem & anathema, honorem epiſcopatus reſumpſit, vel officium priſtinum recepit. Omnes enim illum & depoſitum norunt, & anathematis vinculis obligatum, ac per hoc totius eccleſiæ communione privatum. Jam vero ſi dixeritis, quia ipſe ſibi Gregorius & honorem reſumpſit, & priſtinum officium recepit, audite quid apoſtolus dicat: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut pontifex fieret.* Sed & venerabiles Antiocheni canones præcipiunt: Si quis epiſcopus damnatus a ſynodo, vel presbyter, aut diaconus a ſuo epiſcopo, auſi fuerint aliquid de ſacro miniſterio contingere, ſive epiſcopus juxta præcedentem conſuetudinem, ſive presbyter, aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia ſynodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis; ſed & communicantes omnes abjici de eccleſia, & maxime ſi, poſteaquam didicerint adverſus memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eiſdem communicare tentaverint. Carthaginenſes quoque regulæ excommunicatum, qui ante audientiam communicare præſumpſerit, ipſum in ſe damnationem protuliſſe manifeſte denuntiant. Si ergo ſecundum apoſtolum nemo ſibi honorem accipit, & Chriſtus non ſe clarificavit, ut pontifex fieret, qui omnes cum Patre, & Spiritu ſancto, glorificantes ſe glorificat, & ipſe eſt pontifex, de quo rurſus idem dicit apoſtolus: *Talem decebat, ut nobis eſſet pontifex ſanctus,* &c. Et ſi epiſcopus, qui damnatus a ſynodo eſt juxta ſacros canones, auſus fuerit aliquid de ſacro miniſterio juxta præcedentem conſuetudinem contingere, & ante audientiam communicare

[a] Sive Jannem, ut diximus ſupra. II.

Prov. 28.

Hebr. 5.

Cap. 4.

Hebr. 7.

ANNO CHRISTI 869.

care præſumpſerit, ipſe in ſe damnationem protulit, ita ut nullo modo liceat ei nec in alia ſynodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis, ſed & communicantes ei omnes abjici de eccleſia; quanta, putas, Gregorius pœna mulctandus eſt, qui poſt damnationem ſui & anathema hæc omnia commiſiſſe probatur, id eſt & ſuper Chriſtum ſe extulit, & quod ipſe non fecit, iſte & honorem ſibi reſumpſit: & ut pontifex eſſet, ſe arrogantiſſime clarificavit, & ante audientiam excommunicatus communicare, & vetita uſurpare præſumpſit: & damnatus de ſacro miniſterio, non ſolum aliquid, verum etiam multa juxta priorem conſuetudinem tetigit: quod certe Gregorius agere omnino non debuit, etiamſi nulla commiſſa exiſterent, pro quibus damnari potuiſſet; quoniam prælati judicium ſemper inferioribus formidandum eſt, ne ſi ei non obedierint, licet ab eo fortaſſis injuſte ligentur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa, id eſt inobedientia, mereantur. Igitur prælatos damnare indifferenter oportet horreſcere. Quicumque vero minores ſunt, damnari ſolicite caveant, nec majorum ſuorum ſententiam tranſgrediantur: alioquin, licet injuſte nonnunquam damnati ſunt, ex ipſa temeraria prævaricatione, culpa, quæ nondum forte perpetrata fuerat, & ultio, quam culpa necdum merebatur, procul dubio ſubſequentur. Nihil quippe lignum vetitum in ſe mortiferum habuit; ſed qui inobedienter ex eo comedit, mortem ſibi & poſteris propinavit; non quia lignum malum, cum Deus quod fecit totum fecerit bonum, ſed quod mala ſit tranſgreſſio; & nolentis ſubjici, per eam merito ſit orta damnatio. Porro ſi dicitis Gregorium ab imperatore & ab antiſtitibus fuiſſe receptum, percontari libet, o ſapientiſſimi fratres, quibus hoc documentis, quibus canonibus jubentibus, agi rite poteſt, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis recipiantur; id etiam veneranda univerſali ſynodo Nicæna de utraque profeſſione luce clarius inhibente. Nam a ſæculari poteſtate nec ligari nec ſolvi ſacerdotem poſſe manifeſtum eſt; & idcirco affatim approbatur Syracuſanum Gregorium per imperialem tantummodo ſententiam nullo modo valuiſſe reconciliari: ubi ſi pontificum quoque ſociatur aſſenſus, quærimus utrum præceſſerit, an fuerit ſubſecutus. Si ſubſecutus eſt, nihilo minus ad id reditur, ut abſolutio a ſæculari poteſtate percepta valere non poſſit, pontificumque ſecutus aſſenſus, adulationis vel terroris fuerit potius, quam legitimæ ſanctionis: ſi præceſſit, doceatur a quibus, & ut ille ſit geſtus, ſi ſecundum eccleſiæ regulam celebratus, ſi paterna traditione profectus, ſi majorum more prolatus, ſi competenti examinatione depromptus, ſi ad majoris auctoritatis ſedem quam illa eſt, a qua Gregorius damnatione tenebatur obſtrictus, ſecundum eccleſiæ regulas eſt relatum, ſi ipſe præſul qui ligavit, abſolvit. Si hæc geſta non ſunt, quo more, quo ritu Syracuſanus Gregorius ſe gloriatur abſolutum, cum nec a pontificibus ordine debito, nec eccleſiaſticis legibus fuerit expeditus, nec a mundana poteſtate potuerit, præter eccleſiæ tramitem prorſus abſolvi. Jam vero ſi dicitis; Non imperator abſolvit, ſed pontifices ut ſolveretur poſtulavit; e contra illi multo magis ab Auguſto poſtulare debuerunt, ut, ſi ſibi vellet abſolvi, legitima eccleſiaſtici tenoris abſolutio proveniret; & hæc omnia quæ ſuperius dicta ſunt ſecundum eccleſiæ tramitem ſervarentur; præcipue cum non ab inferiori vel pari, ſed a majori perſona. & ſicut ex apoſtolicis canonibus edocemur, ſolum ab eo qui eum ſequeſtravit, aut certe a prima ſede, jure poſſit abſolvi. Inferior quippe vel compar antelatum vel comparem, non annuente majori, abſolvere non poteſt: ſola igitur potior inferiorem convenienter abſolvit. Proinde inferioris loci pontifices, eos, quos potior ſuus obligaverat, ſine prima ſede abſolvere non potuerunt. Verumtamen licet contra Nicænos ſacros canones, præfatum Gregorium, qui abjectus fuerat, receperint, nunquam tamen eum a vinculo damnationis & anathematis exuerunt, quem abſolutione prævaricatoria potius nexuerunt, &, dum hunc ſolvere niſi ſunt, nodis majoribus dediderunt. Quinimmo, dum ſententiam majoris contemnentes, tranſgreſſi ſunt, vel etiam ſuam, tergiverſatorio conſilio lenique ſenſu ſibimet facti contrarii, deſtruere ſunt moliti, pari prævaricatione habentur innexi, & ſimili pœna, ſecundum apoſtolicos & nonnullos alios canones, tenentur obſtricti; ita ut communicantes ei pelli de eccleſia jubeantur: ac [a] per hos reos reum juſtificare conſtat minime potuiſſe, nec ligatos ligatum ſolvere modo quolibet valuiſſe. Ecce a quibus, o beatiſſimi Chriſti miniſtri, Photius eſt inſtitutus: & ecce qualis eſt Gregorius, qui Dormitantius convenientius poterat dici. Quamobrem cogitate, fratres cariſſimi, tractate, & vobiſcum ſedula meditatione perquirite, ſi ſtare Photius poſſit, etiamſi mitis virtutibus polleat, etiamſi omni ſcientia fulgeat; quando qui hunc ſtatuiſſe tentavit, dudum jam cecidit, & volens erigi, cum conantibus ſe erigere, nunquam recuperaturus denuo ruit. Conſideret ergo veſtra divinitus inſpirata prudentia, quomodo Photius, etiamſi nihil aliud ſibi jure valeat impedire, queat in ſacerdotali gradu perſiſtere: quandoquidem inſtitutor ſuus, cum hic ordinaretur, non ſolum ſacerdotio, verum & ipſo carebat Chriſtiano vocabulo. Et ſicut etiam expoſuimus, nec damnatus juſtificare, nec depoſitus erigere, nec ligatus poteſt quemquam per impoſitionem manus provehere, impoſſibile eſt enim horum aliquid fieri. Quapropter attendite, cariſſimi, non ſolum hæc, verum etiam paternos canones, & præcipue apoſtolorum, Antiochenos, atque Carthaginenſes, & quid de damnatis & excommunicatis, atque de his præcipiant, qui merito facinorum ſuorum ab eccleſia pulſi ſunt, diligentiſſime conſiderate, ac ſtudioſe recolite: nam nos quod decrevimus, quod ſtatuimus de his, quos recepimus & ereximus, vel de his quos abjecimus, & a ſacerdotio vel communione pepulimus, veſtræ in Chriſto fraternitati notum facere canonice procuravimus, juxta quod & magni venerandique Nicæni concilii regulis admonetur, quatenus de his, qui communione quandoque privantur, ſeu ex clero, ſeu ex laico ordine, epiſcopis, per unamquamque provinciam ſententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur. Ergo nos quod debuimus fecimus; ea videlicet vos ſcire volentes, quæ, Deo teſte, nonniſi zelo rectitudinis egimus, & affectu conſervandæ paternæ conſtitutionis executi ſumus: veſtrum autem eſt obedire; alioquin eamdem cum eis ſententiam jure meritoque ſubire, Antiochenis canonibus ſecundo capitulo præcipientibus ita: Si quis de epiſcopis, aut presbyteris, aut diaconis, ſeu quilibet ex clero deprehenſus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iſte communione privetur, tamquam qui regulam confundat eccleſiæ. Et rurſus capitulo quarto, quod etiam ſuperius commemoravimus, quid idem

Marginal notes: Cap. 1. — ACTIO VII. CONC. VIII. GENER. — a Forſ. per hoc tem. E



ANNO CHRISTI 869.

idem dicat antiquitus acceptum concilium, ſtudioſe recolite. Cavete ergo, dilectiſſimi, ne cum his commiſceamini, qui ſanctis fuerunt inobedientes inſtitutionibus, ne par ſententia involvat quos uno communionis glutino invenerit irretitos.

Videte præterea, quia de ignorantia nullum jam poteſtis excuſationis habere præſidium, qui & canonum, Deo inſpirante, memores, & noſtris edocti jam nunc eſtis epiſtolis. Nolite communicare itaque peccatis alienis, nolite nobis inobedientes eſſe, quoniam inobedientia protoplaſtum de paradiſo expulit. Inobedientia idololatria merito nuncupatur, ſicut ſanctus Samuel ad Saulem loquitur, dicens: *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Perpendite ergo, quantum ſit execrabile repugnare, quantum deteſtandum acquieſcere nolle, quod ariolandi peccato, ſcelerique idololatriæ comparatur. Clamat apoſtolorum princeps: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Et coapoſtolus ejus Paulus: *Qui reſiſtit*, inquit, *poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Judicate ergo cui potius obediendum ſit, Deo, an hominibus: judicate cui potius reſiſtendum ſit, poteſtati quam in Petro Deus omnipotens ordinavit, quamque ſuper cunctam eccleſiam extulit, an ordinationi Gregorii Syracuſani, cui merito malitiæ ſuæ dicendum eſt: *Væ homini*, videlicet, *per quem* in eccleſia Chriſti *tot ſcandala venerunt*; quique olim, ſicut ipſi ſcitis, & nos ſupra retulimus, a fratre & comminiſtro noſtro Ignatio, & a ſynodo quæ ſub eo erat, depoſitus eſt, &, ut apoſtolica ſedes in ejus damnatione conſentiret, ab ipſo conſacerdote noſtro poſtulata eſt. Sed deceſſores mei beatæ memoriæ Leo & Benedictus, ſedis apoſtolicæ moderamina ſervantes, noluerunt ſic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitus reſervarent: unius quippe mediator non eſt. Quamobrem interim depoſitio ipſius a ſede apoſtolica non ſuſcepta, remanſit infirma. Cumque idem Gregorius per legatum ſuæ partis, Zachariam nomine, ſedem agnoviſſet apoſtolicam in ſua depoſitione nullatenus conſenſiſſe; non gratias egit, non a cœptis in jam dictum fratrem noſtrum ſævientibus contumeliis conquievit, ſed benignitate Dei & patientia ſedis apoſtolicæ in ſuperbiam abutens, in ipſum videlicet Ignatium patriarcham ſuum rediviva jacula impietatis irreverenter exacuit, & eo ſuperſtite neophytum in Conſtantinopolitana eccleſia conſecravit: quin potius & adverſus ſedis iſtius decreta contumax eſſe non deſtitit, qui pro ſe, non contra ſe, ipſius ab ea decreta paulo ante data tamquam ingratus non recolit, & velut tergiverſator arma præparat adverſus arma, ſibi tutelam ſalutis non modice conferentia, & murum deſtruere nititur, qui ne ipſe deſtrueretur fortiſſime cuſtodivit. Et agit nunc, quantum in ſe eſt, ut ea ſtatuta prorſus habeantur invalida, quæ, cum his ipſe egeret, ſupplex petebat, & ut fortiora eſſent adamante ſubmiſſius optabat, atque ut ſibi auxiliarentur, humiliter implorabat: nec non & contra ea repugnantes, forſitan tyrannos & ſacrilegos judicabat: niſi enim ſedes apoſtolica ei parceret, ille quomodo contra reverendiſſimum Ignatium poſſet exercere brachium non haberet. At ille uſus eſt ſedis apoſtolicæ bonitate in malignitatem, & beneficium in patris ſui convertit exitium. Dicite igitur, obſecro fratres, cum ita ſit, quomodo non debeamus nos Ignatium adjuvare, aut uſque ad audientiam, quantum in nobis eſt, indemnem non penitus conſervare? vel quomodo non poſſumus Gregorium & hos qui ex parte ipſius ſunt merito condemnare? quando Ignatius, niſi a nobis eſſet impeditus, ſic illos canonice forſitan ſterneret, ut eum nullo conamine potuiſſent impellere; iſtique non nobis hæſerunt, quos in adjutorium ſuum habere promptiſſimos meruerunt, nec a nobis conſilium acceperunt, uti cum patriarcha ſuo vel pacificari, vel canonice judicari potuiſſent, ſed vires ſuas a nobis, ne frangerentur, ſervatas, adverſus eum protinus præpararunt. Unde quæſo perpendite, quantum nos nunc Ignatio debitores ſimus, qui ſibi obſtaculum, & inimicis ejus facti ſumus defenſionis umbraculum: quamvis nos non ideo judicium iſtorum diſtulerimus, ut ei nocendi jacula præpararent, ſed ut ſic ſententia in hos prolata valetudinem haberet, ut a nobis examinatio præcederet; & rurſus ſic ab iſtis in eum objecta penitus coram nobis admitterentur, ut partis Ignatii perſona vocata, vel convicta, noſtræ præſentiæ non deeſſet. Quamobrem dilato parumper judicio, & interim infirmata ſententia, miſſum eſt utrique parti, ſedis apoſtolicæ præſulis præſentandum obtutibus, ac ejus, ut par eſt, ſubjiciendum definitionibus. Sed dum pars Ignatii properandi diſponit iter, hoſtibus ejus viribus reſumptis non jam ſedem apoſtolicam petentibus, non Petri memoriam facere dignantibus, Ignatius trahitur, impellitur, & innumeris malis affectus ab eccleſiæ regimine ſequeſtratur. Et hoc totum factum eſt, eo quod prædicti pontifices utrique parti æquitatem ſervantes, & utriuſque partis audientiam præſtolantes, Ignatii non firmando ſententiam, immo vero interim infirmando, inimicis ejus quodammodo manum porrexerint, dum nimirum ſententiam in eos prolatam, non interim auctoritate ejuſdem ſedis apoſtolicæ roboraverint, ſed uſque in præſentiam ejuſdem deferri decreverint.

Quamobrem, cariſſimi, quia quaſi per nos inventa eſt Ignatii dejectionis materia; idcirco præter id quod frater adjuvari debet a fratre, præter id etiam quod Petro cujus in terris, licet indigni, vicem gerimus, Chriſti oraculo peculiariter dicitur: *Confirma fratres tuos*, etiam pro hoc ſpecialiter eum non ſolum adjuvare & confirmare, verum etiam, ſicut ipſi poteſtis advertere, totis nos pro illo niſibus oportet omnia decertare, ut videlicet totum in illo funditus aboleatur, quod per nos lædendi fomitem adverſariis ejus reperientibus, ei violentiam inferre monſtratur, totumque recipiat, Chriſto propitio: quod dum nos moderate ac regulariter egimus, ipſe præjudicialiter amiſiſſe dignoſcitur; quoniam & præfati deceſſores noſtri, Leo ſcilicet & Benedictus beatæ recordationis pontifices, ſi tale quid diebus eorum Gregorius vel complices ejus patraſſent, videlicet, ut abuſi tanto compaſſionis & patientiæ ſedis apoſtolicæ circa ſe beneficio, in Ignatium manus ſuas injeciſſent, aut adverſus eum, ipſis ſanctis præſulibus inconſultis, linguas ſuas taliter exacuiſſent; profecto eos tamquam magiſtros inquietudinis, & ipſos ſe, ſole clarius obnoxios oſtendentes, ſine quavis retractatione protinus condemnaſſent, & tantum piaculum impietatis eorum deſtruere ardentiſſime ſtuduiſſent. Sed quia illi divina vocatione ab hac convalle lacrymarum ſubducti ſunt, hanc tyrannidem nondum intuentes, nos debemus in eorum labore ſuccedere, qui ſucceſſimus in honore, in cujus tempore crudelitas, quæ diebus ipſorum cœpit radices emittere, conſummata perpatuis,

Marginal notes: 1. Reg. 15. — Act. 4. — Rom. 13. — Matth. 18. — Luc. 22. — ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

ANNO CHRISTI 869.

ACTIO VIII. CONC. VIII. GENER.

Proinde nos, primo, quia ſedis apoſtolicæ, de tota eccleſia fas habentis judicare, moderamina retinemus; ſecundo, quoniam fratribus injuriam paſſis ſubvenire debemus; poſtremo, quoniam, ſicut jam diximus, oportet nos in eorum labore ſuccedere, in quorum ſucceſſimus pontificatus honore; quemadmodum ipſi deceſſorum ſuorum exempla ſecuti ſunt, & operis eorum ſtrenui cultores inventi ſunt; quod ipſi profecto agerent, adjuvante domino, habentes, quemadmodum illi, eumdem zelum juſtitiæ, ſeu privilegium dignitatis, ſtudioſe perficere procuravimus; nimirum, quod omittere procul dubio, ſicut noſſe cunctis clare tribuitur, non valemus; ſane, quia Gregorium neophytum conſecraſſe diximus, ne Photium quidam neophytum, quando quaſi in ſacerdotem conſecratus eſt, negent; ſancti papæ Gregorii, & Anglorum ampliſſimæ ac fideliſſimæ gentis apoſtoli (nam ſignaculum apoſtolatus ejus ipſi ſunt in domino) verba commemoremus, qui ait: Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initio in fidei erat converſatione plantatus, ſic modo neophytus habendus eſt, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores ſacros irrepſerit.

S. Gregorii epiſt. libro 7. indictione 2. epiſt. 110.

Præterea non omittendum eſſe credimus, nos commemorare præterito anno, per indictionem videlicet tertiamdecimam, epiſtolam ſub nomine principis conſcriptam, per Michaelem imperialem protoſpatharium ſuſcepiſſe, quæ tantis erat verbis contumelioſis, immo blaſphemiis reſperſa, ut reſcriptor ejus non niſi in gutture colubri calamum tinxiſſe putetur, & dictatoris labia pro dictionibus venena fudiſſe videantur; adeo ut ſi cujuſpiam ſimpliciorum cor penetrent (non enim hæc aures prudentium ſuſcipiunt) hunc continuo necent; nimirum tanto miſerabilius, quanto mors animæ magis, quam corporis per illum virulentum hauſtum admittitur. De cujus immanitate piaculi, licet Auguſto per jam fatum legatum jam nos ſcripſiſſe recolamus, eadem tamen nunc ſcribere veſtræ beatitudini ratum duximus. Denique opinati ſumus, & adhuc nihilo minus opinamur, quod pietas ejus tandem aliquando reſipiſcat, & de eccleſiæ Conſtantinopolitanæ reſtaurando ſtatu nobis ſalubria ſuadentibus acquieſcat: ſicque demum omnia ſcripta, quæ male ſunt compilata, non ſolum adverſus nos & hanc ſanctam eccleſiam, verum etiam contra fratrem noſtrum & comminiſtrum Ignatium, coram univerſa imperii ſui multitudine igni tradenda decernat. Alioquin jam cunctis eccleſiæ fidelibus quæ foret apoſtolicæ ſedis auctoritas, vel quæ fabricatoribus mendacii, ſeu inventoribus perverſorum dogmatum immineret ultio, profecto pateſceret. Impoſſibile eſt enim (quamquam noſtras nos ſpeciales injurias curare floccipendamus) ut tantorum ac talium ſanctorum patrum & propugnatorum catholicæ eccleſiæ, ac deſtructorum diverſarum hæreſeon, atque defenſorum orthodoxæ fidei, blaſphemias æquanimiter ſuſtineamus, vel etiam tantæ ſedis, ſive tam excellentis eccleſiæ Romanæ, cui Deo deſervimus auctore, contumelias perferamus. Verum, quamvis & de nobis humiliter ſentiamus, non tamen conſcientia dictante vera eſſe quæ de nobis perhibuit aſſeveramus, ſed, ut diximus, ea poſtponentes, illa potius quæ Jeſu Chriſti ſunt inveſtigamus; & ſi qua male congeſta adverſus ejus famulos, adverſus ejus ordinationes, adverſus ejus diſpoſitiones ſtabilita privilegia reperiuntur, nulla patientia toleramus; & non ſolum hæc deſtruere totis viribus anhelamus, verum etiam conflatoribus tantæ perverſitatis dignam viciſſitudinem reddere neceſſario meditamur: nimirum, ne hos quis impunitos intuens, aut nunc aut futuro tempore deinceps talia præſumat præſtigia falſitatis componere, vel commenta blaſphemiarum hujuſcemodi figmentis contrahere.

Quapropter eidem imperatori ſublimiſſimo per epiſtolam præſulatus noſtri cohortando direximus, in qua etiam vos ad votum noſtrum laborare ſummopere convenit, quatenus diligenter inquirat, atque ſcrutans, ſi ſua illam non fuiſſe præceptione tam cœnoſam invenerit confectam, immo toxicatis ſyllabis infectam epiſtolam (ut interim de tot præſtigia texentium pœna taceamus) quæ illos ſe zelo veritatis flagrantes involvere convenit; ſaltem hujus ſocia accepta, & palam cunctis igne ſuccenſa, per auguſtales ſuos tam nobis, quam omnibus ad quorum notitiam pervenit, deſtinatos apices competenti ſatisfactione a tam perverſo ſenſu, & tam profanis adinventionibus, quod a ſenſu ſuo non fuerint commentis tradita, ſe exhibeat prorſus immunem. Jam vero ſi ſibi in multis hujuſmodi ſolicitudinibus occupato ſurreptum eſt ut alia ſcribere mandaret, ne pigeat clementiam ejus etiam hoc ipſum humiliter confiteri, & legibus ſuis, ut hujuſmodi ſcripta nullius habeantur momenti, decernere: ita ut penes quem reperta fuerint, impunito non evadente, ipſius quoque ſæpe memoratæ ac ſemper execrandæ epiſtolæ, vel exemplaris ejus apices, intemeratis pro reverentia manentibus ſacris dictionibus, flammeo dedantur igni vorandi: & ut ſiniſtræ opinionis nævo, quem ex blaſphemis ſcriptis incurreret, carere valeat, & ingratus filius circa matrem ſuam, ex qua imperandi faſtigium ipſe & patres ſui ordine cælitus diſpoſito percepit, nullatenus appareat. Sin autem, ſcitote quoniam poſtquam in hac eum pertinacia perſiſtere fine tenus velle compererimus, primum quidem congregatis cunctarum occidentalium regionum venerabilibus ſacerdotibus, dictatores & diſpoſitores, atque præceptores tantæ fallaciæ, ſeu crudeliſſimæ derogationis ſanctarum vel paternarum traditionum ab omni Chriſtiana compage remotos, apoſtolica Petri auctoritate, diris anathematis vinculis innodabimus: necnon & patrum ac prædeceſſorum meorum ſecuti veſtigia, qui ſoliti ſunt etiam numeroſorum concilia nequiter celebrata caſſare pontificum, ſi qua ſocia ſunt, crebro dictæ, vel exemplaria fortaſſis epiſtolæ: quin potius non ſolum hæc, ſed & omnia ſcripta, quæ vel adverſus fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium inique confecta, vel adverſus nos cauſam illius canonice proſequentes furioſe deprompta ſunt, perenni damnationis mandabimus. Deinde vero decernentibus nobiſcum, & ſimul conſiderantibus eiſdem ſanctiſſimis fratribus & coepiſcopis noſtris, ipſam epiſtolam in ſtipite videntibus cunctis ſuſpenſam, vaſto ſuppoſito foco, ad vituperium imperialis apicis coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam ſancti Petri multiplices inveniuntur, extremæ perditioni donabimus, quatenus his rite patratis, diſcat pius quod amet, & crudelis quod timeat. Nam tot & talia blaſphemiarum commenta, quin potius veracium literarum depravationes, audiſſe & tacuiſſe, conniviſſe eſt.

Quamobrem, venerabiles fratres, valde mihi, ſicut ipſi comprehendere poteritis, cavendum eſt; ne, ſi nos præſtigiorum figmentis minus celeriter obviaverimus, tamquam vera recognita, vel comprobata, hæc admiſiſſe fallaciter apud ſtolidos exiſtimemur. Nec poſſumus in eccleſia Dei diſſimulando tam ſpuria reliquere germina, quæ anteceſſorum noſtrorum beatiſſimorum pontificum tempore, aut nunquam exorta, aut certe ſi undecumque vel quomodocumque exorta ſunt, eorum judicii ligone antequam proficerent, radicitus extirpata ſunt. Deſtruat ergo, etiam vobis hortantibus, ipſe, & diſſipet illa; alioquin a nobis fore deſtruenda, ſeu funditus diſſipanda, modo quem prædiximus innoteſcite: quamvis antequam nos iſta vobis ſcriberemus pro quibus nunc ſublimitatem ejus hortamur, hoc ipſum ſponte facturum eſſe putaremus. Sed quia quod putatum eſt nullum effectum hactenus habuit, idcirco nos ſalutem ipſius illæſam manere volentes, ut hoc nunc ſaltem agat affectu paterno monuimus: alioquin, ut jam præfati ſumus, ſic Deo favente de cetero vigilabimus, & ſtudiis quibus poſſumus inſiſtemus, ut inter exanimes computentur, qui in auctoritatem Petri non conſenſerint, immo Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint; ita ut nec iſta, quæ pernicioſe compilata ſunt, defendere, nec his ſimilia, ut non dicam ſcripto tradere, vel in mente volvere quis ulterius audeat. Non enim figmenta, quæ ordinationi Dei reſiſtunt, quæ euangelicis vocibus contradicunt, quæ ſanctorum patrum definitionibus obviant, quæ ſynodicis conſtitutionibus adverſantur; quæ ſi ſic dimittantur, innumera poſſunt fidelibus auxilia Petri quærentibus inferre diſpendia, incolumia ſine diſcrimine noſtro valemus deſerere: & exiſtimationi noſtræ vel poſt diſceſſum noſtrum, tantum, quod abſit, nævum ad deſtructionem ſimplicium, & mutilationem ſedis apoſtolicæ privilegiorum relinquere. Ceterum caritas unanimitatis veſtræ de fratris & comminiſtri noſtri Ignatii ſanctiſſimi patriarchæ dejectione nobiſcum doleat, & quæ prævalent ei ſolamina nobiſcum exhibeat. Nam ſi juxta apoſtolum, *quod patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*; quanto potius compatiendum eſt illi, quod inter cetera membra præcipuum tenuiſſe locum dignoſcitur? Unde ſi non pro unius & ſpecialis perſonæ præfati fratris noſtri repulſione; vel certe pro ſummi ſacerdotis conculcatione dolere, gemere, flere, currere, ac decertare debetis. Nam ſi licitum fuerit ſæculari poteſtati de eccleſiæ domini præſulibus taliter judicare, vel ſi rurſus fas extiterit inferioribus, de prælatis ſibi tam temere iſta patrare, perpendite ne ad perniciem veſtram, immo totius eccleſiæ nunc & futuris temporibus præſumptio talis prævaleat. Quod ſi attenditis, ecce jam cernitis: nam impietas tantum caput extulit, ut eccleſiarum præſulibus poſtpoſitis, & ordine canonico conculcato, laici nunc eccleſiaſtica moderamina teneant, & pro libitu proprio modo iſtos removeant, modo illos in locum eorum promoveant, & rurſus quos nunc approbant, poſt modicum mentis victi levitate repellant. Ut enim ſæculares ac laici homines quælibet ſcelera valeant licenter committere, & pro his a nullo pontificum, qui ex clero promotus hæc ſumma poterat auctoritate compeſcere, libere redarguantur. Nec de clericorum catalogo permittunt ad ſacros ordines provehi, qui vitam eorum tanto audacius, quanto diutius ac familiarius ſub Chriſto duce forti militantes, fortius comprimere poſſent: ſed ex ſeipſis eligunt, qui facta eorum tanto minus præſumant arguere, quanto ſe paulo ante de eorum cœtu favore ipſorum promotos meminerint: quod illis partibus tanto familiarius agitur, iſta præſumptio videlicet ut ex laicis ſubito tondeantur, & in epiſcopos conſecrentur, quanto ex conſuetudine hac inoleviſſe teſtantur, quam nos econtra tanto ſtudioſius ex eccleſia Dei eradicare volumus, quanto nimium noxæ jam eſſe clericis & omni religioſæ plebi ſupra docuimus, quantoque ſcimus ex ſacris canonibus, quod non minus mala conſuetudo, quam pernicioſa corruptela vitanda ſit: & ſcimus, quod paulatim creſcens jam peſtiferæ nequitiæ germine multos invaſerit, adeo ut temeritas hæc tantum excreverit, ut jam minime clericis egeant, dum contra ſacros canones ex ſeipſis ſubito tonſuratum quem voluerint eligant, & ad labores clericorum mentis oculos non inflectant. Ac per hoc fit, ut alienus comedat ipſorum fructus laborum, & ſtipendia meritorum extraneus hoſtis inſperatus ſurripiat, ita ut nihil proficiat clericis in caſtris dominicis militaſſe, vel gradatim per ſingulos eccleſiaſticos ordines aſcendiſſe, dum alter ſaltu hos omnes tranſcendit, & repente principatur eis, qui inter eos nec contra ſpiritales hoſtes arma ſuſtulit, nec diverſis eccleſiæ adverſariis pro veritate prælians aliquando reſtitit. Quantum autem ne de laicis temere quilibet ad epiſcopatum eligatur, ſacri canones cum aliis prohibeant, Sardicenſes oſtendunt, Oſio epiſcopo capite 13. dicente: Et hoc neceſſarium arbitror, ut diligentiſſime tractetis, ſi forte aut dives, aut ſcholaſticus de fori adminiſtratione epiſcopus fuerit poſtulatus, ut non prius ordinetur, niſi ante & lectoris munere, & officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus, & ita per ſingulos gradus, ſi dignus fuerit aſcendat ad culmen epiſcopatus. Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide ſit, qua modeſtia, qua gravitate & verecundia, &, ſi dignus fuerit probatus divino ſacerdotio illuſtretur: quia conveniens non eſt, nec ratio, vel diſciplina patitur, ut temere & leviter ordinetur, aut epiſcopus, aut presbyter aut diaconus, qui neophytus eſt: maxime cum magiſter gentium beatus apoſtolus ne hoc fieret denuntiaſſe & prohibuiſſe videatur: ſed hi, quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata. Contuemini ergo, & futura, immo urgentia mala conſpicite: medici eſtis, imminentes morbos per præcedentia ſigna prævidete: epiſcopi eſtis, exurgens in eccleſia Chriſti horrendum exitium perſpicite: ſpeculatores eſtis, in altam mentis arcem conſcendite, & in gregem dominicum feram peſſimam irruere cupientem a longe contemplamini. Quaſi tuba exaltate vocem veſtram, & annuntiate populo Dei ſcelera eorum: ſuper montem excelſum, id eſt altitudinem virtutum, aſcendite. Qui euangelizatis Sion, ſtate in fortitudine, poteſtatibus hujus ſæculi ex adverſo aſcendite, & murum pro domo Dei opponite, ac quibuslibet poteſtatibus inique agentibus contra ire: ſicque fiet, ut nec ſicut canes muti de taciturnitate argui valeatis, nec de talenti occultatione diſtrictam domino rationem reddere compellamini; voſque epiſcopos & conſacerdotes noſtros, immo eccleſiam Chriſti illis in partibus conſtitutam ab ingenti pernicie ac noxia labe ipſo juvante laudabiliter eruatis, mirabiliterque regatis. Verum nos de ipſis hæc vobis ſcripſiſſe ſufficiat. Pax autem Dei, *quæ exuperat omnem ſenſum*, præcordiorum veſtrorum intima penetret: & quam de ſalute omnium veſtrum ſoliciti ſimus, vobis Deus omnipotens

ANNO CHRISTI 869.

ACTIO VIII. CONC. VIII. GENER.

1. Cor. 12.

1. Tim. 3.

Iſa. 58.

Philipp. 4.

potens clementer aperiat: & quomodo vos cupiamus in viſceribus Chriſti, & in eccleſiæ gremio continere, quæ diffuſa in orbem terrarum, quaſi unus Chriſti thalamus eſt, atque in ſancta communione una nobiſcum perſiſtere, ut unum ſapiamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata, illuminationis ſuæ gratia revelare dignetur, ita ut de correptione fidelium congaudentes & congratulantes, uno animo & uno ore glorificemus & collaudemus Deum, Patrem videlicet, & Filium, & Spiritum ſanctum per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

1. Cor. 1.

Quiſquis autem hanc epiſtolam noſtram Conſtantinopoli legerit, & eorum notioni quibus miſſam eſſe intellexerit, quidquam ex iis quæ in ea ſunt occultaverit, ſi locum poteſt invenire ſufficientem, anathema ſit. Quiſquis etiam interpretatus eam fuerit, & ex ea quidquam mutaverit, vel ſubtraxerit, aut ſuperaddiderit, præter illud, quod idioma Græcæ dictionis exigit, vel interpretanti ſcientiam intelligendi non tribuit, anathema ſit.

Et poſt completionem prænominatæ epiſtolæ, aſcendens Theodorus devotus a ſecretis legit epiſtolam, quæ delata eſt per Theognoſtum reverendiſſimum exarchum ad Baſilium piiſſimum imperatorem, quæ & miſſa fuerat ab Hadriano ſanctiſſimo papa Romano.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo filio, & Chriſtianiſſimo imperatori Baſilio a Deo protecto, ſemper Auguſto.*

QUoniam, tranquilliſſime imperator, audiſti vocem Dei, per apoſtolicæ ſedis officium tibi delatam, & honoraſti eximios ejus apoſtolos, & reſtituiſti eccleſiæ Conſtantinopolitanæ throno proprium paſtorem, repellens adulterum, benedictus ſis ab omnipotente Deo, & videas ſubjectionem inimicorum, & temporis longitudinem, ac in ſolio tuo de lumbis tuis heredem, atque in futuro vitam perpetuam; ſi tamen ab iis quæ bene cœpiſti non diſceſſeris, ſed uſque in finem in eis perſeveraveris, o ſpiritalis & dilectiſſime fili; licet, vobis quolibet modo agentibus, a decretis ſanctæ memoriæ præcipui deceſſoris mei papæ Nicolai, quæ de Photii depoſitione, & recuperatione Ignatii fratris & conſacerdotis noſtri promulgavit, nunquam quoquomodo diſcedamus. Tanto enim volumus illius decretis concordare, quanto ipſe, cum hæc ageret, divinis præceptis concordare ſtudebat. Nam & hoc neceſſarium eſt, ut cuſtodiens prædeceſſorum meorum decreta, doceam poſt deceſſum meum & mea quoque ab iis qui poſt me fuerint nullo modo violanda. Poſtquam autem cognovimus, quod miſericors Deus imperium veſtrum ſimul & affectum ad hoc erexerit, ut diſperſa congreget, & quæ ceciderant erigat, & contrita reſolidet; fiducialiter poſſumus, Deo gratias, depoſcere, ut ii, qui abjecti ſunt, ab imperio veſtro recipiantur, & ii qui diſperſi congregentur. Quapropter prudentiſſimum virum Theognoſtum honorabiliſſimum exarchum veſtræ fiduciæ remittentes commendamus; qui legatione, tam pro fratre & comminiſtro noſtro Ignatio, quam pro ceteris contribulatis functus, per ſeptennium apud principis apoſtolorum limina ut peregrinus & incola vixit, & eorum confeſſionibus memoriam veſtram aſſidue commendavit; & a die adventus ſui uſque ad præſens pietatis veſtræ præconia enarrare, & eccleſiæ manifeſtare vulnera, & horum medelam exigere non deſtitit. Nunc ergo, quoniam & iſte unus ex illis eſt, qui poſtquam lupus factus eſt paſtor, continuo diſperſi, & a vobis pie omnia regentibus iterum congregati ſunt, revocetur & ipſe petimus, & in mandra fidelium omnium a clementia veſtra locetur, & inter lætantes pios filios paterno affectu poſt longæ captivitatis reverſionem connumerari mereatur; & ob amorem Dei & protectorum veſtrorum principum apoſtolorum honorem, a quorum regimine proficiſcitur, manſuetudinis veſtræ auxilia ſentiat, & poſt turbationem ſerenitatem, & poſt tempeſtatem tranquillitatem, & poſt multa adverſa optatæ proſperitatis effectum, quatenus per patronorum veſtrorum interceſſiones, principum videlicet, a quorum ſede remittitur; & quorum principatum pro eccleſia veſtra, quæ valde fluctuat, die ac nocte interpellare per multa curricula non ceſſavit: a miſericorde Deo, quem in famulis ejus honoratis, & hic vobis felicitas continua & inimicorum ſubjectio, & in futuro æterna gloria & infinita præmia, inſuper & regnum cæleſte cum ſempiterna vita præſtetur. Optamus imperium veſtrum in Chriſto nunc & ſemper valere, o ſpiritualis & dilectiſſime fili. Data Kalendis Auguſti, indictione prima.



An. Ch. 868.

Deinde poſt hanc legit Nicephorus devotus notarius epiſtolam, quam miſit idem ſanctiſſimus Hadrianus per jam dictum reverendiſſimum exarchum ad Ignatium ſanctiſſimum patriarcham.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei honorabiliſſimo fratri & conſacerdoti noſtro Ignatio ſanctiſſimo patriarchæ Conſtantinopolitano.*

COnvenerat, ſanctitatem tuam, licet nos ad ſui adjutorium primum minime provocaverit, ſaltem nunc ſuper reſtitutione ſua, quæ facta dicitur, lætificare nos, anhelantem proprias nobis literas deſtinare. Verum, licet hoc minus ſtuduerit agere, ſaltem gratiam divinæ miſerationis, quæ in te mirabiliter operata eſt, non taceres. *Secretum enim regis*, ſecundum quod ab angelo Tobiæ dicitur, *celare bonum eſt, opera vero Dei enarrare, mirificum.* Verumtamen conſolatur nos conſcientia, quæ non tantum nos, quantum apoſtolicæ memoriæ deceſſorem meum beatiſſimum papam Nicolaum, non tam pro te, quam pro caritatis cuſtodia decertaſſe teſtatur. *Si enim, qui diligunt nos tantum dilexerimus, quam mercedem habebimus?* At quoniam frater noſter es, ſi viderimus te neceſſitatem habere, & clauſerimus viſcera noſtra a te, quomodo caritas Dei manet in nobis? Igitur ſcito, quia in iis quæ deceſſor meus ſanctæ memoriæ papa Nicolaus pro perſona tua, & iis qui tecum in tribulationibus non defecerunt, inſuper & pro eccleſia Conſtantinopolitana plurimum laborans ſtatuit & definivit, & nos ſimiliter manemus, & permanebimus: & ſicut ipſe ad horam mortis ſuæ uſque, tam pro te, quam pro iis qui tecum ſunt, in præfata eccleſia nequaquam ceſſavit procurans, ita & nos, auctore Deo, uſque in finem in opere pietatis hujus nulli torpori dabimus operam; debemus enim ipſius ſequi laborem, cui gratia Dei, ſucceſſimus in honore. Præterea communem filium Theognoſtum, reverendiſſimum exarchum, & dilectum nobis, ecce ad vos tranſmiſimus, qui ex perſequentibus æmulatoribus tuis illinc nudus ſalvatus, quin & mutato habitu vix huc pertingens vitam lucratus eſt, deinde apud memorias apoſtolorum per ſeptem ferme annorum curricula ut

Tob. 12. Math. 5. Joan. 1.





ut hoſpes & advena demoratus, non tantum propriam miſeriam, quantum ſanctitatis tuæ preſſuram, & Conſtantinopolitanæ eccleſiæ calamitates pæne inceſſanter deflebat; ita ut non ſolum antea jam dictum deceſſorem meum, ſed & me poſtea nocte ac die indeficienter erigere, & pro ſtatu tantæ eccleſiæ, & erectione veſtra crebris ſuaſionum ſtimulis latera percutere; & quemadmodum angelus quondam, *Surge Petre, accipe fortitudinem ad ſalvandas gentes*, per ſingulos dies nobis dicere non ceſſaret; quouſque auditum, Deo præſtante, ſuſcepit, quod ardenter ſemper in pectore bajulabat.

Act. 5.

Qua de re, frater dilectiſſime, ſanctitati tuæ hunc commendantes, rogamus & deprecamur, quatenus circa ſe ſentiat beneficii tui propoſitum: & ſicut veſtræ factus eſt communicator paſſionis, ita ſit & conſolationis; etenim dignus eſt operarius mercede ſua; non autem, ut familiaris noſter factus, ſed & ut a ſede principis apoſtolorum ſuſceptus, hic debet ob amorem ejus, non qualemcumque in conſpectu ſanctitatis veſtræ gratiam invenire. At vero, ſi ad apoſtolicam ſedem quoſdam mittere diſpoſueris, hunc ſpecialiter volumus præ ceteris mitti; ut & de proſperitate tua, quemadmodum & optamus, gratificari, diſpoſitionem & ordinem & cauſam eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſecundum diligentiam quam de omnibus nos eccleſiaſticis negotiis certiſſime ſcire velle cognoſcit, apoſtolatui noſtro referre maturet. Commendamus autem ſanctitati veſtræ & Euthymium glorioſiſſimum ſpatharium, qui Romam imperialem ferens legationem, primus nobis, & eccleſiæ noſtræ de fraternitate veſtra quod ſemper optavimus annuntiavit, & divinam circa te miſericordiam, & ſanitatis tuæ recuperationem innoteſcens, omnes gratulabundos effecit. Pro quo rogamus, ut & iſte ſentiat in opportunitate præſidium veſtrum, & affectu amoris noſtri protectionis veſtræ ſolamina conſequatur. Optamus tuam ſanctitatem nunc & ſemper bene valere, dilectiſſime frater & comminiſter. Data Kalendis Auguſti, indictione prima.

1. Tim. 5.

An. Ch. 868.

Sicque lecta eſt epiſtola a Leone glorioſiſſimo protoſpathario & a ſecretis, quæ miſſa eſt ad Baſilium piiſſimum & amicum Chriſti imperatorem ab Hadriano papa Romano per Donatum & Stephanum & Marinum honorabiliſſimos vicarios. *Hæc ſcripta eſt in prima actione.* Deinde aſcendens Damianus reverendiſſimus regius clericus & interpres legit epiſtolam quæ ad ſanctiſſimum patriarcham Ignatium ab Hadriano ſanctiſſimo papa miſſa eſt, quæque allata eſt per jam dictos reverendiſſimos vicarios. *Et hæc præſcripta eſt in tertia actione.* Et poſt legit Thomas reverendiſſimus ſubdiaconus geſta ſynodi quæ facta eſt ab Hadriano ſanctiſſimo Romanorum papa.

*Allocutio papæ Hadriani prima ad concilium quod convenit contra Photium, lecta per Joannem archidiaconum ſanctæ Romanæ eccleſiæ.*

CUm debeamus, o fratres & filii dilectiſſimi, dominici agri ſtrenui & ſolertes eſſe cultores, & ſpiritualibus ad purgationem ipſius cæleſtium præceptorum uti ligonibus, oportet, ut ſi quas in eo ſpinas, ſi qua germinare venenoſa conſpicimus, pari labore unanimique zelo hæc radicitus extirpare ſtudentes, arripiamus examinis raſtrum, & falcem judicii concordi certamine proferamus, ne quæſo in nos exprobrantis affectu dicatur: *Meſſis quidem multa; operarii autem pauci.* Conſonanter autem cariſſimi, laboremus, & in agro dominico jugiter quidem, ſed nunc potiſſimum operemur, quando videlicet in eccleſia, quæ apertiſſime dominicus ager appellatur, auctore Photio nova præſumptio & inaudita eſt orta temeritas. Siquidem hic Photius, cum adhuc mundanus miniſter eſſet, genuinam quodammodo ſemper invidiam adverſus fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium Conſtantinopolitanum patriarcham in pectore geſtans; & ad præſulatus culmen non gradatim, vel ſenſim conſcendere, ſed præcipitibus eo ſuperſtite paſſibus tranſilire geſtiens, ſemetipſum ab ejuſdem beatiſſimi præſulis communione fecit extraneum: & per hoc ab univerſali eccleſia, quæ ipſi beatiſſimo patriarchæ communicabat, ſe reddidit prorſus exortem, atque inter ſchiſmaticos procul dubio conſtitutus, contra ſacros apoſtolicos canones ſæcularibus uſus poteſtatibus, eccleſiam Conſtantinopolitanam tyrannica & adulterina temeritate pervaſit tandem, videlicet indebita uſurpando, foras oſtendens, quod intus, prohibita concupiſcendo, cordis antro gerebat, & ſimulationis velamine contegebat, nil eſſe profecto intelligi dans cauſam ſciſſionis a patriarcha ſuo, vel deſertæ communionis a tota eccleſia, niſi peſſimos anhelitus ambiendi pontificatus inſulas, & ſublimioris obtinendi dignitatis & poteſtatis habenas: quibus nimirum deinceps abuſus, & repente non mente ſed habitu mutatus, exilia & diverſa diſcrimina, ſed & mortes in Chriſti ſacerdotes, & ceteros fideles, tot ac tantas intulit, ut Diocletiani ſævitiam imitari per omnia videretur. Propter quæ vel his ſimilia, ſanctæ memoriæ deceſſor meus Nicolaus hujus apoſtolicæ ſedis antiſtes fraterna victus caritate, primo quidem non ſolum per miſſos, ſed & per literas illum merito reprehendens, competenter admonuit, & nullo ſe pacto in ejus poſſe promotione præbere conſenſum, ſcriptis idoneis patefecit. Deinde vero intuens nihil ſe proficere, ſed magis ac magis ad ulteriora ejus extendi tyrannidem, auctoritate ſimul divina & apoſtolica fretus, ſedis apoſtolicæ, cui præſidebat, pontificum morem ſecutus, *in promptu habens*, ſecundum apoſtolum, *omnem ulciſci prorſus inobedientiam*; hunc ad erectionem ab eo eliſorum, & innumerabilium refrigerium afflictorum, regulari ſententia, quia, ſicut ipſi noſtis, corrigere non potuit, deponendo proſtravit, & anathematizando ab ordine, quem latronis more ſortitus fuerat, ſequeſtravit. Cujus rei gratia idem Photius inflammatus, non ſolum non eſt reverſus ad percutientem ſe, nimirum qui durior ſilice nec dura verbera ſenſit, & imitatus diabolum, nec poſtquam e cælo cecidit, ſuperbire ceſſavit, verum etiam conventicula malignorum ſæpe congregans, ſynagogam ſanguinum, cui ut princeps latronum ipſe præſedit, collegit: & ante quidem, ut ſæviſſimus patricida, patrem ſuum Ignatium reverendiſſimum patriarcham proprium perculit, & ad lucem pervenire, niſi extinctione parentis, poſſe deſperans, hunc inſtar atrocis viperæ perimere crudeli morſu non metuit. Poſt hæc vero poſuit in cælum os ſuum, & lingua ejus tranſiit ſuper terram, dum videlicet contra divinam ordinationem, cælitus in beati Petri principis apoſtolorum primatu diſpoſitam, putridi gurgitis guttur aperuit, & adverſus ejuſdem regni cæleſtis clavigeri apoſtolicam ſedem, & præcipuam ac ſummam dignitatem & poteſtatem, linguam ſuam more ſerpentis exacuit; vitam ſcilicet deceſſo-

Math. 9. 2. Cor. 10.

ANNO CHRISTI 869.

ceſſoris mei beatæ recordationis papæ Nicolai laceſſere nullo modo metuens, nec nobis, qui ejus vix digni famuli, ut non dicam ſequaces, extitimus, parcere utcumque conſentiens, ſed utroſque maledictis impetere, quantum in ſe fuit, & blaſphemis inficere verbis exiſtimans, falſitatis præſtigia fingere conatus; & neſcio quæ Pythonica eſt ſomnia vel argumenta, compilando procul dubio, commentatus. Et certe quis ille pater noſter, vel quantus aut qualis extiterit, omnes, qui morum ejus inſignia, vel virtutum trophæa recolitis, plenius agnoviſtis; quomodo ſcilicet in hujus tetri caliginoſo ſæculi curſu ſero tandem ſicut novum ſidus apparuerit, quinimmo quaſi Phœbus in æthere præ cunctis aſtris effulſerit: quomodo hunc nec blanda quæque frangere potuerint, nec aſpera perturbare: quomodo etiam nec mundi principibus, Michaeli ſcilicet & Bardæ contra juſtitiam faverit; quos nimirum, ſe murum opponens pro domo domini, ſæpe redarguit, & his inique agentibus frequenter intrepide reſtitit. Ergo, dilectiſſimi fratres & filii, conſiderate quid ſuper hujuſmodi temeritate ſit nobis agendum, vel quid de conciliabulo illo, vel profanis ipſius actis per miniſterium noſtrum exiſtat, fore deliberandum, quid etiam de iis qui interfuerunt, vel manu propria ſubſcripſerunt, ſic ab unanimitate omnium noſtrum definiendum; intente tractate, & libere ſinguli quæ ſentitis edicite. Ego tamen pro lege Dei, pro paternis conſervandis canonibus, pro veneratione apoſtolorum, pro privilegiis defendendis ſedis ipſorum, proque ſanctæ mentionis deceſſoris mei papæ Nicolai prædicanda memoria, & ſequentibus actibus, atque celebrandis definitionibus, non ſolum varia incommoda perpeti, verum etiam more ſanctorum prædeceſſorum meorum pontificum in promptu habeo, ſi neceſſe ſit mortis ſuſtinere diſcrimen.

*Reſponſio concilii prima, quæ lecta eſt a Gauderico honorabiliſſimo epiſcopo Veliternenſium eccleſiæ.*

Quia cor apoſtolatus veſtri gratia ſancti Spiritus conſpicimus illuſtratum, repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione; ideoque innumeras laudes & cantica ſpiritalia domino decantamus, & pontificium veſtrum divinæ majeſtati perpetuo conſervandum quotidie commendamus; quia paternarum traditionum ſtrenuus executor, & ſedis apoſtolicæ privilegiorum diligens conſervator, atque apoſtolicæ memoriæ deceſſoris veſtri conſtitutorum ferventiſſimus, ut cernimus, zelator exiſtis, & ejus quodque ſalutiferum & apoſtolicum decretum, tamquam patrum teſtamentum, utpote pius heres, exequeris. Debes enim ipſius in omnibus flagrare zelo pietatis, cujus nimirum locum poſſides dignitatis. Ille vero Photius, qui pro eo, quod forenſis & curialis reipublicæ miniſter exiſtens, extemplo in eccleſiæ ſepta tranſcendit, & ut lupus rapax gregi non parcens, non ſolum in alienorum ſtipendia meritorum quaſi prædo ſævus irrupit, verum etiam deinde in cathedra * peſtilentiarum ſedens, tam præſulibus, quam filiis eccleſiarum longa exilia, dira flagella; & ut breviter omnia comprehendamus, extrema pericula, latronis inſtar, callide præparavit, depoſitus & anathematizatus exiſtit, concilium convocare non potuit, & damnatus alios damnare nequivit. Sicut etiam, cum hic ipſe de-

* λοιμῶν, peſtilentium hominum.

ACTIO VII. CONC. VIII GENER.

A poſitionis ruinæ ſubactus, quemquam deponendi jura non poſſidet, & multiplicis obligationis reſtibus involutus, neminem quibuslibet innodandi nexibus uti facultate, patenti ratione convincitur. Ergo quia ſuper hoc videmus impletum quod per pſalmiſtam canitur: *Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo: non eſt timor Dei ante oculos ejus. Quoniam doloſe egit in conſpectu ejus: ut inveniret iniquitatem ſuam & odium. Verba oris ejus iniquitas & dolus: noluit intelligere, ut bene ageret. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo: aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit. Succendatur ſicut ignis zelus tuus*, o domine beatiſſime papa, *& accinge ſicut vir lumbos tuos*, & injuriam ſedis apoſtolicæ ut juſtus judex ulciſcere. Ecce enim ange-
B lus domini tua, ut quondam Petri, latera tundens, ut deſidiæ ſoporem deponas admonet, ut ad ſalutem gentium cum Petro ſurgas hortatur. Ecce alius Ananias fallax videlicet Photius, immo damnabilior Anania Photius comprobatur. Quapropter conſidera, quia ſi ille de proprio ſemel mentitus mortis pœnam incurrit; quot Photius mortium reus eſt qui de eo ſuper quod jus nullum habuit, non ſemel, ſed crebro, non unum, ſed plurima falſitatis figmenta compoſuit? Quapropter oramus te, domine coangelice papa, ut eumdem habens ſpiritum fidei, eumdemque zelum pietatis, quem & patres tui ferventiſſimi præſules, conciliabulum cum geſtis ſuis, quod Conſtantinopoli nuper adverſus ſedis apoſtolicæ gremium, immo
C contra veritatem ſub tyrannice imperante Michaele congregatum eſt, ita ſententiæ veſtræ falce recidatur, ut nullum de eo monumentum, nullum remaneat omnino veſtigium, ſed ad ſui damnationem vel execrationem Ariminenſi ſynodo vel Epheſino latrocinio ſit modis omnibus comparandum. Ii vero qui vel interfuiſſe vel ſubſcripſiſſe in eo noſcuntur, nec non & ii qui vel ipſius conſcripta profani conciliabuli geſta defendunt, vel quoquo modo celare conantur, iterato vinculis anathematis innodentur: & niſi propria voce ac ſubſcriptione illa, quæ in eodem latrocinio fœtidis e faucibus eructata ſunt, anathematizarint, nullatenus ſaltem inter laicos in communione catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ recipi mereantur. Recte namque
D latrocinio comparari poteſt, cui Photius fautor, & hujus Michael fautor, videlicet dictus Auguſtus, auctores & præſides ad hoc intererant; ut conſentientes quidem ſecundum animam, non conſentientes ſecundum corpus perdere ſtuduiſſent: quod plane ſacerdotes Judæorum in templo vendentes & ementes olim feciſſe feruntur, dum ſcilicet iſto bifario genere mortis, plebem domini diſſiparent; unde dominus, domum ſuam ſpeluncam latronum per hujuſmodi machinamentum factam cauſatus, hos e templo perplexo flagello pepulit, innuens profecto, non miniſtros ſuos, ſed eſſe latrones, qui non ad hoc plebibus præſunt, ut has omni ſtudio ſalvent, ſed ut aut ſpiritali aut corporali prorſus interitu perdant.

Pſal. 35.
Act. 12.
Act. 5.

E

*Allocutio ſecunda pontificis, quæ lecta eſt per Marinum diaconum.*

Quod ſuggeſſit dilectio veſtra valde placet, & quod ita gerendum ſit ipſe quoque perpendo. Verum quia codex, in quo execrationes illius nefandi conciliabuli ſcriptæ ſunt, quem nobis per apocriſiarios ſuos, qui adſunt, tam & frater & coepiſcopus noſter Ignatius, quam etiam piiſſimus imperator Baſilius deſtinavit, apud nos hactenus retinetur, prævidendum ducimus, quid de illo faciendum ratio dictet, vel quid agen-

dum



ANNO CHRISTI 869.

dum exempla diverſa demonſtrent: ego tamen illud interim recolo quod apoſtolus dixit: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*; & alia ſcriptura: *Qui tangit*, inquit, *picem coinquinabitur ab ea*. Ergo quia nihil ab hæreticorum vel ſchiſmaticorum pravitatum commentis codex iſte actu non diſſentit, nimirum qui & ab ſchiſmatico, Dioſcorum in hoc imitante, Photio fictus, & totus mendaciis, & perverſis dogmatibus fabricatus exiſtit; hunc æque, ut illa, perpetuo anathemati duco ſubdendum, & contemplantibus cunctis, & præcipue Græcorum legatis, igni traditum, in cineres quoque conjicio redigendum; quatenus nec ſimpliciorum puritas illius contagione polluatur, nec fidelium mentes hujuſmodi colluvione quoquo modo ſaucientur: a planta quippe pedis, ut ita dixerim, uſque ad verticem ejus, nulla eſt in eo ſanitas. Honorandum concilium per Formoſum epiſcopum ſanctæ Portuenſis eccleſiæ exclamavit in hæc verba: Pia conſideratio ſummi pontificis: Juſta ſententia univerſalis eccleſiæ præſulis omnibus placet: omnes ita dicimus, omnes ita volumus, omnes hoc rogamus, omnes hoc totis præcordiis conſentimus.

1. Cor. 15.
Eccleſ. 13.

*Allocutio tertia præfati pontificis, quæ lecta eſt per Petrum diaconum & ſcriniarium.*

Intolerabilis eſt iſta præſumptio, dilectiſſimi, & hanc aures præcordiorum, fateor, ſuſtinere non poſſunt: quis unquam veſtrum tale quid, precor, audivit, vel quis hujuſmodi temeritatis, ſaltem lectione, immenſitatem invenit? Siquidem Romanum pontificem de omnium eccleſiarum præſulibus judicaſſe legimus; de eo vero quemquam judicaſſe non legimus: licet enim Honorio ab orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus libere reſpuendi: quamvis & ibi nec patriarcharum nec ceterorum antiſtitum cuipiam de eo quemlibet fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejuſdem primæ ſedis pontificis conſenſus præceſſiſſet auctoritas. Meminimus interea ſcriptum quod rege quondam Italiæ Theodorico papam Symmachum uſque ad damnationem impetere volente, & ideo quotquot potuit ex Liguria, Æmilia, Valeria, & ex diverſis regionibus, & ex Sicilia inſula hujus rei gratia epiſcopos Romam accurrere præcipiente, & his ad ſe venientibus dicente, plura ad ſe de papæ Symmachi actibus horrenda fuiſſe perlata, & in ſynodi, ſi vera eſſet inimicorum ejus objectio, judicatione conſtare; venerabiles antiſtites, ipſum, qui dicebatur impetitus, debuiſſe ſynodum convocare perhibuiſſent, ſcientes, quia ejus ſedi primum Petri apoſtoli meritum, vel principatus, deinde ſecuta juſſionem domini conciliorum venerandorum auctoritas, ei ſingularem in eccleſiis tradidit poteſtatem, nec ante dictæ ſedis antiſtites minorum ſubjacuiſſe judicio, in propoſitione ſimili, facile [a] formali * qua teſtaretur. Ad poſtremum vero iſti ipſi venerabiles præſules, cum vidiſſent quod non ſine ſui diſcrimine potuiſſent contra caput manus ſuas erigere, quidquid de ſæpefati Symmachi papæ actibus delatum fuerat, totum Dei judicio reſervarunt; ita ut ſinguli quique in ſubſcriptione ſua hoc patenter judicent, perhibentes: Laurentius epiſcopus eccleſiæ Mediolanenſis huic ſtatuto noſtro, in quo totam cauſam Dei judicio commiſimus, ſubſcripſi; ſimiliter Petro epiſcopo eccleſiæ Ravennatis, & ceteris

a) *Lege*, forma aliqua. H.
* *aliquid deeſſe videtur.*

Syn. Rom. IV. ſub Symmacho.

ACT. VII. CON. VIII GENER.

A epiſcopis ſubſcribentibus. Verum ſi hæc Photius non legit, quia Græce forte non reperit, ſaltem Joannem Antiochenum epiſcopum in Epheſina ſynodo recolere voluiſſet, idcirco damnatum, quia Cyrillum anterioris, id eſt Alexandrinæ ſedis antiſtitem damnare non metuit: unde præfata univerſalis ſynodus ad Cæleſtinum ſummæ ſedis noſtræ pontificem ſcribens, inter cetera dicit: Indignetur ergo tua religioſitas competenter pro his quæ facta ſunt; ſi enim data fuerit volentibus licentia, & majores injuriis ſedes afficere, & contra eas, in quibus non habent poteſtatem, contra leges, ſic & contra canones proferre ſententias, ibunt ad ultimam confuſionem eccleſiæ res. His ergo ita ſe habentibus, exem-
B pla majorum quærantur, & ſecundum hæc temeratores ſententiæ proferantur.

In epiſtola concilii Epheſ. ad Cæleſtinum. [illegible] in actione 5. ejuſdem concilii.

*Suggeſtio concilii ad ſummum pontificem, quæ lecta eſt per Benedictum notarium & ſcriniarium.*

Qui hanc temeritatem non extrema damnatione dignam exiſtimat, nec evangelium legit, nec apoſtolum prorſus audivit, in quorum quidem uno, dicente domino, legitur: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum*; in altero autem ſane præcipitur, ut omnia ſecundum ordinem fiant. Quomodo ergo temeratores iſti non ſunt facti ſuper magiſtrum, quando adverſus apoſtolicam
C ſedem, quæ ceterarum quoque ſedium magiſtra eſt, etiam os injurias evomens aperuiſſe probantur? Quomodo ſecundum ordinem omnia, juxta Pauli monita, facta ſunt, quandoquidem ordine præpoſtero, primo de ſecundis, * & de antelato poſteriores quique convicia potius quam judicia compoſuiſſe narrantur? Et præterea ſententia regularis, quæ ita ſenſit per Africanum concilium, dicens: Unuſquiſque noſtrum ordinem ſibi decretum a Deo agnoſcat, & poſteriores anterioribus deferant, nec eis inconſultis aliquid agere præſumant.

Luc. 6.
1. Cor. 14.
* *f. legendum ſecundi de primo.*
Concil. African. Can. 13.

Quam profecto regulam ſancta tertia generalis ſynodus ſequens Antiochenum damnavit Joannem; quod jampridem ſapientia veſtra meminit;
D quoniam adverſus potioris ſedis, id eſt Alexandrinæ, pontificem, prima ſede non conſentiente, auſus eſt proferre ſententiam. Quarta deinde magna & univerſalis ſynodus adeo hanc temeritatem execrata eſt, ut Dioſcorum Alexandrinum ſine reſtitutione damnaverit. Præſumpſerat enim & ipſe contra primæ ſedis privilegium, contraque jam memoratam regulam agens, cum eſſet poſterior, ſe anteriori præferre; & ordinem ſibi a Deo decretum non recognoſcens, de ſedis prælatæ pontifice magno, videlicet papa Leone, temere judicare: cum videlicet nec perſonam ſynodum convocandi habuerit, ut apoſtolicæ ſedis vicarii in eadem ſynodo proteſtantur: quippe qui ſecundum prælatum canonem,
E cum eſſet poſterior, inconſulto anteriori agere aliquid præſumere non debuerit; quanto minus generalem ſine ipſo ſynodum convocare, aut, quod deteſtabilius eſt, adverſus eumdem ſententiam quamlibet promulgare? Secundum hanc regulam, & iſta probabilium patrum exempla, omnes qui vel os aperire, vel manus extendere in illo nefando conventu adverſus ſedis apoſtolicæ dignitatem temere præſumpſerint, nulla profecto ratione poterunt exilire condignæ pœnæ vindictam, niſi eis divinitus inſpirata veſtra ſupernæ clementiæ ſequax occurrat apoſtolica moderatio: nemo quippe fidelium in injuriam

beati

Concil. Epheſ. loco ſupra citato.
Concil. Chalced. act. 3.

ANNO CHRISTI 869.

beati Petri principatus impune prorupit, in cujus videlicet contumeliam, ut ſanctus Bonifacius papa ſcribit, quiſquis inſurgit, habitator cæleſtium non poterit eſſe regnorum. *Tibi*, inquit, *dabo claves regni cælorum*; in quod nullus abſque gratia janitoris intrabit: & rurſus: Nemo unquam apoſtolico culmini, de cujus, inquit, judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis extitit, niſi ª quaſi de ſe voluit judicari. Verumtamen nos, domine beatiſſime papa & apoſtolice ſumme præſul & pontifex, omnes pro his rogamus, omnes unanimiter obſecramus, ſubveni miſeris, erige lapſos, & reſipiſcentibus concede veniam & miſerationem: quam non merentur, adhibe medicinam, quatenus erroris auctore, Photio videlicet amputato, ceteri ſedis apoſtolicæ circa ſe patula reperiant more ſolito viſcera pietatis; ita ut ſi qua recte mota ſit apoſtolicæ ſedis auctoritas, vel ſe recognoverint, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem concurrentes, omnia quæ ab his male ſunt geſta viva voce & præſenti ſubſcriptione damnaverint, non ſit erga eos inflexibilis miſeratio, ſed ſit humana tantæ ſedis per omnia moderatio. Denique quamvis Joannes Antiochenus atque Dioſcorus labia contra potioris ſedis præſules aperuerint, ac per hoc ambo ſententiam damnationis ſubierint, uno tamen horum, Joanne ſcilicet humane recepto, alter damnationem, quam ſemel meruit, non evaſit: cur hoc, niſi quia ille ſane reſipuit, iſte inſane deſipuit? ille poſt aliquantum temporis corrigi conſulte delegit, iſte incorrectus in finem obſtinate permanſit? Et certe, ut Leo egregius apoſtolicæ ſedis pontifex meminit, dominus noſter verus & bonus paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & qui venit animas hominum ſalvare, non perdere, imitatores nos vult eſſe pietatis, ut peccantes quidem juſtitia coerceat, converſos autem miſericordia non repellat; tunc enim demum fructuoſiſſime fides vera defenditur, quando etiam a ſectatoribus ſuis opinio falſa damnatur.

Matth. 16.

ª qui

Epiſt. 12. circa finem.

Hujus igitur almi beatique pontificis doctrinam beata veſtra paternitas hoc circa hos poterit juſtum piumque tenere libramen, ut ſcilicet pertinaces & obſtinatos juſtitia comprimat, reſipiſcentes vero atque obedientes miſericordia non repellat. Verum quia quotidianis eccleſiæ negotiis apoſtolatus veſter impeditus, requiei ferias nullas habet, de his omnibus quod ſibi fuerit divinitus inſpiratum tandem, ſi placet, ſtatuat, & Conſtantinopolitanis legatis præſentibus, manifeſta promulgatione decernat, nobis ſubſequenter voti noſtri conſenſum vocis & ſubſcriptionis indicio patenter, ut convenit, oſtenſuris. Quibus geſtis, hæc ſummus pontifex aperiens os ſuum dulci eſt proſecutus alloquio, dicens:

*In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, unius & veri Dei. Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei.*

*De profano Conſtantinopoli conciliabulo congregato penitus abolendo.*

## CAPUT I.

CONciliabulum vanitatis a Photio, & hujus fautore, Michaele videlicet, tyrannice imperante, Conſtantinopoli nuper adverſus apoſtolicæ ſedis reverentiam & privilegium congregatum, utpote veritatis inimicum, & omni falſitate repletum, quin & ſibi conſentientium animas interficiens, Epheſino latrocinio comparandum fore ſtatuimus, & ipſius exeeranda geſta, quibuſcumque habeantur monumentis inſerta, ſummi judicis domini noſtri Jeſu Chriſti, ſanctorumque apoſtolorum principum Petri & Pauli, noſtræque mediocritatis auctoritate, penitus abolenda decernimus; ita ut igni voranda tradantur, & anathemate perpetuo percellantur. Similiter de ceteris ſcripturis, quæ, viris jam nominatis auctoribus, contra eamdem ſedem tempore diverſo ſunt editæ, gerendum modis omnibus definimus.

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

*De conventiculis contra Ignatium patriarcham collectis ſimiliter abolendis.*

## II.

PAri etiam modo de conventiculis ab eiſdem viris, Michaele ſcilicet imperante, ſeu Photio Conſtantinopolitano invaſore, bis adverſus fratrem & coepiſcopum noſtrum Ignatium factioſe collectis, deliberamus, hæc videlicet tamquam parricidalia medullitus execrantes.

*De Photio invaſore iterato damnato.*

## III.

PHotium, qui, licet ſit a deceſſore meo & a nobis pro criminibus ante patratis jure damnatus & anathematizatus, nunc tamen quia recentioribus exceſſibus priores iniquitates valde tranſcendit, & ponens in cælo os ſuum adverſus veneranda ſedis apoſtolicæ privilegia nova temeritate prorupit, dum ſcilicet ordinationi ſupernæ, in beati Petri apoſtoli principatu diſpoſitæ, reſiſtere minime formidavit, & in cathedra non ſanitatis, ſed peſtilentiæ ſedens, congregavit conventicula de ſanguinibus, cum videlicet ſibi faventium ſimpliciorum animas interfecit, & utpote inventor mendacii, & fabricator perverſorum dogmatum, non niſi falſitatis præſtigia, & omnis mendacii figmenta ſolito more congeſſit, atque tam contra deceſſorem meum ſanctæ recordationis papam Nicolaum, quam etiam contra nos, ac per illum, in apoſtolicum culmen nec iniqua garrire fauce trepidavit, nec manus obvias, quod nemo unquam præſumpſit, audacter extendere formidavit, apoſtolicæ auctoritatis cenſura iterato damnamus, & pro his ſpecialiter anathematis nexibus innodamus, hunc ſcilicet cum Dioſcoro, cujus in hoc imitator extitit, merito ſociantes, & ſanctæ magnæ Chalcedonenſi ſynodo, in tam pernicioſo puniendo præſumptore, per omnia concordantes. Sane ſi viva voce, ac proprio ſcripto, nobis in omnibus, quæ tam per nos quam per deceſſorem meum ſtatuta ſunt, obedire ſpoponderit, & prædicti profani conciliabuli, ad ſatisfactionem pœnitentiæ motus, geſta damnaverit, laicæ communionis ei gratiam non negamus.

*De conſentientibus prædicto conciliabulo, & de imperatoris Baſilii mirandis præconiis.*

## IV.

DE iis vero, qui eidem impio conciliabulo conſenſerunt, vel ſubſcripſerunt, ſi decreta deceſſoris mei ſecuti fuerint, & ad reverendi patriarchæ Ignatii communionem repedaverint, atque idem conciliabulum anathematizaverint, atque monumenta illius, vel exemplaria inventa cremaverint, eccleſiæ communione fruantur; alias autem ne hac digni reperiantur. Sane filium noſtrum Baſilium, clementiſſimum & orthodoxiſſimum imperatorem, quia & illius nomen in ejuſdem profani conciliabuli geſtis, ut ipſius & ſanctiſſimi Ignatii patriarchæ legatorum relatione didicimus, falſo adſcriptum eſt, & in omnibus eum apoſtolicæ ſedis conſtitutionum diligentiſſimum conſervatorem eſſe cognovimus; non ſolum ab omni ſiniſtra ſententia extraneum reddimus, verum etiam inter catholicorum & piorum Auguſtorum numerum & nunc recipimus, &, ſi ſic perſeveraverit in finem, recipiendum ſtatuimus.



ANNO CHRISTI 869.

*De iis qui geſtorum illius conciliabuli ſcripta non produnt ſed defendunt.*

## V.

ERgo, quamdiu poſt notitiam hujus apoſtolicæ ſanctionis ſibi perlata monumenta vel exemplaria geſtorum ipſius execrandi conciliabuli penes ſe quiſquam retinens celaverit vel defenderit, & non potius propalaverit, vel igni tradiderit, tamdiu anathemate conſtrictus communionis Chriſti munere careat; quinimmo, ſi clericus eſt, qui poſtmodum hæc vel celare vel defendere convictus fuerit, gradum quo potiebatur amittat: ſimiliter & de illo ſtatuimus qui hæc occultare putatur, & ipſe hinc impetitus nec reſpondere, nec decretis apoſtolicæ ſedis in hac parte parere conſenſerit, quæ non ſolum de Conſtantinopolitanis, ſed & Alexandrinis, Antiochenis, Hieroſolymitanis, atque de omnibus omnino fidelibus apoſtolica ſanctione decernimus.

*Subſcriptio papæ Hadriani.*

Hadrianus epiſcopus ſervus, &c. catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ, his ſententiis noſtris a nobis promulgatis, ſicut ſuperius legitur, manu propria ſubſcripſi.

Joannes archiepiſcopus Pergæ Pamphyliæ apocriſiarius ſanctiſſimi Ignati patriarchæ Conſtantinopoleos, locum & perſonam ejus retinens, & totius ſanctæ ſynodi quæ ſub ipſo eſt, propoſitis ſententiis conſcripſi, & ſubſcripſi manu propria.

Joannes ſanctæ Fanenſis eccleſiæ epiſcopus, ſententiis his, quæ a nobis promulgatæ ſunt, ſicut ſuperius legitur, conſenſi, & manu propria ſubſcripſi.

Joannes epiſcopus ſanctæ Foroſempronienſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Dominicus epiſcopus ſanctæ Eugubienſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Gerardus epiſcopus ſanctæ Lucarum eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Petrus epiſcopus ſanctæ Gavenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Joannes epiſcopus ſanctæ Falaritanæ eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Sergius epiſcopus ſanctæ Sabinenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Bonifacius epiſcopus ſanctæ Bleranenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Hildericus epiſcopus ſanctæ Tudertinenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Joannes epiſcopus ſanctæ Ferentinenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.



Stephanus epiſcopus ſanctæ Nepeſinæ eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

ACT. VII. CONC. VIII. GENERAL.

Hildeprandus epiſcopus ſanctæ Berolanenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Florus epiſcopus ſanctæ Manturianenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Donatus epiſcopus ſanctæ Oſtienſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

ª Gandericus epiſcopus ſanctæ Bellitemenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Formoſus epiſcopus ſanctæ Portuenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Creſcentinus epiſcopus ſanctæ Cerenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Petrus epiſcopus ſanctæ * Ternenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Abinus epiſcopus ſanctæ Anianenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Adoaldus epiſcopus ſanctæ Balneoregienſis eccleſiæ manu propria ſubſcripſi.

Joannes epiſcopus ſanctæ Triumtabernenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Leo epiſcopus ſanctæ Alatrinenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Stephanus epiſcopus ſanctæ Galliſanæ eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Paulus epiſcopus ſanctæ Albanenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Martinus epiſcopus ſanctæ Namienſis eccleſiæ manu propria ſubſcripſi.

Joannes diaconus locum retinens epiſcopatus Urbinenſium eccleſiæ ſimiliter.

Petrus epiſcopus ſanctæ Senogallienſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Joannes epiſcopus ſanctæ Signienſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Joſephus epiſcopus ſanctæ Penſaurienſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Stephanus epiſcopus ſanctæ Suanenſis eccleſiæ ſimiliter ſubſcripſi.

Georgius archipresbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſancti Laurentii, qui appellatur Lucinæ, his ſententiis a nobis promulgatis, ſicut ſuperius legitur, conſenſi, & manu propria ſubſcripſi.

Romanus presbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctorum Joannis & Pauli ſimiliter ſubſcripſi.

Maio presbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſancti Cyriaci ſimiliter ſubſcripſi.

Petrus presbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſancti Chryſogoni ſimiliter ſubſcripſi.

Urſus presbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Pudentianæ ſimiliter ſubſcripſi.

Romanus presbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſancti Sixti ſimiliter ſubſcripſi.

Joannes presbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Priſcæ ſimiliter ſubſcripſi.

Joannes presbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſancti Euſebii ſimiliter ſubſcripſi.

Leoninus presbyter ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli quatuor Coronatorum ſimiliter ſubſcripſi.

Joannes archidiaconus ſanctæ apoſtolicæ ſedis his ſententiis a nobis promulgatis, ſicut ſuperius legitur, conſenſi, & propria manu ſubſcripſi.

Leontius diaconus ſanctæ apoſtolicæ ſedis ſimiliter ſubſcripſi.

Leo diaconus ſanctæ apoſtolicæ ſedis ſimiliter ſubſcripſi.

Marinus diaconus ſanctæ apoſtolicæ ſedis ſimiliter ſubſcripſi.

ª Supra Gaudericus.

* alias Peruſinæ.

ANNO CHRISTI 869.

Petrus diaconus ſanctæ apoſtolicæ ſedis ſimiliter ſubſcripſi.

Et poſt hæc aſcendens Niceta Deo amiciſſimus archidiaconus & notarius legit commonitorium ſermonem ad Photium & partem ejus a voce ſanctiſſimorum vicariorum ſenioris Romæ: Jam manifeſtum eſt, o dilectiſſimi fratres & conſacerdotes, in præcedenti actione hujus ſanctæ ac magnæ ſynodi, quomodo admonitus ſit Photius forenſis & curialis, & pervaſor Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, ut poneret cervicem ſuam; & verbo & ſcripto pronuntiaret peccatum ſuum, & anathematizaret quæ inique acta & ſcripta ſunt ab eo bis contra Ignatium patriarcham ſuum; & profiteretur nullam machinationem in eum vel commotionem ſe ultra facturum, ſed hunc ut verum pontificem ſuum cum magna reverentia ſuſcepturum, apoſtolicæque ſedis decreta, tam de ſe, quam de Ignatio patriarcha prolata; honorabiliter amplexurum. Et quoniam in his omnibus videmus eum non obedire, ſed obturare aures ſuas ut aſpidis ſurdæ; idcirco non patimur taceri ſententiam a beatiſſimo papa Romano Nicolao ab indictione undecima contra eum prolatam, & nunc iterum pronuntiatam per ſucceſſorem ejus Hadrianum ſanctæ Romanæ eccleſiæ præſulem, cujus nunc nos famuli ejus locum tenemus in hac honoranda ſynodo, quæ per juſſionem ſanctorum & a Deo protectorum imperatorum, Baſilii ſcilicet & Conſtantini; in hac a Deo conſervanda regia urbe congregata eſt, non in ſubverſionem judicii quod de eo factum eſt in Romana eccleſia, ſed propter elationem ſenſus ejus, quam in pectore ſuo obſtruſam conſpicimus: & quia neque in communionem cum orthodoxis in eccleſia Dei eſſe deſiderat, propterea proferendam eſſe iterum ſuper eum anathematis ſententiam duximus.

Et poſt hæc aſcendens Stephanus Deo amabiliſſimus diaconus & notarius, legit acclamatorium Ignatii ſanctiſſimi patriarchæ ſermonem.

*Acclamatio Ignatii ſanctiſſimi patriarchæ ad ſanctam ſynodum.*

FRatres ſancti, & filii dilecti, rogo vos ego humilis pontifex veſter conſiderare & conſpicere completum eſſe maxime nunc eloquium ſcripturarum, quod perhibet: *Aſpicite ad antiquas generationes, & videte, quis credidit domino, & confuſus eſt: vel quis permanſit in timore illius, ſed is deſpexit eum*: arbitror enim, quod nequaquam ignoretis vos qui nobis præſentes eſtis, & propter dominum hic congregati conſiſtitis, ſed nec totus quadratus orbis, quæ in me acta ſunt & patrata. Omnes namque norunt quæ & quanta perpeſſus fuerim ab imperatore injuſto, & revera juveni, & per illud tempus prævalente Barda, ſcholarium domeſtico, & praviſſimo viro, una cum tunc quaſi altero principe ſacerdotum Caipha & Anna: nam & illorum iſti habebant propoſitum, cujus non mos gradui, ſed gradus mori creditus eſt: quemadmodum alicubi fatur ille qui a theologia ſortitus eſt nomen: finxerunt enim recentem ſanctum, & reverendiſſimum nominaverunt, nihil ſcientem, neque ferentem, neque gradus dignum aliquid afferentem, præter ſolummodo velle: ſed pariter cum potentia maligni deſiderii etiam ſapientiorem ſemet omnibus exiſtimans, per feneſtram intravit in caulam ovium, & rapuit illam, male ſciens & ſentire a tyrannica mente ſublatus: propterea dictum eſt ei illud David ſacrati pſalmographi melos: *Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum: ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua.* Et ideo deſtruxit eum Deus in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Miſericors enim & omnipotens Deus, erecto alio principe, Dei cultore, recte ſapiente, recte ſciente, juſtitiam deſiderante, divina exquirente, & meditante in lege Dei ſui die ac nocte, eum quidem, qui recedens erat, utpote alium quemdam recens formatum ſecundum fabulas † gigantem, Photium videlicet, inconſideratum & inordinatum virum, qui a ſancta Romanorum eccleſia tabellarius nuncupatur, per pietatem juſtiſſimi imperatoris expulit, & a pontificali ſede removit, humilitatem noſtram; multas & diras tribulationes & pœnas & exilia perpeſſam, aſſumpſit, & revocavit ad proprium thronum, & utrique quæ digna fuerunt diſtribuit. Hæc vero facit ſapientiſſimus & a Deo munitus imperator noſter, definitiones & regulas ſequens beatiſſimi papæ Nicolai ſenioris Romæ, quas ille ſynodice promulgavit, & per proprias epiſtolas Conſtantinopolim deſtinavit. Quoniam vero univerſali paci conſulens piiſſimus & prudentiſſimus imperator noſter, multam habuit curam & ſolicitudinem colligendi ſanctiſſimos vicarios ex cunctis aliis patriarchalibus ſedibus, & ſynodum univerſalem celebrandi, ad exhibitionem & ſatisfactionem perfectam, veritate ſibi cooperante, Omnipotentis providentia, in finem proſperum adduxit conſilium ſuum: & nunc videtis hos præſentes ſanctæ huic univerſali ſynodo & ſapientia & gratia Dei plenos, atque opere & ſermone decoratos & refulgentes. Ergo quoniam quæ deſideraverunt audire & videre multi reges & principes, & non viderunt, vos nunc videtis & auditis, atque ante oculos veſtros habetis propoſitos, hos videlicet ſanctiſſimos & ſapientiſſimos vicarios, qui ex finibus orbis terræ profecti ſunt, glorificate benignum & miſericordem Deum, qui proſpere direxit imperatorem noſtrum piiſſimum ad hujuſmodi bonorum impletionem. Et nemo illi moleſtus quoquo modo ſit in eccleſiaſticis negotiis, dicens male ac inconvenienter: *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Cephæ, ego vero Apollo*, & audeat dividere Chriſtum, & dividatur a Chriſto, & decidat a regno ejus atque privetur æterna vita. Sed venite omnes ſimul, ſtate nobiſcum, & utpote unius exiſtentes paſtoris, & unius ovilis, unum Deum & trium perſonarum dominum collaudemus concorditer, & magnificemus, quia eum decet gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Continuo vero poſt hæc idem Stephanus diaconus, & notarius fecit † anathematiſmum Photii, & ſequacium, & cooperatorum ejus, ita ſe habentem: Photio curiali & invaſori anathema: Photio ſæculari & forenſi anathema: Photio neophyto & tyranno anathema: Photio ſchiſmatico & damnato anathema: Photio mœcho & parricidæ anathema: Fabricatori mendaciorum anathema: Inventori perverſorum dogmatum anathema: Photio novo Maximo Cynico anathema: Novo Dioſcoro anathema: Novo Judæ anathema: Omnibus ſequentibus & fautoribus ejus anathema: Gregorio dudum epiſcopo Syracuſano anathema: Eulampio depoſito & ſchiſmatico anathema.

Et poſt hæc omnia, laudes dixit Stephanus diaconus ſanctæ Conſtantinopoleos eccleſiæ & notarius, egreſſo Photio: Multos annos imperatorum Baſilii & Conſtantini ac Leonis: Magnorum principum & imperatorum multos annos: Orthodoxorum imperatorum multos annos: Erectorum eccleſiarum multos annos: Liberatorum Chriſtianorum multos annos: Quia ſtupratores perfodit, quia ſeniores libidinoſos & mentientes occidit, quia ſynodice patriarchas falſos abjecit, Novo Conſtantino multos annos: Novo Theodoſio multos annos: Eudoxiæ piiſſimæ Auguſtæ multos annos: Novæ Judith multos annos: Novæ Helenæ multos annos: Novæ Pulcheriæ multos annos: Nicolai beatiſſimi papæ Romani æterna memoria: Novi Phinees æterna memoria: Novi Danielis æterna memoria: Novi Martini æterna memoria: Hadriani ſanctiſſimi papæ Romani multos annos: Interemptoris novi Simonis multos annos: Percutientis novum mendacem Ananiam multos annos: Novi Cæleſtini multos annos: Ignatii ſanctiſſimi patriarchæ Conſtantinopoleos multos annos: Novi Athanaſii multos annos: Novi confeſſoris Pauli multos annos: Novi Flaviani multos annos: Novi Anatolii multos annos: Sanctiſſimorum & orthodoxorum patriarcharum orientis æterna memoria: Donati & Stephani & Marini ſanctiſſimorum vicariorum ſenioris Romæ multos annos: Thomæ ſanctiſſimi metropolitæ Tyri & vicarii Antiochiæ multos annos: Heliæ ſanctiſſimi ſyncelli & vicarii Hieroſolymorum multos annos: Sacri ſenatus multos annos: Sanctæ ac univerſalis ſynodi æterna memoria: Multos annos imperatorum, multos annos.

Pſal. 33. — Gregorius Nazianzenus. — ACTIO VII. CONC. VIII. GENER. Pſal. 51. — † Sicut enim fabulæ [illegible] — 1. Cor. 1. — † Ad exemplum, [illegible]



ANNO CHRISTI 869.

Verſus jambici apud Græcos pro acclamatione concilii.

*Photius qui pridem inſuperabilem petram*
*Fraudibus malignis conturbavit inſipienter,*
*Pellitur nunc, ut atrociſſima fera,*
*A thalamo caſto, & venerabilibus templis,*
*Satanæ peſſimo, miſerrimiſque tenebris*
*Bene præmiſſus, & paſſus digne*
*A judicibus recte ſentientibus atque ſanctis,*
*Beatiſſimo videlicet Nicolao,*
*Hadrianoque divino papa Romano,*
*Et Ignatio martyrium paſſo,*
*Et tribus reliquis ſedibus orientis*
*Orthodoxis & ſapientibus valde.*

## ACTIO OCTAVA.

ACTIO VIII. CONC. VIII. GENER.

IN nomine domini & dominatoris omnium Jeſu Chriſti veri Dei & ſalvatoris noſtri, imperii a Deo coronatorum & tranquilliſſimorum dominorum noſtrorum, Baſilii quidem anno tertio, Conſtantini vero filii ejus anno ſecundo, perpetuorum Auguſtorum, indictione tertia, Nonis Novembribus: propoſitis precioſis & vivificis lignis, & intemeratis ſalutis noſtræ euangeliis: præſidente autem eodem piiſſimo & amico Chriſti Baſilio in dextera parte magni nominis templi magnæ eccleſiæ, & ſancta & univerſali ſynodo, id eſt, Donato Deo amabili epiſcopo Oſtienſi, & Stephano Deo amabili epiſcopo Nepeſino, atque Marino reverendiſſimo diacono ſanctæ Romanæ eccleſiæ, locum tenentibus Hadriani ſanctiſſimi papæ Romani, & Ignatio ſanctiſſimo patriarcha Conſtantinopoleos: & Thoma ſanctiſſimo metropolita Tyri, locum tenente throni Antiochiæ, & Helia Deo amiciſſimo presbytero & ſyncello, locum tenente throni Hieroſolymorum: præſente quoque ſimul & ſacro ſenatu, hoc eſt Theodoro magnificentiſſimo patricio & magiſtro, Chriſtophoro magnificentiſſimo patricio & magiſtro, Leone magnificentiſſimo proconſule ac patricio, Hemerio magnificentiſſimo proconſule ac patricio, Stephano magnificentiſſimo patricio ac ſacellario, Leone magnificentiſſimo proconſule & patricio, Marino magnificentiſſimo proconſule & patricio, Theophilo magnificentiſſimo proconſule & patricio, Taraſio magnificentiſſimo proconſule & patricio, Paulo magnificentiſſimo patricio & eparcho, Barbatio magnificentiſſimo patricio, Leone magnificentiſſimo patricio & domeſtico excubitorum, Manuele magnificentiſsimo patricio, Theophylacto magnificentiſsimo patricio, Petronate magnificentiſsimo patricio, Manuele magnificentiſsimo patricio: ſed & conſidentibus Deo amabiliſsimis metropolitis; ajo autem, Baſilio Deo amabiliſsimo metropolita Epheſi, Theodulo Deo amiciſsimo metropolita Ancyræ, Barnaba Deo amiciſsimo metropolita Cyzici, Nicephoro Deo amiciſsimo metropolita Nicææ, Nicephoro Deo amiciſsimo metropolita Amaſiæ, Niceta Deo amiciſsimo metropolita Athenarum, Theodoro Deo amiciſsimo metropolita Cariæ, Metrophane Deo amiciſsimo metropolita [a] Smyrnadenſium, Baſilio Deo amiciſsimo metropolita Antiochiæ, Theophylacto Deo amiciſsimo metropolita Iconii, Theodoro Deo amiciſsimo archiepiſcopo Theſſalonicenſium, Ignatio Deo amiciſsimo metropolita Hierapoleos, Hilarione Deo amiciſsimo metropolita Corinthi, Euthymio Deo amiciſsimo archiepiſcopo Catanæ, Gregorio Deo amiciſsimo metropolita Iperii, Photio Deo amiciſsimo archiepiſcopo Nacoliæ, Stephano Deo amiciſsimo archiepiſcopo Cypſallorum, Baſilio Deo amiciſsimo archiepiſcopo Miſthiæ, Theophane Deo amiciſsimo archiepiſcopo Selgæ, Paulo Deo amiciſsimo archiepiſcopo Apamiæ, Joanne Deo amiciſsimo archiepiſcopo Potii, Athanaſio Deo amiciſsimo archiepiſcopo Magneſiæ, Theodoro Deo amiciſsimo epiſcopo Sinopæ, Euſtachio Deo amiciſsimo epiſcopo Æmoniæ, Theocleto Deo amiciſsimo epiſcopo Lacedæmoniæ, Nicephoro Deo amiciſsimo epiſcopo Hiacynthi, Euthymio Deo amiciſsimo epiſcopo Mosbynorum, Baſilio Deo amiciſsimo epiſcopo Pyrgii, Georgio Deo amiciſsimo epiſcopo [b] Hylii, Petro Deo amiciſsimo epiſcopo Troadis, Leone Deo amiciſsimo epiſcopo Daphnuſiæ, Niceta Deo amiciſsimo epiſcopo Photiæ, Baſilio Deo amiciſsimo epiſcopo Cratiæ, Damiano Deo amiciſsimo epiſcopo Melitopoleos, Theophane Deo amiciſsimo epiſcopo Trallæ, Leone Deo amiciſsimo epiſcopo Neapoleos, Joſeph Deo amiciſsimo epiſcopo Palæorum, & Georgio Deo amiciſsimo epiſcopo Adraniæ. His ita convenientibus, jubente Baſilio Chriſti amico & magno imperatore, ſtans in medio Bahanes magnificentiſsimus patricius & præpoſitus dixit: Propter multam verſutiam & malitiam, præcedentibus temporibus ſubſcripſit ſacerdotium & ſenatus & tota civitas in cauſis injuſtis, quas noluerunt: hodie autem vult divinitus gubernatum imperium noſtrum, intuens in miſericordiam Dei benigniſsimi & compatientiſsimi, manibus veſtris eas incendi, & ſperat in miſerationem ejus, & in ſanctas orationes veſtras, quod ignoſcatur omni homini ignorantia hæc, tam a ſancta catholica eccleſia, quam a ſacro ſenatu, & tota civitate noſtra, ſimul & ceteris regionibus.

Quid ergo videtur ſanctitati veſtræ? placet hoc Deo, & vobis. Donatus ſanctiſsimus epiſcopus Oſtienſis, & Stephanus ſanctiſsimus epiſcopus Ne-

a) Pr. Smyrneuſium. H.

b) Pr. Ilii. H.

ANNO CHRISTI 869.

Nepeſinus, & Marinus Deo amiciſſimus diaconus, ſanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Deus conſervet Chriſti amiciſſimum imperatorem per multos annos, qui gubernat eccleſiam ejus: dedit enim ei Deus gubernationem totius mundi, & exaudivit vocem & deprecationem ſpiritalis patris ſui papæ Hadriani per epiſtolam, quam miſit ille, & hodie adimplet deſiderium eccleſiæ; ſicut nuntiavit ei. Cuſtodiat Deus imperium ejus multis annis ad mundanam gubernationem; quia dirupit vincula chirographorum; quæ ab inimicis Dei exquiſita ſunt contra omnem eccleſiam. Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Sanctus imperator noſter Deo amicabiliter jubet dicere ad vos epiſcopos qui feciſtis injuſta chirographa: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* languor & dolor veſter meus eſt; & ideo conſilium do, ut quæ male a vobis & vi acta ſunt, incendantur & extermineutur, non ſolum ſenſibiliter, ſed providentia Dei, etiam intelligibiliter. Deo amiciſſimi epiſcopi dixerunt: Hodie completur ſub a Deo muniendo imperatore noſtro divinæ ſcripturæ ſermo, qui dicit: *Diſſolve omnem colligationem iniquitatis; & obligationes violentorum contractuum, & evelle omnem ſcripturam injuſtam*. Pro quibus det Deus mercedem animarum noſtrarum & corporum Chriſti amico imperatori; & conſervet imperium ejus per multa annorum curricula, donans ei etiam cæleſte imperium. Et jubente Baſilio Chriſti amico & magno imperatore, poſitum eſt in medio ſynodi vas æneum ad id aptum, plenum igne: & delati ſunt in marſupio a Theophylacto reverendiſſimo diacono & † referendario omnes tomi chirographorum qui exacti ſunt a Photio, ab omni ſacrato catalogo, & ordine clericorum, tam magnæ eccleſiæ, quam earum quæ foris ſunt: quamque etiam a magnis, & parvis, & omnibus ſenatoriæ dignitatis, & cunctis aliis; tam illuſtribus, quam ignobilibus, atque iis, qui in omni arte ac diſciplina, & diverſo ſtudio eſſe videbantur, uſque ad pellarios, & piſces vendentes, & lignarios, & acus facientes: inſuper & libri qui ficte conſcripti ſunt contra beatiſſimum Nicolaum papam, & geſtorum relationes, ac ſynodos, quæ contra ſanctiſſimum patriarcham Ignatium factæ ſunt a Photio. Et accipiens Georgius reverendiſſimus orphanotrophus ſingillos libellos & tomos tribuit hominibus utrorumque ſanctiſſimorum vicariorum, qui miſerunt omnia in ignem, & cremata ſunt, & redacta in nihilum. Baſilius amicus Chriſti & magnus imperator dixit ad ſanctiſſimos vicarios ſenioris Romæ: Imperio noſtro jubente, adduxerunt falſos vicarios, quos Photius protulit contra beatiſſimum papam Nicolaum; quid ergo videtur ſanctitati veſtræ de illis? Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Ingrediantur ſanctam & univerſalem ſynodum. Et intrantibus eis; interrogavit Bahanes magnificentiſsimus patricius & præpoſitus Petrum monachum: Hæc jubet ſanctus imperator noſter, & tota ſancta ſynodus, interrogari te, quis es? & unde venis? & quid dicis? & quod eſt opus tuum quod egiſti? Inventus es in concilio quod fecit Photius contra beatiſſimum papam Nicolaum? aut dediſti libellum contra eum? Petrus dixit: Neque præſens illic inventus ſum; neque hanc conſcriptionem novi; etenim numquid ego ſolus Petrus ſum in hanc urbem a Roma aſcendens? Alii decem millia aſcenderunt Petri; verumtamen legatur iſte libellus meus, quem defero, & hic manifeſta facit quæ mea ſunt. Et accipiens Gregorius devotus notarius divinorum ſecretorum legit:

II. Cor. II.

Iſa. 58.

† Patriarcha Conſtantinopolitanus referendarium quempiam ſemper habet, qui ejus imperatori omnem denunciat voluntatem, qui aditum in palatio ſemper habet ad referendum imperatori quæcumque ſunt patriarchæ, ac eccleſiæ neceſſaria, per quem etiam imperator, quod placet patriarchæ tranſmittit.

ACTIO X. CONC. GENER.

*Libellus apologeticus Petri monachi.*

Quoniam exiguitatem noſtram quidam veſtrum opinati ſunt adverſus ſanctam Romanam eccleſiam libellum dediſſe, propterea quia mentio noſtra in divulgata conſcriptione continebatur, hujus rei gratia imperatoribus rationem redditurus veni, ſed & in conſpectu veſtræ reverentiæ ſæpe innocentem exhibens, rurſus & nunc de eadem interrogatus cauſa, eamdem ipſam, quam tunc, immutabiliter profero vocem; Quod neque libellum dedi, neque imperialibus auditibus moleſtiam intuli, ſed neque ſynodo congregatæ, ſi tamen congregata eſt, præſto repertus ſum: & profecto confitebuntur ii qui nomen meum inſeruerunt hujuſmodi ſcriptis. Hæc eſt fiducialis ſatisfactio mea ad eos qui me dijudicant; & hanc dabo multa confidentia cum munda conſcientia; quotieſcumque interrogatus extitero; ſed veſtræ virtutis claritatem obſecro, ut ſaltem amodo dimittatis me multum fatigatum, precibus vobis oblatis; remeare ad apoſtolorum veſtigia; etenim jam uſque, reor, placet ſapientibus proceribus matris veſtræ deprecationibus inclinare auditum, ut per occaſionem redeundi, attrahar * in ea; cooperentur animæ meæ ſalutem.

* forte ad quæ.

Et poſt lectionem, ſanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Ecce per libellum audivimus quid dixerit iſte; alii vero qui illic ſtant quid dicunt? Bahanes magnificentiſsimus patricius & præpoſitus dixit ad Baſilium falſum vicarium: Imperator noſter ſanctus, cum ſanctiſſimis vicariis, & ſacro ſenatu, & ſancta ſynodo, jubet interrogare te. In falſo libro jacet nomen tuum, dic ergo tu; dediſti libellum contra Romanam eccleſiam? ſic ſe veritas habet? Baſilius dixit. Abſit. Bahanes magnificentiſsimus patricius & præpoſitus dixit: Et anathematiza & eum qui dedit, & qui ſcripſit. Baſilius dixit: Is qui dedit libellum contra Romanam eccleſiam anathema ſit. Deinde iterum interrogatus eſt Baſilius: Unde es? Baſilius dixit: A ſancta civitate veni. Baſilius amicus Chriſti & magnus imperator dixit ad Heliam ſanctiſſimum vicarium Hieroſolymorum: Cognoſcis eum? Helias ſanctiſſimus ſyncellus & vicarius Hieroſolymorum dicit: Etiam, cognoſco eum. Jubente vero Baſilio piiſſimo & magno imperatore, Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit ad Baſilium falſum vicarium: Dic, quamobrem ingreſſus es Conſtantinopolim? pro qua cauſa? & quis te miſit illic? Baſilius dixit: A Tripoli intravi Romam cauſa orationis, & infirmatus ſum in via, & intravi in Venetiam, ut tranſirem: & veni huc ſub papa Benedicto, & feci menſes viginti; & non habui quomodo diſpenſarer: & anno quando exivit patriarcha de throno ſuo deſcendi iterum ſub domino Nicolao: habeo octo annos, & iterum reverſus ſum huc. Interrogatus eſt iterum: Non dediſti libellum? Baſilius dixit: Ne faciat Deus; numquid enim familiaris fui Nicolai? Deinde, jubente Baſilio amico Chriſti & magno imperatore, interrogatus eſt Leontius falſus vicarius Alexandriæ per Bahanem magnificentiſſimum patricium & præpoſitum: Quomodo inventus es in loco vicarii in ficte compoſito libro a Photio contra beatiſſimum papam Nicolaum? Leontius dixit: Dedit mihi auctor & ſenior antiſtes meus literas ad impe-

rato-



ANNO CHRISTI 869.

ratores noſtros ſanctos, neque vicarius ſum, neque habeo aliquid in rebus iſtis. Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Jubente Baſilio amico Chriſti imperatore ad ſanctam ſynodum: Quid vobis videtur de his? quemadmodum is, qui primum locutus eſt, omnem ignorantiam inſinuavit, & ita & hic; homines ſunt negotiatores, & aliquid neſciunt, nec vicarii facti ſunt: ſed Photius finxit ut voluit & ſermones & perſonas. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt ad falſos vicarios: Facite libellos, & anathematizate eos qui fecerunt libros illos, ut ſuſcipiamini in communionem. Leontius dixit: Neque ſcripſi in libro hoc, neque cognoſco eum. Sancta ſynodus dixit: Anathematizate qui fecit eum, & conſcripſit eum. Falſi vicarii dixerunt: * Habet anathema qui cooperatus eſt in libro iſto. Senatus dixit: Quoniam non vultis anathematizare, apparet quia comparticipes ejus eſtis; ut aut anathematizemini & ipſi, aut tradamini legibus. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Quoniam non patiuntur anathematizare qui fecit malum hoc, quemadmodum ſcripſit ſanctiſſimus Hadrianus papa ad piiſſimum imperatorem, tradantur nobis, & deſcendant nobiſcum Romam. Leontius dixit: Anathema & illi, & ei qui ſcripſit eum. Baſilius dixit: Anathema ei qui dedit libellum contra papam Nicolaum. Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Imperator noſter ſanctus admonens, & conſilium dans, dicit ad ſedentes in hac ſynodo, & ſtantes, & ad univerſum communem populum: Videte, qualiter apparet veritas, & lux in tenebris lucet, & non comprehenditur ab eis: mendacia & ſeductio quomodo apparent? & quomodo crevit veritas hodie? quiſquis habet ſcandalum in anima ſua, accedat ad ſanctam eccleſiam Dei; neque enim habet occaſionem qualemcumque. Sic operatur ſanctum imperium noſtrum, ut excludat omnem occaſionem, ut non habeatis cras excuſationem. Sancta ſynodus: Deus conſervet piiſſimum imperatorem. Interrogati ſunt metropolitæ qui ſubſcripti erant in libro illo, de propriis ſcriptionibus quæ erant in libro: Veſtræ ſunt hæ ſubſcriptiones? Et dixerunt omnes: Abſit. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ flagitaverunt Baſilium Chriſti amicum & magnum imperatorem, ut legeretur canon ſancti Martini papæ Romani, quem deprompſit de omni falſo vicario. Et accipiens Stephanus Deo amiciſſimus diaconus & notarius, legit hunc canonem in audientiam omnium.

* forte Habent.

## Caput XX. Concil. ª Lateranensis.

ª Vide ſupra tomi VII. p. 369. ubi Græcum textum cum hac antiqua editione reperies.

Si quis, ſecundum ſceleratos hæreticos, quomodocumque, aut verbo, aut tempore, aut loco terminos tranſmittens illicite, quos poſuerunt firmius ſancti catholicæ eccleſiæ patres, & ſanctæ & univerſales quinque ſynodi, novitates temere adinvenire, & fidei alterius expoſitiones, aut typos, aut leges, aut definitiones, aut libellos, aut relationes, aut epiſtolas, aut ſubſcriptiones, aut teſtimonia falſa, aut ſynodos, aut actus monumentorum, aut ordinationes vacuas, & eccleſiaſticæ regulæ incognitas, aut loci ſervatores, id eſt vicarios incongruos & ſine regula & compendioſe dicere, ſi quid aliud impiiſſimis hæreticis conſuetum eſt agere per diabolicam operationem tortuoſe & callide agit contra pias orthodoxorum catholicæ eccleſiæ, id eſt paternas ejus & ſynodales prædicationes ad * peremptionem ſinceriſsimæ in dominum noſtrum & Deum Jeſum Chriſtum confeſsionis, & uſque in finem ſine pœnitentia permanet; hæc impie agens hujuſmodi, in ſæcula ſæculorum ſit condemnatus, & dicat omnis populus: Fiat, fiat.



ACT. VIII. CONC. VIII. GENERAL.

* alias everſionem.

Et poſt completionem canonis, ſurgens Metrophanes Deo amabilis metropolita Smyrnæ, allocutus eſt voce grandi in audientiam ſynodi ita: Veritas eſt * pecunia cunctis aliis rebus validior & fortior atque robuſtior: veritas eſt pecunia intractabilis, & omnibus hominibus ineluctabilis: veritas eſt omnia vincere, & valde competenter; eſt enim, extat veritas, & rurſus veritas extat, eſt; hujuſmodi namque veriſsimam opinionem approbat etiam Chriſtus omnium noſtrum ſalvator & dominus, atque principale ª & Verbum Dei ac Patris utroque ſe vocabulo nominans. Denique cum olim Deus loquens Moyſi ſalutis exponeret leges & jura, ſciſcitanti ei, & diligenter interroganti, quod eſſet nomen ejus, dicit ad eum: *Ego ſum, qui ſum*. In noviſsimis autem temporibus incarnatus propter ineffabilem miſericordiam, & factus ſecundum nos, propter nos homo, ita dicit: *Ego ſum vita & veritas*. Igitur veritas eſt cunctis aliis juſtior pecunia, & omnibus ineluctabilis, & ſola quæ vincat omnia. Cujus & ipſe amator factus, amice Chriſti domine, triumphator & victor contra mendacium hodierno die apparuiſti, & ab ipſa veritate ductus, & ope fretus, a Chriſto Deo noſtro demonſtraſti annihilatam injuſtitiam, & præſtruxiſti, ut divina eloquia prophetarum vera manifeſtius & liquidius oſtenderentur etiam nunc omnibus hominibus, de quibus ſcriptura fatur: *Si juſtificabitur in ſtatera injuſtus, & in marſupio pondus doli*. Ex quibus divitias ſuas impietate repleverunt: & qui habitant eam loquebantur falſa, & lingua eorum exaltata eſt in ore ipſorum, quemadmodum & alius propheta, Oſeas videlicet, evidentius clamat: *Hic eſt Achab, in manu ejus ſtatera injuſtitiæ, vim inferre dilexit. Et dixit Ephraim: Verumtamen ditatus ſum, inveni refrigerium mihimetipſi: omnes dolores non invenientur ei propter injuſtitias quas peccavit*. Et iterum idem propheta, figurans mores hominum qui vana & inania loquuntur & ſcribunt, ita dicit: *Corrupta ſeminaverunt, & everſio eorum excipit ea: manipulus non habens fortitudinem ad faciendam farinam; ſi vero & fecerit, alieni comedent eam*. Adimpleviſti autem hodie, domine, ſermonem beati prophetæ, qui dicit: *Reliquiæ impiorum exterminabuntur*; pro quibus te piiſſimum imperatorem interemptorem injuſtitiæ, eradicatorem mendacii, plantatorem pietatis, innovatorem veracium dogmatum, omnium imperator & omnitenens Deus noſter roboret, & ſecundum ſpiritum, & ſecundum carnem, & confirmet imperium tuum, & confirmet te proſpere ſemper, & in omnibus per ſanctas orationes coangelici & in cælo etiam converſantis patris, Ignatii videlicet ſanctiſsimi patriarchæ, & ceterorum ſanctiſsimorum vicariorum ſenioris Romæ, ac orientalium ſedium, & ſubjiciat tibi omnes barbaras nationes, & dignum te faciat cæleſti regno ſuo cum omnibus qui pie regnaverunt, ut glorifices eum indeſinenter, quia ipſum decet gloria nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et poſt completionem hujus declamationis, Baſilius Chriſti amicus & magnus imperator ad ſanctiſsimos vicarios ſenioris Romæ, & orientis ſedium dixit: Theodorus, qui dicitur Cri-

* Græce χρῆμα.

a) [illegible] N. H.

Exod. 3.

Joan. 14.

Prov. 11.

Oſeæ 12.

Oſeæ 8.

Pſal. 36.

ANNO CHRISTI 869.

chiæ multos annos: Hellæ ſanctiſſimi ſyncelli & vicarii Hieroſolymorum multos annos: Sacri ſenatus multos annos: Sanctæ ac univerſalis ſynodi æterna memoria: Multos annos imperatorum noſtrorum, multos annos.

## ACTIO NONA.

ACTIO IX. CONC. VIII. GENER.

IN nomine domini & dominatoris omnium Jeſu Chriſti veri Dei & ſalvatoris noſtri, imperii a Deo coronatorum & tranquilliſſimorum dominorum noſtrorum, Baſilii quidem ac Conſtantini anno tertio, Leonis vero anno primo, perpetuorum Auguſtorum, indictione tertia, pridie Idus Februarii: propoſitis precioſis & vivificis ſignis, & intemeratis ſalutis noſtræ euangeliis: in dextris partibus famoſiſſimi templi ſanctæ ac magni nominis Sophiæ: convenientibus autem Donato Deo amiciſſimo epiſcopo Oſtiæ, & Stephano Deo amiciſſimo epiſcopo Nepæ, ac Marino Deo amiciſſimo diacono ſanctæ Romanæ eccleſiæ, locum obtinentibus Hadriani ſanctiſſimi papæ Romani, & Ignatio ſanctiſsimo archiepiſcopo almæ Conſtantinopoleos novæ Romæ: & ſanctiſſimis loci ſervatoribus orientis, videlicet Joſeph Deo amiciſſimo archidiacono Alexandrinorum magnæ civitatis, locum tenente Michaelis ſanctiſſimi patriarchæ Alexandriæ, & Thoma ſanctiſſimo metropolita Tyri, locum tenente ſedis Antiochiæ, eo quod viduata eſſet eadem eccleſia, & Helia Deo colendiſſimo preſbytero & ſyncello, locum obtinente Theodoſii throni Hieroſolymorum archiepiſcopi: præſente quoque ſacro ſenatu, dicimus autem Theodoro magnificentiſſimo patricio & magiſtro, Chriſtophoro magnificentiſſimo patricio & magiſtro, Bahane magnificentiſſimo patricio ac præpoſito, Hemerio magnificentiſſimo proconſule ac patricio, Paulo magnificentiſſimo patricio & præfecto, Theodoro magnificentiſſimo patricio, Barbatio magnificentiſſimo patricio, Manuele magnificentiſsimo patricio, Theophylacto magnificentiſſimo patricio, Petronate magnificentiſſimo patricio, Manuele magnificentiſſimo patricio: quin etiam & conſidentibus Deo amiciſſimis metropolitis, Baſilio ſcilicet Deo amabiliſſimo archiepiſcopo Epheſi, Theodulo Deo amiciſſimo metropolita Ancyræ, Nicephoro Deo amiciſſimo metropolita Nicææ, Baſilio Deo amiciſsimo metropolita Chalcedonis, Baſilio Deo amiciſſimo metropolita Gangrenſium, Theodoro Deo amiciſsimo metropolita Theſſalonicæ, Nicolao Deo amiciſsimo metropolita Synnadenſium, Theophylacto Deo amiciſsimo metropolita Iconii, Ignatio Deo amiciſsimo metropolita Hierapoleos, Michaele Deo amiciſsimo metropolita * a Hod, Hilarione Deo amiciſsimo metropolita Corinthi, Metrophane Deo amiciſsimo metropolita Smyrnæ, Michaele Deo amiciſsimo metropolita Byziæ, Euthymiano Deo amiciſsimo metropolita Euchartenſium, Joanne Deo amiciſsimo archiepiſcopo Pompeiopoleos, Theophane Deo amiciſsimo archiepiſcopo Selgæ, Stephano Deo amiciſsimo archiepiſcopo Cypſallorum, Joanne Deo amiciſsimo archiepiſcopo Cii, Photio Deo amiciſſimo archiepiſcopo Nacoliæ, b Icoo Deo amiciſsimo archiepiſcopo Methymnæ, Baſilio Deo amiciſsimo archiepiſcopo Ruſsii, Gregorio Deo amiciſsimo archiepiſcopo Parii, Paulo Deo amiciſsimo archiepiſcopo Apamiæ, Baſilio Deo amiciſsimo archiepiſcopo Pyrgii, Arſenio Deo amiciſsimo archiepiſcopo Aureliopoleos, Georgio Deo amiciſsimo epiſcopo ſanctæ Cyriacæ, Euſtachio Deo amiciſsimo epiſcopo Æmoniæ, Conſtantino Deo amiciſsimo epiſcopo Trallæ, Germano Deo amiciſsimo epiſcopo Citri, Conſtantino Deo amiciſsimo epiſcopo Auguſtopoleos, Nicolao Deo amiciſsimo epiſcopo Documii, Petro Deo amiciſsimo epiſcopo Melitopoleos, Joſeph Deo amiciſsimo epiſcopo Leriæ, Taraſio Deo amiciſsimo epiſcopo Cineæ, Stephano Deo amiciſsimo epiſcopo Gordoſerbenſium, Philippo Deo amiciſsimo epiſcopo Tabiæ, Ignatio Deo amiciſsimo epiſcopo Juliopoleos, Conſtantino Deo amiciſsimo epiſcopo Tii, Siſinnio Deo amiciſsimo epiſcopo Bitinopoleos, Xenophonte Deo amiciſsimo epiſcopo Mylaſsi, Leone Deo amiciſsimo epiſcopo Neapoleos, Marciano Deo amiciſsimo epiſcopo Nicopoleos, Marciano Deo amiciſsimo epiſcopo Thebarum, Gregorio Deo amiciſsimo epiſcopo c Meſinæ, Joanne Deo amiciſsimo epiſcopo Poleoſnomii, Theodoro Deo amiciſsimo epiſcopo * Euripi, Nicephoro Deo amiciſsimo epiſcopo Crotonæ, Nicolao Deo amiciſsimo epiſcopo d Nuſæ, Conſtantino Deo amiciſsimo epiſcopo Synai, Gregorio Deo amiciſsimo epiſcopo Tripoleos, Leone Deo amiciſsimo epiſcopo Daphnuſiæ, Conſtantino Deo amiciſsimo epiſcopo * Onumericenſium, Baſilio Deo amiciſsimo epiſcopo * Adranii, Theophane Deo amiciſsimo epiſcopo Axanæ, Joanne Deo amiciſsimo epiſcopo Tampſii, Nicephoro Deo amiciſsimo epiſcopo Aſponæ, Macario Deo amiciſsimo epiſcopo * e Elizomenentium, Michaele Deo amiciſsimo epiſcopo Cercyrenſium, Nicephoro Deo amiciſsimo epiſcopo Zacynthi, Joſeph Deo amiciſsimo epiſcopo f Aventium, * Theagnoſco Deo amiciſsimo epiſcopo Parnaſsi, Meletio Deo amiciſsimo epiſcopo Heracliæ, g Aſaphio Deo amiciſsimo epiſcopo Erythiæ, Conſtantino Deo amiciſsimo epiſcopo Pruſiadis, Coſma Deo amiciſsimo epiſcopo Adrianopoleos, & Ignatio Deo amiciſsimo epiſcopo Timonis: his ita convenientibus, Bahanes famoſiſsimus patricius & præpoſitus ex perſona ſacri ſenatus ad vicarios ſenioris Romæ & orientalium ſedium dixit: Noſtis, patres mei ſanctiſsimi, quia in præcedentibus actionibus eccleſiaſtica diſpoſitio facta eſt a vobis ſanctiſsimis loci ſervatoribus ſenioris Romæ, ac orientalium ſedium, ſecundum congruentiam & ordinem ſynodicum: nunc vero patriarchæ Alexandriæ venit vicarius, & hoc procul dubio Dei cooperatione & voluntate factum eſt. Quid ergo de cetero videtur ſanctitati veſtræ? Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Et nos quidem vidimus eum, & locuti ſumus ei; & per ſermonem ejus ſatisfactionem accepimus. Verumtamen juxta canonica præcepta legatur commendatitia ejus epiſtola in audientiam omnium, in hac ſancta & univerſali ſynodo, & ita commeretur omnibus nobis vicariis patriarchalium ſedium. Deo amiciſsimi epiſcopi, & tota ſancta ſynodus dixit: Bonum & juſtum eſt, & ideo cunctis placet: & hoc manifeſte habetis a conſequentia eccleſiaſtica & ſynodica. Et poſt hoc accipiens Gregorius devotus notarius divinorum ſecretariorum, legit epiſtolam patriarchæ Alexandriæ ad piiſsimum imperatorem miſſam.

* fort. Hadramiti.
a) Lege, Rhodi, ex actione x. H.
b) Lege, Jacobo, ex actione x. H.
c) Pro, Meſenes. H.
* al. Euippi.
d) Pro, Nyſſæ. H.
* al. Onumericentium.
* al. [illegible]nii.
* al. Eliſomane.
e) Pro, Cl[illegible]zomenentium. H.
f) Pro, Aventium, al. Auentum. H.
* al. Theagnoſto.
g) In aliis, Aſaphio [illegible] Erythræ. &

Piiſſi-



ANNO CHRISTI 869.

*Piiſſimo & magnificentiſſimo imperatori victori Baſilio, Auguſto, triumphatori, & Chriſti Deo placabili famulo, Michael inutilis ſervus puerorum domini mei Alexandrinus.*

AB olim quidem ſcribere ad divinitus actam & maximi decoris dictaturam tuam, optime imperator, geſtientes, ab alterius tribus formidine inhibiti extitiſſe dignoſcimur. Nunc vero juſſi, & quod deſiderabamus, & quod metuebamus, impigre peregimus, immortali & ſupercæleſti regi copioſas gentes rependentes, qui per occaſionem quamdam diſpenſanter exiguitatem noſtram dignatus eſt adjuvare, quo meum dominum ac dominatorem orthodoxum imperatorem alloqui & exorare meruiſſem. Etenim mihi magnæ deliciæ hoc apparuit, ſanitas, & profectus, & magna gratia divinitus orta: arbiter enim Palæſtinorum regionis, & Tiberiadem, ac Tyrum obtinens, & horum præſidatum creditum habens, his diebus mittens ad nos, nuntiavit dominicorum & nobiliſſimorum apicum ad ſe deſtinatorum adventum, jubentium, quo ſibi quempiam a ſede Alexandrina ad imperia dirigeremus, una cum a pauſillis literis noſtris ſuper diſſenſione, quæ facta eſt quorum patriarcharum cauſa penes regiam urbem; & quod a Deo provectus & opinatiſſimus imperator anhelet ab exterorum ore audire, qualiter veritas exigat, & quæ ſit de his certa & firma cognitio, quæ ſic nos movit ad id quod antea deſiderabamus, & pro eo quod fieri citius ſperamus propter viri juſtitiam, & amore dilectionis pavente poteſtatem, quæ in nobis potentatum gerit, quempiam eorum, qui apud nos ſedulo permanent, mittere; miſimus ei contra pro nobis, requirentes hominem olim noſtrum, & a multis annis in ſua voluntate habitantem, venerabilem exiſtentem, & monaſticam converſationem ex mollibus ungulis excolentem monachum, Joſeph nomine; quod & fecit: cum quo etiam hunc vilem codicillum tranſmiſimus indignum exiſtentem, & imperatoriæ allocutioni inconvenientem: hoc autem volenter fecimus, quinimmo confidenter præſumpſimus, non tanquam noſipſos odientes, abſit, ſed noſmet dejicientes, exiguitatem noſtram ad eminentem & principantem, ac omnibus dignitatibus ſublimiorem dignitatem veraciter comparantes. Neque enim hoc animo agere poteramus, niſi manifeſte cognoviſſemus in te, Deo gratiſſime imperator, habitare imitatorem Chriſti & condeſcendibilem affectum, qui quondam viduæ duo minuta recepit, & hæc pluribus muneribus prætulit. Etenim ait quidam poetarum. a Abeſt ille qui compedibus conſtrictus ſalit ad terminos, equitis more, ſummumque diligens, vix rejicit, audacter exiliens. De duobus autem patriarchis, domine princeps, & imperator a Deo dirigende, in una ſede, uno tempore, bene novit a Deo provecta pietas tua, quod impoſſibile ſit mittere, & corporalibus terminis remotum, diſcernere tantum ac tale negotium, cum inviſum ſit & tamquam clanculo geſtum, idque nequaquam ſciatur a nobis, ſed nec primordia ejus, vel media, aut noviſsima, vel finalia cognoſcantur: etenim b quidam ſapientum jambo loquentium prædixit: Quis enim judex peregrinus quemquam ſolum uſquam audivit, minime accuſato præſente, vel judicavit protinus, hoc audito? Si enim ex uno ſibi adverſantium audire, pravum & nefas veritas æſtimat, & hoc ut abominabile non admittit, quanto magis ab horum nemine? qui enim judicant quæ neſciunt, paratam redargutionem in carminibus beatiſſimi Gregorii reperiunt, & aperte dicitur eis, quod caligo ſit quæ loquuntur. Bene autem novimus, quod apud vos ſint, dictator & a Deo ſalvande imperator, ſummi paſtores, præſules, ac abbates, clerici quoque, & † azyges, qui omni ſapientia ac ſcientia, intellectu etiam & diſcretione atque prudentia decorati conſiſtunt, quorum princeps ac præſes & ſummus doctor tu conſtitutus es, ſancte ac orthodoxe imperator, qui omnes propius exiſtentes, quod opportunum eſt, ſcitis, & quod Deo ſit acceptum, bene cognoſcitis. Vos enim eſtis radix, ex qua a jam & immortalitatis intelligibilis oceanus, ex quo cuncti fontes, omneque mare, univerſi lacus, & fluenta procul emanant, ut exterior poeta Homerus affatur. Ita, domine imperator juſtiſſime, inveniemus in quibuſdam veterum hiſtoriis, quod duo patriarchæ quondam in Chriſti Dei noſtri ſancta civitate facti fuerunt, ſed hoc modo. Dicit igitur Alexander monachus in hiſtoriis ſuis, quia trigeſimus patriarcha Hieroſolymis poſt glorioſam & celebrandam domini noſtri Jeſu Chriſti ad cælos aſcenſionem, Narciſſus vocabatur, apoſtolica gratia ſplendens, & quieti ſtudens, ſacrorum præſulatu relicto, anno duodecimo ſui patriarchatus ad loca confugit incognita: ſed quæſito a populo, & poteſtate, ac epiſcopis provinciæ, nec tamen invento, pro ipſo provehitur alius patriarcha, qui vocabatur Dius, qui octo annis vivens, in Chriſto defunctus eſt. Poſt hunc Germanus annis tribus; huic vero Gordius ſuccedit quatuor annis, tum ecce tamquam ex abditis Narciſſus rurſus apparet, & erat cum conſecrato Gordio in uno ſenſu & conſonantia. Gordio vero, qui cum eo erat, defuncto, & Narciſſo ſupra modum ſeneſcente (ſi quidem erat quaſi ſexdecim & centum annorum) Alexandrum quemdam epiſcopum, ab alia regione adorationis gratia profectum ad venerabilia loca, per divinam revelationem præſulem Hieroſolymorum conſtituunt, ſene Narciſſo multum eum rogante, qui & martyrio poſtea conſummatur. Hoc vero ſolum hiſtorice novimus, & de his nobis humilibus tuis famulis ſufficiat. Supplicamus autem, ut inutiles ſervi, & obſecramus te, benigniſſime imperator, ut eos, qui ad divinitus gubernandam ſublimitatem tuam ex noſtratibus deſtinati ſunt, beneficiis cumules, non ſolum autem illos, ſed & omnes omnino qui Chriſti nomine cenſentur, & cum eis pro eadem redemptione legatione funguntur, ad eripiendum videlicet a ſuſpicione hos qui miſſi ſunt, & nos qui miſimus, ut cuncti penes omnes qui apud nos ſunt bonam faciem, & temporis redemptionis fructum capeſſere valeamus: quatenus divinæ bonitatis & Chriſti amator mundi principatus tuus pro ſuo voto ac libito jubeat & agat, omnitenentis Dei auxilio ductus, ac continuis & indeficientibus bonis accumulandus; & poſt vitam plurimam & copioſorum annorum curricula immortali imperio fruiturus, deprecationibus immaculatæ Dei genitricis Mariæ, Marcique mirabilis apoſtoli, euangeliſtæ, ac martyris, ſimul & præceptoris noſtri, & omnium ſanctorum mandata Dei perficientium. Amen.

a) Forte, puſillis. H.
b) Gregorius Nazianzenus in verſibus jambicis.

ACTIO IX. CONC. VIII. GENER.

† id eſt, ſine jugo uxorum ſcilicet, intelligantur autem monachi, quia expedite a conjugibus.
a f. tam.

Nota

ANNO CHRISTI 869.

## NOTA EX EDITIONE ROMANA.

*Adnotatio Anaſtaſii Bibliothecarii.*

a *Abeſt, ille.* ] Hi verſus ſunt apud Græcos quorum quantum ex circumſtantia ſuperiori datur intelligi, iſte eſt ſenſus eorum, ex perſona patriarchæ Alexandrini inter Saracenos conſtituti prolatus, dicit, ut inquit ille, qui compedibus conſtrictus utcumque, vel undecumque ſalit, & ſupra vires repit, eques efficitur; ita & tu imperator, humilitatis ac ſcientiolæ noſtræ ſcripta ut duo viduæ minuta ſuſcipe, licet compedibus nationum, inter quas habitamus, impediti vix hæc ipſa ſcripſerimus. Vel ita: ſicut, inquit, qui vincula in pedibus habet, & ſervatur a potente, ſi cum aptum repererit tempus, poteſt quoquo modo equo impoſitus fugere, ſecundum poëtæ paradigma, Evadit irati principis potentatum, ita & nos licet ligati vi gentium ſimus, attamen verbum Dei, quod non eſt alligatum, ſaltem vix ſuper equum epiſtolæ noſtræ imponentes direximus, quod ita ſuſcipe, tamquam ſi ſoluti eſſemus, ac per hoc majora vobis offerre potuiſſemus, quæ tamen ideo, ut autumo, ſcribit obſcure, ne, ſi utcumque deperirent, facile ab hoſtibus intelligerentur.

Commendatitia ergo epiſtola lecta, Donatus Deo amiciſſimus epiſcopus Oſtiæ, & Stephanus Deo amiciſſimus epiſcopus Nepæ, ac Marinus reverendiſſimus diaconus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, dixerunt: Ecce defert hic honorabiliſſimus vir commendatitias literas, quas a patriarcha ſuo Michaele accepit: didicimus, quis ſit, & unde venerit, & ſuſcipimus eum ut veraciter loci ſervatorem Alexandrinæ ſedis. Dicant ergo ad hoc & ſanctiſſimi loci ſervatores orientalium ſedium, & ſacra ſynodus, & Deo amabiles epiſcopi, quid ſibi videatur ſuper hoc, & quomodo certificentur in epiſtola. Sancta & univerſalis ſynodus dixit: Perfecte creduli facti ſumus, & certificati ſumus omnes ex epiſtola quæ modo lecta eſt coram nobis, quia non fictus, ſed veriſſimus vicarius eſt throni Alexandriæ; propter quod & recipimus eum, & glorificamus Deum univerſorum, qui quod deerat univerſali ſynodo ſupplevit, & eam nunc perfectiſsimam demonſtravit. Magnificentiſsimi & glorioſiſſimi principes dixerunt ad Joſeph revendiſſimum diaconum & loci ſervatorem Alexandriæ: Habemus, pater, ſermonem ad ſanctitatem tuam loquendi. Priuſquam huc perveniret ſanctitas tua, factæ ſunt actiones octo; tam de ſanctiſſimo patriarcha, quam de Photio prævaricatore atque tyranno, ſeu de impoſitione manus ejus, & aliis quibuſdam capitulis. Audiſti ex eis quidquam, quomodo judicata ſint, vel qualiter a depoſita fuerint? Didiciſti enim de duobus his neceſſariis capitulis, de receptione ſcilicet ſanctiſſimi patriarchæ Ignatii, quomodo ſtabilitus & confirmatus ſit, & de abjectione Photii, qualiter dejectus & projectus exiſtat, cum tota promotione, ac manus impoſitione ſua. Joſeph reverendiſſimus archidiaconus & loci ſervator Alexandriæ dixit: Audivi, & didici cum multo ſcrutinio & diligentia cuncta quæ acta ſunt. Magnificentiſsimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Ergone placent ea quæ judicaverunt ſanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ ac orientalium ſedium? Joſeph reverendiſsimus archidiaconus & vicarius Alexandriæ dixit: Complacet mihi in omni eccleſiaſtica actione & diſpoſitione ſanctiſsimorum loci ſervatorum ſenioris Romæ, ac orientalium ſedium, & quod ſancte ac juſtæ diſpoſuerint: & ecce præ manibus in ſcriptis ſenſum meum, & ſi jubetis legatur coram hac ſacra ſynodo; in reſiduis vero, prout cognovero per gratiam Chriſti, quod juſtum & ſanctum fuerit, & dicam & agam. Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Ecce audivimus ea quæ dixiſti, & placent nobis omnia, & ideo volumus, ut in medio iſtius ſanctæ

a ) Lege, diſpoſita ex pag. ſeq. II.

ACTIO IX. CONC. VIII. GENER.

univerſalis ſynodi legatur opinio quam habet. Et poſt hoc ſurgens Joſeph reverendiſsimus archidiaconus & loci ſervator Alexandriæ, poſuit ſenſum ſuum ſcriptum inter precioſa ligna, & intemerata euangelia: ſicque demum juſſus Thomas reverendiſsimus diaconus & devotus notarius, in medio ſynodi ſtans, legit:

*Joſeph monachus & archidiaconus ac vicarius Michaelis ſanctiſſimi patriarchæ Alexandriæ hæc dicit ad ſanctam & univerſalem ſynodum.*

NUnc dignum eſt dicere cum propheta David: *Voluntatem timentium ſe faciet dominus, & orationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos.* Nam quia per omnia manſuetiſsimus & piiſſimus imperator noſter Baſilius fundamentum & crepidinem in anima ſua timorem Dei poſuit, cuncta vero ſtudia ſua ſecundum hunc modum produxit; idcirco oculi domini conſequenter ſuper eum reſpiciunt, ſecundum illum qui dixit: *Ecce oculi domini ſuper timentes eum, & in eos qui ſperant in miſericordia ejus*: hinc etiam voluntatem ſuam piiſsimam & juſtiſsimam ad ſtabilitatem ſuæ fidei, & catholicæ eccleſiæ ornamentum dirigere deliberavit, & perfecte in complctionem proſperam deſtinavit: ea enim quæ videbantur hominibus eſſe impoſsibilia & facilia hic conſtituta ſunt, ſcriptura dicente: *Ex ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Per quatuor teſtes irreprehenſibiles & ſine mendacio exhiberi illi dominus voluit veram inſtantium negotiorum examinationem; ita ut ſemper ſatisfactio perfecta iis qui volunt intelligere præbeatur: quia per Deum & apud Deum proſperatur a Deo redimitus imperator noſter: & de Heſperiis quidem partibus vicarios ſanctæ Romanorum eccleſiæ abduxit; de locis autem quæ tenentur a contrariis nationibus, quæ inimico animo Chriſtianæ tribui adverſantur, cooperatores & ſuffragatores veritatis oſtendere diebus imperii ſui, & coexcitare dignatus eſt. Almo enim fratre noſtro Thoma ſcilicet ſanctiſsimo præſule Tyri primæ metropoleos Antiochenſium throni, qui etiam eccleſiaſticas res ejus, eo quod non ſit ibidem patriarcha diſponit? huc accedente, una cum Helia ſanctiſsimo presbytero & ſyncello apoſtolici Hieroſolymorum throni, putavit, ne forte perfecta non eſſet univerſalis ſynodus, quæ hic congregata erat. Hanc ergo conſummare ac opere pleno perfectam exhibere volens Deus, qui ſuper omnia & præ omnibus eſt perfectus, etiam nos ex meridianis locis attraxit vicem ſupplentes apoſtolici throni magnæ Alexandrinorum eccleſiæ, qui divina gratia & regia inſpiratione piiſsimi imperatoris huc pervenientes, omnia diligenter inveſtigavimus; ita ut nihil lateat nos eorum quæ geſta ſunt a fratribus noſtris ante perventionem noſtram: inſuper & cauſas quæ prius motæ ſunt hic inter ſanctiſsimum patriarcham Ignatium & Photium, qui more latronis & mœchi in thronum inſiliit Conſtantinopoleos: quin etiam & de venerabilium & ſanctarum imaginum ſenſu ac opinione, non perfunctorie neque tranſitorie has examinantes, ſed oppido ſufficienter, ut decuit, diſcurrentes, admirati ſumus, certius comperientes de hujuſmodi rebus, quam manifeſta ſit vox ſalvatoris, quæ dicit: *Nihil abſconditum quod non ſciatur, & in manifeſtationem veniat.* Et rurſus: *Spiritus, ubi vult, ſpirat.* Etenim veraciter & inextricabiliter a Deo inſpirati,

Pſal. 144.

Pſal. 32.

1. Tim. 5.

Luc. 12.

Joan. 3.



ANNO CHRISTI 869.

rati, & a divina gratia ejus, iſti per Deum in hac collecta ſynodo ſanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ & orientalium ſedium omnia lege juſtitiæ & judicio veritatis diſpoſuerunt, nequaquam reverentes quid legitimorum eccleſiaſticæ conſequentiæ negotiorum loqui, quemadmodum decet ſanctos & ſacerdotio decoratos, verbum veritatis amplexos. Non enim in vacuum cucurrerunt, neque in vanum laboraverunt, neque prætulerunt quidpiam aliud congruentis ſibi reverentiæ atque clementiæ, quo minus inveſtigatores eſſent juſti Dei judicii. Unde & nos, hoc liquido ac manifeſte agnito, conſentimus & convenimus in iis quæ ab ipſis judicata & jure deprompta ſunt, ſcientes diligenter conſervare ſententiam domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ dicit: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ſum in medio eorum.* Neque enim in nomine alterius cujuſquam, neque propter aliud quid eorum quæ ſunt convenerunt Deo amabilia patriarchia tria, ſed propter nomen domini noſtri Jeſu Chriſti, a quo videlicet mercedem & retributionem percipient. *Vivo enim, dicit dominus, ſed glorificantes me, glorificabo. Et qui abjicit me, inhonorabitur.* Cum quibus efficiamur & nos cooperatores eorumdem laborum, participes a Deo tribuendæ mercedum recompenſationis in eodem Deo, qui dat ſalutem imperatoribus noſtris, Baſilio, & Conſtantino, & Leoni, & per eos inſtaurat regionem & patriam parochiæ noſtræ, quæ pridem per deſidiam eorum qui prius imperaverunt ablatæ ſunt, orationibus & interceſſionibus dominæ noſtræ Dei genitricis, & omnium ſanctorum. Amen.

Math. 18.

Prov. 8.

Et poſt lectionem ſancta univerſalis ſynodus dixit: Litera, quæ lecta eſt, certificavit nos ſuper omnia, quod conſonet judicio ſanctæ Romanorum eccleſiæ, ac orientalium ſedium. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Juſte abiit vir iſte Deo amabilis, pro eo quod ſecutus ſit, & concordaverit actis quæ prius a nobis diſpoſita ſunt: & modo habemus omnes eum, veluti ſi a prima actione uſque in hodiernum diem nobis cooperator extiterit, nobiſcumque conſonaverit: propter quod & recipimus eum, ut verum & juſtiſſimum loci ſervatorem ſedis Alexandrinæ. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt ad ſanctiſſimos loci ſervatores ſenioris Romæ, ac orientalium ſedium: Modo itaque hoc capitulum terminum accepit, & non eſt ſermo de hoc alius, ſed intuemur eum ut nos ipſos. Terminato ergo hoc capitulo, quid conſiliamini, vel quid vultis ut ordinetur hodie? Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Per nuntios quorumdam nobilium virorum, & per quædam diffamata verba cognovimus, quia quidam viri mendaciter locuti & teſtificati ſunt contra Ignatium ſanctiſſimum patriarcham Conſtantinopoleos, & ſi ſunt aliqui præſentes hic de viris prædictis, jubemus ut introeant ad hanc ſanctam ſynodum, & cognoſcamus quid dixerint, & quid teſtati ſint. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Hoc audiſtis? Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Et audivimus, & ſcripto vidimus Romæ per librum qui deſcendit per Rhadoaldum & Zachariam qui miſsi ſunt huc illo tempore epiſcopi: & poſtquam ingreſsi ſumus huc, amplius certificati ſumus. Magnificentiſsimi & glorioſiſsimi principes dixerunt ad ſanctiſsimos vicarios orientalium ſedium: Vos ſancti patres noſtri audiſtis de capitulo hoc, de quo locuti ſunt ſanctiſsimi loci ſervatores ſenioris Romæ: vultis & ipſi quærere capitulum hoc, an non? Joſeph Dei cultor diaconus & vicarius Alexandriæ, & Thomas Deo amabilis metropolita Tyri, & primus Throni Antiochiæ, & Helias honorabiliſsimus presbyter & ſyncellus throni Hieroſolymorum dixerunt: Radice inſtantium pravarum rerum, una cum malitia quæ ineſt illi opportune purgata, congruum eſt iniquas etiam propagines quæ hic pullularunt emundari, & in convenientem bonamque culturam reſtitui. Cupimus igitur & nos hoc intimari. Et hortatus Stephanus reverendiſsimus diaconus & notarius a ſanctiſsimo patriarcha Ignatio, ſtans in medio, ad ſanctam ſynodum dixit: Placet omnibus vobis ut examinetur capitulum hoc? Tota ſancta ſynodus exclamavit: Placet omnibus. Et poſt hoc per juſsionem ſanctæ ſynodi intromiſsi ſunt teſtes, qui fallaciter juraverunt contra Ignatium patriarcham, coram Rhadoaldo & Zacharia quondam epiſcopis: & ſtantibus eis in medio, magnificentiſsimi & glorioſiſsimi principes ad ſanctiſsimos loci ſervatores dixerunt: Quomodo vobis videtur de illis? omnes habetis interrogare communiter, an unumquemque? Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Unuſquiſque eorum interrogetur. Et ante omnes interrogatus eſt Theodorus a ſanctiſsimis vicariis ſenioris Romæ: Qui vocaris? Qui dixit: Theodorus. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Et quam dignitatem habes? Theodorus dixit: Protoſpatharius ſum in vita imperatorum. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Voluntarie veniſti ad hanc ſynodum, an vi? Theodorus dixit: Voluntarie veni. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: & quare veniſti? Theodorus dixit: Propter jusjurandum quod juravimus in ſanctis apoſtolis. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Et de quo feciſti jusjurandum? Theodorus dixit: De Ignatio patriarcha. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Sponte juraſti, an violenter? Theodorus dixit? Invitus juravi; imperator enim dixit mihi: Quia tum obſequium eras illa die quando factus eſt patriarcha dominus, & electionem illius non vidiſti: intra, & jura. Et intravi, & juravi: Non enim vidi electionem ejus. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Et utique didiciſti quia patriarcha erat duodecim annis, & ex illo communicabas? Theodorus protoſpatharius dixit: Sciebam quidem, ſed dixit mihi imperator, Quia metropolita non es, epiſcopus non es: & intravi, & juravi. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Et quomodo juraſti? Theodorus dixit: Juravi quia non vidi ejus electionem. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Et noſti quia peccatum faciebas in juramento illo? Theodorus dixit: Sciebam, ſed non habebam quod facerem. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Feciſti confeſsionem, & accepiſti pœnas de peccato illo repœnitens? Theodorus dixit: Etiam. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Cui confeſſus es, & a quo accepiſti epitimium? Theodorus dixit: Qui dedit mihi epitimium defunctus eſt. Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Quis vocabatur? Theodorus dixit: Neſcio, id tantum ſcio quia chartularius erat, & tonſus eſt, & fecit in columna quadraginta annos. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Sacerdos erat? Theodorus dixit: Neſcio; abbas erat, & habebam fidem in hominem, & nuntiavi ei. Sanctiſsimi vicarii dixerunt: Et cuſtodiſti epitimia? Theodorus dixit: Si vult Deus, cuſtodivi ea, quia Chriſtianus ſum. Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Compleſti ea, an non? Theodorus dixit: Ecce homo, compleo illa. Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixe-

ACTIO IX. CONC. VIII. GENER.

ANNO CHRISTI 870.



dixerunt : Juſte revocatus eſt in ſedem ſuam dominus Ignatius ? Theodorus dixit : Juſte ; ſi enim noluiſſet Deus, ut revocetur, non haberet ei vitam dare. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt : ergo recipis ſanctam hanc ſynodum, & omnia quæ judicata ſunt ab ea ? Theodorus protoſpatharius dixit : Imperator noſter ſanctus recipit eam, & omnes Chriſtiani ; & ego quomodo non ſuſcipio ? etiam, ſuſcipio illam, quia orthodoxus ſum. Deinde interrogatus eſt & Leo conſul, qui & factus eſt ſcriba, a ſanctiſſimis vicariis : Quomodo ingreſſus es in hanc ſanctam ſynodum ? Leo dixit : Nuntiaverunt nobis, & venimus. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Propter quam cauſam ? Leo dixit : Dixerunt nobis : Quia venite, & accipiatis indulgentiam. Sanctiſſimi B vicarii dixerunt : De quo peccato ? Leo dixit : De hoc quod juravi ad ſanctos apoſtolos. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Quis te duxit illuc ? Leo dixit : Imperator illius temporis, & Cæſar. Sanctiſsimi vicarii dixerunt : Per potentiam & vim, an ſponte ? Leo dixit : Interrogaverunt me : Quia vidiſti electionem patriarchæ Ignatii ? Et dixi : Non. Sanctiſsimi vicarii dixerunt : Sponte feciſti juramentum, an violenter ? Leo dixit : Hoc interrogaverunt : Quia fortaſſe non eras tunc in hac urbe, quando electus eſt patriarcha ; & intra, & jura : & intravi, & juravi. Sanctiſsimi vicarii dixerunt : Quot anni ſunt ex quo conſecratus eſt patriarcha Ignatius ? Leo conſul dixit : Dico, ſunt anni viginti quatuor. Sanctiſsimi vicarii C dixerunt : Antequam jurares, communicabas cum patriarcha Ignatio ? Leo dixit : Etiam. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt : Et quare, frater, noviſsime factus es contra eum ? in hoc apparet quia tu cucurriſti ut occideres patrem tuum & paſtorem tuum. Scis quia peccatum feciſti, & pœnitentiam egiſti, & accepiſti epitimia ? Leo dixit : Epitimia non accepi. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Neglexiſti accipere epitimia ? communicaſti poſt hæc, an non ? Leo dixit : Non. Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt : Recipis patriarcham Ignatium modo ? Leo dixit : Quidquid recipit mundus & vos, recipio & ego. Sanctiſsimi vicarii dixerunt : Vis accipere epitimia ? Leo dixit : Si mihi dederitis, accipio. D Sanctiſsimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt : Recipis ſanctam hanc ſynodum ? Leo dixit : Recipio eam. Sanctiſsimi vicari dixerunt ? Anathematizas Photium, & omnes quos ſynodus anathematizavit ? Leo dixit : Quis ſum ego, ut anathematizem ? Anathematiſmus in cauſa fidei fit : at vero Photius orthodoxus eſt, & ut quid anathematizabo eum ? Sanctiſsimi vicarii dixerunt : Opera ejus pejora ſunt omni hæreſi, quia diaboli operarius eſt. Leo conſul dixit : Cum vos judicetis fieri & excepta hæreſi anathematiſmum, anathematizo & ego cunctos quos anathematizavit ſancta hæc & univerſalis ſynodus. Et poſt horum duorum examinationem virorum interrogatus eſt E Euſtachius regius * ſpatharius candidatus, Conſtantinus regius ſpatharius ; Baſilius regius mandator, Photius ſpatharius & factus chartularius militaris logotheſii, Paulus regius ſcriba ; Chriſtophorus regius ſpatharius, & ſecundus vulgi * Praſinorum, Anaſtaſius dudum diaconus, * Marinos veſtitor & factus epoptes, Conſtantinus † chartularius, Arſabir regius candidatus, & Conſtantinus regius protoſpatharius. Et interrogati admodum [illegible] diſcuſſi omnes, objiciebant violentiam & timorem regium, & privationem pecuniarum, & exilium, & una voce, quod non ſponte ad hujuſmodi actum compulſi

* ſpatharocandidatus.

* f. Praſinorum.

* al. Marianus.

† Qui fuit exgerocomipraſinorum.

* f. gerontocomio p.

A fuerint, aſſeveraverunt. quidam quidem ex eis ſe falſi ſunt ſtatim fuiſſe confeſſos, & accepiſſe convenientia epitimia : quidam vero etiam uſque in præſens ſine pœnitentia permanſiſſe, qui apta epitimia a ſancta & univerſali ſynodo ſuſceperunt, quemadmodum poſthac manifeſtabitur ; cum videlicet omnes hi ſuſceperint ſanctam & univerſalem ſynodum, & anathematizaverint omnia quæcumque hæc anathematizavit, & ſuſceperint ſimiliter animo libenti quæcumque ſuſcepit. Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit ſicut ex perſona ſenatus ad ſanctiſſimos vicarios ſenioris Romæ : Omnes viri qui falſo juraverunt contra ſanctiſſimum patriarcham, non ſunt hic præſentes : quidam B enim & mortui ſunt, alii propter infirmitatem vel alias cauſas huic præſentiæ deſunt : audiſtis veritatem. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Volumus audire & ab abſentibus quemadmodum ex præſentibus. Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit ad ſanctam ſynodum : Quid deſiderat ſancta hæc ſynodus ? judicentur iſti ſine illis, an non ? Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Expectemus eos. Magnificentiſsimi & glorioſiſsimi principes dixerunt : Non poteſt alia ſynodus fieri cauſa illorum : verumtamen, licet alii præſto non ſint, epitimium audire habent quod habetis dare ; & ſi quidem cucurrerunt ad pedes veſtros, & ſanctiſsimi patriarchæ Ignatii, accipient epitimium definitum a ſanctitate veſtra : ſi vero non venerint, ſed permanſerint in C malitia ſua, creſcet epitimium ipſorum, ſicut ſanctitati veſtræ placuerit. Ignatius ſanctiſsimus patriarcha dixit : Impoſsibile eſt ut non diſcutiantur homines illi, & appareant quales & qui ſint : multi enim ex eis actuarii, & ſtabularii, ac equorum medici ſunt ; propter quod juſtum eſt ut veniant in conſpectum hujus ſanctæ ſynodi, & arguantur, & confiteantur veritatem, quemadmodum & iſti. Magnificentiſsimi principes dixerunt : Sicuti prædiximus, domine, non poteſt propter eos qui reperti non ſunt alia ſynodus fieri, ſed, ſi jubeas, coram ſanctitate tua & omnium metropolitarum venient. Ignatius ſanctiſsimus patriarcha dixit : Placet. Et poſt D hoc aſcendens Stephanus Deo amabilis diaconus & notarius, legit epitimium quod definierunt ſanctiſsimi vicarii, & tota ſancta ſynodus, habens ita :

Conſiderante pariter hac ſancta & univerſali ſynodo virorum iſtorum qui ultro ingreſſi ſunt ad eam, quique contra Ignatium ſanctiſſimum patriarcham mendaciter juraverunt olim ſub Michaele imperatore, & Barda domeſtico, compulſi in eccleſia ſanctorum apoſtolorum in conſpectu nefandi concilii, definimus & promulgamus eos qui non pœnituerunt, neque annuntiaverunt, neque epitimium acceperunt, ſed permanſerunt in duritia cordis ſui, & non cognoverunt peccatum quod egerunt ; non ſolum E contra ſanctiſsimum patriarcham Ignatium, ſed & contra ſanctiſsimam Dei eccleſiam, per ſeptem annos epitimium habere ; propter manifeſtatum peccatum tale, eſſe illos in duobus annis extra eccleſiam, & in aliis duobus annis intra eccleſiam audire divinas ſcripturas uſque ad catechumenos, non tamen ullo modo communicare ; ſed abſtinere a carnibus & vino quatuor annis præter dominicos dies, & præter dominicas feſtivitates ; & in aliis tribus annis ſtare cum fidelibus, & mereri divinam communionem in ſolis dominicis ſolennitatibus cum eleemoſynis, & orationibus, atque jejuniis ; ita ut tribus



ANNO CHRISTI 870.



bus diebus hebdomadis, ſecunda videlicet, quarta, & ſexta feria, abſtineant a carnibus & vino. Peccamen enim ipſorum non fuit modicum, ſed, ut jam dictum eſt, contra Deum magnum, & primum paſtorum principem, & [a] per pontificem qui unctus eſt ab ipſo : & quicumque ſunt, qui non venerunt hodie in hanc ſanctam & univerſalem ſynodum, & ſe occultant, nolentes annuntiare peccatum quod egerunt, & effugere volunt ſententiam epitimii, ſint omnino ab eccleſia ſegregati, & anathematis ligamento conſtricti, donec converſi per pœnitentiam ſalvi fiant : qui vero accipiunt epitimia prius, & cuſtodiunt, poſt completum epitimium, digni fiant ſanctis & divinis myſteriis.

a) Forte, ſuper Pontificem. H.

B Et poſt lectionem magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes ad ſanctiſſimos vicarios dixerunt : Juſtam conſtat eſſe damnationem ſuper iis qui perjuraverunt, & fallaciter juraverunt, & recipiunt epitimium quod datum eſt a ſancta ſynodo ? ſed petimus, & rogamus vos, ut veniam oſtendatis & compaſſionem in eos ; quia multum tempus poſitum eſt epitimii, & quia peccatum propter quod peccaverunt in paſtorem & pontificem noſtrum patratum eſt ; detur & poteſtas ſanctitati ejus, ut quiſquis ierit ad illum contrito corde, quærens miſericordiam, ſicut Deus deduxerit eum, epitimium minoret. Etenim imitator eſt illius qui pro eis qui ſe crucifixerunt oravit : hoc petimus, hoc rogamus ſanctitatem C veſtram, hoc deprecamur vos. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Nos non ſolum propter præſentem rem, vel cauſam, hanc poſuimus definitionem, ſed & propter futuram cautelam : verumtamen in paſtorem in quem peccaverunt committimus hodiernam diſpenſationem eorum qui in hac cauſa præſentes exiſtunt. Et prædixerunt ad ſanctiſſimum patriarcham Ignatium : Sancta quidem ſynodus conſonanter dedit eis epitimium eorum, peccato ſuo condignum, immo vero multæ compaſſioni propinquum, verumtamen poteſtatem habet ſanctitas tua ſecundum contritionem cordis uniuſcujuſque, & fervorem ac ſtudium, pœnitentiæ allevandæ, vel etiam augendi epitimium quod datum eſt : quoniam in te D peccaverunt, & per te in Deum. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt : Benedictus Deus qui & in hac parte oſtendit vos imitatores pietatis ſuæ. Honorabiliſſimi epiſcopi dixerunt : Placet omnibus judicium iſtud. Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus ad ſanctiſſimos vicarios dixit : Capitulum hoc jam finem accepit. Habetis aliud quid ad diſponendum, an non ? nam hora præteriit : quod ſi non habetis, dicite. Donatus Deo amiciſſimus epiſcopus Oſtiæ, & Stephanus Deo amiciſſimus epiſcopus Nepæ, & Marinus reverendiſſimus diaconus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, dixerunt : Habemus & aliud quid ad requirendum hodie. Poſtquam enim ingreſſi ſumus in hanc a Deo conſer- E vandam urbem, auditum eſt a nobis, quia malos homines & contemptores inveniens diabolus organa malitiæ ſuæ, operatus eſt novam rem & plenam impietate ; ita ut laici homines, & ſenatores veſtirentur ſuperhumeralibus, & facerent, quantum putatur, ea quæ ſunt ſacerdotum. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt : Voluntas veſtra fiat ; conſpicimus enim & nos hoc juſtum fore. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt : Ingrediantur tales. Et ingreſſi ſunt, & ſteterunt in medio, Marinus ſpatharius candidatus, & Baſilius ſpatharius, & [b] Georgius ſpatharius, & interrogati ſunt a ſanctiſſimis loci

b) Verius Gregorius ut ſupra legitur. H.

A ſervatoribus : Quamobrem introiſtis in hanc ſanctam ſynodum, & ut quam cauſam nuntietis ? Marinus & ii qui cum ipſo erant dixerunt : Ludum faciebat Michael imperator, mittens nobis pontificalem ſtolam, verum non ſolum nobis, ſed & aliis pluribus ſpathariis. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Veraciter mittebatis ſacerdotalem ſtolam ? Marinus & ceteri dixerunt : Veraciter mittebamus eam. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Et poſuerunt ſuper veſtra capita ſancta euangelia ? Marinus & qui cum ipſo erant dixerunt : Veraciter poſuerunt ea. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Et faciebat quis aliquam orationem in vos ? Marinus & qui cum ipſo erant dixerunt : Etiam. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Quis ? Marinus & B reliqui dixerunt : Theophilus protoſpatharius. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Vivit, an mortuus eſt ? Marinus & Gregorius dixerunt : Mortuus eſt, Deo volente. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Utique vere mortuus eſt, & abiit in infernum. Vos ſciebatis quod malum eſſet : ut quid hoc feciſtis ? Marinus & qui cum ipſo erant dixerunt : Et quid poteramus adverſus imperatorem dicere, feminas & pueros & ſæculum habentes ? Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt : Et ſi obtuliſſet vobis idolum, adorare illud habuiſtis ? Marinus & ceteri dixerunt : Abſit. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt : A cunabulis & ab ætate infantiæ ecquis vos induxit in eccleſiam Dei ? vel quis vos illuminavit ; ſacerdotes, an ſæ- C culares ? Marinus, & ceteri dixerunt : Sacerdotes. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Et cur, ſi ſacerdotes induxerunt vos in eccleſiam & in communionem, vos depravaſtis divina & terribilia myſteria, illuſiſtis, & feciſtis ridiculum ſacerdotium ? Marinus & Baſilius & Gregorius reſponderunt : Diximus, & iterum dicimus : Per diem illam quidquid faciebat imperator, & præcipiebat, nos faciebamus ; ſi enim loqueremur, & reſiſteremus, moreremur ; & tamen quidam ex noſtris reſiſtentes cæſi ſunt. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Bonum eſſet, quoniam inchoaſtis bonum, etſi cæſi eſſetis, & permanſiſſetis uſque in finem, & ſervaſſetis veritatem. Marinus & qui cum eo erant dixerunt : Homines ſumus infirmi, & non toleraſſemus mor- D tem. Verumtamen epitimium accipimus, confitentes ſanctiſſimo domino Ignatio patriarchæ ; & interrogetur. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Et cuſtoditis epitimia ? Marinus & ceteri dixerunt : Etiam, Deus ſcit quia cuſtodivimus ea. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Quis vobis dedit ea ? Marinus & qui cum ipſo erant dixerunt : Patriarchæ diximus, & dixit nobis : Ite ſinguli, ubi habetis ſatisfactionem, & accipite. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt : Quando hanc pompam, & injuriam, & ridiculum faciebatis in ſacerdotium, videbat vos Photius ? Marinus & qui cum ipſo dixerunt : Neſcimus ſi videbat, an ſi non videbat ; teſtis autem eſt Deus, quia totus mundus illud ſciebat. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : E Quot eratis ? Marinus & ceteri dixerunt : Multi eramus. Sanctiſſimi vicarii dixerunt : Vere multi fuiſtis in inhonorantiam & confuſionem unius & ſolius veri Dei noſtri : ideo & vos præſentes, & illi abſentes epitimium habetis accipere a ſanctæ hac & univerſali ſynodo ad indulgentiam impietatis veſtræ. Et poſt hæc aſcendens Thomas reverendiſſimus ſubdiaconus & devotus notarius, ut ex perſona ſanctiſſimorum vicariorum ſenioris Romæ legit ita :

In noviſſimis temporibus nova pravitas, & valde reprehenſibilis apparuit adinventio. Homines enim laici ad dedecus & confuſionem

ANNO CHRISTI 870.

Chriſti Dei noſtri, & eccleſiæ ipſius, ac ſacerdotalis dignitatis, amicti ſacerdotalibus ſtolis, & epiſcopalibus ſuperhumeralibus, & accipientes orationem ſacerdotalem ab aliquo laico; quaſi patriarchalem formam habente; præſumpſerunt ſacerdotio fungi, & agere putativa, veluti digni ſummi ſacerdotes, divinæ adminiſtrationis myſteria in deriſionem & vituperationem dati a Deo principibus ſacerdotum honoris, & detractionem immaculatæ Chriſtianorum fidei: quos coram ſancta ſynodo introducentes, & diſcutientes, didicimus perfectius adhuc de eiſdem ipſis auditam ab aliis impietatem: & ideo juſtum duximus & hos aptis & convenientibus epitimiis ſubmittere, ut nequaquam amodo hujuſmodi nefas in eccleſia Dei, & Chriſtianiſſimo populo, & in plenitudine fiat. Volumus ergo componere capitulum de illicito hoc conamine, quod in alio conventu, Deo favente, legetur.

Et poſt lectionem hanc aſcendens Stephanus Deo amabilis diaconus & notarius, ut ex perſona orientalium ſedium, ita legit: Quoniam ſub imperiali timore, & periculo conſiſtebant: quod potius ipſe imperator faciens apparebat, & ſubſequenter illos agere cogebat, non autem talem animum vel ſenſum gerebant, ut perſiſterent ad capitalem animadverſionem ſuſcipiendam, ſecundum infirmitatem eorum definietur epitimium in alio conventu.

Et poſt lectionem magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Ecce capitulum hoc convenientem accipit terminum: quid ergo vult ſanctitas veſtra? Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt, ac duarum orientalium ſedium: Volumus falſos vicarios, quos Photius adduxit contra beatiſſimum papam Nicolaum, quaſi ab aliis patriarchalibus ſedibus, ingredi hunc, ut cognoſcat Photii verſutias & fraudes etiam reverendiſſimus frater noſter & comminiſter Joſeph, vicarius patriarchæ Alexandriæ. Introierunt Leontius, Gregorius, & Sergius. Stantibus autem illis in medio, Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Quis ex vobis eſt qui a Photio diffamatus eſt eſſe vicarius Alexandriæ? Et factus eſt propius Leontius & dixit: Ego ſum. Joſeph Deo amiciſſimus archidiaconus & vicarius Alexandriæ ad Leontium dixit: Unde, & quis es? Leontius dixit: Græcus fui genere, captivus vero perrexi Alexandriam. Joſeph vicarius Alexandriæ dixit: Et a quo emptus es? Leontius dixit: A Michaele patriarcha. Joſeph vicarius Alexandriæ dixit: Ubi eſt epiſcopium patriarchæ? Leontius dixit: Intus ad eccleſiam ſanctæ Dei genitricis, apud ea quæ ſunt Eulogii. Joſeph vicarius Alexandriæ dixit: Et quomodo intraſtis huc? Leontius dixit: Homo eram captivus, & liberum me fecit, & veni huc propter benedictionem. Joſeph reverendiſſimus archidiaconus & vicarius Alexandriæ dixit: Miſit te ſanctiſſimus Michael ſicut vicarium? Leontius dixit: Sæpe dixi quia non miſit me, ſed propter benedictionem ego ipſe veni uſque huc. Photius autem miſit me Romam, ut quidquid dicerent metropolitæ facerem. Deus autem novit quia ſicut pecus deſcendebam, nihil ſciens. Sanctiſſimi vicarii & tota ſancta ſynodus dixit: Hic peccatum ſuum confitetur, & non jam egemus teſtibus. Pluribus ergo interrogatus & diſcuſſus, nihil aliud dixit, niſi quæ in octava actione in conſpectu ſanctæ & univerſalis ſynodi. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Nos vero hæc quæ nunc a te dicta ſunt, & antea multoties audivimus, modo vero ideo intromiſſus es huc, ut videat te verus vicarius patriarchæ Alexandriæ, quia mendax & ſeductor eras, ſicut etiam tu ipſe confeſſus es. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Quæ ſunt duæ perſonæ illæ quas videmus? Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes dixerunt: Falſi vicarii. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Nos adhuc non vidimus eos: & veniant ad nos, ut interrogemus illos. Et appropinquantibus interrogaverunt ſanctiſſimi vicarii: Qui eſtis? & unde veniſtis? ut vicarii veniſtis, an ut literarum delatores? pro qua occaſione veniſtis? dicite. Georgius dixit: Ut literarum delator veni tantummodo. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: A quo miſſus es? Georgius dixit: A Conſtantino œconomo Antiochenium eccleſiæ: ab eo enim miſſus ſum ad Photium & Michaelem imperatorem, cauſa benedictionis. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Subſcripſiſtis in libro contra ſanctiſſimum papam Nicolaum, qui a Photio factus eſt? Georgius dixit: Abſit. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Et quomodo deſcendebatis ad urbem Romam? ad quod opus faciendum? Georgius dixit: Credite mihi, quia ut quid deſcendebam illuc neſcio. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Quomodo tenetis? Georgius & qui cum ipſo dixerunt: Sicut tenet ſancta Dei eccleſia, & Chriſtiani. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Recipitis hanc ſanctam ſynodum? Georgius & qui cum ipſo erant dixerunt: Sicut eam recipiunt omnes Chriſtiani, recipimus illam & nos. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Dicite tantum vos, quomodo eam recipitis? Georgius & qui cum ipſo erant dixerunt: Diximus quia recipimus eam. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Anathematizatis quos anathematizavit ſancta ſynodus? Georgius & qui cum ipſo erant dixerunt: Qui ſumus nos ut anathematizemus? Sanctiſſimi vicarii dixerunt: Et quomodo deſcendebatis Romam cum libro nefandi concilii? Georgius & qui cum ipſo erant dixerunt: Coacti & inviti; dixit enim nobis Photius: Quia apparuerunt Romæ capitula contra papam Nicolaum, ite, & certificamini ſi ſunt veracia. Nos vero diximus ei: Homines ruſtici ſumus, ſi pervenerimus Romam, quam dabimus rationem? Et ille dixit nobis: Quia docent vos epiſcopi quæ debeatis dicere. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Vos homines peregrinos & advenas, ſicut dicitis, literarum gerulos, oportebat accipere literas, & iterum reverti ad propria, verumtamen anathematizatis concilium quod Romam ferebatis? Georgius & qui cum ipſo erant dixerunt? Anathema ei qui fecit, & qui conſenſit, & qui defendit illud. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Recipitis beatiſſimum papam Nicolaum, & ſanctiſſimum patriarcham Ignatium? Georgius & qui cum ipſo erant dixerunt: Ut recipit eos ſancta hæc univerſalis ſynodus, recipimus & nos: qui enim ſumus nos ut contradicamus tantæ ſynodo, in qua omnes patriarchæ præſto ſunt per loci ſervatores ſuos? Donatus Deo amabilis epiſcopus Oſtiæ, & Stephanus Deo amabilis epiſcopus Nepæ, & Marinus reverendiſſimus diaconus ſanctæ Romanorum eccleſiæ dixerunt ad Joſeph archidiaconum & vicarium throni Alexandrini: Ecce & ipſe, cariſſime frater noſter, cognoviſti per hæc quæ nunc audiſti Photii maligna opera & verſutias: & quia doloſus erat & mendax, & veritas non erat in eo. Hos autem homines, cum ſint pauperes & peregrini, judicamus

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.



ANNO CHRISTI 870.

mus venia dignos propter violentiam quam ſe pertuliſſe confeſſi ſunt: ſed gloria Chriſto Deo propter omnia, qui dixit: *Quid occultum, quod non manifeſtabitur?* (Matth. 10.) Qui etiam ſanctam hanc & univerſalem ſynodum congregare dignatus eſt in gloriam benignitatis ſuæ, & ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ pacificam ordinationem. Helias Dei cultor presbyter & ſyncellos ſedis Hieroſolymorum dixit: Magna beneficia conſecuti in completione ſanctæ hujus & univerſalis ſynodi a vero Deo & ſalvatore noſtro Jeſu Chriſto, magnas illi quoque gratiarum actiones, & gloriæ laudes referre debemus; quia dignatus eſt poſt tot tempora patriarchalia capita invicem adunare ad gloriam benignitatis ſuæ, & ſalutem eccleſiæ. Et poſt hoc aſcendens Stephanus diaconus & devotus notarius, laudes dixit ita: Multos annos imperatorum Baſilii, Conſtantini, & Leonis: Magnorum principum & imperatorum multos annos: Eudoxiæ piiſſimæ imperatricis multos annos: Nicolai beatiſſimi papæ Romani æterna memoria: Hadriani ſanctiſſimi papæ Romani multos annos: Ignatii ſanctiſſimi patriarchæ Conſtantinopoleos multos annos: Orthodoxorum patriarcharum orientis multos annos: Sacri ſenatus multos annos: Sanctæ & univerſalis ſynodi æterna memoria.

## VERSUS.

*Sciſſionibus mundum replentem,*
*Duas vero fides impie habentem,*
*Animas autem duas mortalium dicentem,*
*Et imperium multipliciter incidentem,*
*Et patriarcham omnem deponentem,*
*Alienumque thronum invadentem,*
*Mœchum rurſus omnibus exprimentem,*
*Ignobilemque populum advocantem,*
*Subſcribere invitos minitantem*
*Compatriarchæ mimi exiſtentem,*
*Pauperum clerum orphanorumque inſontes punientem,*
*Fideliumque fidem in maledictionem ponentem,*
*Et Nicolai fidem projicientem,*
*Et Sacacium in vicis invenientem,*
*Hujus vero ſocios ex ſemitis congregantem,*
*Et ſcandalum omnibus excitantem,*
*Inimicum Dei diximus, impie agentem.*

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.

## ACTIO DECIMA.

IN nomine domini & dominatoris omnium Jeſu Chriſti veri Dei & ſalvatoris noſtri, conſulatus a Deo coronatorum & tranquilliſſimorum dominorum noſtrorum, Baſilii & Conſtantini anno tertio, Leonis vero anno primo, perpetuorum Auguſtorum, indictione tertia, pridie Kalendarum Martiarum, feria tertia: propoſitis precioſis & vivificis lignis, & intemeratis ſalutis noſtræ euangeliis, in dextris partibus famoſiſſimi templi ſanctæ ac magni nominis Sophiæ: inſuperque præſidentibus amicis Chriſti imperatoribus noſtris Baſilio & Conſtantino, & convenientibus Donato Deo amabili epiſcopo Oſtiæ, & Stephano Deo amabili epiſcopo Nepæ, & Marino Deo honorabiliſſimo diacono locum retinentibus ſanctiſſimi papæ Hadriani ſenioris Romæ & Ignatio ſanctiſſimo archiepiſcopo magni nominis Conſtantinopoleos novæ Romæ: & ſanctiſſimis loci ſervatoribus orientis, videlicet Joſeph Deo amabili archidiacono Alexandrinorum magnæ civitatis, locum retinente Michaelis ſanctiſſimi patriarchæ Alexandriæ, & Thoma ſanctiſſimo metropolita Tyri, & loci ſervatore ſedis Antiochiæ, & Helia Dei cultore presbytero & ſyncello, locum retinente Theodoſii patriarchæ Hieroſolymorum: præſentibus quoque ſacro ſenatu, ſcilicet Theodoro magnificentiſſimo patricio & magiſtro, Chriſtophoro magnificentiſſimo patricio & magiſtro, Bahane magnificentiſſimo patricio ac præpoſito, Joanne magnificentiſſimo patricio & protoſpathario, Stephano magnificentiſſimo patricio & ſacellario, Marino magnificentiſſimo patricio & logotheta militari, Hemerio magnificentiſſimo proconſule ac patricio, Theophilo magnificentiſſimo proconſule ac patricio, Michaele magnificentiſſimo proconſule ac patricio, Leone magnificentiſſimo proconſule ac patricio, Palatino magnificentiſſimo patricio & domeſtico excubitorum, Paulo magnificentiſſimo patricio & præfecto, Conſtantino magnificentiſſimo patricio, Theodoro magnificentiſſimo patricio, Barbatio magnificentiſſimo patricio, Manuele magnificentiſſimo patricio, Michaele magnificentiſſimo patricio, Theophylacto magnificentiſſimo patricio, Manuele magnificentiſſimo patricio, & Petronate magnificentiſſimo patricio. Similiter conſederunt in dextera parte glorioſiſſimi principes & apocriſiarii perſpicui Ludovici imperatoris Italorum atque Francorum, videlicet Anaſtaſius Deo amabilis bibliothecarius Romæ, ſupprimus concoſanariorum, & conſobrinus uxoris ejus, & Eurardus præpoſitus menſæ ipſius; ſimiliter & glorioſiſſimi judices Michaelis ſublimiſſimi principis Bulgariæ (1) Staſiſzerco borlas neſundicus vagantur il veſtraonatabare præſtit ziſunas campſis, & Alexius Sampſi Hunno: nec non & conſidentibus Deo amabiliſſimis metropolitis, id eſt Baſilio Deo amabili archiepiſcopo Epheſi, Theodulo Deo amabili metropolita Ancyræ, Barnaba Deo amabili metropolita Cyzici, Nicephoro Deo amabiliſſimo metropolita Amaſiæ, Baſilio Deo amabili metropolita Chalcedonis, Nicephoro Deo amabili metropolita Amaſiæ, Baſilio Deo amabili metropolita Gangrenſium, Cypriano Deo amabili metropolita Claudiopoleos, Styliano Deo amabili metropolita Neocæſareæ, Niceta Deo amabili metropolita Athenarum, Theodoro Deo amabili archiepiſcopo Theſſalonicenſium, Theophylacto Deo amabili metropolita Iconii, Nicolao Deo amabili metropolita Synnadorum, Nicolao Deo amabili metropolita Myrorum, Siſinnio Deo amabili metropolita Laodiceæ, Metrophane Deo amabili metropolita Smyrnæ, Euthymio Deo amabili metropolita Catanæ, Michaele Deo amabili metropolita Rhodi, Hilarione Deo amabili metropolita Corinthi, Baſilio Deo amabili metropolita Antiochiæ, Ignatio Deo amabili metropolita Hierapoleos, Michaele Deo amabili metropolita Biſiæ, Joanne Deo amabili archiepiſcopo Pompeiopoleos, Stephano Deo amabili archiepiſcopo Amaſtriadis, Stephano Deo amabili metropolita Cypſallorum, Photio Deo amabili archiepiſcopo Nacoliæ,



(1) *Videntur nobis hæ voces ita diſtinguendæ:* Staſis, Zerco, Borlas, Neſundicus, Vaganturil, Veſtranna, Tabare, Præſti, Tziſuna, Scampſis, & Alexius Sampſibunno. *Hard.*

ANNO CHRISTI 870.

lii, Joanne Deo amabili archiepiſcopo Cii, Jacobo Deo amabili archiepiſcopo Methymnæ, Hypatio Deo amabili archiepiſcopo Garibelæ, Leone Deo amabili archiepiſcopo Neapoleos, Euthymio Deo amabili archiepiſcopo Euchaitorum, Baſilio Deo amabili archiepiſcopo Miſtiæ, Theophane Deo amabili metropolita Selgæ, Marciano Deo amabili archiepiſcopo Thebarum, Paulo Deo amabili metropolita Apamiæ, Gregorio Deo amabili archiepiſcopo Parii, Joanne Deo amabili archiepiſcopo Niſæ, Joanne Deo amabili archiepiſcopo [a] Polemani, Paulo Deo amabili epiſcopo Hyberorum, Anthe Deo amabili epiſcopo * Hiunopoleos, Theodoro Deo amabili epiſcopo * [b] Rurreppi, Xenophonte Deo amabili epiſcopo Mylaſſi, Baſilio Deo amabili epiſcopo Cratiæ, Arſenio Deo amabili epiſcopo Aureliopoleos, Gregorio Deo amabili epiſcopo [c] Iripoleos, Baſilio Deo amabili epiſcopo Adranii, Michaele Deo amabili epiſcopo Hadramiti, Euſtachio Deo amabili epiſcopo Æmoniæ, Leone Deo amabili epiſcopo Daphnuſiæ, Baſilio Deo amabili epiſcopo Pirgii, Gregorio Deo amabili epiſcopo Meſſinæ, Paulo Deo amabili epiſcopo Baris, Nicephoro Deo amabili * metropolita Crotonæ, Meleſio Deo amabili epiſcopo Heracliæ, Photio Deo amabili epiſcopo Ypſi, Stephano Deo amabili epiſcopo Gordoſervorum, Euthymio Deo amabili epiſcopo Sebaſtæ, Joanne Deo amiciſſimo epiſcopo Tampſii, Nicephoro Deo amabili epiſcopo Aſpinæ, Theognaſto Deo amabili epiſcopo Parnaſii, Siſinnio Deo amabili epiſcopo Berinopoleos, Theophane Deo amabili epiſcopo Azani, Philito Deo amabili epiſcopo Tabiæ, Leone Deo amabili epiſcopo Agrorum, Baſilio Deo amabili epiſcopo Adadorum, Conſtantino Deo amabili epiſcopo Tii, Michaele Deo amabili epiſcopo Cercyrorum, Nicephoro Deo amabili epiſcopo Zacynthi, Athanaſio Deo amabili epiſcopo Magneſiæ, Ignatio Deo amabili epiſcopo Simmei, Petro Deo amabili epiſcopo Troadis, Niceta Deo amabili epiſcopo Cephaludii, Georgio Deo amabili epiſcopo [d] Diaſcilii, Ignatio Deo amiciſſimo epiſcopo Dorylæi, Stephano Deo amiciſſimo epiſcopo Pirgi, Conſtantino Deo amiciſſimo epiſcopo Auguſtopoleos, Georgio Deo amabili epiſcopo [e] Cyriacæ, Nicolao Deo amabili epiſcopo Docimii, Niceta Deo amabili epiſcopo Photiæ, Paulo Deo amiciſſimo epiſcopo Melæ, Taraſio Deo amabili epiſcopo [f] Cynii, Germano Deo amabili epiſcopo Cytri, Theophane Deo amabili epiſcopo Trallæ, Nicolao Deo amabili epiſcopo Adramiæ, Conſtantino Deo amabili epiſcopo [g] Numericorum, Michaele Deo amabili epiſcopo Leontopoleos, Joſeph Deo amabili epiſcopo Berræ, Petro Deo amabili epiſcopo Palæorum, Baſilio Deo amabili epiſcopo Zuruli, Michaele Deo amabili epiſcopo Metelupoleos, Phoca Deo amabili epiſcopo Sororum, Conſtantino Deo amabili epiſcopo Synai, Ignatio Deo amabili epiſcopo Baſilii, Damiano Deo amabili epiſcopo Melitopoleos, Theoclito Deo amabili epiſcopo Lacedæmoniæ, Coſma Deo amiciſſimo epiſcopo Adrianopoleos, Conſtantino Deo amabili epiſcopo Pluſiadis, Macario Deo amabili epiſcopo [h] Chyzomenæ, Arſapio Deo amabili epiſcopo Briſthreæ, Luca Deo amabili epiſcopo Magneſiæ, Nicephoro Deo amabili epiſcopo Neapoleos, Joſeph Deo amabili epiſcopo Aneorum, & Georgio Deo amabili epiſcopo Turitunii: his ita convenientibus juſſu Baſilii & Conſtantini magnorum & amicorum Chriſti imperatorum, ſtans in medio Babanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit ad ſanctiſſimos vicarios ſenioris Romæ, & orientalium ſedium: Quid videtur ſanctitati veſtræ? quid agemus hodie? Sanctiſſimi vicarii dixerunt: Præ omnibus neceſſarium arbitramur, ut primum legantur canones, quos debet hæc ſancta ſynodus firmare: ſi ergo placet ei, dicat. Sancta ſynodus exclamavit: Placet. Et aſcendens Stephanus Deo amiciſſimus diaconus, & notarius, legit canones in ſuperiori parte ſynodi, magna voce, in audientiam omnium. Similiter & Thomas reverendiſſimus diaconus & notarius, & in inferiori parte ſynodi eaſdem regulas legit.

a) Tre, Polemonii.
* alias Hinnopoleos.
* alias Ruſippi.
b) al. Euſippi. H.
c) Tre. Tripoleos, ex Actione nona. H.
* alias epiſcopo.
d) Tre. Daſcylii. H.
e) Supra, ſanctæ Cyriacæ. H.
f) Supra, Cinex. H.
g) Supra, Onumeticenſium. H.
h) Lege, Clazomenæ. H.

ACT. X. CONC. VIII GENER.

# REGULÆ SANCTÆ

## AC UNIVERSALIS OCTAVÆ ſynodi quæ Conſtantinopoli celebrata eſt.*

### I.

*De cuſtodiendis & conſervandis omnino expoſitis antea & traditis eccleſiæ canonibus.*

PEr æquam & regiam divinæ juſtitiæ viam inoffenſe incedere volentes, veluti quaſdam lampades ſemper lucentes & illuminantes greſſus noſtros, qui ſecundum Deum ſunt, ſanctorum patrum definitiones & ſenſus retinere debemus. Quapropter & has ut † ſecunda eloquia ſecundum magnum & ſapientiſſimum Dionyſium arbitrantes & exiſtimantes, etiam de eis cum divino David promptiſſime canamus: *Mandatum domini lucidum illuminans oculos*; & : *Lucerna pedibus meis lux tua, & lumen ſemitis meis*; & cum Proverbiatore dicimus: *Mandatum tuum lucidum, & lex tua lux*: & cum magna voce cum Iſaia clamamus ad dominum Deum, quia *Lux præcepta tua ſunt ſuper terram*. Luci enim veraciter aſſimilatæ ſunt divinorum canonum hortationes & dehortationes, ſecundum quod diſcernitur melius a pejori, & expediens atque proficuum ab eo quod non expedire, ſed & obeſſe dignoſcitur. Igitur regulas, quæ ſanctæ catholicæ ac apoſtolicæ eccleſiæ tam a ſanctis famoſiſſimis apoſtolis, quam ab orthodoxorum univerſalibus, nec non & localibus conciliis, vel etiam a quolibet Deiloquo patre ac magiſtro eccleſiæ traditæ ſunt, ſervare ac cuſtodire profitemur; his & propriam vitam, & mores regentes, & omnem ſacerdotii catalogum, ſed & omnes qui Chriſtiano cenſentur vocabulo, pœnis & damnationibus, & e diverſo receptionibus, ac juſtificationibus quæ per illas prolatæ ſunt & definitæ, ſubjici canonice decernentes: tenere quippe traditiones, quas accepimus, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam ſanctorum qui antea fulſerunt, Paulus admonet aperte magnus apoſtolus.

Pſal. 18. — Pſal. 118. — Prov. 6. — Iſa. 26. — 2. Theſſ. 2.

De



ANNO CHRISTI 870.

### II.

*De conſervandis etiam definitionibus ſynodice a beatiſſimo papa Nicolao & ſanctiſſimo papa Hadriano Romanis patriarchis pro defenſione Conſtantinopolitanorum eccleſiæ ac reſtitutione Ignatii ſanctiſſimi patriarchæ, atque neophyti expulſione ac condemnatione Photii expoſitis.*

Hebr. 13.

*Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis; ipſi enim pervigilant pro animabus veſtris tamquam rationem reddituri*; Paulus magnus apoſtolus præcipit. Itaque beatiſſimum papam Nicolaum tamquam organum ſancti Spiritus habentes, nec non & ſanctiſſimum Hadrianum papam ſucceſſorem ejus, definimus atque ſancimus etiam omnia quæ ab eis ſynodice per diverſa tempora expoſita ſunt & promulgata, tam pro defenſione ac ſtatu Conſtantinopolitanorum eccleſiæ, & ſummi ſacerdotis ejus, Ignatii videlicet, ſanctiſſimi patriarchæ, quam etiam pro Photii neophyti & invaſoris expulſione ac condemnatione, ſervari ſemper & cuſtodiri cum expoſitis capitulis immutilata pariter & illæſa, & nullum epiſcoporum, aut presbyterorum, vel diaconorum, aut quempiam de catalogo clericorum evertere, vel reprobare aliquid horum audere. Quiſquis autem poſt hanc definitionem noſtram comprehenſus fuerit ſpernens quidquam capitulorum & decretorum quæ ab illis expoſita ſunt, ſi quidem ſacerdos fuerit, aut clericus, a proprio decidat honore ſimul & ordine: monachus autem, vel laicus, cujuſcumque ſit dignitatis, ſegregetur, donec pœnitens profiteatur ſe conſervaturum prædictorum editionem.

### III.

*Ut honoretur & adoretur imago domini noſtri Jeſu Chriſti, æque ut ſanctorum libri euangeliorum, & figura precioſæ Crucis, ſimiliter & intemeratæ matris ejus & Dei genitricis Mariæ, & omnium ſanctorum, nec non cæleſtium miniſtrorum.*

Sacram imaginem domini noſtri Jeſu Chriſti & omnium liberatoris & ſalvatoris æquo honore cum libro ſanctorum euangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per ſyllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutem conſequemur omnes, ita per colorum imaginariam operationem, & ſapientes & idiotæ cuncti, ex eo quod in promptu eſt, perfruuntur utilitate; quæ enim in ſyllabis ſermo, hæc & * ſcriptura, quæ in coloribus eſt, prædicat, & commendat; & dignum eſt, ut ſecundum congruentiam rationis, & antiquiſſimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipſa referuntur, etiam derivative iconæ honorentur, & adorentur æque ut ſanctorum ſacer euangeliorum liber, atque typus precioſæ Crucis. Si quis ergo non adorat iconam ſalvatoris Chriſti, non videat formam ejus, quando veniet in gloria paterna † glorificari & glorificare ſanctos ſuos: ſed alienus ſit a communione ipſius & claritate: ſimiliter autem & imaginem intemeratæ matris ejus & Dei genitricis Mariæ; inſuper & iconas ſanctorum angelorum depingimus, quemadmodum eos figurat verbis divina ſcriptura; ſed & laudabiliſſimorum apoſtolorum, prophetarum, martyrum, & ſanctorum virorum, ſimul & omnium ſanctorum, & honoramus & adoramus. Et qui ſic ſe non habent, anathema ſint a Patre, & Filio, & Spiritu ſancto.

* alias pictura.

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.

† Hoc dictum cum Apoſtolo comparans, quod ad Theſſalonicenſes ſcribit: Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie domini, & a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in ſanctis ſuis.

### IV.

*De eo quod neophytus Photius nunquam fuiſſe videatur epiſcopus, neque illi qui in quolibet ſacerdotali gradu conſecrati ſunt, putentur tales eſſe quales eos ille nominavit, neque dimittendi ſunt eis honores, qui ab eo collati ſunt, ſed ſubvertenda eſſe omnia quæcumque ille ad dandum aliis gradum ſacerdotii operatus eſt.*

Amorem principatus, utpote quamdam malam radicem exortorum in eccleſia ſcandalorum, radicibus excidentes, eum qui temere & prævaricatorie ac irregulariter, veluti quidam gravis lupus, in Chriſti ovile inſiliit, Photium ſcilicet, qui mille tumultibus & turbationibus orbem terræ replevit, juſto decreto damnamus, promulgantes nunquam fuiſſe prius aut nunc eſſe epiſcopum, nec eos qui in aliquo ſacerdotali gradu ab eo conſecrati vel promoti ſunt manere in eo ad quod provecti ſunt: inſuper & eos qui ab illo conſuetas orationes ad præpoſituræ promotionem ſuſceperunt, ab hujuſmodi patrocinio coercemus. Sed & eccleſias quas, ut putatur, tam Photius quam ii qui ab ipſo conſecrati ſunt, dedicaverunt, vel ſi commotas menſas ſtabilierunt, rurſus dedicari & inthronizari atque ſtabiliri decernimus; omnibus maxime quæ in ipſo, & ab ipſo ad ſacerdotalis gradus acceptionem vel damnationem acta ſunt in irritum ductis. Dicit enim univerſorum Deus per prophetam: *Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi; & oblita es legum Dei tui, & ego obliviſcar filiorum tuorum. Si ſecundum multitudinem eorum ſic peccaverunt mihi, gloriam ipſorum in inhonorantiam ponam: peccata populi mei comedent, & in injuſtitiis ſuis accipient animas ſuas.* Et iterum dicit: *Quia* mul-

Oſee 4.

ANNO CHRISTI 870.

*multiplicavit Ephrem altaria in peccatum, facta ſunt ei altaria* [a] *delicta: ſcribam in ea* † *multitudinem.*

a) In Græco, ἠγαπημένα, dilecta.
† Multitudinem vilitatem dicit; ſæpe namque multitudo pro vilitate ponitur.

## V.

*Quod non oporteat de ſenatoria dignitate, vel de aliquo laicorum ordine, nuper tonſum eligi vel ſuſcipi patriarcham, niſi ſecundum definitionem, quæ prolata eſt ab hac ſancta & magna ſynodo, inveniatur.*

Omnem canonicam ſtabilitatem in eccleſiis ſemper manere in Chriſto providere cupientes, renovamus & confirmamus terminos & * [b] vacationes, quæ olim a ſanctis apoſtolis & beatis patribus noſtris editæ, legem in eccleſia poſuerunt, non oportere antiſtitem promovere quemquam, qui eſt vel ſecundum fidem, vel ſecundum ſacerdotalem ſortem neophytus, *ne inflatus, in judicium incidat, & laqueum diaboli*, ſicut dicit apoſtolus. Prioribus ergo canonibus concordantes; definimus; neminem de ſenatoria dignitate, vel mundana converſatione nuper tonſum ſuper intentione vel expectatione pontificatus, vel patriarchatus honoris, clericum, aut monachum factum, ad hujuſmodi ſcandere gradum; licet per ſingulos ordines divini ſacerdotii plurimum temporis feciſſe probetur: neque enim propter religionem vel amorem Dei, aut propter expectationem tranſcundi viam virtutum, ſed ob amorem gloriæ, ac principatus tonſus hujuſmodi reperitur: magis autem coercemus hujuſmodi, ſi ab imperatoria dignitate ad hoc compellatur. Si vero quis per nullam ſuſpicionem prædictæ concupiſcentiæ expectationis, ſed propter ipſum bonum humilitatis, quæ eſt circa Chriſtum Jeſum, abrenuntians mundo, fiat clericus, aut monachus, & omnem gradum eccleſiaſticum tranſigens, per definita nunc tempora irreprehenſibilis inventus exticerit, & probatus, ita ut in gradu lectoris annum compleat, in ſubdiaconi vero duos, ſitque diaconus tribus, & presbyter quatuor annis; bene placuit huic ſanctæ & univerſali ſynodo eligi hunc & admitti. Circa hos autem qui religioſe morati ſunt [c] ordine clericorum, & monachorum, digni judicati ſunt pontificatus dignitate pariter & honore; prædictum tempus abbreviamus, nimirum ſecundum quod epiſcoporum prælati probaverint qui per tempora fuerint. Si vero præter hanc definitionem noſtram quiſquam ad jam ſatum ſupremum honorem provectus exticerit, reprobetur, & ab omni ſacerdotali operatione prorſus abjiciatur, utpote qui extra ſacros canones ſit promotus.

* alias variationes.
b) Forte, ſanctiones. H.
1. Tim. 3.
c) Forte, in ordine. H.

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.

## VI.

*De prolato anathemate contra Photium, etiam propter falſorum vicariorum contra beatiſſimum papam Nicolaum inventionem, & contra eum ficte ac falſo ſcriptorum libellorum, & quod oporteat omnes qui ſimile quid egerint abjicere & anathematizare.*

Quoniam quidem apparuit Photius poſt prolatam contra ſe juſtiſſimam ſententiam, & damnationem a ſanctiſſimo papa Nicolao propter nequiſſimam invaſionem Conſtantinopolitanorum eccleſiæ cum aliis malis operibus ſuis, etiam quoſdam nequam & adulatores de plateis & vicis inveniſſe, & vicarios hos ſanctiſſimarum trium patriarchalium ſedium orientis nominaſſe ac propoſuiſſe, atque cum his eccleſiam malignantium, & concilium vanitatis colligens, depoſitorias accuſationes & crimina contra beatiſſimum papam Nicolaum commoviſſe; & anathema procaciter & audacter contra eum, & cunctos communicantes ei, ſæpe promulgaſſe, quorum quaſi monumentorum libros nos quoque vidimus, ab ipſo maligno opere ac fallaci dictatione conſutos, qui etiam ſynodice ab igne conſumpti ſunt: hujus rei gratia pro cautela eccleſiaſtici ordinis anathematizamus quidem primitus prædictum Photium etiam propter hujuſcemodi cauſam: deinde vero & omnem qui amodo in calliditate fraudulenter egerit, & verbum veritatis adulteraverit, & falſos vicarios ſimulaverit, vel libros dictatus mendacis finxerit, & ad propriorum favorem votorum commentatus fuerit, quemadmodum & fortiſſimus pietatis athleta Martinus, ſanctiſſimus papa Romanus, tales ſynodice pepulit.

## VII.

*Quod non oporteat anathematizatos a ſancta & univerſali ſynodo honorandas & ſanctas imagines pingere, vel docere diſciplinas divinæ ac humanæ ſapientiæ.*

Quod juſtum eſt, & juſte exequendum, deiloquus Moyſes evidenter lege promulgat. Cum bonum non ſit bonum, niſi ſecundum rationem efficiatur; bonum ergo profecto & valde proficuum eſt, ſanctas & venerabiles iconas pingere, ſed & proximos diſciplinas divinæ ac humanæ ſapientiæ docere: non autem bonum eſt, nec omnino proficuum, ab indignis horum aliquid fieri. Hujus rei gratia nequaquam iconas operari in ſacris templis, ſed neque in quovis loco docere anathematizatos ab hac ſancta & univerſali ſynodo definimus & promulgamus, uſquequo a propria ſeductione ac malitia convertantur. Quiſ-

Deut. 16.



ANNO CHRISTI 870.

Quiſquis ergo poſt hanc definitionem noſtram ad picturæ ſanctarum imaginum in eccleſiis aut doctrinæ actionem quoquo modo eos admiſerit, ſi quidem clericus fuerit, proprio gradu periclitetur, ſi vero laicus, ſeparetur, & divinorum myſteriorum communione privetur.

## VIII.

*Quod non oporteat quemcumque patriarcham ſanctæ & Conſtantinopolitanorum eccleſiæ exigere chirographa a ſacerdotali catalogo ad propriam quaſi ſtabilitatem atque ſecuritatem.*

*Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant*, dicit alicubi Paulus magnus apoſtolus. Igitur quoniam omnia ad utilitatem & perfectionem ſanctæ Dei eccleſiæ, & nihil omnino per contentionem vel inanem gloriam facere debemus; & quoniam auditibus noſtris fama ſonuit, quod non ſolum hæretici, & ii qui ſanctæ Conſtantinopolitanorum eccleſiæ ſacerdotium ſortiti, ſed & orthodoxi ac legitimi patriarchæ a ſacerdotali catalogo propriæ manus ſcripta facere ad propriam tutelam, favoremque ſuum, & quaſi ſtabilitatem exigant & compellant; viſum eſt ſanctæ huic & univerſali ſynodo, nequaquam id ex hoc a quopiam fieri, excepto eo quod ſecundum formam & conſuetudinem pro ſincera fide noſtra tempore conſecrationis epiſcoporum exigitur; quod enim aliter fit, omnino non expedit, ſed neque ad ædificationem eccleſiæ pertinet. Quiſquis ergo auſus fuerit ſolvere hanc definitionem noſtram, aut expetierit, aut paruerit expetentibus, honore proprio decidat.

1. Cor. 6.

## IX.

*De ſubvertendo & ſolvendo vinculo proprii ſcripti, quod Photio excogitatum & exactum eſt ab omnibus volentibus exteriorem diſcere ſapientiam.*

Variam & diverſam malitiam antiquitus in eccleſia Conſtantinopolitana infelix operatus eſt Photius. Didicimus enim, quod & multo ante tyrannicum præſidiatum propriæ manus ſubſcriptionibus muniebat adhærentes ſibi clientes, ad diſcendam ſapientiam, quæ a Deo ſtulta facta eſt, cum manifeſte nova eſſet inventio, & ſanctis patribus noſtris & magiſtris eccleſiæ penitus aliena. Igitur quoniam omnem colligationem iniquitatis ſolvere, & chirographa violentorum contractuum dirumpere præcipimus, definivit ſancta & univerſalis ſynodus, neminem ex his omnibus a nunc tale tenere vel ſervare chirographum, ſed abſque quolibet offendiculo indubitanter & intrepide tam docere, quam [a] diſcere omnes, qui ad utrumque conſiſtunt idonei, præter eos qui erroris inveniuntur & hæreticæ impietatis ſervituti redacti; hujuſmodi enim certiſſime & docere & [a] diſcernere interdicimus. Si quis autem deprehenſus fuerit hanc definitionem noſtram ſpernens atque prævaricans, ſi quidem clericus eſt, a proprio gradu decidat; laicus vero ſequeſtretur, utpote qui non credit dominico verbo perhibenti: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

ACTIO X. CONC. VIII. GENERAL.

a Tr., diſcere. H.

Matth. 16.

## X.

*Ut ante diſtinctam examinationem, & ſynodicam judicationem nullus clericus a proprio epiſcopo, aut epiſcopus a proprio metropolita, vel a proprio patriarcha ſe ullo modo ſegreget.*

Divina manifeſto clamante ſcriptura: *Ante examinationem ne vituperes: & intellige primum, & tunc increpa*; & numquid lex noſtra judicat hominem, niſi prius audierit ab eo, & cognoverit quid faciat? juſte & congruenter & hæc ſancta & univerſalis ſynodus definit & ſtatuit, quod nullus laicorum, vel monachorum, aut aliquis ex catalogo clericorum, ante diligentem examinationem & ſynodicam ſententiam a communione ſe ſeparet proprii patriarchæ, licet criminalem quamlibet cauſam ejus ſe noſſe prætendat, ſed neque recuſet nomen ipſius referre inter divina myſteria, vel officia. Similiter autem epiſcopos & presbyteros, qui in exterioribus civitatibus & regionibus ſunt, erga proprios metropolitas affectare mandamus: quod etiam circa patriarcham ſuum facere metropolitas oportet. Si vero quis adverſus hanc ſanctam ſynodum deprehenſus fuerit agere, ſi quidem epiſcopus aut clericus eſt, ab omni ſacerdotali operatione decidat & honore; monachus autem aut laicus ſegregetur ab omni eccleſiaſtica communione atque collegio, quouſque converſus per pœnitentiam recipiatur.

Eccli. 11. 7. ex Græco.

## XI.

*Quod oportet anathematizare omnem qui impie ac læſis ſenſibus habere hominem duas animas opinatur.*

Veteri & novo teſtamento unam animam rationabilem & intellectualem habere hominem docente, & omnibus Deiloquis patribus & magiſtris eccleſiæ eamdem opinionem aſſeverantibus, in tantum impietatis quidam, malorum inventionibus dantes ope-

ANNO CHRISTI 870.

operam, devenerunt, ut duas cum habere animas impudenter dogmatizare, & quibuſdam irrationabilibus conatibus per ſapientiam, quæ ſtulta facta eſt, propriam hæreſim confirmare pertentent. Itaque ſancta hæc & univerſalis ſynodus, veluti quoddam peſſimum zizanium, nunc germinantem nequam opinionem, evellere feſtinans; immo vero ventilabrum in manu veritatis portans, & igni inextinguibili tranſmittere omnem paleam, & aream Chriſti mundam exhibere volens, talis impietatis inventores & patratores, & his ſimilia ſentientes, magna voce anathematizat, & definit, atque promulgat, neminem prorſus habere, vel ſervare quoquo modo ſtatuta hujus impietatis auctorum. Si autem quis contraria gerere præſumpſerit huic ſanctæ & magnæ ſynodo, anathema ſit, & a fide atque cultura Chriſtianorum alienus.

*1. Cor. 1.*

## XII.

*De non recipiendis ullo modo electionibus epiſcoporum per principale ſuffragium & potentiam factis.*

Apoſtolicis & ſynodicis canonibus, promotiones & conſecrationes epiſcoporum & * potentia & præceptione principum factas penitus interdicentibus, concordantes definimus, & ſententiam nos quoque proferimus, ut ſi quis epiſcopus per verſutiam vel tyrannidem principum hujuſmodi dignitatis conſecrationem ſuſceperit, deponatur omnimodis, utpote qui non ex voluntate Dei, & ritu ac decreto eccleſiaſtico, ſed ex voluntate carnalis ſenſus ex hominibus & per homines Dei * domum poſſidere voluit, vel conſenſit.

* *alias* potentatu

* *alias* donum

## XIII.

*Quod oporteat in magna eccleſia, in minori gradu conſtitutos ad majores honores opportune contendere; ſed non eos qui foris ſunt inter illos admitti; ſed nec eos in eadem eccleſia connumerari, aut conſtitui, qui procurant, ſeu tuentur proaſtia, vel ſæcularium domos.*

Quoniam quidem dicit alicubi divinum eloquium: *Dignus eſt operarius mercede ſua;* hujus rei gratia & nos decernimus, & promulgamus, ut magnæ eccleſiæ clerici, qui in ſubjectis ordinibus morati ſunt, ad majores gradus aſcendant; &, ſi digni claruerint, melioribus perfrui mereantur honoribus; cum aliqui eorum, qui in ipſis ſunt, aut per incrementum ad ſuperiora miniſteria advocati fuerint, aut per communem naturæ terminum dormientes defuerint; ſed non ex illis, qui foris ſunt, [illegible] his innectentes gradibus eis, qui

*Luc. 11.*

A multo tempore laboraverunt, dignitates vel honores recipiant; ac per hoc inveniantur eccleſiæ clerici nullo modo proficere. Nullatenus autem habeant poteſtatem, qui principum domorum, ſeu ſuburbanarum rerum curam geſſerint, inter clerum magnæ eccleſiæ colligi, vel † conſtitui: *nemo quippe Deo militans ſæculi negotiis implicatur.* Si vero quis præter definitionem quam nunc protulimus promotus fuerit in quocumque magnæ eccleſiæ gradu, reprobetur omnimodis ab omni eccleſiaſtico gradu, tamquam qui contra magnam ſynodum provectus extiterit. B

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.

† Ita [illegible] Deo [illegible] 2. Tim. 2.

## XIV.

*Quod oporteat eos, qui per divinam gratiam ad epiſcopale officium convocantur, omnem reverentiam & honorem mereri ab iis qui per tempora aut ſtrategatus miniſterium ſortiuntur, aut aliter principari videntur.*

Eos qui a divina gratia ad epiſcopale advocantur officium, tamquam imaginem & figuram ferentes ſanctorum cæleſtium hierarcharum, id eſt angelorum, ſecundum C hierarchicum plane gradum & morem, omni honore dignos ab omnibus principibus & ſubditis ſancimus haberi. Et nequaquam ſtrategis, vel quibuslibet aliis principibus obvios procul ab eccleſiis ſuis occurrere, ſed neque ſemet a multo ſpatio de equis vel mulis ejicere, aut cum timore ac tremore procidere ac adorare; ſed nec cum ſæcularibus principibus ad menſam intrare hora prandii, eoſdem quos illi honores ſtrategis exhibentes, ſed ſecundum congruentiam ſpiritalis dignitatis, ac honoris ſui, reddere quidem omnibus debita, cui vectigal, D vectigal, cui honorem, honorem: præferri autem & multam a principibus amicorum Chriſti imperatorum venerationem, & reverentiam promereri confeſſores eorum, & honoris ſimilis exiſtentes; ita ut fiduciam habeant epiſcopi arguere ſtrategos multoties, & alios principes, atque omnem ſæculi dignitatem, cum injuſtum & irrationabile agere quid illos invenerint, & per hoc corrigere & reddere meliores. Si vero aliquis epiſcopus, poſt definitionem ſanctam ſynodi, debitum & canonice collatum ſibi E contempſerit honorem, & quid ſecundum veterem & inhumanam ac inordinatam conſuetudinem, præter quæ nunc definita ſunt, fieri permiſerit, ſequeſtretur anno uno, & princeps ille duobus annis non mereatur percipere myſteriorum nec ſanctificationum communionem.

## XV.

*Quod non oporteat alienare cimelia, vel per emphyteuſim ſalaria eccleſiarum tribuere.*

Apoſtolicos & paternos canones renovans



ANNO CHRISTI 870.

vans ſancta hæc univerſalis ſynodus, definivit neminem prorſus epiſcopum vendere vel utcumque alienare cimelia & vaſa ſacrata, excepta cauſa olim ab antiquis canonibus ordinata, videlicet quæ accipiuntur in redemptionem captivorum; ſed nec tradere ſalaria eccleſiarum in emphyteutica pacta, nec alias ruſticas poſſeſſiones venumdare, ac per hoc eccleſiaſticos reditus lædere, quos ad propriam utilitatem, & ob eſcam pauperum & peregrinorum ſuſtentationem eſſe decernimus: omnem vero eccleſiaſticarum rerum poteſtatem habentem & has meliorare, ac dilatare prout oportuerit eccleſiaſtica loca, per quæ reditus fiunt; & inſuper propriarum rerum diſpoſitionem diſtribuere, ac committere ſeu conferre quibuſcumque voluerit & judicaverit juxta propriam poteſtatem ac dominatum. Quiſquis autem apparuerit poſt hanc definitionem noſtram contrarium quid huic ſanctæ & univerſali ſynodo agere, deponatur ut prævaricator divinarum legum & præceptorum, caſſata videlicet omnino quæ facta eſt in ſcriptis vel ſine ſcriptis ab epiſcopo venditione, vel emphyteutica traditione, vel alia quavis alienatione, cimeliorum ſcilicet & ſalariorum locorum. Qui vero emerit aut perceperit aliquid ex prædictis cimeliis vel ſalariis, & non reſtituerit eccleſiæ, iterum, quæ eccleſiæ ſunt vel non reddiderit ad incidendam chartam venditionis vel emphyteuſeos, ſit anathema uſquedum fecerit quod ab hac ſancta & univerſali ſynodo confirmatum eſt. Si autem epiſcopus convictus fuerit conſtruxiſſe monaſterium de reditibus eccleſiaſticis, tradat ipſum eidem eccleſiæ monaſterium; ſi vero de propriis rebus, aut de aliis quibuſdam conventionibus, habeat id ſecundum propriam poteſtatem, & voluntatem omni vita ſua; & poſt finem vitæ dimittat & conferat hoc quibuſcumque voluerit, non tamen ſæculare diverſorium fiat.

## XVI.

*De non utendis penitus adinventionibus ad exhonorantiam ſancti ſacerdotii. Imperator vero vel princeps, ſi talia fecerit, redarguatur, & ſeparetur: ſi autem non pœnituerit, etiam anathematizetur.*

Magnis ululatibus & multis lacrymis dignum opus a multis fidelibus ad noſtros pervenit auditus: ajunt enim fuiſſe quoſdam laicos ſub eo qui nuper imperavit in ordine ſenatorio, qui ſecundum diverſam imperatoriam dignitatem videbantur † capillorum comam circumplexam involvere atque reponere, & gradum quaſi

† Ita namque a cervice uſque ad capita con.

A ſacerdotalem per quædam inducia & veſtimenta ſacerdotalia ſumere, &, ut putabatur, epiſcopos conſtituere, ſuperhumera-*libus, id eſt palliis, circumamictos, & omnem aliam pontificalem indutos ſtolam; qui etiam proprium patriarcham adſcribentes cum qui in adinventionibus riſum moventibus prælatus & princeps erat, & inſultabant, & illudebant quibuſque divinis, modo quidem electiones, promotiones & conſecrationes, modo autem acute calumnias, damnationes & depoſitiones epiſcoporum, quaſi ab invicem, & per invicem B miſerabiliter & prævaricatorie agentes & patientes. Talis autem actio nec apud gentes a ſæculo unquam audita eſt, ita ut pejores & miſerabiliores infidelibus nationibus exhibeat & demonſtret hos quos nunc manifeſtos effecimus: qua de re ſancta & univerſalis ſynodus definivit & promulgavit, illos quidem malitiæ nixus omnino ut ſceleſtos abominari, neminem autem fidelium qui Chriſtiana cenſentur appellatione deinceps conari tale quid faciendi, vel admittendi, aut ſilentio tegendi quemquam eorum qui hujuſmodi operantur impietatem. C Si vero quiſpiam imperator, vel potentum, aut magnatum, taliter illudere divinis, & talem ac tantam injuriam impie in divinum ſacerdotium facere vel admittere tentaverit, primo quidem arguatur a patriarcha illius temporis, & epiſcopis qui cum ipſo fuerint, & ſegregetur, & indignus divinis myſteriis judicetur; deinde vero accipiat quoſdam alios in duram obſervantiam labores, & pœnas quæ viſæ fuerint: & niſi celeriter ſe pœniteat, etiam anathema ſit ab hac ſancta & univerſali ſynodo, tamquam qui ſinceræ & D immaculatæ fidei myſterium dehoneſtaverit. Si vero, præſumentibus quibuſdam hujuſmodi nefas operari, patriarcha Conſtantinopolitanus, & ſuffraganei ejus epiſcopi quod factum fuerit cognoſcentes, neglexerint debitum adverſus eos oſtendere zelum, deponantur, & a proprio ſacerdotio ac honore pellantur: qui autem quoquo modo hujuſmodi miniſtraverunt vel miniſtraturi ſunt impiiſſimæ actioni, & minime confeſſi acceperint conveniens † epitimium, definivimus per triennium ſequeſtratos eſſe, anno E quidem uno extra eccleſiam ſtantes, alio vero anno intra eccleſiam ſtare uſque ad catechumenos; porro tertio, conſiſtere cum fidelibus, & ita dignos fieri myſteriorum ſanctificationibus.

ACTIO X. CONC. VIII GENER.

torquebant, ut clericali more in coronam eandem tonſi viderentur.

† Increpationem, vel inductam pœnam pro culpis.

## XVII.

*De poteſtate patriarcharum, & metropolitanorum ad eos adventu.*

Sancta & univerſalis Nicæna prima ſynodus

ANNO CHRISTI 870.

nodus antiquam conſuetudinem jubet ſervari per Ægyptum, & provincias quæ ſub ipſa ſunt, ita ut horum omnium Alexandrinus epiſcopus habeat poteſtatem, dicens: Quia & in Romanorum civitate hujuſmodi mos prævaluit: qua pro cauſa & hæc magna & ſancta ſynodus tam in ſeniori & nova Roma, quam in ſede Antiochiæ ac Hieroſolymorum, priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſervari, ita ut earum præſules univerſorum metropolitanorum, qui ab ipſis promoventur, & ſive per manus impoſitionem, ſive per pallii dationem, epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem, videlicet ad convocandum eos, urgente neceſſitate, ad ſynodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos & corrigendum, cum fama eos ſuper quibuſdam delictis forſitan accuſaverit. Sed quoniam ſunt quidam metropolitanorum, qui ne ſecundum vocationem apoſtolici præſulis occurrant, a mundi principibus ſe detineri ſine ratione cauſantur, placuit talem excuſationem omnimodis eſſe invalidam. Cum enim princeps pro ſuis cauſis conventus frequenter agat, impium eſt ut ſummos præſules ad ſynodos pro eccleſiaſticis negotiis celebrandum impediant, vel quoſdam a conciliis eorum prohibeant, licet tale impedimentum, & fictam prohibitionem metropolitanorum ſuggeſtione diverſis modis fieri didicerimus. Conſueverunt autem metropolitani bis in anno ſynodos facere, ideoque, ſicut dicunt, ad patriarchale penitus non poſſe concurrere caput. Sed ſancta hæc & univerſalis ſynodus, nec concilia quæ a metropolitanis fiunt interdicens, multo magis illa novit rationabiliora eſſe ac utiliora metropolitanorum conciliis quæ a patriarchali ſede congregantur; & idcirco hæc fieri exigit: a metropolita quippe unius quidem provinciæ diſpoſitio efficitur, a patriarcha vero ſæpe totius cauſa diœceſeos diſpenſatur. Ac per hoc communis utilitas providetur, propter quod & ſpeciale lucrum propter generale bonum poſtponi convenit, cum a majoribus ſuper hæc facta fuerit advocatio: quamvis apud quoſdam metropolitanorum antiqua conſuetudo, & canonica traditio per contemptum ipſorum poſtpoſita videantur, non currentibus eis ad communem profectum, quos leges eccleſiæ ſevere condemnantes, omni excuſatione remota, ſubjacere vocationibus proprii patriarchæ, ſive cum communiter, ſive cum ſigillatim factæ fuerint, exigunt. Illud autem tamquam peroſum quiddam ab auribus noſtris repulimus, quod a quibuſdam imperitis dicitur, non poſſe ſynodum abſque principali præſentia celebrari: cum nuſquam ſacri canones convenire ſæculares principes in conciliis ſanxerint, ſed ſolos antiſtites. Unde nec interfuiſſe illos ſynodis, exceptis conciliis univerſalibus, invenimus: neque enim fas eſt ſæculares principes ſpectatores fieri rerum quæ ſacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt. Quiſquis ergo metropolitanorum proprium patriarcham contempſerit, & vocationem ejus, quæ ſive ad unum ſolum, ſive ad plures, ſive ad omnes [a] ſit abſque validiſſima ægrotatione, vel paganorum incurſu, non obedierit, & per totos duos menſes poſt notitiam vocationis, ad proprium venire patriarcham minime feſtinaverit, vel ſi quocumque modo latitare, aut non cognoſcere nuntium ab illo miſſum tentaverit, ſegregetur: ſi vero intra unum annum eamdem contumaciam & inobedientiam demonſtraverit, deponatur omnibus modis, & ab omni ſacerdotali operatione decidat, atque a dignitate & honore, qui metropolitanis convenit, propellatur. Is autem, qui huic definitioni non obedierit etiam, & anathema ſit.

[a] Fortè, E.

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.

## XVIII.

*Quod non oporteat eccleſiarum res ac privilegia violare ſeu decidere.*

Placuit huic ſanctæ & magnæ ſynodo, ut res vel privilegia, quæ Dei eccleſiis ex longa conſuetudine pertinent, & ſive a divæ recordationis imperatoribus, ſive ab aliis Dei cultoribus in ſcriptis vel ſine ſcriptis donata, et ab eis per annos triginta poſſeſſa ſunt, nequaquam a poteſtate præſulis earum quæcumque perſona ſæcularis per poteſtatem ſubtrahat, aut per argumenta quælibet auferat, ſed ſint omnia in poteſtate ac uſu præſulis eccleſiæ, quæcumque intra triginta ſpatium annorum ab eccleſiis poſſeſſa fuiſſe noſcuntur. Quiſquis ergo ſæcularium contra præſentem definitionem egerit, tamquam ſacrilegus judicetur, et donec ſe correxerit, et eccleſiæ propria privilegia, ſeu res reſtituerit, et reſervaverit, anathema ſit.

## XIX.

*Quod non oporteat archiepiſcopos aut metropolitas ſub obtentu quaſi viſitationis proficiſci ad alias eccleſias, & ſubjectos ſibi epiſcopos per avaritiam damnis afficere vel gravare.*

Avaritiam utpote ſecundam idololatriam Paulus magnus execratur apoſtolus, cunctos videlicet qui Chriſtiano vocabulo cenſentur ab omni turpi lucro abſtinere volens: multo magis ergo iis qui ſacerdotio



ANNO CHRISTI 870.

funguntur nefas eſt coepiſcopos & ſuffraganeos ſuos per quemcumque modum gravare. Hujus rei gratia definivit ſancta hæc & univerſalis ſynodus, nullum archiepiſcoporum, aut metropolitanorum, relinquere propriam eccleſiam, & ſub occaſione quaſi viſitationis ad alias accedere, & poteſtate propria in inferiores abuti, & conſumere reditus qui apud illos inveniuntur ad eccleſiaſticam diſpoſitionem, & alimenta pauperum, ac per hoc aggravare avaritiæ modo conſcientias fratrum & comminiſtrorum noſtrorum; excepta hoſpitalitate, quæ aliquando ex neceſſario tranſitu fortaſſis acceſſerit; ſed & tunc non alia, niſi ex iis quæ ad præſens de compendio præparata inveniuntur, cum reverentia & cum timore Dei dignanter accipiat; & maturius propoſitum iter perambulet, nihil omnino eorum quæ ſunt eccleſiæ illius vel ſuffraganei epiſcopi petens & exigens; ſi enim unumquemque epiſcoporum eccleſiæ propriæ rebus cum multa parcitate uti, & nullatenus in proprias utilitates importune ac ſine ratione diſpendere vel conſumere reditus eccleſiaſticos ſacri canones decernunt; qua, putas, impietate judicabitur dignus, qui aliis epiſcopis commiſſas eccleſias gravare vel ambire, & per hoc ſacrilegii crimen incidere non formidat? Quiſquis ergo poſt hanc definitionem noſtram tale quid facere tentaverit, pœnam ſubeat a patriarcha qui per tempus fuerit, ſecundum congruentiam injuſtitiæ ac avaritiæ ſuæ, & deponatur & ſequeſtretur ut ſacrilegus, & aliter ut idololatra factus, juxta magnum apoſtolum.

## XX.

*Quod non oporteat quemquam epiſcoporum apud ſe, vel per ſe collata loca recipere, ſine illius judicio qui urbi aut regioni illi præeſſe dignoſcitur.*

Et hoc ſancta nunc ſynodus didicit, quod in quibuſdam locis quidam propria uſi auctoritate, ac ſine voluntate illorum quibus hujuſmodi diſpoſitiones commiſſæ ſunt, audacter & tyrannice pellunt eos qui per emphyteuſim perceperint aliquid ex iis locis quæ poſſederunt, occaſione quaſi ruptæ fidei circa penſionis pactum. Non autem licet omnimodis hoc fieri, niſi prius accipiat proteſtationem per quoſdam idoneos & fideles homines is qui emphyteuſim contraxit: quod niſi dederit, uſque ad tres annos deſtinatum tributum cenſus, propellatur a locis a ſe detentis. Oportet enim poſt trium annorum cenſus retentionem accedere ad præpoſitos urbis vel regionis illius, & arguere in conſpectu eorum eum qui emphyteuſim conſecutus eſt, & exhibere contemptum ejus, & tunc ſententia & judicio prædictorum recipiat eccleſia propria in poſſeſſionem. Sed nequaquam quiſquam apud ſe vel per ſe faciat prædictorum ablationem locorum; ſuſpectivum quippe tale, quin & multi turpis lucri & avaritiæ conſiſtit indicium. Si quis ergo epiſcopus aut metropolita præter hanc definitionem noſtram abſtulerit aliquem locum a quoquam, putans quod eccleſiam propriam defendat, ſequeſtretur a proprio patriarcha per aliquod tempus, dans primo quod per poteſtatem ſuam abſtulit vel ſubripuit. Si vero contentioſus quis perſtiterit, non obediens his quæ ſanctæ ac univerſali ſynodo viſa ſunt, deponatur omnimodis.

ACTIO X. CONC. VIII. GENERAL.

## XXI.

*Quod non oporteat papam Romanum, vel quempiam aliorum patriarcharum, a quolibet inhonorari.*

Dominicum ſermonem, quem Chriſtus ſanctis apoſtolis & diſcipulis ſuis dixit, quia: *Qui vos recipit, me recipit, & qui vos ſpernit, me ſpernit,* ad omnes etiam qui poſt eos ſecundum ipſos facti ſunt ſummi pontifices & paſtorum principes in eccleſia catholica dictum eſſe credentes, definimus, neminem prorſus mundi potentium, quemquam eorum qui patriarchalibus ſedibus præſunt inhonorare, aut movere a proprio throno tentare, ſed omni reverentia & honore dignos judicare; præcipue quidem ſanctiſſimum papam ſenioris Romæ, deinceps autem Conſtantinopoleos patriarcham, deinde vero Alexandriæ, ac Antiochiæ, atque Hieroſolymorum; ſed nec alium quemcumque conſcriptiones contra ſanctiſſimum papam ſenioris Romæ, ac verba complicare, & componere ſub occaſione quaſi diffamatorum quorumdam criminum; quod & nuper Photius fecit, & multo ante Dioſcorus. Quiſquis autem tanta jactantia & audacia uſus fuerit, ut ſecundum Photium, vel Dioſcorum, in ſcriptis, vel ſine ſcriptis injurias quaſdam contra ſedem Petri apoſtolorum principis moveat, æqualem & eamdem quam illi condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua ſæculi poteſtate fruens vel potens pellere tentaverit præfatum apoſtolicæ cathedræ papam, aut aliorum patriarcharum quemquam, anathema ſit. Porro ſi ſynodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de ſancta Romanorum eccleſia quævis ambiguitas & controverſia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutio-

Luc. 10.

ANNO CHRISTI 870.

lutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ pontifices.

## XXII.

*De ſummorum ſacerdotum electione atque decreto.*

Promotiones atque conſecrationes epiſcoporum, concordans prioribus conciliis, electione ac decreto epiſcoporum collegii fieri ſancta hæc & univerſalis ſynodus definit & ſtatuit; atque jure promulgat, neminem laicorum principum vel potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni patriarchæ, vel metropolitæ, aut cujuslibet epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confuſio, vel contentio, præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtativorum vel ceterorum laicorum habere conveniat, ſed potius ſilere, ac attendere ſibi, uſquequo regulariter a collegio eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futuri pontificis: ſi vero quis laicorum ad concertandum & cooperandum ab eccleſia invitatur, licet hujuſmodi cum reverentia, ſi forte voluerit, obtemperare ſe aſciſcentibus; taliter enim ſibi dignum paſtorem regulariter ad eccleſiæ ſuæ ſalutem promoveat. Quiſquis autem ſæcularium principum & potentum, vel alterius dignitatis laicus, adverſus communem ac conſonantem atque canonicam electionem eccleſiaſtici ordinis agere tentaverit, anathema ſit, donec obediat & conſentiat in hoc quod eccleſia de electione ac ordinatione proprii præſulis ſe velle monſtraverit.

## XXIII.

*Quod non oporteat quemquam epiſcoporum alienarum locare poſſeſſiones eccleſiarum, ſed nec clericum quemlibet in aliena eccleſia ſacra celebrare myſteria.*

Venit & hoc nunc ad aures noſtras, quod quidam epiſcoporum a quibuſdam rogati, poſſeſſiones, quæ ad alias eccleſias pertinent, irrationabiliter conferant; & per hoc, quantum poſſunt, ad propriam voluntatem in aliorum poteſtatem epiſcoporum uſurpent. Hoc autem & propheticam illis manifeſte maledictionem acquirit, quæ dixit: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum ad agrum, ut proximo auferatis aliquid*; & criminis etiam ſacrilegii reos conſtituit. (Iſai. 5.) Hujus rei gratia placuit magnæ huic & univerſali ſynodo, quod nullus fratrum & coepiſcoporum noſtrorum, vel quiſquam, talem ſibi facere nequiſſimam locationem roget, vel ab aliquo ipſe rogatus quamlibet alienarum & extranearum conferat eccleſiarum poſſeſſionem, nec etiam conſtituat presbyteros aut quemlibet alium clericum in eccleſiis quæ ſibi ſubjectæ non ſunt, præter voluntatem epiſcopi cui eccleſia illa commiſſa eſt; ſed neque quiſquam presbyterorum vel diaconorum, qui ſacris officiis dediti ſunt, ultro ac per ſe eccleſias ingrediens, ſacrum aliquid operetur, in quibus ab initio ſortem minime conſecutus eſt; illicitum enim eſt hoc & omnimodis a canonicis præceptionibus alienum. Quiſquis ergo poſt hanc definitionem noſtram viſus fuerit faciens aliquid horum quæ nunc interdicta ſunt, ſeparetur aliquo indicto tempore, diſciſſo videlicet & dirupto modis omnibus locatorio pacto, quod ſive ſcripto, ſive ſine ſcripto præter canonem factum eſt. Similiter & presbyter ille vel diaconus ſegregatus ſit, donec ab aliena recedat eccleſia. Quod ſi & ſegregationem contempſerit, omnimodis deponatur, & ab omni honore ſacrato dejiciatur.

ACTIO X. CONC. GENER.

## XXIV.

*Quod non oporteat metropolitas ſuffraganeis ſuis epiſcopis eccleſiaſtica ſua metropoleos committere miniſteria.*

Divina ſcriptura dicente: *Maledictus omnis homo qui facit opus domini negligenter*, (Jer. 48.) quidam metropolitanorum in extremam negligentiam & deſidiam delapſi, præceptionibus ſuis ſubjectos ad ſe adducunt epiſcopos, & committunt eis eccleſiæ propriæ divina officia, & litanias, & cuncta omnino ſacra quæ ad ſe pertinent miniſteria ita ut per illos celebrent omnia quæ per ſemet alacriter agere debuerint, ac per id eos, qui epiſcopalem dignitatem meruerunt, quodammodo clericos ſibi ſubjectos exhibeant. Vacant autem iidem præter eccleſiaſticas leges ſæcularibus curis atque diſpoſitionibus, dimittentes perſeverare in orationibus & obſecrationibus pro ſuis delictis ac populi ignorantiis; quod nuſquam apud aliquos penitus invenitur, cum ſit canonicis nimirum contrarium omnino præceptis: &, quod ſævius eſt, quia ſuis ſtipendiis per diſtinctas menſium vices præcipi dicuntur prædicta perficere miniſteria; quod ab apoſtolico munimine modis omnibus oſtenditur alienum. Hæc autem omnia magnis & multis ac vehementiſſimis damnationibus dignos hujuſmodi ſtatuunt; probantur enim tales per hæc quæ faciunt, etiam ſatanica jactantia & ſuperbia languere. Quiſquis ergo metropolitanorum poſt hanc ſanctæ ac univerſalis ſynodi definitionem, eadem audacia vel ſuperbia & contemptu abu-



ANNO CHRISTI 870.

ſus, non per ſe cum timore & alacritate, ſeu conſcientia bona, debita miniſteria in propria civitate, ſed per ſuffraganeos epiſcopos ſuos efficere tentaverit, pœnas exolvat coram proprio patriarcha, & aut corrigatur aut deponatur.

## XXV.

*Quid ſemper depoſiti teneantur qui conſecrationem in quocumque gradu Methodii & Ignatii ſanctiſſimorum patriarcharum habuerunt, & Photio invaſori etiam poſt ſententiam quæ ſynodice facta eſt Conſtantinopoli, conſenſerunt.*

Et hoc debite ſancta ſynodus definivit, quatenus epiſcopi, presbyteri, diaconi & ſubdiaconi magnæ eccleſiæ, qui conſecrationem Methodii & Ignatii ſanctiſſimorum patriarcharum habuerunt, & ſecundum inſolens illud & duriſſimum cor Pharaonis obdurati ſunt, & uſque nunc minime cum hac ſancta & univerſali ſynodo convenerunt, ſed nec nobis conſonare in verbo veritatis voluerunt, quinimo invaſori Photio concorditer conſenſerunt, depoſiti ſint, & omnino ſacerdotali operatione privati, quemadmodum nec multum ante beatiſſimus papa Nicolaus judicavit; & nequaquam tales in ſacerdotii catalogo recipiantur, etiamſi ex hoc converti voluerint; niſi in perceptione * ſanctificationum, qua dignos nullatenus eos, niſi per multam miſericordiam, judicamus; non enim ſunt digni ad priorem honorem reſtitutionis locum per pœnitentiam invenire, ſecundum exoſum illum Eſau, licet cum lacrymis expetiſſet eam.

* alias myſteriorum.

## XXVI.

*Quod clericus depoſitus, vel injuriam paſſus ab epiſcopo ſuo, poteſtatem habeat recurrere ad majores eccleſiæ catholicæ principes, id eſt, ad ſummos pontifices.*

Placuit & hoc ſanctæ ſynodo, ut quicumque presbyter aut diaconus a proprio epiſcopo depoſitus fuerit, propter aliquod crimen, vel ſi quamlibet injuſtitiam ſe pati dixerit, & non acquieverit judicio proprii epiſcopi, dicens eum ſuſpectum ſe habere, & vel propter inimicitiam quam erga ſe tenuerit, vel propter gratiam quam aliis quibuſdam præſtare voluerit, idcirco in ſe fuiſſe tale quid operatum, poteſtatem habeat ad metropolitam ipſius provinciæ concurrere, & eam quam putat injuſtam depoſitionem, vel aliam læſionem denuntiare: metropolita vero ille libenter ſuſcipiat hujuſcemodi, & advocet epiſcopum qui depoſuit, vel alio modo clericum læſit, & apud ſe cum aliis etiam epiſcopis negotii faciat examen, ad confirmandum ſcilicet ſine omni ſuſpicione, vel deſtruendum per * generalem ſynodum & multorum ſententia clerici depoſitionem. Similiter etiam epiſcopos concurrere ad patriarchale caput decernimus, qui a metropolitis ſuis talia ſe pertuliſſe fatentur, ut apud patriarcham & metropolitas qui ſub ipſo ſunt, juſtam & ſine ſuſpicione ſententiam quod movetur negotium accipiat. Inſuper etiam nullo modo quiſquam metropolitanorum vel epiſcoporum a vicinis metropolitis vel epiſcopis provinciæ ſuæ judicetur, licet quædam incurriſſe crimina perhibeatur, ſed a ſolo patriarcha proprio judicetur: cujus ſententiam rationabilem, & judicium juſtum, ac ſine ſuſpicione fore decernimus; eo quod apud eum honorabiliores quique colligantur, ac per hoc ratum & firmum penitus ſit quod ab ipſo fuerit judicatum. Si quis autem non acquieverit iis quæ a nobis edita ſunt, excommunicatus exiſtat.

ACTIO X. CONC. GENER.

* alias ampliorem.

## XXVII.

*De eo quod non oporteat palliis præter temporis & loca definita veſtiri, & de eo quod nequaquam eos, qui ex ordine monachico facti ſunt, conveniat ſchemate ac ſtola monachicæ converſationis exuere.*

Secundum traditas formas per ſingulas provincias, ac regiones, & urbes, in eccleſiaſticis promotionibus & conſecrationibus illa quæ indicia & ſigna ſunt ordinis qui unicuique ineſſe videtur, retineri decernimus, ita ut epiſcopi, quibus conceſſum eſt palliis uti certis temporibus, in eiſdem temporibus & locis iis induantur, & tanto & tali non abutantur amictu propter typhum, & inanem gloriam, & humanum placorem, atque ſui amorem; omni videlicet tempore divini ſacrificii, & omnis alius eccleſiaſtici myſterii, hunc inepte portantes: illos autem qui reverenter monaſticam vitam ſectati ſunt, & epiſcopalem meruerunt honorem, conſervare ſchema, & amictum monachicorum indumentorum, & ipſam beatam vitam decernimus: & nullus omnino habeat poteſtatem deponere jam dictum ſchema, propter typhum & arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum tranſgreſſor pactorum: ſicut enim ibi continuus palliorum amictus faſtigioſum & ſuæ gloriæ deditum demonſtrat epiſcopum, ita & hic depoſitio ac denudatio monachici habitus nihilo minus eiſdem ſubmittit criminibus eum qui hoc feciſſe captus extiterit. Quiſquis ergo epiſcopus præter definita ſibi ſcripto tempora ſe pallio induerit, aut monaſticarum veſtium ſchema depoſuerit, aut corrigatur, aut a patriarcha proprio deponatur.

ANNO CHRISTI 870.

Et poſt lectionem canonum, iterum ſtans in medio Bahanes magnificentiſſimus patricius & præpoſitus per juſſionem Chriſti amicorum imperatorum dixit ad ſanctiſſimos loci ſervato- res: Poſt lectionem divinorum & ſacrorum ca- nonum quid deliberat ſanctitas veſtra adhuc fieri? Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ ac orientalium ſedium dixerunt: Subſequatur ex- poſitus terminus, in quo curſim omnia conti- nentur quæ acta ſunt in hac ſancta ſynodo, & legatur in audientiam omnium, ſi placet hoc ſanctæ ſynodo. Sancta ſynodus dixit: Placet, juſtum enim & bonum eſt. Et poſt hoc aſcen- dens Metrophanes Deo amiciſſimus metropolita Smyrnæ in ſuperiori parte ſynodi, legit termi- num. Similiter & Cyprianus Deo amiciſſimus metropolita Claudiopoleos in inferiori parte ſy- nodi eumdem terminum legit in audientiam omnium.

*Terminus ſanctæ ac univerſalis octavæ ſynodi, quæ facta eſt Conſtantinopoli.*

SAncta, magna, & univerſalis ſynodus, quæ per divinam voluntatem & gratiam & ſanctionem amicorum Chriſti ac Deo confirmatorum imperatorum noſtrorum Baſilii & Conſtantini congregata eſt in hac a Deo conſervanda regia urbe, in famoſiſſimo templo ſanctæ ac magni nominis Sophiæ, definivit ſubter annexa:

Connaturale omnipotentis Dei & Patris Verbum, quod firmavit cælum ſicut cameram, & conſtruxit fines terræ ac ceterorum univerſorum ſtatum, ut inſubſtantialiter eſſet, effecit, & regit, & continet, & ſalvat, qui dicit per Iſaiæ prophetæ vocem: [Iſa. 51.] *Aſpice in cælum, quia cælum, ut fumus, ſolidatum eſt; terra autem, ut veſtimentum, veteraſcet: qui autem habitant eam, ſicut hæc, morientur: ſalutare autem meum in æternum erit, & juſtitia mea non deficiet:* qui propter nos ſecundum nos factus eſt, & cæleſtem juſtitiam ſuper terram plantavit, & dixit: [Luc. 21.] *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt:* qui dixit ad omnes qui in eum crediderunt: [Joan. 8.] *Si vos tranſieritis in verbo meo, veri diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Iſte ſolus infinitæ potentiæ dominus & Deus noſter multos quidem alios ab olim, & longe ante, homines mancipatos mendacio, & veritatis inimicos, in agro ſuo, id eſt in eccleſia, [Matth. 13.] mala zizania ſecundum evangelicam ſignificationem ſeminantes, & mundum frumentum divinæ juſtitiæ operire tentantes, veluti quidem ſapientiſſimus & omnipotentiſſimus agricola, evulſit atque diſperdidit, & ad id quod omnino non eſt jure convertit: ſalutare autem ſuum ſemper ad monendum præparavit, & juſtitiam ſuam firmavit, & manifeſtiorem exhibuit. Sed nihil minus, & in inſtantibus temporibus zizaniorum ſatore, per quoſdam praviſſimos & [a] piiſſimos homines eccleſiaſticum agrum inutilem reddere tentante, æquali eademque providentia & hunc ſolicitudine dignum exhibuit, & a ſordibus iniquitatis eripuit, atque ad puritatem revocavit antiquam; piiſſimum enim & tranquilliſſimum imperatorem noſtrum, qui divinæ juſtitiæ amator, & injuſtitiæ hoſtis, & in mandatis ejus manentem diſcipulum ipſius demonſtratum incorruptum & ſcientem, & conſervantem veritatem, excitavit ad inſtitiæ confirmationem: qui per ſuperdatum auxilium; & gratiam eccleſiaſtici tabernaculi, architector

[a] Forte, impiiſſimos. H.

a finibus orbis terrarum in hanc a Deo conſtruendam & regiam Urbem convocavit, & univerſalem ſynodum congregavit, quæ evangelicarum ſanctionum, & Moſaicarum & propheticarum legum, atque apoſtolicorum ac paternorum, nec non & ſynodicorum mandatorum munimina cuſtodiens, pietatis terminos renovavit, & veritatem & juſtitiam in eccleſiaſticis atriis prædicavit. Hinc ergo & Chriſtianorum ſinceram & immaculatam fidem, & dogma orthodoxæ religionis omnes, qui apud eam convenimus ſacrati, roborantes, credimus in unum Deum in tribus conſubſtantialibus & divinis ac principalibus perſonis, utputa quemadmodum in tribus † ſolibus invicem indiſſimilibus, vel in totidem ſplendoribus, unam luminis intuemur naturam: unum quidem & ſingularem Deum ſecundum rationem ſubſtantiæ, trinum autem, vel tria, ſi eum ſecundum rationem perſonarum prædicamus: & neque a ſe, ut eſſet factus, neque ab alio quomodolibet hoc accepiſſe fatemur: ſed ſine initio & æternum & ſolum ſemper exiſtentem, & ſecundum eadem, & ſimiliter habentem, & nullam commutationem vel converſionem admittentem, factorem & conditorem omnium intelligibilium & ſenſibilium exiſtentem: ſic enim & ſancta & magna Nicæna ſynodus exponens fidei ſymbolum ait: Lumen de lumine, Deum verum Filium de Deo vero Patre manifeſte prædicans, & reliqua, ut catholica eccleſia accepit, quam & nos ſuſcipientes uno ſenſu, veſanum & veritatis inimicum Arium anathematizamus, & omnes qui cum ipſo vel ſecundum ipſum de thearchica & beata Trinitate τὸ ἑτεροῖον, id eſt alteritatem ſubſtantiæ, & diſſimilitudinem læſis ſenſibus opinantur; nihilo minus autem & ſecundam ſanctam & univerſalem ſynodum ſuſcipientes ſimiliter * pneumatomachum, quinimo * theomachum anathematizamus Macedonium, neque in perſonarum diſcretione differentiam ſubſtantiæ Patris, & Filii, & divini & principalis Spiritus juxta prædictos hæreſiarchas recipientes, neque in una eademque ſubſtantia perſonas ſecundum amentiſſimum Sabellium confundentes. Inſuper & confitemur unicum Dei Verbum incarnatum, & factum fuiſſe propter nos, ſecundum nos. Non enim angelus, non legatus, ſed ipſe dominus venit, & ſalvavit nos, & nobiſcum factus eſt Emmanuel: & iſte erat Deus verus, Deus Iſrael, & omnium ſalvator, ſecundum divinas & propheticas voces. Unde & ſanctiſſimam & nuptiarum ignaram Mariam, quæ illum peperit, proprio ac veraciter Dei genitricem, fatemur, quemadmodum univerſalis tertia ſynodus quæ prius apud Epheſum congregata eſt prædicavit; cum qua & nos hominis cultorem & jactantiſſimum atque Judaicum ſenſum habentem Neſtorium anathematizamus, duplicem docentes unum eumdemque Chriſtum & dominum, Deum ſcilicet perfectum & hominem perfectum in una perſona, utriuſque naturæ differentia; ſed proprietates inconvertibiles & inconfuſas perpetuo conſervantem, quemadmodum & ſancta univerſalis quarta ſynodus dogmatizavit: quam cum jam numeratis tribus conciliis, tamquam ſanctorum evangeliorum quaternitatem ſuſcipientes, anathematizamus delirum Eutychetem, & vecordem Dioſcorum: quin & duas naturas in uno Chriſto ſecundum manifeſtiorem expoſitionem ſanctæ quintæ & univerſalis ſynodi prædicantes, anathematizamus Severum, & Petrum, & Zoiſam Syrum; Originem etiam qui vana ſapuit, & Theo-

ACTIO I. CONC. VIII. GENER.

† Soles dixi, quia in Græco ſcripti, [illegible]

* Id eſt, Spiritum impugnantem. * Id eſt, Deum impugnantem.



ANNO CHRISTI 870.

& Theodorum Moſpueſtiæ; Didymum quoque pariter, & Evagrium, qui etiam ſecundum eaſdem & diverſas opiniones eodem perditionis irretiti ſunt barathro, & cum prædictis ſynodis conſonantem & eadem ſentientem ſanctam & univerſalem ſextam ſynodum ſuſcipientes, quæ in unius Chriſti duabus naturis conſequenter etiam duas operationes ac totidem voluntates ſapienter aſſeveravit. Anathematizamus autem Theodorum, qui fuit epiſcopus Pharan, & Sergium, & Pyrrhum, & Paulum, ac Petrum, impios præſules Conſtantinopolitanorum eccleſiæ, atque cum eis † Honorium Romæ, una cum Cyro Alexandriæ, nec non & Macarium Antiochiæ, ac diſcipulum ejus Stephanum, qui malæ opinionis Apollinarii, & Eutychetis, ac Severi, impiorum hæreſiarcharum, dogmata ſectantes, ſine operatione ac ſine voluntate animatam anima rationabili & intellectuabili Dei carnem, ſenſibus læſis, & revera ſine ratione, prædicaverunt. Si enim Deus perfectus & homo perfectus unus idem Chriſtus & Deus extitit, certiſſimum eſt, quod nulla ſecundum partem naturarum, quæ ſunt ei, ſine voluntate vel ſine operatione conſiſtat, ſed ſecundum utramque ſubſtantiam volens & operans conſummaverit magnum diſpenſationis myſterium, quemadmodum & omnium deiloquorum chorus, ab apoſtolis uſque ad nos, hoc certiſſime ſciens, etiam imaginem humanæ illius formæ depingens, erexit; impendens utique parti unius Chriſti diſtinctas invicem naturales proprietates: per quas procul dubio ſignificationes, & notiones divinæ ipſius & humanæ naturæ inconfuſe permanere creduntur; ſicut etiam ſeptimam ſanctam & univerſalem, in Nicæa ſecundo celebratam, ſynodum orthodoxe dogmatizaſſe novimus, unum & eumdem Chriſtum & dominum inviſibilem & viſibilem profeſſam, & incomprehenſibilem & comprehenſibilem, & incircumſcriptum & circumſcriptum, impaſſibilem etiam & paſſibilem, atque [a] inſcriptibilem & ſcriptibilem. Cui concordans & ſancta hæc & univerſalis ſynodos magna voce anathematizat Anaſtaſium, Conſtantinum, & Nicetam, irrationalem [b] ſtercoralis nominis præſulatum, vel quod eſt magis dicendum putredinem, nec non & Theodoſium Epheſium, & Siſinnium Paſtilam, & Baſilium Tricacabum, quin potius & Theodoretum, & Antonium, atque Joannem quondam præſules novæ Romæ, regiæ civitatis Chriſtianorum, immo Chriſti calumniatores; quem videlicet nequaquam valuiſſe idolorum exterminare ſtatuas, ut de eo pronuntiavit prophetarum catalogus, operibus & verbis prædicaverunt: adhuc etiam & Theodorum, qui dictus eſt Crithinus, quem & hæc ſancta & magna ſynodus convocans, & redarguens, magna voce anathema ipſius auribus intulit: ſimili quoque modo anathematizamus & omnes conſentaneos & fautores eorum, a quibus dicebatur quod ſermo divinæ incarnationis per phantaſiam & putative factus extiterit, per abolitionem ſcilicet imaginis Chriſti & ſalvatoris noſtri, ſimul etiam ſublatæ formæ cum ea, veriſſimæ illius & deiferæ carnis: bifarie quippe intelligitur omne quod nequaquam imagine comprehenditur, aut velut non exiſtens, aut velut exiſtens quidem, ſed minime comprehenſibile, utpote inviſibile & obſtruſum. Si quis igitur horum aliquid forte ſuper Chriſto omnium noſtrum Deo & ſalvatore perhibuerit, impius liquido declarabitur, quandoquidem unum horum non fuiſſe factum ſecundum veri-

† Maximus egregie Honorium papam defendit in dialogo cum Pyrrho, ut dictum eſt ſup. in VI. ſynodo act. 13.

tatem hominem Emmanuel oſtendit, alterum vero factum quidem fuiſſe, ſed humanis proprietatibus caruiſſe, & aſſumptam carnem depoſuiſſe, ad divinam [a] atque incomprehenſibilitatem per omnia recurſum feciſſe demonſtrat: quod alienum eſt ab omnibus divinitus inſpiratis ſcripturis: quæ etiam iterum eum venturum judicem omnium prorſus affirmant, ſimiliterque videndum, quemadmodum viſus eſt diſcipulis & apoſtolis ſuis ad cælos aſſumptus. Illud autem Manichæica opinione ac impietate plenum eſt, quo inſenſate dicitur, de eo divini David eloquium pronuntiatum fuiſſe, & quod perhibet: [Pſal. 18.] *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*; cum videlicet hæc impietas abjectionem ac depoſitionem ſignificari per id dominici ac deifici corporis opinetur: ſed verbum veritatis & de pheronymo † Manete & de ſingulis qui cum eo ſapiunt, & Iconomachicæ ſunt auctores hæreſeos, atque de aliis omnibus hæreſiarchis ac impiis fiducialiter ait: Non cognoverunt neque intellexerunt, ſed in tenebris ambulaverunt. Etenim, O qui derelinquitis vias rectas, & ambulatis in viis tenebrarum: o qui lætamini in malis, & exultatis in everſione mala: quorum ſemitæ pravæ ſunt, & curvi greſſus eorum, ut longe faciant a via recta, & alienos a juſta ſententia. Et rurſus: [Oſee 8.] Qui a vento corrupta ſeminaverunt, & everſio eorum excepit ea. Et iterum: [Prov. 10.] Qui innititur mendaciis, hic paſcet ventos. Idem autem ipſe perſequetur aves volantes; derelinquit enim vias vineæ ſuæ, in axiis autem agri ſui errat: deambulat enim per inaquoſum deſertum, & terram extenſam in ſiti, congregat autem in manibus ſuis ſterilitatem: propter quod hos omnes tranſmittit anathemati, & dinumeratas nobis ſanctas & univerſales ſeptem ſynodos recipiens, & hanc octavam univerſalem ſynodum congregavit per gratiam omnipotentis Chriſti & Dei noſtri, & pietatem ac ſtudium tranquilliſſimi & divinitus roborati imperatoris noſtri, ad excidendum & diſperdendum per eas exortas propagines injuſtitiæ, ac iniquos niſus ſeu promotiones, ad efficiendum pacificum eccleſiæ ordinem & orbis ſtabilitatem. Non enim ſola verorum dogmatum privatio novit perdere male opinantes, & tumultuari ac turbare eccleſia, ſed & divinorum mandatorum prævaricationes nihilo minus eamdem perditionem non vigilantibus excitant, & æſtu ac fluctibus implent orbem qui Chriſti appellatione cenſentur: quod etiam & per Photii miſeri inſipientiam & aſtatiam & malignam operationem per inſtantia tempora factum eſt, qui non per oſtium, ſed per feneſtram in calum ingreſſus ovium, quaſi fur & latro, animarum graſſator, quemadmodum dominicus ſermo deſignat, omni tempore ac omni fortitudine furari & mactare ac perdere rationabiles pecudes Chriſti tentavit, multaſque perſecutiones operans, plures cuſtodias, & carceres, ac rerum publicationes, atque longiſſimos exulatus, & ſuper hæc inſimulationes, ſed accuſationes & falſiloquia & ſcriptiones fictas, contra omnes zelatores pietatis, & propugnatores veritatis, commentando, non deſtitit. juſtiſſimum videlicet & legitimum atque canonicum ſummum ſacerdotem Conſtantinopolitanorum eccleſiæ, ſanctiſſimum ſcilicet patriarcham Ignatium, ut alter quidam Severus ſeu Dioſcorus, expellere machinans, & inſtar latronis adulteri ſedem illius invadens, & mille depoſitoriis ſententiis ac totidem anathematibus aſtatim eum ſubmittens; atque multifarie multiſque modis inceſſantem turbationem & æſtum cun-

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.

[a] Forte, deeſt; naturam. H.

† Manes ſatis quo Manichæi appellati ſunt, qui recte pheronymus Græce dicitur, quia ſecum fert nomen inſaniæ: manes enim inſanus intelligitur.

ANNO CHRISTI 870.

A ctis Chriſti & ſalvatoris noſtri eccleſiis excitans. Verumtamen non eſt infatuatum ſal terræ, neque oculus eccleſiæ penitus extenebratus, neque luminare; malitiæ ſpiritibus, pietatis extinctum eſt; neque ignis divinæ caritatis conſumptoriam & incendentem operationem peccabilis & levis materiæ perdidit, neque ſermo domini, qui eſt acutior gladio ancipiti, & cogitationum diſcretor, inefficax inventus eſt, neque ſolidæ petræ fundamentum colluſionibus vel inundationibus fluminum & pluviarum demerſum concidit; ſed lapis angularis & precioſus, qui in Sion, id eſt in eccleſia poſitus, ſuper quem fundamentum apoſtolorum & prophetarum in ædificationem eccleſiæ poſitum eſt, multos quidem alios in generatione noſtra emiſit volubiles lapides ſuper B terram; ut † propheta dicit, ab omni ordine catalogi eccleſiaſtici etiam in regnante urbe, ac Roma nova, confringentes ſcilicet & contenentes machinamenta eorum qui devaſtare veritatem & divinam juſtitiam voluerunt & tentaverunt: potius autem atque præcipue veluti quemdam alterum angularem lapidem illius quodammodo conſervantem, quantum fieri poteſt, imaginalem ſimilitudinem contra Photii propugnacula; tamquam a quodam excelſo & perſpicuo loco, Nicolaum beatiſſimum, & [c] pheronymum papam ſenioris Romæ deſurſum miſit, qui jaculis epiſtolarum ſuarum atque verborum & Photii fautores principes ac potentes perculit, C & verſa vice veteris hiſtoriæ, quemadmodum alterum quemdam Madianitam Photium cum Iſraelitide eccleſia mœchantem, ſecundum zelatorem Phinees, veritatis mucrone pupugit, [a] & acquieſcentem remedia medicinalis diſciplinæ ſuſcipere ad adulterii vulneris ſanitatem, & cicatricem conſequendam, etiam penitus interfecit: atque cum conjuncta ei quaſi ſacerdotali dignitate per anathema, ut alter Petrus Ananiam & Sapphiram, qui divina furati ſunt, morti tranſmiſit. Hujus autem definitionibus ac decretis innixus piiſſimus & Chriſti amicus imperator noſter, quem cæleſtis imperator & dominus majeſtatis in ſalutem orbis terrarum erexit, Photio quidem convenientem impartitus eſt locum; D ſanctiſſimum vero patriarcham Ignatium ad thronum proprium revocavit; porro ad perfectam diſcretionem & diſtinctionem ejus quod bonum eſſe conſtat, & expedit. Vicarios etiam ex omnibus patriarchalibus thronis, nec non & omnem epiſcoporum catalogum, qui ſub poteſtate ſua degit, in idipſum collegit: qui videlicet convenientes magnam hanc & univerſalem celebravimus ſynodum, & cum multo ſcrutinio, & probatione, atque tractatu, delimate ac convenienter ſcandalorum & zizaniorum radices, una cum germinibus, gladio ſpiritus excidimus, inſontem ſcilicet & ſanctiſſimum patriarcham Ignatium in proprii throni cardine ſtabilientes, & E Photium pervaſorem atque adulterum cum omnibus ſequacibus ſuis & nequitiæ fautoribus condemnantes. Dicit enim quodam loco per prophetæ vocem univerſorum Deus: *Propter malitias adinventionum ſuarum de domo mea ejiciam eos; & ultra non addam, ut diligam eos. Doluit Ephraim, radices ſuas aruit, fructum ultra non afferes.* Et iterum: *Chanaan, in manu ejus ſtatera injuſtitiæ, vim inferre dilexit: & dixit Ephraim: Verumtamen dives factus ſum, inveni refrigerium mihi. Omnes labores ejus non invenientes, & propter injuſtitias, quas peccavit.* Et iterum: *Et hereditabunt domus Jacob eos qui hereditati recuperant eos: & erit domus Jacob ignis; &*

A *domus Joſeph flamma: domus autem Eſau in ſtipulam, & exardeſcent in eos & comedent eos, & non erit qui ignem ferat domui Eſau, quia dominus locutus eſt.* Miſer namque Photius erat veraciter ut homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine verſutiarum ſuarum, & prævaluit in vanitatem malitiarum ſuarum; ſecundum veterem illum Ephraim, diſcedens a divinis juſtificationibus: quem irridens & ſubſannans propheticus ſermo, ita dicit. *Ephraim factus eſt ſubcineritius panis, qui non reverſatur, & manducaverunt alieni fortitudinem ejus. Ipſe autem non agnovit, & cani effloruerunt ei & ipſe non cognovit, & humiliabitur injuria Iſrael in faciem ipſius, & in omnibus his non eſt converſus ad dominum B Deum ſuum. Ephraim columba, a menſa Ægyptum invocabat, & in Aſſyrios ibat: cum profecti fuerint, immittam ſuper eos rete meum, ſicut volatilia cæli, & attraham & corripiam eos in auditionem tribulationis eorum.* In ſupremam quippe arrogantiam elatus [b] eſt contra beatiſſimum papam Nicolaum ſenioris Romæ; malitiæ ſuæ venenum evomuit: & falſos vicarios trium quaſi orientalium ſedium congregans, & concilium ſynodale, ut putabatur, conſtituens, & accuſatorum ac teſtium componens nomina, & perſonas ac verba formans, quæ ſingulis eorum quaſi aptari viderentur; qui in ſynodica judicatione inveniuntur, & quaſi monumenta horum libros falſidicos fingens, & ſcribens, at- C que componens, anathematizare præſumpſit prædictum beatiſſimum papam Nicolaum, & omnes communicatores ejus; ita ut ex hoc etiam univerſos qui ſub cælo erant pontifices & ſacerdotes, id eſt & ceteras patriarchales ſedes, & omnem ſacrum catalogum qui ſub ipſis degit, ſub eodem comprehenderet anathemate. Erant enim omnes certiſſime communicatores prælati pontificis, in quibus eum & qui cum ipſo ſunt propheticus ſermo redarguens & diffamans, ita dicit: *Multiplicaverunt, ut impie agerent; & legerunt forls leges; & invocaverunt confeſſionem.* Et rurſus: *Et meditati ſunt in corde ſuo ſermones injuſtos, & poſuerunt retrorſum judicium; & D juſtitia longe receſſit ab eis: quia conſumpta eſt in viis eorum veritas: & per vias rectas non potuerunt tranſire, & veritas ſublata eſt: & tranſtulit mentem ſuam, ut non intelligeret. Et qui declinat a malo, impugnatur: & vidit dominus, & non placuit ei, quia non erat judicium.* Et rurſus: *Hæc dicit dominus, ſuper tribus impietatibus Juda, & ſuper quatuor non convertam eum, pro eo quod repulerunt legem domini, & præcepta ejus non cuſtodierunt.* Hunc itaque qui ſic affectavit, & talibus ac tot conatibus & temeritatibus turbavit & concuſſit totam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam, & nullatenus converti ac pœnitere voluit, neque ſubdi decreto & judicio ſanctarum patriarchalium ſedium conſenſit, ut E eum & multum ante anathematizavit beatiſſimus papa Nicolaus, ac deinde ſucceſſor ejus ſanctiſſimus Hadrianus papa, ita & ſancta hæc & univerſalis ſynodus reprobavit, & anathema magis ac magis mandavit, dicens ad eum ex perſona cunctorum Dei per Iſaiæ prophetæ vocem: *Quomodo veſtimentum in ſanguine coinquinatum non erit mundum,* ita nec tu eris mundus, quia eccleſiam Chriſti adulteraſti, & populum domini multis partibus & multis modis ſcandalizaſti & perdidiſti: eos autem qui ſe ſic non habent, ſed illi faventes adhærent, ſi quidem epiſcopi vel clerici ſunt, in perpetuum depoſitos fore præcipimus; monachos autem ſeu laicos anathematizamus, quo-

ACTIO X. CONC. VIII. GENERAL.

† Prophetam hic Zachariam deſignat, qui myſtice inter alia ſecundum veterem editionem dicit: *Quoniam lapides ſancti volvuntur ſuper terram ipſius.*

[a] *Forte*, & non acquieſcentem. H.

[b] *Forte redundat* eſt. H.

Act. 5. — Oſe 9. — Oſee 12. — Abdias. — Oſe 7. — Iſa. 59. — Amos 2. — Iſa. 1.



ANNO CHRISTI 870.

quouſque a ſua ſeductione atque malitia convertantur.

## NOTÆ EX EDITIONE ROMANA.

*Adnotationes Anaſtaſii Bibliothecarii.*

a *Inſcriptibilem.* ] Omne incircumſcriptum & inſcriptibile eſt; Deus enim incircumſcriptus exiſtens nec ſcribitur: non autem omne inſcriptibile etiam incircumſcriptum; nam anima hominis inſcriptibilis exiſtens, non eſt incircumſcripta: & contra, omne ſcriptibile etiam circumſcriptum eſt; quidquid enim per colores ſcribitur, & loco multum ante circumſcriptum eſt. non ergo circumſcriptum hoc eſt quod ſcriptibile, ſicut de anima hominis & ſimilibus ſentiendum eſt.

b *Stercoralis.* ] Stercoralis nominis prænotatum ideo appellat hos quos nominavit, quia cum eſſent Conſtantini imperatoris, qui dicebatur Caballinus, tempore Conſtantinopoleos præſules, hæreſi ejus favorem peſſime commodabant.

c *Pheronymus.* ] Pheronymus dicitur, qui verum & congruum ſibi fere nomen. Ergo Nicolaus, qui verum & idoneum actui ſuo nomen ferre viſus eſt, apte pheronymus dictus eſt. Nicolaus quippe vincens populos interpretatur, vicit enim quippe recte non ſentientes, ſed inique agentes.

*Baſilius piiſſimus & Chriſti amantiſſimus imperator ad ſanctam ſynodum dixit:*

Dicat nunc ſancta & univerſalis ſynodus, ſi omnibus ſanctiſſimis epiſcopis concordantibus atque conſentientibus præſens terminus ſit depromptus. Oportet enim divina quæque cum univerſorum conſenſu & conſonantia in eccleſiaſticis prædicari & confirmari collegiis. Sancta ſynodus exclamavit: Omnes ita ſapimus: Omnes ita prædicamus: Omnes concinentes & conſentientes prompte ſubſcribimus: Hoc eſt veritatis judicium, Hoc eſt juſtitiæ decretum: Hæc eſt canonum expoſitio: Hæc eſt eccleſiaſticæ ordinationis defenſio: Hanc ſynodum zelator Deus congregavit: Sanctiſſimos vicarios ſenioris Romæ & aliarum trium patriarchalium ſedium ultionum dominus in idipſum convocavit: Piiſſimum imperatorem noſtrum, & divinitus gubernandum dominum Deus direxit: Nos hæc ſynodica ligamenta & apoſtolica ſine ulla evacuatione cuſtodimus: Non jam locum habebit tyrannis eorum qui eccleſiæ injuriam inferunt: Non jam timore potentatum tenentium mundi violenter & coacte ad illicita labemur: Hæc ſancta & univerſalis ſynodus ſine ſcandalo de cetero conſervabit eccleſiam per gratiam omnipotentis Dei noſtri Jeſu Chriſti: Multos annos imperatorum Baſilii, Conſtantini, ac Leonis; multos annos: Baſilii orthodoxi imperatoris multos annos: Amatorem veritatis, domine, conſerva: Renovatorem ac cuſtodem divinæ juſtitiæ, domine, muni: Baſilio novo Conſtantino æterna memoria: Novo Theodoro æterna memoria: Novo Marciano æterna memoria: Novo Juſtiniano æterna memoria: Eudoxiæ piiſſimæ Auguſtæ multos annos: Eudoxiæ novæ Judith æterna memoria: Novæ Helenæ æterna memoria: Novæ Pulcheriæ æterna memoria: Deus conſervet imperium veſtrum; per vos univerſalis eccleſia pacem obtinuit: Princeps pacis Deus pacificet imperium veſtrum: Cæleſtis rex terreſtres conſervet: Photio invaſori & adultero Conſtantinopolitanorum eccleſiæ anathema: Gregorio Syracuſæ, & Eulampio Apamiæ depoſitis, & veritatis apoſtatis & hoſtibus, anathema: Repulerunt divinarum juſtificationum agnitionem, repulit illos dominus: Hadriani beatiſſimi papæ Romani & ſanctæ ac univerſalis ſynodi ſeptimæ Nicææ ſecundo celebratæ conſtitutoris æterna memoria: Germani, Taraſii, Nicephori, & Methodii venerabilium

A patriarcharum æterna memoria: Nicolai beatiſſimi papæ ſenioris Romæ æterna memoria: Propugnatoris veritatis æterna memoria: Hadriani beatiſſimi papæ Romani multos annos: Ignatii ſanctiſſimi patriarchæ Conſtantinopoleos multos annos: Theodoſii ſanctiſſimi patriarchæ Hieroſolymorum multos annos: Michaelis ſanctiſſimi patriarchæ Alexandriæ multos annos: Sanctiſſimorum vicariorum ſenioris Romæ & aliorum patriarchalium ſedium multos annos: Sanctæ & magnæ ac univerſalis octavæ ſynodi æterna memoria: Photio & Gregorio ac Eulampio triplici funiculo nequitiæ anathema: Vivifica Trinitas trium typhum depoſuit: Omnibus conſentaneis & ſequacibus eorum anathema: Multos annos impe- B ratorum Baſilii, & Conſtantini, & Leonis: Magnorum imperatorum & dictatorum multos annos: Eudoxiæ piiſſimæ Auguſtæ multos annos: Orthodoxorum imperatorum multos annos: Deus conſervet imperium ipſorum: Quiſquis eis tyrannis obſiſtere tentaverit, vel obſiſtentes nequam conſilium contra eos moventes comperiens minime propalaverit, anathema ſit a Patre & Filio & Spiritu ſancto, & eccleſia primogenitorum, qui ſcripti ſunt in cælis, & a ſanctis & univerſalibus octo conciliis.

*Baſilius piiſſimus imperator ad ſanctam & univerſalem ſynodum dixit:*

C Licet manifeſte laboraverit ſanctitas veſtra, tam inter loci capedine, quam temporis mora in munienda divinitus urbe noſtra conſervata; ſed magnis muneribus ac divitiis Chriſtus Deus noſter recompenſabit vobis condignas viciſſitudines, & tranquilliſſimum & a Deo muniendum imperium noſtrum præſtabit vobis, quidquid ab eo expetieritis ad eccleſiarum veſtrarum commoditatem, & venerationis veſtræ conſolationem; ut & deinceps orationes & preces ſemper faciatis ad dominum Deum pro univerſali ſtatu & continua pace ac ſalute tranquilliſſimi & mitiſſimi imperii noſtri. Et poſt lectionem termini, Baſilius piiſſimus, & Chriſto amabilis imperator ad ſanctam ſynodum dixit: Utique D audiſtis quæ lecta ſunt; quid ergo videtur reverentiæ veſtræ? Bene expoſitus eſt terminus iſte? Placuit vobis canonum expoſitio? an eſt aliquid in mente veſtra ad ambiguam opinionem pertrahens? veram fecit allocutionem ad ſanctam hanc ſynodum imperium noſtrum, & ſi conſpicitis bonum eſſe, legatur. Sancta & univerſalis ſynodus dixit: Quæ pertinent ad utilitatem eccleſiæ Dei legantur. Et aſcendens Leo famoſiſſimus regius protoſpatharius & a ſecretis, legit:

*Baſilius piiſſimus & Chriſto amabilis imperator dixit:*

E Multam quidem vexationem & laborem veſtra divinitus collecta pertulit ſanctitas, ſingulis vobis hincinde confluentibus ad feliciſſimam urbem noſtram, cauſa eccleſiaſticæ ordinationis & conſtitutionis; pro qua etiam diuturnam in eo moram ſuſtinuiſtis, & propter quam multi & ſenectutem contempſiſtis, & corporalem infirmitatem parvipendiſtis, & [*] exortes facti eorum, quæ requiei congruunt, toleraſtis, & diuturnam ſeparationem ſpiritualium filiorum veſtrorum magnanimiter pertuliſtis. Sed ecce dolorum & laborum veſtrorum videtis quam ſit finis ſuavis, & eccleſiæ Dei valde proficuus. Nam communis concurſus, & in

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.

[*] *alias* fortes facti ea quæ, *&c.*

ANNO CHRISTI 870.

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.

A in Spiritu ſancto magnæ hujus & univerſalis ſynodi conſenſus, omne ſcandalum & offendiculum e medio removit eccleſiæ, hujuſque multi temporis procellas compeſcuit, & ad limpidam tranquillitatem traduxit. Gratias ergo agimus domino, patres venerabiles, de omnibus bonis quæ nobis a Deo conceſſa ſunt, & admittimus etiam zelum veſtrum; qui ſecundum Deum eſt. & optamus a munificentia magni Dei & regis univerſitatis opulentam retribui vobis mercedem, dolores veſtros & labores recompenſantem: pro quibus & tranquillitas noſtra feſtinabit reficere & animare vos, & omne deſiderium veſtrum implere. Juſtum autem duximus in omnium audientiam expreſſe fateri, pro communi omnium noſtrum munimine, & ſanctæ Dei eccleſiæ B perſeveranti tranquillitate, propter eos qui commuſi invident felicitati; & vulnerantur quidem ſagitta ſerpentis ſuper eccleſiaſtica ordinatione, congratulantur autem ejus commotioni & æſtui, atque delicias exiſtimant, ſi viderint eam in tempeſtate fluctuantem. Talibus ergo expreſſe hodie dicimus: Quiſquis habet aliquid adverſus hanc ſanctam & univerſalem ſynodum dicendum, vel contra hujus canones, aut terminum, ſtet in medio, & quæ ſibi videntur, dicat, ſive epiſcopus ſit ſive quiſquam de eccleſiaſtico clero, ſive laicis, aut ex iis qui civilibus officiis mancipantur, exiſtat; quamquam non datum ſit iſtis ſecundum canonem dicendi quidquam penitus de eccleſiaſticis C cauſis: (opus enim hoc pontificum & ſacerdotum eſt) ſed ex abundanti, omne os iniquum obſtruere volentes, licentiam præſtamus omnibus, ut qui in mente habet quid ambiguum de his quæ decreta ſunt ab hac ſancta ſynodo, hoc in medium exhibeat, & ſuſcipiat ſatisfactionis ſalubre remedium. Non modicum certamen certavimus, neque labori cuilibet ceſſimus, ut & ipſi nobiſcum noſtis, ad congregandum eos qui a Romana & ab orientalibus patriarchalibus ſedibus convenerunt: quos conducere multi quidem & ante nos conati ſunt, ſed nullo modo valuerunt. Non modicam vexationem & contritionem etiam Deo amantiſſimi ſummi ſacerdotes ſuſtinuerunt, a longe con- D currentes ad ſanctæ hujus ſynodi tractatum: qui ergo habet quid dicendum, dicat, dum hæc celebratur. Nam, ſoluta ſancta & univerſali ſynodo, qui apparuerit eccleſiæ Dei contradicens, aut non communicans ei, ſive epiſcopus ſit, ſive abſolute ſacerdos, ſive dignitate aliqua præditus, vel aliter converſatus, veniam ab imperio noſtro minime conſequetur; ſed juſte condemnabitur, & a civitate noſtra pelletur ut corruptor & peſtilens, & membrum putridum & inutile, & commune corpus eccleſiæ violans. Vos autem amatores virtutum, & Deo amiciſſimi ſummi ſacerdotes; qui epiſcopali decoramini dono, ſinguli commonere proprium gregem, & ad ſalutem ducere ne pigritemini, demonſtrantes E quantum malum ſit, eos, eccleſia Dei manente in tranquillitate, ab illa deſilire, & contra eos qui præſunt animabus ſuis inſanire, & divinis myſteriis propter irrationabiles ſeu viles occaſiones ſeſe coercere. Et quidem ſubjectum vobis gregem per unumquemque dominicum diem verbis doctrinæ confirmantes, ad divinarum voluntatum dirigite perfectionem: eos vero qui errore hæreſeos cujuſquam detinentur, tamquam paſtores boni convertite. Noverit enim virtutibus plena perfectio veſtra, quia ſi notum fuerit nobis, quod hæreſis quæcumque in provincia cujuſquam veſtrum latitans, non per aſſiduam A doctrinam veſtram radicitus evellatur, & omnes ad orthodoxam fidem [a] manu ducantur, canonice hujuſmodi epiſcopus a proprio patriarcha condemnabitur: [a] & ſacris quidem doctrinis atque admonitionibus taliter ſacratiſſimus grex veſter per paſcua ſalutaria paſcatur. Ipſi autem in alterutrum pacifici eſtote, & eccleſiæ vinculum indiſruptum conſervate, in quo laboraſtis & concordaſtis, quodque verbo & manu in præſenti ſancta & univerſali ſynodo confirmaſtis, ne per contentionem, & pertinaciam mutuam, diſruptionem rurſus communis eccleſiæ corporis faciatis, & non habeatis veniam in die juſtiſſimæ retributionis; ſed amicitia veſtra & conſenſus ſit ad ordinationem totius ovilis diſtrictiſſima nor- B ma: in vos contemplentur ſubditi, quemadmodum pictores: ad principalia, & ad vitam veſtram & mores, ſeu converſationem moderari [b] probantur. Sed & qui in clero deputati eſtis eccleſiæ Dei, camdem conſervate conſtitutionem, & alternam concordiam, in nullo declinantes, vel præter quæ ſancita ſunt Spiritu ſancto, ab hac magna & univerſali ſynodo prædicantes. Nam & ipſi in omnibus conveniſtis, & ſole clarius veritatem reſplendere vidiſtis, in quam & conſenſiſtis, & concordantes apparuiſtis. De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui abſolute converſamini, quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere, neque penitus C reſiſtere integritati eccleſiæ, & univerſali ſynodo adverſari. Hoc enim inveſtigare & quærere patriarcharum, pontificum, & ſacerdotum eſt; qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ligandi & ſolvendi poteſtatem habent: qui eccleſiaſticas & cæleſtes adepti ſunt claves: non noſtrum qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel a ligamento ſolvi egemus. Quantacumque enim religionis & ſapientiæ laicus exiſtat, vel etiam ſi univerſa virtute interius polleat, donec laicus eſt, ovis vocari non deſinet: rurſuſque quantacumque epiſcopus ſit irreverentia & [c] religioſitate plenus, & nudus omni virtute, donec antiſtes eſt, & veritatis verbum recte prædicaverit, paſtoris mentionis & dignitatis da- D mna non patietur: quæ ergo nobis ratio eſt in ordine ovium conſtitutis paſtores verborum ſubtilitate diſcutiendi, & ea quæ ſuper nos ſunt quærendi & ambiendi? Oportet nos cum timore & fide ſincera hos adire, & a facie eorum vereri, cum ſint miniſtri domini omnipotentis, & hujuſmodi formam poſſideant: & nihil amplius quam ea quæ ſunt noſtri ordinis requirere. Nunc autem videmus adeo multos malitia in inſaniam accendi, ut obliviſcentes proprii ordinis, & quod pedes ſint minime cogitantes, legem ponere velint oculis, non ut natura ſe habet, ſed ut ipſi cupiunt, & ſinguli ad accuſandum quidem majores exiſtunt ſemper promptiſſimi, ad corrigendum autem quidquam eorum in quibus accuſan- E tur & criminantur pigerrimi. Sed moneo & exhortor omnes qui tales ſunt, ut maledictum & alternum odium avertentes, & judicare judices deſinentes, attendant ſibi, & ſecundum divinam voluntatem converſari contendant. Nam non quieſcit ſupernum judicium, ſed contra diſſidentes divinus furor ſtillabit, & ultionem juſtam opere cunctis oſtendet. Oramus autem ſanctum Deum omnes melioratos per omnia, & ſecundum beneplacentem ſibi voluntatem clareſcentes: non ſolum a divina ira intentatos manſuros, ſed æterna bona conſecuturos orationibus & interceſſionibus ſanctiſſimæ dominæ noſtræ

[a] alias reducantur.

[a] Forte, ut H.

[b] Forte, probentur. H.

[c] Forte, & religioſitate H.



ANNO CHRISTI 870.

ACT. X. CON. VIII. GENER.

noſtræ Dei genitricis, & omnium ſanctorum, A & precibus ac obſecrationibus ſanctæ hujus & univerſalis ſynodi. Amen.

Et poſt lectionem Baſilius amicus Chriſti & magnus imperator dixit: Dicat nunc, quicumque voluerit ex ſedentibus in hac ſancta & univerſali ſynodo, in quo iſtorum hæſitet vel ambigat quæ nunc lecta ſunt. Sancta ſynodus exclamavit: Omnibus placent quæ lecta ſunt: Omnes eiſdem ipſis concordamus: Omnes libenter ſubſcribimus. Sanctiſſimi vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Quoniam providentia Dei in proſperum finem omnia eccleſiæ devenerunt negotia, oportet nos & in ſcriptis manu propria hæc roborare, ſecundum ſynodicam conſequentiam. Unde B volumus ut ſubſcribant primitus Chriſti amatores imperatores, & deinde ſecundum ordinem ſancta hæc ſynodus. Baſilius piiſſimus & Chriſti amicus imperator dixit: Tranquilliſſimum imperium noſtrum ſecutum præcedentes & juſtiſſimos imperatores, Conſtantinum videlicet magnum, & Theodoſium, & Marcianum, ac ceteros, vult ſubſcribere poſt ſubſcriptionem omnium Deo amabilium epiſcoporum. Sed quoniam poſtulat præferri nos ſanctitas veſtra, ſubſcribam poſt ſubſcriptionem omnium ſanctiſſimorum vicariorum: edocti enim ſumus a Chriſto vero Deo noſtro habere exaltantem humilitatem. Et poſt hoc accipiens Donatus ſanctiſſimus epiſcopus Oſtiæ, ſubſcripſit in quinque libris, & deinde Stephanus epiſcopus Nepæ, & Marinus diaconus reve- C rendiſſimus, [a] & honorabiliſſimi vicarii ſenioris Romæ: deinde Ignatius ſanctiſſimus patriarcha Conſtantinopoleos, deinde Joſeph reverendiſſimus archidiaconus & vicarius ſedis Alexandriæ, deinde Thomas reverendiſſimus metropolita Tyri, & locum retinens ſedis Antiochiæ: & deinceps Helias Dei cultor monachus & presbyter ac ſyncellus atque vicarius ſedis Hieroſolymorum. Et poſt hos piiſſimi & amatores Chriſti imperatores Baſilius & Conſtantinus, figentes quidem propria manu in quinque voluminibus precioſæ crucis figuram, Baſilio magno imperatore, ſimiliter etiam & Conſtantino figente crucem pro ſe & pro fratre ſuo Leone, ſubſcribente D quoque nomina trium imperatorum propria manu, & ſubſcriptionis reſiduum ſubſcribente Chriſtophoro protoaſecretis, & † præpoſito caniculi: deinde ſubſcripſerunt univerſi epiſcopi ſecundum proprium ordinem in quinque voluminibus. Poſt hæc interrogati magiſtri & omnes patricii, quid de ſancta & univerſali ſynodo exiſtimarent, vel quomodo eam ſubſcriberent, Theodorus magnificentiſſimus proconſul & magiſter dixit ita: Omnia quæ facta ſunt a Photio contra ſanctiſſimum patriarcham noſtrum Ignatium, & contra beatiſſimum papam Nicolaum, anathematizans, & hanc ſanctam & univerſalem ſynodum ſuſcipiens, recipio quos recipit & anathematizo quos anathematizat. Si vero recepe- E ro aliquando quos ſynodus abjicit, anathema ſim a Chriſto. Similiter Chriſtophorus magnificentiſſimus patricius & præpoſitus dixit: Omnia quæ facta ſunt a Photio contra ſanctiſſimum patriarcham Ignatium, & contra ſanctiſſimum papam Nicolaum, anathematizans, & hanc ſanctam & univerſalem ſynodum ſuſcipiens, ſuſcipio quos recipit, & anathematizo quos anathematizat. Si vero recepero aliquando quem ſynodus abjicit, anathema ſim a Chriſto. Et deinceps unuſquiſque prænominatorum in ſeſſione patriciorum ſecundum hæc edidit, ore proprio per vivam vocem, ſenſum ſuum, velocibus A ſcriptoribus excipientibus quæ dicebantur ab unoquoque ipſorum, quæ etiam lecta ſunt in audientiam omnium per Leonem a ſecretis, coram ſancta & univerſali ſynodo voce grandi. Et poſt hoc ſtans in medio Stephanus Deo amabilis diaconus & notarius ſuperlaudavit ita: Multos annos imperatorum Baſilii, Conſtantini ac Leonis: Magnorum principum & imperatorum multos annos: Eudoxiæ piiſſimæ Auguſtæ multos annos: Multos annos imperatorum.

## SUBSCRIPTIONES.

Ego Donatus gratia Dei epiſcopus ſanctæ O- B ſtienſis eccleſiæ, locum obtinens domini mei Hadriani ſummi pontificis & univerſalis papæ, omnia quæ ſuperius leguntur, huic ſanctæ & univerſali ſynodo præſidens, uſque ad voluntatem ejuſdem eximii præſulis promulgavi, & manu propria ſubſcripſi.

Ego Stephanus gratia Dei epiſcopus ſanctæ Nepeſinæ eccleſiæ, locum obtinens domini mei Hadriani ſummi pontificis & univerſalis papæ, omnia quæ ſuperius leguntur, huic ſanctæ & univerſali ſynodo præſidens, uſque ad voluntatem ejuſdem eximii præſulis promulgavi, & manu propria ſubſcripſi.

Ego Marinus ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ diaconus, locum obtinens do- C mini mei Hadriani ſummi pontificis & univerſalis papæ, omnia quæ ſuperius leguntur, huic ſanctæ & univerſali ſynodo præſidens, uſque ad voluntatem ejuſdem eximii præſulis promulgavi, & manu propria ſubſcripſi.

Ignatius miſericordia Dei epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ ſanctam hanc & univerſalem ſynodum ſuſcipiens, & omnibus quæ ab ea judicata & ſcripta ſunt concordans, & definiens, ſubſcripſi manu propria.

Joſeph miſericordia Dei diaconus, & vices agens Michaelis ſanctiſſimi patriarchæ Alexandriæ, ſanctam hanc & univerſalem ſynodum ſuſcipiens, & omnibus quæ ab ea judicata & ſcripta ſunt concordans, & definiens, ſubſcripſi ma- D nu propria.

Ego Thomas miſericordia Dei metropolita Tyri, & vices gerens ſedis Antiochiæ, ſanctam hanc & univerſalem ſynodum ſuſcipiens, & omnibus quæ ab ea judicata & ſcripta ſunt concordans, & definiens, ſubſcripſi manu propria.

Ego Helias miſericordia Dei presbyter & ſyncellus, locum complens apoſtolici throni, ubi patriarcha eſt Theodoſius Hieroſolymorum, ſanctæ Chriſti Dei noſtri civitatis, inſtar ceterorum vicariorum, omnibus quæ in ſancta hac & univerſali ſynodo geſta ſunt concordans, & definiens, manu propria ſubſcripſi.

Baſilius, Conſtantinus, & Leo, perpetui Au- E guſti, in Chriſto Dei fideles principes Romanorum, & magni imperatores, ſanctam hanc & univerſalem ſynodum ſuſcipientes, & omnibus quæ ab ipſa definita & ſcripta ſunt concordantes, ſubſcripſimus manu propria.

Baſilius miſericordia Dei archiepiſcopus Epheſi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Theodulus miſericordia Dei archiepiſcopus Ancyrorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Barnabas miſericordia Dei epiſcopus Cyzici omnia

[a] ) Dele & H.

† Præpoſitus caniculi apud Græcos eſt, qui curam & cuſtodiam gerit caniculi, id eſt atramentarii, ex quo imperator phoeniceas litteras ſcribit in chartis.

Non te ſcandalizet ſubſcribentium paucitas, quia dum Photius diu tyrannidem

omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Baſilius miſericordia Dei metropolita Chalcedonis omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicephorus miſericordia Dei metropolita Amaſiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Baſilius miſericordia Dei metropolita Gangrenſium omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicephorus miſericordia Dei metropolita Nicææ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Cyprianus miſericordia Dei metropolita Claudiopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Joannes miſericordia Dei metropolita Pergæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Stylianus miſericordia Dei metropolita Neocæſareæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Theodorus miſericordia Dei archiepiſcopus Theſſalonicæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicolaus miſericordia Dei metropolita Myrorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Siſinnius miſericordia Dei metropolita Laodiceæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Niceta miſericordia Dei metropolita Athenarum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicolaus miſericordia Dei metropolita Synadorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

* Stylianus miſericordia Dei metropolita Iconii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Hilarius miſericordia Dei metropolita Corinthi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Michael miſericordia Dei metropolita * Rhodi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter, &c.

Ignatius miſericordia Dei metropolita Hierapoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Euthymius miſericordia Dei metropolita Lariſſæ, omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Metrophanes miſericordia Dei metropolita Smyrnæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Michael miſericordia Dei archiepiſcopus Biziæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Joannes miſericordia Dei archiepiſcopus Pompejopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Paulus miſericordia Dei archiepiſcopus Apamiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Gregorius miſericordia Dei archiepiſcopus Parii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Jacobus miſericordia Dei archiepiſcopus Methymnæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Stephanus miſericordia Dei archiepiſcopus Amaſtridis omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Joannes miſericordia Dei archiepiſcopus Cii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Joannes miſericordia Dei archiepiſcopus [a] Ruſſii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Stephanus miſericordia Dei archiepiſcopus Cypſallorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Euphemianus miſericordia Dei archiepiſcopus Euchaitorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Baſilius miſericordia Dei archiepiſcopus Miſthiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Photius miſericordia Dei archiepiſcopus Nacoliæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Theophanes miſericordia Dei archiepiſcopus Selgæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Marcianus miſericordia Dei archiepiſcopus Thebarum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Hypatius miſericordia Dei archiepiſcopus Garihelæ omnia quæ in ſancta, &c.

Leontius miſericordia Dei archiepiſcopus Neapoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Theophanes miſericordia Dei epiſcopus Tralleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Michael miſericordia Dei epiſcopus Adramiti omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Pyrgi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt

Margin notes (p. 663–664):

exercuiſſet, & pene omnes e [illegible] deceſſoribus ſuis [illegible] depoſuiſſet, & in loca eorum [illegible] tantummodo proveniſſet, [illegible] nullus in hac ſynodo eſt receptus, illi ſoli ex priorum patriarcharum conſecratione [illegible] inventi. Verum quotquot ſub Nicolao & Hadriano ſummis pontificibus epiſcopi fuerunt, hujus ſynodi ſenſui conſenſerunt; licet hac paucitas [illegible] juſtitia comparetur, cui dominus dicit: Nolite timere puſillus grex, &c.

* alias Theophylactus.

* alias Corinthi.

a) Ruſii: in aliis X. H.







ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Niceta miſericordia Dei epiſcopus Photiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicolaus miſericordia Dei epiſcopus Nyſæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Joſeph miſericordia Dei epiſcopus * Anchorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Athanaſius miſericordia Dei epiſcopus Magneſiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Ignatius miſericordia Dei epiſcopus Timonis omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Arſapius miſericordia Dei epiſcopus Erythreæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Macarius miſericordia Dei epiſcopus * [a] Elixomenæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Philetus miſericordia Dei epiſcopus Tabiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Ignatius miſericordia Dei epiſcopus Juliopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicephorus miſericordia Dei epiſcopus Aſponis omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Siſinnius miſericordia Dei epiſcopus Berinopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Taraſius miſericordia Dei epiſcopus Nicopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicolaus miſericordia Dei epiſcopus Adramiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Petrus miſericordia Dei epiſcopus Palæorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Damianus miſericordia Dei epiſcopus Miletopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Gregorius miſericordia Dei epiſcopus Tripoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus * [b] Rurippi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Arſenius miſericordia Dei epiſcopus Aureliopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Xenophon miſericordia Dei epiſcopus Milaſſi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Leo miſericordia Dei epiſcopus Daphnuſiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Baſilius miſericordia Dei epiſcopus Hadrani omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Conſtantinus miſericordia Dei epiſcopus Numericorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Gordoſervorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Georgius miſericordia Dei epiſcopus Daſcillii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Paulus miſericordia Dei epiſcopus Hyberorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Michael miſericordia Dei epiſcopus Leontopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Anthes miſericordia Dei epiſcopus * Hiunopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Paulus miſericordia Dei epiſcopus Melæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Germanus miſericordia Dei epiſcopus * Ectri omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Joſeph miſericordia Dei epiſcopus Berræ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Baſilius miſericordia Dei epiſcopus Zuruli omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Meletius miſericordia Dei epiſcopus Heracliæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens, &c.

Conſtantinus miſericordia Dei epiſcopus Tii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Coſmas miſericordia Dei epiſcopus Hadrianopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Baſilius miſericordia Dei epiſcopus Cratiæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Euſtachius miſericordia Dei epiſcopus Æmoniæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Euthymius miſericordia Dei epiſcopus Sebaſtæ omnia

Margin notes (p. 665–666):

* Ancoruſii.

* Chryſomenæ. a) Pr., Clazomenæ. H.

* al. Rureppi. b) Pr., Eudipl. H.

* Hadrianopoleos.

* Hectorei, al. Cyrri.

A omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Conſtantinus miſericordia Dei epiſcopus Synai omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Tampſi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Joannes miſericordia Dei epiſcopus Polemonii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

B Nicephorus miſericordia Dei epiſcopus Neapoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Michael miſericordia Dei epiſcopus Melitopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Theophanes miſericordia Dei epiſcopus Azamecorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Ignatius miſericordia Dei epiſcopus Dorylæi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

C Conſtantinus miſericordia Dei epiſcopus Auguſtopoleos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Cericus miſericordia Dei epiſcopus Gordoriniæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Paulus miſericordia Dei epiſcopus Bareos omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

D Leo miſericordia Dei epiſcopus Seleuciæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Baſilius miſericordia Dei epiſcopus Adadorum omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicolaus miſericordia Dei epiſcopus Docimii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter, &c.

Theognoſtus miſericordia Dei epiſcopus Parnaſſi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

E Georgius miſericordia Dei epiſcopus [a] Zetunii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

(a) Zagora, Tornacum. H.

Theoclitus miſericordia Dei epiſcopus Lacedemoniæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicephorus miſericordia Dei epiſcopus Crotonæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Nicephorus miſericordia Dei epiſcopus Zacynthi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens



A ſubſcripſi manu propria.

Georgius miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ Cyriacæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Gregorius miſericordia Dei epiſcopus Meſinæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Demetrius miſericordia Dei epiſcopus Scyllatii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Michael miſericordia Dei epiſcopus Cercyri omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

B Leo miſericordia Dei epiſcopus [b] Agalaſſi omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

(b) Tr. Sagalaſſ. H.

Leontius miſericordia Dei epiſcopus Rhegii omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

Paulus miſericordia Dei epiſcopus Taurianæ omnia quæ in ſancta & univerſali ſynodo judicata ſunt & definita libenter ſuſcipiens ſubſcripſi manu propria.

C

### *Epiſtola encyclica ſancta ac univerſalis octavæ ſynodi.*

(Pſal. 80.) EXultate domino adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob: & laudationes Dei in portis filiæ Sion annuntiate alacrius & ſufficientius. Debitum eſt, cariſſimi fratres, ad reverentiam veſtram dicere cum propheta David, & rurſus cum propheta Nahum (Nahum. 1.) affari: *Quia ecce veloces pedes evangelizantis & annuntiantis pacem: Celebra Juda feſtivitates tuas, redde Deo vota tua, pro eo quod non adjicient ultra, ut tranſeant in vetuſtatem. Conſummatum eſt, ſublatum eſt, aſcendit inſufflans in faciem tuam, eximens de tribulatione: eo quod verterit dominus contumeliam Jacob, D quemadmodum contumeliam Iſrael.* Quid enim aliud gratius, vel quæ ſpecialis exultationis ac dilectionis materia, ſeu conciliatio eſt, quam videre libere agentem ultionum dominum, & ſuperbis retributionem juſtam & convenientem, & zelotem dominum vindicantem inimicos ſuos? Propter hoc enim dicit & pſalmiſta (Pſal. 57.): *Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam*: lætabitur autem, non profecto quia fidei adverſantium caterva periit, & in peccato ſuo moritur impius; ſed quia contritam videt peccatorum virgam, ne & juſti manus ſuas ad iniquitates extendant, tranquillam injuſtitiam magis, quam divinam juſtitiam intuentes, & mendacium adverſus veritatem continuo prævalere videntes. Ac per hoc veniant E ad mentem illam, & cogitationes [c] ſuas propheta Malachias inſinuat dicens: *Quia invaluerunt ſuper me, dicit dominus, verba veſtra: Et dixiſtis: Quid locuti ſumus contra te? Et dixiſtis: Vanus eſt, qui ſervit domino: Et quod emolumentum quia cuſtodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus triſtes coram domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes; ſiquidem ædificati ſunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & ſalvi facti ſunt. Tunc locuti ſunt timentes Deum, unuſquiſque proximo ſuo: Et audivit dominus, & attendit, & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo, timentibus Deum, & cogitantibus*

(c) Forte, quas propheta. H. Malach. 3.





A *nomen ejus. Et erunt mihi, ait dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: & parcam eis, ſicut parcet vir filio ſuo ſervienti ſibi: & convertimini, & videbitis quid ſit inter juſtum & impium, & inter ſervientem domino & non ſervientem ei.* Jubilet enim univerſa Chriſti & ſalvatoris noſtri eccleſia, & gratificans ei glorificationes decantet, iterum clamans cum propheta David (Pſal. 144.): *Fidelis dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Qui enim dixit ad ſanctos diſcipulos & apoſtolos ſuos (Matth. 28.): *Et ecce ego vobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; & ait ad Petrum apoſtolorum principaliſſimam ſummitatem (Matth. 16.): *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ B inferi non prævalebunt adverſus eam*: multoties alias inferi portas, apertas contra eccleſiam, & devorare eam tentantes, obſtruxit, contrivit, atque deſtruxit, hæreticas videlicet opiniones, & iniqua conamina, quæ in præteritis generationibus per ſua tempora ſunt exorta, ſed nihilo minus & in inſtantibus temporibus inferno proprium os contra eccleſiam Chriſti aperiente, & dilatante, ſimili parique modo protector ejus factus eſt Chriſtus Deus noſter, qui deſponſavit eam, & ora loquentium iniqua multifarie multiſque modis obſtruxit, & hanc ab eorum læſione & peſtilentia liberavit. Is enim qui formam quidem pietatis habere ſimulabat, virtutem autem ejus abnegabat, & ſecundum antiphraſeos tropum Photius appellabatur, C multa & varia quidem ab ætate impubi contra eam adinvenit molimina, ſtolidis & nequam ſchiſmaticis concordans, atque concinans, & perſuaſoriis verbis multos ab ea ſequeſtrans, & in laqueum perditionis attrahens: vocari autem Rabbi præter ætatem tota virtute tentans, quibuſdam propriis ſcriptis & chirographis, ſicut ſe, ſimpliciores quoque, quin potius leviores ſub prætextu quaſi diſcendæ diſciplinæ dialecticæ vinciebat: eſſet profecto ipſe inſipiens, & omni privatus intelligentia, quemadmodum divina ſcriptura teſtatur, evidenter aſſeverans (Job. 28. 28. ex Græco.): *Dixit dominus homini, ecce pietas & ſapientia, abſcedere autem a malis diſciplina.* Et iterum (Pſal. 110.): *Initium ſapientia timor domini: intellectus autem bonus omnibus D facientibus eum.* Non enim tantum ipſe non abſceſſit a malis, vel præter canonicas ſanctiones pepercit, cum eſſet laicus, didaſcalicum ſibi nomen imponere, & ſeparari a Chriſti eccleſia, ſed & Deum colere volentes, omni machinamento uſus, alienos conſtituere a juſto voto feſtinavit; ut in illo impleretur aperte dominicum eloquium, quod aſſerit (Luc. 11.): *Væ vobis, ſcribæ & Phariſæi; quia vos non intratis in regnum Dei, ſed intrantes prohibetis*; inſuper & peccatum ſuper peccatum copulans, perſtruxit ut expelleretur ab eccleſia legitimus & canonicus illius pontifex, & ſummus pontifex, paſtor ſanctiſſimus patriarcha Ignatius: & latronis more, atque adulter, in illius ſedem ingreſſus, multam quidem tempeE ſtatem adverſus eum commovit: plures autem procellas & æſtus contra reſiſtentes ſibi, & propugnatores veritatis, & valentiorem turbationem, & tumultum ſæviſſimum, in omnem locum qui ſub cælo eſt diſperſit: præ omnibus; in paſtorem quidem magnum, deinde vero contra minoreſque paſtores, ſecundum propheticum affatum, extendens propriam manum, percutientem eos & flagellantem, & varie ac diverſe affligentem, & coarctantem, & modo quidem potentes deponens de ſedibus, modo vero carceri & cuſtodiæ mancipans, & per diuturnam famem morti tranſmittens? nonnunquam etiam



A longiſſimis & ſævis exiliis relegans, & ad ipſas abigens orbis extremitates: nonnunquam vero cœnoſis & fœtidis ac tenebroſis locis, quæ mortis umbram convenit dici, concludens, poſſeſſiones diverſas auferens, caſas in montibus virtuti operam dantium & philoſophantium comburens, &, ut abſolute dicatur, omnem afflictionem & tribulationem faciens corpori Chriſti & Dei, qui eſt caput omnium noſtrum: non enim habens ex aliqua beneficentia qualemcumque reverentiam vel ad ſui receptionem de hujuſmodi conatibus & temeritatibus, ſtabiliri ſe præter rationem oportere putabat, cum eſſet bonorum inexpers, & veraciter imperitus. Nam qui convertit prudentes retrorſum, & conſilium eorum infatuat, B ut ait propheta, convertit eum, & omnia ſtudia, quæ quaſi ad propriam commoditatem paraverat, ad confuſionem & opprobrium, & everſionem, atque ruinam: quanto enim ille perſuadebat ſibi quæ ad propriam ſecuritatem pertinere videbantur, tanto magis omnia proſpiciens oculus, ea in contrariam opinionem vertebat, oſtendens eum de die in diem, ut terebinthum abjectis foliis, & ſicut hortum aquam penitus non habentem. Sed quoniam ad beatiſſimum papam Nicolaum ſenioris Romæ epiſtolas & legatos ſæpe mittens, & hunc judicem ſuum eligens, & proponens, & omnia quæ pertinebant ad juſtificationem ſui, & ad ſanctiſſimi patriarchæ condemnationem, ſicut voluit iC pſe, ſine impedimento dicens; quoties miſit, toties ab eo reprobatus & condemnatus, & ut thronum Conſtantinopolitanum, utpote alienus, dimitteret, prorſus audivit, præſertim vivo adhuc legitimo eccleſiæ viro.

Ad extremum autem non obaudiens, a Chriſto, & ab apoſtolis accepit anathema. Tunc ergo, tunc amplius furens, & a ſuis ſenſibus, & ab omni rationabili mente procul effectus, linguam exacuit etiam adverſus eumdem, beatiſſimum videlicet papam, & quemadmodum fabulæ hippocentauros & tragelaphos fingunt & formant, ita quoque & ipſe ſtercorales quoſque & ſubulcos a plateis, & [*] cujus conducens D viros, & vicarios eos aliarum trium ſedium appellans, atque proponens, præſumpſit ſynodale imaginari judicium perſonas accuſantium & accuſatorum & teſtium, & imperatorum, & magnatum, & metropolitanorum, quaſi inſuſpectas fingens & ſimulans, & hujuſcemodi, ut putabat, depoſuit inverecunde, & anathemati ſubmiſit beatiſſimum papam Nicolaum, & omnes illi communicantes, neque ſummitati ejus, neque, quod magis eſt, eccleſiæ quæ a finibus uſque ad finem conſtat ullo modo parcens, quæ videlicet Deo accepto illi & Chriſti imitatori & magno pontifici procul dubio communicabat. Sed ſcientiarum dominus, & manifeſtas ejus nequitias, & quæ latenter fecerat opera tenebrarum, id eſt libros vaniloquos, quos ficte contra beatiſE ſimum papam illum conſcripſerat inquens, unde dicit propheticus ſermo (Jerem. 32. 19. ex Græco.): *Oculi domini excelſi aperti in omnes vias hominum, ut det unicuique ſecundum viam ſuam, & ſecundum fructus adinventionum ejus*, commiſit imperatorum regnum principatum Baſilio pheronymo domino, de quo affari liquido univerſitatis Deum arbitramur (1. Reg. 16.): *Inveni virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, ſecundum beatum regem David. Hic enim meditationem ponens in corde ſuo ambulare ſecundum viam Dei, & cuſtodire mandata ejus, maxime vero experimentum habens eorum quæ nuper injuſte & ini

[*] f. vitis

ANNO CHRISTI 870.

inique acta ſunt, clara quæque & certa ſibi eorum quæ non apparebant fecit indicia. Et egregios quidem epiſcopos, & ductores monachici ordinis, disjunctos hinc & diſperſos aſpiciens, nec non & eos qui in ſolitaria vita poſiti angelicam & cæleſtem ſincere converſationem dirigebant, quinimo & illos qui poteſtate ac potentatu præditi bonas opiniones ferebant, execrari pervaſorem & adulterum, veluti aliam quamdam abominationem deſolationis intuens, &, quod omni ratione dignis & præſtantius eſt, videns quod ſenior Roma projiceret eum, & crebris redargutionis ſuæ verbis, tamquam quibuſdam jaculis, ſauciarit, tranſmiſit ocius hunc ad debitum ſibi ignominiæ locum, & throno Conſtantinopoleos proprium pontificem ſecundum ſynodicum judicium ſanctiſſimæ Romanorum eccleſiæ reſtituit: ad manifeſtiorem autem veritatis ſatisfactionem, & certitudinem etiam, loci ſervatores ex omnibus patriarchicis ſedibus convocavit, & omnem nihilo minus epiſcoporum catalogum, qui ſub throno Conſtantinopoleos degit, adduxit, qui gratia & cooperatione domini Chriſti Dei noſtri & ſanctione ac ſolicitudine ejuſdem Chriſti amatoris imperatoris, hanc magnam & univerſalem celebrantes ſynodum, & cum multo ſcrutinio & probatione quæ acta ſunt examinantes, reperimus & advertimus, quod injuſte, & extra rationem, & præter divinas leges ac jura, ſanctiſſimus patriarcha Ignatius a Conſtantinopolitanorum eccleſia ſit amotus, & injuſte, & extra rationem, & præter divinas leges ac jura, in eam pro ipſo introductus ſit Photius, & e contra rationabiliter, & juſte, ac diſcrete, ſeu canonice, atque ſynodice, receperit proprium thronum ſæpe memoratus ſanctiſſimus patriarcha Ignatius: & rationabiliter, & juſte, ac diſcrete, ſeu canonice, atque ſynodice projectus ſit Photius; ita ut opportune audire valeat a prophetæ voce dicente: *Quemadmodum feciſti, ita erit retributio tua*: retribuetur tibi in caput tuum. (Pſal. 50.) Igitur ſancta hæc & univerſalis ſynodus, ſæpe adducens pervaſorem Photium, & per multas & diverſas interrogationes depoſcens, quo patenter confiteretur * ſuperationem ſuam, & humiliaretur in conſpectu gloriæ Dei, & magnitudinis patriarchalium ſedium, aut, ſi hoc nollet, loqueretur aliquid, & duceret excuſationis verba ad propriam ſtabilitatem & juſtificationem; deprehendit eum inexcuſabilem in modis omnibus, abſque voce, ac per opera ſua infirmantem ſibi proverbiale dictum, quod perhibet: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, vinculis autem peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur.* (Prov. 5.) & adhuc: *Via autem impiorum tenebroſa: neſciunt quomodo offendant.* (Prov. 4.)

* forte, ſupputationem.

Propter hæc ergo cuncta nolentem intelligere, ut bene ageret, neque obedientiam præeligentem, neque confitentem peccatum ſuum, & iniquiſſimum præſulatum, ſed inobedientem & reſiſtentem ſanctæ huic & univerſali ſynodo, repulimus; & anathematizavimus, atque a tota catholica & apoſtolica eccleſia fecimus alienum, per datam nobis poteſtatem in Spiritu ſancto a primo & magno pontifice noſtro, & a deliberatore ac ſalvatore cunctorum; quemadmodum ſcriptum eſt apud deiloquum Moyſen: *Et anima omnis quæ fecerit in manu ſuperbiæ, ab indigenis vel a proſelytis domini, iſte irritat: & exterminabitur anima illa de populo ſuo; quia verbum domini depravavit, & mandata ejus diſſipavit: contritione conteretur anima illa, peccatum ſuum in ea:* (Num. 15.) quemadmodum & A dominicus innuit ſermo, qui peccatum in proximum, & nequaquam correctum, ſed & eccleſiæ Dei non obedientem, monet deputari ac opinari ſicut ethnicum & publicanum. (Matth. 18.) Similiter quoque & eos qui ab ipſo manus impoſitionem acceperunt; & arbore putrida fructus putridiores apparuerunt, & neque poſt ſtercus meliorari voluerunt, concidimus gladio ſpiritus: *Omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, (Matth. 3.) ſecundum ſermonem dominicum. Si enim radix ſancta, & rami; & ſi fermentum ſanctum, & maſſa; (quemadmodum Paulus magnus apoſtolus aperte clamat) (Rom. 11.) manifeſtum eſt quod e diverſo, ſi radix polluta, & rami, ſi fermentum pollutum, & maſſa: modicum namque B fermentum totam maſſam fermentat. Porro coabjectus eſt ab hac ſancta & univerſali ſynodo etiam Theodorus Iconomachicæ hæreſeos princeps qui nuncupatus eſt Crithinus, & quidam alii conſentaneorum illius; quoſdam vero qui ſuſceperunt verbum veritatis recepimus, & choro orthodoxorum connumeravimus: quoſdam autem qui in eadem permanſere mente, impios & pravos cum pheronymo Crithino, quemadmodum paleatos & ſtercorales ex mundiſſimo frumento eccleſiæ per amplius ſequeſtravimus, & vehementius anathematizavimus: exponentes & canones numero viginti ſeptem pro eccleſiæ commoditate, Chriſtianorumque munimine, ac ſalute, nec non & univerſali ordinatione. Hæc autem o- C mnia cognoſcentes vos, fratres cariſſimi, & filii ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, cujuſcumque & qualiſcumque dignitatis vel moris eſtis, laudabiliter Deum laudate, protectorum videlicet timentium ſe, & liberatorem omnium qui ſperant in eum: & ſecundum decretum & judicium ſanctæ ac univerſalis ſynodi, malos avertite eos qui ſunt mali ſenſus, abominamini injuſtos, & iniquos odio habetote, libere ſinguli cum divino David pſallentes: *Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi*: (Pſal. 118.) ſcriptum eſt enim, quia: *Qui dicit impium juſtum, eſt maledictus in populis, & odibilis inter gentes a domino.* (Prov. 24.) Et iterum: *Qui juſtum dixerit injuſtum, injuſtum vero juſtum, immundus abominabilis a Deo.* (Prov. 17.) Nullatenus D ergo audeat quis eorum qui Chriſtiano vocabulo digni ſunt, quique regimen paſtorali ſortiti ſunt: aut ab alio regi videntur, contrarium quidquam gerere ſanctæ huic & univerſali ſynodo, ac per hoc inveniatur omnium Deo contradicens, & illius conſilium & judicium ſpernens. Dicit enim alicubi Paulus magnus apoſtolus: *Igitur qui ſpernit nos, non hominem ſpernit, ſed Deum vivum, qui dedit Spiritum ſanctum ſuum in nos.* (1. Theſſ. 4.) Dicit autem & quidam deiloquorum noſtrorum: Si quis ſciſſus a veritate fuerit, regnum Dei non poſſidebit, ſed in gehennam condemnabitur. Et rurſus: Si quis in aliena ſententia ambulat, hic non eſt Chriſti: cum hujuſmodi ne commiſceamini, ut non cum eo pereatis. Quis enim neſciat quod E in medio ſanctæ hujus & univerſalis ſynodi fuerit incomprehenſibilis & incircumſcriptus Chriſtus ac dominus qui dixit: *Ubi ſunt duo vel tres in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*: (Matth. 18.) & voluntate ipſius omnia a Deo mota ſancta hæc & univerſalis ſynodus & tractaverit & fecerit? Et quoniam dicit omnium Deus per Iſaiæ prophetæ vocem: *Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, & aperiet; & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* (Eſa. 22.) Et iterum ſcriptura Job dicit: *Si deſtruxerit, quis ædificabit? ſi clauſerit contra hominem, quis aperiet?* (Job 12.) Certum eſt, quod quiſquis voluerit aperire januam quam ſancta

a) Forte, liberatore. H.





ANNO CHRISTI 870. — ACTIO X. CONC. VIII. GENERAL.

ſancta hæc & univerſalis ſynodus clauſit, vel claudere tentaverit quam aperuit, Dei hoſtis & impugnator invenietur & oſtendetur, & ſuper terram & in cælis. Sed fiat, ut omnes qui invocant nomen domini noſtri Jeſu Chriſti, caritateque illius freti timorem ejus præ oculis habeant in æquitate veritatis, & fructus juſtitiæ afferentes inveniantur; quatenus omnes cuſtodiantur, & efficiantur digni, & in præſenti ſæculo ſuperna providentia perfrui, & in futuro ſæculo percipiamus cæleſtia & incorruptibilia bona, quæ nobis in promiſſionibus ſunt repoſita in eodem Chriſto Deo noſtro, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

*Domino ſanctiſſimo & coangelico maximo ſummo ſacerdoti & univerſali papæ Hadriano, ſancta & univerſalis ſynodus Conſtantinopoli congregata in domino ſalutem.*

OPportunum eſt cum ſapientiſſimo Salomone nunc & nos clamare: *Sapientia in exitibus laudatur, in plateis autem fiduciam agit, in ſummis murorum prædicatur, in portis autem potentum aſſiſtit, in portis autem civitatis confidens dicit: Quanto tempore innocentes abundant juſtitia, non confundentur; inſipientes autem, injuriæ exiſtentes deſideratores, impii facti ſcientiam oderunt*: (Prov. 1.) hic eſt proverbialis ſermo. Donatus enim Deo amabilis epiſcopus Oſtiæ, & Stephanus Deo amabilis epiſcopus Nepæ, & Marinus honorabiliſſimus diaconus ſanctæ Romanorum eccleſiæ, ſanctiſſimi vicarii ſanctitatis veſtræ, cum eſſent divina ſapientia repleti, & ſapientiæ columnis propriæ animæ domum fundantes & ſtabilientes, & Deum omnium, qui in ſapientia terram fundavit, præ oculis habentes, fiducialiter egerunt: in plateis profecto divinarum ſcripturarum, & excelſis; & ſublimibus, & fortiſſimis muris veritatis Dei concilium prædicaverunt, & portis non ſolum potentum, id eſt auditibus eorum qui ſenſus exercitatos ad diſcretionem melioris ac deterioris, nec non & interiorem hominem perfectum habent, ſed & eorum qui imperfecti, & ſenſibus parvuli ſunt in civitate viventis Dei luculenter æquitatem divinæ juſtitiæ annuntiaverunt; & ſuperioribus quidem manifeſtati ſunt, accuſata divinis legibus & præceptis injuſtitia & malitia: eos vero quos proverbiale dictum innocentes nominavit, per privationem videlicet malitiæ, inconfuſos Dei boni cooperatione & gratia conſervaverunt. Inſipientiæ autem operarios, & æmulatores nequitiæ tamquam conviciorum avidos exiſtentes, & impios factos, argumentis veritatis obnoxios oſtenderunt, quemadmodum alios iterum proverbiale fatetur eloquium: *Et examinatio perdit impios*: operibus enim ſuis præpedierunt eos Deo amabiles vicarii paternæ ſanctitatis veſtræ, quod hymnidicus David ait: *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus, timentes autem dominum glorificat.* (Pſal. 14.) Nam & quid aliud hos apparuiſſe opinandum eſt, quam derivatas imagines? immo vero characteres indiſſimiles quarumdam bonarum & principalium tabularum Nicolai beatiſſimi papæ revera fortiſſimi pietatis certatoris ſimul & ſanctitatis tuæ? Sicut enim ille beatiſſimus & veraciter homo Dei primitus definivit & promulgavit, nec non & ſumma paternitas tua firmavit, & ſynodice roboravit; ita & ipſi hæc annuntiaverunt, & egerunt amborum veſtrum ſanctiſſimorum, videlicet ſenioris Romæ pontificum, nomen & memoriale, inſtantibus tempo- A ribus & cunctis generationibus, quæ deinceps futuræ ſunt, efficientes laudabile: ita a & unicuique ipſorum aptetur quod dicit in euangeliis Chriſtus omnium noſtrum ſalvator: *Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui miſit illum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt.* (Joan. 7.) Sed & benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus odientium nos, ſed eripuit animam noſtram ſicut paſſerem de laqueo venantium eam, (Pſal. 123.) & orationes veſtras & aſſiduas redargutiones & admonitiones, quas pheronymus ille & magnus Dei ſummuſque pontifex beatiſſimus papa Nicolaus: Dilexi enim jugiter ferre labiis illius beati nomen introducens, videlicet, per hoc, & i- B pſius quoque memoriam, qui per Chriſtum, & cum Chriſto mundum vicit: & ipſe qui & gradus & dignitatis & moris ejus ſucceſſor es, pro eccleſiaſtica pace alacriter exercuiſtis, ad expellendum lupum ab ovili Chriſti, tamquam veri paſtores rationabilium ovium Chriſti, quinimmo ſummi paſtores, & principes omnium eccleſiarum. Sed de miſero quidem Photio, & iis qui ſeducti ſunt ab eo, & concordaverunt ei, propheticum illud dicendum eſt: *Quia rectæ viæ domini, & juſti ambulabunt in eis; impii autem infirmabuntur*, (Oſee 14.) vel etiam offendent in illis; ſuis enim viis delectari utique perneceſſarium erat eis, fructus & mala accidere juſtum erat eis ſecundum opera manuum ſuarum, ut quodam in C loco dicit magnivocus Iſaias. Quis autem amatoris Chriſti & tranquilliſſimi imperatoris noſtri articularibus inſinuare vocibus poterit, in omnibus quidem aliis, ſed præcipue in eccleſiaſticis rebus atque perſonis æquanimitatem & exercitium? qui pietatis definitionibus & virtutum proprietatibus omnes ſupergreſſus eſt qui ante ſe regnaverunt; ita ut magis directionem ejus moribus, quam noſtris virtutibus fiduciam capiamus, quem omnipotens Deus & rex univerſorum, qui per ſolertiam veſtram, interventionem, ac judicium, ſeu ſynodicam expoſitionem, tam magnam & univerſalem ſynodum congregare dignatus eſt, & tantum opus ad finem proſperum perducere maluit, cuſtodiat incolumem utrumque per mul- D tos annorum circuitus, & det ſanctitati quoque veſtræ condignam laborum viciſſitudinem, & cum Petro & Paulo principibus apoſtolorum judices vos demonſtret, & jam in futuro ſæculo multarum gentium & populorum propriis bonis operibus, impios & iniquos judicaturos, quemadmodum & nunc debite feciſtis, a Chriſto gubernacula ſumentes eccleſiaſticæ navis.

Igitur libenter oppido & gratanter imitatrice Dei ſanctitate veſtra omnium noſtrum conventuum & univerſalis hujus atque catholicæ ſynodi conſenſum & conſonantiam recipiente, prædica eam magis, ac veluti propriam, & ſolicitius confirma coangelicis præceptionibus & ad- E monitionibus veſtris, ut per ſapientiſſimum magiſterium veſtrum etiam aliis univerſis eccleſiis perſonet, & ſuſcipiatur veritatis verbum, & juſtitiæ decretum.

a) Forte, ut. H.

Hæc epiſtola miſſa eſt ad omnes patriarchales ſedes.

*Baſilius, Conſtantinus, & Leo, in Chriſto Jeſu imperatores Auguſti principes Romanorum.*

DIligentibus Deum cooperari omnia in bonum divinitus clamat patenter apoſtolus; (Rom. 8.) quin & petentem accipere, & quærentem

ACTIO X. CONC. VIII. GENERAL. Apoc. 3.

tem invenire, & pulſanti aperiri ſpei portas dominica vox admonuit; his ergo dictis & divinitus gubernatum imperium noſtrum parens, ut poſſibile ſibi fuit, coronæ datorem ſuum diligens, non deſtitit de inventione eccleſiaſticæ ordinationis noſtræ petendo, quærendo, & pulſando, quoaſque Deo acceptis orationibus veſtris ſpei fructum adeptum eſt. Incorruptæ enim columnæ eccleſiarum, ſanctiſſimi videlicet ſummi pontifices ſenioris Romæ, multum ante arripientes laborem pro eccleſiaſticâ ordinatione, debitam facultatem noſtris contulerunt negotiis, ita ut honoratiſſimi vicarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cum reverendiſſimo loci ſervatore ſanctitatis tuæ, & aliarum patriarchalium ſedium, Dei gratia & cooperatione facilius evellerent nequitiæ zizania, & rus exhiberent mundiſſimum. Nam condemnatione dignos, & turbationis auctores cum horum acephalo capite, regulariter atque ſynodice irreprehenſibili judicio condemnaverunt & reprobaverunt: ei autem qui patenter injuſtitiam paſſus eſt, legitimo ſcilicet ſummo ſacerdoti & iis qui circa ipſum ſunt, decreverunt & contulerunt triumphum, ſubtilitatem præterea eorum quæ acta ſunt in ſuperius declarata ſancta & univerſali ſynodo ſanctitati tuæ expreſſius exhibebit geſtorum ejuſdem ſynodi ſeries. Gratias ergo agentes omnipotenti Deo pro eccleſiaſtica conſtitutione, ac idonea ſynodi terminatione, beatificanteſque & ſuſcipientes ſinceram nobis a Chriſto Deo collatam divinorum canonum cuſtodiam, & conſervationem ſanctitatis veſtræ; quia ſalvat operibus circa nos benignitatis affectum, manifeſtum ei præſentamus laude dignum ſanctæ hujus & univerſalis ſynodi finem, quatenus & ipſa gratiarum Deo una nobiſcum offerat actiones largitori, ſcilicet pacis & totius ſaluberrimæ ordinationis auctori; orans & pro divinitus muniendo imperio noſtro, bene valere ſanctiſſimam paternitatem tuam, tranquilliſſimum imperium noſtrum exoptat, apud Chriſtum mirabiliſſime. Data indictione tertia.

An. Ch. 870.

Poſtea ſequitur altera epiſtola, cujus initium eſt:

*IN NOMINE PATRIS, ET FILII, & Spiritus ſancti, unius & ſolius veri Dei noſtri, Baſilius, Conſtantinus, & Leo, fideles in domino imperatores Romanorum, Hadriano ſanctiſſimo papæ Romano ſpirituali patri noſtro.*

INdeficientem habentes in mente noſtra memoriam beatitudinis veſtræ, divinamque legem, naturæ hominum conjunctam, honorantes pro viribus, quæ patribus ſpiritualibus [a] viciſſitudine, juxta cultum venerationis, exolvere jubet filios, ſemper de incolumitate veſtra cognoſcere volumus, & divinum nobis ac ſacrum caput, quoniam non poſſumus carnalibus, ſaltem ſpiritualibus labiis per affatum literarum amplecti: debemus autem hoc, & propter præpoſitas cauſas, & propter amorem ejus qui circa nos eſt; qui zelo veritatis conſperſus oſtendit quidem quanta ſit ſua erga Deum pietas, quantaque circa juſtitiam diligentia, & quanta fraternam erga dilectionem flagrantia. Quoniam quo & literarum gerulum expeditum ad peregrinam profectionem, & magnanimum ad malorum tolerantiam conſecuti ſumus, id ipſum optabile habentem, principi apoſtolorum ante promiſſum cauſa reddendi votum, eundemque veſtræ ſummæ ſanctitati commendavimus: ſuper hoc

a) Forte, viciſſitudinem. H.

quoque multum tranquillitatem veſtram rogantem. Idem autem eſt hic Theognoſtus, quem & vos bene noſtis, Deo amabilis hegumenus ſuperlaudabilis Dei matris † Peges, & vaſorum cuſtos magnæ eccleſiæ. Per ipſum ergo quæ noſtri deſiderii ſunt opportune adimplere conſpeximus; implorantes coangelicam ſanctimoniam veſtram, in primis quidem de habitu veſtro, qui ſecundum Deum eſt; deinde etiam de Deo amabilium apocriſiariorum & vicariorum proſpero itinere, literis per eum ſignificari nobis celerius. Jam enim tempus habemus non modicum expectantes, & neſcimus evidenter tarditatis cauſam. Sed & ſi hactenus deeſſe clamaverint, ſaltem ſero hoc nobis agnitum fiat. Specialis autem pater noſter & magnæ civitatis noſtræ patriarcha poſtulavit a nobis ſcribere ſanctitati tuæ de his lectoribus qui a Photio promoti ſunt, multis & innumerabilibus exiſtentibus eis in diverſis provinciis: inſuper autem & de Paulo reverendiſſimo bibliothecario verbo & vita præfulgido, ac Theodoro metropolita, qui & ipſe nimis eccleſiæ utilis eſt; quatenus diſpenſatio fiat a ſanctitate veſtra ſuper ipſis, quibuſdam quidem ad aſcenſus majores ſacrorum graduum, quibuſdam vero ad receptionem ſedium ſuarum, ad hoc rogantibus. Dei imitatricem virtutem [b] ſuam; horum quidem multitudinem, hujus vero labores, & pro veritate ſudores, illius autem culpæ reprehenſionem, & quod ex canonica ſit manus impoſitione promotus conſiderantem: & pro his & imperium noſtrum flagitat pietatem tuam diſpenſandum aliquid hinc humanius. Bene vale, mi amantiſſime pater: bene vale; memor imperii noſtri in Deo acceptis precibus tuis quæ ſunt ad dominum: legimus.

ANNO CHRISTI 870.

† Peges, id eſt Fontis: monaſterium erat Conſtantinopoli in ſuburbio.

b) Forte, tuam. H.

Tranſmiſimus autem ſanctitati veſtræ gratia commemorationis imperii noſtri, & dilectionis quam circa illam habemus, quæ per ſpecies deferuntur, veſtimenta diaſpra tria, elophorum dicitrinum cancellatum, id eſt chaſdium crodium, habens ornaturam auream & vellus praſinum, id eſt vilarni pinninum pro caſula facienda, id eſt uſin rubeum æram habentem, id eſt uſinallum, id eſt mulchumat, id eſt planetilia caſtanea duo.

Subſequens epiſtola pro tribus capitulis, quæ quidem nec omnes patriarchales ſedes cum tota ſynodo auſæ ſunt definire, ſed horum diſpoſitionem per patriarcham Ignatium a ſede apoſtolica conſueverunt humiliter poſtulari.

*Per omnia ſanctiſſimo & ſacratiſſimo fratri & comminiſtro Hadriano beatiſſimo papæ ſenioris Romæ Ignatius a Deo miſericordiam conſecutus archiepiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ in domino ſalutem.*

Dan. 2.

LApis, qui de monte abſciſſus eſt ſine manibus, & percuſſit imaginem illam magnam impiorum regnorum omnium ſuper pedes teſteos & ferreos, & ventilavit eam ut pulverem ab area æſtiva, & factus eſt in montem magnum, & replevit univerſam terram propria magnitudine & gloria, Chriſtus videlicet, qui eſt ſolus infinitæ potentiæ dominus, & Deus noſter; & olim quidem illuſtrem & perſpicuam operatus eſt veſtram magnam civitatem Romam per eos ſanctos lapides qui ab oriente ad eam devoluti ſunt, Petrum ajo & Paulum, eximiam principalem apoſtolorum ſummitatem: ſed nihilo



ANNO CHRISTI 870.

hilo minus & in noſtris temporibus, quin potius & illuſtriorem & clariorem demonſtravit per eos quibus in generatione noſtra pontificalia gubernacula ejus commiſſa ſunt, ſanctos & precioſos revera lapides, Nicolaum videlicet beatiſſimum & fraternam ſanctitatem tuam: qui quemadmodum a quodam ſublimi loco contra injuſtitiæ & mendacii machinamenta demiſſi & devoluti uſque ad urbem noſtram per ſapientiſſimas epiſtolas veſtras & ſanctiones, ſed & ſanctiſſimos & Deo amiciſſimos loci ſervatores, contriviſtis omnes machinas & munimina adverſantium veritati, & nunc pacificam conſtitutionem agentes per miſerationes & gratiam, qui vere princeps pacis & pacificus eſt Chriſtus Deus noſter, & per diligentiam veſtram ac excitationem, gratias agimus omnium bonorum auctori & miſericordiſſimo domino, & ſalvatori ac redemptori univerſorum, qui ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam deſponſavit, & caput ſe hujus nominare dignatus eſt, & membra corporis ejus vos & nos in uno ſpiritu compaginata & convenientia per operationem ſancti Spiritus, & alternam conſonantiam & conſpiramentum exhibuit. Quinimmo & beatitudini ſanctitatis veſtræ gratificas voces debite commendamus, exorantes ſemper ad Deum, qui eſt ſuper omnia Deus, quo ſanctitatem veſtram cæleſtiis & propriis laboribus & certaminibus dignis & congruis recompenſet viciſſitudinibus; quippe qui ſolus eſt dator & largitor magnarum & vos decentium retributionum. Verumtamen & noſtra humilitas memor caritatis veſtræ, ac amabilis quem circa nos habet affectus, & ad hoc ipſum voluntatem & meditationem habens, invenit procurantem, ut mitteretur in viam, quæ eſt ad magni nominis Romam, orationis cauſa, intimum filium noſtrum reverendiſſimum abbatem Fontis, & ſcevophylaca magnæ eccleſiæ dominum Theognoſtum, & idcirco magis ſtuduimus adimplere deſiderium veſtrum, quem & miſimus cum præſenti epiſtola noſtra viſitaturum, & ſalutaturum, ac adoraturum fraternam ſanctitatem veſtram: nuntiaturum etiam & a Chriſto nobis donatam incolumitatem in hac vita multis paſſionibus & tribulationibus plena, quemadmodum ipſe voluit & judicavit qui omnia ſapienter & congruenter diſpenſat, & ante in tua piiſſimorum, & Chriſto amicorum, ac a Deo gubernatorum, atque divinitus munitorum imperatorum noſtrorum proſperitatem & trophæa, & in melius de die in diem rerum Romani imperii tranſlationem, ut & vos gaudentibus nobis congratulemini per mutuam unius corporis membrorum coaffectionem & compaſſionem, & iterum Dei boni gratia & cooperatione ad mediocritatem noſtram maturius remeaturum, & bona nuntia amabiliſſima vitæ veſtræ allaturum ad eccleſiam noſtram, ut & in hac parte collætemur vobis, & eum, qui ſolus eſt inveſtigabilis dominus, & ſapientiſſimus ſubſtantiarum factor, & continuus procurator univerſorum, glorificemus & magnificemus, qui magis ac magis roboret ſanctitatem tuam, & conſervet utrimque immaculatam atque illæſam ad eccleſiaſticorum negotiorum perſonarumque profectum, & utilitatem & gloriam omnitenentis Dei principalis benignitatis ejus. Quod autem, ſanctiſſimis vicariis paternæ ſanctitatis veſtræ adhuc præſentibus, penitus perfectum non eſt, neque finem accepit, rogamus nunc terminari, & diſponi perfecte, ac integre ſcribi ad humilitatem



ACTIO X. CONC. VIII. GENERAL.

noſtram de his lectoribus qui tonſi ſunt a Photii manus impoſitione: qui cum ſint pæne innumerabilis multitudinis in univerſis regionibus & civitatibus eccleſiæ, poſtulant ex neceſſitate aliorum fieri ſacerdotalem provectum: ut cognoſcamus etiam & ſuper hac re veſtram voluntatem atque decretum certiſſime & manifeſtiſſime, utrum ſint digni promoveri ad majores ſacerdotii gradus, an non ſint: dubium enim hoc tantum dimiſerunt: & adhuc poſtulamus etiam de intimo filio noſtro, & fortiſſimo veritatis agoniſta, Paulo videlicet chartophylace, ut, ſi eſt poſſibilis in eum diſpenſationis aliqua ratio, recipiat dignitatem epiſcopatus, quemadmodum & antea in litteris noſtris efflagitavimus. Deinde quoque ſuper Theodoro, qui a nobis quidem conſecratus eſt metropolita Cariæ, multum autem laboravit, & afflictus eſt ab initio injuſtæ ac iniquæ dejectionis noſtræ, in noviſſimis vero cum miſero Photio conveniens, propter ejus immenſa tormenta quæ ſibi reſiſtentibus inferebat, conſenſit, & uſque ad ultimum ipſius diem repœnitens, nihilominus rurſus corde contrito & ſpiritu humilitatis veniam expetivit. Prohibuerunt enim eum ſacerdotio fungi quoquo modo ſanctiſſimi vicarii almitatis veſtræ, & quod ſubſcripſerit, ut fatebantur in eam, quæ facta eſt ab infeliciſſimo Photio quaſi depoſitio beatiſſimi & optimi patris noſtri Nicolai deceſſoris ſanctitatis tuæ. Hæc ſunt de quibus rogamus ſanctitatem veſtram, ut, ſi poſſibile ſit, utatur verbo diſpenſationis & miſericordiæ in his, cum alia omnia optimum & commodum finem ac diſpoſitionem ſuſceperint. Ceterum dona nobis ſanctas & cum Deo loquentes orationes tuas, ſanctiſſime & imitator Dei frater noſter: donet is nobis per multa annorum curricula utrimque incolumes. Indicia vero magnæ & caræ dilectionis noſtræ miſimus ſanctitati tuæ iſta, Græcolatinum evangelium diligentiſſime correctum, orarium deauratum, caſulam optimam, theriacam probatiſſimam. Deus autem qui omnia condidit, & contrariarum qualitatum operationem in unam & eamdem coaptavit ſubſtantiam, & continet, & ſalvat, per ſanctas orationes tuas pacificet magis ac magis, & conſonantem ac unius opinionis a finibus uſque ad fines ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam habere dignetur.

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimis ac ſpiritualibus filiis Baſilio, Conſtantino, & Leoni, piiſſimis & tranquilliſſimis imperatoribus.*

LEctis excellentis imperii veſtri litteris, dilectionis veſtræ [a] quæ erga nos flagrat indicia & pietatis ſolita ſtudia non tam cognovimus, quam recognovimus; unde gratiarum multimodas actiones ſummæ divinitati referimus, & multiplices laudes ejus concinere non ceſſamus, ob id maxime, quia circa religionis cultum accenſi, poſtpoſitis ceteris ſæcularibus curis, ante omnia eccleſiaſticæ paci conſuluiſtis; & quia ſedis apoſtolicæ decreta, ſana, priſcaque lege ſuper exortis controverſiis exquiſiſtis; & in colligendo magno ſanctoque collegio pium ſtudium & deſiderium oſtendiſtis; in quo, abdicato pravitatis auctore, definitio rectæ fidei & catholicæ ac paternæ traditionis, atque jura eccleſiæ perpetuis ſæculis profutura, & ſatis idonea, fixa ſunt & firmata: in quo etiam illud mirabilius & laudabilius ſublimitatis veſtræ prædicatur inſigne,

a) Forte, qua. H.

quod non judicum vel aſſertorum, ſed conſcio- A rum tantum & obſecundatorum perſona uſi fuiſſe dignoſcimini: ita ut per humilitatis arcem ad culmen virtutum pervenire dilexeritis potius, quam per imperialis altitudinis faſtum ad inanis gloriæ ima delabi conſenſeritis. Præterea noſtri habitus qualitas, quam ſcire ſe velle benignitas veſtra pio deſignat affectu, ita ſe habet, ut ſuperna providentia, quæ cuncta creavit, & continua proviſione gubernat, expedire nobis perſpicit, & quod expedierit conſulte diſpenſat. Apocriſiarios quoque noſtros, ſuper quorum nihilo minus reverſione ſcripſiſtis, licet ſero, poſt multa tamen pericula, deprædationes, atque propriorum hominum trucidationem, nudos tandem recepimus non cujuslibet hominis fretos au- B xilio, ſed Dei ſolius præditos adminiculo: unde audientes hæc univerſi gemunt; & quia iſti pertulerunt quæ ſub nullo piorum principum quemquam ſedis apoſtolicæ miſſum pertuliſſe recolunt, omnes ſtupefacti mirantur, fitque continui clamoris ab eccleſia noſtra murmur, quod ita diſpoſitionis veſtræ conſtitutio improvide prodire potuerit, ut in barbarorum gladios, nullo imperii veſtri fulti præſidio, miſeranter inciderint. Præſertim cum hos quos ab apoſtolica ſede toto deſiderio poſtulaveritis, & ab ipſis apoſtolorum principum tectis per legatos veſtros ſalvos acceperitis, ſalvos rurſus, diſpoſitis rite propter quæ miſſi fuerant, ad propria remittere ſumma diligentia procurare debueritis, exemplo ſaltem provocati C Michaelis decedentis imperatoris, qui quos ab apoſtolica ſede ſuſcipere meruit, idoneo ſociatu prævio, ut noſtræ illæſi præſentarentur eccleſiæ ſolerti cura ſategit. [a] Et præterea & aliud quod prima pietatis veſtræ opera, vel circa ſedis apoſtolicæ prioris benignitatis indicia contra ſpem noſtram decoloraſſe convincitur, immo funditus deſtruxiſſe probatur: videlicet quia favore veſtro frater & coepiſcopus noſter Ignatius in Bulgarorum regione conſecrare præſumpſit antiſtitem, unde mirati ſumus, & quia a pia intentione veſtra retro reverſi ſitis, admodum obſtupuimus. Verumtamen ſaltem nunc jam dictum reverendiſſimum præſulem ab illius regionis diſpoſitione ſalubribus monitis, quæſumus, coercete: alioquin D nec ipſe canonicam effugiet ultionem, nec ii qui præſulatus vel alterius officii ſibi nomen illic uſurpant, cum excommunicatione, qua jam tenentur aſtricti, etiam proprii gradus jactura carebunt.

a) Forte, eſt. H.

Porro de tribus capitulis, ſuper quibus, præfato poſtulante ſanctiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Ignatio, divinitus protectum imperium veſtrum nos deprecatum eſſe dignoſcitur; nil poſſumus ab eo quod jam conſtitutum eſt, ordinare diverſum vel diſponere, maxime de Photii conſecratione aliquantiſper verſum: niſi forte nos, quibuſdam ex utraque parte in præſentia noſtra repertis, contigerit ſcire, quæ uſque huc E neſcimus; vel diſcere quæ nunc penitus ignoramus. Non enim eſt in nobis eſt & non eſt. Et ſi quæ deſtruximus, eadem reædificaverimus, prævaricatores nos legis eſſe conſtituemus. Satis enim nota ſunt quæ cum ſuo auctore deſtruximus, & quæ conſtruenda mandavimus. Ab illis quippe ſacratiſſimis conſtitutis, quæ vel apoſtolicæ memoriæ prædeceſſor noſter papa Nicolaus antea ſalubriter ſanxit, vel nos poſtea diſpenſatorie protulimus, nulla motione vel mutatione diſcedemus, aut ad dextram vel ſiniſtram quoquo modo declinabimus. Quæ videlicet jam dudum probavit eccleſia, & immutilata ſervanda nuper geſtum univerſale concilium ſtatuit. Neque enim nobis moris eſt, ut pro libitu proprio paternis ſanctionibus abutamur; quemadmodum quibuſdam, qui apud vos ſumma rerum eccleſiaſticarum gubernacula moderantes, tunc ſynodorum ſtatuta, vel etiam apoſtolicæ ſedis decreta proferunt, cum vel alios lædere, vel ſe juvare cupiunt: & hæc tunc ſub ſilentio tegunt, quando fortaſſe contra ſe, vel pro aliis proponerentur. Si noſtra, more priorum, æquitas in veſtræ urbis præſules, majorum regulis obviantes, commoveri ſeverius voluiſſet, quamvis multa inſtantia, & certamen viri prudentiſſimi & religioſiſſimi hegumeni ac ſacrorum vaſorum cuſtodis Theognoſti, qui de pietatis veſtræ virtutibus, & probabilium morum inſignibus, & trophæorum triumphis, atque de beneficiorum veſtrorum pie ſibi præſtitorum multitudine, nos plurimum relatione ſua lætificavit, & qualiter diebus veſtris, ſuperno brachio; atque ſtudio, & ſolertia veſtra Chriſtianitas proſperetur, enarrans, ad multimodas laudes ſanctæ Trinitati reddendas, & gratias, alacriores exhibuit, ad poſtulata divinitus muniendo imperio veſtro concedenda, nos ſupra modum efflagitaverit, & ultra quam dici poſſit ſolito & priſco more, ac pro eccleſiaſticis utilitatibus frequenter impenſo, crebris ſuggeſtionibus [b] inveſtigarit. Super quibus tamen propter jam deſignatam cauſam, nec annuere poſſumus, nec quidquam præter id quod jam euangelizatum eſt, ullo modo definire.

b) Forte, inſtigarit. H.

Deus autem omnipotens, per quem reges regnant, & in cujus manu omnia jura regnorum conſiſtunt, imperium veſtrum ad eccleſiæ ſuæ ſanctæ pacificam conſtitutionem & populi Chriſtiani perpetuam libertatem magis ac magis corroboret, ejuſque potentibus plantis cunctarum infidelium nationum cervices inflectat, dilectiſſimi & deſiderabiliſſimi filii. Data XV. Idus Novembris, indictione V.

An. Ch. 870.

### Nota ex editione Romana.

[a] Queritur, cur ſedes apoſtolica eos qui a Photio damnato in diverſis ſunt eccleſiæ gradibus conſtituti, ſine recuperatione depoſuerit, cum ab Ebione damnato ſacratos, & poſt aſtantibus epiſcopis depoſitos, inſtaurari decreverit. Sed ſciendum eſt, quia Photius tamquam neophytus & adulter, qui ſcilicet eccleſiam viventis invaſit, nunquam fuiſſe epiſcopus, dictus & promulgatus eſt; ſed nec ii qui ab eo manus impoſitionem acceperunt, comparati videlicet Maximo Cynico, & ordinatis ab eo a ſecunda ſynodo cum ordinatore repulſis: Ebio autem, licet poſtea ſit depoſitus, quandoque tamen epiſcopus fuit, quemadmodum & Acacius, de cujus ordinatione papa ſtatuit Anaſtaſius: ut ſcilicet quos poſt damnationem ordinavit Acacius, nulla portio læſionis attingeret. Denique ſi pater meus adulter eſt, & ego ex adulterio naſcor, profecto ut non legitimus ex hereditate repellor; quod tamen non pateret, etiam ſi pater meus probaretur veraciter homicida.









# ΤΑ ΠΡΟ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΚΑΙ ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΗΣ

# ΕΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΙ

## ΓΕΝΟΜΕΝΗΣ ΣΥΝΟΔΟΥ ΟΓΔΟΗΣ.

# QUÆ SANCTAM OECUMENICAM CONSTANTINOPOLITANAM SYNODUM OCTAVAM PRÆCEDUNT.

## ΒΙΟΣ, ΗΤΟΙ ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΙΓΝΑΤΙΟΥ

### Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως.

*Συνεγράφη δὲ παρὰ Νικήτα δούλου Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ καὶ Δαυὶδ τοῦ Παφλαγόνος.*

ΠΑΝΤΩΝ μὲν τῶν ἁγίων τοὺς βίους ἀνατάττεσθαι καὶ διηγεῖσθαι, παιδεύματα πρὸς ἀρετὴν καὶ παράκλησιν ταῖς ἐπιοῦσαις τῷ βίῳ παραδιδόντας γενεαῖς, κάλλιστον ὁμοῦ καὶ σωτήριον· μάλιστα δὲ τῶν ἱεραρχίᾳ σεπτῇ κεκοσμημένων, καὶ διὰ τῆς οἰκείας B λαμπρότητος τοῦ βίου εἰς ζῆλον ἀκάθεκτον τὸν πικρὸν διώκτην ἀνερεθισάντων καὶ δυσμενῆ, καὶ διὰ τῆς ἀνενδότου τῶν πόνων ὑπομονῆς καὶ γενναιότητος λαμπρὰν ἐπιδεδειγμένων τὴν ἀριστείαν κατ' αὐτοῦ· εἰ δὲ καὶ πρὸς τοῖς ἐσχάτοις, καὶ τοῖς καθ' ἡμᾶς τούτοις ἐγγίζοντες τύχοιεν καιροῖς, πολλῷ μᾶλλον ἀξιομνημονευτότατοι ἂν εἶεν ἁπάντων καὶ ἀξιεπαινετοί, ὡς πολὺ πλέον οἰκοδομεῖν τῇ ἐγγύτητι δυνάμενοι τὴν ἐκκλησίαν. τὸ γὰρ ἀρχαῖον καὶ πάμπολυ κατὰ χρόνον διεστὼς, εἰ καὶ πιστεύεται τῇ ἀξιοπιστίᾳ τῆς γραφῆς, ἀλλὰ καὶ θᾶττον ἂν τοῖς πολλοῖς πρὸς τὴν μίμησιν ἀπογινώσκοιτο, λογιζομένοις, ὡς κρεῖττον ἢ κατὰ τὴν παροῦσαν τῶν πρεσβυτέρων ἐ- C κείνων δυναμένων κατορθοῦν γενεάν. ὅσα δ' ἂν τοῖς καθ' ἡμᾶς κατορθοῦσθαι πιστεύοιτο καιροῖς, μᾶλλον ἂν οἶμαι ταῦτα παρακινεῖν τοὺς εὐσεβεστέρους, καὶ πρὸς τὸν ἴσον τῆς ἀρετῆς διερεθίζειν ζῆλον. διὰ ταῦτά μοι τοῦτον ἐνστήσασθαι * νῦν τῷ λόγῳ τὸν ἀγῶνα, κἀμοὶ σφοδρὸς πόθος κατακάρδιος ἀληθινοῖς διηγήμασι, καὶ πάσης προλήψεως ἀπηλλαγμένοις ψευδοῦς, τὸν μέγαν ἱεράρχην καὶ ποιμένα τῆς βασιλίδος Ἰγνάτιον, ὑπό γε θεῷ πνεύματι τῆς ἀληθείας ὑφηγητῇ καὶ συλλήπτορι, τοῖς ἀγνοοῦσιν ὁποῖός τις ἦν, ἐκ τῆς κατ' αὐτὸν πολιτείας ἀποδεῖξαι· Ἰγνάτιόν φημι τοῦτον, τὸν ὕστερον μὲν τῷ χρόνῳ, καὶ παρὰ τῆς καθ' D ἡμᾶς ταύτης ἀναδειχθέντα γενεᾶς, οὐδενὸς δὲ τῶν πρὸ αὐτοῦ τιμίων ἱεραρχῶν τὴν πίστιν, τὴν ὁμολογίαν, τὴν ὑπὲρ τῆς δικαιοσύνης ἄθλησιν, καὶ πρὸς τὸν θεὸν εὐδοκίμησιν ἀπολειπόμενον. τούτῳ τὴν παρακολουθήσασαν

* ἴσ. νῦν καιρὸς

## VITA, SIVE CERTAMEN SANCTI PATRIS NOSTRI IGNATII

### Archiep. Conſtantinopolitani.

*Auctore Niceta ſervo Jeſu Chriſti, cognomento Davide Paphlagone.*

PRæclarum juxta & ſalutare eſt, cum ceterorum quidem ſanctorum omnium res in vita geſtas exponere & enarrare, poſteriſque ſæculis vitæ documenta, pariterque ad virtutem incitamenta tradere: tum vero B maxime eorum qui fuere prædici venerando pontificatu, quique ſuo vitæ ſplendore acerbum adverſarium ad graviſſimam provocarunt invidiam, & cum invicta laborum omnium patientia, animique magnitudine, fortitudinem contra inſectatorem eximiam declararunt. Quod ſi autem eoſdem ad extremam & noſtram ætatem propius accedere contingat, tum vero multo maxime præ cunctis memorandi, omnique laude prædicandi ſint; ut qui propter temporum vicinitatem multo magis eccleſiæ prodeſſe poſſint. Quod enim pervetuſtum eſt, longiſque temporum intervallis remotum, etſi fidem propter ſcribentis auctoritatem merea- C tur, deſperatur tamen a pleriſque ſtudium imitandi; ut qui putent, illis majorum noſtrorum ſæculis multo promptius fuiſſe quam noſtris cum virtute vivere. Quæ vero noſtra memoria recte facta creduntur, illa multo acrius, opinor, piorum mentes ad virtutis decus æmulandum inflammant. Quapropter ingens me deſiderium animi impulit ad cauſam hanc ſive certamen oratione proſequendum, duceque & adjutore Deo, ſpiritu veritatis, oſtendendum neſcientibus, qui vir Ignatius, qualiſque & quantus hic antiſtes & regiæ paſtor urbis in vitæ ſuæ ratione fuerit: Ignatius, inquam, iſte, qui ævo quidem poſterior, D noſtra ætate floruit, prioribus tamen illis venerandis pontificibus nihil vel de fide, vel confeſſione, vel decertatione pro juſtitia, laudeve pietatis erga Deum conceſſit. Hujus ego totum vitæ curſum dum ab ipſo exor-

Hujus verſionis auctor Matthæus Raderus S.J. quod poſt Romanos editores Binius & Regius collector tacuerunt.

VITA IGNATII PATRIAR.

A exordio ad exitum uſque ſingulari cura exigo, rerumque de illo apud nos teſtatiſſimarum veritatem ſive fama, ſive ſcripto acceptarum, ſine ulla affectus indulgentia & fraude expono, certo mihi perſuadeo futurum, ut primum teſte ipſa vivente ac per ſe ſubſiſtente veritate, æqua perſcribam; deinde nubem annorum utcumque multorum intercapedine concretam, animoſque tenebris ignorantiæ involventem, diſcutiam diſſipemque; ut qui veritatem penitus perſpicere volent, æquitatis & virtutis cultorem vere noſſe, celebrare laudibus, æmularique poſſint; malitiæ vero & improbitatis architectum jure deteſtari. Sed hinc jam nobis eſt exordiendum.

B Beatiſſimus hic & divinus antiſtes Ignatius Conſtantinopolim in terris patriam habuit, hanc, inquam, totius ditionis & imperii præclariſſimam regiam; parentes vero, Michaelem imperatorem & Procopiam imperatricem, nobiliſſimos & religioſiſſimos principes. Atque Michael quidem Theophylacto patricio ſplendidiſſimo viro natus; Procopia vero a Nicephoro pio imperatore procreata eſt. Nicephoro porro ad cæleſte imperium evocato, & Stauracio filio, cum regnum exiguo tempore adminiſtraſſet, extincto; Michael hic Nicephori gener, ut dictum eſt, mortuo Nicephoro, C cum inter palatinos (nam europalates erat) principem locum teneret, auſpice Deo, ſenatuſque decreto imperii ſceptra ſuſcepit. Cujus ego religionem in Deum, omniaque virtutis ornamenta iis narranda relinquo, qui res ab illo geſtas ſigillatim perſequi volent. Nobis ad decus illius memorandum ſufficiat morum lenitas & clementia, quam minime fucatam factis ipſis declaravit. Etenim cum non toto biennio imperium ſanctiſſime adminiſtraſſet, Leoni Armeno per tyrannidem regnum invadenti libens volenſque ceſſit; quamvis ipſe præfecturam exercitus in oriente illi prius commiſiſſet. Expeditionem tamen D cum in Bulgaros ſuſcepiſſet, ibi per inſidias defectionem molienti, ſponte beatus ille imperium conceſſit, ſeſeque ab omni faſtu, belliſque civilibus atque invidia regni ſubduxit; ratus multo ſibi reique publicæ commodiorem utilioremque voluntariam regni abdicationem & pacem, ut qui paci veræ natus eſſet, fore. Decedit ergo ex urbe cum tota familia; atque in Principes inſulas ſecedit; ibique vitam monaſticam cum conjuge & liberis, non cultu tantum corporis, ſed re ipſa degit, cauſa ſua ſupremo numini permiſſa.

Beato huic Michaeli, omnique admiratione proſequendo, qui terrarum regna E cæleſtibus permutavit, quini omnino fuiſſe liberi perhibentur: muliebris ſtirpis gemini, Georgo prima natuque maxima, minima Theophano; quæ virginitatis laude per omnem vitam in religione ſanctiſſime cuſtodita, feliciter obierunt: tres vero ſtirpis virilis, Theophylactus, Stauracius, Nicetas: quorum natu maximus Theophylactus, & Stauracius, diademate imperii inſigniti ſunt: verum Stauracius admodum adoleſcens ante patris abdicationem oppetiit. Theophylactus autem una cum parentibus tunc in monachum attonſus, Euſtra-

ANNO CHRISTI 869.

A ἐξ ἀρχῆς ἄχρι τέλους βίου μετὰ πλείονος ὑφηγήμενος τῆς ἀκριβείας, καὶ πᾶσαν τὴν περὶ αὐτὸν ἀλήθειαν ἐκ τῶν ἐγγράφως τε καὶ ἀγράφως πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων ἀπροσπαθῶς καὶ ἀνυποστόλως διηγήμενος, πέποιθα πρῶτον μὲν ἐνώπιον τῆς ἐνυποστάτου καὶ ζώσης δίκαια γράψειν ἀληθείας· δεύτερον δέ, τὸ χρόνοις ἱκανοῖς ἤδη καταπυκνωθὲν τῆς ἀγνωσίας νέφος, καὶ τὰς τῶν πολλῶν ἀμαυρῶσαν διανοίας, λεπτῦναί τε καὶ σκεδάσαι· ὥστε τοὺς ἐθέλοντας πρὸς τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν εἰλικρινῶς ὁρᾶν, τὸν ἐργάτην μὲν ἀληθῶς τῆς δικαιοσύνης καὶ τῆς ἀρετῆς εἰδέναι, καὶ ὑμνεῖν, καὶ ζηλοῦν· τὸν αὐτουργὸν δὲ τῆς κακίας καὶ τῆς ἀδικίας ἐνδίκως ἀπωθεῖσθαι. B ἀρκτέον δὲ ἐντεῦθεν.

Ἰγνάτιος οὗτος ὁ μακαριώτατος καὶ θεῖος ἱεράρχης πατρίδα μὲν ἔσχεν ἐπὶ τῆς γῆς Κωνσταντινούπολιν, ταύτην δὴ λέγω τὴν πάσης χώρας καὶ πόλεων περιφανεστάτην βασιλίδα· πατέρας δὲ Μιχαὴλ καὶ Προκοπίαν, τοὺς εὐγενεστάτους καὶ πιστοτάτους βασιλεῖς. ὧν ὁ Μιχαὴλ μὲν Θεοφυλάκτου πατρικίου μεγαλοπρεπεστάτου υἱὸς ἦν, Προκοπία δὲ Νικηφόρου θυγάτηρ τοῦ εὐσεβοῦς ὑπῆρχε βασιλέως. τούτου δὲ πρὸς τὴν ἄνωθεν χωρήσαντος βασιλείαν, καὶ τοῦ υἱοῦ δὲ Σταυρακίου ὀλίγιστον χρόνον ἐπιβιώσαντος τῇ βασιλείᾳ, καὶ αὐτοῦ μεταστάντος, Μιχαὴλ ὁ προρρηθεὶς οὗτος, ἅτε C γαμβρὸς ὢν ἐπὶ θυγατρὶ τοῦ τετελευτηκότος Νικηφόρου, καὶ τὰ πρῶτα τῶν ἐν τῷ παλατίῳ τιμωμένων ἀποφερόμενος· κουροπαλάτης γὰρ ἦν. ψήφῳ μὲν θεοῦ, ψήφῳ δὲ τῆς συγκλήτου πάσης, τὰ σκῆπτρα τῆς βασιλείας ἐγχειρίζεται. τούτου τὴν περὶ τὸ θεῖον εὐσεβῆ γνώμην, καὶ τὴν ἄλλην πᾶσαν ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην, τοῖς ἱστορεῖν κατὰ μέρος ἐθέλουσι παρήσομεν· ἡμῖν δὲ ἀρκέσει πρὸς ἔπαινον ἡ τοῦ ἤθους πραότης τε καὶ ἐπιείκεια, ἣν ἔργοις ἐκεῖνος, καὶ οὐ πλάσματι μόνον ἐπεδείξατο· διετῆ γὰρ ὀλίγου δεῖν χρόνον εὐσεβέστατα τὴν βασιλείαν διιθύνας, ἑκουσίως αὐτῆς ἐξέστη, καὶ τῷ τυραννικῶς ἐπιθεμένῳ, Λέοντι δὴ τῷ Ἀρμενίῳ φημί, στρατηγῷ μὲν πρῶτον ὑπ' αὐτοῦ τῶν ἀνατολικῶν προχειρισθέντι, D κατὰ Βουλγάρων δὲ στρατευσαμένῳ, κἀκεῖθεν τὴν ἐπανάστασιν βουλευσαμένῳ, ὑποχωρεῖ τῆς ἀρχῆς ὁ μακάριος ἑκών, καὶ τῆς κοσμικῆς ἀλαζονείας, καὶ τῶν ἐμφυλίων πολέμων καὶ φθόνων· πολλῷ κρείττω καὶ λυσιτελεστέραν ἑαυτῷ τε καὶ τῷ κοινῷ τὴν ἑκούσιον ὑποχώρησιν καὶ τὴν εἰρήνην, ὡς υἱὸς τῆς ἀληθοῦς εἰρήνης, ἡγησάμενος. ἀπαίρει μὲν τῆς πόλεως πανοικί· πρὸς τὰς Πριγκιπίους δὲ νήσους μετακεχωρηκώς· καὶ τὸν μονήρη βίον ἅμα γυναικὶ καὶ τέκνοις, οὐ τῷ σχήματι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ πράγματι καταδεξάμενος, τῷ παμβασιλεῖ θεῷ τὴν αὐτοῦ κρίσιν καὶ δίκην ἀνέθετο.

Τούτῳ δὴ τῷ μακαρίῳ Μιχαήλ, τῷ θαυμαστῶς τὴν ἐπίγειον τῆς οὐρανίας ἀντικαταλλαξαμένῳ E βασιλείας, παῖδες οἱ πάντες, πέντε λέγονται γενέσθαι· ὧν θήλειαι δύο, πρώτη μὲν ἡ καλουμένη Γεωργώ, πάντων δὲ ὑστάτη Θεοφανώ· αἳ καὶ παρθενικῶς τὸν ὅλον βίον καὶ μοναχικῶς διαβιώσασαι, μακαρίως ἐκοιμήθησαν. ἄρρενες δὲ τρεῖς, Θεοφύλακτος, Σταυράκιος, Νικήτας. τούτων Θεοφύλακτος μὲν ὁ πάντων πρωτότοκος, καὶ ὁ Σταυράκιος, ἀμφότεροι τῷ διαδήματι πρῶτον τῆς βασιλείας ἐστεφάνωνται· εἶτα ὁ μὲν κομιδῇ νέος ὢν ἔτι ὁ Σταυράκιος πρὸ τῆς καταβάσεως τελευτᾷ· Θεοφύλακτος δὲ ἅμα τοῖς πατράσιν αὐτοῦ καὶ βασιλεῦσι τότε κειράμενος, εἰς Εὐστρά-

τιον



ANNO CHRISTI 869.

τιον μετωνομάσθη. Νικήταν δὲ πρῶτον μὲν δεκαέτη τυγχάνοντα, τῶν λεγομένων ἱκανάτων παρὰ Νικηφόρου φασὶ τοῦ πάππου προβεβλῆσθαι, δι' ὃν ἐκεῖνο τὸ πρᾶγμα πρῶτον κατεστῆσαι· τεσσαρεσκαιδεκαέτης δὲ γεγονώς, καὶ τὰ ἐπὶ γῆς ἅμα τοῖς ἀγαθοῖς τοκεῦσι βασίλεια καταλιμπάνων, ἀποκείρεται μὲν καὶ αὐτός, Ἰγνάτιος δὲ μετονομάζεται.

Ὁ τοίνυν Λέων ἐκεῖνος, ὁ δυσώνυμος θήρ, ἣν ὠδίνησεν ἀδικίαν ἐκτετοκώς, καὶ τῆς βασιλείας τυραννικῇ περιδεδραγμένος χειρί, οὐ πρὸς τὸν παντέφορον ἀπέβλεπεν ὀφθαλμόν, οὐ τὴν ἐπιείκειαν τῶν μακαρίων ηὐλαβήθη φυγάδων, οὐδὲ τὸ μέγεθος τῆς εὐεργεσίας, ἧς αὐτὸν οἱ μακάριοι παρ' ἀξίαν κατηξίωσαν, ἐπὶ τοσοῦτον τῷ δολερῷ τῆς κακοτρόπου δελεασθέντες γνώμης, ὥστε B καὶ ἀνάδοχον αὐτὸν ἀπὸ τῆς πνευματικῆς κολυμβήθρας τῶν τῆς βασιλείας ἀναδεῖξαι τέκνων. οὐδὲν τούτων τὴν ἀπηνῆ καὶ θηριώδη κατεδυσώπησε ψυχήν. ἀποστείλας δέ, διείργει μὲν αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ἰδίᾳ κατὰ τὰς νήσους ἕκαστον περιορίζων, καὶ ὑπὸ ἀσφαλεῖ κατασφίγγων φρουρᾷ· ἀφαιρεῖται δὲ τοὺς παῖδας καὶ τῶν γεννητικῶν, καταδικάσας ὁ ἀμείλικτος μελῶν εὐνουχίᾳ· ἐντεῦθεν αὐτὸς μὲν πονηρὰν τῇ αὐτοῦ βασιλείᾳ καταβαλόμενος ἀρχήν, καὶ τέλος ἄξιον ἀπηνέγκατο τῆς ἀρχῆς. τὴν γὰρ πάλαι κακῶς μὲν καὶ θεοστυγῶς μελετηθεῖσαν τῶν Εἰκονομάχων αἵρεσιν ὑπὸ Λέοντος ἐκείνου τοῦ δυσσεβοῦς, καὶ Κωνσταντίνου τοῦ δυσσεβεστέρου κραταιωθεῖσαν C υἱοῦ, καλῶς δὲ καὶ εὐσεβῶς διὰ προνοίας θεοῦ καὶ τῆς ἁγίας ἑβδόμης συνόδου καθαιρεθεῖσαν καὶ κατασπασθεῖσαν, ὁ μιαρὸς οὗτος ὄφις καὶ τῆς ἀληθείας παραλογιστὴς ἀνανεοῦν αὖθις ἐπιχειρεῖ· καὶ τῷ πύργῳ τῆς ὀρθοδοξίας εὐθὺς ἐκραγείς· Νικηφόρος δὲ οὗτος ἦν, ὁ τῆς εὐσεβείας προστάτης, καὶ τῆς βασιλίδος ἱεράρχης· τούτῳ προσβαλὼν θωπείαις καὶ ἀπειλαῖς, ἐπειδὴ στερροτέρῳ μᾶλλον ἢ κατὰ τὴν αὐτοῦ περιέπιπτε βουλήν, ἐξελαύνει μὲν τυραννικῇ τοῦ θρόνου χειρὶ ἐννέα ἔτεσιν ἤδη ἀποστολικῶς ἰθύναντα τὴν ἐκκλησίαν, πρὸς δὲ τοῖς δεξιοῖς τοῦ στενοῦ μέρεσι κατά τι σεμνεῖον αὐτὸν ὁ ἀπηνὴς ὑπερορίζει· ὅπου δὴ χρόνον ἑπτακαιδέ- D κατον ὁ μακάριος ἐκεῖνος ἐν τῇ καλῇ διαβεβιωκὼς ὁμολογίᾳ, πρὸς τὸν θεὸν μετέστη. Θεόδοτον δέ τινα τῶν ἐν πολιτικοῖς φενακιζομένων ἀξιώμασιν, ἄνδρα κοσμικοῖς ἤθεσί τε καὶ πράγμασιν ἐντεθραμμένον, οὐδεμιᾶς δὲ παιδείας, οὐ γνώσεως ἀγαθῆς μετεσχηκότα, μόνον δὲ τῆς χριστιανοκατηγορικῆς τῶν εἰκονομαχούντων αἱρέσεως ζηλωτὴν νομιζόμενον, κληρικὸν ἀποκείρας ὁ παμβέβηλος, τῷ τῆς βασιλίδος ἐνιδρύει θρόνῳ. ἐντεῦθεν διωγμὸν πικρὸν καὶ ἀπάνθρωπον κατὰ τῶν εὐσεβεῖν βουλομένων ἐπανῃρημένος, ὥστε δὴ κατὰ πόδας καὶ τὰ τῆς ἁμαρτίας ὀψώνια τὸν θάνατον, ἐν ἑπτὰ μὲν ἔτεσι καὶ μικρόν τι πρὸς τῆς ἀρχικῆς ἐξουσίας συντετμημένης αὐτῷ, ἐν μέσοις δὲ τοῖς ἀδύτοις τοῦ E ναοῦ τῆς θεομήτορος, ὃν δὴ Φάρον ἐν τῷ παλατίῳ φασί, κυνὸς τρόπον τοῖς ξίφεσιν ὁ δυστυχὴς κατακοπεὶς καὶ καταθανών. ὁ μὲν οὖν οὕτω φιλοτίμως τὰ τῆς ἀσεβείας σπέρματα καταβαλόμενος, ἀναλόγως τῶν αὐτοῦ πόνων ἐτρύγησε καὶ τὰς ἐπικαρπίας. Μιχαὴλ γάρ, ὃν καὶ Ψελλόν φασι, δομέστικος τῶν ἐξκουβίτων ὢν τότε, καὶ ὡς τυραννίδα μελετῶν διαβληθείς, καὶ κατακλεισθείς, διὰ τῶν αὐτοῦ δὲ συνωμοτῶν καὶ συνασπιστῶν λεληθότως τοῖς βασιλείοις ἐν σχήματι κληρικῶν ἐπεισελθόντων ὄρθρου, καὶ τὸν τύραννον ἀνῃρηκότων, αὐτὸς εὐθὺς ἀναγορευθείς, τὸν μὲν ἐν σάκκῳ συγκε-

VITA IGNATII PATRIAR.

A tius eſt appellatus. Nicetam primum decennem ab avo Nicephoro hicanatorum domeſticum ajunt creatum, cujus gratia munus illud primo inſtitutum: quartum vero decimum ætatis annum agens, terreſtri ſimul cum bonis parentibus regia relicta, & ipſe monachum induit, & Ignatius eſt cognominatus.

Leo igitur, illa infauſti nominis fera, cum, quam conceperat, peperiſſet iniquitatem, occupato per vim ac tyrannidem imperio, nullam omnia ſpectantis oculi rationem habuit, neque beatorum exulum reveritus eſt modeſtiam & æquitatem; immemorque erat omnium beneficiorum, qui- B bus beati illi indignum exornarant: a quo improbæ mentis artibus illecti erant adeo, ut imperator regiorum illum liberorum in ſacra baptiſmatis tinctione ſponſorem & patrinum deſignaret. Sed nihil horum immitem illius ferocemque animum potuit flectere. Etenim in exilium amandatos, alterum ab altero ſeparavit, ſinguliſque ſuam inſulam aſſignavit, firmaque cuſtodia circumſepſit. Filiis porro virilitatem ademit, membrorum caſtratione plectens, pluſquam inhumanus & crudelis. Hinc ſane, cum tam impia imperii jeciſſet fundamenta, vitam, exitu principiis reſpondente, finiit. Impiam enim inviſamque Deo Iconomacho- C rum ſectam, ab impio illo Leone quondam meditatam, & a Conſtantino Leonis filio, patre etiam deteriore, corroboratam, ſed divina providentia per ſanctam ſeptimam ſynodum pie recteque ſopitam ac ſublatam, inviſus draco, diſtortuſque veritatis interpres conatus revocare, contra orthodoxæ pietatis propugnaculum, Nicephorum, inquam, religionis tunc antiſtitem, ac urbis imperantis patriarcham; erectus, illum minis juxta ac blanditiis oppugnat. Sed cum multo firmiorem quam ſperarat, experiretur, vi tyrannica de throno deturbatum, ad dexteriorem Steni, id eſt anguſti freti regionem, in monaſterium quod- D dam importunus ejecit (cum eccleſiam apoſtolice per novennium curaſſet) ubi beatus ille ſeptenis denis annis in præclara confeſſione exactis, ad Deum emigravit. In throno vero Conſtantinopolitano Theodotum quemdam profanis moribus ac negotiis innutritum, atque omnis doctrinæ & liberalis diſciplinæ prorſus expertem (hoc tamen uno, quod Chriſtianos calumniantis Iconomachorum hæreſeos æmulator habetur) attonſum profaniſſimus collocavit. Hinc ſæva crudelique piorum vexatione inſtituta, juxta vias ſuas, ſtipendia peccati mortem accepit. Nam intra & paulo plus E ſeptennium regia poteſtate illi præciſa, in mediis Dei matris templi (quod in palatio Pharum nuncupant) adytis, infelix, ritu canis, gladiis confectus eſt. Ita, quam tanta contentione impietatis ſementem fecit, hanc quoque laborum ſuorum meſſem collegit. Etenim Michael Balbus, excubitorum tum præfectus, ſeu domeſticus, de affectato regno delatus, & in cuſtodiam datus, a commilitonibus ſuis & ſociis conjurationis, qui clericorum habitum ementiti, clam ſummo mane palatium ingreſſi tyrannum occiderunt, extemplo imperator eſt conſalutatus: qui tyran-

tyran-

VITA IGNATII PATRIAR.

A tyrannum conciſum, atque in ſaccum conjectum, in inſula Prota, ſine ullo apparatu, contemptim ſepeliri præcepit, liberoſque caſtrari & tonderi: uti ſcriptura teſte, *Pſal. 7. 17.* *converſus ſit labor ejus in caput ejus, ac in ejus verticem iniquitas ejus deſcenderit.*

Michael porro Amorianus patria, ſectaque Sabbatianus, ſceptris imperii per novennium & ſemeſtre tractatis, rectæ religionis curam geſſit nullam: ſubinde tamen veræ pietatis ſtudioſis vim attulit. Theodoto, quem Caſſiteram appellitabant, extincto, Michael Antonium, cognomento ᵃ Byrſodepſam, jam Pergæ metropolitam, & hæreſeos participem, tunc ceſſantem B accerſit, urbiſque regiæ patriarcham pronuntiat.

*a) Hic est, [illegible], H.*

Secundum Michaelem Theophilus, Michaelis filius, ſceptris potitus annos tredecim imperavit; cetera non malus, æquitatis quoque propugnator. Sed in ſacratum imaginum inſectatione nullo retro Iconomachorum inferior habebatur, credebaturque: id vero maxime Joannis, quem Antonio patriarcham ſuffecerat, impulſu feciſſe.

In hoc rerum ſtatu cum res & civiles & eccleſiaſticæ verſarentur, eccleſia catholica totos triginta annos periculis innumerabilibus, & ærumnis, cædibuſque conflictata, C cum impii ſancta profanis pedibus conculcarent, & ſacra pollutis manibus contrectarent, Nicetas ſive Ignatius, velut generoſiſſimus in domo domini ſurculus plantatus, & in atriis monaſticæ vitæ educatus, nec ei qui ipſum plantaverat infructuoſus, nec ad ſpeciem foliis tantum copioſis, ut maledicta illa ficulnea, hoc eſt, indumentis nihil boni continentibus viſendus: ſed qui ſecus cæleſtium aquarum decurſus, & uberrimos Spiritus ſancti fontes ſitus, & vetus omne teſtamentum, novumque totum meditatus, ſanctorum patrum monumentis ſtudioſe addictus, illorum & facta imitando, & contemplationes mente D revolvendo, totumque interiorem hominem saginando confirmatus, dulciſſimos virtutis fructus Deo progignebat. Primum itaque temperantiam in abſtinendo, ſtudium in vigilando, pſalmis canendis, quando id jubebatur, precandoque proferebat: adde callos in genibus, lacrymas, pectoris planctus, linguæ continentiam, verberumque tolerantiam a pædagogo tetrico pravique judicii homine inflictorum, qui illum, ut Iconomachis gratificaretur, dure admodum educavit. Ad hæc lenitatem, animique demiſſionem, ergaque omnem fraternitatem quæ ſecundum Deum eſt, obſequium. Hiſce primum rebus factiſque dum beatus e- E xercetur, hiſce in ſtudiis verſatur, & præclare ſe componit, ordine cum ipſis annis & corpore ſuccreſcente, puerilem ætatem ducens ad perfectiora confirmabatur. Deinceps vero perfectiores Deo procreat fructus, fidem inquam, ſpem, & caritatem: fidem perfectam ex perfecta ac tota mente Deo perfecte adhærens: fidem ſinceram, ſpem quæ non confunditur, caritatem non fictam ex puro corde erga Deum & proximum, ex præcepto recte inſtitutam. Hos virtutis fructus dum ſacer hic Ignatius producit, atque in his recte factorum ſtudiis

A κοιμένον βαλών, εἰς τὴν Πρώτην καλουμένην νῆσον ἀτίμως προσέταξε ταφῆναι, τούς τε αὐτοῦ υἱοὺς ἐξορχιωθῆναι καὶ καρῆναι· ὡς ἐπιστρέψαι τὸν πόνον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, κατὰ τὴν γραφήν, καὶ ἐπὶ κορυφὴν αὐτοῦ τὴν αὐτοῦ ἀδικίαν καταβῆναι.

ANNO CHRISTI 869.

Αὐτὸς δὲ Μιχαὴλ Ἀμοριανός, καὶ τὴν αἵρεσιν Σαββατιανὸς ὤν, ἐπὶ ἐννέα μὲν χρόνους καὶ ἥμισυ τὰ σκῆπτρα διεῖπε τῆς ἀρχῆς, οὐδεμίαν δὲ τῆς ὀρθοδοξίας φροντίδα ἐποιεῖτο, ἀλλὰ καὶ βίαν τοῖς εὐσεβεῖν ἐθέλουσιν ἐπῆγεν. Θεοδότου δὲ τοῦ Κασσιτερᾶ λεγομένου τεθνηκότος, τὸν Βυρσοδέψην καλούμενον Ἀντώνιον, μητροπολίτην μὲν ἤδη Πέργης γενόμενον, καὶ τῆς αἱρέσεως B κοινωνόν, σχολάζοντα δέ, ὁ αὐτὸς Μιχαὴλ ἀναλαβών, Ἀρχιερέα Κωνσταντινουπόλεως ἀποδείκνυσι.

Μετὰ δὲ τὸν Μιχαὴλ Θεόφιλος ὁ υἱὸς ἐπὶ δέκα καὶ τρεῖς χρόνους ἐγκρατὴς γίνεται τῆς βασιλείας. καὶ ἦν τἄλλα μέν, ὡς φασίν, οὐ κακός, καὶ δικαιοκρισίας ἀντεχόμενος· τὴν ἀθέτησιν δὲ τῶν ἱερῶν εἰκόνων, καὶ τὸν τῶν ὀρθοδόξων διωγμὸν οὐδενός, ὡς εἰπεῖν, τῶν πρὸ αὐτοῦ διωκτῶν ἐνομίζετο κουφότερος. καὶ τοῦτο ἐπιστεύετο εἶναι καὶ γίνεσθαι ἐξ ὑποβολῆς μάλιστα τοῦ Ἰωάννου, ὃν μετὰ τὸν Ἀντώνιον ἐκεῖνος ἐπὶ τὸν πατριαρχικὸν ὕψωσε θρόνον.

Ἐν τούτοις τῶν τε πολιτικῶν καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁρωμένων, καὶ ἐπὶ τριακονταετῆ χρόνον τῆς ὀρθοτομούσης μὲν ἐκκλησίας μυρίοις ὅσοις κινδύνοις καὶ C θανάτοις καὶ θλίψεσι προσομιλούσης, τῶν ἀσεβῶν δὲ τὰ ἅγια καταπατούντων βεβήλοις ποσί, καὶ ἀκαθάρτοις τὰ θεῖα μεταχειριζομένων χερσί, Νικήτας ὁ καὶ Ἰγνάτιος, οἷά τις εὐγενέστατος ὄρπηξ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ φυτευθείς, καὶ ἐν ταῖς αὐλαῖς τῆς μοναδικῆς πολιτείας ἐξηλωθηκώς, οὐκ ἔμελλεν ἄκαρπος ἐνώπιον τοῦ φυτεύσαντος αὐτὸν ὀφθῆναι, οὐδὲ φύλλοις μόνον, εἴτουν ἀπειροκάλοις ἐνδύμασι κομᾶν καὶ στολαῖς, κατὰ τὴν κατηραμένην ἐκείνην συκῆν· παρ᾽ ὕδασι δὲ θείοις καὶ ἀφθονωτάτοις τοῦ πνεύματος μέσων ἐπιρροαῖς, καὶ πᾶσαν μὲν παλαιὰν διαθήκην, πᾶσαν δὲ νέαν ἐκμελετῶν, πᾶσι δὲ λόγοις τῶν ἱερῶν πατέρων φιλοπεί- D ρως ἐσχολακώς, καὶ τούτων τὴν τε πρᾶξιν μιμούμενος, καὶ τὴν θεωρίαν ἀναλεγόμενος, καὶ τὸν ἐντὸς ἄνθρωπον ὅλως πιαινόμενος ἐν τούτοις καὶ κραταιούμενος, καρποφορεῖ τὸν ἥδιστον τῆς ἀρετῆς καρπὸν τῷ θεῷ. καρποφορεῖ πρῶτον μὲν νηστείαν, ἀγρυπνίαν, ψαλμῳδίαν ἐπιτεταγμένην, καὶ προσευχάς, τύλους γονάτων, δάκρυα, στηθῶν ἐπιτίμησιν, γλώσσης ἐγκράτειαν, ὑπομονὴν πρὸς πάσας αἰκίας, τοῦ καθηγεμόνος σκληροῦ τε τὴν γνώμην ὄντος, καὶ τῷ τοῖς εἰκονομάχοις χαρίζεσθαι, σκληρῶς πάνυ παιδαγωγοῦντος αὐτόν· πρὸς τούτοις πραότητα, καὶ ταπείνωσιν, καὶ ὑπακοὴν πᾶσαν πρὸς πᾶσαν τὴν κατὰ κύριον ἀδελφότητα. πρῶτον μὲν ταῦτα διὰ πράξεως ὁ μακάριος μετιών, καὶ E τούτοις παιδοτριβούμενος, καὶ κάλλιστα προπλούμενος, ἀκολούθως τῇ αὐξήσει τοῦ σώματος, καὶ τὴν παιδικὴν ἡλικίαν προκόπτων κατωρθοῦτο. ἔπειτα καρποφορεῖ τῷ θεῷ τὰ τελειότερα, πίστιν δὴ λέγω, καὶ ἐλπίδα, καὶ ἀγάπην· πίστιν τελείαν ἐκ τελείας καὶ ὁλοκλήρου διανοίας τῷ τελείῳ προσαγομένην θεῷ· πίστιν ἀνυπόκριτον, ἐλπίδα ἀκαταίσχυντον, ἀγάπην εἰλικρινῆ ἐξ εἰλικρινοῦς καρδίας πρὸς τὸν θεόν, καὶ τὸν πλησίον κατὰ τὴν ἐντολὴν κατορθουμένην. ταῦτα καρποφορῶν ὁ θεῖος Ἰγνάτιος, κἀν τούτοις ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας τοῖς κατορθώμασι συζῶν πάντα τὸν χρόνον, ὧν τὸν θεὸν οἱ

ἀσε-



ANNO CHRISTI 869.

A ἀσεβοῦντες παρεπίκραινον, αὐτὸς πρὸς τὴν εὐσέβειαν κατωρθοῦτο πλειότατα. καὶ γὰρ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ καὶ τοῦ καθηγητοῦ τὸν ἀνθρώπινον μετηλλαχότων βίον, πάσης δὲ τῆς ἀδελφῶν ἐπιμελείας, καὶ τῆς ψυχῶν ἐπιστασίας ὡς ποιμένα καλὸν καὶ τῶν λογικῶν προβάτων καθηγητὴν περιϊσταμένης εἰς αὐτόν, ἔδειξεν ἐν πρώτοις εὐθὺς τὴν ἐσύστερον ἐν αὐτῷ τοῦ πνεύματος δύναμιν ἀναφαινησομένην. οὕτω γὰρ ταῖς συνεχέσι τῶν λόγων ὁμιλίαις, καὶ ταῖς σοφαῖς παραινέσεσι τὰς αὐτῶν ἐξέτρεφε ψυχάς, καὶ ἐπὶ τὰς εὐθαλεῖς ὡδήγει τοῦ θεοῦ νομάς, ὡς πολλαπλασιασθῆναι μὲν αὐτῷ τὸ τῆς χάριτος τάλαντον καὶ τῆς πνευματικῆς διδασκαλίας, πολλαπλασιασθῆναι δὲ καὶ τὸ ποίμνιον ἐπὶ τοσοῦτον, B ὡς μηκέτι τούτους ἑνὶ τόπῳ μηδὲ μιᾷ μονῇ δύνασθαι χωρεῖσθαι, τέσσαρα δὲ τὰ πάντα διὰ τῆς αὐτοῦ σπουδῆς ἀναστῆναι καὶ κατασταθῆναι μοναστήρια· ἑκάστου τὰς ἁρμοζούσας οἰκοδομάς, καὶ τῶν ἱερῶν σκευῶν, καὶ τῶν ἀναγκαίων χρειῶν τὴν περιποίησιν, καὶ πᾶσαν τὴν αὐτοῖς πρέπουσαν κατασκευήν τε καὶ διάταξιν διὰ τῆς τοῦ μεγάλου λαμβανόντος ἐπιμελείας. καὶ πάντων ἐπ᾽ ἐκείνῳ καθηγεμόνι καὶ πατρὶ διδασκομένων, ἔργον μὲν ποιεῖσθαι τὴν τοῦ θεοῦ δοξολογίαν καὶ προσευχήν, ἐν παρέργῳ δὲ καὶ τὴν καθ᾽ αὐτοὺς ἕκαστον ἀντιλαμβάνεσθαι διακονίας, καὶ πάντα ποιεῖν εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον θεοῦ.

Πλάτη μὲν οὖν καὶ Ὑατρὸς τότε καὶ Τερέβινθος, αἱ C πριγκίπειοι νῆσοι προσαγορευόμεναι, ταῖς ἐκείνου προνοίαις οἰκιζόμεναι, εἰς ἐκκλησίας Κυρίου καὶ εὐαγεῖς μοναχῶν καθίσταντο μονάς. καὶ γὰρ τὴν ἀντικρὺ τούτων κατὰ τὴν ἤπειρον πρὸς τῇ ἀκτῇ κειμένην, ταύτην δὴ λέγω τὴν προκαθημένην τοῦ μεγάλου ταξιάρχου μονήν, ἐπὶ τῷ τέλει τῆς αὐτοῦ ζωῆς ὁ μακάριος τελευταίαν ἀνεστήσατο, καὶ καθηγίασε τῷ θεῷ· ἧς τὴν ἐπισημότητα καὶ περιφάνειαν, τοῦ τε ναοῦ ὑπέρκαλον ἀγλαΐαν καὶ μεγαλοπρέπειαν, καὶ τὴν ὅλην ἁγιοπρέπειαν καὶ δόξαν, ὡς λόγου κρείττω, ταῖς ὄψεσι παραχωροῦντες, ἐπὶ τὰ ἑξῆς τοῦ βίου προΐωμεν. ἐν τούτοις τοίνυν ὁ ὅσιος ἐνώπιον εὐαρεστῶν Κυρίου, ψήφῳ μὲν θείου πνεύματος, ψήφῳ δὲ τῶν ὑπὲρ εὐσε- D βείας ἀγωνιζομένων καὶ δεδιωγμένων θεοφόρων ἱεραρχῶν, τῆς ἁγίας ἱερωσύνης ἀξιοῦται· καὶ χειρὶ μὲν Βασιλείου· τῆς κατὰ τὸ Πάρεον δὲ οὗτος ἱερᾶς ἐκκλησίας Ἀρχιερεὺς ὤν, πλείσταις ὅσαις ὑπὲρ τῶν ἱερῶν εἰκόνων θλίψεσι τότε προσωμίλει καὶ διωγμοῖς· τούτου χειρὶ τὸ φαινόμενον, αὐτουργίᾳ δὲ τοῦ παναγίου πνεύματος τὸ νοούμενον, πρῶτον μὲν ἀναγνώστης, ἤτοι τῶν θείων ἱεροκῆρυξ γραφῶν, εἶτα ὑποδιάκονος, εἶτα διάκονος, καὶ ἱερεὺς μετὰ ταῦτα, τάξει καὶ νόμῳ πνευματικῆς καθίσταται ἀκολουθίας. ἠγωνίζετο δὲ ἀεὶ πολλαπλάσιον τῷ εὐεργέτῃ τὸ τῆς χάριτος τάλαντον ἀποδιδόναι, καὶ μὴ τῇ ὀκνηρίᾳ καταχῶσαι, ἀλλὰ τῇ προθυμίᾳ περιουσιάσαι. ὥσπερ δὲ τῷ μοναδικῷ βίῳ πολλοὺς διὰ E τῆς οἰκείας ἀσκήσεως προσηγάγετο καὶ σπουδῆς, οὕτω διὰ τῆς ἱερατικῆς πάλιν ἀναρίθμητα πλήθη παίδων βαπτίζων ἐσφράγιζε θεῷ. ἐπὶ πολὺ γὰρ τῆς αἱρετικῆς ἀχλύος, οἷα νυκτὸς χαλεπῆς ἐπικρατούσης, καὶ τῆς τυραννίδος δὲ τῶν ἀνιέρων ἐπικειμένης μισθωτῶν, πάντες ὀλίγου δεῖν ἄνθρωποι, ὅσοι κατὰ τὸ Βυζάντιον τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ἀντείχοντο, καὶ ὅσοι δὲ Βιθυνίου, καὶ τὰς ἐχομένας κατῴκουν κωμοπόλεις, ἄλλος ἄλλον ταῖς ὑπὲρ τοῦ Ἰγνατίου διανιστῶντες εὐφημίαις, τὰ οἰκεῖα τέκνα προσῆγον, καὶ δι᾽ αὐτοῦ βαπτίζεσθαι ταῦτα καὶ ἁγιάζεσθαι κατελιπάρουν. καὶ ἦν ὁρᾶν τοῦτον,

VITA IGNATII PATRIAR.

A a teneris uſque annis tempus omne collocat, quo Deum impii ad iracundiam provocabant, ipſe ad omnem religionis laudem conſcendebat. Patre enim & pædagogo e vita ſublatis, ſtatim fratrum ſibi animarumque cura & præfectura commiſſa, in ipſo muneris exordio oſtendit, quæ ſancti Spiritus vis deinceps ex ſe eſſet effulſura. Adeo quippe frequentibus concionibus ſapientibuſque cohortationibus ſuorum mentes paſcebat, ſemperque ad virentia Dei paſcua deducebat, uti mirifice creſceret in illo gratiæ & ſpiritalis magiſterii donum, adeoque augeret ſuis inſtitutionibus ovile Chriſti, ut illud nec unus jam B locus, nec una domus amplius caperet, ſed quaterna illius ſtudio cœnobia excitarentur, conſtituerenturque; ita ut ſingulis ſua commoda eſſent domicilia, ſacrumque inſtrumentum, ceteraque ad uſum monaſterii neceſſaria. Omnia denique decenti, ipſiſque convenienti apparatu ſuſcepta cura, magnus ille inſtruebat componebatque. Docebantur omnes ab illo magiſtro & parente, in primis ipſorum eſſe Deum laudibus celebrare, & orationi vacate: deinde uti ſinguli ſua miniſteria obirent, omniaque ad Dei laudem & gloriam referrent.

Itaque Plate, & Hyatros, ac Terebin- C thus, quas Principes appellant inſulas, illius cura & ſtudio inhabitatæ, in ædes ſacras & monachorum domicilia ſunt converſæ. Nam e regione harum in continente ad mare ſitum, hoc, inquam, eximium magni cælitum principis Michaelis cœnobium in fine vitæ poſtremum condidit, Deoque initiavit: cujus nobilitatem templi, magnificentiam, & claritatem, eximiumque ſplendorem, & ornatum omnem ac majeſtatem, (quando pro dignitate a me exprimi nullo modo poteſt) ego ſpectantium oculis permitto, ſimulque ad reliqua illius vitæ acta exponenda progredior. His ergo ſanctus Deo probatus, Spiritus ſancti decreto, D ſanctorumque pontificum, eorum inquam, qui pro vera pietate pugnabant, extremaque omnia patiebantur, ſententia, ſacro presbyterii honore inſignitur manu Baſilii, qui ſacræ Pareorum eccleſiæ epiſcopus, pro ſacrarum imaginum cultu caſibus innumeris graviſſimiſque ærumnis conflictabatur. Hujus, inquam, Baſilii manu ſpectabili, vi autem ac virtute ſanctiſſimi Spiritus, primum quidem lector, ſive ſacratum litterarum præco ſanctus, deinde hypodiaconus, tum diaconus ac ſacerdos lege & ordine eccleſiaſticorum graduum conſecratur. Studebat vero hoc perpetuo, uti largitori gratiæ talentum multiplici fenore auctum redderet, ne- E que per ſocordiam defoderet. Ut autem, cum in cœnobio viveret, ſua pietate ſtudioque multos traxit; ita per ſacerdotium iterum innumerum numerum infantium baptiſmate abluens, Deo conſignavit. Perdiu enim hæretica caligine, velut denſa nocte, & tyrannide ſacrilegorum mercenariorum incumbente, omnes prope mortales, qui Conſtantinopoli rectam fidem defendebant, quique Bithyniæ oppida colebant, alii alios Ignatium laudibus prædicando excitabant, ſuoſque liberos ad illum deducebant, precabanturque, ut ab illo baptizarentur, Deoque initiarentur.

Et

VITA IGNATII PATRIAR.

A Et erat hunc videre, tamquam aliquem è primis Chriſti diſcipulis, cum ad ſe ventitantes alacriter, ut a Chriſto miſſos exciperet, atque inſtitueret: qui quidem documenta illius ita arripiebant, dum doceret ſingulos & hortaretur, ut ſinceram & catholicam religionem propugnarent, atque hæreticorum perverſitatem & inſaniam averſarentur, omneſque ſe ab omni mentis & corporis labe repurgarent, ac virtutis omnis & temperantiæ honeſtatiſque laudem procurarent. Hæc & his ſimilia parentes edocebat, horumque liberos prius rite inſtitutos, Deo per aquam & Spiritum ſanctum conſecrabat.

B Et gravis quidem tum & vehemens eccleſiam tempeſtas, ſacroſque acerba divexatio premebat, quicumque pro Chriſti imagine ob prototypum ſibi periclitandum putaverunt: tranquillus vero & ſerenus omnibus tempeſtate jactatis portus a ſuprema numinis dextera ſacer hic Ignatius deſtinatus erat, & domus ejus tota. Ecquis enim pro pietate decertantium, malorum ærumnarumque ſuarum refrigerium ab eo non percepit? Quis in cuſtodiam datus, quis in exilium ejectus, quis vinculis & fame cruciatus, ab eo non eſt relevatus, neceſſariiſque auxiliis liberaliter inſtructus? Nam quicumque tyrannorum vim & rapinas patiebantur, ſuiſque bonis ac fortunis exuebantur, omniumque rerum inopia conflictabantur, C præſertim ſacri religioſique viri, nullum aliud vitæ & ærumnarum perfugium habebant, quam eximium hunc Ignatium, parentemque Ignatii Procopiam, ac ſororem, quæ ævum in multos annos propagabant, adeoque benigne hilariterque opes effundebant, Deique miſericordiam æmulabantur, ut veriſſime de illis ſacrum illud oraculum proditum expletumque videretur, Tota enim quodammodo die miſerabantur & commodabant, & ſemen eorum in benedictione erat. (Pſal. 36.) Atqui is quidem hunc in modum una cum athletis Chriſti propugnabat, cum dolentibus dolebat, cum afflictis afflictus ſuſtinebat, D egentibus opem ſuggerebat: in precandi ſtudio aſſiduus, & in euchariſtia & communione panis, & ſanctorum neceſſitatibus ſecundum apoſtolum communicans, (Rom. 12, 13.) ſic ad majora pro virtute certamina ſeſe comparabat; hæc ſigna gratiæ in futuro patriarchatu exerendæ ſpectantibus prodebat, ut ingens ille in virtutis palæſtra Theophanes, prodigiis & miraculis illuſtris; ille, inquam, Sigriani ſeu Agriani cœnobii conditor, olim peregre ad ſe advenienti beato illi tum adoleſcenti, tamquam patriarchæ, manu dextra porrecta jam tum bene ſit precatus.

E Optimis igitur hiſce ſtudiis præclare occupato Igatio, Theophilus decedit, totumque imperium in Theodoram matronarum religioſiſſimam, præſtantiſſimamque & Chriſtianiſſimam imperatricem, Michaele filio admodum adhuc tenero, devolvitur. Hinc inimica ſacratum imaginum ſecta conquieſcit; ſanctificatio autem eccleſiæ ſanctæ efflorecit. Hinc Joannes, immo infauſti nominis Jannes (quem lecanomantin, ſeu magum dictitabant, a quo Theophilus in errorem actus creditur) ſede Conſtantinopolitana, ipſoque ſacerdotio merito ſpoliatur: erigitur autem cornu ſalutis populo

A ὥσπερ ἕνα τῶν προτέρων Χριστοῦ μαθητῶν, ἔργον τοῦτο ποιούμενον, τοὺς πρὸς αὐτὸν ἰόντας, ὡς ὑπὸ Χριστοῦ πεμπομένους προθύμως καταδέχεσθαι, διδάσκειν τε καὶ νουθετεῖν πάντα ἄνθρωπον, ἀντέχεσθαι μὲν τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, ἀπέχεσθαι δὲ τῆς τῶν αἱρετικῶν δυστροπίας καὶ φρενοβλαβείας, καὶ πάσης μὲν ἑαυτοὺς ῥυπαρίας, καὶ παντὸς ἀνακαθαίρειν πνεύματος μολυσμοῦ καὶ σαρκός, πάσης δὲ ἀρετῆς ἐπιμελεῖσθαι καὶ κοσμιότητος καὶ σωφροσύνης· ταῦτα καὶ τὰ τούτοις ὅμοια τοὺς πατέρας παιδεύων καὶ νουθετῶν, τὰ τούτων βρέφη προκατηχῶν ὁ μακάριος, δι᾽ ὕδατος καὶ πνεύματος ἡγίαζε τῷ Θεῷ.

ANNO CHRISTI 869.

B Ὁ μὲν οὖν κατὰ τῆς ἐκκλησίας τότε χειμὼν βαρύς, καὶ ἡ κατὰ ἱερέων δίωξις χαλεπή, ὅσοι Χριστοῦ τῆς εἰκόνος διὰ τὸ πρωτότυπον προκινδυνεύειν εἵλοντο δεῖν· εὔδιος δὲ πᾶσι καὶ γαλήνιος ὅρμος τοῖς χειμαζομένοις, ὁ ἱερὸς Ἰγνάτιος καὶ ὅλος αὐτοῦ ὁ οἶκος παρὰ τῆς τοῦ ὑψίστου προητοίμαστο δεξιᾶς. τίς γὰρ τῶν ὑπὲρ εὐσεβείας θλιβομένων οὐχ εὕρισκεν ἐκεῖθεν αὐτάρκη τῶν θλίψεων ἀναψυχήν; τίς τῶν ἐν φυλακαῖς, τίς τῶν ἐν ὑπερορίαις καὶ δεσμοῖς κατεχομένων, καὶ λιμοῖς καταγχομένων, οὐ τῆς δεούσης ἐτύγχανε παρηγορίας, καὶ ἄφθονον εἶχε τῶν ἀναγκαίων τὴν ἐπιχορηγίαν παρ᾽ αὐτοῦ; οἱ δὲ τὰς τῶν τυράννων φέροντες χεῖρας, καὶ τῶν ἰδίων ὑπάρξεων στερούμενοι καὶ ἐκπίπτοντες, καὶ ἐσχάτῃ πενίᾳ περιπίπτοντες· C ὅσοι δὲ τῆς ἱερατικῆς μάλιστα, καὶ ὅσοι τῆς μοναδικῆς ἐτύγχανον ὄντες τάξεως, οὐδὲν ἄλλο τοῦ βίου παραμύθιον καὶ τῶν λυπηρῶν εἶχον ἀπαλλαγήν, ἢ τὸν μέγαν Ἰγνάτιον καὶ Προκοπίαν, τὴν αὐτοῦ λέγω μητέρα, καὶ τὴν ἀδελφήν, ἐπὶ πολὺ τῷ βίῳ παρατεταμένας, καὶ οὕτως ἀφειδῶς τε καὶ ἱλαρῶς τὸν πλοῦτον ἐκκενούσας, καὶ τὸν ἔλεον μιμουμένας τοῦ Θεοῦ, ὡς ἐπ᾽ αὐτοῖς ἀληθῶς τὸ ἱερὸν ἐκεῖνο πληροῦσθαι λόγιον. ὅλην γὰρ ὡς εἰπεῖν τὴν ἡμέραν ἠλέουν καὶ ἐδάνειζον, καὶ τὸ σπέρμα αὐτῶν εἰς εὐλογίαν ἦν. ὁ μὲν οὖν οὕτω τοῖς ἀγωνισταῖς συνηγωνίζετο, τοῖς κακοπαθοῦσι συνεπάθει, τοῖς δεομένοις ἐπήρκει, καὶ τῇ θλίψει μὲν τοῖς θλιβομένοις ὑπέμενε συλλυπούμενος· D τῇ προσευχῇ δὲ προσκαρτερῶν ἀδιαλείπτως, καὶ τῇ εὐχαριστίᾳ, καὶ τῇ κοινωνίᾳ τοῦ ἄρτου, καὶ ταῖς τῶν ἁγίων χρείαις κατὰ τὸν Ἀπόστολον κοινωνῶν, οὕτω πρὸς τοὺς μείζους ὑπὲρ τῆς ἀρετῆς ἀγῶνας ἡτοιμάζετο. οὕτω δὲ τὴν μέλλουσαν ἐπ᾽ αὐτὸν ἐμφανίσεσθαι χάριν τῆς ἱεραρχίας ὁ θαυμάσιος τοῖς ὁρῶσιν ἐπεδείκνυεν, ὥστε καὶ Θεοφάνην ἐκεῖνον τὸν μέγαν ἐν τοῖς ὑπὲρ εὐσεβείας ἄθλοις, καὶ πολὺν ἐν σημείοις καὶ θαύμασι, τὸν τῆς καλουμένης Σιγριανῆς λέγω μονῆς οἰκιστήν, ἐπιδεδημηκότι ποτὲ πρὸς αὐτὸν τῷ μακαρίῳ νέῳ ἔτι τυγχάνοντι, τὴν δεξιάν, ὡς λόγος, ἐπιβαλεῖν, καὶ ὡς πατριάρχην αὐτὸν εὐλογεῖν.

E Ἐν τούτοις τοίνυν αὐτοῦ διαπρέποντος τοῖς κατορθώμασι, τελευτᾷ μὲν ὁ Θεόφιλος, εἰς Θεοδώραν δὲ τὴν εὐσεβεστάτην βασιλίδα, τὴν τιμιωτάτην τῶν γυναικῶν καὶ πιστοτάτην, περιίσταται τὰ τῆς ἀρχῆς. ἔτι δὲ νήπιος κομιδῇ ποτε Μιχαὴλ ὁ υἱὸς ἦν. ἐντεῦθεν ἡ μὲν κατὰ τῶν ἁγίων εἰκόνων αἵρεσις ἐκλείπει· τὸ ἀγλάισμα δὲ τῆς ἱερᾶς ἐκκλησίας ἐξανθεῖ. ἐντεῦθεν καὶ Ἰωάννης οὗτος ὁ δυσώνυμος Ἰαννῆς, ὃν καὶ λεκανομάντιν ἔλεγον, καὶ τῆς Θεοφίλου πλάνης ὑπαίτιον, τοῦ πατριαρχικοῦ θρόνου καὶ τῆς ἱερωσύνης ἐνδίκως καθαιρεῖται, ἀνίσταται δὲ κέρας σωτηρίας τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ Μεθόδιος ὁ καλὸς ὄντως τοῦ Χριστοῦ προβάτων ποιμήν, καὶ τῶν ὀρθῶν τῆς ἐκκλησίας δογμάτων ὀρθοτόμος ὑ-

φηγη-



ANNO CHRISTI 869.

A φηγητής· ὃς πολλοὺς ὅτι μάλιστα πόνους καὶ κινδύνους ὑπὲρ τῶν ἁγίων πρότερον ὑπομεμενηκὼς εἰκόνων, ἀνίσταται μὲν Θεοῦ ψήφῳ καὶ τῆς βασιλίδος συνεργίᾳ πρόεδρος τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως. καθαιρεῖ δὲ πάντας καὶ κατασπᾷ τῶν ἐκκλησιῶν, ὅσοι τῷ μύσει τῆς αἱρέσεως ὑπήχθησαν· ἀνίστησι δὲ ἐκκλησίαν καινήν, ἱερεῖς τε καὶ ἀρχιερεῖς ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῆς κατ᾽ αὐτὸν ὀρθοδόξου πίστεως προεχειρίσατο. καὶ γὰρ τῶν αἱρεσιωτῶν, ὡς ἤδη καὶ πρότερον ἐπὶ Ταρασίου τοῦ θείου καὶ ἱεροῦ ποιμένος, καὶ τῆς εὐσεβοῦς Εἰρήνης, ἀναθεματικότων μὲν τὴν αἵρεσιν, καὶ οὕτω συγκεχωρημένων, παλινδρομησάντων δέ, καὶ πρὸς τὴν αὐτὴν αὖθις λύμην ὑπενηνεγμένων· τούτων μὲν οὖν τελείαν καθαίρεσιν B καὶ διηνεκῆ Νικηφόρος τε ἔτι τῷ βίῳ περιὼν ὁ μέγας, καὶ αὐτὸς οὗτος θεοβουλεύτως ὁ ἱερὸς καταψηφισάμενος Μεθόδιος, καὶ τοῦ θεοφόρου ταῖς ὑποθήκαις Ἰωαννικίου κατὰ πάντων τῶν αἱρεσιωτῶν ἀποφηνάμενος, εὐθεῖαν ἔτι τοῖς ὀρθοτομεῖν ἐθέλουσι τὴν τῆς ὀρθοδοξίας ὑπέδειξεν ὁδόν· ἐπὶ τέσσαρας δὲ χρόνους κάλλιστά τε καὶ ἀμέμπτως τὴν τοῦ Κυρίου ποιμάνας ἐκκλησίαν, ἐν εἰρήνῃ πρὸς αὐτὸν μετέστη. πολλῶν τοιγαροῦν εἰς προστασίαν τῆς ἐκκλησίας προχειριζομένων, καὶ ἄλλων δι᾽ ἄλλας αἰτίας διαμαρτανόντων τοῦ σκοποῦ, ἵνα ἡ προορισθεῖσα τοῦ Θεοῦ βουλὴ μείνῃ, Ἰγνάτιος ὁ ὁσιώτατος πρεσβύτερος, πλείστοις ἔτεσιν ἤδη τοῖς τῆς ἱερωσύνης χαρίσμασιν ἐνδοκιμηκώς, C καὶ βαθμὸν ἑαυτῷ καλὸν ἐν πολλῇ παρρησίᾳ καὶ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πίστει περιποιησάμενος, καὶ ἐν τοῖς ἁπάντων διὰ τοῦτο στόμασιν ᾀδόμενος, καίτοιγε πλεῖστα παραιτούμενος, καὶ τὸν ὄγκον τοῦ ἀξιώματος ἀποδιδράσκων πανευλαβῶς· ὅμως ἐνεργείᾳ μὲν θείου πνεύματος, συνεργίᾳ δὲ καὶ ψήφῳ Ἀρχιερέων Θεοῦ, τῆς θείας ἱεραρχίας ἀξιοῦται, καὶ τῷ θρόνῳ τῆς βασιλίδος ἐνιδρύεται, καὶ τῇ λυχνίᾳ ὁ λύχνος ἐπιτίθεται. πρὸ πάντων δὲ τῶν Ἀρχιερέων καὶ τῶν λαῶν, τῆς βασιλίδος ἀποστειλάσης, καὶ ἀξιωσάσης διὰ Κυρίου γνωρίσαι τὸν ἄξιον, προφητικῶς ὁ μέγας τοῦτον Ἰωαννίκιος ψηφίζεται. καὶ οὕτως διὰ τῆς θύρας ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς εἰς τὴν αὐλὴν D τῶν προβάτων εἰσελθών, τὰ ἴδια πρόβατα ἐκάλει κατ᾽ ὄνομα· καὶ πάσης μὲν νομῆς θανασίμου καὶ βλαβερᾶς, πάσης δὲ λύμης καὶ ἀπωλείας ἐξῆγεν αἱρετικῆς, πρὸς τὰς ἀειζώους δὲ καὶ ἀειθαλεῖς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως καὶ δικαιοσύνης ὡδήγει καὶ εἰσῆγε νομάς. καὶ αὐτὸς μὲν κακίας ἁπάσης τοσοῦτον ἀπείχετο, ὅσῳ πάσης ἀντείχετο δικαιοσύνης· ἐξαιρέτως δὲ πρὸς τὰς τῶν ἀρετῶν κατορθούμενος γενικάς, τῆς κατ᾽ εὐσέβειαν πλειότητος ἐπεμελεῖτο. φρόνησις μὲν γὰρ αὐτῷ διεσπούδαστο, οὐχ ὥστε πλοῦτον ἑαυτῷ καὶ δόξαν πορίζεσθαι κοσμικήν, καὶ ποικίλας σώματος ἡδονάς, ἀλλ᾽ ὥστε τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον ἐν διακρίσεως πνεύματι καλῶς συνιέναι καὶ ποιεῖν. E ἀνδρεία δὲ αὐτῷ, τὸ μὴ ἡττᾶσθαί ποτε τῆς ἁμαρτίας, ἀλλ᾽ ἐλεύθερον εἶναι καὶ δεσπόζειν τῶν δυναστῶν· ἀποτόμως δὲ τὸν ἁμαρτάνοντα κατὰ τὸν Ἀποστολικὸν νόμον διελέγχειν, καὶ τοῦτο πολλάκις ἐνώπιον πάντων, καὶ μὴ καθυφίεσθαι δουλοπρεπῶς, ἵνα καὶ οἱ λοιποί, φησί, φόβον ἔχωσι. σωφροσύνη δέ, οὐ τοῦ οἰκείου σώματος μόνον ἡ ἁγνότης τε καὶ καθαρότης, ἣν ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας οὕτω πόνοις συχνοῖς καὶ ἱδρῶσι κατωρθώσατο, ὡς εἰς ἄκραν αὐτὸν ἀπάθειαν, ἤτοι παντελῆ νέκρωσιν τοῦ σαρκίνου φρονήματος ἐλθεῖν. οὐ ταύτῃ γοῦν μόνον τὸ τῆς σωφροσύνης ὡρίζετο καλόν, πάσῃ δὲ σπουδῇ καὶ

VITA IGNATII PATRIAR.

A Dei Methodius vere bonus Chriſtiani gregis paſtor, veræque doctrinæ eccleſiæ verus magiſter; qui multis antea pro ſanctarum imaginum defenſione laboribus & periculis defunctus, Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præficitur Dei nutu, & Imperatricis opera. Exauctoratis ergo omnibus & diſſipatis, qui hæreſeos labe infecti erant, novam eccleſiam condit, ſacerdotes & epiſcopos in ſuæ rectæ fidei fundamento collocat. Etenim hæreticis (uti etiam antea ſub Taraſio, ſacro divinoque paſtore, & pia Irene) ſectam ſuam damnantibus, & veniam impetrantibus, atque iterum ad hæreſeos perniciem prolabentibus, Nicephorus vir eximius, B adhuc ſuperſtes; & hic Methodius, divinitus decreta illorum exſtirpatione, virique divini Joannici impulſu in omnes hæreticos declarata, rectam adhuc viam incedere quærentibus, veritatis tramitem oſtendit. Sed cum eccleſiam Dei optime ſanctiſſimeque per quadriennium rexiſſet, ad Deum ſempiterna potiturus pace abiit. Multis vero tum ad eccleſiæ adminiſtrationem deſignatis, aliiſque alias ob cauſas voto fruſtratis, uti deſtinata Dei ſententia ſtaret, Ignatius ſanctiſſimus presbyter, cum per multos annos ſacerdotii muneribus magna cum laude perfunctus eſſet, bonumque ſibi in multa auctoritate, & in Jeſum Chriſtum fide jam C gradum exſtruxiſſet, ac propterea omnium ore celebraretur, quantumvis dignitatis magnitudinem refugiens, vi tamen ſancti Spiritus, & antiſtitum auctoritate & ſententia, honore ſacro digniſſimus judicatus, in imperantis urbis ſacra ſede collocatur, lucernaque candelabro imponitur; cum ante omnium epiſcoporum & populi ſententias Imperatrix ad Joannicium anachoretam conſultum miſiſſet, ecquemnam hoc patriarchatus honore dignum, per Dominum cognoſceret; Ignatium eximius ille Joannicius divinitus pronuntiavit. Atque ita bonus paſtor per oſtium in ovile ovium ingreſſus, oves D proprias vocabat nominatim: quas ex noxiis & peſtiferis herbis, omnique hæretica peſte & exitio ereptas, ad immortalia ſemperque virentia rectæ fidei juſtitiæque paſcua deducebat inducebatque. Ipſe vero tum ab omni crimine abhorrebat, tum in omne præſertim virtutum principalium & æquitatis ſtudium ſingulari conatu incumbens, ad perfectæ pietatis culmen enitebatur. Prudentia namque illi curæ erat, non ut opulentiam ſibi, humanamque gloriam, & voluptates conquireret; ſed ut Dei voluntatem ſanctam, beneplacentem & perfectam, in ſpiritu recti judicii bene intelligeret & ſequeretur. Fortitudo vero erat ipſi, ne unquam ſervitutis E peccato ſuccumberet, ſed liber eſſet, & dominaretur optimatibus, atque ex Apoſtoli præſcripto, peccantem acriter caſtigaret, & hoc ſæpe coram omnibus; nec ſervili modo ſe ſubjiceret; ut & ceteri, inquit, in officio per timorem contineantur. Temperantiam autem non tantum in corpore coluit ſuo, quam a teneris annis adeo laboribus ſudoribuſque aſſiduis perfecte eſt aſſecutus, ut ſenſum omnem, omneſque cupiditates corporis noxias penitus extinxerit. Non ergo his tantum finibus temperantiæ ſplendorem circumcluſit, ſed eccleſiam ſuam totam, morum & doctrinæ ſuæ gravitate aſſiduita-

te

VITA IGNATII PATRIAR.

teque, ad eam provexit honeſtatem & verecundiam, ut inter ejus familiares ne nomen quidem fornicationis, vel cujuſpiam impuritatis audiretur. Perinde enim ut ipſe vias Domini rectas ambulabat: ita ſponſam Domini optimus paranymphus per inculpatam vitæ ſemitam deducebat. Jam ut fuerit æqui tenax, juſtitiæve obſervans, quid dicam? cum ita rigide eam ſervarit, ut illius cauſa non raro ab iniquis æquitatis arbitris reprehenderetur, paſtorque vere mitis ac divinæ imitator juſtitiæ, aſperrime condemnaretur. Etenim non in civilibus tantum rebus, ſed multo magis in eccleſiaſticis diſceptationibus & judiciis facile agnoſcebatur ad veritatis æquitatiſque momentum lancemve propendere; contra vero mendacium, & quamlibet injuſtitiam vehementiſſime ſeveriſſimeque inſectari. Nec erga plebejos tantum & viliores, in quos, ſi quid peccent, cuivis facilis & libera eſt cenſura; ſed adverſus principes etiam magiſtratus ac dynaſtas, ipſoſque Imperatores, ardor ac divina dicendi libertas antiſtitis elucebat; quod mea nunc declarabit oratio.

Bardam illum, quem, uti ſcio, noſtis omnes Theodoræ Auguſtæ bonæ principis non bonum, ſed ſævum admodum & crudelem fuiſſe fratrem. Quamquam enim in rerum civilium adminiſtratione egregius induſtriuſque eſſet, rei tamen divinæ atque eccleſiaſticæ nemo illum unquam commodum dixit; ut qui nurus ſuæ amore ita furoret, ut ejus rei fama totam urbem peragraret: nec inter plebem tantum hæreret, ſed ad patriarchæ quoque aures facti indignitas deferretur. Quid ergo patriarcha? non hominis dignitatem reveritus, facinus ſilentio preſſit; ſed ex lege arguit, reprehenditque, & hortatus eſt, ut ne ſalute neglecta, animam ſuam perditum iret, ſed fœdum & enorme ſcelus expiaret. Ille tamen non modo ſe ab improbitate ſua non abſtinuit, ſed ipſo Epiphaniæ die feſto in ædem ſacram, euchariſtiæ myſteria percepturus, impudenter eſt progreſſus. Quid hic patriarcha? a ſacris arcet, indignum eum judicans corporis dominici participatione. Ille vero diro percitus œſtro furit, ſuumque in exitium armatus, ſe gladium in antiſtitis viſcera defixurum minitatur. Sed Ignatius contra comminatur, Deum invocans, qui potens eſſet gladium in illum convertere. Hinc offenſionum prima origo; hic fons eccleſiaſticæ perturbationis. Hinc gravi Bardas ira odioque concepto, ac altius in pectus demiſſo, omnem, ut dicitur, rudentem contra Ignatium movebat, ut eum apud Imperatorem criminaretur. Patricius cum erat Bardas, & ſcholarum domeſticus, ſibique totam imperii adminiſtrationem, utpote avunculus Michaelis, vindicabat. Hic aggreſſus aliquando adoleſcentem, verbiſque inſidioſis captans: Quid, inquit, domine, imperium matri & ſororibus permittis? Atqui non es amplius infans, ævique immaturus: immo, inquit, & jam uxore ducta virum agis. Debes ergo in poſterum virilem animum gerere. Itaque a patriarcha accerſito matrem & ſorores tonderi velarique jube. Ut enim deinceps ſolus [illegible] procurandis a te libe[illegible], & mu-

ANNO CHRISTI 869.

A τὴν κατ᾽ αὐτὸν ἐκκλησίαν ἐπὶ τοσοῦτον ἤγνιζε, καὶ τῷ ἐμβριθεῖ τε καὶ συνεχεῖ τῆς τοῦ πνεύματος διδασκαλίας ἐσωφρόνιζεν, ὡς μηδ᾽ ὄνομα πορνείας, ἤ τινος ἄλλης ἀκαθαρσίας ἐν τοῖς αὐτῷ πλησιάζουσιν ἀκούεσθαι. ἀλλ᾽ ὥσπερ αὐτὸς τὴν ἄμωμον ὁδὸν τοῦ Κυρίου ἀμωμήτως ἐπορεύετο, οὕτω καὶ τὴν ἐκείνου νύμφην, ὡς ἀγαθὸς νυμφοστόλος, ἐν ἀμώμῳ προσῆγε πολιτείᾳ· περὶ δικαιοσύνης δὲ τί χρὴ καὶ λέγειν; ἣν οὕτω στερρῶς καὶ μεγαλοπρεπῶς ὁ μακάριος ἐνεδέδυτο, ὥστε καὶ μέμψιν δι᾽ αὐτὴν ὑπέχειν πολλάκις παρὰ τοῖς ἀδίκοις τοῦ δικαίου διαιτηταῖς, καὶ σκληρότατα καταγινώσκεσθαι τὸν ὡς ἀληθῶς πρᾶον ποιμένα, καὶ Θεοῦ μιμούμενον δικαιοσύνην· καὶ γὰρ οὐκ ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις
B πράγμασι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς πολὺ μᾶλλον ἀμφισβητήσεσι καὶ κρίσεσι, τὸ πρὸς ἀλήθειαν μὲν καὶ δικαιοσύνην ἐπιρρεπὲς, ὑπεροπτικὸν δὲ αὐτοῦ καὶ ἀπότομον πρός τε τὸ ψεῦδος καὶ ἀδικίαν πᾶσαν ἐγνωρίζετο. καὶ οὐ πρὸς τοὺς πολλοὺς μόνον καὶ χυδαιοτέρους, πρὸς οὓς ἀδικοῦντας τάχα καὶ ἄλλος ἂν παρρησιάσαιτο, ἤδη δὲ καὶ πρὸς τοὺς ταῖς πρώταις περιβεβλημένους δυναστείαις, καὶ πρὸς τοὺς βασιλεῖς αὐτοὺς ὁ τοῦ Ἀρχιερέως ζῆλος καὶ ἔνθεος παρρησία διεδείκνυτο· δηλώσει δὲ νῦν ὁ λόγος.

Τὸν Βάρδαν ἐκεῖνον οἶδ᾽ ὅτι πάντες ἀκούετε, * ὡς Θεοδώρας μὲν τῆς ἀγαθῆς βασιλίδος ἀδελφὸς ἦν,
C οὐκ ἀγαθὸς δὲ, ἀλλὰ καὶ λίαν πικρὸς καὶ ἀπάνθρωπος· ὃν σπουδαῖον μὲν εἶναι καὶ δραστήριον περὶ τὴν τῶν πολιτικῶν πραγμάτων μεταχείρισιν, οὐδεὶς δὲ περὶ τὴν ἐκκλησίαν χρηστὸν ἔφησε γενέσθαι. τοῦτον τῇ ἰδίᾳ φασὶν οὕτως ἐπιμανῆναι νύμφῃ, ὡς ἀνὰ πᾶσαν τοῦτο τὴν πόλιν περιβομβηθῆναι· καὶ οὐκ ἄχρι τῶν πολλῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ μέχρις αὐτοῦ τοῦ Ἀρχιερέως τὴν πονηρὰν φήμην ἐλθεῖν. τί οὖν ἐκεῖνος; οὐ τὸ μέγεθος ηὐλαβήθη τοῦ προσώπου, οὐδὲ συνεσκίασε τὸ ἀμπλάκημα τῇ σιωπῇ, ἀλλὰ καὶ ἤλεγξε κατὰ τὴν ἐντολὴν, ἀλλὰ καὶ ἐπετίμησεν, ἀλλὰ καὶ παρεκάλεσε φείσασθαί τε τῆς ἰδίας ψυχῆς, καὶ τὸ φρικτὸν τοῦτο μύσος ἀπορρίψασθαι. ὁ δὲ οὐ μόνον οὐκ ἀπείχετο τοῦ
D κακοῦ, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας· ἑορτὴ δὲ τῶν ἁγίων θεοφανίων ἦν· καὶ αὐτὸς ἀναιδῶς προσῆλθε, τῶν θείων μεθέξων μυστηρίων. τί δὲ ὁ Ἀρχιερεύς; ἀποβάλλεται τῆς κοινωνίας, ἀνάξιον τοῦτον τῆς τοῦ δεσποτικοῦ σώματος κρίνων μεταλήψεως. ὁ δὲ μαίνεται μανίᾳ πικρᾷ, καὶ κατὰ τῆς ἰδίας ὁπλίζεται ψυχῆς· ἀπειλεῖ τὸ οἰκεῖον ξίφος τοῖς σπλάγχνοις τοῦ ἱεράρχου καταχῶσαι. ὁ δὲ ἀντιπειλεῖ, τὸν δυνάμενον ἐπικαλεσάμενος ἐπιστρέψειν τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ ἐπ᾽ αὐτόν. αὕτη γίνεται σκανδάλων ἀρχή· αὕτη πρώτη τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκαταστασίας ἀφορμή. ἐντεῦθεν βαρὺν ἑαυτῷ χόλον καὶ μῆνιν ὁ Βάρδας ἐκεῖνος ἐναπο-
E θέμενος κατὰ τοῦ Ἰγνατίου, πάντα κάλων ἐκίνει, τὸ δὴ λεγόμενον, τῷ βασιλεῖ τοῦτον διαβαλεῖν. πατρίκιος δὲ τότε καὶ τῶν σχολῶν δομέστικος ὢν, ὅλην τοῦ Μιχαὴλ, ἅτε δὴ θεῖος, εἰς ἑαυτὸν τὴν ἀρχὴν ὑπεποιεῖτο. καί ποτε προσεληλυθὼς τῷ μειρακίῳ καὶ λόγοις καταγοητεύων ἀπατηλοῖς· ἵνα τί, ἔλεγεν, ὦ δέσποτα, παραχωρεῖς τὴν βασιλείαν τῇ μητρὶ καὶ ταῖς ἀδελφαῖς; μὴ γὰρ ἔτι νήπιος εἶ; μὴ τὴν ἡλικίαν ἀτελής; ἀλλ᾽ ἰδοὺ, φησὶν, ἐζεύχθης καὶ γυναικὶ, καὶ ἤδη εἰς ἄνδρας τελεῖς. ὀφείλεις καὶ φρόνημα λοιπὸν ἀναλαβεῖν ἀνδρός. τὴν μητέρα δὲ καὶ τὰς ἀδελφὰς, τὸν πατριάρχην μετακαλεσάμενος, ἀπο-

κεῖ-

* al. ἦν.



ANNO CHRISTI 869.

κεῖραι πρόσταξον. σὲ γὰρ βασιλεύειν μόνον λοιπὸν, καὶ τοὺς ἐκ σοῦ τεχθησομένους, καὶ Θεῷ καὶ πᾶσιν ἡμῖν ἀρεστόν. αὐτίκα τοίνυν ἐκεῖνος τὸν τίμιον ἱεράρχην μεταπέμπεται. εὐεξαπάτητον γὰρ ἡ νεότης, καὶ ῥᾳδίως ταῖς κεναῖς τῶν ἐλπίδων μετεωριζόμενον. εἰ δὲ καὶ ἐξουσίας ὑπεροχὴ προσείη, μείζων μὲν ἡ κουφότης, εἰς μείζω δὲ ἄνοιαν καὶ πλάνην ὡς τὰ πολλὰ προχωρεῖ. τότε τοίνυν ἀρχὴν ταῖς κατ᾽ αὐτὸν ἀταξίαις καὶ ἀπαιδευσίαις, μᾶλλον δὲ ἀσεβείαις, ὁ Μιχαὴλ καταβαλλόμενος· ταχὺ τὴν ἐμὴν μητέρα καὶ τὰς ἀδελφὰς πρὸς τὸ δίκαιον, ἔφη, λαβὼν, ἀποκεῖραι τῷ μοναχικῷ σχήματι ταύτας καταδίκασον. ὁ δὲ παρρησιασάμενος· ἀδύνατόν μοι τοῦτο ποιεῖν, εἶπεν, ὑπολαβών· τῆς γὰρ ἐκκλησίας τοὺς οἴακας τὴν ἀρχὴν ἐγχειριζόμενος, ἔγγραφον ὅρκον ἐθέμην, μηδεμίαν τῇ βασιλείᾳ ὑμῶν ἐπιβουλὴν, ἢ οἱανοῦν ἐπήρειάν ποτε διαλογίσασθαι. καὶ νῦν τί τὸ ἀδίκημα τῶν βασιλίδων; καὶ τίς ἡ κατ᾽ αὐτῶν αἰτία, ὅτι τὸ ὑμέτερον κράτος ταῦτα κατ᾽ αὐτῶν διενοήθη; οὕτως εἰπόντος τοῦ Ἀρχιερέως, καθοσιώσεως τοῦτον ὁ Βάρδας ἐγράψατο γραφὴν, Γηβοβασιλάτον ἔναντι τοῦ βασιλέως διαλοιδορούμενος. ἦν δὲ ὁ Γήβων οὗτος ἐπίληπτος ἄνθρωπος, καὶ τὰς φρένας οὐ πάνυ καθεστηκώς· ὃς πρὸ ὀλίγων ἐκείνων ἡμερῶν ἀπὸ τοῦ Δυρραχίου παρεγένετο, σχῆμα μὲν περικείμενος κληρικοῦ, παῖδα δὲ ἑαυτὸν τῆς βασιλίδος Θεοδώρας ἐξ ἀνδρὸς ἑτέρου ληρῶν· ᾧ οἱ πολλοὶ τοῦ δήμου ὡς βασιλεύειν μέλλοντι προσεῖχον· τότε δὲ ἐν Ὀξείᾳ τῇ νήσῳ ὑπὸ ἀσφαλεῖ συνείχετο φρουρᾷ. ὁ μὲν οὖν πατριάρχης ἐν ὑπονοίᾳ διὰ ταῦτα τῷ Μιχαὴλ καταστὰς, εὐθὺς ὑπενόστει πρὸς τὴν ἐκκλησίαν. ὁ δὲ παραχρῆμα τὴν μητέρα καὶ τὰς ἀδελφὰς καταγαγὼν, ἐν τοῖς Καριανοῦ λεγομένοις ἀπενεχθῆναι κελεύει καὶ καρῆναι. μετὰ μικρὸν δὲ καὶ αὐτὸν ἀπελαύνει τοῦ πατριαρχείου τὸν Ἰγνάτιον, καὶ πρὸς τὴν νῆσον Τερέβινθον αὐτὸν ὑπερορίζει. κατ᾽ αὐτὴν δὲ τὴν ἡμέραν καὶ Γήβωνα ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς Ὀξείας εἰς Πρίγκιπον μετενεγκὼν, τά τε σκέλη καὶ τοὺς βραχίονας ἐξέκοψε, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξορύξας, ἀπέκτεινεν αὐτὸν, οἰόμενος ταύτῃ τὸν πατριάρχην ἀμύνεσθαι. οὔπω τρεῖς μετὰ τὴν κατάβασιν διεληλύθεισαν ἡμέραι, καὶ παρῆσαν τῶν ἐπισκόπων οἱ νομιζόμενοι λογάδες, λίβελλον ἀποταγῆς, ἤτοι παραίτησιν διὰ τὴν ἐνεστῶσαν τοῦ καιροῦ κακίαν ἀξιοῦντες λαβεῖν παρ᾽ αὐτοῦ. καὶ οὗτοι τίνες; οἱ ἐγγράφως αὐτῷ πρότερον ὀμωμοκότες, καὶ αὐτῆς ἐκπεσεῖν τῆς ὑπερουσίου τριάδος εὐξάμενοι, εἴγε τὸν οἰκεῖον ποιμένα ἄνευ καταγνώσεως ἀθετήσαιεν κανονικῆς. ἀλλ᾽ οὗτοι μὲν ὑπέστρεφον ἄπρακτα πεποιηκότες. μετ᾽ ὀλίγας δὲ αὖθις ἡμέρας πατρίκιοι, καὶ τῶν κριτῶν οἱ ἐπιφανέστατοι σὺν τοῖς προλαβοῦσιν ἐπισκόποις ἐξιόντες, πάσαις μηχαναῖς, ὑποσχέσεσί τε καὶ ἀπειλαῖς τὸν θρόνον ἐγγράφως παραιτήσασθαι κατεβιάζοντο, εἴγε μὴ μέλλοι εἰς προφανῆ καθεῖναι κίνδυνον ἑαυτόν. ἔμενε δὲ ἀμετάθετος οὐδὲν ἧττον ἢ πέτρα πάραλιος εἰς βάθος γῆς ἐρριζωμένη, καὶ πάσαις ἀνένδοτος κυμάτων ἐπιφοραῖς. ἐπειδὴ οὖν οὐκ εἶχον εὐλόγως παρανομεῖν, οὐδεμιᾶς αὐτοῖς ἀπὸ τοῦ ἀνευθύνου προφάσεως ἐνδιδομένης, γυμνῇ λοιπὸν τῇ κεφαλῇ, καὶ ἀναιδεῖ προσώπῳ, κατὰ τὸ ᾀδόμενον, πρὸς πᾶσαν ἐχώρουν ἀδικίαν καὶ παρανομίαν. ὁ μὲν οὖν Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ἅτε Θεὸς ἀληθινὸς καὶ ἀληθινοῦ πατρὸς ὢν, οὐ τῷ Θεὸς εἶναι μόνον προαιώνιος, τὰ πάντα πρὸ τῆς αὐτῶν γενέ-



VITA IGNATII PATRIAR.

A mini cæleſti placet, & nobis æquiſſimum videtur. Accerſit ergo illico venerandum patriarcham. Eſt enim inconſtans & mutabilis adoleſcentia, facileque vana ſpe effertur. Quod ſi potentiæ quoque faſtigium accedat, major etiam eſt illius levitas, majoremque in amentiam & caſum ſæpenumero prolabitur. Tunc igitur Michael corruptelarum, morumque depravatorum, & vero magis impietatum ſuarum principio poſito; Matrem, inquit, meam ſororeſque e veſtigio arreptas attonde, & religioſa velatas veſte vitæ religioſæ addicito. At libere patriarcha; Hoc, inquit, a me fieri nefas: nam eccleſiæ gubernacula ſedemque ſa-
B cram cum ſuſciperem, fidem jurejurando meam per ſcriptum aſtrinxi, nunquam me imperio veſtro inſidias poſiturum, vel conſilium ejuſcemodi agitaturum. Et vero nunc, quod reginarum eſt facinus, quæve in illis cauſa, ut majeſtas veſtra adverſus eas talia machinetur? Hæc memorantem patriarcham Bardas reum majeſtatis poſtulavit, & coram imperatore * Gebobaſileutum (ſeu Gebonis pſeudo-imperatorii generis ſimilem) per convicium vocavit. Erat Gebo hic ſtolidus, maleque ſanus homo, qui proximis diebus Dyrrachio venerat, veſte quidem eccleſiaſtica indutus, ſe vero pro filio Theodoræ Auguſtæ ex alio viro gerebat; cui
C non pauci ex plebe velut regnaturo adhærebant: tunc vero in inſula Oxia, ſeu Acuta, firma cuſtodia tenebatur. Patriarcha ergo propterea Michaeli ſuſpectus, ſtatim ad eccleſiam ſe recepit. Michael vero extemplo matrem cum ſororibus in Cariani ædes detruſam deportari tonderique imperat. Nec multo poſt ipſum quoque patriarcham Ignatium pellit, atque in inſulam Terebinthum ejicit; eodemque die Gebonem illum ex Acuta in Principes transfert, & cruribus brachiiſque præciſis, oculiſque erutis, interficit, ratus ſe hac ratione ultum ire patriarcham. Nec dum triduum a patriarchæ diſceſſu fluxerat, cum adſunt qui
D putabantur inter epiſcopos primarii, chirographum ſive libellum abdicationis ob præſentium temporum iniquitatem ab eo petentes. Et quinam hi? qui antea illi per ſcriptum juraverant, ſe prius ſupremam Trinitatis majeſtatem negaturos, quam ſine canonica damnationis ſententia paſtorem ſuum exauctorari paſſuros. Verum ii re infecta reverterunt. Intra paucos autem dies patricii, judicumque clariſſimi cum iiſdem epiſcopis egreſſi, omnibus machinis & pollicitationibus, comminationibuſque compellebant, ut epiſcopatu ſe abdicaret, ſi in apertum nollet committere ſe periculum.
E Sed non minus firmus immotuſque ſtetit, quam maritima cautes altis in terram defixa radicibus, fluctuum inſultibus nihil cedens. Ergo cum non haberent, unde illum læderent, nulla per eum data cauſa, cujus rationem reddere non poſſet; nudo, quod ajunt, capite, perfrictaque fronte ad omne fas nefaſque deſcenderunt. Et dominus quidem noſter Jeſus Chriſtus, utpote Deus verus & veri Patris ſoboles, non ſolum qua Deus eſt æternus, omnia antequam ſint, prævidit; ſed etiam qua homo pro nobis factus, deificata ſua mente omnia præſciens: *Neceſſe eſt*, inquit,

* Gebobaſileutum, hoc eſt, Gebonis ſtulti hominis, & imperium temere affectantis, parti faventem.



ut

VITA IGNATII PATRIAR.

A *ut veniant ſcandala: væ autem illi, per quem ſcandalum venit.* Omnium ergo ſectarum, quæ a divina Chriſti in humanitate præſentia ad hodiernum uſque diem in eccleſias cum pernicie irrepſerunt, auctores, veluti ſcandalorum duces, digni ſunt, qui primi malum, quod Chriſtus minatur, participent. Sed non minus, opinor, ii qui noſtro ævo maligne egerunt, quam illi priſci & decantatiſſimi hæreſiarchæ, cæleſtis iram vindictamque numinis ſentient, ut qui innumerabilium offenſionum & malorum toti terrarum orbi ſint auctores. Neque enim propterea juſtorum albo adſcribentur, quod rectis ſcilicet dogmatibus, & ſcriptionibus innumeris Deum B fateri videantur: ſed idcirco damnabuntur, quod, ut eſt in ſacris paginis, Deum (Tit. 1.) factis ipſis negarint, abominabiles facti, & contumaces, & ad omne opus bonum reprobi. Nec quia perſonam pietatis, vultumque religionis ementiti agunt omnia efficiuntque, ut juſti ab hominibus putentur, ideo ſunt juſti apud occultorum cognitorem & judicem Deum: ſed quod nervo pietatis eliſo, mores ad evangelii præcepta non conformarint; quod amore ſui cæci, avaritiæ & voluptatibus, ambitionique venundati & emancipati, innocentes omni genere injuriarum, perjuriorum, cru- C cis abnegationum, inſidiarum, & maleficiorum opprimentes, optime compoſitum eccleſiæ ſtatum perturbarint, everterintque; rem autem divinam, nomenque & ſacra ſanctæ eccleſiæ tot impietatibus & flagitiis contaminarint, polluerint, profanarint, ut periculum ſit (pæne dicam) ne pietatis myſterium in verbis nudis potius, quam in rebus ac veritate conſiſtere videatur: idcirco juſtiſſimam damnationis a Deo ferendæ ſententiam incurrent.

Horum porro malorum omnium ſtirps & radix, primaque cauſa & certiſſima extitit is, qui a principio homicida fuit: qui quod a bono defecit, omnis maleficii ar- D tifex effectus, hodieque non ceſſat venenum in eos ſuum eructare, quos omnibus ſæculis ad id hauriendum paratos habet: eoque largius latiuſque virus ſuum diffundit, quanto ad rem ſuam aptiores offendit. Permittuntur autem tales ſæpe rerum potiri, terrarumque imperiis extolli, ut ex multorum cordibus, quemadmodum eſt in (Luc. 2.) divinis oraculis, revelentur cogitationes; utque triticum a paleis ſecernatur, & juſtus igne moleſtiarum, velut aurum in fornace, coquatur, cæleſtibuſque theſauris reſervetur; rejiciaturque, quidquid ut ſcoria adulterinum eſt, & cæleſti regno indignum. At- E que his, opinor, nemo contradicet eorum qui pietatem colunt.

Sed videamus porro, quæ deinceps B. Ignatio acciderint, quantaque mala veterator ac hoſtis ſanctorum virorum adverſus latentem in illo fidem ac virtutem, per ſuos adminiſtros, malitia ſua machinatus ſit. At vero cum intelligam me ſigillatim omnia percenſere non poſſe, rebuſque tantis parem non fore, oratione ad res præcipuas enarrandas converſa, nudam rei veritatem ubique ſtudioſe perſecutus, pro mea virili curabo, ne quid rerum quæſitu memoria dignum prætermittam.

ANNO CHRISTI 869.

A σεως οἶδεν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἀνθρώπῳ ὑπὲρ ἡμῶν γενέσθαι, τῷ πιθανωμένῳ τοῖς τὰ πάντα προκατανοῶν· ἀνάγκη, φησὶν, ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα· οὐαὶ δὲ δι' οὗ ἔρχεται. καθ' ὅλας μὲν οὖν τὰς ἀπὸ τῆς θεανδρικῆς αὐτοῦ παρουσίας μέχρι τοῦ δεῦρο παρεισφθαρείσας αἱρέσεις ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, οἱ τῶν αἱρέσεων ἔξαρχοι, ὡς τῶν σκανδάλων ἀφηγούμενοι, πρῶτοι ἂν ἀξίως αὐτοὶ μετέχοιεν καὶ τοῦ ταλανισμοῦ· οὐχ ἧττον δὲ οἶμαι τῶν πάλαι θρυλλουμένων αἱρετικῶν καὶ οἱ κατὰ ταύτην πονηρευσάμενοι τὴν γενεὰν, ὡς αἴτιοι σκανδάλων μυρίων τῷ κόσμῳ γενόμενοι, τῆς ἄνωθεν πειραθήσονται ὀργῆς. οὐ γὰρ ὅτι δόγμασιν ὀρθοῖς δῆθεν καὶ συγγραφαῖς ἀμέτροις θεὸν δοκοῦσιν ὁμολογεῖν, διὰ B τοῦτο μόνον δικαιωθήσονται. ἀλλ' ὅτι τοῖς ἔργοις, κατὰ τὸν ἱερὸν λόγον, ἠρνήσαντο αὐτὸν, βδελυκτοὶ γενόμενοι καὶ ἀπειθεῖς, καὶ πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι, τούτου γε ἕνεκεν κατακριθήσονται. οὐδ' ὅτι μόρφωσιν εὐσεβείας, καὶ σχῆμα γοῦν τι καὶ πλάσμα κενὸν εὐλαβείας περιθέμενοι πάντα δρῶσι καὶ πραγματεύονται, ὥστε δικαιωθῆναι παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, διὰ τοῦτο δίκαιοι καὶ παρὰ τῷ τῶν κρυφίων ἐπόπτῃ καὶ ἐξεταστῇ· ἀλλ' ὅτι τῆς εὐσεβείας τὴν δύναμιν, καὶ τὴν κατὰ τὸ εὐαγγέλιον ἀπηρνήσαντο ζωὴν, πάσαις μὲν φιλαυτίαις καὶ φιλαργυρίαις, φιληδονίαις τε πάσαις καὶ φιλαρχίαις ἑαυτοὺς ἀπεμ- C πολήσαντες, πάσαις δὲ ἀδικίαις, ἐπιορκίαις, σταυροπατίαις, καὶ κακουργίαις δὲ κατὰ τῶν ἀθῴων καὶ ἐπηρείαις χρώμενοι, πᾶσαν τὴν ἐκκλησιαστικὴν εὐνομίαν διέλυσαν καὶ συνέχεαν· τὸ θεῖον δὲ τῆς ἱερᾶς ἐκκλησίας πρᾶγμα καὶ ὄνομα οὕτω ταῖς ποικίλαις αὐτῶν ἀθεσμίαις καὶ παρανομίαις ἐβεβήλωσαν, ὥστε κινδυνεύειν, ὀλίγου δεῖν, ἐν ψιλοῖς ἡμῶν λόγοις, ἀλλ' οὐκ ἐν ἀληθείᾳ καὶ πράγματι τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον ὑπονοεῖσθαι· διὰ ταῦτα δικαιοτάτης τάξονται πρὸς θεοῦ τῆς κατακρίσεως.

Τούτων δὲ τῶν κακῶν ἁπάντων αἰτία προκαταρκτικὴ καὶ ῥίζα, ὁ ἀπ' ἀρχῆς ἀνθρωποκτόνος καθέστηκε δηλαδή· ὃς τῷ ἀποστῆναι τοῦ ἀγαθοῦ, πάσης D κακίας γενόμενος δημιουργὸς, οὐ παύεται μέχρι καὶ νῦν τὸν οἰκεῖον ἰὸν τοῖς πρὸς ὑποδοχὴν ἑτοίμοις κατὰ πᾶσαν ἐναπερευγόμενος γενεάν. καὶ τοσούτῳ μᾶλλον τὴν παρ' ἑαυτοῦ κακίαν ἐπιδαψιλεύεται, καθ' ὅσον ἂν καὶ ἐπιτηδειοτέροις πρὸς τὸν οἰκεῖον περιτύχοι σκοπόν. συγχωροῦνται δὲ πολλάκις κρατεῖν, καὶ κοσμικαῖς δυναστείαις οἱ τοιοῦτοι μεγαλύνεσθαι, ὡς ἂν ἐκ πολλῶν καρδιῶν, κατὰ τὸ θεῖον λόγιον, ἐμφανισθῶσι διαλογισμοί· καὶ ὥστε τὸν σῖτον διακριθῆναι τοῦ ἀχύρου, καὶ πυρωθῆναι μὲν ταῖς ἐπηρείαις τὸν δίκαιον, ὥσπερ ἐν χωνευτηρίῳ χρυσὸν, καὶ τοῖς οὐρανίοις ταμιευθῆναι βασιλείοις, ἀποποιηθῆναι δὲ, καθά- E περ σκωρίαν, ὅσον ἀδόκιμον καὶ ἀνάξιον τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. πρὸς οὖν ταῦτα οὐκ οἶμαί τινα τῶν εὐσεβούντων ἀντερεῖν.

Ἴδωμεν δὲ καὶ τὰ κατὰ τὸν ἱερὸν Ἰγνάτιον παρηκολουθηκότα, καὶ ὅσα κατὰ τῆς ἐν αὐτῷ κεκρυμμένης ἀληθείας καὶ ἀρετῆς ὁ τῶν ἁγίων ἐχθρὸς καὶ ἐπίβουλος διὰ τῶν ὑπηρετουμένων αὐτοῦ τῇ κακίᾳ κατεπράξατο. ἀλλὰ πάντα μὲν κατὰ μέρος ἐπεξιέναι ἀμήχανον εἰδὼς, καὶ κρεῖττον ἢ κατ' ἰσχὺν ἐμήν, τοῖς κυριωτέροις δὲ τὸν λόγον ἐπαφιεὶς, πειράσομαι καθ' ὅσον οἷόν τε πανταχοῦ τῆς ἀληθείας πεφροντικὼς, μηδὲν τῶν ἀξίων μνήμης παραλιπεῖν:

Ἐπει-



ANNO CHRISTI 869.

Ἐπειδὴ τοίνυν οἱ παρὰ τοῦ βασιλέως τότε πολλὰ πειράσαντες, τὸ πρὸς παρανομίαν ἐνδόσιμον οὐχ οἷοί τε ἐγεγόνεισαν παρὰ τοῦ Ἰγνατίου λαβεῖν, γενναίως ἐνστάσει παραιτήσασθαι μὴ καταδεξαμένου, παρ' ἑαυτῶν ἔλαβον τοῦτο λοιπόν· καὶ πλεῖστα καθ' ἑαυτοὺς συσκεψάμενοι, καὶ πάσας κεκινηκότες βουλὰς, Φώτιον πρωτοσπαθάριον ὄντα καὶ πρωτασηκρῆτιν, εἰς ἀρχιερέα τῆς βασιλίδος προχειρίζονται. ἦν δὲ οὗτος ὁ Φώτιος οὐ τῶν ἀγεννῶν καὶ ἀνωνύμων, ἀλλὰ καὶ τῶν εὐγενῶν κατὰ σάρκα, καὶ περιφανῶν, σοφίᾳ τε κοσμικῇ καὶ συνέσει τῶν ἐν τῇ πολιτείᾳ στρεφομένων εὐδοκιμώτατος πάντων ἐνομίζετο. γραμματικῆς μὲν γὰρ καὶ ποιήσεως, ῥητορικῆς τε καὶ B φιλοσοφίας, καὶ δὴ καὶ ἰατρικῆς, καὶ πάσης ὀλίγου δεῖν ἐπιστήμης τῶν θύραθεν τοσοῦτον αὐτῷ τὸ περιὸν, ὡς μὴ μόνον σχεδὸν φάναι τῶν κατὰ τὴν αὐτοῦ γενεὰν πάντων διενεγκεῖν, ἤδη δὲ καὶ πρὸς τοὺς παλαιοὺς αὐτὸν διαμιλλᾶσθαι. πάντα γὰρ συνέτρεχεν ἐπ' αὐτῷ, ἡ ἐπιτηδειότης τῆς φύσεως, ἡ σπουδὴ, ὁ πλοῦτος, δι' ὃν καὶ βίβλος ἐπ' αὐτὸν ἔρρει πᾶσα· πλέον δὲ πάντων ὁ τῆς δόξης ἔρως, δι' ὃν αὐτῷ καὶ νύκτες ἄυπνοι περὶ τὴν ἀνάγνωσιν ἐμμελῶς ἐσχολακότι. ἐπεὶ δὲ καὶ πρὸς τὴν ἐκκλησίαν αὐτὴν, ὡς μὴ ὤφελεν, ἐπεισελθεῖν ἔδει, καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν διὰ τοῦτο βιβλίων τῆς ἀναγνώσεως οὐ κατὰ πάρεργον ἐπεμελήθη· ἀγνόημα δὲ ἠγνόησεν, ἵν' εἴπω θεολογικῶς, σφόδρα τῆς αὐτοῦ C σοφίας ἀνάξιον. οὐ γὰρ ἠθέλησε προσέχειν τὸν νοῦν, ὅτι· εἴ τις θέλει σοφὸς γενέσθαι ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, μωρὸς γενέσθω, ἵνα γένηται σοφός. οὐδὲ τὴν ὁδὸν εἵλετο τῆς ταπεινοφροσύνης, δι' ἧς ἡ μεγάλη τοῦ θεοῦ χάρις, καὶ ἡ ἀληθὴς σοφία δίδοται καὶ κατορθοῦται· οὐδὲ στραφῆναι καὶ γενέσθαι ὡς τὸ παιδίον διὰ τὴν τοῦ θεοῦ βασιλείαν, ὡς ἡ τοῦ Κυρίου διαμαρτυρία, κατεδέξατο· ἀλλ' οὐδὲ σκάψαι τὴν αὐτοῦ ψυχὴν, καὶ βαθῦναι τὴν διάνοιαν διὰ πάσης ὑποταγῆς, κατὰ Κύριον, καὶ ἀτιμοτέρας ἀγωγῆς καὶ ταπεινοδρόμου, καὶ δι' ἀπαθείας οὕτω τῇ πέτρᾳ προσεγγίσαι Χριστῷ, καὶ ἐπ' αὐτῷ θεῖναι θεμέλιον πίστεως ἀρραγῆ, καὶ δι' ἀγαθῶν πράξεων D (* ἴσ. τῇ σοφίᾳ) οὕτω τῆς * σοφίας ἑαυτὸν οἰκοδομεῖν. οὐ ταῦτα διανενόηται ὁ σοφός· πολλοῦ γε δεῖ· καὶ οὐδὲν τούτων ἐπὶ νοῦν ἦλθεν αὐτῷ, ἀλλ' ἐπὶ σαθρῷ θεμελίῳ καὶ ἀμμώδει, τῇ κοσμικῇ σοφίᾳ, καὶ τῇ ἀλαζονείᾳ τοῦ μὴ κατὰ Χριστὸν πεπαιδευμένου λόγου τὴν ἑαυτοῦ καρδίαν στηρίξας καὶ τὸν νοῦν, καὶ τοῖς κενοῖς τῶν ἀνθρώπων ἐπαίνοις καὶ κρότοις φυσιούμενος, καὶ ἐπὶ πολὺ τῇ κενοδοξίᾳ μετεωριζόμενος, δι' αὐτῆς τῇ ἐχθρᾷ τοῦ θεοῦ ὑπερηφανίᾳ προσεπέλασε, δι' ἧς κακουργίαν πᾶσαν, καὶ πᾶσαν σκανδάλων ὑπόθεσιν μυσταγωγεῖται. ὅθεν ἀδόκιμον αὐτοῦ τὴν τῆς ἱεραρχίας καταβαλόμενος ἀρχὴν, ἀκόλουθον ἔσχε τῇ ἀρχῇ τὸ E τέλος. οὐ γὰρ παρῃτήσατο τὴν ὡς παρὰ κοσμικῶν ἀρχόντων ἀκόσμως αὐτῷ καὶ ἀθέσμως ἐνδιδομένην ἐκκλησίαν, οὐδ' ὡς ἑτέρῳ ἀνδρὶ καθηρμοσμένην μοιχικῶς ἑαυτῷ κατεγγυᾶσθαι ηὐλαβήθη· τοὐναντίον μὲν οὖν καὶ περιχαρῶς, ἢ ἀναιδῶς μᾶλλον, κατησπάζετο, καὶ ὡς ἰδίας τῆς ἀλλοτρίας σαφῶς ἀντεποιεῖτο, καὶ ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτοῦ ἐγκαυχώμενος δοξαζόμενος, καὶ ἐν τῇ ἀδικίᾳ αὐτοῦ ἐνευλογεῖτο, καὶ ἐν ἓξ ταῖς ὅλαις ἡμέραις χερσὶν ἀνθρώπων τελειούμενος, τῆς ἐπιθυμουμένης ἐπελαμβάνετο καθέδρας. καὶ ἦν ἀληθῶς ἐκεῖνον ὁρᾶν αὐθήμερον ἅγιον πλαστ-

VITA IGNATII PATRIAR.

A Poſtquam igitur adminiſtri regii ſæpe tentata re, non potuerunt flectere Ignatium ad id quod inique petebant, ſuam illo dignitatem fortiter & conſtanter tuente, a ſe ipſi conſilium de cetero petiverunt; rebuſque inter ſe diu agitatis, omnemque in partem verſatis, tandem Photium protoſpatharium, & primum a ſecretis, patriarcham urbis regiæ deſignant; hominem ſane minime obſcurum & ignobilem, ſed claris & illuſtribus oriundum natalibus; rerumque civilium & politicarum uſu, prudentiaque & ſcientia clariſſimum. Grammaticæ enim literaturæ, & carminis pangendi, dicendique laude, quin & philo- B ſophiæ & medicinæ, & omnium prope liberalium diſciplinarum externarum ſtudio cognitioneque tantopere florebat, ut ævi ſui facile princeps haberetur, imo & cum veteribus jam certare poſſet. Omnia quippe in illo concurrerant, aptitudo quædam & naturæ vis ac felicitas, ſtudium, opes, quibus ſibi librorum omnium maximam copiam comparabat: &, quod præ cunctis, gloriæ laudiſque cupido, qua incenſus totas noctes, ut lectioni aſſidue vacaret, ducebat inſomnes. Quoniam vero ſacrum etiam (quod utinam nunquam fuiſſet) thronum eccleſiæ conſcenſurus erat, ſacra quoque & eccleſiaſtica volumina ſtudioſe cœ- C pit lectitare. Verum [a] ut Theologi Nazianzeni ritu loquar, quod ſane ipſius ſapientia indignum fuit, ignorationem ignoravit. Noluit enim animadvertere, quoniam: *Si quis vult ſapiens fieri in hoc mundo, ſtultus ſit, ut ſapiens fiat.* (1. Cor. 3.) Neque viam modeſtiæ & ſummiſſionis ingreſſus eſt, qua ad cæleſtem gratiam, veramque ſapientiam pervenitur: neque depoſito faſtu voluit converti, & fieri ut parvulus, propter regnum Dei, juxta domini vocem (Matth. 18.): neque animam ſuam & mentem altius fodere, & omni ſubjectione demittere, ut jubet dominus, per abjectiorem humilioremque ſemitam; atque ita per affectuum mortificationem pe- D træ Chriſto conjungi, & ſuper ipſum inconcuſſum fidei fundamentum ponere, & piis operibus ſeipſum domicilium ſapientiæ conſtituere. Nihil horum huic venit in mentem, alia omnia cogitabat: fragili & arenoſo, vanæ profanæque ſapientiæ fundamento & inſolentiæ, non ſecundum Chriſtum doctrinæ cor ſuum mentemque confirmans, vanis hominum laudibus & plauſibus inflatus, elatuſque inani gloria, per ipſam inimicæ Deo ſuperbiæ ſe conjunxit: ex quo omnis impietatis, omniumque offenſionum materiem edoctus eſt. Ergo jactis ſacerdotii ſui improbandis fundamentis, extrema initiis conſentanea ſortitus eſt. E Nec enim repudiavit eccleſiam, tamquam a profanis magiſtratibus profane & ſacrilege ſibi demandatam; neque velut alteri viro nuptam, ſibi per adulterium deſponderi veritus eſt: ſed contra potius exultabundus, avide impudenterque in illius complexum ruit, alienamque tamquam propriam palam arrogavit, ſuaque infamia & dedecore gloriabatur, & laudabatur in iniquitate ſua; intraque ſex non amplius dies, manibus hominum initiatus, concupitam eccleſiæ cathedram invaſit. Eratque vere cernere, ut fertur adagio, extempora-

a) Potius, ut more loquar Scripturæ ſacræ. H.

VITA IGNATII PATRIAR.

lem fictitiumque, ſeu perſonatum ſanctum. Nam primo die monachus ex laico, altero lector, tum hypodiaconus, ac diaconus, & presbyter: ſexto deinde, qui fuit Chriſti natalis, & ipſe ſacrum conſcendens tribunal, pacem populo, nihil vera pace dignum cogitans, nuntiavit.

Erat huic auctor & initiator in omnibus Gregorius ille cognomento Asbeſta, quem Syracuſanum olim pontificem fuiſſe ferunt, tum Conſtantinopoli de maleficiis reum factum, & jam Romæ, quod contra leges & ſanctiones eccleſiaſticas peccaſſet, exauctoratum. Hunc Ignatius, cum eſſet patriarcha conſecrandus, ne initiationi ſuæ intereſſet, admonuit, donec per otium cauſa ipſius diligenter cognoſceretur. Quod patriarchæ inter initia factum multi, quamvis juſte factum, reprehenderunt.

Hinc, o quis ex his paucis verbis ortam cladem illam & noctem explicet? quis turbas & factiones, liteſque & improbitatem illius *a) probi Siculi dicendo aſſequatur? Simul ac enim ejus rei nuntium accepit, non ſe philoſophum oſtendit, & infamiam ſuam prudenter dedecuſque contexit; ſed cereos de Ignatii conſecratione acceptos abjecit, & impudentiſſimo ore innocentem coram univerſa eccleſia fœdiſſime conviciatus, lupum pro paſtore ſubſtitui furioſe clamitavit. Quem & Petrus quidam Sardorum epiſcopus cognomento Miſer, & Eulampius Apameæ, aliique e clero * obſcuriores, ſeipſos ab eccleſia ſine cauſa ſejungentes, ſecuti ſunt.

*a) Fort. improbi: vel dictum per ironiam, Ib.*

** Inſigniores,*

Undecim igitur ipſis annis Ignatius a recepta primum ſede Conſtantinopolitana, omni ratione conatus, omnique verborum humanitate & liberalitate adhibita, nunquam tamen potuit Asbeſtæ improbitatem extinguere. Etenim potentiorum limina terebat, apud omnes virum nullam ob culpam criminabatur, & acerbe conviciis proſcindebat, & ſanctum execratus, ne Chriſtiani quidem cognomine dignabatur. Præſertim vero Photio Photianiſque gratiſſimus honoratiſſimuſque, magnus quidam homo Dei credebatur. Quare ab eodem Photius primum eſt initiatus; qui hominis auctoritate inductus, totum ex illo adverſus inſontem Ignatium furorem hauſit: perinde quaſi ad hoc ipſum patriarcha eſſet conſecratus, ut omnibus conſiliis, modiſque omnibus innoxium iret perditum: ſic pugnabat, ut illum non ſacerdotio tantum privaret, ſed vita etiam, ſi poſſet, exueret: licet eſſent ab eo per metropolitas ſuos, a quibus eſt receptus, exacta chirographa, ut paternum Ignatio honorem tribueret, omniaque ex ejus voluntate gereret, nec ulla in re moleſtus eſſet: ipſe tamen vix poſt duos a creatione ſua menſes juramento ſuo violato, primum Ignatii familiares conjecit in vincula, diriſque flagris & plagis multavit: deinde rurſus blanditus, muneraque & honores pollicitus, chirographa petiit, & omnibus modis ſtuduit adverſus Ignatium exitii cauſam reperire. Cumque nihil horum quæ ipſe cupiebat, inveniret, ſcelerato Bardæ, perque Bardam Michaeli [illegible]ſſimo ſuggerit, ut mittat, qui in Igna-

ANNO CHRISTI 869.

A τόμβον κατὰ τὴν παροιμίαν. πρώτῃ γὰρ ἡμέρᾳ μοναχὸς ἀντὶ λαϊκοῦ, τῇ δευτέρᾳ δὲ ἀναγνώστης, καὶ ὑποδιάκονος τῇ ἑξῆς, εἶτα διάκονος, εἶτα πρεσβύτερος· ἔπειτα τῇ ἕκτῃ· Χριστοῦ δὲ ἦν τὰ γενέθλια· καὶ αὐτὸς τῷ ἱερατικῷ προσβὰς θρόνῳ, τὴν εἰρήνην τῷ λαῷ προσεφώνει, μηδὲν τῆς ἀληθινῆς εἰρήνης ἄξιον ἐννοούμενος.

Ἦν δὲ αὐτῷ καθηγητὴς καὶ ἱεροτελεστὴς τὰ πάντα Γρηγόριος ἐκεῖνος ὁ καλούμενος Ἀσβεστᾶς, ὅν ποτε καὶ Συρακούσης μὲν ἐπίσκοπον ἔφασαν γενέσθαι, ἐπ᾽ ἐγκλήμασι δέ τισιν εἰς τὸ Βυζάντιον κατηγορούμενον, ἤδη δὲ καὶ ὑπὸ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας, ὡς παρὰ κανόνας πράξαντα, καθῃρημένον. B Ἰγνάτιος ἄρτι πρῶτον χειροτονεῖσθαι μέλλων, μὴ παρεῖναι τοῦτον τῇ χειροτονίᾳ διεπέμψατο, ἄχρις οὗ τὰ κατ᾽ αὐτόν, φησίν, ἐπὶ σχολῆς ἀκριβέστερον διαγνωσθῇ. τοῦτο ὁ πατριάρχης ἐν πρώτοις, οὐ καλῶς μέν, ὥστε δοκεῖν τοῖς πολλοῖς, πέπραχε δ᾽ οὖν ὅμως ἐν δικαιοσύνῃ.

Ἐντεῦθεν, ὦ τίς ἂν ἐξείποι τὴν ταραχὴν καὶ τὴν σκοτομαίναν; τίς τὴν ἀπὸ τοῦ μικροῦ ῥήματος φιλονεικίαν καὶ ἔριν, καὶ μνησικακίαν τοῦ δεινοῦ ἐκείνου Σικελοῦ παραστήσαι; εὐθὺς γὰρ ἀκούσας, οὐκ ἐφιλοσόφησε πρὸς τὴν ἀγγελίαν, οὐ τὴν ἰδίαν ὡς φρόνιμος συνεκάλυψεν αἰσχύνην, τοὺς ἐπὶ χειροτονίᾳ δὲ κηροὺς τῶν αὐτοῦ χειρῶν ἀπορρίψας, καὶ καταναιδευσάμενος, C πάσης ἐνώπιον τῆς ἐκκλησίας ἐσχάτως διελοιδορεῖτο τὸν ἀναίτιον, καὶ λύκον ἀντὶ ποιμένος ἐπεισιέναι τῇ ἐκκλησίᾳ μανιωδῶς διϊσχυρίζετο. ᾧ καὶ Πέτρος ὁ Σάρδεων, ὁ λεγόμενος Δείλαιος, πρὸς δὲ καὶ ὁ Ἀπαμείας Εὐλάμπιος, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν * ἀσημοτέρων εἵποντο κληρικῶν, ἀλόγως τῆς ἐκκλησίας ἀπορρηγνύμενοι.

** [illegible]*

Ἐν ὅλοις μὲν οὖν ἕνδεκα χρόνοις τῆς πρώτης αὐτοῦ ἱεραρχίας ὁ Ἰγνάτιος ἀποπειρώμενος, καὶ πᾶσαν μὲν λόγων, πᾶσαν δὲ δωρεῶν προτεινόμενος φιλοτιμίαν, οὐχ οἷός τε γεγόνει τὴν τοῦ Ἀσβεστᾶ κακίαν κατασβέσαι. διήρχετο πάσας οἰκίας τῶν δυνατῶν, μάτην διαλοιδορούμενος καὶ διασύρων πικρῶς, καὶ D μηδὲ Χριστιανὸν ὀνομάζειν τὸν ἅγιον ὁ ἐναγὴς ἀξιῶν· μάλιστα δὲ πάντων παρὰ Φωτίῳ καὶ τοῖς αὐτοῦ συγγενέσι τιμώμενος, μέγας τις ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ χρηματίζειν ἐπιστεύετο. ὅθεν καὶ παρ᾽ αὐτοῦ πρώτου χειροτονηθεὶς ὁ Φώτιος, ἐκ τῆς εἰς αὐτὸν πίστεως ὅλην τοῦ ἀνδρὸς τὴν κατὰ τοῦ ἀναιτίου μανίαν ἐπεσπάσατο. καὶ ὥσπερ εἰς αὐτὸ τοῦτο πατριάρχης προχειρισθείς, ἵνα πάσαις ἐπινοίαις καὶ τρόποις πᾶσι τὸν ἀθῷον τιμωρήσηται, οὕτως ἠγωνίζετο, οὐ τῆς ἱερωσύνης μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτῆς αὐτὸν ἀπαλλάξειν, εἰ δυνατόν, τῆς ζωῆς· καίτοιγε χειρόγραφα παρὰ τῶν καταδεχομένων αὐτὸν πρότερον ἀπαιτηθεὶς μητροπολιτῶν, E ὥστε πατρικὴν ἀπονέμειν τῷ Ἰγνατίῳ τιμήν, καὶ πάντα κατὰ βούλησιν αὐτοῦ δρᾶν, καὶ ἐν μηδενὶ τοῦτον παραλυπεῖν. οὔπω δὲ μετὰ τὴν χειροτονίαν δύο μῆνες παρῆλθον, καὶ αὐτὸς τοὺς ὅρκους ἠθετηκώς, πρῶτον μὲν τοὺς ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας τεταγμένους, ὅσους οἰκειοτέρους ἔγνωσκε τοῦ πατριάρχου, κατακλείων, καὶ αἰκισμοῖς βιαίοις καὶ μάστιξι καταικιζόμενος· καὶ κολακεύων δὲ πάλιν, καὶ δῶρα προτείνων καὶ προκοπάς, καὶ χειρόγραφα ἀπαιτῶν, καὶ πᾶσι τρόποις ἐπιχειρούμενος, πρόφασιν ἀπωλείας ἐζήτει κατ᾽ αὐτοῦ. ὡς δὲ οὐδὲν εὕρισκε δι᾽ ἑαυτοῦ τοιοῦτον, οἷον ἐπεθύμει, ὑποβάλλει τῷ κακῷ Βάρδᾳ, καὶ δι᾽ αὐτοῦ τῷ κούφῳ Μιχαήλ,

ὥστε



ANNO CHRISTI 869.

ὥστε πέμψαι, καὶ ἐρευνᾶν ἀκριβῆ ποιήσασθαι κατὰ τοῦ Ἰγνατίου, ὡς αὐτοῦ λάθρα τυραννοῦντος κατὰ τῆς βασιλείας. εὐθὺς οὖν ἄρχοντες ἀπηνεῖς καὶ στρατιῶται θρασεῖς τὴν Τερέβινθον καταλαβόντες, καὶ πᾶσαν ποιήσαντες ἐξέτασιν, καὶ πᾶσαν βάσανον, τοὺς ὑπ᾽ ἐκεῖνον ἀνθρώπους βασανίσαντες, ἐπειδὴ ἐξέλιπον ἐξερευνῶντες ἐξερευνήσεις, καὶ λοιπὸν οὐδὲν εἶχον, ὥστε δικαίως τιμωρήσασθαι, τῇ ἀδικίᾳ καθαρᾷ χρῶνται. λαβόντες γὰρ τὸν ἱερὸν ἄνδρα μετὰ τῶν σὺν αὐτῷ, καὶ πρὸς τὴν λεγομένην Ἱερίαν περάσαντες, δέσμιον τοῦτον εἰς μάνδραν αἰγῶν κατέκλεισαν. ἐκεῖθέν τε πρὸς τὰ Προμήτου λεγόμενα διαπερῶσιν, ὅπου δὴ Λέων ἐκεῖνος ὁ Λαλάκων ἐπονομαζόμενος τῶν Νουμέρων δομέστικος ὤν, ἐπὶ τοσοῦτον αὐτοῦ τοῖς ῥαπίσμασι κατέκοψε τὰς σιαγόνας, ὡς δύο μύλας ἐκεῖ τοῦ ἱερωτάτου γέροντος ἐκπεσεῖν. εἶτα δύο μοχλοῖς σιδηροῖς, ἀνδροφόνων τρόπον, τοὺς αὐτοῦ πόδας κατασφαλισάμενοι, καὶ μικρᾷ φρουρᾷ κατακλείσαντες ἀπῄεσαν, δύο παῖδας καὶ μόνους πρὸς ὑπηρεσίας αὐτῷ καταλιπόντες. ὅλος δὲ αὐτοῖς ὁ ἀγὼν καὶ ἡ ἔνστασις ἦν, ὥστε λίβελλον αὐτοῖς ἀποταγῆς δοῦναι, καὶ ἑκουσίως τοῦ θρόνου παραχωρεῖν. ὁ δὲ τὸν λύκον κατὰ τῆς ποίμνης δεινῶς ἐπιστραφέντα θεασάμενος, ὅσον ἦν ἐπ᾽ αὐτῷ, τὴν ἔφοδον ἐξεῖργεν. ἡμερῶν δὲ παρελθουσῶν ὀλίγων, εἰς τὰ Νούμερα τοῦτον περάσαντες, σιδηροδέσμιον ἐγκλείουσιν. εἶτα Αὔγουστος ἐνίστατο μήν, καὶ εἰς πλοῖον αὐτὸν ἐμβαλόντες, εἰς Μιτυλήνην ἐξορίζουσι. πάντας δὲ τοὺς ὑπονοουμένους οἰκείους εἶναι καὶ φίλους αὐτοῦ, οὓς μὲν δαρμοῖς ἀφορήτοις καὶ θανατηφόροις παρεδίδου πληγαῖς· οὓς δὲ τὸ φιλανθρωπότατον, ὑπερώριζον τῆς πόλεως. ὅτε δὴ καὶ τὸν χαρτοφύλακα Βλάσιον διὰ τὴν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας παρρησίαν ἐγλωσσοτόμησαν. ἐν Μιτυλήνῃ δὲ διατρίβοντος, ὁ Φώτιος τὴν κατ᾽ αὐτὸν ἐκκλησίαν τῶν πονηρευομένων συναγαγών, καὶ πρὸς τῷ ἱερῷ τεμένει τῶν πανενδόξων Ἀποστόλων γενόμενος, καθαίρεσιν ἀποφαίνεται κατὰ τοῦ μὴ παρόντος Ἰγνατίου· οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ ἀναθεματίζει καὶ ἀποκηρύττει, αὐτὸς κατήγορος γινόμενος καὶ κριτής. καὶ ὅσους μὲν ἑώρα τῷ αὐτοῦ σκοπῷ καὶ τῇ παραλόγῳ πράξει ταύτῃ συνᾴδοντας, καὶ τοῖς πλημμελέσιν ὑπογράφοντας, ἐν τοῖς πρώτοις τῶν φίλων καὶ γνησιωτάτων εἶχε συλλειτουργῶν. ὅσοι δὲ τῇ ἀκρίτῳ κρίσει προσοχθήσαντες, συναινέσαι ταῖς ἀλογιστίαις ταύταις οὐκ ἠβούλοντο, τούτους τῷ πραιτωρίῳ καὶ φυλακαῖς πολυτρόποις κολασθησομένους παρεδίδου. πολλῶν οὖν διαγογγυζόντων, καὶ ἐπὶ ταῖς ἀκρισίαις ταύταις Φωτίου καταγινωσκόντων, ὑπό τε τῶν οἰκείων ἔργων ἐκεῖνος καὶ τῆς συνειδήσεως διελεγχόμενος, βουλὴν βουλεύεται πονηρὰν μᾶλλον ἢ συνετήν. οὐ γὰρ ἀγαθῷ, ἀλλὰ κακῷ τὸ κακὸν ἰάσασθαι διανοεῖται· μᾶλλον δὲ τῷ ἥττονι τὸ μεῖζον ἐπεισάγειν. ὥσπερ γὰρ οἱ τὴν ὁδὸν ἀνιόντες τῆς ἀρετῆς, διὰ τῶν ἀγαθῶν ἔργων ὡς διὰ κλίμακος ἀναβαίνουσι πρὸς τὸν Θεόν· οὕτως οἱ τὴν εὐθεῖαν ἀφιέντες, διὰ τῶν πονηρῶν πράξεων τῷ τῆς πονηρίας προσοικειοῦνται πατρί· καὶ κακῷ κακὸν ἐπιπλέκοντες οὐ διαλείπουσιν, ἕως ἂν εἰς τὸν τῶν οἰκείων ἔργων ἐναγῶσι βόθρον.

Διανοεῖται τοίνυν κἀκεῖνος πρεσβευτὰς εἰς τὴν πρεσβυτέραν ἀποστεῖλαι Ῥώμην, καὶ παρὰ Νικολάου τοῦ πάπα τοποτηρητὰς αἰτῆσαι, πρόφασιν μὲν εἰς διόρθωσιν τῆς ἐκκλησίας, εἴτουν ἐκτομὴν πλείαν τῶν ἔτι τῆς χριστιανοκατηγορικῆς τῶν εἰκονομάχων αἱρέσεως ἀντεχομένων· τὸ δὲ ἀληθές, ὡς ἂν μετὰ τῆς τῶν Ῥωμαίων χειρὸς περιφανεστέραν τοῦ Ἰγνατίου ποιήσηται καθαίρεσιν.



VITA IGNATII PATRIAR.

A tium velut imperio inſidiantem ſevere inquirant. Ergo crudeles præfecti, atroceſque ſatellites extemplo Terebinthum petunt, omniaque genera quæſtionum inſtituunt, & famulos Ignatii tormentis omnibus excruciant. Poſtquam vero defecerunt ſcrutantes ſcrutinia, nec quidquam deprehenderunt, quo jure in illum animadverterent, aperto ſcelere in eum graſſantur. Arreptum enim virum ſanctum & ſuos in inſulam Hieriam traduxerunt, atque Ignatium vinctum ſtabulo caprario incluſerunt. Inde ad ea loca transferunt, quæ Prometi dicebantur; ubi Leo ille cognomento Lalaco, Numerorum domeſticus, tam im- B maniter colaphis genas illius cecidit, ut ſacratiſſimo ſeni duos molares excuteret dentes. Deinde vectibus geminis, latronum inſtar, pedes ſtrinxerunt; anguſtoque concluſum ergaſtulo, duobus duntaxat pueris adminiſtris illi conceſſis, reliquerunt. Tota autem vis hæc & vexatio eo pertinebat, ut Ignatius abdicationis libellum ſcriberet, ſponteque throno patriarchatus cederet. Sed Ignatius, cum lupum in gregem atrociter graſſari cerneret, quantum poterat, impetum reprimebat. Elapſis autem haud multis inde diebus, in Numera deductum, in carcere catenis onerant: dein Auguſto menſe C appetente, in navigium conjectum Mitylenem deportant. Porro eos qui habebantur ejus familiares & amici, immaniſſimis cruciamentis, plagiſque lethalibus afficiebant: quos autem humaniſſime tractabant, exilio multabant; Blaſioque chartophylaci ob fidem & dicendi libertatem linguam detruncarunt. Ignatio porro Mitylenæ commorante, Photius eccleſia malignantium ſibi affinium coacta, abſentis Ignatii, in ipſo glorioſiſſimorum apoſtolorum templo, exauctorationem pronuntiat: nec pronuntiat tantum, ſed anathemate Ignatium ferit damnatque; & damnatum idem accuſator, idem judex proclamat. Qui quos fa- D ctioni ſuæ ſtudere, factiſque inſanis accinere, ac decretis ſubſcribere videbat, hos vero inter intimos amicos ac ſymmyſtas habuit. Qui autem ejus amentia offendebantur, factaque (ut qui ſincero judicio forent) non probabant, prætorio & vinculis peſſime acceptos tradebat. Multis igitur muſſitantibus, improbaque Photii acta damnantibus; quin & ipſe Photius cum ſuis factis & conſcientia reprehenderetur, conſilium improbum potius quam ſapiens capit. Non enim bono malum, ſed malum malo ſanare, minorique malo majus addere cogitat. Nam ut virtutis viam ingreſſi, per E bona opera quaſi per gradus ad Deum enituntur: ita improbi relicto recto tramite, per opera mala auctori malitiæ copulantur, ſceluſque ſcelere cumulare non deſiſtunt, donec in profundum malefactorum ſuorum præcipites agantur.

Legationem ergo & ille Romam veterem deſtinat, & a Nicolao papa legatos petit, qui in ſpeciem quidem collapſam eccleſiæ diſciplinam emendent, & damnatæ Iconomachorum ſectæ reliquias penitus extinguant; revera autem, ut Romanæ eccleſiæ auctoritate Ignatii exauctorationem firmaret, teſtatioremque redderet. Legat ergo

 Theo-

VITA IGNATII PATRIAR.

A Theophilum Amorii epiſcopum, & Samuelem, qui ad illum diem Chonarum antiſtes Laodiceno ſubjectus, archiepiſcopi honore dignatus eſt a Photio. Per quos egregius ille non veritus eſt ad pontificem maximum mendacia perſcribere; Ignatium ſenio & morbo confectum, corporiſque invaletudine laborantem, ſe munere abdicaſſe, ſuaque in inſula & cœnobio commorari, & a principibus populoque, & tota eccleſia, omni honore & officiis coli. Pontifex legatis exceptis, rerum Conſtantinopoli geſtarum ignarus, duos legatos, Zachariam & Rhodoaldum epiſcopos ablegat.

B Interea athleta Chriſti ſemeſtri Mitylenæ exacto, ab exilio redit: redit autem voluntate principum reſtitutus inſulæ Terebintho, non tam honori, quieti & ſolatio, quam ignominiæ, vexationi, majorique afflictioni. Quanta enim inimicus in eo malignatus ſit, quantaſque ærumnas Nicetas regiæ claſſis drungarius cognomento Oryphas, quantas item contumelias, ut Photio & principibus gratificaretur, irrogarit, quæ oratio aſſequatur? Quis ſingillatim impetum, convicia, verbera, tormenta, quæ ille in familiares illius cruenta manu exercuit, exponat? Acceſſit & alia ſancto viro calamitas. C Ea tempeſtate Rhoſſi gens Scytharum, a Ponto Euxino ad Stenum excurſione facta, omnem circa regionem, omniaque monaſteria deprædati ſunt: inſulanorum quoque Byzantinorum per populationem vaſa omnia diripuerunt, argentum abſtulerunt, captos ad unum omnes trucidarunt. Ipſius denique patriarchæ cœnobia barbarico furore & impetu incurſantes, tota ſupellectili direpta, ſpoliarunt, duoſque ſupra viginti ex familiariſſimis captos, in uno navigii trochantere omnes ſecuribus trucidarunt. Quas ille clades cum accepiſſet, unicam hanc in ore vocem ſemper habuit: *Dominus dedit, dominus abſtulit: ſicut domino placuit, ita factum eſt*: D & quæ ſequuntur. Ita gratias agens & orationi aſſiduus intentus, a Deo judicium & auxilium, nullam a principibus ſalutem expectans, implorabat. Nam illi, ubi hunc tantis oppreſſum malis & ærumnis audiverunt, tantum abeſt ut dolerent, vel afflictum ſolarentur, ſed moleſte etiam ferrent, cum non cum domeſticis ſuis barbarica vi captum interiiſſe; non magis læti de interemptis, quam triſtes de ſalute juſti viventis. Quod mirum videri non debet. mens enim omni caritate deſtituta, odioque penitus imbuta, velut igne ſubjecto conſumpta, E ejus quem odit, exitium, unicum putat mali ſui levamentum. Nec multum temporis fluxit, & ſurſum conciliabula, ſurſus principum & pontificum adverſus ſanctum conventicula. Atque Ignatius quidem in ædibus Poſeos morabatur, inſidioſaſque contra ſe machinationes obſervabat; Photius autem cum ſua factione, & miſſis ab urbe pontificis legatis, ſacram apoſtolorum ædem occuparat. Aderant imperatores, aderant & principes cuncti, totaque prope civitas confluxerat. Frequentes ergo cum adeſſent, primum Baa-

ANNO CHRISTI 869.

A ἀποστέλλει τοίνυν Θεόφιλον ἐπίσκοπον τοῦ Ἀμορίου, καὶ Σαμουὴλ ἐπίσκοπον ἄχρις ἐκείνου τῶν Χωνῶν ὑπὸ Λαοδίκειαν τυγχάνοντα, ἀρχιεπισκοπικῶς τιμηθέντας δι' ὧν καὶ τὰ ψευδῆ πρὸς τὸν πάπαν γράφειν ὁ γεννάδας οὐκ ὤκνει. γράφει γὰρ, ὡς Ἰγνάτιος διὰ γῆρας καὶ νόσον καὶ σώματος ἀδυναμίαν παραιτησάμενος, ὑπεχώρησε τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἐν τῇ κατ' αὐτὸν νήσῳ καὶ τῷ μοναστηρίῳ μένων, πάσης τιμῆς καὶ θεραπείας ὑπό τε τῶν βασιλευόντων, ὑπό τε πάσης τῆς πόλεως καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἐκκλησίας ἀξιοῦται. τούτους ὁ πάπας δεξάμενος, καὶ τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν ἀγνοῶν, δύο τοποτηρητὰς, Ζαχαρίαν καὶ Ροδόαλδον ἐπισκόπους ἀποστέλλει.

B Ἐν δὲ τῷ μεταξὺ ἐπάνεισι μὲν τῆς ἐξορίας ὁ ἀθλητὴς, ἓξ μῆνας ἐν Μιτυλήνῃ πεποιηκώς· ἐπάνεισι δὲ διὰ τῆς τῶν κρατούντων προνοίας πρὸς τὴν Τερέβινθον ἀποκαθιστάμενος, οὐ πρὸς τιμὴν μᾶλλον ἢ ἀτιμίαν, οὐδὲ πρὸς ἀνάπαυσιν καὶ παραμυθίαν, ἀλλὰ πρὸς θλῖψιν καὶ κάκωσιν περισσοτέραν. ὅσα γὰρ ὁ ἐχθρὸς ἐν αὐτῷ ἐπονηρεύσατο, καὶ ὅσας αὐτῷ Νικήτας ὁ τοῦ βασιλικοῦ στόλου δρουγγάριος, ὁ Ὠρύφας λεγόμενος, θλίψεις ἐπήνεγκε καὶ ἐπηρείας, Φωτίῳ καὶ τοῖς κρατοῦσι χαριζόμενος, τίς λόγος παραστῆσαι δύναται; τίς καθ' ἓν ἀπαγγεῖλαι τὰς ἐπαγωγὰς, τὰς ὕβρεις, τὰς ζημίας, καὶ τοὺς δαρμοὺς, ὅσα χειρὶ μιαιφόνῳ κατὰ τῶν τοῦ μακαρίου οἰκείων ἐκεῖνος ἐπεκτήσατο; ἐπεγένετο δὲ καὶ C ἄλλη τῷ ἁγίῳ συμφορά. κατ' ἐκεῖνον γὰρ τὸν καιρὸν τὸ μιαιφονώτατον τῶν Σκυθῶν ἔθνος, οἱ λεγόμενοι Ρῶς, διὰ τοῦ Εὐξείνου πόντου προσκεχωρηκότες τῷ Στενῷ, καὶ πάντα μὲν χωρία, πάντα δὲ μοναστήρια διηρπακότες, ἔτι δὴ καὶ τῶν τοῦ Βυζαντίου περιοικίδων κατέδραμον νησίων, σκεύη μὲν πάντα ληϊζόμενοι καὶ χρήματα, ἀνθρώπους δὲ τοὺς ἁλόντας πάντας ἀποκτείνοντες. πρὸς οἷς καὶ τὰ τοῦ πατριάρχου μοναστήρια βαρβαρικῷ καταδραμόντες ὁρμήματι καὶ θυμῷ, πᾶσαν μὲν τὴν εὑρεθεῖσαν κτῆσιν ἀφείλοντο, εἴκοσι δὲ καὶ δύο τῶν γνησιωτέρων αὐτοῦ κεκρατηκότες οἰκετῶν, ἐφ' ἑνὶ τροχαντῆρι πλοίου τούτους πάντας ἀξίναις κατεμέλισαν. τούτων δὲ τῶν συμφορῶν ἐκεῖνος ἐπακούων, μίαν ἀεὶ ταύτην ἐπὶ στόματος D εἶχε φωνήν· ὁ Κύριος ἔδωκεν, ὁ Κύριος ἀφείλετο· ὡς τῷ Κυρίῳ ἔδοξεν, οὕτως καὶ ἐγένετο· καὶ τὰ ἑξῆς· οὕτως εὐχαριστῶν, καὶ ταῖς προσευχαῖς ἀδιαλείπτως πρὸς τὸν Θεὸν ἀνατεινόμενος, τὴν παρ' αὐτοῦ κρίσιν καὶ βοήθειαν ἐπεκαλεῖτο, ματαίαν δὲ πᾶσαν τὴν ἀπὸ τῶν κρατεῖν δοκούντων ἡγεῖτο σωτηρίαν· οἵ γε καὶ ἡνίκα τοῦτον τηλικαύταις περιπεσεῖν ἀνίαις ἤκουσαν καὶ θλίψεσι, τοσοῦτον ἀπέχον τοῦ συμπαθῆσαι καὶ παραμυθήσασθαι, ὥστε καὶ λύπης πρόφασιν ἡγήσασθαι, ὅτι μὴ καὶ αὐτὸς τῇ βαρβαρικῇ ἑάλω χειρὶ, καὶ τοῖς οἰκείοις συνανῃρέθη πᾶσιν· οὐ μᾶλλον εὐθυμοῦντες ἐπὶ τοῖς ἀνῃρημένοις, ἢ ἀνιώμενοι ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ τοῦ δικαίου. καὶ οὐ θαυμαστόν. ψυ- E χὴ γὰρ πάσης τῆς ἀγάπης μὲν ἀλλοτριωθεῖσα, τοῦ δὲ μίσους ἀναπλησθεῖσα, καὶ ὡς πυρὸς ὑπ' αὐτοῦ δαπανωμένη, μίαν ταύτης ἡγεῖται τοῦ πάθους ἀναψυχὴν, τὴν ἀπώλειαν τοῦ μισουμένου. οὐ πολὺ τὸ ἐν μέσῳ, καὶ πάλιν συνέδρια, πάλιν ἀρχόντων καὶ ἀρχιερέων κατὰ τοῦ ἀθῴου βουλευτήρια. ὁ μὲν οὖν εἰς τὰ Πόσεως ἐκάθητο, τὴν κατ' αὐτοῦ σκευωρίαν ὑφορώμενος. Φώτιος δὲ τὴν κατ' αὐτὸν ἐκκλησίαν καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς Ρώμης ἥκοντας λαβὼν τοποτηρητὰς, τὸν ἱερὸν τῶν Ἀποστόλων κατειλήφει ναόν. παρῆσαν καὶ οἱ βασιλεῖς, παρῆσαν καὶ πάντες οἱ ἄρχοντες, καὶ πᾶσα σχεδὸν ἡ πόλις παρῆν ἐκεῖ. ἐπεὶ δ' οὖν συνεληλύθεισαν, πρῶ-



ANNO CHRISTI 869.

A τον μὲν Βαάνην πραιπόσιτον, τὸν Ἀγγουρᾶν ἐπικαλούμενον, καὶ ἄλλους δέ τινας ἐξουθενημένους Ρωμαίους πρὸς Ἰγνάτιον ἀποκρισιαρίους προχειρίζονται. οἳ καὶ παραγενόμενοι· ἡ μεγάλη, φασὶ, καὶ ἱερὰ σύνοδος καλεῖ σε πρὸς ἑαυτήν· ἐλθὲ τάχιον ἀπολογησόμενος πρὸς τὰ δικαίως ἢ ἀδίκως θρυλλούμενα κατὰ σοῦ. ὁ δὲ μακάριος· εἴπατε, φησὶν, ἀξιῶ, πῶς ἐλεύσομαι; ὡς ἐπίσκοπος, ἢ ἱερεὺς, ἢ θεραπευτής; οἱ δὲ, μὴ εἰδέναι τί πρὸς ταῦτα ἀποκριθῶσιν, εἶπον· ἀλλὰ νῦν ἀπιόντες πρὸς τοὺς ἀποστείλαντας, βεβαίαν ἀπόκρισιν αὖθις ἴσως κομιούμεθα. τῇ οὖν ἐπαύριον οἱ αὐτοὶ παραγενόμενοι· οἱ τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας, ἔφασαν, Ρώμης, Ροδόαλδος καὶ Ζαχαρίας, δι' ἡμῶν τῶν ἀναξίων δηλοῦσι τάδε· εἰς τὴν ἁ- B γίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον ἀνυπερθέτως ἀπάντησον, ὡς ἔχει σου ἡ συνείδησις. εὐθὺς οὖν τὴν ἀρχιερατικὴν στολὴν ἐκεῖνος ἐνδυσάμενος, σὺν ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις, καὶ πλήθει πολλῷ μοναχῶν τε καὶ λαϊκῶν, ᾔει πεζοπορῶν. πλησίον δὲ τοῦ ναοῦ Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου, ὅπου σταυρὸς ἐν μαρμαρίνῳ κίονι κατὰ μέσον ἀνεστήλωται τῆς λεωφόρου, γενομένῳ, Ἰωάννης πατρίκιος, ὁ Κόξης λεγόμενος, ἀπήντησεν αὐτῷ, λέγων ἀπὸ τοῦ βασιλέως ἀπεστάλθαι, καὶ ἀπειλῶν, ὡς εἰ μὴ παγανικῷ ἐν μοναχικῷ τῷ συνήθει σχήματι προέλθοι, θάνατον ἐπηρτῆσθαι τὴν ζημίαν. ὃ καὶ πεποιηκότα τὸν ἀοίδιμον τῷ συνεδρίῳ παρεστήσαντο. C καὶ δὴ παριστᾶσιν ἑβδομήκοντα καὶ δύο ψευδομάρτυρας, οὓς ἐκ πολλοῦ προητοιμάσαντο, ἀνθρώπους ἀσεβεῖς πάντας, ἀγελαίους καὶ συγκλητικοὺς, ὧν ἡγεῖτο Λέων πατρίκιος ἐκεῖνος, ὁ Κρητικὸς ὀνομαζόμενος, καὶ Θεοδοτάκιος πατρίκιος μετ' αὐτὸν, ᾧ καὶ τῆς ἐπιορκίας μισθὸν τὴν ἀξίαν μαγίστρου προετείνατο. ἐφ' οἷς καὶ τοὺς λοιποὺς ἀφ' ἑκάστου βαθμοῦ καὶ τοὺς καταδεεστάτους πάντων συλλεξάμενοι, οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῶν λεγομένων διβαπτιστῶν, καὶ ἀπὸ παντὸς, ὡς εἰπεῖν, τύματος τοὺς αἰσχίστους καὶ μιαρωτάτους τῶν ἀνθρώπων χρυσοῦ τε καὶ ἀξιωμάτων ἐξαγορασάμενοι, ἕνα καθ' ἕνα προσῆγον, ὀμνύοντας, ὡς ὁ δωδεκαετῆ μικροῦ δεῖν χρόνον ἀρχιερα- D τεύσας Ἰγνάτιος ἀψηφίστως χειροτονηθεὶς, ἐκράτησε τῆς ἐκκλησίας. τί οὖν οἱ μάταιοι τῶν τοιούτων κριταὶ, ὧν ἐν χερσὶν αἱ ἀνομίαι; ὧν ἡ δεξιὰ αὐτῶν ἐπλήσθη δώρων; τί οὖν πρὸς τὴν ψευδορκίαν ταύτην ἀνθυπήνεγκαν; τὸν τριακοστὸν εὐθὺς ὑπαναγινώσκουσι κανόνα· εἴ τις ἐπίσκοπος, λέγοντα, κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, δι' αὐτῶν ἐγκρατὴς ἐκκλησίας γένηται, καθαιρείσθω. τὸ ἑξῆς δὲ τοῦ κεφαλαίου· ὅτι καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες· κακούργως οἱ δόλιοι παρεσιώπησαν. ἔδει δὲ πάντως, εἴπερ Ἀποστολικὸν νόμον ἠγωνίζοντο τηρεῖν, οὐκ ἐκ μέρους, ἀλλὰ πλείως τηρεῖν· καὶ εἰ E ἀληθῶς εἶχεν ἡ κατηγορία, ὥσπερ ἐκεῖνον, οὕτω καὶ τοὺς ὑπ' ἐκείνου χειροτονηθέντας, καὶ αὐτῷ κοινωνήσαντας, καθαιρεῖν· καὶ οὕτως ἂν ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτῶν οἱ ἁμαρτωλοὶ σαφῶς συνελαμβάνοντο. ἀδικώτατα δὲ διανοούμενοι, ὅσον μὲν αὐτοῖς πρὸς βλάβην τοῦ παρ' αὐτῶν ἐπηρεαζομένου συνετέλει, τοῦτο ἐξεφώνησαν, τὸ ἑξῆς δὲ, ὡς καὶ αὐτοὺς τῇ αὐτῇ ὑποβάλλον ἐπιτιμίᾳ, κατεκρύψαντο· ὃ δὴ καὶ ὁ πατριάρχης αὐτοῖς τότε παρασιωπήσασιν εὐστόχως ἐπεφώνει. ὢ τῆς κακουργίας, ὢ τῆς σκαιότητος. τίς γὰρ οὐκ οἶδεν, ὡς Ἰγνάτιος μὲν ψήφῳ πάντων ὁμοῦ τῶν Ἀρχιερέων,

VITA IGNATII PATRIAR.

A nem præpoſitum cognomento Angoram, alioſque nonnullos ex vilioribus Romanis, apocriſiarios ad Ignatium deſtinant. Qui coram Ignatio, magna, inquiunt, & ſacra ſynodus te citat. Quamprimum ergo ades, cauſam de objectis tibi ſive veris, ſive falſis criminibus dicturus. Hic beatus: Agite, inquit, obſecro, quomodo veniam? an ut epiſcopus, an ſacerdos, an monachus? Illi hærentes; nunc, inquiunt, abimus, cras ad te certa relaturi. Poſtridie igitur iidem reverſi: Legati, inquiunt, veteris Romæ, Rhodoaldus & Zacharias, per nos indignos hæc nuntiant tibi, uti ſine mora ad ſan- B ctam & œcumenicam ſynodum adſis, ut tua conſcientia tibi dictat. Ergo (Ignatius) extemplo ſacrum patriarchæ ornatum indutus, cum epiſcopis & clero, magnaque religioſorum frequentia, civiumque concurſu & comitatu, viam pedes ingreſſus, cum ad ædem ſancti Gregorii Theologi, ubi crux in media publica via marmoreæ columnæ impoſita eſt, veniſſet, Joannes patricius, Coxes nuncupatus, illi occurrit; ſeque ab imperatore miſſum dicit; ac niſi privata & uſitata monachi veſte prodiret, ei capitis periculum ac ſupplicium imminere. Paret vir ſanctus, ſynodoque ſiſtitur. Apponunt C duos ſupra ſeptuaginta perjuros teſtes, quos jam olim impios omnes ſubornarant, gregarios juxta ac ſenatorios; quorum dux erat Leo patricius cognomento Creticus, & ſecundum illum Theodotacius item patricius, cui & perjurii precium magiſtri dignitas delata eſt. His reliquos ex unoquoque gradu ſorteque vel deterrimos adjunxerunt. Neque hos tantum, ſed quos dibaptiſtas appellitant hæreticos. Atque, ut ita dicam, ex omni hominum fæce & colluvie turpiſſimos quoſque nequiſſimoſque auro dignitatumque pollicitationibus inductos, ſingillatim produxerunt, qui jurati teſtarentur, Ignatium, qui patriar- D cha jam fuerat annos prope duodecim, non rite & ordine creatum, cathedram eccleſiæ occupaſſe. Quid vero ſtolidi horum judices, *in quorum manibus iniquitates ſunt, & dextera eorum repleta eſt muneribus*? Quid contra perjurium hoc decreverunt? Triceſimum ſubito canonem ſubjiciunt, qui ſic habet: Si quis epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus, per ipſos eccleſiam obtineat, deponatur. Quod autem ſequitur in eodem capite: ut & omnes communicantes cum illo, &c. fraudulenti malitioſe tacuerunt. Oportebat enim, ſiquidem pro ſanctione apoſtolica propugnabant, non partem, ſed totum canonem obſervare: & E ſi accuſationem admiſiſſent, ut Ignatium, ita ab illo initiatos, & cum illo communicantes exauctorare: ſicque in operibus manuum ſuarum peccatores manifeſte deprehenſi eſſent. Contra jus autem faſque decernentes, hoc pronuntiarunt tantum, quod pro ipſis ad evertendum Ignatium ab illis ſine cauſa læſum, faciebat. Quod autem ſequitur in canone, quo illi ipſi eidem ſubjiciuntur cenſuræ, diſſimularunt: id quod illis tacentibus opportune patriarcha ipſe ſuccIamavit. O improbitatem, o ſtuporem! Quis enim ignorat, Ignatium epiſcoporum

Pſal. 25.

Canon apoſtol. 29. alias 31.

VITA IGNATII PATRIAR.

porum omnium calculis, & totius populi applauſu legitime canoniceque creatum fuiſſe: ipſum autem Photium potius ab execrato Barda, & ſæcularibus armatum principibus, contra leges, magiſque per tyrannidem, quam eccleſiaſticum ritum, thronum invaſiſſe? Sed non cognoverunt, neque intellexerunt, qui in avaritiæ & ambitionis tenebris ambulant, ſe iiſdem conſiliorum laqueis, quos aliis paraverant, comprehendi.

Poſt longam ergo verborum altercationem, laborem, & cunctationem, ſola impotenti freti potentia, præter jus faſque omne, " pontificali cultu pannoſo & ſordenti primo induunt, rurſuſque poſtea a tergo exuunt. Erat autem hypodiaconus quidam Procopius nomine, ab eccleſia ejectus; quippe quem mente inſanum, moribuſque profanum patriarcha non ita pridem gradu moverat. Hic primus ablato a patriarcha pallio, veſteque reliqua ſacra, iſtud ſolenne proclamabat: Indignus. Zacharias & Rhodoaldus, nonnullique alii nefarii homines idem vociferantes, impio decreto ſuffragabantur. Quos tamen omnes brevi cæleſtis vindicta conſecuta eſt, cum illos ſancti vatis Zachariæ falx illa jure optimo demeſſuit. Photius autem quo pacto ſuum adverſus inſontem occultum aliter odium univerſo orbi proderet, ſeipſumque longiſſime a pacifico mitique paſtore Jeſu abeſſe oſtenderet, quam res ejuſcemodi machinando, juſtoque viro injurias tantas irrogando? Hoc judicium nemo fuit qui non reprehenderet, atque indignitatem rei, aut potius immanitatem non averſaretur. Neque enim illi ſoli, qui rectam rationem ſequebantur, ſed ipſius quoque Photii propinqui & familiares ad hanc rerum geſtarum infamiam ingemiſcebant, augurabanturque, hanc omnem improbitatem in ipſius quondam iniqui judicis caput & exitium redundaturam. Quid vero ille? an homines eſt reveritus? an timuit diligentem juſtitiam & judicium Deum? illoque ex tempore iram poſuit? minime vero. Quinimmo odium odio, invidiam invidia, ſcelus ſcelere cumulans, illum omni ratione vique conabatur non tantum peſſumdare, ſed, quod eſt atrocius, veluti noxium, ultimoque ſupplicio dignum e medio tollere. Itaque tunc, ut cœperant, exauctoratum, publicoque præconio damnatum, immaniſſimis ſceleſtiſſimiſque hominibus excruciandum tradidere, quoad ſua manu ſuæ ipſius abdicationi ſubſcriberet. Ergo illum colaphis plectunt, miſereque divexant: & cum frigore prope contabeſceret, unica tantum tunicula indutum macerant, urunt, atque diſcruciant. Cumque binas illum hebdomadas in carcere tenuiſſent, extrema prope fame conficiebant. Immo & Copronymi ſepulcrum ſeu arcam conſcendere cogebant, in eaque collocato, ingentia a pedibus ſaxa ſuſpendebant, ſæpeque marmoris acumine ſedem concuſſam atterebant. Hæc & his plura tormenta, ſannas, contumeliaſque impium ſemen, ut ſic loquar, & impia progenies viro ſanctiſſimo dictis factiſque, & ſtolidus ille Theodorus, & Gorgonites Joannes, atque Nicolaus Theoduli Scutelopſis, irrogabant.

Ergo poſt cruciamenta, quibus Chriſti

" pan. & ſord. primo ſum popull. rufus,

A καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης συναινέσει, κανονικῶς καὶ ἐνθέσμως προκεχειρίσθαι· αὐτὸς δὲ ὁ Φώτιος μᾶλλον τῷ τε δεινῷ Βάρδᾳ καὶ τοῖς κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος συνεργοῖς, ἀκανονίστως καὶ τυραννικῶς μᾶλλον ἢ ἐκκλησιαστικῶς τοῦ θρόνου καθαδράττεται; ἀλλ' οὐκ ἔγνωσαν, οὐδὲ συνῆκαν οἱ τῷ τῆς φιλαργυρίας καὶ δοξομανίας σκότει διαπορευόμενοι, ὡς ἐν οἷς διαλογίζονται διαβουλίοις, συλλαμβάνονται.

Μετὰ πολλὴν οὖν τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἅμιλλαν καὶ σπουδὴν καὶ τριβὴν, κατ' οὐδένα δικαιοσύνης νόμον, μόνῃ δὲ τῇ ἐξουσίᾳ μανικῶς χρώμενοι, ἐνδύουσι τοῦτον ἱμάτια διερρωγότα καὶ ῥυπῶντα, B καὶ τὴν ἱερατικὴν στολὴν περιβαλόντες, ἐκ τῶν ὄπισθεν ἀπαμφιάζουσιν. ἦν δέ τις ἐκκήρυκτος ὑποδιάκονος, Προκόπιος τοὔνομα, τὸν λόγον ἄλογος, τὸν βίον βέβηλος, ὃν ὁ πατριάρχης πρῴην διὰ τοῦτο ἔρριψε τοῦ βαθμοῦ. οὗτος πρῶτος ἀναιρούμενος τὸ ὠμοφόριον, καὶ τὴν λοιπὴν ἐσθῆτα, ἐβόα τὸ, ἀνάξιος. Ζαχαρίας τε καὶ Ῥοδόαλδος, καί τινες ἄλλοι μιαροὶ τὰ ἴσα κραυγάζοντες, τῇ ἀνοσίᾳ ψήφῳ συνεπεψηφίζοντο· οὓς πάντας οὐ μετὰ πολὺ μετῆλθεν ἡ δίκη, καὶ τὸ τοῦ Ζαχαρίου τοῦ θείου δρέπανον ἐνδικώτατα κατακτεῖναι συνετέλεσε. Φώτιος μὲν οὖν τὴν ἐνδομυχοῦσαν ἐν αὐτῷ κατὰ τοῦ C ἀνεγκλήτου μῆνιν πῶς ἂν ἄλλως τῇ οἰκουμένῃ πάσῃ κατεστήσατο φανερὰν, καὶ πῶς ἂν ἑαυτὸν ὡς πορρωτάτω τοῦ εἰρηνικοῦ καὶ πρᾴου ποιμένος ἀπέφηνεν Ἰησοῦ, ἢ τοιαῦτα διανοηθεὶς, καὶ οὕτως ἀδικώτατα τῷ δικαίῳ ἐπιθέμενος; ταύτην τὴν κρίσιν οὐκ ἦν ὅστις οὐκ ἐμέμψατο, καὶ τῆς ἀλογιστίας, μᾶλλον δὲ μισανθρωπίας τὸ ὑπερβάλλον ἀπεστράφη. οὐδὲ γὰρ οἱ τῷ μέρει μόνον τοῦ ὀρθοῦ λόγου τιθέμενοι, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ Φωτίου οἱ συγγενεῖς καὶ οἰκεῖοι κατεστέναξαν τῶν γινομένων, καὶ εἰς κακὸν ταῦτα προβήσεσθαι τῷ τῆς ἀδικίας οἰωνίσαντο κριτῇ. τί δὲ ἐκεῖνος; ἆρ' ᾐδέσθη τοὺς ἀνθρώπους, ἢ τὸν δικαιοσύνην ἀγαπῶντα καὶ κρίσιν θεὸν φοβηθεὶς, ἐξ ἐκείνου D κατέπαυσε τὴν ὀργήν; οὐδαμῶς· ἀεὶ δὲ φθόνον φθόνῳ, καὶ κακίαν ἐπισωρεύων τῇ κακίᾳ, ἠγωνίζετο σπουδῇ πάσῃ καὶ μηχανῇ οὐ θανατῶσαι μόνον, ἀλλὰ τὸ τούτου χεῖρον, καὶ ὡς θανάτου ἄξιον αὐτὸν ἀνελεῖν. τότε μὲν οὖν, ὡς ὑπέλαβον, καθαιρήσαντες καὶ ἐκκηρύξαντες, ἀνθρώποις αὐτὸν ὠμοτάτοις καὶ ἀσεβεστάτοις τιμωρεῖσθαι πικρῶς παραδεδώκασιν, ἄχρις ἂν οἰκείᾳ χειρὶ τὴν ἰδίαν καθαίρεσιν ὑποσημήνηται. ἦσαν δὲ οἱ κολαφίζοντες καὶ ταλαιπωροῦντες αὐτὸν, καὶ πήξεως οὔσης χειμερίας, ἐπὶ χιτωνίσκῳ πιέζοντες, καὶ σταυροῦντες αὐτὸν, καὶ πυρπολοῦντες, καὶ ἐν δυσὶν ἑβδομάσιν ἐμφρούριον συνέχοντες, καὶ ἀσιτίᾳ πλείᾳ κατατήκοντες. E οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ ἐπ' αὐτῆς αὐτὸν τοῦ Κοπρωνύμου τῆς λάρνακος ἐκάθιζον ἀναβιβάζοντες, καὶ τῶν ποδῶν αὐτοῦ κάτωθεν λίθους ἐξαρτῶντες βαρεῖς, καὶ ἐπὶ πλεῖον τῇ τοῦ μαρμάρου τὴν ἕδραν ὀξύτητι πικρῶς ἄγαν πλήσσοντες ἐξέτριβον. οἱ οὖν ταῦτά τε καὶ ἄλλα πλείω ἐνυβρίζοντες εἰς τὸν μακαριώτατον, καὶ λόγοις καὶ ἔργοις ἐμπαροινοῦντες εἰς αὐτὸν, σπέρμα πονηρὸν, ὡς εἰπεῖν, υἱοὶ ἄνομοι, ὁ μωροθεόδωρος ἐκεῖνος, καὶ ὁ Γοργονίτης Ἰωάννης, καὶ ὁ Θεοδούλου Νικόλαος ὁ Σκουτελόψις ἦν.

Μετὰ γοῦν τὰς κολάσεις, ἃς οὗτοι προσήγαγον

τῷ

ANNO CHRISTI 869.



ANNO CHRISTI 869.

τῷ ὁμολογητῇ τοῦ Χριστοῦ, μετὰ τὰς ἀπειλὰς, μετὰ τὰς ἁλύσεις, ἃς κατὰ τῶν τιμίων ἐπέβαλον ποδῶν, μετὰ τὰ ῥαπίσματα, μετὰ τὸ σταυροειδῶς ἐπὶ πρόσωπον κατὰ τῶν μαρμάρων ἐφαπλῶσαι, καὶ ὅλην τὴν νύκτα δεδεμένον τιμωρήσασθαι· μετὰ τὸ ἐπιβιβάσαι τῇ λάρνακι εἰς τὴν ἑξῆς νύκτα πᾶσαν, εἶθ' οὕτως ἀπολῦσαι τῶν δεσμῶν, καὶ κατὰ τοῦ ἐδάφους αὐτὸν ἀκοντίσαι καὶ συντρῖψαι, καὶ τῷ αἵματι φοινίξαι τὴν γῆν· μετὰ ταῦτα πάντα μικρὸν τοῦτον ἐμπνέοντα· συνεῖχε γὰρ μάλιστα λελυμένη καὶ ἡ γαστήρ· βίᾳ τῆς τοῦ ἁγίου χειρὸς ὁ μωροθεόδωρος κρατήσας, καὶ χάρτην λαβὼν, ἔπηξεν ὡς δι' αὐτοῦ σταυρὸν, ὃν καὶ ἀναγαγὼν ἐπιδέδωκε Φωτίῳ. ὁ δὲ τὸν σταυρὸν λαβὼν, ἐξ ἑαυτοῦ ὑπέγραψεν οὕτως· Ἰγνάτιος ἀνάξιος Κωνσταντινουπόλεως ὁμολογῶ ἀψηφίστως εἰσελθεῖν, B καὶ τὰ ἔτη ταῦτα οὐχ ἡγίαζον, ἀλλ' ἐτυράννουν. ταύτης τῆς ὑπογραφῆς τῷ βασιλεῖ πεμφθείσης, ἀφίεται μὲν ὁ μακάριος ἐκείνης τῆς συνοχῆς· τὸν μητρικὸν δὲ οἶκον τὰ Ποσέως καταλαβὼν, μικρόν πως ἀπὸ τῶν πολλῶν πόνων ἀνέψυχεν ἐκεῖ. ὁ ἐχθρὸς δὲ οὐκ ἐπαύετο δόλους ἐν καρδίᾳ τεκταινόμενος, καὶ πονηρὰ κατὰ τοῦ ἀθῴου διαλογιζόμενος, τοίνυν ὑποβάλλει τοῖς κρατοῦσιν ἐπὶ τὸν τῶν Ἀποστόλων αὖθις αὐτὸν ἀναγαγεῖν ναὸν, καὶ βιάζεσθαι, πρῶτον μὲν τὴν οἰκείαν καθαίρεσιν ἀνεγνωκότα ἐπὶ τοῦ ἄμβωνος ἀναθεματίζειν ἑαυτόν. μετὰ ταῦτα δέ· ὢ τῆς μιαιφόνου βουλῆς, ὢ τῆς δεινότητος· τούς τε ὀφθαλμοὺς ἐκκόψαι καὶ C τὴν χεῖρα, μανιωδῶς ἐβυσσοδόμευεν. οὕτως αὐτῶν εἰς βάθος τὸ μῖσος καθήψατο, καὶ τῆς τοῦ θεοῦ δικαιοσύνης λόγος παρ' αὐτοῖς οὐδεὶς, καὶ ὁ τοῦ θεοῦ φόβος ἀπῆν, καὶ ὁ τοῦ διαβόλου ζῆλος ἐσπουδάζετο. αὐτὴ συνεπληροῦτο ἡ τῆς ἁγίας πεντηκοστῆς ἡμέρα. καὶ ἰδοὺ πλῆθος στρατιωτῶν ὁπλοφόρων τὸν οἶκον ἐξαίφνης, ἐν ᾧ κατῄγετο, περιεκύκλου. ἰδὼν οὖν ὁ ἅγιος ἐκεῖνος τὰ ἐρχόμενα ἐπ' αὐτὸν, καὶ τὴν ἀδελφοκτόνον μανίαν αἰσθόμενος Ἡσαῦ, βουλὴν βουλεύεται, ἀντίρροπον μὲν τῆς τοῦ καιροῦ κακίας, τῆς αὐτοῦ δὲ συνέσεως καὶ τοῦ ὁδηγοῦντος αὐτὸν θείου πνεύματος ἐπάξιον. τίς δὲ ἡ βουλή; ἀλλοιοῖ μὲν ἑαυτὸν, οἰκτρὰν καὶ λαϊκὴν παρὰ τῶν οἰκετῶν ἀνειλημμένος στολὴν, δύο δὲ σπυρίδας ἐφ' D ἑνὸς ξύλου τῶν ἰδίων ἀπαιωρήσας ὤμων, ἀχθοφόρου τινὸς τρόπον ἀπέδρα, τοὺς φύλακας κατὰ μέσας νύκτας λαθών. ἔσπευδε δὲ ἅμα τῷ μαθητῇ Κυπριανῷ, τὴν ἐπὶ τὸ Συβαΐτικον διὰ τοῦ ἐμβόλου ποιούμενος πορείαν. τὴν ψυχὴν δὲ συντριβόμενος, καὶ τοῖς δάκρυσι περιρραινόμενος, καὶ σφόδρα κατάπικρος τὴν καρδίαν καὶ κατώδυνος ὢν, ἔτρεχεν ὥσπερ Δαυὶδ ἐκεῖνος ἀπὸ προσώπου διαδρᾶναι Σαούλ. κρείττονι δὲ προνοίᾳ συναντᾷ τούτῳ διὰ τῆς νυκτὸς ἰόντι ἀνήρ τις πάνυ τὴν πρόσοψιν εὐπρεπὴς, τόν τε πώγωνα καὶ τὴν κόμην ἁπαλῶς καθειμένος τῆς κεφαλῆς· καὶ αὐτὸς στολὴν λευκὴν ἐσταλμένος, καὶ ἵππῳ ἐπιβαίνων λευκῷ, τὴν ὡς E ἐπὶ Βλαχέρνας ἐβάδιζεν ὁδόν. ἀγνὼς δὲ ὁ ἀνὴρ, ὅτι πυρσὸς οὐδαμοῦ, καὶ τρανῶς ἐκεῖ τοῦτον ἰδεῖν οὐκ ἦν. πλὴν, ὅστις ποτὲ ἦν, πνεύματι θείῳ κινηθεὶς, ἔφη· ὁ θεὸς καὶ ἡ ὑπεραγία, λέγων, θεοτόκος ἀκινδύνους σε, πανίερε δέσποτα, καὶ τοὺς μετὰ σοῦ διαφυλάξαι. τοῦτο τὸ ῥῆμα, οἱονπερ ἐφόδιον ἀγαθὸν ἄνωθεν ἧκον ἐπ' αὐτὸν, ὁ μακάριος ὑποδεξάμενος, προθυμότερον ἐβάδιζε· καὶ τῷ δουλικῷ καὶ πενιχρῷ σχήματι πάντας λαθὼν, καὶ εἰς πλοῖον ἐμβὰς, καὶ τὰς Πριγκιπείους, καὶ Προικοννησίους, οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ τὰς Προποντίους νήσους, ἄλλην ἐξ ἄλλης ἀμείβων, καὶ ἐν ἐρη-

A confeſſorem affixerant, poſt comminationes, poſt catenas & compedes venerandis pedibus injectas, poſt alapas, & poſtquam eum ad formam crucis in faciem in marmore proſtratum ac diſtentum, tota nocte vinctum inſuper torſiſſent, atque tumbæ impoſitum totam inſequentem noctem cruciaſſent, tandemque ſolutum humi projeciſſent fodicaſſentque, ut ſanguine etiam terram purpuraret: poſt hæc, inquam, omnia, cum adhuc modice ſpiraret, (urgebatur enim & alvi ſolutioris profluvio) tum inſanus Theodorus ſacra viri manu per vim arrepta, chartaque ſubjecta, quaſi per illum crucem impreſſit, allatamque Photio B porrexit. Qui ſigno accepto, ſua ipſe manu ſubſcripſit: Ignatius indignus Conſtantinopolitanus confiteor, me non lege & ſuffragiis creatum eccleſiæ thronum invaſiſſe, neque his annis rite & ſancte eccleſiam rexiſſe, ſed tyrannidem exercuiſſe. Hoc pſeudochirographo imperatori miſſo, vir ſanctus e cuſtodia eſt dimiſſus, materniſque in ædibus Poſeos paululum a tot ærumnis reſpirabat. Sed enim hoſtis non deſiit fraudes animo verſare, peſſimaque adverſus innocentem conſilia coquere. Itaque ſuggerit imperatoribus, ut Ignatius ad ædem apoſtolorum reductus, primum exauctorationem ſuam ipſe publice pro ambone legat, atque C ſibiipſi anathema dicat. Deinde, o crudele conſilium, o ſingularem immanitatem! ambo illi effodere lumina, manumque præcidere illa furia meditabatur. Tam altum impii odium conceperant, ut divinæ vindictæ rationem ducerent nullam. Aberat omnis Dei metus, & quidam diaboli furor illos agitabat. Pentecoſtes ſancta dies complebatur, cum ecce tibi armatorum manus domicilium in quo degebat, corona præter omnem expectationem repente cingit. Vir ſanctus ubi animadvertit ſe peti, & parricidæ Eſau furorem ſenſit, conſilium contra temporum improbitatem opportunum, ſuaque ſapientia, & Spiritu ſancto ejus recto D re dignum capit. Quodnam illud? Vilem a ſervis & ſæcularem ſumit veſtem, geminaſque ſportas ab humeris una a pertica ſuſpenſas bajuli ritu geſtans, deceptis per noctem cuſtodibus, uno comitatus Cypriano diſcipulo ſuo, profugit, iter ingreſſus per embolum ad Sybaiticum, ſaucio & afflicto pectore, velut alter David, cum profugeret a facie Saul. Enimvero per tenebras eunti divinitus occurrit vir auguſta admodum facie decorus, coma barbaque decenter promiſſa, veſte candida, niveoque vectus equo, quaſi Blachernas tenderet. Ignotus autem ille vir, cum propter lumi- E nis inopiam eum videre clare non poſſet, nihilo ſecius, quiſquis ille erat, divino Spiritu impulſus pronuntiavit: Deus, inquit, & ſanctiſſima Dei mater, ſacratiſſime domine, te & comites tuos tueatur. Quam vocem ille cum tamquam oraculum e cælo miſſum accepiſſet, & loco itinerarii ſubſidii, quaſi viaticum ſibi datum putaret, multo alacrius iter carpebat; & tenui illo ac ſervili habitu ignotus navigium conſcendit, & Principes, Prœconeſum, aliaſque Propontidis inſulas, aliam ex alia permutando, per ſolitudines in montibus & ſpeluncis, cavernique terræ, ut cum apoſtolo Hebr. 1.

lo-

VITA IGNATII PATRIAR.

VITA IGNATII PATRIAR.

loquar, abſconditus errabat, egenus, afflictus, anguſtiatus, victumque rogatoris inſtar a piis Chriſtianis emendicabat. At Photius amiſſa, quam ſpe devorarat, præda, omnia cœnobia, urbemque totam ac ſuburbia veſtigabat, ſicubi velut igne evanidum reperiret titionem. Cum ergo nihil eorum quæ cupiebat, ſuccederet; procurato edicto regio, Oryphan illum cum ſex curſoribus ad cuncta loca maritima, cunctaſque inſulas luſtrandas amandat; uti quocumque loco deprehenſum, veluti perturbatorem everſoremque imperii, de medio tolleret. Itaque venatici illi canes cum ſæpius & pluribus in locis in Ignatium ipſum incidiſſent, ſervili tunicula decepti non agnoverunt. Quin & ipſum alias medios tranſeuntem quæritantes, velut Aſſyrii cæcitate percuſſi, non ſenſerunt. Abierunt ergo, quod eſt in parœmia, ut fruſtrati præda hiantes lupi. Ignatius perſolutis ſalvatori pro tutela votis, per multas tribulationes ad regnum cælorum contendebat. Atque illi quidem hæc agebant. Quid vero hæc illis molientibus, longanimis, juſtus, & fortis Deus, qui non iraſcitur per ſingulos dies? an diutius extremas has malorum ærumnas potuit diſſimulare? minime vero.

Auguſtus inſtabat menſis, & tremoribus horrificis Conſtantinopolis quatiebatur: ædes nutabant omnes, omniaque mortalium pectora metu palpitabant. nemo non mortis horrore occupatus clamitabat, unicam plane hujus prodigii ſeu motus cauſam eſſe injuriam & ſacrilegium in patriarcham Ignatium commiſſum. Urbe autem totos quadraginta dies continuo tremente, uſque adeo ferocia & immanitas illorum mitigata eſt, ut ipſi principes publice jurejurando conteſtarentur, neque fugam ſacro illi exuli, nec hoſpiti exulis, apud quem delituiſſet, fraudi futuram; ſed abſolutum crimine, innocentemque pronuntiatum, ſine cujuſquam moleſtia in ſuo cœnobio ſecure permanſurum. Quod cum Chriſti athleta accepiſſet, Petronæ ſe patricio, materno imperatoris avunculo, aperit: qui precioſum geſtamen, quod ad ſinum imperatoris pendebat, pro pignore allatum tradit patriarchæ, quo ille de collo ſuſpenſo ad Bardam accedit; qui ad patriarcham: Quid, inquit, fugitivi more ex loco in locum profugus oberras? cui Ignatius: Chriſtus, inquit, rex noſter ac ſalvator præcepit: *Si perſequentur vos in una civitate, fugite in aliam*. [Matth. 10.] Victus innocentia & virtute viri Bardas, innoxium liberumque in monaſterium remitti ſuum jubet. Statimque moveri terra deſiit, & Bulgari providentia Dei, fame urgente, muneribuſque ab imperatore deliniti, armis poſitis, cæleſtis baptiſmatis unda ſunt luſtrati.

Legati quoque pontificii a Photio donis blande corrupti Romam redierunt. Quos Nicolaus pontifex de patriarcha Ignatio interrogatos, & ſevere inquiſitos, cum ſuis illos verbis capitis convicisset, illos ſicariæ potius factionis, quam legitimæ ſynodi præſides egiſſe; perpetua exauctoratione damnatos anathemate percuſſit. Nec [illegible]; ſed ipſum quoque Pho-

A μίαις πλανώμενος, ὄρεσί τε καὶ σπηλαίοις, καὶ ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς, Ἀποστολικῶς φάναι, κατακρυπτόμενος ὀπαῖς, ὑστερούμενος, θλιβόμενος, κακουχούμενος, τὰς πρὸς τὸ ζῆν ἀφορμὰς ἐπαίτου τρόπον διὰ τῶν φιλοχρίστων ἠρανίζετο. Φώτιος δὲ τῆς θήρας διαμαρτὼν, πάντα μὲν μοναστήρια, πᾶσαν δὲ τὴν πόλιν, καὶ τὰ περὶ αὐτὴν ἀνηρευνᾶτο, εἴ πῃ ἄρα καταλάβοι τὸν ὥσπερ δαλὸν * ἐξηπλατισμένον ἐκ προσώπου πυρός. μηδὲν οὖν ἀνύειν δυνάμενος ὧν ἐβούλετο, παρασκευάζει προστάγματι βασιλικῷ, τὸν χαλεπὸν ἐκεῖνον Ὠρύφαν σὺν ἓξ δρομεῦσι πάσας τὰς νήσους καὶ τὴν παράλιον ἀνερευνᾶσθαι, καὶ εἴ που συμβαίη ληφθῆναι τὸν Ἰγνάτιον, εὐθὺς ἀναιρεῖσθαι τοῦτον, ὡς ὅλην ἀνατρέποντα τὴν βασιλείαν. B πολλάκις οὖν καὶ κατὰ πλείους τόπους αὐτῷ περιπίπτοντες οἱ θηραταὶ, διὰ δουλικὴν οὐκ ἐπέγνωσαν στολήν. καὶ ἄλλοτε πάλιν διὰ μέσου αὐτὸν παρερχόμενον, ἀορασίᾳ ληφθέντες, ὡς οἱ περὶ τὸν Ἐλισσαῖον Ἀσσύριοι, τοῦτον οὐκ ἠδυνήθησαν ἰδεῖν. καὶ αὐτοὶ μὲν, ὡς λύκοι μάτην κεχηνότες, ἀπῄεσαν, κατὰ τὴν παροιμίαν. ὁ δὲ τὰς εὐχαριστηρίους εὐχὰς ἀναπέμπων τῷ σωτῆρι, διὰ πολλῶν θλίψεων τὴν τοῦ θεοῦ βασιλείαν ἐξωνεῖτο. οἱ μὲν οὖν ἐν τούτοις ἦσαν. τί δὲ ὁ μακρόθυμος Κύριος, ὁ δίκαιος, ὁ ἰσχυρὸς, ὁ μὴ τὴν ὀργὴν ἐπάγων καθ' ἑκάστην ἡμέραν; ἆρ' ἐπὶ πολὺ τὰς ὑπερβολὰς τῆς κακῶν ταύτης ἠνέσχετο καθορᾶν; οὐδαμῶς.

C Αὔγουστος ἐνίστατο μὴν, καὶ σεισμοῖς ἐξαισίοις ἡ βασιλεύουσα κατεδονεῖτο· καὶ πᾶς οἶκος ἐσαλεύετο, καὶ πᾶσα καρδία τῷ φόβῳ κατεσείετο: καὶ πᾶς ἄνθρωπος τῷ τοῦ θανάτου δέει συνεχόμενος ἐβόα, μίαν αἰτίαν εἶναι τοῦ σεισμοῦ, μόνην τὴν εἰς τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον ἀδικίαν καὶ παρανομίαν. ἐν ἡμέραις δὲ τεσσαράκοντα μηκυνόμενος ὁ σεισμὸς ἐπὶ τοσοῦτον αὐτῶν τὴν ὠμότητα καὶ ἰταμότητα κατέκαμψεν, ὡς καὶ τοὺς κρατοῦντας αὐτοὺς ὅρκον προθεῖναι δημοσίᾳ, μήτε αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν ἱερὸν φυγάδα, μήτε παρ' ᾧ κρύπτεται φανησόμενον, ὑπεύθυνον καθεστάναι λοιπὸν, ἀθῳούμενον δὲ εἰς τὴν οἰκείαν ἀνενοχλήτως ἀποκαθίστασθαι μονήν. τοίνυν οὕτως ἀκούσας ὁ ἀθλητὴς, D καταδηλοῖ ἑαυτὸν αὐτίκα τῷ πατρικίῳ Πετρωνᾷ· ὃς τοῦ αὐτοκράτορος θεῖος πρὸς μητρὸς ὢν, καὶ τοῦ βασιλέως ἄρας ἐγκόλπιον, εἰς ἐνέχυρον φέρων δίδωσι τῷ πατριάρχῃ. ὁ δὲ τοῦτο τοῦ τραχήλου ἀπαιωρήσας, καὶ πρὸς τὸν Βάρδαν ἀναχθεὶς, ἔστη. πρὸς ὃν ἐκεῖνος· Ἱνατί, φησὶ, τρόπον δραπέτου μιμησάμενος, ἄλλην ἐξ ἄλλης χώραν ἀμείβων περιπατεῖς; ὁ δέ· Χριστὸς, ἔφη, ὁ ἡμέτερος βασιλεὺς καὶ πατὴρ ἐνετείλατο· ἐὰν διώκωσιν ὑμᾶς ἐκ τῆς πόλεως ταύτης, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. ἡττηθεὶς οὖν τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἀρετῆς ἐκεῖνος, ἀνεύθυνον τοῦτον καὶ ἄνετον εἰς τὴν αὐτοῦ κατασκηνοῦν κελεύει μονήν. εὐθὺς οὖν καὶ ὁ σεισμὸς ἔστη· καὶ E Βούλγαροι δὲ τότε προνοίᾳ θεοῦ, βιαίῳ κατατακέντες λιμῷ, ἅμα δὲ καὶ τοῖς δώροις τοῦ αὐτοκράτορος θελχθέντες, τὰ ὅπλα καταθέμενοι, τῷ ἁγίῳ προσῄεσαν βαπτίσματι.

Τότε καὶ οἱ προλεχθέντες τοποτηρηταὶ Ῥώμης φιλοφρόνως ὑπὸ Φωτίου δωροδοκηθέντες, τὴν Ῥώμην παλινοστήσαντες κατέλαβον: οὓς ὁ πάπας ἀνακρίνας Νικόλαος, καὶ τὰ κατὰ τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον ἠκριβωκὼς, καὶ ἐκ τοῦ στόματος αὐτῶν ὑποδίκους αὐτοὺς πεφωρακὼς, ὡς ἐπισυστάσεως λῃστρικῆς, ἀλλ' οὐ κανονικῆς συνόδου κατάρξαντας, διηνεκεῖ καθαιρέσει καὶ ἀναθεματισμῷ καθυποβάλλει. καὶ οὐ μόνους αὐτοὺς, ἀλλὰ

καὶ

ANNO CHRISTI 869.

* [illegible]



ANNO CHRISTI 869.

A καὶ αὐτὸν Φώτιον, ὡς ἐπιβήτορα καὶ μοιχὸν, ἀποκηρύττει, καὶ ὑπὸ συνόδῳ κανονικῇ καὶ ψήφῳ πάσης τῆς ὑπ' αὐτὸν ἐκκλησίας ἀναθεματίζει καὶ καθαιρεῖ· οὐδὲν αὐτὸν διαφέρειν Μαξίμου τοῦ Κυνικοῦ, τοῦ τῷ θεολόγῳ Γρηγορίῳ ἐπιφυέντος, καὶ τὴν ἐκκλησίαν συγχέαντος, ἀποφηνάμενος. ὅθεν αὐτόν τε, ὡς τῶν σκανδάλων αἴτιον, καὶ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ κεχειροτονημένους, ὡς ὁμόφρονας τούτῳ δηλονότι καθεστῶτας, Ἀποστολικῇ κρίσει τῇ αὐτῇ ὑποβάλλει καταδίκῃ. οὐ τοῦτο δὲ ποιεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς κοινωνοῦντας Φωτίῳ, αὐτόν τε τὸν βασιλέα καὶ τὴν ὑπ' αὐτὸν πολιτείαν πᾶσαν δι' ἐπιστολῶν ἀφορίζει. ταῦτα δὲ ζήλῳ θείῳ ὁ Νικόλαος καταπραξάμενος, καὶ τοῖς τῆς ἀνατολῆς πατριάρχαις τὴν ἔνθεσμον κρίσιν ταύτην διεπέμψατο. B

Κατ' ἐκείνας δὲ τὰς ἡμέρας καὶ ἐμπρησμὸς μέγας σφόδρα εἰς τὰς Σοφίας γενόμενος, ἀμύθητον ὅσην καταφθορὰν καὶ λύμην τοῖς προσοικοῦσιν ἐνηργάσατο. οὐδὲν δὲ τούτων εἰς μεταμέλον ἦγε τοὺς ἀνομεῖν διεγνωκότας· μᾶλλον μὲν οὖν, κατὰ τὴν Ἀποστολικὴν πρόρρησιν, ἐπὶ τὸ χεῖρον προέκοπτον, πλανῶντες καὶ πλανώμενοι.

Βάρδας μὲν γὰρ ἐφ' ἑαυτὸν τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν ὑποποιούμενος, πρῶτον μὲν κουροπαλάτης, μετ' ὀλίγον δὲ Καῖσαρ ἀναγορευθεὶς, τῆς τοῦ ἀνεψιοῦ ἀνοίας κατετρύφα, αὐτὸς ἀκρασίας τε πάσης καὶ πάσης ἡδονῆς ἀσελγοῦς ἀνδράποδον ἀποδεικνύμενος. ὁ Μιχαὴλ C δὲ νεωτερικαῖς ἐπιθυμίαις ὅλος κατεφθαρμένος τὸν νοῦν, παίγνιον ἔθετο τὰ θεῖα, παίγνιον αὐτὸς ἀκρασίας τε πάσης καὶ ἁμαρτίας, καὶ τοῦ τῆς ἁμαρτίας γεγεννημένος πατρός. καὶ δὴ μιαρωτάτους τινὰς ἀνθρωπίσκους, καὶ βεβηλοτάτους, καὶ εὐτραπέλους ἐκλεξάμενος, ἀμοίρους μὲν ἁγίου παντάπασι πνεύματος, τοῦ ἐναντίου δὲ πνεύματος τῆς ἐνεργείας πεπλησμένους, ἀναλαβών τε καὶ ἀπηρυθριακότως ἱερεῖς καὶ Ἀρχιερεῖς κατὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας ἐναγῆ μίμησιν ὁ ἀνόητος ἐχειροτόνει· καὶ ἐν αὐτοῖς Θεόφιλόν τινα πρωτοσπαθάριον, ἄνδρα γελωτοποιὸν καὶ μῖμον, καὶ πάντων ἐναγῶν ἐναγέστατον, πατριάρχην ἐπ' ἐκείνοις προχειριζόμενος ὠνόμαζεν, γέλωτα ἑαυτῷ καὶ καγχασμὸν ἀσελγῆ D ὁ κατάπτυστος κατασκευαζόμενος, καὶ καταγέλαστος. δι' ὧν ὑβρίζετο μὲν ἡ ἁγία προσφορὰ, ὑβρίζετο δὲ καὶ ἐβλασφημεῖτο τοῖς ἔθνεσι τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ.

Ἐπὶ τοσοῦτον δὲ τῇ ἀλογιστίᾳ ἐνετρύφα ταύτῃ καὶ ἐνεκαλλωπίζετο, ὥστε μηδὲ τοῦτο παρρησίᾳ λέγειν αἰσχύνεσθαι· ὅτι ἐμοὶ μὲν πατριάρχης ὁ Θεόφιλος, ὁ Φώτιος δὲ τῷ Καίσαρι, καὶ τοῖς Χριστιανοῖς ὁ Ἰγνάτιος καθέστηκεν. εἰς πηλίκον τὸν αὐτὸν ἀφροσύνης μᾶλλον ἢ ἀσεβείας κατενεχθῆναι βόθρον. ὁ μὲν οὖν εἰρημένος βωμολόχος ἐκεῖνος Θεόφιλος οὕτω παρρησίᾳ ταῖς βασιλείοις κωμάζων αὐλαῖς, ἀρρητοποιΐαις τε πάσαις, καὶ ἀσελγείαις, καὶ εὐτραπελίαις, δι' αἰσχίστης μιμήσεως E τῶν ἱερῶν μυστηρίων κατωρχεῖτο καὶ κατέπαιζε· πρᾶγμα μηδὲ τοῖς ἀσεβεστάτοις τῶν Ἑλλήνων πώποτε τολμηθέν. ὁ Φώτιος δὲ τούτων τολμωμένων, καὶ κατ' ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ πραττομένων, οὐκ ἤλεγξε τὸ τοῦ ἐπιτηδεύματος ἄτοπον, οὐκ ἀντέστη τῇ παρανομίᾳ, οὐ μικρὰν, οὐ μεγάλην ὑπὲρ τῶν ὑβριζομένων θείων ὀργίων ἀφῆκε φωνήν. καὶ οὐ θαυμαστόν· ἦν γὰρ μισθωτὸς, καὶ οὐ ποιμήν· διὸ οὐδεμία τούτῳ περὶ τῶν ἀπολλυμένων προβάτων ἐγίνετο φροντίς. πρὸς δύο δὲ μόνον ὅλως αὐτῷ συνετέτατο τῆς ψυχῆς ὁ σκοπός· ἓν μὲν, ὅπως τὰ πάντα χαριζόμενος τοῖς κρατεῖν δοκοῦσι, τὸ

VITA IGNATII PATRIAR.

A tium tyrannum & adulterum pronuntiat, & legitimæ ſynodi ſententia totius eccleſiæ ſuæ anathemate ferit deponitque, ipſumque a Maximo Cynico, qui Gregorio Theologo inſultans, eccleſiam turbis omnibus permiſcuit, nihil differre declarat. Quare illum, ut ſcandalorum auctorem, & ab illo conſecratos, apoſtolica auctoritate, veluti conjuratos, eidem ſententiæ ſubjicit. Nec his contentus, aſſeclas illius, ipſumque imperatorem cum ſenatu ejus omni per litteras a cœtu fidelium excludit. Quæ Nicolaus cum divino zelo inflammatus egiſſet, æquiſſimam judicii ſui ſententiam ad orientis patriarchas tranſmiſit. B

Per idem fere tempus ingens in ædibus Sophiæ incendium extitit, nec quantam vicinis calamitatem, quantumque exitium attulerit, dicendo explicari poteſt. Quæ tamen res eos qui perverſe agere decreverant, ad meliorem mentem non reduxit; ſed ex apoſtolico oraculo, in pejus proficiebant, errantes, & in errorem mittentes. [2. Tim. 3.]

Bardas enim imperium affectans, primum Curopalates, mox Cæſar renuntiatus, imperatoris, ſororis filii, ſtultitia abutebatur, ſeipſumque omnis intemperantiæ, effuſæque libidinis mancipium prodebat. C Michael vero animo juvenilibus deſideriis corrupto, rem divinam pro fabula ſeu ludibrio ducebat, ludibrium ipſe factus omnis fœditatis & peccati, ipſiuſque peccati patris. Etenim homunciones quoſdam impuriſſimos, & profaniſſimos, & ſcurras, divini quidem Spiritus cæleſtiſque gratiæ omnino expertes, peſſimiſque dæmonis artibus inſtructiſſimos, ſacrilege impudenterque ſacerdotes & antiſtites ad eccleſiæ profanam imitationem dementiſſimus conſecravit, illiſque Theophilum quemdam protoſpatharium, ſcurram & mimum, interque profanos profaniſſimum, patriarcham præfecit, riſum ſibi & cachinnum improbum D deteſtandus & deridendus quæritans. Per quæ oblationi ſanctæ fiebat injuria, nomen vero Dei contumeliis affectum inter gentes blaſphemabatur.

Sed Michael tantopere infamia hac gloriabatur, uti nec publice quidem hæc erubeſceret jactare: Mihi Theophilus, Cæſari Photius, Chriſtianis Ignatius eſt patriarcha. In hoc amentiæne dicam, an impietatis potius, tandem chaos eſt devolutus? Ita ſacrilegus ille ſcurra, ut dixi, Theophilus, exerta ſua petulantia aulas lambens regias, nefandis ſceleribus, laſcivia & facetiis, turpiſſima imitatione per contemptum rerum divinarum, E myſteria & ſacramenta traducebat & illudebat; quod ne gentes quidem quamvis impiæ auſæ ſunt aliquando. Quæ Photius, cum coram ſe geri cerneret, rem indigniſſimam nec reprehendit, nec reſtitit impietati, neque, quod res divina ludibrio haberetur, verbum ullum contra ſeu grave ſeu leve edidit. Quod mirum videri non debet: erat enim mercenarius opilio, non germanus paſtor: quocirca illi de pereunte grege cura nulla. Ad hæc duo tantum toto pectore intentus: Alterum ut iis qui rerum potiri videbantur, blandiendo,

mo,

VITA IGNATII PATRIAR.

A modiſque omnibus gratificando & obſequendo, patriarchatum ſibi firmaret: Alterum, ut Ignatium, ſi qua ratione fieri poſſet, etiam vita exueret. Atque hæc ita ſe habere, non eſſe autem verba inania, facta ipſa clamant. Ecquis enim technis illius auditis, atrocem animum non illico perſpexit? Nam die quapiam advena quidam prius ignotus omnibus, monachi habitu indutus, Euſtratius nomine, recta ad patriarchium properabat, ingreſſuſque binas litteras fictas palam promptas porrigebat; quas quidem ſapientiſſimus iſte Photius per dolum excogitarat, ut poſtmodum manifeſte patuit: alteras Ignatii nomine B ad Nicolaum pontificem datas, quibus ſtatum patriarchatus ſui immutatum, & injurias imperatoris exponebat; quas ajebat pontificem ne aſpicere quidem voluiſſe, ac proinde a ſe reportatas: alteras quaſi a Nicolao ad ipſum Photium miſſas, quibus purgabat priorem inter Photium & pontificem diſſenſionem, & caritatem amicitiamque in omne reliquum tempus ſtabiliebat. Has ille turbarum artifex arreptas e veſtigio imperatori & Cæſari tradit, contraque innocentem egregie mentiendo principes accendit: Veſtram, inquit, majeſtatem Ignatius ad exteras etiam gentes traducit, veſtrique imperii potentiam improbiſſimus calumniator in crimen vocat. C Qui tametſi juſtam haberet cauſam, tamen vita illi jure adimeretur, dum hæc in veſtram ſerenitatem machinatur. ſed en, inquit, teſtes perfidiæ litteras, & fidem dictis faciant, quæ nobis nihil obfuere, ſed profuere; cum papa rei veritatem ſit edoctus, & inter nos amicitiam ac benevolentiam etiam confirment. Sed indignum judicavi veſtram majeſtatem per illum adeo conculcari. Hæc ſycophanta Photius. Acceſſitur ſatellitium; Ignatius per calumniam circumventus arcta cuſtodia ſervatur, inquiritur acriter, & quæſtiones, an ita ſe res habeat, exercentur. Adductus quoque D in mediam tabellarius ille jubetur indicare, a quo litteras ad Nicolaum pontificem acceperit. Tabellarius a Cypriano illo Ignatii diſcipulo prius ſe litteras & viaticum accepiſſe reſpondet. Sed cum nec Cyprianum, etiam toto menſe ad inveſtigandum dato, oſtendere poſſet, nec quemquam ex Ignatii comitatu noſſe videretur, fraude deprehenſa, loris a Cæſare acerrime eſt mulctatus: pro quo liberando tametſi omnia faceret Photius, nihil tamen perinde profecit. Tandem ut ſolaretur hominem, lictorum præfectum creavit. Hac Photii perfidia detecta, nemo fuit, E qui improbas has artes non indigniſſime ferret.

Agebatur non multo poſt ſacer aſcenſionis Chriſti dies anniverſarius, cum ſub veſperam terra tanto motu, quanto nonquam ante, cœpit contremiſcere, neque tota inſequenti nocte conſtituit. Et obſcurus quidam fragor ac mugitus e terra marique ingens editus hominum pectora ita metu [illegible], ut pæne diſſolverentur. Juſtini quoque ſtatua a genibus convulſa concidit. Tum Baſilius Cretenſis antea epiſcopus, Agarenis autem Cretam invadentibus, Theſſalonicam translatus, (non ſine Pho-

ANNO CHRISTI 869.

A τῆς πατριαρχείας κράτος μόνιμον ἑαυτῷ διατηρῇ· δεύτερον δέ, ὅπως καὶ αὐτῆς ἀποστερήσαι τὸν Ἰγνάτιον, εἰ δυνατόν, τῆς ζωῆς. καὶ ὅτι ἀληθῆ ταῦτα, καὶ οὐ λόγοι κενοί, αὐτὰ βοᾷ τὰ πράγματα. τίς γὰρ ἀκούσας ἐκεῖνο τὸ σκαιώρημα, οὐ τὴν φονικὴν παραυτίκα τοῦ ἀνδρὸς ἐπέγνω προαίρεσιν; καὶ γὰρ ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν ξένος τις ἄνθρωπος ἄχρις ἐκείνου πρὸς πάντων ἀγνοούμενος, σχῆμα δὲ μοναχοῦ περικείμενος, Εὐστράτιος δὲ καλούμενος, τὸν πατριαρχικὸν ἐξαπίνης οἶκον ἐπιβάς, καὶ εἰσελθών, δύο πλαστογραφίας ἐνώπιον πάντων ἀποκαλύψας ἐπεδίδου· ἃς αὐτὸς ὁ σοφώτατος Φώτιος, ὡς σαφὲς ὕστερον ἐγένετο, δολιευόμενος κατεσκευάσατο. μίαν μὲν ἐκ προσώπου τοῦ Ἰγνατίου πρὸς B Νικόλαον τὸν πάπαν ἐπιστολήν, τὴν περὶ αὐτὸν γενομένην καινοτομίαν καὶ ἀδικίαν τοῦ βασιλέως σαφῶς διαγορεύουσαν· ἣν, ὡς ἔλεγε, τοῦ πάπα μηδὲ προσβλέψαι καταδεξαμένου, ἐκεῖθεν αὐτὸν αὖθις ἀπενεγκεῖν· μίαν δὲ πρὸς τὸν Φώτιον αὐτὸν τοῦτον, ὡς ἀπὸ τοῦ Νικολάου αὐτοῦ διεκομίζετο, δύναμιν ἔχουσαν ἀπολογίας ὑπὲρ τοῦ μεταξὺ αὐτῶν πρώην παρακολουθήσαντος παροξυσμοῦ, ἀγάπης δὲ τοῦ λοιποῦ καὶ κοινωνίας δῆθεν ἀρρήκτου κυρωτικήν. ταῦτα ὁ ταραχοποιὸς ἐκεῖνος δεξάμενος ἀνήρ, εὐθὺς τῷ τε βασιλεῖ καὶ τῷ Καίσαρι κατὰ τοῦ ἀναιτίου ἐμφανίζει, καὶ παροξύνει καὶ αὐτοὺς πονηρεύεται, λέγων, κατὰ τῆς ὑμετέρας βασιλείας Ἰγνά- C τιος, καὶ διαβάλλει πρὸς τοὺς ἔξω, καὶ κατηγορεῖ, καὶ τὸ τῆς ὑμετέρας ἐξουσίας κράτος συκοφαντεῖ· καὶ εἰ πρὸς δίκαιον εἶχεν, οὐδ' ἂν ζῆν συνεχωρεῖτο, τοιαῦτα κατὰ τῆς ὑμῶν διανοούμενος γαληνότητος. καὶ ἡ τῆς κακουργίας, φησίν, ἀπόδειξις· ἰδοὺ καὶ αὐτὰ μαρτυροῦσι τὰ γράμματα, ἃ περ ἡμᾶς μὲν ἔβλαψεν οὐδέν, ὠφέλησε δὲ μᾶλλον, πληροφορηθέντος τοῦ πάπα τἀληθῆ, καὶ ἀγάπην κεκυρωκότος εἰς ἡμᾶς. οὐχ ἡγοῦμαι δὲ δίκαιον εἶναι τὴν ὑμῶν βασιλείαν οὕτως ἐξουθενεῖσθαι παρ' αὐτοῦ. ταῦτα μὲν ὁ συκοφάντης. φύλακες δὲ παρ' αὐτά, καὶ φρουρὰ περὶ τὸν ἀναιτίως κατηγορούμενον ἀσφαλής, ἐρευνᾶταί τε πολλὴ σφόδρα καὶ ἐξέτασις, εἰ ταῦτα τοῦτον D γέγονε τὸν τρόπον. παρήγετο τοίνυν εἰς μέσον ὁ γραμματοφόρος ἐκεῖνος, καὶ ἀπῃτεῖτο δεῖξαι, πρὸς τίνος εἰλήφει τὴν πρὸς τὸν πάπαν ἐπιστολήν. ὁ δὲ πρότερον εἰρηκώς, ὡς Κυπριανὸς ἐκεῖνος ὁ τοῦ Ἰγνατίου τά τε γράμματα ταῦτα καὶ ἐφόδια ἐχορηγοδότησεν ἱκανά, οὔτε ἐπὶ μηνὶ σχεδὸν ὅλον ἀπαιτούμενος τοῦτον ἐπιδεῖξαι, ἠλέγχετο μήτ' αὐτὸν εἰδὼς τὸν Κυπριανόν, μήτε τιν' ἄλλον τῶν ἀνθρώπων Ἰγνατίου. οὕτω δὲ τῆς σκαιωρίας φωραθείσης, μάστιξιν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος πικροτάταις ἐκεῖνος κατῃκίσθη. ὃν καὶ πολλὰ Φώτιος λυτρώσασθαι διεσπουδακώς, οὐκ ἠδυνήθη. εἰς παραμυθίαν δὲ μετὰ ταῦτα διωγμιτῶν τοῦτον ἄρχοντα καθίστησι, πλῆθος ῥαβδούχων ὑποτάξας αὐτῷ. ταύτης καταφανοῦς E γενομένης τῆς κακοτροπίας, οὐκ ἦν ὅστις οὐ προσώχθισε τῷ κατασκευαστῇ τῶν κακῶν.

Μετὰ ταῦτα τῆς Χριστοῦ μὲν ἀναλήψεως ἐπελεῖτο μνημόσυνον, πρὸς ἑσπέραν δὲ σεισμὸς γίνεται τῶν πώποτε γενομένων ὁ φρικωδέστατος. δι' ὅλης καὶ τῆς ἐπιούσης ἐπεκράτει νυκτός. βοὴ δέ τις καὶ ἄσημος θροῦς ἔκ τε γῆς, ἔκ τε θαλάσσης σφοδρῶς ἀναδιδόμενος, πάντων ἀνθρώπων ταῖς καρδίαις παράλυσιν ἐνεποίει καὶ θραυσμόν. ὅτε δὴ καὶ ἡ στήλη Ἰουστίνου ἐκ τῶν γονάτων κοπεῖσα κατερράγη. τότε καὶ Βασίλειος ἐκεῖνος ὁ πρότερον μὲν Κρήτης ἐπίσκοπος γενόμενος, διὰ δὲ τὴν τῶν Ἀγαρηνῶν ἔφοδον εἰς Θεσσαλονί-

λονί-



ANNO CHRISTI 869.

A κην μετατεθείς· εἰς αἰσχύνην καὶ τοῦτο τοῦ τῆς βασιλίδος προκαθεζομένου· τολμήσας αὐτὸς προσεισι τῷ Μιχαήλ, παραινετικῶς ἅμα καὶ διδασκαλικῶς ἀπογεύεσθαι τῆς τῶν ἱερατικῶν ἔργων αἰσχρᾶς καὶ ἀνοσίου μιμήσεως παρακαλῶν· ἐντεῦθεν γὰρ τὴν ὀργὴν τοῦ Θεοῦ ἀνακαίεσθαι διϊσχυρίζετο. ὁ δὲ τοῖς ἐλέγχοις ὑπερβαλλόντως πληγείς, ῥαπίσμασι μὲν ἰσχυροῖς τοῦ τιμίου γέροντος τοὺς ὀδόντας ἐξερρίζωσεν, οὕτω δὲ καὶ τὸν νῶτον κατῃκίσατο, ὡς ὀλίγου δεῖν αὐτὸν ταῖς βασάνοις ἐναποθανεῖν. τούτων δὲ οὐδὲν ἔμελε τῷ μισθωτῷ· ἠρέμα γὰρ καὶ αὐτὸς συνήδετο τοῖς πληρουμένοις, καὶ ἅμα τοῖς μιαροῖς μίμοις ἐκείνοις συνεχέστερον τῷ μειρακίῳ B συνερχόμενος καὶ συμποσιαζόμενος, οὐδὲ τῆς διατριβῆς ἐκείνων καὶ καταφρονήσεως μακρὰν ἦν. μεγίστη δὲ αὐτῷ καὶ πολλὴ σφόδρα περὶ τοῦ Ἰγνατίου ἔκειτο φροντίς, καὶ ἐγλίχετο κατ' αὐτοῦ ἀκούειν, καὶ ἐκνήθετο τὴν ἀκοήν· καὶ εἴ τινα διαλοιδορούμενον εἰκῇ ἑώρα, ἤ τινα ψιλὴν κατ' ἐκείνου καὶ ματαίαν κατηγορίαν ἐνιστάμενον, φίλον τοῦτον ἐτίθετο πιστόν, καὶ ἤκουεν ἡδονῇ πολλῇ. καὶ γὰρ οὐδὲν οὕτως ἡδύνει ψυχὴν ἔχθρᾳ κακῇ καὶ μίσει προκατειλημμένην, ὡς ἡ κατὰ τοῦ μισουμένου λαλιά. ἀεὶ οὖν ἐκ τῶν τοῦ πατριάρχου συνήθων καὶ ὑπηκόων, ὅσους ἠδύνατο, δώροις καὶ ἀξιώμασι κλέπτων καὶ ὑποποιούμενος, δι' C αὐτῶν ἐξιχνίαζε, καὶ ἐπὶ τὴν τοῦ δικαίου ἐθήρευε ψυχήν. τούτων εἷς καὶ Ἰγνάτιος ἦν ἐκεῖνος ὁ τοῦ ἁγίου μαθητής, ὃς κατὰ Δημᾶν ἐκεῖνον τὸν πάλαι, τὸν νῦν ἠγαπηκὼς αἰῶνα, Φωτίῳ προσφεύγει· καὶ ἄρχων μὲν τέως τῶν μοναστηρίων τῶν κατὰ τὴν Προποντίδα, ἔπειτα καὶ μητροπολίτης ὑπ' αὐτοῦ τῆς Ἱεραπόλεως καθίσταται. οὗτος τῆς τιμῆς αὐτὸν ἀμειβόμενος· ὦ δέσποτα, ἔφη, θαυμάζω, πῶς τηλικοῦτόν σε τοῦ Ἰγνατίου διέλαθεν ἀτόπημα, καὶ ἀδιόρθωτον παρημελήθη· μέσον γὰρ πλατείας τῆς νήσου ναὸς τοῖς τεσσαράκοντα μάρτυσιν ἐνίδρυται, αὐτοῦ δὲ ἐχόμενα τῆς D θεομήτορος εὐκτήριον. τούτου τὴν τράπεζαν πρώην οἱ Ῥῶς τὴν νῆσον πορθοῦντες κατέβαλον εἰς γῆν, ὁ Ἰγνάτιος δὲ ταύτην αὖθις ἀνεθρόνισε. τί οὖν ἐκεῖνος; ἆρα μικρὸν τοῦτο, ἢ οὐδὲν ἄτοπον ἡγησάμενος παρεσιώπησεν, ἢ μικρὰν ὑπὲρ τούτου ταραχὴν ἀνῆψεν; οὐμενοῦν· ἀλλὰ καὶ τοῖς κρατοῦσιν ὡς μέγα τι καὶ δεινὸν οἷον ἀνέθετο· καὶ τῇ κατ' αὐτὸν ἐκκλησίᾳ κοινωσάμενος, Ἀμφιλόχιόν τε Κυζίκου, καὶ Θεόδωρον τῶν Πατρῶν, μητροπολίτας, οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ Παντολέοντα συγκλητικὸν τὸν ἐπικαλούμενον Βόθρον, εἰς τὴν εἰρημένην ἀποστείλας νῆσον, βεβήλων χερσὶ τὸ ἱερὸν ἐκεῖνο τραπέζιον καθεῖλεν. ἐνετείλατο δὲ πρὸς τῷ αἰγια- E λῷ τῆς θαλάσσης καταγαγεῖν, καὶ * τεσσαράκοντα πλύσεις δοῦναι, καὶ οὕτως ἀναγαγεῖν καὶ καθιδρῦσαι· τί σου θαυμάσαιμι, ἄνθρωπε; προάγει γάρ με λοιδορεῖσθαί σοι μὴ βουλόμενον ἡ τῆς κακίας ὑπερβολή. μᾶλλον δὲ τί σου πρῶτον, ἢ τί ὕστατον ἐπιμυκτηρίσαιμι; τὴν ματαιότητα τῶν λογισμῶν, ἢ τὴν τῆς διανοίας δυστροπίαν; τὴν τῆς μνησικακίας ὑπερβολήν, ἢ τῆς ἀδικίας τὴν φιλοτιμίαν; ταῦτα ἡ μακρὰ μελέτη, καὶ νύκτες ἄυπνοι, καὶ ὁ δυστα-

* ἄλ. καὶ ἐνδῦν καθιδρῦσαι.



VITA IGNATII PATRIAR.

A tii tum cathedram Conſtantinopolitanam occupantis infamia) auſus ipſe Michaelem adit, cumque partim admonentis auctoritate, partim docentis, a tam impia & ſacrilega rerum ſacrarum inimica imitatione & irriſione dehortatur: inde enim numinis iram accendi affirmabat. Qua reprehenſione Michael graviſſime offenſus, colaphis atrociſſimis venerando ſeni dentes ſtirpitus eliſit, tergumque flagris ita laniavit, ut nihil propius factum ſit, quam ut inter tormenta animam ederet. De quo nihil ſolicitus erat mercenarius opilio, quin ipſe paulatim ſacrilegiis illis pariter oblectabatur, & una B cum impuris hiſtrionibus pueroque conſueſcebat & comeſſabatur, neque ab eorum conſuetudine & ludibrio procul aberat. Verum ejus cura omnis ad Ignatium opprimendum vertebatur: avebat enim aliquid adverſus illum audire, & pruriebant illi aures. Ubi etiam caſu in calumniatorem illius incidebat, qui vel tenuem de illo obviamve calumniam ſpargeret, hunc vero mox in album amicorum ſuorum referebat, magnaque cum voluptate obtrectantem audiebat. Nihil quippe ita capit animos invidia odioque occupatos, quam ſiniſtra de eo quem oderint, narratio. Iraque per familiares & C ſubjectos Ignatii, quotquot ex iis donis & honoribus poterat eblandiri, ſibique obnoxios reddere, ſemper inveſtigabat, contraque juſti animam cauſam quærebat. Ex quibus Ignatius, ille hujus S. Ignatii diſcipulus, erat, qui, ut Demas olim, ſæculum diligens ad Photii caſtra tranſiit; & aliquamdiu præfectus cœnobiorum Propontidis, tum ab illo archiepiſcopus Hierapolis creatus eſt. Qui ut beneficium compenſaret: Mirari ſubit, inquit, domine, quonam pacto tantum Ignatii delictum facinuſque vel ignores, vel omnino negligas. Nam in media inſulæ platea ædes ſacra quadraginta martyribus eſt excitata; D junctum vero eſt illi Dei matris oratorium, cujus aram Rhuſſi nuper, cum inſulam depopularentur, everterunt, quam inſtauravit Ignatius & repoſuit. Quid hic Photius? an culpam aut parvam aut nullam ratus ſubticuit? an leve turbarum incendium hanc ob cauſam excitavit? nequaquam vero; ſed rem apud imperatorem, velut immane & inexpiabile facinus, exaggerabat: atque conſilio cum factione ſua communicato, Amphilochium Cyzici, & Theodorum Patrarum, archiepiſcopos, quin & Pantaleonem ſenatorem cognomento Bothrum in inſulam ablegat, qui ſacrilegis manibus ſanctam il- E lam arulam diſturbent. Mandarat inſuper Photius, ut ara ad littus maris deportata, * quadragies unda tingeretur, atque ita demum reducta reponeretur. Quid te, mi homo, non demiremur? (nam ſumma me perverſitatis tuæ indignitas, quamvis invitum & alienum, cogit te conviciis proſcindere) immo vero quid primum, quid poſtremum ſubſannemus? animi ne tui ſtuporem, an mentis perverſæ pravitatem? invidentiæ magnitudinem, an ſtudium ambitioſæ improbitatis? Hæccine te docet diuturna literarum meditatio

* al. ed. O. legit. deportata, alia reponeretur.

H h & vi-

VITA IGNATII PATRIAR.

A & vigilatæ noctes, codicumque prope innumerabilium copia? legentium item & diſputantium viciſſitudo, proque eruditionis laude aſſidua concertatio? Iſtoſne tibi fructus ex literis capiendos veteris novæque legis tabulæ, ſapientum profanorum dicta, ſanctorumque patrum decreta proponunt; uti perſequaris hominem inopem & mendicum, & ſpiritu & corde compunctum quæras ad mactandum? Non ſatiavit implacabilem animi tui furorem tyrannica de throno dejectio, illicitæ depoſitiones, iniquiſſimæ proſcriptiones, compedes & vincula, infinita exilia, calumniæ, ærumnæ, vexationes, B quibus illum abluiſti? revera enim tantopere illum abluiſti, quantopere teipſum inquinaſti. Nec his contentus, inſuper fontem ipſum fluminis altercando ſtudes exhaurire, & ab ipſo abſolutum numine condemnare, modiſque indigniſſimis circumventum veluti reum noxiumve perdere; ut hoc ſtultiſſimo conſilio ſcelerum tuorum judicium poſſis declinare, perinde quaſi rebus humanis nullus præſideat Deus, aut ille ſuo tempore non ſit unicuique redditurus ſecundum opera ſua. Ego vero arbitror te quoque in die viſitationis tuæ a Deo dicente auditurum: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* C & quæ deinceps in ſacra pagina ſequuntur. Equidem melius actum iri cenſeo cum homine imperitiſſimo, omniſque literaturæ & diſciplinæ experte, ſi cum pura conſcientia inculpatam vitam degat, quam cum eo, qui omnia divinæ & humanæ ſapientiæ oracula ore volvat jactetve, longiſque logis & logorum voluminibus laudatus, adverſus alterum exitialem nocendi foveat voluntatem. Et tu, audita magni Baſilii ſententia, nihil reformidas, cum de quopiam admirabundus dixit; nullum ex omnibus totius orbis hæreſiarchis, qui fuere quam plures, D auſum fuiſſe reſecrare, præter Euſtathium Ancyrogalatam, cujus nefarium ſcelus ſynodus Gangrenſis exponit. Sed ob hæc ſapientiſſimus (noſter Photius) non modo nullo pudore ſuffundebatur, ſed magnifice etiam ſe oſtentabat, ratus ex honore id ſuo dignitateque fore, ſi quæ nova & ab eccleſiaſtica diſciplina aliena excogitaret. Atque ita quidem ſe gerebat Photius.

*Pſal. 49.*

*Vide Baſil. epiſt. ad Evaiſenos, & aſſeras ſub ſe conſtitutos.*

Sed a me, per ſomnum Bardæ Cæſari objecta ſpecies (neque enim fas eſt,) ſilentio præteriri non debet. Quamvis enim E multa a negotiis per diem actis vel cogitatis cauſam trahant, nec pauca a dæmonibus per imagines ſubjiciantur; eſt tamen cum etiam a bonis angelis juſſu Dei ſuggeruntur, præſertim magiſtratibus & regibus, quamvis impiis. Nam ſpiritus prophetiæ vim ſuam, ſive ad ipſorum principum, ſive illis ſubjectorum ſalutem novit ſæpe exerere: id quod Pharaoni & Nabuchodonoſori accidiſſe didicimus. Ita Bardas Cæſar familiarem ſuum certumque amicum Philotheum quemdam genicorum logothetam perturbatiſſimus acceſſivit; ſtultumque anhelans: O Philothee, in-

A εἴθμητος τῶν βιβλίων ἐσμὸς, καὶ τῶν ἀμοιβαίων ἀναγνωστῶν καὶ συνομιλητῶν αἱ ποικίλαι περὶ τοὺς λόγους φιλοτιμίαι, καὶ διαπαρατριβαί; τοιαῦτά σε καρποφορεῖν αἱ παλαιαὶ διαθῆκαι καὶ καιναί, αἱ τῶν ἔξωθεν σοφῶν γνῶμαι, καὶ τῶν ἁγίων οἱ νόμοι καὶ λόγοι παροτρύνουσιν, ὥστε καταδιώκειν ἄνθρωπον πένητα καὶ πτωχὸν τῷ πνεύματι, καὶ κατανενυγμένον τῇ καρδίᾳ, τοῦ θανατῶσαι; οὐκ ἤρκεσέ σου τὸν ἄμετρον ἀποπλῆσαι θυμὸν ἡ βιαία τοῦ θρόνου ῥίψις, αἱ ἀθεσμώταται καθαιρέσεις, αἱ ἀδικώταται ὑπερορίαι, αἱ κατὰ τῶν ποδῶν ἁλύσεις, αἱ μυρίαι φυγαὶ, καὶ θλίψεις, καὶ συκοφαντίαι, B καὶ διαβολαὶ, αἷς αὐτὸν ἔπλυνας; καὶ γὰρ ἔπλυνας ἀληθῶς τοσοῦτον, ὅσον ἐρρύπανας σαυτόν. οὐκ ἤρκεσε ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ἔτι βιάζῃ ῥοῦν ποταμοῦ μάτην ἀπολέσαι φιλονεικῶν, καὶ τὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δικαιούμενον κατακρίνειν, καὶ ἀδικώτατα καταδικάζειν ἐπιτιθέμενος, καὶ ταύτῃ τὸν ἔλεγχον τῶν ἰδίων ἀνομημάτων διαδρᾶναι λίαν ἀνοήτως διανοούμενος, ὥσπερ οὐκ ἐφεστώσης Θεοῦ προνοίας τοῖς πράγμασιν, ἢ καιροῖς ἰδίοις ἑκάστῳ πάντως τὴν ἰδίαν ἀποδώσει πρᾶξιν. ἐγὼ λογίζομαι, ὅτι καὶ αὐτὸς ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς πρὸς τοῦ λέγοντος ἀκούσῃ Θεοῦ· ἵνα τί σὺ ἐκδιηγῇ τὰ δικαιώματά μου, καὶ ἀναλαμβάνεις τὴν διαθήκην μου διὰ C στόματός σου; καὶ ὅσα τῆς ἱερολογίας ἑξῆς. κρεῖττον γὰρ οἶμαι ἀνδρὶ ἀναλφαβήτῳ πάντῃ καὶ ἀμαθεῖ μετὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἀνεπιλήπτως βιοῦν, ἢ πάντας θείους καὶ ἀνθρωπίνους λόγους σοφίας ἀνελίττοντι διὰ γλώσσης, καὶ μακροῖς λόγων συντάγμασιν ἐπαινουμένῳ, φονικὴν ἀναρριπίζειν κατὰ τοῦ πλησίον βουλήν. πῶς οὐδὲ τοῦ μεγάλου Βασιλείου τῶν λόγων κατακούων ηὐλαβήθης, ἐν ἐκπλήξει περί τινος εἰπόντος, ὅτι πλειόνων ἀκμασάντων αἱρεσιαρχῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν, οὐδεὶς ἀναθρονιασμοὺς τελέσαι ἐθάρρησεν, εἰ μὴ ὁ Ἀγκυρογαλάτης Εὐστάθιος, οὗ τινος τὴν μυσαρότητα ἡ ἐν Γάγγραις ἁγία παρέστησε D σύνοδος. ἀλλὰ τούτοις ὁ σοφώτατος οὐ μόνον οὐκ ἐνεκαλύπτετο, ἀλλὰ τοὐναντίον καὶ ἐνελαμπρύνετο, δόξαν μᾶλλον τὰ ἔργα τῆς αἰσχύνης, καὶ ἰδίαν τιμὴν ἡγούμενος, εἴγε καινοπρεπῆ, καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς παραδόσεως ἀλλότρια τεχνάζοιτο. ἀλλ' ὁ μὲν οὕτως.

Οὐ κατασιγήσω δὲ ἐγὼ τὸν τοῦ Καίσαρος ὄνειρον· οὐδὲ δίκαιον. εἰ γὰρ καὶ οἱ πολλοὶ μὲν αὐτῶν ἐκ τῶν μεθημερινῶν φροντίδων καὶ ἐνθυμημάτων ἔχουσι τὰς ἀρχὰς, πολλοὶ δὲ καὶ ὑπὸ δαιμόνων καθεύδουσιν ὑποτυποῦνται· ἀλλὰ καὶ ὑπὸ E ἀγγέλων Θεοῦ ἐστιν ὅτε προστάγματι σχηματίζονται Θεοῦ, καὶ ἐπὶ τοῖς ἄρχουσι δὲ μάλιστα καὶ βασιλεῦσι, εἰ καὶ μὴ εὐσεβεῖς εἶεν. ἀλλ' οὖν τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας, εἴτε πρὸς τὸ αὐτοῖς ἐκείνοις, εἴτε τοῖς ὑπηκόοις λυσιτελοῦν, πολλάκις ἐνεργεῖν οἶδεν· ὡς ἐπὶ τοῦ Φαραὼ καὶ τοῦ Ναβουχοδονόσορ μεμαθήκαμεν. οὕτω καὶ Βάρδας ὁ Καῖσαρ οὗτος Φιλόθεον ἐκεῖνον γενικῶν ποτὲ λογοθέτην, καὶ φίλον αὐτῷ πιστὸν ὄντα προσκαλεσάμενος, λίαν ἐῴκει τεθορυβημένῳ· καὶ ἄσθματι πυκνῷ συνεχόμενος· ὦ Φιλόθεε, ἔφη, ὄραμα εἶδον, καὶ πάντα μου συνέτριψε

ANNO CHRISTI 869.



ANNO CHRISTI 869.

τὰ ὀστᾶ, καὶ τοὺς ἁρμοὺς τῆς ὀσφύος μου ἔλυσεν. ᾤμην γὰρ κατὰ ταύτην τὴν νύκτα, ὡς δῆθεν προελεύσεως οὔσης, εἰς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν μετὰ τοῦ βασιλέως εἰσιέναι· κατὰ πάσας δὲ θυρίδας τὰς ἄνω καὶ τὰς κάτω εἰκόνας ὁρᾶν ἐδόκουν ἀρχαγγελικὰς πρὸς τὸν ναὸν βλεπούσας· καὶ ὅτε πλησίον ἦμεν τοῦ ἄμβωνος, ὤφθησαν ὥσπερ κουβικουλάριοι δύο ἀπότομοι καὶ ἐμβριθεῖς· ὧν ὁ μὲν δέσμιον τὸν βασιλέα λαβὼν, καὶ ἐπὶ τὰ δεξιὰ κατασύρων, ἐξωθεῖτο τῆς σολέας, κατακρίνων ὡς ὑπόδικον· ἐμὲ δὲ ὁ ἕτερος ὁμοιοτρόπως διὰ τῶν ἀριστερῶν ἀπῆγεν. ἄφνω δὲ περιβλεψάμενος, ὁρῶ ἐν τῷ συνθρόνῳ τοῦ ἀδύτου καθήμενον ἄνδρα γηραλέον, ἀπαραλλάκτως ἐοικότα τῇ εἰκόνι τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων B Πέτρου. καὶ αὐτῷ δύο τινὲς παρειστήκεισαν φοβεροὶ, πραιποσίτων τάξιν ἐπιφαίνοντες. ὁρῶ δὲ πρὸς τοῖς γόνασι τοῦ καθημένου τὸν Ἰγνάτιον ἱκετεύοντα, καὶ πολλοῖς δάκρυσι περιρραινόμενον οὕτως, ὥστε κἀκεῖνον αὐτῷ συλλυπούμενον στενάξαι. καὶ αὐτὸς ἐβόα· κλειδοῦχε τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ πέτρα ἐν ᾗ Χριστὸς ὁ Θεὸς τὴν αὐτοῦ ἐκκλησίαν ἐστηρίξατο, εἰ οἶδας, ὅτι ἠδικήθην, παραμύθησαί μου τὸ πολύθλιπτον γῆρας. ὁ δὲ πρὸς αὐτόν· δεῖξον, ἔφη, τὸν ἀδικήσαντά σε, καὶ ὁ Θεὸς σὺν τῷ πειρασμῷ ποιήσει καὶ τὴν ἔκβασιν. καὶ στραφεὶς ὁ Ἰγνάτιος τῇ δεξιᾷ χειρὶ ἐπέδειξεν ἐμὲ, λέγων· C οὗτος περισσότερον πάντων ἐλυμήνατό με· καὶ κόρον τῆς κατ' ἐμοῦ ὕβρεως οὐκ ἔσχεν. νεύσας οὖν ὁ ἐπὶ τοῦ θρόνου πρὸς τὸν ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ καθεστηκότα, καὶ μικρὰν πάνυ μάχαιραν ἐκβαλὼν, εἰς ἐπήκοον πάντων ἀπεφήνατο· τὸν θεόργιστον Βάρδαν παράλαβε, καὶ πρὸ τοῦ νάρθηκος ἔξω κατάκοψον μεληδόν. αὐτίκα τοίνυν, ἑλκόμενος δῆθεν πρὸς θάνατον, εἶδον, ὅτι καὶ τῷ βασιλεῖ τὴν χεῖρα ἐπισείων, ἔκδεξαι, ἔφη, ἀσεβόπαιδον· καὶ οὕτως ἐμαυτὸν εἶδον ὡς ὕπαρ καταμελιζόμενον. ταῦτα μὲν ὁ Καῖσαρ θαμβούμενος ἅμα καὶ κλαίων ἐξηγεῖτο. πρὸς ὃν ἐκεῖνος· φεῖσαι, ὦ δέσποτα, τοῦ παναθλίου γέροντος, εἶπε, καὶ πρὸς τὸ τοῦ Θεοῦ κριτήριον ἀφορῶν, D μήτε δικαίως, μήτ' οὖν ἀδίκως ἔτι πονηρεύου κατ' αὐτοῦ· ἀλλ' ὅμως ἐκεῖνος οὐδ' οὕτως ἠβουλήθη συνιέναι τοῦ ἀγαθῦναι· ἀμνηστίᾳ καὶ τὴν φρικώδη ταύτην παραδοὺς ἀπειλὴν, ἔσπευδε τὰς οἰκείας ἀναπληρῶσαι ἁμαρτίας, ἵν' ἔνδικον ἄνωθεν ἐφ' ἑαυτὸν ἐπισπάσηται τὴν ὀργήν. εὐθὺς γὰρ πρὸς αὐταῖς τῶν νηστειῶν ταῖς εἰσβάσεσι, Λέοντα ἐκεῖνον τὸν Πταολήμην ἐπονομαζόμενον, συγγενῆ Φωτίου τυγχάνοντα, μετὰ στρατιωτῶν εἰς τὴν νῆσον ἀποστέλλει, καὶ παραγγέλλει οὕτω τηρεῖσθαι τὸν Ἰγνάτιον, ὡς μὴ ἐξεῖναι αὐτῷ παντάπασι τὴν ἱερὰν ἀναφέρειν λειτουργίαν, μήτ' οὖν εἰσιέναι τινὰ πρὸς E αὐτὸν, μήτ' ἐξιέναι συγχωρεῖσθαι. ἐπὶ τρεῖς δὲ μῆνας ἡ τοιαύτη περὶ αὐτὸν ἐστερεοῦτο φυλακὴ, καὶ οὕτως ἡ τοῦ ὀνείρατος ἔφθασεν ἀπόφασις. ἐκστρατευομένου γὰρ κατὰ τῆς Κρήτης τοῦ Μιχαὴλ καὶ αὐτὸς ὁ Βάρδας ἄχρι τῶν λεγομένων κήπων συστρατεύων, ἐκεῖ δὴ τὴν ἐσχάτην ἔτισε δίκην. πρόφασιν γὰρ ὡς ἐπιβουλεύοντα τῷ βασιλεῖ ἡ θεήλατος αὐτὸν μετῆλθεν ὀργὴ, καὶ ξίφεσι μεληδὸν ἀθλίως κατακοπτόμενος, οὕτω δυσκλεὲς τέλος ἀπηνέγκατο, ὥστε καὶ ὑπ' αὐτοῦ στηλιτευθῆναι τοῦ φιλτάτου. ὁ γὰρ τὰ μεγάλα εὐεργετηθεὶς, καὶ τὴν πατριαρχικὴν.



A quit, ſomnium vidi, quod omnia oſſa mea contrivit, omneſque corporis nervos diſſolvit. Hac nocte enim videbar tanquam in publica pompa cum imperatore ad magnam baſilicam prodire, videreque archangelorum effigies per feneſtras omnes ſuperiores & inferiores in templum reſpicere: & cum ad ambonem veniſſemus, ſpectati ſunt veluti duo a cubiculis, ſeveri ac truces: quorum alter ipſum imperatorem vinctum capiens, ad dextrum latus tractum, e pavimento cancellis proximo velut noxium damnatumque pellebat: alter vero me pari modo ad ſiniſtram partem abducebat. Et dum repente B circumſpicio, animadverto in throno patriarchali in adytis virum principi apoſtolorum Petro forma ſimillimum, geminoſque illi aſſiſtentes, ſane formidabiles, qui præpoſitorum dignitatem præ ſe ferebant. Ad ſedentis porro genua procumbentem cerno Ignatium ſupplicem, multiſque lacrymis perfuſum; adeo ut ipſe quoque Petrus Ignatii vicem miſeratus ingemuerit. Porro Ignatius clamitabat: Claviger cæleſtis regni, & petra ſuper quam Chriſtus Deus eccleſiam ſuam firmavit, ſi quidem tibi ignotum non eſt, quam inique mecum actum ſit, ſolare afflictiſſimam ſenectam meam. Cui B. Petrus; C Oſtende vexatorem tuum, & Deus faciet cum tentatione proventum. & converſus Ignatius manu me indicabat; &: Hic, inquit, plus omnibus me afflixit, ut quem nulla ſatietas mei cruciandi ceperit. Tum qui in throno conſidebat, cum annuiſſet illi qui ad dextram aſſiſtebat, educta ſicula, palam omnibus audientibus ſententiam pronuntiavit. Hunc, inquit, inviſum Deo Bardam prehende, & foris in atrio fruſtatim concide. Extemplo ergo ad ſupplicium abreptus, vidi quod & imperatori minaci manu diceret: Expecta impie fili. Atque ita mihi viſus ſum re vera concidi. Hæc Cæſari attonito & cum lacrymis narranti, D Theophilus: Parce, inquit, domine infeliciſſimo ſeni, & ad Dei tribunal reſpiciens, eum neque jure, neque injuria lædas. Sed Bardas ne ſic quidem voluit intelligere, ut bene ageret; ſed formidandis hiſce comminationibus oblivione ſepultis, properavit peccata ſua adimplere, ut juſtam Dei vindictam in ſe concitaret. Statim quippe, ipſo ſolennis jejunii exordio, Leonem illum cognomento Ptaolemen, cognatum Photii, cum ſatellitio in inſulam mittit, adeoque arcte cuſtodiri præcipit Ignatium, ut ne ſacris quidem operari poſſet, neque cuiquam copia fieret illius conveniendi, nec E illi exeundi. Cum ad tertium menſem ita circumcluſus manſiſſet, ſomnii prædictio maturabatur. Michaele namque expeditionem in Cretam ſuſcipiente, Bardas cum illo jam ad Hortorum locum qui dicitur progreſſus, quod inſidias imperatori ſtruere diceretur (cæleſti nempe vindicta illum proſequente) ultimas Deo pœnas exolvit, gladiiſque miſerandum in modum membratim eſt diſſectus. Tam infami letho extinctus eſt, ut ipſius quoque familiariſſimus in eum inveheretur, quamvis ab eo ſummis beneficiis affe-

VITA IGNATII PATRIAR.

VITA IGNATII PATRIAR.

ctus, patriarchatus dignitatem accepiſſet. Sed hunc ille vivum quidem mirifice colebat, ſuumque quaſi vitæ præſidem omnibus præconiis efferebat: perempto vero palinodiam cecinit, ac velut execrandum quoddam piaculum dignum tali morte dictitabat. Hoc ingenio improbus ille veterator & ſophiſta fuit, ut ſemper foro & tempori, principumque ſtudiis obſequeretur. Qui enim cæleſti ſpiritu ductuque, fide deſtitutus, non agitur, & ſpes ſuas in mortalibus ſitas habet, cum vitioſo putrique fundamento mente nitatur; tandem inconſtans & perfidus in omnes deprehenditur: potentium palpator, calumniator vero pauperum; qui id unum ſtudet, ut placeat potentibus, ne dignitate ſpolietur.

Imperator item repente converſo itinere Conſtantinopolim repetit. Erat autem pentecoſte; & Baſilium patricium cubiculi ſacri præfectum, Cæſarem impoſito ſtemmate renuntiat. Sed verſutus Photius plurima in Nicolaum pontificem moliens, cum operam luſiſſet, imperatori multis verbis incitato fit auctor cogendæ ſynodi; qua Nicolaus pontifex (eadem ſententia in illum lata, quam nuper ille in Photium tulerat) exauctoretur. Evocat ergo præclarus ille Photius epiſcopos omnes ſibi ſubjectos, alioſque nonnullos fœdos & ſordidos homunciones, quaſi patriarcharum orientis legatos; pſeudoque ſynodum inſtituit, & exauctorationem, ut putabat, atque anathema nullam ob rationem in Nicolaum papam pronuntiat: regem quoque Franciæ Lodoechum (ſeu Ludovicum) & Ingelbertam reginam conjugem ſollicitat; & imperatores Conſtantinopoli creatum iri pollicetur, ſi operam navarent ad impium ſuum conatum exequendum, & virum juſtum ex eccleſia ſua exigendum. Iis vero dicto citius pollicentibus, fruſtra ſtultus ſuam ſtultitiam oſtentabat. Hinc ſubſcriptiones, & vota hominum ſacrorum & profanorum, archiepiſcoporum & patriciorum; vana omnia, omnia theatralibus fabulis ineptiora. Nam quæ illi a puero adhæſerat arrogans ſui exiſtimatio, eadem ad ſummam illum inſolentiam extremamque dementiam evectum adducebat, ut talia tam audenter & impudenter auderet. His ille omnibus procuratis, inſana & ſacrilega (conciliabuli ſui) acta per Zachariam Cophum a ſe Chalcedonenſem metropolitam creatum, Theodorum tranſlatum a Caria ad Laodicenſem epiſcopatum, in Italiam tranſmiſit. Ipſe vero inſitum contra ſanctum virum odium alebat, ac quotquot ex ejus germanis, aut ſpuriis potius ſectatoribus poterat, ſuum ad ſe trahebat, dignitatibuſque velamine ſuæ illiciebat, per quos innocentis calcaneo inſidiabatur. Sed enim ſpe fruſtrabatur, quod beatus ille jam extra omnem eſſet aleam calumniarum: Photius autem in operibus manuum ſuarum malignans capiebatur. Qui cum dubius hæreret, ad quem tandem ſumma imperii eſſet perventura, ſub-

A ὑπ' ἐκείνου τιμῆς κληρωθεὶς, ζῶντα μὲν ὑπερετίμα, καὶ προστάτην εἶχε τοῦ βίου, παντοίαις εὐφημίαις ὑπερεπαινῶν· ἀποθανόντι δὲ παλινῳδίας ἦγε, καὶ ὡς ἀλιτήριον τοῦτον καὶ τρισκατάρατον, ἄξιον τοιαύτης ἀπεφήνατο πληγῆς. τοιοῦτος ὁ δεινὸς ἐκεῖνος ἦν σοφιστὴς, ἀεὶ πρὸς τοὺς καιροὺς μεταβαλλόμενος καὶ τὰ πράγματα, καὶ τοῖς τῶν κρατούντων συμπεριαγόμενος θελήμασιν. ὁ γὰρ τῆς θεαρχικῆς βουλῆς καὶ ῥοπῆς δι' ἔλλειψιν πίστεως διαμαρτὼν, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἐπηλπικὼς, ἐπειδὴ σαθρῷ θεμελίῳ τὸν νοῦν ἐπερείδεται, ἄπιστός τε πρὸς πάντας καὶ ἀβέβαιος ἐλέγχεται· B ὑψουμένοις μὲν συνήγορος, κατήγορος δὲ γινόμενος ταπεινουμένοις· καὶ πρὸς ἓν μόνον ὁρῶν ἀρέσαι τοῖς δυνατοῖς, τοῦ μὴ τῆς κατ' αὐτὸν ἀρχῆς ἐκπεσεῖν.

Τότε μὲν οὖν ὁ αὐτοκράτωρ παραυτίκα πρὸς τὴν βασιλεύουσαν παλινοστεῖ. πεντηκοστὴ δ' ἄρ' ἦν, καὶ Βασίλειον πατρίκιον ὄντα καὶ παρακοιμώμενον, στέμματι κατακοσμήσας, ἀναγορεύει βασιλέα. ὁ πολύφρων δὲ Φώτιος πάμπολλα κατὰ Νικολάου τοῦ πάπα μηχανορραφῶν, ἐπειδὴ οὐδὲν εἶχεν ἄλλο δρᾷν κατ' αὐτοῦ, πείθει πολλαῖς παραινέσεσι τὸν βασιλέα συναινέσαι, σύνοδον συγκροτῆσαι, καὶ τοῦτον καθαιρῆσαι, καὶ τοῖς αὐτῷ κοινωνοῦσιν ἀφορισμὸν ἀντι- C στηκοῦντα τῷ παρ' ἐκείνου πρώην πεμφθέντι διαπέμψασθαι. συναγαγὼν οὖν πάντας τοὺς ὑπ' αὐτὸν ἐπισκόπους ὁ γλυκάδας, καί τινας μιαροὺς ἀνθρωπίσκους καὶ ἀσήμους ἐκ τῶν ἀνατολικῶν δῆθεν πατριαρχείων τοποτηρητὰς ἐπαγόμενος, καὶ ψευδοσύλλογον ποιούμενος, καθαίρεσιν, ὡς ἐνόμιζε, καὶ ἀναθεματισμὸν ἐπ' οὐδενὶ λόγῳ ποιεῖται Νικολάου. δώροις γὰρ λαμπροῖς ὅτι μάλιστα τὸν ῥῆγα Φραγγίας Λοδόηχον, καὶ Ἠγγιβέργαν δὲ τὴν αὐτοῦ γαμετὴν ὑποποιούμενος, βασιλεῖς τούτους ἀναφημιεῖν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπηγγέλλετο, εἴγε συνεργήσαιεν αὐτῷ πρὸς τὴν ἄτοπον ταύτην καὶ ἄθεσμον ἐπιθυμίαν, καὶ τὸν δίκαιον ἄνδρα τῆς κατ' αὐτὸν ἐκκλησίας βιαίως D ἐξωθήσαιεν. τούτων δὲ ὑπισχνουμένων λόγου θᾶττον, ἀλόγως ὁ μάταιος μάτην ἀπεφαίνετο. ἐντεῦθεν ὑπογραφαὶ καὶ φωναὶ κανονικῶν τε προσώπων καὶ πολιτικῶν, μητροπολιτῶν καὶ πατρικίων· πάντα χαῦνα, πάντα τῶν ἐπὶ σκηνῆς θρυλλουμένων ματαιότερα καὶ καταγελαστότερα. ἡ γὰρ ἐκ παιδὸς αὐτῷ παρεπομένη τῆς ψυχῆς οἴησις, εἰς ὑπερηφανίαν τε τὴν ἐσχάτην καὶ ἀπόνοιαν μετοικίσασα, ἀδεῶς τε καὶ ἀναιδῶς ἀνέπειθε τὰ τοιαῦτα τολμᾷν. ὁ μὲν οὖν ταῦτα κατασκευασάμενος, διὰ χειρὸς Ζαχαρίου τοῦ Κωφοῦ, ὃς ὑπ' αὐτοῦ τῆς Καλχηδόνος κεχειροτόνητο μητροπολίτης, καὶ Θεοδώρου τοῦ ἀπὸ Κα- E ρίας εἰς Λαοδίκειαν μετατεθέντος, τὰς παραλόγους αὐτοῦ καὶ ἐναγεῖς πράξεις πρὸς Ἰταλίαν ἐξαπέστειλεν. αὐτὸς δὲ τῆς ἐμφύτου κατὰ τοῦ ἁγίου μήνιδος εἴχετο, καὶ τῶν γνησίων αὐτοῦ θεραπόντων, μᾶλλον δὲ νόθων, ὅσους ἠδύνατο, κλέπτων, καὶ τῇ ματαιότητι τῶν ἀξιωμάτων δελεάζων, δι' αὐτῶν τὴν πτέρναν τοῦ ἀναιτίου ἐπετήρει. ἡμάρτανε δὲ τῆς ἐλπίδος· πάσης γὰρ ὑψηλότερος κατηγορίας ὁ μακάριος ἦν· ἐν τοῖς ἔργοις δὲ τῶν χειρῶν αὐτοῦ κακούργων συνελαμβάνετο. ἀγνοῶν δὲ ἀληθῶς εἰς τίνα τὸ κράτος τῆς βασιλείας περιστήσεται, ποτὲ μὲν πρὸς τὸν Μιχαὴλ διέβαλλε Βασίλειον, αὖθις δὲ τοῦτον πρὸς ἐκεῖνον, ἀμφοῖν ὡς ἐνι-

ANNO CHRISTI 869.



ANNO CHRISTI 869.

ἐνόμιζε, φιλίαν καταπραττόμενος, ὁ ἀμφοτέρων τὴν φιλίαν οὐκ ἐν ἀληθείᾳ ὑποκρινόμενος, καὶ οἰόμενος, ὡς ὁποῖος ἂν τούτων μονοκράτωρ ἀναδειχθῇ, τοῦτον εἰς οἰκειότητα προστήσεται. οὐκ ἤρεσκε δὲ τῷ Βασιλείῳ ταῦτα, πάνυ δὲ ταῖς πανουργίαις προσώχθισε τοῦ σοφοῦ. μικρὸν τὸ ἐν μέσῳ, καὶ αὐτὸς ὁ Μιχαὴλ πρὸς τῷ τεμένει τοῦ μάρτυρος Μάμαντος δολοφονεῖται, ἀξίαν τῆς ἀνοίας, εἶτ' οὖν ἀδικίας αὐτοῦ καὶ ἀσεβείας δεξάμενος πλατίω· χρόνους μὲν πεντεκαίδεκα καὶ μῆνας ὀκτὼ συμβεβασιλευκὼς τῇ μητρὶ, ἐννέα δὲ παρὰ βραχὺ μόνος ἐπικεκρατηκὼς, καὶ τὸ πονηρὸν ἐνώπιον τῆς ἐκκλησίας Κυρίου πεποιηκὼς, τελευτᾷ. πρώτη μὲν ἰνδικτιὼν εἶχεν ἀρχὴν, εἰκάδα δὲ καὶ τετάρτην ὁ Σεπτέμ- B βριος, καὶ ὁ Βασίλειος πρὸς τὰ βασίλεια κατευθυνόμενος, αὐτοκράτωρ ἀνηγορεύετο. παραυτίκα δὲ πέμψας εἰς κατάδρομον, τοὺς περὶ τὸν Ζαχαρίαν Καλχηδόνος ἐκ μέσης ἀνέστρεψε τῆς ὁδοῦ· τῇ ἑξῆς δὲ μετὰ τὴν ἀναγόρευσιν, τοῦ πατριαρχικοῦ θρόνου τὸν Φώτιον καταβιβάζει, καὶ ἐν μοναστηρίῳ τινὶ καλουμένῳ Σκέπη τοῦτον εὐθὺς ὑπερορίζει· καὶ τῇ ἐξαύριον Ἠλίαν τὸν περιδοξότατον τοῦ βασιλικοῦ στόλου δρουγγάριον σὺν τῷ βασιλικῷ δρόμωνι πρὸς τὸν ἁγιώτατον ἀποστέλλει πατριάρχην, ὅπως αὐτὸν ἐκ τῆς νήσου πρὸς τὴν βασιλεύουσαν μετὰ τῆς πρεπούσης ἀναγάγῃ τιμῆς. καὶ τέως μὲν ἐν τοῖς γονικοῖς αὐτοῦ παλατίοις τοῖς κα- C λουμένοις Μαγκάνοις ἀποκαθίστησιν αὐτόν.

Ἵνα δὲ πᾶσα ἡ κατὰ τοῦ ἁγίου γένηται πονηρία καταφανὴς, ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν, πολυπλόκων δὲ βουλὰς ἐξιστῶν, αὐτὸς ἐμβάλλει καὶ τῷ αὐτοκράτορι Βασιλείῳ λογισμόν· καὶ ἀποστέλλει πρὸς Φώτιον· τὰ ἰδιόχειρα πάντα, ὅσα ἀπὸ τοῦ πατριαρχείου κατιὼν ἔλαβεν, ἀνυπερθέτως αὐτῷ πέμψαι παρακελευόμενος. ὁ δὲ ὅρκοις ἐψεύδετο, μηδὲν τοιοῦτον ἐκεῖθεν λαβεῖν, τῷ κατεπείγεσθαι πρὸς τὴν κατάβασιν. ὡς οὖν ταῦτα παρ' αὐτοῦ πρὸς τὸν πραιπόσιτον Βαάνην ἐλέγετο, οἱ αὐτοῦ θορυβούμενοι θεράποντες ἑπτὰ σάκκους πλήρεις ἐσφραγισμένους μολίβδῳ εἰς τὸν πλησίον ἐνίεσαν καλα- D μῶνα κατακρύψοντες· οὓς οἱ περὶ τὸν πραιπόσιτον ἰδόντες, καὶ τῆς χειρὸς ἀφαρπάσαντες, πρὸς τὸν βασιλέα ἀπεκόμισαν. ἀνοίξαντες δὲ τούτους, δύο εὑρίσκουσι βιβλία χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ σὺν ὀξέσιν ἐνδύμασιν ἔξωθεν κεκοσμημένα, ἔσωθεν δὲ φιλοκάλως καὶ ἐπιμελῶς γράμμασι γεγραμμένα περιττοῖς. περιεῖχε δὲ τὸ ἓν πράξεις ἑπτὰ συνοδικὰς, τὰς μηδέποτε οὔσας, ἢ γενομένας, κατὰ τοῦ Ἰγνατίου, μάτην δὲ κακοδαίμονι μόνον ἀναπεπλασμένας διανοίᾳ. ἐν ταῖς ἀρχαῖς δὲ τούτων ἐφ' ἑκάστης πράξεως, αὐτουργίᾳ τοῦ Συρακουσίου Ἀσβεστᾶ· ἦν γὰρ καὶ ζωγράφος ὁ γλυκάδας, εἰς προσθήκην τῶν αὐτοῦ κακῶν, οἶ- E μαι· διὰ χρωματικῆς ζωγραφίας ἐνεγέγραπτο Ἰγνάτιος. καὶ, ὢ τῆς ἀκαθέκτου λύσσης, ὢ μανίας οὐδεμίαν ὑπερβολὴν ἀπολιπούσης. κατὰ τὴν πρώτην μὲν πρᾶξιν συρόμενόν τε αὐτὸν καὶ ῥαβδιζόμενον ἐμόρφωσεν, ἄνωθεν δὲ τῆς κεφαλῆς ἐπέγραψεν· ὁ διάβολος. ἆρ' οὐκ ἐφρίξατε τὴν ὑπερβολὴν τῆς βλασφημίας; ἀλλὰ μὴ θαυμάσητε. εἰ γὰρ τὸν οἰκοδεσπότην Βεελζεβοὺλ ἐκάλεσαν, τί πρὸς τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ; κατὰ τὴν δευτέραν δὲ ἐμπτυόμενον, καὶ βιαίως ἑλκόμενον αὐτόν, καὶ ἡ ἐπιγραφή· ἀρχὴ τῆς ἁμαρτίας. κατὰ τὴν τρίτην δὲ καθαιρούμενον, καὶ ὁ υἱὸς τῆς

A inde apud Michaelem carpebat Baſilium, & viciſſim apud Baſilium, obtrectabat Michaeli, ratus amborum ſe ita amicitiam ſibi comparaturum, dum erga utrumque benevolentiam ſimularet; ut uter tandem ex illis ſolus imperium obtineret, illum ſibi devinctiſſimum haberet. Atqui non probavit ſe Baſilio, qui admodum veteratoris illius ſtrophis offendebatur. Nec ita multo poſt ipſe Michael ad ſancti Mamantis martyris ædem per inſidias mactatur, merito dignoque ſua amentia, ſcelere & impietate, fato perfunctus; cum imperium una cum matre annos quindecim, menſes octo, ſolus novem prope an- B nos adminiſtraſſet: cumque malum feciſſet in conſpectu eccleſiæ Dei, periit. Initio autem indictionis primæ, nono Kal. Octobris, Baſilius regia occupata imperator eſt conſalutatus: qui miſſis ad revocandum ex itinere Zachariam, illum e media via retraxit. Poſteroque die quam renuntiatus erat imperator, Photium de throno deturbatum, in cœnobium Scepen appellatum ejicit; poſtridieque Eliam ſplendidiſſimum regiæ claſſis drungarium cum dromone regio, ſeu celoce, ad ſanctiſſimum patriarcham, ex inſula Conſtantinopolim ea qua par eſt honoris pompa reducendum mittit; qui illum tantiſper in pa- C ternis ædibus ſuis, quas Mangana appellant, collocat.

Ut vero improbæ artes omnes contra virum ſanctum omnibus pateant, qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium pravorum diſſipat; ille etiam imperatori injecit eam mentem, ut ad Photium mitteret, juberetque, omnia quæ a patriarchio ſumpſiſſet manu ſua ſcripta, quamprimum ſibi tranſmitti. Sed pejerabat ille, nihil ſe ex patriarchio ſecum accepiſſe, eo quod urgeretur ad diſceſſum. Dum hæc ad Baanem præpoſitum dicerentur, famuli præpoſiti a tumultuantibus inter ſe Photii ſervis, ſeptem ſaccos D refertos, plumboque ſignatos, in proximum arundinetum condendos ferri animadvertunt, manuque injecta ereptos ad imperatorem deportant. Et dum reſignant, duo volumina auro argentoque bracteata, ſericoque extrorſum velata, introrſum vero elegantes & ſcite literis venuſtis exarata reperiunt. Alterum continebat actiones ſeptem ſynodicas contra Ignatium, quæ nec ſunt, nec fuerunt unquam celebratæ, ſed gratis aſtuta dumtaxat mente confictæ. In quarum ſingulis initiis, manu ipſius Syracuſani Asbeſtæ (egregie enim, ad cumulum reorum malorum, & pingendi artificium didicerat) coloribus E artificioſis expreſſus erat Ignatius. O rabioſum furorem, o furioſam rabiem, cui nihil addi poſſit! Atque in prima quidem actione raptatum & verberatum Ignatium effinxit, ſupraque caput inſcripſit: Diabolus. Numquid non maledicti exhorreſcitis atrocitatem? Sed non eſt, quod miremini. Nam ſi patremfamilias appellarunt Beelzebub, domeſticos ejus quomodo appellarent? In altera actione ſputis fœdatum, magnaque vi tractum efformavit, cum hoc elogio: Principium peccati. In tertia, de throno deturba-

VITA IGNATII PATRIAR.

VITA IGNATII PATRIAR.

tum, cum hoc titulo: Filius perditionis. In quarta, vinculis colligatum & exterminatum, itaque inſcriptum: Avaritia Simonis Magi. In quinta, collari furcæ incluſum, cum hac calumnia: Qui ſe extollit ſupra omne id quod dicitur aut colitur Deus. In ſexta depinxit quaſi jam damnatum, cum dicto: Abominatio deſolationis. In ſeptima & ultima finxit raptatum, capiteque multatum; & inſcriptio erat: Antichriſtus. Quæ ego per veritatem ſine pudore neque pronuntio, neque in mentem revoco: ob eamque cauſam ſciatis, velim, me ſilentio præteriturum fuiſſe, niſi viderem horum B auctores, auctorumque aſſeclas hæc non ſolum non erubeſcere, ſed in his palam etiam gloriari, Photioque ſanctitatis opinionem falſo tribuere. Sed verax ille non mentitur, qui dixit: *Impius cum in profundum venerit, contemnit*: ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium. (Prov. 18.) Juraverunt per timorem domini, & gloriam fortitudinis ejus, qui in ſacrilegarum actionum illarum lectione adfuerunt, duo ſupra quinquaginta capita ad B. Ignatii calumniam perſcripta fuiſſe omnium confeſſione falſo, & ex impia potius quam furioſa mente confecta. Relinquebant & in ſingulis accuſationibus verſum ad finem vacuum, C ut ſi quem laqueo dignum donorum & dignitatum largitione irretiiſſent, mendacio is ſubſcribendo haberet locum. Et hæc quidem alter diaboli continebat liber. Alter vero ſynodicus in Nicolaum pontificem Romanum tela torquebat; omniſque generis calumnias & atrociſſima maledicta in illius ſancti exauctorationem & damnationem complectebatur, impio & flagitio prope modo [illegible]; ſane ipſe quoque dictantis Stygii doctoris magiſterio & Photii miniſterio dignus. Hos eodem exemplo libros cum impudens bis deſcribendos curaſſet, geminis quidem libris Zachariæ & Theodoro ſupra indicatis, cum ſingulari- D bus laudum encomiis, multiſque ac ſplendidiſſimis muneribus ad Ludovicum Franciæ regem deferendos dedit, ut is Nicolaum pontificem velut exauctoratum de throno deturbaret: duos penes ſe retinuit. Hæc quatuor volumina imperator illa erepta prius ad ſenatum totamque eccleſiam palam demiſit, atque ita omnes Photii machinationes & impiam conſcientiam omnium oculis totique reipublicæ ſpectandam propoſuit. Quibus viſis & auditis attoniti omnes obſtupuere, non ſolum propter perverſam ſophiſtæ mentem, perverſamque verboſitatem, ſed etiam ob incredibilem Dei patientiam & diuturnam vindictæ dilationem. E Hoſce libros ad œcumenicam poſtea ſynodum delatos, auctorique præſenti cum probro [illegible], igni tradiderunt.

Tum vero Baſilius imperator ad ſilentium in Magnauræ palatium Ignatium e ſilentio indicto, multis laudibus cohoneſtavit. Dies erat dominicus, tertius & vigeſimus Novembris; quo ipſo anni tempore prius in exilium pulſus erat; qui Dei præſidio & clementia, [illegible] novem annorum certaminibus ac perfectam ex virtute [illegible] lauream adeptus, eccleſiæ [illegible].

A ἀπωλείας, ἐπιγραφόμενον. δεσμούμενον δὲ καὶ ἐξοριζόμενον κατὰ τὴν τετάρτην πρᾶξιν εἰκόνισεν αὐτόν, καὶ πλεονεξίαν τοῦ μάγου Σίμωνος, ἐπέγραψε. κατὰ τὴν ἀρχὴν δὲ τῆς πέμπτης κλοιὸς αὐτὸν σχηματίζει περικείμενον, καὶ ἡ λοιδορία· ὁ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα Θεὸν καὶ σέβασμα. κατὰ τὴν ἕκτην δὲ εἰς καταδίκην αὐτὸν ἐμβαλλόμενον εἰκόνισεν· ἡ δὲ κατ' αὐτοῦ * ἀρχολογία· βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως. (* al. [illegible]λογία.) κατὰ τὴν ἑβδόμην δὲ καὶ πλευταίαν πρᾶξιν, συρόμενον αὐτὸν καὶ καρατομούμενον διεζωγράφησε· καὶ ἡ ἐπιγραφὴ αὐτοῦ, ἣν ἔγραψεν, ἦν· ὁ Ἀντίχριστος. ταῦτα ἐγὼ μὲν αἰσχύνομαι κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπὶ B γλώσσης ἄγων, καὶ εἰς μνήμην τούτων ἰών· καὶ διὰ τοῦτο παντάπασιν, ἄριστε, κατεσίγησα ἄν, εἰ μὴ ἑώρων τοὺς ταῦτα κατασκευαζαμένους, καὶ τοὺς αὐτῶν οἰκείους, οὐ μόνον ἐν τούτοις οὐκ ἐγκαλυπτομένους, ἀλλὰ καὶ ἐγκαλλωπιζομένους, καὶ δόξαν ἁγιωσύνης ἐπιψευδομένους αὐτῷ· ἀψευδὴς γὰρ ὁ εἰπών· ὅταν ἔλθῃ ἀσεβὴς εἰς βάθος κακῶν, καταφρονεῖ· ἐπέρχεται δὲ αὐτῷ ἀτιμία καὶ ὄνειδος. ὤμοσαν κατὰ τοῦ φόβου Κυρίου, καὶ κατὰ τῆς δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, οἱ ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῶν ἐναγῶν πράξεων ἐκείνων εὑρεθέντες, πεντήκοντα καὶ δύο ἀναμφίβολα, καὶ πᾶσιν ὡμολογημένα ψευδῆ κεφάλαια γεγράφθαι, ἐξ ἀσεβοῦς μᾶλλον ἢ μανικῆς διανοίας εἰς κατηγο- C ρίαν τοῦ μακαρίου Ἰγνατίου προσφερόμενα. ἑκάστης δὲ κατηγορίας πρὸς τῷ πέρατι ἄγραφον στίχον καταλιμπάνοντες, εἴ τινά ποτε τῶν ἀξίων ἀγχόνης δώροις ἢ ἀξιώμασιν ἀπατῆσαι δυνηθεῖεν, ἵν' ἔχῃ τόπον ἐγγράψασθαι τῷ ψεύδει. καὶ ταῦτα μὲν ἡ μία τοῦ διαβόλου περιεῖχε βίβλος. ἡ ἑτέρα δὲ συνοδικὴ κατὰ Νικολάου τοῦ πάπα Ῥώμης κατεσκεύαστο, πᾶσαν συκοφαντίαν καὶ βλασφημίαν ἄτοπον εἰς καθαίρεσιν ἀνδρὸς ἁγίου καὶ ἀναθεματισμὸν ἀθέως καὶ πονηρῶς δραματουργήσασα, ἀξία καὶ αὐτὴ τῆς τε τοῦ ποιητοῦ δαίμονος ὑπαγορίας, καὶ τῆς τοῦ Φωτίου ὑπουργίας. ἀπαραλλάκτως δὲ ταύτας ὁ τολμητίας δὶς ἀναγραψάμενος, τὰς δύο μὲν Ζαχαρίᾳ παρέ- D σχετο καὶ Θεοδώρῳ τοῖς προειρημένοις, μετὰ εὐφημιῶν καὶ δώρων πολλῶν καὶ λαμπρῶν πρὸς τοὺς τῆς Φραγκίας βασιλεῖς ἀπενεγκεῖν, τοῦ τὸν πάπαν Νικόλαον ὡς καθῃρημένον ἐξῶσαι τοῦ θρόνου· τὰς δύο δὲ παρ' ἑαυτῷ κατεῖχε. τούτων τῶν τεσσάρων βιβλίων δραξάμενος ὁ βασιλεύς, καὶ τῇ συγκλήτῳ πρότερον καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ ποιήσας καταφανεῖς, τὴν ὅλην αὐτοῦ Φωτίου σκαιωρίαν καὶ κακίστην συνείδησιν ὑπ' ὄψιν ἀπάσῃ τῇ πολιτείᾳ κατεστήσατο. ἐξέστη πᾶς ἄνθρωπος ὁρῶν καὶ ἀκούων ταῦτα, οὐ μόνον ἐπὶ τῇ κακονοίᾳ καὶ παντορρημοσύνῃ τοῦ σοφιστοῦ, ἀλλὰ καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῆς μακροθυμίας καὶ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ. ἀλλὰ E ταύτας μὲν τὰς βίβλους ὕστερον ἐλέγξαντες ἐπὶ τῆς συνόδου, καὶ κατὰ πρόσωπον τοῦ αὐτουργοῦ αὐτῶν παραστήσαντες καὶ παραδειγματίσαντες, οὕτω παρέδωκαν τῷ πυρί.

Τότε δὲ καὶ ὁ αὐτοκράτωρ Βασίλειος σιλέντιον ἐπὶ τοῦ παλατίου Μαγναύρας ποιησάμενος, καὶ τὸν πατριάρχην ἀναγαγών, καὶ πολλοῖς τοῦτον ἐπαίνοις καταστέψας· Κυριακὴ μὲν τότε ἦν, εἰκοστὸν δὲ καὶ τρίτην εἶχε Νοέμβριος, ὥσπερ καὶ ὅτε πρῶτον ἐξωρίζετο· καὶ αὐτὸς [illegible] καὶ χειρὶ τοῦ Θεοῦ δι' ἐννέα τελείων χρόνων τελείαν ἄθλησιν ὑπὲρ ἀρετῆς ἐπιδειξάμενος, ἀποκαθίσταται τῇ ἐκκλησίᾳ· καὶ ὁ λύ-

χνος



ANNO CHRISTI 869.

A χνος λαμπρότερον ἀναφθείς, περιφανέστερον ἢ πρώην τῇ λυχνίᾳ ἐπιτίθεται· καὶ ὁ ποιμὴν ἐπέγνω τὰ πρόβατα, καὶ αὐτὸς τοῖς προβάτοις σαφέστερον ἐπεγνώσθη. πάσης οὖν σχεδὸν φαιδρᾶς τῆς πόλεως ἐπευφραινομένης αὐτοῦ τῇ ἀναβάσει, προαγούσης τε καὶ ἑπομένης ἐν ἀγαλλιάσει, αὐτὸς μὲν διὰ τοῦ ἁγίου φρέατος ἀνάγεται· πρὸς τοῖς ὑπερῴοις δὲ τοῦ μεγάλου ναοῦ διὰ τῆς δεξιᾶς πύλης εἰσόντι προσυπαντᾷ αὐτῷ τῶν πατρικίων ἡ τάξις προσκυνοῦσα καὶ δεξιουμένη· ἡ ἱερὰ δὲ τότε λειτουργία κατὰ τὸ ἔθος ἐπελεῖτο. ἄξιον δὲ μηδὲ τὴν ἐπὶ τῇ εἰσόδῳ συμπεσοῦσαν ἱερὰν κληδόνα παραλιπεῖν. ὁ μὲν γὰρ ἐστήκει, οἱ δὲ προσεκύνουν· ὁ ἱερεὺς δέ, εὐχαριστήσω- B μεν τῷ Κυρίῳ, τὴν ἀναφορὰν ἐν τοῖς ἀδύτοις ποιούμενος ἀνέκραγεν· ὁ λαὸς δέ, ἄξιον καὶ δίκαιον, ἀπεκρίνατο. οὕτως ὁ ἱερὸς Ἰγνάτιος ὑπ' ἀγαθοῖς συμβόλοις τὸν οἰκεῖον θρόνον ἀπειληφώς, καὶ τοὺς οἴακας αὖθις τῆς ἐκκλησίας ἐγχειρισθείς, εἴργει μὲν τῆς ἱερᾶς λειτουργίας οὐ Φώτιον μόνον, καὶ τοὺς χειροτονηθέντας ὑπ' αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς κεκοινωνηκότας αὐτῷ· ἐκλιπαρεῖ δὲ τὸν βασιλέα οἰκουμενικὴν σύνοδον κροτῆσαι, δι' ἧς ἐπεῖδε τῶν σκανδάλων πάντων ὑπελάμβανε τὴν ἴασιν. εὐθέως τοίνυν Ἰωάννης μὲν ὁ τῆς Πέργης, ὡς ἐν πάσαις ταῖς θλίψεσιν Ἰγνατίῳ συγκακοπαθῶν, ἐκ τοῦ μέρους τοῦ κατ' αὐτόν, ἐκ τοῦ κατὰ τὸν Φώτιον δὲ Πέ- C τρος ὁ τῶν Σάρδεων, πρὸς τὸν πάπαν Νικόλαον ἀποκρισιάριοι προεχειρίζοντο· σὺν αὐτοῖς δὲ καὶ Βασίλειος ὁ καλούμενος Πινακᾶς ἀπῄει, σπαθάριος τὴν ἀξίαν καθεστώς· καὶ ἀπῄεσαν ἐν δυσὶ δρόμωσι στελλόμενοι τὸν πλοῦν. ἀλλὰ Πέτρος μὲν ὁ καλούμενος Δείλαιος, ἐν τῷ κόλπῳ Δαλματίας κινδύνῳ περιπεσών, δείλαιος ὤλετο. Ἰωάννης δὲ σὺν Βασιλείῳ διασωθεὶς Ἀδριανὸν εὗρε πάπαν, τοῦ Νικολάου ἤδη τὴν ἐν σώματι καταλιπόντος ζωήν. οὐ πολὺς οὖν ἐν τῷ μέσῳ χρόνος, καὶ πάρεισαν τοποτηρηταί, Στέφανος μὲν καὶ Δονάτος ἐπίσκοποι τοῦ πάπα Ῥώμης, καὶ Μαρῖνος εἷς τῶν ἑπτὰ διακόνων σὺν αὐτοῖς. ἐκ δὲ D τῶν τῆς ἀνατολῆς πατριαρχείων, τοῦ αὐτοκράτορος δώροις καὶ γράμμασι τὸν τῆς Συρίας ἄρχοντα παρακαλέσαντος, Ἰωσὴφ μὲν ἀρχιδιάκονος καὶ σύγκελλος, τοποτηρητὴς Μιχαὴλ ἦλθε τοῦ πάπα τῆς κατ' Αἴγυπτον Ἀλεξανδρείας· Θωμᾶς δὲ μητροπολίτης Τύρου τόπον Μιχαὴλ ἐπλήρου τοῦ τῆς Ἀντιοχείας τῆς κατὰ Συρίαν πατριάρχου, Ἠλίας δὲ πρεσβύτερος καὶ σύγκελλος εἰς τόπον Θεοδοσίου πατριάρχου τῶν Ἱεροσολύμων παρῆν· οὗτοι πάντες ἅμα Ἰγνατίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ δώδεκα τὸν ἀριθμὸν ἐπισκόποις τοῖς συγκεκοινωνηκόσι, καὶ ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους συνηθληκόσιν αὐτῷ, ἐν τοῖς δεξιοῖς μέρεσι τῶν κατηχουμενείων E τοῦ περιωνύμου ναοῦ τῆς τοῦ Θεοῦ Σοφίας, μετὰ τοῦ αὐτοκράτορος Βασιλείου προεκάθισαν.

Τῶν τιμίων δὲ καὶ ζωοποιῶν ξύλων, τῶν τε ἱερῶν εὐαγγελίων προκειμένων, συμπαρούσης δὲ καὶ τῆς ἱερᾶς συγκλήτου· πρῶτον μὲν αἱ πεμφθεῖσαι παρὰ τοῦ πάπα τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Ἀδριανοῦ ἐπιστολαί, καὶ αἱ παρὰ τῶν ἀνατολικῶν πατριαρχῶν κατὰ τάξιν ἀναγινωσκόμεναι, πᾶσαν καὶ ἱερὰν εὐθημοσύνην, τό τε πιστόν, καὶ ἄμωμον, καὶ ἀνεπίληπτον τῶν ἀπεσταλμένων τοποτηρητῶν, τό τε κανονικὸν καὶ ἔνθεσμον τῶν ἀποστειλάντων αὐτούς, ἐνώπιον πάντων ἀπεδείκνυσαν.

VITA IGNATII PATRIAR.

A throno reſtituitur: & lampas magis accenſa, clarior quam antea, candelabro imponitur: paſtorque rurſus oves agnoſcit ſuas, & a ſuis viciſſim ovibus clarius agnoſcitur. Ergo tota quaſi urbe triumphante, illumque ad templum aſcendentem a tergo & fronte proſequente, lætitiaque geſtiente, cum per ſacrum puteum ad ſuperiora templi duceretur, dextra parte ingredientem ordo patricius occurſans venerabundus excepit: res vero tunc divina fiebat. Nec par eſt, ut ſacrum omen, quod in ingreſſu Ignatii accidit, prætermittamus. Intrantem namque Ignatium populus quidem ſupplex ve- B nerabatur, ſacerdos autem in adytis oblationem domino faciens clamabat: Gratias agamus domino Deo noſtro. & mox populus reſpondebat: Dignum & juſtum eſt. Ita ſacer Ignatius bonis ominibus throno ſuo recepto, & gubernaculis eccleſiæ reſumptis, arcet a ſacris non Photium tantum, & omnes ab illo initiatos, ſed omnes etiam illius ſectatores cum illo communicantes; precatur inſuper imperatorem, ut œcumenicam ſynodum cogat, qua omnia eccleſiæ vulnera ſanari arbitrabatur. Extemplo igitur Joannes Pergæ epiſcopus, Ignatii in omnes caſus & ærumnas comes, & malorum o- C mnium, quantum in ipſo erat, ſocius: ex Photii vero factione Petrus Sardienſis metropolita, ad Nicolaum pontificem legati mittuntur; quibus allegatur Baſilius cognomento Pinacas, qui ſpatharii dignitatem obtinebat: uſique ſunt gemino dromone, cum ſolverent. Sed Petrus, qui Dilæus, hoc eſt, miſer appellabatur, in Dalmatico ſinu periclitatus, miſer naufragio periit: Joannes vero cum Baſilio incolumis evaſit, & Nicolao jam vita functo, Hadrianum papam invenit. Nec diu cunctati pontificis vicarii Conſtantinopolim venerunt Stephanus & Donatus epiſcopi, Marino ex ſeptem diaco- D nis adjuncto. Ex orientis vero patriarchiis (imperatore principem Syriæ donis ac literis propitiante) Joſephus archidiaconus & ſyncellus ex Ægypto, legatus Michaelis patriarchæ Alexandrini; Thomas metropolita Tyri, vicarius Michaelis patriarchæ Antiocheni Syriæ, Elias presbyter & ſyncellus vicem Theodoſii patriarchæ Hieroſolymitani explebat. Hi omnes præſentes fuere cum ſanctiſſimo patriarcha Ignatio Conſtantinopolitano, & epiſcopis duodenis, perpetuis in omni fortuna & ærumnis ſociis; qui ad dexteram, ubi locus catechumenorum eſt, tem- E pli quod a ſapientia nomen Sophiæ accepit, aſſidente Baſilio imperatore præſederunt.

Propoſitis ergo venerandis vivificæ crucis lignis, ſanctiſque evangeliis explicatis, præſente etiam ſacro ſenatu; primum quidem miſſæ ab Hadriano veteris Romæ pontifice, & patriarcharum ex oriente literæ ex ordine lectæ, omnem ſacro jure requiſitum ordinem, fidem, innocentiam, integritatemque legatorum, nec non jus, & auctoritatem mittentium declarabant.

De-

VITA IGNATII PATRIAR.

Deinde postero die sacerdotes & antiſtites omnes, qui a Methodio & Ignatio ſanctiſſimis patriarchis conſecrati erant, artibuſque & inſidiis, omnique genere tormentorum ad Photii communionem abrepti erant, libellis pœnitentiæ porrectis, cum lacrymis ſupplices ad ſanctæ ſynodi pedes procubuerunt; & deprecatu imperatoris, quod vim paſſi eſſent, de ſententia legatorum pontificis Romani venia dignati, præſcriptum ſibi epitimium ſeu pœnam ſuſceperunt; perindeque ac alii inculpati, epiſcoporum ſedem locumque receperunt.

Deinceps illa ſynodus per epiſcopos duos ſupra centum celebrata, omnia ordine decenterque, & ratione optima ex legum & canonicorum decretorum præſcripto dicendo agendoque, reum Photium quamvis eluctantem, præſentem adeſſe cogit. Et ſevere illi objiciunt conſilia exitialia adverſus Ignatium inita, factam præter rationem inſana mente ejus depoſitionem; mendacia item, & calumnias, aliaque omnia, quæ clam adverſus Nicolaum pontificem fuerat molitus. Deinde quærunt ex eo, quid reſpondeat ad illam olim Romæ latam contra ſe damnationis ſententiam. * Cum obmuteſceret, quod nullam criminum ſuorum veram defenſionem reperiret, a legatis Romanis, ipſoque imperatore & toto ſenatu admonitus, ut veniam peccatorum, & ſaltem tamquam laicus ad fidelium communionem reciperetur, ſuperbo & contumaci animo conſilium penitus repudiavit. Ergo communi omnium æquiſſimo judicio damnatur, abdicatur, anathemateque percellitur, veluti violator & adulter, maximarumque calamitatum, & infinitarum offenſionum ac ſcandalorum in eccleſia Dei auctor; & pronuntiat ſynodus juxta Nicolai papæ ſententiam, quæ primum Photius maturo cum judicio, canonicaque ſeu ſynodica fuerat depoſitione damnatus. Subſcripſere (epiſcopi) depoſitioni calamis, non nudo atramento, ſed, in quo penitus contremiſcas (ut eos qui eam norant, aſſeverantes audivi) ipſo ſalvatoris ſanguine tinctis. Ita, inquam, demum Photium exauctorarunt damnaruntque, unaque omnes ab illo ſacris initiatos.

* al. Cum vero ille reſpondiſſet, ſe nihil habere quod diceret.

Hic ego mihi ſynodum jure quodammodo reprehenſurus videor: reprehendam autem, etſi fortaſſe audacius, hoc ipſum judicium. Actiones enim omnes & definitos in ea canones, perinde ac in aliis ſeptem œcumenicis ſynodis, ita in hac quoque ut ſanctos & a Spiritu ſancto dictatos valde probo, admittoque. Hoc tantum in hac illa non laudo; non quod (ut aliqui cenſent) gravius commota, durius in reos decreverit; ſed contra potius reprehendenda forſitan ſit apud æquum arbitrum, quod multo clementius quam oportebat, judicarit; habita nempe perſonarum aliqua ratione, non ex lege apoſtolica ſincera lata ſententia. Trigeſimus enim canon adhibendus erat, quo in condemnatione Ignatium Photius ſycophanta damnarat, utpote qui per ſæcularem poteſtatem [illegible]. Hoc magis nunc innitendum erat in eum [illegible]

Canon iſte XXIX. Apoſtolorum eſt.

ANNO CHRISTI 869.

Ἔπειτα τῇ ἑξῆς ἱερεῖς τε καὶ Ἀρχιερεῖς πάντες, ὅσοι Μεθοδίου μὲν καὶ Ἰγνατίου χειροτονίᾳ τῶν ἁγιωτάτων ἐτύγχανον πατριαρχῶν, πανουργίαις δὲ παντοδαπαῖς, καὶ ποικίλαις κολάσεσι καὶ ἐπινοίαις, Φωτίου τῇ κοινωνίᾳ συναπήχθησαν, οὗτοι πάντες λιβέλλους μετανοίας ἐπιδεδωκότες, καὶ μετὰ δακρύων τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ προσπίπτοντες καὶ ἐξομολογούμενοι· καὶ μέντοι καὶ συγγνώμης κατὰ τὴν ὑπὲρ αὐτῶν τοῦ Βασιλέως παράκλησιν, καὶ τὴν τῶν Ῥωμαίων ψῆφον, ὡς βιασθέντες, ἀξιούμενοι, καὶ δὴ καὶ τῷ διωρισμένῳ θέμενοι ἐπιτιμίῳ, οὕτω τῶν ἐπισκόπων καθέδρας τοῖς ἀνεγκλήτοις ὁμοίως καὶ αὐτοὶ κατηξιοῦντο.

Ἐντεῦθεν εἰς ἑκατὸν δύο τὸν ἀριθμὸν ἐπισκόπους ἡ σύνοδος ἐκείνη συγκροτημένη, καὶ πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, καὶ πάντα σὺν λόγῳ κρείττονι καὶ κανονικαῖς διατάξεσι λέγειν καὶ πράττειν διαλογιζόμενοι, τὸν ὑπαίτιον Φώτιον παράγουσι μὴ βουλόμενον καὶ διελέγχουσι μὲν ἀποτόμως τῆς φονικῆς κατὰ Ἰγνατίου τοῦ ἱεράρχου προαιρέσεως, καὶ τῆς παραλόγου καὶ μανιώδους καθαιρέσεως· ἐλέγχουσι δὲ καὶ τὰς ψευδοεπείας αὐτοῦ καὶ δυσφημίας, καὶ ὅσα κατὰ Νικολάου τοῦ πάπα πεφώραται δεδρακώς. εἶτα πυνθάνονται παρ' αὐτοῦ, εἴ τι ἔχει δικαίωμα πρὸς τὴν κατ' αὐτοῦ πάλαι γενομένην παρὰ τῶν Ῥωμαίων κατάκρισιν ἀνθυπενεγκεῖν. * αὐτοῦ δὲ σιωπῶντος τῷ μηδεμίαν εὔλογον ἔχειν ἀπολογίαν πρὸς τὰ ἐγκαλούμενα· ἐπειδὴ ὑπό τε τῶν τοποτηρητῶν αὐτῶν, ὑπό τε τοῦ Βασιλέως καὶ τῆς συγκλήτου παραινούμενος συγγνώμην αἰτῆσαι, ὥστε κἂν τῆς τῶν πιστῶν κοινωνίας ὡς λαϊκὸς ἀξιωθῆναι, παντάπασιν ἐξ αὐθαδείας ἀπεσείσατο τὴν συμβουλίαν· κοινῇ λοιπὸν ψήφῳ καὶ δικαιοτάτῃ κατακρίνουσι, καθαιροῦσί τε τοῦτον καὶ ἀναθεματίζουσιν, ὡς ἐπιβήτορα καὶ μοιχὸν, καὶ διωγμῶν χαλεπωτάτων, καὶ σκανδάλων μυρίων ταῖς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις αἴτιον γενόμενον· καὶ ἀποφαίνονται * σὺν ἅμα Νικολάου τοῦ πάπα καθαιρετικῇ ψήφῳ, τῇ μετὰ πολλῆς ἀκριβείας πρῶτον καὶ κανονικῆς, ἤτοι συνοδικῆς κρίσεως ἀποφανθείσῃ κατ' αὐτοῦ. ὑπογράφουσι δὲ τῇ καθαιρέσει, οὐ ψιλῷ τῷ μέλανι τὰ χειρόγραφα ποιούμενοι, ἀλλὰ, τὸ φρικωδέστατον, ὡς τῶν εἰδότων ἀκήκοα διαβεβαιουμένων, καὶ ἐν αὐτῷ τοῦ σωτῆρος τῷ αἵματι βάπτοντες τὸν κάλαμον, οὕτως ἐξεκήρυξαν Φώτιον, οὕτως αὐτὸν κατεδίκασαν, καὶ πάντας τοὺς κεχειροτονημένους ὑπ' αὐτοῦ.

* alias [illegible] αὐτοῦ δὲ κρίνειν μὴ [illegible]

* al. [illegible]

Ἐνταῦθα γενόμενος, κατηγορήσειν μοι δοκῶ τῆς συνόδου· μέμφομαι δὲ καὶ τὴν κρίσιν ταύτην, εἰ καὶ τολμηρόν. πάσας γὰρ τὰς πράξεις καὶ τοὺς διωρισμένους ἐν αὐτῇ κανόνας ὁμοίως τοῖς ἐν ταῖς προλαβούσαις ἑπτὰ συνόδοις οἰκουμενικαῖς, καὶ τούτους ὡς θεοπνεύστους λίαν προσιέμενός τε καὶ ἀποδεχόμενος, τοῦτο μόνον τῆς ὀγδόης συνόδου ταύτης ἐπιμέμφομαι, οὐχ ὅτι θυμῷ βαρεῖ καὶ μνησικακίᾳ, ὥς τινες οἴονται, τῶν ὑπαιτίων ἀνηλεῶς κατεψηφίσατο, μᾶλλον μὲν οὖν τοὐναντίον μεμπτέα τυχὸν αὐτὴ παρά γε δικαίῳ τῶν τοιούτων κριτῇ, ὅτι φιλανθρωπότεροι ἢ ἔδει τὴν κρίσιν ποιησάμενοι, οὐκ ἀπροσωπόληπτον, οὐδὲ καθαρῶς Ἀποστολικὴν ἐπήγαγε ψῆφον· δέον τῷ τριακοστῷ κεφαλαίῳ ᾧ πρῶτον τὸν ἄμεμπτον ὁ συκοφάντης κατεδίκαζεν, ὡς διὰ κοσμικῆς δυναστείας ἐγκρατῆ γενόμενον τῆς ἐκκλησίας,



ANNO CHRISTI 869.

τούτῳ μᾶλλον ἰσχυρίσασθαι νῦν κατ' ἐκείνου, ὡς οὐ ψήφῳ Θεοῦ καὶ ἱερέων, ἀλλ' ὑπερβολῇ φιλαρχίας καὶ δοξομανίας, διὰ κοσμικῆς δυναστείας τυραννήσαντος τῆς ἐκκλησίας. αὐτόν τε διὰ ταῦτα καθαιρεῖν ἔδει, καὶ ὅτι παρὰ καθῃρημένου χειροτονεῖσθαι κατηξίου, καὶ τοὺς κεκοινωνηκότας δὲ αὐτῷ κατὰ τὴν Ἀποστολικὴν ἀπόφασιν πάντας· καὶ μὴ φιλανθρωποτέρους Θεοῦ, καὶ Θεοῦ γινομένους κρίσεως, τὴν ἀπόφασιν τοῦ παναγίου πνεύματος ἀκυροῦν. τοῦτο τὰ ἄνω, κάτω πεποίηκε. τοῦτο τὸ κρίμα οὐκ ἔστιν ὅσων εἰπεῖν κακῶν αἴτιον καὶ σκανδάλων ἐχρημάτισεν. οἶμαι γὰρ, ὡς εἰ ἀποστολικῶς τότε καὶ κανονικῶς κατὰ πάντων ἀπεφήνατο, οὐ τὸν αἴτιον μόνον τῆς διχοστασίας τε καὶ τῶν σκανδάλων, ἀλλὰ καὶ τοὺς κοινωνήσαντας αὐτῷ πάντας ἐκκηρύξαντες, οὐδεμίαν ἂν ἔτι κατὰ τῆς ἐκκλησίας εἶχε παρείσδυσιν ἡ ἀδικία. ὥσπερ δὲ πρῶτον κατὰ τὴν ἐπὶ Ταρασίου τοῦ θείου σύνοδον κατὰ τῶν Εἰκονομάχων γενομένην, ἐπειδὴ συμπαθέστερον μᾶλλον ἢ δικαιότερον ἐχρήσαντο τοῖς αἱρετικοῖς, καιροῦ πάλιν ἐκεῖνοι δραξάμενοι, τὴν οἰκείαν δυσσέβειαν χαλεπώτερον ἀνενεώσαντο· οὕτω καὶ νῦν τῆς συνόδου ταύτης πεφεισμένως, ἀλλ' οὐκ ἀπροσπαθῶς καὶ κανονικῶς τὴν κρίσιν ἀποφηναμένης, εὗρεν αὖθις ἡ πονηρία κατὰ τῆς ἐκκλησίας χώραν. καὶ διὰ τῶν * προειλημμένων ὁ ἀπόβλητος, καὶ διὰ τῶν * ἀποκείτων ὁ καθῃρημένος, ὡς κοινωνικῶν ὄντων αὐτοῦ, καταδραμὼν, καὶ αὖθις τὸν ἱεραρχικὸν θρόνον τυραννήσας, καὶ τῶν ἱερῶν καταπαίξας θεσμῶν, καὶ πάντα μὲν Ἀποστολικὸν κανόνα, πᾶσαν δὲ παράδοσιν ἐκκλησιαστικὴν καταπεπατηκὼς, καὶ πάντας μὲν τῶν οἰκείων ὁμολογιῶν χειρογράφων ἀθετητὰς, πάντας δὲ σταυροπάτας, οἷος ἐκεῖνος, γίνεσθαι καταναγκάζων, καὶ τῶν πρώτων τὰ ἔσχατα χείρω διαθέμενος, τὰς ἁπάντων συνειδήσεις ἐβεβήλωσε καὶ κατέχρανε. τοῦτο μὲν, ὡς ὁ ἐμὸς λόγος, τῆς συνόδου ταύτης τὸ ἐλάττωμα, διὰ τῆς καταδοχῆς καὶ κοινωνίας τῶν παραπεσόντων, καὶ τὸ λύκον, ὡς οὐ προσεδόκα, τοῖς προβάτοις ἐπεισαγούσης. τοῦτο δέ τινες καὶ ἀπὸ τῶν παρηκολουθηκότων τοῖς τότε χρόνοις τεκμηρίων ἐμφρόνως ἐστοχάσαντο. καὶ γὰρ μήπω ταυτησὶ τῆς συνόδου συγκεκροτημένης, ἔτι δὲ ἐλπιζομένης, βούβαλοι ἔξωθεν ποτὲ ἐλαυνόμενοι, κατὰ μέσης διήγοντο τῆς πόλεως· ἀθρόως δὲ θροηθέντες, ὧδε κἀκεῖσε διεσκορπίζοντο· εἷς δὲ αὐτῶν κατὰ τῆς μεγάλης εὐθυδρομήσας ἐκκλησίας, καὶ ἔνδον τοῦ ἱεροῦ γεγονὼς, ἄχρις αὐτοῦ τρέχων τοῦ ἄμβωνος κατήντησεν· ὥρα δὲ ἦν ἐνάτη τῆς ἡμέρας· καὶ αὐτὸς οὐκ ἀγαθὸς ἄγγελος τοῖς τὰ τοιαῦτα κρίνειν εἰδόσι κατεφαίνετο. τούτου δὲ μείζων ἀπόδειξις, ὁ φρικωδέστατος σεισμὸς, ὃς κατ' ἐκεῖνον συνέβη τὸν καιρόν. ἐνάτην εἶχεν Ἰαννουάριος, καὶ πολλαὶ μὲν ἐκκλησίαι, ἔμβολοι δὲ πλεῖστοι καὶ οἶκοι ἠδαφίσθησαν, κτηνῶν τε καὶ ἀνθρώπων ἀμύθητος γέγονε πανωλεθρία, καὶ αὐτὸς δὲ ὁ μέγας τῆς τοῦ Θεοῦ Σοφίας οἶκος κατὰ πολλὰ μέρη διεκινδύνευε ῥηγνύμενος, εἰ μὴ τῆς ἀξίας πρὸς τῶν κρατούντων ἐτύγχανεν ἐπιμελείας. ταῦτα μὲν πρὸ τῆς συνόδου. καὶ μετ' αὐτὴν ἐξαίφνης ἐπῆλθε πνεύματος σφοδρὰ καταιγίς· Ὀκτώβριος ἐνίστατο μήν· καὶ οὕτω βιαίως ἐπέθετο τὸ πνεῦμα, ὡς πολλῶν μὲν ἐκκλησιῶν, πολλῶν δὲ παλατίων, καὶ τοῦ πατριαρχικοῦ δὲ οἴκου τὸν μόλιβ-

* al. προειλημμένων ἐκ. * ὑπεικότων

VITA IGNATII PATRIAR.

qui non Dei, non myſtarum ſententia, ſed incredibili gloriæ & ambitionis furore correptus, per ſæcularem poteſtatem ſolium vi tyrannica occupaſſet. Hanc ille ob cauſam, & præterea, ab exauctorato ſe conſecrari voluerit, de gradu deturbandus erat, omneſque qui cum illo communicabant, ſecundum apoſtolicam ſanctionem: nec oportuit eos Deo, Deique judicio clementiores eſſe, & ſacroſancti Spiritus decretum antiquare. Hæc quippe illorum indulgentia omnia ſuſque deque egit. Hoc judicium dici non poteſt quantum offenderit, quantorumque cauſam præbuerit malorum. Perſuaſum enim habeo, ſi tunc ex apoſtolorum & canonum auctoritate ſententiam rite, & in auctorem ſchiſmatis & offenſionum, & in totam ejus factionem cum illo communicantem, omnibus exauctoratis, tuliſſent, futurum fuiſſe, uti omnis ab eccleſia impietas in poſterum excluderetur. Sed quemadmodum ante, divino Taraſio patriarcha, in ſynodo contra Iconomachos celebrata, cum indulgentius quam ex præſcripto juſtitiæ, hæreticos tractaſſent, illi arrepta occaſione impietatem ſuam multo magis confirmarunt: ita nunc ſynodo hac remiſſius agente, nec ſine affectu, neque ex apoſtolico canone damnationis ſententiam ferente, malitia rurſus contra eccleſiam invenit locum. Nam per homines antea corruptos exploſus, & per ejectos damnatus quaſi familiares, poſtliminio recurrens, rurſus patriarchæ thronum per vim invaſit; ſacriſque legibus & apoſtolicis ſanctionibus eluſis, traditionibus omnibus eccleſiaſticis proculcatis; cum omnes in ſua teſtimonia & chirographa perjuros, & crucis conculcatores, ut ipſe erat, fieri coegiſſet, & extrema primis deteriora feciſſet, omnium conſcientias inquinavit & profanavit. Atque id in hac ſynodo deſideratur, ut ego ſentio, quod & lapſi ad communionem recepti, & lupus præter ipſius expectationem in ovile eſt admiſſus. Quod & quidam ex ſignis temporibus illis viſis ſapienter conjecerunt. Nondum enim hac ſynodo celebrata, ſed adhuc ſperata, bubalos quondam aliunde huc adductos, perque mediam viam actos, repente furor corripuit, aliiſque alio ruentibus, unus recta adverſus magnam eccleſiam delatus, irrupit, atque ad ambonem uſque curriculo hora diei nona pervenit; qui rem æſtimare ſcientibus viſus eſt malus eſſe nuntius. Sed majus iſto argumentum erat, terrificus plane, qui eadem tempeſtate nono Januarii accidit, terræ tremor, quo multa templa, plurimæ porticus, ædificiaque conciderunt. Hominum ac jumentorum tanta ſtrages edita eſt, quanta verbis exprimi nullis poteſt. Quin & ipſum Sophiæ auguſtum Dei templum multis in partibus concuſſum, niſi cura ſingularis principum antevertiſſet, ruinæ periculum adiiſſet. Atque hæc ante ſynodum evenere. Poſt ſynodum vero menſe Octobri jam ineunte, repente tantus venit turbo, tantaque ingruit procella, ut multa templa, multaque palatia, atque ipſius etiam patriarchii plumbeum tectum inſtar

mem-

Non damnat Niceta œcumenicum concilium, quaſi apoſtolicos canones violarit: ſed ex iis rebus, quæ poſt concilium evenere, majorem ſeveritatem deſiderat: quippe cum clementius egiſſe videatur, quam per canones ipſos egere licuiſſet, ſi ſummo jure agere cum Photio, Photianiſque voluiſſet, inquit P. Rader.

VITA IGNATII PATRIAR.

membranæ convolutum in terram dejecerit. Immo & obeliſci in hippodromo tetragoni ex perpetuo lapide facti aheneus turbo, ſeu ſtrobilus ingenti pondere columnæ impoſitus, procul ejectus & eliſus eſt. Nec vana ſane hæc, quæ tum acciderunt, fuere prodigia, ſed futuri motus & perturbationis per architectum turbarum dæmonem eccleſiæ impendentis aperta ſigna & argumenta. Quæ fortaſſe eveniſſent nunquam, ſi cauſam Photii ſynodus ex decreto apoſtolico, ut eſt dictum, decidiſſet. Enimvero hæc patriarchæ Ignatii gloriæ labem nullam aſpergunt, quod non eſſet illi auctoritas agendi quæ vellet: Romanis enim pro eccleſiaſtica antiqua traditione, judicandi poteſtatem permittebat. Quin & ipſa ſynodus non tantopere volebat iis qui cum Photio, quamvis inviti & coacti, communicarant, indulgere, quantopere ſimplicitas, ne dicam levitas, imperatoris, victa nempe hominum precibus, & laudibus inflata humanis, & clementiæ nomine perfecta Dei æquitate penitus deſtituta. Atque hæc ita tum geſta ſunt.

Magnus porro Ignatius denuo gubernaculis eccleſiæ admotus, vel ſua ſponte cæcutientibus oſtendit, quam fruſtra hoſtis contra ſe gloriatus ſit. Peritius enim quodammodo, ſanctiuſque & ſecurius quam antea, eccleſiam adminiſtravit; ut qui multis & diuturnis variiſque caſibus & ærumnis uſum regendi majorem ſibi comparaſſet. Incorrupte enim, nullaque perſonarum habita ratione jus dicebat. Singularem curam in conſecrationibus adhibebat; injuria oppreſſis ferebat auxilium, afflictos ſolabatur, egentes ſublevabat, eorumque inopiam ſuis copiis, ut poterat, hilariter recreabat. Infirmos quidem fide, aut etiam corpore, confirmabat & ſolabatur. Puſillanimes vero Spiritus ſancti gratia ad ſpem per doctrinam erigebat. Denique omnibus omnia factus, pro viribus ſtudebat omnes in viſceribus Jeſu Chriſti lucrifacere. Geminas ſemper propoſitas habebat vias: alteram, qua recta per puras & aſſiduas preces tendebat ad Deum; alteram ad eccleſiæ ſuæ ædificationem & profectum referebat: verum eadem ſimul opera utrumque recte adminiſtrabat; non perfunctorie, vel, ut nonnulli, oſcitanter, ſed accurate & decenter a prima juventa ad ultimam uſque ſenectam ſacris operabatur; atque in omnibus templis, & laudatiſſimæ Dei matri, & divinis apoſtolis, martyribuſque, geſtienti corde, cum ea qua par erat, ac divinam decebat majeſtatem, pietate panegyres dieſque feſtos agitabat. Tam pie vero & religioſe, Spiritu nempe ſancto illum complente, rem divinam faciebat, ut in ipſo altari videre eſſet aperta Spiritus ſancti præſentiæ argumenta. Videbatur enim panis divinus penitus immutatus, totuſque veluti cæleſtis carbo, gratiæ radios ſpargere cæleſtis flammæ. Crucis quoque ſignum, quod aræ deſuper imminebat, ſæpe placide concuti cernebatur, cum ſacra hoſtia extollebatur, ſancti Spiritus videlicet ſignificans obumbrationem. Sed ipſo die paſchæ potiſſi-

ANNO CHRISTI 869.

δον οἷα μεμβράνας συνελίξασα, καὶ εἰς τοὔδαφος κατασπᾶν. οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ τοῦ τετραπλεύρου μονολίθου κίονος ἐν τῷ ἱπποδρομίῳ τὸ ἐπὶ τῆς κορυφῆς ἐστηλωμένον χαλκοῦν στροβίλιον βαρύτατον ὂν ὡς πορρωτάτω συνετρίβη πεσόν. οὐκ εἰκῆ δὲ ταῦτα παρηκολούθηκε τὰ σημεῖα, ἀλλὰ τῆς μελλούσης αὖθις ἀκαταστασίας καὶ ταραχῆς διὰ τοῦ ταραχοποιοῦ δαίμονος ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας ἐνίστατο τεκμήρια σαφῆ· ἅπερ ἴσως οὐκ ἂν συνέπεσεν, εἰ κατὰ τὸν Ἀποστολικὸν, ὡς εἴρηται, τὰ κατ' αὐτὸν ἐκρίθη θεσμόν. ἀλλ' ὅμως οὐ ῥυπαίνει ταῦτα τὴν τοῦ πατριάρχου δόξαν, ὅτι μὴ αὐθεντικῶς εἶχε πᾶν ὃ ἐβούλετο δρᾷν· μᾶλλον δὲ τοῖς Ῥωμαίοις κατὰ τὴν ἄνωθεν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν, τὴν τῆς κρίσεως ἐξουσίαν παρεχώρει. ἀλλ' οὐδ' ἡ σύνοδος ἐκείνη τοῖς κεκοινωνηκόσι Φωτίῳ, εἰ καὶ τὰ μάλιστα βιασθεῖσι, τοσοῦτον ἤθελε συμπαθεῖν, ὅσον ἡ τοῦ βασιλέως ἁπλότης, ἵνα μὴ λέγω κουφότης, προσώπων ἡττωμένη παρακλήσεσι, καὶ τοῖς παρὰ τούτων ἐπαίνοις ὑποχαυνουμένη, καὶ φιλανθρωπίας ὀνόματι τῆς ἀκριβοῦς τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνης ὡς ἔπιπαν ἀποπίπτουσα. πλὴν ταῦτα μὲν τοῦτον γέγονε τὸν τρόπον.

Αὐτὸς δὲ ὁ μέγας Ἰγνάτιος τῶν τῆς ἐκκλησίας οἰάκων τὸ δεύτερον ἐπιλαβόμενος, ἔδειξε καὶ τοῖς τυφλώττειν ἑκουσίως ἐθέλουσιν, ὡς μάτην ὁ ἐχθρὸς ἐνεκαυχήσατο κατ' αὐτοῦ. ἐπιστημονικώτερον γὰρ, καὶ μᾶλλον θειότερόν πως καὶ ἀσφαλέστερον ἢ πρώην τὴν ἐκκλησίαν ἐκυβέρνα· ἅτε δὴ ταῖς μακραῖς ταλαιπωρίαις καὶ ποικίλαις θλίψεσιν ἱκανὴν ἐμπειρίαν ἑαυτῷ συνειλοχώς· ἀδέκαστος μὲν πάντη καὶ ἀπροσωπόληπτος ἐν ταῖς κρίσεσι δεικνύμενος, λίαν δὲ ἀκριβὴς ἐν ταῖς χειροτονίαις, τοῖς ἀδικουμένοις ἐπικουρῶν, τοῖς λυπουμένοις συλλυπούμενος, τοῖς πενομένοις ἐπαρκῶν, καὶ τὴν ἔνδειαν τούτοις ὅση δύναμις ἱλαρῶς παραμυθούμενος· καὶ τοὺς ἀσθενοῦντας μὲν τῇ πίστει ἢ καὶ τῷ σώματι παρακαλῶν καὶ ψυχαγωγῶν, τοὺς ὀλιγοψύχους δὲ τῇ χάριτι τῆς τοῦ πνεύματος ἀνακτώμενος διδασκαλίας· καὶ πᾶσι πάντα γινόμενος, ἐσπούδαζε κερδαίνειν, ὅσον ἐπ' αὐτῷ, πάντας ἐν σπλάγχνοις Ἰησοῦ. δύο μὲν αὐτῷ διὰ σπουδῆς ἦσαν ὁδοί· ἡ μὲν πρὸς Θεὸν ἰθυτενῶς ὁρῶσα διὰ καθαρᾶς τε καὶ ἀνεκλείπτου προσευχῆς· ἡ δὲ πρὸς τὴν τῆς ἐκκλησίας οἰκοδομὴν καὶ περιποίησιν. διὰ τῆς αὐτῆς δὲ σπουδῆς ἀμφότερα κατώρθου, οὐ κατὰ πάρεργον, οὐδὲ ῥᾳθύμως, ὥσπερ τινὲς, ἀλλὰ καὶ λίαν ἐπιμελῶς καὶ συντόνως ἐκ νεότητος ἕως γήρως καὶ πρεσβείου βαθέος ταῖς ἱεραῖς λειτουργίαις ἀνηρέσει, καὶ κατὰ πάντα σεβάσμιον οἶκον τῇ τε πανυμνήτῳ μητρὶ τοῦ Θεοῦ, τοῖς τε θείοις Ἀποστόλοις καὶ μάρτυσιν ἐν ἀγαλλιάσει καρδίας θεοπρεπῶς ἐπανηγύριζεν. οὕτω δὲ θεοφιλῶς καὶ πνευματοκινήτως ἀνῆγε τὴν προσφορὰν, ὡς ἐπ' αὐτῆς ὁρᾶν τῆς θείας τραπέζης ἐναργῆ τῆς τοῦ πνεύματος παρουσίας τεκμήρια. ὡρᾶτο γὰρ ὁ θεῖος ἄρτος ὅλος ἠλλοιωμένος, ὅλος ὥσπερ ἄνθραξ οὐράνιος χάριν ἀποστίλβων τοῦ οὐρανίου πυρός. ὤπτο ποτὲ κραδαινόμενος καὶ ὁ ὑπεράνω τῆς ἁγίας τραπέζης αἰωρούμενος σταυρὸς, ἠρέμα μὲν πολλάκις σειόμενος ὑψουμένου τοῦ ἄρτου καθωρᾶτο, τὴν τοῦ ἁγίου δηλαδὴ πνεύματος ἐπισκίασιν ὑποσημαίνων. ἐν ἡμέρᾳ δὲ ποτὲ



ANNO CHRISTI 869.

ποτε τοῦ πάσχα μάλιστα οὕτω διεκινήθη σφοδρῶς, ὡς πάντας ἱερεῖς καὶ Ἀρχιερεῖς, καὶ μάλιστα τοὺς ἐκ τῶν ἄλλων πατριαρχικῶν θρόνων, τὸ μυστήριον ἐκπεπληγμένους, μεγάλῃ φωνῇ δοξάζειν ἐπὶ πολὺ τὸν Θεόν. οὕτως ὁ μέγας ἱεράρχης ἀχράντους θυσίας ἐν πληρότητι πίστεως γνησίως ἀναφέρων, καὶ ταύταις ἱλασκόμενος τὸν Θεὸν, ἱεροπρεπῶς ἱερούργει τὴν σωτηρίαν τοῦ λαοῦ. ἀεὶ δὲ τοὺς ἐγγίζοντας αὐτῷ τοιαύταις κατεφώτιζε διδαχαῖς. προσέχετε, λέγων, ἑαυτοῖς ἀδελφοὶ, καὶ βλέπετε, πῶς ἀκριβῶς τοῦ βίου περιπατεῖτε τὴν ὁδὸν, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοί· καὶ μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνιέντες τὰ ἀρεστὰ τῷ Θεῷ. καὶ μὴ σχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ μεταμορφοῦσθε κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον, τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν, εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς καὶ εἰδέναι ὅ, τι τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον· καὶ τίς ἡ κλῆσις τῆς πίστεως ὑμῶν καὶ τῆς ἐλπίδος ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν. ἔστω ὁ λύχνος τῆς καρδίας ὑμῶν τῷ Κυρίῳ πνεύματι ἀεὶ καιόμενος, καθαρὸς, εἰλικρινὴς, ἁπλοῦς ὅλος, διαυγὴς, καὶ φωτοφανὴς, ἵν' ὅλη δι' αὐτοῦ καταυγάζηται ὑμῖν ἡ ψυχή. ἔστω ὁ νοῦς ὑμῖν ἀνατεταμένος ἀεὶ πρὸς Θεὸν, μονότροπος, μονολόγιστος, ἓν ἔργον καὶ μίαν σπουδὴν καὶ μίαν προηγουμένως ἔχων ἐνέργειαν, τὴν θεωρίαν τοῦ ἀγαθοῦ, πρὸς μόνον τὸ φύσει καὶ κυρίως ὂν ἀγαθὸν ἐπεστραμμένος ἀεὶ, καὶ ἐν αὐτῷ ζῶν καὶ κινούμενος καὶ ὢν, αὐτῷ λαμπρυνόμενος καὶ ἀγαθυνόμενος, καὶ κατὰ τὸ ἐφικτὸν ὁμοιούμενος καὶ θεούμενος. οὕτω γὰρ ὑψοῦ τὸν λογισμὸν αἴροντες, καὶ πάντων μὲν αἰσθητῶν, πάντων δὲ νοητῶν κτισμάτων ὑπεραναβαίνοντες, μόνῃ δὲ τῇ τριαδικῇ θεαρχίᾳ, μόνῃ τῇ ἐν ἀπορρήτοις ἐσωτάτῃ κρυφιότητι καὶ ὑπερουσιότητι τὸν οἰκεῖον ἱδρυσάμενοι νοῦν· καὶ μίαν μὲν πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος ὥσπερ φύσιν θεότητος, οὕτω καὶ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν καὶ δόξαν καὶ μεγαλοπρέπειαν ὁμολογοῦντες καὶ πιστεύοντες· τὸν ἕνα δὲ τῆς τρισυποστάτου θεαρχίας τὸν ἄναρχον καὶ συνάναρχον τῷ πατρὶ λόγον τὸν ἀόρατον, τὸν ἀσώματον, τὸν ὁμοφυῆ τῷ γεννήτορι καὶ ὁμοδύναμον, τοῦτον υἱὸν ἀνθρώπου καθ' ἡμᾶς ἐκ τῆς ὑπεραμώμου γενόμενον θεομήτορος εἰδότες, καὶ ἕνα μὲν τῷ προσώπῳ, διπλοῦν δὲ ταῖς φύσεσι καὶ ἐνεργείαις καὶ θελήσεσι κηρύσσοντες· καὶ ταύτῃ σχολάζοντες ἐπιμελέστερον τῇ θεωρίᾳ τῶν θείων, καὶ θεολογίᾳ, καὶ διὰ τῆς ἱερᾶς τῶν γραφῶν μελέτης ἀνακαθαιρόμενοι, καὶ δι' ἀενάου προσευχῆς ἁγνιζόμενοι, ὑπεροράσει τῶν ματαίων ὑπερίδωμεν μεριμνῶν, καὶ τοῖς τῆς ἀτιμίας μὴ ὑποκύπτωμεν πάθεσι, καὶ πρὸς ἀνοήτους φροντίδας μὴ καταπίπτωμεν. καὶ πᾶς θυμὸς θηριώδης, καὶ πᾶσα παράλογος ἐπιθυμία ἀρθήτω ἀφ' ἡμῶν· μᾶλλον δὲ ὁ μὲν θυμὸς ὅπλον ἡμῖν κατὰ τῆς ἁμαρτίας, καὶ τοῦ τῆς ἁμαρτίας ἔστω πατρός. ἡ ἐπιθυμία δὲ πρὸς τὸ κυρίως καὶ ἀληθῶς ἐπιθυμητὸν μετασκευαζομένη πᾶσα, συνεργὸς ἡμῖν γινέσθω πρὸς τήρησιν τῆς δεσποτικῆς ἐντολῆς. τοιαύτας οὖν ἔχοντες παραγγελίας, ἀγαπητοὶ, διὰ προφητῶν μὲν πρῶτον, ἔπειτα διὰ τῶν ὑψηλῶν τοῦ Χριστοῦ μαθητῶν καὶ εὐαγγελιστῶν, καὶ διὰ τῶν πατέρων δὲ μετὰ ταῦτα καὶ ἱερῶν διδασκάλων γινομένας εἰς ἡμᾶς, μᾶλλον δὲ δι' ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος λαλου-

VITA IGNATII PATRIAR.

mum adeo vehementer commotum eſt, uti presbyteri & epiſcopi omnes, maximeque ii qui ex aliis patriarchiis aderant, myſterio perculſi, ingenti voce diutius numen laudibus celebrarint. Ita ſacerdos magnus ſacrificium intemeratum perfecta plenaque fide offerebat, Deoque per illud propitiato, populi ſalutem, ut ſacerdoti par erat, operabatur. Eos porro qui ad illum accedebant, hujuſcemodi documentis erudiebat. *Attendite*, inquit, *vobis, fratres, & videte, quomodo caute ambuletis, non ut inſipientes, ſed ut ſapientes: & nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes voluntatem Dei.* (Ephes. 5.) &, *nolite conformari huic ſæculo, ſed transformamini*, ſecundum apoſtolum, *renovatione mentis veſtræ; ut probetis vos, & ſciatis, quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta: & quæ vocatio fidei veſtræ, & ſpei in Chriſto Jeſu domino noſtro.* (Rom. 12.) (Ephes. 1.) Sit lucerna cordis veſtri ſemper ardens Spiritu ſancto, pura, ſincera, liquida & ſplendida, ut illa tota anima veſtra illuminetur. (Luc. 11.) Sit vobis mens ſemper intenta ad dominum, ſimplex & recta, cujus unicus labor ſit & ſtudium, unicuſque & primarius finis propoſitus, boni ſummi contemplatio. Ad illud, inquam, natura ſua verum germanumque bonum mens veſtra ſit converſa ſemper, & in illo vivat, moveatur & ſit; (Act. 17.) in illo illuminetur, bonaque reddatur: illi, quoad ejus fieri poteſt, ſimilis efficiatur, & deificetur. Ita enim animo ſupra naturam totam ſeu corporatam, ſeu intelligentem elevato, mentem noſtram in ſanctiſſimæ Trinitatis majeſtate, quæ ſola inexplicabilis, abſcondita, ſupraque naturam erecta omnem per ſe eſt exiſtitque, ſtabiliemus. Sicuti vero unam Patris & Filii & Spiritus ſancti naturam divinitatis, ita potentiam, operationem, gloriam & magnificentiam profiteamur & credamus: unum autem diviniſſimæ Trinitatis intemporaneum, cointemporaneum Patri Verbum, ab oculorum acie remotum, a corporis concretione purum, ejuſdem ac Patris eſſentiæ, potentiæ ejuſdem; hunc ipſum ſcientes hominis quoque filium ſecundum noſtram naturam ex immaculata Dei matre natum, unum quidem perſona, gemina porro natura, operatione, voluntate prædicemus: atque his rerum divinarum & theologicarum meditationibus penitus occupati, ſacrarumque literarum ſtudiis repurgati, atque aſſidua oratione luſtrati, contemptis humanis rebus, curas inanes negligamus, neque nos fœdis cupiditatibus ſubmittamus, neque ad cogitationes ſtultas prolabamur. Omnis ferina iracundia, omne deſiderium a ratione alienum a nobis excludatur: immo ira telum nobis ſit in peccatum, peccatique auctorem. Cupiditas vero ad verum germanumque bonum tranſlata, ad præcepta domini cuſtodienda nobis adjutrix fiat. Hæc documenta, dilecti, primum quidem a prophetis, deinde a præſtantibus Chriſti diſcipulis & evangeliſtis, tum vero a patribus, ſive ſanctis doctoribus accepta, immo per unum & eumdem Spiritum dictata, variiſque modis prædicata, ne contemnamus, nec ſegni-

VITA IGNATII PATRIAR.

ANNO CHRISTI 869.

gniter & ignave exequamur, ſed acriter & ſtudioſe virtutis opus perſequamur; ut benignitate in egentes, fideque a peccatis expiati, caritate perfecta, & ſubmiſſione ſincera, ab omnibus animi & corporis inquinamentis defæcati, ſecundum Dei voluntatem ambulantes, regno ſupremi patris in Chriſto Jeſu digni habeamur. Omnes ergo animi vitioſitates & malitiæ fibras elidamus, uti puris ad puriſſimum nobis pateat acceſſus. Pernicioſam ventris ingluviem, veluti peſtem virtutis & omnis fontem impietatis, procul habeamus; illius loco temperantiam veluti diploidem induamus; temperantiam, inquam, beatarum mentium ſociam, cælitum contubernalem, cæleſtiumque deliciarum ac voluptatum conciliatricem ac pignus. Fornicatio autem ne nominetur quidem in nobis, ut non ſolum opere & facto, ſed ne cogitationum quidem impurarum monſtris inquinemur. Totis proinde viribus, omnique connixu, & ſumma animi depreſſione, precibuſque elementa luxuriæ penitus eradamus, cœnoſamque impuritatis ſcaturiginem, & voluptatis focum intemperantiæ ſuſcitabulum, idolum cordis obſcœniſſimum evertamus aut minuamus. Sic enim in nobis continentiæ decus efflorescet, ſanctumque & divinum ſpiritalem ſponſum ad nos pie ſancteque attrahemus. Avaritiam & ſtudium habendi non ſecus atque idololatriam refugiamus. Idem enim ſunt, ut lex apoſtoli docet, quando pecuniam appetentes a fide aberrarunt, ſeipſoſque inſeruerunt doloribus multis. Cum ergo nobis fidem ſalutarem tollat, multaſque vitæ calamitates pariat; quomodo non omni ope erit fugienda, & execranda ei qui nolit cauponis more animam vendere? Quapropter ſi converſatio noſtra in cælis eſt, ſi cælum cogitamus, atque ad vitam immortalem, ac ſalutem ſempiternam aſpiramus, habentes victum & amictum, his contenti ſimus. Sic enim probe inſtructos expedite arduum virtutis clivum juvabit ſuperare; haud ignaros, ut ales humi retibus implicata ad cælum eniti non poteſt, ita perinde fieri nullo modo poſſe, ut is qui copiis & opibus fortunarum devinctus ſit, expedite callem ad cælum ducentem decurrat. Iram vero, ut inſaniæ affinem, ignominiæ parentem, malique dæmonis ſcintillationem, remis veliſque fugiamus, ne hoc olim incendio hauriamur. Sed affectemus manſuetudinem, animi æquitatem, patientiam. Hæc enim ſunt vera clementiæ Jeſu ſymbola; & hæc ille, cum ſupereſſentialiter ſit, hæc præcipit. Omnia enim propemodum Chriſti dominica præcepta continent lenitatis & manſuetudinis, atque in tolerandis malis patientiæ documenta; per quæ & caput omnium virtutum rite conſtituitur acquiriturque caritas. Mœrorem autem & acediam deteſtemur, ut quæ viam paſſuris obſepiant claudantque. Abjiciamus mœrorem qui fit propter rerum fluxarum non acquiſitarum defectum, qui premit mentem, & urit animum, adeoque divexat & affligit, ut non poſſit in ſinceri gaudii largitorem intueri, ad ipſumque in

Margin notes: Epheſ. 5. — Coloſſ. 3. — Epheſ. 5. 1. Tim. 6. — Philipp. 3. — 1. Tim. 6. — Coloſſ. 3.

μθύας ἀεί, καὶ πολυτρόπως κηρυσσομένας ἐν ἡμῖν, μὴ καταφρονῶμεν, μηδὲ ῥαθύμως καὶ ἐκμελῶς, ἐπιμελῶς δὲ τὴν πρᾶξιν καὶ σπουδαίως μετίωμεν τῆς ἀρετῆς, ἐλεημοσύναις μὲν καὶ πίστει πάσης ἁμαρτίας ἀποκαθαιρόμενοι, ἀγάπῃ δὲ τελείᾳ, καὶ ταπεινοφροσύνῃ ἀληθεῖ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος ἀποδιϋλιζόμενοι· ἵνα κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ περιπατήσαντες, ἄξιοι τῆς τοῦ ἐπουρανίου πατρὸς βασιλείας ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἀναφανῶμεν. Ἀπωσώμεθα τοιγαροῦν πᾶν πάθος, καὶ πάντα πονηρίας ἀποτριψώμεθα λογισμὸν, ἵνα καθαροὶ τῷ καθαρωτάτῳ προσενεχθῆναι δυνηθῶμεν. ἀπορριψώμεθα γαστριμαργίας πάθος ὀλέθριον, ὡς πάσης ἀλλότριον ἀρετῆς, καὶ παντοίας γεννητικὸν κακίας· ἀντ' αὐτῆς δὲ τὴν κοσμιωτάτην ἐγκράτειαν ὡς διπλοΐδα περιθώμεθα, τὴν τῶν ἀγγέλων σύντροφον, τὴν τῶν ἁγίων σύσκηνον, τὴν τῆς ἄνω τερπνότητος πρόξενον καὶ τρυφῆς. πορνεία δὲ μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ἡμῖν, οὐ μόνον ἡ κατ' ἐνέργειαν καὶ πρᾶξιν, ἀλλὰ μηδὲ πορνικαῖς φαντασίαις ῥυπαινώμεθα. πάσῃ δὲ μηχανῇ καὶ σπουδῇ, πάσῃ ταπεινοφροσύνῃ καὶ προσευχῇ τὴν κακίαν ῥίζαν προθέλυμνον ἐκτίλλωμεν, τὴν θολερὰν πηγὴν, τὸ τῆς ἡδονῆς ἐμπύρευμα, τὸ τῆς ἀκολασίας ζώπυρον, τὸ πορνικὸν τῆς καρδίας εἴδωλον πρῶτον ἐξαναλώσωμεν ἢ μειώσωμεν. οὕτω γὰρ ἡμῖν τὸ ἱερὸν τῆς σωφροσύνης ἐπανθήσει κάλλος, οὕτω καὶ τὸν νοητὸν νυμφίον καὶ ἅγιον ἁγιοπρεπῶς ἑαυτοῖς ἐπισπασόμεθα. Φιλαργυρίαν δὲ καὶ πλεονεξίαν πᾶσαν, ὡς εἰδωλολατρείαν ἀποφύγωμεν. ταυτὸν γὰρ κατὰ τὸν τοῦ Ἀποστόλου πέφυκε νόμον, εἴπερ οἱ ταύτης ὀρεγόμενοι ἀπεπλανήθησαν ἀπὸ τῆς πίστεως· οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ ἑαυτοὺς περιέπειραν ὀδύναις πολλαῖς. εἴπερ οὖν καὶ τῆς σωτηρίου πίστεως ἀλλοτριοῖ, καὶ πολυώδυνον ἡμῖν καθίστησι τὴν ζωὴν, πῶς οὐχὶ φευκτέα μᾶλλον ἁπάντων καὶ βδελυκτή τῷ γε μὴ πάντη καπηλικῶς τὴν ψυχὴν, οἱ γοῦν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ἀποτιθέμενοι, καὶ πρὸς τὸν ἐκεῖ βίον καὶ τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον μετατατόμενοι, ἔχοντες διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, τούτοις ἀρκώμεθα. καὶ γὰρ οὕτω κούφους ἡμᾶς καὶ εὐσταλεῖς τὴν ἀρετῆς ἀνιέναι τὴν κλίμακα δεῖ, εἰδότας, ὅτι ὥσπερ ἀμήχανον ὄρνιν ἐπὶ γῆς δεδεμένην ἀναπτῆναι πρὸς οὐρανὸν, οὕτως ἀνένδεκτον εἶναι τὸν γηΐνοις κτήμασι καὶ χρήμασιν ἐν προσπαθείᾳ καταδεδεμένον, τὴν πρὸς Θεὸν ὑψοῦσαν εὐθυβόλως οἶμον δραμεῖν. ὀργὴν δὲ, ὡς ἐκστάσεως οὖσαν παρέφυσιν, ὡς ἀσχημοσύνης μητέρα, καὶ ὡς τοῦ πονηροῦ τυγχάνουσαν ἔξαλμα, φυγῇ φύγωμεν, μήποτε τῇ ταύτης ἐξαναλωθῶμεν φλογί. ἀναλάβωμεν δὲ πραότητα, ἐπιείκειαν, μακροθυμίαν. ταῦτα γὰρ τῆς τοῦ Ἰησοῦ γνωρίσματα φιλανθρωπίας, καὶ ταῦτα ὑπερουσίως ἐκεῖνος ὢν, ταῦτα νομοθετεῖ. σχεδὸν γὰρ αἱ ἐντολαὶ πᾶσαι τοῦ Κυριακοῦ στόματος, πραότητος διδασκαλία καὶ ἀνεξικακίας εἰσὶν, δι' ὧν καὶ ἡ κορυφαία τῶν ἀρετῶν ἀγάπη συνίσταται καὶ κατορθοῦται. λύπην δὲ καὶ ἀκηδίαν ἐκτρεπώμεθα, ὡς ἐμπόδιά τε καὶ σκῶλα καθεστώσας τῆς ὁδοῦ. ῥίψωμεν λύπην, τὴν δι' ἀποτυχίαν ἢ ἔλλειψιν γηΐνου πράγματος ἐγγινομένην, καταβαρύνουσάν τε καὶ πυροῦσαν ἡμῶν τὴν ψυχὴν, καὶ οὕτω σκληρῶς καὶ ἐκθλίβουσαν καὶ ἐκπιέζουσαν, ὥστε μὴ δύνασθαι πρὸς τὸν δοτῆρα τῆς ἀληθινῆς ἀτενίσαι χαρᾶς, καὶ πρὸς αὐτὸν



ANNO CHRISTI 869.

VITA IGNATII PATRIAR.

αὐτὸν ἐν ἀγαλλιάσει πνεύματος ἁγίου δραμεῖν. ῥίψωμεν ἀκηδίαν τῆς κακῆς λύπης ἔγγονον, τὴν ῥαθυμίας μητέρα, τὴν ἀπογνώσεως φίλην, τὴν ἐκλελυμένην, τὴν πάρετον, καὶ πρὸς πᾶσαν ἐντολὴν θείαν, καὶ πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμον. ἐνδυσώμεθα δὲ μᾶλλον τὴν κατὰ Θεὸν λύπην, τὴν μητέρα τῆς μετανοίας, τὴν κατανύξεως γέμουσαν, τὴν χαρᾶς πλήρη πνευματικῆς. ἐνδυσώμεθα προθυμίαν, σπουδὴν, εὐσέβειαν πᾶσαν, καὶ ἀρετήν· καὶ τῷ πνεύματι ζέοντες, τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες, τῇ ἐλπίδι χαίροντες, τῇ θλίψει ὑπομένοντες, τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες, δυνηθείημεν ἂν οὕτω καὶ τῆς ἀνοσίας κενοδοξίας, καὶ τῆς ἀνοσιωτέρας ὑπερηφανίας, τῶν ἀκροτάτων παθῶν, τῶν πρωτογόνων τοῦ διαβόλου θυγατέρων ὑπέρτεροι γενέσθαι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· καὶ δι' ἄκρας μὲν ταπεινώσεως τὸν πολύπλοκον δαίμονα τῆς κενοδοξίας ἐκκελινόμενοι καὶ συμπατοῦντες, τὸν κολοφῶνα δὲ τῶν κακῶν τὴν ὑπερηφανίαν ἐν πίστει καὶ δυνάμει Θεοῦ τέλεον ἀνατρέποντες καὶ καταργοῦντες. καὶ οὕτως ὅλον τὸ σμῆνος τῶν πονηρῶν τῆς ψυχῆς ἀναιροῦντες παθῶν, τὴν ἱερὰν ἀπάθειαν, καὶ τὸν τῆς ἀπαθείας Θεὸν καθαρῶς ἐπενδυσόμεθα. καὶ οὕτως ἡμᾶς διὰ πάσης κατηρτισμένους ἀρετῆς ὁ μονογενὴς καὶ ἀγαπητὸς ἠγαπηκὼς ἐλεύσεται μετὰ τοῦ πατρὸς, ὡς ὑπέσχετο, καὶ μονὴν ποιήσει παρ' ἡμῖν.

Τοιαύταις ἀεὶ παραγγελίαις ὁ θεῖος Ἰγνάτιος, τοιαύταις νουθεσίαις καὶ διδασκαλίαις κεχρημένος, καὶ ἰδίᾳ μὲν τοὺς μοναχικοὺς καὶ ἐρημικοὺς, ὡς πρακτικωτέρους ταῖς ἐμπράκτοις ὁμιλίαις ψυχαγωγῶν, καὶ τὸν πόθον αὐτοῖς τῆς ἀσκήσεως ἐντείνων· ἰδίᾳ δὲ τοῖς πλουσίοις παραγγέλλων μὴ ὑψηλοφρονεῖν, μηδ' ἐπ' ἀδηλότητι πλούτου πεποιθέναι· τοῖς ἄρχουσι μὴ φυσιοῦσθαι, μηδὲ κατεπαίρεσθαι τῶν πενήτων παραινῶν. ἰδίᾳ δὲ πάλιν ἱερεῦσί τε καὶ Ἀρχιερεῦσιν ὡς ἱεραρχικώτατος καὶ γραφικώτατος ταῖς κανονικαῖς θεσμοθεσίαις ἐπανορθούμενος· καὶ πᾶσι, συνόλως εἰπεῖν, δι' ὧν ἐποίει καὶ ἐδίδασκε, τὸν τοῦ Θεοῦ νόμον καὶ τὴν ἐντολὴν ὑποτιθέμενος. εἰς λιπαρὸν ἤδη καὶ πῖον ἐληλάκει γῆρας, ἐπεθύμει δὲ τὴν ἀνάλυσιν, καὶ τῶν χρονίων κόπων καὶ νόσων καὶ θλίψεων ἐπόθει τὴν ἀπαλλαγήν. καὶ μέντοι καὶ τυγχάνει ταύτης, καὶ ἐπ' ἀγαθαῖς ἄγαν ἐλπίσι τοῦ μέλλοντος ἀποτίθεται τὴν παροῦσαν ζωήν. ἐξίσταται θορύβων καὶ ταραχῆς, καὶ φθόνου, μίσους τε καὶ ἀντιλογίας τῶν ἀτόπων ἀνθρώπων καὶ μοχθηρῶν· ἐν εἰρήνῃ δὲ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐκοιμήθη καὶ ὕπνωσε· καὶ εἰς χεῖρας Κυρίου τὸ πνεῦμα παραθέμενος, προστίθεται τοῖς ὁσίοις ὁ ὅσιος, τοῖς ἱεράρχαις ὁ μέγας ἱεράρχης, τοῖς ὁμολογηταῖς ὁ ὁμολογητής. καὶ μεγάλοις πατράσιν ὁ ὑπὲρ δικαιοσύνης Θεοῦ καὶ ἀληθείας οὐδενὸς ἔλαττον ἐκείνων κεκοπιακώς.

Ἄξιον δὲ μηδὲ τὸν τρόπον τῆς αὐτοῦ παραδραμεῖν μεταστάσεως. ἔκειτο μὲν τὰ τελευταῖα πνέων ὁ ἅγιος, καὶ αὐτὸς κατὰ τὸν μέγαν ἐκεῖνον ὑπὸ τῆς ἄνω χοροστασίας ἐπιζητούμενος· καὶ τὰ τῆς φωνῆς ὄργανα τούτῳ ἤδη παρείθη, καὶ ἡ ζωτικὴ δύναμις ἔσβη, καὶ τὰ μέλη νεκρὰ πάντα, καὶ ὅλη τῆς ἐκδημίας ἦν ἡ ψυχή. καὶ ἰδοὺ ὁ ὑπηρέτης κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας τύπον· μέσαι δὲ νύκτες ἦσαν· καὶ μεγάλῃ φωνῇ τὸ, εὐλόγησον δέσποτα, βοῶν ἀνακέκραγεν. καὶ ὁ μακάριος ἠρέμα τῇ χειρὶ τὸ στόμα σφραγί-



Spiritus ſancti gaudio evolare. Abjiciamus tædium, velut pravi mœroris fetum, ignaviæ parentem, & ſocium deſperationis, ſolutum, remiſſum, atque ad omnia divina præcepta operaque bona minus idoneum. Immo vero illam pœnitentiæ matrem quæ Deo placet, triſtitiam induamus, plenam compunctionis, cæleſtique gaudio delibutam. Induamus alacritatem, diligentiam, omnemque cultum virtutis. Simus ſpiritu ferventes, domino ſervientes, ſpe gaudentes, in tribulatione patientes, in oratione perſeverantes; ut poſſimus vanam & execratam gloriam, atque hac multo deteriorem ac caput ſcelerum ſuperbiam, principales diaboli filias in Chriſto Jeſu ſuperare: dum per ſummam animi demiſſionem, verſutum veteratorem vanæ laudis explodimus & conculcamus, vitiorumque omnium reginam ſuperbiam in fide & virtute Dei proſternimus elidimuſque: atque ita totam vitiorum animi ſentinam exhaurientes, poſitis omnibus noxiis affectibus mentis, integritatem ſanctam & auctorem integritatis Deum pure induemus. Sicque omni virtutum ornatu excultos dilectus Dei unigenitus nos diliget, & ad nos cum patre veniet, ut promiſit, & manſionem apud nos faciet.

Hujuſcemodi monitis divinus noſter Ignatius, hujuſcemodi præceptis & documentis utebatur: & ſeparatim quidem religioſos & ſemotos a turbis viros, ut actioni magis deditos, ſermonibus actione firmatis alliciebat, amoremque religioſæ diſciplinæ in illis incendebat. Seorſum etiam divitibus præcepta vivendi dabat, ne magnifice & ſuperbe ſentirent, neque fluxis rebus & incertis fortunis fiderent: principibus, ne faſtu turgerent, humilioreſque præ ſe contemnerent. Sigillatim etiam ſacerdotes & antiſtites ipſe maximus antiſtes divinarum & eccleſiaſticarum inſtitutionum cognitione erudiebat. Denique per id omne quod agebat & docebat, cæleſtem legem ac præcepta proponebat. Cumque jam ad extremam ultimamque vergeret ſenectutem, optabat ſolvi, multorumque laborum ac morborum, atque adeo tot ærumnarum finem expectabat, quem tandem etiam eſt conſecutus. Nam ſpe certa futuræ conſequendæ præſentem vitam ponit, turbarumque motus atque invidiæ, odiique & inſectationis infelicium & impiorum evadit; atque in pace in idipſum dormit & requieſcit, ſpiritumque in manus domini commendat; atque apponitur ad ſanctos ſanctus, ad hierarchas magnus hierarcha, ad confeſſores confeſſor, ad magnos patres ille pro Dei juſtitia & veritate non minus atque illi, certamine fatigatus.

Enimvero par eſt, ut quo pacto de ſtatione vitæ deceſſerit, exponamus. Jacebat ſanctus extremum ægrumque trahens ſpiritum, dum & ipſe, ut † magnus ille, a cæleſti choro expectaretur. Jam vocis inſtrumenta prope tota ceciderant, vitaliſque aura defecerat, omneſque artus exanimati erant; ipſa denique anima non niſi profectionem ſpectabat. Cum ecce tibi miniſter pro ritu eccleſiæ ſumma nocte ingenti voce illud ſolenne: Jube domne be-

Margin notes: Rom. 12. — Joan. 14. — 1. Tim. 6.

† Baſilius ſcilicet, de quo Greg. Naz. ſequentia verba protulit orat. fun. in eumdem Baſil.

VITA IGNATII PATRIAR.

nedicere, intonat & proclamat: & beatus ſenſim manu ora ſignans, modiceque veneranda labia motans, voce intermortua; quam ægre, qui proximi ſtabant, percipiebant, quærit, cujus ea die memoria ſancti celebretur. Jacobi, inquiunt, domine, fratris domini, cum magno ſenſu pietatis inquit, mei. Valete ergo. tum ait: Benedictus Deus noſter omni tempore, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Simulque cum hymno & gratiarum actione animam edidit, mortalemque vitam reliquit. Statim igitur non tam funus, ſeu mortem dicas, quam vitam curant:* (vita enim, poſtquam abiit a morte ad vitam, vita fuit, & manſit vita) illumque ſacro patriarchæ ornatu ex more domeſtici veſtiunt, & venerandum Jacobi fratris domini ſuperhumerale cum veneratione illi induunt, quod ante aliquot annos Hieroſolymis ſibi miſſum tanta veneratione proſecutus eſt, ac ſi ipſum Jacobum apoſtolum, & primum in eo humerali pontificem ſpectaret. Hoc propterea voluit ut ſecum ſepeliretur. Et ſane illo ipſo die memoriæ ſancti Jacobi ſacro, ipſe quoque Ignatius ex hac vita die tertia ſupra vigeſimam Octobris ad dominum emigravit, certo admodum indicio familiaritatis erga fratrem domini & migrationis ad illum accepto. Atque ſic quidem ſacrum illud & venerabile pignus ſancte & religioſe ad funus compoſitum, ligneo ſarcophago clauditur, atque ad principem Sophiæ ædem deportatum, exequiis & juſtis pro dignitate honoratur.

* Nam quia migravit ad vitam, & ea, & factus eſt vita.

Tanta vero pietas populum inceſſerat, uti & feretri, in quo jacebat, fragmenta reliquiarum loco diſtraxerit: & velum quo tectus erat, in partes mille diſcerptum, ſacri pignoris loco inter pios ſit diviſum. Cum ergo corpus ægre e manibus populi eſſet ereptum, ad nobilem magni martyris Menæ ædem pervenit; ibique aliquamdiu depoſitum, ſacris quoque hymnis honorifice, ut par erat, eſt exceptum. In quo loco binæ feminæ a malis occupatæ dæmonibus, horrendumque exagitatæ, ſolo tumbæ contactu, ſpectante univerſo cœtu, liberatæ, certiſſimam ſanitatem ſunt conſecutæ; quæ & ingentes Deo magna voce gratias perſolverunt. Hinc vero cum familiares nobilem hunc reliquiarum theſaurum navi impoſuiſſent, mareque jam ante vehementer intumuiſſet, & violenta Noti procella fluctus decumanos tolleret, qui navigationem impedituri viderentur, ſimul ac ſacra arca navem attigit, ſtatim mirum quid eſt dominica virtute factum. nam magno illo antiſtite procellam inviſibiliter increpante, fluctibus leniter cadentibus, placida mare conſtitit aura. Ergo curatores funeris ſerenatum mare dominum concelebrando trajiciunt, atque in nobile templum cæleſtis militiæ principis atque archangeli ædificatorem illius Ignatium & cultorem deportant, atque ad dexteram ædis partem magna cum veneratione marmoreo conditum tumulo reponunt, ſanctorum nempe variorum medicum quaſi officinam, ubi & ſpiritus infeſti pelluntur, omniſque generis ægri (ut compendio dicam) tum corporis, tum animi morbis, cum tumulo admoventur, potenter curantur.

ANNO CHRISTI 869.

σαι, καὶ τὰ τίμια χείλη βραχὺ κεκινηκώς· μόλις διακουσθῆναι τοῖς ἔγγιστα παρεστῶσιν ἐπύθετο τῇ φωνῇ, τίνος ἁγίου σήμερον μνήμη; οἱ δὲ, Ἰακώβου, φασὶ, τοῦ ἀδελφοθέου, τοῦ φίλου σου ὦ δέσποτα. ὁ δὲ μακάριος πρὸς αὐτοὺς, τοῦ δεσπότου μου, κατανυκτικῶς ἔφη· λοιπὸν σώζεσθε. εἶτα λέγει· εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν πάντοτε, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. καὶ ἅμα τῇ δοξολογίᾳ παρεπέμπετο, καὶ τῇ εὐχαριστίᾳ συγκατέληξε τὴν ζωήν. εὐθὺς οὖν κηδεύουσι τὴν ζωὴν, ὡς ἄν τις εἴποι αὐτόν· ζωὴ γὰρ, ἐπεὶ μετέστη πρὸς τὴν ζωὴν, καὶ ἔστι, καὶ γέγονε· καὶ τὴν ἱεραρχικὴν οἱ οἰκεῖοι, ὡς ἔθος, ἀμφιεννύουσι στολήν, ἐπ᾽ αὐτῇ καὶ σεβασμίαν αὐτῷ ἐπωμίδα τοῦ ἀδελφοθέου σεβασμίως ἐπιβάλλουσιν, ἣν πρὸ χρόνων τινῶν ἐξ Ἱεροσολύμων ἀποσταλεῖσαν αὐτῷ οὕτως ἐτίμα καὶ παραλαβὼν ἐσέβετο, ὡς αὐτὸν ἐκεῖνον Ἰάκωβον τὸν μέγαν Ἀπόστολον καὶ πρῶτον ἱεράρχην ἐν αὐτῇ καθορῶν· ταύτην αὐτῷ διὰ τοῦτο καὶ συνταφῆναι καταδέξατο. καὶ μέντοι κατὰ τὴν ἐκείνου μνήμην· εἰκάδι γὰρ τρίτῃ Ὀκτωβρίου· καὶ αὐτὸς ἀπῆρε πρὸς Κύριον, ἔνδειγμα τοῦτο σαφὲς τῆς πρὸς τὸν ἀδελφὸν τοῦ Κυρίου οἰκειώσεώς τε αὐτοῦ καὶ μεταστάσεως. οὕτω μὲν οὖν τότε τὸ τίμιον ἐκεῖνο δέμας καὶ ἱερὸν ἱερῶς καὶ τιμίως ἐνταφιαζόμενον, γλωσσοκόμῳ ξυλίνῳ κατακρύπτεται, καὶ πρὸς τῷ ναῷ τῆς τοῦ Θεοῦ μεγάλης Σοφίας πρῶτον κατατεθεὶς, τῆς προσηκούσης δοξολογίας τε καὶ προσκυνήσεως καταξιοῦται.

Ἐπεὶ τοσοῦτον δὲ τὸ εἰς αὐτὸν σέβας ἀνῆπται τοῖς λαοῖς, ὥστε καὶ τὰ ἐπὶ τοῦ σκίμποδος, ἐν ᾧ κατέκειτο, θραύσματα ἀντὶ λειψάνων διαρπάζεσθαι, καὶ τὸ ἐπ᾽ αὐτοῦ δὲ κείμενον πέπλον μυρίοις καταδιαιρούμενον τμήμασιν, εἰς ἁγιασμοῦ δῶρον καταμερισθῆναι τοῖς πιστοῖς. μόγις οὖν τότε τὸ σῶμα τοὺς κρατοῦντας διαφυγὸν, καὶ πρὸς τῷ μεγάλῳ ναῷ τοῦ μεγαλομάρτυρος κατασταθὲν Μηνᾶ, ἐκεῖ δὴ πάλιν κατατίθεταί τε βραχὺ, καὶ τῆς ἐκ τῶν ὕμνων, ὡς θέμις, τυγχάνει δεξιώσεως. ὅπου καὶ δύο γυναῖκες ὁμοῦ πονηροῖς πνεύμασιν ὀχλούμεναι, καὶ δεινῶς ἀναβρασσόμεναι, ὡς μόνον ἔψαυσαν τῇ τοῦ ἁγίου σορῷ, ἐνώπιον παντὸς τοῦ λαοῦ κατέστησαν ὑγιεῖς, ἀναντιρρήτου τυχοῦσαι τῆς ἰάσεως, καὶ μεγάλῃ φωνῇ δοξολογοῦσαι τὸν Θεόν. ἐντεῦθεν τῶν περὶ αὐτὸν ἐν πλοίῳ κατατεθειμένων τὸν πολύτιμον θησαυρὸν, τῆς θαλάσσης μὲν τότε κορυφουμένης, ἐν ἀνέμῳ δὲ Νότῳ βιαίῳ τῶν κυμάτων εἰς ὕψος αἰρομένων, καὶ ἀπρόσιτον ὑποδεικνύντων τὸν πλοῦν, ὡς μόνον ἡ θεία σορὸς ἐκείνη ἐπιβέβηκε τῆς νηὸς, ἦν ὁρᾷν παραυτὰ γινομένην δεσποτικὴν θαυματουργίαν. ἀοράτως γὰρ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Ἀρχιερέως τῆς καταιγίδος ἐπιτιμωμένης, ἵστατο μὲν εἰς αὔραν ἡ θάλασσα, τῶν κυμάτων δὲ καταστρωννυμένων, οἱ τοῦ ἁγίου θεράποντες ἐν γαλήνῃ διαπερώμενοι καὶ δοξάζοντες, καὶ πρὸς τῷ ἱερῷ καὶ παγκάλῳ τοῦ ἀρχιστρατήγου ναῷ τὸν κτήτορα οἰκοδόμον ἐκείνου καὶ λάτριν ἀγαγόντες, πρὸς τοῖς δεξιοῖς σεβασμίως ἐν μαρμαρίνῃ κατατιθέασι σορῷ, νόσων τε παντοδαπῶν ἰατρεῖον, καὶ πνευμάτων πονηρῶν ἐλατήριον, καὶ συντόμως εἰπεῖν, παντοίων παθῶν ψυχῆς τε καὶ σώματος τοῖς ἐγγίζουσιν ἀλεξιτήριον.

Οὕτως



ANNO CHRISTI 869.

Οὕτως ὁ ἱερὸς τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος διὰ πολλῶν θλίψεων ἐν γῇ πειρασθεὶς, καὶ ὡς χρυσὸς ἐν χωνευτηρίῳ δοκιμασθεὶς, καὶ ἄξιος οὕτως ἀποδειχθεὶς τοῦ Θεοῦ, τῆς οὐρανίου μακαριότητος καὶ τῆς ἐν ὑψηλοῖς τῶν ἁγίων κατηξιώθη τιμῆς. ἐματαιώθη δὲ ἡ σκοτία, διώξασα μὲν τὸ φῶς, οὐ καταλαβοῦσα δέ· τούτῳ δὲ μᾶλλον εὐηργέτησεν, ὅσῳ πλέον ᾠήθη λυπεῖν. διώκουσα γὰρ, ἵνα πατήσῃ καὶ κατακαυχήσηται, ἑαυτῆς μὲν τὸ φέγγος ἐμάκρυνε, προσεγγίσαι δὲ παρεσκεύασε καὶ μὴ βουλομένη τῷ ἀγαθῷ τοσοῦτον, ὅσον ἑαυτὴν τῷ κακῷ διὰ τῆς πολυμηχάνου στραγγαλιᾶς προσῳκειώσατο.

Δέκα μὲν οὖν ἔτη τὸ δεύτερον, τὰ πάντα δὲ τριάκοντα καὶ μικρόν τι πρὸς, ὁ μέγας ἀρχιερατεύσας Ἰγνάτιος, ὀγδοηκοστὸν δὲ ἤδη γεγονὼς ἔτος, ἐν εἰρήνῃ πρὸς τὸν Ἀρχιερέα τὸν μέγαν ἀνελήφθη Χριστόν.

Ὅσοις μὲν οὖν καὶ ἡλίκοις αὐτὸν τεραστίοις ὁ ἐν αὐτῷ δοξαζόμενος ἐδόξασε Κύριος, καὶ ἔτι δὲ δοξάζων οὐ διαλιμπάνει, ἱστορίας ἔργον, καὶ οὐ τοῦ παρόντος ἂν εἴη διηγεῖσθαι καιροῦ. ὀλίγα δὲ ἐκ πολλῶν, καὶ ὅσα τὴν αὐτοῦ μὲν πίστιν, τὴν τοῦ Θεοῦ δὲ ἐν αὐτῷ χάριν μετρίως ὑποδεικνῦσιν, ἐπιτόμως ὑπομνήσαντες, τὰ καθ᾽ μέρος ὡς ἀριθμὸν ὑπερβαίνοντα παρήσομεν.

Παῖς γὰρ ὡς ὀκτὼ ἢ καὶ ἐννέα καθεστὼς χρόνον, πνεύματι ἀσθενείας πληγεὶς, καὶ ἀθρόως παρεθεὶς ὅλος, οὐ μόνον ἄναυδος πάντη καὶ ἀνήκοος, ἀλλὰ δὴ καὶ ἀκίνητος ὁλοτελῶς γεγονὼς, καὶ ὑπὸ τῶν ἰδίων αὐτοῦ βασταζόμενος, τῷ κοινῷ τῶν πιστῶν ἰατρείῳ, τῷ ἱερῷ τοῦ θεοφόρου πατρὸς προσερρίπτεται τάφῳ. δι᾽ ἡμερῶν δὲ τεσσάρων τῆς τοῦ ἁγίου καταξιωθεὶς ἐπισκέψεως, ἐξαπίνης ἰδίοις ἐξανέστη ποσὶ, καὶ δι᾽ ἑαυτοῦ τὴν τοῦ ναοῦ πύλην ἀνοίξας, καὶ ὑγιὴς ὅλος ἐξελθὼν ἔξω, ἐλάλει τοῖς παροῦσι καὶ ἤκουεν, εὐλογῶν τὸν Θεὸν, καὶ τὰ θαυμάσια ἀναγγέλλων τοῦ ἁγίου.

Ἄλλος, πλὴν ἐξ ἐπηρείας οἶμαι καὶ τοῦτο τοῦ πονηροῦ, ἐπιληψίας ἑαλωκὼς πάθει, δεινῶς ἐξανέστραπτο μὲν τὸ στόμα, παρῄρητο δὲ καὶ τὴν κατὰ φύσιν φθέγματος τὴν φωνὴν, ὡς ἐλεεινόν τε αὐτὸν καὶ δυσέντευκτον θέαμα προκεῖσθαι. οὗτος ἐπεὶ ἀδιστάκτῳ πίστει ἐπεκαλεῖτο τὸν ἅγιον, ὁρᾷ μὲν αὐτὸν ὄναρ ὥσπερ τὴν κλεῖδα κατέχοντα τῇ χειρὶ, καὶ ταύτην τῷ στόματι αὐτοῦ ἐπεμβαλόντα, καὶ ὡς δῆθεν θύραν ἀνοίγοντα, συστρέψαι, καὶ πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν· εἰ οἶδας, τίς εἰμι ἐγώ; τὸν δὲ μὴ εἰδέναι φάμενον, ἀκοῦσαι πρὸς αὐτοῦ, ὡς αὐτὸς εἴη Ἰγνάτιος πατριάρχης· καὶ ἰδοὺ, φησὶν, ἀπὸ τοῦ νῦν καθέστηκας ὑγιής· ἔξυπνον δὲ τοῦτον γενόμενον, ὑγιῆ παντελῶς ἑαυτὸν εὑρεῖν, ὡς μηδέποτε ἴχνος τοιαύτης ἑωρακότα κακώσεως.

Ἄλλος πάλιν νόσῳ κοιλιακῇ περιπεσὼν, καὶ πρὸς ταῖς ἐσχάταις ἤγγικὼς δι᾽ αὐτὴν ὥραις, τῆς μὲν ἀπὸ τῶν ἰατρῶν βοηθείας λοιπὸν ἀπέγνω, τὸν ἅγιον δὲ πόρρωθεν ἐξ ὁλοκλήρου πίστεως ἀνακαλούμενος, ὁρᾷ μὲν τοῦτον ὄναρ αὐτῷ παρεστῶτα, καὶ εὐθυμεῖν ἐπαγγελλόμενον. αὐτίκα δὲ τῆς ῥύσεως ἀναξηρανθείσης τῆς γαστρὸς, εἰς τροφῆς ἔφεσιν ὁ κάμνων καὶ τελείαν ὑγείαν ἀποκαθίσταται.

Πάλιν γυνή τις ἀνδρὶ νομίμως συνοικοῦσα, καὶ



VITA IGNATII PATRIAR.

Ita vir Dei in terris multis ærumnis conflictatus, & tamquam aurum in fornace probatus, atque ita dignus Deo exhibitus, cæleſtem beatitudinem & honorem in excelſis, quo fruuntur ſancti, conſecutus eſt. Stulte vero egerunt tenebræ lumen perſecutæ, quod nunquam apprehenderunt: immo tanto magis profuerunt perſequendo, quanto magis illud a ſe vexari putaverunt. Nam dum perſequerentur lumen hoc, ut captum conculcarent, & inde illi inſultarent, lucem quidem a ſe quam longiſſime repulerunt, illamque vel nolentes tanto propius ſummo bono admoverunt, quanto ſe magis cum malo extremo deterrimis ſuis conſiliis conjunxerunt.

Ergo Ignatius iterum patriarcha decennio præfuit; tricennium vero, pauloque amplius, univerſe magnus antiſtes ſolium tenuit; annorumque octoginta in pace ad magnum illum pontificem Chriſtum eſt profectus.

Porro quot ac quantis illum Deus ſignis ac prodigiis celebrarit, & celebrare ſemper in illo celebratus dominus non deſinat, non hujus inſtituti operis eſt, ſed hiſtoriæ & juſti voluminis labor. Ego de multis pauca (nam ſingula perſequi infinitum ſit) quæ tamen Dei gratiam, & ipſius fidem mediocriter declarent, compendio exponam.

Puer octennis, ſummum novennis, morbo perculſus, ac totus repente fractus, non ſolum uſum linguæ & aurium amiſerat, ſed membris omnibus captus, a ſuiſque geſtatus, ad communem credentium, ſacramque curationum officinam, ad ſancti (inquam) patris tumulum projicitur: quartoque die ſancti auxilio dignatus, confeſtim ſuis inſiſtens veſtigiis conſurrexit; portaque ſua manu aperta, ſanus integerque egreſſus, obviis quibuſque loquebatur, & audiebat, immenſas Deo gratias agens, & ſancti enarrans miracula.

Alius invidia, reor, cacodæmonis epilepſia vehementer correptus, os fœde diſtorſerat, & naturali vocis ſonitu orbatus erat, ut miſerabile juxta ac triſte ſpectaculum oculis proponeretur. Hic firmiſſima fide, ope ſancti implorata, per nocturnam ſpeciem videt Ignatium manu clavem geſtantem, & ori ſuo admoventem, ac vertentem, quaſi inde januam aperiret, ad ſe dicere: noſtin', qui ſim? negantem, poſtea audiviſſe ab illo, Ignatium eſſe patriarcham. Et ecce jam nunc, inquit, es curatus. Poſtea experrectum, adeo ſalvum & incolumem repertum, uti ne veſtigium quidem in ſe morbi deprehenderet.

Alius item dyſenteria laborans jam in extremis erat, & a medicis conclamatus: qui tamen, ut ſancti opem e longinquo plena fide implorabat, ſpectat hunc per ſomnum ſibi aſſiſtentem, bonumque animum habere jubentem. & illico ſiccata alvus conſtitit, cibique orexis reverſa, hominem perfectæ reſtituit incolumitati.

Femina quoque nupta viro, triumque libero-

berorum parens, aridis ſemper & ſiccis erat papillis, ita ut ſtatim partus ſuos cogeretur alienis nutricibus alendos committere; donec propinquis venit in mentem, ut ad ſanctum properarent: ubi abſterſo e ſancti viri coma liquore, & recens enixæ ad ſorbendum propinato, ſubito tanta lactis copia redundare viſa eſt, ut plus quam fuerit neceſſe, papillæ lactis ſuppeditarent. Atque id non ei ſoli, ſed alteri quoque eodem naturæ laboranti morbo narratur accidiſſe, quæ pariter ex eodem capillamenti illius deſumpto liquore ſanitatem recuperarit.

Alia nobilis item & illuſtris matrona, quæ nobili viro in matrimonium collocata, pluribus annis infecunda ſteriliſque erat, mariti fide ad cineres viri ſancti procumbentis, oleoque ſancto inde uxori allato, atque ex fide allito; illa magno pontifice ſuppliciter invocato, fecunda ſubito reddita, prolem edidit numeroſam.

Enimvero non ii dumtaxat, qui ſacram complexi tumbam, hæc miracula ſunt experti: peregrinis etiam, & ultima terrarum incolentibus, Deo plenus pater adeſt imploratus. Cujus rei ampliſſimus teſtis prætor eſt Siciliæ, qui id ſanctiſſime juratus affirmavit. In Agarenos (Siciliam invadentes) pugnaturus, cum ingenti cura pavoreque angeretur, magnum Ignatium in auxilium ardentibus votis invocat: qui (inquit prætor) manifeſtus in aere velut albo inſidens equo me monuit, ut in dexteram partem flecterem agmen, illicoque gloriam Dei me viſurum. Quod cum præfectus Muſilices nomine feciſſet, ingenti prælio devictos hoſtes cepit.

Quo pacto vero feminæ alterius admirandum caſum, & ſtupendum amplius viri ſancti in illa auxilium reticebimus? Quæ cum marem ferret utero, & jam doloribus partus proximis urgeretur, puer in pedes editur, & hærens progredi non poteſt amplius: parturienti interim acutiſſimi intolerandique cruciatus augentur. Cumque jam in eo rès eſſet, ut femina ſimul cum puero interiret, medici vulnerarii adſunt, ut fetum membratim diviſum per partes extrahant. Sed meliore providentia numinis, magnum noſtrum miraculorum patratorem in memoriam revocant. Et forte quidam ex præſentibus minimam ex reliquiis veli illius partem in funeris cura ante populis fidelibus diſtributi profert, Ignatiique ope implorata, ad ilia admovet; feminaque tacta ſolum, infans repente in caput verſus, indeque ſalvus & incolumis editus, Ignatius a parentibus, ut ab ipſo nomine ſibi impoſito rediret in memoriam miraculi a patriarcha perpetrati, eſt appellatus. Et hoc cur apoſtolicis illis prodigiis inferius ducatur? Quid Petri & Pauli virtuti cedit? Vis enim Spiritus ſancti in illis efficiebat, ut ſudaria & ſemicinctia illorum ingentia ſigna ederent. Hæc eadem modo per apoſtolicum hunc virum, novum vere deiferum, effecit, ut velamenta feretri, quæ ſacras illas reliquias tantum contigerant, compedeſque ferreæ,

παίδων μήτηρ γεγονυῖα τελῶν, ξηρὰν πάντη καὶ ἄνικμον προέβαλλε τὴν θηλὴν, ὥστε τὰ ὑπ' αὐτῆς τικτόμενα βρέφη παραυτὰ ξέναις ἐκδίδοσθαι τιθηνεῖσθαι τροφοῖς, ἕως ἐπὶ νοῦν ἦλθε τοῖς οἰκείοις αὐτῆς τῷ ἁγίῳ προσδραμεῖν. καὶ δὴ τῶν ἁγίων αὐτοῦ τριχῶν ἀπομυρισθεισῶν, καὶ τῇ ἀρτιτόκῳ πιεῖν δεδωρημένων, ἐπὶ τοσοῦτον εὐθὺς γαλοῦχος ἀπεφάνθη, ὡς καὶ πολὺ πλέον τῆς χρείας τὸ γάλα τῶν μαζῶν καταῤῥεῖν. καὶ τοῦτο οὐκ εἰς μίαν μόνην φασὶ γυναῖκα γεγονέναι, ἀλλὰ καὶ εἰς ἑτέραν πάλιν τῷ αὐτῷ κάμνουσαν ἀῤῥωστήματι τῆς φύσεως, διὰ τῆς ὁμοίας τῶν ἁγίων τριχῶν ἀπομυρίσεως τῆς ὁμοίας ἰάσεως τυχεῖν.

Ἄλλη δὲ πάλιν γυνὴ τῶν εὐγενῶν καὶ περιφανῶν, καὶ αὐτὴ νομίμως ἀνδρὶ ἐπιδόξῳ συνοικοῦσα, ἐν ἔτεσι πλείοσι στεῖρα καὶ ἄπαις ἐγνωρίζετο. τοῦ ἀνδρὸς δὲ πίστει τῷ τάφῳ προσπεπτωκότος τοῦ ἁγίου, καὶ ἔλαιον ἅγιον ἐκεῖθεν εἰληφότος τῇ γυναικὶ, κἀκείνης ἐκ πίστεως ἀλειψαμένης, καὶ τὴν τοῦ μεγάλου Ἀρχιερέως εὐχὴν ἐπικαλεσαμένης, παραυτίκα τῶν τῆς στειρώσεως ἀπελύθη δεσμῶν, καὶ λοιπὸν τέκνων πλειόνων ἀναδείκνυται μήτηρ.

Ἀλλ' οὐ μόνον τοῖς τῷ ἱερῷ τάφῳ πελάζουσιν αἱ θαυματουργίαι τοῦ ἱεράρχου πηγάζουσιν· ἀλλ' ἤδη καὶ τοῖς ἐπ' ἀλλοδαπῆς γῆς, καὶ τὰ ἄκρα τῆς οἰκουμένης οἰκοῦσιν, ἐπικαλουμένοις ὁ θεόληπτος πατὴρ ἐπιφαίνεται. καὶ τούτου μάρτυς ἡμῖν ἀψευδὴς ὁ τῆς Σικελίας στρατηγὸς, φρικτοῖς ὅρκοις πληροφορῶν, ὡς μέλλων εἰς πόλεμον συμβαλεῖν ἐν Σικελίᾳ τοῖς Ἀγαρηνοῖς, καὶ ἀγῶνι πολλῷ συνεχόμενος, καὶ τὸν μέγαν Ἰγνάτιον εἰς συμμαχίαν θερμῶς ἐπικαλούμενος· εἶδον, φησὶν, αὐτὸν ὀφθαλμοφανῶς ἐπὶ τοῦ ἀέρος ὥσπερ ἐφ' ἵππου λευκοῦ καθήμενον καὶ παρεγγυώμενον, πρὸς τοῖς δεξιοῖς μέρεσιν ὁδηγεῖν τὸν στρατὸν, καὶ τὴν δόξαν εὐθὺς καθορᾷν τοῦ Θεοῦ. οὗ καὶ πεποιηκότα τὸν στρατοπεδάρχην· Μουσιλίκης δὲ ὄνομα τῷ ἀνδρί· κατακράτος τοὺς ὑπεναντίους ἑλεῖν.

Πῶς δὲ τὸ τῆς γυναικὸς ἐκείνης θαυμάσιον πάθος, καὶ τὴν θαυμασιωτέραν ἐπ' αὐτῇ τοῦ ἁγίου παραδοξοποιΐαν σιωπήσομεν; ἥ τις ἄῤῥεν ἐγκυμονοῦσα, καὶ ὠδίνουσα ἤδη πρὸς τὸ τεκεῖν, ἐπειδὴ ἐπὶ πόδας τὸ βρέφος κατηνέχθη, οὐκ αὐτὸ προελθεῖν ἔτι δυνατὸν ἦν, καὶ τῇ τικτούσῃ ὀξυτάτας καὶ ἀνυποίστους τὰς ἀλγηδόνας προσετίθη. καὶ ἐπεὶ εἰς ἀμηχανίαν περιέστη τὸ πρᾶγμα, ἵνα μὴ καὶ ἡ γυνὴ συναπόληται, παρῆσαν μὲν ἰατροὶ χειρουργεῖν τὸ ἔμβρυον, καὶ ἐξέλκειν τεμνόμενον μεληδόν. προνοίᾳ δὲ θειοτέρᾳ τοῦ καθ' ἡμᾶς ὑπεμνήσθησαν μεγάλου θαυματουργοῦ. καί τις ἐκ τῶν παρόντων λείψανον ἔχων τοῦ πέπλου βραχύτατον, τοῦ κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς αὐτοῦ κηδείας ἐν πίστει καταμεμερισμένου τοῖς λαοῖς, καὶ τοῦτο προσαγαγὼν, καὶ τὸν ἅγιον ἐπικαλεσάμενος, ἐπειδὴ μόνον τῇ ὀσφύϊ περιῆψε τῆς γυναικὸς, περιέστραπται μὲν τὸ βρέφος εὐθὺς ἐπὶ κεφαλὴν, ἀκινδύνως δὲ λοιπὸν γεννηθὲν, Ἰγνάτιος πρὸς τῶν γεννητόρων κατωνόμασται, εἰς ὑπόμνησιν ἥκων διὰ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπ' αὐτῷ γενομένης διὰ τοῦ πατριάρχου θαυματοποιΐας. τοῦτο τί τι τῶν Ἀποστολικῶν τεράτων ἀπολείπεται; τοῦτο τί τῆς ἐν Πέτρῳ καὶ Παύλῳ δυνάμεως ἐνδεῖ; ἡ γὰρ ἐν ἐκείνοις ἐνεργοῦσα χάρις τοῦ πνεύματος, ὡς καὶ διὰ τῶν σουδαρίων καὶ σιμικινθίων ἐκείνων θαυμασιώτατα δρᾷν, αὕτη καὶ νῦν διὰ τοῦ Ἀποστολικοῦ τούτου ἀνδρὸς, νέου ὡς ἀληθῶς θεοφόρου, καὶ διὰ τῶν ἐπὶ τοῦ σκίμποδος ἱματίων τῶν τῷ ἱερῷ [illegible] ἐγγισάντων, καὶ διὰ τῶν σιδηρῶν κλοιῶν, οἷς τοὺς ἱεροὺς πόδας





ἄνδρες κατέκλεισαν ἀσεβεῖς, τὰ ὅμοια πιστεύεται δρᾷν εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ δόξαν, καὶ σωτηρίαν τῶν πιστῶν.

Ἐῶ λέγειν, ὅσους νεφριτικῷ τετρυχωμένους νοσήματι, καὶ ἐκτενῶς ἐπικαλεσαμένους ἐθεράπευσεν· ὅσους λεπροὺς καὶ ἐλεφαντιῶντας ἐκαθάρισε, καὶ τυφλοὺς ἐφώτισε, καὶ παρειμένους ἀνώρθωσε, καὶ ξηρὰς χεῖρας καὶ πόδας ἔχοντας ἰάσατο. ἀφίημι καὶ ὅσους ὑπὸ πυρετοῦ καὶ ῥίγους τρυχομένους, καὶ ὅσους ὑπὸ πνευμάτων πονηρῶν ἐνοχλουμένους ἄχρι καὶ σήμερον ἰᾶται, καὶ διὰ τῆς τιμίας ἁλύσεως πᾶσαν, ὡς εἰπεῖν, νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἀποκαθαίρων τῶν ἐν ἀληθείᾳ καὶ πίστει προσφευγόντων τῇ ἁγίᾳ θεραπευτικῇ σορῷ. οὐδὲ γὰρ εἰ βουληθείημεν, ταῦτα τῷ λόγῳ δυνατὸν ἐξαριθμεῖσθαι. ἑνὸς δὲ ἔτι μνημονεύσαντες τῶν θαυμασίων, ὀλίγα τῶν μετὰ τὴν τοῦ ἁγίου κοίμησιν ἱστορουμένων ἔτι τῷ λόγῳ συνάψομεν. πῶς γὰρ τοῦ Λυδοῦ σακελλαρίου σιωπῇ τὸ πρᾶγμα παραπέμψομεν; ὃς ὑποβολῇ Φωτίου τοῦ ἀναιδοῦς εἰς τὸ μοναστήριον εἰσελθὼν, ὥστε πάντας τοὺς τῷ ἁγίῳ τάφῳ προσλιπαροῦντας ἀσθενεῖς μετὰ μαστίγων ἐξῶσαι καὶ ὕβρεων· καὶ τοῦτο δεδρακὼς, προστίθησι κακὸν τῷ κακῷ, καὶ προστάττει πλησιαίτατα τοῦ ἱεροῦ τάφου κατορύσσειν, καὶ εἰς βάθος ἀνασκάπτειν τὴν γῆν, πρόφασιν μὲν, ὡς ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ πρώην ὑπὸ τοῦ πατριάρχου χρυσίου κατακρυβέντος πολλοῦ. τὸ δ' ἀληθὲς, ὡς ἂν ἀτιμίαν τῷ τιμίῳ λειψάνῳ προστρίψαιτο. οὕτως αὐτῷ ὁ φθόνος πάντη κατακεκυριευκὼς τῆς μανιώδους ψυχῆς, οὐδὲ μετὰ τὸν θάνατον ἠρεμεῖν εἴα. ἅμα δὲ τῷ λόγῳ τοῦ ἀθεμίτου ἐκείνου προστάγματος, καὶ θεήλατος τὸν ἀσεβῆ μετῆλθεν ὀργή. ἐνταῦθα μόνον οὐκ ἀναμενούσης ἐπ' αὐτῷ τῆς τοῦ Θεοῦ μακροθυμίας, ἀλλ' ὀξυτάτην ἐνδίκως ὑπενεγκούσης τὴν τομήν. εὐθὺς οὖν μεγάλα βοῶν ὁ σοβαρὸς οἷα σφαγιαζόμενος, ἄνωθέν τε καὶ κάτωθεν τῷ οἰκείῳ αἵματι κρουνηδὸν περιῤῥαινόμενος, καὶ φοράδην οἴκαδε ἀναγόμενος, ἄφωνος ἐν ἡμέραις τέσσαρσιν ἀπέψυξε τιμωρούμενος.

Τοιαῦτα τοῦ ἡμετέρου πατρὸς τὰ διηγήματα. τοιαῦτα τοῦ καλοῦ ποιμένος τὰ προτερήματα. οὕτως ὁ μακαριώτατος καὶ ζῶν ἐπὶ γῆς ἐννομώτατός τε ἦν καὶ χριστοφιλέστατος, πάντα λέγων καὶ πράττων εἰς δόξαν Θεοῦ καὶ τῆς ἐκκλησίας οἰκοδομήν· καὶ πρὸς Θεὸν μεταστὰς, ὠφελιμώτατος καὶ σωτήριος, ὡς ἀμέσως ἐντυγχάνων ὑπὲρ ἡμῶν τῷ Θεῷ.

Τί δὲ ὁ λεγόμενος Φώτιος; ἆρα τὴν ἐπ' αὐτῷ γενομένην κρίσιν ὡς ἔνδικον καταδεξάμενος, τῶν πολυπλόκων ἀπέσχετο διαβουλίων; ἢ ὑπὸ τὴν κραταιὰν τοῦ Θεοῦ χεῖρα ταπεινωθεὶς, τῆς θείας ἑαυτὸν ῥοπῆς ἐξῆψε λοιπόν; ἢ πλέον μὲν τῆς αὐτοῦ κακομηχανίας οὐκ ἐξέστη, μετριώτερος δὲ ἑαυτοῦ καὶ ἐπιεικέστερος διὰ τῆς κατακρίσεως κατέστη; οὐδαμῶς. πάντα δὲ τὸν δεκαετῆ χρόνον τῆς ὑπερορίας, μυρίας κατὰ τοῦ ἁγίου κακονοίας κινῶν, ἐπειδὴ πανταχόθεν ἀνάλωτον αὐτὸν ἑώρα καὶ ἄληπτον, τοῦ βασιλέως ἐφ' ἑαυτὸν τὴν εὔνοιαν ἐπισπάσασθαι μηχανᾶται· καὶ πᾶσαν μὲν βουλὴν, πᾶσαν δὲ τρίβον λογισμῶν πρὸς τοῦτο κινῶν, εὗρεν ὁδὸν λοιπὸν, δι' ἧς τῆς ἁπλότητος, ἤτοι κουφότητος κατωρχήσατο τῆς βασιλικῆς. καὶ σκοπεῖτε ὡς πιθανὴν, καὶ τῆς ἐκείνου ψυχῆς ἀξίαν. τῶν ὀνομάτων γὰρ ἕκαστον περισκεψάμενος, αὐτοῦ τέ φημι Βασιλείου τοῦ βασιλέως, Εὐδοκίας τε τῆς αὐτοῦ γαμετῆς, καὶ τῶν παί-



quibus impii homines ſacros illius pedes preſſerant, non minora ad Dei laudem, fideliumque ſalutem feciſſe credantur.

Mitto dicere, quot renum doloribus confectos toto animo rogatus curarit: quot elephanticos ſeu leproſos abſterſerit, quot cæcos illuſtrarit, fractos & jacentes erexerit, & qua manibus, & qua pedibus aridos reſtituerit. Prætereo febrientes, aut ab improbis ſpiritibus tortos, quot ſanarit, hodieque ſanet, ac per veneranda vincula omnes prope morbos, omneſque ægritudines pellat curetque eorum omnium, qui ſincera fide ad ſacrum illius tumulum confugiunt. Neque ſane, quamvis volens, poſſim omnia dicendo percenſere. Unum tamen illud miraculum adjungentes, pauca ex iis quæ poſt viri ſancti mortem eveniſſe narrantur, hiſtoriæ adjiciemus. Etenim quo pacto Lydi illius ſacellarii facinus ſilentio prætereamus? qui ab impudente Photio ſubmiſſus in cœnobium venit, ut ægros omnes ad ſepulcrum illius ſupplicantes, conviciis & flagris exigeret. Quo facto ſcelus addit ſceleri: terram enim proximam ſacræ tumbæ alte jubet effodi; in ſpeciem quidem, quaſi ingentem auri vim patriarcha illic condiderit; reipſa autem, ut ſacris oſſibus contumeliam irrogaret. adeo animum hominis furioſum invidia occuparat, uti ne poſt mortem quidem (Ignatii) ab illo ceſſerit. Simul ac enim hoc ille verbo impie edixerat, vindicta nominis impium proſecuta eſt. hic dumtaxat Dei patientia ſe diutius continere non potuit, ſed e veſtigio plagam inflixit. Ergo ſuperbus ille horrendum boans, & tanquam victima ſupra infraque ſanguine diffluens, domumque delatus, elinguis intra quatriduum a Deo punitus expiravit.

Hæ ſunt rerum a patre noſtro geſtarum narrationes. Hæ boni paſtoris prærogativæ. Ita beatiſſimus ille dum in terris ageret, ſe quam ſanctiſſime religioſiſſimeque geſſit, rebus omnibus ad Dei laudem & eccleſiæ ædificationem relatis: & per mortem ad Deum profectus, nobis apud illum ſalutaris juxta ac utiliſſimus eſt patronus, ut qui Deo præſens citra ullum medium interpellat pro nobis.

Quid autem is qui dicitur Photius? an judicium de ſe rite factum eſt veritus, atque impia conſilia abjecit? An ſub potenti manu Dei humiliatus, divinæ ſe deinceps voluntati commiſit? An perſeveravit quidem in improbis machinationibus ſuis ſemper, ſed ex damnatione ſui ſeipſo æquior & modeſtior eſt redditus? Nihil minus. Toto illo decennali exilio infinitas technas & inſidias adverſus ſanctum impia mente molitus eſt. Cumque illum irretire capereve nullo modo poſſet, imperatoris animum ſibi conciliare tentat. Ergo artibus omnibus ſtrophiſque in conſilium adhibitis, reperit viam, qua imperatoris ſimplicitatem levitatemque caperet, & vide quam probabilem, & ipſius ingenio dignam. Obſervatis enim nominibus ſingulorum, ipſius, inquam, imperatoris Baſilii, & Eudociæ Auguſtæ

VITA IGNATII PATRIAR.

conjugis, liberorumque, Conſtantini, Leonis, Alexandri, Stephani; ex primis ſingulorum nominum literis compoſitis componendæ fraudis occaſionem arripit. Hiſtoriam enim, ſive genealogiam, quæ nuſquam eſt, aut fuit, contexens, Tiridatem illum inclytum Armeniæ regem, qui ſancti Gregorii martyris ævo imperitavit, ſtirpis caput fingit. Ex illo, nominibus pro arbitratu excogitatis, gentem deducit, & alios ex alia fabuloſa narratione condit. Quando demum ad parentem Baſilii pervenit, ſcripſit, naſciturum ex eo talem plane virum, qualis ipſe erat Baſilius, eique nomen eſſe Beclas; quem omnium retro regum feliciſſime & diutiſſime regnaturum vaticinatur: innumeraque mendacia, quibus auditorem capi intelligebat, in librum ſuum concenturiat, & literis Alexandrinis in vetuſtiſſima charta ad ipſam antiquitatis ſpeciem expreſſis conſcribit, atque theca, ſeu tegumento ex antiquiſſimo codice detracto veſtit, atque in illa nobili palatinaque bibliotheca clam reponit.

Adminiſter & fidus illi in hac ſcena & fabula Theophanes erat, palatinus ea tempeſtate clericus, habenſque apud imperatorem eruditionis opinionem, ac poſtea in improbæ operæ præmium epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ creatus. Hic commentitium hunc libellum in bibliotheca, uti dictum eſt, repoſitum, opportuno tempore extrahit, imperatorique librum, velut ceteris omnibus admirabiliorem & arcanis refertiorem, exhibet: ſimulatque neque ſe, neque mortalium quemquam ejus myſteria, præter unum Photium, aſſequi poſſe. Ergo extemplo ad Photium mittitur. Prætexit ille, nulli poſſe arcanum illud, niſi ſoli imperatori committi, de quo illud ipſum perſcriptum eſſet. Quid igitur? capitur imperatoris falicitas hac fabula, & cum Photio in gratiam redit. Solent enim fauſtæ, quamvis vaniſſimæ prædicationes excelſam & gloriæ appetentiorem indolem eludere & enervare, penituſque in ſuam poteſtatem redigere. Hæc inter Baſilium & Photium origo familiaritatis. Hinc eccleſiæ tranquillus ſtatus funditus everſus. Hæc primæ turbæ & diſſenſionis redintegratio. Hinc aſſiduus in palatio Photius benevolentiam imperatoris furtim colligebat, & demum ſuis præſtigiis & morum illecebris totum ſibi virum vindicavit. Extitit mox & alia neceſſitudinis occaſio, Theodorus ille habitu veſteque in ſpeciem monachus, ſed omnium improborum improbiſſimus, & verſutorum verſutiſſimus, Santabarenus, inquam, de quo, opinor, audiviſtis omnes. Hunc neſcio quomodo repertum, (nam pares, ut dicitur, cum paribus facile congregantur) ut virum ſingulari ſanctitate, prudentia, rerumque futurarum cognitione pollentiſſimum: quibus tamen virtutibus non ſolum caruit omnibus, ſed contra, ut ajunt, magicis præſtigiis, & ariolandi, conjectandi, incantandi, animaſque evocandi artibus inſignis habebatur; hunc imperatori di-

ANNO CHRISTI 869.

δων, Κωνσταντίνου, Λέοντος, Ἀλεξάνδρου, καὶ Στεφάνου· ἐξ ἑκάστου δὲ τὸ πρῶτον γράμμα λαβὼν καὶ συντιθεὶς, ἐντεῦθεν λαμβάνει τῆς ἀπάτης τὴν ἀφορμήν. ἱστορίαν γὰρ, ἤτοι γενεαλογίαν τὴν μήτ' οὖσαν, μήτ' οὖν ποτε γενομένην ἀναπλάσας, Τηριδάτην μὲν ἐκεῖνον τὸν μέγαν Ἀρμενίων βασιλέα, τὸν ἐπὶ τοῦ ἱερομάρτυρος λέγω Γρηγορίου, προπάτορα τίθεται τῷ λόγῳ. ἐξ ἐκείνου δὲ τὴν γενεαλογίαν ὀνόμασιν, οἷς ἠθέλησεν, ἐπισυνείρων, καὶ ἄλλους ἐξ ἄλλων τῇ πλασματώδει κατάγων ἱστορίᾳ, ἡνίκα δὴ πρὸς τὸν πατέρα κατῆλθε Βασιλείου, τοῦτον ἔγραψεν, ὡς ἄνδρα γεννήσει τοιοῦτον, οἷος αὐτὸς Βασίλειος ἦν· τὸ δὲ ὄνομα εἶναι Βεκλᾶς· ὃν εὐτυχέστατα καὶ πολυχρονιώτατα τῶν ἐξ αἰῶνος βεβασιλευκότων βασιλεύσοντα προφητεύει. μυρίοις δὲ ψεύδεσιν, οἷς ᾔδει γάννυσθαι τοῦτον ἀκούοντα, τὸ σύγγραμμα καταρτισάμενος, ἐπὶ παλαιοτάτου μὲν τοῦ χαρτίου γράμμασιν Ἀλεξανδρείνοις, τὴν ἀρχαϊκὴν ὅτι μάλιστα χειροθεσίαν μιμησάμενος, γράφει· ἀμφιεννύει δὲ καὶ πτύχαις παλαιοτάταις, ἐκ παλαιοτάτου βιβλίου ἀφαιρούμενος, κἀντεῦθεν τῇ μεγάλῃ τούτου τοῦ παλατίου ἀποτίθεται βιβλιοθήκῃ.

Ὁ κατὰ ταῦτα δὲ πιστῶς ὑπηρετούμενος, καὶ τὴν ἀπάτην αὐτῷ τοῦ δράματος συγκατασκευαζόμενος, Θεοφάνης ἐκεῖνος ἦν, κληρικὸς μὲν τότε βασιλικὸς, καὶ δόξαν σοφίας ἱκανῶς ἔχειν παρὰ τῷ βασιλεῖ νομιζόμενος, ὕστερον δὲ Καισαρείας Καππαδοκίας ἐπίσκοπος γεγονὼς, ἆθλον δηλαδὴ τοῦτο τῆς κακοτεχνίας ταύτης λαβών. λαβὼν γὰρ τὸ πλασματῶδες ἐκεῖνο βιβλίον, καὶ τῇ βιβλιοθήκῃ καθὼς εἶπον, ἀποθέμενος, εἶτα ὥρας εὐθέτου δραξάμενος, ἐπιδείκνυσι τῷ βασιλεῖ, ὡς πάντων καὶ βιβλίων θαυμασιώτατον καὶ μυστικώτατον ὄν. σχηματίζεται ἀπορεῖν, οὐκ αὐτὸς μόνος, ἀλλ' οὐδ' ἄλλος τις, φησὶν, ἀνθρώπων, ἢ Φώτιος, τοῦτο διαγνῶναι δύναιτ' ἄν. τοίνυν αὐθὶς ἀποστέλλεται πρὸς αὐτόν. σχηματίζεται ἐκεῖνος, μὴ δύνασθαι πρὸς ἄλλον εἰπεῖν τὸ μυστήριον, ἢ πρὸς αὐτὸν ὑπὲρ οὗ καὶ γεγράπται τοῦ βασιλέως. τί οὖν; ἡττᾶται λοιπὸν τῆς ῥᾳδιουργίας ταύτης ὁ Βασίλειος, ἀποτίθεται τὴν δυσμένειαν, καὶ εἰς καταλλαγὰς ἐντεῦθεν χωρεῖ. οἶδε γὰρ ἡ ἀγαθὴ πρόῤῥησις, κἂν ὅτι μάλιστα ψευδὴς ᾖ, καταχαυνοῦν καὶ ἐκλύειν καὶ ὅλην ἑαυτῆς ποιεῖσθαι τὴν μεγαλόφρονα καὶ φιλοδοξοτάτην ψυχήν. τοῦτο πρὸς Βασίλειον τῆς τοῦ Φωτίου φιλίας ἀρχή· τοῦτο τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης κατάλυσις, καὶ τῆς πρώτης ἀκαταστασίας ἀνανέωσις. ἐντεῦθεν συνεχῶς τοῖς βασιλείοις ὁ πολυμήχανος ἐνεχωρίαζε, κλέπτων μὲν τὴν εὔνοιαν τοῦ κρατοῦντος, ὅλον δὲ πρὸς ἑαυτὸν τὸν ἄνδρα ταῖς γοητείαις τῶν λόγων καὶ αἱμυλίαις τῶν τρόπων κατασκευαζόμενος. ἐπεγένετο δὲ καὶ ἄλλη τις αὖθις οἰκειότητος ἀφορμή. Θεόδωρον γὰρ ἐκεῖνον ἄχρι τοῦ σχήματος τῶν ἱματίων ἀββᾶν, πάντων δὲ δεινῶν ὄντα δεινότατον, καὶ πανούργων πανουργότατον, τὸν Σανταβαρηνὸν οἶδ' ὅτι πάντες ἀκούετε. τοῦτον οὐκ οἶδ' ὅπως ὁ Φώτιος εὑρηκὼς (καὶ γὰρ τῷ ὁμοίῳ αὐτοῦ, κατὰ τὴν παροιμίαν, προσκολληθήσεται ἀνήρ) ὡς ἄνδρα ἅγιον, καὶ διορατικώτατον, καὶ προφητικώτατον, ταῦτα μὲν οὐκ ὄντα, πόθεν; πολλοῦ γε καὶ δεῖ· μαντικῆς δὲ, μᾶλλον δὲ μαγικῆς, φασὶ, καὶ ὀνειροκριτικῆς, ἤτοι δαιμονιώδους σοφίας καὶ ψυχικῆς μετεσχηκότα τῷ αὐτοκράτορι προσάγει, καὶ μυρίοις ἐπαίνοις προσοικειοῖ· καὶ ἐγκόλ-



ANNO CHRISTI 869.

πιον αὐτῷ ποιησάμενος, τῷ πατριάρχῃ μὲν ἐπεβούλευε, καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ πατριαρχείου ῥῖψιν δι' αὐτοῦ βαθέως ἐπαγαγεῖν ἐπειρᾶτο, ἑαυτῷ δὲ αὖθις ἀνόμως τὴν ἀνάβασιν ἐμνᾶτο. ἐπεὶ δὲ τοῦτο συνεῖδε σκληρὸν ὄν, φανερῶς εἰς ἱερωσύνην παρὰ τοῦ ἁγίου δεχθῆναι, πᾶσαν ἐμηχανᾶτο μηχανήν. ἀλλ' ὁ πατριάρχης κανόσι Θεοῦ καὶ θεσμοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ἀκολουθῶν, καίτοιγε πολλὰ παρενοχληθεὶς, οὐ κατεδέξατο, οὐδὲ τῷ φονίῳ λύκῳ κατὰ τοῦ ποιμνίου πάροδον παρέσχεν, ἵνα μὴ αὐτὸς ἑαυτῷ περιπέσοι, καὶ ταῖς ἰδίαις ἐναντιωθεὶς ὁμολογίαις, ἐνδίκως ἀποστερηθῇ τῆς τιμῆς. τὸν γὰρ ὑπὸ συνόδου κανονικῶς καθῃρημένον, οὐ μερικῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ οἰκουμενικῆς, μᾶλλον δὲ ὡς μηδὲ τὴν ἀρχὴν ἐνθέσμως τῆς ἱεραρχίας ἁψάμενον πλέον αὐτὸν ἀποκεκηρυγμένον, ἀμήχανον εἶναι διετείνετο ἄνευ συνόδου μείζονος καὶ κυριωτέρας ἀθῳοῦσθαι. ἀλλ' ἐκεῖνος οὐδενὸς λόγον κανόνος ἢ νόμου ποιούμενος, ἑαυτῷ τὰ τῆς ἱερωσύνης ἐπέτρεψε· καὶ ἤδη πρὸς τοῖς βασιλείοις ἐπὶ τῇ καλουμένῃ Μαγναύρᾳ καθήμενος, ἐξάρχους τε προεβάλλετο, καὶ χειροτονίας ἐπετέλει, καὶ ὅσα πρὸς ὕβριν μὲν τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, θλῖψιν δὲ τοῦ πατριάρχου, ἀπώλειαν δὲ τῆς ἰδίας ψυχῆς, ἀνόσιος ὁ ἀνοσιώτατος εἰργάζετο. οὕτω τῆς βασιλικῆς εὐηθείας καταφρονεῖ, μᾶλλον δὲ τῆς ἀνοχῆς τοῦ Θεοῦ καὶ μακροθυμίας ὁ δοξοχαρὴς ἐκεῖνος καὶ σκανδαλοποιὸς ἄνθρωπος ὑπερφρονῶν, καὶ πᾶν τὸ περὶ τὸν βασιλέα θεραπευτικὸν καὶ οἰκίδιον ὑποποιούμενος, καὶ τὴν ἐνδομυχοῦσαν αὐτῷ κακίαν καὶ πονηρίαν πολὺ μᾶλλον ἢ πρώην ἐντονωτέραν ἐπιδεικνύμενος, καὶ τὴν ἀπὸ τῆς κοσμικῆς δυναστείας πολλῷ πλέον προσλαμβανόμενος ῥοπήν· οὔπω τρίτη μετὰ τὴν τοῦ ἁγίου παρῆλθε μετάστασιν ἡμέρα, καὶ τὸν πατριαρχικὸν ἐπικαταλαμβάνει θρόνον, καὶ τὴν πάλαι λῃστρικὴν αὐτοῦ καὶ τυραννικὴν γνώμην, καὶ τὴν κατὰ τοῦ ἁγίου λύτταν ἀνανεούμενος, πάντας μὲν τοὺς οἰκείους ἐκείνου θεράποντας φυλακαῖς καὶ πληγαῖς καὶ ἐξορίαις καὶ θλίψεσιν ἀνηκέστοις περιέβαλεν· πάντας δὲ τοὺς ἀντιλέγοντας αὐτοῦ τῇ ἀνόδῳ, ὡς οὐ κανονικῶς, ἀλλ' ἀθέσμως καὶ παρανόμως γινομένῃ, μυρίαις ἐπινοίαις καταστρατήγει· οὓς μὲν δώροις καὶ ἀξιώμασι, καὶ θρόνων μεταθέσεσι πρὸς τὴν μετ' αὐτοῦ κοινωνίαν ἐπαγόμενος· οὓς δὲ συκοφαντῶν, καὶ ἐπ' αἰσχρουργίαις ἀῤῥήτοις διασύρων τὸ πρῶτον, καὶ πικρῶς διαλοιδορούμενος, εἴ τις αὐτῶν αὐτῷ μετὰ ταῦτα κοινωνεῖν ἀνωμολόγησεν, αὔραις φέρειν ἐξαπίνης ἐκεῖνα πάντα παρεχώρει. καὶ συλλειτουργὸς αὐτῷ σήμερον ὁ ἱερόσυλος χθές· καὶ ἱεροφάντης μέγας καὶ τίμιος ὁ κλέπτης καὶ πόρνος καὶ βέβηλος πρώην ὑπ' αὐτοῦ μεθ' ὅρκων ἀποδεικνύμενος. οὓς δὲ πρὸς τὴν αὐτοῦ κοινωνίαν ἑώρα στεῤῥῶς ἀνθισταμένους· ἐνίσταντο δὲ πάντες, ὅσοι ἀληθῶς τῆς χριστιανικῆς πίστεως ἀντείχοντο, τῷ ὑπὸ ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου κανονικῶς ἀναθεματισμένῳ καὶ καθῃρημένῳ ἐπικινδυνωδέστατον λογιζόμενοι καὶ ὀλέθριον κοινωνεῖν, καὶ εἰς ἓν σῶμα τούτῳ συγκεκρᾶσθαι, τῷ μυριάκις τὸν τίμιον τοῦ Χριστοῦ καταπεπατηκότι σταυρὸν, καὶ πάντας καταπατεῖν διὰ τῆς τῶν χειρογράφων ἀπαιτήσεως καταβιαζομένῳ· τούτων οὖν ὅσους φυλακαῖς καὶ μά-

VITA IGNATII PATRIAR.

ſtit, immenſiſque celebratum laudibus commendat. Cumque jam imperatore intimo familiariſſimoque uteretur, Photius per eum patriarchæ Ignatio inſidiatur, ſedemque amiſſam occulte recuperare conatur, ſibique denuo reditum ſacrilege comparat. Quod tamen ubi fore difficile ſenſit, aperte, ut in ſacerdotium reſtitueretur, a viro ſancto omni ope contendit. Sed patriarcha canonum divinorum, legumque eccleſiaſticarum obſervantiſſimus, tametſi vehementer ſolicitatus, illum tamen haud admiſit, nec graſſanti lupo reditum ad Chriſti caulam indulſit, ne ſecum ipſe pugnaret, ſuaſque oppugnaret ſubſcriptiones, meritoque deinde de gradu dignitatis deturbaret. Nam a ſynodo rite exauctoratum, non modo provinciali, ſed etiam generali, immo qui nec ab initio quidem unquam legitime ſedem ſacram occupaſſet, atque inſuper publice damnatus eſſet, ſine majore & amplioris auctoritatis ſynodo non poſſe abſolvi contendebat. At ille canonibus legibuſque contemptis, ultroque ſibi ſacerdotio denuo arrogato, ſedebat in regia Magnaura dicta, conſtituens exarchos, & ſacros ordines conferens. Nam quidquid ad eccleſiæ contumeliam, virique ſancti afflictionem, ſuumque ipſius exitium ſpectabat, ſacrilege profaniſſimus audebat. adeo imperatoris ſimplicitate, immo longa Dei patientia & pœnitentiæ expectatione abuſus homo ambitioſus peſſimique exempli, & palatinis omnibus ſibi conciliatis, ſuaſque in partes traductis, latente intus ſcelere multo quam antea magis apertiuſque prodito, multoque majore quam antea vi ſæcularis poteſtatis comparata, non toto, quam Ignatius obierat, triduo elapſo, tribunal patriarchale, revocata priſtina & patricidali tyrannicaque mente, occupavit; & furore adverſus ſanctum renovato, cunctos illius domeſticos ac ſervos cuſtodiis, verberibus, exiliis, aliiſque intolerandis malis & ærumnis oppreſſit. Provectioni porro illius contra leges & ſanctiones eccleſiaſticas factæ quicumque repugnabant, hos mille artibus expugnavit. Alios quippe muneribus & honoribus permulcendo, vel ſedium epiſcopalium permutationibus, ad ſocietatem & communionem attraxit. Alios primum criminationibus inauditiſque calumniis traducendo, graviterque lancinando; quos tamen eoſdem mox, ſi ſe ad ejus partes adjunxiſſent, cauſa tota ventis commiſſa, abſolvit. Ita qui modo illi ſacrilegus erat, is eidem mox ſymmyſta & comminiſter fiebat. Qui prius fur, adulter, & profanus ab illo juratiſſimo probabatur, ille mox eidem magnus & venerandus ſacrorum antiſtes habebatur. Quos autem in ſententia firmos, ſuam communionem penitus averſari videbat: averſabantur autem omnes qui vere Chriſtiani erant, quique perſuaſum habebant, ſe cum eo qui a ſancta & œcumenica ſynodo rite ſancteque damnatus eſſet & depoſitus, ſine ſummo ſalutis periculo & exitio communicare non poſſe: neque cum illo in unum Chriſti corpus coaleſcere, qui millies venerandam Chriſti crucem pedibus conculcaſſet, alioſque omnes per chirogra-

VITA IGNATII PATRIAR.

rographa vi extorta conculcare coegiſſet: hos, inquam, omnes quotquot vinculis flagriſque frangere non poterat, affini ſuo Leoni cognomento Catacalo, biglæ, ſeu vigiliarum præfecto, quem ipſe ad eam dignitatem provexerat, homini ſæviſſimo immaniſſimoque tradebat: qui ut ſe de beneficio gratum exhiberet, miſſos ad ſe cunctos (ut brevi carnificinam illam comprehendam) Liciniana quadam immanitate excruciabat. Ex quibus multos pro veritate ad necem uſque propugnantes ſuſtulit: plures tamen intolerandis victos tormentis; præclari muneris loco, mittenti remittebat. Quis, per Deum immortalem, temporis hujus tempeſtatem & iniquitatem; immo quis tortuoſi draconis illius inſidias & machinationes dicendo aſſequatur? Multos veterator ille perjura lingua calumniatus, aut per falſas criminationes exauctoratos, mox ut cum eo rurſum communicabant, commendatos reſtituebat, & nonnunquam ad majores dignitates transferebat. Deinde ſi quis iterum veſana illius inſania offenſus, ſe denuo ab illius ſocietate abſtinuiſſet, hunc rurſum damnabat; & damnatum, ſi ceſſiſſet, mox admittebat. Tanta gloriæ dominandique ſiti æſtuabat, ut illius cauſa per furioſam ambitionem leges divinas, jura omnia, ſacraque permiſceret. In primis autem hoc agebat, ut ordinationes patriarchæ tranſmutaret, atque ab eo damnatos ſedibus reſtitueret. Sed cum id imperatori non probaretur, videte quid tentarit. Conſecratos a ſancto Ignatio reſecrare conatur. Quod cum æque parum ſuccederet, omneſque indigniſſime ferrent, atque execrarentur; ne ita quidem defecit iniquitas. Humeralibus & orariis, & aliis ſtatus ſacerdotalis coemptis inſignibus, ſecreto preces ſuper ea quaſdam, (ſi tamen preces, & non potius diræ execrationes appellandæ ſunt) pronuntiabat: ſicque ea ſingulis loco muneris largitioniſque dabat. Atque ut peccatum fieret ſupra modum peccans, ubique juriſjurandi ſacramenta, ubique chirographa exigebat, ſive initiaret, ſive honores & dignitates eccleſiaſticas conferret, ſive epiſcopatus permutaret. Quibuſcumque demum ſe beneficium præſtare cenſebat, hos ſibi obſtringebat, & teſtatiſſimis chirographis exactis ſibi cavebat, ubique ſuam dumtaxat gloriam affectando, noviſque rebus ſtudendo. Neque Dei nutu vel providentia ſibi bene fore unquam credebat, aut ſperabat; ſed per multiplex ingenium ſuum ſeu artificium, immo maleficium, ſeſe communiebat: adeoque totum eccleſiæ ſtatum permiſcebat, omniumque mortalium animos peſſimis exemplis offendebat; atque ut Chriſti nomen blaſphemaretur, impiis artibus ſuis efficiebat.

Ergo ubi iterum patriarchatum invaſit, Theodorum illum (quem ipſe exul Patrarum metropolitam creavit, quem quidam facete Aphantopolis, hoc eſt, nuſquam extantis civitatis metropolitam nuncupabant) hunc, inquam, Theodorum ad Joannem papam apocriſiarium deſtinavit; per quem ſcripſit, ſe per vim a tota eccleſia, totaque republica coactum, tribunal ſacrum denuo perinvitum conſediſſe. Atque ut mendacium in epiſtola ſcriptum ſtabiliret, per Petrum a ſecretis, qui poſtea ob figmenta Sardium pontifex præmii loco

ANNO CHRISTI 869.

στίξι πείθειν οὐκ εἶχε, τῷ ὠμοτάτῳ πάντων ἀνθρώπων καὶ ἀπηνεστάτῳ παρέπεμπε γαμβρῷ. Λέων δὲ οὗτος ἦν ὁ καλούμενος Κατάκαλος, τῆς Βίγλας δρουγγάριος ὑπ' αὐτοῦ προβιβασθείς· ὃς τῆς τιμῆς αὐτὸν ἀμειβόμενος, πάντας τοὺς πρὸς αὐτὸν πεμπομένους· ἵνα μικρῷ λόγῳ τὴν μιαιφονίαν παραστήσω· ἴσα Λικινίῳ τῷ πάλαι τῇ κατὰ τῶν ἁγίων ὠμότητι ἐχρῆτο. καὶ πολλοὺς μὲν ἀνεῖλεν ἄχρι τέλους τὴν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἔνστασιν ἐνδειξαμένους· πλείους δὲ τῶν ἀνυποίστων βασάνων ἡττωμένους, ὡς δῶρα τίμια πρὸς τὸν πέμποντα τούτους ἀντεπέστελλε. τίς ἱκανῶς τοῦ τότε καιροῦ τὴν κακίαν, μᾶλλον δὲ τίς τοῦ σκολιοῦ δράκοντος ἐκείνου τὰς ἐνέδρας ἐξείποι καὶ μηχανάς; πολλοὺς πολλάκις ὁ δόλιος δολίᾳ γλώσσῃ συκοφαντῶν, ἢ ἐπ' ἐγκλήμασι δῆθεν καθαιρῶν, εἰ συνέθεντο μετὰ ταῦτα κοινωνεῖν, τούτους αὖθις ἀποκαθίστησι συνιστῶν, καὶ ἐπὶ μείζους ἐνίοτε θρόνους μεθιστῶν. καὶ μετὰ ταῦτα δὲ πάλιν εἴ τις αὐτοῦ προσοχθικῶς ταῖς ἀπονοίαις ἀπέσχετο τῆς κοινωνίας, αὖθις καθῄρει τοῦτον, καὶ ὑποκύπτοντα προσίετο πάλιν. οὕτως ἔτρεχεν ἐν δίψει πάντα κανόνα θεῖον, καὶ πᾶσαν θεσμοθεσίαν ἱερὰν διὰ τῆς αὐτοῦ φιλαρχίας συγχέαι καὶ δοξομανίας. πρὸ τούτων δὲ πάντων πειρᾶται τὴν τοῦ πατριάρχου προχείρισιν μεθιστᾶν, καὶ τοὺς κατ' αὐτὸν καθῃρημένους ταῖς ἐκκλησίαις ἀντικαθιστᾶν. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἤρεσκεν οὕτω τῷ βασιλεῖ, ὁρᾶτε οἷον ἐτόλμα. τοὺς ὑπὸ τοῦ ἁγίου τετελεσμένους ἐπεχείρατο ἀναχειροτονεῖν. ἐπεὶ δὲ καὶ τοῦτο τῶν ἀπευκτάτων ἔδοξε καὶ ἀπάντων, οὐδ' οὕτως ἠπόρησεν ἡ πονηρία· ὠμοφόρια δὲ καὶ ὠράρια ὠνούμενος, καὶ ὅσα τῆς ἱερατικῆς σύμβολα χρηματίζει πληρώσεως, καὶ τούτοις ἐν μυστηρίῳ οἰκείας ἐπιλέγων εὐχάς· εἴγε ταύτας εὐχάς, ἀλλ' οὐ δυσφημίας ἐναγεῖς ὀνομάζειν χρεών· οὕτως ἑκάστῳ λόγῳ φιλοτιμίας ἐδίδου καὶ χαρίσματος. ἵνα δὲ καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς γένηται ἡ ἁμαρτία, πανταχοῦ ὅρκος, πανταχοῦ τῶν χειρογράφων ἀπαίτησις, ἐν χειροτονίαις, ἐν ἀξιώμασιν, ἐν μεταθέσεσιν· ἐν πᾶσιν οἷς εὐεργετεῖν ἐνομίζετο, κἀπειδὴ τότε καὶ ἰδιοχείροις ἰσχυροτάτοις ἠσφαλίζετο, πανταχόθεν τὴν ἰδίαν δόξαν ζητῶν, καὶ χαίρων ταῖς καινοτομίαις· καὶ οὐ διὰ τοῦ Θεοῦ, οὐδὲ διὰ τῆς ἐκείνου συστῆναί ποτε προνοίας ἢ πιστεύων, ἢ προσδοκῶν, διὰ τῆς οἰκείας δὲ πολυπειρίας ἢ κακοτεχνίας ἑαυτὸν ἐπιχειρῶν συνιστᾶν, καὶ πᾶσαν οὕτω συγχέων ἐκκλησίαν, καὶ πᾶσαν οὕτω σκανδαλίζων ψυχήν, καὶ τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ βλασφημεῖσθαι διὰ τῆς αὐτοῦ κακομηχανίας παρασκευαζόμενος.

Μετὰ γοῦν τὸ τὸν θρόνον τὸ δεύτερον κατασχεῖν Θεόδωρον ἐκεῖνον, ὃν ἐν ἐξορίᾳ καθήμενος αὐτὸς μὲν εἰς τὰς Πάτρας ἐχειροτόνησε μητροπολίτην· Ἀφαντοπόλεως δὲ τοῦτον ἀστείως οἱ παρ' ἐκείνῳ κατωνόμαζον· τοῦτον πρὸς Ἰωάννην τὸν πάπαν ἀποκρισιάριον προεχειρίσατο γράψας, ὅτι βίᾳ πολλῇ τῆς ἐκκλησίας ὅλης καὶ τῆς πολιτείας ἀναγκασθεὶς, ἐπὶ τὸν θρόνον ἀνῆλθε καὶ μὴ βουλόμενος. ἵνα δὲ βεβαιώσηται τὸ ψεῦδος τῶν ἐπιστολῶν, διὰ τοῦ μυστογράφου Πέτρου, ὃς καὶ τὰς Σάρδεις ὕστερον ἔπαθλον τῶν πλασμάτων ἠνέγκατο, δι' αὐτοῦ κλέπτει

μὲν



ANNO CHRISTI 869.

μὲν τὰς σφραγῖδας τῶν βουλλωτηρίων τῶν ὅλων μητροπολιτῶν· συναρπάζει δὲ καὶ αὐτοὺς μὴ εἰδότας ὑπογράψαι τῷ λιβέλλῳ, προφάσει ὡς ἐπὶ μυστικῇ ἀγορασίᾳ. τοσοῦτος τὴν πανουργίαν ἐκεῖνος, καὶ πηλίκος ὑπῆρχε τὴν δεινότητα. πῶς δὲ καὶ τὰ κατὰ τὸν Εὐφημιανὸν ἐκεῖνον παρέλθωμεν σιωπῇ; ὃς Εὐχαΐτων μὲν ἐπίσκοπος ἦν, ἐπειδὴ δὲ ὁ Σανταβαρηνὸς τῆς ἐπισκοπῆς ἐκείνης ὡς γείτων ὠρέγετο, τὸν μὲν βίᾳ σχολάζειν ἀναγκάζει, τὸν δὲ ἀντ' αὐτοῦ χειροτονεῖ. οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ ἐπισκοπὰς ἐκ τῶν γειτνιαζουσῶν μητροπόλεων, ὅσας ἐκεῖνος ἤθελεν, ἀφαιρεῖται, καὶ δίδωσιν αὐτῷ. καὶ οὐ ταῦτα μόνον, ἀλλὰ καὶ παρ' ἑαυτῷ καθίζων πρωτόθρονον τοῦτον κατωνόμαζε. καὶ Νικηφόρον μὲν Νικαίας μητροπολίτην ὄντα βιάζεται παραιτησάμενον ὀρφανοτρόφον εἶναι, Ἀμφιλόχιον δὲ τὸν Κυζίκου πρὸς τὴν Νίκαιαν μεθίστησι. καὶ ταχὺ θανόντος αὐτοῦ, τὸν Συρακούσιον ἀντικαθίστησι Γρηγόριον· ὃν καὶ αὐτὸν μετ' οὐ πολὺ θανόντα οἵοις ἐσέμνυνεν ἐπιταφίοις, ὡς τῶν μεγάλων πατέρων ἐφάμιλλον βεβιωκότα βίον, δι' οὐδὲν ἄλλο τοσοῦτον, ὅσον ὅτι κατὰ τοῦ ἁγίου καθώσπερ ξυρὸν ἄχρι τέλους τὴν γλῶσσαν ὁ δύστηνος παρέθηξε.

Διὰ ταῦτα καὶ ἔτι πλείω τούτων ἀτοπώτερα ἦλθεν ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας· καὶ εὐθὺς μὲν τότε τῷ βασιλεῖ τέθνηκε Κωνσταντῖνος ὁ τριπόθητος καὶ πρωτότοκος υἱὸς, ὃν καὶ ἅγιον ὁ τολμητίας οὗτος εἰς τὴν τοῦ πατρὸς χάριν ἐξ ἑαυτοῦ χειροτονῶν, μοναστηρίοις τε καὶ ναοῖς ἀνθρωπαρεσκείᾳ τιμῶν οὐκ ηὐλαβεῖτο.

Αὐτίκα δὲ καὶ ἡ μεγάλη πόλις Συράκουσαι τὴν φρικτὴν ὤλετο πανωλεθρίαν· καὶ πᾶσα νῆσος, καὶ πᾶσα πόλις καὶ χώρα προνομεύεται καὶ καταφθείρεται μέχρι καὶ τήμερον τοῖς ἐχθροῖς, οὐδεμιᾶς ἐκ τῶν ἱερᾶσθαι δοκούντων ἱλεουμένης τὸν Θεὸν προσευχῆς· ἀλλὰ κατὰ τὸ γεγραμμένον, ἐγενόμεθα ὄντως πρόβατα, οἷς οὐκ ἔστι ποιμήν. χρονίσασα γὰρ ἡ κακία, καὶ πολλοῖς ὑποδείγμασι παγιωθεῖσα, νόμος νενόμισται τοῖς ἀνομοῦσι, καὶ τὸ ἄθεσμον ἔθος εἰς φύσιν τρόπον τινὰ τοῖς καταφρονηταῖς καταστὰν, ὅλην ἐπισπᾶται τοῦ Θεοῦ τὴν ὀργήν.

Ἀλλὰ τὸ μὲν καθ' ἕκαστον ἐπεξιέναι τὰς καινοτομίας καὶ παρανομίας αὐτοῦ τε Φωτίου τοῦ πρωτομάστορος τῶν ὑποκριτῶν καὶ σταυρομάχων, καὶ πάντων καθεξῆς τῶν αὐτοῦ διαδόχων καὶ τῆς φιλαρχίας κοινωνῶν, ἱστορίας ἔργον, καὶ οὐ τοῦ παρόντος τῷ λόγῳ σκοποῦ.

Ἡμεῖς δὲ τὴν ὑπεράπειρον μακροθυμίαν καὶ ἀνοχὴν ὑμνοῦντες τοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ, εὐχώμεθα τῆς μερίδος ἐξαιρεθῆναι τῶν τὰ σκάνδαλα καὶ τὰς διχοστασίας διὰ τῆς κακίστης αὐτῶν ἐπιθυμίας κατεργαζομένων, κοινωνοὶ δὲ γενέσθαι τοῦ τῶν ἁγίων κλήρου, τῶν διὰ πίστεως καὶ ἀγάπης Θεοῦ, ταπεινοφροσύνης τε καὶ πραότητος, τῆς ἐπουρανίου βασιλείας καὶ ἱεραρχίας ἁγίας τοῦ ὑπεραγίου καταξιουμένων, πρεσβείαις τῆς ὑπεράγνου καὶ παναμώμου θεομήτορος, καὶ τῶν ἐκλεκτῶν καὶ ἱερῶν ἀγγέλων καὶ τῶν πανευφήμων Ἀποστόλων, καὶ τῶν πανενδόξων ἀθλοφόρων, καὶ ὅλων τῶν ἁγίων ταῖς εὐπροσδέκτοις καὶ ἱεραῖς ἱκετηρίαις. πρὸς τούτοις πᾶσι δὲ καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰγνατίου

VITA IGNATII PATRIAR.

loco dictus eſt, omnium metropolitarum ſigna furatur; adeoque ipſos ſibi metropolitas ſuffuratur ignaros ſe libello ſubſcripſiſſe, cum arcanam fundi emptionem prætendiſſet. Tantus ille & tam inſignis fraudum omnium & nequitiarum artifex erat. Sed qua ratione taciti cauſam Euphemiani illius Euchaitarum epiſcopi diſſimulabimus, cujus epiſcopatum propter vicinitatem Santabarenus appetebat? Hunc ergo epiſcopatu cedere cogit, & illi Santabarenum ſufficit. Neque id tantum, ſed epiſcopatus etiam, quoſcumque ille expetebat, vicinis metropolitis ereptos, huic donat: inſuperque juxta collocatum primatem nominabat. Præterea Nicephoro Nicææ metropolitæ, per vim abdicato orphanotrophi curam ac tutelam pupillorum committit. Amphilochium vero Cyzici præſulem Nicæam transfert; cui mox extincto Gregorium Syracuſanum ſubrogat: quem & ipſum mox ſublatum hujuſmodi Photius epitaphiis ornavit, ut magnis illum patribus vita & virtute æquarit: nec id aliam ob cauſam, quam quod infelix linguam ſuam ſicut novaculam acuerit in ſanctum Ignatium uſque in finem.

Has, & his multo plures ac deteriores ob cauſas venit ira Dei ſuper filios diffidentiæ. Subito namque imperatori filius & cariſſimus & natu maximus Conſtantinus eſt ereptus; quem audax Photius in gratiam imperatoris, per ſe in ſanctorum cenſum relatum, templis cœnobiiſque, ad aucupandam hominum gratiam, colere nihil veritus eſt.

Deinde etiam magna Syracuſanorum civitas horrenda clade periit: inſulæque omnes, & cuncta oppida, & omnis provincia hoſtili manu fœde etiamnum hodie vaſtatur, diripitur & peſſumdatur, nullo ex iis qui rem ſacram adminiſtrare videntur, Deum precibus placante: ſed, ut ſcriptum eſt: *Facti ſumus ſicut oves errantes ſine paſtore.* (Matth. 9.) Etenim inveterata tempore iniquitas, multiſque exemplis corroborata, pro lege impiis & exlegibus habetur ipſoque uſu & conſuetudine corruptelarum in morem & naturam abit, atque adeo iram in ſe Dei provocat univerſam.

Enimvero ſigillatim percenſere omnia quæ novata & impie geſta ſunt a Photio architecto & magiſtro hypocritarum hoſtiumque crucis, & omnibus ſucceſſoribus illius & ſociis ambitionis, juſtæ ſit opus hiſtoriæ, non hujus loci argumentum.

Nos vero infinitam Dei patientiam clementiamque memorantes, dominum univerſorum deprecemur, uti nos a ſorte eorum qui tot ſcandalorum offenſionumque & diſſenſionum cupiditatibus ſuis peſſimis auctores extitere, ereptos, ſortis ſanctorum, qui per fidem & caritatem Dei, humilitatem & manſuetudinem, regno & ſacerdotio ſancto Dei, qui ſanctorum caput eſt omnium, ſunt dignati; precibus intemeratæ puriſſimæque Dei matris, ſelectorumque cælitum angelorum, glorioſiſſimorum apoſtolorum victorumque nobiliſſimorum martyrum, ſanctorumque omnium; cumque omnibus noſtri ſancti patris Ignatii patriarchæ

CP.

VITA IGNATII PATRIAR.

A CP. vere novi confeſſoris ac deiferi patris, conſortes efficiat in Chriſto Jeſu domino noſtro: cui laus, honor, adoratio cum æterno patre, pariterque æterno & vivificante ipſius Spiritu, nunc & ſemper, & in omnes omnium ſæculorum æternitates. Amen.

ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ νέου ἀληθῶς ὁμολογητοῦ καὶ θεοφόρου, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ προσκύνησις ἅμα τῷ ἀνάρχῳ πατρὶ, καὶ τῷ συνανάρχῳ καὶ ζωοποιῷ αὐτοῦ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNO CHRISTI 869.

---

ENCOMIUM IGNATII PAPÆ.

## EX ENCOMIO S. IGNATII patriarchæ Conſtantinopolitani,

*A Michaele monacho presbytero & ſyncello compoſito.*

Eodem interprete Matthæo Radero S.I.

ALter hic & eximius, deifer Ignatius, nobilis ex nobilibus, illuſtris ex illuſtribus, ſanctuſque ex ſanctis oriundus parentibus Auguſtis fuit. Nam pater hujus Michael Rhangabus cognomento, avus illi maternus Nicephorus Genicorum fuit; amboque imperium Romanum adminiſtrarunt. Sanctus porro Ignatius poſt ejectum & abdicatum imperio parentem exectus a Leone eſt Armeno, qui Michaele ſceptris exuto, imperium vi occupavit. Ignatius erepta ſibi virilitate monachum induit, multiſque annis in rerum divinarum ſtudio, & frangendis corporis cupiditatibus deſudavit. C Mater huic erat Procopia, digna plane, propter excellentem animi virtutem, tali filio mater; quæ & ipſa cum viro ſuo Michaele Auguſta religioſa admodum fuit: patria vero hæc ipſa magna urbs Conſtantinopolis. Ferunt Ignatium, poſtquam creatus eſt patriarcha, divi Jacobi domini fratris ſuperhumerale nactum, ſæpe dum viveret eo ornatum, in eoque ſacris operatum eſſe, & cum eodem poſt mortem ſepultum. Leo tyrannus Ignatium jam viro ſpoliatum præceptori commiſit improbo, & hæreſiarchæ truculento, qui modis illum omnibus exagitavit, D ſævaque imperia præſcripſit; quæ ſi propter corporis imbecillitatem non exhauſiſſet, plagis, nempe non tam ob neglectum officium, quam quod ab illius dogmatis a vera pietate alieniſſimis abhorreret, rectamque religionem teſtis admiratione dignus defenderet, crudeliter cædebatur. Deinde tyranno vitæ curriculum demenſo, ferulæ ſubductus, nunquam deſtitit cum Joannicio prophetiæ dono præſtante viro, & Theophane cœnobii Agriani præfecto, confeſſione fidei & miraculis illuſtri, familiariter verſari; qui illum patriarcham creatum iri, uti factum eſt, jam ante denuntiarant. E Etenim beatiſſimo Methodio ſolium vitamque relinquente, Theodora pia Auguſta celebrato ſanctorum patrum conventu, præſente quoque ſenatu & univerſo clero, Ignatium patriarcham dicit. Is Chriſti gregem multis annis ſancte præclareque paſcit. Quid demum facit invidia ſtimulatus cacodæmon? adverſus paſtorem bonum, virum concitat præpotentem, Bardam, inquam, Cæſarem, quem a ſacris tremendis arcuerat, quod contra jus faſque cum femina inconceſſa conſueſſet. Qua de cauſa Ignatius throno deturbatur, exilio damnatur, arcta cuſtodia tenetur, vinculis oneratur, ino-

## ΑΠΟ ΤΟΥ ΕΓΚΩΜΙΟΥ ΤΟΥ ΕΙΣ τὸν ἅγιον Ἰγνάτιον τὸν γεγονότα πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως,

B *Συντεθέντος παρὰ Μιχαὴλ μοναχοῦ πρεσβυτέρου καὶ συγκέλλου.*

Ο ΝΕΟΣ οὗτος καὶ μέγας θεοφόρος Ἰγνάτιος, εὐγενὴς ἐξ εὐγενῶν, περιφανὴς ἐκ περιβλέπτων, ἅγιος ἐξ ἁγίων γονέων γεγέννητο βασιλέων χρηματισάντων. τούτου γὰρ πατὴρ ὁ Μιχαὴλ ἐχρημάτιζεν, ᾧ τὸ ἐπίκλην Ῥαγγαβέ· πάππος δὲ πρὸς μητρὸς Νικηφόρος ὁ ἀπὸ Γενικῶν. καὶ ἄμφω δὲ βασιλεῖς Ῥωμαίων γεγόνασι. γέγονε δὲ ὁ θεῖος οὗτος Ἰγνάτιος μετὰ τὴν τῆς βασιλείας ἔκπτωσιν τοῦ πατρὸς ἐκτομίας, τοῦτο παθὼν παρὰ Λέοντος τοῦ ἐξ Ἀρμενίων, ὃς τυραννίδι τὸν Μιχαὴλ τῆς βασιλείας ἀπώσατο. μετὰ γοῦν τὸ C ἐκτμηθῆναι τὰ παιδογόνα, ἐκείρατό τε τὴν τρίχα, καὶ ἐπὶ μακρὸν ἀσκητικοῖς ἱδρῶσι τὸ σαρκίον ἐδάμασε. τούτῳ μήτηρ ἡ Προκοπία, ἀξία τοῦ υἱοῦ διὰ τὴν προσοῦσαν αὐτῷ ἀρετήν· ἡ δὲ βασιλὶς καὶ αὐτὴ σὺν τῷ ἀνδρὶ Μιχαὴλ πάνυ εὐσεβὴς γέγονε. καὶ πατρὶς αὐτῷ ἡ Κωνσταντίνου ἡ μεγαλόπολις. ἐπεὶ δ' ὕστερον εἰς τὸν πατριαρχικὸν ἀνήχθη θρόνον, λέγεται τὸ τοῦ θεαδέλφου οὗτος Ἰακώβου, ὠμοφόριον κτήσασθαι, κἀκείνῳ ζῶν τε κοσμεῖσθαι, καὶ οὕτως ἱερατεύειν Θεῷ, καὶ θανὼν τῷ τάφῳ μετὰ τοῦ αὐτοῦ ὠμοφορίου ἀποτεθῆναι. τοῦτον μετὰ τὴν τῶν παιδογόνων αὐθὺς ἐκτομὴν ὁ τύραννος Λέων κακόφρονι παραδίδωσι D καὶ δεινῷ αἱρεσιάρχῃ καθηγεμόνι, ὃς καὶ παντοίως ἐκάκου αὐτὸν, ὑπηρεσίας ἐπιτάττων βαρείας, καὶ εἰ μὴ ἤνυε ταύτας δι' ἀσθένειαν σώματος, μαστίζων αὐτὸν ἀφειδῶς· καὶ μᾶλλον ὅτι οὐδὲ τοῖς δόγμασιν ἐκείνου ὁ ἅγιος συνετίθετο, ἀλλοτρίοις οὖσι τῆς καθ' ἡμᾶς ὀρθῆς πίστεως· καὶ μάρτυς ὁ θαυμαστὸς Ἰγνάτιος ἐχρημάτισεν. εἶτα τοῦ τυράννου Λέοντος τὴν ζωὴν ἐκμετρήσαντος, ἀδείας λαβόμενος οὐ διέλιπεν ὁμιλῶν τῷ τε διορατικῷ Ἰωαννικίῳ, καὶ τῷ θαυματουργῷ καὶ ὁμολογητῇ Θεοφάνει τῷ τοῦ μεγάλου Ἀγροῦ· οἳ καὶ ἀρχιερέα τοῦτον γενήσεσθαι προεφήτευσαν, ὃ δὴ καὶ γέγονε· τοῦ γὰρ τρισμάκαρος Μεθοδίου τὸν πατριαρχικὸν θρόνον θανάτῳ E ἀπολιπόντος, ἡ χριστόφρων Θεοδώρα σύνοδον πατέρων ποιησαμένη, μετά γε τῆς ἐν συγκλήτῳ βουλῆς καὶ τοῦ κλήρου παντὸς, τὸν Ἰγνάτιον πατριάρχην καθίστησι. ποιμαίνει τὸ ποίμνιον ἐπὶ πολυετίαν ὁ ὅσιος καλῶς τε καὶ θεαρέστως. εἶτα τί φθονεῖ ὁ διάβολος; κατὰ τοῦ καλοῦ ποιμένος ἐγείρει ἄνδρα τῶν παραδυναστευόντων τὸν κράτιστον τὸν Καίσαρα λέγω Βάρδαν, ὃν τῆς μυστικῆς καὶ φρικτῆς ἀπεῖρξε κοινωνίας, ἀθέσμως γυναικὶ συμμιγνύμενον. διὸ καὶ τοῦ θρόνου ἐκπίπτεται, καὶ ἐξορίᾳ παραδίδοται· εἶτα δὴ φρουρᾷ περικλείεται, καὶ σιδηροπεδεῖται, καὶ λιμαγχονεῖται. γῆ τότε ἐσείσθη νεύματι τοῦ παντουργοῦ δεσπότου

τοῦ



ANNO CHRISTI 869.

A τοῦ Θεοῦ, εἰς τὸ ἀναστεῖλαι τοὺς ματαιόφρονας, τοὺς κατὰ τοῦ Ἀρχιερέως καὶ τῶν σὺν αὐτῷ καταδικαζομένων ἱερωμένων τοιαῦτα ψηφιζομένους. ἀλλ' οὐκ ἦν ὁ συνιῶν. καὶ ὁ μὲν δόλος τῶν κρατούντων, καὶ ἡ κατὰ τοῦ ἁγίου καταδίκη φανερὰ ἦν διὰ μυσαρὰν μοιχοζευξίαν· ἡ δὲ κεκρυμμένη ῥᾳδιουργία, ὅτι μὴ τὴν μητέρα καὶ τὰς τοῦ ἄνακτος ἀδελφὰς ἀποκείρειεν. ἀλλ' οὗτοι μὲν δικαιοτάτῃ κρίσει Θεοῦ πικρὸν δεδώκασι θάνατον. ὁ δὲ ἀδίκως κατακριθεὶς μετ' εὐφημίας τῷ ἱερατικῷ θρόνῳ ἀποκαθίσταται, τοῦ ἐκ Μακεδόνων Βασιλείου τὸν θρόνον τῆς βασιλείας τηνικαῦτα παρειληφότος. ὃς καὶ παραυτὰ τὸν μέγαν καὶ νέον θεοφόρον Ἰγνάτιον ἐκ τῆς πολυετοῦς ἐξορίας ἀνακαλεῖται, B καὶ τῇ τοῦ λαοῦ παντὸς αἰτήσει πεισθεὶς, λαμπρῶς καὶ μεθ' ὅσης εἰπεῖν οὐκ ἔνι τιμῆς εἰς τὸν πατριαρχικὸν ἀναβιβάζει θρόνον. ὃ δὴ μαθόντες καὶ οἱ τῶν ἄλλων πατριαρχικῶν θρόνων προεστῶτες, σφόδρα ἡδύνθησαν.

Οὕτως οὖν τοῦ λαμπροῦ τῆς οἰκουμένης φωστῆρος πάλιν τὸν θρόνον ἀπολαβόντος, καὶ ἐπὶ χρόνοις τὸ μέγα Χριστοῦ ποιμάναντος ποίμνιον, μικρὰ ἐπελθοῦσα νόσος τὸν ἤδη παντοίως καταπεπονημένον κοιμίζει τὸν κατὰ Θεὸν ὕπνον, καὶ προστίθησι τοῖς πατράσιν αὐτοῦ ἐν γήρει βαθεῖ, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς μνήμης τοῦ θεαδέλφου Ἰακώβου, καὶ C κατατίθεται ἐν τῇ τοῦ Σατύρου μονῇ, ἣν αὐτὸς ἐδομήσατο. ὅτε δὴ καί τι τοιοῦτον τεθαυματούργηται. τῆς γὰρ θαλάσσης ἀγριουμένης· διὰ γὰρ ταύτης ἔδει μετακομισθῆναι τὸ ἱερώτατον λείψανον· ἀθρόον γαλήνη ἐγένετο, καὶ οὕτως ἐν ἱλαρότητι τὸ πάνδημον πλῆθος τὸ συνεπόμενον διεπεραιώθη πρὸς τὴν τοῦ Σατύρου μονήν. τούτῳ δὴ ἔτι ζῶντι καὶ ἕτερον ἀξιάγαστον ἐθαυματουργήθη. ἐν γὰρ ταῖς ἐξορίαις κατατρυχομένῳ, καὶ ἄλλον ἐξ ἄλλου τόπον ἀμείβοντι, καὶ κατὰ Μιτυλήνην γεγονότι, ἐπεὶ ἐν αὐτῇ ποταμός τις Λύκος οὕτω καλούμενος, ὑπερχειλὴς τηνικαῦτα ἔρρει, καὶ δυσδιάβατος ἦν, ἄραντι τὰς χεῖρας ὕψου, D δι' εὐχῆς τὸ πολὺ τοῦ ὕδατος ἀθρόον κατεστορέσθη. εἰ δ' ὅσα ζῶν τε καὶ μετὰ θάνατον πράσια ὁ τοῦ Θεοῦ μιμητὴς διεπράξατο, διηγήσασθαι ἐγχειρήσω, οὐκ ἂν δυνηθείην, ὡς οὐδὲ ἄμμον θαλάσσης διαμετρῆσαι. ἀλλ' ὦ Θεοῦ ὄντως ἄνθρωπε· πρὸς σὲ γὰρ τὸν λόγον τρέψω· νῦν ἄνωθεν ἐποπτεύοις ἡμᾶς, ὁ μηδὲ ἀποδέων ἀγγέλου, ἅτε μᾶλλον τοῦ σώματος λελυμένος, καὶ τὰς πέδας τῆς ἰλύος ἀποβαλών. εἰ γὰρ ἔτι τῇ σαρκὶ ὡς παραπετάσματι καλυπτόμενος, βασιλικῶς διὰ τοῦ νοὸς περιαθρεῖν εἶχες τὰ ἀξιά σου θεάματα, πῶς κατὰ τὸν μέγαν τῆς οἰκουμένης λαμπτῆρα τὸν Ἀθανάσιον καὶ τοὺς κατ' αὐτὸν διδασκάλους, οὐκ ἂν νῦν E ἡμᾶς ἐποπτεύειν δυνήσαιο; καὶ ἡ ψήφῳ γὰρ Θεοῦ συγκροτηθεῖσα σύνοδος πάλαι τοῦτο προεθέσπισεν, οὕτω γράψασα· εἴ τις οὐκ αὐτοὺς λέγει τοὺς ἁγίους ἡμῖν ἐπιφαίνεσθαι, ἀλλὰ τοὺς τούτων, φησὶν, ἀγγέλους, ἔστω ἀνάθεμα. ἀλλ' ἐπόπτευε καὶ συντήρει ἡμᾶς.

Λίβελλος περιέχων πάντα τὰ κατὰ τὸν μέγαν Ἰγνάτιον, πεμφθεὶς πρὸς Νικόλαον πάπαν Ῥώμης, προσωποποιηθεὶς ὑπὸ Θεογνώστου μοναχοῦ καὶ

VITA IGNATII PATRIAR.

A dia fameque torquetur. Tum mundi conditor Deus ingenti tremore nutu terram concuſſit, ut patriarchæ, eorumque qui patriarchæ cauſa e clero damnati erant, adverſarios talia decernentes coërceret, percelleretque. Sed non erat qui intelligeret. Fraus quidem, & damnationis ſententia principum in ſanctum propter inceſtos Bardæ thalamos, aperta erat: ſed occulta rei perficiundæ cauſa, quod patriarcha imperatoris matrem & ſorores tondere recuſarit. Enimvero hi juſto Dei judicio dira cæde pœnas dedere; iniqua vero ſententia damnatus Ignatius, ingenti cum gloria ſacrum tribunal recuperavit, B ſimul ac Baſilius Macedo imperium accepit: qui continuo eximium & novum hunc deiferum Ignatium, ex diuturno exilio revocatum, permotus univerſi populi poſtulatis, ſummo cum honore, ſummaque veneratione in patriarchium reſtituit. Quod cum reliqui orientis antiſtites accepiſſent, ingenti omnes gaudio ſunt perfuſi.

Cum ergo clariſſimum orbis terrarum ſidus thronum recepiſſet, ac poſtea aliquot inſuper annos magnum ovile Chriſti paviſſet, laboribus immenſis exhauſtum tenuiculus morbus in domino quieſcentem ſopivit, patribuſque ſuis ultima confectum C ſenecta, ipſo die memoriæ S. Jacobi quem fratrem domini appellamus, extinctum appoſuit, & in Satyri cœnobio, quod ipſe condiderat, depoſuit. Quo tempore hoc miraculum accidiſſe ferunt. Mari ſæva tempeſtate concitato (nam per hoc ſanctiſſimi corporis exuviæ tranſportandæ erant) ſubito ſucceſſit ſumma ſerenitas, adeoque ingenti cum lætitia populus univerſus ſacrum funus proſecutus, ad Satyri ædem ſacram trajecit. Quin & vivo alterum quiddam admiratione dignum evenit. Dum in exilio afflictus degeret, & locum ex loco mutaret, atque Mitylenæ verſaretur, Lycus amnis vocitatus, ripis effuſus late D ſtagnabat, ægreque vadari poterat; cum ſublatis hic in cælum manibus, ſtatim precibus ſuis ingens agmen aquarum repreſſit. Quod ſi cuncta quæ Dei imitator vivus mortuuſque ſigna prodigiave patravit, coner exponere, non minus id quam arenam numerare poſſim. Sed o vere vir cæleſtis (nam te mea compellat oratio) qui nihil admodum a beatis angelorum differs cœtibus, jamque ab omni concretione corporis liber, corporis nempe ſeu limi compedibus expeditus; e cælo nos modo reſpice. Etenim ſi corporis nube tectus, regia tamen mente circumſpicere cuncta E potuiſti, quæ te ſpectacula decebant, quomodo non ex magni Athanaſii publicæ mundi facis aliorumque doctorum ſententia, jam & non poſſis reſpicere? Nam Dei voluntate coacta ſynodus olim hoc decreverat, cum ita cenſeret: Si quis non ipſos ſanctos nobis apparere, ſed horum dumtaxat angelos dicat, anathema ſit. Sed tu reſpice nos, ac tuere.

*Libellus de tota Ignatii cauſa miſſus ad Nicolaum papam Romanum, Ignatii patriarchæ nomine a Theognoſto monacho & archiman-*

VITA IGNATII PATRIAR.

*mandritæ veteris Romæ, & exarcho Conſtantinopolitano ſcriptus.*

*Ignatius tyrannide oppreſſus, multiſque ærumnis conflictatus, & qui mecum infelicia tempora experti ſunt, metropolitani decem & quindecim epiſcopi, cœnobiarcharum inſuper ac presbyterorum, monachorumque infinita multitudo, ſanctiſſimo domino noſtro & beatiſſimo præſidi, cunctarum ſedium patriarchæ, S. Petri principis apoſtolorum ſucceſſori, œcumenico papæ Nicolao, epiſcopiſque illius ſanctiſſimis, & ſapientiſſimæ eccleſiæ Romanæ univerſæ in domino ſalutem.*

*Jer. 9.* Quis dabit capiti meo, ut eſt in ſacris literis, aquam, & oculis meis fontem lacrymarum; & deplorabo mala quæ acciderunt mihi; & eorum qui me perſequuntur, barbaricam immanitatem? Frigore enim & nuditate, fameque & extremis malis omnibus infeſti me hoſtes & alaſtores exagitarunt. Quindecim ipſos dies acerrimo frigore, locoque gelidiſſimo, ergaſtulo me occulto tenebricoſoque rebus deſtitutum omnibus incluſerunt, vinculiſque conſtrinxerunt, ita ut ad me adire nemini viſendi cauſa liceret, morbo jam alias gravi laborantem: crudelem inſuper in modum ceciderunt, omneſque artus meos verberibus afflixerunt. Cauſam porro, ex qua hæc in me mala redundarunt, ecce jam totam expono:

Verſabar in palæſtra & lucta cum imperatoris avunculo tyrannidem exercente Barda, quem ego gladio ſpiritus, ſeu verbo Dei everberare non deſinebam; qui contra me minis inſidiiſque appetebat.

Argumentum & cauſa reprehenſionis erat Herodianum in Barda exemplum & inceſtus. Eum contumacem, neque reſipiſcentem ab eccleſia rejeci. Deinde imperator ipſe modo pro illo deprecabatur, modo atrociter minabatur, niſi avunculum in gratiam reciperem. Poſtquam vero impulſus a Barda ſtatuit matrem cum ſororibus a palatio ſubmovere, præcepit mihi ut illas attonderem: quas ego invitas tondendas non exiſtimavi. Has ergo ob cauſas a throno deturbatus ſum, & pulſatus atque eliminatus, & in cuſtodia vinculiſque, cum iis qui mecum fuere ſenſeruntque, eadem paſſis, detentus ante judicum veſtrorum adventum. Cum autem ad vos literas, quibus epiſcopos ſtatum rerum omnium docebamus, per Laurentium presbyterum & duos Stephanos dediſſemus (quorum alter ſubdiaconus, alter laicus) illos etiam ſacramento adegimus, uti eas ipſi manu ſua tuæ ſanctitati porrigerent, nihil egere.

Nos vero ut juſſi ſumus ad tribunal Caiphano non abſimile comparere, ad ſanctitatis veſtræ judicium magno clamore provocavimus. Sed non erat qui nos audiret. Deinde rurſum citati rogavimus: Quomodo nos, o patres, jubetis comparere? ut monachos & damnatos, an ut judicandos? Qui renuntiarunt: Perinde ut digni eſtis. Sacro igitur ornatu induti ad concilium, immo latrocinium, perreximus: cumque jam prope abeſſemus, ſubmiſit tyran-

ANNO CHRISTI 869.

ἀρχιμανδρίτου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ ἐξάρχου Κωνσταντινουπόλεως, εἰς ὄνομα Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου.

Ἰγνάτιος ὁ τυραννηθεὶς, καὶ πολλοῖς πειρασμοῖς προσωμιληκὼς, καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ τούτων τῶν καιρῶν πεῖραν λαβόντες, δέκα μητροπολῖται, δέκα πρὸς τοῖς ε ἐπίσκοποι, ἡγουμένων τε καὶ πρεσβυτέρων καὶ ἑτέρων μοναχῶν πλῆθος ἄπειρον, τῷ δεσπότῃ ἡμῶν τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ προέδρῳ καὶ πατριάρχῃ πάντων τῶν θρόνων, καὶ τοῦ κορυφαίου διαδόχῳ, καὶ οἰκουμενικῷ Νικολάῳ πάπᾳ, καὶ τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἁγιωτάτοις ἐπισκόποις, καὶ πάσῃ τῇ σοφωτάτῃ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

*Eodem Radero interprete.*

ΤΙΣ δώσει τῇ κεφαλῇ μου ὕδωρ, κατὰ τὸ λόγιον, καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς μου πηγὴν δακρύων· καὶ κλαύσομαι τὰ συμβεβηκότα μοι κακὰ, καὶ τὴν τῶν διωκόντων με βαρβάρων ἀπήνειαν; ἐν ψύχει γάρ με καὶ γυμνότητι καὶ λιμῷ καὶ παντοίοις ἄλλοις κακοῖς ἐξήτασαν οἱ ἀλάστορες. δεκαπέντε ἡμέρας ἐν καταψύχῳ καὶ τόπῳ καὶ χρόνῳ, ἔν τινι παρ' αὐτοῖς ἀπορρήτῳ εἰσκατακλείσαντες δωματίῳ ἀδάπανόν τε καὶ ἀνεπισκόπητον, κατεδέσμευσαν, καὶ ταῦτα νόσῳ βαρείᾳ προκατειλημμένον, αἰκίζοντές τε δεινῶς, καὶ πᾶν μέλος συνθλῶντες ῥάβδοις. ὅθεν δὲ ταῦτά μοι συνεκύρησεν, ἰδοὺ γράφω.

Προϋπῆρχον ἐν πάλῃ καὶ μάχῃ πρὸς τὸν τοῦ βασιλέως θεῖον Βάρδαν τὸν τυραννήσαντα, καὶ παίων τοῖς τοῦ πνεύματος λόγοις οὐκ ἐπαυόμην· ἀντετυπτόμην δὲ ταῖς ἀπειλαῖς καὶ ἐπιβουλαῖς.

Ἡ δ' αἰτία, ὅτι ἤλεγχον τοῦτον διὰ τὴν Ἡρωδιακὴν χαμαιτυπίαν· καὶ μὴ πειθόμενον ἔξω ἐθέμην τῆς ἐκκλησίας. ἐπὶ τούτοις ὁ κρατῶν ποτὲ μὲν ἐδυσώπει με, ποτὲ δ' ἠπείλει τὰ δεινὰ, εἰ μὴ πεισθείην δέξασθαι τὸν θεῖον αὐτοῦ. ὡς δὲ τούτῳ πεισθεὶς ὁ κρατῶν ἠβουλήθη τήν τε μητέρα καὶ τὰς ἀδελφὰς ἐξοστρακίσαι τῶν βασιλείων, ἐγκελεύεταί μοι κεῖραι αὐτάς. ἐγὼ δ' οὐκ ἐπειθόμην, διὰ τὸ τῶν γυναικῶν περὶ τὴν κουρὰν ἀκούσιον. διὰ ταῦτα γοῦν καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀπηλάθην, εἶτα καὶ ἐτυπτήθην, καὶ ἐξωρίσθην, καὶ δέδεμαι, καὶ κέκλεισμαι πρὸ τῆς τῶν καθ' ὑμᾶς κριτῶν ἐνδημίας· καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ δὲ ταῦτα πεπόνθασιν. αἱ δὲ παρ' ἡμῶν δοθεῖσαι τοῖς ἐπισκόποις ἔγγραφοι πίστεις, ἤγουν ἐπιστολαὶ, διὰ τοῦ πρεσβυτέρου Λαυρεντίου καὶ τῶν δύο Στεφάνων, τοῦ τε ὑποδιακόνου καὶ τοῦ λαϊκοῦ, οὓς καὶ ἐνορκώσαμεν, ταῖς χερσὶ τῆς σῆς ἁγιότητος αὐτὰς ἀποδοθῆναι, ἄπρακτοι μεμενήκασιν.

Ὡς δὲ παραστῆναι ἐκελευόμεθα εἰς τὸ Καϊαφαϊκὸν ἐκεῖνο κριτήριον, ἐκράξαμεν ἐπὶ τὴν ὑμῶν ἁγιότητα προκαλούμενοι κριθῆναι. ἀλλ' οὐδεὶς ἦν ὁ ἀκούων. μετὰ τοῦτο μετάκλητοι πάλιν γενόμενοι ἠρωτήσαμεν· πῶς κελεύετε ἡμᾶς, ὦ πατέρες, πρὸς ὑμᾶς παραγενέσθαι; ὡς μοναχοὺς καὶ καταδίκους, ἢ ὡς κριθησομένους; καὶ ἀντεπέμψαν ἡμῖν· ὅτι ὡς ἐστὲ ἄξιοι. ἐφορέσαμεν οὖν τὰς ἱερατικὰς στολὰς, καὶ οὕτως ἐχωροῦμεν πρὸς τὸ συνέδριον, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν λῃστήριον. καὶ ὡς πλησίον γενόμενοι, πέμψας ὁ τύραννος ἐπὶ τὴν λεωφόρον, τὴν ἱερὰν ἀ-

ποδύει



ANNO CHRISTI 869.

ποδύει στολήν. εἶτα ὡς ἔνδον τοῦ νεὼ συνωθίσθημεν, ἀποστέλλονται πρὸς ἡμᾶς οἱ προρρηθέντες τρεῖς τῶν κριτῶν ὑπηρέται, ὅ, τε Λαυρέντιος καὶ οἱ δύο Στέφανοι, καὶ εἶπον πρός με· τί ὅτι κατεγνωσμένος ἐπὶ τοσαύταις αἰτίαις καὶ καθῃρημένος, τὴν ἱερὰν ἐτόλμησας περιβαλέσθαι στολήν; ἀποσπάσαντες οὖν με τῶν σὺν ἐμοὶ βίᾳ, μόνον τῷ κρατοῦντι παρέστησαν. καὶ κρατῶν εὐθὺς ὕβρεσι πλύνει με. ἐμοῦ δὲ φιλανθρωποτέρας τὰς ὕβρεις τῶν βασάνων εἰπόντος, μικρὸν κατέπαυσε τὸν θυμὸν, καὶ εἰς ξυλόσκαμνον καθεσθῆναί με ἐκέλευσε. καὶ διαλόγου μεταξὺ γεγονότος, " Ῥαδούλδον καὶ Ζαχαρίαν ἐζήτουν προσαγορεῦσαι τοὺς τοποτηρητάς. καὶ ἐνδοθέντος μοι, προσηγόρευσα· οὓς καὶ ἠρόμην τὴν ἐπιδημίας τῆς σφῶν αἰτίαν. οἱ δὲ εἶπον· τοποτηρηταί ἐσμεν Νικολάου πάπα Ῥώμης, καὶ ἀπεστάλημεν κρῖναι τὰ κατὰ σέ. πάλιν ἠρόμην, εἰ γράμμα μοι κεκομίκασι τῆς ἁγιωσύνης σου. οἱ δὲ εἶπον, μὴ ἔχειν, διὰ τὸ μηδὲ πρὸς πατριάρχην ἐστάλθαι, ἀλλὰ πρὸς τὸν ὑπὸ τῆς οἰκείας συνόδου καθαιρεθέντα, καὶ ἕτοιμοί ἐσμεν τὰ κατὰ κανόνας πράττειν. οὐκοῦν, ἔφην ἐγὼ, πρότερον ἐκ μέσου τὸν μοιχὸν ποιήσατε· εἰ δὲ μὴ τοῦτο δύνασθε, οὐδὲ κριταί ἐστε. ἐκεῖνοι δὲ ἀντέφησαν πάλιν, δείξαντες τῇ χειρὶ τὸν κρατοῦντα· οὕτω θέλει ἐκεῖνος. ἐπὶ τούτοις πρὸς παράκλησιν μετέπεσον οἱ περὶ τὸν βασιλέα, καὶ τὴν ἀπόταξιν ἐζήτουν, ποτὲ μὲν παραινοῦντες, ποτὲ δὲ καὶ ἀπειλοῦντες· ἀλλ' οὐκ ἔπειθόν με. διὸ καὶ πρὸς τοὺς μητροπολίτας ἐτράπησαν, ἄλλους ἄλλως διαβάλλοντες καὶ αἰτιώμενοι, ὅτι τὴν ἀπόταξιν τὴν ἐμὴν τάχα αὐτοὶ ἔφερον, καὶ πῶς πάλιν ζητοῦσί μου πατριαρχεῖν; πρὸς οὓς οἱ μητροπολῖται ἀντεῖπον· ὅτι δύο κακῶν προκειμένων, τοῦ τε βασιλικοῦ θυμοῦ, καὶ τῆς τοῦ πλήθους ἐπαναστάσεως, τὸ κουφότερον ἐξελεξάμεθα τότε. ἀλλ' ὑμεῖς οἱ περὶ τὸν βασιλέα ἀπόδοτε τὸν θρόνον τῷ πατριάρχῃ, καὶ περὶ ἡμῶν μὴ φροντίσητε. ἀλλ' ἐν τούτοις πάλιν πρὸς παράκλησιν ἐχώρουν οἱ βασιλικοὶ, αἰτοῦντες ἐμὲ καθαρῶς ἀποτάξασθαι, καὶ οὕτω τὸν μοιχὸν τὴν ἐκκλησίαν ἀδεῶς κατέχειν. ὡς δ' οὐκ ἐπειθόμην, παρῆλθεν ἡ ἡμέρα ἐκείνη. ἐπὶ τούτοις διελύθη τὸ σύστημα· τὸ αὐτὸ δὲ ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἐποίουν. ὡς δὲ τοῦ σπουδαζομένου ἀπέτυχον, ἐπὶ ἕτερον μηχανῆς εἶδος τρέπονται, καὶ τοὺς προρρηθέντας τῶν κριτῶν λειτουργοὺς πέμψαντες, εἰς τὸ συνέδριον προκαλοῦνταί με. ἐγὼ δὲ ἔφην, ὅτι κἀκεῖ οὐκ ἔρχομαι· οὐδὲ γὰρ οἶδα ὑμᾶς τοὺς κριτὰς κατὰ βαθμὸν ἐκκλησιαστικόν τι πράττοντας, ἐπεὶ οὐδὲ τὸν ἐπιβήτορα ἐκ μέσου πεποιήκατε, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ συνεσθίετε τούτῳ, καὶ τὰ δῶρα αὐτοῦ μακρόθεν ἐδέξασθε. κατὰ γὰρ τὴν Ῥαιδεστὸν ὑμῖν αὐτὰ ἀπηντήκασιν, ἱμάτιά τε καὶ φελώνια, καὶ ἐγκόλπια. ὑμᾶς ἐγὼ κριτὰς τοιούτους οὐ δέχομαι, ἀλλὰ πρὸς τὸν πάπαν με ἀπαγάγετε, κἀκεῖθεν τὴν κρίσιν ἀσμένως δέχομαι.

" Ῥαδόαλδον.

Τοῦτο καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ πάντες ἐξεβόησαν. εἶτα τὰς προδηλωθείσας ἐπιστολὰς ἀναγνῶναι ἐζητήσαμεν αὐτούς. κανονικαὶ γὰρ ἀποδείξεις ἐν αὐταῖς ἐνεφέροντο τοῦ Ἰννοκεντίου πάπα ὑπὲρ τοῦ ἐν ἁγίοις Χρυσοστόμου· ὅτι οὐ δεῖ Ἰωάννην εἰς τὸ δικαστήριον εἰσελθεῖν, πρὶν αὐτὸν εἰς τὸν οἰκεῖον ἀποκατασταθῆναι θρόνον· καὶ τῆς ἐν Σαρδικῇ κανὼν δ'. ὡς ἐάν τις ἐπίσκοπος καθαιρεθῇ, καὶ λέγῃ πάλιν ἔχειν ἀπολογίαν, μὴ πρότερον εἰς τὴν καθέδραν αὐτοῦ ἕτερον

LIBELLUS IGNATII.

nus in publicam viam, qui ſacris nos veſtibus exuerent. Cumque jam ad templum protruſi eſſemus, tres prædicti judicum viatores, Laurentius & duo Stephani ad nos mittuntur. qui ad me: Quid tu, inquiunt, tot ob crimina damnatus exauctoratuſque, ſacram tamen ſtolam auſus es induere? Ergo me per vim a meis avulſum ſolum ad imperatorem ſiſtunt, qui me contumeliis extemplo onerat. Reſpondente porro me, convicia paulo mitiora eſſe tormentis, paululum repreſſit furorem, juſſitque in ligneo ſcamno me ſedere. Interim cum verba ultro citroque fierent, rogavi ut Rhodoaldum & Zachariam legatos tuos liceret mihi ſalutare. factaque poteſtate eos conſalutavi, atque interrogavi, quid adeſſent. Legati, inquiunt, ſumus Nicolai papæ Romani, cauſæ tuæ cognoſcendæ gratia miſſi. Quærenti rurſum, an a ſanctitate tua literas ad me haberent, reſponderunt, nullas ſe habere; eo quod, ajebant, non ad patriarcham, ſed ad eum qui in provinciali concilio ſuo damnatus eſſet, veniremus, parati omnia ex canonum decretis definire. Ergo, inquam, prius adulterum removete: quod ſi facere non poteſtis, ne judices quidem eſtis. Qui manu imperatorem indicantes: Ita imperat, inquiunt, ille. Deinde palatini ad me converſi hortantur, exiguntque nunc conſulendo, nunc minitando, abdicationem: ſed fruſtra. Ergo ad metropolitanos verſi, alios aliis calumniis & criminationibus inſectantur, cur ſcilicet, qui jam depoſitioni meæ non repugnaſſent, nunc denuo me patriarcham peterent? Quibus metropolitæ: Duobus, inquiunt, malis propoſitis, ira nempe imperatoris, ac populi ſeditione, minus ſcilicet elegimus. At vos palatini proceres reddite nunc patriarchæ noſtro dignitatem ſuam, & de nobis nihil laborate. Hic rurſum regia factio me impellit, uti mea ſponte me palam patriarchatu abdicem, atque ita ſecurus adulter eccleſiam teneat. Recuſante me, cum dies abiiſſet, conventus eſt dimiſſus. Idem poſtea cum ſæpius fruſtra tentaſſent, ad alias artes ſe convertunt, ſupraque nominatos judicum miniſtros ad me ablegant, atque ad conciliabulum citant. Ego vero, inquam, non compareo, neque video vos judices quidquam ex præſcripto eccleſiæ agentes, Photio tyranno non ejecto, ad cujus etiam menſam accumbitis, & cujus munera procul etiam ſtantes accepiſtis. Ad Rhædeſtum enim urbem vobis miſſæ veſtes, planetæ, ornamenta ad ſinum pendentia. Hujuſcemodi ego judices non agnoſco: ad papam provoco; lubens judicium illius ſubibo.

Hoc idem qui mecum erant magna voce clamitarunt. Deinde, ut dictæ epiſtolæ legerentur, poſtulavimus, quæ canonicas Innocentii papæ pro ſancto Chryſoſtomo ſanctiones continebant, Joanni concilium judicum non prius eſſe ſubeundum, quam is loco ſuo thronoque eſſet reſtitutus. Et in Sardicenſi concilio canon quartus: Si quis epiſcopus fuerit depoſitus, dicatque ſe habere defenſionem; non prius ſufficiatur in ejus locum alius, quam

LIBELLUS IGNATII.

ANNO CHRISTI 869.

de eo Romanæ eccleſiæ pontifex decernat.
Hæc & alia id genus multa illis epiſtolis
continebantur; quæ uti quæras legaſque,
te patrum & antiſtitum reverendiſſime,
fratrumque amantiſſime, rogamus. Cum
vero nihilo minus adhuc nos urgerent,
uti ad ſe veniremus, ita teſtati ſumus:
Ut apparet, patres mei, neque canones
legiſtis, neque decretum eccleſiaſticum
noſtis. Lex enim eſt hæc, ut citatus a
ſynodo epiſcopus, per duos epiſcopos vo-
cetur; & hoc iterum ac tertio. Vos au-
tem per duos me accerſitis, diaconum al-
terum, alterum laicum. Et nos quidem
hæc excuſabamus. Illi vero teſtes produ-
xere, qui dicerent, ſe paratos eſſe jure-
jurando confirmare, me non rite & lege
creatum conſecratumque eſſe. Hic ego:
Qui ſunt, inquam, illi? quis illis cre-
dat? Quis vero canon decernit, ut impe-
rator teſtes producat? Ergo, ſi ego ar-
chiepiſcopus non ſum, ne tu quidem im-
perator es; neque iſti epiſcopi, ſed ne-
que mœchus, omnes enim vos indignis
manibus meis precibuſque eſtis conſecrati.
Si adulter membrum eſſet eccleſiæ, vel
mea ſponte annuerem: nunc vero alie-
num quomodo paſtorem ovium Chriſti
conſtituam? Multa huic adverſantur.
Primum, ex iis quod ſit, qui ab ec-
cleſia damnati, & anathemate præciſi,
qui quidem id non a nobis dumtaxat paſſi
ſunt, & aliis quoque patriarchis, ſed &
ab ipſa veſtra poteſtate, cum illis per ne-
farium Zachariam interdictum eſſet, ne ſa-
cris operarentur, neve communicarent,
aut ſacris quemquam initiarent: qui ta-
men his contraria omnia, priuſquam cen-
ſura ſolverentur, factitarunt. Alterum eſt,
Photium forenſem ſeu militarem & lai-
cum, prius creatum eſſe paſtorem, quam
fuiſſet ovis. Præterea, eumdem ab excom-
municato & exauctorato conſecratum. Quin
etiam quando metropolitanis perſuaſit ut
ſuas partes ſequerentur, dedit poſtulantibus
chirographum de me, & juratus ſcripſit, ni-
hil ſe præter mea dicta veluti germani patris
eſſe facturum. Nec omnino dies quadraginta
ab ejus inauguratione fluxerant, cum ille me
publice quamvis abſentem depoſuit, & ana-
themate damnavit. Archiepiſcopo quoque
Cyziceno, mandato Photii, digiti fracti,
exemplumque, ut is putavit (ſibi ſatis eſſe)
chirographi ſurreptum; & ipſe de throno de-
jectus eſt. Alios vero vexando, alios donis
placando adduxit, ut chirographum quod de
me ſcripſerant, peſſumdarent. Ad quæ ty-
rannus reſpondit nihil, ſed ſubornatos ad jus-
jurandum edendum contra me, perinde quaſi
non rite ſancteque promotus & conſecratus
eſſem, teſtes produxit. Hic ego præſentes e-
piſcopos magna voce appellavi. Admittite,
patres, abjectiſſimi ſenis unicam hanc peti-
tionem, atque huc ad nos venite. Ergo ſe-
vocatum me a reliquis tum judices, tum ty-
ranni rogarunt denuo, ut juri meo renuntia-
rem, atque cederem. Recuſanti minitari cœ-
perunt. Tunc carnifices illi epiſcopos mecum
reliquerunt, & ſe ſubduxerunt. Epiſcopi vero
rurſum agere mecum inſtiterunt, (de libello
nempe renuntiationis) quibus ego reſponde-
bam, oportere illos ſtatum cauſæ meæ cogno-
ſcere, ac tum demum a me exigere quod

ἀντικαταστῆναι, πρὶν ἂν τὸν τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας
ἐπίσκοπον ὅρον περὶ τούτου ἐξενεγκεῖν. καὶ ἕτερα δὲ
πολλὰ τοιαῦτα ταῖς ἐπιστολαῖς ἐνεγέγραπτο, ἃ
καὶ ζητῆσαί σε δυσωποῦμεν, πατέρων καὶ προέδρων αἰ-
δεσιμώτατε καὶ φιλαδελφότατε, καὶ ἀναγνῶναι. ἐ-
πεὶ δὲ καὶ ἔτι ἐνέκειντο ζητοῦντες ἐλθεῖν ἡμᾶς
πρὸς αὐτούς, καὶ ταύτην πεποιήκαμεν τὴν ἀπολο-
γίαν· ὡς ἔοικε, πατέρες μου, οὔτε κανόνας ἀνέγνω-
τε, οὔτε ὅρον ἐκκλησιαστικὸν οἴδατε. ὅρος γάρ ἐστι
τοιοῦτος, ἵνα ὁ καλούμενος ἐπίσκοπος ἀπὸ συνόδου,
διὰ δύο ἐπισκόπων καλῆται, καὶ τοῦτο γίνηται δὶς
καὶ τρίς. ὑμεῖς δὲ ἀπὸ δύο, διακόνου καὶ λαϊκοῦ, ἡ-
μᾶς προσκαλεῖσθε. καὶ ἡμεῖς μὲν τοιαῦτα ἀπελο-
γούμεθα. ἐκεῖνοι δὲ παρήγαγον μάρτυρας τοὺς
λέγοντας, ἑτοίμους εἶναι ὀμόσαι, ὡς ἀψήφιστος
παρεβλήθην καὶ ἐχειροτονήθην. πρὸς ὅπερ ἐγὼ
πάλιν ἀντεῖπον. τίνες οὗτοι; καὶ τίς πιστώσει αὐ-
τοῖς; ποῖος δὲ κανὼν παρακελεύεται, μάρτυρας τὸν
κρατοῦντα παράγειν; οὐκοῦν εἰ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ Ἀρχιε-
ρεύς, οὐδὲ σὺ Βασιλεύς, οὐδ᾽ οὗτοι ἐπίσκοποι, ἀλ-
λ᾽ οὐδὲ ὁ μοιχός. πάντες γὰρ ὑμεῖς τῶν ἀναξίων
μου χειρῶν καὶ εὐχῶν ἐστε ἀποτέλεσμα. εἰ ἐκ τῆς
ἐκκλησίας ἦν ὁ μοιχός, συνένευσα ἂν καὶ ἑκὼν
αὐτῷ· νῦν δὲ ἀλλότριον πῶς καταστήσω ποιμένα
τῶν τοῦ Χριστοῦ προβάτων; πολλὰ τούτῳ τὰ ἐναν-
τία πρόσεστιν. ἓν μὲν, ὅτι ἐκ τῶν ἀκοινωνήτων καὶ
ἀναθεματισμένων ἐστίν. οὐ μόνον δὲ παρ᾽ ἡμῶν τοῦ-
το πεπόνθασι, καὶ τῶν λοιπῶν θρόνων, ἀλλὰ καὶ πα-
ρὰ τῆς ὑμῶν ἐξουσίας ἐπιτιμηθέντες διὰ τοῦ φαύλου
Ζαχαρίου, μὴ ἔχειν αὐτοὺς ἐξουσίαν λειτουργῆσαι,
ἢ κοινωνῆσαι, ἢ χειροτονῆσαι, τοὐναντίον ἅπαντα πε-
ποιήκασι πρὶν λυθῆναι αὐτούς. ἕτερον δὲ, ταξεώ-
της ἦν καὶ ἐκ λαϊκοῦ τάγματος, καὶ πρὶν γενέσθαι πρό-
βατον, ποιμὴν ἐχρημάτισεν. ἔτι γε μὴν, ὅτι καὶ
παρὰ ἀναθεματισθέντος καὶ καθαιρεθέντος ἐχειρο-
τονήθη. ἀλλὰ καὶ ὅτε τοὺς μητροπολίτας ἔπεισε
συνελθεῖν αὐτῷ, ἀπῃτήθη παρ᾽ αὐτῶν ἰδιόχειρον
περὶ ἐμοῦ, καὶ ἔγραψεν ἐνωμότως, μηδὲν πράττειν
παρὰ τὸν ἐμὸν λόγον, ὡς οἰκείου πατρός. καὶ οὔπω
τεσσαράκοντα ἡμέραι μετὰ τὴν χειροτονίαν παρῆλ-
θον, καὶ καθῄρηκέ με δημοσίως, καὶ ἀνεθεμάτισε
μὴ παρόντα. κατέθλασαν δὲ καὶ τοὺς δακτύλους τοῦ
ἀρχιεπισκόπου Κυζίκου κατ᾽ ἐπιτροπὴν αὐτοῦ, καὶ ὑφ-
ήρπασαν, ὡς ἐνόμιζε, τὸ ἴσον τοῦ ἰδιοχείρου αὐτοῦ, καὶ
αὐτὸν δὲ ἐκεῖνον καθῄρησε· καὶ οὓς μὲν κακῶς διέθετο,
ἐφ᾽ ᾧ πατῆσαι τὸ πρὸς με χειρόγραφον· οὓς δὲ δώ-
ροις ἐδεξιώσατο· ἀλλ᾽ ὁ τύραννος πρὸς ταῦτα μὴ
ἀποκριθεὶς, ἀντεπέφερε τοὺς προθυμουμένους ὀμό-
σαι, ὅτι ἀψήφιστος προεβλήθην καὶ ἐχειροτονήθην.
ἐγὼ δὲ πρὸς τοὺς παρόντας ἐπισκόπους ἀνέκραξα.
δέξασθε πατέρες μίαν τοῦ ταπεινοῦ γέροντος δέησιν,
καὶ δεῦτε πρὸς ἡμᾶς. λαβόντες οὖν με μόνον οἵ τε
κριταὶ καὶ οἱ τύραννοι, καὶ τῶν λοιπῶν ἀποδιαστήσαν-
τες, πάλιν ἐξελιπάρουν με περὶ τῶν προτέρων.
ὡς δ᾽ οὐδὲν ἤνυον, πρὸς ἀπειλὰς ἐχώρουν. εἶτα
κατέλειψαν τοὺς ἐπισκόπους οἱ δήμιοι σὺν ἐμοὶ,
καὶ ὑπεχώρησαν. καὶ οἱ ἐπίσκοποι τοῖς αὐτοῖς ἐνε-
χείρουν. ἐγὼ δὲ ἔλεγον, ὅτι χρὴ αὐτοὺς μαθεῖν
τὰ κατ᾽ ἐμέ, καὶ τότε ἀπαιτεῖν με ὃ ἀπαιτοῦσι.
ἄλλοθεν δὲ μαθεῖν ἔχουσιν, ἢ ἀπ᾽ ἐμοῦ μόνου; ἄλ-
λος γὰρ οὐ τολμᾷ ἀπὸ τοσούτου πλήθους τῶν ἡγουμέ-
[illegible] ρων,



ANNO CHRISTI 869.

νων, τῶν ἱερέων, τῶν μοναχῶν τε καὶ λαϊκῶν πεπαρ-
ρησιασμένως λαλῆσαι. εἶδον γὰρ ἐκεῖνοι τὸν μητρο-
πολίτην Ἀγκύρας ἀνακράξαντα τὴν ἀλήθειαν ἐν
τῷ συνεδρίῳ, ὅπως αὐτόχειρ ὁ βάρβαρος τῷ κου-
λεῷ τοῦ ξίφους κατὰ κεφαλῆς ἔπληξε, καὶ αἵματος τὴν
ἐκείνου στολὴν ἔπλησε, καὶ εἰς τοὺς λοιποὺς ὅσα ἔ-
πραξε τὰ δεινά. ταῦτα εἶπον ἐγὼ, καὶ συνθεμένων
ἐκείνων τῇ ὑστεραίᾳ ἐλθεῖν, διέστημεν ἀπ᾽ ἀλλήλων
οἴκαδε. καὶ μετὰ δεκάτην ἡμέραν τῷ Καϊαφαϊκῷ συ-
νεδρίῳ ἀνάρπαστόν με παρέστησαν, καὶ τοὺς καταμαρ-
τυροῦντας, ὅτι ἀψήφιστος προεβλήθην, παρέστη-
σαν. καὶ ὅσας μοι τότε πληγὰς ἐπέθεντο, τί χρὴ λέ-
γειν; ἐν ἑπτὰ γὰρ οὕτω κολασθέντα ἡμέραις ἄσιτον,
ἄϋπνον, ἀκάθιστον διαμεῖναι ἐβιάσαντο. ταῦτα ἐν
ὀλίγῳ ἐδήλωσα. σὺ δὲ ἁγιώτατε δέσποτά μου δεῖξον
ἐν ἐμοὶ σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, καὶ κατὰ τὸν μέγαν Παῦ-
λον εἰπὲ καὶ αὐτός· τίς ἀσθενεῖ, καὶ οὐκ ἀσθενῶ; ἐν-
θυμήθητι τοὺς πρὸ σοῦ πατριάρχας, λέγω δὴ Φα-
βιανὸν, Ἰούλιον, Ἰννοκέντιον, Λέοντα, καὶ ἁπλῶς τοὺς
ὑπὲρ τῆς ἀληθείας κατὰ τῆς ἀδικίας ἀνδρισαμένους· καὶ
ζήλωσον τούτους, καὶ εἰς τὴν ἡμῶν τῶν ἀδικηθέντων
τοσαῦτα ἐκδίκησιν διανάστηθι.

Ἐκ τῶν πρακτικῶν τῆς συνόδου τοῦ ἁγιωτάτου
πάπα Ῥώμης.

## ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΝΙΚΟΛΑΟΥ.

Νικόλαος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ Ἀπο-
στολικῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας, πᾶσι τοῖς τῆς
ἀληθοῦς θρησκείας λειτουργοῖς, τοῖς ἁγιωτάτοις
τε καὶ εὐλαβεστάτοις πατριάρχαις, καὶ μητροπο-
λίταις, καὶ τοῖς λοιποῖς ἐπισκόποις καὶ κληρικοῖς,
καὶ πᾶσι πιστοῖς τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν τε καὶ Εὐρώ-
πην καὶ Λιβύην συνεστῶσι.

ΓΝΩΣΤΟΝ προφέρομεν τῇ ὑμετέρᾳ ἀγάπῃ
περὶ τῶν παρ᾽ ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς ἀποστελλομένων
γραφῶν, ὅτι τοιοῦτον αὐτῶν ἐστὶ τὸ ὕφος μετὰ προση-
κόντων γραφικῶν τε καὶ κανονικῶν ἀποδείξεων.

α´.

Ἐν πρώτῳ μὲν τόπῳ ἐστὶ προοίμιον ἐν συντόμῳ
δηλοῦν ἀνέκαθεν ἅπαντα τὰ ἐν Κωνσταντινουπόλει
συνδεδραμηκότα· ὅτι Μιχαὴλ ὁ περιβόητος, καὶ
Βάρδας ὁ τούτου μητράδελφος Καῖσαρ, τὸν σοφὸν αὐ-
τῶν Ἀρχιερέα τῆς ἰδίας μετέστησαν ἕδρας, οὐ τῆς ἀρχιε-
ρωσύνης· μένει γὰρ Ἀρχιερεὺς παρὰ τῷ Θεῷ· οἳ ἔ-
στειλαν πρὸς ἡμᾶς ἐπιστολὴν μετὰ ἀποκρισιαρίου, κα-
τηγορήσαντες ἔν τινι τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν καὶ ἐπισκόπου Ἰγνα-
τίου, ἅμα δὲ διηγουμένην καὶ περὶ τῶν σεπτῶν εἰκόνων,
καὶ ὅτι ἀπεστείλαμεν τῆς καθ᾽ ἡμᾶς Ἀποστολικῆς κα-
θέδρας ἀποκρισιαρίους καὶ συνεπισκόπους δύο, ἐντει-
λάμενοι αὐτοῖς τὰ πρακτέα.

β´.

Ἐν δευτέρῳ δὲ, ἡ γραφὴ περιέχει ἐπιστολὰς δύο,
ἃς ἐπέμψαμεν πρὸς τὸν γαληνότατον βασιλέα Μι-
χαὴλ περὶ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἰγνα-
τίου, πῶς καὶ διατί ἐξεβλήθη, καὶ περὶ τῶν ἁγίων
εἰκόνων. ἀλλὰ καὶ πρὸς Φώτιον, ὅτι οὐδόλως αὐτὸν
ἐν κλήρῳ ἀποδεχόμεθα, ἕως ἂν ἀκριβῶς παρὰ τῶν
ἡμετέρων ἀποκρισιαρίων τὰ κατ᾽ αὐτὸν ἐξετασθῇ, καὶ
ἡμῖν δοθῇ εἴδησις.



EPISTOLA NICOLAI PAPÆ.

poſtularent: nec illos aliunde, niſi a me
uno res meas poſſe dicere; quod aliorum
nemo de tanta multitudine hegumenorum,
ſacerdotum, monachorum & laicorum au-
deret libere loqui. Viderant enim Ancy-
ranum metropolitanum, quod in concilio
liberius pro veritate locutus eſſet, a nefa-
rio ipſo parricida vagina gladii ſecundum
caput ita vulneratum, ut ejus veſtem ſan-
guine perfunderet. Viderant quæ item in
alios immaniter idem auſus eſſet. Hæc ego
cum commemoraſſem, illi conventum in
ſequentem diem indixerunt. Et ſeparati do-
mum petivimus. Poſt decimum vero diem
me ad Caiphanum tribunal raptatum abdu-
xerunt, teſteſque qui me non legitime crea-
tum dicerent, appoſuere. Quid hic dicam
me tot plagis afflictum? ſeptemdiali ine-
dia, vigilia, ſtationeque perpetua crucia-
runt. Hæc ſumma cauſæ compendio expo-
ſita. Tu ſanctiſſime domine, oſtende in
me viſcera miſerationum, & cum magno
apoſtolo & ipſe dicas: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* (1. Cor. 11.) Intuere majores tuos pa-
triarchas, Fabianum, inquam, Julium, In-
nocentium, Leonem, & omnes denique qui
pro fide & veritate viriliter decertarunt: il-
loſque æmulare, & vindex pro nobis tam
indigna paſſis exurge.

*Ex actis ſynodi ſanctiſſimi papæ Romani.*

## EPISTOLA NICOLAI.

*Nicolaus epiſcopus ſanctæ catholicæ & apoſto-
licæ Romanæ eccleſiæ, omnibus veræ pieta-
tis cultoribus, ſanctiſſimis & religioſiſſimis
patriarchis, metropolitis, & ceteris epiſco-
pis clericiſque, & omnibus qui ſunt in
Aſia, Europa, Libya fidelibus.*

NOtum facimus caritati veſtræ de ſcri-
ptis noſtris, quæ ad vos mittuntur,
illorum ejuſmodi eſſe contextum & filum,
cum demonſtrationibus quæ ibi fiunt ex
ſcripturis ſacris & canonibus.

I.

Primo quidem loco procemium eſt, quod
ſummatim complectitur omnia prius Con-
ſtantinopoli tranſacta; a Michaele nempe
illo famoſo, & Barda ejus avunculo Cæ-
ſare, eorum patriarcham Ignatium virum
ſapientem, a ſede ſua, non patriarchatu
(nam patriarcha vere eſt apud Deum) de-
jectum; miſſaſque ab illis ad nos cum le-
gato litteras, quibus fratrem noſtrum &
epiſcopum Ignatium de nonnullis accuſa-
runt, ſimulque de venerandis imaginibus
egerunt. A nobis autem miſſos eſſe duos
ſedis noſtræ coepiſcopos legatos, quibus
quæ agenda eſſent, præcepimus.

II.

Alterum ſcriptum geminas continet epi-
ſtolas, quas ad ſereniſſimum imperatorem
Michaelem miſimus, quomodo & quam ob
cauſam frater noſter & ſymmyſta Ignatius
fuerit exactus, itemque de imaginibus ſa-
cris. Ad Photium quoque ſcripſimus, eum
a nobis nullo modo inter clerum admitti,
quoad accurate per noſtros apocriſiarios to-
ta illius cauſa excutiatur, nobiſque ſigni-
ficetur.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ.

ANNO CHRISTI 869.

III.

Tertio exponitur, legatos a nobis miſſos, duos epiſcopos, cum imperatoris apocriſiario reverſos, nobis explicaſſe acta concilii, ſeu potius latrocinii, nec non vim & tyrannidem adverſus fratrem noſtrum Ignatium exercitam.

Ut ergo ſacrilege acta didicimus, præſente legato imperatoris, cum tota noſtra eccleſia & concilio impiam hanc actionem anathemati ſubjecimus, Photiumque nunquam a nobis in communionem & ſacerdotium receptum iri declaravimus.

IV.

In quarto capite rurſus epiſtola eſt ad imperatorem, in qua teſtamur, vim Ignatio perinique illatam nullo modo nobis probari. Altera epiſtola ad Photium eſt, illum ad nullum ſacerdotii gradum a nobis recipi.

V.

In quinto exponitur, epiſcopos a nobis ſynodice exauctoratos excommunicatoſque eſſe, & Photium adulterum ac raptorem ſanctæque eccleſiæ Conſtantinopolitanæ invaſorem. Primum, quod in factione ſchiſmaticorum fuerit, qui ſua ſponte ab eccleſiæ ſocietate, & Ignatii coepiſcopi noſtri communione diſceſſerunt, poſtquam ſæpius exauctorati atque a communione rejecti fuerunt. Deinde quod Photius neophytus ex militarium & laicorum cœtu fuerit promotus. Tertio, quod a ſchiſmaticis ante dictis fuerit ordinatus. Præterea, quod in ſuum ipſius chirographum metropolitis pro Ignatio datum perjurus extiterit. Has & alias plures ob cauſas Photium abdicamus, & Photianos. Quod ſi depoſitionem modeſte non ferant, etiam anathematizamus.

Reſtituimus autem Ignatium in ſuam ſedem, omneſque cum illo ejectos in ſuos quemque thronos reducimus.

VI.

In ſexto capite de Theopaſchitis, noſtraque vera religione tractatur.

VII.

In ſeptimo de Rhadoaldo prævaricatore agitur.

VIII.

In octavo eſt admonitio, ne quis veſtrum latrocinali ſynodo contra Ignatium conſentiat & abripiatur, ſed noſtram ſententiam ſequatur. Itemque nos nihil veritos, ne male judicaverimus, hæc ſcripſiſſe. Nam ſedes Petri a nemine judicatur, niſi ab eo qui illi claves regni dedit. Sed vos ut antiquum morem ſervetis, neque judicetis, neque approbetis quidquam ſine noſtra auctoritate. Hæc autem eo ſcripſi vobis, quod non ita pridem venerit ad nos palatinus ſpatharius cum imperatoris epiſtola, qui gloriabatur ab imperatore ſynodum adornari, eo quod nos jam perſcriptam injuriam (Ignatio factam) noluerimus approbare.

IX.

In nono, ſi divinis non parent ſanctionibus, ut mittant Romam fratrem noſtrum Ignatium cum epiſcopis illum ſequentibus, & Photium, ut audiantur, & inter ſe ſincero & incorrupto judicio dijudicentur. Quo pacto quis enim juſtam ab adverſariis ſententiam impetret?

γ'.

Ἐν τρίτῳ χωρίῳ ἔγκειται, ὅτι ὑπέστρεψαν οἱ παρ' ἡμῶν πεμφθέντες δύο ἐπίσκοποι μετὰ καὶ ἀποκρισιαρίου τοῦ βασιλέως. οἳ δὴ ἐπίσκοποι ἐδήλωσαν ἡμῖν τὰ τῆς λῃστρικῆς συνόδου, καὶ τῆς κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν Ἰγνατίου τυραννίδος.

Ὡς ἔγνωμεν παρανόμως γενέσθαι τὰ πραχθέντα, κατ' ὄψιν τοῦ ἀποκρισιαρίου μετὰ πάσης τῆς ἐκκλησίας ἀνεθεματίσαμεν τὴν τοιαύτην ἄθεσμον πρᾶξιν, καὶ ὡς οὔποτε τὴν Φωτίου χειροτονίαν ἢ κοινωνίαν δεξόμεθα.

δ'.

Ἐν τετάρτῳ δὲ κεφαλαίῳ ἐστὶ πρὸς τὸν βασιλέα ἐπιστολὴ, πῶς οὐκ ἐδεξάμεθα τὴν βίαν τὴν ἄδικον, τὴν κατὰ Ἰγνατίου· καὶ πρὸς τὸν Φώτιον ἑτέρα ἐπιστολὴ, ὅτι ἐν οὐδεμιᾷ τάξει τῆς ἱερωσύνης αὐτὸν ἀποδεχόμεθα.

ε'.

Ἀλλὰ καὶ ἐν πέμπτῃ τάξει, ὅτι τοὺς ἐπισκόπους συνοδικῶς ἐκαθῄραμεν καὶ ἀφωρίσαμεν, καὶ Φώτιον ὁμοίως τὸν μοιχόν τε καὶ ἐπιβήτορα τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἁγίας ἐκκλησίας. πρῶτον μὲν, ὅτι τοῦ μέρους ὑπῆρχε τῶν ἀποσχιστῶν, τῶν ἑαυτοὺς ἀποσχισάντων, μετὰ τὸ πολλάκις καθαιρεθῆναι, τῆς ἁγίας ἐκκλησίας, καὶ τῆς τοῦ συνεπισκόπου ἡμῶν Ἰγνατίου κοινωνίας. δεύτερον, ὅτι καὶ νεόφυτος, καὶ ἐκ ταξιωτικοῦ καὶ λαϊκοῦ τάγματος προήχθη. τρίτον, ὅτι ἀπὸ τῶν προειρημένων ἀποσχιστῶν ἐχειροτονήθη. ἔτι γε μὴν ὅτι καὶ ἐναντίως τοῦ ἰδιοχείρου ἔπραξεν, ὃ πρὸς τοὺς μητροπολίτας ἐποίησε περὶ τοῦ Ἰγνατίου. ἀλλὰ καὶ δι' ἕτερα πλείονα καθαιροῦμεν τὸν Φώτιον καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ· εἰ δὲ μὴ στέργουσιν ἡσύχως τῇ καθαιρέσει, καὶ ἀναθεματίζομεν.

Ἀποκαθίσαμεν δὲ τὸν Ἰγνάτιον εἰς τὸν οἰκεῖον θρόνον, καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ ἐκβεβλημένους εἰς τοὺς οἰκείους εἰσάγομεν θρόνους.

ϛ'.

Ἐν ἕκτῃ δὲ ἐρρέθη γραφὴ τὰ περὶ τῶν Θεοπασχιτῶν, καὶ περὶ τῆς ἡμῶν ὀρθῆς πίστεως.

ζ'.

Καὶ ἐν ἑβδόμῃ, τὰ περὶ τὸν παραβάτην Ῥαδόαλδον.

η'.

Καὶ ἐν ὀγδόῃ, παραινέσεις, ἵνα μή τις συναπαχθῇ ὑμῶν τῇ κατὰ Ἰγνατίου λῃστρικῇ πράξει, ἀλλ' ἕπηται τῇ ἡμετέρᾳ γνώμῃ. καὶ ὅτι οὐ δεδιότες ἡμεῖς ὡς παρακρίναντες, ταῦτα ἐγράψαμεν, οὐδὲ γὰρ ὁ Πέτρου θρόνος ὑπ' ἄλλου κρίνεται, ἢ ἀπὸ τοῦ δεδωκότος αὐτῷ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας· ἀλλ' ἵνα ὑμεῖς κατὰ τὸ ἀρχαῖον διαφυλάττητε μὴ κρίνειν, ἢ συναινεῖν ἄνευ τῆς ἡμῶν παραδόσεως. τοῦτο δὲ ἔγραψα, διὰ τὸ κατὰ τὸν παρελθόντα χρόνον ἐλθεῖν πρὸς ἡμᾶς βασιλικὸν σπαθάριον μετὰ καὶ ἐπιστολῆς βασιλικῆς, ἐγκαυχώμενον, ὅτι σύνοδον εὐτρεπίζει ὁ βασιλεὺς, διὰ τὸ μὴ καταδέξασθαι ἡμᾶς τὴν γεγραμμένην ἀδικίαν.

θ'.

Ἐν ἐνάτῃ περιοχῇ, ὅτι ἐὰν μὴ πείθωνται τοῖς θείοις θεσμοῖς, ἵνα ἀποστείλῃ τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν Ἰγνάτιον μετὰ καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, καὶ τὸν Φώτιον, * ὡς ἀναδέξασθαι· καὶ μετ' αὐτοῦ κριθῶσιν ἐν καθαρῷ καὶ ἀπροσωπολήπτῳ συνεδρίῳ· πῶς γὰρ ἄν τις δικαίως κριθήσεται παρὰ τῶν κατηγόρων αὐτοῦ;

* [illegible]

Δι-



ANNO CHRISTI 869.

ι'.

Δέκατον καὶ τελευταῖον συμπέρασμα, ἵνα δέξησθε τοὺς διακόνους τῶν μακαρίων Ἀποστόλων καὶ τῆς ἡμῶν εὐτελείας· καὶ ἔνθα ἂν ἐξαιτῶνται τὴν ὑμετέραν βοήθειαν, ἐπαμύνητε αὐτοῖς κατὰ τὸ ὑμῖν δυνατόν, μάλιστα εἰς τὸν κοινὸν ἀγῶνα. κοινὸς γὰρ ἀγὼν, ἡ τῶν πλανωμένων ἀδελφῶν ἐπιστροφὴ, καὶ πρὸς τὸ κρεῖττον ἐπίγνωσις, τῶν Ἀρμενίων δηλονότι.

Νικόλαος ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν τοῦ Θεοῦ δούλων, τῷ ἁγιωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ Ἰγνατίῳ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως.

ΦΡΑΣΑΙ οὐκ οἷόν τε, ἀδελφὲ τιμιώτατε, ὁπόσοις ὀδυρμοῖς καὶ ἀνιαροῖς ὑπὲρ τῶν ἀμετρήτων ὑμῶν συνεχόμεθα διωγμῶν. τοιγαροῦν μετὰ τὸ τοὺς ἀποκρισιαρίους ἡμῶν Ῥαδοάλδον καὶ Ζαχαρίαν, τούς ποτε ἐπισκόπους, οὓς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπέμψαμεν, ὑπέρ τε τοῦ ζητῆσαι τὴν αἰτίαν τῆς ἀποκινήσεως ὑμῶν, καὶ ὑπὲρ τῶν ἱερῶν εἰκόνων, πρὸς ἡμᾶς ἐπιστρέψαι, καὶ τῇ αὐτῶν ἀναφορᾷ μαθεῖν ἀπὸ τοῦ βασιλικοῦ ἀποκρισιαρίου, ὡς αὐτοὶ ἀπόφασιν καθ' ὑμῶν ἐξενηνόχεισαν, πολλῇ ὀδύνῃ περιεβλήθημεν, διὰ τὸ πρᾶξαι αὐτοὺς ἐναντία οἷς ἐνετάλθησαν. διὸ καὶ παρόντος τοῦ βασιλικοῦ ἀποκρισιαρίου συγκαλεσάμενοι πᾶσαν τὴν παρ' ἡμῖν ἐκκλησίαν, καὶ ἐκ πολλῶν ἐπαρχιῶν τῶν δυτικῶν χωρῶν ἁγιωτάτους ἐπισκόπους σφόδρα πολλοὺς, πρῶτον ψήφῳ κοινῇ τὸν Ζαχαρίαν καθαιρέσει ὑπεβάλομεν. περὶ δὲ τοῦ Ῥαδοάλδου, διὰ τὸ μὴ παρεῖναί τι πω αὐτὸν, τὴν καθαίρεσιν αὐτοῦ ἀνηρτήσαμεν. ὕστερον δὲ οὐδὲ αὐτὸς τὴν κατ' αὐτοῦ ψῆφον ἐξέφυγεν.

Ἔτι γε μὴν καὶ τὸν Φώτιον καθείλομεν, προεπισκήψαντες, ὡς ἐὰν μετὰ τὴν καθαίρεσιν ταύτην εἰς τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον προσεδρεύσῃ, ἢ ὑμῖν πρὸς τὸ ἀπολαβεῖν τὴν ἐκκλησίαν ἐμποδίσῃ, ἢ τῆς ἱερᾶς λειτουργίας ἐφάψηται, ἀνάθεμα ἔστω. ὁμοίως καὶ τὸν χειροτονήσαντα αὐτὸν, Γρηγόριον τὸν τῆς Συρακουσῶν ἐκκλησίας ἐπίσκοπον, ὑπὸ ἀνάθεμα τίθεμεν, εἰ μετὰ ταῦτα ἱερουργίας οἱασδήτινος ἅψηται. καὶ οὓς δὲ ὁ Φώτιος ἐχειροτόνησε, πάσης τῆς τῶν κληρικῶν ἐγυμνώσαμεν τάξεως. καὶ ταῦτα μὲν περὶ ἐκείνων ὡρισάμεθα. ὑμᾶς δὲ τῇ αὐθεντίᾳ τοῦ μεγάλου κριτοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἐθεσπίσαμεν, μηδέποτε εἶναι καθῃρημένους, ἢ ἀναθέματι ὑποβεβλημένους. πάντα δὲ τὸν μὴ τῇ παρούσῃ ἡμῶν κρίσει ὑπείκοντα, ἢ ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς ὑμῶν κοινωνίας ἀφορίζοντα, ἢ ἐσχάτως καθ' ὑμῶν τινα κρίσιν χωρὶς τῆς τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου συναινέσεως ἐκφέροντα, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, πάσης τῆς τῶν κληρικῶν τάξεως ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων εἶναι ἀλλότριον· εἰ δὲ λαϊκὸς πάσης εὐλογίας πατρικῆς στερηθήσεται, καὶ εἰ μὴ μεταμεληθῇ, καὶ ἀναθεματισθήσεται. τοὺς δὲ ἐπισκόπους, ὅσοι ἢ ὑπερορίᾳ συνέχονται, ἢ τῆς λειτουργίας, ἢ τοῦ βαθμοῦ ἕνεκεν σοῦ * ὑστερήθησαν, ὡρίσαμεν τὰς ἰδίας ἐκκλησίας καὶ τοὺς βαθμοὺς ἀπολαβεῖν. καὶ εἴ τις τούτῳ ἡμῶν τῷ θεσπίσματι ἐναντιωθῆναι τολμήσει, ἀνάθεμα ἔστω, ἕως οὗ πειθαρχήσῃ. εἰ δέ τινες κατηγορηθέντες ἐξεβλήθησαν τῶν οἰκείων ἐκκλησιῶν, ὡρίσαμεν τούτους τὰς μὲν ἐκκλησίας ἀπολαβεῖν, κριθῆναι δὲ ὑπὸ τοῦ, τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου Ῥωμαίων ἱεράρχου. ταῦτα

* ἴσ. ἱερᾶσθαι.

X.

In extremo continetur, ut beatorum apoſtolorum, noſtræque tenuitatis diaconos recipiatis, illiſque veſtrum auxilium ubicumque implorantibus pro viribus ſuccurratis, præſertim in communi certamine. communis enim omnium labor eſt in reducendis (Armeniis dico) fratribus in viam, atque ad meliorem Dei cognitionem informandis.

*Nicolaus ſervus ſervorum Dei ſanctiſſimo fratri & comminiſtro noſtro Ignatio patriarchæ Conſtantinopolitano.*

EXprimere verbis non poſſum, reverendiſſime frater, quibus lacrymis, quantoque luctu ob tuas immenſas afflictiones & ærumnas afficiar. Etenim poſteaquam apocriſiarii noſtri Rhadoaldus & Zacharias olim epiſcopi, Conſtantinopolim, ut cauſas depoſitionis tuæ cognoſcerent, & de ſacris imaginibus quærerent, miſſi redierunt, noſque ex illorum relatione, atque ab ipſo imperatoris legato didicimus, quemadmodum ipſi contra te damnationis ſententiam pronuntiarint, magno ſane dolore afflicti ſumus, quod contra quam illis imperavimus, fecerint. Quapropter præſente apocriſiario regio, vocato noſtræ eccleſiæ concilio, atque evocatis etiam ex multis occidentalium regionum provinciis, ſanctiſſimis plurimiſque epiſcopis, primum Zachariam de communi ſententia damnavimus: Rhadoaldi autem exauctorationem, quod tunc abeſſet, diſtulimus. Qui tamen poſtea ſententiam damnationis non effugit.

Præterea vero Photio dignitatem abrogavimus, denuntiavimuſque, ut ſi poſt damnationem iſtam thronum Conſtantinopolitanum denuo audeat aſcendere, aut tibi quo minus ad tuam ſedem redeas, impedimento ſit, aut ſacra contingere tentarit, anathema ſit. Pariter etiam Gregorium Syracuſanum, a quo Photius ordinatus eſt, anathemate percellimus, ſi poſthac ſacra quæcumque adminiſtrarit. Præterea quoſcumque Photius ſacris initiavit, gradu clericorum omni privamus ac dejicimus. Atque hæc quidem de illis decrevimus. Te autem auctoritate ſupremi judicis domini Dei ſalvatoris noſtri, nec depoſitum, nec anathemate vinctum unquam fuiſſe declaramus. Quicumque vero ſententiæ noſtræ repugnaverit, aut ſe a tua communione ſeparaverit, aut demum adverſum te ſine apoſtolicæ ſedis auctoritate ſententiam tulerit, clericus omni honore dignitateque clerici coram Deo & hominibus exutus eſto: laicus omni benedictione paterna careto: qui niſi reſipuerit, anathemate quoque ferietur. Epiſcopos vero, quicumque tua cauſa exulant, aut ſolio ſuo honoreque privati ſunt, ſedibus ſuis & dignitati reſtitui jubemus. Quicumque huic noſtro decreto reſiſtere conabitur, anathema eſto, quoad nobis ille ſe ſubjiciat. Si qui vero per criminationem ſunt ejecti, illos ad ſuas revocandos eccleſias ſtatuimus, cauſamque eorum ad tribunal Romani pontificis decidendam. Hæc ſunt

EPIST. II. NICOLAI PAPÆ.

ANNO CHRISTI 869.

frater, quæ in una fratrum & conſacerdotum noſtrorum, diverſis ex provinciis evocatorum, majorum noſtrorum inſtituta ſequentes, ſynodo conſtituimus, tuæque beatitudini ſignificare voluimus, ut noſtrum erga te animum perſpectum haberes.

*Epiſtola altera ejuſdem papæ ad ſenatum Conſtantinopolitanum, ut ne probent Ignatii damnationem, ſed Photium pellere ſtudeant.*

Alia item epiſtola ad ſanctiſſimos orientis patriarchas, & potiſſimum Hieroſolymitanum, qua declarat, quæ tractarit ipſe papa in ſynodo Romana de Ignatii depoſitione & Photii damnatione. Hortatur vero, ut idem omnes ſecum ſentiant.

*Epiſtola Epiphanii archiepiſcopi Cypri ad Ignatium patriarcham Conſtantinopolitanum, poſt ipſius reditum.*

ETſi perindignus atque abjectiſſimus domini mei ſacratiſſimi & coangelici ſervus ſim, auſus ſum tamen ſcribere. Apprehenderunt quidem & tuam ſanctam ac divinam mentem, ſacratiſſime, tentationes dæmonis omnis mali auctoris, qui tentat omnes qui volunt ſecundum Deum vivere. Quod vero illæ te omnibus probatiorem firmioremque oſtenderint, atque ut aurum in fornace excoctum ſplendidiorem illuſtrioremque reddiderint, nemini eſt obſcurum. Revera in vanum laboravit & vigilavit, qui te cuſtodiendo, ad tuam conſtantiam veluti petram offendit: Ecce veritatis calumniatores evanuere: ſidus autem orbis terrarum ſplendorem recepit ſuum. Quapropter convolat, & lætitia geſtit ob reſtitutionem tuam univerſus orbis, ipſæque adeo beatæ mentes mortalibus applaudunt. Vehementerque ſane & nos, quamquam peccatores & abjecti, ultimam hanc inſulam incolentes, tui gaudii participes eſſe cupimus, ſpiritalibuſque donis repleri. Sed timore & reverentia prohibemur, ne temeritatis arguamur, ſi id agamus injuſſi. Indignum enim cenſemus, hoc ſine religioſorum juſtorumque, & magnorum principum noſtrorum, tuæque ſanctitatis imperio, tentare.

Verumtamen etſi corpore abſumus, animo tamen una gaudemus, & communicamus, & approbamus omnia quæ a vobis & veſtra ſacra ſynodo ſunt decreta. Atque ſeptem prioribus apponimus, omneſque qui hanc non recipiunt, repudiamus.

εἰσὶν ἀδελφὲ, ἅπερ ἐν τῇ μιᾷ συνόδῳ τῶν ἀδελφῶν καὶ συνιερέων ἡμῶν διαφόρων ἐπαρχιῶν τῶν δυτικῶν, ἑπόμενοι τῶν προηγουμένων ἡμῶν τῇ παραδόσει, ἐπράξαμεν· καὶ διὰ τοῦτο τῇ μακαριότητι ὑμῶν γνωρίσαι διενοήθημεν, ὅπως γνῷς τὴν ἡμετέραν ὑπὲρ ὑμῶν διάθεσιν.

Ἐπιστολὴ ἑτέρα τοῦ αὐτοῦ πάπα πρὸς τοὺς συγκλητικοὺς Κωνσταντινουπόλεως, ὡς ἂν μὴ συνευδοκήσωσι τῇ καθαιρέσει Ἰγνατίου, ἀλλὰ τὸν Φώτιον σπουδάσωσι διωχθῆναι.

Καὶ ἄλλη ἐπιστολὴ πρὸς τοὺς κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἁγιωτάτους πατριάρχας, καὶ μάλιστα πρὸς τὸν Ἱεροσολύμων, δηλοῦσα, ὅσα συνοδικῶς ἔπραξεν ὁ αὐτὸς πάπας περὶ τῆς καθαιρέσεως Ἰγνατίου, καὶ τῆς ἀποβολῆς Φωτίου, καὶ παραινοῦσα τῆς αὐτῆς γνώμης εἶναι καὶ αὐτούς.

Ἐπιστολὴ Ἐπιφανίου ἀρχιεπισκόπου Κύπρου πρὸς Ἰγνάτιον τὸν Κωνσταντινουπόλεως, μετὰ τὴν ἐπάνοδον αὐτοῦ.

ΤΟΛΜΩΝ ὁ ἀνάξιος καὶ παντελὴς τοῦ πανιέρου καὶ ἰσαγγέλου δεσπότου μου δοῦλος γράφω, ἥψαντο μὲν καὶ τῆς ὑμετέρας ἁγίας καὶ θεοειδοῦς ψυχῆς, ἱερώτατε παρὰ τοῦ πειράζοντος πάντας τοὺς κατὰ Θεὸν ζῶντας ἀρχεκάκου δαίμονος οἱ πειρασμοί. ὅτι δὲ δοκιμώτερον καὶ κραταιότερόν σε ἀπέδειξαν, καὶ ὥσπερ χρυσὸν ἐν καμίνῳ πυρώσαντες, λαμπρότερον καὶ φαιδρότερον κατέστησαν, πᾶσιν ἄδηλον. ὄντως εἰς μάτην ἠγρύπνησεν ὁ φυλάσσων, τῇ ὑμετέρᾳ στεῤῥότητι, πέτρᾳ προσκρούσας. ἰδοὺ οἱ συκοφάνται τῆς ἀληθείας παρῆλθον, καὶ ὁ φωστὴρ τῆς οἰκουμένης αὖθις τὴν ἰδίαν ἀπέλαβε δόξαν· διὸ καὶ συντρέχει καὶ συνευφραίνεται ἐπὶ τῇ ἀποκαταστάσει σου πᾶσα ἡ οἰκουμένη, καὶ συνεορτάζουσι τούτοις καὶ αἱ ἄνω δυνάμεις. πάνυ δὲ καὶ ἡμεῖς ἐφιέμεθα οἱ ταπεινοὶ καὶ ἁμαρτωλοὶ, οἱ τὴν ἐσχατιὰν ταύτην οἰκοῦντες, τῆς περὶ σὲ εὐφροσύνης κοινωνῆσαι, καὶ τῶν πνευματικῶν χαρισμάτων ἐμφορηθῆναι· ἀλλὰ κεκωλύμεθα φόβῳ καὶ αἰδοῖ μήπως καὶ προπετείας κριθῶμεν, ἀκελεύστως τοῦτο δράσαντες. ἀνάξιον γὰρ ἡγούμεθα, ἄνευ τῆς προστάξεως τῶν εὐσεβῶν καὶ δικαίων μεγάλων βασιλέων ἡμῶν, καὶ τῆς ὑμετέρας δεσποτικῆς ἁγιωσύνης τοῦτο κατατολμῆσαι.

Πλὴν εἰ καὶ τῷ σώματι οὐ πάρεσμεν, ἀλλὰ τῇ ψυχῇ καὶ συνευφραινόμεθα, καὶ συγκοινωνοῦμεν, καὶ συνευδοκοῦμεν πᾶσι τοῖς ὑφ' ὑμῶν καὶ τῆς ἱερᾶς ὑμῶν συνόδου δεδογμένοις. καὶ συντάττομεν ταύτην ταῖς ἁγίαις ἑπτὰ συνόδοις ταῖς παρελθούσαις· καὶ τοὺς ταύτην μὴ δεχομένους ἀποβαλλόμεθα.





ANNO CHRISTI 869.

## ΕΚ ΤΩΝ ΠΡΑΚΤΙΚΩΝ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ οἰκουμενικῆς ὀγδόης συνόδου, ὧν τὸ προοίμιον τοῦτο.

## A EX ACTIS S. OECUMENICÆ ſynodi octavæ, quorum hoc eſt procemium.

ACTIO I. SYNODI.

Ο ΘΕΑΡΧΙΚΩΤΑΤΟΣ λόγος Χριστὸς, καὶ πάντων ἡμῶν σωτήρ τε καὶ Κύριος, καὶ πάντα εἰδὼς πρὶν ταῦτα γενέσθαι, τὰς τῶν κακούργων πανουργίας προδεδήλωκεν, οὕτως εἰπών· προσέχετε ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες. ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. γέγονε τοίνυν καὶ τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις ἀνὴρ πανουργίας καὶ κακουργίας πεπληρωμένον ἔχων τὸν ἐντὸς ἄνθρωπον, διὰ δὲ φιλαρχίαν καὶ κενοδοξίαν τὴν μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας σχηματιζόμενος. ὅθεν καὶ τοὺς τηνικαῦτα κρατοῦντας ἀπεβουκόλησε, καὶ οὕτω τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας ἐκράτησε, τοῦ νομίμου ἀρχιποίμενος ταύτης τοῦ παμμάκαρος Ἰγνατίου παρανόμως ἀποβληθέντος. ἀλλὰ θᾶττον τοῦ προσωπείου περιαιρεθέντος, κατεφωράθη ἀπὸ τῶν καρπῶν τὸ δένδρον· καὶ αὐτοῖς ἐκείνοις τοῖς παραδυναστεύουσι, καὶ τοῦτον προχειρισθῆναι παρασκευάσασι, συγητὸς γέγονεν, ἀλλὰ δὴ καὶ πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν καθ' ἡμᾶς οἰκουμένην εὐσεβέσι, διαφερόντως δὲ τῇ ἁγιωτάτῃ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ, καὶ τοῖς κατὰ τὴν ἀνατολὴν πατριαρχικοῖς θρόνοις. διὸ καὶ ὁ τῶν ἐκδικήσεων Κύριος, καθάπερ ἄλλον Ἠλίαν ζηλωτὴν, τὸν μακαριώτατον πάπαν Νικόλαον ἐξήγειρε κατ' αὐτοῦ, ὃς καὶ τὸν ἅρπαγα καὶ λύκον ὡς λῃστὴν καὶ κλέπτην ἀνεῖλε, καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ τῆς αἰσχύνης ἱερεῖς, διακονησαμένου καὶ καθυπουργήσαντος τῇ θείᾳ βουλῇ καὶ ψήφῳ τοῦ φιλοχρίστου καὶ θεοκυβερνήτου μεγάλου βασιλέως ἡμῶν Βασιλείου. οὗτος γὰρ οἰκουμενικὴν σύνοδον συναθροίσας, τὰ δόξαντα τῷ ἁγίῳ πνεύματι θεοσεβῶς ἀπεπλήρωσεν, ἀποδοκιμασθέντος μὲν τοῦ κατ' ἀντίφρασιν Φωτίου, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ χειροτονηθέντων· βεβαιωθέντος δὲ εἰς τὸν ἴδιον θρόνον τοῦ θειοτάτου Ἰγνατίου.

DIviniſſimum [a] verbum Chriſtus omnium noſtrum dominus & ſalvator, qui hæc ante quam fierent, omnia norat, ſceleſtorum verſutias prædixit, cum ait: *Attendite vobis a pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Fuit ergo & noſtra tempeſtate homo, interiore quidem homine ex fraude & ſcelere compoſitus, qui propter ambitionem, gloriæque cupiditatem, pietatis perſona velatus, imperatores inde a grege Chriſti abſtraxit, noſtræque eccleſiæ thronum invaſit, germano eccleſiæ hujus & beatiſſimo principe paſtorum Ignatio ejecto. Sed celeriter perſona depoſita, e ſuis fructibus arbor eſt cognita. Quin & iis ipſis qui tunc magna auctoritate pollebant, & quorum potentia evectus erat, odioſus evaſit, atque adeo bonis omnibus ac religioſis, præſertim vero ſanctiſſimæ Romanæ eccleſiæ, atque orientis patriarchis. Quapropter Deus ultionum, quaſi alterum Eliam zeloten, beatiſſimum papam Nicolaum contra illum excitavit, qui raptorem hunc & lupum, furem & latronem, una cum infamiæ ſuæ miniſtris ſive ſacerdotibus ſuſtulit, ſubſerviente, atque adminiſtrum ſe præbente Dei conſilio Chriſti amante, atque a Deo gubernato magno imperatore noſtro Baſilio. Coacto enim generali concilio, quod eſt Spiritui ſancto viſum, pie executus eſt; Photio quidem tenebricoſo condemnato cum omnibus ab eo conſecratis, ſacratiſſimo vero Ignatio in ſuo throno confirmato.

[a] Matthæi Raderi S. I. interpretatio a Romanis editoribus in locis interpolata. Matth. 7.

## Π Ρ Α Ξ Ι Σ α.

ΕΝ ὀνόματι τοῦ Κυρίου καὶ δεσπότου πάντων Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν, ὑπατείᾳ τῶν θεοστέπτων καὶ γαληνοτάτων ἡμῶν δεσποτῶν, Βασιλείου μὲν ἔτους τρίτου, Κωνσταντίνου δὲ υἱοῦ αὐτοῦ ἔτους δευτέρου. ἰνδικτιῶνι γ΄. πρὸ δύο νωνῶν Ὀκτωβρίων.

Προτεθέντων τῶν τιμίων ξύλων, καὶ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, ἐν τοῖς δεξιοῖς μέρεσι τῶν κατηχουμενείων τοῦ περιωνύμου ναοῦ τῆς ἁγίας καὶ μεγαλωνύμου Σοφίας. συνελθόντων Δονάτου καὶ Στεφάνου τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων, καὶ Μαρίνου τοῦ θεοφιλεστάτου διακόνου ἐπεχόντων τὸν τόπον Ἀδριανοῦ τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης: καὶ Ἰγνατίου τοῦ τιμιωτάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς μεγαλωνύμου Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, καὶ τῶν ἁγίων τοποτηρητῶν τῆς ἀνατολῆς, δηλονότι Θωμᾶ τοῦ ἁγιωτάτου μητροπολίτου Τύρου, τὸν τόπον ἐπέχοντος τοῦ θρόνου Ἀντιοχείας, διὰ τὸ χηρεύειν τὴν αὐτῶν ἐκκλησίαν· καὶ Ἠλία τοῦ θεοσεβεστάτου πρεσβυτέρου καὶ συγκέλλου, τὸν τόπον ἐπέχοντος Θεοδοσίου τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Ἱεροσολύμων· καὶ κατὰ κέλευσιν τῶν φιλοχρίστων βασιλέων, συνεδρευόντων τῶν πανευφήμων πατρικίων, Θεοδώρου πατρι-

## ACTIO PRIMA.

ACTIO I. CONC. VIII. GENER.

IN nomine domini & dominatoris omnium Jeſu Chriſti Dei noſtri, conſulatus ſereniſſimorum imperatorum noſtrorum a Deo coronatorum, Baſilii anno tertio, Conſtantini filii ipſius ſecundo. Indictione III. III. Nonas Octobris.

Propoſitis (S. crucis) lignis, ac ſanctis evangeliis, in dextra parte catechumenorum celeberrimi ſanctique & magnifici templi Sophiæ. Convenientibus Donato & Stephano Dei amantiſſimis epiſcopis, & Marino dilectiſſimo Dei diacono, Hadriani ſanctiſſimi veteris Romæ archiepiſcopi legatis: Ignatio reverendiſſimo magnificæ urbis Conſtantinopolitanæ novæ Romæ archiepiſcopo, ſanctiſque vicariis orientis, nempe Thoma ſanctiſſimo metropolita Tyri, locum tenente ſedis Antiochenæ, eo quod ille thronus tum vacaret; & Elia religioſiſſimo presbytero & ſyncello, vices gerente ſanctiſſimi Theodoſii epiſcopi Hieroſolymorum, præſentibus etiam juſſu Chriſtianiſſimorum imperatorum,

rum, clariſſimis patriciis, Theodoro patricio & magiſtro, Baane præpoſito, Hemerio, Theophilo, Joanne logotheta dromi, Leone domeſtico excubitorum, Paulo præfecto prætorio, Manuele, Theophylacto, Petrona, Oreſte protoſpathario & domeſtico hicanatorum. His igitur collectis, ſanctiſſimi legati veteris Romæ, & Ignatius ſanctiſſimus patriarcha Conſtantinopolitanus, & reverendiſſimi orientis vicarii dixerunt.

Ingrediantur epiſcopi, quotquot pro verbo veritatis Ignatio adjuncti depugnarunt, & deſudarunt. Ergo cum ingreſſi conſediſſent, Baanes clariſſimus patricius & præpoſitus ad ſanctum concilium dixit: Pius imperator noſter miſit epanagnoſticum; quod legatur, ſi placet ſanctæ ſynodo.

Sanctiſſimi legati veteris Romæ & orientis dixerunt: Recitetur.

Theodorus devotus a ſecretis legit.

Cum divina & benigniſſima Dei providentia nobis orbis terræ gubernacula commiſerit, omnem dedimus operam, ut etiam ante communes reipublicæ curas eccleſiaſticæ controverſiæ componantur. Quarum cauſa cenſuimus aliorum quoque patriarcharum vicarios accerſendos, qui ductu Dei adſunt.

Ergo, fratres, monemus & hortamur, uti cum omni modeſtia & reverentia ad ſanctam & œcumenicam ſynodum, veluti ad publicam & inſtructam medicamentis officinam, poſitis omnibus affectibus & diſſidiis, partiumque ſtudiis, accedatis, neque ad contentioſas altercationes declinetis; ſed ſciatis bene potius vinci, quam culpabiliter vincere. Ad vos autem judices ita dicimus: Eſſe quidem vos veritatis amantes, minime ignoramus; nos tamen pro data nobis poteſtatis menſura non tacebimus quæ pro rebus eccleſiaſticis dicenda nobis videbuntur. Quapropter veſtram pietatem obſecramus, ut ſine omni partium gratia affectioneque judicium hoc peragatis.

Lecta admonitione legati dixerunt: Recte ſacri imperatores noſtri monuere. Tum rurſus Baanes clariſſimus præpoſitus ſurrexit, & ad legatos dixit: Epiſcopi cum ſenatu intelligere cupiunt, qua cum poteſtate a ſanctiſſimis patriarchis miſſi ſitis.

Donatus & reliqui veteris Romæ legati dixere: Nuſquam reperimus Romanos legatos unquam in concilio œcumenico examinari. Baanes reſpondit: Non ex contemptu hoc fit, ſed propter Rhadoaldum & Zachariam, qui paulo ante huc advenientes nos deceperunt, aliaque quam quæ iis fuerant imperata, fecerunt.

Legati dixere: Ecce vobis propterea literas ad imperatorem & patriarcham exhibemus. Poſtquam enim legati imperatoris & patriarchæ Ignatii Romam ad Nicolaum tum pontificem, qui interim ad dominum emigrarat, venerunt, Hadrianus ſucceſſor illius literas accepit; & nos cum literis huc legavit.

κίου καὶ μαγίστρου, Βαάνους τοῦ πραιποσίτου, Ημερίου, Θεοφίλου, Ιωάννου λογοθέτου τοῦ δρόμου, Λέοντος δομεστίκου τῶν ἐξκουβίτων, Παύλου ὑπάρχου τῶν πραιτώρων, Μανουὴλ, Θεοφυλάκτου, Πετρωνᾶ, Ορέστου πρωτοσπαθαρίου καὶ δομεστίκου τῶν ἱκανάτων. τούτων οὖν συναθροισθέντων, οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης, καὶ Ιγνάτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως καὶ οἱ τιμιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς ἀνατολῆς εἶπον.

Εἰσελθέτωσαν οἱ ἐπίσκοποι πάντες, ὅσοι κεκοπιάκασι καὶ συνήθλησαν ὑπὲρ τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας, ὡς ὁμόδρομοι Ιγνατίου. καὶ εἰσελθόντων, καὶ καθισάντων αὐτῶν, Βαάνης ὁ πανεύφημος πατρίκιος καὶ πραιπόσιτος εἶπε πρὸς τὴν ἁγίαν σύνοδον· ὁ βασιλεὺς ἡμῶν ὁ ἅγιος ἐπαναγνωστικὸν ἀπέστειλε· καὶ εἰ κελεύετε, προσφωνηθήτω τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης καὶ ἀνατολῆς εἶπον· ἀναγνωσθήτω.

Καὶ λαβὼν Θεόδωρος ὁ καθωσιωμένος ἀσηκρῆτις ἀνέγνω.

Τῆς θείας καὶ φιλανθρώπου προνοίας τὰ πηδάλια τῆς οἰκουμενικῆς ὁλκάδος ἡμῖν ἐγχειρησάσης, πᾶσαν ἔθέμεθα σπουδὴν καὶ πρὸ τῶν δημοσίων φροντίδων τὰς ἐκκλησιαστικὰς ἔριδας διαλῦσαι. κεκρίκαμεν οὖν ἀπὸ τῶν ἄλλων πατριαρχικῶν θρόνων τοποτηρητὰς ἀγαγεῖν διὰ τὴν εἰρημένην αἰτίαν, οἳ καὶ συνήχθησαν τῇ συνεργίᾳ Θεοῦ.

Διὸ καὶ παρεγγυώμεθα, καὶ παραινοῦμεν πᾶσιν ὑμῖν, ἀδελφοὶ, μετὰ πολλῆς αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας προσεληλυθέναι τῇ ἁγιωτάτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, ὡς πρὸς κοινὸν καὶ ἄφθονον ἰατρεῖον· μηδεμίαν ἐπιφερομένους κίνησιν ἐμπαθῆ καὶ διάθεσιν, μηδὲ πρὸς ἐριστικὴν ἀποβλέποντας γνώμην, ἀλλ᾽ εἰδότας μᾶλλον ἡττᾶσθαι καλῶς, ἢ νικᾷν ἐπισφαλῶς καὶ ἀθέσμως. καὶ πρὸς ὑμᾶς δὲ τοὺς κριτὰς οὕτω φαμέν· ὅτι ἀληθείας μὲν ἐραστὰς ὑμᾶς εἶναι οὐκ ἀγνοοῦμεν· πλὴν καὶ ἡμεῖς κατὰ τὸ δοθὲν ἡμῖν μέτρον τῆς ἐξουσίας, ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς πράγμασιν οὐ παρασιωπῶμεν ἃ ὀφείλομεν λέγειν. διὸ καὶ ἀξιοῦμεν τὴν ὑμετέραν εὐλάβειαν, ἐκτὸς πάσης προσπαθείας τὴν κρίσιν ποιήσασθαι.

Μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν εἶπον οἱ τοποτηρηταί· καλῶς ἐκέλευσαν οἱ βασιλεῖς ἡμῶν οἱ ἅγιοι. μετὰ τοῦτο πάλιν ἀνέστη Βαάνης ὁ πανεύφημος πραιπόσιτος, καὶ εἶπε πρὸς τοὺς τοποτηρητάς· οἱ ἐπίσκοποι αἰτοῦνται ἅμα τῇ συγκλήτῳ ἰδεῖν, πῶς ἀπεστάλητε παρὰ τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν.

Δονάτος οὖν καὶ οἱ λοιποὶ τῆς Ρώμης τοποτηρηταὶ εἶπον· ὡς οὐχ εὑρήκαμεν ἐν οἰκουμενικῇ συνόδῳ τοὺς τοποτηρητὰς τῆς Ρώμης ἀνακρινομένους. Βαάνης εἶπεν· οὐχ ἕνεκεν ἀτιμίας τοῦτο γίνεται, ἀλλὰ διὰ τὸ τὸν Ραδόαλδον καὶ τὸν Ζαχαρίαν τοὺς πρὸ μικροῦ ἐλθόντας ἐξαπατῆσαι ἡμᾶς, καὶ ἄλλα ποιῆσαι παρὰ τὰ προσαχθέντα.

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· καὶ διὰ τοῦτο ἰδοὺ δίδομεν τὰς ἐπιστολὰς πρὸς τὸν βασιλέα καὶ τὸν πατριάρχην. ἐπεὶ γὰρ ἀποκρισιάριοι τοῦ τε βασιλέως καὶ τοῦ πατριάρχου Ιγνατίου ἦλθον εἰς Ρώμην πρὸς τὸν τηνικαῦτα πάπαν Νικόλαον, ἐκεῖνος δὲ πρὸς Κύριον ἀπεδήμησεν, ἐδέξατο τὰς ἐπιστολὰς ὁ μετ᾽ αὐτὸν πάπας Αδριανὸς, καὶ ἔπεμψεν ἡμᾶς μετὰ τῶν ἐπιστολῶν τούτων.









Αδριανὸς ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ.

Τῷ θεοφιλεῖ καὶ εὐσεβεστάτῳ αὐτοκράτορι Βασιλείῳ Αὐγούστῳ, τῷ Χριστιανικωτάτῳ καὶ ποθουμένῳ μοι τέκνῳ.

ΤΗΣ ὑπερφυοῦς σου πρεσβείας τοὺς ὡραιοτάτους ἀποκομιστὰς, τοὺς τῷ προκατόχῳ μου τῆς ἀποστολικῆς Ρώμης πάπᾳ Νικολάῳ ἀποσταλέντας ἡμεῖς ἀπελάβομεν, καὶ εὐχαριστίας τῷ Θεῷ ἀνεθέμεθα, ὅτι ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις ἐξήγειρε τὴν σὴν θεοφρούρητον βασιλείαν, τοῦ καταπαῦσαι τὸν σάλον τὸν ἔτι κινούμενον κατὰ τῆς ἁγίας καὶ Αποστολικῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως. συνῆκας γὰρ, καθὼς τὰ γράμματα τῆς σῆς πραότητος διαγορεύουσι, ποίοις μώλωψι τετραυμάτισται ἡ παρ᾽ ὑμῖν οὖσα ἐκκλησία, καὶ ὡς αὕτη ἡ καθέδρα ἰατρεύειν δύναται τὰ τοιαῦτα ἕλκη. καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα θεραπευθῆναι ἐπιποθῶν, τοῦ Αποστολικοῦ θρόνου τῇ ἐκθέσει τὴν θεραπείαν ὑγιῶς ἐξεζήτησας. γνῶθι οὖν τέκνον ἠγαπημένον καὶ τιμιώτατον, Αὔγουστε, ὅτι εἴτι ἂν περὶ τὸν ἀδελφὸν καὶ συνεπίσκοπον ἡμῶν Ιγνάτιον, καὶ περὶ τὸν σχισματικὸν Φώτιον θεόθεν ἔδρασας ἐμπνευσθεὶς, καλῶς ἔδρασας, καὶ καθὼς ἡ Αποστολικὴ καθέδρα μετὰ πάντων τῶν ἑσπερίων προέδρων ἐθέσπισε. καὶ γινωσκέτω ἡ ἀγάπη σου, ὅτι ὥσπερ διαφόρῳ τρόπῳ ἥμαρτον οἱ κατὰ Ιγνατίου φρονήσαντες, οὕτω διαφόροις αὐτοὺς τρόποις ὅρων ὑποβληθῆναι οὐκ ἀσκόπως χρῆναι νομίζομεν. τούτων μέντοι τὰς διαφορὰς τοὺς τοῦ Αποστολικοῦ θρόνου πρέσβεις ἅμα τῷ ἀδελφῷ ἡμῶν καὶ συλλειτουργῷ Ιγνατίῳ συνεχομένους * προθυμῆσαι συνείδομεν. ἐὰν μέντοι ἀνανήψωσι, χρηστοτέροις * οἰκονομηθήσονται, ὥστε μετὰ τοῦ ἁγίου πάπα Γελασίου εἰπεῖν καὶ ἡμᾶς, τὰ ἀναγκαῖα τῶν πραγμάτων τῇ οἰκονομίᾳ συνέχομεν. χρὴ οὖν καὶ ἡμᾶς εὐθεῖαν λόγον ὑπὲρ τοῦ κερδῆσαι τοὺς ἀδελφοὺς ἀποδοῦναι, τὴν τῶν καιρῶν ἀνάγκην προορῶντας. τὸν Φώτιον μέντοι ἀναντιρρήτως ἀπὸ τῆς εὐσεβείας * παντάπασιν ἀφορίζομεν. βουλόμεθα δὲ διὰ τῆς ὑμετέρας εὐσεβοῦς σπουδῆς οὐκ εὐαρίθμητον ἐν τοῖς αὐτόθι πληθυνθῆναι συνέλευσιν, ὡς ἂν οἱ ἡμέτεροι ἀποκρισιάριοι προκαθεσθέντες, καὶ τὰς τῶν πλασμάτων τε καὶ προσώπων διαφορὰς σαφέστερον διαγνόντες, ὁλικῶς τὰ τοῦ ἀνοσίου συνεδρίου ὑπομνήματα παραχρῆμα ἐκ τῶν κατεσχηκότων αὐτὰ ἀφαιρεθέντα κατακαύσωσι. τὸ γὰρ τοιοῦτον συνέδριον οὐδὲν διαφέρειν οἰόμεθα τοῦ ἐν Αριμίνῳ ὑπὸ Κωνσταντίου, τῆς ἐν Εφέσῳ παρὰ Διοσκόρου συναθροισθέντος. ἀλλὰ καὶ εἴ τις ταῦτα ὑποκρύψαι πειραθείη, ἢ διεκδικῆσαι, τοῖς δημοσίοις ὑποπεσέτω νόμοις. τούτων οὕτω τεθεσπισμένων, δυσωποῦμεν τὴν θεοφρούρητον τῆς γαληνότητός σου κεφαλὴν, εἰς τὸ ἐναρχθὲν τῆς εὐσεβείας ἔργον περὶ τὸν ἀδελφὸν καὶ συνιερέα μου Ιγνάτιον διαμεῖναι, καὶ ἀπὸ τῶν ἐνταλμάτων τοῦ Αποστολικοῦ θρόνου μὴ παρεκκλῖναι, φροντίσαι δὲ τάχιον ἐλθεῖν εἰς ἡμᾶς τοὺς ἀποκρισιαρίους ἡμῶν, ὡς ἂν δι᾽ αὐτῶν μάθωμεν πᾶν ἀγαθὸν περὶ τὴν ἁγίαν σου βασιλείαν. τὸ εὐλαβέστατον κράτος ὑμῶν ἡ ἀνωτάτω χάρις διαφυλάξαι, καὶ πάντα τὰ ἄπιστα ἔθνη ὑποτάξαι αὐτῷ.

Μετὰ τοῦτο ἀνεγνώσθη καὶ τὸ γράμμα τοῦ πατριάρ-

* ἴσ. προθυμεῖσθαι.

* ἄλ. οἰκονομηθήσονται

* ἀπὸ τοῦ τῆς φιλανθρωπίας ex Anaſt.

Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

Deo amabili & religioſiſſimo imperatori Baſilio Auguſto Chriſtianiſſimo deſideratiſſimoque filio.

CElſitudinis tuæ præclariſſimos legationis nuntios ad apoſtolicæ ſedis anteceſſorem meum papam Nicolaum miſſos excepimus nos, Deoque gratias perſolvimus, quod noſtris temporibus tuum a Deo cuſtoditum excitarit imperium, quod tempeſtatem adverſus ſanctam & apoſtolicam eccleſiam Conſtantinopolitanam adhuc ſævientem pacaret. Intellexiſti enim, quemadmodum litteræ clementiæ tuæ docent, quibus vulneribus cruentata ſit eccleſia veſtra, quodque hæc noſtra cathedra hujuſcemodi ulceribus mederi poſſit. Quapropter cum hæc curari cuperes, apoſtolicæ ſedis decreto medicinam ſaniſſime requiſiſti. Noveris ergo, dilecte fili venerabilis Auguſte, te, quidquid erga fratrem noſtrum & coepiſcopum Ignatium, vel circa Photium ſchiſmaticum divinitus inſpiratus ſtatuiſti, bene feciſſe, & ſicut apoſtolica hæc cathedra cum totius Heſperiæ præſulibus ſanxit: ſciatque caritas tua, ut variis modis errarunt, qui contra Ignatium ſenſerunt, ita nos exiſtimare diverſa quoque ratione decreto ſententiæ noſtræ non inconvenienter ſubjiciendos. Horum certe diſcrimina ſedis apoſtolicæ legatis convenientibus una cum fratre noſtro & comminiſtro Ignatio moderanda commiſimus. Si tamen ad meliorem mentem redierint, mitius agetur cum eis, ut cum ſancto Gelaſio papa dicamus & nos, neceſſaria rerum diſpenſatione conſtringimur. Oportet igitur & nos, æqua pro lucrandis fratribus ratione temporum neceſſitati conſulendo, hoc imitari: Photium dumtaxat ab hujuſmodi moderamine pietatis prorſus excipimus. Volumus autem per veſtræ pietatis induſtriam Conſtantinopoli numeroſum celebrari concilium; cui noſtri quoque legati præſidentes, delictorum hominumque diſcrimine perſpecto, ſtatim cuncta impii conciliabuli exemplaria, ab iis qui illa retinent, ablata, ignibus concremanda tradant. Hujuſcemodi enim conventiculum nihil diſtare putamus vel ab Ariminenſi per Conſtantium imperatorem, vel ab Epheſino per Dioſcorum coacto. Sed & ſi quis hæc occultare vel defendere conabitur, publicis legibus judicandus ſubjiciatur. His ita decretis, obſecramus divinitus redimitum tranquillitatis tuæ caput, ut in cœpto pietatis opere erga fratrem meum & conſacerdotem Ignatium perſeveres, neque a decretis apoſtolicæ ſedis recedas; curesque ut noſtri legati quamprimum ad nos redeant, ut per illos intelligamus feliciſſimum imperii tui ſtatum. Piiſſimum imperium veſtrum ſuprema gratia cuſtodiat, omneſque gentes a fide alienas illi ſubſternat.

Epiſt. Gelaſii cap. 1. n. 1.

Tum lectus eſt libellus patriarchæ Hieroſoly-

ſolymorum ad patriarcham Ignatium, cujus hæc extrema eſt clauſula.

Haud neſcis ſanctiſſime domine cauſam, cur ad te neque ſcribere, neque literas mittere poſſimus, ne apud principes noſtros in ſuſpicionem aliquam vocemur. Nam & benevolentiam erga nos declarant ſingularem, & templorum excitandorum, & tenendorum ſine impedimento morum noſtrorum ſecuritatem præſtant. Nunc vero noſtri Amirani juſſu ſcripſimus. Rogamus autem ut imperatori noſtro a Deo coronato ſuggeras, uti nobis quotquot placuerit, Saracenos concedat, ut his offerendis eis qui in nos dominantur, ipſorum ſævitiam mitigemus. Miſimus tibi, veneranđe & dilecte domine, poderem & ſuperhumerale cum mitra, pontificalem habitum ſancti Jacobi apoſtoli fratris domini; ſacrum item vas ex cimeliis ſanctæ reſurrectionis, craterem argenteum cum imaginibus expreſſum, ad ſanctificationem eccleſiæ veſtræ.

Lecta epiſtola placuit libellum legi, quem Romana expoſuit eccleſia. lectuſque eſt primum Latine, deinde Græce in hæc verba.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Imperatoribus religioſiſſimis dominis noſtris, Baſilio & Conſtantino ejus filio ſemper Auguſtis, anno III. menſe Octobri, indictione III.

Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire, deinde a conſtitutis Dei & patrum nullatenus deviare: quæ nos ſecuti anathematizamus omnes hæreſes ſimul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium, qui adverſus ſacros canones repente de curiali adminiſtratione, & ſæculari militia, ſuperſtite ſanctiſſimo patriarcha Ignatio, Conſtantinopolitanam eccleſiam latronum more per quoſdam intruſus ſchiſmaticos invaſit. Amplectimur & ſanctam ſynodum, quam beatæ recordationis papa Nicolaus celebravit; cui tu quoque domine coangelice ſumme pontifex Hadriane ſubſcripſiſti: recipimuſque omnes quos recipit illa; damnamus omnes quos damnavit illa, præſertim Photium & Gregorium Syracuſanum, parricidas videlicet, qui contra ſpiritualem patrem ſuum linguas exerere minime formidarunt; ſectatores item eorum in ſchiſmate perſeverantes, quique cum illis in communionis ſocietate permanent. Eccleſias vero malignantium, & perverſorum dogmatum adinventiones ſub Michaele imperatore bis contra beatiſſimum patriarcham Ignatium, & ſemel adverſus ſedis apoſtolicæ principatum coactas, inſolubilibus anathematis nexibus innodamus, unaque omnes qui eas (ſynodos) defendunt, aut impia earum acta occultant.

De Ignatio porro reverendiſſimo patriarcha, & iis qui cum illo ſentiunt, quidquid apoſtolici throni decrevit auctoritas; tota mente complectimur. Hanc ergo profeſſionem ego N. ſanctæ eccleſiæ N. epiſcopus feci; & manu mea ſubſcripſi, ac tibi ſanctiſſimo domino & magno pontifici, œcumenicoque papæ Hadriano per apocriſiarios tradidi.



χου Ἱεροσολύμων, τὸ πρὸς τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον, ὃ περὶ τὸ τέλος ἔχει οὕτως.

Οὐκ ἀγνοεῖς ὁσιώτατε δέσποτα τὴν αἰτίαν, δι' ἣν οὔτε γράφειν, οὔτε ἀποστέλλειν δυνάμεθα πρὸς ὑμᾶς· μήποτε γενώμεθα πρὸς τὴν κρατοῦσαν ἡμῶν ἐξουσίαν ἐν ὑποψίᾳ καὶ ὑπονοίᾳ. καὶ γὰρ εὔνοιαν πολλὴν ἐνδείκνυνται εἰς ἡμᾶς, ἄδειαν παρέχοντες οἰκοδομεῖν τὰς ἐκκλησίας ἡμῶν, καὶ κρατεῖν ἀκωλύτως τὰ ἔθη ἡμῶν. καὶ νῦν δὲ καὶ διὰ τοῦ καθ' ἡμᾶς Ἀμηρᾶ ἐκελεύσθημεν γράψαι. ἐκλιπαροῦμεν τοίνυν λαλῆσαι εἰς τὰ ὦτα τοῦ θεοστέπτου ἡμῶν δεσπότου, τοῦ χαρίσασθαι ἡμῖν ὅσους ἂν βούλοιτο Σαρρακηνούς· ὡς ἂν διὰ τῆς τούτων προσαγωγῆς ἐξημερώσωμεν τὸ ἀγριαῖνον τῶν ἐξουσιαζόντων ἡμῶν. στείλαμεν τὸν ποδήρη καὶ τὴν ἐπωμίδα σὺν τῇ μίτρᾳ, τὴν ἱεραρχικὴν στολὴν τοῦ ἁγίου Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου, τῇ σῇ περιποθήτῳ καὶ τιμίᾳ κεφαλῇ· ἅμα δὲ καὶ ἱερὸν σκεῦος τῶν κειμηλίων τῆς ἁγίας Ἀναστάσεως, κρατῆρα ἀργύρεον ἐν εἰκόσι διάγλυφον, πρὸς ἁγιασμὸν τῆς καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίας.

Μετὰ τὴν τῆς ἐπιστολῆς ταύτης ἀνάγνωσιν, ᾠκονομήθη ἀναγνωσθῆναι τὸν λίβελλον, ὃν ἡ ἁγία τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ἐξέθετο. καὶ ἀνεγνώσθη πρῶτον μὲν Ῥωμαϊστί, εἶτα δὲ καὶ Ἑλληνιστί, ἔχων οὕτως.

Ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Βασιλευόντων τῶν δεσποτῶν ἡμῶν τῶν εὐσεβεστάτων καὶ αἰωνίων Αὐγούστων Βασιλείου καὶ Κωνσταντίνου υἱοῦ αὐτοῦ, ἔτους γ'. μηνὶ Ὀκτωβρίῳ, ἐπινεμήσεως τρίτης.

Πρώτη σωτηρία ἐστὶ, τοὺς τῆς ὀρθῆς πίστεως κανόνας παραφυλάττειν, καὶ ἀπὸ τῶν διατάξεων τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν πατέρων μηδαμῶς ἐκκλίνειν. ταύταις οὖν ἑπόμενοι καὶ ἡμεῖς, ἀναθεματίζομεν πάσας τὰς αἱρέσεις, καὶ αὐτὴν τῶν Εἰκονομάχων. ἀναθεματίζομεν καὶ Φώτιον, τὸν ἐναντίως τῶν ἱερῶν κανόνων ἄφνω ἀπὸ τῆς βουλευτικῆς ὑπηρεσίας καὶ κοσμικῆς στρατιᾶς προαχθέντα, ἐνυπάρχοντος Ἰγνατίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου, εἰς τὴν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίαν λῃστρικῶς παρά τινων σχισματικῶν. ἑπόμεθα δὲ καὶ τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, ἣν ὁ τῆς μακαρίας μνήμης πάπας Νικόλαος ἐπλήρωσεν· ἐν ᾗ καὶ αὐτὸς δέσποτα ἰσάγγελε ἱεράρχα Ἀδριανὲ ἔγραψας· ἀποδεχόμενοι οὓς ἐκείνη ἀποδέχεται, καὶ καταρκρίναντες τοὺς ἐν αὐτῇ κατακριθέντας καὶ ἐξαίρετον Φώτιον καὶ Γρηγόριον τὸν Συρακούσης, τοὺς πατροκτόνους δηλαδὴ, τοὺς κατὰ τοῦ πνευματικοῦ πατρὸς αὐτῶν τὰς γλώσσας κινήσαντας· καὶ τοὺς ἐμμένοντας ἐν τῷ σχίσματι ὀπαδοὺς αὐτῶν, καὶ οἵτινες εἰς τὴν τῆς κοινωνίας αὐτῶν μετοχὴν ἐμμένουσι. τὰς δὲ συναγωγὰς τῶν πονηρευομένων, καὶ τὰς ἐφευρέσεις τῶν διεστραμμένων δογμάτων ὑπὸ Μιχαὴλ τοῦ βασιλέως δὶς κατὰ τοῦ μακαριωτάτου πατριάρχου Ἰγνατίου, καὶ ἅπαξ κατὰ τοῦ κορυφαιοτάτου τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου, ἀλύτοις ἀναθέματος δεσμοῖς συνεχόμεθα, καὶ τοὺς διεκδικοῦντας αὐτὰς, ἢ τὰς ἀσεβεῖς αὐτῶν πράξεις ἀποκρύπτοντας.

Περὶ δὲ τοῦ τιμιωτάτου Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου, καὶ τῶν ὑπὲρ αὐτοῦ φρονούντων, ὅπερ ἡ αὐθεντία τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου ἐξέθετο, ὅλῃ διανοίᾳ ἀκολουθοῦμεν. ταύτην οὖν τὴν ὁμολογίαν ἐγὼ ὁ δεῖνα ἐποίησα ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας, ὁ δεῖνα, ἐκκλησίας· καὶ χειρὶ οἰκείᾳ ἔγραψα, καί σοι τῷ ἁγιωτάτῳ δεσπότῃ καὶ μεγάλῳ Ἀρχιερεῖ καὶ οἰκουμενικῷ πάπᾳ Ἀδριανῷ διὰ τῶν ἀποκρισιαρίων ἐπιδέδωκα.

Μετὰ





Μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν ἀναστὰς Βαάνης ὁ πανεύφημος πραιπόσιτος· οἱ βασιλεῖς εἶπεν, ἡμῖν οἱ ἅγιοι τὸ δίκαιον ζητοῦσι.

Καὶ οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· ἀρέσκει πᾶσιν ὁ λίβελλος οὗτος.

Οἱ δὲ τοποτηρηταὶ τῆς ἀνατολῆς ἐζήτησαν ἀναγνωσθῆναι καὶ τὸν παρ' αὐτῶν ἐκτεθέντα ὅρον, ὃς καὶ ἀνεγνώσθη παρὰ Στεφάνου ἐπιγεγραμμένος οὕτως.

Ὅρος Θωμᾶ μητροπολίτου Τύρου πρωτοθρόνου καὶ ἐξάρχου, καὶ τοποτηρητοῦ τῆς Θεουπόλεως, καὶ Ἠλία πρεσβυτέρου καὶ συγκέλλου τοῦ θρόνου Ἱεροσολύμων, ἐκφωνηθεὶς ἐν Κωνσταντινουπόλει πρὸ τοῦ τοὺς τοποτηρητὰς ἀφικέσθαι τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης.

ΤΩΝ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων σύγχυσιν πεποιθότων ἐξ ἐπηρείας τοῦ μισοκάλου δαίμονος, ὁ πάντων κηδεμὼν Κύριος ἀνέστησε τῇ Ῥωμαϊκῇ ἀρχῇ βασιλέα θεοφιλέστατον, τὸν εὐσεβέστατον Βασίλειον, δι' οὗ τὰ ἐκκλησιαστικὰ σκάνδαλα ἀνελεῖν ἠβουλήθη· ὃς μετεκαλέσατο καὶ τὴν ἡμετέραν ταπείνωσιν ἐκ τῶν ἀνατολικῶν θρόνων καὶ διοικήσεων, ἵνα μετὰ τῶν προσδοκωμένων ἀφικέσθαι ἀπὸ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν περιεσκεμμένως τὰς ἐκκλησιαστικὰς διαλύσωμεν ἔριδας. ἐπεὶ δὲ πολλὴ γέγονεν ἡ ἐκείνων βραδυτὴς, δι' ὑποψίαν τῆς ἐκ τῶν Ἀγαρηνῶν τυραννικῆς ἐξουσίας, καὶ φόβον τοῦ μὴ παθεῖν ἡμᾶς καὶ ὅλον τὸ τῶν Χριστιανῶν γένος τὰ ἀνήκεστα, καὶ πρὸ τῶν ἐκ Ῥώμης ἐλαυνομένων τότε τὴν γνώμην ἡμῶν ἐγγράφως δεδώκαμεν.

Ἐστὶ τοίνυν ἡμῖν δεδογμένον περὶ τῶν νῦν κινουμένων ὑμῖν πραγμάτων, ἐξ ἅπαντος ἕπεσθαι καὶ πειθαρχεῖν τοῖς ὅροις τοῦ μακαριωτάτου πάπα Νικολάου πάντας ἀνθρώπους, οἷς καὶ ἡμεῖς συνηγοροῦμεν καὶ συμφθεγγόμεθα. καὶ ἔσται ὁ μὲν ἁγιώτατος Ἰγνάτιος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως, οἱ δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ φρονοῦντες πάντες καὶ αὐτοὶ ἀποκαταστήσονται, ἕκαστος εἰς τὸ ἴδιον τάγμα. ἀλλὰ καὶ οἱ τῷ Φωτίῳ συνιεργεῖν ἀνασχόμενοι, ἐὰν ἐν τῇ καθαιρέσει ἐκείνου τῇ ἐκκλησίᾳ προσέδραμον, ἢ προσδράμωσι μέχρι τῆς περαιώσεως τῆς ἁγίας συνόδου ταύτης, δεχθήσονται, ἐν ἐπιτιμίοις ὑποβληθέντες τοῖς δοκοῦσι τῷ πατριάρχῃ Ἰγνατίῳ. τὸν δὲ Φώτιον παντάπασιν ἡγούμεθα τῆς ἱερατικῆς ἐνεργείας καὶ ὀνομασίας ἀλλότριον, καὶ ἀναθεματίζομεν, ἐὰν μὴ πειθαρχήσῃ τῇ συνοδικῇ κρίσει. ὁ γοῦν ἀπὸ τῆς διαγνώσεως τῶν ἐνταλμάτων τοῦ μακαριωτάτου πάπα Νικολάου, καὶ τῆσδε ἡμῶν ἐπικρίσεως, κατατολμήσων ἀθετῆσαί τι, ἢ παραδέξασθαι τοὺς τοιούτους, ὅστις ἂν εἴη, ἀνάθεμα ἔστω.

Μετὰ γοῦν τὴν τοῦ τοιούτου ὅρου ἀνάγνωσιν, οἱ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης τοποτηρηταὶ εἶπον· ἀρέσκει ἡμῖν ὁ ὅρος. συνεφθέγξαντο δὲ οἱ λοιποὶ πάντες οἱ ἐν συγκλήτῳ τε καὶ συνόδῳ.

Ἠρώτησε δὲ ἡ σύγκλητος διὰ Βαάνου πραιποσίτου τοὺς τοποτηρητὰς Ῥώμης· τὸν Φώτιον ποτὲ μὴ ἰδόντες, πῶς καθείλετε, καὶ ἀνεθεματίσατε;

Καὶ εἶπον οἱ τοποτηρηταί· ὁ ἁγιώτατος πάπας Νικόλαος ἰδὼν τὰ γράμματα καὶ τὰς ἐπιστολὰς Φωτίου τοῦ ἐπιβήτορος, καὶ ἀπόντα ὡς παρόντα διὰ



Lecto libello, Baanes præpoſitus ampliſſimus ſurrexit; & ſacri, inquit, nobis imperatores, quod æquum eſt, quærunt.

Legati dixerunt: Placet omnibus hic libellus.

Vicarii autem orientis poſtulaverunt, ut ab ipſis quoque expoſita definitio recitaretur; quæ & lecta eſt a Stephano diacono, cujus hic erat tenor.

*Sententia ſive definitio Thomæ metropolitæ Tyri primatis & exarchi, & Eliæ presbyteri & ſyncelli eccleſiæ Hieroſolymorum; pronuntiata Conſtantinopoli antequam legati veteris Romæ veniſſent.*

IN ſumma veſtrarum rerum eccleſiaſticarum perturbatione, quæ per invidiam cacodæmonis omnis boni hoſtis concitata eſt, excitavit omnium curator dominus Romano imperio principem Dei amantiſſimum, religioſiſſimum Baſilium, per quem eccleſiæ offenſiones & ſcandala tollere voluit: qui & nos ex orientis ſedibus & diœceſibus excivit, ut cum expectatis veteris Romæ ſanctiſſimis legatis prudenter eccleſiaſticas controverſias componeremus. Poſtquam vero illi diu cunctati ſunt, nos propter ſuſpectam Agarenorum tyrannicam poteſtatem, & metum, ne quid nobis gravius accideret, totumque Chriſtianorum genus in ſummum diſcrimen veniret, non expectato Romanorum adventu, noſtram ſententiam ſcripto conſignatam tradidimus.

Eſt igitur nobis de rebus modo agitatis viſum, beatiſſimi papæ Nicolai decretis omni ex parte ſtandum ab omnibus & parendum eſſe, quibus & nos ſuffragamur & aſſentimur. Sanctiſſimus Ignatius patriarcha Conſtantinopolitanus eſto, cunctique illum ſecuti, ſinguli in ſuas ſedes & dignitatem reſtituentur. Quin & qui cum Photio conſpirarunt, ſi in exauctoratione Photii ad eccleſiam confugiant, aut dum ſancta ſynodus celebratur, confugerint, epitimiorum cenſuræ ſubjecti ad Ignatii patriarchæ judicium, recipientur. Photium autem a ſacerdotali officio & nomine penitus alienum judicamus, & anathemati tradimus, niſi in ſynodi poteſtate eſſe voluerit. Quicumque igitur poſt cognita beatiſſimi papæ Nicolai præcepta, & hoc noſtrum judicium, his refragatus, in ſententia contumax perſtiterit, aut contumaces receperit, quicumque ille ſit, anathema eſto.

Perlecta hac ſententia, veteris Romæ legati dixere: Placet nobis ſententia. acclamaruntque ceteri omnes, cum ex ordine ſenatorio, tum univerſi qui in ſynodo erant præſentes.

Quærebat deinde per Baanem præpoſitum ſenatus ex legatis Romanis: Qua ratione Photium nunquam vobis antea viſum damnaviſtis, & anathemate percuſiſtis?

Legati dixerunt: Sanctiſſimus papa Nicolaus cum vidiſſet literas & epiſtolas Photii qui thronum invaſit, abſentem,

tam-

ACTIO II. CONC. VIII. GENER.

tamquam per ipſius literas præſentem, & per apocriſiarios ipſius, damnavit. Erant enim apocriſiarii ipſius & imperatoris, quorum ſcripta continebant Ignatii ejectionem, petebantque uti legatus Conſtantinopolim mitteretur. miſſique ſunt Rhadoaldus & Zacharias: qui tamen cum contra Nicolai imperium & mandata feciſſent, poſt reditum in urbem a Nicolao papa agnoſcente omnia quæ contra Ignatium acta eſſent, contra canones fuiſſe peracta, exauctorati ſunt. Hæc legati veteris Romæ.

Rurſum Baanes præpoſitus ad legatos orientis: Vos autem hic diu morati, quare vicinum habentes Photium ejus acta non indagaſtis, demumque (poſt indagationem) condemnaſtis? Hic cum ſyncellus, patriarchæ Hieroſolymorum legatus, ſurrexiſſet: Haud, inquit, ignoratis patriarcharum vertices in orbe propterea a Spiritu ſancto eſſe inſtitutos, uti pullulantia in eccleſia mala & ſcandala per illos opprimerentur. Quapropter cum Romanæ eccleſiæ prima ſedes Photium non recepeRit, neque tres orientis throni, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, non opus erat eum in quæſtionem & judicium denuo vocari; uti & nos minime male fecimus, cum a Romana eccleſia & orientis eccleſiis non receptum ad inquiſitionem non adduximus: clara enim illius cauſa erat & damnatio. Et nos quando Conſtantinopolim venimus, & quando exulabat adhuc Ignatius, patriarcham eum, quamvis ſuo pulſum ſolio, agnovimus. Et quamquam cum Photio coram non egerimus, cum ſectatoribus tamen illius diverſis congreſſi ſumus, vanaſque illius defenſiones excuſationeſque indagavimus. Ajebant enim Ignatium ejectum in exilium ſeſe abdicaſſe. Quod ſi qui vero cenſent, eos qui Photium conſecrarunt, eadem ſententia damnandos eſſe, non recte ſentiunt. Etenim cum natura infirmi ſimus, mortis metum nobis imminentis non ferebamus. Quapropter & nos, qui metu (tyrannorum) capita ſubmiſimus, mox tamen illa rurſum execrati ſumus quæ ille auſus eſt (Photius) adverſus Ignatium, venia digni ſumus. Hæc ab ipſis Photianis audita legati orientis expoſuerunt. At vero magnificentiſſimi & glorioſiſſimi principes hac ratione accepta immortales Deo gratias perſolverunt, quod omni dubitatione eſſent exſoluti; conciliumque illo die cum fauſta imperatorum acclamatione dimiſerunt. Statim enim Stephanus ſacer notarius exclamavit:

Multos annos Auguſtis
Baſilio, Conſtantino, Leoni,
Eudociæ piiſſimæ Auguſtæ.
Nicolao papæ Romano memoria ſempiterna.
Hadriano multos annos.
Ignatio multos annos.
Patriarchis orientis multos annos.

A τῶν ἐπιστολῶν καὶ τῶν ἀποκρισιαρίων ἔκρινεν αὐτόν. ἦσαν γὰρ ἀποκρισιάριοι ἐκείνου καὶ τοῦ Βασιλέως, καὶ αἱ γραφαὶ περιεῖχον τὴν ἐκβολὴν τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου, ἤτουν δὲ σταλῆναι καὶ ἀποκρισιάριον εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν. καὶ ἀπεστάλησαν Ῥαδοάλδος καὶ Ζαχαρίας, οἳ καὶ πεποιηκότες παρὰ τὰ ἐντεταλμένα ἀπὸ τοῦ πάπα, καθῃρέθησαν παρ' αὐτοῦ, μετὰ τὸ ἐκεῖσε ἐπιδημῆσαι, ἐπιγνόντος πάντα τὰ πραχθέντα ἐν τῇ καθαιρέσει Ἰγνατίου παράνομα. ταῦτα εἶπον οἱ τοποτηρηταὶ Ῥώμης.

Πάλιν οὖν ὁ πραιπόσιτος τοὺς ἀνατολικοὺς ἤρετο τοποτηρητάς. ὑμεῖς δὲ πολὺν ἐνταῦθα διαγαγόντες χρόνον, πῶς ἐγγὺς ἔχοντες τὸν Φώτιον, οὐκ B ἐξητάσατε τὰ κατ' αὐτὸν, καὶ οὕτω κατεκρίνατε; καὶ ἀναστὰς ὁ σύγκελλος, ὁ τὸν τόπον τοῦ Ἱεροσολύμων ἐπέχων· γινώσκετε πάντες, εἶπεν, ὅτι διὰ τοῦτο τὰς πατριαρχικὰς κεφαλὰς ἐν τῷ κόσμῳ ἔθετο τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἵνα τὰ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ ἀναφυόμενα σκάνδαλα δι' αὐτῶν ἀφανίζωνται. τοιγαροῦν τοῦ προκαθημένου θρόνου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης μηδαμῶς ἀποδεξαμένου τὸν Φώτιον, μήτε μὴν τῶν τῆς ἀνατολικῆς τριῶν θρόνων, τοῦ Ἀλεξανδρείας, τοῦ Ἀντιοχείας, τοῦ Ἱεροσολύμων, οὐκ ἦν χρεία μετακαλεῖσθαι αὐτὸν εἰς ἐξέτασιν καὶ ἀνάκρισιν. ὥστε καὶ ἡμεῖς καλῶς ἐποιή-
C σαμεν, τὸν μηδέποτε τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ, ἢ τοῖς ἀνατολικοῖς θρόνοις ἀποδεχθέντα, μηδαμῶς ἀγαγόντες εἰς ἐξέτασιν· εἶχε γὰρ πρόδηλον τὴν καταδίκην. καὶ ὅτε δὲ εἰς Κωνσταντινούπολιν παρεγενόμεθα, * Ἰγνάτιος ἐξόριστος ἦν, καὶ ἡμεῖς τότε αὐτὸν εἴχομεν πατριάρχην, κἂν ἔξω ἦν τοῦ οἰκείου θρόνου. καὶ τῷ Φωτίῳ δὲ εἰ οὐ συνετύχομεν αὐτοπροσώπως, ἀλλὰ διαφόροις τοῖς ὁμογνώμοσιν αὐτοῦ συνετύχομεν, καὶ ἐμανθάνομεν τὰς ἀπολογίας αὐτοῦ ματαίας· ἔλεγον γὰρ, ὅτι μετὰ τὸ ἐξορισθῆναι τὸν Ἰγνάτιον, παρῃτήσατο. εἰ δὲ λέγουσί τινες, ὅτι οἱ τὴν χειροτονίαν Φωτίου ποιησάμενοι, ἄξιοί εἰσι τῆς αὐτῆς αὐτῷ κατακρίσεως,
D τοῦτο οὐ καλῶς λέγουσι. καὶ γὰρ φύσεως ἀσθενοῦς ὑπάρχοντες, οὐκ ἐφέρομεν τὸν θάνατον ἐπιόντα ἡμῖν. διὸ καὶ οἱ διὰ φόβον ὑποκύψαντες, εἶτα μετ' ὀλίγον ἀπαρεσθέντες τοῖς παρ' αὐτοῦ τετολμημένοις κατὰ Ἰγνατίου, συγγνώμης ἐσμὲν ἄξιοι. τοιαῦτα ἀπὸ φωνῆς τῶν περὶ τὸν Φώτιον εἶπον οἱ ἀνατολικοὶ τοποτηρηταί. οἱ δὲ μεγαλοπρεπέστατοι καὶ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες θεραπευθέντες ἐκ τοῦ τοιούτου λόγου, ἐφ' οἷς ἠπόρουν, ηὐχαρίστησαν τῷ Θεῷ, καὶ ἔπαυσαν τὸν σύλλογον τὴν ἡμέραν ἐκείνην, συγκλείσαντες τὸν λόγον εἰς εὐφημίαν τῶν βασιλέων. εὐθὺς γὰρ Στέφανος ὁ καθωσιωμένος νοτά-
E ριος εἶπε.

Πολλὰ τὰ ἔτη τῶν βασιλέων
Βασιλείου, Κωνσταντίνου, καὶ Λέοντος,
Εὐδοκίας τῆς εὐσεβεστάτης Αὐγούστης.
Νικολάου πάπα Ῥώμης αἰωνία ἡ μνήμη.
Ἀδριανοῦ πολλὰ τὰ ἔτη.
Ἰγνατίου καὶ τῶν τριῶν ἀνατολικῶν πατριαρχῶν πολλὰ τὰ ἔτη.

* ἴσ. καὶ ἔτι Ἰγνάτιος

ANNO CHRISTI 869.

ΠΡΑ-



ANNO CHRISTI 869.

A

## ΠΡΑΞΙΣ Β'.

ΕΝ ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. νόναις Ὀκτωβρίου, συνελθόντων τῶν ἐν τῇ πρώτῃ πράξει ἀπογεγραμμένων ἱερέων καὶ συγκλητικῶν, ἔστη ἐν τῷ μέσῳ Παῦλος ὁ θεοφιλὴς χαρτοφύλαξ, καὶ εἶπεν· οἱ περιπεπτωκότες ἐπὶ τῶν ἡμερῶν Φωτίου ἐπίσκοποι ἦλθον μετὰ λιβέλλων, καὶ αἰτοῦσιν εἰσαχθῆναι.

Εἶπον οὖν οἱ τοποτηρηταὶ Ῥώμης καὶ τῆς ἀνατολῆς· εἰσαχθήτωσαν.

Καὶ εἰσῆλθον οἱ ἐπίσκοποι, αἰτοῦντες ἀναγνω- B σθῆναι τοὺς λιβέλλους.

Καὶ λαβὼν τούτους Στέφανος, ἀνέγνω ἕνα αὐτῶν ἔχοντα οὕτως.

Εἰ μὲν ὑπῆρχον ἄγνωστα ἐν τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ τὰ ἐπισυμβάντα δεινὰ παρὰ τῆς τοῦ Φωτίου διανοίας εἰς τοὺς τῆς ἐκκλησίας προμάχους, ἔδει τὴν ἡμετέραν μετριότητα πολὺν ἐξυφᾶναι λόγον ἐκτραγῳδοῦντα τὰ καθ' ἡμᾶς. ἐπεὶ δὲ τοιοῦτος ἦν ὁ ἀνὴρ, οἷος οὐδέποτε εἰς κακόνοιαν γέγονεν, ὑπεσκέλισεν ἡμᾶς, συναγαγὼν ἐκ τῶν ἀνατολικῶν πάντων πατριαρχικῶν θρόνων, ὡς δῆθεν ἀποκρισιαρίους συμφρονοῦντας αὐτῷ κατὰ τοῦ ἡγιασμένου Ἰγνατίου, καὶ οὕτως ἡμεῖς περιπεπτώκαμεν. C ὁ δὲ εἰς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον καὶ μέγαν Ἀρχιερέα Ἰγνάτιον τοσαῦτα κακὰ σκευωρήσας, ἐξορίας, αἰκισμοὺς, περιορισμοὺς, λιμαγχονήσεις, καὶ ὅσα ἄλλα οὐκ ἀγνοεῖτε, πῶς ἡμῶν τῶν ἁπλῶν ἔμελλε φείσασθαι ὁ σκοτεινὸς Φώτιος; διὸ καὶ ὑπήχθημεν ἄκοντες διὰ φόβον· καὶ ἐξομολογούμεθα αἰσχυνόμενοι, καὶ ἔχομεν ἐλπίδα σωτηρίας, οὐκ ἐκ τῶν ἔργων ἡμῶν, ἀλλ' ἐκ τοῦ ὑμᾶς ὑπάρχειν θεομιμήτους. μετὰ γοῦν τῆς τοιαύτης ἐλπίδος, ἐν ταπεινώσει ψυχῆς καὶ συντριβῇ καρδίας εἰς τὴν ὑμῶν ἁγιωσύνην προσερχόμενοι, τὸν παρόντα λίβελλον ἐπιδεδώκαμεν, οὐκ ἐν χείλεσι δολίοις, ἀλλ' ἐξ εἰλικρινοῦς καθαρότητος· ὡς οὐκέτι Φωτίῳ τῷ ματαιό- D φρονι, ἢ τοῖς ἐκείνου ὁμόφροσι προσκολληθῶμεν, ἕως ἐμμένωσιν εἰς τὴν κακίαν αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐπιστρέφωσιν εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ καθολικὴν ἐκκλησίαν. ὁμολογοῦμεν καὶ λαμβάνειν καὶ τὸ διωρισμένον ἀπὸ τοῦ ἁγιωτάτου Ἀρχιερέως ἡμῶν ἐπιτίμιον ἀσμένως.

Καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν, οἱ τοποτηρηταὶ, δεχόμεθα ὑμᾶς, εἶπον.

Δοθήτω δὲ ὁ λίβελλος, πάντες ἐξεβόησαν, τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ Ἰγνατίῳ.

Εἶπεν οὖν ὁ πατριάρχης· τεθήτω ὁ λίβελλος εἰς τὰ τίμια ξύλα, καὶ οὕτως αὐτὸν λαβόντες, καὶ δώ- E σουσί μοι αὐτόν. οὗ γενομένου, ἔλαβεν ὁ πατριάρχης τὰ ὠμοφόρια τῶν ἐπισκόπων, καὶ δέδωκε τούτοις, εἰπὼν πρὸς Θεόδωρον τὸν Καρίας· ἴδε ὑγιὴς γέγονας, μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν τί σοι γένηται. καὶ ἐκάθισεν ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν τάξιν μετ' εὐχαριστίας πολλῆς.

Πάλιν οὖν ὁ θεοφιλὴς χαρτοφύλαξ εἶπε καὶ περὶ πρεσβυτέρων ὁμοίως λιβέλλους ἐπιφερομένων καὶ ζητούντων εἰσελθεῖν· ὃ καὶ ἐπετράπη. καὶ εἰσῆλθον κἀκεῖνοι μετὰ τῆς αὐτῆς τῶν ἐπισκόπων ταπεινώσεως καὶ ἐξομολογήσεως, καὶ ἔτυχον τῆς αὐτῆς συμπαθείας.



ACTIO II. CONC. VIII. GENER.

## ACTIO SECUNDA.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Nonis Octobribus, coactis in concilium iis qui priore actione deſcripti ſunt, ſacerdotibus & ſenatu, in medium progreſſus Paulus Deo amabilis chartophylax, dixit: Epiſcopi, qui dum Photius thronum occuparet, ceciderunt, adſunt cum libello ſupplici, & cupiunt admitti.

Romani, orientiſque legati dixerunt: Introducantur.

B Ingreſſi epiſcopi libellos legi petiverunt.

Stephanus acceptum unum, & in hunc modum ſcriptum legit.

Si quidem Romæ ignota eſſent quæ Photius indigna in eccleſiæ antiſtites excogitavit, eſſet cur noſtra tenuitas longam pertexeret orationem, qua res noſtras graviore querimonia deploraremus. Sed cum ejuſmodi is homo fuerit, cui nemo unquam ingenii pravitate & ſcelere par eſſet; impoſuit nobis, ut qui ex omnibus orientis ſedibus ſictitios legatos ſubornarit, qui ſecum contra ſanctum Ignatium conſpirarent; & nos hunc in mo- C dum ab illo circumventi ſumus. Ille vero cum in virum Dei ſacrumque antiſtitem Ignatium tanta mala machinatus eſſet, exilia nempe, verbera, carceres, extremam famem, & quæ ipſi alia non ignoratis, quomodo nobis viliſſimis abjectiſſimiſque tenebricoſus ille Photius peperciſſet? Quapropter metu oppreſſi coactique, illi ſuffragati ſumus: quod ſane haud abſque rubore confitemur; ſperamuſque nos, haud noſtra tamen virtute & factis, ſed per vos Dei imitatores, ſalutem eſſe conſecuturos. Hac ergo ſpe freti, in humilitate animæ noſtræ & contritione cordis ad veſtram ſanctitatem provoluti, hunc libel- D lum porreximus, non in labiis doloſis, ſed ex ſincera & integra mente, ut numquam amplius inſipienti Photio adhæſuri, neque Photianis conſenſuri ſimus, dum in prava animi ſui contumacia perſtiterint, neque ad eccleſiam catholicam revertentur. Profitemur etiam nos conſtitutam a ſanctiſſimo antiſtite noſtro pœnam libenter accepturos.

Lecto libello, veteris Romæ legati dixerunt: Recipimus vos.

Exclamarunt omnes: Detur libellus ſanctiſſimo patriarchæ Ignatio.

Patriarcha dixit: Ponatur libellus ſuper precioſa ligna, & ſic receptum mihi E porrigant. Quo facto, patriarcha accipiens epiſcopalia ſuperhumeralia, iis dedit, & Theodoro epiſcopo Cariæ dixit; *Ecce ſanus factus es, jam noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat.* Jo. 5. ſingulique ſuo quiſque loco aſſederunt, actis immenſis Deo gratiis.

Rurſus Deo amabilis chartophylax etiam de presbyteris pariter libellum ſupplicem offerentibus, audientiamque petentibus, retulit. Admiſſi eadem cum animi ſubmiſſione & culpæ confeſſione, quam antea epiſcopi adhibuerant, ingreſſi ſunt, eamdemque clementiam ſunt



ex-

ACTIO III. CONC. VIII. GENER.

experti. Quod idem & a diaconis & reliquis clericorum ordinibus eſt factitatum.

Tum patriarcha dixit: Præſcripta epitimiorum pœna cunctis lapſis, audientibus omnibus legatur.

Acceptam ergo Stephanus notarius legit: Qui carnibus veſcuntur, pœna eſto, ne carnibus, caſeo, ovo veſcantur. Qui alias a carnibus abſtinent, abſtineant ab ovo, caſeo, piſce; feria quarta & ſexta; oleraque & legumina comedant cum modico oleo & vino. In genua procumbant quotidie quinquagies, & illud, Domine ignoſce mihi, inclament centies, recitentque pſalmos, ſextum, & trigeſimum ſeptimum, & quinquageſimum. Hæc obſervari volo uſque ad natalem domini, quando ſimul recipietis ſacerdotii dignitatem. His lectis, uſitatis rurſus acclamationibus in Auguſtos factis, actio finita eſt.

## ACTIO TERTIA.

IN nomine domini, domini Jeſu Chriſti; & quæ ſequuntur, more priorum actionum. Indictione tertia, v. Idus Octobres: Præſentibus legatis & ſenatu, reliquiſque epiſcopis, in quorum cœtu ſurrexerunt Metrophanes Smyrnæ, Nicephorus Amaſiæ, Nicetas Athenarum, epiſcopi, qui: Par, inquiunt, eſt, ut hæc ſancta & œcumenica ſynodus audiat epiſtolas imperatoris ad pontificem Romanum; & antiſtitum orientis, noſtrique patriarchæ.

Romani legati dixere: Audivimus quoſdam epiſcopos ex iis quos S. Methodius & ſanctus noſter Ignatius conſecrarunt, in errore verſari. Veſtræ ergo pietati mandamus, ut ex auctoritate canonica illos acceſſitum eatis, ut faciant quod decretum eſt a veritate, atque a ſancta ſynodo ſuſcipiantur, fidem in libello ſupplici promiſſam præſtantes, uti & ceteri fecerunt. Idem juſſere reliqui orientis legati. Ergo nuncupati metropolitæ ad Theodulum Ancyræ, & Nicephorum metropolitam Nicææ abiere, ſynodique mandata expoſuere. Qui reſponderunt: De propoſitis ſubſcriptionibus affirmamus, nos propter præteriti temporis & æquas & iniquas ſubſcriptiones vexatos, inter nos caviſſe & vinculo devinxiſſe, nunquam nos amplius ſubſcripturos aliud quam quod ſubſcripſimus, atque in ſymbolo fidei noſtræ profeſſi ſumus: quod & in chartophylacio, cum conſecraremur, reconditum eſt. Quamobrem & ſanctam ſynodum rogamus, ut ſi fieri poſſit, permittat a nobis ea quæ profeſſi ſumus, obſervari. Quæ cum metropolitani ad legatos retuliſſent, imperarunt legati, ut eadem ſynodo publice renuntiarent. Quod ubi factum, legati dixere:

Legatur epiſtola imperatoris ad papam Nicolaum; quam devotus notarius in hunc ſenſum ſcriptam legit.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, unius & ſolius veri Dei, Baſilius fidelis Romanorum imperator Nicolao ſanctiſſimo papæ Romano.

ANNO CHRISTI 869.

τὸ αὐτὸ δὲ καὶ ἐπὶ τοῖς διακόνοις γέγονε, καὶ τοῖς λοιποῖς τοῦ κλήρου τάγμασιν.

Εἶπε δὲ μετὰ τοῦτο ὁ πατριάρχης· τὰ ὁρισθέντα ἐπιτίμια πᾶσι τοῖς περιπεπτωκόσιν εἰς ἐπήκοον ἀναγνωσθήτωσαν.

Καὶ λαβὼν Στέφανος νοτάριος ἀνέγνω. ἔστω τὸ ἐπιτίμιον τῶν μὲν κρεωφαγούντων, ἀποχὴ κρέατος, τυροῦ καὶ ὠοῦ· τῶν δὲ μὴ κρεωφαγούντων, τυροῦ, καὶ ὠοῦ, καὶ ἰχθύος, τετράδα καὶ παρασκευὴν· ἐσθιέτωσαν ὄσπρια καὶ λάχανα μετὰ ἐλαίου βραχέος καὶ οἴνου· ποιείτωσαν γονυκλισίας καθ᾽ ἡμέραν, ν´. καὶ τὸ, Κύριε συγχώρησόν μοι, κράζειν, ρ´. καὶ στιχολογεῖν τὸν ς´ ψαλμὸν, τὸν λζ´, καὶ τὸν ν´. ταῦτα ἐντέλλομαι φυλάττειν ἄχρι τῆς Χριστοῦ γεννήσεως, ὁπότε δὲ ἀπολήψεσθε καὶ τὴν τῆς ἱερωσύνης ἀξίαν. μετὰ τὴν τοιαύτην ἀνάγνωσιν πάλιν ἐγένοντο αἱ συνήθεις εὐφημίαι τῶν βασιλέων, καὶ ἐπαύθησαν.

## ΠΡΑΞΙΣ γ´.

ΕΝ ὀνόματι τοῦ Κυρίου καὶ δεσπότου Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ τὰ λοιπὰ ὡς ἐν ταῖς λοιπαῖς πράξεσιν. ΙΝ. Γ. πρὸ πέντε εἰδῶν Ὀκτωβρίων. ἐπὶ παρουσίᾳ τῶν τοποτηρητῶν, καὶ τῶν συγκλητικῶν, καὶ τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων. τούτων συνελθόντων, ἀναστὰς Μητροφάνης ὁ Σμύρνης, Νικηφόρος Ἀμασείας, καὶ Νικήτας Ἀθηνῶν, εἶπον· εὐσχημόν ἐστι τὴν ἁγίαν ταύτην καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον ἀκοῦσαι τὰς ἐπιστολὰς τοῦ βασιλέως, τὰς πρὸς τὸν πάπαν Ῥώμης, καὶ τῶν τῆς ἀνατολῆς προέδρων, καὶ αὖθις τοῦ πατριάρχου ἡμῶν.

Εἶπον οἱ τοποτηρηταὶ Ῥώμης· ἀκηκόαμεν, ὅτι εἰσί τινες ἐπίσκοποι πλανηθέντες, χειροτονίας ὄντες τοῦ μακαριωτάτου Μεθοδίου καὶ τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου. ἐντελλόμεθα τῇ εὐλαβείᾳ ὑμῶν πορευθῆναι πρὸς αὐτοὺς, καὶ κατὰ τὴν κανονικὴν αὐθεντίαν προσκαλέσασθαι, ἵνα ποιήσωσι τὸ κεκριμένον καὶ δεδογμένον τῇ ἀληθείᾳ, καὶ δεχθῶσι παρὰ τῆς ἁγίας συνόδου, ποιήσαντες κατὰ τὴν τοῦ λιβέλλου πληροφορίαν, καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ ἐποίησαν. τοῦτο εἶπον καὶ οἱ λοιποὶ τοποτηρηταί. καὶ ἀπῆλθον οἱ εἰρημένοι μητροπολῖται πρὸς Θεόδουλον Ἀγκύρας, καὶ Νικηφόρον μητροπολίτην Νικαίας, καὶ εἶπον τὰ ἐντεταλμένα. οἱ δὲ ἀπεκρίθησαν· περὶ τῆς προκειμένης ὑπογραφῆς λέγομεν, ὅτι διὰ τὰς προγεγενημένας παραλόγους καὶ εὐλόγους ὑπογραφὰς βαρυνθέντες, ὡρίσαμεν ἑαυτοῖς, καὶ δεσμὸν ἐπιτεθείκαμεν, μηκέτι ὑπογράψαι, πλὴν τοῦ, ὅ, τι ὑπεγράψαμεν καὶ ὡμολογήσαμεν, δηλαδὴ τοῦ τῆς πίστεως ἡμῶν συμβόλου, ὃ ἀπόκειται ἐν τῷ χαρτοφυλακίῳ ἐν τῇ χειροτονίᾳ ἡμῶν. διὸ παρακαλοῦμεν τὴν ἁγίαν σύνοδον, ἐὰν ἔστι δυνατὸν, ἵνα παραχωρήσῃ ἡμῖν φυλάξαι ὅπερ ὡρίσαμεν. ἀπήγγειλαν ταῦτα τοῖς τοποτηρηταῖς οἱ μητροπολῖται. οἱ δὲ εἶπον, καὶ πρὸς τὸ κοινὸν αὐτὰ λαληθῆναι. οὗ γεγονότος, πάλιν εἶπον οἱ τοποτηρηταί·

Ἀναγνωσθήτω ἡ ἐπιστολὴ τοῦ βασιλέως πρὸς τὸν πάπαν Νικόλαον. καὶ λαβὼν ταύτην ὁ καθωσιωμένος νοτάριος ἀνέγνω ἔχουσαν οὕτως.

Ἐν ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τοῦ ἑνὸς καὶ μόνου ἀληθινοῦ Θεοῦ· Βασίλειος πιστὸς βασιλεὺς Ῥωμαίων Νικολάῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πάπᾳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης.



ANNO CHRISTI 869.

Τῆς ἡμετέρας γνώμης ὅπως ἔχει τὸ βούλημα περὶ τῶν καθ᾽ ἡμᾶς ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλὴ, ἐν τῷ πρὸ τούτου παρεδηλώσαμεν γράμματι· συνείδομεν δὲ καὶ νῦν ὥσπερ ἐν κεφαλαίῳ τὰ αὐτὰ ἐπιμνησθῆναι, καὶ τὰ λείποντα προσθεῖναι. ἐκεῖνο τὸ γράμμα εἶχεν, ἐν ποίοις κακοῖς τὴν καθ᾽ ἡμᾶς ἐκκλησίαν εὑρήκαμεν, ἄρτι τῆς βασιλείας ἁψάμενοι, ἐκ μὲν τοῦ ποιμένος γεγυμνωμένην, ὀθνείῳ ποιμένι δεδουλωμένην. ἔτι εἶχεν, ἃ μὲν ἡμῖν πέπρακται; ἃ δὲ τῇ ὑμετέρᾳ πατρικῇ ὁσιότητι καταλέλειπται. ἡμεῖς μὲν γὰρ τὸν Φώτιον τοῦ θρόνου μετεκινήσαμεν, ὥστε πρὸς ἑαυτὸν ἡσυχάζειν. Ἰγνάτιον δὲ τὸν ἀδικηθέντα, κατὰ τὴν ἐν διαφόροις ἐπιστολαῖς ὑμῶν κρίσιν, ἃς οἱ προκατάρξαντες ἡμῶν ἀποκρυβῆναι ἐσπούδασαν, ἐπὶ τὸν ἴδιον θρόνον ἀποκατεστήσαμεν. τοῖς λοιποῖς δὲ τὸ πέρας ἐπιθεῖναι, μᾶλλον δὲ καὶ ταῦτα ἐπισφραγίσαι τῇ σῇ ὁσιότητι καταλελοίπαμεν. φαμὲν δὴ περὶ τῶν ἡμαρτηκότων ἱερέων, καὶ ὅσους ἀπάτῃ καὶ πανουργεύμασιν ὁ Φώτιος ἐφενάκισεν. ὀλίγοι γὰρ παντελῶς ἀνώτεροι τῆς ἐκείνου παγίδος γεγόνασι, περὶ ὧν ψῆφον κρίσιν τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην ποιήσασθαι ἠτησάμεθα, καὶ νῦν δὲ αἰτούμεθα· προστιθέντες τῷ γράμματι περὶ τῶν μετανοούντων, ὡς ἂν μὴ τοῖς τῆς καθ᾽ ἡμᾶς ἐκκλησίας Ἀρχιερεῦσι κοινὸν ἀπαντήσῃ ναυάγιον. ἵνα δὲ φανερὰ καὶ τοῖς τῷ Φωτίῳ προσκειμένοις ἡ ὑμετέρα ἔνθεος καὶ Ἀποστολικὴ γένηται γνώμη περὶ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἰγνατίου, καὶ τοῦ παναθλίου Φωτίου, ἐστάλησαν ἐξ ἀμφοτέρων μερῶν ἀποκρισιάριοι, καὶ παρ᾽ ἡμῶν ἕτεροι, ὥστε ἐνώπιον αὐτῶν τὰ δοκοῦντά σοι διορίσασθαι, συναποστεῖλαί τε καὶ ἀποκρισιαρίους πρὸς ἡμᾶς εἰς πληροφορίαν τῆς ὅλης ἐκκλησίας. ἀσπάζομαι τὴν ὁσίαν καὶ πεποθημένην ἐμοὶ κεφαλὴν ὡς χείλεσι τοῖς γράμμασιν. ἔρρωσο.

Μετὰ τὴν τοιαύτην ἐπιστολὴν ἀνεγνώσθη ἡ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου ἐπιστολὴ πρὸς τὸν πάπαν Νικόλαον, ἔχουσα οὕτως.

Τῷ θεοτιμήτῳ ἠγαπημένῳ μοι ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ, Νικολάῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πάπᾳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, Ἰγνάτιος ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης.

Τῶν ἐν τοῖς μέλεσιν ἀνθρώπων παρυφισταμένων τραυμάτων τε καὶ μωλώπων πολλοὺς ἰατροὺς ἡ τέχνη προεχειρίσατο· τῶν ἐν τοῖς μέλεσι δὲ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος, τῆς πάντων ἡμῶν κεφαλῆς καὶ νυμφίου τῆς καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, ἕνα καὶ μόνον ἐξῃρημένον τε καὶ καθολικώτατον ἰατρὸν αὐτὸς ὁ θεαρχικώτατος καὶ πανάλκέστατος λόγος προεχειρίσατο, τὴν σὴν δηλονότι ἀδελφικὴν καὶ πατρικὴν ὁσιότητα, δι᾽ ὧν φησι Πέτρῳ τῷ τιμιωτάτῳ καὶ κορυφαιοτάτῳ τῶν Ἀποστόλων· σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. καὶ πάλιν· σοὶ δίδωμι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας, καὶ ὃ ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἂν λύσῃς, ἔσται λελυμένον. τὰς δὲ τοιαύτας μακαρίας φωνὰς οὐ κατά τινα πάντως ἀποκλήρωσιν τῷ κορυφαίῳ μόνῳ περιέγραψεν, ἀλλὰ δι᾽ αὐτοῦ καὶ πρὸς πάντας τοὺς κατ᾽ ἐκεῖνον ἱεράρχας τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης παρέπεμψε, καὶ τούτου χάριν ἔκπαλαι καὶ ἀνέκαθεν



ACTIO III. CONC. VIII. GENER.

Quis noſter animus & conſilium de rerum eccleſiaſticarum apud nos ſtatu (ſancte divineque pontifex) ſit, prioribus literis expoſuimus. Viſum autem eſt, & nunc quaſi ſummatim eadem in mentem revocare, & quod ibi præteritum eſt, hic adjicere. Prior epiſtola docebat, in quibus malis eccleſiam noſtram offenderimus, cum imperium ſuſciperemus, ſuo nempe germano paſtore viduatam, alienoque mercenario oppreſſam. Quid præterea a nobis ſit ea in re tentatum, quid item veſtræ paternæ ſanctitati relictum. Nos enim Photium gradu movimus, ut in ordinem redactus ſibi vivat; Ignatium vero injuria affectum, ut judicio veſtro variis in epiſtolis veſtris declaraſtis, quas qui ante nos imperaverunt, ſupprimere conati ſunt, ſolio ſuo reſtituimus. Ut reliquis vero rebus finis imponatur, atque ut hæc ipſa confirmentur, ſanctitati tuæ integrum reliquimus: de lapſis, inquam, ſacerdotibus, & quicumque artibus Photii & inſidiis circumventi ſunt. Perpauci quippe reperiuntur, quos ille caſſibus ſuis non irretiverit: de quibus ut ſententia & judicium a ſanctitate tua feratur, petivimus, & vero nunc petimus, hoc de reſipiſcentibus adjecto literis noſtris capite; ne eccleſiæ noſtræ antiſtites commune naufragium patiantur. Ut autem ſanctitatis tuæ divinum & apoſtolicum judicium de ſanctiſſimo patriarcha Ignatio, & infeliciſſimo Photio, Photianis quoque palam fiat, ab utraque parte, atque alii quoque a nobiſipſis miſſi ſunt legati; ut præſentibus illis, cauſa a te definiatur, tuique legati una cum noſtris certiſſimam toti eccleſiæ fidem facturi mittantur. Sacrum tuum ac deſideratum caput per literas non ſecus ac ore exoſculor & complector. Vale.

Lecta imperatoris epiſtola, legitur & Ignatii patriarchæ ad papam Nicolaum in hanc ſententiam ſcripta.

A Deo honorato, dilecto fratri & ſymmyſtæ Nicolao ſanctiſſimo papæ veteris Romæ.

Ignatius Dei miſeratione archiepiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ.

Ad artus humani corporis plagis & vulneribus ſaucios curandos, medendi ars magnam medicorum copiam ſuppeditavit; in membris autem Chriſti Dei ac ſalvatoris, omnium capitis ac ſponſi catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, unum tantum ac ſolum ſelectum ac univerſaliſſimum medicum, tuam nempe fraternam paternamque ſanctitatem, ſupremum & fortiſſimum Dei Verbum conſtituit, cum Petro ſupremo ſanctiſſimoque apoſtolorum vertici dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et rurſum: *Tibi dabo claves regni* [*cælorum*,] *& quod ligaveris ſuper terram, ligatum erit in cælis; & quod ſolveris, erit ſolutum.* Hujuſcemodi enim beatas voces non ſoli apoſtolorum principi privata quadam ſorte tranſcripſit & aſſignavit, ſed per ipſum ad omnes Romanæ ſedis pontifices illi ſucceſſuros tranſmiſit. Hinc retro olimque ſemper, Matth. 16.

ACTIO IV. CONC. VIII. GENER.

cum hæreſes & ſcelera pullularent, noxias illas herbas & zizania apoſtolicæ ſedis veſtræ ſucceſſores extirparunt; & nunc tua beatitudo digne tractans acceptam a Chriſto poteſtatem, veritatis hoſtes fudit, & latronum more in Chriſti ovile per feneſtram aſcendentem, contraque Deum adeo ſe per arrogantiam ſurrigentem, ut etiam adverſus ſacroſanctam & inculpatam tuam poteſtatem ſynodum refingeret, & clanculum † regem per legatos ſolicitaret, medica manu ſacroſanctæ & apoſtolicæ auctoritatis a communi eccleſiæ corpore præcidiſti, & nos ab illo per ſcelus oppreſſos, ut amantiſſimus frater recte innocentes pronuntiaſti, noſtræque nos eccleſiæ per literas reſtituiſti. Nam divinitus evectus imperator noſter, ut fideliſſimus filius veſter, tuæ ſanctitatis ſententiam & decretum executus, utrumque (me inquam & Photium) pro æquitate cauſæ tractavit. De quibus omnibus Deo votis rite perſolutis, virum religioſiſſimum Joannem Sylæi metropolitam miſimus, qui & noſtram cauſam tueatur, & ſimul rerum eccleſiaſticarum deinceps adminiſtrandarum rationem, quæ Deo veſtræque ſapientiæ probabitur, accipiat.

† imperatorem Ludovicum.

Etenim cum duplex ſit ſacrorum hominum conſecratio; aliorum quidem, qui a nobis initiati ſunt; quique pro nobis ſponte chirographa conſcripſerunt: aliorum vero qui ab ſceleſtiſſimo Photio conſecrati, chirographa vel lubentes, vel coacti ſcripſere: rogamus, ut de his omnibus aliquid decernatur. Demum petimus, ut veſtræ ſanctitatis legati ad nos mittantur idonei, quibuſcum eccleſiæ noſtræ ſtatum bene & convenienter diſponamus.

Deinde lecta eſt epiſtola Hadriani papæ ad patriarcham Ignatium.

Epiſtola Hadriani papæ.

Neque ſcribendo explicari, neque dicendo exprimi poteſt, dilectiſſime frater, quantos certaminum labores is qui me præceſſit, ſanctæ memoriæ papa Nicolaus, cum ſubjecta ſibi eccleſia, tum pro eccleſia Conſtantinopolitana componenda, tum pro te reſtituendo, ſubierit. Cujus affectum & nos, quemadmodum & illi ſuffecti ſumus, induimus, eoſdemque pro te labores ſuſcipiemus. Ceterum quidquid modo nominatus Nicolaus apoſtolicæ memoriæ pontifex de ſchiſmatico & adultero Photio, nec non de te ſpeciatim, deque iis qui tecum mala perpeſſi ſunt, ſynodice canoniceque decrevit, illa & ego decerno.

De quibus vero judicium noſtrum & ſententiam rogaſti, nos omnino decretis Nicolai anteceſſoris noſtri ſtamus, & ante omnes Gregorium Syracuſanum, & Photium tyrannum, & quoſcumque ille in quocumque clericorum gradu collocavit, merito exortes communionis facimus. Photius enim iſte, homo profanus & forenſis, curialis & neophytus, qui ut adulter eccleſiam invaſit, olimque anathemate damnatus, nihil habuit, nihil dedit. Tuarum vero ærumnarum ſocios ob animi conſtantiam, quam pro veritate declararunt, complectimur: ac par eſt, ut horum virtutes pro meritis compenſes;

ANNO CHRISTI 869.

ἐν ταῖς ἀναφυείσαις αἱρέσεσι καὶ παρανομίαις ἐκριζωταὶ τῶν πονηρῶν ζιζανίων γεγόνασιν οἱ τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου ὑμῶν διάδοχοι. καὶ νῦν δὲ ἡ σὴ μακαριότης ἀξίως διατεθεῖσα τῆς δεδομένης σοι Χριστόθεν ἐξουσίας, τοὺς τῆς ἀληθείας ἀντιπάλους κατέβαλε, καὶ τὸν διὰ τῆς θυρίδος εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων λῃστρικῶς εἰσελθόντα, καὶ καταλαζονευσάμενον τοῦ Θεοῦ τοσοῦτον, ὥστε καὶ σύνοδον ἀναπλάσαι κατὰ τῆς σῆς ἀνεπιλήπτου ἱεραρχίας, καὶ πρὸς τὸν ῥῆγα λανθανόντως ἐκπέμψαντα, τῇ χειρουργίᾳ τῆς ἱεραρχικῆς σου καὶ Ἀποστολικῆς ἐξουσίας, τοῦ κοινοῦ τῆς ἐκκλησίας ἐξέτεμες σώματος, καὶ τοὺς ἠδικημένους ἡμᾶς ὡς φιλάδελφος ἐδικαίωσας δικαίως, καὶ τῇ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίᾳ, δι' ὧν ἔγραψας, ἀποκατέστησας. ὁ γὰρ θεοπρόβλητος ἡμῶν βασιλεὺς τῇ γνώμῃ καὶ ψήφῳ τῆς σῆς ὁσιότητος ἐξυπηρετούμενος, ὡς τέκνον ὑμῶν πιστότατον, ἑκατέρῳ κατ' ἀξίαν ἀπένειμεν. ἀνθ' ὧν ἁπάντων τῷ Θεῷ τὰς εὐχαριστηρίους εὐχὰς πέμψαντες, πεπόμφαμεν Ἰωάννην τὸν εὐλαβέστατον μητροπολίτην Συλαίου, ἅμα μὲν ἀνθ' ἡμῶν ἀπολογησόμενον, ἅμα δὲ καὶ περὶ τῶν ἐφεξῆς ἐκκλησιαστικῶν διοικήσεων ληψόμενον τὰς δοκούσας Θεῷ καὶ τῇ ὑμετέρᾳ σοφίᾳ διατάξεις.

Διττῆς γὰρ οὔσης τῆς τοῦ ἱερατικοῦ καταλόγου χειροτονίας· καὶ τῶν μὲν ἐξ ἡμῶν αὐτὴν δεδεγμένων, καὶ χειρογραφησάντων ὑπὲρ ἡμῶν αὐθαιρέτως, τῶν δὲ παρὰ τοῦ ἀνοσιωτάτου καὶ παλαμναίου Φωτίου, ἄλλων μὲν ἑκόντων, ἄλλων δὲ βιαζομένων παρ' ἐκείνου. περὶ τούτων πάντων ἀξιοῦμεν ὁρισθῆναι διάταξιν. ἔτι γε μὴν ζητοῦμεν καὶ τοποτηρητὰς τῆς ὑμετέρας μακαριότητος ἐπισκόπους ἀξιολόγους ἐλθεῖν, ἵνα σὺν αὐτοῖς καλῶς καὶ προσηκόντως διοικήσωμεν τὴν καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίαν.

Μετὰ τοῦτο ἀνεγνώσθη ἡ ἐπιστολὴ τοῦ πάπα Ῥώμης Ἀδριανοῦ πρὸς τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον.

Οὔτε γραφὴ διασαφῆσαι, οὔτε γλῶσσα ὁλικῶς ἐπαρκέσει διηγήσασθαι, ὦ ἠγαπημένε ἀδελφὲ, ὁπόσας ὑπὲρ τῆς συστάσεως τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ὑπὲρ τῆς σῆς ἀποκαταστάσεως παλαίστρας ἀγώνων ὁ προκάτοχός μου, ὁ τῆς ἁγίας μνήμης πάπας Νικόλαος ἅμα τῇ ὑπ' αὐτὸν ἐκκλησίᾳ ὑπέστη. οὗ τὴν διάθεσιν καὶ ἡμεῖς ἀναδεξάμενοι, καθὼς τοῦτον διαδεξάμεθα, οὕτω καὶ τοὺς ὑπὲρ σοῦ καμάτους διαδεξόμεθα. λοιπὸν ἅπερ ὁ προλεχθεὶς τῆς Ἀποστολικῆς μνήμης Ἀρχιερεὺς κανονικῶς τε καὶ συνοδικῶς περὶ τοῦ σχισματικοῦ καὶ μοιχοῦ Φωτίου, καὶ περὶ σοῦ εἰδικῶς, καὶ περὶ τῶν συγκακοπαθησάντων σοι ὥρισεν, ἐκεῖνα διατάττομαι καὶ αὐτός.

Καὶ περὶ ὧν δὲ ἡμᾶς οἰκονομίαν καὶ κρίσιν ἐζήτησας, τοῖς αὐτοῖς ὅροις ἑπόμενοι τοῦ μακαριωτάτου προκατόχου ἡμῶν, πρὸ πάντων Γρηγόριον τὸν Συρακούσης, καὶ Φώτιον τύραννον, καὶ οὓς αὐτὸς ἐν οἱῳδήποτε βαθμῷ προεβάλετο, ἀφορίζομεν ἐπαξίως. οὗτος γὰρ ὁ Φώτιος ἀνὴρ ἀγοραῖος, βουλευτικὸς, νεόφυτος, ἐπιβήτωρ καὶ μοιχὸς, καὶ ἀναπεθεματισμένος, οὐδὲν ἔχει, οὐδὲν ἔδωκεν. τοὺς δὲ σὺν σοὶ κακοπαθήσαντας καὶ ἀποδεχόμεθα τῆς προθυμίας ἣν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἐνεδείξαντο· καὶ ἀμείψασθαί σε τούτους ἀξίως πρέπει, ὥσπερ καὶ τοὺς παρορκήσαντάς ποτε εἰς σὲ, ἢ ἑκόν-



ANNO CHRISTI 869.

τας ἢ ἄκοντας, ἐὰν μετὰ τῆς προσηκούσης μετανοίας προσέρχωνται, χρῆναι δεχθῆναι λέγομεν· καὶ ἁπαξαπλῶς ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὅροις τοῦ πρὸ ἡμῶν ἁγιωτάτου πάπα ἕπεσθαι κρίνομεν. περὶ δὲ τῶν ἐν τῷ ἀθεμίτῳ συνεδρίῳ τῷ ἐφ' ὕβρει καὶ ἀτιμίᾳ τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου ἐν Κωνσταντινουπόλει γεγενημένῳ ἑκουσίως ὑπογραψάντων, ἧς τινος εἶεν τάξεως ἢ ἐπαγγελίας, μηδεμιᾶς χρηστότητος ἀξίους εἶναι κρίνομεν, εἰ μὴ ἡ πολλὴ εὐσπλαγχνία τῆς αὐτῆς καθέδρας, ἣν βλάψαι ἐπεχείρησαν, προφθάσῃ. ὅπερ καὶ ἐν τῇ οἰκουμενικῇ συνόδῳ τῇ κατὰ Καλχηδόνα γέγονεν. ἐτόλμησε γὰρ τότε ὁ Διόσκορος καὶ ἀκοινωνησίαν συνθεῖναι εἰς τὸν ἁγιώτατον πάπαν τῆς μεγάλης Ῥώμης Λέοντα. ἐντεῦθεν καὶ Ἀνατόλιος φάσκει, ὡς οὐ περὶ πίστεως καταλέλειται Διόσκορος, ἀλλ' ὅτι ἀκοινωνησίαν ἐπήγαγε τῷ μακαρίῳ πάπᾳ Λέοντι. οὕτω τῶν ἐπιστολῶν ἀναγνωσθεισῶν, εἰς εὐφημίαν τῶν βασιλέων ἐτράπησαν, καὶ τὸν σύλλογον διέλυσαν.

ACTIO IV. CONC. VIII. GENERAL.

ut eos etiam qui in te ſeu volentes, ſeu inviti aliquando pejerarunt, ſi cum ea pœnitentia, cum qua decet, acceſſerint, recipiendos dicimus, ac demum omnia prædeceſſoris noſtri ſanctiſſimi papæ decreta ſervanda. Illos vero qui in impio conciliabulo Conſtantinopoli in ſedis apoſtolicæ contumeliam & dedecus celebrato ſponte ſubſcripſerunt, cujuſcumque ſint ordinis aut profeſſionis, nulla venia clementiaque dignandos judicamus, niſi ejuſdem, quam offendere conati ſunt, eccleſiæ ingens eos præveniat commiſeratio. Quod & in generali concilio Chalcedonenſi factum eſt, cum Dioſcorus ſanctiſſimo papæ magnæ urbis Romæ Leoni eſt auſus excommunicationem impingere. Hinc & Anatolius dixit, Dioſcorum non propter fidem condemnatum eſſe, ſed quod excommunicationem Leoni papæ fecerit. Lectis in hunc modum epiſtolis, ad imperatorum acclamationes verſi, conventum ſolverunt.

## ΠΡΑΞΙΣ δ.

ΕΝ ὀνόματι τοῦ Κυρίου καὶ δεσπότου πάντων Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ τὰ λοιπὰ τὰ κατὰ τὰς παρελθούσας πράξεις. ἰνδικτιῶνος γ'. πρὸ γ'. εἰδῶν Ὀκτωβρίων. τούτων οὕτω συνελθόντων, στὰς ἐν μέσῳ Βαάνης ὁ πανεύφημος πραιπόσιτος εἰσὶν ἐπίσκοποι, εἶπε, χειροτονίαν ἔχοντες τοῦ μακαριωτάτου Μεθοδίου, Θεόφιλος καὶ Ζαχαρίας, οἱ τὸν Φώτιον ἀποδεχόμενοι. εἰ οὖν δοκεῖ, εἰσελθέτωσαν εἰς τὴν ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον.

Εἶπον οὖν οἱ τῆς συνόδου· ἀναγκαῖόν ἐστιν ἐλθεῖν ἐκείνους. καὶ ἀπέστειλαν ἐκ μὲν τῶν τοποτηρητῶν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης Παγκράτιος ὁ εὐλαβέστατος κληρικός· ἐκ δὲ τῶν τῆς ἀνατολῆς, Ἀνανίας ἕτερος κληρικός· ἀπὸ δὲ τῶν τῆς συγκλήτου Γρηγόριος σπαθαροκουβικουλάριος. καὶ εἶπον τοῖς ἐπισκόποις. καλεῖ ὑμᾶς ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος. οἱ δὲ εἶπον· ἡμεῖς τοῦ κυρίου Μεθοδίου ἐσμὲν χειροτονία, καὶ κοινωνοῦμεν τῷ κυρίῳ Φωτίῳ τῷ πατριάρχῃ. καὶ ὑποστρέψαντες οἱ ἀποσταλέντες εἶπον ἃ ἤκουσαν. ἐξεβόησεν οὖν ἡ ἁγία σύνοδος· ἡ μερὶς Θεοφίλου καὶ Ζαχαρίου μετὰ Φωτίου. μετὰ ταῦτα οἱ μεγαλοπρεπέστατοι καὶ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες εἶπον· οἱ βασιλεῖς ἡμῶν οἱ ἅγιοι ἀπέστειλαν τοὺς δούλους αὐτῶν, τὴν καλουμένην σύγκλητον, ἵνα ὦμεν ἀκριβεῖς τῶν πραγμάτων ἀκροαταί. εἰ βούλεσθε οὖν, παρελθέτωσαν ὁ, τε Φώτιος καὶ οἱ ἐπίσκοποι αὐτοῦ, ἵνα ἐνώπιον ἡμῶν φραγῶσιν αὐτῶν τὰ στόματα ἐκ συνοδικῶν καὶ * τοπικῶν διατάξεων. εἰ γὰρ μὴ οὕτω γένηται, οὐ γράψει ἡ χεὶρ ἡμῶν ἓν γράμμα εἰς τὴν σύνοδον ταύτην. Μητροφάνης ὁ θεοφιλὴς μητροπολίτης Σμύρνης ἀναστὰς εἶπεν· ὁ θεῖος Ἀπόστολός φησι· προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε· πάντα δοκιμάζοντες, τὸ καλὸν κατέχετε. τοὺς ἁγιωτάτους τοποτηρητὰς τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ὡς προφήτας ἀπεδεξάμεθα, καὶ οὐκ ἐξουθενοῦμεν· δοκιμάζοντες δὲ τοὺς λόγους τῶν μεγαλοπρεπεστάτων ἀρχόντων, κρίνομεν τούτους δικαίους.

* κανονικῶν.

Καὶ λέγει ἡ ἁγία σύνοδος· ὁρίζομεν, ἵνα ἐκεῖνοι μετακληθῶσιν, ὡς ἂν ἐνώπιον αὐτῶν ἀπολογουμένων ἡ κρίσις γένηται.



## ACTIO QUARTA.

IN nomine domini, domini noſtri Jeſu Chriſti: & quæ more priorum actionum ſequuntur. Indictione III. III. Idus Octobres. Cum epiſcopi conveniſſent, in medium progreſſus clariſſimus patricius Baanes præpoſitus dixit: Sunt conſecrati a ſancto Methodio epiſcopi Theophilus & Zacharias, qui cum Photio communicarunt: ſi videtur, ingrediantur ad ſanctum œcumenicum concilium.

Patres dixere: Omnino oportet ut veniant. Miſſi ergo ex legatorum veteris Romæ comitatu Pancratius religioſiſſimus clericus; ex orientis vero legatorum ſocietate, Ananias, alter clericus; ex ordine ſenatorio Gregorius ſpatharocubicularius; renuntiarunt epiſcopis: ſancta & œcumenica ſynodus vos accerſit. Nos, inquiunt illi, a domino Methodio conſecrati pro patriarcha Photio ſtamus. Reverſi qui miſſi erant, expoſuerunt quid reſponſum eſſet. Exclamavit ergo ſancta ſynodus: Pars Theophili & Zachariæ cum Photio. Deinde magnificentiſſimi ampliſſimique proceres dixere: Sanctiſſimi imperatores noſtri miſerunt nos ſervos ſuos, ſenatum, uti rerum quæ aguntur, attenti ſpectatores ſimus. Si placet ergo, advocentur cum Photio epiſcopi quoque Photiani, ut præſentibus nobis, ex ſynodicis & canonicis ſanctionibus obturentur ora eorum. Quod niſi fiat, literam in hac ſynodo manu noſtra ſcribemus nullam, ut ſubſcribamus. Metrophanes Deo dilectus metropolita Smyrnenſis ſurgens dixit: Divinus apoſtolus dicit: *Prophetias nolite ſpernere: omnia autem probate; quod bonum eſt tenete.* Sanctiſſimos veteris Romæ legatos tamquam prophetas recipimus, neque ſpernimus: probantes vero magnificentiſſimorum procerum petitionem, æquam eſſe judicamus.

1. Theſſ. 5.

Sancta ſynodus dicit: Statuimus ut illi citentur, ac præſentes facta defendendi poteſtate judicentur.

ACTIO IV. CONC. VIII. GENER.

Legati veteris Romæ dixerunt: Hi quos dicitis, ignorant quid ſancta Romana eccleſia decreverit?

Baanes dixit: Ignorant, neque enim Romæ fuerunt.

Legati dixerunt: Nobis haud fas eſt Romanorum pontificum judicium reſcindere. Quo autem pacto ignorant, qui per ſuos apocriſiarios præſentes fuere, & quidquid ibi geſtum eſt, cognovere? Verumtamen ingrediantur: excuſationem ſane quærunt. nemo enim ignorat, illos a ſanctiſſimo papa Nicolao jam inde ab undecima indictione condemnatos: & qui per tantum temporum intervallum pronuntiatam in illos ſententiam potuerunt ignorare? Sed nempe judicium illos declinare patet. Proceres dixere: Si declinare judicium animus eſſet, non, ut de ſe judicium ferretur, clamitarent.

Legati dixere: Ingrediantur, & extremo in loco ſtent, audiantque epiſtolam a ſanctiſſimo papa Nicolao ad Michaelem imperatorem per Rhadoaldum & Zachariam miſſam.

Principes dixere: Rogamus ut cum Photio tres aut quatuor ingrediantur, ut audiant ſaltem ut hi laici, qui pone nos conſiſtunt.

Legati dixere: Ingrediantur; ſi tamen illi tres loco omnium, qui ex factione Photiana ſunt, venire ſe profiteantur. Verumtamen non diſputandi aut contendendi cauſa hos citamus, ſed ut audiant dumtaxat. Miſſi ergo nonnulli ex concilio eos non invenerunt. Reperti ſoli Theophilus & Zacharias, qui Photii partes tuebantur, plebemque depravabant, & jactabant Nicolaum papam ſecum communicaſſe. Quare populus ajebat: Si hoſce duos papa in communionem recepit, recepit igitur & Photium.

Legati dixere: Abſit ut ſanctiſſimus papa Nicolaus Photium in eccleſiæ Romanæ communionem receperit. Et qui dicunt ſe cum ſanctiſſimo papa Nicolao communicaſſe, ingrediantur.

Principes dixere: Veſtri libelli declaratio ſancit, ut omnes a Methodio vel Ignatio conſecrati omnium in eum commiſſorum delictorum venia donentur, ſi reſipiſcant.

Legati dixere: Quæ vero illa ſit pœnitentia, cum paulo ante profeſſi ſint, ſe Photium ſequi?

Baanes dixit: Atqui multi ex his qui hic aſſident, adhuc ſemper cum Photio communicarunt.

Legati dixere, illos per libellum copioſe ſatisfeciſſe.

Tandem Theophilo & Zacharia ingreſſis;

Legati dixere: Legatur libellus illis audientibus. Illi contra: Nos, inquiunt, neque libellum audire volumus, neque huc venire volebamus, Imperatore vero nos ad regiam citante, comparebamus.

Baanes dixit: Affirmaſtis in palatio, vos planum facturos, quod tamquam ſacerdotes cum papa Nicolao ſacris operati ſitis. Illi, & idem, inquiunt, rurſum affirmamus.

A Εἶπον οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης· οὓς λέγετε, ἀγνοοῦσι τί ἔκρινεν ἡ τῶν Ῥωμαίων ἁγία ἐκκλησία;

ANNO CHRISTI 869.

Βαάνης εἶπεν· ἀγνοοῦσιν, οὐδὲ γὰρ ἦσαν ἐκεῖ.

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀνατρέπειν τὴν κρίσιν τῶν τῆς Ῥώμης ἱεραρχῶν. πῶς δὲ ἀγνοοῦσιν οἱ διὰ τῶν ἰδίων ἀποκρισιαρίων ἐκεῖ ἐνδημοῦντες, καὶ τὰ γεγονότα μαθόντες; ἀλλ᾽ ὅμως εἰσελθέτωσαν· πρόφασιν δὲ ζητοῦσιν. οὐδεὶς γὰρ ἀγνοεῖ, ὡς ἀπὸ τῆς ιά. ἐπινεμήσεως κατέκρινεν αὐτοὺς ὁ ἁγιώτατος πάπας Νικόλαος. καὶ διὰ τῶν τοσούτων καιρῶν οὐκ ἔγνωσαν τὴν ἀπόφασιν τὴν ἐξενεχθεῖσαν κατ᾽ αὐτῶν; ἀλλ᾽ ἔοικεν, ὅτι φυγεῖν ζη-

B τοῦσι τὴν κρίσιν. οἱ ἄρχοντες εἶπον· εἰ ἤθελον φυγεῖν, οὐκ ἂν ἐβόων ἵνα κριθῶσιν.

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· εἰσελθέτωσαν, καὶ στήτωσαν εἰς τὸν ἔσχατον τόπον, καὶ ἀκουσάτωσαν τὴν ἐπιστολὴν τὴν πρὸς τὸν βασιλέα Μιχαὴλ ἀπὸ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Νικολάου διὰ Ῥωδοάλδου καὶ Ζαχαρίου.

Οἱ ἄρχοντες εἶπον· παρακαλοῦμεν, ἵνα συνεισέλθωσι Φωτίῳ κἂν τρεῖς ἢ τέσσαρες, ὡς ἂν ἀκούσωσι, κἂν ὡς οὗτοι οἱ κοσμικοὶ, οἱ ἱστάμενοι ὀπίσω ἡμῶν.

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· εἰσελθέτωσαν, ἐὰν ὁ-

C μολογῶσιν οἱ τρεῖς ἐκεῖνοι ἀντὶ πάντων τῶν λοιπῶν ἔρχεσθαι τῶν ἐκ τοῦ μέρους αὐτῶν ὄντων. πλὴν οὐ φιλονεικίας ἕνεκα προσκαλούμεθα τούτους, ἀλλ᾽ ἵνα μόνον ἀκούσωσιν. ἀπεστάλησαν οὖν τινες τῶν παρεστώτων προσκαλέσασθαι ἐκείνους· ἀλλ᾽ οὐχ εὗρον αὐτούς. εὑρέθησαν μόνοι ὅ, τε Θεόφιλος καὶ ὁ Ζαχαρίας, οἱ ὑπὲρ Φωτίου φρονοῦντες, οἳ καὶ τὸ πλῆθος ἦσαν διαστρέφοντες. ἔλεγον γὰρ, ὅτι συνελειτούργησεν ἡμῖν ὁ πάπας Νικόλαος. διὸ καὶ τὸ πλῆθος φασὶν, ὡς εἰ ἀπεδέξατο τούτους τοὺς δύο ὁ πάπας, καὶ ἐκοινώνησεν αὐτοῖς, ἀπεδέξατο ἄρα καὶ Φώτιον.

Οἱ τοποτηρηταὶ Ῥώμης εἶπον· μὴ γένοιτο, ὅτι ὁ

D μακαριώτατος πάπας Νικόλαος εἰς τὴν τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν ἐδέξατο τὸν Φώτιον. καὶ οἱ λέγοντες κοινωνῆσαι μετὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Νικολάου, εἰσελθέτωσαν.

Οἱ ἄρχοντες εἶπον· ἡ ἔκθεσις τοῦ λιβέλλου ὑμῶν θεσπίζει, τοὺς χειροτονίαν ἔχοντας Μεθοδίου καὶ Ἰγνατίου, συγγνώμης ἀξιωθῆναι καὶ διαφθόρεως εἰς ὅσα ἐπλημμέλησαν εἰς αὐτὸν, εἰ μετανοοῦσιν.

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· ποία μετάνοια τῶν πρὸ μικροῦ εἰπόντων, ὅτι κοινωνοῦσι Φωτίῳ;

Βαάνης εἶπε· καὶ πολλοὶ ἐκ τῶν ἐνταῦθα καθημένων μέχρι τέλους ἐκοινώνουν Φωτίῳ.

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον, ὡς οὗτοι διὰ τῆς τοῦ λιβέλ-

E λου πληροφορίας ἐδέχθησαν.

Ὀψὲ γοῦν εἰσελθόντων Θεοφίλου καὶ Ζαχαρίου.

Εἶπον οἱ τοποτηρηταί· ἀναγνωσθήτω ὁ λίβελλος ἐπ᾽ ἀκροάσει αὐτῶν. ἐκεῖνοι εἶπον· ἡμεῖς οὔτε λίβελλον θέλομεν ἀκοῦσαι, οὐδὲ ἠθέλομεν ὧδε ἐλθεῖν. ἐκέλευσε δὲ ὁ βασιλεὺς, ἵνα εὑρεθῶμεν εἰς τὸ παλάτιον, καὶ ἀπήλθομεν ἐκεῖ.

Βαάνης εἶπεν· εἴπατε εἰς τὸ παλάτιον, δείκνυσθαι ἀποδεῖξαι, ὅτι ὡς ἱερεῖς αὐτοῦ τῷ ἁγιωτάτῳ Νικολάῳ συνελειτουργήσατε. ἐκεῖνοι εἶπον· καὶ πάλιν τὸ αὐτὸ λέγομεν.

Οἱ



ANNO CHRISTI 869.

Οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης εἶπον, ψευσταί εἰσιν· A ἵνα δὲ πληροφορηθῆτε, ἀναγνωσθήτωσαν αἱ ἐπιστολαὶ τοῦ πάπα Νικολάου πρὸς Μιχαὴλ τὸν βασιλέα, καὶ πρὸς τὸν Φώτιον.

Καὶ λαβὼν Στέφανος ὁ καθωσιωμένος νοτάριος ἀνέγνω τὴν πρὸς τὸν βασιλέα ἐπιστολὴν ἔχουσαν οὕτως.

Νικόλαος ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, τῷ ἠγαπημένῳ τέκνῳ Μιχαὴλ, τῷ δεδοξασμένῳ αὐτοκράτορι.

ΤΗΝ ἀρχὴν τῆς θείας ἐξουσίας, ἣν ὁ πάντων δημιουργὸς τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ Ἀποστόλοις

B ἐδαψιλεύσατο, τῷ κορυφαίῳ τῶν Ἀποστόλων Πέτρῳ ὑπὲρ τοὺς ἄλλους ἔδωκεν, εἰπών· σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. καὶ πάλιν εἶπε πρὸς τὸν Πέτρον· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. ὁ τοίνυν Πέτρος τὴν ἅπασαν τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίαν περιέπειν οὐ διαλείπειν κελεύεται. καὶ γὰρ πολλάκις συνέλευσις γέγονε τῶν ἁγίων πατέρων, ἀλλ᾽ ἄνευ τῆς τῶν Ῥωμαίων καθέδρας καὶ τῶν ταύτης Ἀρχιερέων οὐδὲν ἰσχύσθη. νῦν δὲ τὸ ἐν Κωνσταντινουπόλει συναθροισθὲν συνέδριον, ὡς ἐξ ὑμῶν ἐμάθομεν, τοῦ τοιούτου θεσμοῦ τὴν ἔκθεσιν παρελογίσατο, καὶ Ἰγνάτιον τὸν ταύτης ἀρχιερέα ἄνευ τῆς

C τῶν Ῥωμαίων ἱεραρχῶν συμβουλίας ἡ τοιαύτη σύνοδος τῆς οἰκείας ἐξεώσατο τιμῆς, μηδενὸς ἀποδειχθέντος κατ᾽ αὐτοῦ ἀληθινοῦ κατηγορήματος. τὸ λοιπὸν δὲ τούτων οὕτως ἀδίκως πλεσθέντων, ἡ τοῦ λαοῦ πληθὺς ἐκ τοῦ τῶν λαϊκῶν σχήματος τῆς ταύτης προεστάμενον ἐξελέξατο· τὸν Φώτιον λέγω, ὃς πρὶν διδαχθῆναι προεχειρίσθη διδάσκαλος, καὶ πρὶν φωτισθῆναι φωτίζειν ἠθέλησε. ταῦτα δὲ ἡ καθολικὴ διάταξις, καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ἐκτρέπεται. ἀλλὰ καὶ Καιλεστῖνος ὁ ἁγιώτατος πάπας Ῥώμης οὕτω φησίν· ἀκηκόαμέν τινας τῶν πόλεων αἰτούσας ἐπισκόπους ἐκ λαϊκῶν· ὅπερ πάσης βδελυρίας ἐστὶν ἀνάμεστον, τὸ τοὺς κληρικοὺς παροραθῆναι, καὶ τοὺς λαϊκοὺς προτιμηθῆναι.

D ὁμοίως καὶ Λέων ὁ ἁγιώτατος τῆς Ἀποστολικῆς τῶν Ῥωμαίων καθέδρας ἀρχιερεὺς, οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῇ δ. συνόδῳ πολὺς, τὸ αὐτὸ ἐπικρίνει, λέγων· ἐν ταῖς πόλεσιν, ὧν οἱ ἡγεμόνες πλανήσουσιν, ὑπὸ τῶν ἐφεστώτων ἐπισκόπων ψηφίζεσθαι ἕτερον· πλὴν κἂν ἀγαθοῦ βίου ἐστὶν ὁ ψηφιζόμενος, ἀλλ᾽ οὐκ ἔσται λαϊκὸς, ἢ νεόφυτος, ἢ δευτέρου συνοικεσίου ἀνήρ.

Τούτων οὕτω τεθεσπισμένων, εἰς τὴν τοῦ ἀνωτέρω λεχθέντος ἀνδρὸς χειροτονίαν συναινέσαι οὐ δυνάμεθα, μέχρις ἂν διὰ τῶν ἡμετέρων ἀποκρισιαρίων, οὓς πρὸς ὑμᾶς ἀπεστείλαμεν, ἅπαντα τὰ ἐν Κωνσταν-

E τινουπόλει περὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραχθέντα πραγμάτων καὶ πραττόμενα μάθωμεν, ὦ ἐπιεικέστατε Αὔγουστε· ὅπως Ἰγνάτιος ἔλθῃ ἐνώπιον τῶν ἡμετέρων ἀποκρισιαρίων καὶ παντὸς τοῦ συνεδρίου, καὶ ζητηθῇ τὰ κατ᾽ αὐτὸν, εἰ ἄρα κατὰ κανονικὸν θεσμὸν ταῦτα γέγονε, καὶ οὕτω τῇ ἡμετέρᾳ προεδρείᾳ διαγνωσθῇ, ὅ, τι ἂν περὶ αὐτοῦ πραχθῆναι μέλλῃ.

Τὰ ἑξῆς ἐπιστολῆς ταύτης διαλαμβάνει περὶ τῆς τῶν ἁγίων εἰκόνων προσκυνήσεως. ἐν τέλει περιέχει καὶ ταῦτα. Βουλόμεθα ὡς ἂν ἡ χειροτονία τοῦ Συρακουσῶν ἀρχιεπισκόπου παρὰ τοῦ ἡμετέρου θρόνου ἐκπέμπηται; ὅπως ἡ παράδοσις ἡ ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων ὡρισμένη μηδαμῶς ἐν τοῖς ὑμετέροις χρόνοις μειωθῇ.

ACTIO IV. CONC. VIII. GENER.

A Legati dixere: Mentiuntur. quod ut aperte cognoſcatis, legatur epiſtola Nicolai papæ ad Michaelem imperatorem, & ipſum Photium.

Stephanus devotus notarius acceptam ad imperatorem epiſtolam legit, quæ ſic habet.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Michaeli auguſtiſſimo imperatori.*

PRincipatum divinæ poteſtatis, quem conditor omnium Deus electis apoſto-

B lis ſuis largitus eſt, principi apoſtolorum Petro præ ceteris tradidit, cum dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*. Et rurſum ad Petrum: *Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*. Petrus igitur univerſam adminiſtrare eccleſiam perpetua ſucceſſione jubetur. Sæpenumero enim conventus a ſanctis patribus celebratus eſt; ſed ſine Romanæ ſedis & hujus pontificum auctoritate confectum eſt nihil. Nunc autem Conſtantinopoli concilium coactum, ut ex vobis intelleximus, hujuſmodi auctoritatem & ſanctionem neglexit, Ignatiumque patriarcham non conſultis Romanis pontifi- Matth. 16.

C cibus honore ſuo privavit, cum nullus cum de ullo vero crimine convicerit. His ita contra jus faſque perpetratis, popularis factio e laicorum habitu creavit, qui eccleſiæ præeſſet: Photium, inquam, qui doctor eſt conſtitutus antequam diſceret, & prius illuminare voluit, quam illuminari: id quod inſtitutio catholica, Romanaque eccleſia averſatur. Quin & ſanctiſſimus papa Cæleſtinus in hæc verba loquitur: Audivimus quaſdam propriis deſtitutas rectoribus civitates epiſcopos ſibi petere de laicis: quod ſane impudentiſſimum eſt, ut contemptis clericis lai-

D ci præferantur. Similiter & Leo ſanctiſſimus apoſtolicæ Romanæ ſedis pontifex, cujus magna eſt in quarto œcumenico concilio laus, judicat, cum dicit: In civitatibus, quarum rectores obierint, a præſidentibus epiſcopis alter ordinetur; ſed ita ut etiam ſi bonæ vitæ teſtimonio fulciatur, non laicus, non neophytus, nec ſecundæ conjugis ſit maritus.

Quæ cum ita conſtituta ſint, (æquiſſime Auguſte) in electionem ſupradicti viri conſentire non poſſumus, quoad per noſtros apocriſiarios ad vos miſſos, o-

E mnia quæ Conſtantinopoli in rebus eccleſiaſticis geſta ſunt & geruntur, intelligamus: ut Ignatio coram noſtris legatis & toto conſeſſu veniente quæratur, an quæ de illo acta ſunt, rite & ex eccleſiaſticis inſtitutis facta ſint; & ſic tandem auctoritate noſtra, quid de illo ſtatuendum ſit, decernatur.

Quæ ſequuntur in epiſtola, de ſacrarum imaginum cultu diſſerunt. Tandem & hæc ſubjiciuntur: Volumus ut ordinatio Syracuſano archiepiſcopo a ſede noſtra impendatur, ut traditio ab apoſtolis accepta nulla ratione veſtris temporibus violetur,

Miſi-

ACTIO IV. CONC. VIII. GENER.

Miſimus autem veſtræ ſerenitati reverendiſſimos epiſcopos Rhadoaldum & Zachariam, quibus apoſtolatus noſtri legationem commiſimus; quos & ſtudioſe accipiatis, & quæ de ſtatu eccleſiaſtico irreprehenſibiliter dixerint, credere non ambigatis. Et quando in conventu eccleſiæ ſederint, non reperiant, qui ſe illis opponant.

Lecta epiſtola, magnificentiſſimi principes dixerunt, ſatis conſtare ex hac epiſtola, Photium, & ordinationem ejus a ſanctiſſimo papa Nicolao nullo modo receptam eſſe.

Lecta eſt & alia epiſtola ejuſdem papæ ad eumdem imperatorem, quæ idem de Photio aſſerebat. qua lecta, Theophilus quondam epiſcopus dixit: Si damnatur Photius, damnandi ſunt & ii qui Photium promoverunt & conſecrarunt.

Synodus dixit: Quin & tu damnatus es, qui cum illo communicaſti.

Theophilus dixit: Ego damnatus non ſum, quia cum conſecraretur, abfui, & illum jam patriarcham factum recepi.

Lectis omnibus epiſtolis, metropolita Cariæ dixit: Adhuc omnino credebam Photium a Nicolao receptum: ideirco ipſum papam non recipiebam. Deinde decretum eſt ut ejuſdem papæ epiſtola ad Photium legeretur, cujus hæc ſunt verba.

*Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Photio viro prudentiſſimo.*

Poſt procemium hæc dicit.

CUm univerſa credentium multitudo ab ſancta Romana eccleſia, quæ omnium caput eſt eccleſiarum, doctrinam exquirat, integritatem fidei depoſcat, delictorum veniam poſtulet; neceſſarium eſt, ut magnam nos curam, qui ad hoc vocati ſumus, adhibeamus, & lupum eccleſiam invadentem arceamus. Intelleximus enim te ex laicorum ordine ſine eccleſiaſtica & legitima probatione ad patriarchalem dignitatem repente perveniſſe, exiſtimantem tibi anſam talem eſſe, qualis in ſanctiſſimo Nectario erat; quem ſancta II. ſynodus non aliam ob cauſam ad ſacerdotium delegit, quam quod in Conſtantinopolitana eccleſia nemo ex clericis inveniretur, qui non exitiali hæreſi eſſet infectus: Nectarius vero erat egregius veritatis propugnator. Quod autem in Taraſio accidit, qui ſimili modo ex laico ad patriarchalem dignitatem eſt evectus, ad tui facti defenſionem non eſt ſatis. Sanctiſſimus enim papa Hadrianus cum id intellexiſſet, indigniſſime tulit, dixitque; ſe niſi vidiſſet virum ad Iconomachorum hæreſim reprimendam idoneum, in epiſcopum recepturum non fuiſſe. Sed & beatiſſimum Ambroſium ex catechumeno divino oraculo ad epiſcopatum promotum, nihil eſt quod exempli cauſa proferas (etenim ibi ſatis eſt divina, non humana juſſio)

ANNO CHRISTI 869.

ἀνεπέμψαμεν δὲ τῇ ὑμετέρᾳ γαληνότητι τοὺς αἰδεσιμωτάτους ἐπισκόπους Ραδόαλδον καὶ Ζαχαρίαν, ἐγχειρίσαντες αὐτοῖς τὴν πρεσβείαν τῆς Ἀποστολῆς ἡμῶν· οὓς καὶ ἐντίμως ἀποδέξασθε, καὶ ἅπερ περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως * ἀκαταλήπτως εἴπωσι, πιστεῦσαι μὴ ἐνδοιάσητε. καὶ ὅταν ἐν τῇ συνελεύσει τῆς ἐκκλησίας καθεσθῶσιν, οὐκ ὀφείλουσιν εὑρεῖν τινὰ τὸν ἐναντιούμενον.

* Ie. ἀνεπιλήπτως, irreprehenſibiliter, ut Anaſtaſius vertit.

Μετὰ τὴν ταύτης τῆς ἐπιστολῆς ἀνάγνωσιν οἱ μεγαλοπρεπέστατοι ἄρχοντες εἶπον, πληροφορηθῆναι ἐκ ταύτης, ὅτι Φώτιον καὶ τὴν χειροτονίαν αὐτοῦ ὁ ἁγιώτατος πάπας Νικόλαος οὐ κατεδέξατο.

Ἀνεγνώσθη δὲ καὶ ἡ ἑτέρα ἐπιστολὴ ἡ πρὸς τὸν αὐτὸν βασιλέα ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ πάπα, καὶ ἐδήλου κἀκείνη τὸ αὐτὸ περὶ Φωτίου. καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν ταύτης ἀπεκρίθη Θεόφιλος ὁ ποτὲ ἐπίσκοπος· εἰ κατακρίνεται Φώτιος, κατακριθήτωσαν καὶ οἱ εἰσαγαγόντες καὶ χειροτονήσαντες αὐτόν.

Ἡ σύνοδος εἶπε· λοιπὸν καὶ σὺ κατακέκρισαι, ὡς κοινωνήσας αὐτῷ.

Καὶ ὁ Θεόφιλος· ἐγὼ οὐ κατακέκριμαι, διότι οὐ παρήμην ὅτε ἐχειροτονήθη, ἀλλ᾽ εὑρὼν αὐτὸν πατριάρχην, ἐδεξάμην αὐτόν.

Μετὰ δὲ τὴν τῶν ἐπιστολῶν συμπλήρωσιν, ὁ μητροπολίτης Καρίας εἶπεν· ἕως ἄρτι ἐπίστευον, ὅτι ὁ πάπας Νικόλαος ἐδέξατο τὸν Φώτιον· καὶ διὰ τοῦτο οὐκ εἶχον τὸν πάπαν ἀποδεκτόν. μετὰ τοῦτο ὡρίσθη ἀναγνωσθῆναι τὴν πρὸς τὸν Φώτιον τοῦ αὐτοῦ πάπα ἐπιστολὴν ἔχουσαν οὕτως.

Νικόλαος ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, τῷ φρονιμωτάτῳ ἀνδρὶ Φωτίῳ.

Καὶ μετὰ τὸ προοίμιον φησὶ ταῦτα.

ΕΠΕΙ ἡ πᾶσα πληθὺς τῶν πιστῶν ἀπὸ ταύτης τῆς ἁγίας τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας, ἥτις κεφαλὴ πασῶν ἐστι τῶν ἐκκλησιῶν, τὴν διδαχὴν ἐκζητεῖ, τὴν ὁλοκληρείαν τῆς πίστεως ἐξαιτεῖ, τὴν τῶν ἐγκλημάτων ἀπαλλαγὴν ἐπιδέχεται· χρὴ ἡμᾶς τοὺς προκεχειρισμένους εἰς τοῦτο πολλὴν φροντίδα ποιεῖσθαι, εἰς τὸ ἀποσοβεῖν τὸν λύκον τὸν κατὰ τῆς ἐκκλησίας ὁρμῶντα. ἐμάθομεν γὰρ ὡς ἐκ λαϊκοῦ τάγματος, χωρὶς κανονικῆς δοκιμασίας, πρὸς πατριαρχικὴν ἀξίαν ἀθρόον ἤχθητε, ὑπειληφότες ὡς αὐτὸς ἀφορμὴν ἔχειν, οἵαν ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ ἀνδρὶ Νεκταρίῳ, ὃν ἡ ἁγία δευτέρα σύνοδος οὐ δι᾽ ἕτερόν τι πρὸς ἱερωσύνην ἐξελέξατο, ἀλλ᾽ ἢ διὰ τὸ ἐν τῇ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίᾳ μηδένα τῶν κληρικῶν εὑρίσκεσθαι τῆς πονηρᾶς αἱρέσεως ἀμέτοχον· ὁ δὲ Νεκτάριος ἱκανὸς ἦν τῆς ἀληθείας ὑπέρμαχος. τὸ δὲ εἰς τὸν Ταράσιον γεγονός, τὸν ὁμοίως ἀπὸ λαϊκοῦ πρὸς πατριαρχικὴν ἀναχθέντα ὑπεροχὴν, οὐκ ἀρκεῖ ὑμῖν εἰς ἀπολογίαν. ὁ γὰρ τηνικαῦτα ἁγιώτατος πάπας Ἀδριανὸς μαθὼν τοῦτο, σφόδρα ἐδυσχέρανε, καὶ εἶπεν, ὡς εἰ μὴ εὗρε τὸν ἄνδρα ἱκανὸν εἰς τὸ ἀντιπεσεῖν τοῖς Εἰκονομάχοις, οὐκ ἂν ἐκεῖνον εἰς Ἀρχιερέα ἐδέξατο. ἀλλὰ καὶ τὸν μακαριώτατον Ἀμβρόσιον, τὸν ἐκ κατηχουμένου θείᾳ ἀποκαλύψει πρὸς ἐπίσκοπον ἀναχθέντα, οὐ χρὴ προφέρειν ὑμᾶς· ἀρκεῖ γὰρ ἐκεῖ ἡ θεία, καὶ οὐκ ἀνθρωπίνη κέλευσις.

ὃ ἔτι



ANNO CHRISTI 869.

ὃ ἔτι ἐν βρεφικοῖς σπαργάνοις κοιμωμένου, πλῆθος μελισσῶν αἰφνίδιον ἐπελθὸν ἐκάλυψε τὸ πρόσωπον ἐκείνου, καὶ τὸ στόμα ἐπλήρωσε, τῶν μὲν εἰσερχομένων, τῶν δὲ ἐξερχομένων. τοῦτο ἰδὼν ὁ πατὴρ, σημεῖόν τι εἶναι ἡγήσατο, καὶ προσεκαρτέρησε τὸ τέλος ἰδεῖν. καὶ ὀψέ ποτε ἀποστᾶσαι τοῦ βρέφους, τοσοῦτον ἦσαν πλῆθος, ὡς πετασθεῖσαι τὸν ἀέρα καλύψαι. καὶ ὁ πατὴρ προφητικῶς ἔφη· εἰ ζήσεται τὸ βρέφος, μέγα τι ἔσται. τοῦτο ἀνδρωθὲν τὴν Μεδιολάνων κατέλαβεν, ἐπισκόπου τηνικαῦτα χηρεύουσαν. ὡς δὲ ὁ λαὸς συνήχθη πρὸς ἐκλογὴν ποιμένος, ἰδοὺ παῖς τις ἐβόα, λέγων τὸν Ἀμβρόσιον ἐπίσκοπον. ὡς δὲ ὁ λαὸς οὐκ ἀθεεὶ τὸν λόγον ἐδέξατο, καὶ ὥρμησαν συλλαβεῖν τὸν ἄνδρα· ἐκεῖνος πᾶσαν σπουδὴν ἔθετο, ἵνα φύγῃ καὶ ἀποκρυβῇ. ἀλλ᾽ οὐκ ἠδυνήθη, παντὸς τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου τοῦτον ψηφισαμένου. καὶ ἐκ κατηχουμένου καθ᾽ ἕκαστον βαθμὸν ἀναγόμενος ἐκκλησιαστικὸν, τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ παρὰ πάσης καθολικῆς συναινέσεως ἐχειροτονήθη τῇ θείᾳ ψήφῳ ἐπίσκοπος, καὶ τὰ μὲν κατ᾽ ἐκείνους τοιαῦτα. περὶ ὑμῶν δὲ οὐκ ἔξεστι τοιοῦτόν τι ὑπονοῆσαι, σοῦ τε τοῦ Φωτίου, καὶ τῶν κατὰ σὲ, ἢ ὅτι δι᾽ ἀνθρωπίνην δόξαν, καὶ ζῶντος τοῦ θαυμαστοῦ Ἰγνατίου, τὴν καθέδραν αὐτοῦ ἡρπάσατε λῃστρικῶς. διὸ οὐδαμῶς τολμῶμεν συναινέσαι τῇ τοιαύτῃ χειροτονίᾳ. ὅτι δὲ βιαίως ὑμᾶς πρὸς ἱερατικὴν ἀξίαν προβληθῆναι λέγετε, ψεῦδός ἐστιν. ἐξ ὅτου γὰρ εἰς τὸν θρόνον ἀνήχθητε, οὐχ ὡς πατὴρ ἐν τέκνοις συνανεστράφητε, ἀλλ᾽ ὡς ἀνεπιεικεῖς εἰς καθαίρεσιν ἀρχιερέων ὡρμήσατε, καὶ εἰς κατάκρισιν τοῦ ἀθῴου Ἰγνατίου. ὃς εἰ μὴ ἐν τῇ προτέρᾳ τιμῇ ἀποκατασταθῇ, καὶ τὰ κατ᾽ αὐτοῦ δοκιμασθῶσιν, οὐκ ἄλλως ἐκβληθήσεται, εἰ μὴ κατὰ καταδίκην· καὶ τὸν προχειρισθέντα ἀντ᾽ αὐτοῦ ἀδοκιμάστως οὐ δέχεται ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία. καὶ ἐπεὶ ὑμᾶς ὡς ἑαυτοὺς ἀγαπῶμεν, δι᾽ ἐπιτιμήσεως πατρικῆς τὴν ὑμετέραν σύνεσιν βουλόμεθα ἀνακτήσασθαι, κατὰ τὸν Ἀπόστολον φάσκοντα, ὅτι υἱὸν ὃν ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ, ἐπιμελῶς παιδεύει. περὶ δὲ τῶν ἀποκρισιαρίων ἡμῶν, οὓς ἐστείλαμεν, καὶ ὑπὲρ ἄλλων μὲν, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τοῦ τὴν αἰτίαν μονοτρόπως τῆς καθαιρέσεως τοῦ μακαριωτάτου Ἰγνατίου ἐκζητῆσαι ἐν τοῖς αὐτόθι μέρεσιν, οὐ σιγήσομεν, ὅτι μετὰ ἑκατὸν ἡμερῶν διάστημα ὡς τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου ἀποκρισιάριοι ἀξίως οὐ παρεδέχθησαν.

Ἔτι τῆς ἐπιστολῆς ἀναγινωσκομένης ἀπεκρίθη Θεόφιλος ὁ ποτὲ ἐπίσκοπος· ἐγὼ ταῦτα καὶ παρὰ τῶν Ῥωμαίων ἤκουσα ἐν τῇ Ῥώμῃ τὰ κατὰ τὸν Ἀμβρόσιον καὶ Νεκτάριον. ἀλλ᾽ ὅμως τὸν Φώτιον ἐδέξαντο.

Θεόδωρος ὁ Καρίας εἶπε· πῶς ἀπεδέχθη παρὰ τοῦ πάπα ὁ μοιχὸς παρ᾽ αὐτοῦ κληθείς;

Οἱ δὲ μεγαλοπρεπέστατοι ἄρχοντες πρὸς τοὺς τῆς ἀνατολῆς τοποτηρητὰς εἶπον· ἰδοὺ ἠκούσαμεν τὴν ἀπόφασιν τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας· μαθεῖν θέλομεν καὶ περὶ τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας, πῶς ἔχει περὶ τὸν Φώτιον.

Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Τύρου Θωμᾶς ὁ τὸν τόπον ἐπέχων τοῦ θρόνου Ἀντιοχείας, εἶπεν· οὐκ ἐδεξάμεθά ποτε Φώτιον, οὔτε ἀπεστείλαμεν αὐτῷ γράμματα ἀποδοχῆς, οὔτε ἐξ αὐτοῦ ἐδεξάμεθα.

Ἀλλὰ καὶ Ἠλίας ὁ σύγκελλος τοῦ θρόνου Ἱεροσο-

ACTIO IV. CONC. VIII. GENER.

cujus adhuc infantis in cunis jacentis examen apum repente advolans vultum obſedit, atque os ingredientibus aliis, aliis egredientibus implevit. Quod pater cum videret, omen aliquod ratus, finem rei expectavit: ac tandem cum ab infante receſſerent, tantam fuiſſe copiam animadvertit, ut aerem ipſum volando involverent. Et pater: Si vixerit (præſagus inquit) infans, magnus olim erit. Qui poſtea adultus Mediolanum perrexit, tunc epiſcopo deſtitutum. Cum autem populus ad electionem paſtoris conveniſſet, ecce tibi infans quiſpiam Ambroſium epiſcopum proclamavit. Populus vocem non ſine numine miſſam arripuit, ſimulque ut virum raperet, irruit. Subducebat ille ſe, omnique ratione latebras quærebat; tametſi latere non potuit, populo illum toto cum clero ſimul deligente. Ergo ex catechumeno per ſingulos gradus eccleſiaſticos progreſſus, octavo demum die, tota catholica conſentiente eccleſia, divino jam oraculo deſignatus, epiſcopus eſt conſecratus. Et hæc quidem de illis. At de vobis nihil horum licet ſuſpicari, neque de teipſo, Photio inquam, neque de ſectatoribus tuis; niſi quod per ambitionem, vivo adhuc dignoque omni admiratione Ignatio, ſedem ipſius latronum more invaſeritis. Quapropter nullo modo talem præſumimus electionem comprobare. Quod autem dicis, te vi coactum dignitatem eccleſiaſticam ſuſcepiſſe, falſum eſt: occupato namque throno, non ut pater inter filios verſatus es, ſed immaniter ad epiſcoporum ejectionem proruiſti, & ad innocentis Ignatii condemnationem. Qui niſi priori dignitati ſuæ fuerit reſtitutus, & quæ illi objecta ſunt, fuerint examinata, de ſede ſua nunquam, niſi poſt condemnationem, ejicietur; nec injuſte ſuffectum illi eccleſia Romana recipit. Quoniam vero te ut noſmetipſos diligimus, paternam per increpationem, prudentiam tuam, ſecundum apoſtolum qui dicit, quod pater filium quem diligit, caſtiget, volumus revocare. (Hebr. 12.) De legatis noſtris cum alias ob cauſas, tum ut de beatiſſimi Ignatii depoſitione tantummodo quæſtionem haberent, illas in partes miſſis, non taceo, illos poſt ſpatium centum dierum non fuiſſe cum ea, qua par erat apoſtolicæ ſedis legatos, dignitate acceptos.

Dum epiſtola legeretur, Theophilus quondam epiſcopus: Ego, inquit, hæc ipſa a Romanis, cum Romæ eſſem, de Ambroſio & Nectario audivi. Illi tamen Photium receperunt.

Theodorus Cariæ reſpondit: Quomodo receptus qui ab ipſo papa mœchus appellatus eſt?

Et ad orientis vicarios ampliſſimi principes dixerunt: Ecce Romanæ eccleſiæ ſententiam intelleximus. Antiochenæ quoque eccleſiæ animum erga Photium noſſe cupimus.

Thomas Tyri metropolita, vicarius Antiochenæ ſedis, dixit: Photium recepimus nunquam, neque literas illi admiſſionis ullas miſimus, nec ullas ab eo accepimus.

Elias Hieroſolymitani throni ſyncellus dixit,

xit, eadem Theodoſio patriarchæ Hieroſolymorum videri.

Metrophanes Smyrnæ ſurgens dixit: Intelleximus & cognovimus omnes ex hujus diei actione, Photium nunquam a ſanctiſſima Romana eccleſia, nec ab aliis patriarchiis pro epiſcopo receptum, ſed rejectum & condemnatum.

Deinde ad ceteros: Quid vos, inquit, ſentitis fratres?

Theodorus Cariæ dixit: Deceptus ſum, cum illum ab eccleſia Romana arbitrarer eſſe receptum: ſed Deo meritas perſolvo grates, cum iſthoc ab errore me expedivit.

Ampliſſimi magiſtratus dixere: Solet Romana eccleſia ab omnibus advenis profeſſionem fidei exigere, ac tum demum ad ſancti Petri ædem admittere. Servaruntne iſti hanc formam, an non?

Legati Romani dixere: Servarunt.

Zacharias & Theophilus quondam epiſcopi dixerunt: Nos unum libellum fecimus.

Romani dixere: Immo duos.

Principes dixere: Quid vero continebat libellus? (Legati dixere.) Ut ſecundum eccleſiam catholicam teneant, veritatemque defendant, Romanæque eccleſiæ judicium ſequantur.

Baanes dixit: Sic & heri in ſecretariis profeſſi ſunt.

Legati dixere: Interrogate prævaricatores, an ſecundum libelli Romani formam faciant. Interrogati, nec audire libellum ſe velle reſponderunt.

Dixere legati: Ejicite eos foras. & ejecti ſunt.

Et quia tempus fluxerat, poſt conſuetas acclamationes conſurrexerunt.

## ACTIO QUINTA.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: & quæ ſequuntur more priorum actionum. Indictione tertia, XIII. Kalendas Novembres.

In eorumdem patrum conſeſſu Paulus Deo dilectus chartophylax dixit: Ut ſanctitas veſtra priore mandavit actione, adeſt rurſum Zacharias. Sed & Dei amantiſſimus imperator ad ſynodum miſit Photium.

Legati Romani dixere: Si vult Photius, ingrediatur.

Chartophylax dixit: Mittite qui eum acceſſant.

Legati dixere: Laici mittantur.

Miſit ſenatus laicos qui illum advocarent.

Quibus advenientibus Photius dixit: Quomodo quod adhuc non feciſtis, hodie facitis? Ego ſponte non venio, ſed coactus: *Dixi enim: Cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam.* Et quod ſequitur, vos ipſi legitote. Nuntiatum eſt hoc legatis. Pſal. 38.

Legati dixerunt: Quid ad hæc ſancta dicit



A λύμων τὰ αὐτὰ εἶπε δοκεῖν Θεοδοσίῳ τῷ πατριάρχῃ Ἱεροσολύμων.

Μητροφάνης ὁ Σμύρνης ἀναστὰς εἶπε· συνήκαμεν πάντες καὶ διεγνώκαμεν ἀπὸ τῶν πραχθέντων κατὰ τὴν σήμερον, ὅτι οὐδέποτε Φώτιος ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἀπεδέχθη ὡς ἐπίσκοπος, οὔτε ἐν τοῖς ἄλλοις πατριαρχικοῖς θρόνοις, ἀλλ' ἀποβεβλημένος ἦν καὶ κατεγνωσμένος.

Καὶ εἶπε πρὸς τοὺς λοιπούς· τί λέγετε ἀδελφοὶ καὶ ὑμεῖς;

Θεόδωρος ὁ Καρίας εἶπεν· ἐπλανώμην οἰόμενος δεχθῆναι τὸν Φώτιον παρὰ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας· καὶ εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ τῷ ῥυσαμένῳ με ἐκ τῆς
B πλάνης.

Οἱ μεγαλοπρεπέστατοι ἄρχοντες εἶπον· ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ πάντα ἄνθρωπον ἐπιξενούμενον ἀπαιτεῖν τὸν λίβελλον τῆς πίστεως αὐτοῦ καὶ ἐὰν αὐτὸν εἰς τὸν ἅγιον Πέτρον εἰσέρχεσθαι. ἐποίησαν οὗτοι κατὰ τὸν τύπον τοῦτον, ἢ οὔ;

Οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης εἶπον· ἐποίησαν οὕτως.

Ζαχαρίας καὶ Θεόφιλος οἱ ποτὲ ἐπίσκοποι εἶπον· ἕνα ἡμεῖς πεποιήκαμεν.

Οἱ τῆς Ῥώμης εἶπον· οὐχ ἕνα, ἀλλὰ δύο.

Οἱ ἄρχοντες εἶπον· καὶ τί περιεῖχεν ὁ λίβελλος; ἵνα κατὰ τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν κρατοῦσι, καὶ ἐκ-
C δικῶσι τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἀκολουθῶσι τῇ κρίσει τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας.

Βαάνης εἶπεν· οὕτως ὡμολόγησαν χθὲς εἰς τὰ ἀσηκρῆτις.

Οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης εἶπον· ἐρωτήσατε τοὺς παραβάτας, ἐὰν καὶ κατὰ τὸν Ῥωμαϊκὸν λίβελλον ποιῶσιν. οἱ καὶ ἐρωτηθέντες, οὐδὲ ἀκοῦσαι θέλειν εἶπον τὸν λίβελλον.

Εἶπον οἱ τοποτηρηταί· ἐκβάλετε αὐτοὺς ἔξω. καὶ ἐξεβλήθησαν.

Καὶ ἐπεὶ ἡ ὥρα βραδεῖα ἦν, εὐφημίαν τῶν βασιλέων ποιησάμενοι ἀνέστησαν.

D

## ΠΡΑΞΙΣ ε.

ΕΝ ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· καὶ τὰ λοιπὰ ὡς ἐν ταῖς προηγησαμέναις πράξεσιν. ΙΝ. γ'. πρὸ ιγ'. καλανδῶν Νοεμβρίων.

Τούτων οὕτω συνελθόντων, Παῦλος ὁ θεοφιλὴς χαρτοφύλαξ εἶπε· κατὰ τὴν προλαβοῦσαν πρᾶξιν ὡς ἐκέλευσεν ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν, πάρεστι πάλιν ἐνταῦθα ὁ Ζαχαρίας. ἀλλὰ καὶ ὁ φιλόχριστος ἡμῶν βασιλεὺς ἀπέστειλε πρὸς τὴν σύνοδον τὸν Φώτιον.

Οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης εἶπον· εἰ θέλει ὁ Φώ-
E τιος, εἰσελθέτω.

Ὁ χαρτοφύλαξ εἶπε· στείλατε τοὺς καλοῦντας αὐτόν.

Οἱ τῆς Ῥώμης εἶπον· λαϊκοὶ ἀπελθέτωσαν.

Καὶ ἀπέστειλεν ἡ σύγκλητος λαϊκοὺς μετακαλουμένους τὸν Φώτιον.

Ὧν ἀπελθόντων ἀπεκρίθη Φώτιος· πῶς ὃ μέχρι νῦν οὐκ ἐποιήσατε, ποιεῖτε σήμερον; ἐγὼ προαιρέσει οὐκ ἔρχομαι, βίᾳ δὲ ἐλάσομαι. εἶπα γάρ· φυλάξω τὰς ὁδούς μου, τοῦ μὴ ἁμαρτάνειν με ἐν γλώσσῃ μου. ἐθέμην τῷ στόματί μου φυλακήν. καὶ τὸ λοιπὸν ὑμεῖς ἀναγνῶτε. ἠγγέλη τοῦτο τοῖς τοποτηρηταῖς.

Καὶ εἶπον ἐκεῖνοι· τί λέγει πρὸς ταῦτα ἡ ἁγία

σύνο-





σύνοδος; ἡμεῖς οὐ δι' ἕτερόν τι προσκαλούμεθα αὐτὸν, ἀλλ' ἵνα ἐνώπιον αὐτοῦ περατώσωμεν τὰ πεπραγμένα. καὶ εὐθὺς ἀπηγορεύθη πρὸς Φώτιον ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου διὰ Ἠλία συγκέλλου ταῦτα· ἐπεὶ συμπεράσματι σιωπηρῷ ἁμαρτωλὴν ὑπέφηνας τὴν ἁγίαν ταύτην σύνοδον, καὶ τὴν τιμίαν σύγκλητον, ἄξιον πρὸς ταῦτα εἰπεῖν· ὅτι, τὰ ἔργα τοῦ σκότους ἔχων ἐν ἑαυτῷ, δέδοικας τὴν ἐν τῷ φωτὶ τῆς ἀληθείας συγκροτηθεῖσαν ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον, ἵνα μὴ φανερωθῇς καὶ στηλιτευθῇς δι' αὐτῆς. ἀλλὰ γέγραπται· ὅτι ἐν κημῷ καὶ χαλινῷ τὰς σιαγόνας ἄγξαις τῶν μὴ ἐγγιζόντων πρὸς σέ. τὸ λοιπὸν ἡ συνοδικὴ αὐθεντία τῇ
B βασιλικῇ γνώμῃ περατώσει τὸ προφητικὸν εὐκαίρως. τῆς οὖν τοιαύτης προσφωνήσεως Φωτίῳ ἀναγνωσθείσης, ἔφη ὁ Φώτιος· οὐκ ὀφείλετε ἡμᾶς ἐρωτᾷν· τὸ προσταχθὲν ποιεῖτε. πάλιν οὖν μαθοῦσα ἡ σύνοδος τὴν ἀπόκρισιν, εἶπε· τῇ ἐκκλησιαστικῇ τάξει ἑπόμενοι τὴν ἑκούσιον παρουσίαν ἀπαιτοῦμεν. ἀλλ' ἐπεὶ ἁμαρτωλὸς ὢν, εἰς δίκαιον δικαστήριον οὐκ εἰσέρχῃ, ἄκων ἐλεύσῃ, ἵνα δέξῃ προδηλοτέραν τὴν κατάκρισιν. εἰσήχθη οὖν εἰς τὸ μέσον ὁ Φώτιος, καὶ ἔστη εἰς τὸν ἔσχατον τόπον. καὶ εἶπον οἱ τοποτηρηταί· οὗτός ἐστιν ὁ Φώτιος, δι' ὃν ἡ ἁγία τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ἐν ἑπτὰ ἔτεσι καὶ
C πλέον ὑπέμεινε κόπους πολλοὺς, ὁμοίως δὲ οἱ ἀνατολικοὶ θρόνοι, καὶ ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησία ἀνάστατος γέγονε; καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν, εἰ ἀποδέχεται τὰς διατάξεις τῶν ἁγίων πατέρων. ὁ δὲ οὐκ ἀπεκρίθη. καὶ πάλιν ἐρωτηθεὶς εἶπε· τῆς φωνῆς καὶ σιγῶντος ὁ Θεὸς ἀκούει.

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· διὰ τῆς σιωπῆς οὐκ ἐκφεύξῃ τὴν προδηλοτέραν κατάκρισιν.

Ὁ Φώτιος εἶπεν· οὐδὲ Ἰησοῦς σιωπῶν ἐξέφυγε τὴν κατάκρισιν.

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· οὐκ ἀξιόν ἐστιν ἀπολογήσασθαί σοι, ἐπεὶ τοῖς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὰ σὰ παρωμοίωσας· οὐδεμία κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος.
D περὶ ὧν ἠρωτήθης ἀπόκριναι. καὶ οὐκ ἀπεκρίθη.

Οἱ τοποτηρηταὶ πάλιν εἶπον· ἀναθεματισάτω τὰ ἀθέσμως γραφέντα καὶ πραχθέντα κατὰ τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς Ἰγνατίου· ἐξαγγειλάτω μηδεμίαν κατ' αὐτοῦ κίνησιν ποιήσειν, ἀλλὰ τοῦτον ὡς ἀληθινὸν Ἀρχιερέα δέξασθαι, καὶ τὰς τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας περὶ αὐτοῦ κρίσεις στέρξαι. Φωτίου δὲ ἔτι σιωπῶντος, ὡρίσθη ἀναγνωσθῆναι τὰς περὶ αὐτοῦ πεμφθείσας ἐπιστολὰς ἀπὸ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας, αἳ καὶ ἀνεγνώσθησαν· προσέτι δὲ καὶ ἡ πρὸς αὐτὸν τὸν Φώτιον ἀπὸ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Νικολάου·

Καὶ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν πασῶν τῶν ἐπιστολῶν Ἠλίας ὁ θεοσεβέστατος πρεσβύτερος καὶ σύγκελλος τοῦ
E θρόνου Ἱεροσολύμων· οἴδατε πάντες, εἶπεν, ὅτι ἐν τοῖς παρελθοῦσι χρόνοις οἱ βασιλεῖς ἦσαν οἱ συγκροτοῦντες τὰς συνόδους. αὐτὸς οὖν ὁ βασιλεὺς μαρτυρησάτω, πόθεν καὶ παρὰ τίνος ἀποσταλέντες ἀφίγμεθα. ἡμῶν δὲ παραγενομένων ἐνταῦθα, καὶ διατριψάντων ἐπὶ δυσὶ σχεδὸν ἔτεσι πρὸ τοῦ καταλαβεῖν τοὺς ἁγιωτάτους τοποτηρητὰς τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, ἐπέθηκε τοῖς ἡμετέροις ὁ βασιλεὺς τραχήλοις τὸ ἐγκόλπιον αὐτοῦ, καὶ εἶπεν· ἰδοὺ τὸ κρίμα τῆς ἐκκλησίας ἀπαιτήσει ὁ Θεὸς ἐκ τῶν τραχήλων ὑμῶν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, ἵνα μηδὲν κατὰ προσπάθειαν



A ſynodus? Nos non aliam ob cauſam illum citavimus, quam ut illo præſente acta terminaremus. Ergo a ſancta ſynodo ſtatim per Eliam ſyncellum Photio renuntiata ſunt hæc: Quoniam per decretum tibi ſilentium, ſanctam hanc ſynodum cum inclyto ſenatu velut iniquam declaraſti, par eſt, ut tibi contra objiciatur: Te, quoniam opera tenebrarum in temetipſo habeas, ſanctam hanc & in lumine veritatis congregatam œcumenicam ſynodum reformidare, ne per illam in lucem protraharis, publicaque infamiæ nota multeris. Verum ſcriptum eſt: *In chamo & freno maxillas eorum conſtringes, qui* Pſal. 31.
B *non approximant ad te.* Ceterum ſynodi auctoritas imperiali conſenſu propheticum hoc opportune exequetur. Hac denuntiatione Photio perlecta, Photius dixit: Non eſt quod nos interrogetis; quod in mandatis habetis, exequimini. Qua reſponſione concilio renuntiata, ſynodus dixit: Eccleſiaſticas ſanctiones ſecuti, voluntariam præſentiam exigimus. Sed quoniam iniquus cum ſis, ad æquum tribunal non accedis, accedes invitus, ut evidentiorem damnationem excipias. Introductus ergo Photius ultimo conſtitit loco. Legati ergo: Hic, inquiunt, ille eſt Photius, cujus cauſa Romana eccleſia am-
C plius ſeptennio multas pertulit moleſtias; pariterque orientis ſedes, & Conſtantinopolitana eccleſia eſt everſa? Interrogatus dein, an ſanctorum patrum decreta reciperet, tacuit. ſecundo interrogatus reſpondit: Etiam [a] tacente lingua Deus audit.

[a] tacentis vocem

Legati dixere: Per ſilentium non effugies manifeſtiorem damnationem.

Photius reſpondit: Neque Jeſus tacendo evaſit damnationem.

Legati dixere: Non dignum eſt reſponſum tibi reddere, quoniam iis quæ domini noſtri Jeſu Chriſti ſunt, aſſimilaſti
D quæ tua ſunt: nulla enim communicatio luci cum tenebris. De quibus es interrogatus, reſponde. Nec quidquam reſpondit.

Rurſum legati: Damnet quæ contra virum ſanctum Ignatium impie ſcripſit egitque: promittat ſe nullas turbas amplius contra eum concitaturum, ſed pro germano antiſtite habiturum, & apoſtolicæ ſedis de ipſo ſententias ſecuturum. Photio in ſilentio perſeverante, legi juſſæ ſunt literæ a Romana eccleſia de illo miſſæ; quæ & lectæ ſunt. Præterea ipſa etiam ad ipſum data Photium Nicolai papæ epiſtola lecta eſt.

E Lectis omnibus epiſtolis, Elias religioſiſſimus presbyter & ſyncellus patriarchii Hieroſolymitani: Noſtis, inquit, omnes præteritis annis ab imperatoribus ſynodos eſſe coactas. Ipſe imperator conteſtetur, unde, & a quo miſſi pervenerimus. Nobis autem jam præſentibus, & duos fere annos hic antequam ſanctiſſimi legati veteris Romæ advenirent, verſantibus, impoſuit ipſe imperator cervicibus noſtris encolpium ſuum cum hoc dicto: En eccleſiæ judicium ac rationem exiget Deus a veſtris capitibus in die judicii, ut nihil ex gratia

vel

vel affectu faciatis. Nos ergo ex Chriſtum amantis imperatoris obteſtatione ita fuimus hactenus affecti, ut juſtitiæ ratio poſtulabat. Quoniam igitur altum Photii ſilentium cernitis, & ego probe novi, nos neque literas ab eo ullas accepiſſe, nec ullas item ad eum dediſſe: quod hic ſanctiſſimus Tyri metropolita Thomas idem de Antiochena ſede teſtatur: Ego nunc eo præſente aio, damnatum ipſum eſſe, utpote nunquam ab ullo patriarcha receptum; hodieque improbe tam altum ſilentium affectare, ut hinc videatur propter ipſum ſilentium habere aliquas ſui defendendi rationes. nihil enim habet quo innocentiam ſuam & æquitatem propugnet, quando omnes novimus, per vim cum ac tyrannidem patriarchium Conſtantinopolitanum invaſiſſe. Nunc ergo conſilium damus ei, peccatum ut ſuum agnoſcat; quo, ſi puro ſinceroque de illo doluerit, pœnitentiamque egerit, in eccleſiam Chriſti ut unus de numero fidelium recipiatur; nec a Deo ſuſcipiat certitudinem æternæ ruinæ atque damnationis per anathema, quod multo ante datum eſt ei.

Baanes præpoſitus dixit: Et nos idem hortamur.

Tum Theodorus a ſecretis legit hæc a legatis Romanis conſcripta: Cernitis fratres, & intelligitis quæ jam pridem de hac re dicta ſunt. Viſum omnibus eſt vobis, hominis promotionem nullo modo admittendam, & iniquam eſſe Ignatii depoſitionem. Neque nos ſane novam de illo judicii ſententiam ferimus, ſed jam olim a ſanctiſſimo papa Nicolao, & ſucceſſore illius Hadriano pronuntiatam, quam nequaquam poſſumus immutare. Ergo quem neque noſtra ſedes, neque orientis ſedes recepere, quiſnam eum in poſterum Chriſtianus recipiat amplius? Quapropter hujuſcemodi conatus rejicimus & damnamus, uti ne quis unquam ullis ſæculis quidquam tale contra eccleſiaſticam diſciplinam tentet.

His lectis ſancta & œcumenica ſynodus exclamavit: Admittimus omnia, quippe quæ cum eccleſiaſticis inſtitutis & decretis omnino conſentiant.

Legati Romani dixerunt: Igitur admonemus eum, ut a ſancta ſynodo ſupplex veniam petat, cervicemque ſuam ſancto patriarchæ Ignatio ſubmittat, membrumque eccleſiæ fiat, & in cœtum fidelium Chriſtianorum ut laicus adſcribatur.

Baanes præpoſitus dixit: Loquere domine Photi, quid pro te affers?

Photius dixit: Meæ juſtificationes non ſunt in hoc mundo.

Baanes dixit: Confuſio tibi mentem eripuit modo. idcirco ſancta ſynodus ſpatium tibi de ſalute tua cogitandi indulget. Abi ergo modo, & ubi quid ſit e re tua conſideraveris, veni: judicium enim æquiſſimum, ut quod non ab uno, ſed ab omnibus quatuor ſit patriarchis. Muta ergo animum & pœnitentiam age, ut prolata in te anathematis ſententia revocetur. Nam poſt ſanctiſſimorum legatorum diſceſſum invalida loqueris. Ad hæc Photius reſpondit nihil. Conſeſſus patrum pro more ad acclamationes converſus, ſimul eſt dimiſſus.

ἢ ἐμπαθείᾳ ποιήσητε. ἡμεῖς τοίνυν κατὰ τὴν τοῦ φιλοχρίστου βασιλέως κατάκλησιν οὕτω διετέθημεν μέχρι τοῦ νῦν, ὡς ἀπαιτεῖ τῆς δικαιοσύνης ὁ λόγος. ἐπειδὴ τὴν βαθεῖαν σιγὴν Φωτίου ὁρᾶτε· καὶ ἐγὼ μὲν οἶδα, ὅτι οὔτε γράμματα παρ' αὐτοῦ ἐδεξάμεθα, οὔτε ἀπεστείλαμεν αὐτῷ· καὶ οὗτος δὲ ὁ ἁγιώτατος Θωμᾶς ὁ Τύρου τὰ αὐτὰ λέγει περὶ τοῦ θρόνου Ἀντιοχείας· λέγω νῦν κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ, ὡς καταχεκριμένος ἐστίν, οἷα μὴ παραδεχθεὶς τινὶ τῶν πατριαρχικῶν θρόνων· καὶ κακῶς ἐπετήδευσε σήμερον τὴν τοσαύτην σιγὴν, ἵν' ἐντεῦθεν δόξῃ κατὰ τὸ σιωπώμενον ἔχειν τινὰ ἀπολογίας. οὐ γὰρ ἔχει τι προβαλέσθαι πρὸς ἰδίαν δικαιοσύνην· ἐπεὶ πάντες ἴσμεν, ὡς βίᾳ καὶ τυραννικῶς εἰς τὸν θρόνον τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἀνεβίβηκε. καὶ νῦν συμβουλεύομεν αὐτῷ ἐπιγνῶναι τὴν ἰδίαν ἁμαρτίαν· καὶ εἰ μὲν μετανοήσῃ καθαρῶς καὶ φανερῶς, ἵνα δεχθῇ τῇ ἐκκλησίᾳ Χριστοῦ, καθὼς ἕκαστος τῶν πιστῶν, καὶ μὴ λάβῃ βεβαίωσιν τῆς αἰωνίας ἐκπτώσεως ἀπὸ Θεοῦ, καὶ κατάκρισιν διὰ τοῦ δοθέντος αὐτῷ πρώην ἀναθέματος.

Βαάνης ὁ πραιπόσιτος εἶπε· καὶ ἡμεῖς τοῦτο παραινοῦμεν.

Εἶτα Θεόδωρος ἀσηκρῆτις ἀνέγνω τὰ παρὰ τῶν τοποτηρητῶν τῆς Ῥώμης γραφέντα· ταῦτα εἴδετε ἀδελφοὶ, καὶ ἠκούσατε τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου λαληθέντα περὶ τῆς τοιαύτης ὑποθέσεως. καὶ ἐφάνη πᾶσιν ὑμῖν, ὅτι ἀπαράδεκτος ἡ προβολὴ τούτου τοῦ ἀνδρὸς, καὶ ἡ καθαίρεσις Ἰγνατίου ἐκ τοῦ θρόνου ἄθεσμος. καὶ ἡμεῖς οὐ κρίσιν πρόσφατον κρίνομεν, ἀλλὰ τὴν πάλαι κριθεῖσαν ὑπὸ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Νικολάου, καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν Ἀδριανοῦ, καὶ οὐ δυνάμεθα παρασαλεῦσαι ταύτην. ὅνπερ οὖν οὔτε ὁ θρόνος ὁ ἡμέτερος, οὔτε οἱ θρόνοι τῶν ἀνατολικῶν παρεδέξαντο, τίς λοιπὸν ἔτι Χριστιανὸς παραδέξοιτο; ἀλλὰ τὸ τοιοῦτον ἐγχείρημα ἀποβαλλόμεθά τε καὶ ἀναθεματίζομεν, ἵνα μηκέτι κατὰ τῆς ἐκκλησιαστικῆς διατάξεως εἰς τὸν αἰῶνα πάντα τολμήσῃ τις.

Τούτων ἀναγνωσθέντων ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἐβόησεν· ἀποδεχόμεθα πάντα ὡς σύμφωνα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς κανόσι καὶ θεσμοῖς.

Οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης εἶπον· οὐκοῦν παρεγγυώμεθα αὐτῷ τοῦ προσπεσεῖν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ συνόδῳ, καὶ ὑποκλῖναι τὸν αὐχένα τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ Ἰγνατίῳ, καὶ γίνεσθαι μέλος τῆς ἐκκλησίας, καὶ συναφθῆναι τῇ τῶν Χριστιανῶν κοινωνίᾳ ὡς ἕνα τῶν πιστῶν λαϊκῶν.

Βαάνης ὁ πραιπόσιτος εἶπε· λάλησον κύριε Φώτιε, τί ἔχεις δίκαιον;

Φώτιος εἶπε· τὰ ἐμὰ δικαιώματα οὐκ εἰσὶν ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ.

Βαάνης εἶπεν· ἀπονοίας Φώτιε νῦν ἀπὸ αἰσχύνης. διὸ παρέχει σοι ἡ ἁγία σύνοδος ἐνδόσιμον τοῦ μελετῆσαι τὴν σωτηρίαν σου. ἄπελθε οὖν, καὶ σκεψάμενος τὸ συμφέρον ἐλθέ· ἀπροσωπόληπτος γὰρ ἡ κρίσις, ὡς οὐκ ἐξ ἑνὸς μόνου θρόνου, ἀλλὰ τῶν τεσσάρων πατριαρχικῶν γνώμῃ. καὶ μετανόησον, ἵνα λυθῇ ἡ κατὰ σοῦ ἐνεχθεῖσα τοῦ ἀναθέματος ἀπόφασις. μετὰ γὰρ τὴν ὑποχώρησιν τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν μάταια λαλήσεις. ἐπὶ τούτοις ὁ Φώτιος οὐδὲν ἀπεκρίνατο. καὶ ὁ σύλλογος διελύθη, κατὰ τὸ σύνηθες εἰς εὐφημίαν τῶν βασιλέων τραπείς.

ΠΡΑ-



## ΠΡΑΞΙΣ ϛ'.

ΕΝ ὀνόματι τοῦ Κυρίου καὶ δεσπότου πάντων Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν. Βασιλείας τῶν θεοστέπτων καὶ γαληνοτάτων ἡμῶν δεσποτῶν, Βασιλείου μὲν ἔτους γ'. Κωνσταντίνου δὲ υἱοῦ αὐτοῦ ἔτους δευτέρου, τῶν αἰωνίων Αὐγούστων, πρὸ ὀκτὼ καλανδῶν Νοεμβρίων, ΙΝ. γ'. προτεθέντων τῶν ἁγίων εὐαγγελίων καὶ τῶν τιμίων ξύλων, προκαθημένου τοῦ βασιλέως ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τοῦ μεγαλωνύμου ναοῦ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας· συνελθούσης τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου, τουτέστι, τῶν τοποτηρητῶν τῆς παλαιᾶς Ῥώμης καὶ τῶν τῆς ἀνατολῆς θρόνων, καὶ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἰγνατίου· συμπαρούσης καὶ τῆς ἱερᾶς συγκλήτου, ἤγουν τῶν πατρικίων καὶ μαγίστρων πέντε πρὸς τοῖς δέκα· ἔτι γε μὴν συγκαθεζομένων καὶ τῶν θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν, καὶ τινῶν ἐπισκόπων ἀριθμουμένων τῶν ὅλων εἰς λϛ'. τούτων οὕτω συνελθόντων, ἀναστὰς Μητροφάνης ὁ Σμύρνης, καὶ στὰς ἐν μέσῳ τῆς ἁγίας οἰκουμενικῆς συνόδου, προσεφώνησεν οὕτως.

Ο τῆς δικαιοσύνης ἥλιος, ὁ μόνος ἀπειροδύναμος Κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν, ποιήσας τοὺς δύο φωστῆρας τοὺς μεγάλους, τὸν μέγαν εἰς ἀρχὴν τῆς ἡμέρας, τὸν δὲ ἐλάσσω εἰς ἀρχὴν τῆς νυκτὸς· καὶ θέμενος αὐτοὺς ἐν τῷ στερεώματι τοῦ οὐρανοῦ, ἔθετο καὶ τῷ στερεώματι τῆς ἐκκλησίας, οἷον τινὰς μεγάλους φωστῆρας, τὰς εὐθεῖς πατριαρχικὰς κεφαλὰς εἰς φωτισμὸν πάσης τῆς γῆς, ὥστε ἄρχειν τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς, καὶ διαχωρίζειν ἀνὰ μέσον τοῦ φωτὸς καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σκότους, τουτέστιν, ἀνὰ μέσον τῶν ἐργαζομένων τὰ ἔργα τοῦ φωτὸς καὶ τοῦ σκότους. τούτους οὖν τοὺς μεγάλους φωστῆρας, εὐσεβέστατε δέσποτα, καθάπερ ἐν μεγάλῃ οἰκίᾳ πολλοὺς πυρσοὺς, ἐν τῇ σεαυτοῦ πόλει συνήγαγες, καὶ λαμπρότερον σεαυτὸν ἀναπέφηνας, καὶ τὴν πολιτείαν σου φαιδροτέραν, καὶ τὴν ἐκκλησίαν Χριστοῦ φανοτέραν. μᾶλλον μὲν οὖν διὰ τῆς σαυτοῦ παρουσίας, οἷόν τις μέγιστος ἀνατείλας φωστὴρ τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, καὶ τοὺς εἰρημένους τούτους καὶ βλεπομένους φωστῆρας τηλαυγεστέρους ἀπέδειξας.

Η τοιαύτη προσφώνησις εἶχε τῇ μὲν τῆς συνόδου ἐγκώμιον, τῇ δὲ τοῦ βασιλέως· καὶ οὕτως εἰς εὐχὴν ὑπὲρ ἐκείνου ἐπελεύτου.

Μετὰ ταύτην ἀνέγνω Λέων ἀσηκρῆτις ἐπαναγνωστικὸν τῶν τοποτηρητῶν τῆς Ῥώμης ἔχον οὕτως.

Πεπείσμεθα, ὡς οὐ λανθάνει ταύτην τὴν ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον, ἣν ἔθετο ὁ θεόστεπτος ἡμῶν βασιλεὺς περὶ τῆς συστάσεως καὶ ἀποκαταστάσεως τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, τῆς ἐπὶ πολὺ καπνιζομένης καὶ κυμαινομένης ὑπὸ τοῦ ἐπιβήτορος καὶ τυράννου Φωτίου· ὃν καὶ ἐξέωσε κατὰ τὰς τῶν πατέρων διατάξεις, καὶ τὸν ἁγιώτατον ἀποκατέστησεν Ἰγνάτιον. καὶ μετὰ ταῦτα κατ' ἀκολουθίαν τῶν προηγουμένων Χριστιανῶν βασιλέων, μετέπεμψε πρέσβεις αὐτοῦ πρὸς Ῥώμην, οἵτινες ἐλθόντες εὗρον ἤδη προεδρεύοντα τὸν ἁγιώτατον Ἀδριανόν. ὃς καὶ ἐπιστάμενος ὅσα ὁ μοιχὸς Φώτιος εἰς ταραχὴν τῆς ἐκκλησίας ἐποίησεν, ἐπισκόπων συνήγαγε σύνοδον τῶν δυτικῶν μέσον ἐν τῇ τοῦ ἁγίου Πέτρου ἐκκλησίᾳ, οὐ πρὸς ἀνατροπὴν τῆς κρίσεως τοῦ πρὸ αὐτοῦ πάπα τοῦ μακαρίου Νικολάου,

## ACTIO SEXTA.

IN nomine domini, regis omnium Jeſu Chriſti veri Dei & ſalvatoris noſtri. Sereniſſimorum imperatorum noſtrorum a Deo coronatorum dominorum, Baſilii anno tertio, Conſtantini filii ipſius ſecundo, perpetuorum Auguſtorum, VIII. Kalendas Novembres, indictione tertia. Propoſitis ſanctis euangeliis, & precioſis (ſanctæ crucis) lignis, præſidente imperatore in magnificentiſſimi templi magnæ eccleſiæ parte dextra; congregata ſancta & œcumenica ſynodo, hoc eſt, legatis veteris Romæ & orientis patriarcharum, ſanctiſſimoque patriarcha Ignatio; præſente ſacro ſenatu, ſive patriciis & magiſtris quindecim; aſſidentibus Dei amantiſſimis metropolitanis, & quibuſdam epiſcopis ſex ſupra triginta. In hoc conſeſſu cum Metrophanes Smyrnæ ſurrexiſſet, atque in medium ſanctæ ſynodi œcumenicæ progreſſus eſſet, ita declamavit.

Sol juſtitiæ & immenſæ ſolus potentiæ Deus & dominus noſter, qui fecit duo luminaria magna: majus, ut præeſſet diei; minus, ut præeſſet nocti: iiſque in firmamento collocatis, poſuit & alia quædam luminaria magna in firmamento eccleſiæ, rectos nempe vertices patriarcharum ad univerſam terrarum orbem illuſtrandum, ut præſint diei & nocti, & lucem dividant a tenebris; hoc eſt, dividant ac ſeparent facientes opera lucis & tenebrarum. Hæc igitur magna luminaria, religioſiſſime princeps, perinde ac in magna domo multas faces, ita in tua urbe congregaſti; teque ipſum clarius jubar, ac tuum imperium illuſtrius, & Chriſti eccleſiam ſplendidiorem reddidiſti. Quinimmo tua præſentia, velut luminare aliquod ingens ſanctæ huic & œcumenicæ ſynodo exortum, dicta hæc viſaque lumina multo fulgentiora effeciſti.

Hæc oratio partim ſynodi, partim imperatoris continebat laudes, ac tandem in vota pro imperatore exiit.

Poſtea Leo a ſecretis legatorum Romæ libellum legit, cujus hæc ſunt verba.

Perſuaſum eſt nobis, ſanctæ huic & œcumenicæ ſynodo, quam a Deo coronatus imperator noſter de componenda & reſtituenda eccleſia Conſtantinopolitana cogit, haud obſcurum eſſe, quam diu multumque jactatam & oppreſſam invaſor Photius tenuit tyrannus. Quo ex præſcriptis patrum decretis pulſo, ſanctiſſimum Ignatium reſtituit. Dein (imperator) pro more priorum imperatorum Chriſtianorum legatos ſuos Romam miſit, qui ſanctiſſimum Hadrianum Romæ pontificem repererunt. Is cum intellexiſſet quantopere Photius adulter eccleſiam perturbaſſet, evocavit epiſcoporum ex occidente concilium in ſancti Petri eccleſia, non ad beati Nicolai papæ qui præceſſerat, judicium, quo

quo Photium damnavit, reſcindendum, ſed ad confirmandum & ſtabiliendum. Quam ob cauſam nos famulos ſuos & ſanctæ Romanæ eccleſiæ cum literis ad religioſiſſimum imperatorem ſanctiſſimumque Ignatium allegavit: quæ omnia prioribus actionibus ſunt declarata; quid nempe de Photio; pariterque de eccleſia Conſtantinopolitana ſit judicatum; quæ nunc gratis iteranda non ſunt. Quid ergo, cum eccleſiarum Dei conſenſum ſpectemus, hominum ſtultorum ineptias audimus?

Inde juſſu imperatoris Theophilus Photianos epiſcopos in ſynodum introduxit; illiſque præſentibus papæ Nicolai epiſtola illa ad Michaelem imperatorem, de qua ſupra, eſt recitata. Tum Elias Hieroſolymitani patriarchæ legatus ſurgens, primum imperatori pro cura eccleſiæ componendæ ſuſcepta gratias egit; deinde cauſam expoſuit, cur Ignatius inique de throno fuerit dejectus, Photiuſque perperam invectus: optimeque feciſſe imperatorem; qui e ſanctiſſimorum pontificum Romanorum ſententia Ignatium reſtituerit; Photium exturbarit; iſtamque rem per legatorum magnarum ſedium adventum commodiſſime tranſegerit: chirographum autem abdicationis patriarchæ Ignatii in exilio factum, nullum eſſe; proque infecto quod per vim tyrannicam extortum eſſet, habendum. Tum Elias his ipſis verbis hæc dixit: Si vero Photiani idoneam afferant rationem cur illi adhæſerint, quod undique metropolitæ & epiſcopi coacti Photium ad epiſcopatum provexerint; ac propterea ſi rejiciendus iſte eſt; multo magis eſſe illos rejiciendos; ad acta eos ſecundæ ſynodi, quæ in hac Deo dilecta urbe Theodoſio imperatore celebrata eſt, mittimus. Maximus enim Cynicus cum iis quos ipſe initiarat, damnatus eſt: Timotheus autem Alexandriæ epiſcopus, qui illum conſecrarat, quique Timotheum epiſcopi ſectati erant in cauſa Maximi, non ſunt exauctorati: Itaque qui reperti ſunt epiſcopi, & Photii conſecrationem fecerunt, apud nos damnati non ſunt, quod inviti ab imperatoria poteſtate ad hoc per vim adacti ſint. Unicus autem ille Gregorius Syracuſanus jam ante a patriarcha Ignatio, & ab Romanorum apoſtolica eccleſia exauctoratus & damnatus; execratus & ejectus eſto. Hæc Elia memorante, plurimi ex Photiana factione ad ſanctam ſynodum accurrerunt; & convenientem veniam meruerunt. Ceteri chirographa ſua, & juſjurandum, quæ violare nollent, prætexuerunt; eamque ob cauſam non acceſſerunt. Sanctiſſimi porro legati cuncti dixere: Hæc omnia per Jeſu Chriſti gratiam ſolvimus, qui nobis ligandi & ſolvendi poteſtatem dedit: quoniam omnia per vim & tyrannidem ſunt acta. Noſtram igitur ſententiam ac judicium coram Chriſtianiſſimo imperatore & ſancta ſynodo aperuimus. Principem vero pacis Deum

φιλοχρίστου βασιλέως καὶ τῆς ἁγίας συνόδου



ἣν ἐπὶ Φωτίῳ ἔκρινεν, ἀλλὰ πρὸς τὸ κυρῶσαι καὶ βεβαιῶσαι. δι᾽ ἣν αἰτίαν ἡμᾶς τοὺς οἰκέτας αὐτοῦ καὶ τῆς ἁγίας τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἀνέπεμψεν ἐνταῦθα μετ᾽ ἐπιστολῶν αὐτοῦ πρὸς τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα, καὶ τὸν ἁγιώτατον Ἰγνάτιον. καὶ ἤδη πεφανέρωται ἐν ταῖς προλαβούσαις πράξεσι τὰ περὶ Φωτίου ὁρισθέντα, καὶ περὶ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, καὶ νῦν ἐκ περισσοῦ ἐστι τὰ αὐτὰ λέγειν. νῦν δὲ γνόντες τὴν ἕνωσιν τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, ἱνατί λογολεσχίας παρὰ ἀσυνέτων ἀνδρῶν ἀκοῦσαι εἰσδεχόμεθα;

Μετὰ τοῦτο κατὰ κέλευσιν τοῦ βασιλέως εἰσήγαγεν Θεόφιλος ἐν τῇ συνόδῳ τοὺς ἐπισκόπους Φωτίου, καὶ ἐνώπιον αὐτῶν ἀνεγνώσθη ἡ ἐπιστολὴ τοῦ πάπα Νικολάου ἡ πρὸς τὸν βασιλέα Μιχαὴλ, ἥτις καὶ προεγράφη. εἶτα Ἠλίας ὁ τοποτηρητὴς τοῦ θρόνου Ἱεροσολύμων ἀναστὰς, τὰ πρῶτα μὲν ηὐχαρίστησε τῷ βασιλεῖ ὑπὲρ τῆς σπουδῆς, ἧς ἐποιήσατο εἰς τὴν τῆς ἐκκλησίας κατάστασιν. εἶτα διηγήσατο τὴν αἰτίαν, δι᾽ ἣν ἀθέσμως Ἰγνάτιος ἐκβέβληται, καὶ Φώτιος κακῶς ἀντεισήχθη. καὶ ὅτι καλῶς ποιῶν ὁ βασιλεὺς ἀποκατέστησε τὸν Ἰγνάτιον κατὰ τὴν κρίσιν τῶν ἁγιωτάτων τῆς Ῥώμης ἀρχιερέων, καὶ τὸν Φώτιον ἀπεδίωξε· καὶ ὅτι τὴν τοιαύτην πρᾶξιν καλῶς τετελείωκε διὰ τῆς ἐπιδημίας τῶν τοποτηρητῶν τῶν μεγάλων θρόνων· καὶ ὅτι τὸ κατὰ τὴν ἐξορίαν γεγονὸς τῆς παραιτήσεως ἔγγραφον διὰ Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου, ἀντὶ μηδὲ γεγονότος ἐστὶν, εἰ καὶ γέγονεν, ὡς τυραννικῶς γεγονός. εἶτα αὐτοῖς ῥήμασιν ὁ εἰρημένος Ἠλίας εἶπε καὶ ταῦτα· εἰ δὲ καὶ εἰς εὔλογον πρόφασιν οἱ συγκείμενοι τῷ Φωτίῳ λέγοιεν, ὅτι οἱ πανταχόθεν μητροπολῖται καὶ ἐπίσκοποι συνηγμένοι τὸν Φώτιον εἰς ἀρχιερωσύνην προήγαγον, καὶ διὰ τοῦτο εἰ ἐκεῖνος οὐ δεκτός ἐστι, πολλῷ μᾶλλον ἐκεῖνοι· λέγομεν πρὸς αὐτοὺς τὰ συνενεχθέντα ἐν τῇ δευτέρᾳ συνόδῳ, τῇ ἐν ταύτῃ τῇ φιλοχρίστῳ πόλει ἐπὶ Θεοδοσίου βασιλέως συγκροτηθείσῃ. Μάξιμος γὰρ ὁ Κυνικὸς καὶ ἡ αὐτοῦ πᾶσα χειροτονία ἀπεώσθη· ὁ δὲ προβαλλόμενος αὐτὸν εἰς προεδρείαν οὐκ ἀπεβλήθη Τιμόθεος ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐπίσκοπος, ἀλλ᾽ οὐδέ τις τῶν ἐπισκόπων Τιμοθέου τῶν συμπραξάντων εἰς τὴν τοῦ Μαξίμου χειροτονίαν. ὥστε οὐ κατάκριτοι παρ᾽ ἡμῖν εἰσιν οἱ εὑρεθέντες ἐπίσκοποι, καὶ τὴν χειροτονίαν Φωτίου καταπραξάμενοι· καὶ ἄκοντες γὰρ εἰς τοῦτο παρὰ τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας συνηλάθησαν. ἐκεῖνος δὲ μόνος ὁ προκαθαιρεθεὶς καὶ ἀναθεματισθεὶς ὑπό τε τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου, καὶ τῆς Ἀποστολικῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας, Γρηγόριος ὁ Συρακούσης καὶ κατακεκριμένος καὶ καθῃρημένος ἔστω. ταῦτα τοῦ Ἠλία εἰπόντος, πλεῖστοι τῶν τῆς Φωτίου συμμορίας προσέδραμον τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, καὶ τῆς προσηκούσης συγγνώμης ἠξιώθησαν. ἕτεροι δὲ πρόφασιν εὗρον, ὅτι τὰ ἴδια χειρόγραφα καὶ τοὺς ὅρκους οὐ βούλονται ἀθετῆσαι, καὶ διὰ τοῦτο οὐ προσῆλθον. οἱ δὲ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ πάντες εἶπον· ταῦτα πάντα διαλύομεν χάριτι Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ δεδωκότος ἡμῖν ἐξουσίαν τοῦ δεσμεῖν καὶ λύειν, ἐπεὶ βεβιασμένως καὶ κατηναγκασμένως πάντα γέγονε. τὴν μὲν οὖν ἡμετέραν γνώμην τε καὶ κρίσιν ἐνώπιον τοῦ πρόδηλον πεποιήκαμεν. τὸν δὲ εἰρηνάρχην Θεὸν ἱκετεύ-





αἰτούμεθα, τὸ γαληνότατον τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως ἡμῶν κράτος εἰς αἰῶνας διατηρῆσαι. λέγει ὁ βασιλεὺς πρὸς τοὺς ἐπισκόπους Φωτίου· ἴδε ἠκούσατε τὸ φρόνημα τῶν πατριαρχῶν· τί ὑμῖν δοκεῖ; οἱ ἐπίσκοποι εἶπον· ἀπολογησόμεθα κατὰ ταῦτα· καὶ φησὶν Εὐθύμιος ὁ γεγονὼς παρὰ Φωτίου τῆς κατὰ Καππαδοκίαν Καισαρείας μητροπολίτης· δέσποτα αὐτοκράτορ, γινώσκομεν τὴν βασιλείαν σου μακρόθυμον, καὶ παρακαλοῦμεν ἐνδείξασθαι τὴν αὐτὴν μακροθυμίαν καὶ εἰς ἡμᾶς, ὡς ἂν ἀκωλύτως δικαιολογησώμεθα. καὶ ἐλπίζομεν ὅτι καὶ τοὺς χάρτας καὶ τὰς διαλαλιὰς ταύτας δεῖξαι ἔχομεν μάταια. ὁ βασιλεὺς εἶπεν· ἐματαιολογήσατε τολμήσαντες εἰπεῖν μάταια τὰ ἀναγνωσθέντα· ἐλαλήθη γὰρ ἐκ τοιούτων μεγάλων πατριαρχῶν. ὑμεῖς ἀρχοντικῇ χειρὶ συνόδους ἀτάκτους μόνοι χωρὶς πατριαρχῶν πεποιηκότες, ἁγίας ταύτας καλεῖν ἐτολμήσατε, καὶ ταύτην ὑπὸ πάντων τῶν πατριαρχικῶν θρόνων συγκροτηθεῖσαν τολμᾶτε διαβάλλειν; ἐοίκατε ἀπιστεῖν, ὅτι τὰ λεγόμενα ἐκ τῶν πατριαρχικῶν εἰσι. ἐγὼ γοῦν καὶ τὴν ἀναγκαίαν τὴν χρείαν παρέχω, καὶ ἀπέλθετε εἰς τὰ πατριαρχεῖα, καὶ βεβαιώθητε. Ζαχαρίας ὁ παρὰ Φωτίου χειροτονηθεὶς Καλχηδόνος μητροπολίτης εἶπεν· οἱ κανόνες ἄρχουσι καὶ τῶν πατριαρχῶν. εἰ γοῦν ἔξω τῶν κανόνων ποιοῦσιν, οὐ στοιχοῦμεν αὐτοῖς. καὶ γὰρ Μάρκελλον τὸν Ἀγκύρας Ἰούλιος ὁ Ῥώμης ἐδέξατο, καὶ ἡ ἐν Σαρδικῇ σύνοδος· ἀλλ᾽ ἐκεῖνος μέχρι νῦν ὡς αἱρετικὸς ἀναθεματίζεται. καὶ τὸν κλαύσιμον Ἀπιάριον δικαιωθέντα παρὰ τῶν προέδρων τῆς Ῥώμης ἡ ἐν Ἀφρικῇ σύνοδος οὐκ ἐδικαίωσε. καὶ ἄλλα δὲ πολλὰ τοιαῦτα παραδείγματα εἰσί. καὶ νῦν εἰ ἐγένετο τὰ γινόμενα κατὰ κανόνας, στοιχοῦμεν αὐτοῖς. τὸ λέγειν, μηδένα ἀπὸ λαϊκῶν προχειρισθῆναί τινα, τοὺς μὲν χειροτονήσαντας ἀσφαλίζεται, τὸν δὲ χειροτονηθέντα οὐ κατακρίνει· καὶ τὸ ἔθος τὸν κανόνα ἐκεῖνον νικᾷ. καὶ γὰρ Ταράσιος οὕτως ἐχειροτονήθη, Νικηφόρος, Νεκτάριος, Θαλάσσιος ὁ Καισαρείας, Εὐσέβιος, Ἀμβρόσιος, καὶ ἄλλοι μυρίοι· καὶ εἰ εἰσὶν ἐκεῖνοι ὑπεύθυνοι, ἔστω καὶ οὗτος ὁ Φώτιος. τὸ δὲ λέγειν, ὅτι παρὰ καθῃρημένων προεχειρίσθη, οὐκ ἔστιν ἀληθές· οὐ γὰρ ἐπὶ ἐγκλήματι ἐκεῖνοι καθῃρέθησαν, ἀλλὰ διότι ἀντικείμενοι ἦσαν τῇ εἰρήνῃ τῆς ἐκκλησίας· ἑνωθέντες δὲ, καὶ τὴν * ἔνστασιν ἐκείνην ἀθετήσαντες, δεκτοὶ τυγχάνουσιν. εἰ δὲ καὶ ἔστιν ὁ χειροτονήσας αὐτὸν καθῃρημένος, οὐκ ἔστιν ὁ Φώτιος ὑπεύθυνος, ἀλλ᾽ οἱ προαγαγόντες αὐτόν. καὶ ὁ Γρηγόριος δὲ εἰ καὶ ἔστι καθῃρημένος, ἀλλ᾽ οἱ προαγαγόντες αὐτὸν δύνανται εἶναι ἀνεύθυνοι. καὶ γὰρ Φλαβιανὸς καθῄρησε τὸν Εὐτυχῆ, καὶ Ἀνατόλιος ἐδέξατο αὐτὸν, καὶ οἱ τῆς τετάρτης συνόδου ἐπίσκοποι συλλειτουργὸν αὐτὸν εἶχον, καὶ οὐ κατεκρίθησαν. ἀλλὰ καὶ Πέτρος ὁ Μογγὸς καθῃρέθη παρὰ Προτερίου, ὡς μὴ τὴν τετάρτην δεχόμενος σύνοδον, καὶ ὕστερον μετὰ τὸν Τιμόθεον ἐγένετο πατριάρχης· πλὴν οὐδεὶς τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ χειροτονηθέντων κατεδικάσθη. καὶ Ἀκάκιος δὲ ὁ Κωνσταντινουπόλεως κατεδικάσθη παρὰ τοῦ πάπα Ῥώμης, ὡς συγκοινωνῶν τοῖς αἱρετικοῖς. καὶ ἐκεῖνος μὲν τῆς καταδίκης οὐκ ἐφρόντισεν, οἱ δὲ μετ᾽ αὐτὸν πατριάρχαι Φαίτας καὶ Εὐθύμιος καὶ Μακεδόνιος ἀποδεξάμενοι αὐτὸν, οὐκ ᾐτιάθησαν. καὶ Φλαβιανὸν τῆς Ἀντιοχείας πατριάρχην οἱ Ῥωμαῖοι οὐκ ἐδέξαντο, ἀλλ᾽

* Anaſt. legit, ἐνστασίας





precamur, ut sereniſſimum & religioſiſſimum imperatorem noſtrum in perpetuum ſervet. Dein imperator epiſcopos Photianos allocutus: Ecce audiſtis, inquit, ſententiam patriarcharum. quid vobis videtur? Epiſcopi, reſpondebimus, inquiunt, ad hæc. Ergo Euthymius metropolita Cæſareæ Cappadociæ a Photio creatus: Domine imperator, inquit, novimus majeſtatis tuæ patientiam, rogamuſque ut eamdem nobis exhibeas, ut cauſam noſtram defendere ſine interpellatione poſſimus. Speramus enim nos, & chartas has & diſputationes iſtas vana eſſe oſtenſuros. Imperator dixit: Vane locuti eſtis, dum, quæ lecta ſunt, audetis vana dicere: pronuntiata enim ſunt a tantis talibuſque patriarchis. Vos ſæculari manu ſynodos confuſas ſine patriarchis celebratas non dubitaſtis ſanctas vocitare: hanc vero ab omnibus patriarcharum thronis celebratam calumniari audetis? Videmini mihi non credere, ea quæ dicuntur, a patriarchis eſſe profecta. Ego ſumptus vobis neceſſarios ſuppeditabo: ite, & omnia patriarchia obite, fidemque veſtram ſtabilite. Zacharias Chalcedonenſis metropolita a Photio conſecratus dixit: Canones ſupra patriarchas etiam ſunt. Quando ergo hi in canones peccant, eos non ſequimur. Etenim Marcellum Ancyræ epiſcopum Julius pontifex Romanus recepit, unaque Sardicenſe concilium: qui tamen hodieque ut hæreticus damnatur. Lugendum item Apiarium a præſulibus Romanis abſolutum ſynodus Africana non juſtificavit. Aliaque multa hujus generis exempla ſunt in promptu. Et nunc ſi ex canonum præſcripto facta ſunt hæc, ſequimur. Illud quod dicitur, ex laicis neminem eſſe promovendum, initiatores quidem cautos reddit, initiatum autem non damnat: & legem illam conſuetudo antiquavit. Ita enim conſecratus eſt Taraſius, ita Nicephorus, Nectarius, Thalaſſius Cæſareæ, Euſebius, Ambroſius, & alii ſexcenti; qui ſi rei ſunt, etiam Photius eſto. Nec verum eſt, illum a depoſitis conſecratum eſſe: nec enim ob flagitia ulla depoſiti ſunt, ſed quod pacem eccleſiæ perturbarent: reconciliati vero pervicacia rejecta, recipiendi ſunt. Quod ſi Gregorius Syracuſanus qui illum conſecravit, depoſitus, Photius tamen extra culpam eſt: illi rei ſunt, qui illum provexerunt. Immo etſi Gregorius depoſitus eſt, illi tamen qui eum promoverunt, culpandi non videntur. Etenim Flavianus depoſuit Eutychem, & Anatolius recepit, quem in IV. concilio epiſcopi ſymmyſtam habuere, nec damnati ſunt. Petrus quoque Moggus a Proterio depoſitus eſt, quod IV. ſynodum non reciperet: qui tamen Timotheo patriarchæ ſucceſſit; nec quiſquam ab eo ordinatus, eſt condemnatus. Acacius item patriarcha Conſtantinopolitanus a pontifice Romano quaſi cum hæreticis communicaſſet, damnatus, & ipſe pariter damnationem contempſit. At qui ei ſunt poſtea ſubrogati, qui pro legitimo illum patriarcha agnoverunt, [a] Phaitas, Euthymius, Macedonius, accuſati non ſunt. Flavianum Antiochiæ patriarcham Romani rejecerunt: eumdem ta-

a) al. Fravitas, & Flavitas. H.

ACTIO VI. CONC. VIII. GENER.

tamen canon minime damnavit. Et nos ergo canone damnemur. Imperator reſpondit: Omnia quæ dicitis errata ab aliis patriarchis emendata ſunt; indeque ipſi poſtea recepti, ut ab iis qui curare poterant, ſanati. Veſtrum autem peccatum ab omnibus œcumenicæ eccleſiæ patriarchis nunquam curatum manet. Omnes quippe antiſtites primarii uno conſenſu vos condemnant; noſtra autem clementia de vobis ſolicita, pacem vos & veniam a ſancta ſynodo œcumenica definiendam cupit impetrare. Neque vos huc, ut latretis, citati eſtis. Veſtra enim omnia ſunt fraudis ac mendaciorum plena.

Epiſcopi dixere: Hoc ne ipſe quidem diabolus auſus eſt dicere. interim tamen dominus Ignatius ſe abdicavit.

Imperator dixit: Poſteaquam per vim de throno deturbatus, in exilium ejectus, & in ipſo exilio de abdicatione ſolicitatus eſt, quomodo illa abdicatio firma; & non per vim potius ab illo exorta eſt?

Legati dixere: Is qui cum tua majeſtate loquitur, depoſitus, & a ſancta Romana eccleſia anathemati ſubjectus eſt. Neque nos poſſumus cum tali homine colloqui. Volumus autem, ut his audientibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ libellus legatur: & ſi quidem pœnitentiam egerint, ut vel in communionem tamquam Chriſtiani admittantur; ſi minus, anathematizamus eos, atque ab omni Chriſtianorum ſorte ſeparamus. Deinde Metrophanes Smyrnenſis metropolita Zachariam a Photio creatum Chalcedonenſem metropolitam compellavit. Ad ea quæ diſſeruiſti, reſpondemus. Leges eccleſiaſticæ & civiles ſanciunt, ut qui judicem aliquem delegit, eum ne rejiciat, neque illa quæ ab ipſo fuerint judicata. Cum igitur pars veſtra judicem poſtulaverit ſanctiſſimum papam Nicolaum; cur jam vos, quæ ab eo ſunt definita, non recipitis? Quoniam vero quaſi ne omnino quidem audieritis ea, quæ reſpondentur in literis beati papæ Nicolai de promotione Nectarii & Ambroſii & ſimilium, ita rurſus eorum exempla producitis; perpendendum eſt, an eodem modo quo illi, hic veſter antiſtes thronum occuparit. Nectarium œcumenica ſynodus, pluresque patriarchæ rite creaverunt; nec ulla principum violenta manus, aut regia vis intervenit; nec tum per vim quiſquam ejectus eſt, & ille provectus. Eodemque modo & Ambroſius ſedi impoſitus eſt. Simul ac enim Auxentius Arianus mortem obiit, a ſynodo Mediolanenſi per orthodoxos ſine ulla vi conſecratus eſt. Eademque ratione beatus Taraſius, tum ejus ipſius Pauli novi confeſſoris teſtimonio comprobatus eſt, qui ſe ab eccleſiæ adminiſtratione ſubduxerat, quod ſe illo throno affirmaret indignum; tum ceterorum omnium orthodoxorum ſuffragiis eſt promotus: quippe qui graſſantem Iconomachorum hæreſim poſſet profligare. Quin & poſt mortem Taraſii ſanctiſſimus Nicephorus ex decreto ſynodi ſine ulla vi ab epiſcopis deſignatus eſt. In Photio autem nihil horum animadvertas. Ignatius enim per vim exactus eſt, illoque ſuperſtite thronum Photius violenter invaſit; & qui eum initiarunt, ab ipſo per vim id agere compulſi ſunt. Deinde vero

A ὁ κανὼν αὐτὸν οὐ κατεδίκασε. καὶ ἡμᾶς [a] οὖν ὁ κανὼν καταδικασάτω. ὁ βασιλεὺς εἶπε· πάντα τὰ παραπτώματα ἃ λέγετε, παρ' ἑτέρων πατριαρχῶν διωρθώθησαν, καὶ διὰ τοῦτο παρεδέχθησαν ὡς ἰαθέντες παρὰ τῶν δυναμένων ἰατρεύειν τὰ τοιαῦτα. τὸ δὲ ὑμέτερον παράπτωμα πᾶσαι αἱ κεφαλαὶ τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας ἀνίατον καταλελοίπασι. πάντες γὰρ οἱ ἀρχιποίμενες συμφώνως ὑμᾶς κατακρίνουσιν. ἡ δὲ βασιλεία ἡμῶν κηδομένη ὑμῶν, φροντίζει, ἵνα τύχητε ἐλέους, οὗ ὁρίσει ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος. καὶ οὐκ ἠγάγομεν ὑμᾶς ὑλακτεῖν· πάντα γὰρ τὰ ὑμῶν ψευδῆ εἰσι καὶ ἀπάτη.

ANNO CHRISTI 869.

[a] Forte, οὖν. H.

B Οἱ ἐπίσκοποι εἶπον· τοῦτο οὐδὲ ὁ διάβολος ἐτόλμησεν εἰπεῖν· πῶς δ' οὖν καὶ παρῃτήσατο ὁ κύριος Ἰγνάτιος.

Ὁ βασιλεὺς εἶπεν· ὁ μετὰ τὸ κατενεχθῆναι βίᾳ, εἶτα ἐξορισθῆναι, καὶ ἐν τῇ ἐξορίᾳ παραιτησάμενος, πῶς ἰσχυρὰν παραίτησιν, καὶ οὐ βιαίαν ἐκείνην ἐποίησεν;

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· οὗτος ὁ λαλῶν μετὰ τῆς βασιλείας σου, καθῃρέθη, καὶ ἀνεθεματίσθη ὑπὸ τῆς ἁγίας Ῥωμαίων ἐκκλησίας· καὶ ἡμεῖς μετὰ τοῦ τοιούτου ὁμιλεῖν οὐ δυνάμεθα. θέλομεν δὲ ἵνα ἀναγνωσθῇ ἐν τοῖς ὠσὶν αὐτῶν ὁ λίβελλος τῆς ἁγίας τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας· καὶ ἐὰν μετανοήσωσιν, ἵνα κἂν κοινωνίας ὡς Χριστιανοὶ καταξιωθῶσιν· εἰ δὲ μή, ἀναθε-
C ματίζομεν τούτους, καὶ ἀπὸ πάσης κληρουχίας τῶν Χριστιανῶν ἀφορίζομεν. τότε Μητροφάνης ὁ Σμύρνης πρὸς Ζαχαρίαν τὸν παρὰ Φωτίου χειροτονηθέντα Καλχηδόνος μητροπολίτην εἶπε· πρὸς ἃ ἔφης ἀποκρινόμεθά σοι. νόμοι θεσπίζουσιν ἐκκλησιαστικοὶ καὶ πολιτικοί, τὸν ἐκλεξάμενόν τινα δικαστὴν μὴ παραιτεῖσθαι αὐτόν, ἢ τὰ κριθέντα ὑπ' αὐτοῦ, τοῦ καθ' ὑμᾶς οὖν μέρους αἰτησαμένου δικαστὴν τὸν παναγιώτατον πάπαν Νικόλαον, πῶς ὑμεῖς νῦν τὰ παρ' αὐτοῦ κριθέντα οὐ δέχεσθε; ἐπεὶ δὲ ὡς μηδόλως ἀκηκοότες τὰς ἀναγνωσθείσας λύσεις ἐν τοῖς γράμμασι τοῦ μακαρίου πάπα Νικολάου περὶ τῆς προχειρίσεως
D Νεκταρίου καὶ Ἀμβροσίου, καὶ τῶν κατ' αὐτούς, πάλιν ἐκείνους εἰς παράδειγμα προάγετε, χρὴ σκέψασθαι, εἰ καθ' ὁμοιότητα ἐκείνων ὁ καθ' ὑμᾶς πρόεδρος ἐνεβλήθη. τὸν μὲν οὖν Νεκτάριον σύνοδος οἰκουμενική, καὶ πατριάρχαι διάφοροι ἐψηφίσαντο, οὐδαμοῦ δὲ ἀρχοντικὴ χεὶρ ἢ βία βασιλικὴ ἐμεσολάβησεν, οὐδὲ ἐξεβλήθη βίᾳ τις, καὶ εἰσήχθη ἐκεῖνος. ὡσαύτως καὶ Ἀμβρόσιος μετὰ τὸ ἀποθανεῖν Αὐξέντιον τὸν Ἀρειανόν, ὑπὸ τῆς ἐν Μεδιολάνῳ συνόδου παρὰ τῶν ὀρθοδόξων προεχειρίσθη ἀβιάστως. παραπλησίως δὲ ὁ μακάριος Ταράσιος ὑπ' αὐτοῦ ἐκείνου τοῦ νέου ὁμολογητοῦ Παύλου,
E ὑποχωρήσαντος τῆς ἐκκλησίας διὰ τὸ λέγειν ἑαυτὸν ἀνάξιον τοῦ θρόνου, ἐμαρτυρήθη, καὶ προεχειρίσθη ὑπὸ πάντων τῶν ὀρθοδόξων, ὡς δυνάμενος τὴν τότε κρατοῦσαν τῶν Εἰκονομάχων αἵρεσιν ἀπώσασθαι. ἀλλὰ καὶ μετὰ τὸν αὐτοῦ θάνατον ὁ ἁγιώτατος Νικηφόρος συνοδικῶς ἐψηφίσθη ἑκουσίως, καὶ οὐ κατὰ βίαν, παρὰ τῶν τηνικαῦτα Ἀρχιερέων. ἐπὶ δὲ τῷ Φωτίῳ οὐδὲν τοιοῦτον εὑρίσκεται. καὶ ὁ Ἰγνάτιος γὰρ ἐξεβλήθη βίᾳ, καὶ ἔτι ζῶντος ἐκείνου εἰσῆλθε Φώτιος διὰ τῆς αὐτοῦ βίας, καὶ οἱ προχειρισάμενοι αὐτὸν ἐκ τῆς αὐτοῦ βίας συνωθοῦντο· καὶ μετὰ τοῦτο

οὐδεὶς



ANNO CHRISTI 869.

οὐδεὶς τῶν πατριαρχῶν εἰς ἱερωσύνην αὐτὸν ἐδέξατο. ἐπεὶ δὲ εἴπατε, ὅτι ὁ κανὼν τοὺς ἀπὸ λαϊκῶν χειροτονηθέντας οὐκ ἀποτρέπεται, τοὺς δὲ χειροτονήσαντας ἀσφαλίζεται, καὶ τὸ ἔθος τὸν τοιοῦτον κανόνα ἐνίκησεν, εἰς ἀντίφασιν περιπεπτώκατε. καθωμολογήσατε γὰρ τὸν πάπαν Νικόλαον κανονικῶς ἐνίστασθαι καὶ ἀποδοκιμάζειν τὸν Φώτιον, ὡς ἐκ λαϊκοῦ, οὐ στοιχεῖτε δὲ τῇ κανονικῇ κρίσει τούτου, ἀλλὰ τὸ ἔθος εἰς ἀνατροπὴν τοῦ κανόνος προβάλλεσθε, οὐκ εἰδότες ὅτι τὰ σπανίως γινόμενα τοὺς νόμους οὐκ ἀνατρέπουσι· καὶ ταῦτα πολλῆς οὔσης τῆς διαφορᾶς τῶν ἁγίων ἀνδρῶν ἐκείνων καὶ τοῦ Φωτίου. ἀλλὰ καὶ ὅτι πολλοὺς μὲν ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ἐδικαίωσεν, ἡμεῖς δὲ κατακρίτους ἡγούμεθα, καὶ τὸ ἀνάπαλιν, ψεῦδός ἐστιν. τὸν γὰρ Μάρκελλον ἀναθεματίσαντα πᾶσαν αἵρεσιν, δικαίως καὶ κανονικῶς Ἰούλιος πάπας Ῥώμης, καὶ ἡ ἐν Σαρδικῇ σύνοδος ἀπεδέξατο· ἀλλὰ καὶ Ἀθανάσιος ὁ μέγας καὶ ὁ ὁμολογητὴς Παῦλος τὸν Μάρκελλον οὕτως ἐδέξαντο· ἐσχάτως δὲ πρὸς τὸν ἴδιον ἔμετον ἐπιστρέψαντα οἱ περὶ τὸν Σιλβανὸν ἀνεθεμάτισαν· οἷς καὶ Λιβέριος διὰ τῶν ἰδίων συγγραμμάτων συμφωνεῖ. ὡσαύτως γε μὴν καὶ τὸν Ἀπιάριον τὸν πρεσβύτερον τῆς ἐκκλησίας Σικένσης τῆς ἐν ἐπαρχίᾳ τῆς Ἀφρικῆς, διά τινα αἰτίαν ἀφώρισεν ὁ ἴδιος ἐπίσκοπος, εἶτα καθῄρηκε τοῦτον παντελῶς ἡ ἐκεῖ συγκροτηθεῖσα σύνοδος. Ζώσιμος δὲ ὁ πάπας Ῥώμης ἀναδραμόντα πρὸς αὐτὸν καὶ συστήσαντα ἑαυτὸν ἐδικαίωσε, καὶ κατὰ τῆς ἐν Ἀφρικῇ συνόδου ἀποστείλας μετὰ γραμμάτων, δεχθῆναι πάλιν αὐτὸν παρεσκεύασεν, ἀπολογησαμένης τῆς συνόδου δι' ἀντιγράφων Βονιφατίῳ τῷ μετὰ Ζώσιμον πάπᾳ Ῥώμης περὶ τῆς κατὰ Ἀπιάριον καθαιρέσεως, καὶ τῆς αὖθις δικαιώσεως. καὶ ἕως νῦν δεδικαιωμένον αὐτὸν ἡγούμεθα, κεκρίκαμεν δὲ μὴ ἐνεργεῖν αὐτὸν τὰ τοῦ πρεσβυτέρου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Σικένσει διὰ τὰ παρακολουθήσαντα σκάνδαλα, ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις ἐκκλησίαις ἱερουργεῖν. εὕρηται τοίνυν ἡ ἐν Ἀφρικῇ σύνοδος πειθαρχήσασα μᾶλλον τῇ κρίσει Ζωσίμου.

Τὸν δὲ πατριάρχην Ἀντιοχείας Φλαβιανὸν παρῃτεῖτο μὲν ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία δέξασθαι μέχρι τινός, διὰ τὴν πρὸς τὸν μέγαν Εὐστάθιον ἀγάπην· τοῦ δὲ βασιλέως Θεοδοσίου μεσιτεύσαντος προσήκατο αὐτόν, καὶ πατριάρχην εἶχεν Ἀντιοχείας.

Τὸ δὲ φάναι Πέτρον τὸν Μογγὸν Ἀλεξανδρείας πατριάρχην καθῃρημένον ὄντα, καὶ μὴν τοι καὶ Ἀκάκιον Κωνσταντινουπόλεως, μηδαμῶς δὲ καθαιρεθῆναι τοὺς ὑφ' ἑκατέρου χειροτονηθέντας, οὐδὲν συντελεῖ πρὸς ὑμετέραν ἢ τοῦ Φωτίου δικαίωσιν· διότι ἄλλως οἱ τῆς ἐκκλησίας θεσμοὶ τοὺς ἐξ αἱρέσεως ἐπιστρέφοντας ἐπισκόπους εὐθύνουσι, καὶ ἄλλως τοὺς ὑπὸ μοιχῶν καὶ παρανόμων ἀκανονίστως προχειρισθέντας. τοὺς μὲν γὰρ λίβελλον διδόντας, καὶ τὴν ἰδίαν ἀναθεματίζοντας αἵρεσιν θεσπίζουσι μὲν δέχεσθαι, καθὼς καὶ οἱ τηνικαῦτα τῆς ἀνατολῆς ἐπίσκοποι σύνοδον συγκροτήσαντες, καὶ Φῆλιξ ὁ μετὰ Σιμπλίκιον πάπας Ῥώμης συνοδικῶς Πέτρον μὲν τὸν Μογγὸν κατεδίκασεν, ὡσαύτως γε μὴν ὁ Φῆλιξ καὶ τὸν Ἀκάκιον ἀπεκήρυξεν· οὐδαμῶς δὲ κατὰ τῶν χειροτονηθέντων ὑφ' ἑκατέρου προδηλοτάτην ἀπεφήναντο ψῆφον, διὰ τοὺς προδήλους νόμους, ὡς ἔφην, τῆς ἐκκλησίας· καί τοι καὶ Πέτρος σχεδόν, μᾶλλον δὲ ὁ Ἀκά-



ACTIO VI. CONC. VIII. GENERAL.

A nemo ex patriarchis ejus conſecrationem probavit. Quoniam vero dixiſtis, eccleſiaſticis legibus eos non rejici, qui ex laicis initiantur, initiantes autem cautos reddi, & conſuetudine canonem vinci, vobiſcum ipſi pugnaſtis. Nam papam Nicolaum confeſſi eſtis Photii electioni ex eccleſiaſticis legibus obſtitiſſe, eumque jure damnaſſe, quippe qui ex laicorum numero promotus eſſet: ipſius tamen Nicolai canonico judicio & ſanctioni non ſubſcribitis, ſed ad canonis everſionem conſuetudinem prætexitis: ignoratiſque ea quæ raro fiunt legibus non officere, neque legum vim enervare; cum præſertim
B ingens diſcrimen ſit inter Photium & ſanctos illos viros. Illud quoque falſum eſt, multos a Romanis abſolutos eſſe, quos pro damnatis nos habeamus, & contra. Nam Marcellum anathematizantem omnem hæreſim merito & Julius papa, & ſynodus Sardicenſis recepit. Quin & magnus Athanaſius & Paulus confeſſor Marcellum pariter receperunt. Tandem vero ad vomitum reverſum Silvanus anathematizavit. Cum quibus & Liberius per ſuas literas conſentit. Eadem ratione Apiarium Sicenſis eccleſiæ, quæ in Africana provincia eſt, presbyterum, loci illius epiſcopus quamdam ob cauſam a cœtu fidelium ex-
C cluſit, eumdemque poſtea ſynodus ibi coacta penitus depoſuit: quem Zoſimus papa Romanus ad ſe confugientem, ſuamque cauſam illi probantem abſolvit, & cum literis ad ſynodum remiſſum recipiendum curavit. Rationem vero reddens per apologeticum ſcriptum ſynodus Africana Apiarii depoſiti, & curſus juſtificati cauſa, apud Bonifacium papam Romanum Zoſimi ſucceſſorem; Apiarium, inquit, etiam hodie abſolutum judicamus: cenſuimus tamen ei, propter ſcandala conſecuta, in eccleſia Sicenſi presbyteri officium non eſſe obeundum, at in aliis eccleſiis rem ei divinam facere licere. Synodum ergo Africanam Zo-
D ſimi judicio potius obtemperaſſe compertum eſt.

Flavianum vero Antiochiæ patriarcham eccleſia Romana ob amorem in eximium Euſtathium tantiſper recuſavit, dum imperatore Theodoſio ſequeſtri eumdem admiſit, & pro Antiocheno patriarcha agnovit.

Quod vero dicitur Petrum Moggum Alexandriæ patriarcham depoſitum fuiſſe, pariterque Acacium Conſtantinopolitanum, ab illis tamen ordinatos nequaquam depoſitos fuiſſe; nihil veſtræ cauſæ Photioque patrocinatur. Nam aliter eccleſiaſticæ
E leges epiſcopos ab hæreſi reductos judicant, & aliter eos qui a mœchis & ſacrilegis contra leges ſunt initiati. quæ leges illos per libellum hæreſim ſuam ejurantes ſanciunt recipiendos; quemadmodum & tunc orientis epiſcopi ſynodum coegerunt, & Felix qui Simplicio in pontificatu Romano ſucceſſit, Petrum Moggum in ſynodo damnavit, & Acacium abrogavit. Contra ordinatos vero ab utroque nulla expreſſe lata eſt ſententia, quod, ut dixi, leges eccleſiaſticæ omnibus eſſent exploratæ. Petrus ſane, & forte plus Petro Acacius,

circa fidem hæſitare & claudicare viſi ſunt. ordinatos autem, ut Photius, & cum Photio vos eſtis, nequaquam leges recipiunt; quemadmodum ſecundum ſacroſanctum & œcumenicum concilium de Maximo Cynico & ab eo conſecratis egit.

Gregorium vero Syracuſanum, qui Photium conſecravit, Ignatius patriarcha depoſuit, non ut eccleſiæ deſertorem, ſed propter criminales cauſas. Et ipſe quidem Gregorius Syracuſanus epiſcopus rite abdicatus judicabitur ſemper; exortes vero criminis erunt, qui per vim & tyrannidem Photii & Gregorii coacti, illum inviti promoverunt. Nec idcirco Photius extra culpam erit; erat enim & ſchiſmaticus, multoſque ab eccleſiæ gremio abſtraxit, ultroque voluit a Gregorio conſecrari.

Ad hæc cum adhuc Zacharias reſpondere conaretur, legati ad imperatorem dixerunt: En quoties jam vana illorum & contumacia reſponſa audivimus. Ergo jam nunc illos rurſus admonemus: Nolite vos excuſare *ad excuſandas excuſationes in peccatis*; ſed ſubjicite vos ſanctæ ſynodo, ut ab anathematis ſententia expediamini. (Pſal. 140.) Sancta enim Romana eccleſia cum tota occidentis ſynodo jam inde indictione undecima ligavit, anathemati ſubjecit, & ejecit Photium. Et hoc primus fecit papa Nicolaus; deinde Hadrianus, qui Nicolao ſucceſſit; a quo nos huc ad pronuntiandam confirmandamque veri juſtique judicii ſententiam, præſente juſta potentia majeſtateque veſtra, miſſi ſumus. Quemadmodum ergo hi damnati proſcriptique ſunt, ita damnati in omnem æternitatem permanebunt. Poſtea a ſecretario lecta eſt imperatoris adhortatio, quæ ita habet.

Multa quidem ſunt mala communia, quæ præteritis diebus noſtrum a Deo provectum imperium deploravit. Sed gravius malum, omniumque adeo malorum caput, eſt eccleſiæ tempeſtas. Pax enim profligata, vetus eccleſiæ diſciplina collapſa, præclarus ille ordo deletus. Junior partes ſenioris invadit, infamis rapit munus optimatis, optimuſque eccleſiæ ſtatus penitus eſt convulſus. Nam in civilibus quidem judiciis jus recte adminiſtratur; at in eccleſia impune regnat improbitas. Hæc dudum premebant turbabantque animum meum, perpetuiſque torquebant curis, uti ſcandala e medio tollerem.

Partium ergo ambarum cauſam, ad acceptam ab antiquis eccleſiæ normam, exigendam decidendamque judicibus omnia coram cernentibus commiſi; illis nempe, qui a patriarchis legati venerunt: & hoc quidem peractum nunc eſt. Patriarcham vero ſacratiſſimum ad ſuam regredi ſedem, non mei opus imperii, nec conſilium fuit; ſed ſanctiſſimus papa Nicolaus, cauſa Ignatii diligenter excuſſa, ut ille reſtitueretur, ſanxit; atque ex totius eccleſiæ Romanæ decreto omnes qui reſiſterent, anathemate perculit. Hinc illum ſuo throno reddidimus. Poſtquam vero præſentem cauſam & Romanorum legati & reliquarum eccleſiarum quæ ad orientem habitant, Dei providentia ſuſceperunt; & in hac



A κιος, ἀμφοτερίζοντες κατὰ τὴν πίστιν ἐφάνησαν. τοὺς δὲ χειροτονηθέντας, καθάπερ ὁ Φώτιος καὶ ὑμεῖς, καθ' οὐδένα παραδέχονται τρόπον· καθὰ καὶ ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ δευτέρα σύνοδος ἐπὶ Μαξίμου τοῦ Κυνικοῦ, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ χειροτονηθέντων ἐποίησε.

Γρηγόριον δὲ τὸν Συρακούσης, τὸν χειροτονήσαντα Φώτιον, οὐ διὰ τὸ διαστῆσαι αὐτὸν τῆς ἐκκλησίας καθῄρησεν ὁ πατριάρχης Ἰγνάτιος, ἀλλ' ἕνεκα ἐγκληματικῶν ὑποθέσεων· καὶ αὐτὸς μὲν ὁ Γρηγόριος ὁ ἐπίσκοπος Συρακούσης καλῶς ἔσται καθῃρημένος, ἀναίτιοι δ' ἔσονται οἱ προαγαγόντες αὐτὸν διὰ τὸ ἀκούσιον, καὶ τὸ τυραννικὸν καὶ βίαιον Φωτίου καὶ Γρηγορίου. οὐ παρὰ τοῦτο δὲ καὶ Φώτιος ἀναίτιος ἔσται· ἦν B γὰρ καὶ σχισματικὸς, καὶ πολλοὺς τῆς ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἀπέστησε, καὶ ἑκὼν χειροτονηθῆναι παρὰ Γρηγορίου προείλετο.

Ἐπὶ τούτοις ἔτι τοῦ Ζαχαρίου λέγειν πειρωμένου, οἱ τοποτηρηταὶ Ῥώμης εἶπον πρὸς τὸν βασιλέα· ἰδοὺ πολλάκις ἠκούσαμεν τῶν ματαίων αὐτῶν ἀντιρρήσεων. νῦν οὖν λέγομεν πάλιν πρὸς αὐτούς· ἄφετε προφασίζεσθαι προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις, καὶ προσέλθετε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, καὶ σώθητε ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος. ἡ γὰρ ἁγία τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ἀπὸ ια. ἐπινεμήσεως, μετὰ πάσης τῆς δυτικῆς συνόδου, ἔδησε καὶ ἀνεθεμάτισε, καὶ C ἀπεβάλετο Φώτιον. καὶ τοῦτο πρῶτος ἐποίησε Νικόλαος ὁ πάπας· εἶτα ὁ μετ' αὐτὸν Ἀδριανὸς, ὃς ἔπεμψεν ἐνταῦθα ἡμᾶς πρὸς φανέρωσιν καὶ βεβαίωσιν τῆς ἀληθοῦς καὶ δικαίας κρίσεως ἐνώπιον τῆς δικαίας ὑμῶν βασιλείας. καθὼς οὖν οὗτοι κατεκρίθησαν καὶ ἀπεβλήθησαν, εἰς τὸν αἰῶνα οὕτως ἔσονται ἔχοντες. μετὰ ταῦτα ἀνεγνώσθη διὰ τοῦ ἀσηκρῆτις παραινετικὸν τοῦ βασιλέως ἔχον οὕτως.

Πολλὰ μὲν τὰ κοινὰ πάθη, ὡς ταῖς προλαβούσαις ἡμέραις τὴν ἡμετέραν θεοπρόβλητον βασιλείαν πενθεῖν τε καὶ σκυθρωπάζειν. τὸ μεῖζον δὲ κακὸν καὶ τῶν συμφορῶν ἡ ἀκρόπολις, ὁ τῆς ἐκκλησίας D χειμὼν, ἡ τῆς εἰρήνης ἀπόθεσις, καὶ τῆς παλαιᾶς ἐκκλησίας κατάλυσις, καὶ τῆς εὐταξίας ἀπαλοιφή· τὸ συμπίπτειν τὸν νεώτερον ἐπὶ τὸν πρεσβύτερον, καὶ τὸν ἄτιμον ἐπὶ τὸν ἔντιμον· τὸ ἀνεστράφθαι δι' ὅλου τὴν ἐκκλησιαστικὴν κατάστασιν, καὶ παρὰ τοῖς ἔξω δικαιοσύνην ἐμπολιτεύεσθαι, παρὰ δὲ τῇ ἐκκλησίᾳ τὴν ἀδικίαν παρρησιάζεσθαι. ὃ ταῦτα τὴν ἐμὴν συνεῖχε καὶ ἐθορύβει ψυχὴν, καὶ μέριμνα ἦν μοι διηνεκὴς τὰ σκάνδαλα ἐκ μέσου ποιήσασθαι.

Τὴν γοῦν τῶν στασιαζόντων μερῶν ἐξέτασιν κατὰ τὴν ἀνέκαθεν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν ἐπόπ-E ταις καὶ κριταῖς ἀνεθέμην, τοῖς ἐκ τῶν λοιπῶν πατριαρχικῶν θρόνων ἀπεσταλμένοις. * καὶ τοῦ μὲν (* καὶ τὸ μὲν ια.) νῦν. τὸ δὲ τὸν ἱερώτατον πατριάρχην ἐπὶ τὸν ἴδιον ἀνακάμψαι θρόνον, οὐ τῆς ἐμῆς βασιλείας ἔργον τότε ἢ ἐπινόημα γέγονεν· ἀλλ' ὁ ἁγιώτατος πάπας Νικόλαος τὰ περὶ αὐτοῦ μαθὼν ἀκριβῶς, τὴν ἀποκατάστασιν ἐποιήσατο, καὶ ἀναθέματι καθυπέβαλε μετὰ πάσης τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας τοὺς ἀνθισταμένους τῇ τοιαύτῃ ψήφῳ· καὶ τὸν ἴδιον θρόνον τούτῳ ἀποδεδώκαμεν. ἐπεὶ δὲ τὰ νῦν τῶν λοιπῶν ἐκκλησιῶν καὶ τῆς Ῥωμαίων, καὶ τῶν πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον προμηθείᾳ Θεοῦ κατέλαβον τοποτηρηταὶ,





οὐκέτι ἐναντιωθῆναι κατά τι ἡ δικαιοτάτη βασιλεία μου βούλεται. διὸ οὐδὲ κατὰ μίαν ἄλλην συνόδου τούτων ὤφθη ἡ βασιλεία μου, ἵνα μή τις ἔχῃ λέγειν, ὅτι βασιλικὴ χεὶρ ἢ ἐξουσία τὸ κριτήριον ὑπενόθευσεν. ἓν οὖν μόνον ἡμῖν καταθύμιον καὶ πρὸς ὑμᾶς τοὺς κριτὰς ἱκέσιον, μηδένα συγχωρῆσαι παραπολέσθαι, εἰ οἷόν τε. τοῦτο μόνον ἔστω ἡμέτερον ἔγκλημα, τὰ δ' ἄλλα πάντα τοῖς κανόσιν ἑπόμενα· παρακαλοῦντες φιλανθρώπως πρὸς τοὺς παραπεσόντας διατεθῆναι.

Ναὶ πατέρες πνευματικοὶ, καὶ τῆς ἐκκλησίας καὶ ἀληθείας ἔκδικοι, οἱ τυπωθέντες κατὰ χρῖσμα τὸν Ἀαρὼν, κατὰ τὸν ζῆλον τὸν Φινεὲς, κατὰ τὴν κρίσιν τὸν B Σολομῶντα· ἐπιζητήσατε τὸ ἀπολωλὸς πρόβατον, ἐπιστρέψατε τὸ πεπλανημένον, τοῖς ἐνενήκοντα ἐννέα προβάτοις οἰκονομίας τρόπῳ συγκαταμίξατε. καὶ ὑμεῖς οἱ τῆς θεραπείας δεόμενοι, τὰ τίμια μέλη Χριστοῦ, τὰ ὑπὸ τοῦ πονηροῦ δαίμονος τῆς κεφαλῆς χωρισθέντα, δέξασθε παραινέσεως λόγον, οὐκ αἰσχύνομαι δὲ εἰπεῖν καὶ παρακλήσεως· εἰς τοῦτο γάρ με κατήνεγκεν ὁ πρὸς ὑμᾶς ἔλεος. ἐρευνήσατε τὰ ταμεῖα τῆς συνειδήσεως, καὶ εὑρήσετε κακῶς ὑμᾶς τῆς ἐκκλησίας διϊσταμένους. οὐκ αἰσχρὸν τὸ πάθος φανερῶσαι, καὶ τόπον μετανοίας καὶ ἰατρείας ἐπιζητῆσαι· οὐδεμίαν αἰσχύνην ἔχει, ἀδελφοὶ, τὸ προσπεσεῖν τῷ Θεῷ. ἐκεῖνοι προσπίπτουσιν οἱ C τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ τοῖς πνευματικοῖς πατράσιν ὑποπίπτοντες. εἰ ὅλως τοῦτο αἰσχύνην ἡγεῖσθε, ἐγὼ τύπος ὑμῖν γένοιμι ταύτης τῆς ταπεινώσεως, ὁ ἀνεπιστήμων καὶ ἄσοφος τοῖς σοφοῖς καὶ ἐπὶ γνώσει σεμνυνομένοις. ἐγὼ ὁ ἐν ἁμαρτίαις κατειλημμένος, ὑμῶν τῶν καθαρῶν καὶ ἀρετῆς ἐπιμελουμένων, πρῶτος ἐμαυτὸν ἐπ' ἔδαφος ῥίπτω· ἐπίβητε πρὸς τὰς ἐμὰς παρειὰς, καὶ διὰ τῶν ἐμῶν ὀφθαλμῶν ὁδεύσατε. μὴ ἡγήσησθε μέγα βασιλέως πατῆσαι μετάφρενα. πάντα παθεῖν πρόθυμος ἐγώ· μόνον ἴδοιμι κοινὴν ἕνωσιν, μόνον ψυχὴν μὴ ζημιωθῶ, καὶ ἐπιχαρῇ ὁ κοινὸς ἐχθρὸς ὁ διάβολος. ταῦτα ἐγὼ μὲν D παρακαλῶ· εἰ δὲ οὐ πεισθήσεσθε, ὑμεῖς ὄψεσθε· ἀθῷος ἐγὼ τῆς ὑμῶν ἀπωλείας. καταλείψατε τὸ καιροσκοπεῖν, ἀδελφοὶ, καὶ πραγμάτων ἀλλοίωσιν ἀναμένειν. ἐὰν πρᾶξις ἑνὸς ἀνδρὸς ὑμετέρου, οὐδὲν εὔλογον ἔχουσα, ὅλη δὲ πεπλασμένη τυγχάνουσα τοσαύτην ζάλην εἰργάσατο· πρᾶξιν τεσσάρων πατριαρχικῶν θρόνων τίς λῦσαι δυνήσεται; καὶ πρὸς τίνα καταφεύξεσθε, τὴν λύσιν αἰτούμενοι τοῦ δεσμοῦ, ὑπὸ τῶν τεσσάρων τούτων θρόνων κατακρινόμενοι;

Μετὰ τὴν τούτων ἀνάγνωσιν οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης τὴν βασιλικὴν ταύτην πρόσρησιν ἐπαινέσαντες, καὶ αὐτοὶ παραίνεσιν οἰκείαν προέθεντο. ἀλ-E λὰ καὶ Θωμᾶς καὶ Ἠλίας οἱ τοποτηρηταὶ τῶν ἀνατολικῶν θρόνων ὁμοίως τὴν βασιλικὴν παραίνεσιν ἐγκωμιάσαντες, εἶπον· ἡμεῖς εἰ ἄλογα ζῶα ποιμαίνοντες ἦμεν, ἀναγκαστικῶς καὶ βιαίως διετιθέμεθα πρὸς αὐτά. ἐπεὶ δὲ λογικὸν ζῶον ὁ ἄνθρωπος, παραινέσει μᾶλλον ἀγόμενον, ἀρκούντως ὑπὸ τῶν βασιλικῶν παραινέσεων κατηχήθητε· καὶ ὃ βούλεσθε, ἐπιλέξασθε. ἐπὶ τούτοις ὁ βασιλεὺς ἐνδόσιμον ἑπτὰ ἡμερῶν παρασχὼν, ἔλυσε τὸ συνέδριον, κατευφημήσαντος τοῦ πλήθους εἰς τὴν συνήθη εὐφημίαν τῶν βασιλέων.



noſtrum imperium ſtatuit, nihil amplius repugnare. Quapropter noſtrum imperium in nulla alia hujus concilii actione ſeu conſeſſu adfuit, ne quis diceret, a regia potentia manuque judicium fuiſſe corruptum. Hoc unum nobis curæ eſt, & hæc una apud vos judices deprecatio, uti ne quemquam, ſi fieri poſſit, perire patiamini. Hoc, ſi quod eſt, noſtrum unius ſit peccatum: cetera omnia relinquimus eccleſiæ ſanctionibus; obſecrantes, ut lapſos clementer tractetis.

Ita ſpiritales patres, atque eccleſiæ & veritatis vindices, ad formam Aaronis chriſmate delibuti, pro exemplo zeli Phinees, ad judicii normam figurantes Salomonem; quærite ovem perditam, errantem reducite, & diſpenſatorum more illis nonaginta novem hanc adjungite. Vos porro, quibus medico opus, nobilia Chriſti membra, ſed mali dæmonis opera a capite ſejuncta, admittite admonitionis, immo, neque enim dicere erubeſco, tanta veſtri miſeratione teneor, deprecationis orationem. Deſcendite in conſcientiæ veſtræ penetralia: reperietis profecto, haud probe vos ab eccleſia disjungi. Nequaquam turpe ducendum eſt, morbum aperire, & medicinæ pœnitentiæque locum dare. Nullum, fratres, dedecus eſt ſupplicem eſſe Deo. Supplices illi ſunt, qui eccleſiæ & ſpiritualibus patribus procidunt. Quod ſi omnino hoc ignominiam arbitramini, ego vobis ipſe exemplum ſummiſſionis efformabo, ſtultus & inſipiens ſapientibus, & iis qui ob ſapientiam in veneratione eſtis. Ego in peccatis volutatus, vobis qui puri eſtis virtutiſque cultores, primus me in terram abjicio: per calcatum pergite os meum, incedite per oculos meos; pro nihilo ducite humeros imperatoris pede premere: omnia ultima lubens volens ſubibo, dummodo vos videam ad concordiam redire, dummodo ne animæ detrimentum patiar, & communis humani generis hoſtis diabolus triumphet. Hæc ego etiam atque etiam obteſtor. Vos ſi contumaces in ſententia perſtiteritis, ipſi videritis: innocens ego ſum a perditione veſtra. Deſinite alias quærere opportunitates, rerumque immutationem expectare. Si factum unius hominis veſtri, quod omni ratione caret, & ex fraude doloque compoſitum, tantam excitavit tempeſtatem; judicium quatuor patriarcharum quis reſcindere poterit? Ad quem, ut ab anathematis cenſura expediamini, confugietis, qui in quadruplici hoc patriarcharum foro damnamini?

His lectis, Romani legati laudata imperatoris allocutione, etiam ſuos ipſi addidere ſtimulos. Thomas quoque & Elias orientis legati patriarcharum, pari modo deprædicata imperatoris adhortatione: Nos, inquiunt, ſi pecudum & ferarum paſtores eſſemus, ita erga eas afficeremur, ut ipſas per vim vel repugnantes cogeremus. At quoniam homo rationis eſt compos, qui admonitione potius ducitur, ſatis imperatoris admonitionibus inſtituti eſtis. Jam quod placet deligite. Imperator dato illis ſeptem dierum ad deliberandum ſpatio, concilium ſolvit, quod imperatori de more feliciter in fine acclamavit.

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

A

# ACTIO SEPTIMA.

IN nomine domini, domini noſtri Jeſu Chriſti, veri Dei & ſalvatoris noſtri. Conſulatu imperatorum noſtrorum a Deo coronatorum Baſilii & Conſtantini; indictione III. IV. Kalendas Novembres, propoſitis venerandæ crucis lignis, ſacriſque evangeliis, præſidente ad dextram magnæ eccleſiæ partem imperatore; ſancta ſynodo œcumenica congregata, juſſu imperatoris Baanes præpoſitus dixit: Ad præſtitutam diem Photius adeſt, ſi ergo placet ſanctitati veſtræ, introducatur. B

Legati dixere: Ingrediatur.

Introducto Photio ſcipioni innixo, una cum Gregorio Syracuſano epiſcopo, Marinus Romanæ eccleſiæ legatus dixit: Tollite illi de manu baculum; eſt enim dignitatis ſymbolum paſtoralis, qua ille indignus eſt. Ablatus ergo ab illo eſt baculus, rogatuſque a Baane, an libellum ſanctæ ſynodi faceret. Photius reſpondit: Deus ſervet in multos annos ſanctum imperatorem noſtrum.

Idem dixit Gregorius. Ad legatos vero: Nihil, inquiunt, reſpondemus, ſi ob quæ noſtra cauſa ipſi definierunt, pœnitentia ducuntur, ipſi corrigant quæ peccaverunt, factiſque id ipſis oſtendant. C

Legati per Damianum palatinum clericum, interpretem, dixere: Hoc ad eccleſiæ contumeliam prolocuti ſunt. Nos aliud non quærimus, quam utrum velint libellum offerre. Deinde Theodorus a ſecretis in perſona patriarcharum orientis ita legit.

Primo ingreſſu Photius non ſolum nos comiteſque noſtros quos nobiſcum reperit, ſed ſacrum quoque ſenatum imperatoris peccati damnavit; nunc autem ſtultæ menti ſtabilimentum adjecit. Adhortationes imperatoris & ſanctæ ſynodi pronuntiatas ad pœnitentiam ejus, in ipſum imperatorem & ſynodum retorſit. Quod ſi ergo in ea animi pervicacia perſeveraverit, audiet illa: *Declinantes autem in obligationes adducet dominus cum operantibus iniquitatem*. Rogatus iterum a Baane Photius, an haberet quod diceret: Si, inquit, iſti ad calumniandum nos adduxerunt, quid nobis relinquitur ut dicamus? Interrogati a Baane epiſcopi an libellum reciperent, quærunt, quis iſte ſit libellus. Subjiciunt legati Romani: quem ab eccleſia Romana nobiſcum attulimus, ut damnetis Photium, omniaque illius acta anathematizetis una cum Gregorio Syracuſano, Ignatium vero patriarcham recipiatis. Joannes a Photio conſecratus Heracleæ epiſcopus: Quiſquis, inquit, anathemate ſuum ferit pontificem, anathemate feriatur. D E

Pſal. 124.

Ceteri Photiani dixerunt: Quæ contra rationem fiunt, non comprobamus.

Rurſum Baanes ex imperatoris perſona dixit: Oſtendite hac hora, quod ſive hæreticus, ſive ſchiſmaticus, diverſa a quatuor patriarchis ſentiens non fuerit damna-

# ΠΡΑΞΙΣ ζ'.

ANNO CHRISTI 869.

ΕΝ ὀνόματι τοῦ Κυρίου καὶ δεσπότου πάντων Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν. ὑπατείας τῶν θεοστέπτων δεσποτῶν Βασιλείου καὶ Κωνσταντίνου. ΙΝ. γ'. πρὸ δ'. καλανδῶν Νοεμβρίων, προκειμένων τῶν τιμίων ξύλων καὶ τῶν τιμίων εὐαγγελίων, προκαθημένου τοῦ βασιλέως ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τοῦ ναοῦ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας· συνελθούσης τῆς ἁγίας οἰκουμενικῆς συνόδου, κελεύσει οὖν τοῦ βασιλέως Βαάνης ὁ πραιπόσιτος εἶπε· τῆς δεδομένης τῷ Φωτίῳ προθεσμίας ἤδη πεπληρωμένης, πρὸς τὴν ἁγίαν σύνοδον ὁ Φώτιος ἦλθεν. εἰ κελεύει οὖν ἡ ἁγιωσύνη ὑμῶν, ἀχθήτω. B

Εἶπον οἱ τοποτηρηταί· εἰσελθέτω.

Καὶ εἰσήχθη Φώτιος βακτηριζόμενος, καὶ σὺν αὐτῷ Γρηγόριος ὁ Συρακουσίων ἐπίσκοπος. Μαρῖνος δὲ ὁ τοποτηρητὴς τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας, ἄρατε, εἶπε, τὴν βακτηρίαν ἐκ τῆς χειρὸς αὐτοῦ· σημεῖον γάρ ἐστιν ἀξίας ποιμαντικῆς, ἧς αὐτὸς ἀνάξιος. ἀφῃρέθη οὖν αὐτήν, καὶ ἠρωτήθη διὰ τοῦ Βαάνους, εἰ ποιεῖ τὸν λίβελλον τῆς ἁγίας συνόδου. ὁ δὲ Φώτιος εἶπε· ὁ Θεὸς φυλάξαι εἰς πολλὰ ἔτη τὸν βασιλέα ἡμῶν τὸν ἅγιον.

Τοῦτο εἶπε καὶ Γρηγόριος. τοῖς δὲ τοποτηρηταῖς, εἶπον, ἀπολογίαν οὐ παρέχομεν. εἰ ἐπὶ ἰδίᾳ μετανοίᾳ τὸν προδιορισμὸν, ὃν ἔθεσαν χάριν ἡμῶν, δι' ἔργων ἐπιδειξάτωσαν, καὶ μετανοησάτωσαν αὐτοὶ ἐφ' οἷς ἐπλημμέλησαν. C

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον διὰ τοῦ ἐξελληνίζοντος Δαμιανοῦ βασιλικοῦ κληρικοῦ· τοῦτο πρὸς αἰσχύνην τῆς ἐκκλησίας εἶπον. ἡμεῖς οὐδὲν ἕτερον ἐρωτῶμεν, εἰ μὴ ἐὰν βούλωνται ποιῆσαι τὴν τοῦ λιβέλλου πληροφορίαν. εἶτα ἀνέγνω Θεόδωρος ἀσηκρῆτις ἐκ προσώπου τῶν ἀνατολικῶν θρόνων οὕτως.

Τῇ πρώτῃ εἰσόδῳ ὁ Φώτιος οὐ μόνον ἡμᾶς καὶ τοὺς σὺν ἡμῖν εὑρεθέντας, ἀλλὰ καὶ τὴν ἁγίαν σύγκλητον τοῦ βασιλέως ἁμαρτωλοὺς ἀπεφήνατο· νῦν τὸ ἐπισφράγισμα τῆς ἀτόπου διανοίας ἠρξατο· τὰς παραινέσεις τὰς βασιλικὰς καὶ τῆς ἁγίας συνόδου, τὰς ἐκφωνηθείσας εἰς μεταμέλον αὐτοῦ, ἐπὶ τὸν βασιλέα ἡμῶν τὸν ἅγιον καὶ τὴν ἁγίαν σύνοδον μετήνεγκεν. εἰ γοῦν τῇ τοιαύτῃ ἀπειθείᾳ καὶ ἀπονοίᾳ διαμένει, ἀκούσεται· τοὺς δὲ ἐκκλίνοντας εἰς τὰς στραγγαλιὰς ἀπάξαι Κύριος μετὰ τῶν ἐργαζομένων τὴν ἀνομίαν. πάλιν οὖν ἠρωτήθη παρὰ Βαάνους ὁ Φώτιος, εἰ ἔχει τι εἰπεῖν. ὁ δὲ εἶπεν· οὗτοι εἰς συκοφαντίας ἡμᾶς ἤγαγον, καὶ τί λοιπὸν χρὴ λέγειν; ἠρωτήθησαν παρὰ Βαάνους οἱ τοῦ Φωτίου ἐπίσκοποι, εἰ ποιοῦσι τὸν λίβελλον. ἐκείνων δὲ ἐρωτησάντων, τίς ἐστιν ὁ λίβελλος; οἱ τοποτηρηταὶ Ῥώμης εἶπον· ὃν ἀπὸ τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγίας ἐκκλησίας ἠγάγομεν, ἵνα ἀθετήσητε τὸν Φώτιον καὶ πάντα τὰ πρακτικὰ αὐτοῦ ἀναθεματίσητε, καὶ Γρηγόριον τὸν Συρακούσης, καὶ δέξησθε τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον. εἶπεν Ἰωάννης ὁ Ἡρακλείας χειροτονηθεὶς ἐπίσκοπος παρὰ Φωτίου· ὁ ἀναθεματίζων τὸν ἀρχιερέα αὐτοῦ, ἔστω ἀνάθεμα. D E

Οἱ λοιποὶ ἐπίσκοποι Φωτίου εἶπον· τοῖς παραλόγως πραττομένοις οὐ συναινοῦμεν.

Καὶ πάλιν Βαάνης ἐκ προσώπου τοῦ βασιλέως εἶπε πρὸς αὐτούς· δείξατε τὴν ὥραν ταύτην, ὅτι εἴτε αἱρετικός τις, εἴτε σχισματικὸς ἐν οἱῳδήποτε τόπῳ ἐφρόνησεν ἔξω τῶν τεσσάρων πατριαρχῶν, καὶ διεσώθη.



ANNO CHRISTI 869.

εἰ γοῦν σήμερον τὰ τέσσαρα πατριαρχεῖα, μᾶλλον δὲ τὰ πέντε κατακρίνουσιν ὑμᾶς, τίς ὁ βοηθήσων ὑμῖν; A

Οἱ τοῦ Φωτίου εἶπον· οἱ κανόνες οἱ Ἀποστολικοί. τοὺς τοποτηρητὰς ἡμεῖς κριτὰς οὐ δεχόμεθα.

Ὁ βασιλεὺς διὰ Βαάνους εἶπεν· ἀπέλθετε πρὸς τὸν πατριάρχην, καὶ ἀγάγετε ἄλλους πρὸς ἡμᾶς.

Οἱ τῆς Ῥώμης τοποτηρηταὶ εἶπον· ἰδοὺ ἤκουσε πᾶσα ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ὅτι ἀπὸ τῆς ια'. ἐπινεμήσεως ὁ μακαριώτατος πάπας Νικόλαος ἔκρινε μετὰ πάντων τῶν δυτικῶν ἐπισκόπων περὶ Φωτίου καὶ πάντων τῶν ὀπαδῶν αὐτοῦ, κατὰ τὴν Ἀποστολικὴν καὶ κανονικὴν αὐθεντίαν· καὶ κατέκρινεν αὐτὸν διὰ τὸ ἐπιβῆναι τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, καὶ ἐξῶσαι, καὶ καθαιρῆσαι, καὶ ἀναθεματίσαι τὸν ἁγιώτατον Ἰγνάτιον. B

Ἐρωτῶμεν οὖν, τίνος ἕνεκεν αὐτὸς ἀπωσμένος, καὶ δεδεμένος, καὶ ἀναθεματισμένος, καὶ κοσμικὸς ὑπάρχων ἐτόλμησε τοιαῦτα. ἀξιοῦμεν οὖν ἀναγνωσθῆναι τὰ παρὰ τοῦ μακαριωτάτου πάπα Νικολάου τελεσθέντα, καὶ τὰ παρὰ τοῦ μετ' αὐτὸν ἁγιωτάτου Ἀδριανοῦ.

Καὶ ἀνεγνώσθη ἡ ἐπιστολὴ τοῦ πάπα Νικολάου πρὸς τοὺς μητροπολίτας, ἀρχιεπισκόπους, πρεσβυτέρους, καὶ κληρικοὺς Κωνσταντινουπόλεως, ἔχουσα οὕτως.

Τὰ παρὰ τῇ Κωνσταντινουπόλει πραχθέντα, καὶ μέχρι τοῦ νῦν πραττόμενα, τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην οὐ πεπείσμεθα ἀγνοεῖν. ἀλλ' ὁποίῳ ζήλῳ ἐζηλώσαμεν ὑπὲρ τοῦ οἴκου Κυρίου, ὅς ἐστιν ἡ ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, τῷ ἔθει τῶν προγενεστέρων ἡμῶν τὴν μέριμναν πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν περιφέροντες, οὐδὲ τοῦτο ἀγνοεῖτε. ἀκούσαντες γὰρ ἡμεῖς, ὅτι τινὲς ὑμῶν φθόνῳ καὶ ὑπερηφανίᾳ ὁρμώμενοι κατὰ τοῦ ποιμένος καὶ διδασκάλου αὐτῶν, τοῦ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἰγνατίου, ἐπανέστησαν, καὶ ἐξέωσαν τῆς ἐκκλησίας αὐτὸν, ἐν μερίμνῃ γεγόναμεν· καὶ μάλιστα ὅτι σχίσμα ἐν πάσῃ τῇ εἰρημένῃ ἐπαρχίᾳ, καὶ ταῖς ὑποκειμέναις αὐτῇ πόλεσι, διά τινα Φώτιον ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς καὶ κοσμικῆς στρατιᾶς καὶ σχήματος, καὶ τῶν ἀνακτορείων οἴκων τυγχάνοντα, καὶ αἰφνίδιον καρέντα, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ ἐκκλησίᾳ ἐναντίως τῶν ἱερῶν κανόνων προβληθέντα, οὐ σμικρὸν ἀκηκόαμεν ἀναφυέν. περὶ τούτων δὲ φροντιζόντων ἡμῶν, ἐξαίφνης μετ' ἐπιστολῆς τινες τῶν ἐπισκόπων βασιλικῆς κατέλαβον εἰς ἡμᾶς, πρεσβείαν φέροντες πρὸς τὸν Ἀποστολικὸν θρόνον, καὶ κατηγορίας κατὰ τοῦ συνιερέως ἡμῶν Ἰγνατίου, καὶ ἐν λόγοις παραχώρησιν ἀπὸ Φωτίου προσφέροντες, οὓς αἰσίως ἀπεδεξάμεθα. ἤγγελλον δὲ καὶ τὰ περὶ τῆς τῶν Εἰκονομάχων αἱρέσεως. τούτων γοῦν ἕνεκα δύο τῶν σὺν ἡμῖν ἐπισκόπων, Ῥαδόαλδον καὶ Ζαχαρίαν ἀπεστάλκαμεν, δεδωκότες γράμματα πρός τε τὸν Αὔγουστον καὶ τὸν Φώτιον, ὑποθέμενοι αὐτοῖς τὰς αἰτίας ἐξιχνιάσαι τὰς κατὰ Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου, καὶ τῇ Ἀποστολικῇ καθέδρᾳ ἀπαγγεῖλαι. τὴν γὰρ τοῦ Φωτίου χειροτονίαν οὔπω * ἐμάθομεν γεγονυῖαν, καὶ τοῖς ἀποκρισιαρίοις δὲ αὐτοῖς ἐνετειλάμεθα, ὡς λαϊκῷ κοινωνῆσαι Φωτίῳ. ὅτι δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, δηλωθήσεται ἀπὸ τῶν γραμμάτων ἡμῶν τῶν πρὸς τὸν Αὔγουστον καὶ τὸν Φώτιον πεμφθέντων. ἡμεῖς σὺν ἐκπληρῶσαι τὰς κατὰ C D E

* Ex Anaſtaſ. videtur legendum ὑγιῶς γεγονέναι.

tus. Quando ergo vos hodie quatuor, immo quinque patriarchæ damnant, quis vos abſolvet? A

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

Canones apoſtolici, inquiunt Photiani. Legatos autem judices non recipimus.

Imperator per Baanem dixit: Abite ad patriarcham, & alios nobis adducite.

Legati veteris Romæ dixerunt: Ecce tota ſancta œcumenica ſynodus audiit, Photium & Photianos omnes a beato papa Nicolao cum omnibus occidentalibus epiſcopis undecima indictione ex apoſtolicarum ſanctionum auctoritate damnatos eſſe. Damnatus vero propterea Photius eſt, quod eccleſiæ Conſtantinopolitanæ cathedram invaſerit, ſanctiſſimum Ignatium exegerit, depoſuerit, anathematizarit. B

Quærimus ergo, quam ob cauſam profanus ipſe & laicus, cenſuraque eccleſiaſtica conſtrictus ac anathematizatus, hujuſcemodi ſit auſus perpetrare. Petimus ergo, ut beatiſſimi papæ Nicolai, & ſanctiſſimi Hadriani qui Nicolao ſucceſſit, acta recitentur.

Lecta igitur eſt epiſtola Nicolai papæ ad metropolitas, archiepiſcopos, presbyteros, & clericos Conſtantinopolitanos, in hæc verba conſcripta. C

Quæ apud Conſtantinopolitanam urbem geſta ſunt, hodieque geruntur, ſanctitatem veſtram non arbitramur ignorare. Sed quali zelo pro domo Dei zelati ſimus, quæ eſt eccleſia Dei viventis, more majorum noſtrorum ſolicitudinem omnium eccleſiarum circumferentes, etiam probe ſcitis. Poſtquam enim accepimus quoſdam ſuperbiæ faſtu inflatos, & invidiæ facibus inflammatos, contra paſtorem ſuum & doctorem, comminiſtrum noſtrum Ignatium inſurrexiſſe, atque ex eccleſia pepuliſſe, magna ſane cura affecti ſumus, ob eam potiſſimum cauſam, quod ſchiſma in illa urbe & provincia, & omnibus ſubjectis illi civitatibus, propter Photium quemdam a foro profectum, & ſæculari militia & habitu, & ex palatinis ædibus ſubito attonſum, atque in eccleſiam reclamantibus ſacris canonibus traductum collocatumque, non modicum audiremus obortum. Hæc nobis anxie cogitantibus, repente adſunt cum regia epiſtola quidam epiſcopi ad apoſtolicum thronum miſſi, qui Ignatii conſacerdotis noſtri accuſationem deferebant, verbiſque nomine Photii excuſationes prætendebant: qui a nobis rite excepti, nuntiarunt quoque de hæreſi Iconomachorum; quorum cauſa binos ex noſtris epiſcopos, Rhadoaldum & Zachariam, datis ad Auguſtum & Photium literis, cum mandatis miſimus, ut Ignatii patriarchæ cauſam diligenter cognoſcerent, atque ad apoſtolicam ſedem referrent. Photii enim conſecrationem non credidimus admittendam, & legatis noſtris præcepimus, ut cum Photio non aliter atque cum laico communicarent. Quod ita eſſe ex literis noſtris ad Auguſtum & Photium datis planum fiet. Nos tentatas adverſus D E

Igna-

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

Ignatium inſidias ; nequaquam juſſimus approbari. Ex epiſtola vero imperatoris cognovimus eos non ſolum conſenſum ullum in judicium adverſus Ignatium noluiſſe præbere, ſed etiam, ne tantum ſcelus deſignaretur, repugnaſſe. Et dilectus filius noſter pius Auguſtus, illos contra noſtrum mandatum egiſſe haud ignarus, pro culpanda legatorum prævaricatione ad nos ſolicite ſcripſit. Si quis vero dicat ; cur eos qui lapſi non ſunt, depoſuerimus. Reſpondemus, illos cœpiſſe quidem Photio & Photianis reſiſtere, ſed tandem ceſſiſſe, manuſque dediſſe, eamque ob cauſam eſſe a nobis exauctoratos. Porro ſi ad cauſam Ignatii judicandam miſſi eſſent, omnino prius quam judicaretur, ex noſtra ſanctione illum dignitati ſuæ thronoque reſtitutum oportuiſſet ; ut quod per ſæcularem potentiam admiſit, per eccleſiaſticas ſanctiones recuperaret. Quin & cum noſtros apocriſiarios mitteremus, epiſtolam ad Auguſtum miſſam camdem ter eodem exemplo deſcripſimus ; cujus unum exemplum ipſi ſervavimus, alterum Auguſto tranſmiſſum eſt, tertium legati inſtructionis cauſa apud ſe retinere juſſi ſunt ; qui poſtquam Conſtantinopolim pervenere, regiam formidantes potentiam, ut ipſimet ajunt, mandata noſtra neglexerunt, & cum Photio mœcho in ſacris communicarunt, Ignatiumque virum ætate juxta ac ſanctitate venerandum damnaverunt, atque de dignitatis gradu deturbarunt. Atque ita quidem legati ſe geſſerunt. Nos autem ſic ſtatuimus, ut epiſcopus quicumque ſit, a ſæcularibus non judicetur, neque per vim & tyrannidem pellatur ; nec ante cognitam cauſam ſede ſua privetur, ſed a majoribus & ſummis perſonis ex æquo judicio ſententiam accipiat. Legati porro noſtri illinc reverſi aliud nobis nihil renuntiarunt, niſi depoſitum Ignatium ; & Photium in throno Conſtantinopolitano collocatum. Poſt biduum vero nobis legatus imperatoris duo volumina exhibuit ; quorum altero continebatur, cur Ignatius eſſet depoſitus ; alterum de ſacris imaginibus acta complectebatur. Ex quibus aperte cognovimus, literas noſtras ad Ignatium datas, ab imperatore Ignatio nunquam fuiſſe redditas, neque a noſtris legatis exemplum ſynodo epiſcoporum oſtenſum. Quo deprehenſo, moleſte tulimus, indeque quidquid cum noſtris apocriſiariis factum, aut ſine illis, ſtatim intelleximus. Præterea idem legatus imperatoris literas Auguſti nobis porrexit, quibus rogabamur, ut Ignatii depoſitionem Photiique ſucceſſionem ratam haberemus. At nos præſente ipſo legato convocata tota noſtra eccleſia, declaravimus in Ignatii depoſitionem aut Photii promotionem nunquam nos conſenſiſſe. Quando autem hæc agebantur, Rhadoaldus & Zacharias miſſi a nobis legati epiſcopi, ſiquidem propria confeſſione dixerant a ſe [illegible] eſſe patriarcham Ignatium, aut ſaltem Photio communicaſſe : ſed progreſſu temporis didicimus epiſcopos illos muneribus corruptos : ita demum [illegible] acta contra Ignatium conſpiraſſe.

ANNO CHRISTI 869.

Ἰγνατίου συσκευὰς ἐνετειλάμεθα. ἐν τῇ ἐπιστολῇ δὲ τῇ βασιλικῇ δεδιδάγμεθα, ὡς αὐτοὶ οὐ μόνον συναίνεσιν οὐκ ἐβουλήθησαν δοῦναι ἐν τῇ τοιαύτῃ κρίσει, ἀλλὰ καὶ ἀντίλεγον μὴ προβιβάσαι τὸ τοσοῦτον ἄτοπον. καὶ ὁ ἠγαπημένος ἡμῶν υἱὸς ὁ εὐσεβὴς Αὔγουστος, εἰδὼς παρὰ τὴν ἡμετέραν κέλευσιν ἐκείνους πράξαντας, ὑπὲρ τῆς ὑπαιτίου τούτων παραβάσεως γράψαι ἐφρόντισεν. εἰ δέ τις λέγει, καὶ διὰ τί τοὺς μὴ πταίσαντας ἐκαθῄρομεν· λέγομεν, ὅτι ἤρξαντο μὲν ἀντιλέγειν, διότι δὲ οὐ μέχρι τέλους ἐνέμειναν, ἀλλ᾽ ἐνέδωκαν, διὰ τοῦτο καθῃρέθησαν. εἰ γοῦν διὰ τὸ κρῖναι Ἰγνάτιον ἀπεστάλησαν παρ᾽ ἡμῶν, ἄρα ἂν πρὸ πάσης δίκης τῷ θρόνῳ αὐτοῦ ἀποκαταστῆναι ἀναμφιβόλως ἐθεσπίσαμεν, ὡς ἂν ὅπερ παρανόμως διὰ κοσμικῆς ἐξουσίας ἀπώλεσε, δι᾽ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος εὑρήσῃ. ἀλλὰ καὶ ἡνίκα τοὺς ἀποκρισιαρίους ἡμῶν ἐστέλλομεν, τὴν πρὸς τὸν Αὔγουστον ἐπιστολὴν ἐν τρισὶ τόμοις ὁμοίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἐχαράξαμεν· ὧν ὁ μὲν εἷς παρ᾽ ἡμῖν ἔμεινεν, ὁ δὲ ἕτερος ὠφείλετο ἀποκομισθῆναι πρὸς τὸν Αὔγουστον, τὸν δὲ τρίτον ἐνετάλθησαν ἔχειν παρ᾽ ἑαυτοῖς οἱ ἀποκρισιάριοι εἰς οἰκείαν ἀσφάλειαν. αὐτοὶ δὲ καταλαβόντες τὴν Κωνσταντινούπολιν, καὶ τὴν βασιλικὴν ἐξουσίαν πτήξαντες, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, ἠθέτησαν τὰς ἐντολὰς ἡμῶν, καὶ μετὰ Φωτίου τοῦ μοιχοῦ τῶν ἁγίων ἐκοινώνησαν μυστηρίων, καὶ Ἰγνάτιον τὸν γηραιὸν ἄνδρα καὶ ἅγιον κατέκριναν, καὶ τῆς ἱερατικῆς ἀξίας ἐξήλασαν. κἀκεῖνοι μὲν οὕτως ἐποίησαν. ἡμεῖς δὲ οὕτως ἐκτιθέμεθα, τὸν οἱονοῦν ἱεράρχην μὴ ὑπὸ τῶν κοσμικῶν κρίνεσθαι, μὴ τυραννικῶς ἐξωθεῖσθαι, μὴ πρὸ ἀκροάσεως τῆς ἰδίας ἐκκλησίας στερεῖσθαι· ἀλλ᾽ ὑπὸ μειζόνων ἀρχικωτάτων προσώπων τῆς εὐθείας ψήφου ἀπόφασιν ἐπιδέξασθαι. οἱ μέντοι ἀποκρισιάριοι ἡμῶν μετὰ ταῦτα ἐκεῖθεν ὑποστρέψαντες, οὐδὲν ἕτερον ἀπήγγειλαν, ἢ καθαιρεθέντα μὲν τὸν Ἰγνάτιον, τὸν Φώτιον δὲ ἐν τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως χυρωθέντα. μετὰ δὲ δύο ἡμέρας πρέσβυς βασιλικὸς δύο ἡμῖν τόμους ἐκόμισεν· ὧν ὁ μὲν εἷς τῆς καθαιρέσεως Ἰγνατίου τὴν αἰτίαν περιεῖχεν, ὁ δὲ ἕτερος τὰ περὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων. δι᾽ ὧν σαφῶς ἐπέγνωμεν, ὅτι οὔτε ὁ αὐτοκράτωρ τὴν πρὸς τὸν συνεπίσκοπον ἡμῶν Ἰγνάτιον ἐπιστολὴν ὑπέδειξεν, οὔτε αὐτοὶ οἱ ἀποκρισιάριοι ἡμῶν τὸ ἴσον αὐτῆς συνελθούσῃ τῶν ἐπισκόπων ἐνεφάνισαν· καταλαβόμενοι γοῦν τοῦτο ἠδολεσχήσαμεν, καὶ ἔτι ἅπαν τὸ ἀποκρισιαρίων ἡμῶν ἐπράχθη, ἢ μετὰ τῶν ἀποκρισιαρίων, παραχρῆμα συνήκαμεν. ἀλλὰ μετὰ ταῦτα προσήγαγεν ὁ αὐτὸς βασιλικὸς πρέσβυς βασιλικὰ γράμματα δυσωποῦντα, ὅπως ἐν τῇ καθαιρέσει Ἰγνατίου, καὶ τῇ χυρώσει Φωτίου συναινέσωμεν. ἡμεῖς δὲ ἐνώπιον τοῦ αὐτοῦ ἀποκρισιαρίου συγκαλεσάμενοι τὴν παρ᾽ ἡμῖν ἅπασαν ἐκκλησίαν, ἐξεφωνήσαμεν ἐν τῇ καθαιρέσει Ἰγνατίου, ἢ τῇ προβολῇ Φωτίου μηδέποτε συναινέσαι. ἡνίκα τοίνυν ταῦτα ἐπράττετο, Ῥαδόαλδος καὶ Ζαχαρίας οἱ ἀποσταλέντες ὡς εἴρηται, παρ᾽ ἡμῶν ἐπίσκοποι οὐχ ὡμολόγησαν, ὅτι καθῄρησαν τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον, καὶ ἐκοινώνησαν τῷ μοιχῷ Φωτίῳ· ἀλλὰ παρερχομένου χρόνου ἐνετάσαμεν τοὺς ἐπισκόπους ἐκείνους δώροις παραφθαρῆναι, καὶ οὕτω ποιῆσαι ἃ εἰς Ἰγνάτιον καὶ τὸν Φώτιον γέγονε.

συγκα-



ANNO CHRISTI 869.

συγκαλεσάμενοι οὖν ἐκ πολλῶν ἐπαρχιῶν τῶν δυτικῶν μερῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων ἄθροισμα, καὶ σύνοδον ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ ποιησάμενοι, ἠγάγομεν εἰς τὸ μέσον Ζαχαρίαν· ὁ Ῥαδόαλδος γὰρ οὐ παρῆν· καὶ ἐρωτηθεὶς ἀκριβῶς Ζαχαρίας, εὑρέθη ἐν τῇ καθαιρέσει Ἰγνατίου καὶ τῇ κοινωνίᾳ Φωτίου παντελῶς ἐπταισμένος. διὸ αὐτὸς ὁ Ζαχαρίας ἰδίῳ στόματι ὡμολόγησε, καὶ διασκέψει τῆς τηνικαῦτα συνόδου καθῃρέθη. ὁ μέντοι Ῥαδόαλδος τὰ αὐτὰ πείσεται εἰς ἑτέραν ἀπαντήσας καὶ ἄκων σύνοδον. ἅπερ δὲ συνοδικῶς περὶ Φωτίου τοῦ ἅρπαγος καὶ τῶν ὑπασπιστῶν αὐτοῦ, καὶ περὶ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν ἱερῶν εἰκόνων ὡρισάμεθα, ἐν τοῖς ὑποτεταγμένοις κεφαλαίοις ἐκφέρονται.

α.

Φώτιος ὁ ἀπὸ σχισματικῶν γινωσκόμενος, καὶ ἀπὸ κοσμικῆς ὑπηρεσίας καὶ στρατείας, καὶ ἐκ τῆς ἀγορᾶς αἰφνίδιον καρεὶς, καὶ ὑπὸ Γρηγορίου τοῦ Συρακουσῶν ἐπισκόπου καθῃρημένου χειροτονηθεὶς, ζῶντος τοῦ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἰγνατίου τοῦ βιαίως ἐκβληθέντος, καὶ μετὰ τῶν κατακρίτων καὶ ἀναθεματισμένων, καὶ μετὰ τῶν παρὰ τοῦ προκατόχου ἡμῶν τοῦ ἁγίου Βενεδίκτου δεσμευθέντων κοινωνῶν καὶ ἀναστρεφόμενος, μεθ᾽ ὧν καὶ συνύφανε τὰ κατὰ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου· καὶ διαστρέψας τοὺς παρ᾽ ἡμῶν ἀποσταλέντας ἐπισκόπους, ὥστε συνευδοκῆσαι αὐτῷ, καὶ μέχρι νῦν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ συστρέφων, καὶ κολάζων αὐτόν τε τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ κολάσεσιν ἀφορήτοις· ἔστω τῇ τοῦ παντοδυνάμου ἐξουσίᾳ Θεοῦ, καὶ τῶν μακαρίων Ἀποστόλων καὶ κορυφαίων Πέτρου καὶ Παύλου, καὶ πάντων ὁμοῦ τῶν ἁγίων, καὶ τῶν τιμίων καὶ οἰκουμενικῶν ἓξ συνόδων αὐθεντίᾳ, πάσης ἱερατικῆς τιμῆς καὶ ὀνόματος ἀλλότριος, καὶ παντὸς τάγματος κληρικοῦ ἀπόβλητος. ἐὰν δὲ μετὰ τὴν διάγνωσιν ταύτην πειραθῇ εἰς τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνον ἀνελθεῖν, ἢ παρεμποδίσαι τῷ συλλειτουργῷ ἡμῶν Ἰγνατίῳ, ἢ ἱερατικοῦ τινος ἐφάψασθαι ἔργου, ἀκοινωνησίᾳ παντελεῖ κατακλεισθήσεται, καὶ ἀναθεματισμῷ ὑποπεσεῖται μετὰ τῶν συγκοινωνούντων αὐτοῦ. ἐκ τούτου γὰρ ἕκαστος μανθάνων, οὐδαμῶς τοῦ λοιποῦ ἐκ λαϊκῆς καταστάσεως εἰς τὴν ἱερατικὴν αἰφνίδιον ἔλθῃ χώραν· ὅπερ ἐν τῇ αὐτῇ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίᾳ πολλάκις τολμηθὲν ἔγνωμεν. καὶ οὕτω καταφρονοῦνται οἱ κληρικοὶ, ὧν ἄπειρον τὸ πλῆθος, ἐκ νηπίας ἡλικίας τῇ ἐκκλησίᾳ δουλεύοντες.

β.

Γρηγόριον δὲ τὸν τῆς Συρακουσίων ἐκκλησίας ἀκανονίστως προστάντα· ἐδεσμεύθη γὰρ ἀπὸ Βενεδίκτου τοῦ πρὸ ἡμῶν ἁγιωτάτου πάπα· καὶ Φώτιον τὸν λαϊκὸν ἀθρόον ἐκ λαϊκοῦ χειροτονήσαντα, θεσπίζομεν καὶ ἀποφαινόμεθα πάσης τοῦτον ἱερατικῆς στερεῖσθαι ὑπηρεσίας, καὶ μὴ ἐξεῖναι αὐτῷ ἐκ μηδεμιᾶς συνόδου ἀποκαταστάσεως ἔχειν ἐλπίδα. εἰ δὲ ἀπὸ τοῦ νῦν τολμήσῃ ἱερατικοῦ ἔργου ἅψασθαι, ἢ κατὰ Ἰγνατίου μελετήσει, ἀνάθεμα ἔστω, καὶ πάντες οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ.

γ.

Οὓς δὲ Φώτιος ὁ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας μοιχὸς ἐν οἱᾳδήποτε ἐκκλησιαστικῇ τάξει προεχειρίσατο, ὡς συναινοῦντας τοῖς λόγοις αὐτοῦ, τούτους παντάπασιν ἀναθεματίζομεν ἀποβαλλόμενοι.

ACTIO VII. CONC. VIII. GENERAL.

Ergo nos evocatis ex multis occidentis provinciis epiſcopis, in eccleſia Dei concilium, adducto in medium Zacharia ( nam Rhadoaldus aberat ) celebravimus ; in quo examinatum accurate Zachariam in Ignatii ejectionem conſenſiſſe, & in Photii communionem prolapſum fuiſſe deprehendimus, quare ipſe Zacharias ore ſuo confeſſus eſt : quam ob cauſam ſynodus illum depoſuit. Idem Rhadoaldus alia in ſynodo quamvis invitus patietur. Quæ vero in noſtra ſynodo de uſurpatore, ejuſque ſatellitio, deque Ignatio patriarcha & iis qui ſunt partes Ignatii ſecuti, nec non de ſacris imaginibus decreverimus, in ſequentibus capitibus exponuntur.

I.

Photius a ſchiſmaticis & ſæculari miniſterio, a curia, militarique ſeu forenſi functione repente attonſus, atque a Gregorio Syracuſano epiſcopo damnato, vivo adhuc comminiſtro noſtro Ignatio per vim pulſo, conſecratus, & cum damnatis anathematiſque vinculis a ſancto Benedicto qui nos præceſſit, conſtrictis communicans & converſans, cum quibus inſidias Ignatio patriarchæ concinnavit, noſtroſque legatos epiſcopos ad ſuam pertrahendo ſententiam pervertit ; qui etiam hodie eccleſiam Dei perturbat, & patriarcham Ignatium illique adhærentes intolerandis cruciamentis affligit ; Dei omnipotentis auctoritate, & beati Petri & Pauli principum apoſtolorum, omniumque ſanctorum, & venerandarum ſex œcumenicarum ſynodorum, omni ſacerdotali honore & nomine ſit alienus, & omni clericatus officio prorſus exutus. Quod ſi poſt cognitam hanc ſententiam thronum denuo Conſtantinopolitanum occupare tentaverit, aut Ignatium comminiſtrum impedierit, aut functionem ullam prorſus eccleſiaſticam attigerit, nullam habebit ſpem communionis, & una cum ſectatoribus ſuis anathemati ſubjicietur. Ex hoc enim ſinguli intelligent, de cetero nemini ſubito ex laico ſtatu ad epiſcopatum aſpirandum : id quod in Conſtantinopolitana eccleſia ſæpius præſumptum comperimus. Inde enim fit, ut paſſim contemnantur clerici, quorum maximus numerus a tenera uſque ætate in eccleſia deſudat.

II.

Gregorium vero Syracuſanum, qui thronum contra canones tenuit, ( nam a Benedicto papa prædeceſſore noſtro ſanctiſſimo ligatus eſt ) Photiumque laicum repente ex laico conſecravit, omni eccleſiaſtica functione privatum eſſe decernimus & declaramus, ſic ut nullam ab ulla ſynodo ſpem recuperandæ dignitatis habeat. Quod ſi vero ab hoc tempore ullum munus eccleſiaſticum obire præſumpſerit, aut adverſus Ignatium aliquid molitus fuerit, anathema eſto ipſe, & quicumque cum ipſo communicaverint.

III.

Quos vero Photius eccleſiæ Conſtantinopolitanæ mœchus in quocumque gradu ordine eccleſiaſtico collocavit, eos omnes, veluti cauſæ illius faventes, ejicimus omnino atque damnamus.

Igna-

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

IV.

Ignatium porro omni veneratione proſequendum, primum vi regia de throno ſuo deturbatum, deinde a Photio & Photiana factione ornatu pontificio exutum, magni Dei & domini noſtri Jeſu Chriſti auctoritate ſancimus nunquam pro depoſito habendum eſſe, ſed patriarcham Conſtantinopolitanum legitimum cenſendum: cui ſi quis non paruerit, clericus quidem omni clericorum gradu & ordine ſpoliatus eſto; laicum vero omni paterna benedictione privamus. Nec quiſquam huic ſine primæ ſedis principis apoſtolorum Petri auctoritate repugnare auſit. Epiſcopos autem & cujuſcumque ordinis clericos patriarchæ cauſa vexatos, ab exilio revocari, ſuiſque ſedibus & loco, quo prius erant, reſtitui volumus. Quod ſi quis huic noſtro decreto reſiſtere tentaverit, donec obſequatur, anathema eſto. Si qui vero ex illis de aliis rebus accuſentur; ſuas tamen cathedras obtineant, donec in Romanæ ſedis tribunali de iis judicium fiat.

Sancimus etiam de imaginibus ſacris domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſemper virginis genitricis Dei, omniumque ſanctorum uſque ab Abele juſto, Deo gratorum, quemadmodum per orbem terræ univerſum eccleſia antiquitus accepit, integre ſancteque colendis. Ob quas Joannem quondam Conſtantinopolitanum antiſtitem, ejuſdemque ſectæ aſſeclas, quoad nobiſcum ſentiant, damnatos declaramus. Hæc apoſtolica cathedra decrevit, quæ a vobis etiam ſanctiſſime ſunt obſervanda. Si quis pro defenſione dicat, Photium a Gregorio Syracuſano quondam epiſcopo, a ſynodo exauctorato, & anathemate damnato, mandato tamen imperatoris ad id faciendum impulſo, conſecratum eſſe; dicat hic, qua lege id fecerit. Sæculari potentia neque ligari, neque ſolvi ſacerdotem poſſe ſtatutum eſt. Quo pacto igitur depoſitus poſt depoſitionem conſecravit? Quod ſi rurſus dicat Gregorius, ſe ab epiſcopis abſolutum eſſe; fruſtra eſt: neque enim ab inferioribus, vel æqualibus, ſed a ſuperiore, & ut ex apoſtolicis ſanctionibus diſcimus, ab eo ipſo qui illum communione privarat, vel certe a primæ ſedis poteſtate abſolvendus eſt. Ab inferiore enim vel æquali prælatus aut æqualis, non annuente majore, abſolvi nullo modo poteſt. Ad hæc conſiderate fratres, an ſtare poſſit Photius, etiamſi miris effloreſcat virtutibus, etiamſi ſumma ſcientiæ laude præſtet; cum is ipſe qui illum erigere voluit, proſtratus humi jaceret.

Nos ergo fratres, quod oportuit, fecimus, ut hæc vos moneremus, vos vero videte, nullam vos ignorationis excuſationem habere poſſe. Canones enim Deo inſpirante vobis ante oculos verſantur, & per literas noſtras jam edocti eſtis. Quapropter cavete, ne communicetis alienis peccatis. Gregorius jam olim a patriarcha Ignatio, & ſynodo ab illo celebrata, quemadmodum non ignoratis, depoſitus, eſt:

δʹ.

Τὸν δέ γε αἰδεσιμώτατον Ἰγνάτιον τὸν πρότερον μὲν βασιλικῇ βίᾳ τοῦ οἰκείου στερηθέντα θρόνου, μετὰ δὲ ταῦτα ὑπὸ τοῦ Φωτίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ τῆς ἱερατικῆς γυμνωθέντα ἀμπεχόνης, τῇ αὐθεντίᾳ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ θεσπίζομεν, μηδέποτε τὸν καθῃρημένον λογίζεσθαι, ἀλλὰ τὸν Ἀρχιερέα τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας διαγινώσκεσθαι. τὸν δὲ τολμῶντα μὴ ὑπείκειν αὐτῷ, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, πάσης τῆς τῶν κληρικῶν τάξεως ἀπογυμνοῦμεν· εἰ δὲ λαϊκός, πάσης εὐλογίας πατρικῆς στεροῦμεν αὐτόν. οὐδεὶς γὰρ ἀντιστῆναι τούτῳ τολμήσει, ἄνευ τοῦ προσελθεῖν τῇ πρώτῃ καθέδρᾳ τοῦ κορυφαίου ἐν Ἀποστόλοις θρόνου Πέτρου. τοὺς δὲ ἐπισκόπους, ἢ οἱασδήποτε τάξεως κληρικοὺς τοὺς ὑπὲρ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου παθόντας, ὁρίζομεν τῆς τε ὑπερορίας ἀπολυθῆναι, καὶ τοὺς ἰδίους θρόνους καὶ βαθμοὺς ἀπολαβεῖν. καὶ ὅστις ἂν τούτῳ τῷ διακελεύσματι ἐναντιωθῆναι τολμήσει, ἀνάθεμα ἔστω, ἕως οὗ πειθαρχήσῃ. εἰ δέ τινες ἐξ αὐτῶν περὶ ἑτέρων κατηγοροῦνται, τὰς μὲν οἰκείας καθέδρας ἐχέτωσαν, κριθήσονται δὲ ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων καθέδρᾳ.

Ὁρίζομεν δὲ καὶ τὰ περὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς αὐτοῦ ἀειπαρθένου μητρός, πάντων τε τῶν ἁγίων τῶν τῷ Θεῷ ἀπὸ Ἄβελ τοῦ δικαίου εὐαρεστησάντων, καθὼς κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐκκλησία ἀρχῆθεν ἐδέξατο, ἀμείωτα διαπελεῖν. διὸ καὶ Ἰωάννην τὸν τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν προστάντα, καὶ τοὺς τῆς αὐτῆς ὄντας αἱρέσεως, θεσπίζομεν εἶναι ἀναθεματισμένους, μέχρις ἂν ἡμῖν περὶ τούτου ὁμονοήσωσι. ταῦτα ἡ Ἀποστολικὴ καθέδρα ὥρισεν, ἃ καὶ ὑμᾶς χρὴ φυλάττειν ἀπαρεγχείρητα. εἴ τις εἰς δικαιολογίας προφέρει τὸ καλῶς ὑπὸ Γρηγορίου τοῦ Συρακουσῶν ποτε ἐπισκόπου, τοῦ καθαιρεθέντος ὑπὸ συνόδου καὶ ἀναθεματισθέντος, χειροτονηθῆναι τὸν Φώτιον, προσταχθέντος τοῦτο πρᾶξαι τοῦ Γρηγορίου ἀπὸ βασιλικῆς ἐξουσίας· εἰπάτω ὁ τοιοῦτος, ἐκ ποίων κανόνων τοῦτο παρέλαβεν. ὑπὸ κοσμικῆς ἐξουσίας οὔτε δεσμεῖσθαι, οὔτε λύεσθαι ἱερέα κεκανόνισται. πῶς γὰρ ὁ καθῃρημένος ἐχειροτόνησε μετὰ τὴν καθαίρεσιν; εἰ δὲ λέγει πάλιν ὁ Γρηγόριος, ὑπὸ τῶν Ἀρχιερέων λυθῆναι· μάταιος. οὐ γὰρ ὑπὸ τῶν ὑποδεεστέρων, ἢ τῶν ἴσων, ἀλλ᾽ ὑπὸ μείζονος προσώπου, καὶ ὡς ἐκ τῶν Ἀποστολικῶν κανόνων μανθάνομεν, ὑπὸ τοῦ αὐτὸν ἀφορίσαντος, ἢ προδήλως ὑπὸ τῶν τοῦ πρώτου θρόνου δικαίων ἔμελλε λυθῆναι. ὑποδεέστερος γὰρ ἢ ὁμοταγὴς προπταισμένον ἢ ὁμοταγῆ, μὴ ἐπινεύοντος τοῦ μείζονος, λῦσαι οὐ δύναται. ἐπὶ τούτοις ἀναλογίσασθε ἀδελφοί, ἐὰν στῆναι ὁ Φώτιος δύναται, κἂν θαυμασταῖς ἀρεταῖς ἐξανθῇ, κἂν πάσῃ γνώσει διαλάμπῃ, ἡνίκα ὁ αὐτὸν στῆσαι δοκιμάσας, τῶν χαμαὶ κειμένων ἦν.

Ἡμεῖς μὲν οὖν, ὃ ὀφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν, τὸ ὑμᾶς ταῦτα διδάξαι. ὑμεῖς δὲ ὁρᾶτε, ὅτι περὶ ἀγνοίας οὐδεμίαν δύνασθε παραιτήσεως ἔχειν ἀφορμήν· ὅτι περ καὶ τῶν κανόνων θείᾳ ἐμπνεύσει μνήμονές ἐστε, καὶ ταῖς ἡμετέραις διδακτοὶ γεγόνατε ἐπιστολαῖς. διὸ μὴ κοινωνήσητε ἀλλοτρίαις ἁμαρτίαις. Γρηγόριος πάλαι, καθὼς αὐτοὶ ἐπίστασθε, ἀπὸ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου καὶ τῆς κατ᾽ αὐτὸν συνόδου καθῃρέθη·



ANNO CHRISTI 869.

ἡ δὲ καθαίρεσις αὐτοῦ καὶ παρὰ τοῦ προκατόχου ἡμῶν Λέοντος, καὶ τοῦ Βενεδίκτου βεβαιωθῆναι ἐζητήθη· ἀλλ᾽ ἐκεῖνοι μονομερῶς τοῦτο οὐκ ἐποίησαν. ὁ δὲ Γρηγόριος ἔκτοτε πολλὰ δεινὰ εἰς τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον κατειργάσατο, καὶ αὐτοῦ περιόντος νεόφυτον τὸν Φώτιον εἰς τὴν τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίαν ἐχειροτόνησεν. ὅθεν αἰτοῦμεν διασκέψασθαι ὑμᾶς, πόσον ἡμεῖς τῷ Ἰγνατίῳ χρεωστοῦμεν, οἵτινες αὐτῷ ἔνστασις, καὶ τοῖς ἐχθροῖς αὐτοῦ γεγόναμεν ἐπισκίασις. εἰ καὶ ἡμεῖς οὐ διὰ τοῦτο τὴν κρίσιν τούτων ἀνεβαλόμεθα, ὥστε αὐτῷ τὴν βλάβην ἑτοιμάσαι· ἀλλ᾽ ἵνα οὕτως ἡ γνώμη ἡ ἐν αὐτοῖς προαχθεῖσα ἰσχὺν ἔχῃ, διὰ τοῦ παρ᾽ ἡμῶν τὴν ἐξέτασιν προελθεῖν· καὶ πάλιν οὕτω τὰ παρ᾽ αὐτῶν εἰς αὐτὸν ἐγκληθέντα ὁλοσχερῶς ἐνώπιον ἡμῶν προβληθῶσιν, ὡς ἂν τοῦ μέρους Ἰγνατίου πρόσωπον προσκληθὲν παρουσίᾳ ἡμῶν μὴ ὑστερήσῃ. ἐν τῷ εὐτρεπίζεσθαι δὲ τὸ μέρος Ἰγνατίου πρὸς τὴν ὁδόν, οἱ πολέμιοι αὐτοῦ μηκέτι τοῦ θρόνου τοῦ Ἀποστολικοῦ δεόμενοι, Ἰγνάτιον ἕλκουσι, καὶ ἐξωθοῦσι, καὶ ἀναριθμήτοις κακοῖς κατεργασθέντα ἀπὸ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ποίμνης ἐκβάλλουσι. διὰ τοῦτο ἀδελφοί, ἐπεὶ ἐξ ἡμῶν εὑρέθη τῆς Ἰγνατίου ἐκβολῆς ἡ ὑπόθεσις, βοηθῆσαι τούτῳ ὀφείλομεν. διὸ οἱ λεχθέντες προκάτοχοι ἡμῶν Λέων καὶ Βενέδικτος, ἐὰν τοιαῦτά τινα ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν ὁ Γρηγόριος καὶ οἱ συνασπισταὶ αὐτοῦ ἐξειργάσαντο, καταχρώμενοι τῇ τοσαύτῃ συμπαθείᾳ καὶ μακροθυμίᾳ τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου εἰς τὰ Ἰγνατίου κακά, αὐτίκα ἂν τοὺς τοιούτους κατέκειναν, καὶ τὸ ἐγχείρημα τῆς ἀσεβείας καθελεῖν διαπύρως προεθυμήθησαν. ἀλλ᾽ ἐπεὶ θείᾳ κλήσει εἰς οὐρανοὺς ἐκεῖνοι ὑπεχώρησαν τὴν τοιαύτην τυραννίδα μὴ θεασάμενοι, ἡμεῖς ὀφείλομεν ἀναπληρῶσαι τὸν τόπον αὐτῶν, καὶ κατὰ τὸ προνόμιον τῆς ἀξίας ἐπιμελῶς πληρῶσαι.

Οὐ παροπτέον δέ ἐστιν ἐπιμνησθῆναι ἡμᾶς, ὡς τῷ παρελθόντι χρόνῳ τῆς γʹ. ΙΝ. ἐπιστολὴν τοῦ βασιλέως Μιχαὴλ ἐπεδεξάμεθα, ἥτις πολλῶν ὑπῆρχε λόγων ὑβριστικῶν ἀνάπλεως· καὶ οἶμαι τὸν γραφέα αὐτῆς εἰς φάρυγγα ὄφεως τὸν κάλαμον βάψαι. ἀντιγράψαμεν δὲ πρὸς τὸν Αὔγουστον τηνικαῦτα, ὑπολαμβάνοντες ὃ καὶ ἔτι ὑπολαμβάνομεν, ὡς ἡ εὐσέβεια αὐτοῦ ποτε ἀνανήψει, καὶ τῇ σωτηριώδει ἡμῶν νουθετήσει πεισθήσεται, καὶ τὰ πάλαι κακῶς γραφέντα ἐξαφανίσει, οὐ μόνον καθ᾽ ἡμῶν ὄντα, ἀλλὰ καὶ τοῦ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἰγνατίου. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ τῷ ἐξοχωτάτῳ βασιλεῖ ἐπιστολὴν τῆς προεδρείας ἡμῶν ἀνεπέμψαμεν, καὶ ὑμᾶς πρὸς τὴν ἔνταξιν ἡμῶν παρακινοῦμεν, ὡς ἂν ἐξετάσῃ τὰ τῆς ἐφυβρίστου γραφῆς· καὶ ἐὰν ἐν τῷ αὐτὸν πολλαῖς τοῦ κόσμου φροντίσιν ἀσχολεῖσθαι ὑφηρπάσθη, ὥστε τοιαῦτα γράψαι, μὴ κατοκνήσῃ τοῦ ταπεινοφρόνως ὁμολογῆσαι, καὶ τὸ ἴσον τῆς τοιαύτης γραφῆς πυρὶ παραδοῦναι, ἵνα μὴ ἀχάριστος υἱὸς εὑρεθῇ περὶ τὴν ἰδίαν μητέρα, ἐξ ἧς ἔσχε τὴν βασιλείαν αὐτός τε καὶ οἱ πατέρες αὐτοῦ· νῦν οὖν γινωσκέτε, ὅτι περ ἐὰν μὴ ταύτης τῆς προπετείας ἀναστῆναι μέχρι τέλους βουληθῇ, συναθροίσομεν πασῶν τῶν δυτικῶν χωρῶν τοὺς τιμιωτάτους ἱερεῖς, καὶ τοὺς διδασκάλους καὶ ἐπιστάτας τοῦ τοσούτου ψεύδους, καὶ τοὺς ἀποστάτας σφοδροῖς ἀναθέματος θεσμοῖς καθυποβαλοῦμεν, καὶ τὴν ἐπιστολὴν εἰς μεγίστην ἐνθέντες πυράν, πανωλεθρίᾳ παραδώσομεν ἀπωλείᾳ· ὡς ἂν τούτων εὐλόγως πραχθέντων, διδαχθῇ ὁ εὐσεβὴς ὅπερ ἀγαπᾷ, καὶ ὁ ὠμότατος ὅπερ φοβῆται.



quam exauctorationem ut comprobarent, a Leone & Benedicto, qui ante nos Romanam cathedram adminiſtrarunt, eſt poſtulatum: quod illi altera parte non audita non fecerunt. Eo ex tempore Gregorius in patriarcham multa atrocia machinatus eſt, quo ſuperſtite Photium neophytum in Conſtantinopolitano throno collocavit. Quocirca volumus a vobis accurate perpendi, quantum Ignatio debeamus, qui illi obſtaculum, adverſariis vero ejus fuerimus umbraculum. Quamquam judicium horum non hanc ob cauſam diſtulerimus, ut illi inde incommodum crearetur; ſed potius ut prolata in hos ſententia robur haberet, ſi per nos præcederet examinatio; & viciſſim ſic objecta illi ab iſtis coram nobis integre exponerentur, ut partis Ignatii perſona vocata noſtræ præſentiæ non deeſſet. At vero dum Ignatius legationem adornat, ejus adverſarii contempta apoſtolici judicii auctoritate, Ignatium de gradu deturbatum pellunt, infinitiſque malis affictant. Quapropter, fratres, quoniam ex nobis Ignatii pellendi occaſio capta eſt ab adverſariis, a nobis merito adjuvandus eſt. Itaque ſi noſtrorum prædeceſſorum Leonis ac Benedicti temporibus talia in Ignatium a Gregorio Syracuſano & fautoribus ejus perpetrata eſſent, abutentibus ad Ignatii calamitatem tanta apoſtolicæ ſedis indulgentia & longanimitate, continuo eos condemnaſſent, & piaculum impietatis deſtruere ardentiſſime ſtuduiſſent. Quia vero ex hac illi vita in cælum a Deo evocati migrarunt, neque tyrannidem hanc ſpectarunt, nobis illorum vices ſunt gerendæ, opuſque pro dignitatis privilegio ſtudioſe perficiendum.

Neque illud nobis contemnendum, ſuperiore anno indictione XIII. ab imperatore Michaele literas ad nos miſſas plenas contumeliæ: arbitrorque a ſcriptore calamum draconis faucibus fuiſſe tinctum. Reſpondimus tum Auguſto, rati futurum (id quod adhuc ſperamus) ut pietas ejus aliquando reſipiſcat, monitiſque noſtris ſalutaribus flectatur, & quæ male ſunt ſcripta non contra nos tantum, ſed contra comminiſtrum quoque noſtrum Ignatium, igni tradat. Hanc enim ob cauſam epiſtolam præſulatus noſtri ad auguſtiſſimum imperatorem miſimus, pro qua etiam vos ut laboretis, adhortamur, ut imperator contumelioſiſſimi ſcripti cauſam perpendat; & ſi illi per negotiorum tumultum publicorum ac civilium obrepſit, ut hæc ſcriberet, non cunctetur modeſte & ſubmiſſe hoc ipſum profiteri, & exemplum literarum igni cremandum tradere; ne filius in ſuam matrem ingratus reperiatur, a qua & ipſe & majores ejus imperium acceperunt. Nunc ergo ſciatis, nos, ſi obſtinatus in hac perſiſtere contumacia volet, evocaturos ex toto occidente honoratiſſimos ſacerdotes, & doctores & diſpoſitores tantæ fallaciæ, apoſtataſque artiſſimis anathematis vinculis conſtricturos, ipſamque demum epiſtolam in rogum maximum conjectam exuſturos; ut his rite patratis diſcat pius quod amet, & crudelis quod timeat.

ACTIO VII CONC. VIII GENER.



Cete-

ACT. VII. CONC. VIII. GENER.

Ceterum caritas unanimitatis veſtræ de A Ignatii fratris noſtri ejectione, adeque ſanctorum patrum contemptione doleat nobiſcum. Impietas enim tam alte cervices ſuſtulit, ut eccleſiaſtici præſules facile a laicis dimoveantur. Nam laici, ut ſecuri quod prava ſuadet voluntas, exequi poſſint, nec ab epiſcopis reprehendantur, non ex clericorum claſſe, ſed ex ſuo ordine ad pontificiam adminiſtrationem promoveant, qui illorum ſtudiis obſequantur. Hoc ſane apud vos ibi impune fieri ſolet, ut ex laicis quempiam ſubito attonſum, epiſcopum creent: quod a ſacris canonibus eſt alienum. Formidate futuram a Deo condemnationis ſententiam. Medicorum par- B tes agitis: latentia ergo ulcera per ſigna precedentia inſpicite. Speculatores eſtis: excelſam mentis ſpeculam conſcendite, & feram in gregem dominicum invadere meditantem procul inde proſpicite. Quaſi tuba exaltate vocem veſtram, & annuntiate populo Dei ſcelera eorum. Hæc vobis hactenus ſcripſiſſe ſufficiat. Pax autem Dei quæ exuperat omnem ſenſum, intima cordium veſtrorum penetret, & non permittat in nobis ſchiſmata; ſed una mente & uno ore digne glorificemus Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Amen.

Iſa. 58.

Lecta hac epiſtola, lecta eſt epiſtola Ha- C driani papæ ad imperatorem Baſilium in hæc verba:

Quoniam, sereniſſime imperator, vocem Dei ab apoſtolica ſede delatam audiviſti, exactoque mœcho eccleſiæ Conſtantinopolitanæ germanum paſtorem reddidiſti; ab omnipotente Deo es benedictus, ſi quidem a bene cœptis non deſtiteris, ſed ad finem uſque perſeveraris. Ego quoque tibi hæc agenti omnino præſto ero. A decretis enim ſanctæ memoriæ papæ Nicolai de Photii ejectione & Ignatii reſtitutione deſciſcam nunquam. Quare fiducialiter depoſco, ut ejecti a tua pietate recipiantur, diſſipati revocentur: inter quos eſt pru- D dens vir * Theodoſius clariſſimus exarchus, qui nomine fratris noſtri & comminiſtri Ignatii legatione functus, ſeptem totos annos ad limina apoſtolorum velut incola & peregrinus vixit: quem ſane oportet dignam referre compenſationem. Deus te & hic ſemper præſtet felicem, hoſtiumque victorem, & in futuro gloriam det ſempiternam, regnumque nullis ſæculorum temporibus finiendum.

* Theogno-ſtus

Deinde lecta eſt ejuſdem papæ epiſtola ad patriarcham Ignatium, hunc in modum ſcripta.

E Par erat nos, ſi minus antea provocari ad tui auxilium, ſaltem nunc ob reſtitutam tibi dignitatem lætificari. Nam quando noſter frater es, ſi intelligamus te neceſſitatem habere, & claudamus viſcera noſtra a te, quomodo caritas Dei in nobis manet? Scias ergo, omnia a ſanctiſſimo anteceſſore noſtro Nicolao tua tuorumque & eccleſiarum tuarum cauſa decreta nos cuſtodituros. Inſuper cenſemus

ANNO CHRISTI 869.

A Τὸ λοιπὸν δὲ ἡ ἀγάπη τῆς ὁμοψυχίας ὑμῶν περὶ τῆς τοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν Ἰγνατίου ἐκβολῆς μεθ' ἡμῶν ἀλγησάτω, καὶ περὶ τῆς τῶν πατέρων καταφρονήσεως. ἡ γὰρ ἀσέβεια τοσοῦτον τὴν κεφαλὴν ὑπερῆρεν, ὥστε τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς προέδρους ῥᾳδίως παρὰ τῶν λαϊκῶν μετατίθεσθαι. οἱ γὰρ λαϊκοὶ ἵνα ἔχωσιν ἀδεῶς πράττειν τὰ οἰκεῖα κακὰ θελήματα, καὶ μὴ παρὰ τῶν Ἀρχιερέων ἐλέγχωνται, οὐκ ἐκ τοῦ κλήρου πρὸς τὰς ἀρχιερατικὰς τάξεις προάγουσιν, ἀλλ' ἐξ αὐτῶν ἐκλέγονται τοὺς τὰ καταθύμια τούτοις πράξοντας. τοῦτο δὲ ἐν τοῖς αὐτόθι μέρεσιν ἀδεῶς πράττεται, τὸ ἐκ λαϊκῶν τινα αἰφνίδιον κείρεσθαι, καὶ εἰς ἐπίσκοπον χειροτονεῖσθαι· τοῦτο δὲ B τοῖς θείοις κανόσιν ἀποτρόπαιον. φοβήθητε τὴν ἐκ τοῦ Θεοῦ κατάκρισιν. ἰατροί ἐστε, καὶ τὰ ἀφανῆ ἕλκη διὰ τῶν προερχομένων σημείων ἐπισκέψασθε. ἐπόπται ἐστέ· εἰς τὸ ὑψηλὸν ὑπερῷον τοῦ νοὸς ἀνάβητε, καὶ ἐν τῇ ποίμνῃ τῇ κυριακῇ τὸ πονηρὸν θηρίον ἐπιβλῶσαι ἐπιθυμοῦν πόρρω σκοπήσατε. ὡς ἐν σάλπιγγι ὑψώσατε τὴν φωνὴν ὑμῶν, ἀναγγείλατε τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ τὰς ἀνομίας αὐτῶν. ταῦτα ὑμῖν ὡς ἀρκοῦντα ἐγράψαμεν. ἡ δὲ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, τὰ ἔγκατα τῶν καρδιῶν ὑμῶν ἐμβατεύσοι, καὶ μὴ ἐάσῃ ἐν ἡμῖν σχίσματα, ἀλλ' ἐν μιᾷ ψυχῇ καὶ ἑνὶ στόματι καταξιωθῶ- C μεν δοξάσαι τὸν Θεὸν καὶ πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἀμήν.

Μετὰ ταύτην τὴν ἐπιστολὴν ἀνεγνώσθη ἡ τοῦ Ἀδριανοῦ πάπα ἐπιστολὴ πρὸς τὸν βασιλέα Βασίλειον, ἔχουσα οὕτως.

Ἐπεὶ γαληνότατε αὐτοκράτορ, ὑπήκουσας τῆς φωνῆς τοῦ Θεοῦ τῆς διὰ τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου διενεχθείσης, καὶ ἀπέδωκας τῷ τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ τὸν οἰκεῖον ποιμένα, ἀπωσάμενος τὸν μοιχὸν, εὐλογημένος εἶ παρὰ τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ, ἐὰν ἀπὸ τοῦ καλῶς ἐναρχθέντων μὴ ἀποστῇς, ἀλλὰ μέχρι τέλους ἐν αὐτοῖς ἐγκαρτερήσῃς. κἀγὼ δέ σοι ταῦτα πράττοντι συνέσομαι παντὶ τρόπῳ. ἀπὸ γὰρ D τῶν θεσπισμάτων τοῦ τῆς ἁγίας μνήμης πάπα Νικολάου, τῶν περὶ τῆς καθαιρέσεως Φωτίου καὶ τῆς ἀποκαταστάσεως Ἰγνατίου, οὐδέποτε ἀποστήσομαι. διὸ καὶ πεπαῤῥησιασμένως δυσωπῶ, ὅπως οἱ ἐκβεβλημένοι ἀποδεχθῶσι παρὰ τῆς ὑμῶν εὐσεβείας, καὶ οἱ διεσκορπισμένοι ἐπισυναχθῶσιν. ἐν οἷς ἐστω καὶ ὁ συνετὸς ἀνὴρ * Θεοδόσιος ὁ τιμιώτατος ἔξαρχος· ὃς τῇ πρεσβείᾳ τῇ ὑπὲρ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἰγνατίου ὑπηρετούμενος, ἑπταετίαν ὅλην παρὰ τοὺς τῶν Ἀποστόλων φλιὰς ὡς ἀπόδημος καὶ περεγεῖνος ἔζησε· καὶ χρὴ αὐτὸν ἐπαξίαν τὴν ἀμοιβὴν κομίσασθαι. ὁ δὲ Θεὸς δοίη σοι ἐνταῦθα μὲν εὐτυχίαν διηνεκῆ, καὶ τῶν ἐχθρῶν ὑποταγὴν, ἐν δὲ τῷ μέλλοντι δόξαν αἰώ- E νιον καὶ βασιλείαν τὴν ἀτελεύτητον.

* Θεόγνωστος

Μετὰ ταῦτα ἀνεγνώσθη ἡ τοῦ αὐτοῦ πάπα ἐπιστολὴ πρὸς τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον, ἔχουσα οὕτως.

Προσῆκε τῇ σῇ ἁγιότητι, εἰ καὶ μὴ πρὸς βοήθειάν σου πρότερον συγκαλέσασθαι ἡμᾶς, ἀλλά γε νῦν, ἵνα συγχαρῶμεν τῇ ἀνακλήσει σου. ἐπεὶ γὰρ ἀδελφὸς ἡμῶν εἶ, ἐὰν ἴδωμεν σε ἀνάγκην ἔχοντα, καὶ συγκλείσωμεν τὰ σπλάγχνα ἡμῶν ἀπὸ σοῦ, πῶς ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ μενεῖ ἐν ἡμῖν; συνάρχην γίνωσκε, ὅτι περὶ ἐν οἷς ὁ προκάτοχος μὲν ἁγιώτατος Νικόλαος ὑπὲρ σοῦ καὶ τῶν συνθρόνων τῶν κατὰ σὲ ἐκκλησιῶν θέσπισεν, ἐν αὐτοῖς μένομεν καὶ ἡμεῖς. ἐπὶ τούτοις τὸ κοινὸν τέκνον Θεόγνω-



ANNO CHRISTI 869.

στον τὸν εὐλαβέστατον ἔξαρχον, ὑπὲρ σοῦ πολλὰ κοπιάσαντα, ἀξιοῦμεν ἀμοιβῆς ἀξίας τυχεῖν. εἰ δὲ πρὸς ἡμᾶς πέμψαι βουληθείης, οὗτος πάλιν ἐλθέτω, ἀναγγέλλων ἡμῖν περὶ τῆς εὐοδώσεώς σου, καὶ τὴν διοίκησιν τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως.

Πρακτικὰ συνόδου γεγονυίας παρὰ τοῦ πάπα Ἀδριανοῦ κατὰ Φωτίου.

Διαλαλιὰ πρώτη ἐν Ῥώμῃ.

ΟΦΕΙΛΟΜΕΝ, ἀδελφοὶ καὶ τέκνα ἠγαπημένα, τοῦ κυριακοῦ ἀγροῦ ἐπιτήδειοι εἶναι ἐργάται. B καὶ ἐὰν ἐν αὐτῷ ἀκανθώδη τινὰ ἢ φθοροποιὰ ἀναδιδόμενα κατανοήσωμεν, ἐπιμελῶς ἐπειχθῶμεν ἐκριζῶσαι αὐτά. ἐπεὶ γοῦν ὁ Φώτιος, ἔτι κοσμικὸς ὢν, ἐνεκυμάνησε φθόνον κατὰ τοῦ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἰγνατίου, καὶ πρὸς τὴν τῆς προεδρείας κορυφὴν, οὐ κατὰ βαθμὸν καὶ κατὰ μικρὸν, ἀλλ' ἀτάκτως ἐπεπήδησε, καὶ τῆς κοινωνίας ἑαυτὸν τοῦ οἰκείου προέδρου ἠλλοτρίωσε, καὶ διὰ τοῦτο ἀπὸ πάσης τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας τῆς τῷ αὐτῷ πατριάρχῃ κοινωνούσης ἑαυτὸν ἔδειξε παντελῶς ξένον, ὡς σχισματικὸν, ἐξ οὐδεμιᾶς αἰτίας ἀποσχίσας ἀπὸ τοῦ οἰκείου πατριάρχου· ὑπερορίας τε καὶ διαφόρους τιμωρίας, ἀλλὰ μὴν C θανάτους εἰς τοὺς ἱερεῖς Χριστοῦ, καὶ τοὺς λοιποὺς πιστοὺς εἰς τοσοῦτον ἐργασάμενος, ὡς καὶ τὸν Διοκλητιανὸν ὑπερακοντίσαι. διὸ ὁ πρὸ ἡμῶν ἁγιώτατος πάπας Νικόλαος καὶ δι' ἀποκρισιαρίων καὶ διὰ γραμμάτων παρῄνεσεν. ἔπειτα θεωρῶν, ὡς οὐδὲν ὠφέλησεν ἡ παραίνεσις, ἀπωσάμενος τοῦτον ἀφώρισε, καὶ ἀναθεματίσας, τῆς ἐκκλησίας ἠλλοτρίωσεν, ἧς ἐπέβη λῃστρικῶς. τούτου χάριν Φώτιος οὐ μόνον οὐκ ἦλθεν εἰς μετάνοιαν, ἀλλὰ καὶ συνήθροισε συναγωγὰς πονηρευομένων· καὶ τούτων προκαθεσθεὶς, πρῶτον μὲν ὡς ὠμὸς πατροκτόνος τὸν ἴδιον πατέρα Ἰγνάτιον ἐξέωσεν. εἶτα ἔθετο εἰς οὐρανὸν τὸ στόμα αὐτοῦ, D καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ διῆλθεν ἐπὶ τῆς γῆς, κατὰ τῆς θείας εὐταξίας τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας ἄτοπα συγκαττύσας πολλά. ἀλλὰ καὶ τὸν βίον τοῦ μακαρίου πάπα Νικολάου διαβαλεῖν οὐκ ὤκνησε. τί γὰρ χρὴ λέγειν ὅσα καὶ περὶ ἡμῶν συνεφόρησε, πλασμάτων ψευδηγορίας συνθέμενος, καὶ κατὰ τοῦ ἁγίου πάπα ἐκείνου τοῦ κατὰ τὸν ἥλιον λάμψαντος ἐν τῷ σκοτεινῷ βίῳ τούτῳ, καὶ μὴ τοῖς κοσμικοῖς ἄρχουσι, τῷ Μιχαὴλ δηλονότι τῷ βασιλεῖ καὶ Βάρδᾳ τῷ Καίσαρι ὑποπεσόντος παρανομοῦσι. τοίνυν ἀγαπητοὶ διασκέψασθε, τί ὑπὲρ τῆς τοιαύτης τρόπου παρανομίας ἡμᾶς χρὴ διαπράξασθαι.

E Ἀπολογία τῆς συνόδου πρὸς τὸν πάπαν.

Ἐπὶ τὴν καρδίαν σου ὁρῶμεν πεφωτισμένην τῇ χάριτι τοῦ ἁγίου πνεύματος, εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ, ὅτι τῶν πατρικῶν διατάξεων σπουδαῖος ὀπαδὸς, καὶ τῶν τοῦ θρόνου προνομίων ἀκριβὴς φύλαξ ὑπάρχεις. ὁ Φώτιος οὖν ὁ ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς καὶ βουλευτικῆς τῶν δημοσίων πραγμάτων ὑπηρεσίας ὢν, καὶ ἀθρόον εἰς τὴν τῆς ἐκκλησίας ἀναβιβασθεὶς τάξιν καθάπερ λῃστὴς, καὶ πολλὰ δεινὰ τῇ ἐκκλησίᾳ πάσῃ καὶ τῷ ταύτης προέδρῳ διαπραξάμενος, ἀπόβλητος καὶ ἀναθεματισμένος ἐστίν.



A Theognoſtum exarchum religioſiſſimum, & communem noſtrum filium, tua cauſa plurima perpeſſum, digna compenſatione remunerandum. Quod ſi legatum ad nos mittere voles, hunc ipſum velim mittas, qui nobis de felici tuo progreſſu, tuæque eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatu nuntium ferat.

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

*Acta ſynodi ab Hadriano papa contra Photium Romæ coacta.*

Allocutio prima.

B DEbemus, fratres & dilecti filii, agri dominici cultores eſſe ſtudioſi. Quod ſi animadvertamus in illo vel ſpinas, vel alias noxias herbas pullulare, conemur eas diligenter extirpare. Cum igitur Photius adhuc profanus & ſæcularis adverſus comminiſtrum noſtrum Ignatium invidiam concitarit, & ad præſulatus culmen non per gradus & ſtata temporum intervalla, ſed nullo ordine ſervato inſilierit, atque a ſuo antiſtite defecerit, & idcirco ab univerſali eccleſia, quæ eidem ſuo patriarchæ communicat, ſeipſum prorſus alienum declararit, nullam ob cauſam a ſuo patriarcha divulſus: exilia quoque & varia tormentorum genera, mor- C tem præterea Chriſti ſacerdotibus, aliiſque fidelibus intulerit, ita ut Diocletianum immanitate ſuperarit. Ea de cauſa ſanctiſſimus deceſſor meus papa Nicolaus per legatos & literas illum admonuit. Poſtquam vero intellexit ſua monita nihil proficere, illum ab eccleſia quam latronis more invaſerat, præcidit, anathemateque multavit. Qua pœna Photius affectus, tamen non reſipuit, ſed ſynagogas malignantium congregavit, illarumque præſes ipſe, primum velut immanis parricida ſuum patrem Ignatium ejecit. Deinde poſuit in cælum os ſuum, & lingua Pſal. 72. ejus tranſivit in terra, contraque divi- D nam ordinationem cælitus in eccleſia noſtra diſpoſitam multa nefarie molitus, famam ipſam beatiſſimi papæ Nicolai traducere, & vitam calumniari non dubitavit. Quid enim dicam quæ in nos contulerit, quæque mendaciorum monſtra fabricatus ſit in illum papam (Nicolaum) qui in tenebricoſa hac vita velut ſidus aliquod & ſol alter effulſit; qui nec mundi principibus, Michaeli ſcilicet & Bardæ Cæſari contra juſtitiam favit. Videte igitur dilectiſſimi, quid ſuper hujuſmodi temeritate ſit nobis agendum.

E *Reſponſio ſynodi ad papam.*

Quoniam cor tuum ſancti Spiritus gratia illuſtratum cernimus, meritas Deo gratias perſolvimus, quando majorum inſtituta ſtudioſe complecteris, & apoſtolici throni principatum acriter tueris. Photius ergo a rebus forenſibus & curialibus functionibus repente velut latro in eccleſiaſticum intruſus ordinem, multa in totam eccleſiam & hujus auſus præſidem, depoſitus eſt atque anathematizatus.

ACTIO VII. CONC. VIII. GENERAL.

Accendatur igitur, beatiſſime papa, velut ignis zelus tuus, & accinge veluti vir lumbos tuos, atque hanc apoſtolico throno irrogatam juſtus judex contumeliam vindica; & conciliabulum una cum actis ſuis nuper Conſtantinopoli contra ſacroſanctam ſedem apoſtolicam & ipſam veritatem a Michaele imperatore vi tyrannica coactum, ita falce tuæ ſententiæ præcide, ut memoria ejus extet nulla; niſi ut ad turpitudinis ejus condemnationem, vel Ariminenſi, vel Epheſinæ illi latrocinantium ſynodo comparetur. Qui autem vel interfuiſſe, vel ſubſcripſiſſe, vel defendere hujuſmodi ſcripta reperti fuerint, anathematis vinculo teneantur, quoad viva voce & ſubſcriptione acta illius concilii damnarint: alioqui ne in laicorum quidem numero ab eccleſia catholica habeantur.

*Alterum colloquium.*

Quod veſtra caritas cenſuit, placet vehementer. Sed quoniam liber, in quo nefaria conciliabuli acta perſcripta ſunt, quem nobis per legatos ſuos coepiſcopus noſter Ignatius & religioſiſſimus imperator Baſilius tranſmiſerunt, adhuc apud nos eſt, videndum eſt, quid de eo ſit agendum. Atque ego quidem cenſeo, quandoquidem hic liber nihil ab hæreticorum & ſchiſmaticorum commentis differt, ne per hunc ceteri fallantur, moreſque eorum corrumpantur; qui quantus quantus eſt, ex mendaciis & perverſis dogmatis eſt conſutus; illum æternis anathematis execrationibus devovendum, & inſpectante univerſo concilio, Græcorumque legatis, igni tradendum.

*Altera reſponſio.*

Pium pontificis noſtri & univerſalis eccleſiæ præſidis conſilium placet omnibus: idem omnes dicimus: idem omnes toto pectore ut fiat rogamus & comprobamus.

*Tertium colloquium ejuſdem papa.*

Intolerabilis eſt hæc audacia, dilecti fratres; adeoque aures cordis mei eam ferre nullo modo poſſunt. Inauditum hactenus eſt, Romanum pontificem a ceteris eccleſiis eſſe judicatum; ſed alios omnes ab illo judicari ſcimus. Nam quamvis Honorius poſt mortem ab orientis epiſcopis anathemate ſit affectus, manifeſtum tamen eſt, illum de hæreſi fuiſſe accuſatum, qua ſola in cauſa licet inferioribus in ſuperiores inſurgere. Quamvis & ibi nec patriarcharum quiſquam, nec aliorum ullus antiſtitum ſententiam pronuntiare potuerit, niſi ejuſdem primariæ ſedis accedente ad eam auctoritate. Præterea meminimus, regi Theodorico, cum Symmachum papam, evocatis ex diverſis regionibus & regno Siciliæ epiſcopis, Romamque ire juſſis, reum in judicium vellet adducere, diceretque a papa Symmacho multa mala eſſe perpetrata, quæ epiſcoporum judicio committeret,

ANNO CHRISTI 869.

Ἀναφθήτω οὖν ὡς πῦρ ὁ ζῆλός σου μακαριώτατε πάπα, καὶ περιζώσαι ὥσπερ ἀνὴρ τὴν ὀσφῦν σου, καὶ τὴν ὕβριν τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας ὡς δίκαιος κριτὴς ἐκδίκησον, καὶ τὸ συνέδριον μετὰ τῶν πρακτικῶν αὐτοῦ, τὸ πάλαι ἐν Κωνσταντινουπόλει κατὰ τῆς αἰδεσιμωτάτης καὶ Ἀποστολικῆς καθέδρας, καὶ κατὰ τῆς ἀληθείας ὑπὸ Μιχαὴλ τοῦ βασιλέως τυραννικῶς συναθροισθέν, οὕτω τῇ τῆς ἀποφάσεως δρεπάνῃ ἔκκοψον, ὡς μηδεμίαν αὐτοῦ μνήμην εἶναι, ἀλλὰ πρὸς κατάκρισιν τῆς αὐτοῦ αἰσχρουργίας τῇ ἐν Ἀριμίνῳ συνόδῳ, ἢ τῇ ἐν Ἐφέσῳ λῃστρικῇ συμπαραβληθῆναι. οἱ δέ γε παραγενηθέντες ἢ ὑπογράψαντες, ἢ τὰ τοιαῦτα συγγράμματα διεκδικοῦντες, ταῖς ἐνοχαῖς τοῦ ἀναθέματος συνεχέσθωσαν, ἕως ἂν οἰκείᾳ φωνῇ καὶ ὑπογραφῇ τὰ γινόμενα ἀναθεματίσωσι, μηδὲ ἐν τῇ τῶν λαϊκῶν κοινωνίᾳ παρὰ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ παραδεχόμενοι.

Διαλαλιὰ δευτέρα τοῦ αὐτοῦ πάπα.

Ὅπερ ἡ ἀγάπη ὑμῶν διηγόρευσε, πάνυ ἀρέσκει. ἀλλ' ἐπεὶ ἡ δέλτος, ἐν ᾗ αἰσχρουργίαι τοῦ συνεδρίου ἐγράφησαν, ἣν ἡμῖν διὰ τῶν ἀποκρισιαρίων αὐτοῦ ὁ συνεπίσκοπος ἡμῶν Ἰγνάτιος καὶ ὁ εὐσεβέστατος αὐτοκράτωρ Βασίλειος κατέπεμψαν, ἔτι παρ' ἡμῖν ἐστι, διασκέψασθαι χρή, τί ἐπὶ ταύτῃ διαπραξόμεθα. ἐγὼ μὲν οὖν φημι, ἵνα μὴ καὶ ἕτεροι διὰ ταύτης ὑποκλαπῶσι καὶ διαφθαρῶσι τὰ ἤθη· ἐπεὶ οὐδὲ τῶν αἱρετικῶν καὶ σχισματικῶν πλασμάτων ἡ βίβλος αὕτη διΐσταται· ὅλη γὰρ ψευσμάτων καὶ διεστραμμένων δογμάτων γέμει· ταύτην κρίνω τῷ αἰωνίῳ ἀναθέματι καθυποβληθῆναι, καὶ ἐνώπιον τοῦ συνεδρίου παντὸς καὶ τῶν Γραικῶν ἀποκρισιαρίων πυρὶ παραδοθῆναι.

Ἀπολογία δευτέρα.

Ἡ εὐσεβὴς διάσκεψις τοῦ Ἀρχιερέως ἡμῶν καὶ προέδρου τῆς οἰκουμενικῆς καθέδρας πᾶσιν ἀρέσκει· ἅπαντες οὕτω λέγομεν· πάντες τὸ αὐτὸ ὅλῃ καρδίᾳ παρακαλοῦμεν καὶ συναινοῦμεν.

Διαλαλιὰ τρίτη τοῦ αὐτοῦ πάπα.

Ἀνύποιστός ἐστιν ἡ τόλμα αὕτη, ἠγαπημένοι μου ἀδελφοί, καὶ ταύτην τὰ ὦτα τῆς καρδίας μου ὑπενεγκεῖν οὐ δύνανται. οὐδέποτε τὸν τῶν Ῥωμαίων Ἀρχιερέα ὑπὸ τῶν λοιπῶν ἐκκλησιῶν ἀνευρήκαμεν κρινόμενον, ἀλλὰ πάντας ὑπ' ἐκείνου κρινομένους οἴδαμεν. καὶ γὰρ εἰ καὶ τῷ Ὀνωρίῳ ὑπὸ τῶν ἀνατολικῶν μετὰ θάνατον ἀνάθεμα ἐρρέθη, ὅμως γνωστόν ἐστιν, ὅτι ἐπὶ αἱρέσει κατηγορήθη, δι' ἣν καὶ μόνον ἔξεστι τοῖς ὑποδεεστέροις τῶν μειζόνων καταπεξανίστασθαι. ἀλλὰ κἀκεῖ οὔτε πατριαρχῶν, οὔτε ἑτέρων τις προέδρων ἐξενεγκεῖν ἠδυνήθη ἀπόφασιν, εἰ μὴ ἡ τῆς αὐτῆς πρώτης καθέδρας αὐθεντία συνῄνεσεν ἐπὶ τούτῳ. ἔτι μεμνήμεθα, ὅτι ῥηγί τινι Θαδερίχῳ βουλομένῳ τὸν πάπαν Σύμμαχον εἰς κατάκρισιν ἀγαγεῖν, καὶ συγκαλεσαμένῳ ἐκ διαφόρων χωρῶν ἐπισκόπους, ἔτι γε μὴν καὶ ἀπὸ Σικελίας τῆς νήσου, καὶ πρὸς τὴν Ῥώμην τούτους ἀπελθεῖν ἐπιλεγομένῳ, καὶ λέγοντι πολλὰ παρὰ τοῦ πάπα Συμμάχου πεπραγμένα κακά, καὶ εἰς τὴν αὐτῶν κρίσιν ταῦτα παραπέμποντι,



ANNO CHRISTI 869.

οἱ ἐπίσκοποι τὸν πάπαν τὴν σύνοδον ὀφείλειν συγκαλέσασθαι ἐμαρτύρησαν· εἰδότες ὅτι ἡ αὐτοῦ καθέδρα πρώτη τῇ τοῦ Ἀποστόλου Πέτρου τετίμηται κορυφαιότητι, διὰ τὸ τὴν Ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν τῆς Ῥώμης τῇ τῶν ἐλαττόνων μὴ ὑποκύπτειν κρίσει. οὕτως οἴδαμεν πάντες τὴν τῆς Ῥώμης ἐκκλησίαν κρίνειν, μὴ κρίνεσθαι δέ.

Ταύτῃ τῇ ἐκθέσει πάντες ὑπέγραψαν. ἐὰν οὖν οὗτος ὁ Φώτιος οὐκ ἀνέγνω ταῦτα, ὡς μὴ τυχὸν γραικιστὶ γεγραμμένα, κἂν Ἰωάννου τοῦ Ἀντιοχέων ἐπισκόπου ἔδει μνησθῆναι, διὰ τοῦτο γὰρ ἐκεῖνος κατεκρίθη, ὅτι Κύριλλον τὸν Ἀλεξανδρείας κατέκρινεν. ἐντεῦθεν γὰρ ἡ προρρηθεῖσα οἰκουμενικὴ σύνοδος πρὸς Κελεστῖνον τὸν τῆς μεγάλης ἡμῶν καθέδρας ἱεράρχην ἔγραψε ταῦτα· ἀγανακτήσει τοιγαροῦν ἡ σὴ εὐλάβεια ἁρμοζόντως ὑπὲρ τῶν γεγονότων. ἐὰν γὰρ δοθῇ τὸ τὰς μείζονας καθέδρας ὑπὸ τῶν βουλομένων ὕβρεσιν ὑποβάλλεσθαι, παράστανται πρὸς ἐσχάτην σύγχυσιν τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα. οὐδὲ γὰρ ἔξεστι τοῖς μὴ ἔχουσιν ἐξουσίαν ἐναντίως τοῖς νόμοις καὶ τοῖς κανόσιν ἀπόφασιν ἐκφέρειν. τούτων οὕτως ἐχόντων, τὰ τῶν μειζόνων ἐκζητείσθωσαν ὑποδείγματα, καὶ κατὰ ταῦτα εἰς τοὺς ἀποτόμους ἡ ἀπόφασις ἐξενεχθήτω.

Ἱκετηρία τῆς συνόδου πρὸς τὸν πάπαν Ἀδριανόν.

Ταύτην τὴν ἀποτομίαν ὁ μὴ ἐσχάτης κατακρίσεως ἀξίαν εἶναι λογιζόμενος, οὔτε εὐαγγέλιον, οὔτε Ἀπόστολον ἤκουσεν. λέγει γὰρ ὁ Κύριος· οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον. καὶ ὁ Ἀπόστολος· πάντα κατὰ τάξιν γινέσθω. πῶς οὖν τολμητίαι οὗτοι γεγόνασιν, ὡς κατὰ τῆς Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, ἥτις ἐστὶ τῶν λοιπῶν θρόνων μείζων καὶ διδάσκαλος, διανοῖξαι στόμα ὕβριν ἐρευγόμενον πᾶσαν; πῶς κατὰ τάξιν ταῦτα γέγονε, κατὰ Παῦλον, ὁπότε κατὰ τοῦ πρώτου ὁ δεύτερος ἀποφαίνεται; ἕκαστος ἡμῶν ἣν ἔλαχε τάξιν, γινωσκέτω. τούτῳ τῷ κανόνι ἡ ἁγία τρίτη κατακολουθήσασα σύνοδος, τὸν Ἀντιοχείας κατέκρινεν Ἰωάννην, διότι κατὰ τοῦ μείζονος θρόνου τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας, τῆς πρώτης μὴ συναινούσης καθέδρας, ἐτόλμησεν ἐξενεγκεῖν ἀπόφασιν. ἡ δὲ τετάρτη οἰκουμενικὴ σύνοδος διὰ τοῦτο Διόσκορον τὸν Ἀλεξανδρείας ἀπεβάλετο, καὶ κατέκρινε τοῦ μηδόλως ἀποκατάστασιν ἔχειν. ἐτόλμησε γὰρ καὶ αὐτὸς κατὰ τῶν τῆς πρώτης καθέδρας προνομίων, ἐναντία τῷ μνημονευθέντι κανόνι πράττων, ἐν τῷ εἶναι ἔσχατος, τῷ πρωτεύοντι ἐναντιωθῆναι, καὶ τὸν μέγαν πάπαν Λέοντα ἀποτόμως κρῖναι· καίτοι μηδὲ πρόσωπον πρὸς τὸ σύνοδον συγκαλέσασθαι ἔχων, ὡς οἱ τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου τοποτηρηταὶ ἐν τῇ αὐτῇ συνόδῳ διαμαρτύρονται. κατὰ ταῦτα τοίνυν τὰ ὑποδείγματα, οἵτινες τὸ στόμα ἀνοῖξαι, ἢ χεῖρας ἐκτεῖναι ἐν τῷ ἀθεμίτῳ ἐκείνῳ συνεδρίῳ κατὰ τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας τολμήσαντες, οὐκ ἐκφεύξονται τῆς ἀξίας ἐκδικήσεως. πλὴν μακαριώτατε πάπα, πάντες ὑπὲρ τούτων παρακαλοῦμεν· βοήθησον τοῖς ταλαιπώροις, ἀνόρθωσον τοὺς κατερραγμένους, καὶ τοῖς ἐπιστρέφουσιν ἐπίδος συγχώρησιν· ὡς ἂν τοῦ τῆς πλάνης ἀρχηγοῦ Φωτίου ἐκκοπέντος, οἱ λοιποὶ τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας περὶ αὐτοὺς ἀνεῳγμένα ἐννοήσωσι τὰ τῆς εὐσεβείας σπλάγχνα, ἐὰν πρὸς τὴν τῆς πληροφορίας μετάνοιαν δράμωσι, καὶ πάντα τὰ ὑπ' αὐτῶν κακῶς πραχθέντα ἐγγράφως ἀθετήσωσιν.

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

ab epiſcopis eſſe reſponſum, a papa ſynodum eſſe cogendam: quod non ignorarent, primam ejus cathedram apoſtoli Petri honoratam eſſe faſtigio, quod apoſtolica Romana eccleſia minorum judicio ſubjecta non ſit. Ita igitur novimus univerſi, eccleſiam Romanam aliorum eſſe judicem, ab aliis autem non judicari.

Huic declarationi omnes ſubſcripſerunt. Ergo ſi Photius hæc non legit, quod ſcripta forte Græce non ſit nactus; at debuit vel Joannis Antiocheni patriarchæ meminiſſe, qui propterea damnatus eſt, quod Cyrillum Alexandriæ patriarcham damnarit. Inde enim dicta ſynodus œcumenica ad Cæleſtinum magnæ ſedis noſtræ pontificem hæc ſcripſit: Jure igitur ſapientia tua ob ea facta indignabitur. Nam ſi permittatur, ut majores cathedræ pro cujuſque voluntate aliorum contumeliis ſubjiciantur, ad extremam rerum omnium confuſionem eccleſiæ ſtatus devolvetur. Neque enim fas eſt, ut qui auctoritatem non acceperunt, contra leges & ſanctiones ſententiam pronuntient. Quæ cum ita ſe habeant, majorum exempla quærantur, ſecundumque illa in temerarios ſententia pronuntietur.

*Supplicatio ſynodi ad Hadrianum papam.*

Qui hanc temeritatem non ultima damnatione dignam cenſet, neque evangelium, neque apoſtolum novit. Etenim dominus dicit: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* & apoſtolus: *Omnia ſecundum ordinem fiant.* Quam projectæ ſunt ergo audaciæ, qui contra apoſtolicam eccleſiam, magiſtram & præſidem reliquarum, rictus pandunt, omniſque generis convicia ructant? An ex ſententia Pauli hæc ordine fiunt, quando ſecundi in primos exurgunt? Unuſquiſque noſtrum quem ordinem ſortitus ſit, intelligat. Hac ſanctione tertia ſynodus œcumenica Joannem patriarcham Antiochenum damnavit, quod contra digniorem ſedem Alexandrinæ eccleſiæ, prima cathedra non approbante, ſententiam ferre ſit auſus. Quarta autem ſynodus œcumenica ea de cauſa Dioſcorum ejecit, cenſuitque ut ne unquam throno ſuo reſtitueretur, quod & ipſe primæ ſedis privilegia, canoni ſupra memorato contraria auſus, oppugnarit: quippe qui cum eſſet ultimus, primo tamen reluctaretur, atque in papam Leonem Magnum præfractam ac temerariam damnationis ſententiam pronuntiaret, cum nulla eſſet illi poteſtas ſynodi cogendæ, ut in eodem concilio apoſtolici vicarii conteſtantur. Ad horum igitur exempla quicumque in illo impio conciliabulo contra ſedem apoſtolicam vel os aperire, vel manum protendere auſi ſunt, juſtam ultionem non effugient. Enimvero beatiſſime papa, pro his te omnes rogamus: opitulare miſeris, erige lapſos, reſipiſcentibus ignoſce; ut Photio erroris duce præciſo, ceteri apoſtolicæ ſedis aperta erga ſe pietatis viſcera ſentiant, ſi ad veram & ſinceram pœnitentiam confugerint, omniaque perperam a ſe facta ſcripto damnarint;

Matth. 10. 1. Cor. 14.

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

Etenim quamvis Joannes Antiochenus patriarcha item ut Dioſcorus in majorum eccleſiarum præſidem cathedram linguam exeruerit, eoque nomine ambo damnationis ſententiam ſubierint; tamen altero illorum perhumaniter recepto, alter irrogatam ſibi damnationis ſententiam non evitavit: quod Joannes quidem ex animo reſipuerit, Dioſcorus vero inſane deſipuerit. Quia rerum eccleſiaſticarum quotidiana adminiſtratione & negotiis occupati convenire non poſſumus, quidquid tibi de eccleſia Conſtantinopolitana Deus ſuggeſſerit, omnes approbabimus.

*Horum ſupplicationi cedens Hadrianus papa, hæc deinceps capita pronuntiavit.*

## Caput I.

Vanitatis conciliabulum a Photio & ejus fautore Michaele imperatore per vim & tyrannidem contra venerandam Romanam eccleſiam, & ejus auctoritatem nuper Conſtantinopoli coactum, uti veritatis inimicum & omni falſitate refertum, Epheſino illi latrocinio comparamus; impiaque acta illius, ubicumque habeantur, penitus abolenda decernimus, ignique pabulum & diris execrationibus devovemus. Idemque de ceteris eorumdem auctorum contra eamdem ſedem (apoſtolicam) quocumque tempore ſcriptis judicium eſto.

II.

Idem de illis quæ contra Ignatium noſtrum comminiſtrum ab eodem imperatore, & Photio ſcripta actaque ſunt, decernimus. Hos enim qui talia patrarunt, veluti parricidas execramur.

III.

Photium ab anteceſſore noſtro, nobiſque de criminibus propoſitis damnatum & anathematizatum, poſteaque priora ſcelera novis ſuperantem, & contra venerandam ſummamque apoſtolicæ ſedis auctoritatem ſeſe ingerentem, novaque mendaciorum & pravorum dogmatum figmenta concinnantem, atque adverſus anteceſſorem noſtrum ſanctiſſimum papam, & contra nos ipſos latrare auſum, & rurſum damnamus, & hac de cauſa ſpeciatim anathemate percellimus. Verumtamen ſi viva voce, ſuoque ſcripto & manu promittat ſe omnia a nobis & anteceſſore noſtro decreta ſubiturum, dictique conciliabuli acta damnaturum, a laicorum gratia & communione non excludemus.

IV.

Illi vero qui huic tam impio conciliabulo vel aſſenſerunt, vel ſubſcripſerunt, ſi decretis anteceſſoris noſtri ſanctiſſimi papæ Nicolai obtemperaverint, & ad ſanctiſſimi Ignatii communionem redierint, & conciliabuli commenta flammis inventa tradiderint, eccleſiaſtica communione non privabuntur: alias, nec ad illam quidem admittentur. Filium autem noſtrum imperatorem Baſilium, clementiſſimum & orthodoxiſſimum, quoniam illius nomen in dicti impietatis conciliabuli

ANNO CHRISTI 869.

A εἰ γὰρ καὶ Ἰωάννης ὁ τῆς Ἀντιοχέων πρόεδρος ὁμοίως τῷ Διοσκόρῳ χεῖλη κατὰ τοῦ τῶν μειζόνων προέδρων καθέδρας ἐκίνησε, καὶ διὰ τοῦτο ἀμφότεροι τὴν ἀπόφασιν τῆς κατακρίσεως ἔλαβον, ὅμως τοῦ ἑνὸς αὐτῶν φιλανθρώπως ἀποδεχθέντος, ὁ ἕτερος τὴν καταδίκην οὐκ ἀπεδέξατο, οὐ διέφυγεν· ὅτι ἐκεῖνος μὲν ὁλοκλήρως ἀνένηψεν, οὗτος δὲ οὐχ ὑγιῶς συνενόησεν. ἐπεὶ δὲ ἐν ταῖς καθημεριναῖς τῶν ἐκκλησιῶν πραγματείαις σχολάζοντες, συνελθεῖν οὐ δυνάμεθα, ὅπερ σοι θεόθεν ἐμπνευσθῇ περὶ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, οὕτω συνεψόμεθα πάντες.

B Τούτων τῇ ἱκετείᾳ εἴξας Ἀδριανὸς ὁ πάπας, τὰ ἑξῆς διηγόρευσε κεφάλαια.

## ΚΕΦΑΛ. α.

Τὸ συνέδριον τῆς ματαιότητος, τὸ ὑπὸ Φωτίου καὶ τοῦ συνασπιστοῦ αὐτοῦ Μιχαὴλ τοῦ βασιλέως πάλαι ἐν Κωνσταντινουπόλει τυραννικῶς κατὰ τῆς αἰδεσίμου Ῥωμαίων ἐκκλησίας, καὶ τῶν ταύτης προνομίων συναθροισθὲν, ὡς τῆς ἀληθείας ἐχθρὸν καὶ πάσης ψευδηγορίας ἀνάμεστον, τῷ Ἐφεσίῳ λῃστρικῷ παραβάλλομεν· καὶ τὰς αὐτοῦ μιαρὰς πράξεις, ἐν οἷς ἂν ὦσι, παντάπασιν ἀφανισθῆναι ὁρίζομεν, καὶ παρανάλωμα πυρὸς γενέσθαι, καὶ ἀναθεματισθῆναι. C τὸ αὐτὸ δὲ καὶ περὶ τῶν λοιπῶν συγγραμμάτων ὁρίζομεν, τῶν κατὰ τῆς αὐτῆς καθέδρας καιροῖς συγγεγραμμένων παρὰ τῶν αὐτῶν ἀρχηγῶν.

β.

Τὰ ὅμοια δὲ καὶ περὶ τῶν κατὰ Ἰγνατίου τοῦ συλλειτουργοῦ ἡμῶν παρὰ τοῦ αὐτοῦ βασιλέως Μιχαὴλ καὶ Φωτίου γεγραμμένων καὶ πεπραγμένων διορίζομεν. τοὺς γὰρ ταῦτα πράξαντας ὡς πατροκτόνους βδελυσσόμεθα.

γ.

Φώτιον τὸν ὑπὸ τοῦ προκατόχου ἡμῶν, καὶ ὑφ' ἡμῶν ὑπὲρ τῶν προκειμένων ἐγκλημάτων κατακριθέντα καὶ ἀναθεματισθέντα, D εἶτα τὰς προτέρας ἀνομίας ὑπερβάντα, καὶ κατὰ τῶν αἰδεσίμων τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου προνομίων εἰσφρήσαντα, καὶ ἐφευρέτην ψευσμάτων καὶ διεστραμμένων δογμάτων διαπραξάμενον, καὶ κατὰ τοῦ πρὸ ἡμῶν ἁγιωτάτου πάπα καὶ καθ' ἡμῶν ὑλακτῆσαι τολμήσαντα, καὶ αὖθις κατακρίνομεν, καὶ ὑπὲρ τούτων ἰδικῶς ἀναθεματίζομεν. πλὴν ἐὰν ζώσῃ φωνῇ καὶ οἰκείᾳ γραφῇ πρὸς πάντα τὰ ὑφ' ἡμῶν τε καὶ τοῦ προκατόχου ἡμῶν ὁρισθέντα ὑποταγῆναι ἐπαγγέλληται, καὶ τὰ τοῦ προλεχθέντος συνεδρίου πρακτικὰ ἀθετήσῃ, τῆς τοῦ λαϊκοῦ κοινωνίας τὴν χάριν αὐτῷ οὐκ ἀποκωλύσομεν.

δ.

E Περὶ δὲ τῶν τῷ τοιούτῳ ἀσεβεῖ συναθροίσματι εἴτε συναινεσάντων, εἴτε ὑπογραψάντων, ἐὰν τοῖς θεσπίσματι τοῦ προκατόχου μου ἁγιωτάτου πάπα Νικολάου κατακολουθήσωσι, καὶ εἰς τὴν τοῦ τιμιωτάτου Ἰγνατίου κοινωνίαν ἐπιστρέψωσι, καὶ τὰ παρ' αὐτῶν ἀσεβῶς κείμενα κατακαύσωσι, τῆς ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἀξιωθήσονται· ἑτέρως δὲ οὐδὲ ταύτης. τὸ δὲ τέκνον ἡμῶν τὸν βασιλέα Βασίλειον, τὸν ἐπιεικέστατον καὶ ὀρθοδοξότατον, ἐπεὶ τὸ αὐτοῦ ὄνομα ἐν ταῖς εἰρημέναις τοῦ ἀθέσμου συνεδρίου



ANNO CHRISTI 869.

πράξεσι μεμαθήκαμεν ψευδῶς ἐγγραφῆναι, πάσης ἐναντίας ὑπολήψεως ἀλλότριον τιθέμεθα, καὶ ἐν τῷ τῶν εὐσεβῶν Αὐγούστων ἀριθμῷ τάττομεν, ἐὰν οὕτω διαμείνῃ μέχρι τέλους. A

ε.

Εἴ τις τοίνυν μετὰ τὴν διάγνωσιν ταύτην τὰ προειρημένα ὑπομνήματα τῶν πρακτικῶν τοῦ αὐτοῦ βδελυροῦ συνεδρίου ἢ ἀποκρύψει, ἢ διεκδικήσει, καὶ μὴ μᾶλλον φανερώσει, καὶ πυρὶ παραδώσει, ἐπὶ τοσοῦτον τῷ ἀναθέματι συνεχόμενος, τῆς τοῦ Χριστοῦ κοινωνίας στερηθήσεται. εἰ μέν τοι κληρικός ἐστιν οὗτος, τοῦ οἰκείου βαθμοῦ ἐκπεσεῖται. ταῦτα δὲ πάντα οὐ μόνον περὶ τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν Ἀλεξανδρέων, καὶ Ἀντιοχέων, καὶ Ἱεροσολυμιτῶν, καὶ περὶ πάντων ἁπλῶς τῶν πιστῶν δι' Ἀποστολικῶν ἐκθέσεων θεσπίζομεν. B

## Αἱ ὑπογραφαί.

Ἀδριανὸς ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ταύταις ταῖς ἀποφάσεσι ταῖς παρ' ἡμῶν ἐκτεθείσαις χειρὶ οἰκείᾳ ὑπέγραψα.

Καὶ ἑξῆς τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοποι κθ'. ὑπέγραψαν. ὁμοίως καὶ ἱερεῖς τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας θ'. ὁμοίως ὑπέγραψαν, καὶ διάκονοι πέντε. καὶ μετὰ ταῦτα ἀνεγνώσθη παραινετικὸν πρὸς Φώτιον καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ, ἀπὸ φωνῆς τῶν τοποτηρητῶν, ἔχον οὕτως. C

Ἤδη πεφανέρωται, ὦ ἠγαπημένοι ἀδελφοὶ καὶ συνιερεῖς, ἐν τῇ προλαβούσῃ πράξει ταύτης τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδου πῶς παρῃνέθη ὁ Φώτιος ὁ ἀγοραῖος καὶ βουλευτικὸς, καὶ ἐπιβήτωρ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, τοῦ ὑποκλιθῆναι, καὶ λόγῳ καὶ γραφῇ ἐξαγγεῖλαι τὰ ἁμαρτήματα αὐτοῦ, καὶ ἀναθεματίσαι τὰ παρανόμως γραφέντα καὶ πραχθέντα ὑπ' αὐτοῦ δὶς κατὰ Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου αὐτοῦ, καὶ ὁμολογῆσαι μηδεμίαν μηχανὴν ἢ συγκίνησιν ἔτι ποιῆσαι, ἀλλὰ τοῦτον ὡς ἀληθῆ Ἀρχιερέα αὐτοῦ μετὰ μεγάλης αἰδοῦς ἀποδέξασθαι· τῆς τε Ἀποστολικῆς καθέδρας τὰς ἐκθέσεις τὰς περὶ αὐτοῦ, ἢ περὶ Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου ἐξενεχθείσας τιμίως προσπτύξασθαι. D καὶ ἐπεὶ ἐν τούτοις πᾶσιν ὁρῶμεν αὐτὸν μὴ ὑπείκοντα, οὐκ ἀνεκτὸν ἦν παρασιωπῆσαι τὴν ἀπόφασιν τὴν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Ῥώμης Νικολάου ἀπὸ ΙΝ. ια. κατ' αὐτοῦ ἐξενεχθεῖσαν, καὶ νῦν αὖθις ἐκφωνηθεῖσαν ὑπὸ τοῦ διαδόχου αὐτοῦ Ἀδριανοῦ, οὗ ὑμεῖς νῦν ἐσμὲν οἰκέται καὶ τοποτηρηταὶ παρὰ ταύτῃ τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, τῇ συγκροτηθείσῃ κελεύσει τῶν ἁγίων βασιλέων Βασιλείου καὶ Κωνσταντίνου ἐν ταύτῃ τῇ βασιλίδι πόλει. διὰ τοῦτο γοῦν ἐξενεχθῆναι καὶ πάλιν τὴν ἀναθέματος ἀπόφασιν κατὰ Φωτίου λέγομεν.

Μετὰ ταῦτα ἀνεγνώσθη προσφωνηματικὸν Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου πρὸς τὴν σύνοδον, ἔχον οὕτως. E

Ἀδελφοὶ ἅγιοι καὶ τέκνα ἠγαπημένα, παρακαλῶ ὑμᾶς ἐγὼ ὁ μέτριος ὑμῶν Ἀρχιερεὺς, νῦν ἐννοῆσαι τὸ γραφικὸν τὸ φάσκον· ἐμβλέψατε εἰς τὰς ἀρχαίας γενεὰς, καὶ ἴδετε, τίς ἐπίστευσε τῷ Κυρίῳ, καὶ κατῃσχύνθη. οἶμαι γὰρ μηδαμῶς ἀγνοεῖν ὑμᾶς, ἀλλ' οὐδὲ πᾶσαν τὴν τετραπέρατον οἰκουμένην, τὰ εἰς ἐμὲ πραχθέντα παρὰ βασιλέως ἀταστάλου καὶ ὄντως νεωτέρου, καὶ τοῦ παραδυναστεύοντος αὐτῷ Βάρδα, καὶ τοῦ τότε δῆθεν Ἀρχιερέως, ὡς ἐξ ἄλλου Καϊάφα καὶ Ἄννα, ὃς διὰ τῆς θυρίδος εἰσῆλθεν εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων· καὶ διὰ

A actis falſo inſcriptum cognovimus, alienum prorſus ab omni ſuſpicione mala declaramus, atque in albo piorum Auguſtorum, ſi ad finem uſque perſeverarit, reponimus.

ACTIO VII. CONC. VIII. GENER.

V.

Si quis igitur poſt hanc declarationem & ſententiam, dicta hæc execrandi conciliabuli monumenta actorum vel abſconderit, vel propugnarit, & non potius palam fecerit, atque in rogum conjecerit, eodem modo anathemati ſubjectus, a Chriſti ſocietate ejicietur. Si clericus tamen fuerit iſte, gradu ſuo dejicietur. Hæc autem omnia non ſolum de Conſtantinopolitanis, ſed etiam de Alexandrinis, & Antiochenis, atque Hieroſolymitanis, & de omnibus denique Chriſtianis apoſtolica ſanctione decernimus.

*Subſcriptiones.*

Hadrianus epiſcopus ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ his ſententiis a nobis promulgatis manu propria ſubſcripſi.

Et deinceps Romanæ eccleſiæ epiſcopi XXIX. ſacerdotes ejuſdem eccleſiæ novem, diaconi quinque pari modo ſubſcripſerunt. Poſt hæc ad Photium & Photianos C a legatis in hæc verba commonitorium recitatum eſt.

Jam, dilecti fratres & conſacerdotes, in proxima hujus magnæ & ſanctæ ſynodi actione declaratum eſt, quo pacto Photius, qui a foro & curia profectus, eccleſiam Conſtantinopolitanam per vim invaſit, admonitus ſit, uti ſe ſubmitteret, verboque & ſcripto delicta ſua fateretur, ſcriptaque impia & acta bis contra ſanctum patriarcham Ignatium deteſtaretur; promitteretque ſe nihil in poſterum contra illum moliturum moturumve, ſed hunc pro germano antiſtite magna cum veneratione recepturum; apoſtolicæ vero ſedis decreta, aut de ſe, D aut Ignatio prolata, amplexurum. Et quia nunc cernimus, illum omnia contumaciter reſpuere; non ferendum eſſet, ſi judicium a Nicolao ſanctiſſimo papa Romano, indictione undecima in illum prolatum, & nunc ab Hadriano ſucceſſore illius, cujus nos in hoc ſancto concilio, imperio ſacrorum Auguſtorum Baſilii & Conſtantini in hac imperatoria urbe coacto, famuli & legati ſumus, denuo pronuntiatum ſilentio opprimeremus. Quapropter anathematis ſententiam in Photium denuo promulgandam dicimus.

Deinde lecta eſt Ignatii patriarchæ ad ſynodum acclamatio in hanc ſententiam.

E Fratres ſancti dilectique filii, obſecro vos ego humilis veſter patriarcha, ut nunc perpendatis divinam ſcripturam quæ dicit: *Reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in domino, & confuſus eſt.* Arbitror enim nec vos, nec quemquam per omnes quatuor orbis plagas ignorare quæ in me tentarit impius imperator, & revera junior; pariterque Bardas, qui magna apud illum auctoritate pollebat; & qui tum ſcilicet patriarcha fuit, nempe velut alter Caiphas & Annas, qui per feneſtram in ovile ovium eſt ingreſſus: quem

Eccli. 2. Pſal. 30. & 72.

pro-

propterea Deus ejecit, qui & alterum imperatorem Dei amantiſſimum, rectæque fidei obſervantiſſimum excitavit. Hic imperator Photium expulit, quem Romana eccleſia utpote virum conſcientiæ expertem, & inordinatum appellat tabellarium; noſtram vero humilitatem multa perpeſſam in thronum proprium revocavit. Quæ ille (imperator Baſilius) ex beatiſſimi papæ Nicolai decretis, quæ papa in ſynodo ediderat, & per literas huc miſerat, fecit. Deinde omnem operam dedit, ut ex aliis patriarchis legatos evocaret, conciliumque generale cogeret: eamque rem perfecit. Cum ergo præſentes hos ſpectemus, ſanctoque huic concilio præſidentes, omni ſapientia gratiaque cæleſti cumulatos, bonum clementemque Deum laudibus celebrate, qui religioſiſſimum noſtrum imperatorem ad hujuſcemodi bonorum ſtudium exitumque deduxit. Quare nemo illi moleſtus ſit, dicatve: *Ego ſum Pauli, Ego Apollo, ego Cephæ*: ſed una omnes huc nobiſcum adeſte, & velut unius omnes paſtoris, uniuſque ovilis, unum Deum hymnis celebremus, magnificeque prædicemus.

1. Cor. 1.

Photio curiali & invaſori anathema.
Photio ſæculari & forenſi anathema.
Photio neophyto & tyranno anathema.
Photio ſchiſmatico & damnato anathema.
Photio architecto mendaciorum anathema.
Photio mœcho & parricidæ anathema.
Novo Dioſcoro anathema.
Novo Judæ anathema.

Omnibus ſectatoribus & propugnatoribus ejus, & Gregorio Syracuſano quondam archiepiſcopo, & Eulampio depoſito & ſchiſmatico anathema.

Egreſſo dein Photio, imperatoribus feliciter acclamatum eſt. Poſtremo † verſus Jambici bis ſeni in Photium admodum inconcinni lecti ſunt.

† Extant ſupra in veteſione Anaſtaſii circa finem actionis VII.

τοῦτο καθεῖλεν αὐτὸν ὁ Θεὸς, ὃς καὶ ἐξήγειρεν ἕτερον βασιλέα θεοφιλέστατον καὶ ὀρθοδοξότατον. οὗτος ὁ βασιλεὺς τὸν μὲν Φώτιον καθεῖλεν, ὃν ἡ τῶν Ρωμαίων ἐκκλησία τὸν ἀσυνείδητον καὶ ἀκατάστατον προσαγορεύει ταβελλάριον· τὴν δὲ ταπείνωσιν ἡμῶν πολλὰ δεινὰ παθοῦσαν ἀνεκαλέσατο εἰς τὸν ἴδιον θρόνον. ταῦτα δὲ πεποίηκε τοῖς ὅροις ἐξακολουθήσας τοῦ μακαριωτάτου πάπα Νικολάου, οὓς ἐκεῖνος συνοδικῶς ἐξεφώνησε, καὶ δι' ἐπιστολῶν ἐνταῦθα ἀπέστειλεν. ἐπεὶ δὲ κατὰ τοῦτο πολλὴν ἔσχε φροντίδα συναγαγεῖν τοποτηρητὰς ἐκ τῶν ἄλλων πατριαρχικῶν θρόνων, καὶ σύνοδον συστήσασθαι οἰκουμενικὴν, εἰς πέρας ἤγαγε τοῦτο. καὶ νῦν ὁρῶντες τούτους παρόντας καὶ προκαθεζομένους τῆς ἁγίας ταύτης συνόδου, σοφίας πάσης πεπληρωμένους καὶ θείας χάριτος, δοξάσατε τὸν ἀγαθὸν καὶ φιλάνθρωπον Θεὸν, τὸν κατευθύναντα τὸν εὐσεβέστατον ἡμῶν βασιλέα πρὸς τὴν τῶν τοιούτων ἀγαθῶν ἐκπλήρωσιν. καὶ μηδεὶς αὐτῷ παρεχέτω κόπους λέγων· ἐγώ εἰμι Παύλου, ἐγὼ Ἀπολλὼ, ἐγὼ Κηφᾶ· ἀλλὰ δεῦτε ὁμοῦ πάντες στῆτε μεθ' ἡμῶν, καὶ ὡς ἑνὸς ὄντες ποιμένος, καὶ μιᾶς ποίμνης, τὸν ἕνα Θεὸν ὑμνήσωμεν καὶ μεγαλύνωμεν.

Φωτίῳ τῷ βουλευτικῷ καὶ ἐπιβήτορι ἀνάθεμα.
Φωτίῳ τῷ κοσμικῷ καὶ ἀγοραίῳ ἀνάθεμα.
Φωτίῳ τῷ νεοφύτῳ καὶ τυράννῳ ἀνάθεμα.
Φωτίῳ τῷ σχισματικῷ καὶ κατακεκριμένῳ ἀνάθεμα.
Φωτίῳ τῷ τέκτονι τῶν ψευσμάτων ἀνάθεμα.
Φωτίῳ τῷ μοιχῷ καὶ πατροκτόνῳ ἀνάθεμα.
Τῷ νέῳ Διοσκόρῳ ἀνάθεμα.
Τῷ νέῳ Ἰούδᾳ ἀνάθεμα.

Πᾶσι τοῖς ὀπαδοῖς αὐτοῦ καὶ ὑπασπισταῖς, καὶ Γρηγορίῳ τῷ ποτὲ ἀρχιεπισκόπῳ Συρακουσῶν, καὶ Εὐλαμπίῳ τῷ καθῃρημένῳ καὶ ἀποσχιστῇ ἀνάθεμα.

Καὶ ἐξελθόντος Φωτίου γέγονεν εὐφημία τῶν βασιλέων. εἶτα ἀνεγνώσθησαν στίχοι ιβ. ἰαμβικοὶ κατὰ Φωτίου ἀκαλλεῖς πάνυ.

## ACTIO OCTAVA.

IN nomine domini, regis omnium Jeſu Chriſti. Dominis imperatoribus noſtris à Deo ſervatis Baſilio & Conſtantino, indictione III. Nonis Novembris; propoſita ſancta cruce, ſanctiſque evangeliis, præſidente imperatore in eodem eccleſiæ magnæ loco: in conſeſſu eorumdem legatorum, quemadmodum in prioribus conventibus erat conſuetum.

Ergo his præſentibus, imperatoris juſſu Baanes præpoſitus in medium progreſſus dixit: Per improbitatem ſingularem, & artes fraudulentas circumventus annis ſuperioribus clerus & ſenatus, adeoque univerſa civitas vi coacta iniquis actionibus ſubſcripſit. Hodie vero divinitus gubernatum imperium noſtrum hæc chirographa vult flammis tradi: & ignoſcatur omni homini propter hanc ignorantiam. Quid ergo ſanctitati veſtræ placet? Hoc, inquiunt omnes, placet & Deo & nobis.

Rurſum Baanes præpoſitus: Sanctus, inquit, imperator noſter dicit: Conſilium do, ut male acta concrementur & aboleantur.

## ΠΡΑΞΙΣ η.

ΕΝ ὀνόματι τοῦ Κυρίου καὶ δεσπότου πάντων Ἰησοῦ Χριστοῦ. βασιλείας τῶν θεοστέπτων δεσποτῶν Βασιλείου καὶ Κωνσταντίνου, ΙΝ. γ'. νόναις Νοεμβρίαις, προτεθέντων τῶν τιμίων ξύλων καὶ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, προκαθεσθέντος τοῦ βασιλέως ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας· ἐπὶ συνεδρεύσει τῶν αὐτῶν τοποτηρητῶν, καθὼς καὶ ἐν ταῖς προλαβούσαις συνόδοις.

Τούτων οὕτω συνελθόντων, κατὰ κέλευσιν τοῦ βασιλέως ἔστη ἐν μέσῳ Βαάνης ὁ πραιπόσιτος, καὶ εἶπε· διὰ πολλὴν κακουργίαν καὶ κακεντρέχειαν, ἐν τοῖς προλαβοῦσι χρόνοις ὑπέγραψεν ἡ ἱερωσύνη καὶ ἡ σύγκλητος, καὶ πᾶσα ἡ πόλις βίᾳ εἰς ὑποθέσεις ἀδίκους. σήμερον δὲ βουλήσει Θεοῦ ἡ θεοκυβέρνητος ἡμῶν βασιλεία κατακαῦσαι ἠβουλήθη αὐτὰ, καὶ συγχωρηθείη παντὶ ἀνθρώπῳ τὸ ἀγνόημα τοῦτο. τί οὖν δοκεῖ τῇ ἁγιωσύνῃ ὑμῶν; εἶπον πάντες· ἀρεστὸν καὶ τοῦτο τῷ Θεῷ καὶ ἡμῖν.

Πάλιν Βαάνης ὁ πραιπόσιτος εἶπεν· ὁ βασιλεὺς ὁ ἅγιος λέγει· συμβουλεύω, ἵνα τὰ κακῶς πραχθέντα καυθῶσι καὶ ἀφανισθῶσιν.





Οἱ ἁγιώτατοι ἐπίσκοποι εἶπον· νῦν πεπλήρωται τὸ φάσκον λόγιον· λύε πάντα σύνδεσμον ἀδικίας, καὶ στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων, καὶ διάσπα πᾶσαν γραφὴν ἄδικον. καὶ κελεύσαντος τοῦ βασιλέως προετέθη μέσον τῆς συνόδου σκεῦος χαλκοῦν πλῆρες πυρὸς, καὶ ἠνέχθησαν ἐν μαρσίππῳ πάντες οἱ τόμοι τῶν ἀπαιτηθέντων ἀπὸ Φωτίου χειρογράφων, ἀπὸ παντὸς ἱερατικοῦ καταλόγου, καὶ παντὸς τάγματος κληρικοῦ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἔξω, μεγάλων τε καὶ μικρῶν, καὶ πάντων τῶν τῆς συγκλητικῆς ἀξίας, καὶ πάντων τῶν ἄλλων περιφανῶν τε καὶ ἀφανῶν, καὶ πάσῃ τέχνῃ καὶ ἐπιστήμῃ καὶ παντοίῳ ἐπιτηδεύματι θεωρουμένων, σκυτέων, ἰχθυοπρατῶν, ξυλάδων, βελονάδων, καὶ τῶν λοιπῶν τῶν τοιούτων. ἔτι γε μὴν καὶ τὰ βιβλία τὰ πλαστογραφηθέντα κατὰ τοῦ μακαρίου πάπα Νικολάου, καὶ τὰ ὑπομνήματα τὰ κατὰ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου, τὰ γεγονότα παρὰ τῆς λῃστρικῆς συνόδου Φωτίου. ἕκαστον οὖν τῶν τοιούτων διὰ τῶν ὑπηρετούντων τοῖς τοποτηρηταῖς εἰς τὸ πῦρ ἐνεβλήθη, καὶ καυθέντα ἠφανίσθησαν.

Εἶτα ὁ βασιλεὺς πρὸς τοὺς τοποτηρητὰς τῆς Ῥώμης εἶπεν· ἡ βασιλεία ἡμῶν ἤγαγεν ἐνταῦθα τοὺς ψευδοτοποτηρητὰς, οὓς ὁ Φώτιος προσελάβετο κατὰ τοῦ μακαριωτάτου πάπα Νικολάου. εἰ δοκεῖ οὖν, εἰσαχθήτωσαν.

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· εἰσαχθήτωσαν.

Εἰσήχθη οὖν Πέτρος, καὶ διὰ Βαάνους πραιποσίτου ἠρωτήθη· εὑρέθης εἰς τὴν σύνοδον, ἣν ἐποιήσατο Φώτιος κατὰ τοῦ πάπα Νικολάου, ἢ ἐπέδωκας λίβελλον κατ' αὐτοῦ; Πέτρος εἶπεν· οὐδὲν τούτων οἶδα. ἀναγνωσθήτω οὖν ὁ λίβελλός μου, καὶ οὗτος δηλώσει τὰ κατ' ἐμέ.

Καὶ ἀνεγνώσθη ἔχων οὕτως.

Ἐπεὶ τὴν ἡμετέραν εὐτέλειάν τινες ὑπειλήφασι κατὰ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας λίβελλον ἐπιδεδωκέναι, διὰ τὸ τὴν ὀνομασίαν ἡμῶν ἐν τῇ πολυθρυλλήτῳ συγγραφῇ περιέχεσθαι, λέγω πάλιν, ὡς οὔτε λίβελλον ἐπιδέδωκα, οὔτε βασιλικὰς ἀκοὰς διηνώχλησα· ἀλλ' οὐδὲ εἰ γέγονε σύνοδος, παρευρέθην. αὕτη μου ἡ τεθαῤῥημένη ἀπολογία, καὶ ταύτην οὐ παύσομαι λέγων ἀεί. ὑμᾶς δὲ παρακαλῶ ἀπὸ τοῦ νῦν κἂν ἀφεθῆναί με παλινδρομῆσαι πρὸς τὴν Ῥώμην.

Μετὰ τοῦτον ἠρωτήθησαν ἕτεροι, ἐν οἷς καὶ ὁ Βασίλειος, πρὸς ὃν εἶπον· σὺ ἐπέδωκας λίβελλον κατὰ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας; ὁ δὲ εἶπε· μὴ γένοιτο. καὶ εἶπον πρὸς αὐτόν· ἀναθεμάτισον καὶ τὸν δόντα καὶ τὸν γράψαντα. Βασίλειος εἶπεν· ὁ δοὺς λίβελλον κατὰ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἀνάθεμα ἔστω. ἐγὼ δέ εἰμι ἀπὸ τῆς ἁγίας πόλεως. ἠρώτησεν ὁ βασιλεὺς τὸν τοποτηρητὴν Ἱεροσολύμων· γινώσκεις τοῦτον; καὶ εἶπε, ναί. καὶ πάλιν ἠρωτήθη Βασίλειος, δι' ἣν αἰτίαν εἰσῆλθεν εἰς Κωνσταντινούπολιν. ὁ δὲ εἶπεν· ἦλθον ὧδε ἐπὶ τοῦ πάπα Βενεδίκτου, καὶ ἐποίησα μῆνας εἴκοσι, καὶ οὐκ εἶχον τὰ πρὸς διοίκησιν. καὶ ὅτε ἐξεβλήθη ὁ πατριάρχης Ἰγνάτιος, ἀπῆλθον εἰς Ῥώμην ἐπὶ τοῦ πάπα Νικολάου· καὶ πάλιν ὑπέστρεψα ὧδε, καὶ οὔτε λίβελλον ἔδωκα κατ' ἐκείνου, οὔτε σύνοδον οἶδα. τί γάρ; ἐγὼ οἰκειακὸς ἐγενόμην τοῦ Νικολάου; μετὰ τοῦτον ἠρωτήθη Λεόντιος ὁ ψευδοτοποτηρητὴς Ἀλεξανδρείας, καὶ εἶπε μηδὲν τῶν λεγομένων εἰδέναι.



Sanctiſſimi epiſcopi dixerunt: Nunc ſacrum illud oraculum impletum videtur, quod ait: *Diſſolve colligationes impietatis, faſciculos injuſtorum commerciorum; omnem ſcripturam iniquam diſrumpe*. Ergo juſſu imperatoris in medio ſynodi ſpatio expoſitum eſt vas æneum igne plenum, allataque ſunt in ſacculo omnia volumina eorum, a quibus chirographa Photius exegit: ab omni nempe ſacrorum hominum ordine & numero, ſive ſacerdotum, ſive clericorum magnæ eccleſiæ, extraque illam, a majoribus juxta ac minoribus; a toto præterea ſenatu, omnibuſque aliis æque claris & obſcuris, quocumque opificio, quocumque demum ſtudio ac profeſſione ſpectarentur, cerdonibus, ſalſamentariis, ſive ichthyopolis, lignatoribus, acuariis, ceteriſque id genus opificibus. Præterea ſcripta contra Nicolaum papam beatiſſimum conficta. Monumenta inſuper contra patriarcham Ignatium a ſynodico illo latrocinio Photii conſcripta. Singula ergo hæc per legatorum miniſtros in rogum conjecta, exuſta, & penitus abolita ſunt.

Deinde imperator ad Romanos legatos dixit: Imperium noſtrum adduxit vobis etiam ſuppoſititios illos legatos, quos Photius contra beatiſſimum papam Nicolaum ſubornarat. Si videtur ergo, introducantur.

Legati dixerunt: Introducantur.

Introductus eſt ergo Petrus, & a Baane præpoſito interrogatus: Fuiſti in ſynodo Photiana contra papam Nicolaum inita; aut contra illum, libellum obtuliſti? Petrus dixit: Nihil horum mihi conſcius ſum. Legatur libellus meus, & quid a me factum ſit, planum fiet.

Lectus igitur eſt libellus in hæc verba.

Quoniam nonnulli ſuſpicati ſunt noſtram tenuitatem adverſus Romanam eccleſiam libellum tradidiſſe, quod in illo decantatiſſimo ſcripto noſtra nomina ſint expreſſa; aio denuo, neque libellum a me porrectum eſſe, neque imperatoriis auribus me obſtrepuiſſe: immo nec ſynodo, ſi tamen facta eſt, interfuiſſe. Hæc mea certiſſima eſt defenſio, quam ſemper adhibebo. Vos autem rogatos velim, uti rurſum mihi Romam adeundi fiat poteſtas.

Tum & ceteri ſunt rogati, inter quos Baſilius fuit, ad quem dixere: Tune libellum adverſus Romanam eccleſiam tradidiſti? Abſit, inquit ille. Ergo, inquiunt, anathematiza & eum qui dedit, & qui ſcripſit. Baſilius reſpondit: Qui libellum adverſus eccleſiam Romanam tradidit, anathema eſto: ego vero ſum e ſancta civitate. Interrogavit legatum Hieroſolymitani patriarchæ imperator: Noſtine hunc? Etiam, inquit ille. Rogatus iterum Baſilius, cur adiiſſet Conſtantinopolim? Sub Benedicto, inquit, huc veni, & hic menſes viginti commoratus, jam deſtituebar rebus ad vitam neceſſariis. Et quando ejectus eſt patriarcha Ignatius, Romam ego ſub papa Nicolao profectus, inde rurſus huc redii; nec libellum illum contra ullum dedi, neque quidquam de ſynodo novi. Quid enim? egone domeſticus fui Nicolai? Deinde interrogatus Leontius commentitius Alexandrini patriarchæ legatus, reſpondit nihil ſe ſcire de rebus quæ dicerentur.

Baanes præpoſitus ad ſynodum dixit: Quid vobis videtur? Illi ſe rerum omnium ignaros dictitant. Photius igitur & libellos & perſonas finxit.

Sanctiſſimæ Romanæ eccleſiæ legati ad pſeudolegatos dixere: Facite libellos, & in auctores illorum libellorum anathema pronuntiate, ut in ſocietatem eccleſiæ recipiamini.

Leontius dixit: Neſcio quis ille libellus ſit, nec ego ſubſcripſi illi.

Sancta ſynodus dixit: Anathema auctori & ſcriptori illorum dicite.

Pſeudolegati dixere: Habet anathema, qui libellum hunc ſcripſit, & ſcribentem adjuvit.

Sacer ſenatus dixit: Quando recuſatis damnare, videmini affines culpæ: & vos quoque anathemati eſtis obnoxii.

Legati Romani dixere: Quoniam ex præſcripto Hadriani papæ nolunt anathematizare, Romam nobiſcum proficiſcantur.

Leontius dixit: Anathema ſint & ſcripta & auctor.

Idem Baſilius dixit.

Baanes præpoſitus dixit: Imperator noſter conſilium dans omnibus, ad ſedentes in ſancta ſynodo, & ſtantes, univerſumque populum ait: Advertite, ut eluceſcat veritas, & lux in tenebris luceat: Si quis ex vobis offenſus eſt, accedat hodie ad ſanctam Dei eccleſiam, ne vobis cras ſit excuſatio.

Sancta ſynodus dixit: Deus ſervet religioſiſſimum imperatorem noſtrum. Interrogati ſunt in libello illo (Photiano) ſubſcripti metropolitæ, an ſubſcriptionis illius ſibi eſſent conſcii. Abſit hoc, inquiunt illi, non ſubſcripſimus.

Romanæ eccleſiæ legati poſtularunt, ut Martini papæ Romani canon de pſeudolegatis legeretur; qui in hæc verba eſt perlectus:

Si quis more ſceleſtorum hæreticorum quocumque modo, aut verbo, aut tempore, aut loco tentaverit aut terminos removere, quos poſuerunt ſancti eccleſiæ patres, aut ſanctæ & univerſales quinque ſynodi, aut novitates temere excogitare, & alias fidei expoſitiones, aut libellos, aut ſynodos, aut geſta, aut loci ſervaturas, & omnino ſi quid aliud impiis hæreticis conſuetum eſt agere, & uſque in finem ſine pœnitentia permanet hæc impie agens; talis in ſæcula ſæculorum condemnatus ſit.

Deinde Metrophanes metropolita ſurrexit, & magna voce (imperatori) acclamavit: Veritas rebus omnibus validior eſt, & res ipſa inexpugnabilis, & dominus noſter Jeſu Chriſtus ipſe veritatem ſe appellat; cujus ardens cultor, Chriſti amantiſſime imperator, effectus, ipſe quoque clara victoriæ trophæa, ab ipſa domini noſtri Jeſu Chriſti veritate firmatus, hodierna luce retuliſti. Reſt ſanctas ergo cælitum æmulis [illegible] cæleſtis, patris, inquam, noſtri Ignatii, & reliquorum ſanctitate conſpicuorum legatorum nominationes, largiatur tibi Deus diuturnam vitam, gentium omnium imperium, regnumque cæleſte.

Βαάνης ὁ πραιπόσιτος πρὸς τὴν σύνοδον εἶπε· τί ὑμῖν δοκεῖ; πάσαν ἄγνοιαν λέγουσιν ἔχειν. ὁ Φώτιος οὖν ἀνέπλασεν, ὡς ἤθελε, καὶ τοὺς λόγους καὶ τὰ πρόσωπα.

Οἱ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης πρὸς τοὺς ψευδοτοποτηρητὰς εἶπον· ποιήσατε λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίσατε τοὺς ποιήσαντας τὰ βιβλία ἐκεῖνα, ἵνα δεχθῆτε εἰς κοινωνίαν.

Λεόντιος εἶπεν· οὐκ οἶδα τὸ βιβλίον, οὔτε ὑπέγραψα ἐν αὐτῷ.

Η ἁγία σύνοδος εἶπε· ἀναθεματίσατε τὸν ποιήσαντα αὐτὰ καὶ συγγραψάμενον.

Οἱ ψευδοτοποτηρηταὶ εἶπον· ἔχει τὸ ἀνάθεμα ὁ συγγραψάμενος καὶ συνεργήσας εἰς τὸ βιβλίον τοῦτο.

Η ἱερὰ σύγκλητος εἶπεν· ἐπεὶ οὐ θέλετε ἀναθεματίσαι, φαίνεσθε εἶναι αὐτοῦ συμμέτοχοι, καὶ ἀναθεματίζεσθε καὶ ὑμεῖς.

Οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης εἶπον· ἐπεὶ οὐκ ἀνέχονται ἀναθεματίσαι, καθὼς ἔγραψεν ὁ πάπας Ἀδριανὸς, κατελθέτωσαν μεθ' ἡμῶν εἰς τὴν Ῥώμην.

Λεόντιος εἶπεν· ἀνάθεμα καὶ αὐτὰ καὶ τὸν συγγραφέα τούτων.

Βασίλειος ὁμοίως εἶπε.

Βαάνης ὁ πραιπόσιτος εἶπε· ὁ βασιλεὺς ἡμῶν ὁ ἅγιος συμβουλεύων, λέγει πρὸς τοὺς καθημένους ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, καὶ τοὺς ἱσταμένους, καὶ τὸ κοινὸν ἅπαν τοῦ λαοῦ· βλέπετε πῶς φαίνεται ἡ ἀλήθεια, καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει· εἴ τις ἐξ ὑμῶν σκάνδαλον ἔχει, προσελθέτω τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ σήμερον, ἵνα μὴ ἔχητε αὔριον ἀπολογίαν.

Η ἁγία σύνοδος εἶπεν· ὁ Θεὸς φυλάξαι τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα ἡμῶν. ἠρωτήθησαν οἱ ὑπογεγραμμένοι ἐν τῷ βιβλίῳ ἐκείνῳ μητροπολῖται, εἰ οἴδασι τὰς ὑπογραφάς· καὶ εἶπον πάντες· μὴ γένοιτο, οὐχ ὑπεγράψαμεν.

Οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης ᾐτήσαντο ἀναγνωσθῆναι κανόνα Μαρτίνου τοῦ πάπα Ῥώμης περὶ τῶν ψευδοτοποτηρητῶν· καὶ ἀνεγνώσθη ἔχων οὕτως.

Εἴ τις κατὰ τοὺς ἐναγεῖς αἱρετικοὺς καθ' οἱονδήποτε τρόπον, ἢ λόγον, ἢ καιρὸν, ἢ τόπον ἐπιχειρήσει ἢ ὅρια μετακινῆσαι, ἃ ἔθεντο οἱ ἅγιοι τῆς ἐκκλησίας πατέρες, ἢ μᾶλλον αἱ ἅγιαι καὶ οἰκουμενικαὶ πέντε σύνοδοι, ἢ καινοτομίας ἐπινοεῖν, καὶ πίστεως ἑτέρας ἐκθέσεις, ἢ λιβέλλους, ἢ συνόδους, ἢ πράξεις, ἢ τοποτηρησίας, καὶ ἁπλῶς ὅσα τοῖς ἀσεβέσιν αἱρετικοῖς εἴθισται πράττειν, καὶ μέχρι τέλους ἀμετανόητα τὰ τοιαῦτα δυσσεβῶς ἐνεργεῖ, ὁ τοιοῦτος εἰς τοὺς αἰῶνας εἴη κατακεκριμένος.

Μετὰ τοῦτο ἀναστὰς Μητροφάνης μητροπολίτης προσεφώνησε μεγαλοφώνως· ἡ ἀλήθεια ὑπὲρ πάντα τὰ χρήματα πέφυκεν ἀλκιμώτατον καὶ ἀχείρωτον χρῆμα· καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἀλήθειαν ὠνόμασεν ἑαυτόν. ἧς ἐραστὴς γεγονὼς καὶ αὐτὸς, φιλοχριστότατε βασιλεῦ, τροπαιοφόρος ἐπεφάνθης τὴν σήμερον, ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐνισχυόμενος. καὶ διὰ τῶν ἁγίων εὐχῶν τοῦ ἰσαγγέλου καὶ οὐρανοπολίτου πατρὸς ἡμῶν Ἰγνατίου, καὶ τῶν λοιπῶν ἁγίων τοποτηρητῶν, δώη σοι ὁ Θεὸς μακρότητα ἡμερῶν, ὑπόταξιν πάντων ἐθνῶν, καὶ βασιλείαν τὴν ἐπουράνιον.

Μετὰ







Μετὰ τὴν συμπλήρωσιν τῆς προσφωνήσεως ταύτης, ὁ βασιλεὺς πρὸς τοὺς τοποτηρητὰς εἶπεν· Θεόδωρος ὁ ἐπιλεγόμενος Κρίθινος, ἔξαρχος ὢν τῆς Εἰκονομαχικῆς αἱρέσεως, ἤχθη πρὸς τὴν ἁγίαν ταύτην καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον. τί οὖν δοκεῖ ὑμῖν περὶ αὐτοῦ;

Οἱ τοποτηρηταὶ πάντες εἶπον· Ἀποσταλήτωσαν πρὸς αὐτόν τινες τῶν μεγαλοπρεπεστάτων ἀρχόντων, καὶ εἰπάτωσαν αὐτῷ ὡς ἀπὸ τῶν τοποτηρητῶν τῆς Ῥώμης, ὅτι διὰ γραμμάτων τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως πρὸς τὸν πνευματικὸν αὐτοῦ πατέρα τὸν πάπαν Ἀδριανὸν γεγονότων, παρεκλήθη ὁ αὐτὸς ἁγιώτατος πάπας, καὶ ἔστειλε τοποτηρητάς· καὶ ἰδοὺ συνηθροίσθημεν ἐν ταύτῃ τῇ βασιλίδι πόλει ἅμα τοῖς τοποτηρηταῖς τῶν ἀνατολικῶν θρόνων, καὶ μετεκαλέσαμεθά σε, ἵνα τῆς συνεχούσης ὑμᾶς πλάνης ἀπαλλαγὴν ὑμῖν περιποιησώμεθα. ταυτὰ δὲ λέγομεν καὶ ἡμεῖς οἱ τῶν ἀνατολικῶν τοποτηρηταί.

Βαάνης τοίνυν ὁ πραιπόσιτος, καὶ Λέων ὁ πατρίκιος, κατὰ κέλευσιν τοῦ βασιλέως ἀπῆλθον. καὶ εἶπον τὰ ἐντεταλμένα. ὡς δὲ ὁ Κρίθινος οὐδὲν πρὸς ταῦτα ἀπεκρίθη, Βαάνης ὁ πραιπόσιτος δέδωκεν αὐτῷ νόμισμα φέρον τοῦ βασιλέως τὴν εἰκόνα, καὶ εἶπε· δέχῃ τὸ νόμισμα τοῦτο; Θεόδωρος εἶπε· δέχομαι τοῦτο καὶ τιμῶ, καθὼς δεῖ τιμᾶσθαι βασιλικὸν νόμισμα. Βαάνης εἶπε· εἰ τὴν εἰκόνα τοῦ θνητοῦ βασιλέως οὐκ ἀτιμάζεις, πῶς τὴν θεανδρικὴν εἰκόνα τοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ τῆς ὑπεραγίας αὐτοῦ μητρὸς, καὶ πάντων τῶν ἁγίων τολμᾷς ἀτιμάζειν; Θεόδωρος εἶπεν· ὃ ἔδειξάς μοι νόμισμα, ἀναμφιβόλως οἶδα, ὅτι φέρει εἰκόνα τοῦ βασιλέως. ἀπαιτεῖς με καὶ Χριστοῦ δέξασθαι χαρακτῆρα καὶ ἐκτύπωμα· ἀγνοῶ δὲ εἰ ἔστι τοῦ Χριστοῦ τοῦτο πρόσταγμα, καὶ ἀρεστὸν ἐκείνῳ. Βαάνης εἶπεν· οὐχ ἕνεκα διαλέξεως ἀπεστάλημεν, ἀλλ' ἕνεκεν παραινέσεως· καὶ εἰ βούλει πεισθῆναι, ἐλθέ· ἀνακαλεῖταί σε ἡ σύμπασα ἐκκλησία. ὡς δ' οὐκ ἐπείσθη ὁ Θεόδωρος, καὶ ἀνηγγέλη τοῦτο τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ·

Εἶπον οἱ τοποτηρηταί· ἀναγνωσθήτω τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Νικολάου τὸ περὶ εἰκόνων κεφάλαιον· ὃ καὶ ἀνεγνώσθη ἔχον οὕτως.

Ἐπεὶ δὲ χρὴ ἡμᾶς τῶν μειζόνων ἡμῶν πατέρων τοὺς ὅρους ἀμετακινήτους τηρεῖν, ὁρίζομεν περὶ τῶν ἱερῶν καὶ τιμίων εἰκόνων τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς ἀειπαρθένου αὐτοῦ μητρὸς, καὶ τῶν ἀπ' αἰῶνος εὐαρεστησάντων αὐτῷ ἁγίων, καθὼς ἡ οἰκουμενικὴ ἐκκλησία παρέλαβεν, οὕτω μέχρι τέλους σέβεσθαι τιμητικῶς. τὸν δὲ Ἰωάννην τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως προεστῶτα, καὶ τοὺς αὐτοῦ ὀπαδοὺς ἐὰν μὴ μεθ' ἡμῶν ὁμονοήσωσι, θεσπίζομεν τούτους εἶναι ἀνάθεμα.

Μετὰ τοῦτο εἶπεν ὁ βασιλεύς· εἰσὶν ὧδε καὶ ἄλλοι ὁμοφρονοῦντες τῷ Κριθίνῳ· καὶ εἰ δοκεῖ τῇ ἁγιωσύνῃ ὑμῶν, εἰσελθέτωσαν.

Ἠλίας ὁ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων εἶπεν· εἰσελθέτωσαν.

Καὶ εἰσῆλθε Νικήτας κληρικὸς, καὶ Θεόφιλος κοσμικὸς, καὶ Θεοφάνης νομικός. πρὸς οὓς εἶπον οἱ τοποτηρηταί· ἀναθεματίζετε τὴν Εἰκονομαχικὴν αἵρεσιν; εἶπον ἐκεῖνοι· ἐξηπατήθημεν πρώην ταῖς πονηρολογίαις τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων. νῦν δὲ τῆς οἰκουμενικῆς καὶ ἁγίας ταύτης συνόδου τὴν ὁμοφροσύνην καὶ σύμπνοιαν ἰδόντες,

Poſt hanc acclamationem imperator ad legatos dixit: Theodorus cognomento Crithinus, princeps Iconomachorum ſectæ, ad ſanctum hoc œcumenicumque concilium adductus eſt. Quid placet de eo fieri?

Legati omnes dixerunt: Mittantur ex proceribus honoratiſſimi ad illum, eique nomine legatorum pontificis Romani denuntient, ſanctiſſimum papam Hadrianum per literas a religioſiſſimo imperatore ad illum patrem ſuum ſpiritalem datas rogatum, legatos miſiſſe: qui nunc cum ceteris patriarcharum vicariis in hac urbe convenimus, & te acceſſimus, ut vos errore, in quo verſamini, liberemus. eadem & nos orientis vicarii conteſtamur.

Baanes igitur præpoſitus, & Leo patricius, juſſu imperatoris ad illum adeuntes, quæ in mandatis acceperant, expoſuerunt. Sed Crithino nihil ad illa reſpondente, Baanes præpoſitus nummum Cæſaris imagine inſignitum illi dedit, &: Accipiſne, inquit, hoc numiſma? cui Theodorus: Ego vero, inquit, accipio, & ut par eſt imperatoris numiſma coli, colo. Si, inquit Baanes, mortalis imperatoris imaginem veneraris, cur audes deivirilem Chriſti imaginem, & ſanctiſſimæ ejus genitricis, omniumque ſanctorum inhonorare? Quod, inquit Theodorus, numiſma mihi exhibuiſti, certum imperatoris mihi noti vultum refert expreſſum. Jubes item, ut & Chriſti figuram & effigiem venerer; at ignoro, an Chriſtus hoc præceperit, & an illi gratum ſit futurum. Non, inquit Baanes, ut diſputaremus, huc miſſi ſumus; ſed ut admoneremus: & ſi vis obſequi, veni: vocat te generale totius eccleſiæ concilium. Sed cum Theodorus, ut veniret, adduci non potuiſſet, idque ſacro concilio renuntiatum eſſet;

Legati dixere: Legatur ſanctiſſimi papæ Nicolai caput de imaginibus; quod & eſt in hæc verba recitatum.

Quoniam vero par eſt, ut majorum patrum noſtrorum decreta inviolata cuſtodiamus, ſtatuimus, ut imagines domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemperque virginis & genitricis Dei, ſanctorumque omnium qui Deo a mundi origine placuere, quemadmodum univerſalis recepit eccleſia, ita in poſterum ſemper colantur. Joannem autem epiſcopum quondam Conſtantinopolitanum, ejuſdemque ſectatores, ſi nobiſcum ſentire noluerit, anathemati ſubjicimus.

Deinde imperator dixit: Sunt hic & alii qui Crithinum ſequuntur: ſi placet ſanctitati veſtræ, ingrediantur.

Elias Hieroſolymorum legatus dixit: Ingrediantur.

Et ingreſſi ſunt Nicetas clericus, & Theophilus laicus, ac Theophanes juriſconſultus. ad quos legati: Damnatis Iconomachorum hæreſin? Et illi: Decepti ſumus, inquiunt, antea improborum hominum ſermonibus impiis. Nunc autem cum ſancti & œcumenici hujus concilii concordiam & conſenſum videamus,

ſectam

ACTIO IX. CONC. VIII. GENER.

A ſectam Iconomachorum damnamus, & exe-cramur quicumque ſacras ac venerandas imagines non adorat. Singulique ſingulatim præcelſo ſuggeſtu conſcenſo, hæreſim Iconomachorum ejurarunt; ejuſque duces ac patriarchas, Theodotum, Antonium, Joannem, Theodorum cognomento Crithinum damnaverunt: quos (ejerata hæreſi) oſculatus eſt imperator. Legati vero ingentibus Auguſto gratiis actis, Deum pro illo ut vere pio, recteque de fide ſentiente, ſunt precati. Crithinum vero & conjuratos illius, vivos mortuoſque univerſa ſynodus anathemate percuſit.

B Deinde Stephanus diaconus ac notarius ambonem aſcendit, atque hæc anathemata edidit.

Adhuc furenti Iconomachorum conciliabulo anathema.

Impiæ ſectæ nugas recipienti anathema.

Qui ſacris literis idola deteſtantibus ad venerandas imagines oppugnandas abutuntur, anathema.

Sacras imagines non colentibus anathema.

Sacras imagines idola appellantibus anathema.

Dicentibus imagines a Chriſtianis ut deos coli, anathema.

C Communicantibus cum iis qui ſacras imagines contumelioſe tractant, anathema.

Anaſtaſio, Conſtantino, Nicetæ, qui ſub Iſauricis hæreticis fuere profani & execrati epiſcopi, anathema.

Theodoro, Antonio & Joanni, ſibi inter ſe malorum omnium conciliatoribus, & impietatis ſucceſſoribus, anathema.

Paulo in Saulum converſo, Diodoro cognomento Gaſtæ, & Stephano Moltæ, & eorum ſimilibus, anathema.

Theodoro Crithino anathema.

Baſilio, Conſtantino & Leoni magnis imperatoribus multos annos.

## ACTIO NONA.

D IN nomine domini, regis omnium Jeſu Chriſti Dei veri. Anno imperii divinitus coronatorum dominorum noſtrorum Baſilii & Conſtantini III. Leonis I. indictione III. pridie Idus Februarii, propoſita ſancta cruce, ſanctiſque euangeliis ad dextram magnæ eccleſiæ. Congregatis papæ Hadriani legatis, & patriarcha Ignatio, ceteriſque Alexandriæ, Antiochiæ & Hieroſolymorum vicariis, & ſacro ſenatu: quibus aſſidebant pone ad dextrum latus E excellentiſſimi ſplendidiſſimique principis Bulgariæ Michaelis clariſſimi proceres; e regione vero horum, Ludovici perilluſtris Franciæ (regis & imperatoris) dynaſtæ: aſſidentibus inſuper Deo dilectiſſimis epiſcopis ſupra centum: ampliſſimus præpoſitus ſacri ſenatus nomine ad legatos omnes dixit: Noſtis, ſanctiſſimi patres, præteritis actionibus rite & ordine ſynodico eccleſiaſticam adminiſtrationem a vobis eſſe tractatam. Nunc adjuvante Deo Alexandrini patriarchæ legatus advenit. Quid vobis videtur?

ANNO CHRISTI 869.

A καταγινώσκομεν τῆς τῶν Εἰκονομάχων αἱρέσεως, καὶ ἀναθεματίζομεν πάντα τὸν μὴ προσκυνοῦντα τὰς ἁγίας καὶ σεπτὰς εἰκόνας. καὶ ἀνελθὼν ἕκαστος ἰδιαζόντως ἐπὶ βήματος ὑψηλοῦ, ἀναθεμάτισε τὴν αἵρεσιν τῶν Εἰκονομάχων, καὶ τοὺς ἐξάρχοντας αὐτῆς καὶ πατριάρχας, Θεόδοτον, Αντώνιον, Ιωάννην, καὶ Θεόδωρον τὸν ἐπιλεγόμενον Κρίθινον· οὓς καὶ ἠσπάσατο ὁ βασιλεύς. οἱ δὲ τοποτηρηταὶ σφόδρα τῷ βασιλεῖ ηὐχαρίστησαν, καὶ ὑπερηύξαντο αὐτοῦ ὡς ὀρθοδόξου καὶ θεόφρονος. καὶ ἀνεθεμάτισε Θεόδωρον τὸν Κρίθινον ἡ σύνοδος πᾶσα, καὶ τοὺς ὁμόφρονας αὐτοῦ, οὐ μόνον τοὺς ζῶντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς τεθνηκότας.

B Εἶτα ἀνελθὼν Στέφανος διάκονος καὶ νοτάριος, ἀναθεμάτισεν οὕτως.

Τῷ ἔτι φρυαττομένῳ συνεδρίῳ κατὰ τῶν σεπτῶν εἰκόνων ἀνάθεμα.

Τῷ δεχομένῳ τὰ δυσσεβῆ τῆς τοιαύτης αἱρέσεως λογίδρια ἀνάθεμα.

Τοῖς ἐκλαμβάνουσι τὰς γραφικὰς ῥήσεις κατὰ τῶν εἰδώλων εἰς τὰς σεπτὰς εἰκόνας, ἀνάθεμα.

Τοῖς μὴ ἀσπαζομένοις τὰς ἁγίας εἰκόνας ἀνάθεμα.

Τοῖς ἀποκαλοῦσι ταύτας εἴδωλα, ἀνάθεμα.

Τοῖς λέγουσιν, ὅτι ὡς θεοῖς τούτοις προσέρχονται Χριστιανοὶ, ἀνάθεμα.

Τοῖς κοινωνοῖς τῶν ὑβριζόντων ταύτας, ἀνάθεμα.

C Αναστασίῳ, Κωνσταντίνῳ, Νικήτᾳ, τοῖς ἐπὶ τῶν Ισαύρων τῶν αἱρετικῶν ἀνεπισκόποις καὶ ἀνιέροις, ἀνάθεμα.

Θεοδώρῳ, Αντωνίῳ καὶ Ιωάννῃ, τοῖς ἀλληλοπροξένοις τῶν κακῶν ἁπάντων, καὶ ἐπικοδιαδόχοις τῆς δυσσεβείας, ἀνάθεμα.

Παύλῳ τῷ εἰς Σαῦλον ἐπιστρέψαντι, καὶ Διοδώρῳ τῷ ἐπιλεγομένῳ Γάστῃ, καὶ Στεφάνῳ τῷ Μόλτῃ, καὶ τοῖς ὁμοίοις, ἀνάθεμα.

Θεοδώρῳ τῷ Κριθίνῳ ἀνάθεμα.

Βασιλείου, Κωνσταντίνου καὶ Λέοντος τῶν μεγάλων βασιλέων πολλὰ τὰ ἔτη.

## ΠΡΑΞΙΣ θ.

D ΕΝ ὀνόματι τοῦ Κυρίου καὶ δεσπότου πάντων Ιησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ. Βασιλείας τῶν θεοστέπτων ἡμῶν δεσποτῶν Βασιλείου καὶ Κωνσταντίνου ἔτους γ΄. Λέοντος δὲ πρώτου, ΙΝ. γ΄. πρὸ μιᾶς εἰδῶν Φεβρουαρίων, προτεθέντων τῶν τιμίων ξύλων καὶ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων ἐν τοῖς δεξιοῖς μέρεσι τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. συνελθόντων τῶν τοποτηρητῶν τοῦ πάπα Αδριανοῦ, καὶ Ιγνατίου τοῦ πατριάρχου, καὶ τῶν λοιπῶν τοποτηρητῶν τοῦ Αλεξανδρείας, τοῦ Αντιοχείας, τοῦ Ιεροσολύμων· συμπαρούσης καὶ τῆς ἱερᾶς συγκλήτου· πρὸς δὲ τούτοις συνεκάθισαν ὄπισθεν ἐν τῷ δεξιῷ μέρει οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες τοῦ Μι-E χαὴλ τοῦ ἐξοχωτάτου καὶ λαμπροτάτου ἄρχοντος Βουλγαρίας. ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ μέρει ὡσαύτως ὄπισθεν ἐκάθισαν οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες Λουδοΐχου τοῦ περιφανοῦς Φραγγίας· ἔτι γε μὴν συγκαθεζομένων καὶ θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων ὑπὲρ τοὺς ἑκατόν· ὁ μεγαλοπρεπέστατος πραιπόσιτος ὡς ἐκ προσώπου τῆς ἱερᾶς συγκλήτου εἶπε πρὸς τοὺς τοποτηρητὰς πάντας: ἐπίστασθε πατέρες μου ἁγιώτατοι, ὅτι ἐν ταῖς προλαβούσαις πράξεσιν ἡ ἐκκλησιαστικὴ διοίκησις γέγονεν ὑφ᾽ ὑμῶν καθ᾽ εἱρμὸν καὶ τάξιν συνοδικήν· νῦν δὲ τοῦ Θεοῦ συνεργοῦντος κατέλαβε καὶ τοῦ πατριάρχου Αλεξανδρείας ὁ τοποτηρητὴς, τί ὑμῖν δοκεῖ;

Οἱ



ANNO CHRISTI 869.

A Οἱ τῆς Ρώμης σὺν τοῖς ἀνατολικοῖς εἶπον· ἀναγνωσθήτω ἡ συστατικὴ αὐτοῦ ἐπιστολὴ εἰς ἐπήκοον πάντων.

Οἱ θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι εἶπον· τοῦτο καὶ ἡμῖν δοκεῖ.

Ανεγνώσθη οὖν ἡ ἐπιστολὴ ἔχουσα οὕτως.

Τῷ εὐσεβεστάτῳ καὶ μεγαλοπρεπεστάτῳ βασιλεῖ νικητῇ Βασιλείῳ Αὐγούστῳ, τροπαιούχῳ, καὶ Θεοῦ θεαρέστῳ θεράποντι, Μιχαὴλ ὁ ἀχρεῖος δοῦλος τῶν παίδων τοῦ Κυρίου μου, ὁ Αλεξανδρείας.

B ΕΚΠΑΛΑΙ μὲν τοῦ γράψαι πρὸς τὴν σὴν θεοδήγητον καὶ μεγαλοπρεπῆ αὐτοκρατορίαν βασιλείας ἐφιέμενοι, καὶ δι᾽ ἐπιφύλων δέος εἰργόμενοι, νῦν δὲ κελευσθέντες, τὸ ποθούμενον καὶ πτοούμενον ἀόκνως πεπράχαμεν, τῷ ἀθανάτῳ καὶ ἐπουρανίῳ βασιλεῖ ἀπλέτους εὐχαριστίας ἀποδεδωκότες, ὅτι διὰ προφάσεώς τινος οἰκονομικῆς τὴν ἡμετέραν οὐθενότητα κατηξίωσε τῆς πρὸς τὸν ἐμὸν κύριον καὶ δεσπότην ὀρθοδοξοτάτου βασιλέως προσρήσεως ἐπιτυχεῖν. ὁ γὰρ ἐξουσιαστὴς τῆς τῶν Παλαιστίνων χώρας, καὶ Τιβεριάδος, καὶ Τύρου πρὸς ἡμᾶς μεμήνυκε τὴν τῶν δεσποτικῶν καὶ τιμιωτάτων χαραγμάτων πρὸς αὐτὸν ἄφιξιν, κελευόντων αὐτῷ, ἕνα τῶν ἀπὸ τοῦ C θρόνου Αλεξανδρείας τινὰ στεῖλαι σὺν ταῖς ἡμετέραις βραχέσι ξυσμαῖς, περὶ διχονοίας γινομένης δύο πατριαρχῶν ἕνεκα κατὰ τὴν βασιλεύουσαν πόλιν. καὶ ὅτι ὁ θεοσυμβιβαστὴς πανεύφημος αὐτοκράτωρ ἐφίεται πρὸς ξένων ἀκοῦσαι στομάτων, τίς ἡ περὶ τούτου ἀκριβὴς διάγνωσις, κεκίνηκε πρὸς τὸ παρὸν σημαινόμενον. διὸ καὶ ἐστείλαμεν ἄνδρα εὐλαβῆ, πολιτείαν ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων ἠσκημένον, ἀνθ᾽ ἡμῶν, ἀββᾶν Ιωσὴφ τοὔνομα, μεθ᾽ οὗ καὶ ταύτην τὴν εὐτελῆ δελτίδα πεπόμφαμεν.

Περὶ γοῦν τοῦ δύο πατριάρχας, δέσποτα βασιλεῦ αὐτοκράτορ, ἐν ἑνὶ θρόνῳ κατὰ ταυτὸν εἶναι ὡς ἀδύνατόν ἐστιν, οὐκ ἀγνοεῖ τὸ κράτος σου· πλὴν ἐγὼ ἀνήκοός εἰμι παντελῶς τῶν συμβεβηκότων D . καὶ οἱ κρίνοντες ἃ μὴ ἴσασιν, οὐκ οἶδα πῶς εὐστοχήσουσιν. εὖ ἴσμεν, αὐτοκράτορ, ὅτι εἰσὶ παρὰ τῇ σῇ ἐξουσίᾳ ἀρχιποίμενες καὶ πρόεδροι, καὶ ἡγούμενοι, κληρικοὶ καὶ ἄζυγες πάσῃ σοφίᾳ καὶ γνώσει κεκοσμημένοι, καὶ τούτων ἔξαρχος σύ· οἱ πάντες δὲ πλέον τὸ δέον γινώσκετε. πλὴν ὃ οἴδαμεν καὶ ἡμεῖς ἰδοὺ λέγομεν. εὑρίσκομεν ἔν τινι τῶν παλαιῶν ἱστοριῶν περὶ δύο πατριαρχῶν, ὅτι ποτὲ ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἁγίᾳ πόλει γεγόνασι. τριακοστὸς γὰρ πατριάρχης ἐν Ιεροσολύμοις μετὰ τὴν τοῦ κυρίου ἀνάληψιν ἐκαλεῖτο Νάρκισσος, ὃς τὴν ἡσυχίαν ἀσπασάμενος, κατέλειψε τὴν προεE δρείαν μετὰ ἔτη ιβ΄. καὶ ἡσύχασεν εἰς τόπους ἀγνώστους· καὶ μετ᾽ αὐτὸν προεχειρίσθη πατριάρχης ὁ Δῖος. ὡς δὲ παρῆλθε καὶ οὗτος θανάτῳ, μετὰ τοῦτον γέγονε Γερμανός. καὶ μετ᾽ αὐτὸν Γόρδιος· ἐφ᾽ οὗ πάλιν ἀνεφάνη Νάρκισσος, καὶ ἦν σὺν αὐτῷ Γορδίῳ ἐν ὁμοφροσύνῃ καὶ ὁμονοίᾳ. τοῦ δὲ Γορδίου τελειωθέντος, καὶ τοῦ Ναρκίσσου ὑπεργηράσαντος· ἦν γὰρ ἐτῶν ρις΄. Αλέξανδρος ἐπίσκοπος εἰς προσκύνησιν ἐλθὼν τῶν ἁγίων τόπων, κατὰ θείαν ἀποκάλυψιν πατριάρχης γέγονεν Ιεροσολύμων, τοῦ γέροντος Ναρκίσσου πολλὰ τοῦτον παρακαλέσαντος,



A Legatis veteris Romæ cum legatis ex oriente dixere: Legantur publice cunctis audientibus literæ illius commendatitiæ.

Dilectiſſimi Deo epiſcopi dixere: Idem nobis placet.

Lecta igitur in hæc verba eſt epiſtola.

*Religioſiſſimo & auguſtiſſimo imperatori Baſilio victori, Auguſto, triumphatori, grato Dei famulo, Michael inutilis ſervus ſervorum domini mei, Alexandrinus.*

B JAm diu, imperator, ad tuam auguſtiſſimam atque a cæleſti numine gubernatam majeſtatem ſcribere cupiebamus, cum metu barbarorum (Sarracenorum) prohibiti ſumus. Nunc juſſu hoc ipſum, quod optabamus & reformidabamus, intrepide executi ſumus; immortalique & cæleſti imperatori immenſas perſolvimus grates, quod is occaſione conficiendi negotii noſtram tenuitatem ſuo domini mei, domini Chriſtianiſſimi imperatoris, alloquio dignatus ſit. Dynaſta enim Palæſtinæ, Tiberiadis & Tyri nobis expoſuit, ſe literas regias & honorificentiſſimas accepiſſe, quibus juberetur, quempiam ex Alexandrino patriarchatu cum noſtris literis ſeu brevibus tabellis, propter duorum patriarcharum Conſtantinopolitanorum inter ſe diſſenſionem, mit-C tere. & quia pacis conciliator laudatiſſimus imperator ex alieno ore cupit audire, quod ſit hac de re ſincerum judicium & ſententia, movit nos ad hoc declarandum. Quapropter legatum pro nobis miſimus virum pium, & a prima ætate in vita monaſtica exercitatum, abbatem Joſephum cum tenui hoc libello adjuncto.

Duo igitur patriarchæ, domine imperator Auguſte, ut unam ſedem uno tempore occupent, novit potentia tua fieri nullo modo poſſe: tametſi ea de re nihil prorſus antea quid acciderit, cognoverim. Et quæ judices non norunt, haud ſcio quomodo rectam de iis ſententiam ſint laturi. Probe D ſcimus, imperator, apud tuam majeſtatem eſſe antiſtites & præſides, hegumenos & clericos, & in cælibatu viventes, omni rerum cognitione & ſapientia præſtantes; quos inter & ipſe princeps es: qui omnes, quid facto opus ſit, plene perſpicitis. Verumtamen quod ſcimus & nos, libere dicimus. Meminimus & veteri hiſtoria repeciſſe nos, in ſancta Chriſti Dei noſtri civitate geminos ſimul fuiſſe olim patriarchas. Trigeſimus enim poſt Chriſti in cælum aſcenſum Hieroſolymis patriarcha Narciſſus appellabatur, qui vitam quietam amplexus, relicto clam poſt annos duodecim throno ſuo, in loca prorſus ignota & deſerE ta ſeceſſit; ſecundumque illum patriarcha creatus eſt Dius: quo vita functo, ſuffectus eſt Germanus patriarcha: poſt Germanum Gordius; quo eccleſiam adminiſtrante rurſum apparuit Narciſſus qui cum Gordio ſumma animorum conjunctione & concordia vixit. Decedente vero Gordio, & Narciſſo jam annis & ſenio feſſo, (ſexdecim enim annos vixerat ſupra centum) Alexander epiſcopus, cum ad ſancta loca venerationis cauſa veniſſet, divinitus patriarcha Hieroſolymorum renuntiatus eſt, Narciſſo grandævo illum ad hoc munus ſubeundum multum deprecante,

A qui & martyrii poſtea coronam adeptus eſt. Hæc ſcribimus, optamuſque majeſtati tuæ per intemeratæ Dei matris preces, ſanctique & venerandi euangeliſtæ, apoſtoli & martyris Marci, ſanctorumque omnium, poſt vitam diuturnam regnum immortale. Amen.

Lectis his literis, legati cum Romani, tum orientis, ſacerque ſenatus & epiſcopi dixere: Nullum nobis relictum eſt dubium, quin is qui has literas tulit, certiſſimus ſit legatus patriarchæ Alexandrini. Quoniam vero nunc octo ſynodi actiones celebratæ ſunt, par eſt ut intelligamus, utrum religioſiſſimus Alexandrini pa-
B triarchæ vicarius, quid in iis actum ſit, cognoverit. Interrogatus ergo, ſcire ſe reſpondit, traditumque libellum rogavit, ut palam legeretur; qui & in hæc verba lectus eſt.

Joſephus monachus & archidiaconus, Michaelis ſanctiſſimi patriarchæ Alexandriæ vicarius, ad ſanctam & œcumenicam ſynodum hæc dico. Æquum eſt, ut nunc
Pſal. 144. cum Davide propheta dicamus; *Dominus voluntatem timentium ſe faciet*. Poſtquam enim Baſilius uſquequaque clementiſſimus fideliſſimuſque imperator noſter baſim & fundamentum in pectore ſuo timorem domini collocavit, idcirco oculi domini ſu-
C per illum reſpiciunt, & voluntatem ejus
Deut. 17. & 19. Matth. 18. 2. Cor. 13. diriget. Et dicente ſcriptura: *In ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum*: per quatuor certiſſimos teſtes placuit illi firmare fidem, hoc eſt, legatos veteris Romæ, Antiochiæ, Hieroſolymorum; ac demum nos ex meridianis plagis attraxit, ut locum apoſtolici throni magnæ Alexandrinorum eccleſiæ expleremus. Qui divino beneficio & imperatoris nutu omnia ſtudioſiſſime perveſtigavimus, ne quid nos eorum quæ acta erant a fratribus noſtris antequam adveniſſemus, effugeret: nec non propoſitas cauſas de patriarcha Ignatio & Photio eccleſiæ Conſtantinopo-
D litanæ mœcho, pariterque de ſacris & venerandis imaginibus. Quibus cognitis, mirati ſumus, quam perſpicua ſit vox ſalva-
Matth. 10. Luc. 8. toris noſtri, cum dicit: *Nihil occultum, quod non revelabitur & palam fiet*. Etenim vere cæleſti afflati numine patriarcharum legati una cum Romæ veteris legatis, omnia rite perſcrutati cognoverunt & compoſuerunt, veritatemque in lucem protulerunt: ad quos & nos accedimus, illorumque decretis atque judicio noſtrum quoque ſubſcribimus.

Lecta hac epiſtola ſynodus œcumenica dixit: Lectus hic libellus certiores
E nos fecit, religioſiſſimum Alexandrinæ eccleſiæ legatum noſtræ ſententiæ aſſentiri.

Magnificentiſſimi præſides dixere: Hoc caput expeditum eſt. Quid ergo placet hodie conſtituere?

Legati Romani dixere: Intelleximus eſſe quoſdam perjuros in patriarcham Ignatium teſtes, quemadmodum nobis Rhadoaldus & Zacharias epiſcopi, qui Roma legati prius miſſi fuerunt Conſtantinopolim, expoſuere. Hi teſtes perjuri neceſſario ſiſtendi ſunt.

A ὃς καὶ μαρτυρίῳ ὕστερον πλειοῦται. ταῦτα γράφομεν, ἐπευχόμενοι μετὰ πλείστην βιοτὴν τῇ βασιλείᾳ σου τὴν ἀθάνατον βασιλείαν, λιταῖς τῆς ἀμώμου καὶ θεοτόκου Μαρίας, Μάρκου τε τοῦ θεσπεσίου εὐαγγελιστοῦ, Ἀποστόλου καὶ μάρτυρος, καὶ πάντων τῶν ἁγίων. ἀμήν.

Ταύτης τῆς ἐπιστολῆς ἀναγνωσθείσης, οἱ τοποτηρηταὶ Ῥώμης καὶ τῶν ἀνατολικῶν θρόνων, ἥ τε ἱερὰ σύγκλητος καὶ οἱ ἐπίσκοποι εἶπον· ἐν πιστώσει τελείᾳ γεγόναμεν, ὅτι ἀληθέστατος τοποτηρητὴς τοῦ θρόνου ἐστὶν Ἀλεξανδρείας ὁ τὴν ἐπιστολὴν κομίζων. ἐπεὶ δὲ ἤδη ὀκτὼ γεγόνασι σύνοδοι πράξασαι ὅσα πέπρακται, ἀναγκαῖόν ἐστι μαθεῖν ἡμᾶς, εἰ οἶδε ταῦτα ὁ
B εὐλαβέστατος τοποτηρητὴς τοῦ θρόνου Ἀλεξανδρείας. ἐρωτηθεὶς οὖν οὗτος, εἶπεν εἰδέναι ταῦτα· ὃς καὶ ἐπιδέδωκε λίβελλον, καὶ ἠξίωσεν ἀναγνωσθῆναι τοῦτον ἐπὶ κοινοῦ· ὃς καὶ ἀνεγνώσθη ἔχων οὕτως.

Ἰωσὴφ μοναχὸς καὶ ἀρχιδιάκονος, καὶ τοποτηρητὴς Μιχαὴλ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἀλεξανδρείας, ταῦτα λέγω πρὸς τὴν ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον. νῦν ἄξιον εἰπεῖν μετὰ τοῦ προφήτου Δαβίδ· θέλημα κύριος τῶν φοβουμένων αὐτὸν ποιήσει. ἐπεὶ γὰρ Βασίλειος ὁ κατὰ πάντα πρᾳότατος καὶ πιστότατος βασιλεὺς ἡμῶν θεμέλιον καὶ κρηπῖδα ἐν τῇ ἑαυτοῦ ψυχῇ τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ ἔθετο, διὰ τοῦτο ὀφθαλ-
C μοὶ κυρίου ἐπ' αὐτὸν βλέπουσι, καὶ τὸ θέλημα τούτου κατευθύνεται. καὶ τῆς γραφῆς λεγούσης· ἐκ στόματος δύο ἢ τριῶν μαρτύρων σταθήσεται πᾶν ῥῆμα· διὰ τεσσάρων μαρτύρων ἀψευδεστάτων παραστῆσαι αὐτῷ εὐδόκησε τὴν ἀλήθειαν, τουτέστι, τῶν τοποτηρητῶν Ῥώμης, Ἀντιοχείας, Ἱεροσολύμων· καὶ πλάταιον καὶ ἡμᾶς ἐκ τῶν μεσημβρινῶν τόπων ἐφειλκύσατο, ἀναπληρώσοντας τὸν τόπον τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς μεγάλης τῶν Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας. οἵτινες θείᾳ χάριτι καὶ βασιλικῇ ἐπινεύσει πάσῃ διεπιμελείας ἀνιχνεύσαμεν, ὥστε μηδὲν ἡμᾶς λαθεῖν τῶν πεπραγμένων τοῖς ἀδελφοῖς ἡμῶν πρὸ τῆς ἡμετέρας ἐφόδου· πρὸς δὲ καὶ τὰς προκινηθείσας ἐνταῦ-
D θα ὑποθέσεις περὶ Ἰγνάτιον τὸν πατριάρχην, καὶ Φώτιον τὸν μοιχὸν τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως, ὡσαύτως καὶ τὰ περὶ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων, ὧν καὶ ἐν γνώσει γεγονότες τεθαυμάκαμεν, ὅπως ἐναργὴς ἡ φωνὴ τοῦ σωτῆρος ἡ λέγουσα· οὐδὲν κρυπτὸν, ὃ οὐ γνωσθήσεται καὶ εἰς φανερὸν ἔλθῃ. καὶ γὰρ ἀληθῶς ἐμπνευσθέντες οἱ τοποτηρηταὶ τῶν πατριαρχικῶν θρόνων σὺν τοῖς Ῥώμης, πάντα καλῶς διέγνων καὶ ᾠκονόμησαν, καὶ τὴν ἀλήθειαν εἰς τὸ φανερὸν ἤγαγον· οἷς καὶ ἡμεῖς συγκατατιθέμεθα, καὶ στοιχοῦμεν ταῖς αὐτῶν διαγνώσεσι.

Μετὰ γοῦν τὴν ἀνάγνωσιν ταύτην ἡ ἁγία καὶ
E οἰκουμενικὴ σύνοδος εἶπε· τὸ ἀναγνωσθὲν γράμμα ἐβεβαίωσεν ἡμᾶς, ὅτι συνᾴδει τῇ κρίσει ἡμῶν ὁ εὐλαβέστατος τοποτηρητὴς τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας.

Οἱ μεγαλοπρεπέστατοι ἄρχοντες εἶπον· τοῦτο τὸ κεφάλαιον πέρας εἴληφε. τί γοῦν βούλεσθε διοικηθῆναι σήμερον;

Οἱ τοποτηρηταὶ Ῥώμης εἶπον· ἐμάθομεν εἶναί τινας ψευδῶς μαρτυρήσαντας κατὰ Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου, καθὼς εἶπον ἡμῖν Ῥαδόαλδος καὶ Ζαχαρίας ἐπίσκοποι, οἱ πρώην ἀπὸ τῆς Ῥώμης ἀποσταλέντες. καὶ χρὴ τοὺς τοιούτους ψευδομάρτυρας ἀχθῆναι.





A Εἶπον οἱ λοιποὶ τοποτηρηταὶ καὶ ἡ σύνοδος πᾶσα· καλόν ἐστι πλείως καθαρθῆναι τὴν ἐκκλησίαν ἀπὸ τῶν σκανδάλων· καὶ εἰσήχθησαν οἱ ψευδομάρτυρες, καὶ ἠρωτήθησαν ἰδίᾳ ἕκαστος. καὶ πρῶτος ἠρωτήθη Θεόδωρος πρωτοσπαθάριος, πῶς ὤμοσε κατὰ Ἰγνατίου· καὶ εἶπεν, ἄκων ὀμόσαι διὰ φόβον τῶν κρατούντων τότε. ὁ δὲ ὅρκος ἦν· ὅτι ἀψήφιστος ὁ Ἰγνάτιος γέγονε πατριάρχης· καὶ ᾔδειν μὲν ὅτι ψευδορκῶ, ἀλλ' οὐκ ἠδυνήθην μὴ ποιῆσαι ὃ προσετάγην. διὸ καὶ προσῆλθον μοναχῷ μʹ ἔτη εἰς στύλον πεποιηκότι, καὶ ἐξηγόρευσα τὸ ἁμάρτημα, καὶ ἔλαβον ἐπιτίμια, καὶ φυλάσσω ταῦτα μέχρι τοῦ νῦν. ἠρωτήθη δὲ πάλιν οὗτος, εἰ ἀπο-
B δέχεται τὴν τοιαύτην σύνοδον, καὶ δοκεῖ εἰς τὴν ἀποκατάστασιν Ἰγνατίου· καὶ κατετέθη τήν τε σύνοδον ἀποδέχεσθαι, καὶ ὡς τὴν τοῦ Ἰγνατίου ἀποκατάστασιν δέχεται εὐχαρίστως. εἶτα ἠρωτήθη Λέων ὕπατος περὶ τοῦ αὐτοῦ ὅρκου· καὶ εἶπε καὶ αὐτὸς τήν τε αἰτίαν τοῦ ὅρκου τὴν αὐτήν· καὶ ὅτι βίᾳ εἰς τοῦτο παρήχθη· καὶ ὅτι εἰ δοθῶσιν αὐτῷ ἐπιτίμια διὰ τοῦτο, λήψεται ταῦτα· καὶ ὅτι ἀποδέχεται τὴν ἀποκατάστασιν Ἰγνατίου. ἀπαιτηθεὶς δὲ ἀναθεματίσαι τὸν Φώτιον, εἶπεν· ὡς οὐκ ἐνδέχεται ὀρθόδοξον ἄνθρωπον ἀναθεματίζεσθαι· ὁ γὰρ ἀναθεματισμὸς ἐπὶ ἀπίστων γίνεται· ὁ Φώτιος ὀρθόδοξός ἐστι.

C Εἶπον οἱ τοποτηρηταί· τὰ ἔργα αὐτοῦ ἀξίᾳ εἰσὶ πάσης αἱρέσεως χείρονα.

Λέων εἶπεν· ἐπεὶ κρίνετε ὑμεῖς καὶ χωρὶς αἱρέσεως ἀναθεματισμὸν γίνεσθαι, ἀναθεματίζω κἀγὼ πάντας, οὓς ἀνεθεμάτισεν ἡ ἁγία σύνοδος. μετὰ τοῦτο ἠρωτήθησαν ἕτεροι οὐκ ὀλίγοι, ὁμοίως ψευδορκήσαντες· καὶ πάντες ὡμολόγησαν, καὶ μετανοεῖν συνέθεντο, καὶ ἐπιτίμια κατεδέξαντο.

Ἰγνάτιος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης εἶπε· καὶ ἕτεροι πολλοί, οἶδα, εἰσὶν, οἷον βελονάδες, σταβλισιανοὶ, ἱπποΐατροι, καὶ ἕτεροι ὅμοιοι. διὸ δίκαιόν ἐστιν, ἵνα ἔλθωσι πάντες κατ' ἐνώπιον τῆς συνόδου, καὶ ὁμολογήσωσι τὴν ἀλήθειαν, πῶς ψευδῶς
D ὤμοσαν.

Μετὰ τοῦτο εἰσήχθη ἕτερον τοιοῦτον κεφάλαιον.

Εἶπον οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης· ἠκηκόαμεν ἐν ταύτῃ τῇ βασιλευούσῃ πόλει, ὅτι περ πονηροί τινες καὶ καταφρονηταὶ ἄνθρωποι, λαϊκοὶ καὶ συγκλητικοὶ φοροῦσιν ὠμόφορα, καὶ ποιοῦσι τὸ δοκεῖν τὰ τῶν Ἀρχιερέων· καὶ εἰσαχθήτωσαν οὗτοι. εἰσήχθησαν οὖν ἄνδρες ἀξιωματικοὶ, καὶ ἠρωτήθησαν, πῶς τοῦτο ἐποίουν. καὶ εἶπον· Μιχαὴλ ὁ βασιλεὺς παιγνίδια ἐποίει, ἐπιτιθεὶς ἡμῖν ἀρχιερατικὴν στολήν· καὶ μὴ βουλόμενοι ἐποιοῦμεν τὰ προστεταγμένα.

Οἱ τοποτηρηταὶ εἶπον· κακῶς ἐποιεῖτε, καὶ διὰ
E τοῦτο ἔνοχοι ἐπιτιμίων ἐστέ. ὅτε δὲ ταῦτα ἐποιεῖτε, ἐθεώρει ὑμᾶς Φώτιος; οἱ δὲ εἶπον, οὐκ οἴδαμεν· ἓν μόνον οἴδαμεν, ὅτι οὐδεὶς τῶν ἀνθρώπων ἠγνόει τὰ γινόμενα.

Μετὰ τοῦτο εἶπον οἱ τοποτηρηταὶ Ῥώμης· ἀναγκαῖόν ἐστιν εἰς μέσον στῆναι τοὺς ψευδοτοποτηρητὰς, πρὸς τὸ διαγνῶναι τὰς τοῦ Φωτίου πανουργίας καὶ δολιότητας καὶ τὸν εὐλαβέστατον τοποτηρητὴν τῶν Ἀλεξανδρέων. παρήχθησαν οὖν, καὶ ὡμολόγησαν καὶ αὐτοὶ, ὅπως παρὰ Φωτίου ἐδιδάχθησαν ὑποκριθῆναι τὴν τοποτηρησίαν τῶν θρόνων τῆς

A Ceteri legati & univerſa ſynodus dixere: Congruum eſt eccleſiam ab omni offenſa, & ſcandalis perfecte repurgari. Introducti ergo mendaces illi teſtes, ſinguli ſeorſim ſunt interrogati. Ac primus interrogatus eſt Theodorus protoſpatharius, quo pacto contra Ignatium juraverit. Qui reſpondit, coactum ſe metu principum juraviſſe. Juſjurandum autem hoc erat: Ignatium abſque calculis non rite creatum eſſe patriarcham; ſeque ſcientem pejeraſſe: ſed aliter, inquit, ac juſſus eram, facere non potui. Eamque ob cauſam adii ad monachum, qui quadraginta annos in columna habitarat, meumque illi ſcelus confeſſus
B ſum; a quo pœnam epitimii irrogatam accepi, quam adhuc hodie ſubeo. Rurſus interrogatus, an ſynodum hanc reciperet, & reſtitutionem Ignatii ratam haberet: & ſynodum a ſe probari; & Ignatii reſtitutionem libenti gratoque animo recipi confirmavit. Tum Leo conſul de eodem jurejurando interrogatus, eamdem juramenti cauſam excuſavit, ſe item vi adactum; ſeſeque epitimia, ſi imponerentur, recepturum: ſimulque ſe Ignatium reſtitutum recipere. Juſſus vero anathematizare Photium, affirmavit, non poſſe a ſe hominem de catholica fide recte ſentientem anathematizari. Etenim anathematiſmum contra
C non credentes aut perfidos valere, Photium orthodoxum eſſe.

Legati dixere: Opera ejus quavis hæreſi ſunt deteriora.

Leo dixit: Quandoquidem judicatis anathema etiam ſine hæreſi eſſe, & ego omnibus anathema dico, quos ſancta ſynodus anathemate multavit. Deinceps ceteri minime pauci ſunt excuſſi, qui æque perjure teſtati erant: omneſque ſuum facinus confeſſi, datis pœnitentiæ ſignis, cenſuras pœnaſque ſubierunt.

Sanctiſſimus patriarcha Ignatius dixit: Et alios haud paucos eſſe ſcio, acuarios, inquam, ſtabularios, veterinarios, ſeu me-
D dicos equarios, & hoc genus alios. Quare æquum eſt ut adſint omnes, & apud ſynodum ingenue ſe perjurum juſjurandum juraviſſe fateantur.

Poſtea aliud caput eſt propoſitum.

Romæ legati dixerunt: Intelleximus quoſdam in hac regia urbe, improbos laicos rerum ſacrarum irriſores, & ſenatores, ſuperhumeralia geſtare, epiſcoporumque ritus & ceremonias imitari: introducantur & iſti. Introducti ergo viri primarii, rogatique, quomodo hoc facinus facere eſſent auſi: Michael, inquiunt, imperator per jocum & ludibrium id factitabat, nobiſque ſtolam pontificiam injiciebat; cujus perin-
E viti imperata faciebamus.

Legati dixere: Improbe feciſtis, & epitimiis obnoxii eſtis. Viditne Photius hoc vos factitantes? Neſcimus, inquiunt: hoc unum ſcimus, neminem mortalium, quæ fierent, ignoraviſſe.

Tum Romæ legati dixere: Neceſſario in medium adducendi ſunt ſuppoſititii illi vicarii, ut improbas Photii artes fraudeſque etiam religioſiſſimus Alexandrinorum legatus pernoſcat. Adducti ergo & hi aperuerunt, qua ratione a Photio edocti fuerint, ut legatos veteris Romæ

& Alexandriæ, & reliquarum ſedium orientis ſimularent. Rogati, an ſanctam hanc ſynodum reciperent, reſponderunt: Ut ceteri eam omnes Chriſtiani recipiunt, ita & nos recipimus. Interrogati de papa Nicolao & patriarcha Ignatio, an & hos reciperent, reſponderunt: Ita recipimus, quemadmodum ſancta & œcumenica ſynodus recipit.

Legati Romani ad legatum Alexandrinæ cathedræ dixerunt: En dilecte nobis frater, intellexiſti ex auditis technas & improbitatem Photii. Hos ergo mendicos homines & peregrinos venia dignos ac dimittendos judicamus. Laus Deo qui hanc ſanctam & œcumenicam ſynodum colligere dignatus eſt, pacemque adeo commode compoſuit. Et Elias Hieroſolymorum legatus Deo gratias egit, quod poſt tantum temporis intervallum patriarchalia capita inter ſe ad ſuam gloriam adunare dignatus ſit. Deinde conſuetis acclamationibus factis, conventus eſt dimiſſus.

## ACTIO DECIMA.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Conſulatus dominorum noſtrorum a Deo coronatorum Baſilii & Conſtantini anno III. Leonis I. indictione tertia, pridie Kalendas Martias, feria tertia. Propoſitis venerandis (ſanctæ crucis) lignis, ſanctiſque euangeliis ad dextram ſanctæ Sophiæ partem templi, præſidentibus Chriſto dilectis imperatoribus, legatis, reliquiſque eodem, quo priore nona actione ſederant, ordine conſidentibus. His ergo congregatis ſancitum eſt, ut canones recitarentur, quos ſancta ſynodus edidit. Et recitati ſunt: quorum hic eſt primus.

### CANON I.

Ut rectam regiamque divinæ juſtitiæ viam ſine erroris offenſa teneamus, ſanctorum patrum decreta, veluti inextinctæ quædam ſemperque lucentes faces, ſequenda ſunt. Quapropter ſanctiones eccleſiæ catholicæ & apoſtolicæ per traditionem, tum a ſanctis omnique laudis præconio celebrandis apoſtolis, tum ab orthodoxis œcumeniciſque & Provincialibus conciliis, aut a quovis deiloquo patre & doctore eccleſiæ acceptas, ſervandas, cuſtodiendaſque profitemur. Traditiones enim ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam majorum noſtrorum, qui vitæ ſanctitate nobis præluxerunt, acceptas, diſerte magnus apoſtolus Paulus tenendas monet.

### II.

Quæcumque a beatiſſimo papa Nicolao, veluti Spiritus ſancti inſtrumento, ejuſque ſucceſſore ſanctiſſimo papa

Ῥώμης καὶ τῶν Ἀλεξανδρέων, καὶ τῶν λοιπῶν ἀνατολικῶν θρόνων. ἠρωτήθησαν δὲ, εἰ ἀποδέχονται τὴν ἁγίαν ταύτην σύνοδον. καὶ εἶπον· καθὼς οἱ λοιποὶ πάντες Χριστιανοὶ, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἀποδεχόμεθα ταύτην. ἠρωτήθησαν καὶ περὶ τοῦ πάπα Νικολάου, καὶ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου, εἰ ἀποδέχονται αὐτούς· καὶ εἶπον, οὕτως ἀποδεχόμεθα τούτους, καθὼς καὶ ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος.

Εἶπον οἱ τοποτηρηταὶ Ῥώμης πρὸς τὸν τῆς Ἀλεξανδρέων τοποτηρητήν· ἰδοὺ καὶ αὐτὸς ἠγαπημένε ἡμῖν ἀδελφὲ, ἔγνως δι᾽ ὧν ἀκήκοας νῦν τὰς τοῦ Φωτίου κακουργίας. τούτους οὖν τοὺς ἀνθρώπους πτωχοὺς ὄντας καὶ ξένους κρίνομεν συγγνώμης ἀξιωθῆναι καὶ ἀπολυθῆναι. δόξα δὲ τῷ Θεῷ τῷ τὴν ἁγίαν ταύτην οἰκουμενικὴν σύνοδον συναθροισθῆναι καταξιώσαντι, καὶ εἰρηνικὴν οὕτω ποιησαμένῳ κατάστασιν. καὶ Ἠλίας δὲ ὁ τοποτηρητὴς Ἱεροσολύμων εὐχαριστῶν εἶπε τῷ Θεῷ, ὅτι κατηξίωσε διὰ τοσούτων χρόνων τὰς πατριαρχικὰς κεφαλὰς ἑνωθῆναι ἀλλήλαις πρὸς δόξαν αὐτοῦ. εἶθ᾽ οὕτω τῆς συνήθους εὐφημίας γενομένης, διελύθη ὁ σύλλογος.

## ΠΡΑΞΙΣ ι.

ΕΝ ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. ὑπατείας τῶν θεοστέπτων ἡμῶν δεσποτῶν Βασιλείου καὶ Κωνσταντίνου ἔτους γ΄. Λέοντος ἔτους α΄. ΙΝ. γ΄. πρὸ μιᾶς καλανδῶν Μαρτίου, ἡμέρᾳ γ΄. προτεθέντων τῶν τιμίων ξύλων καὶ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων ἐν τοῖς δεξιοῖς μέρεσι τοῦ ναοῦ τῆς ἁγίας Σοφίας, προκαθεσθέντων τῶν φιλοχρίστων βασιλέων, συνελθόντων τῶν τοποτηρητῶν, καὶ τῶν λοιπῶν, καθὼς ἐν τῇ θ΄. πράξει. τούτων οὖν συνελθόντων, ἐδέσθη ἀναγνωσθῆναι τοὺς κανόνας, οὓς ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησε. καὶ ἀνεγνώσθησαν· ὧν ὁ πρῶτος οὗτος.

### ΚΑΝΩΝ α.

Τὴν εὐθεῖαν καὶ βασιλικὴν ὁδὸν τῆς θείας δικαιοσύνης ἀπροσκόπως βαδίζειν ἐθέλοντες, οἷόν τινας πυρσοὺς ἀειλαμπεῖς τοὺς τῶν ἁγίων πατέρων ὅρους κρατεῖν ὀφείλομεν. τοιγαροῦν τοὺς ἐν τῇ καθολικῇ καὶ Ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ παραδοθέντας θεσμοὺς παρά τε τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων Ἀποστόλων, παρά τε ὀρθοδόξων συνόδων οἰκουμενικῶν τε καὶ τοπικῶν, ἢ καὶ πρός τινος θεηγόρου πατρὸς διδασκάλου τῆς ἐκκλησίας, τηρεῖν καὶ φυλάττειν ὁμολογοῦμεν. κρατεῖν γὰρ τὰς παραδόσεις, ἃς παρελάβομεν εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι᾽ ἐπιστολῶν τῶν προγενεστέρως διαλαμψάντων ἁγίων, παρεγγυᾷ διαῤῥήδην Παῦλος ὁ μέγας Ἀπόστολος.

### β.

Τὸν μακαριώτατον πάπαν Νικόλαον, ὡς ὄργανον τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔχοντες, καὶ τὸν ἐκείνου διάδοχον, τὸν ἁγιώτατον πάπαν Ἀδριανὸν, ὁρίζομεν καὶ θεσπίζομεν πάντα τὰ παρ᾽ αὐτῶν ἐκτεθέντα, καὶ συνοδικῶς ἐκφωνηθέντα κατὰ διαφόρους καιροὺς ὑπὲρ ἐκδικήσεως καὶ συστάσεως τῆς ἁγίας Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, καὶ τοῦ ἁγίου αὐτῆς Ἀρχιερέως Ἰγνατίου, καὶ τῆς Φωτίου ἐξωθήσεώς τε καὶ κατακρίσεως, τηρεῖσθαι καὶ φυλάττεσθαι πάντοτε σὺν τοῖς ἐκτεθεῖσι κεφαλαίοις, καὶ μηδένα τῶν οἱουδήτινος τάγματος ἀνθρώπων ἀθετῆσαι τολμᾷν. εἰ δέ τις μετὰ τοῦτον ἡμῶν τὸν ὅρον φωραθείη ἀθετῶν τι τῶν παρ᾽ ἐκείνοις ἐκτεθέντων κεφαλαίων, ἱερεὺς μὲν ὢν ἢ κληρικὸς, ἐκπιπτέτω τῆς ἰδίας τιμῆς καὶ τάξεως· μοναχὸς δὲ ἢ λαϊκὸς ἀφοριζέσθω, μέχρις ἂν μετανοήσῃ.



Hadriano declarata ſunt; quæque diverſis temporibus de conſtituenda componendaque ſancta eccleſia Conſtantinopolitana, deque ſancto illius patriarcha Ignatio, ac de Photii ejectione atque damnatione in ſynodo pronuntiata ſunt, ea omnia una cum expoſitis capitibus ſervanda & cuſtodienda ſemper decernimus & ſancimus, nemo ut illa cujuſvis ordinis infirmare antiquareque poſſit. Quod ſi quis deprehenſus, poſt hanc noſtram ſanctionem, ex iis capitibus quidquam ab illis editum reſciderit, ſacerdos aut clericus de gradu ſuo dejiciatur; monachus aut laicus a cœtu Chriſtianorum, quoad eum facti pœniteat excludatur.

### γ΄.

Τὴν ἱερὰν εἰκόνα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁμοτίμως τῇ βίβλῳ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων προσκυνεῖσθαι θεσπίζομεν. ὥσπερ γὰρ διὰ τῶν ἐμφερομένων ἐν αὐτῇ συλλαβῶν τῆς σωτηρίας ἐπιτυγχάνουσιν ἅπαντες, οὕτω διὰ τῆς τῶν χρωμάτων εἰκονουργίας καὶ σοφοὶ καὶ ἰδιῶται πάντες τῆς ὠφελείας ἐκ τοῦ προχείρου ἀπολαύουσιν. ἅπερ γὰρ ὁ ἐν συλλαβῇ λόγος, ταῦτα καὶ ἡ ἐν χρώμασι γραφὴ καταγγέλλει τε καὶ παρίστησιν. εἴ τις οὖν οὐ προσκυνεῖ τὴν εἰκόνα τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ, μὴ ἴδῃ ἐν τῇ δευτέρᾳ παρουσίᾳ τὴν τούτου μορφήν. ὁμοίως δὲ καὶ τὴν εἰκόνα τῆς ἀχράντου μητρὸς αὐτοῦ, καὶ τὰς εἰκόνας τῶν ἁγίων ἀγγέλων, καθὼς αὐτοὺς χαρακτηρίζει διὰ τῶν λογίων ἡ ἁγία γραφὴ, καὶ προσέτι τῶν ἁγίων πάντων, καὶ τιμῶμεν καὶ προσκυνοῦμεν. καὶ οἱ μὴ οὕτως ἔχοντες ἀνάθεμα ἔστωσαν.

### III.

Sacram domini noſtri Jeſu Chriſti effigiem eadem qua ſancta euangelia veneratione colendam ſtatuimus. Ut enim per ſyllabas in euangelio ſcriptas ſalutem conſequuntur omnes, ita per imagines arte coloribuſque pictas & expreſſas, docti juxta ac indocti ex objecta re utilitatem capiunt. Quæcumque enim in ſyllabis oratio, hæc in coloribus pictura docet & repræſentat. Ergo quicumque Chriſti ſalvatoris imaginem non adorat, is in ſecundo Chriſti adventu non videat ipſius faciem. Eadem ratione intemeratæ genitricis illius effigiem, ſanctorumque angelorum, quemadmodum illos ſacrarum literarum paginæ deſcribunt, ac ſanctorum omnium veneramur & colimus. Qui aliter ſentiunt, anathema ſunto.

### δ΄.

Τὴν φιλαρχίαν οἷόν τινα πονηρὰν ῥίζαν τῶν κακῶν πάντων πρόῤῥιζον ἀποτέμνοντες, τὸν προπετῶς καὶ ἀθέσμως, οἷόν τινα λύκον βαρὺν εἰς τὸ τοῦ Χριστοῦ ποίμνιον εἰσπηδήσαντα Φώτιον, καὶ ταραχῆς τὴν οἰκουμένην ἐμπλήσαντα, δικαίῳ λόγῳ ἀποφαινόμεθα μηδέποτε γεγονέναι πρότερον, ἢ νῦν ἐπίσκοπον· μήτε τοὺς ὑπ᾽ αὐτοῦ χειροτονηθέντας ἐν οἱῳδήποτε βαθμῷ ἱερατικῷ, ἐν ᾧ προεχειρίσθησαν, μένειν. τοὺς δὲ παρ᾽ αὐτοῦ εἰς ἡγουμενίαν προχειρισθέντας, τοιαύτης προστασίας ἀπείργομεν. λέγει γὰρ ὁ τῶν ὅλων Θεὸς διὰ τοῦ προφήτου. ὅτι σὺ ἐπίγνωσιν ἀπώσω, κἀγὼ ἀπώσομαί σε τοῦ μὴ ἱερατεύειν μοι.

### IV.

Ut ambitionem veluti quamdam malorum omnium malam radicem convellamus, Photium contra jus faſque præcipiti temeritate velut atrocem lupum in gregem Chriſti inſilientem, orbemque terrarum perturbatione complentem, nunquam antea epiſcopum fuiſſe, neque nunc ulla ratione eſſe, juſto decreto declaramus: nec ab illo creatos in eo ſacerdotii gradu, in quem ab eo promoti ſunt, manere. Præfectis quoque monaſteriorum ab eo provectis præfecturam abrogamus. Dicit enim univerſorum Deus: *Quoniam tu ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Oſ. 4.

### ε΄.

Κανών ἐστιν ὁ λέγων, μὴ δεῖν ἐπίσκοπον προχειρίζεσθαι τινα νεόφυτον ἢ κατὰ τὴν

### V.

Canon eſt qui dicit, non oportere quemquam ex neophyto, ſive neophytus ſit

A fit in Chriſtiana fide, ſive in ordine clericorum, epiſcopum creari, ne ut Paulus ait, *inflatus incidat in judicium & laqueos diaboli*. Huic ergo convenienter dicimus; neminem ex ordine ſenatorio & laico gradu recens, eo dumtaxat conſilio & animo in clericum aut monachum attonſum, ut epiſcopi aut patriarchæ dignitatem aſſequatur, honoris gradum oportere conſcendere; etiamſi in unoquoque gradu divini ſacerdotii longiori tempore verſatus probetur. Neque enim pietatis, ſed ambitionis & honoris cauſa tonſus eſt. B Multo vero magis hunc arcemus, ſi ad eum honorem ab imperatoria poteſtate intrudatur. Quod ſi quis nulla ſuſpicione dictæ ambitionis, vel honoris ſpe tactus, ſed recta honeſtaque Chriſti diſciplina inductus, in clericum aut monachum attonſus eſt, perque omnes gradus eccleſiaſticos definitis temporibus vitam agendo inculpatam tranſiſſe reperiatur, ad epiſcopatus honorem evehatur, ſic ut in lectoris munere annum, in ſubdiaconi duos, in diaconi tres, ſacerdotii quatuor annos expleat. C Pie vero, diuque in clericorum & monachorum ordine verſatis, tempus ab epiſcopis qui per tempora fuerint, contrahi poteſt. Si quis præter hanc ſanctionem ad ſupremum epiſcopatus honorem provectus fuerit, penitus rejiciatur.

πίστει. ἢ κατὰ τὸν ἱερατικὸν κλῆρον ὑπάρχοντα, ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρίμα ἐμπέσῃ καὶ παγίδα τοῦ διαβόλου, καθά φησιν ὁ Παῦλος. συμφώνως τοίνυν τούτῳ λέγομεν, μηδένα τῶν ἀπὸ τῆς συγκλητικῆς ἀξίας καὶ κοσμικῆς ἀγωγῆς προσφάτως καρέντα, καὶ κατὰ σκοπὸν καὶ προσδοκίαν ἀρχιερατικῆς ἢ πατριαρχικῆς τιμῆς γεγονότα κληρικὸν ἢ μοναχὸν, εἰς τὸν τοιοῦτον ἀναβιβάζειν βαθμὸν, κἂν ἐφ' ἑκάστῳ τάγματι τῆς θείας ἱερωσύνης πλείονα χρόνον ποιήσῃ δοκιμαζόμενος. οὐδὲ γὰρ δι' εὐλάβειαν, ἀλλὰ διὰ φιλαρχίαν κέκαρται. ἔτι δὲ πλέον τοῦτον ἀπείργομεν, εἰ παρὰ βασιλικῆς ἐξουσίας εἰς τοῦτο συνωθῆται. εἰ δέ τις κατ' οὐδεμίαν ὑποψίαν τῆς εἰρημένης ἐπιθυμίας καὶ προσδοκίας ἐκάρη, ἀλλὰ διὰ τὸ καλὸν τῆς κατὰ Χριστὸν πολιτείας γέγονε κληρικὸς ἢ μοναχὸς, καὶ πάντα βαθμὸν ἐκκλησιαστικὸν μετελθὼν κατὰ τοὺς ὡρισμένους χρόνους ἀνεπίληπτος εὑρέθη, προβιβασθήτω εἰς τὴν ἀρχιερωσύνην, ὥστε ἐν τῷ βαθμῷ τοῦ ἀναγνώστου ἐνιαυτὸν πληρῶσαι, ἐν δὲ τῷ τοῦ ὑποδιακόνου δύο, καὶ ἐν τῷ τοῦ διακόνου τρεῖς, καὶ τέσσαρας ἐν τῷ τοῦ πρεσβυτέρου. ἐπὶ δὲ τῶν χρονισάντων εὐλαβῶς τῷ τάγματι τῶν κληρικῶν τε καὶ μοναχῶν ὁ προειρημένος χρόνος συσταλήσεται παρὰ τῶν κατὰ καιροὺς ἐπισκόπων. εἰ δὲ παρὰ τοῦτον τὸν ὅρον προαχθείη τις εἰς τὴν εἰρημένην ὑπερτάτην τιμὴν, ἀποδοκιμασθήτω παντάπασι.

## VI.

Cum Photius poſt latam a ſanctiſſimo papa Nicolao æquiſſimam ſententiam, quod nequiſſime Conſtantinopolitanum thronum invaſiſſet, homines quoſdam perditos a trivio arripuiſſe deprehenſus ſit, eoſdemque pro legatis ſanctiſſimorum patriarcharum ſuppoſuerit, & cum his eccleſiam malignantium collegerit, atque calumnioſas depoſitiones & criminationes adverſus beatum papam Nicolaum concinnarit, anathemaque clandeſtine in illum & cum illo communicantes pronuntiarit, (quarum rerum quaſi monumenta ex ſynodi decreto in rogum conjecta ſunt) ea de cauſa, ad eccleſiæ ſecuriorem ſtatum, Photium, de quo dictum eſt, anathemate ferimus; E alioſque qui in poſterum quidquam tale auſi fuerint, eamdem ob cauſam anathemati ſubjicimus. Quemadmodum & egregius veritatis propugnator Martinus ſanxit.

## ϛʹ.

Ἐπείπερ κατεφωράθη Φώτιος μετὰ τὴν ἐξενεχθεῖσαν κατ' αὐτοῦ δικαιοτάτην ἀπόφασιν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Νικολάου διὰ D τὴν ἀθεσμοτάτην ἐπίβασιν τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, πονηρούς τινας ἄνδρας ἀπὸ τῶν λεωφόρων ἀγυιῶν εὑρηκὼς, καὶ τοποτηρητὰς αὐτοὺς τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχικῶν θρόνων κατονομάσας, καὶ σὺν τούτοις ἐκκλησίαν συστησάμενος πονηρευομένων, καθαιρετικὰς συκοφαντίας καὶ διαβολὰς κατὰ τοῦ μακαρίου πάπα Νικολάου τυρεύσας, καὶ τὸ ἀνάθεμα λαθραίως κατ' αὐτοῦ καὶ τῶν κοινωνούντων αὐτῷ ἀποφθεγξάμενος, ὡς τὰ δῆθεν ὑπομνήματα συνοδικῶς πυρίκαυστα γέγονε· τούτου χάριν πρὸς ἀσφάλειαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως, ἀναθεματίζομεν τὸν εἰρημένον Φώτιον, καὶ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, καὶ τοὺς ἀπὸ τοῦ νῦν τοιοῦτόν τι τολμήσοντας τῷ αὐτῷ ἀναθέματι ὑποβάλλομεν, καθὼς καὶ ὁ τῆς εὐσεβείας ἀθλητὴς Μαρτῖνος ἐκανόνισεν.

## VII.

Sanctas & venerandas imagines excitari, hominesque divinæ atque humanæ ſapien-

## ζʹ.

Τὸ τὰς ἁγίας καὶ σεπτὰς εἰκόνας ἀναστηλοῦν, καὶ τοὺς πλησίον διδάσκειν τὰ μαθήματα







τα τῆς θείας τε καὶ ἀνθρωπίνης σοφίας, λίαν ὀνησιφόρον· οὐ καλὸν δὲ, τοῦτο μὴ παρὰ τῶν ἀξίων γίνεσθαι. τούτου χάριν μηδαμῶς εἰκονουργεῖν ἐν τοῖς ἱεροῖς ναοῖς τοὺς ἀναθεματισθέντας θεσπίζομεν, μήτε μὴν ἐν οἱῳδήποτε τόπῳ διδάσκειν, μέχρις ἂν ἐπιστραφῶσιν ἐκ τῆς ἰδίας ἀπάτης. εἰ τις οὖν μετὰ τοῦτον ἡμῶν τὸν ὅρον πρὸς ζωγραφικὴν ἁγίων εἰκόνων ἐν ἐκκλησίᾳ, ἢ διδασκαλικὴν αὐτοὺς ὁπωσοῦν παραδέξοιτο πρᾶξιν, εἰ μὲν κληρικός ἐστιν, εἰς τὸν ἴδιον κινδυνευέτω βαθμόν· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω, καὶ στερείσθω τῶν θείων μυστηρίων.

## ηʹ.

Ἦλθε φήμη ταῖς ἀκοαῖς ἡμῶν, ὡς οὐ μόνον αἱρετικοὶ καὶ παράνομοι, τῆς ἁγίας Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας προεδρείαν λαχόντες, ἀλλὰ καὶ ὀρθόδοξοι πατριάρχαι χειρόγραφον ποιεῖν ἀπαιτοῦσι πρὸς ἴδιον συνασπισμόν. ἔδοξεν οὖν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, μηδαμῶς ἀπὸ τοῦ νῦν γίνεσθαι τοῦτο, πλὴν τοῦ κατὰ τύπον καὶ συνήθειαν ὑπὲρ τῆς εἰλικρινοῦς πίστεως ἡμῶν ἀπαιτουμένου κατὰ καιρὸν τῆς τῶν ἐπισκόπων χειροτονίας. εἰ τις οὖν τολμήσει παραλῦσαι τοῦτον ἡμῶν τὸν ὅρον, τῆς ἰδίας ἐκπιπτέτω τιμῆς.

## θʹ.

Τῆς θείας ἀναφανδὸν βοώσης γραφῆς, πρὸ ἐξετάσεως μὴ μέμφη, δικαίως καὶ συμφερόντως ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ αὕτη σύνοδος ὁρίζει μηδένα μοναχὸν, ἢ λαϊκὸν, ἢ τινα τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν, πρὸ τῆς ἀκριβοῦς ἐξετάσεως καὶ συνοδικῆς ἀποφάσεως, ἀπὸ τῆς κοινωνίας ἑαυτὸν ἀφορίζειν τοῦ ἰδίου πατριάρχου, κἂν ἐγκληματικόν τι γινώσκειν διατείνηται πρᾶγμα, παραπλησίως δὲ καὶ τοὺς ἐν ἐξωτικαῖς πόλεσι καὶ χώραις ἐπισκόπους καὶ ἱερεῖς διατίθεσθαι πρὸς τοὺς ἰδίους μητροπολίτας ὁρίζομεν, ὥσπερ καὶ τοὺς μητροπολίτας πρὸς τὸν ἴδιον πατριάρχην. εἰ δέ τις ἐναντία τῇ οἰκουμενικῇ ταύτῃ συνόδῳ φωραθείη διαπραττόμενος, εἰ μὲν ἐπίσκοπός ἐστιν ἢ κληρικὸς, ἐκπιπτέτω πάσης ἱερατικῆς ἐνεργείας τε καὶ τιμῆς· εἰ δὲ μονάζων ἢ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω πάσης ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας καὶ συντάξεως μέχρις ἂν ἐπιστρέψας ἐν μετανοίᾳ δεχθῇ.

## ιʹ.

Τῆς παλαιᾶς τε καὶ καινῆς διαθήκης μίαν ψυχὴν λογικήν τε καὶ νοερὰν διδασκούσης ἔχειν τὸν ἄνθρωπον, καὶ πάντων τῶν θεηγόρων πατέρων καὶ διδασκάλων τῆς ἐκκλησίας τὴν αὐτὴν δόξαν καταμπεδούντων, εἰσί τινες οἱ δύο ψυχὰς ἔχειν αὐτὸν δοξάζοντες καί τισιν ἀσυλλογίστοις ἐπιχειρήμασι τὴν ἰδίαν κρατύνοντες

A tiæ diſciplinas doceri perquam utile eſt: ſed hoc ut ab indignis fiat, non decet. Quapropter a damnatis, & ab eccleſia anathemate reſectis, ſacras imagines in templis nequaquam pingendas, nec literas ab eiſdem quocumque in loco, quoad ab errore ſuo reſipuerint, tradendas eſſe ſancimus. Quicumque igitur poſt hoc decretum noſtrum, hujuſcemodi ad ſacrarum imaginum in eccleſia pingendarum operam, literaſque docendas, quocumque modo admiſerit, ſi clericus ſit, gradu ſuo B periclitetur: ſi laicus, a cœtu fidelium excluſus, ſacræ communionis myſteriis privetur.

## VIII.

Fama ad nos perlatum eſt, non hæreticos tantum & ſacrilegos, qui eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſedem occuparunt, ſed orthodoxos etiam patriarchas ad ſui defenſionem chirographa exigere. Cenſuit ergo ſacra & œcumenica ſynodus, id de cetero non faciendum; excepto eo, quod pro more & forma conſueta ad fidei noſtræ integritatem declarandam exigitur, cum epiſcopi C conſecrantur. Hanc igitur ſanctionem noſtram quicumque violare tentarit, honore exuatur.

## IX.

Cum ſacra ſcriptura aperte clamet, ante cauſæ cognitionem, neminem vituperandum; ſancta & œcumenica ſynodus recte utiliterque ſtatuit, uti ne quis monachus, laicuſve, aut quicumque clericus ante accuratam cauſæ diſquiſitionem & ſynodicam D ſententiam, ſeſe a communione ſui patriarchæ ſejungat, etiamſi crimina ejus ſe noſſe prætexat. Eodemque modo epiſcopi & presbyteri aliis in urbibus & locis erga ſuos metropolitas ſint affecti, quemadmodum & metropolitæ erga ſuum patriarcham. Quod ſi quis ſynodo contraria feciſſe repertus fuerit, epiſcopus, itemque clericus omni dignitate & functione ſacerdotii privetur: monachus aut laicus ab eccleſiaſtica communione & collegio arceatur, quoad converſus per pœnitentiam recipiatur. E

## X.

Cum vetus novaque lex teſtamenti doceat, unicam homini, eamque ratione & intelligentia pollentem, eſſe animam; eamdemque ſententiam deiloquorum omnium patrum & doctorum eccleſiæ doctrina confirmet; ſunt tamen qui duas homini eſſe animas aſſerant, & quibuſdam vitioſis ratiocinatiunculis ſuam hæreſim ſtabiliant.

Ita-

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.

Iraque ſancta hæc & œcumenica ſynodus hujus impietatis conditores cum tota ſecta ſua magna voce anathematizat. Qui vero poſthac contraria dicere auſus fuerit, anathema eſto.

XI.

Qui a divina gratia ad munus epiſcopi evocantur, eos, ut qui imaginem & figuram ſanctorum cæleſtium hierarcharum gerant, ab omnibus ſive principibus, ſive ſubjectis, omni veneratione colendos ſancimus; nolumuſque eos aut ducibus bellicis, aut aliis dynaſtis longius a ſuis eccleſiis obviam procedere, nec ex equis aut mulis venerationis cauſa ſupplices, & metu timoreque abjectos deſcendere, procumbere, ac adorare. Si quis vero epiſcopus poſt editum hoc ſanctæ ſynodi decretum, debitum ſibi honorem neglexerit, aut contra ſanctionem hanc quidquam fecerit, fierive permiſerit, per annum ſeparetur; princeps autem ille, ſeu dux per biennium a ſanctiſſimis ſacramentis arceatur.

XII.

Perlatum eſt ad nos, non poſſe ſine principum præſentia concilium agi. Atqui nuſquam ſacri canones ſanciunt, ut ad ſynodos ſæculares principes cogantur, ſed ſoli dumtaxat epiſcopi. Quare nec alias reperimus eos aliis, niſi œcumenicis conciliis interfuiſſe. Neque enim fas eſt, ut ſæculares principes rerum quæ Dei ſacerdotibus contingunt, ſpectatores fiant.

XIII.

Si quis tanta efferatus audacia, quemadmodum Photius & Dioſcorus, ſive ſcripto, ſive ſine ſcripto inſanias quaſdam contra cathedram coryphæi apoſtolorum Petri audeat jactare, eamdem atque illi ſententiam damnationis ſubeat. Si qua vero œcumenica ſynodo collecta, de Romana etiam eccleſia controverſia extiterit, licebit cum decenti reverentia de propoſita quæſtione venerantcr percontari, reſponſumque admittere, & ſive juvari, ſive juvare; non tamen impudenter contra ſenioris Romæ pontifices ſententiam dicere.

XIV.

Sancimus ut deſignati ad ſuperhumerale geſtanda epiſcopi certis ſtatiſque temporibus, temporibus illis ea & locis geſtent, nec hujuſmodi cultu per faſtum & ſuperbiam abutantur, aut quovis tempore divini ſacrificii, & quacumque eccleſiaſtica

A αἱρέσεως· ἡ τοίνυν ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ αὕτη σύνοδος τοὺς τῆς τοιαύτης ἀσεβείας γεννήτορας, καὶ τοὺς ὁμοφρονοῦντας αὐτοῖς ἀναθεματίζει μεγαλοφώνως. εἰ δέ τις τὰ ἐναντία τοῦ λοιποῦ τολμήσει λέγειν, ἀνάθεμα ἔστω.

ANNO CHRISTI 869.

ια΄.

Τοὺς ὑπὸ τῆς θείας χάριτος εἰς τὴν ἐπισκοπικὴν προκληθέντας διακονίαν, ὡς εἰκόνα καὶ τύπον φέροντας τῶν ἁγίων καὶ οὐρανίων ἱεραρχῶν, πάσης τιμῆς ἀξιοῦσθαι παρὰ πάντων τῶν ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων θεσπίζομεν, καὶ μηδαμῶς ἢ στρατηγοῖς, ἢ τισιν ἄλλοις B ἄρχουσι προϋπαντᾶν πόῤῥωθεν τῶν ἰδίων ἐκκλησιῶν, μήτε τῶν ἵππων ἢ ἡμιόνων ἑαυτοὺς ἀποῤῥιπτοῦντας, σὺν φόβῳ καὶ τρόμῳ προσπίπτειν καὶ προσκυνεῖν. εἰ δέ τις ἐπίσκοπος μετὰ τὸν ὅρον τῆς ἁγίας συνόδου τῆς ὀφειλομένης αὐτῷ καταφρονήσοι τιμῆς, καὶ καταδέξοιτό τι ποιῆσαι παρὰ τὰ νῦν ὡρισμένα, ἀφοριζέσθω ἐπὶ ἐνιαυτὸν ἕνα· καὶ ὁ ἄρχων ἐκεῖνος ἐπὶ δύο ἔτεσι μὴ καταξιωθῇ τῆς μεταλήψεως τῶν ἁγιασμάτων.

ιβ΄.

C Ἦλθεν εἰς τὰς ἡμῶν ἀκοὰς, τὸ μὴ δύνασθαι ἄνευ ἀρχοντικῆς παρουσίας σύνοδον γενέσθαι· οὐδαμοῦ δὲ οἱ θεῖοι κανόνες συνέρχεσθαι κοσμικοὺς ἄρχοντας ἐν ταῖς συνόδοις νομοθετοῦσιν, ἀλλὰ μόνους τοὺς ἐπισκόπους. ὅθεν, οὐδὲ πλὴν τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, τὴν παρουσίαν αὐτῶν γεγενημένην εὑρίσκομεν. οὐδὲ γὰρ θεμιτόν ἐστι γίνεσθαι θεατὰς τοὺς κοσμικοὺς ἄρχοντας τῶν τοῖς ἱερεῦσι τοῦ Θεοῦ συμβαινόντων πραγμάτων.

ιγ΄.

D Εἴ τις τοσαύτῃ τόλμῃ χρήσαιτο, ὥστε κατὰ τὸν Φώτιον καὶ Διόσκορον, ἐγγράφως ἢ ἀγράφως παροινίας τινὰς κατὰ τῆς καθέδρας Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων κινεῖν, τὴν αὐτὴν ἐκείνοις δεχέσθω κατάκρισιν. εἰ δὲ συγκροτηθείσης συνόδου οἰκουμενικῆς γένηταί τις καὶ περὶ τῆς ἐκκλησίας τῶν Ῥωμαίων ἀμφιβολία, ἔξεστιν εὐλαβῶς καὶ κατὰ τῆς προσηκούσης αἰδοῦς διαπυνθάνεσθαι περὶ τοῦ προκειμένου ζητήματος, καὶ δέχεσθαι τὴν λύσιν, καὶ ἢ ὠφελεῖσθαι, ἢ ὠφελεῖν· μὴ μέντοι θρασέως ἀποφέρεσθαι κατὰ τῶν τῆς πρεσβυτέρας E Ῥώμης ἱεραρχῶν.

ιδ΄.

Θεσπίζομεν τοὺς ὁρισθέντας ὠμοφορεῖν ἐπισκόπους ἐπί τισι καιροῖς ἀποκεκληρωμένοις, ἐν τοῖς τοιούτοις περιβεβλῆσθαι ταῦτα καιροῖς καὶ τόποις, καὶ μὴ κατακεχρῆσθαι τῇ τοιαύτῃ καταστολῇ διὰ τῦφον καὶ κενοδοξίαν, καὶ ἐν παντὶ τῷ καιρῷ τῆς θείας μυσταγωγίας, καὶ πάσης ἄλλης



ANNO CHRISTI 870.

ἐκκλησιαστικῆς λειτουργίας ταῦτα φορεῖν. ἀλλὰ καὶ τοὺς μετιόντας εὐλαβῶς τὸν μονήρη βίον, καὶ τῆς ἐπισκοπικῆς ἀξιωθέντας τιμῆς, φυλάττειν τὸ σχῆμα καὶ τὴν στολὴν τῶν μοναχικῶν ἀμφιασμάτων ὁρίζομεν, καὶ μηδένα τολμᾷν ἀπαμφιέννυσθαι τὸ εἰρημένον σχῆμα διὰ τῦφον καὶ ἀλαζονικὴν γνώμην, κἀντεῦθεν εὑρίσκεσθαι παραβάτην τῶν ἑαυτοῦ συνθηκῶν. εἰ τις οὖν ἐπίσκοπος παρὰ τοὺς ὡρισμένους αὐτῷ ἐγγράφους ἢ ἀγράφους καιροὺς περιβάλλοιτο τὸ ὠμόφορον, ἢ τῶν μοναχικῶν ἀμφιασμάτων ἀποβάλλοι τὸ σχῆμα, ἢ διορθούσθω, ἢ καθαιρείσθω.

B Μετὰ τὴν τῶν εἰρημένων κανόνων ἀνάγνωσιν, ἀνεγνώσθη ὁ ὅρος τῆς αὐτῆς οἰκουμενικῆς ὀγδόης συνόδου, περιέχων τὸ σύμβολον τῆς πίστεως, καὶ ὁμολογίαν τοῦ στέργειν τὰς προλαβούσας οἰκουμενικὰς ἑπτὰ συνόδους, καὶ ἀναθεματίζειν οὓς κἀκεῖναι ἀνεθεμάτισαν. καὶ ὅτι ὁ βασιλεὺς Βασίλειος τὴν ὀγδόην ταύτην συνήθροισε σύνοδον, καὶ ὅπως ὁ Φώτιος καθῃρέθη τε καὶ ἀνεθεματίσθη, καὶ οἱ τούτου ὁμόφρονες, καὶ ὁ πατριάρχης ἀποκατέστη Ἰγνάτιος. ἐν τῷ μεταξὺ δὲ τοῦ ὅρου καὶ τὰ περὶ τῶν ἁγίων εἰκόνων ἐντέτακται.

Τούτου δὲ ἀναγνωσθέντος, ἡ ἁγία σύνοδος ἐξεβόησε· πάντες οὕτω φρονοῦμεν· πάντες οὕτω δοξάζομεν· C πάντες συμφρονοῦντες προθύμως ὑπογράφομεν. μετὰ τοῦτο γέγονεν ἡ συνήθης τῶν βασιλέων εὐφημία, καὶ τῶν πατριαρχῶν.

Εἶτα ἀνεγνώσθη προσφωνηματικὸν τοῦ βασιλέως, περιέχον κατ' ἀρχὰς ἐγκώμιον τῶν εἰς τὴν σύνοδον ταύτην συνελθόντων ἐπισκόπων, εἶτα λέγον οὕτω ῥητῶς· δίκαιον δὲ καὶ τοῦτο ὑπειλήφαμεν εἰς ἐπήκοον πάντων τρανῶς ἐξειπεῖν.

Εἴ τις ἔχει τι κατὰ τῆς ἁγίας ταύτης καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου λέγειν, ἢ τῶν ταύτης κανόνων τε καὶ ὅρων, στήτω εἰς μέσον, καὶ τὰ δοκοῦντα εἰπάτω, κἂν ἱερωμένος εἴη, κἂν λαϊκός. ἐπεὶ λυομένης τῆς ἁγίας ταύτης καὶ οἰκουμενικῆς ὀγδόης συνόδου, ὁ φωραθησόμενος D τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ ἐναντιοῦσθαι, ὅστις ἂν εἴη, συγγνώμην παρὰ τῆς βασιλείας ἡμῶν οὐχ εὑρήσει, ἀλλ' ἐνδίκως κατακριθήσεται, καὶ τῆς πόλεως ἡμῶν ἀπελαθήσεται.

Ὑμεῖς δὲ, ὦ φιλάρετοι καὶ θεοφιλεῖς Ἀρχιερεῖς, νουθετεῖν ἕκαστος τὸ ἴδιον ποίμνιον, καὶ πρὸς σωτηρίαν ὁδηγεῖν μὴ κατοκνήσατε, καθ' ἑκάστην κυριακὴν ὁδηγοῦντες αὐτοῖς τὰ σωτήρια. ἀλλὰ καὶ οἱ ἐν κλήρῳ κατειλεγμένοι τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, τὴν αὐτὴν φυλάξατε κατάστασιν, καὶ πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν, ἐν μηδενὶ παρὰ τὰ δεδογμένα ταύτῃ τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ φρονοῦντες· ἐπεὶ E καὶ αὐτοὶ ἐπὶ πᾶσι παρείσασθε, καὶ συναινοῦντες εὑρέθητε.

Λαϊκῷ δὲ οἱῳδήποτε κατ' οὐδένα τρόπον ἐξεῖναι λέγω περὶ ἐκκλησιαστικῶν ὑποθέσεων λόγον ἀνακινεῖν, ἢ ἀνθίστασθαι ὁλοκλήρῳ ἐκκλησίᾳ, ἢ οἰκουμενικῇ συνόδῳ. ταῦτα γὰρ ἀνιχνεύειν τε καὶ ζητεῖν, πατριαρχῶν ἔργον ἐστὶ, καὶ ἱερέων, καὶ διδασκάλων, οἷς τὸ λύειν τε καὶ δεσμεῖν δέδοται ἐκ Θεοῦ. ὁ γὰρ λαϊκὸς κἂν πάσης ἐστὶν εὐλαβείας καὶ σοφίας μεστὸς,

A functione ferant. Eos etiam qui vitam ſolitariam religioſe ſunt ſectati, & ad epiſcopatus honorem ſunt evecti, ut religioſam veſtem ſuam habitumque monaſticum ſervent, ſtatuimus; nulluſque per faſtum animique jactantiam hujuſcemodi habitum exuere audeat, ne ſuas inde, quas ipſe ſibi præſcripſit, leges violet. Quod ſi quis epiſcopus præter deſignata ſibi ſeu ſcripto, ſeu ſine ſcripto tempora omophoron tulerit, aut monaſticam veſtem abjecerit, vel corrigatur, vel deponatur.

ACTIO X. CONC. VIII. GENER.

Poſt lectos hoſce canones, lecta eſt ejuſdem octavæ & œcumenicæ ſynodi definitio, quæ ſymbolum fidei, profeſſionemque de ſeptem prioribus ſynodis, & anathemata eorum, quos illæ ſynodi damnarunt, complectitur: a Baſilio præterea imperatore octavum hoc concilium coactum, Photiumque & Photianos in eo depoſitos, & anathemati ſubjectos; Ignatium vero patriarcham reſtitutum: inter quas ſanctiones etiam de ſacris imaginibus eſt decretum.

Quibus lectis exclamavit ſancta ſynodus: Omnes ita ſentimus: omnes ita cenſemus: omnes conſentientes libenter ſubſcribimus. Tum conſueta ad imperatores & patriarchas facta acclamatio.

Deinde lecta eſt allocutio imperatoris, quæ ipſo procemio epiſcoporum qui convenerant ad ſynodum, continebat laudes. Poſtea hæc ad verbum ſunt recitata: Par autem eſſe exiſtimavimus, uti & hoc publice clareque apud omnes pronuntiaretur.

Quicumque contra hanc ſanctam & œcumenicam ſynodum habet quod dicat, aut contra ejus canones ac decreta, prodeat in medium, & quæ ſentit, aperiat, ſive clericus ſit, ſive laicus. Nam hac ſancta & œcumenica, quæ octava eſt, ſynodo ſoluta, quicumque illam poſtea oppugnaverit, nullam ab imperio noſtro veniam conſequetur, ſed jure damnabitur, & ex urbe noſtra pelletur.

Vos autem virtute atque in Deum caritate præſtantes antiſtites, ſinguli gregem ſuum hortari, atque ad ſalutis portum deducere, omnibuſque dominicis ſalutaria tradere documenta ne deſiſtite. Sed & qui in clericorum claſſem admiſſi eſtis, date operam, ut eccleſiæ ſtatum & mutuam inter vos pacem ne perturbetis, nihilque contra hanc ſanctam ſynodum ſentiatis, quando voſipſi jam præſentes omnia comprobaſtis.

Laico vero cuicumque nulla ratione de eccleſiaſticis cauſis diſputandi, aut univerſam eccleſiam, œcumenicamque ſynodum oppugnandi fas eſſe dico. Hæc enim excutiendi, & in utramque partem agitandi, patriarcharum, ſacerdotum, & doctorum eſt officium, quibus a Deo ſolvendi & ligandi poteſtas eſt conceſſa. Nam laicus etſi omni pietatis & ſapientiæ laude præſtet,

tamen

ACTIO X. CONC. VIII. GENERAL.

tamen laicus & ovis, non paſtor. Epiſcopus autem, quamvis omni religionis virtute deſtitutus oſtendatur, tamen paſtor eſt, quamdiu in pontificatus munere verſatur; nec oportet, ut oves paſtori repugnent.

Ad hæc ſancta ſynodus dixit: Placent quæ lecta ſunt univerſis: omnia nobis probantur: omnes libenter ſubſcribimus.

Legati veteris Romæ dixerunt: Poſtquam divina providentia totius eccleſiæ ſtatus & res compoſitæ ſunt, oportet ut hæc noſtra manu ſubſcribendo confirmemus.

B Subſcribant ergo primo loco Chriſti amantes imperatores.

Imperator Baſilius dixit: Noſtra ſerenitas imitata majores noſtros, Conſtantinum Magnum, Theodoſium, Marcianum, & ceteros, vult illa quidem poſt omnes epiſcopos ſubſcribere. Sed quoniam nos veſtra ſanctitas tali honore dignatur, ſecundum omnes demum ſanctiſſimos vicarios ſubſcribemus.

Subſcripſit ergo Donatus epiſcopus Oſtienſis quinque exemplaribus: deinde ceteri legati & vicarii patriarcharum, Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, Hieroſolymorum, & Ignatius Conſtantinopolitanus.

C Secundum hos Baſilius, Conſtantinus, Leo, imperatores: qui, cum manu ſua quinque libris venerandæ crucis ſignum impreſſiſſent, ſuaque nomina ſubſcripſiſſent, quod reliquum erat Chriſtophorus protoaſecretis & præfectus Canicl̄ii ſubſcripſit. Deinceps ordine omnes epiſcopi, pro ſuo quiſque gradu & dignitate, quinque libris (ſeu exemplaribus) ſynodi ſubſcripſerunt. Deinde interrogati magiſtri & patricii, quid de ſynodo ſentirent; pro ſe quiſque dixit: Quæcumque a Photio contra ſanctiſſimum patriarcham noſtrum Ignatium, & beatiſſimum papam

D Nicolaum facta ſunt, anathematizo, ſanctamque hanc & œcumenicam ſynodum recipio. Quas ſingulorum profeſſiones notarii exceperunt, publiceque poſtea ſunt recitatæ. Itaque demum more ſolito imperatoribus fauſte acclamatum.

A ἀλλὰ λαϊκὸς καὶ πρόβατον, οὐ ποιμήν. ὁ δὲ Ἀρχιερεὺς κἂν πᾶσαν ἐπιδείκνυται ἀβελάβειαν, ἀλλὰ ποιμήν ἐστιν, ἕως ἂν ἐν Ἀρχιερᾶσι πλῇ· καὶ οὐ χρὴ κατεξανίστασθαι τῶν ποιμένων τὰ πρόβατα.

Ἐπὶ τούτοις ἡ ἁγία σύνοδος εἶπε· πᾶσιν ἀρέσκει τὰ ἀναγνωσθέντα· πάντες αὐτοῖς συμφωνοῦμεν· πάντες ἀσμένως ὑπογράφομεν.

Οἱ τοποτηρηταὶ τῆς Ῥώμης εἶπον· ἐπεὶ τοῦ Θεοῦ προνοίᾳ εἰς αἴσιον πέρας ἅπαντα τὰ τῆς ἐκκλησίας κατηύθυνται πράγματα, χρὴ ἡμᾶς καὶ οἰκείᾳ χειρὶ ταῦτα βεβαιῶσαι.

B Καὶ ὑπογραψάτωσαν πρότερον οἱ φιλόχριστοι βασιλεῖς.

Ὁ βασιλεὺς Βασίλειος εἶπεν· ἡ γαληνότης ἡμῶν ἐξακολουθοῦσα τοῖς προγενεστέροις βασιλεῦσι, Κωνσταντίνῳ τῷ μεγάλῳ, Θεοδοσίῳ, Μαρκιανῷ, καὶ τοῖς λοιποῖς, βούλεται ὑπογράψαι μετὰ τὴν ὑπογραφὴν πάντων τῶν ἐπισκόπων. ἀλλ᾽ ἐπεὶ ἀξιοῖ προτιμηθῆναι ἡμᾶς ἡ ὁσιότης ὑμῶν, ὑπογράψομεν μετὰ τὴν ὑπογραφὴν πάντων τῶν ἁγιωτάτων τοποτηρητῶν.

Μετὰ τοῦτο λαβὼν Δονάτος ἐπίσκοπος Ὀστίας, ὑπέγραψεν ἐν τοῖς πέντε βιβλίοις· καὶ καθεξῆς οἱ λοιποὶ τοποτηρηταὶ τῶν πατριαρχικῶν θρόνων, Ῥώ-

C μης, Ἀλεξανδρείας, Ἀντιοχείας, καὶ Ἱεροσολύμων, καὶ Ἰγνάτιος Κωνσταντινουπόλεως.

Καὶ μετὰ τούτους οἱ βασιλεῖς, Βασίλειος, Κωνσταντῖνος καὶ Λέων, πηξάντων μὲν ἰδιοχείρως ἐν τοῖς πέντε βιβλίοις τοῦ τιμίου σταυροῦ τὸν τύπον τῶν βασιλέων, καὶ γεγραφότων τῆς οἰκείας ὀνομασίας· τὸ δὲ τῆς γραφῆς ὑπόλοιπον γεγραφότος Χριστοφόρου πρωτασηκρῆτις καὶ ἐπὶ τοῦ Κανικλείου. εἶτα καθεξῆς ὑπέγραψαν ἅπαντες οἱ ἐπίσκοποι κατὰ τὴν ἰδίαν ἀξίαν ἐν τοῖς πέντε βιβλίοις τῆς συνόδου. εἶτα ἠρωτήθησαν οἱ μάγιστροι καὶ οἱ πατρίκιοι πάντες, τί λογίζονται περὶ αὐτῆς. εἶπεν ἕκαστος ἰδίᾳ· πάντα τὰ γεγονότα παρὰ τοῦ Φωτίου κατὰ

D τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν πατριάρχου Ἰγνατίου, καὶ κατὰ τοῦ μακαριωτάτου πάπα Νικολάου, καὶ ἀναθεματίζω, καὶ τὴν ἁγίαν ταύτην καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον ἀποδέχομαι. ταύτας τὰς φωνὰς ἑκάστου ἀπεγράψαντο ταχυγράφοι, καὶ ἀνεγνώσθησαν εἰς ἐπήκοον πάντων, καὶ οὕτω γέγονεν ἡ συνήθης εὐφημία τῶν βασιλέων.

## CONCILII CONSTANTINOPOLIT. IV. APPENDIX, SEU PARS III.

## ΤΗΣ ΕΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΙ ΤΕΤΑΡΤΗΣ ΣΥΝΟΔΟΥ ΜΕΡΟΣ ΤΡΙΤΟΝ.

E

*Epiſtola encyclica ſive circularis ſanctæ & œcumenicæ ſynodi, in qua poſt exordium hæc de Photio exponuntur.*

PIetatis perſonam* ſimulans, virtutem autem ejus abnegans tenebricoſus Photius, multis & variis a prima ætate machinis veritatem oppugnavit; cum hoc omni ratione contenderet, ut ante juſtam ætatem rhabbi vocaretur, ſibique leviores quoſdam autographis & chirographis devinciret.

* Vanis & fictis cum ſequentibus Matthæus Raderus S. J. interpolatum Romanæ editiores.

Ἐπιστολὴ ἐγκύκλιος τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου· μετὰ τὸ προοίμιον διηγεῖται τὰ Φωτίου οὕτως.

ΠΡΟΣΧΗΜΑ εὐλαβείας περικείμενος καὶ ἔχειν, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένος ὁ κατ᾽ ἀντίφρασιν Φώτιος, πολλὰς μὲν καὶ ποικίλας ἐξ ἡλικίας αὐτοῦ κατὰ τῆς ἀληθείας ἐπετήδευσε μηχανὰς, τὸ καλεῖσθαι ῥαββὶ παρ᾽ ἡλικίαν παντὶ σθένει πραγματευόμενος, ἰδιογράφοις τε καὶ χειρογράφοις τοὺς κουφοτέρους συνδέων εἰς ἑαυτὸν



ANNO CHRISTI 870.

A οὐ γὰρ δὴ μόνος αὐτὸς οὐκ ἀπείχετο τῶν κακῶν, ἀλλὰ καὶ τοὺς θεοσεβεῖν βουλομένους πάσῃ μηχανῇ ἀλλοτριοῦν τῆς θεοσεβείας ἐσπούδαζε. διὸ καὶ παρεσκεύαζεν ἐξωθῆναι μὲν τὸν ἔννομον καὶ κανονικὸν ἀρχιερέα τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Ἰγνάτιον, αὐτὸν δὲ λῃστρικῶς εἰς τὸν ἐκείνου θρόνον ἀντεισαχθῆναι· καὶ κατὰ τῶν ἀντεχομένων τοῦ ἀληθῶς πατριάρχου τρικυμίας ἤγειρεν οὐκ ὀλίγας, τοὺς μὲν τῶν θρόνων ἐκδιώκων καὶ φυλακίζων, τοὺς δὲ λιμῷ καὶ μάστιξιν ἀναιρῶν. μετὰ τοῦτο δὲ καὶ κατὰ τοῦ μακαρίου πάπα Νικολάου ἐξώρμησεν. ἐπεὶ γὰρ κριτὴν ἐκεῖνον αὐτὸς ἐξελέξατο, καὶ τὰ συντείνοντα αὐτῷ εἰς δικαίωσιν, ὡς ᾤετο, καὶ κατακρίνοντα τὸν Ἰγνάτιον, ἐξαπέστειλε μετὰ ἀποκρισιαρίων οἰκείων. ὁ δὲ πάπας τὴν ἀλήθειαν ἐξακριβω-

B σάμενος, κατέκρινε μᾶλλον τὸν Φώτιον. τότε δὴ μᾶλλον ἐξεμάνη, καὶ κατ᾽ ἐκείνου τὴν γλῶσσαν παρέθηξεν, ἀγυρτώδεις τινὰς ἄνδρας ἀπὸ τῶν λεωφόρων συναγαγὼν, καὶ τοποτηρητὰς αὐτοὺς τῶν ἄλλων τριῶν θρόνων προσαγορεύσας, καὶ σὺν αὐτοῖς συνοδικὸν ἐξεικονίσας κριτήριον· καὶ παρεισήγαγε πρόσωπα κατηγόρων καὶ κατηγορουμένων, μαρτύρων, καὶ κριτῶν, καὶ βασιλέων, καὶ μεγιστάνων, καὶ μητροπολιτῶν, πάντα ψευδῆ καὶ πεπλασμένα συσκευάσας, καὶ οὕτω τῷ δοκεῖν καθαιρήσας καὶ ἀναθεματίσας Ἰγνάτιον. ἔτι γε μὴν καὶ ἀναθέματι καθυπέβαλε τὸν ἁγιώτατον πάπαν Νικόλαον, καὶ πάντας τοὺς κοινωνοῦντας

C αὐτῷ. ἀλλ᾽ ὁ τῶν γνώσεων κύριος τὰς φανερὰς αὐτοῦ κακοπραγίας ὁρῶν, ἐνεχείρισε τὴν βασιλικὴν ἀρχὴν Βασιλείῳ τῷ φερωνύμῳ δεσπότῃ. εὗρε γὰρ αὐτὸν ἄνδρα κατὰ τὴν καρδίαν αὐτοῦ. ὃς δὴ βασιλεὺς ἀκριβῶς εἰδὼς τὰ κακῶς εἰργασμένα, τοὺς λογάδας τῶν ἐπισκόπων συναγαγὼν, τούς τε καθηγουμένους τοῦ μοναχικοῦ τάγματος, καὶ μέν τοι καὶ προσέτι τοὺς ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυναστείᾳ, τὸν μὲν Φώτιον εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτῷ τόπον τῆς ἀτιμίας κατήγαγε, τὸν δὲ Ἰγνάτιον εἰς τὸν ἴδιον ἀποκατέστησε θρόνον, κατὰ τὴν συνοδικὴν κρίσιν τῆς ἁγιωτάτης τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας. εἰς προδηλοτέραν δὲ τῆς ἀλη-

D θείας πληροφορίαν, καὶ τοποτηρητὰς ἐξ ἁπάντων τῶν πατριαρχικῶν συνεκάλεσε θρόνων, καὶ πάντας τοὺς ὑπὸ τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνον ἀρχιερεῖς· οἳ χάριτι καὶ συνεργίᾳ Χριστοῦ τὴν μεγάλην ταύτην καὶ οἰκουμενικὴν συγκροτήσαντες σύνοδον, καὶ μετὰ ἐρεύνης καὶ δοκιμασίας τὰ πεπραγμένα ἐξετάσαντες, εὕρομεν, ὡς ἀδίκως καὶ παρὰ κανόνας ὁ πατριάρχης μὲν ἐξεβλήθη Ἰγνάτιος, καὶ ὁμοίως ἀντεισήχθη ὁ Φώτιος· καὶ τὸ ἀνάπαλιν, εὐλόγως, καὶ δικαίως, καὶ κανονικῶς, καὶ συνοδικῶς ἀπέλαβε μὲν Ἰγνάτιος τὸν ἴδιον θρόνον, ὁ δὲ Φώτιος ἀπηλάθη. ὃν καὶ πολλάκις προα-

E γαγοῦσα ἡ σύνοδος, καὶ παραινέσασα τὴν ἰδίαν ἐξομολογήσασθαι ἁμαρτίαν, ἐπεὶ μὴ ἐπείσθη, ἀπεκήρυξέ τε καὶ ἀνεθεμάτισε, καὶ πάσης καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς ἠλλοτρίωσεν ἐκκλησίας. συνεξελήλαται δὲ παρὰ τῆς ἁγίας ταύτης καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου καὶ Θεόδωρος τῆς Εἰκονομαχικῆς αἱρέσεως ἔξαρχος, ὁ ἐπιλεγόμενος Κρίθινος, καὶ τινὲς ἄλλοι τῶν ὁμοφρόνων αὐτοῦ. ἐξεθέμεθα δὲ καὶ κανόνας ὑπὲρ τῆς ἐκκλησιαστικῆς λυσιτελείας, καὶ τῆς οἰκουμενικῆς καταστάσεως. ταῦτα γοῦν πάντα διεγνωκότες ὑμεῖς ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, καὶ τέκνα τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας,

PAR. III. CAP. I.

A Non enim tantum ipſe a flagitiis non abſtinebat, ſed Dei etiam & pietatis cultores omni conatu a ſtudio religionis abſtrahebat. Hinc & operam dedit, ut legitimum & canonicum antiſtitem ſanctiſſimum patriarcham Ignatium eliminaret, ſeipſum autem latronum ritu per vim in ſolium ejus intruderet, atque contra veri patriarchæ defenſores crebras tempeſtates excitaret, dum alios e ſedibus ſuis ejectos in carceres compingeret, alios fame & verberibus e medio tolleret, ac demum in ipſum beatum papam Nicolaum impetum faceret. Etenim cum illum ipſe judicem delegiſſet,

B atque ad ſui juſtificationem, ut putabat, & Ignatii condemnationem ſcripſiſſet, legatos ad illum ſuos cum literis deſtinavit. Sed papa re diligenter inveſtigata, Photium potius ipſum condemnavit. Tum vero penitus in rabiem actus, linguam in ipſum Nicolaum exacuit. Collectis enim quibuſdam præſtigiatoribus ex triviis & compitis, illis trium aliorum patriarcharum perſonas impoſuit, ſynodicumque conciliabulum ſeu fabulam inſtar judicii effinxit; accuſatorum & reorum, judicum ac teſtium, imperatorum & optimatum, metropolitanorumque perſonas per ſummam fraudem

C & mendacium ſimulavit, & induxit: adeoque in ſpeciem Ignatium depoſuit, damnavit. Quin & ipſum ſanctiſſimum papam Nicolaum, omneſque cum illo communicantes anathemate perculit. Sed enim ſcientiarum dominus apertas illius nequitias intuitus, imperium Baſilio imperatori, qui nomen ab eodem imperii nomine accepit, commiſit. Invenit enim eum virum ſecundum cor ſuum. Qui imperator cum res perperam geſtas optime noſſet, evocatis egregiis epiſcopis & monachici ordinis præfectis, præſidibus inſuper & dynaſtis, juxta ſynodicum judicium ſanctiſſimæ Roma-

D næ eccleſiæ, Photium in locum & ordinem dedecoris illi debitum redegit, Ignatium vero throno ſuo reſtituit. Ad certiorem autem veritatis fidem faciendam, ex omnibus patriarcharum ſedibus legatos, omneſque Conſtantinopolitanæ ſedis epiſcopos evocavit. Qui Dei gratia & virtute Chriſti magnam hanc & œcumenicam ſynodum celebrantes, rebus geſtis accurate ac probe perpenſis, cognovimus patriarcham Ignatium contra jus faſque & ſanctos canones ejectum, Photium intruſum: rurſumque Ignatium rite & ſancte, legitimeque per ſynodum throno ſuo reſtitutum, Photiumque extermi-

E natum. Quem tamen ſancta ſynodus ſæpenumero ad culpæ confeſſionem hortata eſt. cui cum non pareret, ejectus eſt, & anathematizatus, atque a toto catholico & apoſtolico eccleſiæ cœtu ſejunctus; unaque cum illo ab hac ſancta & œcumenica ſynodo Theodorus Iconomachorum princeps, cognomento Crithinus, nonnullique præterea alii illius ſectatores. Canones quoque pro uſu communique ſtatu eccleſiæ univerſalis edidimus. Quibus cognitis, fratres dilecti, ſanctæque catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ filii,

qui-

PART. III. CAP. I.

quicumque vel qualeſcumque vel honore A vel conditione eſtis; Deum omni laude prædicandum laudibus concelebrate, qui timentes ſe defendit, & liberat eos qui ſperaverunt in eo. Neque audeat quiſquam eorum qui Chriſtiano nomine cenſentur, ſive præſint, ſive ſubſint, contra ea quæ magna hæc & œcumenica ſynodus decrevit, aliquid efficere vel conari. Quicumque enim voluerit januam, quam ſancta hæc & œcumenica ſynodus clauſit, aperire; aut claudere tentaverit, quam illa aperuit, in Deum ipſum impius pugnabit. Sed faxit Deus, ut omnes qui invocant nomen domini noſtri Jeſu Chriſti, ipſius caritate uniti, in æquitate veritatis B conſerventur in ipſo Chriſto Deo noſtro, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

*Domino evangelico, ſanctiſſimo pontifici maximo & œcumenico papæ Hadriano, ſancta & œcumenica ſynodus Conſtantinopoli celebrata, in domino ſalutem.*

OPportunum eſt cum ſapientiſſimo Salomone nunc & nos clamare: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam.* (Prov. 1.) Sanctiſſimi enim ſanctitatis veſtræ legati, cæleſti ſapientia pleni, in divinarum literarum plateis liberam vocem dederunt, & æquitatem divinæ juſtitiæ aperte C annuntiaverunt, & operarios inſipientiæ & nequitiæ æmulatores, veritatis argumentis convictos, reos eſſe demonſtrarunt. Quæcumque enim beatus ille vir Dei, papa Nicolaus decrevit, & tua ſumme coryphæa paternitas per ſynodum confirmavit, (Ep. 113.) illa in hac ſynodo promulgarunt, & executi ſunt. Sed benedictus Deus, qui non dedit nos in manus odientium nos, ſed liberavit animas noſtras, ut paſſerem de laqueo venantium, per preces nempe & hortamenta veſtra. De infelici quidem Photio & Photianis propheticum illud dicendum: (Oſe. 14. Tal. 16.) *Viæ domini rectæ, & juſti ambulabunt in eis: impii autem infirmabuntur & offendent.* D Ecquis enim Chriſti amantis & ſereniſſimi imperatoris noſtri ſtudium, quod in tuenda veritate oſtendit, & in refutandis mendaciis conſtantiam explicando poſſit aſſequi? Qui pietatis cultu & virtutum laude omnes retro imperatores ſuperavit, uti nos præclare factorum illius exemplis potius quam noſtris virtutibus niteremur. Quem ſupremus omnium imperator Deus ut voluit hoc honore dignari, ut veſtra prudentia, opera, judicio, ſynodiciſque conſtitutionibus hanc magnam & œcumenicam ſynodum celebraret, atque ad finem opus tam illuſtre perduceret; ſic ad multa E annorum curricula, triumphatis undique barbaris, ſalvum velit, incolumemque cuſtodiat. Vos autem conventum omnium noſtrum, & conſonantiam hujus ſynodi benevole recipite, & precibus apud Deum veſtris confirmate.

Deinde perſcripta eſt epiſtola Baſilii, Conſtantini & Leonis imperatorum, incertum ad quem, quæ & omiſſa eſt. Tum literæ Hadriani papæ ad patriarcham Ignatium extant, quæ præter alia hæc continebant. [illegible]

A οἵτινες ἄρα καὶ ὁποῖοι τὴν ἀξίαν ἢ τὸν τρόπον ἐστὲ, τὸν ὑμνητὸν Θεὸν ἀνυμνήσατε, τὸν ὑπερασπιστὴν τῶν φοβουμένων αὐτὸν, καὶ λυτρωτὴν τῶν ἐπ' αὐτὸν ἠλπικότων. καὶ μηδαμῶς τολμήσῃ τις τῶν τῆς Χριστιανῆς προσηγορίας ἠξιωμένων, καὶ ἢ ποιμαίνειν λαχόντων, ἢ ποιμαίνεσθαι, ἐναντίον τι διαπράξασθαι τῆς μεγάλης ταύτης καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου. ὁ γὰρ βουληθεὶς διανοῖξαι τὴν θύραν, ἣν ἡ ἁγία αὕτη καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἔκλεισεν, ἢ κλεῖσαι πειραθείη ἣν ἤνοιξεν, ἀντίθεος καὶ θεομάχων εὑρεθήσεται. ἀλλὰ γένοιτο πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῇ αὐτοῦ ἀγάπῃ συνεχομένους, ἐν τῇ εὐθύτητι διατηρεῖσθαι τῆς ἀληθείας ἐν B αὐτῷ Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNO CHRISTI 870.

Τῷ κυρίῳ ἰσαγγέλῳ, ἁγιωτάτῳ, μεγίστῳ ἀρχιερεῖ καὶ οἰκουμενικῷ πάπᾳ Ἀδριανῷ, ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει συγκροτηθεῖσα ἐν κυρίῳ χαίρειν.

ΕΥΚΑΙΡΟΝ ἐστὶ μετὰ τοῦ σοφωτάτου Σολομῶντος βοῆσαι καὶ νῦν· γὰρ ἡμᾶς σοφία· ἐν ἐξόδοις ὑμνεῖται, ἐν δὲ πλατείαις παῤῥησίαν ἄγει. οἱ γὰρ ἁγιώτατοι τοποτηρηταὶ τῆς ὑμετέρας ἁγιωσύνης, θείας σοφίας ὄντες ἀνάπλεοι, ἐπαῤῥησιάσθησαν ἐν ταῖς C πλατείαις τῶν θείων γραφῶν, διαῤῥήδην τὴν εὐθύτητα τῆς θείας δικαιοσύνης κατήγγειλαν, καὶ τοὺς τῆς ἀφροσύνης ἐργάτας καὶ ζηλωτὰς τῆς πονηρίας τοῖς ἐλέγχοις τῆς ἀληθείας ὑπευθύνους ἀπέδειξαν. ὅσα γὰρ ἐκεῖνος ὁ μακάριος ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ, ὁ πάπας Νικόλαος διώρισε, καὶ ἡ σὴ κορυφαιοτάτη πατρότης συνοδικῶς ἐπεκύρωσε, ταῦτα καὶ διηγγέλκασι καὶ πεπράχασιν. ἀλλ' εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, ὃς οὐκ ἔδωκεν ἡμᾶς εἰς χεῖρας τῶν μισούντων ἡμᾶς, ἀλλ' ἐῤῥύσατο τὰς ψυχὰς ἡμῶν, ὡς στρουθίον ἐκ παγίδος τῶν θηρευόντων, διὰ τῶν ὑμετέρων προσευχῶν τε καὶ παραινέσεων. περὶ μὲν τοῦ ταλαιπώρου Φωτίου καὶ τῶν συναπαχθέντων αὐτῷ, τὸ προφητικὸν ἐκεῖνο ῥητέον· D εὐθεῖαι αἱ ὁδοὶ τοῦ κυρίου, καὶ δίκαιοι πορεύσονται ἐν αὐταῖς· οἱ δὲ ἀσεβεῖς ἀσθενήσουσι καὶ προσκόψουσι. τίς γὰρ τοῦ φιλοχρίστου, καὶ γαληνοτάτου ἡμῶν βασιλέως διαστημᾶναι δυνήσεται τὴν σπουδὴν, ἣν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἐνεδείξατο, καὶ τὴν κατὰ τοῦ ψεύδους ἀνδρείαν; ὅς γε τῆς εὐσεβείας τοῖς ὅροις, καὶ ταῖς τῶν ἀρετῶν ἰδιότησι πάντας ὑπερῆρε τοὺς προβεβασιλευκότας· ὡς μᾶλλον ἡμᾶς τοῖς τρόποις αὐτοῦ τῶν κατορθωμάτων θαῤῥεῖν, ἢ τοῖς ἑαυτῶν κατορθώμασιν, ὃν ὁ παντοκράτωρ Θεὸς διὰ τῆς ὑμῶν συνέσεως, καὶ μεσιτείας, καὶ κρίσεως, καὶ συνοδικῆς ἐκθέσεως, E τοιαύτην μεγάλην καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον συγκροτῆσαι καταξιώσας, καὶ εἰς πέρας τοσοῦτον ἔργον ἀγαγεῖν, διαφυλάξαι ἐπὶ πολλαῖς ἐτῶν περιόδοις, καὶ ὑποτάξαι αὐτῷ τὰ ἔθνη τὰ βάρβαρα. ὑμεῖς δὲ ἀσμένως δέξασθε τὴν πάντων ἡμῶν συνέλευσιν, καὶ τῆς συνόδου ταύτης τὴν ὁμοφροσύνην, καὶ ἡμᾶς στηρίξατε ταῖς εὐχαῖς ὑμῶν.

Μετὰ ταῦτα γέγραπται ἐπιστολὴ τῶν βασιλέων Βασιλείου, Κωνσταντίνου καὶ Λέοντος, οὐ δηλοῦσα πρὸς τίνας· ἥτις καὶ παρεάθη. εἶτα ἐγράφη Ἀδριανοῦ πάπα πρὸς τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον ἐπιστολὴ, ἥτις μετὰ τῶν ἄλλων εἶχε καὶ ταῦτα.

Εγρα-



ANNO CHRISTI 870.

Ἔγραψας· ἵνα τὰ πολλὰ παρεάσωμεν· ὅπως οἱ A πρεσβύτεροι ἡμῶν ἐκ τῆς χώρας τῶν Βουλγάρων μετὰ ὀνειδισμοῦ μεγάλου καὶ αἰσχύνης ἐξωσθῶσι, καὶ οἱ ἐπίσκοποι οὐ μετὰ μικρᾶς ἐκεῖθεν ἀτιμίας ἀπελαθῶσι· καὶ ταῦτα μηδέποτε γεγονυίας περὶ τούτου κρίσεως ἐνώπιον ὑμῶν· οὐδὲ γὰρ προσεκλήθημέν ποτε εἰς κριτήριον διὰ τοῦτο. εἰ γοῦν λέγεις προτέρους ἡμᾶς τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν διοικήσεως εἰς τὴν προῤῥηθεῖσαν χώραν λειτουργεῖν ἀποκωλῦσαι, οὐκ ἀρνούμεθα. ἦσαν τοῦ Φωτίου κοινωνοὶ καὶ συμμύσται, οὓς οὐ μόνον εἰς τὴν Βουλγάρων χώραν, ἀλλὰ καὶ εἰς πᾶσαν ἐκκλησίαν ὡς ἱερεῖς ἐνεργεῖν ἐκωλύσαμεν, καὶ κωλύομεν. ἔδει B οὖν σε εἰδότα τοῦτο, μηδὲν εἰς τὴν τῶν Βουλγάρων τοιοῦτον διαπράξασθαι. ἐμάθομεν δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ ἐναντία τῶν πατρικῶν ὅρων ὑμᾶς διαπράττεσθαι, ἀλλὰ δὴ καὶ τοῦτο. τινὰς γὰρ νεωστὶ ἀπὸ τῶν λαϊκῶν ἄφνω διακόνους ἐχειροτονήσατε, ἐναντία μὲν καὶ τοῖς πάλαι πατράσι, ἀλλὰ δὴ καὶ τῇ προσφάτως συναθροισθείσῃ οἰκουμενικῇ συνόδῳ· οὐκ ἀγνοεῖτε δὲ, ὅτι ἡ τοῦ Φωτίου πτῶσις ἐντεῦθεν τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν.

Μετὰ ταῦτα εὑρέθη ἐπιστολὴ Μητροφάνους μητροπολίτου πρὸς Μανουὴλ πατρίκιον καὶ λογοθέτην τοῦ δρόμου, ἐρωτήσαντα· πῶς καθῃρέθη Φώτιος. ἐνταῦθα διήγησις τῶν κατὰ τὸν Φώτιον.

C Ἐπεὶ, μεγαλοπρεπέστατε, τῆς σῆς ἀγάπης οὐδὲν ἀντάξιον κρίνομεν, τούτου χάριν εἴξαντες τῇ προτροπῇ σου, τάδε φαμὲν, ὡς ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους ἄθεσμος καὶ ἀκανόνιστος εὑρίσκεται Φώτιος.

Πρῶτον μὲν, ὅτι λαϊκὸς ὢν, ἀποκήρυκτος ὑπῆρχεν· εἶτα διὰ τὰς παντοδαπὰς καὶ ποικίλας αὐτοῦ παροινίας, δι' ὧν ἀφ' ἑκάστου τῶν ἐπισκόπων καὶ τῶν ἐντελῶν ἰδιόχειρα ἔχειν ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ γέγονεν ἀποσχίστης. περὶ δὲ ἀποσχιστῶν ὅσα οἱ κανόνες λέγουσιν, ἐρεύνησον· ἐκ τοσούτων οὖν ἐκκλησιαστικῶν νόμων εὑρίσκεται προδήλως ἀφωρισμένος D καὶ ἀναθεματισμένος ὁ Φώτιος. καὶ οὕτως ἔχων, ἔτι ζῶντος Ἰγνατίου, ἐπέβη ὡς μοιχὸς τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, μὴ ὑπὸ τῶν ἐπισκόπων ψηφισθεὶς κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὴν τάξιν τῆς ἐκκλησίας, ἀλλ' ὑπὸ μόνου τοῦ παραδυναστεύοντος. διὸ τοῦτον ἀποκηρύττοντες πάντες οἱ ἐπίσκοποι, ψήφῳ κοινῇ ἑτέρους τρεῖς ἐψηφίσαντο, καὶ ἐπὶ πολλαῖς ἡμέραις ἔμενον τῇ οἰκείᾳ ψήφῳ· εἶτα ὑπεκλάπησαν κατὰ μικρὸν οἱ ὅλοι σχεδὸν, ἄνευ πέντε, ἐν οἷς ἤμην κἀγώ. καὶ ὡς εἴδομεν τὸ ἀγελαῖον πλῆθος τῶν ἐπισκόπων ὑποφθαρὲν, ᾠήθημεν δεῖν κἂν δι' ἰδιοχείρου ὁμολογίας τέκνον αὐτὸν ἀποφῆναι τῆς ἐν Χριστῷ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας, E καὶ τοῦ ταύτης ἀρχιερέως ἁγιωτάτου κοινωνὸν, ἵνα καὶ οὕτω πρὸς τὴν ἐκείνου διάταξιν μηδαμῶς εὑρεθῶμεν διαφωνήσαντες. ἦν γὰρ θεσπίσας, ἐκ τῆς ἐν Χριστῷ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας ψηφίσασθαι πατριάρχην. ἐνώπιον γοῦν ἡμῶν χειρογραφήσας ἔχειν ἐκεῖνον ἀκατααίτιατον πατριάρχην, καὶ μηκέτι λέγειν ποτὲ κατ' αὐτοῦ, ἢ τοὺς λέγοντας δέχεσθαι, ἐδέχθη παρ' ἡμῶν ἀκόντων διὰ τὴν τῶν κρατούντων βίαν ὁ Φώτιος. ὃς μετὰ βραχὺ καὶ τὸ ἴδιον ἀφείλετο χειρόγραφον, καὶ καθεῖλεν Ἰγνάτιον· ὁπότε καὶ παρὼν ὁ σύλλογος ἅπας τῶν



PART. III. CAP. II.

A Scripſiſti (ut alia multa mittamus) ut noſtri presbyteri (Conſtantinopolitani ſcilicet) juſſi ſint e regione Bulgarum cum gravi ignominia & dedecore expelli, ipſique illinc epiſcopi cum non mediocri contemptu exigi; & hoc nullo tanto de re judicio prius apud vos facto, cum in judicium ea de re nunquam vocati ſimus. Quod ſi dicas, prius a nobis Conſtantinopolitanæ diœceſeos presbyteros in ea regione ſacrificare prohibitos, haud inficias imus. Erant Photiani, illiuſque ſymmyſtæ, quibus non ſolum in Bulgarum provincia, ſed ubique gentium ſacerdotali munere interdiximus, interdicimuſque. B Quæ cum ſcires, nihil tibi in eo regno tentandum fuit. Intelleximus autem & alia multa a vobis contra patrum decreta fieri, inter quæ & hoc eſt; nuper quoſdam contra ſtatuta patrum priſcorum, & ſynodi œcumenicæ proxime celebratæ, ex laicis repente diaconos creatos, cum ſciatis Photii caſum inde originem traxiſſe.

Reperta quoque poſtea eſt epiſtola Metrophanis metropolitæ ad Manuelem patricium & logothetam dromi, qui rogaverat, quonam pacto exauctoratus eſſet Photius, ubi explicantur acta Photii.

Cum nihil amori tuo, magnificentiſſime vir, anteponendum judicemus, ea gratia C petitioni tuæ ſatisfacimus libenter, ac dicimus, Photium ab initio ad finem, impium ac nefarium, legibus & canonibus fuiſſe damnatum.

Nam primum quidem cum adhuc inter laicos ageret, ejectus erat: deinde propter varia & cujuſvis generis ſcelera, cum ab unoquoque epiſcopo & magiſtratibus exegerit chirographa, & ab eccleſia defecerit. De ſchiſmaticis porro, quæ leges eccleſiaſticæ ſanxerint, tute cogita. Tot igitur eccleſiaſticis legibus aperte proſcriptus, & anathemate inſuper damnatus eſt Photius. Qui cum in eo eſſet ſtatu, tamen ſuperſtite adhuc Ignatio, adulteri D more Conſtantinopolitanum ſolium invaſit, non ab epiſcopis per ſuffragia deſignatus, ex lege & ritu eccleſiæ, ſed ab uno dumtaxat (Barda) Cæſare intruſus. Quapropter omnes epiſcopi, communi ſententia illum rejicientes, tres alios deſignarunt, multiſque diebus in ea ſententia perſtiterunt: deinde ſenſim per fraudem pene omnes defecerunt, præter quinque, inter quos & ego numerabar. Atque ut animadvertimus rudiorem epiſcoporum gregem eſſe corruptum, illum ſaltem chirographo ſuo eccleſiæ in Chriſto noſtræ filium eſſe declarandum, & communioni ſanctiſſimi patriarchæ reddendum exiſtimavimus; ut hac E etiam ratione a patriarchæ decreto non videremur alieni, qui ſanxerat ut ex noſtra in Chriſto eccleſia eſſet, qui patriarcha conſtitueretur. Ergo cum præſentibus nobis ille chirographo ſuo conteſtatus eſſet, ſe Ignatium pro inculpato patriarcha habiturum, neque ſe quidquam contra illum dicturum, aut dici ab alio paſſurum; ab invitis nobis, cum per vim principum urgeremur, Photius eſt receptus. Qui paulo poſt & ſuum ipſius chirograhum abſtulit, & Ignatium depoſitione multavit. Quo tempore collectus totus

 epi-

PART. III. CAP. II.

A epiſcoporum ſedis Conſtantinopolitanæ conventus Photium anathematizavit, & a Patre & Filio & Spiritu ſancto depoſitum declaravit. Ita cum epiſcopi omnes adeo votis conſpirarent, ut ſeipſos quoque damnarent, ſi unquam Photium patriarcham confiterentur; & per quadraginta dies in æde ſanctæ Irenes ſynodum celebrarent: interim ille, Barda adjutore, in æde ſanctorum apoſtolorum conventum cogit, iterumque Ignatium abdicat, & anathemate ferit. Quo nos etiam tempore de ſuo illum ſcelere coram arguimus. Qua de cauſa per vim & latrocinium exauctorati ſumus, & in olenti teterrimoque carcere, una cum B Ignatio ferreis compedibus vincto, apud Numera multis ſane diebus afflicti: alii vero in prætorio cuſtodiebantur. Deinde educti, patriarcha Mitylenen in exilium, alii vero alio deportati ſumus. Poſt hæc e ſua factione quatuor metropolitas ſeniorem Romam ad beatiſſimum papam Nicolaum Photius legatos miſit, per quos ita ſuam cauſam expoſuit, ut ſibi expedierat ad damnandum Ignatium. Sed divinus ille pontifex, quamvis ex noſtra parte adeſſet nemo qui cauſam noſtram tueretur, quod nobis per adverſarios id facere non licuiſſet, tamen coacto occidentalium epiſcoporum concilio, ex illis ipſis Photii literis illum reprobavit & condemnavit, laicum nominan- C do. Quo etiam tempore, eorum precibus qui tum rerum potiebantur, Zachariam & Rhadoaldum epiſcopos miſit, qui ſtatum eccleſiæ Conſtantinopolitanæ coram præſentes intuerentur; ac primum quidem Photium gradu moverent, atque Ignatium patriarcham reducerent in patriarchatum. Ac ſi quis in illum accuſator prodiret, audiretur, papæque renuntiaretur. Sed legati poſteaquam Conſtantinopolim venerunt, literaſque imperatori & Photio reddiderunt, per octo menſes urgere atque inſtare non deſtiterunt, uti ſibi liceret legatione pro imperio pontificis perfungi. Prohibiti, ve- D ro, imo vero donis etiam illecti & corrupti, patriarcham Ignatium præter jus faſque omne exauctorarunt, Photiumque confirmarunt; Photio, quod non rite lectus eſſet Ignatius patriarcha, accuſationem inſtituente, quæ potius in ipſum quadrabat Photium, quippe qui per vim ſolam ac principum manum, præter mentem ſententiamque epiſcoporum intruſus eſſet. Illud vero de Ignatio ſine ſuffragiis creato penitus falſum erat & confictum. Legatos porro Romam reverſos ſanctiſſimus papa Nicolaus (cum diligenter inveſtigaſſet quæ contra mentem ſuam & mandata feciſſent,) exauctoravit: Photium quo- E que non parva coacta ſynodo damnavit, atque anathemati ſubjecit; quod non ſolum decretum ſuum ſynodicum, ac judicium, ad quod tamen ipſe ſponte accurrerat, violaſſet, ſed etiam legatos ſuos eluſiſſet. Photius tamen ita in perfidia ſua perſtitit. Qui cum intellexiſſet, legatos pontificis Romani in Bulgariam miſſos confirmationem ejus reprobaſſe, omneſque Bulgariæ principes & ſubjectos chriſmate iterum inunxiſſe; tum vero velut œſtro percitus œcumenicam ſynodum confinxit. Cui confictæ ſynodo, qui tum

A ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας Κωνσταντινουπόλεως ἀνεθεμάτισέ τε αὐτὸν, καὶ καθῃρημένον εἶναι ἀπεφήνατο ἀπὸ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. οὕτω τῶν ἐπισκόπων πάντων συμφωνησάντων, καὶ αὐτοὺς ἀναθεματισάντων, εἴ τις ποτὲ Φώτιον ὁμολογήσει πατριάρχην, καὶ τούτων ἐπὶ ἡμέρας τεσσαράκοντα συνειλεγμένων ἐν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ τῆς ἁγίας Εἰρήνης, ἐκεῖνος συνεργοῦντος τοῦ Βάρδα, σύνοδον ἐν τῷ τῶν Ἀποστόλων ναῷ συγκροτεῖ, καὶ πάλιν καθαιρεῖ τὸν Ἰγνάτιον, καὶ ἀναθεματίζει. ὁπότε καὶ ἡμεῖς τὴν παρανομίαν αὐτοῦ ἠλέγξαμεν κατὰ πρόσωπον, καὶ διὰ τοῦτο λῃστρικὴν καὶ παρανομωτάτην καθαίρεσιν πεπόνθαμεν, καὶ ἔμφρουροι ἐν τοῖς Νου- B μέροις γεγόναμεν ἐπὶ πολλαῖς ἡμέραις ἐν φυλακῇ δυσωδεστάτῃ· ἔτι γε μὴν καὶ ὁ πατριάρχης Ἰγνάτιος σιδηρόδετος σὺν ἡμῖν ἐφρουρεῖτο, καὶ ἄλλοι ἐν τῇ τοῦ πραιτωρίου φυλακῇ. εἶτα ἐξενεχθέντες ἐξωρίσθημεν, ὁ μὲν πατριάρχης εἰς Μιτυλήνην, οἱ δὲ λοιποὶ ἄλλος ἀλλαχοῦ. ἐπὶ τούτοις ὁ Φώτιος μονομερῶς ἀπέσταλκεν εἰς τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην πρὸς τὸν μακαριώτατον πάπαν Νικόλαον τέσσαρας μητροπολίτας, καὶ μεμήνυκεν αὐτῷ δι᾽ αὐτῶν τὰ συμφέροντα αὐτῷ πάντα πρὸς τὴν τοῦ Ἰγνατίου κατάκρισιν. ὁ δὲ θεοφόρος ἐκεῖνος ἀρχιερεὺς καί τοι μηδεμίαν παρὰ τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς μέρους ἀπολο- C γίαν δεξάμενος, διὰ τὸ μηδὲ συγχωρεῖσθαι ἡμᾶς παρὰ τῶν ἐναντίων, σύνοδον συγκροτήσας τῶν δυτικῶν ἐπισκόπων, ἐξ αὐτῶν ἐκείνων τῶν τοῦ Φωτίου γραμμάτων ἀπεδοκίμασεν αὐτὸν καὶ κατέκρινε, λαϊκὸν ὀνομάσας τοῦτον· ὁπότε καὶ κατὰ τὴν τῶν κρατούντων ἀξίωσιν τοὺς περὶ τὸν Ζαχαρίαν πέπομφε καὶ τὸν Ῥαδόαλδον ἐπισκόπους, ἐπισκεψομένους τὰ πράγματα τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας· καὶ πρῶτον μὲν κατάξαι τὸν Φώτιον, εἶτα δὲ τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον ἀποκαταστῆσαι· καὶ εἰ εὑρεθῇ τις ἐκείνου κατηγορῶν, ἀκοῦσαι τῶν λεγομένων, δηλῶσαι τῷ πάπᾳ. οἱ δὲ τὴν Κωνσταντινούπολιν καταλαβόντες, καὶ τὰς ἐπιστολὰς ἐπιδόντες τῷ βασιλεῖ καὶ τῷ Φωτίῳ, ἦ- D σαν ἐπὶ μῆνας ὀκτὼ ἐνιστάμενοι ποιῆσαι καθὼς παρηγγέλθησαν. μὴ παραχωρούμενοι δὲ, ἀλλ᾽ ἐπὶ πλέον καὶ ὑποκλαπέντες δώροις, καθῄρησαν μὲν ἀκρίτως καὶ παρανόμως τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον, ἐκύρωσαν δὲ τὸν Φώτιον, προχειρισαμένου Φωτίου τὴν τοῦ ἀψηφίστου κατηγορίαν, ἥτις μᾶλλον αὐτῷ ἥρμοζεν, ὡς ἐκ χειρὸς μόνης ἀρχοντικῆς ἀναβιβασθέντι παρὰ γνώμην τῶν ἀρχιερέων. ἐπὶ γὰρ Ἰγνατίου ψευδὲς ἦν τὸ ἀψήφιστον. τούτους δὲ τοὺς τοποτηρητὰς ἐπανελθόντας μετὰ ταῦτα εἰς Ῥώμην ὁ ἁγιώτατος πάπας Νικόλαος καθῄρησε, μαθὼν ἀκριβῶς ὅσα παρὰ γνώμην αὐτοῦ πεποιήκασιν· ἔτι γε μὴν καὶ τὸν Φώτιον ἀπεκήρυξε, συνόδου οὐκ ὀλίγην συναγα- E γὼν, καὶ ἀναθέματι καθυπέβαλεν, ἀνθ᾽ ὧν οὐ μόνον παρέβη τὴν ἐκείνου συνοδικὴν ψῆφον καὶ κρίσιν, ἣν αὐτὸς ἑκὼν ᾑρετίσατο, ἀλλὰ καὶ τοὺς τοποτηρητὰς αὐτοῦ πεφενάκικεν. ὡς δὲ ὁ Φώτιος καὶ ἔτι ἐπέμενε τῇ οἰκείᾳ κακίᾳ, ἔμαθε δὲ, ὅτι καὶ τοποτηρηταὶ τοῦ πάπα Ῥώμης εἰς Βουλγαρίαν ἀφικόμενοι ἀπεδοκίμασαν τὸ Φωτίου τὸ μύρον, καὶ πάντας ἄρχοντάς τε καὶ ἀρχομένους τῆς Βουλγάρων χώρας ἐξαπεμύρωσαν, οἰστρηλατηθεὶς οἰκουμενικὴν ἀνέπλασε σύνοδον, καὶ τοὺς τηνικάδε κρατοῦντας δύο



ANNO CHRISTI 870.

δύο βασιλεῖς, Μιχαὴλ δηλαδὴ καὶ Βασίλειον τὸν A ἡμέτερον, προκαθεσθέντας τῆς τῶν πεπλανημένων συνόδου, καὶ τοποτηρητὰς τῶν τριῶν ἀνατολικῶν θρόνων, καὶ πᾶσαν τῶν συγκλητικῶν τὴν πληθὺν, καὶ τοὺς τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπους, καὶ κατηγόρους παρέστησε, κατολοφυρομένους, καὶ τὰς κακοπραγίας δῆθεν τοῦ πάπα Νικολάου κηρύττοντας, καὶ κρίσιν συνοδικὴν ἐξαιτοῦντας· καὶ μάρτυρας προεβάλετο, βεβαιοῦντας τὰς κατηγορίας. καὶ αὐτὸς μὲν ἀπελογεῖτο, ὡς οὐ χρὴ κρίνεσθαι τὸν ἀπόντα, πλαττόμενος τὴν χρηστότητα ὑπὲρ τοῦ πάπα Νικολάου· λόγους δὲ τῶν παρακαθημένων ἀρχιερέων δῆθεν εἰσῆγεν, ὡς ἀντιλεγόντων αὐτῷ κατὰ τοῦ πάπα· ὑφ᾽ ὧν τάχα νι- B κηθεὶς, τὰς κατηγορίας προσήκατο, καὶ τὴν ἐξέτασιν ὑπεισῆλθε. καὶ τελευταῖον κατακρίνει τὸν πάπαν ἐπὶ μυρίοις ψευδέσιν ἐγκλήμασι, καὶ ἀναθεματίζει σὺν τοῖς κοινωνοῦσιν αὐτῷ, ὑπογραφὰς σχηματίσας πάντων τῶν συνειλεγμένων ἐκεῖσε, κατὰ τὴν ἰδίαν ὀνειροπόλησιν δηλαδὴ, καὶ τῶν δύο βασιλέων, καὶ τῶν τοποτηρητῶν τῶν τριῶν ἀνατολικῶν θρόνων, καὶ πάντων τῶν συγκλητικῶν, ἀλλὰ δὴ καὶ ἡγουμένων καὶ κληρικῶν. οὕτως οὖν πλαστογραφήσας ἰδιοχείρους πάντων ὑπογραφὰς, ἀνηγόρευσε καὶ ἀνευφήμισεν εἰς τὴν ἀναπλασθεῖσαν αὐτῷ σύνοδον βασιλέα τὸν Λοδόηχον, καὶ τὴν Ἰγγελβέργαν Αὐγοῦσταν· πρὸς ἣν καὶ γέγραφεν ἐπιστολὴν C εὐφημίας πεπληρωμένην, ὡς ἀξιωθεῖσαν ἀναρρήσεως ἐν οἰκουμενικῇ δῆθεν συνόδῳ τῇ Πουλχερίᾳ παραπλησίως, ὡς ᾤετο. καὶ κατηντιβόλει καὶ παρεσκεύαζε καταπεῖσαι τὸν ἴδιον σύζυγον Λοδόηχον, ἀπεῖρξαι τῆς Ῥώμης τὸν πάπαν Νικόλαον, ὡς ὑπὸ συνόδου καθῃρημένον οἰκουμενικῆς καὶ καθολικῆς, ἧς τὸ ἴσον καὶ πρὸς αὐτὴν ἐξαπέστειλε μετὰ δώρων. ἀλλ᾽ ὁ ζηλωτὴς Θεὸς προφθάσας, τῷ θεοφρουρήτῳ ἡμῶν αὐτοκράτορι Βασιλείῳ δέδωκε τὴν βασιλείαν, ὃς τὸ τοιοῦτον ἐγχείρημα κεκώλυκε, καὶ τὸ ἀποστελλόμενον ἴσον τῆς δῆθεν συνόδου ἐν τῷ χρυσοτρικλίνῳ ἐνώπιον πάντων προέθη- D κεν· ὃ καὶ ἰδόντες πάντες ἐξεπλάγησαν ἐκκλησιαστικοὶ καὶ πολιτικοὶ, καὶ τὸν Φώτιον ἀπεκήρυξαν. πάντες γὰρ διεβεβαιώσαντο μηδὲν εἰδέναι τῶν γεγραμμένων. τὸ τοιοῦτον ἴσον πρὸς τὸν πάπαν Ἀδριανὸν ἀπέστειλεν ὁ βασιλεὺς Βασίλειος· ὃ καὶ ἰδὼν ἐκεῖνος, μετὰ τῶν δυτικῶν ἐπισκόπων σύνοδον συγκροτεῖ, καὶ τίνα κατάκρισιν ἐπιθήσει Φωτίῳ, ἠρώτα, ὑπὲρ τῶν τοιούτων πλασμάτων, τῷ προφθάσαντι καθαιρεθῆναί τε καὶ ἀναθεματισθῆναι, τῶν δὲ συνειλεγμένων ἐπισκόπων καινότερόν τι ἐπιζητούντων, καὶ μὴ εὑρισκόντων, ἐπὶ τὸν πρότερον ἀναθεματισμὸν ἡ σκέψις κατήντησε· καὶ βεβαιοῦσι τοῦτον ἔτι, καὶ ὁρίζουσι μηδαμῶς ὀνομάζεσθαι Χριστιανὸν E τὸν Φώτιον. ἐπὶ τούτοις καὶ τοποτηρητὰς ἐξαπέστειλεν. ὁ βασιλεὺς δὲ Βασίλειος τούτους συνεκάλεσε προκαθεσθέντας ἐπὶ τῆς μεγαλωνύμου Σοφίας μετὰ τῶν ἄλλων τοποτηρητῶν τῶν τριῶν ἀνατολικῶν θρόνων· καὶ σύνοδον ἀληθῶς οἰκουμενικὴν ἐποίησαν, καὶ ὀγδόην ὠνόμασαν. ἥτις μετακαλουμένη τὸν Φώτιον καὶ τοὺς κατ᾽ αὐτὸν πολλάκις, ἐφ᾽ ᾧ ἀπολογήσασθαι εἴ τι ἔχωσιν, ὡς εἶδε μηδὲν λαλοῦντας, ἀπεκήρυξε τὸν Φώτιον, ὡς μηδὲ Χριστιανὸν καλεῖσθαι. τὸν οὖν οὕτως ὑπὸ πέντε συνόδων ἐπὶ εὐλόγοις αἰτίαις καὶ με-



PART. III. CAP. II.

A imperitabant, Michaelem & Baſilium noſtrum, præſides induxit: orientis etiam trium patriarchiorum vicarios, ac totum ſenatum palatinum, & Conſtantinopolitanæ ſedis epiſcopos; nec non accuſatores inſtituit, qui Nicolai papæ ſcelera videlicet exponerent & deplorarent, judiciumque ſynodi publicum implorarent: teſteſque adhibuit, qui accuſatorum calumnias confirmarent. Atque ipſe quidem fictæ erga papam pietate reſpondebat, non eſſe abſentem judicandum; interimque orationes contra papam aſſidentium ſibi antiſtitum, quaſi repugnantium ſibi inferebat: quibus ſcilicet victus accuſa- B tiones admiſerit, cauſamque cognoſcere cœperit. Itaque tandem ſexcentis obrutum falſis criminibus Nicolaum damnat, atque anathema in illum & communicantes cum illo conjicit, confictis omnium, qui per ejus ſcilicet ſomnia erant in conciliabulo, ſubſcriptionibus, imperatorum nempe duorum, & trium vicariorum orientis, totius ſenatus, & hegumenorum, & clericorum. Hunc ergo in modum compoſitis cunctorum ſubſcriptionibus, imperatorem Ludovicum & Ingelbertam in conficta ſynodo acclamavit Auguſtam, ad eamque literas laudum pleniſſimas dedit, quibus oſtendebat illam non C minus quam Pulcheriam, dignam fuiſſe, cujus, ut putabat, præconium in œcumenica videlicet ſynodo proclamaretur. Obſecrabat etiam & conabatur efficere, ut conjugi ſuo Ludovico auctor eſſet Nicolai papæ Romani, velut ab œcumenico & catholico concilio depoſiti, ab urbe pellendi: cujus concilii exemplum cum donis ad eamdem miſit. Sed enim Deus ille zelotes antevertit, atque imperium principi noſtro a Deo cuſtodito Baſilio commiſit, qui hujuſcemodi conatus impedivit, exemplarque ſynodi confictæ miſſum, in aureo triclinio omnibus ſpectandum propoſuit: quo viſo omnes illico D tum eccleſiaſtici, tum laici ſtupore perculſi Photium exploſerunt. Omnes enim affirmarunt, ſe nihil eorum ſcire quæ ſcripta eſſent. Exemplar illud Baſilius imperator ad Hadrianum papam miſit. Quod ille cum vidiſſet, ſynodum cum occidentis epiſcopis celebrat, & quam ſententiam pro hujuſmodi confictionibus ferant in eum, quærit, qui jam ante depoſitus eſſet, & anathemate percuſſus. Epiſcopi qui convenerant, quid novi in eum decernerent, nec reperirent, ad priora anathemata redierunt, eademque iterato confirmarunt; inſuperque adjecerunt, Pho- E tium nullo modo Chriſtianum amplius eſſe appellandum. Ad hæc legatos pontifex Conſtantinopolim miſit, quos Baſilius imperator convocaverat; qui in illuſtri templo Sophiæ cum tribus orientis vicariis præſidentes, ſynodum germanam vereque œcumenicam celebrarunt, quam octavam nominarunt: quæ ſæpius accerſito Photio & Photianis, ut pro defenſione ſuaque cauſa dicerent, ſi quid haberent; ut eos tacere vidit, pronuntiavit Photio Chriſtiani cognomen abrogandum. Ergone tu Photium a quinque ſynodis

PART. III. CAP. II.

æquas ob cauſas & ingentia ſcelera damnatum, inferiſque per anathema devotum, Chriſtiani appellatione omnino afficiendum cenſes, quique Deo ſacris operetur, imo & ſummum ſacerdotium adminiſtret?

I.

Primum quippe depoſitus & anathematizatus eſt a toto concilio provinciali Conſtantinopolitano, quando ſuam ipſe ſubſcriptionem perjurus violavit.

II.

Deinde a Romana ſynodo, quando ipſe ad papam Nicolaum ſcripſit.

III.

Tertio, quando Rhadoaldus & Zacharias Romam reverterunt, in quo concilio ipſi etiam legati ſunt damnati.

IV.

Quarto, a concilio quod eſt a papa Hadriano Romæ coactum.

V.

Poſtremo, ab octavo legitimo & œcumenico concilio Conſtantinopolitano. Hæc ergo, ſapientiſſime magnificentiſſimeque vir, ubi legeris, in penetrali animi tui cautelam adhibe, nullam ut partem aut ſortem portionemve cum Photio unquam habeas omnino.

A γάλαις παρανομίαις κατακριθέντα, καὶ παραπεμφθέντα τῷ διαβόλῳ διὰ τοῦ ἀναθέματος, ἀξιοῖς κελεύεις Χριστιανὸν ὅλως ὀνομάζεσθαι, ἢ ὅλως ἱερᾶσθαι Θεῷ, μᾶλλον δὲ τὴν ἀκροτάτην ἔχειν ἱερωσύνην;

α΄.

Πρῶτον μὲν καθῃρέθη καὶ ἀνεθεματίσθη ὑπὸ πάντων τῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας Κωνσταντινουπόλεως, ὅταν εἰς τὸ ἴδιον χειρόγραφον παρεσπόνδησε.

β΄.

Δεύτερον δὲ ὑπὸ τῆς Ρωμαϊκῆς συνόδου, ὅταν πρὸς τὸν πάπαν Νικόλαον αὐτὸς ἀπέστειλε.

γ΄.

B Τρίτον δὲ, ὅταν ὁ Ραδοάλδος καὶ Ζαχαρίας ὑπέστρεψαν εἰς τὴν Ρώμην, ὅταν καὶ αὐτοὶ καθῃρέθησαν.

δ΄.

Τέταρτον ὑπὸ τῆς παρὰ τοῦ πάπα Ἀδριανοῦ συναθροισθείσης ἐν Ρώμῃ συνόδου.

ε΄.

Καὶ πέμπτον ὑπὸ τῆς καθολικῆς συνόδου τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει οἰκουμενικῆς συγκροτηθείσης ὀγδόης. ταῦτα τοίνυν ἀναγνοὺς μεγαλοπρεπέστατε καὶ σοφώτατε, τῷ ταμείῳ τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς εἰσάγαγε προφυλακὴν καὶ συντήρησιν, καὶ μερίδα καὶ κλῆρον μὴ χοίης μετὰ Φωτίου σύνολον.

ANNO CHRISTI 879.

Extat infra Tomo XI. proximo ſequenti ſub Stephano papa V. ſed eſt alterius verſionis.

*Epiſtola Stephani papæ Romani ad Baſilium imperatorem, quando, poſtremo ſcilicet vitæ ſuæ tempore, ſeductus ille a Photio, contra ſanctum papam Marinum Romano ſcripſit.*

VEſtræ ſerenitatis literas ad Hadrianum prædeceſſorem noſtrum miſſas accepimus, valdeque mirati ſumus magnificentiam tuam, quæ hactenus æquitatis arbitra fuit, talia ſcribere auſam; præſertim cum pia potentia tua norit, regiam poteſtatem non eſſe capacem ſacerdotalis atque apoſtolicæ noſtræ dignitatis. Quamvis enim ipſius Chriſti ſummam imperando ſimilitudinem in terris geras, tamen res tantum politicas & civiles curare debes; quod etiam ut diutiſſime facias, optamus. Quemadmodum igitur vobis rerum temporalium principatus a Deo eſt traditus, ita nobis per coryphæum apoſtolorum Petrum rerum ſpiritalium principatus. Accipe quæſo optimam in partem quæ ſubjicio. Datum tibi eſt ut cures, quo pacto tyrannorum impietatem & immanitatem potentiæ ferro præcidas, ſubjectis tuis jura adminiſtres, leges condas, terra marique exercitum rite componas. Hæc ſunt capita curæque imperii veſtri. Noſtri vero cura gregis tanto præſtantior eſt, quantum eſt inter cæleſtia ac terrena diſcrimen. Audi dominum ad Petrum dicentem: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. De veſtro vero imperio quid ait? *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere*. De credito nobis miniſterio quid porro addit? *Tibi dabo claves regni cælorum*; & quæ ſequuntur. Obteſtor igitur tuam pietatem, ut principum apoſtolorum inſtituta ſequaris, magnaque veneratione proſequare.

Matth. 16.

Cap. 10.

Cap. 16.

C Ἐπιστολὴ Στεφάνου πάπα Ρώμης πρὸς Βασίλειον τὸν βασιλέα, εἰς τὰ τελευταῖα αὐτοῦ, ὁπηνίκα παροδηγηθεὶς οὕτως ὑπὸ Φωτίου, ἔγραψεν ἐν τῇ Ρώμῃ κατὰ τοῦ ἁγίου πάπα Μαρίνου.

ΤΟ γράμμα τὸ παρὰ τῆς ὑμετέρας γαληνότητος ἀποσταλὲν πρὸς Ἀδριανὸν τὸν προηγησάμενον ἡμῶν ἐδεξάμεθα, καὶ ἐθαυμάσαμεν τὴν σὴν μεγαλοπρέπειαν, ὅτι τοιαῦτα ἠνέσχετο γράψαι, σταθμὸς οὖσα δικαιοσύνης· καὶ ταῦτα τοῦ εὐσεβοῦς σου κράτους ἐπισταμένου, ὅτι βασιλικὴ χεὶρ οὐ δέχεται τὸ ἱερατικὸν καὶ ἀποστολικὸν ἡμῶν ἀξίωμα. κἂν γὰρ αὐτοῦ D Χριστοῦ τὸ ἀρχικώτατον ἐπὶ γῆς ἐπιφέρῃς ὁμοίωμα, τῶν ἐπὶ γῆς κοσμικῶν μόνον ὀφείλεις φροντίζειν, ὃ καὶ εὐχόμεθα ἐπὶ μηκίστους χρόνους κρατεῖν. καθ' ὃν γὰρ τρόπον ἐκ Θεοῦ τὸ ἄρχειν τῶν βιωτικῶν ὑμῖν δέδοται, οὕτω καὶ ἡμῖν διὰ τοῦ κορυφαίου Πέτρου τὸ ἄρχειν τῶν πνευματικῶν. δέξαι, παρακαλῶ, εὐμενῶς τὰ ἑξῆς. ἐδόθη σοι φροντίζειν, ἵνα τῶν τυραννούντων τὸ ἄθεον καὶ θηριῶδες τῷ ξίφει τῆς ἀρχῆς διατέμνῃς, ἵνα πράττῃς δίκαια τοῖς ὑπὸ χεῖρα, ἵνα νόμους συγγράφῃς, ἵνα γῇ τε καὶ θαλάσσῃ τὰ πολεμικὰ στρατεύματα διατιθῇς. αὕτη ἐστὶ τῆς ὑμετέρας ἀρχῆς ἡ φροντίς. τὸ δὲ καταπιστευθὲν ἡμῖν ποίμνιον τοσοῦτόν ἐστιν ὑψηλότερον, ὅσον διάφορον οὐρανοῦ πρὸς τὰ ἐπὶ γῆς. E ἄκουε τοῦ κυρίου λέγοντος πρὸς τὸν Πέτρον· σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. περὶ δὲ τῆς ὑμετέρας βασιλείας τί φησι; μὴ φοβεῖσθε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι. ἀλλὰ καὶ ἔτι περὶ τῆς καταπιστευθείσης ἡμῖν διακονίας φησί· σοὶ δώσω τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ τὰ ἑξῆς. παρακαλῶ οὖν τὴν σὴν εὐλάβειαν, ἐξακολουθεῖν σε ταῖς διατάξεσι τῶν κορυφαίων Ἀποστόλων, καὶ φροντίζειν σε τῆς τούτων τιμῆς.

ἡ γὰρ



ANNO CHRISTI 879.

ἡ γὰρ κατάστασις καὶ ἀρχιερωσύνη τῶν ἐν τῷ κόσμῳ ἐκκλησιῶν παρὰ τοῦ κορυφαίου Πέτρου τὴν ἀρχὴν ἐδέξατο, δι' οὗ καὶ ἡμεῖς ἀκεραιοτάτῃ διδασκαλίᾳ πάντας νουθετοῦμεν καὶ διδάσκομεν. ἡ δὲ σὴ βασιλεία μὴ ἀπὸ τῶν ἐλαχίστων στοχαζομένη ἐπὶ τὰ κρείττω τὴν ἔρευναν ποιείτω, ἀλλὰ κατανοείτω, ἐν ποίᾳ δυνάμει ταῦτα πράττειν ἐπιχειρεῖ. ὁ κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου Μαρίνου τὰς θεοπειθεῖς ἀκοάς σου καταμιάνας, κατὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ βλασφημῆσαι ἐτόλμησε, τοῦ τῷ νεύματι διοικοῦντος τὸ πᾶν. τίς ὁ κατὰ τοῦ ἀμωμήτου αὐτοῦ νυμφίου καὶ ἱερέως, καὶ κατὰ τῆς μητρὸς πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν λέγειν τολμήσας; ἀπατᾶται ὁ νομίζων μαθητὴς εἶναι ὑπὲρ B τὸν διδάσκαλον, καὶ δοῦλος ὑπὲρ τὸν κύριον αὐτοῦ. ἐκπληττόμεθα εἰς τὴν σὴν ἀπηρτισμένην καὶ λελαμπρυσμένην σύνεσιν, πῶς ἐκλάπη, καὶ κατὰ τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς ἐκείνου ἐναντίον τι διενόησεν. ὁποῖος γὰρ ἂν ᾖ, κἂν ἡμεῖς σιωπήσωμεν, οἱ λίθοι κεκράξονται. ἄλαλα γενηθήτω τὰ χείλη τὰ δόλια, τὰ λαλοῦντα κατὰ τοῦ Θεοῦ ἀνομίαν, ἢ τοῦ δικαίου. εἰ πρόβατον τοῦ Θεοῦ ὑπάρχεις, καθὼς εὔχομαι, μὴ ὑπέρβαινε τὰς ὁδοὺς τῶν κορυφαίων Ἀποστόλων. εἰπὲ, τίς σε ἠπάτησεν, ἀρχιερέα οἰκουμενικὸν κωμῳδῆσαι, καὶ τὴν ἱερὰν τῶν Ρωμαίων κακοφημῆσαι ἐκκλησίαν, ᾗ μετὰ σεβασμιότητος ὀφείλεις ὑποτάττεσθαι; ἢ οὐ γινώσκεις, ὅτι πασῶν C τῶν ἐκκλησιῶν αὕτη κατάρχει; τίς σε τῶν ἀρχιερέων κριτὴν κατέστησεν; ὧν ταῖς ἱεραῖς διδασκαλίαις κατήρτισαι, παρ' ὧν εὐχαὶ περὶ σοῦ τῷ Θεῷ ἀναφέρονται. οἶδας τὸ φάσκον ῥητόν· μὴ ἅπτεσθε τῶν χριστῶν μου, καὶ ἐν τοῖς προφήταις μου μὴ πονηρεύεσθε. τοῦτο περὶ πάντων τῶν ἱερέων εἴρηται. τῷ Θεῷ ἑαυτὸν ἐξισοῖς, ὁ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ κρῖναι τολμῶν. λέγει γὰρ ὁ προφήτης· χείλη ἱερέως λαλήσει κρίσιν, καὶ νόμον ἐκζητήσουσιν ἐκ στόματος αὐτοῦ, ὅτι ἄγγελος κυρίου παντοκράτορός ἐστι. πῶς κρίνεις τοὺς τῇ τοῦ Θεοῦ ψήφῳ μόνῃ ὑποκειμένους, καὶ λαβόντας μόνους ἐξουσίαν δεσμεῖν καὶ λύειν; βλέπε D εἰς ποῖον βόθρον ἑαυτὸν κατηκόντισας. ἀκούω περὶ σοῦ, μεγαλοπρεπέστατε αὐτοκράτορ, τοῦ Ἰὼβ τὴν πρᾳότητα καὶ καρτερίαν κεκτῆσθαί σε, καὶ θαυμάζω πῶς ἐξηνέχθης. ἔγραψας αὐτὸν μὴ εἶναι ἐπίσκοπον· πόθεν ἔγνως; εἰ δὲ οὐκ ἔγνως, πῶς κατέκρινας; μεγάλη τῶν ἀρχιερέων ἡ δύναμις. οὐκ ἀγνοεῖς τὰ κατὰ τὸν μακάριον Ἀμβρόσιον, καὶ τὰ ἐξ αὐτοῦ εἰς τὸν βασιλέα Θεοδόσιον. οἱ λέγοντες τὸν Μαρῖνον πρότερον εἶναι ἐπίσκοπον, δειξάτωσαν τοῦτο. ἴδε ἠγαπημένε καὶ τιμῆς ἄξιε αὐτοκράτορ· εἰ ἐκωλύετο ὑπὸ τοῦ κανόνος, ὅπερ οὐκ ἦν, τὸ πλῆθος τῶν ἁγίων πατέρων, καὶ ἡ τούτων αὐθεντία καὶ κρίσις ἠδύνατο τοῦτον ἀποκαταστῆσαι ἐν τῷ πρώτῳ βαθμῷ. E ἀλλ' ἡ θεία πρόνοια ἐπιγνοῦσα τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας τὴν ὠφέλειαν, τῷ θρόνῳ τοῦτον τοῦ κορυφαίου Πέτρου καθίδρυσε. τί δὲ ὁ μέγας Γρηγόριος ὁ Θεολόγος, οὐ μετέπεσεν εἰς Ναζιανζὸν, καὶ Μελέτιος Σεβαστείας εἰς Ἀντιόχειαν; καὶ * Δοσίθεος Σελευκείας εἰς Ταρσὸν τῆς Κιλικίας, καὶ Βερέντιος ἀπὸ τῆς Ἀρχιφοινίκης εἰς Τύρον, Ἰωάννης τῆς Γορδολίας εἰς Προικόννησον,

* Θεοδόσιος

PAR. III. CAP. III.

A Omnium enim in orbe terrarum ordo & pontificatus eccleſiarum a principe apoſtolorum Petro originem accepit, per quem & nos ſincera & incorrupta doctrina inſtruimus omnes & docemus. Tua vero majeſtas ne ex minimis conjecturam faciens ad majora inveſtiganda gradum faciat: quin perpendat potius, qua hæc auctoritate aggrediatur. Is qui adverſus ſanctiſſimum Marinum tuas Deo obſequentes aures inquinavit, contra dominum noſtrum Jeſum Chriſtum nutu ſuo cuncta temperantem, execratam linguam auſus eſt exerere. Quis vero ille eſt, qui adverſus intemeratum illius ſponſum & ſa- B cerdotem, contraque matrem omnium eccleſiarum auſus eſt verbum effutire? Errat, qui exiſtimat diſcipulum eſſe ſupra magiſtrum, & ſervum ſupra dominum. Obſtupeſcimus omnino, dum tuam perſpicacem mentem clariſſimamque prudentiam circumventam ita cernimus, ut adverſus illum ſanctum virum alienum quippiam cogitaris. Etenim qui vir ille fuerit; nobis etiam tacentibus lapidi clamabunt. Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur adverſus Deum iniquitatem, aut adverſus juſtum. Si e grege Dei, quod opto, ovis es, limites principum apoſtolorum ne tranſilias. Dic age, quis te ita C ſeduxit, ut œcumenicum pontificem conviciis & ſcommatis laceſſeres, ſanctamque eccleſiam Romanam maledictis laceſſeres, cui oportet ut ſumma te cum veneratione ſubjicias? An non intelligis, hanc omnibus eccleſiis præeſſe? Quis te pontificum judicem conſtituit? quorum ſacris inſtitutis edoctus es, a quibus ad Deum pro te preces effunduntur. Tenes illud ſacrum oraculum: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari*. Hoc generatim de ſacerdotibus eſt dictum. Tu teipſum Deo exæquas, qui angelos ejus judicare audes. Nam propheta dicit: *Labia ſacerdotis loquuntur judicium, & legem* D *ex ore ejus requirent: angelus enim eſt domini omnipotentis*. Quomodo judicas eos qui uni Dei judicio ſunt ſubjecti, qui ſoli poteſtatem acceperunt ligandi atque ſolvendi? Vide in quod te barathrum præcipitaris. Aiunt, auguſtiſſime imperator, in te Jobi manſuetudinem & patientiam eſſe: & miror ut ſis deceptus & abreptus. Scripſiſti illum (Marinum) non eſſe epiſcopum. Unde noſti? ſi non noſti, quomodo damnaſti? Magna pontificum eſt poteſtas. Non ignoras hiſtoriam beati Ambroſii, quæque ſint ejus in Theodoſium imperatorem acta. Qui dicunt Marinum antea fuiſſe epiſcopum, (eoque ad aliam E ſedem non potuiſſe transferri) oſtendant hoc. En dilecte & veneratione proſequende imperator, ſi erat per canones prohibitus, ut non erat, per ſanctorum patrum cœtum, judicium & auctoritatem in primo gradu poterat collocari. Verum divina providentia, cum quod eſſet e re eccleſiæ noſſet, eum (Marinum) in ſancti Petri principis apoſtolorum throno conſtituit. Quid vero eximius ille Gregorius cognomento Theologus, nonne Nazianzum tranſlatus eſt, & Meletius Sebaſte Antiochiam? * Doſitheus Seleucia Tarſum Ciliciæ. a Berentius ex Archiphœnice Tyrum, Joannes Gordolia Prœconneſum,

Pſal. 104.

Malach. 2.

* Theodoſius.

a) Pr. Reverentius, ut in alia verſione in com. ſequenti. Hi

PAR. III. CAP. III.

Theodorus Apamea Selybriam (1), Alexander Cappadocia Hierapolim, multique alii variis in locis ex ſuis ſedibus in alios thronos ſunt tranſlati. Dicat majeſtas tua, quibus accuſatoribus, aut quibus teſtibus convictum de iis quæ objiciebantur, ſanctum Marinum condemnaſti? An ignoras quid in prima ſynodo Nicæna, præſidente ibi ſancto Conſtantino, beatus Silveſter papa de non judicando ſupremo throno (per legatos) pronuntiarit? Quid vero peccavit ſancta Romana eccleſia, ut perditi homines te impulerint, ut linguam tuam in illam exerceres & vibrares? Nonne illa pro veteri ſynodorum more, te imperante legatos Conſtantinopolim miſit? nonne pro eadem ſynodo magnam curam geſſit? Quæris, ad quem miſerit eccleſia Romana? Utique ad Photium laicum. Quod ſi patriarcham haberes, frequentius cum eccleſia noſtra reviſeret, Sed eheu, ejuſmodi tam illuſtrem civitatem, atque in Dei tutela ſitam, paſtore carere, ſolaque tua regia præſentia illuſtrari? Quod niſi nos tui amor & deſiderium reprimeret, faceretque ut eccleſiæ noſtræ injuriam toleraremus, ſane coacti fuiſſemus graviores pœnas, quam adhuc eſt ab aliis uſitatum, qui nos præceſſerunt, in tranſgreſſorem Photium conſtituere, qui in nos tam indigna & impia convicia evomuit. Sed hæc non in tuam contumeliam proferimus, (te enim ubique gentium ut Deo dilectum deprædicamus,) ſed ad noſtram dumtaxat defenſionem, majoremque Photii ignominiam. Marinus ſumma pietate præditus, cum ea ſentiret, ea defenderet, quæ decreta erant a prædeceſſore noſtro, doctores ſanctiſſimo papa Nicolao, velletque illa ad unguem exequi, in ſummum apud vos contemptum venit. Et quia, ut dictum eſt, cum iis qui aliena ſentiebant, conſentire recuſavit, nec acta ſynodica, coram tua majeſtate quondam a ſe tranſacta, reſcindere & antiquare voluit, ad triginta dies in carcere eſt habitus; quod ipſum ſibi pro veritate paſſo gloriæ potius quam contumeliæ duxit. Sed tu alter Conſtantine, cur illum (Conſtantinum Magnum) non es imitatus, qui libellos contra ſacerdotes ſibi oblatos igni tradidit, quod ſe indignum eſſe diceret, qui ſacerdotes judicaret? Quapropter fili ſpiritalis, te monemus, ne Romanam eccleſiam oppugnes. Filium vero accepiſſemus e tuo latu natum ſacris ordinibus initiatum, magna ſane animi voluptate perfuſi ſumus. Rogo tuam ſacram majeſtatem, ut celotes munias, rebuſque neceſſariis ab Aprili ad Septembrem uſque inſtruas, mittaſque qui portus noſtros maritimave loca contra Agarenorum populationes tueantur. Cetera taciti ſiſtinemus, cum nobis ne oleum quidem ſuppetat pro eccleſiæ luminaribus ad cultum Dei neceſſarium, cui gloria in ſæcula. Amen.

Hæc epiſtola miſſa quidem eſt ad imperatorem Baſilium, ſed vita functo jam parente, Leo Baſilii filius eam accepit; qui cum vim & auctoritatem epiſtolæ perſpexiſſet, peſſimis Photii artibus deprehenſis, ſubito cunctos veritatis ſacerdotes a damnato

ANNO CHRISTI 872.

A Θεόδωρος Απαμείας εἰς Σηλυβρίαν, Αλέξανδρος Καππαδοκίας εἰς Ἱεράπολιν, καὶ πολλοὶ ἕτεροι ἐν διαφόροις τόποις ἤλλαγησαν ἀπὸ τῶν ἰδίων θρόνων εἰς ἑτέρους. εἰπάτω ἡ σὴ θεοψιστος καρδία, τίνων κατηγορησάντων, ἢ ποίων μαρτύρων παραστησάντων πεπραχέναι τὸν ὅσιον Μαρῖνον τὰ λεγόμενα, κατεδίκασας αὐτόν; οὐκ ἔγνως ἐν τῇ πρώτῃ συνόδῳ τῇ ἐν Νικαίᾳ, τί ὁ μακάριος Σίλβεστρος ὁ πάπας ἐξεφώνησε, προκαθημένου ἐκεῖσε καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις Κωνσταντίνου, περὶ τοῦ μὴ ὑπό τινος κρίνεσθαι τὸν πρωτόθρονον; τί ἡ ἁγία τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ἥμαρτεν, ὅτι κατ' αὐτῆς ὁρμῆσαί σε καὶ κινῆσαι τὴν γλῶτταν οἱ φθορεῖς πεπείκασι; μὴ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος τῶν συνόδων ἐν

B Κωνσταντινουπόλει οὐκ ἀπέστειλεν ἐπὶ τῆς αὐτοκρατορείας σου; μὴ ὑπὲρ αὐτῆς τῆς συνόδου τὸν λόγον οὐ πεποίηκεν; ἐρωτᾷς δέ, πρὸς τίνα ἀπέστειλεν ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία; πρὸς λαϊκὸν δηλονότι τὸν Φώτιον. εἰ γὰρ εἶχες πατριάρχην, συχνότερον ἂν ἡ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησία αὐτὸν ἐπεσκέπτετο. ἀλλ' ὤ, ὅτι ἡ τοιαύτη δεδοξασμένη καὶ ἐκ Θεοῦ φυλαττομένη πόλις ἀργεῖ, καὶ μόνῃ τῇ ὑμετέρᾳ βασιλικῇ παρουσίᾳ λαμπρύνεται. καὶ εἰ μὴ ὁ πόθος ὑμῶν συνεῖχεν ἡμᾶς, ὥστε φέρειν τὴν ὕβριν τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας, ἄρα ἂν ἠναγκάσθημεν κατὰ τοῦ παραβάτου Φωτίου, τοῦ καθ' ἡμῶν τοὺς ἀθεμίτους λόγους ἐξερευξαμένου, τιμωρίας πλείονας τῶν πρὸ ἡμῶν ὁρίσασθαι. οὐ ταῦτα δὲ πρὸς ὑμετέραν

C ὕβριν ἀναφέρομεν· σὲ γὰρ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ τῷ Θεῷ ἠγαπημένον κηρύττομεν· ἀλλ' ἢ μόνον πρὸς ἀσφάλειαν ἡμῶν, ἐκείνου δὲ πρὸς μείζονα ὕβριν. διὰ τὴν ὁμοφροσύνην καὶ ἰσοφροσύνην τοῦ προηγησαμένου διδασκάλου τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Νικολάου, καὶ διὰ τὸ ἐθέλειν τὰ ἐκείνῳ δεδογμένα ἐκπληροῦν, εἰς μεγίστην παρ' ὑμῖν κατεστάθη ἀτιμίαν ὁ θεόφρων Μαρῖνος. καὶ διὰ τό, ὡς εἴρηται, τοῖς ἑτεροφρονοῦσι συναπαχθῆναι, ἐπὶ τὰ παρ' αὐτοῦ ἐνώπιον τῆς βασιλείας ὑμῶν συνοδικῶς πραχθέντα καταλῦσαι καὶ ἀκυρῶσαι. ὃς δὴ Μαρῖνος καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἐπὶ τριάκοντα ἡμέραις ἐν τῇ φυλακῇ ἐκρατήθη, εἰς δόξαν μᾶλ-

D λον τοῦτο λογισάμενος ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, καὶ οὐκ εἰς ὕβριν. ἀλλ' ὦ νέε Κωνσταντῖνε, πῶς οὐκ ἐμιμήσω ἐκεῖνον, ὃς τοὺς τῶν ἱερέων λιβέλλους δεξάμενος τῷ πυρὶ παρέδωκεν, ἄξιον ἑαυτὸν μὴ εἶναι λέγων ἱερεῖς κρίνειν; διὰ τοῦτο πνευματικὸν ἡμῶν τέκνον, νουθετοῦμέν σε, μὴ κατὰ τῆς ἁγίας τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπαναστῆναι. μαθόντες δὲ ὡς ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ σου σπέρματος πρὸς ἱερωσύνην ἀνήγαγες, πολλῆς θυμηδίας ἐπλήσθημεν. παρακαλῶ δὲ τὸ ἅγιον ὑμῶν κράτος, * χελάνδια ἐξοπλίσαι μετὰ καὶ τῶν χρειῶν αὐτῶν ἀπὸ μηνὸς Ἀπριλίου ἕως Σεπτεμβρίου, καὶ ἀποστεῖλαι, ὅπως φυλάττωσι τὰ πρὸς θάλασσαν ἡμῶν ἀπὸ τῆς

*i. e. naves

E Ἀγαρηνῶν ἐκπορθήσεως. περὶ δὲ τῶν λοιπῶν σιωπῶμεν, ἐπεὶ οὐδὲ ἔλαιον εἰς φωταγωγίαν ἔχομεν τῆς ἐκκλησίας κατὰ τὴν ὀφειλομένην τιμὴν τοῦ Θεοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Αὕτη ἡ ἐπιστολὴ πρὸς βασιλέα μὲν ἀπεστάλη τὸν Βασίλειον, ἐδέξατο δὲ ταύτην Λέων ὁ υἱὸς αὐτοῦ διὰ τὸ τελευτῆσαι τὸν πατέρα· καὶ μαθὼν τὴν δύναμιν αὐτῆς, καὶ ἐλέγξας πάσας τὰς κακοπραγίας Φωτίου, εὐθέως ἀνεκαλέσατο πάντας τοὺς ἱερεῖς τῆς ἀληθείας, τοὺς ὑπὸ Φωτίου

(1) Ita vetus Interpres, Verti debuit, *Hieroſolymam*: Eſt enim hic ἱερὰ πόλις ſancta civitas: Vide tamen tomum ſequentem; & confer cum Euſebio lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 10. & 11. & Hieronymo lib. de Script. Eccleſ. cap. 62. Hieronymum.



ANNO CHRISTI 872.

Φωτίου τοῦ ἀναπαθεματισμένου πικρῶς διωχθέντας, ἐκδιώξας τὸν τύραννον καὶ ἐπιβήτορα Φώτιον, καὶ εἰσαγαγὼν Στέφανον τὸν γνήσιον ἀδελφὸν αὐτοῦ τοῦ Λέοντος. καὶ προσκαλεσάμενος Στυλιανὸν Νεοκαισαρείας μητροπολίτην τὸν Μάπαν, καὶ πάντας τοὺς μετ' αὐτοῦ ἐν τῷ διωγμῷ συναθλήσαντας ἐπισκόπους, ἡγουμένους, πρεσβυτέρους, διακόνους, καὶ λοιποὺς ζηλωτὰς τῆς εὐσεβείας, φησὶ πρὸς αὐτούς· ἡ ἐκ Θεοῦ βασιλεία ἡμῶν τὴν ἀλήθειαν ζητήσασα, τὸν παράνομον ἄνδρα τοῦ θρόνου ἀπήλασε, καὶ τὸν καθ' ὑμῶν διωγμὸν ἔπαυσε· καὶ οὐ βιάζομαί τινας ἐξ ὑμῶν παρὰ προαίρεσιν ποτε κοινωνῆσαι· ἐν παρακλήσει δὲ μᾶλλον προσφωνῶ τὴν ὑμετέραν εὐλάβειαν, ἵνα συνέλθητε τῷ ἀδελφῷ μου, καὶ γένηται μία ποίμνη. ἐὰν δὲ ἄνευ τῶν Ῥωμαίων τῶν δεσμευσάντων Φώτιον οὐ θέλετε συνελθεῖν τῷ ἀδελφῷ μου, διὰ τὸ χειροτονηθῆναι διάκονον ὑπὸ Φωτίου, δεῦτε γράψωμεν καὶ ἀποστείλωμεν ὁμοῦ παράκλησιν εἰς τὴν Ῥώμην πρὸς τὸν πάπαν, καὶ οἰκονομήσει τὴν λύσιν τοῦ δεσμοῦ τῶν ὑπὸ Φωτίου χειροτονηθέντων. ἔγραψεν οὖν διὰ τοῦτο ὁ βασιλεὺς ἐπιστολὴν πρὸς τὸν πάπαν· ὁμοίως καὶ οἱ περὶ τὸν Μάπαν τὸν μητροπολίτην Νεοκαισαρείας ἐποίησαν. ἔχει δὲ ἡ τοῦ μητροπολίτου ἐπιστολὴ οὕτως.

Τῷ τὰ πάντα ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ Στεφάνῳ, δεσπότῃ καὶ οἰκουμενικῷ πάπᾳ, Στυλιανὸς ἐπίσκοπος Νεοκαισαρείας τῆς Εὐφρατησίας χώρας, δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ ἐπίσκοποι, καὶ πάντες ἐπίσκοποι, καὶ πρεσβύτεροι, καὶ διάκονοι τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως, καὶ πάντες οἱ κατὰ τὴν δύσιν καὶ ἑῴαν ἡγούμενοι καὶ πρεσβύτεροι, μονασταὶ καὶ ἡσυχασταί.

Ἡ τοῦ Θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία ἀεὶ ὑπερέχουσα τῶν αὐτὴν πολεμούντων. γέγραπται γάρ, ὅτι κύριος ἀσθενῆ ποιήσει τὸν ἀντίδικον αὐτοῦ· καὶ ὁ τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν πολεμῶν, ἐκείνου ἐστὶ πολέμιος. ποικίλη μὲν οὖν, ὦ ἱερὰ σεβασμιότης, ἡ τοῦ πονηροῦ πέφυκεν ἀπάτη, κατὰ διαφόρους καιροὺς τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἄλλως ἄλλους ἀπὸ τῆς εὐθείας ὁδοῦ ἐπὶ τρίβους σκολιὰς ὑποσύρουσα. τοῦτο δὲ μάλιστα ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ ποιεῖν αὐτῷ σύνηθες, ὅπου καὶ τὸ κατόρθωμα ἀξιεπαίνετον, καὶ τὸ παράπτωμα φρικωδέστατον. τοιγάρτοι πολλὰ εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν δοχεῖα κατάλληλα τῆς αὐτοῦ σκαιότητος ἐφευρών, τὴν εἰκονικὴν σεβασμιότητα τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς παναγίου τούτου μητρός, καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων, ἐκ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εὐταξίας ἀπήλασεν. ἀλλὰ Θεοῦ χάριτι διὰ τῶν εὐσεβῶν βασιλέων ἡ καθ' ἡμᾶς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία τὴν ἑαυτῆς ὡραιότητα νῦν ἀπείληφε, καὶ τὸ θεοστυγὲς δόγμα τῆς εἰκονομαχικῆς αἱρέσεως ἀπελήλαται· τί δὲ ὁ μισόκαλος δαίμων; ἑτέραν πάλιν ἤγειρε τρικυμίαν. πάλιν γὰρ ἤγειρε Γρηγόριον τὸν ἐπιλεγόμενον Ἀσβεστᾶν, καὶ Εὐλάμπιον, καὶ Πέτρον, καὶ τοὺς περὶ αὐτούς· καὶ δι' αὐτῶν τὰ μέλη Χριστοῦ διασπᾶν ἀπ' ἀλλήλων καὶ τοῦ ἁγιωτάτου Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου οὐκ ὤκνησεν.

A Photio acerbe divexatos revocavit; ejectoque tyranno Photio, qui per vim thronum invaſerat, Stephanum germanum ſuum in patriarchio collocavit; & vocato Styliano Neocæſareæ metropolita cognomento Mapa, ceteriſque epiſcopis, monaſteriorum præpoſitis, presbyteris, diaconis, aliiſque eximiis pietatis propugnatoribus, qui una cum eo gravia fuerant in illa perſecutione perpeſſi, ad eos in hunc modum verba fecit: Noſtrum a Deo profectum imperium, re bene prius agitata, virum impium de throno deturbavit, juxtaque vos a tyrannide illius liberavit; cum quo ut inviti communicetis,

PAR. III. CAP. IV.

B nequaquam ego vos urgebo: quin potius veſtram pietatem oro obſecroque, ut cum fratre meo ſentiatis, unumque ovile fiat. Quod ſi abſque Romanæ eccleſiæ auctoritate, quæ Photium anathemate damnavit, cum fratre meo, ut qui a Photio diaconus ſit conſecratus, communicare recuſetis; agite, Romam ſcribamus, libellumque ſupplicem ad papam mittamus, ut anathematis cenſura abſolvat eos qui a Photio ſunt initiati. Scripſit igitur imperator ad papam, unaque Mapa Neocæſareæ metropolita cum ſociis, cujus epiſtola eſt hujuſcemodi.

C *Longe ſanctiſſimo beatiſſimoque Stephano, domino & œcumenico papæ, Stylianus Neocæſareæ Euphrateſinæ provinciæ epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, & qui mecum ſunt epiſcopi, omneſque reliqui epiſcopi, presbyteri & diaconi ſanctiſſimæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, omneſque ad orientem & occidentem cœnobiorum præfecti, presbyteri, monachi & anachoretæ.*

Extat etiam infra tomo XI. ſequenti ſub Stephano papa V. ſed eſt alterius verſionis.

IV.

Catholica Dei apoſtolicaque eccleſia ſemper de ſuis oppugnatoribus trium-

D phat. Etenim ſcriptum eſt: *Franget Deus adverſarium ejus*; & qui adverſatur eccleſiæ ejus, hoſtis Dei eſt. Varia ſane & multiplex, ſacer & venerabilis pontifex, variis ætatibus mali dæmonis ars fallendi homines fuit, cum alios aliter a recto calle ad avia & obliqua avertit. Hoc vero potiſſimum in Dei eccleſia facere conſuevit, ubi quod recte fit, laudandum; quod impie, maximopere formidandum. Itaque cum in eccleſia Dei opportuna quædam receptacula impietatis ſuæ reperiſſet, imaginum ſacrarum venerationem & cultum, tum Chriſti, tum intemeratæ genitricis ejus & famulorum Dei, ex

E bene conſtituto eccleſiæ ſtatu ſuſtulit. Sed jam Dei beneficio eccleſia noſtra ſplendorem ſuum per imperatorum pietatem recuperavit, ſectæque Iconomachorum inviſum Deo dogma exterminatum eſt. Quid vero recti bonique omnis inimicus dæmon? Aliam rurſus per Gregorium cognomento Asbeſtam, Fulampium & Petrum, horumque ſectatores, tempeſtatem concitavit; per quos membra Chriſti inter ſe diſtrahere, & a ſanctiſſimo patriarcha ſuo Ignatio avellere non dubitavit.

Quos

PAR. III. CAP. VI.

ANNO CHRISTI 870.

A Quos tamen patriarcha cum ſæpius ad ſynodum citatos, & quanta poterat humanitate tractatos curare vellet, ne ab eccleſia Dei reſecti malo inſidiatori præda fierent, ſanare non potuit. Quapropter depoſitos anathemati ſubjecit. Qui legatos cum literis ad ſanctiſſimum papam Romanorum beatum Leonem, qui tum pontificatum gerebat, miſerunt, illum ſibi, ac ſi eſſent læſi, ultorem petentes. Papa ergo datis ad Ignatium literis voluit, ut patriarcha ſuo nomine legatum Romam deſtinaret, per quem de ſchiſmaticorum cauſa cognoſceret. Nec diu moratus patriarcha, Lazarum mona- B chum & fidei confeſſione clarum, qui omnia quæ ad Gregorium pertinebant, optime noverat, cum literis miſit, qui papæ cauſam diligenter expoſuit. Itaque eamdem in ſchiſmaticos ſententiam tulit, quam antea in eoſdem tulerat Ignatius. Leone dein ex humanis ſublato, rurſum illi Benedicto, qui Leoni ſucceſſit, de eiſdem rebus moleſti fuerunt. Enimvero & ipſe Benedictus vir ſanctiſſimus, re diligenter excuſſa, ſententiam adverſus illos ſecundum Ignatium pronuntiavit. Qui Photio poſtea Conſtantinopolitanæ eccleſiæ perduelli & ſchiſmatico, politicoque magiſtratu fungente, ſocio & adjutore C uſi apud Bardam Cæſarem & Michaelis imperatoris avunculum, qui & ipſe ab Ignatio patriarcha ob inceſtas nuptias arguebatur, Ignatium de throno per vim detrahunt, non paucis in eum confictis criminibus, & imperatori imponunt: qui, pulſo Ignatio, Photium a ſchiſmaticis deſignatum, ſubitoque uno eodemque die a Gregorio depoſito conſecratum, intruſit. Quo tempore ſimul & antiſtites, & lectiſſimus quiſque ſacerdotum, & quicumque inſignes erant in eccleſia, (in quibus & ego poſtremus eram) propter ſacrilegam hanc Photii in eccleſiam irruptionem avulſi ſunt. Multos tamen ille D ſuis partibus adjunxit, cum alios donis, alios minis, alios tormentis fractos circumveniſſet. Præterea ſua manu per ſcriptum teſtatus eſt, nullam ſe adverſus Ignatium, aut ſacerdotes ab eo conſecratos, accuſationem inſtituturum. Sed non ita multo poſt violato ſuo chirographo, concilium, vel potius latrocinium in nobili ſanctorum apoſtolorum æde cogit, atque mœchus legitimum patriarcham Ignatium gradu motum anathemati devovet. Inſuper cum ſuam ipſius impietatem abunde firmare vellet, Romam veterem veſtram ad ſanctiſſimum papam Nicolaum, qui tum ad eccleſiæ clavum ſedebat, epi- E ſcopos aſſentiente imperatore miſit, legatoſque ab eo petivit, qui Conſtantinopolim venirent, & acta a ſe contra Ignatium obſervarent. Quod & factum eſt, miſſique cum literis commendatitiis ad Michaelem imperatorem & Photium Rhadoaldus & Zacharias: qui cum Conſtantinopolim appuliſſent, ſynodus celebrata eſt; corruptique legati Romani a Photio donis, minis ab imperatore territi, mandata pontificis neglexerunt; damnatoque

οὓς ὁ πατριάρχης οὗτος πλειστάκις συνοδικῶς προσκαλεσάμενος, καὶ ὅσον ᾔδει, θεραπείας ἀξιώσας, ἵνα μὴ ἐκκοπέντες τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, θήραμα τῷ πονηρῷ γένωνται, θεραπεῦσαι οὐκ ἴσχυσε· διὸ καθαιρέσει καὶ ἀναθέματι αὐτοὺς καθυπέβαλεν. ἐκεῖνοι δὲ γράμματά τε ἀπέστειλαν καὶ πρέσβεις πρὸς τὸν τηνικαῦτα ἁγιώτατον πάπαν Ῥώμης τὸν μακάριον Λέοντα, ζητοῦντες τὴν παρ' αὐτοῦ ἐκδίκησιν, ὡς δῆθεν ἠδικημένοι. καὶ ὁ πάπας πρὸς τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον ἔγραψεν, ἀξιῶν ἀποστεῖλαί τινα ἐκ προσώπου αὐτοῦ πρὸς τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην, ὡς ἂν δι' αὐτοῦ ἀναμάθῃ τὰ περὶ τοὺς σχισματικοὺς ἐκείνους. καὶ ὁ πατριάρχης Ἰγνάτιος τοῦτο πρᾶξαι οὐκ ἀνεβάλετο, ἀλλ' ἀπέστειλε Λάζαρον τὸν μοναχὸν καὶ ὁμολογητὴν μετὰ γραμμάτων, ὡς ἀκριβῶς εἰδότα τὰ περὶ τὸν Γρηγόριον· ὃς καὶ ἐδίδαξε τὸν πάπαν ταῦτα. διὸ καὶ αὐτὸς κατεψηφίσατο καὶ κατέκρινεν ὁμοιοτρόπως τοὺς παρὰ Ἰγνατίου κατακριθέντας, ὡς σχισματικούς. πληρωθέντος δὲ τοῦ μακαρίου πάπα Λέοντος, ἐκεῖνοι τῷ μετ' αὐτὸν Βενεδίκτῳ τῆς Ῥώμης πάπᾳ πάλιν δι' ὄχλου γεγόνασι περὶ τῶν αὐτῶν. ἀλλ' ὁ ἁγιώτατος Βενέδικτος ἀκριβῶς καὶ αὐτὸς ἐξετάσας τὸ πρᾶγμα, τὴν κατ' αὐτῶν κρίσιν Ἰγνατίῳ ἐκύρωσεν. οἱ μετὰ τοῦτο Φωτίῳ τινὶ σχισματικῷ ὄντι τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ ἐν ἀρχοντικῇ τάξει τελοῦντι, συνεργῷ χρησάμενοι πρὸς Βάρδαν τὸν παραδυναστεύοντα καὶ θεῖον Μιχαὴλ τοῦ βασιλέως, ἐλεγχόμενον καὶ αὐτὸν παρὰ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου ἐπὶ αἰσχρογαμίᾳ, τὸν Ἰγνάτιον τοῦ θρόνου βιαίως καταβιβάζουσι, συκοφαντίας οὐκ ὀλίγας πλασάμενοι κατ' αὐτοῦ, καὶ τὸν βασιλέα δι' αὐτῶν συναρπάσαντες. ὃς δὴ βασιλεὺς τὸν Φώτιον ἀντὶ Ἰγνατίου εἰσήγαγε παρὰ τῶν σχισματικῶν ψηφισθέντα, καὶ ὑπὸ τοῦ καθαιρεθέντος Γρηγορίου χειροτονηθέντα αὐθήμερον. ὁπότε καὶ οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ λογάδες τῶν ἱερέων, καὶ ὅσοι περιφανεῖς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀπερράγησαν διὰ τὴν τοῦ σχισματικοῦ Φωτίου ἀκανόνιστον εἰσαγωγήν, ἐν οἷς κἀγὼ ὁ ἐλάχιστος. πολλοὺς δὲ κἀκεῖνος εἰς ἑαυτὸν ἐπεσπάσατο, τοὺς μὲν φοβῶν, τοὺς δὲ κακουχῶν, τοὺς δὲ δώροις ἐξαπατῶν. εἶτα δὲ καὶ ἰδιόχειρον ἐγγέγραφε, τοῦ μηδέποτε κατὰ Ἰγνατίου ἢ τῶν κατ' αὐτὸν ἱερωσύνης κατηγορίαν συστήσασθαι. οὐ πολὺ τὸ ἐν μέσῳ, καὶ καταφρονήσας τοῦ οἰκείου χειρογράφου, ἐν τῷ περιβλέπτῳ ναῷ τῶν ἁγίων ἀποστόλων συνέδριον λῃστρικὸν συστησάμενος, καθαιρέσει καὶ ἀναθέματι τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον ὁ μοιχὸς καθυπέβαλεν. εἶτα τὴν οἰκείαν παρανομίαν ἐκ περιουσίας συστῆσαι βουλόμενος, πρὸς τὴν καθ' ὑμᾶς πρεσβυτέραν Ῥώμην, καὶ τὸν τηνικαῦτα ἁγιώτατον πάπαν Νικόλαον ἐξαπέστειλεν ἐπισκόπους μετὰ βασιλικῆς συναινέσεως, καὶ ἐξῃτήσατο τοποτηρητὰς παρ' ἐκείνου σταλῆναι πρὸς τὴν τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίαν, ἐπιτηρήσοντας τὰ παρ' αὐτοῦ κατὰ Ἰγνατίου πραχθέντα. ὃ δὴ καὶ γέγονε· καὶ ἀπεστάλησαν Ῥαδόαλδος καὶ Ζαχαρίας μετὰ καὶ συστατικῶν γραμμάτων πρὸς τὸν βασιλέα Μιχαὴλ καὶ τὸν Φώτιον. τούτων δὲ τῶν τοποτηρητῶν πρὸς τὴν Κωνσταντινούπολιν ἀπελθόντων, σύνοδος συνεκροτήθη, καὶ ὑποκλαπέντες οὗτοι οἱ τοποτηρηταί, δώροις μὲν παρὰ Φωτίου, ἀπειλαῖς δὲ παρὰ τοῦ βασιλέως, οὐκ ἐποίησαν κατὰ τὸ διατεταγμένον αὐτοῖς, ἀλλὰ κατεψηφίσαντο μὲν

Ἰγνα-



ANNO CHRISTI 870.

Ἰγνατίου, τὸν δὲ Φώτιον παρὰ τὴν διάταξιν τοῦ πάπα καθίδρυσαν· καὶ οὕτως παρὰ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον ὑπέστρεψαν, μετὰ καὶ βασιλικῶν γραφῶν, καὶ τῶν τοῦ Φωτίου. ὁπότε καὶ ζήλῳ κινηθεὶς ὁ μοναχὸς Θεόγνωστος ὁ ἀρχιμανδρίτης, καὶ διὰ κοσμικῆς στολῆς λαθραίως καὶ αὐτὸς εἰς Ῥώμην ἐπιδημεῖ, καὶ τὰ κατὰ τοῦ Ἰγνατίου διδάσκει τὸν ἁγιώτατον πάπαν Νικόλαον· ὃς καὶ σύνοδον συγκροτήσας τότε, τοὺς μὲν οἰκείους ἀποκρισιαρίους Ῥαδόαλδον καὶ Ζαχαρίαν, ὡς πεποιηκότας παρὰ τὰ διατεταγμένα, καθῄρησε. πάλιν δὲ σύνοδον ἑτέραν συγκροτεῖ, καὶ Φώτιον τὸν μοιχὸν καὶ ἐπιβάτην ἀναθεματίζει, τὸν δὲ Ἰγνάτιον πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως ἀνηγόρευσε, διὰ γραμμάτων τε τὸ παρ' αὐτοῦ πραχθὲν τῷ Μιχαὴλ βασιλεῖ καὶ τῷ Φωτίῳ πεποίηκε γνώριμον. ἐπεὶ δὲ μετὰ τοῦτον εἰς Βασίλειον ἡ βασιλεία μετεκυλίσθη, φιλοθέῳ ζήλῳ ἐκεῖνος κεκίνητο, καὶ τὴν πρᾶξιν τὴν ἐν τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ παρὰ τοῦ πάπα Νικολάου γεγονυῖαν περὶ τῆς ἀποβολῆς Φωτίου καὶ τῆς τοῦ Ἰγνατίου ἀποκαταστάσεως ἐπεκύρωσε, τὸν Ἰγνάτιον ἐκ τῆς ἐξορίας ἀνακαλεσάμενος, καὶ καταγαγὼν τὸν Φώτιον. καὶ δὴ ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τοῦ τε Ἰγνατίου καὶ τοῦ Φωτίου ἀποκρισιαρίους μετὰ καὶ βασιλικῶν ἐξαπέστειλε πρὸς τὸν ἀποστολικὸν θρόνον, συναποστείλας καὶ τὸν ἀναπλασμὸν τὸν παρ' αὐτοῦ γεγονότα τοῦ Φωτίου κατὰ τοῦ πάπα Νικολάου, ὃς καὶ ἀρέθη πλαστήσας παρὰ τῶν ἀποσταλέντων. Ἀδριανοῦ δὲ διαδεξαμένου αὐτόν, ὑπεδείχθησαν ἐκείνῳ τὰ ἀποσταλέντα. πάλιν οὖν ὁ πάπας Ἀδριανὸς σύνοδον τοπικὴν συνεκρότησε, καὶ τὰ αὐτὰ τῷ πάπᾳ μακαρίῳ Νικολάῳ κατὰ Φωτίου ἐθέσπισε. καὶ ἐπιλεξάμενος ἄνδρας εὐλαβεῖς, ἀπέστειλεν εἰς Κωνσταντινούπολιν. καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου συγκροτηθείσης παρουσίᾳ καὶ τῶν τοποτηρητῶν τῶν ἀνατολικῶν πατριαρχῶν, ἀπόφασις πάλιν κατὰ Φωτίου γέγονεν, ὡς μοιχικῶς ἐπιβάντος τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως, καὶ καθαιροῦσα τοῦτον καὶ ἀναθεματίζουσα, καὶ τὸν Ἰγνάτιον ἀποκαθιστῶσα. ἐν τούτοις δὲ πάλιν ὁ Φώτιος οὐχ ἡσύχασε· παρανόμους γὰρ ἄνδρας γόητάς τε καὶ ἀπατεῶνας συνήγαγε, καὶ συκοφάντας ψευδεῖς πλασάμενος, τὸν τρισμακάριστον Ἰγνάτιον τῆς ζωῆς δυστήνως ἀπαλλαγῆναι παρεσκεύασεν. οὐ μόνον τοῦτο, ἀλλὰ καὶ ἔτι ἐν τῷ οἰκείῳ θρόνῳ Ἰγνατίου καθημένου, ὁ ὑπὸ οἰκουμενικῆς συνόδου ἐκκήρυκτος καὶ ἀναθεματισμένος Φώτιος ἐν τῇ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐπαρχίᾳ χειροτονίας διαφόρους ἐποίησεν, ἀλλὰ μετὰ στρατιωτικῆς χειρός, καθάπερ ὁ πάλαι δυσσεβὴς Μακεδόνιος, εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν εἰσεπήδησε, τῶν συλλειτουργῶν ἡμῶν τὴν θείαν μυσταγωγίαν ἐν τῷ περιβλέπτῳ ναῷ τῆς ἁγίας Σοφίας ἐπιτελούντων· οἳ καὶ θεασάμενοι αὐτὸν ἀναισχύντως εἰς τὸ θυσιαστήριον εἰσιόντα, καταλιπόντες ἡμιτελῆ τὴν λειτουργίαν, ἔφυγον. ὁ δὲ Φώτιος τοὺς ἱερεῖς κυρίου καὶ συλλειτουργοὺς ἡμῶν μετὰ πολλῆς βίας καὶ μαστίγων πολλῶν πρὸς ἑαυτὸν ἐπεσπάσατο καὶ ἄκοντας. ἐγὼ δὲ καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ ἐπίσκοποι, πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι, καὶ πάντες οἱ κατὰ τὴν δύσιν καὶ ἑῴαν ἡγούμενοι, μοναχοί τε καὶ ἡσυχασταί, πλῆθος οὐκ ἀριθμητόν, τῇ θείᾳ χάριτι διεφυλάχθημεν ἀπαράτρωτοι, μήτε πρότερον, μήτε ὕστερον κοινωνήσαντες τῷ Φωτίῳ. ὃς ἐπεὶ ἀκανονίστως, ὡς εἴρηται, ἐπέβη πάλιν, ἀμφιβολίαν

PAR. III. CAP. IV.

A Ignatio, Photium contra pontificis decretum in patriarchali throno collocarunt, atque ad apoſtolicam cathedram cum regiis & Photianis literis reverterunt. Hic monachus & archimandrita Theognoſtus rei indignitate commotus, veſte mutata, clam & ipſe Romam ſæculari habitu properavit, cauſamque Ignatii ſanctiſſimo papæ Nicolao totam expoſuit: qui mox coacta ſynodo ſuos legatos Rhadoaldum & Zachariam, ut qui contra decreta feciſſent, honore epiſcopatus exuit. Aliaque rurſum celebrata ſynodo Photium adulterum & invaſorem anathemate vinxit, Ignatiumque patriar- B cham germanum renuntiavit, actaque omnia Michaeli & Photio tranſmiſſa declaravit. Poſtquam autem imperium ad Baſilium eſt devolutum, divino ille concitatus Spiritu acta Romæ a papa Nicolao de Photii exauctoratione, & Ignatii reſtitutione rata habuit, Ignatiumque ab exilio revocavit, Photiumque dejecit, & legatos ad apoſtolicum thronum, ex Ignatii & Photii, ſuaque parte miſit, atque ſynodicum Photii contra Nicolaum volumen ex fabulis & mendaciis conflatum adjunxit. Sed Nicolao mortuo, legati Hadrianum ſucceſſorem offenderunt, apud quem legationem totam expoſue- C runt. Hadrianus papa rurſum indicto concilio provinciali, eadem beati papæ Nicolai contra Photium decreta confirmavit, ſelectoſque religioſos viros Conſtantinopolim miſit: ibique concilio generali coacto, præſentibus etiam patriarcharum orientalium vicariis, rurſus eſt in Photium damnationis ſententia pronuntiata, ut qui more adulteri eccleſiam Conſtantinopolitanam invaſiſſet, deponens eum & anathemati ſubdens, Ignatiumque reſtituens. Sed nec dum Photius impietatis conſilia abjecit aut quievit, ſed impios quoſdam præſtigiatores & impoſtores conduxit, perjuroſ- D que calumniatores appoſuit, atque ſanctiſſimum Ignatium indigniſſimis modis vita ſpoliandum curavit. Quin & Ignatio ſuo adhuc in throno reſidente, ille ab œcumenico concilio exauctoratus execratuſque Photius in provincia Conſtantinopolitana complures ordinationes fecit: & cum armata manu, quemadmodum impius olim Macedonius, in eccleſiam Dei, ſymmyſtis noſtris in auguſto Sophiæ templo Deo operantibus, inſiliit. Quem cum ſacrificantes in locum ſacrificii irrumpentem cernerent, rem ſacram inchoatam reliquerunt, indeque profugerunt. Photius autem ſacerdotes domi- E ni ſymmyſtas noſtros renitentes, multis plagis afflictos ad ſe pertraxit vel invitos. Ego vero & qui mecum erant epiſcopi, presbyteri, diaconi, juxtaque mecum omnes ad orientem & occidentem cœnobiorum præſides, vitæque monaſticæ & ſolitariæ cultores, quos nemo facile numeraverit, Dei beneficio integri intactique permanſimus, penituſque nos ab ejus ſocietate ſejunximus, nec antea, nec poſtea communione illius inquinatos. Is vero cum, ut dictum eſt, patriarchatum contra canonicas ſanctiones iterum invaſiſſet,

mul-

multos reddidit perplexos, qui aſſerebant a ſe non receptum iri Photium, donec a Romana & apoſtolica ſede eſſet confirmatus. Quod cum ille advertiſſet, ſimpliciores in hunc modum circumvenit. Paulum & Eugenium epiſcopos Joannes papa ad patriarcham Ignatium de cauſa Bulgaricæ provinciæ miſerat: quos defuncto jam Ignatio Photius excepit, partimque donis corrupit, partim regiis minis perculſos impulit, ut in conventu cleri, epiſcoporum & univerſi populi teſtarentur, ſe a papa Joanne adverſus Ignatium miſſos, ut Ignatium anathemate ferirent, & Photium patriarcham renuntiarent. Atque hinc factum eſt, ut plurimi ſymmyſtarum noſtrorum ſint ab illo decepti. Photius porro cum & veſtro apoſtolico throno vellet imponere, Ignatii patriarchæ nomine ſymmyſtarumque illius, libellum compoſuit, quo ſacram apoſtolicæ ſedis ſanctitatem rogitabant, uti Photium reciperet; & hunc libellum ad vos miſit. Hinc Petrus presbyter a vobis huc ad urbem regiam miſſus, re cum Paulo & Eugenio communicata, Photium velut jam ab apoſtolica ſede receptum una cum illis proclamavit. Inde Photius omnia impune auſus, politicas quoque curas ſuſcipere, atque ita & ipſam regiam poteſtatem ſibi ſenſim uſurpare cœpit. Abbatulum enim quemdam obſcurum & ignobilem, præſtigiatorem inſuper & magum ſibi adjunxerat, cujus pater cognomento Santabarenus, ſecta Manichæus, arte magus erat: qui & deprehenſus ne etiam comprehenderetur, ad Bulgaros adhuc idolorum dæmonumque cultores profugit, ubi fidem & Chriſtum ejuravit. Hujus ergo quem dixi filius Abbatulus in urbe regia Conſtantinopoli relictus, a Barda Cæſare admodum adoleſcens in Studitarum cœnobium traditus eſt, ibique detonſus. Cumque adoleviſſet, omnique ſcelere pectus imbuiſſet, Photio moribus ſimillimo adhæſit, quem Photius in priore patriarchatus tyrannide ſacerdotem conſecravit. Photio vero poſt factam ab œcumenica ſynodo publicam ſui exauctorationem de throno dejecto, Abbatulus, de quo ſæpe dictum, Santabareni filius ſuggerit, ut aliquem ex palatinis imperatori familiaribus venetur: per illum enim Photium poſſe reſtitui affirmabat. Repertus ergo Nicetas a cubiculo, cognomento Clæuſa, qui plurimis captus donis, comparata a Santabareno præſtigiatore pharmaca, eſculenta & poculenta medicata imperatori apponit; inviſumque prius Photium, carum illi gratumque reddit. Ergo Ignatio adhuc in patriarchio ſedente, Photium imperator e loco qui Stenum dicitur, in regiam acceſſit, atque in palatio contubernium aſſignat; ut Photius patriarcha potius eſſet quam Ignatius, quamvis thronum teneret. Quare, ut ſupra narrabamus, etiam conſecrationes celebrabat, adeoque imperatori inviſum reddidit Ignatium, ut illum etiam male perditum iret. Ignatio igitur ita per ſcelus ſublato, continuo Photius thronum invaſit, ſecum habens Santabarenum; quem etiam imperatori familiariſſimum

πολλοῖς ἐνέβαλε, λέγουσιν, ὅτι οὐκ ἀποδεχόμεθα τοῦτον εἰ μὴ συναινέσει καὶ ὁ ἀποστολικὸς θρόνος Ῥώμης τῆς πρεσβυτέρας. ὃ δὴ μαθὼν ἐκεῖνος, τοὺς ἁπλουστέρους οὕτως ἠπάτησε. Παῦλον γὰρ καὶ Εὐγένιον τοὺς ἐπισκόπους παρὰ τοῦ πάπα Ἰωάννου ἀποσταλέντας πρὸς Ἰγνάτιον τὸν πατριάρχην περὶ τῆς Βουλγαρικῆς ἐπαρχίας, καὶ εὑρόντας ὅτι ὁ μακάριος Ἰγνάτιος τέθνηκε, παραλαβὼν ὁ Φώτιος, δώροις ἠπάτησε καὶ βασιλικαῖς ἀπειλαῖς, εἰπεῖν ἐνώπιον τοῦ κλήρου καὶ τῶν ἐπισκόπων, καὶ τοῦ λοιποῦ λαοῦ, ὅτι κατὰ Ἰγνατίου ἀπεστάλησαν παρὰ τοῦ πάπα Ἰωάννου, ὥστε ἀναθεματίσαι μὲν αὐτὸν, τὸν δὲ Φώτιον πατριάρχην ἀναγορεῦσαι. διὸ καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν συλλειτουργῶν ἡμῶν ἠπατήθησαν. ἐκεῖνος δὲ καὶ τὸν ὑμέτερον ἀποστολικὸν θρόνον ἀπατῆσαι βουληθεὶς, γραμμάτιον συνεγράψατο ὡς ἐκ προσώπου Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου καὶ τῶν αὐτοῦ συλλειτουργῶν, ὡς δῆθεν παρακαλούντων τὴν ἱερὰν ὁσιότητα τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, ὥστε δεχθῆναι τὸν Φώτιον· καὶ τοῦτο πρὸς ὑμᾶς ἐξαπέστειλεν. διὸ καὶ Πέτρος ὁ πρεσβύτερος ἐξ ὑμῶν εἰς τὴν βασιλεύουσαν ἀνελθὼν, καὶ συνελθὼν Παύλῳ καὶ Εὐγενίῳ, τὸν Φώτιον ὡς ἀποδεδεγμένον παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἐκήρυξεν. ἐντεῦθεν ἀδείας δραξάμενος, καὶ πολιτικὰς φροντίδας εἰς ἑαυτὸν ἀνελάβετο, καὶ οὕτω καὶ αὐτὴν τὴν βασίλειον ἐξουσίαν ὑφαρπάσαι ἐπειρᾶτο. καὶ γὰρ Ἀββάδιον ἀγνῶτα καὶ ἄσημον, γοητικόν τε καὶ μαγικὸν ᾠκειώσατο, οὗ ὁ πατὴρ τὸ ἐπίκλην μὲν Σανταβαρηνὸς, Μανιχαῖος δὲ τὴν αἵρεσιν, καὶ γόης τὸ ἐπιτήδευμα ἦν· ὃς καὶ ἐπιγνωσθεὶς καὶ κινδυνεύων κρατηθῆναι, πρὸς τοὺς Βουλγάρους ἀπῆλθεν ἔτι νοσοῦντας τὴν ἀθεΐαν τε καὶ ἀσέβειαν, ὅπου κἀκεῖνος τὴν τῶν Χριστιανῶν ἐξωμόσατο πίστιν. ὁ δὲ δὴ τούτου παῖς τὸ ῥηθὲν Ἀββάδιον εἰς τὴν βασιλεύουσαν Κωνσταντινούπολιν περιλειφθεὶς, νεάζον ἔτι τὴν ἡλικίαν, παραδίδοται τῇ Στουδίου μονῇ παρὰ Βάρδα τοῦ Καίσαρος, κἀκεῖ τὴν τρίχα ἐκάρη. εἰς μέτρον δὲ ἡλικίας ἐλάσαν, καὶ πᾶσαν κακουργίαν διαπραξάμενον, προσκολλᾶται τῷ ὁμοιοτρόπῳ Φωτίῳ, ὃν καὶ ἐχειροτόνησε Φώτιος ἱερέα ἐν τῇ προτέρᾳ αὐτοῦ βιαστικῇ εἰς τὴν πατριαρχικὴν ἀξίαν ἀνόδῳ. ὡς δὲ ἀπεβλήθη Φώτιος τοῦ πατριαρχικοῦ θρόνου, μετὰ τὴν τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου ἀποκήρυξιν, ὑποτίθησιν αὐτῷ ὁ τοῦ Σανταβαρηνοῦ υἱὸς πολλάκις τὸ προρρηθὲν Ἀββάδιον αἱρεῖν τινα τῶν τοῖς βασιλείοις ᾠκειωμένων· δύνασθαι γὰρ ἔλεγε διὰ τούτου ἀποκαταστῆσαι πάλιν τὸν Φώτιον. εὑρέθη οὖν Νικήτας κοιτωνίτης ὁ ἐπιλεγόμενος Κλαίουσα, καὶ δώροις πλείστοις ἀπατηθεὶς, τὰ κατασκευασθέντα παρὰ τοῦ γόητος Σανταβαρηνοῦ μαγικὰ, ὕδατά τε καὶ βρώματα τῷ βασιλεῖ παραθεὶς, πεποίηκε φίλον αὐτῷ τὸν μεμισημένον Φώτιον. καὶ τοῦ ἁγιωτάτου Ἰγνατίου τὸν θρόνον κατέχοντος, τὸν Φώτιον ἐκ τοῦ λεγομένου Στενοῦ ἀνεκαλέσατο πρὸς τὰ βασίλεια, καὶ ἐν τῷ παλατίῳ εἶχε σύνοικον, ὡς μᾶλλον τοῦτον πατριάρχην εἶναι ἢ τὸν Ἰγνάτιον, κἂν ἐν τῷ θρόνῳ καθίδρυτο. διὸ, ὡς ἀνωτέρω ἔφθημεν εἰπεῖν, καὶ χειροτονίας ἐποίει, καὶ τοσοῦτον τὸν βασιλέα κατὰ τοῦ Ἰγνατίου διήγειρεν, ὡς καὶ τὸ ζῆν αὐτὸν κακῶς ἀφαιρεθῆναι. οὗ καὶ κακῶς οὕτως ἀποθανόντος, εὐθὺς ὁ Φώτιος εἰς τὸν θρόνον αὐτοῦ ἐκάθισεν ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ καὶ τὸν Σανταβαρηνὸν, ὃν καὶ τῷ βασιλεῖ σφόδρα ᾠκείωσε· καὶ



καὶ ἐπίσκοπον Εὐχαΐτων ἐποίησε· μοναστήριά τε περιφανῆ ἐν ἑτέραις ἐπαρχίαις διακείμενα, καὶ ἑτέροις ἐπισκόποις ὑποκείμενα, ἐξ ἐκείνων μὲν ἀφείλετο, τῷ Σανταβαρηνῷ δὲ ἐπέδωκεν, ὡς προσενωθῆναι ταῦτα τῇ τῶν Εὐχαΐτων ἐκκλησίᾳ, καὶ ἐπισκόπους ἐν αὐτοῖς παρὰ τοῦ Σανταβαρηνοῦ χειροτονηθῆναι. οὗτος σὺν τῷ Φωτίῳ κατὰ τοῦ νῦν ἡμῶν βασιλεύοντος εὐσεβεστάτου Λέοντος βουλεύονται βουλὴν πονηρὰν, ὑποβαλόντες κατ' αὐτοῦ τὸν πατέρα Βασίλειον, ὡς ἐπιβούλου καὶ ἐναντίου τῶν πατρικῶν θελημάτων. ἐπεὶ γὰρ ἐνόσησεν ὁ Βασίλειος νόσον δυσίατον, καὶ πρὸς τὸ θανεῖν γέγονεν, ὑπέλαβον, ὡς ἐκείνου θανόντος, καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκποδὼν γενομένου, αὐτοὶ καθέξουσι τὴν βασιλείαν, ἢ δι' ἑαυτῶν, ἢ δι' ἑτέρου, οὗ βούλονται, προσώπου ταύτην οἰκονομοῦντες. ἀλλ' οὐκ εἴασεν εἰς τέλος ἐκβῆναι τὴν πονηρίαν αὐτῶν ἡ τοῦ Θεοῦ πρόνοια. κἂν γὰρ ἐν ἰδιώταις ἀπελύθη διὰ τοῦτο ὁ υἱὸς Λέων παρὰ τοῦ πατρὸς Βασιλείου, καὶ ἐν φυλακῇ ἦν φρουρούμενος, ἀλλ' εἰς τὸν βασιλικὸν θρόνον ἀνήχθη μετὰ τὸν θάνατον τοῦ πατρός. οὗτος τὸν μὲν Φώτιον εὐθὺς ἐξωθεῖ, ὡς παράνομα καὶ ἄθεσμα πολλὰ διαπραξάμενον, ἡμᾶς δὲ τοὺς μὴ πειθομένους ἐκείνῳ, καὶ διὰ τοῦτο πεῖραν πολλῶν λαβόντας δεινῶν, ἐλευθέρους ἐκείνων ἀπέδειξεν.

Ἐπεὶ δὲ ἴσμεν, ὅτι ἐκ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου τὸ ἰθύνεσθαι καὶ κανονίζεσθαι ἔχομεν, τούτου χάριν διὰ τοῦ ἁπλοῦς ἡμῶν γράμματος τὴν ὑμετέραν παρακαλοῦμεν σεβασμιότητα, καὶ σπλαγχνισθῆναι ὑμᾶς δεόμεθα εἰς λαὸν, τὸν μὴ χωρὶς ἀλόγου αἰτίας τὴν τοῦ Φωτίου χειροτονίαν δεξάμενον, καὶ πρότερον μὲν * τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ὑμῶν τοὺς ἀποκρισιαρίους Ῥαδοάλδον καὶ Ζαχαρίαν, τοὺς τὸν Φώτιον ἀπ' ἀρχῆς καθιδρυκότας εἰς τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, εἶτα δὲ καὶ Εὐγένιον καὶ Παῦλον, τοὺς τὸ δεύτερον τῷ αὐτῷ Φωτίῳ κοινωνήσαντας, μὴ τῇ τοῦ Φωτίου ἀπωλείᾳ συναπολέσθαι, μηδὲ ἕτερον ἀναρίθμητον πλῆθος ἐκδιωχθῆναι· τοῦτο γὰρ σύνηθες τῇ ἐκκλησίᾳ ἐστίν. ἡ γὰρ οἰκουμενικὴ τετάρτη σύνοδος τὸν μὲν ἔξαρχον τῆς δυσσεβείας Διόσκορον τὸν φονέα Φλαβιανοῦ τοῦ μακαρίου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως καθῄρησεν ὡς φονέα καὶ αἱρετικὸν, καὶ ἀκοινωνησίαν τολμήσαντα ἐπαγαγεῖν τῷ ἁγιωτάτῳ πάπᾳ Λέοντι· τοὺς δὲ ὑπὸ Διοσκόρου εἴτε χειροτονηθέντας, εἴτε ὑποπεσόντας, ἀλλὰ μὴν διώκτας τῆς εὐσεβείας γεγονότας, διὰ μετανοίας ἐδέξατο. καὶ ἡ ἐν Νικαίᾳ δὲ ἑβδόμη σύνοδος τοὺς ἀρχηγοὺς μὲν τῆς εἰκονομαχικῆς αἱρέσεως ἀπεκήρυξε, τοὺς δὲ ἀκολούθους αὐτῶν διὰ μετανοίας ἐδέξατο. ὅθεν χρὴ καὶ τὴν σὴν ἐνάρετον πλειότητα, τὸν μὲν Φώτιον, ὡς ἐξ ἀρχῆς σχισματικὸν, καὶ παρ' ὁμοίων τὴν χειροτονίαν ἀκανονίστως εἰληφότα, καὶ διὰ πολλὰ ἄλλα ἃ εἰργάσατο ὅμοια, ἀποδιῶξαι. τοὺς γε μὴν ἐξ αὐτοῦ ὡς ἐξ ἀπάτης φενακισθέντας, συμπαθείας οἰκονομικῶς ἀξιωθήσεσθαι πρεσβεύομεν, ὡς ἂν γένηται εἰρηνικὴ κατάστασις τῇ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίᾳ· ἵνα μὴ οἱ μὲν Ἀπολλῶ, οἱ δὲ Κηφᾶ, οἱ δὲ Παύλου ὦσι, καὶ οὕτω διαιρῆται τὸ ἓν σῶμα τῆς ἐκκλησίας· ἀλλ' ἵνα πάντες ὁμοθυμαδὸν ὡς μίαν ἔχοντες κεφαλὴν, τὸν πάντων Χριστὸν Θεὸν τὸν σωτῆρα ἡμῶν, κοινῇ τούτῳ τὸν ὕμνον πέμπωμεν, καὶ τὰ προστάγματα αὐτοῦ ὁμοίως κηρύττωμεν· μὴ δι' ἕνα ἄνθρωπον ἁμαρτόντα τοσοῦτον πλῆθος ἀπόληται.

* ἴσ. διὰ τοὺς τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἀποκρ.

reddidit, atque Euchaitorum epiſcopum creavit; cœnobiaque illuſtria aliis in provinciis ſita, aliiſque epiſcopis ſubjecta ipſis eripuit, & Santabareno tradidit; ita ut Euchaitorum eccleſiæ jungerentur, ſuoſque epiſcopos a Santabareno initiatos acciperent. Hic una cum Photio contra religioſiſſimum imperatorem, qui nunc rerum potitur, Leonem init conſilium peſſimum, patremque Baſilium a filio tamquam inſidiatore, & patris voluntati repugnante, alieniſſimum reddit. Nam cum Baſilius exitiali morbo correptus eſſet, jamque in ultimis verſaretur, putaverunt (Photius & Santabarenus) ſe, Baſilio mortuo, filioque procul amoto, facile regnum occupaturos, illudque vel per ſe, vel per alium, quem vellent, adminiſtraturos. Sed enim Dei providentia conſilia eorum, antequam ad exitum perducerentur, diſſipavit. Quamvis enim Leo filius a patre Baſilio in ordinem redactus privatus ageret, & in cuſtodia teneretur, patre tamen extincto imperium tenuit, & Photium multa impie nefarieque auſum de throno mox dejecit, & nos multis ærumnis (quod ei non obſequeremur) afflictos in libertatem vindicavit.

Cum autem ſciamus, nos ab apoſtolica veſtra ſede regi, & gubernari debere, propterea noſtris exiguis literis veſtram venerandam dignitatem rogamus, uti populo, qui non ſine gravi cauſa Photium admiſit, veniam miſericordiamque indulgere velit. Nam prius Rhadoaldi & Zachariæ legatorum veſtrorum auctoritate inductus hoc fecit, qui Photium ab initio patriarcham in ſede Conſtantinopolitana collocarant; deinde Eugenii & Pauli, qui Photium denuo ad communionem admiſerunt; ne una cum Photio in exitium trahatur, & infinita vis hominum aliorum ab eccleſia proſcribatur. Hoc enim in eccleſia uſu receptum eſt. Nam quartum concilium generale impietatis anteſignanum Dioſcorum, beatiſſimi Flaviani patriarchæ Conſtantinopolitani interfectorem, tamquam hæreticum & parricidam, quique auſus eſſet in ſanctiſſimum papam Leonem excommunicationem torquere, exauctoravit; conſecratos autem a Dioſcoro, aut illum ſecutos, & lapſos, factoſque fidei perſecutores, per pœnitentiam recepit. Nicæna quoque VII. ſynodus Iconomachorum duces quidem damnavit; verumtamen eorum ſectatores, cum eos impietatis pæniteret, admiſit. Quapropter par eſt, ut & tua ſingularis virtus Photium quidem jam tum a principio ſchiſmaticum, & a ſchiſmaticis contra ſacras leges inauguratum, aliaque multa facinora auſum proſcribat. Sed per fraudem ab illo circumventos, rogamus, ut commiſeratione veniaque per diſpenſationem proſequare, ut eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pax reddatur, & non ſint alii quidem Apollo, alii vero Cephæ, alii demum Pauli; & ita corpus eccleſiæ quod unum eſt, diſtrahatur; ſed omnes Chriſtum Deum velut unum caput, communemque omnium noſtrum ſalvatorem uno ore celebremus, mandata ejus pariter prædicemus; ne propter unius ſcelus tanta hominum multitudo funditus intereat.

Ete-

PAR. III. CAP. V.

Etenim nos, ut diximus, cum juſſu Deo dilectorum principum Conſtantinopolim evocati veniſſemus, multis nos ad Photianorum communicationem hortantibus, jurantibuſque, ab apoſtolica ſede per diſpenſationem illis permiſſum eſſe, ut rite ſacerdotum munere fungi poſſint; fidem tamen illis nequaquam habendam putavimus, donec a tua ſanctitate certius aliquid & firmius afferatur. Nullus porro eorum, venerande pontifex, vel ipſo Deo teſte, qui cum Photio communicarunt, ſua id voluntate fecit, ſed vi compulſus eorum qui tum rerum potiebantur. Quamobrem rogamus tuam ſanctitatem, uti deſperabundi populi miſerearis. Rogat te ipſe Petrus, cujus locum thronumque, ut adminiſtres, ſortitus es, qui a communi cunctorum domino etiam iis qui ſcientes volentes peccant, ſeptuagies ſepties didicit ignoſcere. Exaudi nos; ſic tute etiam ſupernam Dei clementiam experiaris, ut deprecatu ſanctiſſimæ Dei genitricis, virtutum cæleſtium, apoſtolorum, prophetarum, martyrum, confeſſorum ac beatorum omnium, quam diutiſſime apoſtolicam eccleſiam adminiſtres.

Epiſtola, qua reſpondetur ad ſuperiorem, cujus hæc eſt inſcriptio,

Extat infra tom. XI. ſub Stephano papa V. ſed eſt alterius verſionis.

*Stephanus ſervus ſervorum Dei cunctis ubique terrarum degentibus epiſcopis & clericis reliquis.*

V.

CAtholica Chriſti Dei noſtri eccleſia ædificata ſupra firmam petram, quæ eſt apoſtoli Petri confeſſio, etſi quam plurimis tempeſtatum fluctibus & turbinum procellis agitetur, tamen ſolidatur magis & creſcit. Nec mirum videri debet, ſi malignus eccleſiæ membra tentamentis aggrediatur, quando idem caput eccleſiæ dominum noſtrum Jeſum Chriſtum tentare non dubitavit. Quare mirandum non eſt, ſi ſatis inviſum ab eccleſia Photium ejeciſtis, qui ipſam quoque vivificam crucem, per quam omnia ſacra ſacerdotii miniſteria peragantur, a qua ipſe fons ſacri baptiſmatis ſanctitatem accipit, ludificatus eſt. Si ergo is quem modo dixi, laicus (Photius) viam regiam inſtitiſſet, & a patrum decretis & ſanctionibus non receſſiſſet, nunquam in tantam inſaniam incidiſſet. Hinc illi qui humilitatem Chriſti, hoc eſt, venerandam ejus crucem irriſerunt, non ſecus ac primogenita Ægypti percuſſi ſunt. Tunc quidquid Iſraelis ſignatum erat, ſalvum fuit. Quid enim ſanguis agni in Iſraelitarum poſtibus erat aliud, quam crux patientis Chriſti, qua credentium frontes inſigniuntur? Qui ergo ſalutarem crucem contemnit, euangelico gladio mactatur. Sed de Photio vos quidem ita ſcripſiſtis: Nos vero lectis imperatoris literis, eas plurimum a veſtris diſcrepare animadvertimus. Ita enim illæ: Photium vitam privatam & quietam amplexum, ſponte animi per chirographum ſe patriarchatu, humilitate ſuperbiæ antepoſita, id quod privata ejus teſtatur vita, abdicaſſe. Hinc nos ancipiti cogitatione diſtracti hæremus: multum enim differt voluntaria abdicatio a violenta ejectione. Quare nos abſque diligenti totius rei indagatione nullam poſ-

ANNO CHRISTI 870.

A καὶ γὰρ ἡμεῖς, ὡς φθάσαντες ἔφαμεν, τῇ τῶν φιλοχρίστων βασιλέων κελεύσει τὴν Κωνσταντινούπολιν καταλαβόντες, πολλῶν ἡμᾶς πρὸς τὴν κοινωνίαν ὠθούντων, καὶ διομνυμένων τούτους παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου οἰκονομίας χάριν ἐαθῆναι εἰς τὸ τὰ τῆς ἱερατικῆς ἀξίας ἀκωλύτως διαπλεῖν, οὐδαμῶς αὐτοῖς ἐπιστεύσαμεν, τὸ πιστὸν καὶ ἀναμφίλεκτον παρὰ τῆς σῆς ἁγιότητος ἐκδεχόμενοι. οὐδεὶς, ὦ τιμία κεφαλὴ, ἐπὶ Θεῷ μάρτυρι, τῶν τῷ Φωτίῳ κοινωνησάντων ἰδίᾳ γνώμῃ τοῦτο πεποίηκεν, ἀλλὰ βίᾳ τῶν τότε κρατούντων. δεόμεθα, τὴν σὴν ὁσιότητα ἐλεῆσαι λαὸν ἀπεγνωσμένον. δυσωπεῖ σε Πέτρος, οὗ τὸν θρόνον ἔλαχες διέπειν, ὃς συγ- B χωρεῖν ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ παρὰ τοῦ πάντων δεσπότου καὶ τοῖς ἐν γνώσει ἁμαρτάνουσιν ἐδιδάχθη. ἐπάκουσον ἡμῶν· καὶ λήψῃ καὶ αὐτὸς ἐκ Θεοῦ τὴν ἄνωθεν εὐμένειαν, καὶ μακρὸν χρόνον εἰς τὸ ἰθύνειν τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν πρεσβείαις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, τῶν νοερῶν δυνάμεων, ἀποστόλων, προφητῶν, μαρτύρων ὁσίων, καὶ πάντων τῶν ἁγίων.

Ἐπιστολὴ ἀντίγραφος πρὸς τὴν ἀνωτέραν ἐπιστολὴν, ἧς ἡ ἐπιγραφὴ ἔχει οὕτως.

Στέφανος ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, C τοῖς ἐν ἑκάστῳ κλίματι ἐπισκόποις καὶ λοιποῖς κληρικοῖς.

Η ΚΑΘΟΛΙΚΗ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν ἐκκλησία ἡ τεθεμελιωμένη ἐπὶ τῇ στερεᾷ πέτρᾳ, τῇ τοῦ ἀποστόλου Πέτρου ὁμολογίᾳ, κἂν πλείσταις ταραχαῖς καὶ καταιγίσιν ἀνέμων ταράττηται, ἀλλ' οὖν ἔτι καὶ στερεοῦται καὶ αὔξει. οὐ θαυμαστὸν, εἰ ὁ πονηρὸς τὰ μέλη τῆς ἐκκλησίας πειράζειν ἐπιχειρεῖ, ὁ καὶ τὴν κεφαλὴν τῆς ἐκκλησίας τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν μὴ ὀκνήσας πειράσαι. τοίνυν τὸν ἱκανῶς μεμισημένον Φώτιον οὐ θαυμαστόν ἐστιν εἰ τῆς ἐκκλησίας ἐκκήρυκτον πεποιήκατε, τὸν καταπαίξαντα καὶ D τὸν ζωοποιὸν τοῦ κυρίου σταυρὸν, δι' οὗ δὴ τιμίου σταυροῦ πάντα τὰ χαρίσματα τῆς ἱερατικῆς ὑπηρεσίας πληροῦται, καὶ ἡ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος κολυμβήθρα ἐν αὐτῷ ἁγιάζεται. τοίνυν ὁ προρρηθεὶς λαϊκὸς εἰ ὁδῷ βασιλικῇ ἐπορεύετο, καὶ τοῖς παρὰ τῶν πατέρων πεπηγμένοις ὅροις συνεσφίγγετο, εἰς τοσαύτην μανίαν οὐκ ἂν ἦλθε. διὸ οἱ τὴν ταπείνωσιν τοῦ Χριστοῦ, τὸν τίμιον δηλονότι σταυρὸν καταπαίζοντες ἐπατάχθησαν, ὥσπερ τὰ πρωτότοκα τῆς Αἰγύπτου. τότε γὰρ τὰ τῶν Ἰσραηλιτῶν ἐσφραγισμένα ὄντα διεφυλάχθησαν. τί δὲ ἄρα ἦν τὸ αἷμα τοῦ ἀμνοῦ τοῦ ἐν ταῖς τῶν Ἰσραηλιτῶν φλιαῖς, εἰ μὴ ὁ σταυρὸς τοῦ πάθους τοῦ Χριστοῦ, ὅ- E περ ἐν τοῖς μετώποις τῶν πιστῶν ἐσφραγίζεται; ὁ γοῦν τὸν σωτήριον σταυρὸν εἰς οὐδὲν λογιζόμενος, τῷ εὐαγγελικῷ ξίφει ἀναιρεῖται. ἀλλὰ περὶ μὲν τοῦ Φωτίου οὕτως ὑμεῖς ὑπεγράψατε· ἡμεῖς δὲ τὸ βασιλικὸν γράμμα ἀναγνόντες, πλεῖστον ἀπὸ τοῦ ὑμετέρου διϊστάμενον εὕρομεν. περιεῖχε γὰρ οὕτως, ὅτι Φώτιος ἰδιωτικὴν καὶ ἡσύχιον διαγωγὴν ᾑρετίσατο, καὶ ἐνυπογράφως τὸν θρόνον παρῃτήσατο, καὶ ἰδίως * τὰ περὶ ἑαυτοῦ συνεφώνησε, ταπείνωσιν ἀντὶ ὑπερηφανίας ἑλόμενος. οὗ δὴ χάριν ἐν ἀμφιβολίᾳ ἐγενόμεθα· πολὺ γὰρ διαφέρει τὸ παραιτήσασθαι τοῦ ἐξωθῆναι. ἡμεῖς τοίνυν ἄνευ ἀκριβοῦς ἐξετάσεως τὴν οἱανοῦν ἐξε- νεγκεῖν

* [illegible]



ANNO CHRISTI 870.

νεγκεῖν· διὸ καὶ ἀστείως τὴν ψῆφον παρεδράμομεν, καὶ χρεία ἐστὶν ἑνὸς ἑκάστου μέρους εὐλαβεστάτους ἐπισκόπους ἀποσταλῆναι, ὡς ἂν ἐξεταζομένης πάσης ἀμφιβολίας, καὶ ἐκ πάντων τῶν μερῶν τῆς ἀληθείας φανερουμένης, εἰπεῖν δυνησώμεθα ὃ ὁ Θεὸς δώσει. καὶ γὰρ ὡς κάτοπτρον καὶ ὑπόδειγμα ἡ ἁγία τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία ταῖς λοιπαῖς ἐκκλησίαις καθίσταται. καὶ εἴ τι ἂν ὁρίσῃ εἰς τὸν αἰῶνα ἀκλόνητον διαμένει· καὶ χρὴ μετὰ ἐξετάσεως τὰς κρίσεις φέρειν.

Ἑτέρα ἐπιστολὴ παρακλητικὴ, πεμφθεῖσα μετὰ ἔτη τρία παρὰ τοῦ αὐτοῦ μητροπολίτου Νεοκαισαρείας πρὸς τὸν αὐτὸν Στέφανον πάπαν Ῥώμης, ὅτε καὶ ἐκ τῶν ἐναντίων μερῶν κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ πάπα μητροπολίτης καὶ βασιλικὸς ἄνθρωπος μετὰ καὶ γραμμάτων βασιλικῶν ἦλθον.

Τῷ τὰ πάντα ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ Στεφάνῳ, καὶ οἰκουμενικῷ πάπᾳ, Στυλιανὸς ἐπίσκοπος Νεοκαισαρείας, καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ ἐπίσκοποι, Εὐσέβιος ἐπίσκοπος Ναζιανζοῦ, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Κομάνων, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Λεοντοπόλεως, καὶ οἱ λοιποὶ ἐπίσκοποι οἱ ἐν τῇ ἑτέρᾳ ἐπιστολῇ προγραφέντες.

ΤΑ θεῖα καὶ ἱερὰ γράμματα τῆς ὑμετέρας ἁγιοπρεποῦς καὶ ἐξοχωτάτης ἀρχιερωσύνης ἡ ἡμετέρα μετριότης δεξαμένη, ἥσθη ἐν τούτοις. καὶ μετὰ τὸ προοίμιον τῆς ἐπιστολῆς, ἐν ᾧ καὶ ἐγκώμιον τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, γέγραπται ταῦτα ῥητῶς. περιεῖχε τὸ σεβάσμιον τῆς σῆς ἐνθέου ἀρχιερωσύνης, ὅτι διαφωνία εὑρέθη ἐν τοῖς γράμμασι τῶν τε γαληνοτάτων ἡμῶν βασιλέων, καὶ τῆς ἡμῶν μετριότητος. ἡ δὲ αἰτία τῆς διαφωνίας ἐστὶν αὕτη. οἱ παραιτήσασθαι γράψαντες τὸν Φώτιον, αὐτοὶ τοῦτον καὶ ἱερέα ἐδέξαντο. ἡμεῖς δὲ οἱ μηδόλως τοῦτον ἴχνος ἱερωσύνης ὁμολογοῦντες ἔχειν κατὰ τὴν ἔννομον καὶ κανονικὴν κρίσιν τῶν ἀοιδίμων, τοῦ τε μακαρίου πάπα Νικολάου, καὶ τοῦ Ἀδριανοῦ, καθὼς καὶ ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει συγκροτηθεῖσα παρὰ τῶν τοποτηρητῶν τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας, καὶ τῶν τῆς ἀνατολῆς θρόνων τριῶν, πῶς ἠδυνάμεθα τὸν οὕτω κατακριθέντα ὡς παραιτησάμενον γράφειν; ἐθαυμάσαμεν δὲ καὶ πῶς, ὃν ἔγραψας ἀποκεκινημένον ἀπὸ τῆς στερεᾶς πέτρας τοῦ Χριστοῦ ἐν προοιμίοις τῆς ἐπιστολῆς, τοῦτον ἐν τῷ ταύτης τέλει ὡς ἔννομον ἀρχιερέα κριθῆναι ὀφείλειν ἔγραψας· πῶς ὁ ἀπόβλητος κριθήσεται; οὕτω γὰρ τὰ τῶν προκατόχων θεοφόρων ἀνδρῶν θεσπίσματα περὶ αὐτοῦ ἀθετοῦνται. ὅμως ὅσον τις ἐθέλει τὰ περὶ τὸν Φώτιον ἐξετάζειν, πλέον οἶμαι τὴν κατάκρισιν αὐτοῦ αὐξάνεσθαι. οὐ τἄλλα ἐῶμεν· ἃ δὲ κατὰ τοῦ ἀνεπιλήπτου τῷ ὄντι καὶ ἁγιωτάτου πάπα Μαρίνου συνέπλασε, ποῦ θήσεις; ἃ οὐκ ἀγνοεῖν σε οἴδαμεν, καθὼς ἡ πρὸς τὸν ἀοίδιμον Βασίλειον καὶ βασιλέα ἡμῶν γραφή σου δηλοῖ. ἀλλ' ἡμεῖς πάλιν τῶν προτέρων δεήσεων ἐχόμεθα περὶ τῶν δεξαμένων τὸν Φώτιον κατὰ βίαν, καὶ παρακαλοῦμεν ἐγκυκλίους ἐπιστολὰς πέμψαι πρὸς τοὺς πατριαρχικοὺς τῆς ἀνατολῆς θρόνους, ὡς ἂν καὶ αὐτοὶ τὴν παρ' ἡμῶν οἰκονομίαν δεξάμενοι, συνασμενίσωσι καὶ ἐπισφραγίσωσι, καὶ

PAR. III. CAP. IV.

A ſumus ſententiam proferre. quapropter & nuper ſententiam diſtulimus; & oportet, ut ab utraque parte reverendiſſimi epiſcopi legati mittantur, ut omni diſcuſſa dubitatione, veritateque ex omnibus partibus explorata, quod Deus ſuggeſſerit, judicare poſſimus. Etenim ſancta Romana eccleſia velut ſpeculum quoddam & exemplar eccleſiis ceteris propoſita eſt: quæ ſi quid definierit, id omnibus ſæculis firmum inconcuſſumque manet. Par eſt ergo, ut abſque cauſæ cognitione judicium & ſententia non pronuntietur.

Alia deprecatoria ejuſdem metropolitæ B Neocæſareæ poſt triennium ad eumdem Stephanum papam Romanum miſſa, quando ex præſcripto papæ ab adverſaria parte metropolita, homoque palatinus cum literis imperatoriis Romam venerunt.

*Longe ſanctiſſimo beatiſſimoque Stephano papæ œcumenico, Stylianus epiſcopus Neocæſareæ, meique ſymmyſtæ epiſcopi, Euſebius epiſcopus Nazianzi, Joannes epiſcopus Comanorum, Joannes epiſcopus Leontopolis, ceterique epiſcopi in ſuperiore epiſtola præfixi.*

VI.

C DIvinas ſacraſque ſanctæ magnificæque & excellentiſſimæ pontificiæ dignitatis veſtræ literas noſtra tenuitas accepit, magnamque inde voluptatem percepit, &c. Poſt exordium epiſtolæ, quo apoſtolici throni illuſtre elogium continetur, hæc diſerte præſcripta ſequuntur. Continebat veneranda pontificatus tui majeſtas literis ſuis, ſereniſſimorum imperatorum noſtrorum literas cum noſtris non conſenſiſſe. Hujus rei cauſa hæc eſt. Qui Photium ſponte renuntiaſſe dignitatem ſcripſerunt, illi ipſi Photium ut ſacerdotem receperunt. Nos autem nullum in Photio agnoſcentes veſtigium ſacerdotii ſecundum legitimum & canonicum laudatiſſimorum D pontificum Nicolai & Hadriani judicium, quemadmodum & ſancta ac œcumenica ſynodus Conſtantinopoli a legatis apoſtolicæ cathedræ, & trium orientis thronorum vicariis celebrata promulgavit; quomodo potuimus in hunc modum damnatum, tamquam ſponte abdicatum ſcribere? Illud vero mirari ſubiit, quo pacto, quem a firma Chriſti petra rejectum in exordio epiſtolæ ſcripſeras, eumdem poſtea in fine epiſtolæ, tamquam legitimum antiſtitem judicandum ſcripſeris. Quonam modo is qui rejectus eſt, judicabitur? Nonne ſic patrum ſanctorum prædeceſſorum decreta infringuntur? Tamen ſi quis in Photium curioſius velit inqui- E rere, is, opinor, damnationem ejus magis etiam confirmabit. Ut enim alia mittamus, illa quæ contra integerrimum & revera ſanctiſſimum papam Marinum confinxit, quo loco ponis? quæ te tamen non ignorare certo ſcimus, quemadmodum & literæ tuæ ad laudatiſſimum Baſilium imperatorem noſtrum declarant. Sed nos rurſum ad preces converſi, pro illis qui Photium vi receperunt, deprecamur & rogamus, ut encyclicas literas ad orientis patriarchas mittas, ut ipſi quoque diſpenſationem noſtram ratam habeant, confirmentque & obſignent; præ-

PAR. III. CAP. VII. ſertim cum ſapientiſſimus noſter imperator roget, qui nos ex tenebris & umbra mortis eduxit, lumenque libertatis impertivit. Non eſt contra canones, Photium quidem eſſe damnatum, eos vero qui inviti eum receperunt, per pœnitentiam in gratiam recipi. hoc enim & magnus ille Athanaſius patriarcha Alexandrinus ad Rufinum ſcripſit: In conciliis hæreſiarchas dumtaxat, & auctores ſchiſmatum eliminandos, ceteros autem per diſpenſationem recipiendos. Pax toti mundo & nobis in Chriſto Jeſu per glorioſiſſimæ dominæ noſtræ Dei genitricis, & deiformium angelorum, & clariſſimorum apoſtolorum, ſanctorumque omnium preces multiplicetur.

*Epiſtola, quæ ad præcedentem reſpondetur, data a ſanctiſſimo papa & ſucceſſore beati Stephani Formoſo ad eumdem Stylianum. Illo enim morte prævento Formoſus reſpondit.*

VII. LIteras ſanctitatis tuæ ad ſedem apoſtolicam datas ſane quam libenter accepimus. Et poſt multa alia quæ continebat epiſtola, hæc ſequuntur: Petis miſericordiam, & non addis, quomodo, aut cuinam; laico, an ſacerdoti. Si laico, venia dignandus eſt, ut qui a laico dignitatem acceperit. Si ſacerdoti, non perpendis, honorem ab illo nullum tribui poſſe, qui ipſe honore careat. Photius nihil dare potuit præter damnationem, quam per impiæ manus impoſitionem habuit, damnationemque dedit. Quomodo dignitatem accipiat is, qui damnato ſocius adhæret? Cave ne dum pro conſecrato rogas, conſecrantem potius foveas; id quod a domino dictum eſt: *Aut facite arborem bonam, & fructus ejus bonos: aut facite arborem malam, & fructus ejus malos. Numquid poteſt ficus uvas proferre, aut vitis ficos?* (Matth. 12.) Æquum ergo eſſet ab hac eccleſia, ad quam talia ſpectant, graviſſimas conſtitui pœnas, per quas eccleſia veſtra perfecte repurgaretur. Sed cohibet nos clementia & benignitas, ut alia quidem toleremus, alia vero ſtirpitus convellamus. Quapropter a latere noſtro religioſiſſimos epiſcopos Landulphum Capuanum, & Romanum miſimus, quibuſcum ut tua ſanctitas conveniat, hortamur; Theophylactum quoque Ancyræ metropolitam, & Petrum fidelem noſtrum. Ita tamen, ut ante omnia, ſententia damnationis ab anteceſſoribus noſtris œcumenicis pontificibus in ſynodis, in prævaricatorem & legum violatorem Photium pronuntiata, atque a noſtra inſuper humilitate confirmata, in perpetuum inconcuſſa immutataque permaneat. In eos vero qui a Photio conſecrati ſunt, clementem ſententiam tulimus, ut datis libellis ſupplicibus fateantur ſe peccaſſe, veniam per pœnitentiam petant, polliceanturque nihil ſe amplius hujuſmodi peccaturos. His ita peractis, tua ſanctitas ex noſtro mandato, una cum ſupradictis legatis, cetera omnia tranſigat,

ANNO CHRISTI 870. διὰ τὴν ἀξίωσιν τοῦ σοφωτάτου ἡμῶν βασιλέως τοῦ ἐξαγαγόντος ἡμᾶς ἐκ σκότους καὶ σκιᾶς θανάτου, καὶ δωρησαμένου ἡμῖν φῶς ἐλεύθερον. οὐκ ἔστιν ἀκανόνιστον τὸ, τὸν μὲν Φώτιον καθῃρημένον εἶναι, τοὺς δὲ βίᾳ τοῦτον δεξαμένους καὶ νῦν μετανοήσαντας δεχθῆναι. τοῦτο γὰρ καὶ ὁ μέγας Ἀθανάσιος ὁ πατριάρχης Ἀλεξανδρείας πρὸς Ῥουφῖνον ἔγραψεν· ὅτι δεῖ ἐν ταῖς συνοδικαῖς συνελεύσεσι τοὺς ἀρχηγοὺς καὶ μόνον τῶν αἱρέσεων καὶ τῶν σχισμάτων ἀπορρίπτεσθαι, τοὺς δὲ λοιποὺς οἰκονομίας τρόπῳ ἐπαναλαμβάνεσθαι. εἰρήνη τῷ κόσμῳ καὶ ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πληθυνθείη πρεσβείαις τῆς ὑπερενδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, τῶν θεοειδῶν ἀγγέλων, τῶν πανευφήμων ἀποστόλων, καὶ πάντων τῶν ἁγίων.

Ἐπιστολὴ ἀντίγραφος πρὸς ταύτην τὴν ἀναγεγραμμένην, γραφεῖσα παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα καὶ διαδόχου τοῦ μακαρίου Στεφάνου πρὸς τὸν αὐτὸν Στυλιανὸν Φορμώσου. ἐκείνου γὰρ μὴ φθάσαντος ἀντιγράψαι, ἔγραψε Φόρμωσος.

ΤΑ τῆς σῆς ἁγιωσύνης γράμματα πρὸς τὸν ἀποστολικὸν θρόνον ἀποσταλέντα ἀσμένως ἐδεξάμεθα. καὶ μετὰ πολλὰ τὰ ἐν μέσῳ, ἃ περιέχει ἡ τοιαύτη ἐπιστολὴ, γράφει καὶ ταῦτα· αἰτεῖς ἔλεος, καὶ οὐ προστίθης ὅπως, καὶ τίνι· λαϊκῷ, ἢ ἱερεῖ. ἐὰν εἴπῃς λαϊκῷ, συγγνώμης ἄξιος, ὡς παρὰ λαϊκοῦ ἔχων τὸ ἀξίωμα· ἐὰν εἴπῃς ἱερεῖ, οὐ προσέχεις, ὅτι τιμὴν οὐκ ἠδύνατο δοῦναι, ὅστις τιμὴν οὐκ ἔχει. οὐδὲν ἠδυνήθη δοῦναι Φώτιος ἐκτὸς κατακρίσεως, ἧς ἔσχε διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῆς σκολιᾶς χειρὸς, καὶ ἣν κατάκρισιν δέδωκε. πῶς ὤφειλε λαμβάνειν τιμὴν ὁ μέτοχος γεγονὼς τοῦ κατακριθέντος; ἐπεὶ τὸν χειροτονηθέντα ἐλεηθῆναι δυσωπεῖς, σκόπει ὅτι τὸν χειροτονήσαντα πλέον περιθάλπεις, κατὰ τὸ ὑπὸ τοῦ κυρίου εἰρημένον· ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον καλὸν, καὶ τοὺς καρποὺς αὐτοῦ καλούς· ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον σαπρὸν, καὶ τοὺς καρποὺς αὐτοῦ σαπρούς. μήτιγε δύναται ἡ συκῆ σταφυλὴν ποιῆσαι, ἢ ἄμπελος σῦκα; ἔδει τοίνυν ἵνα ἡ ἐκκλησία αὕτη, εἰς ἣν τὰ τοιαῦτα ἀνάκειται, προσφέρῃ ἐκδίκησιν χαλεπωτάτην, ἵνα διὰ τῆς τοιαύτης ἐκδικήσεως ἡ ἐκκλησία ὑμῶν καλῶς καθαρισθῇ. ἀλλὰ συνέχουσιν ἡμᾶς ἡ πραότης καὶ ἡ φιλανθρωπία, καὶ πείθουσιν, ὥστε τινῶν μὲν ἀνασχέσθαι, τινὰ δὲ παντελῶς ἀφελεῖν. διὸ καὶ ἀπεστείλαμεν ἐκ τῆς ἡμετέρας πλευρᾶς τοὺς εὐλαβεστάτους ἐπισκόπους Καπύατον Λανδοῦλφον καὶ Ῥωμανὸν, μεθ' ὧν συνελθεῖν καὶ τὴν σὴν ἁγιωσύνην παραινοῦμεν, καὶ Θεοφύλακτον μητροπολίτην Ἀγκύρας, καὶ Πέτρον τὸν ἡμέτερον πιστόν. οὕτω μέντοι, ἵνα πρὸ πάντων ἐν τῷ Φωτίῳ, τῷ καὶ παραβάτῃ καὶ ἀθεμίτῳ, ἡ ἀπόφασις ἡ ἀπὸ τῶν προηγησαμένων καὶ οἰκουμενικῶν ἀρχιερέων ἐξενεχθεῖσα συνοδικῶς, ἔτι δὲ ἐπικυρωθεῖσα καὶ παρὰ τῆς ἡμετέρας χθαμαλότητος, εἰς τὸ διηνεκὲς διαμείνῃ ἀμετάθετος. καὶ τοὺς χειροτονηθέντας παρὰ Φωτίου ἐλεοῦντες, ἐκελεύσαμεν, ἵνα καὶ προσφερομένων λιβέλλων ἡμαρτηκέναι ὁμολογήσωσι, καὶ διὰ μετανοίας συγγνώμην αἰτήσωσιν, ὑπισχνούμενοι ἐξῆς τοῦ μηδέποτέ τι τοιοῦτον ἁμαρτῆσαι. τούτων οὕτω πραχθέντων, καὶ τὰ λοιπὰ πάντα τὰ ἐν ἡμετέρῳ ἐντάλματι διατεταγμένα μετὰ τῶν προειρημένων προσώπων ἡ σὴ ἁγιωσύνη περαιωσάτω,

μετὰ



ANNO CHRISTI 870. μήτε προστεθειμένη τι, μήτε ὑφελομένη, μήτε ἐναλλάξασα τούτων. οὕτω γὰρ παρ' ἡμῶν καὶ τῆς σῆς σεβασμιότητος ἐν τῇ τῶν θεοπίστων κοινωνίᾳ τούτων ἀποδεχθέντων, ὡς λαϊκῶν, τὸ σκάνδαλον ἀφανισθήσεται. τούτων δὲ ἀποτελεσθέντων, εἴ τις αὐτῶν ἀπαναίνεται τοῦ κοινωνῆσαι, γινωσκέτω ἑαυτὸν μὴ εἶναι μέτοχον τῆς ἡμετέρας κοινωνίας. ἐν Χριστῷ ἔρρωσθε.

nihilque in his addat dematve, neque immutet. Ita enim illis ut laicis, a nobis & tua reverentia in fidelium communionem receperis, offenſa omnis & ſcandalum tolletur. Quibus confectis, ſi quis illorum vobiſcum communicare recuſaverit, ſciat ſe a noſtra communione excluſum. Valete in Chriſto. * PAR. III. CAP. VIII.

* Ulterius non progreditur Romana collectio.

# ADDITIO EORUM QUÆ IN ROMANA EDITIONE DESIDERANTUR, EX MATTHÆI RADERI S.J.

Editione Ingolſtadiana Anni MDCIV. deſumpta.

Ἐντεῦθεν δείκνυται * πολλάκις οἱ Σταυροπάται τοὺς ἰδίους σταυροὺς ἠθέτησαν.

* τοσάκις

*Hic oſtenditur, quoties * Photiani epiſcopi contra ſuas ipſi cruces perjuri extiterint.*

* Σταυροπάται, qui crucem ſeu fidem datam violant.

α'.

ΚΑΙ πρῶτον μὲν ὅτε Βάρδας ὁ Καῖσαρ ἐπεχείρησε καταβιβάσαι τοῦ θρόνου τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον, ἐκεῖνος δὲ ἵνα μὴ ἀτίμως καταβιβασθῇ, ἑκὼν ὑποχωρῆσαι ἠβούλετο. οἱ τηνικαῦτα ἀρχιερεῖς ὁμολογίαν καθ' ἑαυτοὺς ἐποίησαν, ὡς, ἐὰν εἰς τὸν πατριάρχην βίαιόν τι πρᾶξαι ἐπιχειρήσῃ ὁ Βάρδας, πρότερον αὐτοὶ ἀποθανοῦνται, ἢ τοιοῦτόν τι παραχωρήσουσι γενέσθαι. καὶ οὕτως ἐπέσχον τῆς ὁρμῆς τὸν Ἰγνάτιον, εἶτα τοῦ Βάρδα πρὸς βίαν ἐξωθήσαντος ἐκεῖνον, οἱ ἀρχιερεῖς τῆς μερίδος τοῦ Βάρδα γεγόνασι, καὶ ὑπὸ ἀναθέματι πεπτώκασιν, ὃ αὐτοὶ ἑαυτοῖς ἐπέθεντο.

β'.

Εἶτα αὐτοῦ τοῦ Φωτίου τυραννικῶς ἀναβιβασθέντος, ἀπῄτησαν οἱ ἀρχιερεῖς αὐτὸν ἔγγραφον, ἵνα ἐν πάσῃ τιμῇ καὶ ἀνενοχλησίᾳ ἔχῃ τὸν Ἰγνάτιον· καὶ ἐποίησε τὸ τοιοῦτον ἔγγραφον ὁ Φώτιος· καὶ μετὰ μικρὸν ἠθέτησε τοῦτον, καὶ σύνοδον λῃστρικὴν συναθροίσας, καθῄρησε καὶ ἀνεθεμάτισεν Ἰγνάτιον.

γ'.

Μετὰ τοῦτο ἠνάγκασεν ὁ Φώτιος τινὰς τῶν ἀρχιερέων ἀναθεματίσαι Ἰγνάτιον, συμψήφους γενομένους αὐτοῦ, οἳ πρώην ὑπὲρ αὐτοῦ ὄντες, παρέβησαν τότε τοὺς οἰκείους σταυροὺς καὶ ἀνεθεμάτισαν αὐτόν.

δ'.

Οἱ ἐννάκις γεγόνασι σταυροπάται οἱ περὶ Φώτιον.

Καὶ πάλιν ἑτέρα σύνοδος κατ' αὐτοῦ, καὶ οὕτως ἠθέτησαν τοὺς οἰκείους σταυρούς. τοῦτο δὲ πέπρακται μέχρι ἐννάκις ἀθετήσεως τῶν οἰκείων ἰδιοχείρων, ἃ ἐποίησαν διὰ προταγῆς τοῦ τιμίου σταυροῦ, καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ μοναχοὶ, καὶ ὁ κοινὸς λαὸς ἐκ βίας.

Μετὰ δὲ τὸ ἀπελαθῆναι τῆς ἐκκλησίας τὸν Φώτιον, καὶ γενέσθαι τὴν μεγάλην καὶ ἁγίαν ὀγδόην σύνοδον, τῶν πέντε πατριαρχικῶν θρόνων, ἐν τῷ ναῷ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας προκαθημένων τῶν εὐσεβῶν βασιλέων, προσῆλθον τῇ συνόδῳ ἐπίσκοποι, ἱερεῖς, διάκονοι, αἰτοῦντες μετὰ δακρύων συμπάθειαν, ὡς ἀθετήσαντες τὸ ἰδιόχειρον, ὃ ἐποίησαν πρὸς τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον, ἐπιφερόμενοι καὶ λίβελλον ἔνορκον ἐξομολογήσεως, ὃν ἔθεντο ἐπάνω τῶν τιμίων ξύλων, καὶ λέγοντες φόβῳ καὶ βίᾳ ποιῆσαι ἃ ἐποίησαν.

VIII.

I.

AC primum quidem quando Bardas Cæſar Ignatium patriarcham de ſuo dejicere throno aggreſſus eſt, Ignatius ne cum ignominia pelleretur, malebat ſponte cedere. Sed epiſcopi ſtatim per ſeipſos profeſſionem ediderunt, ſe, ſi quam vim Ignatio Bardas intentaret, potius ultima paſſuros, quam hoc fieri permiſſuros. Ita Ignatium a ſua voluntate cohibuerunt. Sed Barda poſtea Ignatium per vim exturbante, epiſcopi cum Barda ſe conjunxerunt, atque in anathema, quod ipſi ſibi decreverant, inciderunt.

II.

Deinde Photio per vim intruſo, epiſcopi a Photio petiverunt, ut ſua manu per ſcriptum teſtaretur, ſe Ignatium omni honore proſecuturum, nullaque in re violaturum. Photius ergo hujuſmodi chirophraphum confecit, ſed paulo poſt violavit, conciliumque, ſeu latrocinium celebravit, in quo Ignatium exauctoravit, & ab eccleſia per anathema ſecluſit.

III.

Præterea nonnullos epiſcopos ſibi adhærentes Photius ad Ignatii damnationem per vim adegit, qui eumdem tamen antea defenderant, tunc vero prævaricati in crucem, illum condemnarunt.

IV.

Inſuper altera ſynodo cruces ſuas conculcarunt: & hoc uſque novies accidit, ut ipſi in ſua chirographa prævaricationem committerent.

En quoties perjuri facti ſint in Ignatium Photiani.

Poſtquam tandem ejecto Photio magnum, & ſanctum concilium octavum generale, quinque patriarcharum legatis præſentibus, in magna eccleſia præſidentibus, piis imperatoribus celebrata eſt, in medium prodiere epiſcopi, ſacerdotes, diaconi, & a ſynodo veniam cum lacrymis petivere, ut qui contra chirographum ſuum, quod pro Ignatio ſcripſerunt, perjuri extitiſſent; libellumque profeſſionis jurejurando firmatum obtulere, quo ſupra ſacroſanctæ crucis ligna poſito, dixere, ſe vim metumque coactos omnia feciſſe, quæ facta eſſent.

PART. III. CAP. VIII.

Quare & miſericordiam impetrarunt, A pœna legitima epitimiorum ſuſcepta: ſed ca ege, ut ne unquam cum Photio communicarent, & pollicerentur ſe libellum Roma miſſum, quo Photii abdicatio, damnatioque Photianorum cum Ignatii laudatione & reſtitutione continebatur obſervaturos.

Scripta vero ſunt quinque omnino ejuſdem prorſus exempli volumina; & ad quinque patriarchas miſſa. Subſcripſere huic ſynodo epiſcopi, qui rem catholicam libere ſunt profeſſi, bini ſupra centum: & uniuſcujuſque ſubſcriptio hæc eſt.

*Formula ſubſcriptionis.*

Ego N. Epiſcopus N. omnibus in hac B ſancta & œcumenica octava ſynodo decretis a me libenter receptis ſubſcripſi. Eodemque modo imperatores Baſilius, Conſtantinus & Leo ſubſcripſerunt. Magiſtri vero & patricii qui in ſynodum venerant, aſſederantque ſinguli & ipſi, quemadmodum & reliqui divini ſuffragatores dixere. Quidquid a Photio contra Ignatium & beatiſſimum papam Nicolaum dictum factum, anathematizo, ſacramque hanc œcumenicam ſynodum probo, & recipio quos illa recipit; & anathematizo quos illa anathematizat. Et ſi recepero quos illa damnavit, a Chriſto anathema fiam.

* [illegible]

Talibus tantiſque ab * utraque parte ſub- C ſcriptionibus chirographorum editis, rurſum tamen permiſſu Dei thronum patriarchalem Photius conſcendit; evocatiſque omnibus, alios quidem vi; alios vero præmiis induxit, ut chirographa ſua antiquarent, aliaque his contraria componerent. Quid ergo qui toties in crucem perjuri extiterunt, in illo decretorio judicii die facient, quo ipſam venerandam crucem quam proculcarunt, intuebuntur, quæ veluti regium ſceptrum, ante formidandum regem & judicem Chriſtum comparebit.

Quod ſi a ſanctiſſimo Methodio propter unius chirographi violationem nonnulli exauctorati ſunt; nec hi tantum, ſed ſymmyſtæ illorum, quive cum illis ſacris opera- D bantur: quanto magis iſti epiſcopi (erunt condemnandi) qui non ſemel, ſed ſæpius, quique ipſi ſuis calculis ſe devoverant, ſi contra feciſſent? Quis ergo deinceps fidelium ab illis ſignaculum, aut communionem ab execratis illorum manibus accipiat? *Facientes enim*, inquit propheta, *prævaricationes odivi*.

*Pſal. 100.*

Quin & Romani quo pacto auſi ſunt violare, quod ſuæ manus ſubſcriptione firmarant? Nam & illi omnes in duabus ſynodis Romæ a Nicolao & Hadriano celebratis chirographa ediderunt, quibus Joannes archidiaconus, qui Nicolao (poſt Hadrianum) in pontificatu ſucceſſit, ma- E nu ſua ſubſcripſit. Poſueruntque omnes chirographa ſua ſupra tumulum ſancti Petri, teſtati ſe Photium eccleſiæ adulterum, aut ordinationem illius, aut eos qui dictis duabus ſynodis auctoritatem abrogarunt, nunquam recepturos. Eodemque modo Conſtantinopolitani ſuas ſubſcriptiones ſuper veneranda crucis ligna poſuerunt, juratí ſe nunquam cum Photio aut Photianis communicaturos, ſynodumve œcumenicam quæ duas Romanas ſecuta eſt, nunquam violaturos.

*Romanorum pontificum [illegible] Photium recepit, ipſi Joannes VIII. [illegible] & ipſe [illegible] Teſtimonium tamen [illegible] Joannes [illegible] falſo.*

ANNO CHRISTI 870.

Διὸ καὶ συμπαθείας ἔτυχον μετὰ τῶν προσηκόντων ἐπιτιμίων, ἀσφαλισάμενοι, μηδέποτε Φωτίῳ κοινωνῆσαι, ϗ καταθέμενοι φυλάττειν τὸν ἀπὸ Ῥώμης πεμφθέντα λίβελλον, ϗ περιέχοντα καθαίρεσιν Φωτίου ϗ ἀναθεματισμὸν, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, ϗ συναίνεσιν τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου τῆς ἀποκαταστάσεως.

Ἐγράφησαν δὲ καὶ πέντε βιβλία τῆς συνοδικῆς πράξεως, ἴσα τὰ ὅλα, ϗ ἀπεστάλησαν εἰς τὰ πέντε πατριαρχεῖα· ἐν οἷς βιβλίοις ὑπέγραψαν ἐπίσκοποι οἱ παῤῥησιάσαντες εἰς τὴν τοιαύτην σύνοδον, ρβʹ. καὶ ἡ ὑπογραφὴ ἑκάστου ἔχει οὕτως.

Ὁ δεῖνα ἐπίσκοπος ἅπαντα τὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ ϗ οἰκουμενικῇ ὀγδόῃ συνόδῳ κριθέντα ἀσμένως ἀποδεχόμενος ὑπέγραψα. τὴν αὐτὴν ὑπογραφὴν ὑπέγραψαν εἰς τὰ πέντε βιβλία καὶ οἱ βασιλεῖς, Βασίλειος, Κωνσταντῖνος καὶ Λέων. οἱ δὲ μάγιστροι καὶ πατρίκιοι, οἱ εἰς τὴν σύνοδον αἱρεθέντες συγκαθήμενοι, ἕκαστος τῶν θείων συμβόλων, καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ εἶπον οὕτως· ἅπαντα τὰ παρὰ Φωτίου γεγονότα κατὰ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου, ϗ κατὰ τοῦ μακαριωτάτου πάπα Νικολάου, ἀναθεματίζων, τὴν ἁγίαν ϗ οἰκουμενικὴν ταύτην σύνοδον ἀποδέχομαι * οὓς ἀποδέχεται, ϗ ἀναθεματίζω οὓς ἀναθεματίζει. ϗ ἐὰν δέξωμαί ποτε οὓς ἀπεβάλετο ἡ σύνοδος, ἀνάθεμα ἔσομαι ἀπὸ Χριστοῦ.

Τοσούτων καὶ τηλικούτων ἰδιοχείρων παρ' ἑκατέρων τῶν μερῶν γενομένων. πάλιν παραχωρήσει Θεοῦ ἐπέβη τὸν πατριαρχικὸν θρόνον ὁ Φώτιος, ϗ προσκαλεσάμενος πάντας, τοὺς μὲν βίᾳ, τοὺς δὲ χρείᾳ ἔπεισεν ἀθετῆσαι τὰ οἰκεῖα χειρόγραφα, καὶ ἕτερα ἐναντία ἐκθέσθαι. οἱ γοῦν ἀθετήσαντες τοσαυτάκις τοὺς ἰδίους σταυροὺς, τί ποιήσουσιν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, ὅταν ὄψωνται αὐτὸν τὸν τίμιον σταυρὸν, ὃν κατεπάτησαν, προπορευόμενον ὥσπερ σκῆπτρον βασιλικὸν ἔμπροσθεν τοῦ φοβεροῦ κριτοῦ ϗ βασιλέως D Χριστοῦ.

Ἐὰν ἐπὶ τοῦ ἁγιωτάτου Μεθοδίου, διὰ τὸ παραβῆναι ἓν ἰδιόχειρον, τινὲς καθῃρέθησαν· οὐ μόνον αὐτοὶ, ἀλλὰ καὶ οἱ συλλειτουργήσαντες * τούτοις· πόσῳ μᾶλλον οἱ νῦν ἐπίορκοι οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ πολλάκις, οἳ καὶ καθ' ἑαυτῶν αὐτοὶ τὴν ψῆφον ἐπήνεγκαν, ἀναθεματίσαντες ἑαυτοὺς, εἰ παραβαῖεν; ποῖος οὖν τῶν πιστῶν ἔκτοτε σφραγῖδα λαμβάνει ἢ κοινωνίαν ἐκ τῶν ἀκαθάρτων χειρῶν; ποιοῦντας γὰρ, φησὶ, παραβάσεις, ὁ προφήτης, ἐμίσησα.

* [illegible]

Ἀλλὰ ϗ οἱ Ῥωμαῖοι πῶς ἔχουσι κατατολμῆσαι ἀθετῆσαι τὰ ἰδιόχειρα αὐτῶν; ϗ γὰρ κἀκεῖνοι πάντες ἰδιόχειρα ἐποίησαν ἐπὶ τῶν γενομένων ἐκεῖσε δύο συνόδων Νικολάου ϗ Ἀδριανοῦ· ἐν οἷς ὑπέγραψεν Ἰωάννης ὁ ἀρχιδιάκονος ὁ μετ' αὐτὸν γενόμενος πάπας. καὶ E ἔθηκαν ἅπαντες τὰ ἰδιόχειρα αὐτῶν ἐπάνω τοῦ τάφου τοῦ ἁγίου Πέτρου, τοῦ μὴ ἀποδέξασθαί ποτε τὸν μοιχὸν τῆς ἐκκλησίας Φώτιον, ἢ τὴν χειροτονίαν αὐτοῦ, ἢ τοὺς ἔχοντας ἀθετῆσαι τὰς εἰρημένας δύο συνόδους αὐτῶν. ὡσαύτως καὶ οἱ Κωνσταντινουπολῖται ἔθηκαν τὰ ἰδιόχειρα αὐτῶν ἐπάνω τῶν τιμίων ξύλων, τοῦ μὴ κοινωνῆσαί ποτε Φωτίῳ ἢ τῇ χειροτονίᾳ αὐτοῦ, ἢ ἀθετῆσαι τὴν ὀγδόην σύνοδον τὴν ἐξακολουθήσασαν ταῖς εἰρημέναις δύο συνόδοις τῶν Ῥωμαίων.

Πολ-



ANNO CHRISTI 870.

Πολλὰ ζιζάνια ἀνεφύησαν ἐν τῷ τῆς ἐκκλησίας ἀγρῷ. ϗ γὰρ πρώτη χειροτονία, ἡ τοῦ ἐκκηρύκτου Φωτίου· ἡ δευτέρα, ἡ μετὰ τὸν ἄλυτον αὐτοῦ ἀναθεματισμὸν γεγονυῖα. διαφέρει γὰρ ἑτέρα τῆς ἑτέρας. τὴν πρώτην αὐτοῦ χειροτονίαν ἀπέῤῥηξαν οἱ τῶν Ῥωμαίων πρόεδροι, καὶ ἡ οἰκουμενικὴ ὀγδόη σύνοδος. διὸ οὐ δέεται ἡ δευτέρα ἐξετάσεως. ἀλλὰ ϗ οἱ πρῶτοι σταυροπάται, καὶ οἱ δεύτεροι διαφέρουσιν ἀλλήλων. οἵ τε διὰ μανίας τοῦ Βάρδα ποιήσαντες, καὶ οἱ αὐτοὶ πάλιν ἐπὶ τῆς συνόδου μετὰ τὸ συγχωρηθῆναι, ϗ ὅτε συνέβη ϗ τὸ δεύτερον πάλιν ὁ Φώτιος τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, προσελάβοντο αὐτὸν, οἵ τινές εἰσιν ἀναπολόγητοι. τινὲς δὲ ἐχειροτονήθησαν ἀπὸ τῆς ἁγίας ὀγδόης συνόδου, ϗ οὐκ ἐποίησαν ἰδιόχειρα, ϗ συνῆλθον τῷ ἀναθεματισμένῳ Φωτίῳ μετὰ τὴν δευτέραν αὐτοῦ λῃστρικὴν ἀνάβασιν, οἱ μὲν βίᾳ, οἱ δὲ ἑκουσίως. καὶ κατεδέξαντό τινες αὐτῶν λαβεῖν ἐξ αὐτοῦ ἐπιτίμια ιεʹ. ἡμερῶν, ὡς ἀναθεματίσαντες αὐτόν. τοὺς πλείστους δὲ αὐτῶν ϗ ἀνεχειροτόνησε, μυστικὴν χειροτονίαν καλέσας αὐτήν. τινὲς δὲ μέχρι πολλοῦ ἐνστάντες ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, ϗ διωχθέντες, καὶ παρὰ τοῦ δεινοῦ Φωτίου πολλὰ παθόντες, καὶ μὴ φέροντες τὰς ἀνυποίστους κολάσεις, λειποτακτήσαντες συναπήχθησαν τῇ παρανομίᾳ Φωτίου· εἰς οὓς δεῖ πάντως δεῖξαι τὸν πάπαν τὴν οἰκονομίαν, διὰ τὸ ἀκουσίως συναπαχθῆναι· ἵνα φυλάττηται καὶ σώζηται ἀκεραία καὶ ἡ σύνοδος, καὶ ἡ οἰκονομία δείκνυται. τὴν δὲ λοιπὴν χειροτονίαν Φωτίου, καὶ τὴν πρώτην, καὶ τὴν δευτέραν, καὶ τὸν δὶς ἐπιβήτορα Φώτιον πρὸ πάντων ἀποβαλέσθαι, καὶ αὐτὸν ὡς παραβάτην ἀναθεματίζειν, καὶ τοὺς πλειστάκις προπατήσαντας, ἔτι δὲ ϗ τοὺς ἀναχειροτονηθέντας ἀθέσμως, ἐξαιρέτως Θεοφάνην τὸν ἐκλεγόμενον φρενοδαίμονα, τὸν πολλάκις σταυροπατήσαντα, καὶ πλαστογραφήσαντα μετὰ Φωτίου τὸ κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα Νικολάου βιβλίον, παντελῶς ἀποβαλέσθαι. φησὶ γὰρ ὁ διάδοχος Νικολάου πάπας Ἀδριανὸς, τοὺς ὑπογράψαντας κατ' ἐκείνου οὐδεμιᾶς συμπαθείας ἀξιοῦσθαι. ἣν ἀπόφασιν ἐξ ἅπαντος χρὴ φυλαχθῆναι, καὶ τῆς οἰκουμενικῆς ὀγδόης συνόδου πάσας τὰς ἀποφάσεις. τῆς γὰρ συνόδου ταύτης παραλυομένης, οὐδεὶς ἱερεὺς οὐδὲ ἐνταῦθα, οὐδὲ ἐν Ῥώμῃ.

Συνοδικαὶ ἀποφάσεις κατὰ τοῦ παραβάτου Φωτίου ἐν ἐπιτόμῳ τῶν προέδρων τοῦ θρόνου Ῥώμης Νικολάου, Ἀδριανοῦ, Ἰωάννου, Μαρίνου, Στεφάνου καὶ Φορμώσου.

Ἐκ τῆς συνοδικῆς ἐπιστολῆς τοῦ πάπα Νικολάου, τῆς γενομένης ἐπὶ τῆς συνόδου, ἣν ἐποίησε σὺν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ἐπισκόποις, ὅτε καθῄρησε Ῥαδόαλδον ϗ Ζαχαρίαν τοὺς πλανηθέντας ὑπὸ Φωτίου, ϗ ἀπεφήνατο κατ' αὐτοῦ οὕτως.

ΦΩΤΙΟΣ ὁ ἀπὸ σχισματικῶν ϗ ἀπὸ κοσμικῆς ὑπηρεσίας, ϗ ἐκ τῆς ἀγορᾶς αἰφνίδιον καρεὶς, ϗ ὑπὸ Γρηγορίου τοῦ Συρακουσῶν τοῦ καθῃρημένου ἐπίσκοπος κατασταθεὶς, καὶ ζῶντος τοῦ

PAR. III. CAP. IX.

A Multa in eccleſiaſtico agro zizania repullularunt, & in prima Photii damnati inauguratione, & in ſecunda quæ poſt anathematiſmum nunquam ſolvendum facta eſt. Differt enim altera ab altera. Prima enim ejus electionem Romani pontifices & concilium œcumenicum VIII. reſciderunt. Quapropter de altera ejus ordinatione nihil opus eſt diſputare. Sed enim & primi qui in ſubſcriptionibus ſigna crucis violarunt, & ultimi inter ſe differunt. Primi namque per Bardæ vim & furorem id fecere: qui tamen ipſi rurſum, poſtquam in ſynodo veniam impetrarant, cum Photius denuo thronum eccleſiæ occuparet, cum receperunt, qui qui- B dem nullam criminis defenſionem ſibi reliquerunt. Quidam vero a ſancta octava ſynodo conſecrati, ſine ſubſcriptionum chirographis, cum damnato Photio, poſtquam ſecundo patriarchatum invaſerat, alii quidem vi coacti, alii volentes libentes communicarunt. Et quidam impoſitas ab eo pœnas eccleſiaſticas, quindecim dierum, ut qui illum antea damnaviſſent, ſuſceperunt. Plurimos vero illorum denuo conſecravit, vocavitque illam myſticam conſecrationem. Quidam vero diu multumque pro fide & veritate propugnantes, a Photio acerbe vexati, ultimaque omnia paſſi, cum tot tormentis ferendis non eſſent, fracti tandem C ceſſerunt, illique prævaricatori ſeſe nolentes ſubjecerunt. Erga quos omnino æquum eſt ut papa ſe clementem exhibeat, cum per vim tempeſtatis abrepti ſint; lapſiſque veniam impertiat: ut incorrupta illibataque ſynodus cuſtodiatur & ſervetur, diſpenſatio oſtenditur. Alias autem Photii initiationes, primamque & ultimam, ipſumque Photium, qui bis thronum invaſit, præ reliquis cunctis eliminandum, ipſumque graſſatorem omnibus diris devovendum, ac perjuros illos qui toties crucem proculcarunt; nec non & eos qui ab illo denuo ſacrilege conſecrati ſunt: ſpeciatim vero Theophanem co- D gnomento Phrenodæmonem, qui ſæpius ſignum crucis perjurio violavit, librumque contra ſanctiſſimum papam Nicolaum commentus eſt, penitus exterminandum judicamus. Hadrianus enim Nicolai ſucceſſor ſubſcribentes contra Nicolaum nulla ait miſericordia dignos videri. Quæ ſane ſententia, uti & omnia ſynodi octavæ œcumenicæ decreta, firmiſſime cuſtodienda eſt. Nam ſi hæc ſynodus violetur & deleatur, nullus neque Romæ, neque Conſtantinopoli ſacerdos legitimus reperietur.

*Synodica pontificum Romanorum Nicolai, Hadriani, Joannis, Martini, Stephani; Formoſi, in Photium prævaricatorem decreta ſummatim comprehenſa.* E

*Ex ſynodica papæ Nicolai epiſtola concilii centum & ſeptuaginta epiſcoporum; in quo Rhadoaldum & Zachariam epiſcopos a Photio corruptos exauctoravit, ſententiamque his verbis in Photium tulit.*

IX. PHOTIUS ſchiſmaticus & palatinus miniſter, ac forenſis repente attonſus, & a Gregorio Syracuſano exauctorato epiſcopus creatus, qui ſuperſtite adhuc

PART. III. CAP. X.

ſymmyſta noſtro Ignatio thronum velut A adulter invaſit, atque cum damnatis a Benedicto, qui me in pontificatu præceſſit, communicavit, ſuaque profeſſione quam pro Ignatio ediderat, violata, contra illum conciliabulum coegit, damnationiſque & anathematis ſententiam in illum tulit; illos vero qui ſecum communicare recuſabant, omni genere tormentorum excruciavit, hodieque eccleſiam turbat; ſit omnipotentis Dei, ac beatorum & principum apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium ſimul divorum & Spiritus ſancti per nos judicio, ab omni honore ſacerdotii & nomine repulſus, omnique dignitate eccleſiaſtica exutus. Quod ſi his cognitis B adhuc thronum Conſtantinopolitanum retinuerit, aut in Ignatium reſtitutum inſurrexerit, vel munus eccleſiaſticum obierit, vinculis anathematis obnoxius erit. Gregorius vero ab Ignatio per ſynodum abdicatus, & anathemate conſtrictus, qui poſtea tamen Photium conſecravit, ab omni clericorum functione & ordine excluſus eſt; quique illum receperit, anathemate feritor.

*Ex ſynodica Hadriani papæ epiſtola, quam edidit in concilio centum viginti epiſcoporum a ſe celebrato, cum ex communi omnium ſententia ita decrevit.* C

x. PHOTIUM a foro, curia, tabulario profectum, neophytum, graſſatorem & mœchum anathemate percellimus, & cum omnibus ab illo initiatis illumque ſectantibus defendentibuſque exauctoramus, quemadmodum is qui me præceſſit beatus Nicolaus papa declaravit. Conſecrati vero a duobus patriarchis Methodio & Ignatio, ſi inviti & per vim coacti, aut etiam ſua voluntate cum Photio communicarunt, ſed reſipiſcant, & libellum pœnitentiæ, quem probavimus, offerant, ſimulque ſuas ſubſcriptiones quas in ſanctum Ignatium compoſuerunt, damnent, ſuos illos ho- D noribus ſedibuſque & gradibus bona fide ſecuritateque reſtituendos clementer decernimus. Qui vero contra Nicolaum, qui nos præceſſit, ſubſcripſerunt, illos nulla indulgentia proſequendos judicamus. Photium autem adulterum, uti diximus, eccleſiæ, damnamus, niſi viva voce, ſuaque manu omnibus decretis noſtris, noſtrique prædeceſſoris, ſeſe obtemperaturum promittat, omniaque acta conciliabulorum, quæ his adverſus Ignatium, & ſemel in Nicolaum coegit, ad plenam veræ pœnitentiæ fidem revocarit reſcideritque: tunc illi enim laicorum communione non interdicimus. Qui vero ſanctiones papæ Nico- E lai, vel noſtras violare tentaverit, Photiumve aut initiationem ejus receperit, quicumque fuerit, a Patre & Filio & Spiritu ſancto anathema eſto.

Hanc ſententiam papa Hadrianus pronuntiavit, quando archidiaconus illius Joannes, qui illi in pontificatu poſtea ſucceſſit, velut omnium ore ad illum ita exclamavit. Videmus ſanctiſſime & œcumenice domine pontifex, in Photio expletum illud Pſal. 13. pſalmi oraculum: *Dixit peccator ut delinquat*

συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἰγνατίου, καὶ τοῦ θρόνου ἐπιβὰς ὡς μοιχὸς, καὶ συνιερουργῶν τοῖς κατακρίτοις παρὰ τοῦ προκατόχου μου Βενεδίκτου, καὶ παραβὰς τὴν πρὸς τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον ὁμολογίαν, καὶ συναγαγὼν κατ᾽ αὐτοῦ συνέδριον, καὶ καθαίρεσιν καὶ ἀνάθεμα ἐπαγαγὼν, καὶ τοὺς μὴ κοινωνῆσαι αὐτῷ βουληθέντας παντοίᾳ κολάσει ὑποβαλὼν, καὶ μέχρι τοῦ νῦν τὴν ἐκκλησίαν κυκῶν, ἔσω τῇ τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ, καὶ τῶν μακαρίων καὶ κορυφαίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, καὶ πάντων ὁμοῦ τῶν ἁγίων, ἔτι γε μὴν καὶ τῇ τοῦ πνεύματος δι᾽ ἡμῶν κρίσει πάσης ἱερατικῆς τιμῆς καὶ ὀνόματος ἀλλότριος, καὶ παντὸς τάγματος κληρικοῦ ἀπόβλητος. εἰ δὲ μετὰ τὴν διάγνωσιν ταύτην πειραθῇ τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνον κατασχεῖν, ἢ * Ἰγνάτιον ἐπιβουλεῦσαι ἀποκαταστάντι, ἢ ἱερατικόν τι ὅλως ἐνεργῆσαι, δεσμοῖς ἀναθέματος ὑποβληθήσεται. καὶ Γρηγόριος δὲ, ὃν Ἰγνάτιος συνοδικῶς καθῄρησε καὶ ἀνεθεμάτισεν, ὁ μετὰ ταῦτα Φωτίῳ χειροτονήσας, παντὸς κληρικοῦ τάγματος ἐξωθήσεται, καὶ ὁ δεξάμενος τοῦτον ἀναθεματισθήσεται.

ANNO CHRISTI 870.

* in. Ignatium.

Ἐκ τῆς συνοδικῆς ἐπιστολῆς τοῦ μακαρίου πάπα Ἀδριανοῦ, τῆς γενομένης ἐπὶ τῆς συνόδου, ἣν ἐποίησε συν ρκ΄. ἐπισκόποις, ὅτε ἀπεφήνατο μετὰ κρίσεως πάντων οὕτως.

ΦΩΤΙΟΝ τὸν ἀγοραῖον, τὸν βουλευτικὸν καὶ ταβουλλάριον, τὸν νεόφυτον καὶ ἐπιβήτορα καὶ μοιχὸν ἀναθεματίζομεν καὶ ἀποκηρύττομεν, καὶ μετὰ τῆς αὐτοῦ χειροτονίας καὶ τῶν αὐτοῖς ἀκολουθούντων καὶ ἐκδικούντων αὐτοὺς, καθὼς καὶ ὁ προκάτοχός μου ὁ μακάριος πάπας Νικόλαος ἀπεφήνατο. οἱ δὲ χειροτονηθέντες ὑπὸ τῶν δύο πατριαρχῶν Μεθοδίου καὶ Ἰγνατίου, ἐὰν ἀκουσίως καὶ βίᾳ, ἢ ἑκουσίως τῷ Φωτίῳ συνῆλθον, μετανοοῦσι δὲ καὶ ποιοῦσι τὸν λίβελλον, ὃν ἐδεξάμεθα, καὶ ἀναθεματίζουσι τὰς ὑπογραφὰς, ἃς κατὰ τοῦ ἁγίου Ἰγνατίου ἐποίησαν, τούτους συμπαθητικῶς εἰς τοὺς ἰδίους βαθμοὺς κυρωθῆναι θεσπίζομεν, μετὰ ἀσφαλείας πολλῆς. τοὺς δὲ ὑπογράψαντας κατὰ τοῦ προκατόχου μου Νικολάου, οὐδεμιᾶς χρηστότητος ἀξίους εἶναι κρίνομεν. ἀναθεματίζομεν δὲ Φώτιον τὸν μοιχὸν τῆς ἐκκλησίας, ὡς ἔφημεν· πλὴν ἐὰν ζώσῃ φωνῇ καὶ οἰκείᾳ γραφῇ πρὸς πάντα τὰ ὑφ᾽ ἡμῶν καὶ τοῦ προκατόχου ὁρισθέντα προσταγῆναι ἐπαγγέλληται, καὶ τὰ τῶν προλεχθέντων ἀθεμίτων συνεδρίων πρακτικὰ, ἃ ἐποίησε δὶς κατὰ τοῦ πατριάρχου Ἰγνατίου, καὶ ἅπαξ κατὰ τοῦ μακαρίου πάπα Νικολάου, πρὸς πληροφορίαν πάντων εἰς μετάνοιαν ἐλθὼν ἀθετήσῃ, τότε τῆς λαϊκῆς κοινωνίας τὴν χάριν αὐτῷ οὐκ ἀποκωλύσομεν. ὁ δὲ τολμήσων ἀθετῆσαί τι τῶν παρὰ τοῦ πάπα Νικολάου ἢ παρ᾽ ἡμῶν διορισθέντων, ἢ παραδέξασθαι Φώτιον, ἢ τὴν χειροτονίαν αὐτοῦ, ὅστις ἂν εἴη, ἔσω ἀνάθεμα ἀπὸ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος.

Ταύτην τὴν ἀπόφασιν ἐξήνεγκεν ὁ πάπας Ἀδριανὸς, ὅτε ἀρχιδιάκονος αὐτοῦ Ἰωάννης, ὁ καὶ διάδοχος αὐτοῦ, ὡς ἐκ φωνῆς πάντων πρὸς αὐτὸν ἐξεβόησεν οὕτως. ἐν τῷ Φωτίῳ πληρούμενον καθορῶμεν, δέσποτα ἁγιώτατε καὶ οἰκουμενικὲ πάπα, τὸ ψαλμικὸν ἐκεῖνο· φησὶν ὁ παράνομος τοῦ ἁμαρτάνειν



ANNO CHRISTI 870.

ἐν ἑαυτῷ, οὐκ ἔστι φόβος Θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ. ἔθετο γὰρ εἰς οὐρανὸν τὸ στόμα αὐτοῦ, καὶ δυσωδέστερον φάρυγγα Φώτιος ἤνοιξε κατὰ τοῦ κλειδούχου τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας. ἀναφθήτω οὖν ὡς πῦρ ὁ ζῆλός σου, καὶ περίζωσαι ὥσπερ ἀνὴρ τὴν ὀσφύν σου, καὶ τὴν ὕβριν τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας ὡς δίκαιος κριτὴς ἐκδίκησον, καὶ τῇ δρεπάνῃ τῆς ἀποφάσεώς σου ἔκκοψον αὐτοῦ τὴν μνήμην, καὶ οἱ τούτῳ κατακολουθοῦντες καὶ διεκδικοῦντες, ταῖς ἐνοχαῖς τοῦ ἀναθέματος συσχεθήτωσαν, καὶ εἰ μὴ οἰκείᾳ φωνῇ καὶ ἀπογραφῇ ἀναθεματίσωσιν αὐτὸν, μηδὲ ἐν λαϊκῶν κοινωνίᾳ παραδεχθήτωσαν. ὁ ταῦτα εἰπὼν Ἰωάννης, ἐπεὶ τὸν θρόνον Ἀδριανοῦ διεδέξατο, ἀνεθεμάτισε Φώτιον, ὅτι ἀπεπλάνησε τοὺς περὶ Εὐγένιον διὰ τὴν Βουλγαρείαν ἐλθόντας. λαβὼν γὰρ τὸ εὐαγγέλιον, καὶ ἀνελθὼν ἐν τῷ ἄμβωνι, πάντων ἀκουόντων ἔφη· ὁ μὴ ἔχων τὸν θεοκρίτως ἀναθεματισθέντα Φώτιον, ὡς ἀφῆκαν αὐτὸν Νικόλαος καὶ Ἀδριανὸς οἱ ἁγιώτατοι πάπαι, οἱ προκάτοχοί μου, ἔσω ἀνάθεμα.

Τόμος περιέχων ἐν συντόμῳ τὴν ὀγδόην σύνοδον, γεγραμμένος ἐν τῷ δεξιῷ ἐμβόλῳ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας.

ΔΟΝΑΤΟΣ καὶ Στέφανος ἐπίσκοποι, καὶ Μαρῖνος διάκονος, οἱ τὸν τόπον ἔχοντες τοῦ θρόνου τῆς παλαιᾶς Ῥώμης, ἤτοι τοῦ πάπα Ἀδριανοῦ, σὺν τῇ ἀθροισθείσῃ ἁγίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ ἐν ταύτῃ τῇ πανευδαίμονι Κωνσταντινουπόλει, εἰς τὸν περιώνυμον ναὸν τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ὡρίσαμεν, κατὰ τὴν ἤδη προγεγονυῖαν κρίσιν ἐν τῇ ἁγίᾳ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ παρὰ τοῦ μακαρίου πάπα Νικολάου, καὶ τοῦ μετ᾽ αὐτὸν Ἀδριανοῦ, σὺν Ἰωσὴφ τῷ εὐλαβεστάτῳ διακόνῳ καὶ τοποτηρητῇ τοῦ θρόνου Ἀλεξανδρείας, καὶ Θωμᾷ μητροπολίτῃ Τύρου τὸν τόπον ἐπέχοντι τοῦ θρόνου Ἀντιοχείας, καὶ Ἠλίᾳ τῷ πρεσβυτέρῳ καὶ συγκέλλῳ τὸν τόπον ἐπέχοντι τοῦ θρόνου Ἱεροσολύμων, τὴν τῶν σεπτῶν εἰκόνων προσκύνησιν. τὸν δὲ τυραννίδι καὶ βίᾳ τοῦ θρόνου Κωνσταντινουπόλεως δραξάμενον Φώτιον, καὶ ὑπὸ καθῃρημένων καὶ ἀναθεματισμένων χειροτονηθέντα, καὶ χρόνοις πλείοσι τὴν τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίαν ταράξαντα, αὐτόν τε καὶ τὴν αὐτοῦ χειροτονίαν ἀπόβλητον εἶναι ὡρίσαμεν, καὶ γυμνὴν πάσης ἱερωσύνης. Ἰγνάτιον δὲ τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως ἀδίκως τοῦ ἰδίου θρόνου κατενεχθέντα, ἔνθεσμόν τε ἀρχιερέα ὑπάρχοντα, μετὰ τῆς αὐτοῦ χειροτονίας καὶ τῆς τοῦ ἁγιωτάτου Μεθοδίου, τοῦ πρὸ αὐτοῦ πατριάρχου, ἐκυρώσαμεν. ἀνεπίληστα δὲ ταῦτα τῷ βίῳ εἶναι βουλόμενοι, καὶ συνοδικῇ γραφῇ παραδεδώκαμεν. ὁ δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ ἐναντιούμενος ἕως ἂν ἐμμένει τῇ ἀπονοίᾳ, ἔσω καταδεδικασμένος ὑπὸ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος, καὶ τῆς κοινωνίας τῶν ἁγιασμάτων ἀνάξιος. ὡρίσαμεν δὲ γραφῆναι καὶ τὰς τῶν πατρικίων φωνὰς, ἀνδρῶν ὑπὲρ τοὺς εἴκοσι τὸν ἀριθμὸν, οἳ εἶπον οὕτως.

Προκειμένων τῶν τιμίων καὶ ζωοποιῶν ξύλων καὶ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, προκαθεζομένων Βασιλείου, Κωνσταντίνου καὶ Λέοντος τῶν εὐσεβε-

PAR. III. CAP. XI.

A *in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos ejus.* Poſuit enim in cælo os ſuum, & rictum deterrimum (qui Photius eſt) contra clavigerum apoſtolicumque thronum aperuit. Accendatur ergo velut ignis zelus tuus, & accingere veluti vir femur tuum, & contumeliam apoſtolicæ ſedi irrogatam velut juſtus judex ultum eas, falceque ſententiæ tuæ memoriam ejus reſcinde, omneſque qui illum ſequuntur vel tuentur, anathematis nexibus ſtringantur; & niſi viva voce manuque ſua illi anathema dicant ſcribantque, nec ad laicorum quidem cœtum admittantur. Hæc qui pronuntiavit Joannes, cum Hadria- B ni thronum ſucceſſor occupaſſet, idem ipſe Photium eumdem damnavit, quando Eugenium & alios in Bulgariam miſſos Photius per fraudem circumvenit & corrupit. Nam Joannes accepto evangelio ambonem conſcendit, cunctiſque audientibus dixit: Quicumque Photium non juſto Dei judicio condemnatum judicat, quemadmodum nempe illum hi qui me præceſſerunt, Nicolaus & Hadrianus ſanctiſſimi papæ damnatum reliquerunt, anathema eſto.

Pſal. 72.

Pſal. 44.

Joannes VIII. anathemate ferit Photium.

*Breviarium ſynodi octavæ ad ingreſſum magnæ eccleſiæ, ſeu in porticu perſcriptum.* C

DONATUS & Stephanus epiſcopi, Marinus diaconus, legati veteris Romæ, ſive Hadriani papæ, una cum ſancto & œcumenico concilio in hac florentiſſima civitate Conſtantinopolitana in perilluſtri æde magnæ eccleſiæ celebrato, ex ſententia & judicio jam ante in Romana eccleſia a papa Nicolao & Hadriano illius ſucceſſore facto, una cum Joſepho religioſiſſimo diacono & vicario patriarchæ Alexandrini, & Thoma Tyri metropolita patriarchæ Antiocheni locum tenente, & Elia presbytero & ſyncello D Hieroſolymitanæ ſedis legato, venerandarum imaginum cultum ſancimus. Photium autem, qui per vim & tyrannidem Conſtantinopolitanum ſolium invaſit, quique a damnatis & execratis eſt conſecratus, qui pluribus annis eccleſiam Chriſti perturbavit, Photium inquam, & inaugurationem ejus prorſus damnamus, omnique dignitate & honore ſacerdotii privamus: Ignatium vero ſanctiſſimum patriarcham Conſtantinopolitanum contra jus faſque de gradu ſuo deturbatum, ut legitimum antiſtitem una cum ordinatione ſanctiſſimi Methodii, qui illum in patriarchatu præceſſerat, confirmamus. Quæ ut nulla E unquam oblivione deleantur, volumus hæc omnia ſynodico ſcripto conſignare. Quicumque autem huic ſynodo adverſabitur, quoad quidem in hac amentia perſtiterit, a ſancta & conſubſtantiali Trinitate damnatus eſto, ſacriſque omnibus una cum ſacra communione privatus. Sancimus etiam ut patriciorum ſententiæ, quorum viginti ſupra fuere numerati, perſcribantur, quæ ſic habent.

Propoſitis venerandis & ſalutaribus ſanctæ crucis lignis, ſanctiſque evangeliis, præſidentibus Baſilio, Conſtantino, Leone, religioſiſſi-

XI. Epitome ſynodi VIII. œcumenica.

Imaginum cultus ſancitur.

Photius damnatur.

Ignatius confirmatur.

Proceſſio & patriciorum profeſſio.

PAR. III. CAP. XI.

ANNO CHRISTI 870.

ſiſſimis imperatoribus, & ſanctiſſimo patriarcha noſtro Ignatio, ſanctiſſimiſque legatis Romanis & ceteris orientis vicariis, in hunc modum profeſſionem ediderunt.

Omnia acta Photii contra ſanctiſſimum patriarcham Ignatium, & beatum papam Nicolaum, anathemate damnamus. Sanctam & œcumenicam ſynodum octavam recipimus, admittimuſque quos illa admittit, & damnamus quos illa damnat. Et ſi quando receperimus eos quos ſynodus ejecit, a Chriſto anathema ſimus.* His nullus, quicumque papa ſucceſſerit, conabitur adverſari, aut Photium a tot ac tantis damnatum, illiuſve ordinationem, aut inficiatores cruciſque conculcatores reciperet. Photius quadraginta quinque annis ad hodiernum uſque diem, a papa nempe Leone uſque ad Formoſum, excommunicatus fuit. Nam annos undecim adhuc politicus excommunicatus fuit, quod cum Gregorio Syracuſano communicaret; & alios quatuor ſupra triginta annos, poſtquam ſacris initiatus eſt. Etenim Leo, Benedictus & Nicolaus Gregorium propter varias & graves noxas anathemate damnarant. Ubi vero Photius a damnato conſecratus eſt, cum propter alia illius facinora, tum quod ſacris a Gregorio eſſet initiatus, a novem pontificibus Romanis, Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, Joanne, Marino, Hadriano III. Stephano & Formoſo anathematis fulmine eſt ictus. Nec ullus ex iis qui Nicolaum ſunt ſecuti, illos (Gregorium & Photium) abſolverunt: nec enim poteſtatem habuerunt. Joannes Eugenium & alios legatos in Bulgarorum cauſa ſuperſtite adhuc Ignatio Conſtantinopolim miſerat, quos (mortuo jam Ignatio) comprehenſos Photius miris modis vexavit, donec communicando cum Photio omnibus imponerent. Qui Romam reverſi a Joanne papa in ambone publicitus ſunt damnati & exauctorati. Iſti igitur novem pontifices, & alii ſex patriarchæ quatuor catholicorum patriarchiorum, Ignatius Conſtantinopolitanus, Sophronius & Michael, Alexandrini, Nicolaus Antiochenus, Sergius & Theodoſius Hieroſolymorum, illos excommunicarunt. Præterea qui ad VIII. ſynodum convenerant patriarcharum legati, ubique denique communi omnium conſenſu Photium & Gregorium, illorumque inaugurationes damnaverunt. Hos igitur a tot patriarchis damnatos unum † patriarchium abſolvere non poteſt, qui totos quadraginta quinque annos nunquam ſoluti fuerunt, quos & † civilis lex ad decennium aut tricennium conſtringit. Photium porro qui ſeipſum ſolverat, quomodo uni abſolvere licebit? Imo quomodo non arctius conſtringendus erit, uti qui cenſuras ipſas † contemnat? Sunt vero qui dicant Photium injuriæ Ignatio patriarchæ factæ pœnituiſſe, patriarchamque ad illum dixiſſe: Si quid in me peccaſti, Deus tibi remittet: quæ autem in eccleſiam peccaſti, Deus indulgebit, ſi poſthac illam non perturbaris, nullaque ſacra ſacerdotum officia attigeris.

* Quis ex ſequentibus pontificibus tam audax erit, ut his [illegible], & recipiat Photium, &c. Photius 45. annis in excommunicatione vixit.

Photius a novem pontificibus damnatus.

N. Joannes enim VIII. qui abſolviſſe videbatur, de integro damnavit, ut ſupra [illegible].

† Hoc de Romano pontifice intelligit. [illegible] patriarcharum patriarcha pontifex Romanus? vide notas ſupra [illegible].

† Vide Balſamonem [illegible] de intervallis Cod. [illegible]

† Contemnens nunquam abſolvi poteſt.

στάτων βασιλέων, καὶ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἡμῶν Ἰγνατίου, καὶ τῶν ὁσιωτάτων τοποτηρητῶν τῆς τῶν Ῥωμαίων, καὶ τῶν λοιπῶν ἀνατολικῶν θρόνων, ὡμολογήσαμεν οὕτως.

Ἅπαντα τὰ γεγονότα παρὰ Φωτίου κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Ἰγνατίου, καὶ κατὰ τοῦ μακαρίου πάπα Νικολάου, ἀναθεματίζομεν. τὴν ἁγίαν καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον τὴν ὀγδόην ἀποδεχόμεθα, ἔτι γε μὴν ἀποδεχόμεθα καὶ οὓς ἀποδέχεται, καὶ ἀναθεματίζομεν οὓς ἀναθεματίζει. καὶ ἐάν ποτε δεξώμεθα οὓς ἀπεβάλετο ἡ σύνοδος, ἀνάθεμα ἡμῖν ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. τούτοις ποῖος τολμηρὸς πάπας μεταγενέστερος ἐναντιωθῆναι ἐπιχειρήσει, καὶ δέξασθαι τὸν ὑπὸ τοσούτων ἀναθεματισθέντα Φώτιον καὶ τὴν χειροτονίαν αὐτοῦ, ἢ τοὺς ἀρνητὰς σταυροπάτας; μέχρι τῆς σήμερον, με΄. ἔτη ἀναθεματίζεται Φώτιος, προδήλως ἀπὸ τοῦ πάπα Λέοντος ἕως τοῦ Φορμώσου. ἕνδεκα γὰρ ἔτη ἀνεθεματίζετο κοσμικὸς ὤν, κοινωνικὸς τῷ καθῃρημένῳ καὶ ἀναθεματισμένῳ Γρηγορίῳ τῷ Συρακούσης, καὶ ἄλλα λδ΄. ἔτη ἀφ' οὗ ἐγένετο ἀββᾶς. ὁ γὰρ πάπας Λέων, καὶ ὁ Βενέδικτος, καὶ ὁ Νικόλαος τὸν Γρηγόριον ἀνεθεμάτιζον κατὰ πολλὰς τὰς ἀτόπους αἰτίας. ἐπεὶ δὲ ὁ Φώτιος παρὰ τοῦ καθῃρημένου ἐχειροτονήθη, καὶ δι' ἄλλα μὲν, ἀλλὰ καὶ τὸ δέξασθαι παρὰ τούτου τὴν ἱερωσύνην, ἀναθεματίζεται ὑπὸ τῶν ἐννέα προέδρων τῆς Ῥώμης, Λέοντος, Βενεδίκτου, Νικολάου, Ἀδριανοῦ, Ἰωάννου, Μαρίνου, Ἀδριανοῦ ἑτέρου, Στεφάνου καὶ Φορμώσου. καὶ οὐδεὶς τῶν μεταγενεστέρων Νικολάου ἔλυσεν αὐτοὺς, ἢ τὰς χειροτονίας αὐτῶν· οὐδὲ γὰρ εἶχον ἐξουσίαν. ὁ Ἰωάννης τοὺς περὶ Εὐγένιον διὰ τὴν πρόφασιν τῆς Βουλγαρίας ἀπέστειλεν ἔτι ζῶντος Ἰγνατίου τοῦ πατριάρχου· καὶ κρατήσας αὐτοὺς ὁ Φώτιος, καὶ βασανίσας ποικίλως, ἔπεισε κοινωνῆσαι, πρὸς τὸ πλανῆσαι πάντας. οἱ καὶ ἀπελθόντες ἐν τῇ Ῥώμῃ καθῃρέθησαν παρὰ Ἰωάννου ἀναθεματίσαντος ἐπὶ ἄμβωνος. οὗτοι οὖν οἱ θ΄. καὶ ἄλλοι ς΄. πατριάρχαι τῶν δ΄. καθολικῶν θρόνων, Ἰγνάτιος Κωνσταντινουπόλεως, Σωφρόνιος καὶ Μιχαὴλ Ἀλεξανδρείας, Νικόλαος Ἀντιοχείας, Σέργιος καὶ Θεοδόσιος Ἱεροσολύμων ἀνεθεμάτισαν αὐτούς. καὶ οἱ ἐν τῇ η΄. συνόδῳ συναθροισθέντες ἀποκρισιάριοι τῶν πατριαρχικῶν θρόνων, καὶ πανταχοῦ ἐδέσμευσαν καὶ ἀνεθεμάτισαν συμφώνως τὸν Γρηγόριον καὶ Φώτιον, καὶ τὰς χειροτονίας αὐτῶν. τοὺς γοῦν ἀπὸ τοσούτων πατριαρχῶν δεσμευθέντας ἓν πατριαρχεῖον λῦσαι οὐ δύναται, τοὺς μὴ λυθέντας ἐν ὅλοις τοῖς τεσσαράκοντα πέντε χρόνοις, τούτους καὶ ὁ πολιτικὸς νόμος ἀποκλείει μέχρι δεκαετίας ἢ τριακονταετίας. καὶ τότε τὸν ἑαυτὸν λύσαντα Φώτιον πῶς * ἓν λῦσαι; ἢ μᾶλλον τοῦτον ἐπὶ πλέον ἔξεστι δεσμεῦσαι, ὡς καταφρονήσαντα τοῦ δεσμοῦ; λέγουσί τινες, ὅτι μετάνοιαν ἔβαλεν ὁ Φώτιος εἰς τὸν πατριάρχην Ἰγνάτιον, καὶ ὁ πατριάρχης εἶπε πρὸς αὐτόν· εἴ τι ἐποίησας εἰς ἐμὲ, ὁ Θεὸς συγχωρήσει σοι· τὰ δὲ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ὁ Θεὸς συγχωρήσει σοι, ἐὰν ἀτάραχον ἀπὸ τοῦ νῦν διατηρήσῃς ταύτην, καὶ οὐδὲν ἱερατικὸν ἐνεργήσῃς.

* l. ἐν

κἀγὼ



ANNO CHRISTI 870.

PART. III. CAP. XI.

κἀγὼ δὲ γράψω παράκλησιν εἰς τὰ πατριαρχεῖα, καὶ ἐὰν λύσωσί σε τοῦ δεσμοῦ, οἰκονομεῖν καὶ τὸ πνεῦμά μου. ἀλλ' ὁ Φώτιος ἐκώλυσε διὰ τοῦ βασιλέως τὴν πρὸς τὰ πατριαρχεῖα γραφὴν, γινώσκων ὅτι ἀδύνατόν ἐστι λυθῆναι αὐτὸν, ὥστε ἱερουργεῖν. ἔκτοτε οὖν οὐκ ἐπαύσατο πολέμους ἐγείρων κατὰ τοῦ πατριάρχου. ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ Μαγναύρᾳ τοῦ παλατίου καθήμενος, ἐποίει χειροτονίας ὡς πατριάρχης, καὶ κατὰ τῶν ἀνθισταμένων * αὐτῷ μεγάλας κολάσεις ἐπάγων καὶ ἐξορίας. παρεσκεύασέ τε τὸν βασιλέα παραγγεῖλαι, ἵνα μηδεὶς τῶν ἀρχόντων παραγένηται εἰς τὴν κηδείαν αὐτοῦ τελευτήσαντος πικρῶς, ἀπὸ ἐπιβουλῆς αὐτοῦ. καὶ εὐθέως μετὰ τρίτην ἡμέραν τῆς τελευτῆς Ἰγνατίου, εἰσῆλθε μετὰ λιτῆς εἰς τὴν ἐκκλησίαν· ὅτε οἱ λειτουργοῦντες ἱερεῖς καὶ διάκονοι ἰδόντες αὐτὸν ἔφυγον, ἀτελῆ τὴν λειτουργίαν καταλιπόντες, καὶ τὰ ἅγια ἀπημέλητα κείμενα.

Τούτων δὲ πάντων γενομένων ὑπὸ Φωτίου, πῶς οὐ ψεύδονται οἱ λέγοντες λυθῆναι αὐτὸν παρὰ τοῦ πάπα Ἰωάννου; τὸν παρ' ἑτέρου δεσμευθέντα ἕτερος λῦσαι οὐ δύναται, ὥσπερ οὐδὲ ὁ πάπας Ἰωάννης τὸν Φώτιον προσδεσμηθέντα παρὰ τοῦ πρὸ αὐτοῦ, οὐδὲ οἰκονομικῶς τοῦτο γενέσθαι δώσει τις. ὁ γὰρ Χρυσόστομός φησιν, οἰκονομητέον ἔνθα οὐ παρανομητέον· καθὼς καὶ αὐτὸς ἐποίησε, παραχωρήσας τοῖς Ἐφεσίων ἐπισκόποις μετὰ τὴν καθαίρεσιν, διὰ τὰ σιμωνιακὰ λήμματα, τιμῆς ἕνεκα τὴν ἔνδον τοῦ θυσιαστηρίου μετάληψιν, ἀπολογησαμένοις * συνηθείᾳ κρατησάσῃ ἐνεχθῆναι εἰς τὸ ἀτόπημα. διὰ ταῦτα πάντα ἀδύνατόν ἐστί ποτε τὴν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν δέξασθαι εἰς ἱερωσύνην οἰκονομικῶς τοὺς ἀναθεματισθέντας ἀκριβῶς παρὰ τῶν πατέρων αὐτῶν ἐπὶ με΄. χρόνοις, μέχρι καὶ νῦν. καλὸν τὸ εἰρηνεύειν πρὸς πάντας, φησὶν ὁ μέγας Μάξιμος, ἀλλ' ὁμονοοῦντας πρὸς τὴν εὐσέβειαν· κρεῖττον δὲ τὸ πολεμεῖν, ὅταν τὸ εἰρηνεύειν τὴν ἐπὶ τὸ κακὸν συμφωνίαν ἐργάζηται. μὴ γὰρ δὴ τοῦτο καλείτωσάν τινες οἰκουμενικὴν εἰρήνην ἀλλὰ μᾶλλον κατατομήν. ἐγὼ τότε φημὶ κρατύνεσθαι τὸ τῆς εἰρήνης ὄνομά τε καὶ πρᾶγμα, ὅταν μὴ τῶν ἁγίων πατέρων γνώμαις ἀντιτατώμεθα, μηδὲ τοῖς ἐκείνων ὅροις ἀντιπράττωμεν. τί λέγεις; ὅτι ὀρθόδοξοί εἰσιν οἱ τότε ἀναθεματισθέντες, καὶ διὰ τοῦτο χρὴ αὐτοὺς νῦν δεχθῆναι εἰς ἱερωσύνην μετανοοῦντας; ἄπαγε· πολλοὶ γὰρ ὀρθόδοξοι παρανομήσαντες ἀνεθεματίσθησαν, ἀλλ' εἰς ἱερωσύνην οὐκ ἐπανῆλθον. καὶ προτρέπεται πάντας ἡμᾶς καὶ παραινεῖ ὁ θεῖος Χρυσόστομος οὕτως. χρὴ καὶ λαϊκοὺς καὶ ἱερεῖς ὑπὲρ ἀληθείας φθέγγεσθαι, καὶ κατὰ παραβατῶν ἀγωνίζεσθαι, κατὰ τὴν γραφὴν τὴν λέγουσαν· ἕως θανάτου ἀγώνισαι ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, καὶ κύριος ὁ Θεὸς πολεμήσει ὑπὲρ σοῦ.

Εἶχε τὸ βιβλίον, ἐξ οὗ τὰ παρόντα μετεγράφησαν, ἐν τῷ τέλει ἀπαρίθμησιν τῶν ἁγίων ἑπτὰ οἰκουμενικῶν συνόδων· καὶ ἐδήλου διὰ ποίαν αἵρεσιν ἑκάστη αὐτῶν γέγονε, καὶ ἐν ποίῳ τόπῳ, καὶ ἐπὶ τίνων βασιλέων, καὶ τίνες ἦσαν οἱ ἐν αὐταῖς ἐξάρχοντες ἀπὸ τῶν ἁγίων πατέρων, καὶ μετὰ τὴν τούτων ἀπαρίθμησιν συνέταξεν ὁ συγγραφεὺς ὀγδόην τὴν ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ Μακεδόνος συστᾶσαν κατὰ Φωτίου, λέγων οὕτως.

Et ego viciſſim tua cauſa libellum ſupplicem ad patriarchas reliquos ſcribam, qui ſi ſolverint te, ego quoque tecum diſpenſabo. Sed Photius ipſe per imperatorem Ignatium impediit, quo minus ad patriarchas ſcriberet, ut qui ſciret, fieri non poſſe, ut impetrata abſolutione ad ſacerdotii functiones denuo admitteretur. Ex illo igitur tempore nunquam deſtitit Photius, quo minus hoſtes in patriarcham concitaret. Quin & in Magnaura palatio verſatus, ordinationes tamquam patriarcha inſtituebat, magnaſque pœnas exigebat ab iis qui conatibus ſuis repugnarent, exiliaque addebat. Imperatorem quoque impulit ut ediceret, ne quis ex magiſtratu funus illius proſequeretur, cum per inſidias illius patriarcha acerbe extinctus eſſet. Statimque triduo poſtquam vitam finierat, in eccleſiam cum ſolenni ſupplicationis pompa intravit. Quod ubi myſtæ qui ſacris operabantur, animadverterunt, ſemiperactis ſacrificiis aufugerunt, ſanctaque neglecta reliquerunt.

Quæ omnia cum a Photio perpetrata ſint, quomodo non mentiuntur, qui affirmant illum á papa Joanne fuiſſe abſolutum? Qui ab altero ligatus eſt, ab altero ſolvi † non poteſt. Quemadmodum neque papa Joannes Photius a priore pontifice ligatum abſolvere potuit. Neque per modum diſpenſationis fieri poſſe quis concedat. Etenim divus Chryſoſtomus ait, ibi eſſe diſpenſandum, ubi non ſit prævaricandum; quemadmodum & ipſe fecit, cum Epheſinis epiſcopis propter ſimoniam damnatis ſacramentorum uſum in ſacrario indulſit, cum ob rem ſacram munera accepiſſent, quod ſe defenderent, id ſe ex diu jam uſurpato more factitaſſe, atque in id criminis incidiſſe. Has omnes ob cauſas, fieri non poteſt, ut eccleſia Romana eos qui ad quadrageſimum quintum annum uſque ab ipſis patribus excommunicati manſerunt, hodieque manent, per diſpenſationem in ſacerdotium reſtituat. Pulcrum eſt, inquit magnus ille Maximus, pacem colere. Recte; ſed cum iis qui in religione ſeu fide conveniunt: tum enim præſtat bello pax, cum pax ad honeſtam & æquam concordiam ducit. Ne vero mihi hanc tu concordiam appellites, ſed diſcordiam potius & ſectionem. Tunc enim pacis nomen atque rem valere judico, cum ſanctorum patrum decretis & auctoritati non repugnamus, aut contraria molimus. Quid dicis? orthodoxos fuiſſe tum, cum excommunicarentur, atque idcirco illos nunc reſipiſcentes ſacerdotio reſtituendos? Apage. Multi orthodoxi prævaricati ſunt, & anathemate mactati, ſed ad ſacerdotii gradum nunquam redierunt. Cunctos ſane hortatur, omneſque commonet divus Chryſoſtomus in hæc verba: Pro veritate laicis & ſacerdotibus certandum, contraque impios pugnandum, ut ſacra oracula loquuntur: *Ad mortem uſque pugna pro veritate, & dominus Deus pro te pugnabit.*

† Si non reſipiſcat, ſedeat in eodem quo prius erat, ſtatu priſtino.

Eccl. 4.

Continebat hoc volumen, unde hæc deſcripta ſunt, ſeptem ſynodorum œcumenicarum recenſionem; ſimulque declarabat, quam ob ſectam unaquæque illarum celebrata ſit, quoque in loco, quibuſque imperantibus, quique e ſanctis patribus illis præfuerint. Et poſt harum enumerationem auctor his verbis adjunxit, octavam ſub Baſilio Macedone contra Photium indictam.

Menæa Græcorum vide 26. Jul. Photium de ſeptem ſynodis, Bellarminum de conciliis.

Octava

PART. III. CAP. II.

Octava autem ſancta & œcumenica ſynodus, Conſtantinopoli celebrata eſt imperantibus Baſilio tribuſque illius filiis, Conſtantino, Leone & Alexandro; Hadriano papa Romano, & Ignatio altero illo deifero & confeſſore patriarcha Conſtantinopolitano, & ſacratiſſimis legatis veteris Romæ, reliquorumque patriarchalium thronorum, atque centum & duorum epiſcoporum, ſynodum auſpicante gratiſſimo Dei archidiacono Marino, qui poſtea pontificatum geſſit, contra Photium prævaricatorem, perjurum, crucisque violatorem, divinarumque legum contemptorem, profanum & adulterum eccleſiæ, quam bis per vim invaſit, & latronis more bis Conſtantinopolitanam cathedram occupavit, & prope gentium more in eccleſiam Dei perſecutionem movit, atque incurrit, & fere omnes ad ſinceræ fidei noſtræ ſignum, crucis inquam ſymbolum certiſſimum, & ſui cujuſque chirographi negationem adegit, atque vanitatis conciliabulum coegit, fictitios legatos ſuppoſuit, criminationes & calumnias in beatiſſimum papam Nicolaum, inculpatumque patriarcham Ignatium, atque omnes veræ pietatis propugnatores concinnavit, qui ab illius immanitate & errore, cum hominem duas habere animas aſſereret, abhorrebant. Hunc Photium a Gregorio Syracuſano olim epiſcopo, tamquam ab exauctorato & excommunicato, ſubito & repente tonſum ac conſecratum (qui germanum ſedis antiſtitem Ignatium per tyrannidem ejecit, ſoliumque vi occupavit, acerbiſſimumque vexatorem egit, novum quoque & perverſum de duplici hominis anima dogma procudit) omneſque ſectatores illius & inaugurationes ſancta ſynodus ad præſcriptum judicii prius a ter beatiſſimo Nicolao papa, qui Hadrianum præceſſit, in ſynodo Romana facti, proſcripſit & damnavit, ſimulque ſanctum ſeptimum concilium, Nicænum inquam ſecundum confirmavit, & ſumma auctoritate Theodotum Antoniumque ſedis Conſtantinopolitanæ ſucceſſores, qui rem eccleſiaſticam male curarunt, damnationis ſententia jugulavit. His adde & Theodorum cognomento Crithinum, qui inviſam ſuperis Iconomachorum ſectam revocare conabatur.

Venerandum vero imaginum cultum clariſſimo præconio promulgavit, unamque dumtaxat animam ineſſe homini ratione & intelligentia pollentem, ex utriuſque veteris & novi teſtamenti auctoritate docuit & ſanxit.

Decrevit etiam, nullum amplius ex civili magiſtratu, aliove quocumque politico ſtatu vel ordine, ſubito in pontificium thronum evehendum. Similiter declaravit, uti nulli ad ſacerdotii dignitatem recipiendam reditus pateret, qui unquam ſignum & chirographum crucis perjurio violare, aut cum Photianis communicare, aut quocumque modo Photianos, imo mœchianos ſeu adulteros pro ſacerdotibus rurſum agnoſcere recipereve auſus fuiſſet, poſtquam in Conſtantinopolitana ſynodo ſententia adverſus illos eſt pronuntiata.

ANNO CHRISTI 870.

Ὀγδόη δὲ ἁγία μεγάλη καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος γέγονεν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπὶ τῆς βασιλείας Βασιλείου καὶ τῶν τριῶν υἱῶν αὐτοῦ, Κωνσταντίνου, Λέοντος καὶ Ἀλεξάνδρου· ἐπὶ Ἀδριανοῦ πάπα Ῥώμης, καὶ Ἰγνατίου τοῦ πάνυ θεοφόρου καὶ ὁμολογητοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τῶν ἱερωτάτων τοποτηρητῶν τῆς τε πρεσβυτέρας Ῥώμης, καὶ τῶν λοιπῶν ἀνατολικῶν πατριαρχικῶν θρόνων καὶ ἐπισκόπων, ἐξάρχοντος τῆς συνόδου Μαρίνου τοῦ θεολήπτου ἀρχιδιακόνου τῆς ἀποστολικῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας, τοῦ μετὰ ταῦτα γεγονότος πάπα· συναθροισάσης δὲ κατὰ Φωτίου τοῦ παραβάτου καὶ σταυροπάτου καὶ καταφρονητοῦ τῶν θείων ἐνταλμάτων, καὶ κοσμικοῦ καὶ μοιχοῦ τῆς ἐκκλησίας καὶ δισεπιβήτορος, ὡς λῃστρικῶς τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον ἐκ δευτέρου κρατήσαντος, καὶ διωγμὸν ἐπεγείροντος παραπλήσιον τῆς ἑλληνικῆς καταδρομῆς εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν, καὶ ἐξάρνους πάντας σχεδὸν γενέσθαι τοῦ συνεκτικωτάτου τῆς καθ' ἡμᾶς εἰλικρινοῦς πίστεως σταυρικοῦ καὶ σεβασμίου τύπου καὶ τῶν ἰδίων ὑπογραφῶν βιασαμένου, καὶ συνέδριον ματαιότητος μετὰ ψευδοτοποτηρητῶν συστησαμένου, καὶ συκοφαντίας καὶ διαβολὰς κατὰ Νικολάου τοῦ ἁγιωτάτου πάπα, καὶ κατὰ τοῦ ἀνεπιλήπτου πατριάρχου Ἰγνατίου, καὶ κατὰ πάντων ζηλωτῶν τῆς εὐσεβείας, τῶν μὴ κοινωνούντων τῇ μιαιφονίᾳ αὐτοῦ, καὶ δύο ψυχὰς ἔχειν τὸν ἄνθρωπον δυσσεβῶς δογματίσαντος. τοῦτον τὸν Φώτιον, ὡς ὑπὸ καθῃρημένου καὶ ἀναθεματισμένου Γρηγορίου τοῦ ποτὲ Συρακούσης ἐπισκόπου αὐθήμερον καὶ προσκάτως ἀποκαρέντα καὶ χειροτονηθέντα, καὶ τοῦ θρόνου τὸν ἔνθεσμον ἀρχιερέα Ἰγνάτιον τυραννικῶς ἐξωθήσαντα, καὶ τὸν θρόνον κατασχόντα, καὶ διώκτην πικρότατον γεγονότα, καὶ ἐφευρόντα τὸ ἐνδιάστροφον τῆς διψυχίας δόγμα, καὶ πάντας ὁμόφρονας αὐτοῦ καὶ τὴν χειροτονίαν αὐτοῦ ἡ ἁγία σύνοδος ἀπεβάλετο καὶ ἀναθεμάτισε κατὰ τὴν ἤδη προγεγονυῖαν κρίσιν συνοδικῶς ἐν τῇ Ῥώμῃ ὑπὸ τοῦ τρισμακαριωτάτου πάπα Νικολάου τοῦ προκατόχου Ἀδριανοῦ· ἐπεκύρωσε δὲ καὶ τὴν ἁγίαν ἐν Νικαίᾳ τὸ δεύτερον, ἑβδόμην σύνοδον, καὶ μεγάλως ἀνεθεμάτισε Θεόδοτον καὶ Ἀντώνιον τοὺς καταδιαδόχους, τοῦ θρόνου Κωνσταντινουπόλεως κακῶς προεδρεύσαντας· ἔτι γε μὴν καὶ Θεόδωρον τὸν ἐπιλεγόμενον Κρίθινον, τοὺς ἀνακαινίσαι πειραθέντας τὴν τῶν Εἰκονομάχων θεοστυγῆ αἵρεσιν.

Καὶ ἐκήρυξε διαπρυσίως τὴν τῶν σεπτῶν εἰκόνων προσκύνησιν, καὶ ἐδόξασε μίαν ψυχὴν λογικήν τε καὶ νοερὰν ἔχειν τὸν ἄνθρωπον κατὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς παλαιᾶς τε καὶ καινῆς διαθήκης.

Ὥρισε δὲ, μηκέτι ἐξὸν εἶναι ἐξ ἀρχοντικῆς, ἢ ἄλλης τῆς οἱασοῦν κοσμικῆς τάξεως, λαϊκὸν ἀθρόως ἀναβιβάζεσθαι εἰς τὸν τῆς ἀρχιερωσύνης θρόνον. ὡσαύτως ἀπεφήνατο καὶ τὸ μὴ ἔχειν πρὸς διόρθωσιν τῆς ἱερωσύνης ἐπανάκλησιν τοὺς κατατολμήσοντάς ποτε σταυροπατῆσαι καὶ συγκοινωνῆσαι, ἢ ὡς ἱερεῖς ὁπωσοῦν τοὺς Φωτιανοὺς, μᾶλλον δὲ μοιχιανοὺς ἀποδέξασθαι πάλιν, μετὰ τὴν κατ' αὐτῶν ἐξενεχθεῖσαν ἐν Κωνσταντινουπόλει συνοδικῶς ἀπόφασιν.

Ἐπὶ



ANNO CHRISTI 870.

Ἐπὶ τούτοις ἰστέον, ὅτι ὁ Μάπας ὁ μητροπολίτης Νεοκαισαρείας ὁ Στυλιανὸς, μετὰ τὸ δέξασθαι, καθὼς γέγραπται ἐν τοῖς προλαβοῦσιν, ἑπτὰ χρόνων παραδραμόντων, χαυνωθεὶς ὑπὸ τῶν φίλων καὶ συγγενῶν, καὶ καταλιπὼν τὴν εὐθεῖαν ὁδὸν τῆς ἀληθείας, ἐπὶ τὰ ἐναντία τῶν δεδογμένων ἐστράφη, καὶ ἔγραψε πρὸς τὴν Ῥώμην, αἰτούμενος πεμφθῆναι ἐκεῖθεν χειροτονίαν αὐτοῦ, καὶ ἐπιτροπὴν ἐκεῖθεν λαβεῖν τοῦ συγκοινωνῆσαι αὐτοῖς. ὁ δὲ πάπας Ἰωάννης δεξάμενος καὶ πεμψάμενος τὴν τοιαύτην τοῦ Μάπα αἴτησιν, ἐσκέψατο, μήποτε κατ' εἰρωνείαν τοιαῦτα ἔγραψε, πρὸς τὸ ἐξουθενῆσαι τοὺς Ῥωμαίους, εἰ τοῦτο ποιήσουσι. διὸ οὐκ ἐπέτρεψεν, οὐκ τὸ ἰδιόγραφον ἀπέστειλεν· ἀλλ' ἀντέγραψε πρὸς αὐτὸν γράμμα ἔχον οὕτως.

Ἀξίας χάριτας, τιμιώτατε ἀδελφὲ, τῇ σῇ ἀγάπῃ ἀναφέρομεν, ὅτι οὐδέποτε ἀπὸ τῆς σῆς μητρὸς τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας παρεκκλῖναι ἠθέλησας. οὐδὲ τινες γὰρ βάσανοι, ἢ ἐξορίαι, ἢ ἀπάται τῶν πορνοβοσκησάντων ἠδυνήθησάν σε σχίσαι ἀπὸ τῆς σῆς μητρός. μάλιστα γε πιστεύω τῇ θλίψει τῆς σῆς ψυχῆς καταμαλαχθῆναι τὴν τῶν καρδιῶν σκληρίαν τῶν μελλόντων σωθῆναι, καὶ τὴν ἐκζητουμένην εἰρήνην προσκαλεῖσθαι· ὃ βεβαίοις φαίνεται τεκμηρίοις· καὶ τὸ σχίσμα τῶν μ'. σχεδὸν ἐτῶν εἰς τὴν προτέραν ὑγείαν ἐπανελθεῖν. ἃ γὰρ ἡ σὴ μήτηρ ἠθέτησε μέχρι τῆς δεῦρο, καὶ σὺ ἠθέτησας· καὶ οἷς ἐπένευσεν, ἐπένευσας καὶ αὐτός.

Βουλόμεθα οὖν καὶ νῦν ὅπως κατ' αὐτὴν τὴν τάξιν αἱ διατάξεις τῶν ἁγιωτάτων πρὸ ἡμῶν ἀρχιερέων ἀπαράσπαστοι διαμένοιεν. διὸ καὶ Ἰγνάτιον, Φώτιόν τε, Στέφανον καὶ Ἀντώνιον, καθὼς ὁ ἁγιώτατος πάπας Νικόλαος, καὶ Ἰωάννης, καὶ ἕκτος Στέφανος, καὶ πᾶσα ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία μέχρι τοῦ νῦν ἐκράτησε, καὶ ἡμεῖς αὐτοὺς τῇ αὐτῇ ἀποδεχόμεθα καὶ κρατοῦμεν τάξει. καὶ αὐτοῖς τοῖς περιοῦσι τῆς αὐτῶν χειροτονίας τῇ αὐτῇ τάξει χεῖρα ὀρέγομεν, καὶ ἵνα σὺ μεθ' ἡμῶν ὡσαύτως χεῖρα ὀρέξῃς, παραινοῦμεν. καὶ εἰρήνης καὶ κοινωνίας εὐλογίαν αὐτοῖς ἀποδῶμεν, καὶ αὐτῶν οὕτως δηλονότι φυλαττόντων τὰς τάξεις.

Τὸ δὲ σὸν χειρόγραφον, ὃ ἐποίησας ἡμῖν, πλεῖστα ἐκζητήσαντες, οὐχ εὕρομεν.

Σχόλιον

Σκοπητέον τὰ τῆς τοιαύτης ἐπιστολῆς [illegible] ῥήματα. καὶ γὰρ οὐδὲ οὗτος ὁ πάπας ἔλυσεν ἢ ἀπεδέξατο Φώτιον, ἢ τὴν χειροτονίαν αὐτοῦ· ἀλλ' ἐπεβεβαίωσε τὰς κρίσεις τῶν προκατόχων αὐτοῦ. εἰπὼν δέ· οὐδὲ τινες βάσανοι, ἢ ἐξορίαι, ἢ ἀπάται τῶν πορνοβοσκησάντων ἠδυνήθησάν σε ἀποσχίσαι τῆς μητρός σου τῆς Ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας· τύραννον καὶ διώκτην, καὶ πορνοβοσκὸν ἐνέφηνε δηλαδὴ τὸν Φώτιον. παρακατιὼν δὲ ἀπέδειξε καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν μὴ σεσωσμένους, μήτε ὑγιαίνοντας ἐπὶ ἔτη μ'. τῷ λόγῳ τῆς ἱερωσύνης· καὶ ἐντέλλεται ἀδιασπάστως φυλαχθῆναι τὰς διατάξεις τῶν προκατόχων αὐτοῦ, τὰς θεσπισθείσας δηλονότι κατὰ Γρηγορίου τοῦ Συρακούσης, καὶ Φωτίου, καὶ τῶν χειροτονιῶν αὐτῶν. εἰπὼν ὡς ταύτῃ τῇ προωρισμένῃ ἐκείνων κρίσει καὶ τάξει, καὶ ἡμεῖς αὐτοὺς ἀποδεχόμεθα καὶ κρατοῦμεν·

PAR. III. CAP. XI.

Neque ignorandum præterea, Mapam illum Neocæſarienſem metropolitam Stylianum, † ſeptennio poſt quam epiſtolam a Formoſo, de qua ſupra ſcriptum eſt, acceperat, ſtolida per amicos & cognatos ſuperbia elatum, relicto veritatis tramite (nempe communicando cum Photianis) in contraria verſum dogmata, ſcripſiſſe Romam, petiviſſeque ordinationem ipſius, & facultatem communicandi cum Photianis. Papa vero Joannes cum hujuſmodi Mapæ petitionem accepiſſet, perpendiſſetque; veritus ne forte per irriſionem & contemptum hæc ſcripta eſſent, neve Græci luderent Romanos, ſi illorum petitioni ſatisfeciſſet; neque conceſſit quod petivit, neque ſua manu (ad Stylianum) reſcripſit: ſed ad illius literas in hunc modum reſpondit.

† Septem annos CC. & B. habent Baronium penes.

Joannes IX. hic fuit.

Gratias quas par eſt, honoratiſſime frater, tuæ caritati habemus, quod nunquam a matre tua, ſancta inquam & catholica apoſtolicaque Romana eccleſia deficere volueris. nulla quippe tormenta, exilia nulla, nec artes & lenocinia ulla te ab eccleſia matre tua avocare potuerunt. Omnino tamen ſpero tuarum ardore precum dura illorum pectora, qui ad beatam deſtinati ſunt vitam, flexum iri, pacem diu expetitam poſtliminio redituram, (quod ſane perquam certis futurum argumentis apparet) & ſchiſmatis diſſidium, quod ad quadrageſimum jam annum duravit, ad priſtinam ſanitatis concordiam reductum iri. Quæcumque enim hactenus tua mater eccleſia damnavit, & tu damnaſti; quæ probavit, & tu probaſti.

Epiſtola Joannis IX. P.M. ad Stylianum. A. C. DCCCXCV. ut Bar. habet ut noſtri codices. DCCCXCIII.

Quapropter & nunc ſanctiſſimorum pontificum, qui nos præceſſerunt, decreta eodem eſſe loco, incorrupteque volumus obſervari. Itaque Ignatium, Photium, Stephanum & Antonium eodem nos loco, quo ſanctiſſimus papa Nicolaus, & Joannes & Stephanus ſextus, totaque eccleſia Romana habuerunt, habemus, recipimus & tenemus. Et quicumque ex ordine ab illis conſecratorum ſuperſunt, manum præbemus, atque ut tu pariter nobiſcum illis manum porrigas, monemus. Pacem quoque illis & communionis gratiam reddimus, ſi tamen ipſi leges a nobis præſcriptas obſervarint.

Sed chirographum tuum, quod feciſti, licet diu multumque a nobis quæſitum, reperire tamen nuſquam potuimus.

Conſideranda ſunt porro probe meditata hujus epiſtolæ verba. Neque enim hic papa abſolvit aut recepit Photium, illiuſve ordinationem; ſed priorum pontificum ſententias confirmavit. Cum autem dixit; Nulla tormenta, vel exilia, vel fraudes, vel lenocinia adulterorum te a matre tua eccleſia Romana potuerunt avellere; tyrannum utique & perſecutorem, & lenonem ſeu adulterum inſinuavit Photium. Ulterius vero progreſſus oſtendit, nec eos qui Photio in patriarchatu ſucceſſerunt ad quadrageſimum uſque annum, ſalvos, ſanave ſecutos fuiſſe, ſoloque nomine ſacerdotes extitiſſe. Præcepitque priorum pontificum decreta contra Photium & Gregorium Syracuſanum edita, nulla ratione violanda eſſe. Cum rurſus dixit: Eodem nos loco, quo priores pontifices, habemus ac tenemus;

Igna-

PART. III. CAP. VIII.

Ignatium quidem conſecratum aperte dicit, ceteros autem perinde quaſi pro non conſecratis habendos. Sextus porro (Stephanus fuit) a Nicolao, qui Nicolaus I. Photium damnavit, & Ignatium abſolvit: ſecundus, Hadrianus: tum Joannes (VIII.) deinde Marinus: quintus, Hadrianus III. poſtea Stephanus VI. hunc Formoſus; Formoſum alii quatuor ſunt ſecuti, Bonifacius, Stephanus (VII.) Romanus, Theodorus, & poſt hos omnes Joannes (IX.) qui hæc ſcripſit. Cum porro dixit: Quemadmodum tota eccleſia ad hodiernum uſque diem tenuit) complexus eſt omnes qui ſe præceſſerunt & ſecuti ſunt pontifices, quorum decretis ſe quoque ſtare dicit. Ut fieri non poſſit hæc duo ſimul vera eſſe, ut decreta illorum ſervet, & per illorum decreta exauctoratos ad ſacerdotium omnino recipiat. Sed pacis dumtaxat & communionis gratiam ritu laicorum illis impertiendam ſignate declaravit.

*Optima declaratio.*

τὸν μὲν Ἰγνάτιον καθωσιωμένον προδήλως, τοὺς δὲ λοιποὺς ἀκαθοσιώτους. ἕκτος δὲ ἀπὸ Νικολάου, ὁ κατακρίνας τὸν Φώτιον, καὶ δικαιώσας Ἰγνάτιον. εἶθ' οὕτως Ἀδριανός, καὶ μετ' αὐτὸν Ἰωάννης, καὶ μετὰ τοῦτον Μαρῖνος, καὶ μετὰ Μαρῖνον Ἀδριανὸς ἕτερος, καὶ ἕκτος Στέφανος, ἔπειτα Φόρμωσος, καὶ μετὰ τοῦτον ἄλλοι τέσσαρες ἦσαν, Βονιφάτιος, Στέφανος, Ῥωμανὸς καὶ Θεόδωρος, καὶ μετ' αὐτοὺς Ἰωάννης ὁ ταῦτα γράψας. εἰπὼν δέ, ὅτι καθὼς καὶ πᾶσα ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία μέχρι τῆς δεῦρο ἐκράτησε, συμπεριέλαβε πάντας καὶ τοὺς πρὸ αὐτοῦ, καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν πατριάρχας, ὧν τὰς διατάξεις εἶπε κρατεῖν καὶ αὐτόν· ὡς ἀδύνατον εἶναι τὰ δύο γενέσθαι, καὶ τὰς διατάξεις ἐκείνων κρατεῖν, καὶ τοὺς ἀποβληθέντας παρὰ τῶν διατάξεων ἐκείνων δεχθῆναι εἰς ἱερωσύνην τὸ σύνολον. ἀλλὰ μόνον εἰρήνης αὐτοὺς καὶ κοινωνίας εὐλογίαν ἀπολαβεῖν, οἷα λαϊκούς, ὡς ἀριδήλως δεδήλωκεν.

ANNO CHRISTI 870.

*De eodem Photio ſummatim ex hiſtoria Joannis Thraceſii cognomento Scylizæ.*

XII. IGnatius Nicephori imperatoris ex filia nepos, Michaelis ex-imperatoris filius, virilitate adempta fit monachus. Deinde virtute illius longo tempore explorata, ad patriarchatus dignitatem evehitur. Hic Bardam, quod innocentem conjugem repudiaſſet, & nurum inceſtaſſet, a ſacris ſacramentis arcuit. A quo cum Bardas ſæpius fruſtra veniam poſtulaſſet, ille Ignatium per vim de ſolio dejectum, variiſque & intolerandis cruciatibus afflictum Mitylenem exulatum miſit. Quin & alii epiſcopi ultima quæque paſſi ſunt, quod Bardæ acta non probarent. Enimvero tandem alii partim minis, partim præmiis ſollicitati ceſſere. Tum Bardas Photium eruditionis laude præſtantem, qui imperatori primus a ſecretis erat, extemplo ad patriarchatus culmen extulit. Poſtquam deinde veteris Romæ legati contra Iconomachos Conſtantinopolim miſſi venerunt, illi quoque inducti ſunt, ut Ignatium damnarent. Quare, in ſacra apoſtolorum æde conciliabulo coacto, revocatum ab exilio Ignatium publica exauctoratione deponunt.

Hæc ex Michaelis Theophili filii hiſtoria: quæ vero ſequuntur, ex Baſilii Macedonis, deprompta ſunt; quorum hæc eſt ſententia. Neque ſtatum eccleſiaſticum imperator ulla ratione immutavit, ſed curavit tantum. Ejectum enim ex patriarchatu quem invaſerat, Photium per ſynodum in ordinem redegit, quoad juſtis creatum ſuffragiis Ignatium Deus ipſe e vita evocaret, qui contra jus faſque a Barda Cæſare exturbatus erat, quem Baſilius in ſedem Conſtantinopolitanam reduxit, pacemque & tranquillitatem eccleſiæ reddidit. Dein poſt aliam quamdam narrationem hæc ſubjungit.

*Aliter Zonaras de cauſa Ignatii reſtituti & Photii [illegible]*

Ἐκ τοῦ ἱστορικοῦ τοῦ Θρακησίου Ἰωάννου, τοῦ καὶ Σκυλίτζη ἐπιλεγομένου παρὰ τοῦ αὐτοῦ Φωτίου κατ' ἐπιτομήν.

ΙΓΝΑΤΙΟΣ ὁ Νικηφόρου μὲν τοῦ βασιλέως θυγατριδοῦς, υἱὸς δὲ τοῦ Μιχαὴλ τοῦ ἐκπεπτωκότος τῆς βασιλείας, μετὰ τὴν πατρικὴν ἔκπτωσιν τὰ παιδογόνα μὲν ἀφαιρεῖται μόρια, γίνεται δὲ μοναχός. καὶ μετὰ τοῦτο διὰ τὴν ἀπὸ τοῦ χρόνου ἐπιμαρτυρηθεῖσαν αὐτοῦ ἀρετήν, εἰς τὸν τῆς πατριαρχείας θρόνον ἀνάγεται. οὗτος τὸν Βάρδαν ἐπὶ τῇ τῆς γυναικὸς ἀναιτίῳ ἀποβολῇ, τῇ δὲ τῆς οἰκείας νύμφης περιπλοκῇ, τῆς ἐκκλησίας ἀπεῖργεν. ὃν ἐπεὶ πολλὰ λιτανεύων καὶ δυσωπῶν ὁ Βάρδας συγχωρήσεως ἀξιωθῆναι οὐκ ἔπεισε, τῆς ἐκκλησίας βίᾳ ἐκβάλλει, καὶ μετὰ πολλὰς καὶ ἀνυποίστους κολάσεις ὑπερόριον ἐν Μιτυλήνῃ ποιεῖ. ἔπαθον δὲ καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἐπισκόπων τὰ χείριστα, ὅτι μὴ ἤρεσκον τοῖς γινομένοις· ἀλλ' ἐνέδωκαν ὕστερον, οἱ μὲν ἀπειλαῖς, οἱ δὲ ὑποσχέσεσιν. ὅθεν ὁ Βάρδας Φώτιον ἄνδρα ἐπὶ σοφίᾳ γνώριμον, πρωτασηκρῆτις ὄντα, τηνικαῦτα προχειρίζεται πατριάρχην. ἐπεὶ δὲ παρῆσαν καὶ τοποτηρηταὶ τοῦ πάπα Ῥώμης κατὰ τῶν Εἰκονομάχων σταλέντες, πείθουσι καὶ αὐτοὺς Ἰγνατίου καταψηφίσασθαι. διὸ καὶ ἐν τῷ τῶν ἀποστόλων θείῳ τεμένει συνέδριον ἠθροικότες, δεδημοσιευμένῃ καθαιρέσει καθυποβάλλουσι τὸν Ἰγνάτιον, τῆς ἐξορίας μεταπεμψάμενοι.

Ταῦτα ἐκ τῆς τοῦ κατὰ Μιχαὴλ τὸν υἱὸν Θεοφίλου ἱστορίας παρείληπται· τὰ δὲ ἑξῆς ἐκ τῆς τοῦ μετ' αὐτὸν βασιλείας τοῦ Μακεδόνος βασιλέως. ἔχει δὲ καὶ ταῦτα οὕτως. οὐδὲ τὴν τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ἐπιστροφὴν παρ' οὐδὲν ὁ βασιλεὺς ἔθετο, ἀλλὰ καὶ τούτων ἐπεμελήθη. ἐκβαλὼν γὰρ τῆς ἀρχιερωσύνης μετὰ καὶ συνόδου τὸν ἐπιπηδήσαντα τῇ ἀρχῇ Φώτιον, αὐτὸν σχολάζειν ἐκέλευσεν, ἕως ἂν τὸν δικαίως ταχθέντα πρὸς ἑαυτὸν μεταστήσει ὁ Θεὸς τὸν Ἰγνάτιον, τὸν παρανόμως ἐκβληθέντα παρὰ Βάρδα τοῦ Καίσαρος, ὃν καὶ κατέστησεν εἰς τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον, καὶ οὕτω γαλήνην τὴν ἐκκλησίαν παρεσκεύασεν. καὶ πάλιν μετά τινα ἑτέραν διήγησιν γράφει οὕτως.

Ἰγνα-



ANNO CHRISTI 870.

Ἰγνατίου δὲ τοῦ πατριάρχου τὴν παροῦσαν ἀνταλλαξαμένου ζωήν, ἀπέδωκεν αὖθις Φωτίῳ τὴν ἐκκλησίαν ὁ βασιλεύς. μοναχός τις ἦν τῶν πάνυ φιλουμένων καὶ πιστευομένων Βασιλείῳ τῷ βασιλεῖ· ἦν δ' οὗτος καὶ ἱερεύς, ὃν Σανταβαρηνὸν κατωνόμαζον. περὶ τούτου οἱ πολλοὶ τῶν τηνικαῦτα ἀνθρώπων οὐκ ἀγαθὴν δόξαν ἔτρεφον. διὸ ἔστιν οὗ καὶ παρὰ Λέοντος τοῦ σοφοῦ τοῦ βασιλέως διεκωμῳδεῖτο, ὡς ἀπατεὼν καὶ γόης, καὶ τὸν βασιλέα τῶν καθηκόντων ἐξάγων λογισμῶν, ὑφ' ὧν δακνόμενος ὁ Σανταβαρηνὸς τὴν ψυχήν, καὶ ἀντιμειψάσθαι θέλων καὶ σπεύδων τὸν λυποῦντα, φιλίαν ὑποκρίνεται πρὸς αὐτόν, καὶ συμβουλεύει τὰ μὴ προσήκοντα· ὁ δὲ πείθεται. καὶ ὁ Σανταβαρηνός, οἷς * ὡς Λέων ἐποίει κατὰ συμβουλὴν ἐκείνου, τούτοις εἰς διαβολὴν αὐτοῦ ἐχρήσατο πρὸς τὸν * παρὰ Βασίλειον, κἀντεῦθεν παροξύνει αὐτὸν κατὰ τοῦ υἱοῦ· καὶ ἔν τινι τῶν βασιλείων οἴκων, ὃς Μαργαρίτης κατονομάζεται, ἔμφρουρον τοῦτον πεποίηκεν ὁ πατήρ, ἀφαιρεῖται δὲ καὶ τὰ τῆς βασιλείας παράσημα. καὶ εἰ τὸ ὅλον τῷ Σανταβαρηνῷ ἐπείθετο, καὶ πηρῶσαι τὸν υἱὸν εἶχεν· ἐπεὶ δὲ ἐχρόνισεν ὁ Λέων ἐν τῇ εἱρκτῇ, μόλις οὗτος ἐκβάλλεται.

* ſr. ὁ
* ſr. πατέρα

PAR. III. CAP. XIII.

Ignatio præſentem vitam cum futura commutante, reddidit imperator Photio ſedem. Monachus erat quidam, cui plurimum fidebat imperator, Santabarenus nomine, qui paſſim male audiebat. Unde & a Leone ſapiente imperatore veluti præſtigiator & impoſtor, ut qui imperatorem Baſilium a ſana mente & conſiliis abduceret, carpebatur. Quæ cum illius animum morderent, ultum iturus, qui ſibi moleſtus erat, Leonem, adverſus illum ſimulat amicitiam, illique peſſimorum conſiliorum auctor exiſtit, quæ Leo admittit. Santabarenus vero iis quæ Leo ſe auctore faciebat, contra Leonem abuſus, illum apud Baſilium accuſat, patremque graviter in filium per calumnias concitat: quem pater in quodam palatii domicilio, quod Margarites nominatur, incluſum cuſtodiendum curat, regiaque inſignia detrahit. Quod ſi imperator plenam Santabareno fidem adhibuiſſet, filium penitus exoculaſſet. Sed poſtquam aliquamdiu Leo in carcere detentus fuit, tandem Santabarenus, quamvis ægre, ab aula exturbatur.

*Hic finiunt ea quæ ex Raderi Romanæ editioni addita ſunt, de quibus vide notas infra.*

---

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΥΠΟ ΦΩΤΙΟΥ ΓΕΝΟΜΕΝΗΣ ψευδοσυνόδου τοῖς ἐντευξομένοις.

ΤΗΣ ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ὀγδόης συνόδου συγκροτηθείσης, ὁ μὲν θεῖος Ἰγνάτιος εἰς τὸν ἴδιον θρόνον ἀποκατέστη, καὶ ἐπὶ δέκα ἔτη τὸ διάπρον θεαρέστως τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει διεῖθυνεν ἐκκλησίαν. Φώτιος δὲ καθαιρέσει τε ὑποβληθείς, καὶ ὑπερορίᾳ κατακριθείς, ἐν τούτῳ πάσῃ μηχανῇ τὴν Βασιλείου τοῦ αὐτοκράτορος εὔνοιαν ἑαυτῷ ἐμνηστεύετο, ἔκ τε τῆς ὑπερορίας ἀνακληθῆναι ἐσπούδαζεν. καὶ δὴ βιβλίον πλαστογραφήσας, ψευδῆ τινα γενεαλογίαν τοῦ βασιλέως ἐμυθολόγησε, τὸ βασιλείου κράτος εὐτυχέστατόν τε καὶ πολυχρονιώτατον μαντευόμενος παλαιοῖς ταῦτα χάρταις γράμμασιν Ἀλεξανδρίνοις ἐγχαράξας, ὅπως δόξαν ἀρχαιότητος τὸ σύγγραμμα φέροιτο· καθυπουργοῦντος δὲ αὐτῷ Θεοφάνους τινός, ἀνδρὸς παρά γε τῷ βασιλεῖ μέγα δυναμένου ἐπὶ σοφίας ὀνόματι, λάθρα τῇ τοῦ παλατίου βιβλιοθήκῃ τὸ τοιοῦτον σύγγραμμα ἐναπέθετο. εἶτα ὁ Θεοφάνης καιροῦ λαβόμενος, τὸ βιβλίον τῷ βασιλεῖ ὑποδείκνυσι, πολλὰ φάσκων ἐν ἐκείνῳ ἀσαφῆ τε καὶ μυστηριώδη ἐναποκεῖσθαι, μὴ ἂν ἄλλως ὑφ' ἑτέρου σαφηνισθῆναι δυνάμενα, ἢ μόνου Φωτίου. ὁ δὲ βασιλεὺς τῆς ἀποκρύφου ταύτης γνώσεως τῷ πόθῳ ὑπερζέσας, ἄφετον εὐθὺς ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς ἐξορίας μετεκαλέσατο. πρὸς τούτοις καὶ ὁ Σανταβαρηνὸς ἀνὴρ γόης καὶ πανουργίᾳ διαφέρων, Φωτίῳ δὲ εἰς τὰ μάλιστα ᾠκειωμένος, φίλτροις καὶ φαρμακείαις τὸν βασιλέα καταγοητεύσας, τὴν πρὸς τὸν Φώτιον ἐκείνου δυσμένειαν εἰς εὔνοιάν τε μετέβαλε καὶ οἰκείωσιν. ἐντεῦθεν ἐκ τοῦ Στενοῦ, ἔνθα ἐξόριστος διέτριβεν, ἐπανέρχεται Φώτιος εἰς Κωνσταντινούπολιν· καὶ μηδόλως παρὰ τοῦ ἐν ἁγίοις Ἰγνατίου δυνηθεὶς εἰς κοινωνίαν παραδεχθῆναι, τὰ τῆς ἱερωσύνης ὅμως ἐν τοῖς βασιλείοις ἐπετέλει μυστήρια, ἐνέδραις συνεχέσι καὶ σκαιωρίαις τῷ ἱερωτάτῳ ἐπιβουλεύων ἀνδρί, καὶ εἰς τὸν ἐκείνου θρόνον εἰσπηδῆσαι λαθραίως ἀποπειρώμενος.

ADMONITIO AD LECTOREM
de pſeudoſynodo Photii.

XIII. OCtavo generali concilio peracto, ſanctus Ignatius priſtinæ patriarchali ſedi reſtitutus, per decem annos ſanctiſſime Conſtantinopolitanam rexit eccleſiam. Quo tempore Photius, qui a concilio damnatus, atque in exilium erat ejectus, omnem dedit operam, ut & Baſilii imperatoris animum ſibi reconciliaret, & ipſe ab exilio revocaretur. Quamobrem librum confecit, in quo fabuloſam imperatoris genealogiam pertexens, Baſilii imperium non modo feliciſſimum, ſed etiam diuturnum fore prædicebat: quæ in vetuſtiſſima charta ad antiquitatis ſpeciem exprimendam Alexandrinis literis deſcripſit, & cujuſdam Theophanis opera, qui apud imperatorem propter doctrinæ exiſtimationem plurimum auctoritate valebat, clam in palatina bibliotheca collocandum curavit. Opportuno deinde tempore idem Theophanes imperatori librum oſtendit, affirmans multa in illo arcana & obſcura contineri, quæ ab uno Photio declarari poſſent. Magna flagrans cupiditate imperator cognoſcendi quæ in confiſto libro continebantur, illum ſtatim ab exilio acceſſiri juſſit. Santabarenus etiam magus ac ſceleſtiſſimus, Photii vero amiciſſimus, eſculenta quædam & poculenta pharmaca imperatori appoſuit, quibus Photium imperatori antea inviſum, carum illi acceptumque reddidit. E Steno igitur, ubi tunc exulabat, Conſtantinopolim reverſus Photius, tametſi nunquam a ſancto Ignatio, ut ad communionem admitteretur, impetrarat, in regia tamen domo eccleſiaſtica munera obire, eidem viro ſanctiſſimo inſidiari, clamque ejus invadere ſedem non deſiſtebat;

*Quæ hic initio de Photio dicuntur, ex Niceta fere omnia excerpta ſunt in vita ſancti Ignatii. [illegible] ſub Joanne VIII. [illegible] IX. ſequuntur.*

PART. III. CAP. XIII.

In epiſt. ad Stephanum papam.

Paulo poſt cum beatus Ignatius ad cæleſtem patriam eſſet evocatus, cui mortem a Photio ſcribit Stylianus fuiſſe comparatam, poſt triduum patriarchale faſtigium iterum Photius occupat, in ſancti Ignatii familiares deſævit, ſancta ejus inſtituta reſcindit, legitimos deponit epiſcopos: omnia denique per vim ac tyrannidem exercet. Per idem tempus ad Joannem VIII. ſummum pontificem mittit legatum Theodorum epiſcopum, per quem ei ſe ab univerſa Conſtantinopolitana eccleſia coactum, patriarchalem ſedem iterum conſcendiſſe per ſummam impudentiam mendaciumque ſignificat. Mittit idem imperator legatos, enixe a pontifice petens, ut Photium in communionem admittat, & ejus electionem ſua auctoritate confirmet: aſſerens hac tantum ratione poſſe Conſtantinopolitanam eccleſiam diu ſchiſmate laborantem, ad eccleſiaſticam pacem, & unitatem redire. Imperatoris precibus adductus pontifex, ut pax ſit eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, diſpenſat cum Photio, ut in Ignatii locum ſubrogetur: ea tamen lege, ut in ſynodo, hac de re celebranda, veniam poſtulet, & ut Bulgaricam diœceſim eccleſiæ Romanæ reſtituat. Decernit etiam, ne deinceps ullus e laicis in eccleſia Conſtantinopolitana ſubito epiſcopus ordinetur, ut in octava generali ſynodo Hadriano II. pontifice maximo celebrata congruenter fuerat promulgatum. Hæc ex Joannis pontificis Latinis literis ad imperatorem, ad Photium & alios datis conſtant: quæ literæ in antiquiſſimo codice habentur Vaticanæ bibliothecæ, Longobardicis characteribus exaratæ. Legatos quoque conſtituit Joannes Eugenium & Paulum epiſcopos, atque una cum iis Petrum presbyterum cardinalem, ut hæc ſua mandata exequerentur. At his non contentus Photius, cum Joannis pontificis auctoritate vellet omnia contra ſe tum Romæ, tum Conſtantinopoli acta reſcindi, ſeque legitimum patriarcham ſemper fuiſſe declarari; ad uſitatum artificium rediit, legatos corrumpendi, literas apoſtolicas depravandi, novaque ſcripta confingendi: atque ut antea in Nicolai literis multa addiderat, multa mutaverat, multa ſubtraxerat, ut Nicolaus ipſe teſtatur; ſic in hujuſmodi Joannis literis factum videmus. Nam, ut alia omittantur, in ſuis epiſtolis Joannes adſcripſit, Photium debere miſericordiam in ſynodo petere: in Græcis vero ac depravatis, debere Dei omnipotentis miſericordiam in ſynodo prædicare. Præterea in Latinis literis erat ſcriptum, congruentiſſime in ſynodo Conſtantinopoli tempore Hadriani II. habita fuiſſe promulgatum: Ne quis e laicis repente ordinetur epiſcopus. In Græcis vero decretum hoc non ad octavam ſynodum ſub Hadriano ſecundo, ſed ad ſynodum legitimam ſub Hadriano primo,

In epiſt. 9. (margin, beside "ut Nicolaus ipſe teſtatur")

ANNO CHRISTI 870.

μετ' οὐ πολὺ δὲ μεταστάντος Ἰγνατίου τοῦ μακαρίου εἰς τὴν ἀγήρω ζωήν· καίτοι ἔργον Φωτίου τὸν ἐκείνου θάνατον γενέσθαι Στυλιανὸς μαρτυρεῖ· μετὰ τρίτην ἡμέραν ἐπὶ τὸν πατριαρχικὸν πάλιν αὖθις θρόνον ἐπεισέφρησε Φώτιος, ὠμότητα μὲν καὶ λύτταν κατὰ τῶν οἰκείων Ἰγνατίου θεραπευτῶν ἐνδεικνύμενος, τὰς ἱερὰς δὲ λύων ἐκείνου θεσμοθεσίας· καὶ τοὺς μὲν κανονικῶς κατασταθέντας ἐπισκόπους ἀποκινῶν, πάντα δὲ βιαίως καὶ τυραννικῶς ἐργαζόμενος. εἶτα καὶ Θεόδωρον ἐπίσκοπον πρὸς Ἰωάννην ἀποστέλλει τὸν πάπαν ἀποκρισιάριον, δι' ἐκείνου δηλῶν, ὡς ὑφ' ὅλης τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας ἀναγκασθεὶς τὴν πατριαρχικὴν αὖθις ἀναλάβοι ἀξίαν, ψευδολογίας καὶ ἀναιδείας ὑπερβολὴν μηδεμίαν ὑπολιπών. στέλλονται καὶ παρὰ βασιλέως πρεσβευταί, πολλὰ τὸν πάπαν ἐκλιπαρούντος κοινωνίας τε μεταδοῦναι τῷ Φωτίῳ, καὶ τὴν ἐκείνου προβολὴν αὐθεντικῶς ἐπικυρῶσαι· ταύτῃ μόνον εἰρηνεύσειν διαβεβαιούμενος τὴν Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίαν σχίσματι πολυχρονίῳ τεταραγμένην. ὁ γοῦν πάπας ταῖς βασιλικαῖς δεήσεσιν ἐπινεύσας, πρὸς εἰρήνευσιν τῆς ἐκκλησίας ἐκείνης κατάστασιν Φωτίῳ μὲν συγχωρεῖ διαδέξασθαι τὸν Ἰγνάτιον, προσδιορίζεται δ' οὖν ὁμῶς ταῦτα· ἵνα συγγνώμην Φώτιος αἰτήσηται ἐπὶ τῆς συνόδου, τῆς ἐπὶ τούτῳ ἔδει συγκροτηθῆναι· καὶ ὥστε τὴν Βουλγαρικὴν ἐπαρχίαν ἀποδοῦναι τῇ Ῥωμαϊκῇ ἐκκλησίᾳ. ὁρίζει δὲ πρὸς τούτοις, μηδένα τοῦ λοιποῦ λαϊκὸν ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίᾳ ἀθρόον εἰς τὸ τῆς ἐπισκοπῆς ἀξίωμα προβιβάζεσθαι, κατὰ τὸ πρώην νομοθετηθὲν ὑπὸ τῆς οἰκουμενικῆς ὀγδόης συνόδου, ἀρχιερατεύοντος Ἀδριανοῦ τοῦ δευτέρου. ἃ δὴ πάντα δῆλα καθέστηκεν ἐκ τῶν Λατινικῶν Ἰωάννου τοῦ πάπα πρός τε τὸν βασιλέα καὶ τὸν Φώτιον, καί τινας ἄλλους, γραμμάτων· ἅπερ εἰς τόδε διασώζεται ἔν τινι τεύχει τῆς ἀποστολικῆς βιβλιοθήκης παλαιοτάτῳ, Λογγιβαρδικῷ χαρακτῆρι γεγραμμένα. προεχειρίσατο δὲ καὶ τοποτηρητὰς ὁ Ἰωάννης Εὐγένιον καὶ Παῦλον, καὶ σὺν τούτοις Πέτρον πρεσβύτερον καὶ καρδινάλιον, τοῖς αὐτοῦ προστάγμασι διακονησομένους. ἀλλὰ Φώτιος τούτοις μὴ ἀρκούμενος, τῇ δὲ Ἰωάννου τοῦ πάπα βουλόμενος αὐθεντίᾳ τὰ καθ' αὐτοῦ πραχθέντα εἴτε ἐν Ῥώμῃ, εἴτε ἐν Κωνσταντινουπόλει πάντα ἀκυρωθῆναι, καὶ αὐτὸν ἔννομον ἀναγορευθῆναι πατριάρχην ἐν οἱῳδήποτε χρόνῳ, πρὸς τὴν φίλην καταφεύγει πολυπραγμοσύνην, καὶ δὴ τοὺς μὲν τοποτηρητὰς ὑποκλέπτει δώροις, παραχαράττει δὲ τοῦ πάπα τὰ γράμματα, καὶ νέα διαπλάττει· καὶ ὥσπερ πρότερον τὰ Νικολάου λαβὼν γράμματα, προσθήκαις αὐτὰ, καὶ μεταβολαῖς, καὶ ἀφαιρέσεσιν ἐκιβδήλευσεν, ὡς αὐτὸς μαρτυρεῖ ὁ Νικόλαος, παραπλησίως καὶ τὰ Ἰωάννου διέθετο γράμματα. αὐτίκα γὰρ ὡς ἐν παραδείγματι, ἵνα τἆλλα ἐάσωμεν, ὁ μὲν πάπας ἐν ταῖς ἑαυτοῦ ἐπιστολαῖς γράφει, χρῆναι Φώτιον αἰτήσασθαι ἔλεον ἐνώπιον τῆς συνόδου. ἐν δὲ ταῖς ἑλληνικαῖς, δηλαδὴ ταῖς παραφθαρείσαις αἱ φωναὶ παρεποιήθησαν οὕτως. ἀξιοῦμεν τὴν σὴν ἀδελφότητα μὴ ἀπαξιώσωσι ἐπὶ τῆς συνόδου ἀνακηρύξαι τὸ εἰς σὲ τοῦ Θεοῦ ἔλεος. καὶ ἐν μὲν τοῖς Λατινικοῖς γράμμασιν ἐλέγετο, ἁρμοδιώτατα πεθεσπίσθαι ἐν τῇ συνόδῳ τῇ ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ δευτέρου γενομένῃ ἐν Κωνσταντινουπόλει, μηδένα ἐκ λαϊκῶν χειροτονεῖσθαι ἀθρόον ἐπίσκοπον. ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς δὲ ὁ κανὼν οὗτος ἀναφέρεται οὐ πρὸς τὴν ὀγδόην σύνοδον ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ δευτέρου, ἀλλ' ἐπὶ τὴν ἑβδόμην ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ πρώτου, πατριαρ-



ANNO CHRISTI 870.

χεύοντος Ταρασίου. μᾶλλον δὲ καὶ αὐτὴ ἡ ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ δευτέρου ὀγδόη σύνοδος ἀποδοκιμάζεται καὶ ἀκυροῦται. εὐστόχως οὖν Γρηγόριος ὁ πρωτοσύγκελλος ἐν τῇ ἀπολογίᾳ πρὸς τὴν Μάρκου τοῦ Ἐφέσου ὁμολογίαν, πολὺ φησὶν ἔχειν τὸ ὕποπτον τὴν Ἰωάννου τοῦ πάπα ἐπιστολὴν, τὴν ἑλληνικῶς ἐν ταύτῃ τῇ ψευδοσυνόδῳ φερομένην, ὡς Ἑλληνικὸν διόλου, οὐχὶ Λατινικὸν ἰδίωμα σώζουσαν.

Οὕτως οὖν προδιαφθείρας ὁ Φώτιος τούς τε τοποτηρητὰς καὶ τὰ γράμματα, σύνοδον συνεκρότησεν, ἣν καὶ οἰκουμενικὴν ἐπεφήμισεν ἐν τῇ συλλογῇ τῶν αὐτοῦ κανόνων. φέρεται δὲ ἐν πολλοῖς ἀντιγράφοις ἑλληνικοῖς τὰ πρακτικὰ τοῦ τοιούτου ψευδοσυλλόγου· ἐν ᾧ τῶν ἐκεῖσε συνελθόντων ἐπισκόπων ὁ ἀριθμὸς μέχρι τριακοσίων καὶ ὀγδοήκοντα κορυφοῦται. πῶς δὲ οὐ θαυμαστὸν, εἰ πολυάνθρωπος οὕτω γέγονε σύλλογος, οὐδεὶς δὲ τῶν ἀρχαιοτέρων ἱστοριογράφων, εἴτε Γραικῶν, εἴτε Λατίνων, αὐτοῦ μνημονεύει, καίτοι ἁπάσας ἀπαριθμοῦντες τὰς οἰκουμενικὰς συνόδους, καὶ τὰς μὴ τοσοῦτον πεπληθυσμένας; ἀλλ' ὡς ἔοικε, Φώτιος πολλαπλασιάσαι δοκεῖ κἀντεῦθεν πεπλασμένως τῶν ἐπισκόπων τὰ ὀνόματα, ὥσπερ ἐν τῷ κατὰ Νικολάου τοῦ πάπα συνεδρίῳ παλαιόπαλος ἔχων ἕνα μόνον πρὸς τοῖς εἴκοσιν ἐπισκόπους, περὶ που χιλίων ὑπογραφὰς ἐψεύσατο, ὡς μαρτυρεῖ ὁ βιβλιοθηκάριος Ἀναστάσιος. ἐν ταύτῃ γοῦν αὐτοῦ τῇ ψευδοσυνόδῳ Φώτιος αὐτὸς προκαθεζόμενος φαίνεται, οὐχ οἱ τοποτηρηταὶ τοῦ πάπα. οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ συνελθούσης ἤδη τῆς συνόδου αὐτοὶ παραγενόμενοι καὶ εἰσελθόντες, συγχωρήσαντος τὴν εἴσοδον τοῦ Φωτίου, παρὰ κανόνας, παρὰ τὴν ἀρχαίαν ἁπασῶν τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων συνήθειαν. ἦν δὲ αὐτῷ σκοπὸς ἐκεῖνος ἐξαίρετος, διὰ τῆς συνόδου ταύτης ἀπαλεῖψαί τε καὶ ἀκυρῶσαι πάνθ' ὅσα κατ' αὐτοῦ πώποτε δεδογμένα ἐτύγχανεν. ἐπ' αὐταῖς γοῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ αὐτὸς καὶ οἱ διαφθαρέντες λεγάτοι διαβεβαιοῦνται, σπουδὴν εἶναι τοῦ πάπα, τοὺς Φωτίου ἀποσχιζομένους καταστεῖλαι· περὶ δὲ τοῦ τὴν Φωτίου προβολὴν ἐπικυρωθῆναι, οὐδεὶς αὐτοῖς λόγος. καί τις Καλχηδόνος μητροπολίτης Ζαχαρίας πολλοῖς πρότερον ἐγκωμίοις τὸν Φώτιον ἐξυμνήσας, τολμᾷ λέγειν, οὐχ ὑπὲρ Φωτίου, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας εἶναι τὴν σύνοδον, ἵνα μὴ παρὰ τῶν σχισματικῶν διασύρωνται οἱ Ῥωμαίων ἀρχιερεῖς, ὡς ταραχῶν καὶ στάσεων ἀρχηγοί. ὅλως γὰρ ὁ Ζαχαρίας τὴν αἰτίαν πᾶσαν οὐχὶ τῷ Φωτίῳ, ἀλλὰ τῇ Ῥωμαϊκῇ ἐκκλησίᾳ λεληθότως ἀνάπτει. πρὸς τούτοις αὕτη ἡ ψευδοσύνοδος βεβαιοῦται, Φώτιον οὐ λῃστρικῶς, ἀλλὰ συμφωνίᾳ πάντων, μᾶλλον δὲ βίᾳ βασιλικῇ ἀνελθεῖν εἰς τὸν θρόνον. ἅπερ διεξοδικώτερον Φώτιος αὐτὸς ἐξηγούμενος, περὶ ἑαυτοῦ ἀνερυθριάστως λέγει, ὡς οὐδέποτε γέγονεν ἐν ἐπιθυμίᾳ τοῦ θρόνου ἐκείνου, οὔτε μὴν τυραννίδι καὶ ἀρχοντικῇ δυναστείᾳ χρησάμενος, ἀλλὰ ψήφῳ ὁμοφωνίᾳ πάσης τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, καὶ ἀπαραιτήτῳ βίᾳ εἰς τὸν πατριαρχικὸν ἀνεβιβάσθη θρόνον. ὅθεν ἀδίκως, φησὶν, ἐκβληθεὶς ἐνεκαρτέρησε στέργων καὶ φέρων ἐν εὐχαριστίᾳ τὴν ἐξορίαν, τὰς βασιλικὰς μηδέποτε ἀκοὰς περὶ ἀποκαταστάσεως ἐνοχλήσας, ἀλλ' ὡς μεσιτεύσαντος οὐδενὸς, ἐλέῳ τοῦ βασιλέως πολλῷ τῆς ὑπερβολῆς κατηνέχθη, καὶ ὅτι ἕως πέρας τῷ βίῳ Ἰγνάτιος,

ac Taraſii tempore celebratam refertur; imo vero octava ſynodus ſub Hadriano ſecundo damnatur, atque reſcinditur. Quare non immerito Gregorius protoſyncellus in reſponſione ad fidei confeſſionem a Marco Epheſino expoſitam, haſce Joannis papæ literas Græcas, quæ ſunt in hac pſeudoſynodo, valde ſuſpectas habuit; quod, inquit, Græcam plane phraſim & non Latinam redoleant.

Corruptis igitur tum legatis, tum epiſtolis, ſynodum coegit Photius, quam generalem in ſua canonum collectione appellat: quæ ſynodus, ſeu potius conciliabulum in pleriſque Græcis manuſcriptis codicibus extat. In cujus initio trecenti & octoginta numerantur epiſcopi. Sed mirum eſt, ſi tantus fuiſſet epiſcoporum numerus, cur nemo ex paulo antiquioribus Græcis aut Latinis hiſtoricis ejus ſynodi mentionem fecerit, cum aliarum omnium generalium, nec ita frequentium meminerint ſynodorum? Sed ut in ea ſynodo quam contra Nicolaum Photius prius habuerat, cum unus & viginti tantum interfuiſſent epiſcopi, mille circiter in ea fuiſſe mentitus eſt, ut Anaſtaſius in præfatione octavæ ſynodi teſtatur: ita in hoc conciliabulo a Photio multa epiſcoporum nomina eſſe conficta, valde veriſimile videtur. In hac igitur ſeu pſeudoſynodo Photius ipſe, non Romani legati præſederunt; imo coacta ſynodo adveniſſe illi dicuntur, & a Photio ad ſynodum admiſſi; contra canones, contraque veterem omnium generalium conciliorum conſuetudinem: ejuſque præcipuum conſilium illud fuit, ut omnia quæ contra ſe ante decreta fuerant, hujus ſynodi auctoritate antiquarentur. Quare initio tum ipſe, tum corrupti legati ſe a pontifice miſſos ajunt, non ad ejus electionem confirmandam, ſed ad eos qui Photio obedire recuſabant, reprimendos. Imo vero Zacharias quidam [a] metropolita, poſt miras Photii laudes celebratas, dicere audet, non pro Photio, ſed pro Romana eccleſia ſynodum eſſe congregatam, ut ſcilicet a ſchiſmaticorum injuriis liberaretur; quod illi Romanos pontifices ſchiſmatis Conſtantinopolitanæ eccleſiæ auctores fuiſſe affirmarent, quippe Zacharias culpam omnem non in Photium, ſed ſubobſcure in Romanam rejicit eccleſiam. Hæc præterea pſeudoſynodus affirmat, Photium non ulla vi, ſed omnium conſenſu, & ab imperatore compulſum epiſcopatum accepiſſe: quæ fuſius ipſe Photius perſequens, dicere non erubuit, ſe nunquam epiſcopatum ambiiſſe, nec vi aut ſæculari potentia innixum, ſed ab univerſa Conſtantinopolitana eccleſia coactum, patriarchale faſtigium conſcendiſſe: atque inde poſtea injuſte ejectum, æquo ac libenti animo exilium paſſum, neque unquam de revocatione cum imperatore egiſſe, ſed illius pietate revocatum: amicitiam ſibi cum Ignatio fuiſſe, neque

PAR. III. CAP. XIII.

[a] Chalcedonis.

PAR. III. CAP. XIII.

neque ſe unquam eo vivo epiſcopatum invadere voluiſſe, quamvis eum multi ad id agendum impellerent. Verum eo mortuo, ſe omnium conſenſu, atque adeo ab imperatore ipſo etiam coactum, Conſtantinopolitanam ſedem recepiſſe. Hæc ſunt quæ Photius & Photiani affirmarunt. Quæ omnia quam falſa, quam a veritate aliena ſint, tum ex iis quæ diximus, tum ex octavæ ſynodi actis, & Nicolai pontificis maximi epiſtolis liquido conſtat. In quibus oſtenditur Photium per vim, atque imperatoris potentia fretum, Conſtantinopolitanum epiſcopatum arripuiſſe: contra vero, ſanctum Ignatium injuſte dejectum, omnium conſenſu ſuæ ſedi reſtitutum. Addunt præterea Photiani, a Photio multos hæreticos & barbaras gentes ad fidem catholicam eſſe traductas. Teſtes (inquiunt) ſunt Armeniorum provincia, & Meſopotamia, & integræ nationes barbaræ: per barbaras autem nationes videntur intelligere Bulgaros & Ruthenos, ut ipſemet Photius in ſua encyclica epiſtola innuit. Verum ea quoque hinc falſa eſſe oſtenduntur. Nam Armeni etiam tempore Photii, atque adeo poſt illum in ſuis erroribus perdurarunt; donec a ſancto Nicone, qui poſt Photii tempora floruit, ad veritatem catholicam perducti ſunt. Bulgaros vero non Photii opera ad fidem eſſe converſos, ſed a Nicolao pontifice eorum regem petiiſſe, ut in Bulgariam mitteret, qui eos Chriſtianis præceptis imbuerent, teſtatur Anaſtaſius. Extat hac de re Nicolai, Adriani & Joannis octavi ſummorum pontificum epiſtolæ; & e ſynodi octavæ actis colligitur. Rutheni præterea quo tempore, & cujus opera ſint Chriſtianam fidem complexi, Curopalatas in Baſilio narrat. Rhos (ita Ruſſos vocat) percuſſo cum illis, Græcis videlicet, fœdere, ut ſalutaris baptiſmi participes eſſent, auctor fuit Baſilius imperator, miſſo ad eos archiepiſcopo. Cui cum non ante ſe ſuſque fidem habituros diceret eorum princeps, quam miraculum aliquod cerneret; ut liber evangelii conjiceretur in ignem, poſtulavit, quod ſi non deflagraret, ſe cum ſuis illico Chriſtianam religionem ſuſcepturum. Conditione accepta, & fuſis ab epiſcopo ad Deum precibus, conjectum ſacrum volumen in ardentem fornacem, poſt aliquot horas illæſum eſt inventum. Quo miraculo permoti ad baptiſmum barbari confugere. Eadem quoque recenſent Zonaras, Cedrenus & Nicephorus. Nullus tamen ex hiſce ſcriptoribus ullam Photii mentionem facit.

S. Nicon. de conv. Armen. quæ extat in 5. tom. bibliotheca patrum. in præfat. 8. ſynod.

In Baſilio.

Leguntur præterea Joannis octavi pontificis literæ Græcæ (ut diximus) at corruptæ. Verumtamen ut ſuum virus contra Romanam eccleſiam Photius evomeret, neque corrupta omnino, quæ in illis continebantur, a ſynodo admitti voluit, ſed ea tantum quæ pro ſui confirmatione erant conſtituta. Nam recitatis literis cum legati ſynodum interrogarent: Num reciperent ea, quæ illis continebantur: reſpondit ſynodus: Quæcunque juſta & legitima continentur, & ad

A τήν τε πρὸς ἐκεῖνον φιλίαν ἠσπάσατο, καὶ τὸν οἰκεῖον θρόνον οὐκ ἠνέσχετο περιόντος ἐκείνου ἀπολαβεῖν, καίτοι πολλῶν, φησὶν, οὕτως τῶν εἰς τοῦτο καὶ ἀνάγκην ἐπαγόντων. ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνος τῶν ἀνθρωπίνων μετέστη, πάντων συμφωνησάντων, καὶ τοῦ βασιλέως κατεπείγοντος, εἰς τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἀνῆλθε θρόνον. ταῦτά ἐστιν, ἃ Φώτιος εἶπε, καὶ οἱ Φωτιανοὶ προσεμαρτύρησαν. εἶναι δὲ ἅπαντα πλαστὰ καὶ πόῤῥω που τῆς ἀληθείας, εὔδηλον ἐξ ὧν τε ἡμεῖς ἔφθημεν εἰπόντες, ἔκ τε τῶν πρακτικῶν τῆς ὀγδόης ἱερᾶς συνόδου, καὶ ἐκ τῶν Νικολάου τοῦ πάπα ἐπιστολῶν· ἐν αἷς ἀποδέδεικται Φώτιος μὲν χειρὸς βασιλικῆς δυνάμει δραξάμενος τοῦ θρόνου τυραννικῶς, ὁ δὲ θεῖος Ἰγνάτιος μετὰ τὸ παρανόμως ἐκβληθῆναι, συναινέσει πάντων ἀποκαταστὰς τῷ οἰκείῳ θρόνῳ. B ἔτι πρὸς τούτοις λέγουσιν οἱ Φωτιανοὶ, ὅτι Φώτιος καὶ αἱρέσεων καὶ πλάνης ῥύσαιτο τοὺς ἀνθρώπους. καὶ μάρτυς, φασὶν, ἡ Ἀρμενίων χώρα, ἥτε Μεσοποταμία, καὶ ἔθνη ὁλόκληρα βαρβαρικά· τοὺς Βουλγάρους ἴσως αἰνιττόμενοι καὶ τὸ καλούμενον Ῥώς· τοῦτο γὰρ καὶ Φώτιος αὐτὸς ἐν τῇ ἐγκυκλίῳ αὐτοῦ ἐπιστολῇ σημαίνειν δοκεῖ. ἀλλὰ κἂν τούτοις αὐτοὺς μὴ ἀληθεύειν, δῆλον ἐντεῦθεν· ὅτι οἱ μὲν Ἀρμένιοι καὶ ἐπὶ Φωτίου καὶ μετ᾽ αὐτὸν τῇ κακοδοξίᾳ ἐνέμειναν, ἄχρις οὗ C διὰ Νίκωνος τοῦ ἁγίου· ἤκμασε δὲ οὗτος μετὰ τὸν Φώτιον· τὴν ὀρθόδοξον πίστιν μετεδιδάχθησαν. τοὺς δὲ Βουλγάρους οὐχ ἡ Φωτίου διδασκαλία τῆς πλάνης ἀπήλλαξεν, ἀλλὰ δεήσεσι Μιχαὴλ ἄρχοντος τῶν Βουλγάρων Νικόλαος ὁ πάπας διὰ τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ πρὸς ἐκείνους ἀποσταλέντων τὴν τῶν Χριστιανῶν θρησκείαν ἐμύησε. τούτου μάρτυς Ἀναστάσιος, καὶ αἱ Νικολάου, Ἀδριανοῦ καὶ Ἰωάννου ἄκρων ἀρχιερέων ἐπιστολαί. καὶ ἐκ τῶν πρακτικῶν δὲ τῆς ὀγδόης συνόδου αὐτὸ τοῦτο συνάγεται. τὸ δὲ Ῥὼς καλούμενον ἔθνος πότε καὶ διά τινος μετετέθη πρὸς τὴν εὐσέβειαν, ἱστορεῖ ὁ Κουροπαλάτης ἐν τῷ Βασιλείου βίῳ· τούτοις, φάσκων, τὸν βασιλέα σπεισάμενον D πεῖσαί τε τῷ σωτηρίῳ βαπτίσματι προσελθεῖν, καὶ ἀρχιεπίσκοπον ἐπὶ τούτῳ ἐκπέμψαι. τοὺς δὲ ἀποδέξασθαι τὴν πλάνην μὴ βουλομένους, ἕως μὴ παράδοξόν τι σημεῖον θεάσωνται, ἐξαιτήσασθαι τὴν ἱερὰν τοῦ εὐαγγελίου βίβλον εἰς πῦρ βληθῆναι· κἂν μὴ, φησὶ, γένηται τῆς φλογὸς παρανάλωμα, τὴν εἰς Χριστὸν αἱρήσεσθαι πίστιν. ἐπὶ τούτοις τὸν ἀρχιεπίσκοπον προσταξάμενον τὴν θείαν βίβλον ῥῖψαι εἰς τὸ πῦρ· ἣν, φησὶν, ἐφ᾽ ἱκανὰς ὥρας ἐν τῇ πυρᾷ θεασάμενοι οἱ βάρβαροι ἀβλαβῆ καὶ ἀλώβητον, τῷ χριστιανισμῷ εὐθέως προσέφυγον. σύμφωνα δὴ τούτοις ἀφηγεῖται Ζωναρᾶς, ὅ, τε Κεδρηνὸς καὶ ὁ Νικηφόρος, οὐδεμίαν ὅλως μνείαν ἐν τούτῳ E Φωτίου ποιούμενοι.

Ἀνεγνώσθησαν ἑλληνικῶς ἐν τῷ συνεδρίῳ τούτῳ καὶ αἱ τοῦ πάπα Ἰωάννου τοῦ ὀγδόου ἐπιστολαί, ἀλλ᾽ ὡς καὶ εἴρηται, νενοθευμέναι. πλὴν Φώτιος τὸν κατὰ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας ἰὸν ἐξεμέσαι βουλόμενος, οὐδὲ νενοθευμένας ἐφῆκεν ὑπὸ τῆς συνόδου ὁλοκλήρους παραδεχθῆναι, ἀλλ᾽ ὅσα μόνον ὑπὲρ τῆς ἀποδοχῆς αὐτοῦ ἦν ὡρισμένα. μετὰ γοῦν τὴν τῶν γραμμάτων ἀνάγνωσιν πυνθάνονται οἱ τοποτηρηταὶ, εἰ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς περιεχόμενα ἀποδέχονται. ἡ δὲ σύνοδος ἀπεκρίθη· ὅσα τῷ αἰσίῳ καὶ ἐνθέσμῳ λόγῳ περιέχεται, καὶ εἰς τὴν

ANNO CHRISTI 870.



ANNO CHRISTI 870.

τὴν ἡμετέραν ἀνήκει μετριότητα καὶ γνώμην, στεργόμενα καὶ ἀποδεχόμεθα. καίτοι ἐν πάσαις ταῖς οἰκουμενικαῖς συνόδοις τὰ ἀποστολικὰ γράμματα τοιαύτης ἀποδοχῆς ἀξιοῦνται, ὡς εἰ τῷ τοῦ ἁγίου Πέτρου προεφέροντο στόματι· καὶ πάντα τὰ ἐν ἐκείνοις τυπούμενα τοῖς ἑαυτῶν ὅροις αἱ σύνοδοι ἐντιθέασι. τῶν δὲ τοποτηρητῶν πρὸς ταῦτα εἰπόντων, οὐδὲν περιέχεσθαι ἔξω τοῦ προσήκοντος λόγου· Προκόπιός τις Καισαρείας Καππαδοκίας ἀρχιεπίσκοπος ἀποκρίνεται ἀντὶ πάντων· περιέχεσθαι, ὥστε ἀπὸ λαϊκοῦ μηδένα προάγεσθαι εἰς ἀρχιερατικὸν ἀξίωμα, καὶ ὅτι αἰσχύνη ἐστὶ τοῖς τοῦτο ποιοῦσιν. ἐπεὶ δὲ τοῦτο αὐτοῖς τὸ διάταγμα ἐδόκει κατὰ τῆς Φωτίου προβολῆς γεγενῆσθαι, πολλαχῶς αὐτῷ ἀντιλέγουσι. καὶ πρῶτον μὲν τὸν κανόνα τῆς ἐν Σαρδικῇ συνόδου, τὸν αὐτὸ τοῦτο διορίζοντα, κωλύειν οὐ πάντα φασὶ λαϊκὸν, ἀλλὰ τὸν ἀπὸ ἀγορᾶς πλούσιον, καὶ τὸν ἀπὸ ἀγορᾶς σχολαστικόν· οἷον ἡ Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησία, φασὶν, οὐδέποτε ἐδέξατο. ἀλλ᾽ εἰ καὶ κανὼν ἦν, φασὶ, κωλύων ἅπαντα καθάπαξ λαϊκὸν, ἐπειδὴ ἀντιμαχόμενον ἔχει τὸ ἔθος τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, κατεκράτησεν ἤδη τὸ ἔθος τῶν κανονικῶν διατάξεων. ποῖος δὲ, φασὶ, λόγος ἐπιτρέπει, κληρικὸν ἢ μοναχὸν ἀλλοτρίως τοῦ ἐπαγγέλματος πολιτευόμενον προκρίνεσθαι λαϊκοῦ ὀρθῶς πολιτευομένου; ὅθεν δὴ τὸν κανόνα τῆς ἐν Σαρδικῇ συνόδου φασὶ μὴ κωλύειν τὸν ἱκανὰ τῆς οἰκείας ἀρετῆς ἔργα παρεσχηκότα λαϊκὸν εἰς τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀναβιβάζεσθαι θρόνον· οἷος ὑπῆρχε Νεκτάριος, ὃν ἡ δευτέρα σύνοδος πατριάρχην ἀπέδειξε, καὶ Ἀμβρόσιος, καὶ ἄλλοι. τούτοις προστιθέασιν, ὅτι καὶ ἐν αὐτῇ τῶν Ῥωμαίων τῇ ἐκκλησίᾳ ἐκ λαϊκῶν τινες εἰς ἀρχιερατικὸν κατέστησαν θρόνον. πρὸς ταῦτα δὲ τῆς Φωτιανῆς ψευδοσυνόδου τὰ δικαιολογήματα μίαν ἀρκεῖ καὶ μόνην ἀντιπαραγαγεῖν αὐτοῦ ἐκείνου τοῦ Φωτίου μαρτυρίαν· τὸν κανόνα δηλαδὴ τῆς πρώτης καὶ δευτέρας καλουμένης συνόδου, ἣν αὐτὸς κατὰ τοῦ ἐν ἁγίοις Ἰγνατίου συνήγαγεν. ἑπτακαιδέκατος δὲ ὢν αὐτοῦ ὁ κανὼν ἐν τῷ Νομοκάνονι ἀριθμεῖται, ἔχων ἐπὶ λέξεως οὕτως· ἐν πᾶσι τῆς ἐκκλησιαστικῆς εὐταξίας φροντίζοντες, καὶ τοῦτο ὁρίσαι ἀναγκαῖον ἐθέμεθα, ὥστε τοῦ λοιποῦ μηδένα ἐκ λαϊκῶν ἢ μοναχῶν ἀθρόον εἰς τὸ τῆς ἐπισκοπῆς ὕψος ἀνάγεσθαι, ἀλλὰ τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς βαθμοῖς ἐξεταζόμενον πρότερον, οὕτω τῆς ἐπισκοπῆς τὴν χειροτονίαν ὑποδέχεσθαι. εἰ γὰρ καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἀπὸ τῶν λαϊκῶν ἢ μοναχῶν τινες ἀπαιτούσης χρείας παραυτίκα ἄξιοι γεγόνασιν ἐπισκοπῆς, ἀρετῇ τε διαπρέψαντες, καὶ τὴν κατ᾽ αὐτοὺς ἐκκλησίαν ὑψώσαντες· ἀλλὰ τό γε σπάνιον οὐδαμοῦ νόμον ἐκκλησίας τιθέμενοι, ὁρίζομεν τοῦ λοιποῦ μηκέτι τοῦτο γίνεσθαι· εἰ μὴ κατὰ λόγον ὁ χειροτονούμενος διὰ τῶν ἱερατικῶν προέλθοι βαθμῶν, ἐν ἑκάστῳ τάγματι τὸν νενομισμένον χρόνον ἀποπληρῶν. ἡ ἐν Σαρδικῇ δὲ σύνοδος οὐ τοῦτό φησιν, ὅπερ αὐτοὶ κακούργως ἐνόησαν· ἀλλ᾽ ἐάν τις ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς, τῆς κοσμικῆς δηλονότι διαγωγῆς, κἄν τε πλούσιος εἴη, κἄν τε σχολαστικὸς, ἤπερ λόγους δηλαδὴ σχολάζων, ἀξιοῖτο γίνεσθαι ἐπίσκοπος, τοῦτόν φησι μὴ πρότερον καθίστασθαι, ἐὰν μὴ καὶ ἀναγνώστου, καὶ διακόνου, καὶ πρεσβυτέρου ὑπηρεσίαν ἐκπλήσῃ διὰ τῆς μηκίστου χρόνου δοκιμασίας. ἐπειδὴ, φησὶ, καὶ ὁ μακαριώτατος ἀπόστολος, ὃς καὶ τῶν ἐθνῶν ἐγένετο διδάσκαλος, φαίνεται κωλύσας ταχείας γίνεσθαι τὰς καταστάσεις.

A noſtræ facultatis menſuram, amplectimur & recipimus. At vero in generalibus conciliis omnibus apoſtolicæ literæ ſummo omnium conſenſu a patribus non ſecus recipiuntur, ac ſi ſancti Petri ore proferrentur: & omnia quæ in eis præſcribuntur, a ſynodis definiuntur. Cum vero legati dixiſſent, nihil in epiſtolis pontificis contineri, quod a juſto alienum eſſet, reſpondit aliorum nomine Procopius quidam Cæſarienſis epiſcopus, in epiſtolis contineri, ut nemo ex laico ad epiſcopalem dignitatem promoveatur; eoſque non decere, qui hoc faciunt. Et quia propter Photii electio- B nem decretum hoc videbatur editum, conantur illud multis argumentis infringere. Et primum quidem Sardicenſis concilii canonem, qui hoc idem confirmat, non de quocumque laico, ſed de forenſi & curiali loqui contendunt; cujuſmodi nunquam a Conſtantinopolitana eccleſia receptum eſſe. Deinde ſi canon de quovis laico loqueretur, cum contraria eſſet Conſtantinopolitanæ eccleſiæ conſuetudo, canonibus aſſerunt jam eſſe derogatum: quia nulla ratio clericum potius aut monachum improbum, quam probum laicum deligi ſinit. Quare dicunt Sardicenſem canonem non prohibere laicum C probatæ vitæ atque eximiæ virtutis, epiſcopum deligi; qualis fuit Nectarius a ſecunda ſynodo electus, ſanctus Ambroſius, & alii. Addunt præterea in Romana eccleſia laicos quoque ad pontificalem ſedem eſſe promotos. Sed hæc omnia, quæ a Photiana pſeudoſynodo dicta ſunt, uno vel ipſius Photii teſtimonio refelli poſſunt. Nam in ſynodo quam habuit adverſus Ignatium, canone XVII. ut in ipſius Photii Nomocanone habetur, hæc ſtatuit: In omnibus boni eccleſiaſtici curam gerentes, hoc quoque definire neceſſarium duximus; ut nullus deinceps laicus, vel monachus repente ad epiſcopa- D lem altitudinem eveheretur: ſed in eccleſiaſticis gradibus primum examinatus, ſic epiſcopalis dignitatis ordinationem ſuſciperet. Etſi enim adhuc quidam ex monachis & laicis exigente neceſſitate, epiſcopali honore ſtatim digni facti ſunt, qui & virtute excellenti fuere, & ſuam eccleſiam in altum extulere; id tamen quod raro evenit, eccleſiæ legem nequaquam ſtatuentes, decernimus ut deinceps id minime fiat: niſi is qui rite ordinatur, per gradus ſacerdotales proceſſerit, in unoquoque ordine tempus præſtitutum adimplens. Sardicenſis vero concilii non is eſt E ſenſus, quem illi perperam aſſerunt: ſed ſi quis, inquit, e foro, hoc eſt ſæculari ſtatu, ſive dives ille ſit, ſive ſtudiis vacans, dignus habeatur epiſcopatu, hunc minime provehendum eſſe, niſi prius & lectoris & diaconi, & presbyteri miniſterio fungatur per longiſſimi temporis probationem; quandoquidem & beatiſſimus apoſtolus, inquiunt, qui doctor etiam gentium fuit, prohibuiſſe videtur, ne celeres fiant ordinationes.

PAR. III. CAP. XIII.

PAR. III. CAP. XIII.

1. Tim. 3. Cum ergo apoſtolus omnem excludat abſolute neophytum, perſpicuum eſt, Sardicenſem quoque canonem de quovis laico pronuntiare. Et ſi qui etiam ex laicis vel catechumenis facti ſunt epiſcopi, id tamen raro, & vel neceſſitate urgente, ut Nectarius in ſecunda ſynodo; vel divina aliqua inſpiratione, ut in ſancti Ambroſii electione accidit; id quod Nicolaus in epiſtola ſexta, quæ habetur in octava ſynodo, ſatis aperte demonſtrat. Act. 4. Quod autem raro accidit, (ut ipſemet Photius confitetur) id univerſalis eccleſiæ legem abrogare non poterit. Quare cum idem Photius canonem hac de re in Conſtantinopolitana eccleſia jam edidiſſet, falſum eſt quod Photiani dixere, canonem hunc in Conſtantinopolitana eccleſia locum non habere.

Quod autem in Romana eccleſia laicus aliquando ſit pontifex electus, falſum omnino eſt. Nullus enim reperitur ante Photii tempora laicus ad ſummum pontificatum evectus. nam Conſtantinus ſchiſmaticus fuit, ut Anaſtaſius in Stephani papæ IV. vita fuſius narrat. Ergo ab eodem Stephano propter hujuſmodi Conſtantini factum conſtitutum fuit, ut ſummus pontifex ex presbyteris aut diaconibus cardinalibus eligeretur.

Alterum caput, quod in epiſtolis continebatur, erat, ut ex Conſtantinopolitana eccleſia, non aliunde, deligeretur epiſcopus: quod etiam Photiani conantur infringere. Negant enim id locum habere, niſi qui idoneus repertus fuerit in Conſtantinopolitana eccleſia, qui eligi poſſit. Verum cum tales ordinandi ſint clerici, ut in iis facile queat reperiri qui ad epiſcopalem dignitatem merito promoveatur, præſertim in magna aliqua civitate, qualis eſt Conſtantinopolis; jure ſummus pontifex ſtatuit ut Conſtantinopolitanus patriarcha ex ejus eccleſiæ clericis deligatur. Epiſt. 1. Quod item Cæleſtinus primus ante decreverat. Ut ſcilicet tunc alter de altera eligatur eccleſia, ſi de civitatis ipſius clero, cui eſt epiſcopus ordinandus, nullus dignus (quod evenire non creditur) poterit reperiri.

Tertium caput, in Joannis literis erat, ut Bulgaricam diœceſim Romanæ eccleſiæ Photius reſtitueret. Reſpondent Photiani, ad imperatorem hoc ſpectare: ſed immerito hoc dicunt. Quod enim jus habet imperator in epiſcoporum diœceſium finibus diſtinguendis, præſertim cum eo tempore imperatori Bulgaria non pareret? Quod autem addunt, illam ſynodum non propter fines diœceſium diſtinguendos eſſe coactam, nihil ad rem facit. Neque enim vult pontifex, ut in ſynodo de hac re agatur; ſed tantum præcipit, ne extra ſuos fines patriarcha Conſtantinopolitanus epiſcopos ordinet. Talis erat Bulgaria. Reliqua duo capita, quæ in corruptis illis epiſtolis continebantur de Photii electionis confirmatione, ſummopere laudant & recipiunt. [illegible]

ἐπειδὴ οὖν ὁ ἀπόστολος ἀπολελυμένως πάντα νεόφυτον ἀποκλείει, δῆλον ὅτι καὶ ὁ τῶν ἐν Σαρδικῇ κανὼν περὶ λαϊκοῦ παντὸς ἀποφαίνεται, ὥστε μὴ ἀθρόον εἰς ἐπισκοπὴν προβιβάζεσθαι. εἰ δὲ καὶ ἀπὸ κατηχουμένων ἢ νεοφωτίστων τινὲς προεβλήθησαν, τοῦτο σπανίως γέγονεν, ἢ χρείας κατεπειγούσης, ὡς ἐπὶ Νεκταρίου· ἢ κατὰ θείαν ἐπίπνοιαν, ὡς ἐπὶ Ἀμβροσίῳ τῷ θείῳ· περὶ ὧν ἡ Νικολάου τοῦ πάπα ἕκτη ἐπιστολή, ἥτις τῇ ὀγδόῃ συνόδῳ ἐμφέρεται, ἀκριβῶς διαλαμβάνει. τὸ δὲ σπανιάκις γινόμενον, συνομολογοῦντος καὶ τοῦ Φωτίου, οὐ δύναται τὸν καθόλου ἐκκλησίας ἀκυρῶσαι τὸν νόμον. εἰ δὴ οὖν Φώτιος περὶ τούτου κανόνα ἐξενηνόχει ἐν τῇ κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἐκκλησίᾳ, ψευδὲς ἄρα ὅ φασιν οἱ Φωτιανοί, τὸν κανόνα τοῦτον ἐκεῖ χώραν μὴ ἔχειν, ὄντος αὐτῷ ἐναντίου τοῦ ἐπιχωρίου ἔθους.

Κἀκεῖνο δὲ παντελῶς ψευδές, ἐν τῇ Ῥωμαϊκῇ ἐκκλησίᾳ προβιβασθῆναί ποτε ἐκ λαϊκῶν ἀρχιερέα. πρὸ γὰρ τῶν Φωτίου χρόνων οὐδεὶς ἀπὸ λαϊκῶν εὕρηται τῆς ἄκρας ἐπιλαβόμενος ἀρχιερωσύνης. εἰ δὲ λέγοι τις τὸν Κωνσταντῖνον· ἀλλ' οὗτος σχισματικὸς γέγονε καὶ ψευδοπάπας· ὅπερ πλατύτερον ἱστορεῖ Ἀναστάσιος ἐν τῷ Στεφάνου τοῦ τετάρτου βίῳ. ἐκ τότε οὖν ὁ αὐτὸς Στέφανος διὰ τὸ πραχθὲν ὑπὸ Κωνσταντίνου ἐθέσπισε, τὸν ἄκρον ἀρχιερέα ἐκ τοῦ τάγματος τῶν καρδιναλίων πρεσβυτέρων τε καὶ διακόνων προβάλλεσθαι.

Δεύτερον ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς κεφάλαιον περιείχετο, δεῖν εἰς ἀρχιερέα Κωνσταντινουπόλεως προάγεσθαι ἐκ τοῦ πληρώματος τῆς ἐκκλησίας ἐκείνης, καὶ οὐχ ἑτέρωθεν· οἱ δὲ Φωτιανοὶ ἀντιφέρονται καὶ πρὸς τοῦτο, μὴ βουλόμενοι τὸ ῥηθὲν παραδέξασθαι, ἀλλ' ἢ μόνον, εἰ παρείη ἐν τῷ Κωνσταντινουπόλεως κλήρῳ ὁ δι' ἀρετὴν ἀξίως χειροτονηθῆναι δυνάμενος. ἀλλὰ καὶ τοῦτο εἰκότως διωρίσατο ὁ πάπας. ἐπειδὴ γὰρ τοιούτους χρὴ τῷ κλήρῳ ἐγκαταλέγεσθαι, ἐξ ὧν ἄν τις δύναιτο ῥᾳδίως εἰς ἀρχιερωσύνην ἀνάγεσθαι κατ' ἀξίαν, ἄλλως τε ἐν πόλει τινὶ πολυανθρώπῳ, οἵα τυγχάνει οὖσα ἡ Κωνσταντίνου, ἐν δίκῃ ἂν τὸ πατριαρχικὸν ἀναδέχοιτο ἀξίωμα ὁ κληρικὸς ἐκείνης τῆς ἐκκλησίας. τοῦτ' αὐτὸ πάλαι προδιώριστο καὶ ὑπὸ Κελεστίνου πάπα τοῦ πρώτου, ὥστε ἐξ ἑτέρας ἐκκλησίας λαμβάνεσθαί τινα εἰς ἐπίσκοπον, ἡνίκα ἐν τῷ κλήρῳ τῆς πόλεως τῆς ἐπισκόπου χηρευούσης μηδείς, ὅπερ ἀπίθανον, ψηφισθῆναι ἄξιος εὑρεθείη.

Τρίτον κεφάλαιον, ὥστε τὴν ἐπαρχίαν τῆς Βουλγαρίας ἀποδοθῆναι παρὰ Φωτίου τῇ Ῥωμαϊκῇ ἐκκλησίᾳ. ἀποκρίνονται οἱ Φωτιανοί, τοῦτο ἀνήκειν τῷ βασιλεῖ καὶ ταῖς βασιλικαῖς διοικήσεσιν· ἀλλὰ παρὰ τὸ πρέπον τοῦτό φασι. ποία γὰρ δέδοται τῷ βασιλεῖ ἐξουσία τοῦ διαστέλλειν τῶν ἐκκλησιῶν τὰς ἐνορίας, καὶ ταῦτα τῆς Βουλγαρίας τότε τῷ βασιλεῖ μὴ ὑποκειμένης; κἀκεῖνο δὲ ὃ προστιθέασιν οὐκ ἐπὶ τὸ διαστέλλειν ἐνορίας συναθροισθῆναι ταύτην τὴν σύνοδον, οὐδὲν πρὸς τὸ προκείμενον. οὐ γὰρ ἐκεῖνο βούλεται ὁ πάπας, ἵνα σκέψηται ἡ σύνοδος περὶ τούτου· ἀλλὰ προστάττει, τὸν Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχην μήτε χειροτονεῖν, μήτε ὠμοφόριον ἀποστέλλειν ἔξω τῆς ἑαυτοῦ ἐνορίας· ἔξω δὲ ἦν ἡ Βουλγαρία. τὰ λοιπὰ δύο κεφάλαια τῶν διεφθαρμένων ἐπιστολῶν περὶ τῆς καταστάσεως καὶ ἐπιβεβαιώσεως τοῦ Φωτίου, καὶ ὑπερεπαινοῦσι καὶ ἀποδέχονται.

Ἀνε-



ANNO CHRISTI 870.

Ἀνεγνώσθησαν μετὰ ταῦτα τῶν πατριαρχῶν αἱ ἐπιστολαί, τοῦ Ἀλεξανδρείας, τοῦ Ἀντιοχείας, καὶ τοῦ Ἱεροσολύμων. εἰσάγονται δὲ καὶ τούτων οἱ τοποτηρηταὶ διαβεβαιούμενοι, τοὺς κατὰ τὴν ἁγίαν ὀγδόην σύνοδον τοποτηρητάς, Σαρρακηνῶν γενέσθαι ἀποκρισιαρίους, παρ' οὐδενὸς δὲ τῶν πατριαρχῶν ἀπεστάλθαι· ὅπερ ἄν τις οὐκ ἀπεικότως διεστραμμένης φαίη ψυχῆς ἐνθύμημα. Θεοδόσιος γὰρ ὁ πατριάρχης Ἱεροσολύμων Ἰγνατίῳ τῷ μάκαρι ἐπιστέλλων, κατὰ δέος πολὺ φησὶ πεπομφέναι Ἠλίαν τὸν ἑαυτοῦ τοποτηρητὴν εἰς Κωνσταντινούπολιν πρὸς τὴν σύνοδον, διὰ τοὺς Σαρρακηνούς, καὶ σκῆψιν ἐπιφημίσαι τῆς ἀποστολῆς ταύτης, ὡς ἀφίκοιτο Ἠλίας ἐπὶ ἀναρρύσει Σαρρακηνῶν αἰχμαλώτων. παρὸ καὶ ἀντιβολεῖ Ἰγνάτιον, δωρηθῆναί οἱ παρὰ τοῦ αὐτοκράτορος ὁπόσους βούλοιτο Σαρρακηνούς, πρὸς τὸ ἐξευμενίσαι τὴν τῶν κρατούντων ἀθέων δυσμένειαν. ταύτην οὖν διαστρέφειν τοῦ πατριάρχου τὴν οἰκονομίαν, καὶ καταχρῆσθαι ἐπὶ διαβολῇ τῆς ἁγίας συνόδου, πόσην ἐξελέγχει τοῦ Φωτίου κακοτροπίαν; μᾶλλον μὲν οὖν αὐτὸς ὁ Φώτιος ψευδοτοποτηρητὰς ἀνεπλάσατο, λῃστρικὴν σύνοδον κατὰ Νικολάου τοῦ πάπα ἐξεικονίσας, καὶ λόγους ἐν αὐτῇ καὶ πρόσωπα μυθικῶς δραματουργήσας, ὡς κατὰ τὴν ὀγδόην τῆς ἁγίας ὀγδόης συνόδου πρᾶξιν λαμπρῶς διεγνώσθη. καθὸ δὴ πρεπόντως ὑπὸ τῆς αὐτῆς συνόδου τέκτων τῶν ψευσμάτων ἐπωνομάσθη. ὅλως γὰρ ἀνένδεκτον δοκεῖ, παρόντος βασιλέως καὶ πολλῆς ἐπισκόπων ὁμηγύρεως, ἀντὶ πατριαρχικῶν πρέσβεων εἰσαχθῆναι τοὺς Σαρρακηνῶν ἀποκρισιαρίους. τούτων μὲν οὖν οὕτω πραχθέντων, ὁ Φώτιος ἐν τῇ πέμπτῃ πράξει τῆς συνόδου ταύτης, ἀναθεωρῶν δῆθεν τὰ καλῶς παρὰ τῆς ὀγδόης συνόδου ἐπικυρωθέντα, προὔθηκε δεῖν ταῖς λοιπαῖς ἓξ συνόδοις οἰκουμενικαῖς συναριθμηθῆναι τὴν ἑβδόμην· ἐπειδή, φησίν, ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία, καὶ οἱ τῆς ἀνατολῆς θρόνοι ἀμφιβάλλουσι τοῦ συναριθμεῖν αὐτὴν ταῖς λοιπαῖς ἁγίαις συνόδοις, ὡς ἡ φήμη, φησί, περιήγγελλεν. ἀλλὰ καὶ αὕτη ἀκριβεστάτη ψευδολογία τυγχάνει. τὴν γὰρ ἑβδόμην ἁγίαν σύνοδον ἡ ἐκκλησία τῆς Ῥώμης οὐ μόνον ἐξ ἀρχῆς ἀπεδέδεκτο, ἀλλὰ καὶ Ἀδριανὸς ὁ πρῶτος ἀπολογίαν ὑπὲρ ἐκείνης συνεγεγράφει δι' ἐπιστολῆς, πάντα τὰ κατ' αὐτῆς προβαλλόμενα διαλύων. ἐπὶ τούτοις κανόνες τρεῖς ἐξεδόθησαν, οὓς ὁ Φώτιος τῷ Νομοκάνονι παρενέθηκε. τούτων ὁ πρῶτος· ὥρισε, φησίν, ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ὥστε τοὺς ἐξ Ἰταλίας κληρικούς, ἢ λαϊκούς, ἢ ἐπισκόπους ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ἢ Εὐρώπῃ, ἢ Λιβύῃ διατρίβοντας, ὑπὸ καθαίρεσιν ἢ ἀφορισμὸν γενομένους παρὰ τοῦ πάπα, εἶναι καὶ παρὰ Φωτίῳ ἐν τῷ αὐτῷ τῆς ἐπιτιμίας ὅρῳ. καὶ αὖθις δὲ τοὺς ὑπὸ Φωτίου κληρικούς, ἢ λαϊκούς, ἢ ἀρχιερατικοῦ τάγματος ἐν οἱᾳδήποτε παροικίᾳ ἀφορισμῷ, ἢ καθαιρέσει, ἢ ἀναθεματισμῷ ὑποπεσόντας, εἶναι παρὰ τῷ πάπᾳ ἐν τῷ αὐτῷ τῆς ἐπιτιμίας κρίματι. οὕτω Φώτιος οὐ μόνον τῆς ἴσης ἀπολαύειν ἐξουσίας τῷ πάπᾳ διϊσχυρίζεται, ἀλλὰ καὶ ἑαυτῷ μὲν τὴν ὑφήλιον ἅπασαν, τῷ δὲ πάπᾳ μόνους ἀποδίδωσι τοὺς ἐξ Ἰταλίας. εἶτα διὰ τοῦ κανόνος τούτου καὶ τὰς πρὸς τὸν ἀποστολικὸν θρόνον ἐκκλήτους δοκεῖ ἐκκόπτειν, εἴγε τοὺς ὑπὸ Φωτίου καταχεκριμένους λῦσαί τε καὶ ἀθῳῶσαι μὴ ἐξῇ τῷ πάπᾳ. ὅπερ ἐστὶ παντὸς δικαίου καὶ τῶν κανόνων ἀνατροπή, καὶ ἐξαίρετον δὲ τοῦ πέμπτου τῆς ἐν Σαρδικῇ συνόδου, ἔνθα περὶ τῶν εἰς τὸν

PART. III. CAP. XIII.

Leguntur deinde epiſtolæ patriarcharum Alexandrini, Antiocheni & Hieroſolymitani. Admittuntur etiam eorum legati, qui affirmant legatos qui fuerant in ſynodo octava contra Photium habita, non fuiſſe veros legatos patriarcharum, ſed Sarracenorum. Quem ſane non immerito dixerit quiſpiam perverſi animi ſenſum. Nam Theodoſius Hieroſolymorum patriarcha ſcribens ad Ignatium, multa ſe ait cum formidine miſiſſe Conſtantinopolim vicarium ſuum Eliam ad ſynodum propter Sarracenos; & eo nomine miſſum divulgaſſe, quo ſcilicet captivos redimeret Sarracenos. Quapropter Ignatium rogat, ut ſibi ab imperatore, quotquot vellet ipſe, Sarraceni donarentur, ad leniendos impiorum animos, qui rerum potiebantur. Hoc ergo non ſine prudenti conſilio patriarchæ factum in alios detorquere ſenſus, ad elevandam auctoritatem ſanctæ ſynodi, quantam fuiſſe in animo Photii declarat improbitatem? falſos ipſe Photius induxit vicarios, cum nefaria ſynodo in Nicolaum papam celebrata, & perſonas & verba fabuloſe confinxit, ut plane conſtitit actione VIII. ſynodi octavæ. quare etiam ab eadem ſynodo mendaciorum artifex jure eſt appellatus. Et omnino veriſimile non videtur, imperatore præſente, coram magno epiſcoporum cœtu, pro patriarcharum legatis Sarracenorum nuntios admiſſos eſſe. His peractis, in quinta hujus ſynodi actione propoſuit Photius, quaſi non eſſet jam definitum, ſynodum ſeptimam ab omnibus eſſe recipiendam: Cum, inquit, Romana eccleſia, & orientales ſedes dubitent, num illa ſit cum reliquis ſanctis ſynodis connumeranda, ut fama, inquit, fertur. ſed hoc falſiſſimum eſt. Non ſolum enim ſeptimam ſynodum Romana eccleſia recipit, ſed etiam Hadrianus primus omnes objectiones contra ſynodum in epiſtola hac de re ſcripta refellit. Tres præterea ſanciuntur canones, quos in Nomocanone poſuit Photius. Ex quibus primus eſt: Statuit ſancta & univerſalis ſynodus, ut qui ex Italiæ clericis, vel laicis, vel epiſcopis, in Aſia, vel Europa, vel Libya verſantes, depoſiti vel excommunicati fuerint a papa, habeantur etiam a Photio iiſdem cenſuris innodati. & rurſus clericos, aut laicos, aut pontificalis ordinis viros a Photio in quacumque provincia excommunicatos, depoſitos, aut anathemati traditos, habendos eſſe innodatos a papa iiſdem pariter cenſuris. Ita Photius nititur non modo parem ſibi ac pontifici tribuere poteſtatem, ſed ſibi quidem provincias omnes, pontifici vero ſolos ex Italia clericos aſſignat. Videtur etiam tollere appellationes ad apoſtolicam ſedem, ut ſcilicet abſolvere non poſſit Romanus pontifex quos Photius condemnavit: quod contra omne jus eſt & canones, præſertim vero contra Sardicenſis concilii canonem V. ubi de appellationibus ad

Roma-

PART. III. CAP. XIII.

Romanum pontificem ſtatuitur. Subſecutæ ſunt, poſt canonum editionem, epiſcoporum ſubſcriptiones, cum deteſtatione omnium ſynodorum quæ contra Photium habitæ ſunt, juxta mandata quæ in corruptis ab ipſo Joannis pontificis literis habebantur. Recitatum eſt etiam poſtremo Conſtantinopolitanum ſymbolum;

Hard. pag. 1159.

[ *In Græco additur*: Antequam autem proferretur clara voce, ſic præfatus eſt ad verbum Photius: Ita de his ſentientes & prædicantes, eam quæ jam olim a patribus ad nos uſque deſcendit, ſinceræ Chriſtianorum fidei definitionem & mente & lingua diligimus, & omnibus clara voce annunciamus, nihil detrahentes, nihil addentes, nihil immutantes, nihil adulterantes. Nam ſi quis quid detrahat aut adjiciat, tunc cum nulla dæmonis artibus ſe commovet hæreſis, condemnat eos qui ſunt irreprehenſibiles, & contumeliam patribus infert, quæ excuſari non poteſt. Et cetera. Quibus verbis Photius taxare videtur quam Græci vocant Additionem in ſymbolo factam: cui cum tunc quidem non adverſaretur, poſtea adverſatus eſt, cum vellet Romanæ eccleſiæ moleſtiam creare. ] & ne quid ab aliquo adderetur, niſi hæreſis aliqua diabolica machinatione ſuboriatur, conſtitutum. Quibus verbis innuere videtur Photius illam additionem ſymbolo factam de Spiritus ſancti a Filio proceſſione, quam etiam palam in ea ſynodo impugnare non eſt auſus. Hæc ſunt, quæ in hac pſeudoſynodo Photiana continentur; & quidem (ut oſtenſum eſt) maxima ex parte falſa, vel conficta. Jam vero non legitimam ſynodum, ſed conciliabulum fuiſſe, hiſce etiam argumentis demonſtrari poteſt.

Græca hic aliquantum diſſident a Latinis.

Et primum quidem: Cum tota hæc ſynodus Joannis epiſtolarum auctoritate nitatur, eas a Photio corruptas, ex collatione Latinarum cum Græcis epiſtolis demonſtratur. Atque, ut Nicolaus ex comprobat ſuas epiſtolas fuiſſe corruptas, quia eſt, inquit, apud nos ſocia illarum duarum, quam apud nos retinuimus, pro futuro ſcilicet teſtimonio: ita magno Dei beneficio ſinceræ ac germanæ Joannis epiſtolæ extant in antiquiſſimo codice, ad hujus rei veritatem comprobandam. Nemo vero eſt qui neget, veras pontificum epiſtolas Latinas eſſe, cum ſemper Latine ſummi pontifices etiam ad Græcos ſcribere ſoliti ſint. Photium itidem epiſtolas conſueviſſe corrumpere, ex Nicolai & Hadriani literis & octavæ ſynodi generalis actis omnibus patet: quod vel Græci ipſi teſtantur, ut Stylianus in epiſtola ad Stephanum pontificem, Nicetas in vita ſancti Ignatii, Metrophanes in epiſtola ad Manuelem patricium, & alii. Deinde hoc idem Styliani auctoritate comprobatur. Scribit enim in epiſtola ad Stephanum, Eugenium & Paulum Joannis legatos a Photio partim minis, partim donis fuiſſe corruptos. Et ſubdit Petrum presbyterum Roma miſſum, re cum illis communicata, velut a ſede apoſtolica receptum Photium proclamaſſe. Tertio: Antiquus Græcarum epiſtolarum collector, quæ poſt octavam ſynodum

Epiſt. 6.

πάπαν ἐκκλήτων διώξεσαι. μετὰ τὰς κανόνας ἐξετέθησαν αἱ ὑπογραφαὶ τῶν ἐπισκόπων, μετὰ τῆς ἀποβολῆς πασῶν τῶν κατὰ Φωτίου γινομένων συνόδων, κατὰ τὴν ὑφὴν τῶν ὑπ' αὐτοῦ γε τοῦ Φωτίου διεφθαρμένων ἐπιστολῶν τοῦ πάπα Ἰωάννου. ἔσχατον ἀνεγνώσθη τὸ ἐν Κωνσταντινουπόλει σύμβολον. πρὸ δὲ τῆς τούτου ἐκφωνήσεως προοιμιαζόμενος ὁ Φώτιος κατὰ λέξιν φησίν· οὕτω περὶ τούτων φρονοῦντές τε καὶ κηρύττοντες, τὸν ἄνωθεν ἐκ πατέρων καὶ μέχρις ἡμῶν καταληλυθότα τῆς ἀκραιφνεστάτης τῶν Χριστιανῶν πίστεως ὅρον καὶ διανοίᾳ καὶ γλώσσῃ στεργομένοι τε, καὶ πᾶσι διαπρυσίῳ φωνῇ περιαγγέλλομεν, οὐδὲν ἀφαιροῦντες, οὐδὲν προστιθέντες, οὐδὲν ἀμείβοντες, οὐδὲν κιβδηλεύοντες. ἡ μὲν γὰρ ἀφαίρεσις καὶ ἡ πρόσθεσις, μηδεμιᾶς ὑπὸ τῶν τοῦ πονηροῦ τεχνασμάτων ἀνακινουμένης αἱρέσεως, κατάγνωσιν εἰσάγει τῶν ἀκαταγνώστων, καὶ ὕβριν τῶν πατέρων ἀναπολόγητον. καὶ τὰ ἑξῆς. δι' ὧν ὁ Φώτιος αἰνίττεσθαι δοκεῖ τὴν ἐν τῷ συμβόλῳ παρὰ τῶν Γραικῶν καλουμένην προσθήκην· πρὸς ἣν τότε μὴ ἀντιφερόμενος, ὕστερον ἀντελέχθη, τὴν Ῥωμαϊκὴν ἐκκλησίαν ἀντιλυπῆσαι βουλόμενος. ἃ μὲν οὖν, ὡς τύπῳ εἰπεῖν, ἡ ψευδοσύνοδος αὕτη τοῦ Φωτίου περιέχει, ταῦτά ἐστι, ψευδῆ, ὡς δέδεικται, τὰ πλείω καὶ πεπλασμένα· καὶ δύο τὰς πλαστὰς πράξεις οὐκ ἀληθείᾳ γινομένας, ἀλλὰ παρὰ Φωτίου πλαστογραφείσας, ὡς μαρτυρεῖ ἀνδρὸς ἀρχαίου ἐπισημείωσις ἐν ταῖς βίβλοις τῆς συνόδου ταύτης ἐπιγεγραμμένη. ὅτι δὲ ψευδοσύλλογός ἐστι, καὶ οὐ σύνοδος γνησία, σαφὲς μὲν ἐξ ὧν εἰρήκαμεν, ἀποδείκνυται δὲ καὶ ἄλλοις λόγοις.

Πρῶτον μὲν γὰρ σύνοδος αὕτη ὡς θεμελίῳ ἐπιστηρίζεται ταῖς Ἰωάννου τοῦ πάπα ἐπιστολαῖς. ταύτας δὲ παραπεποιῆσθαι ὑπὸ Φωτίου πρόδηλον, εἴ τις τὰ Λατινικά τε καὶ Ἑλληνικὰ γράμματα πρὸς ἄλληλα συμβάλλοι. καὶ ὥσπερ Νικόλαος ὁ πάπας ἐκεῖθεν ἐπιδείκνυσι νενοθευμένα τὰ ἑαυτοῦ γράμματα, ὅτι παρ' ἡμῖν, φησίν, ἐστὶ τὰ ἀδελφὰ τῶν γραμμάτων ἐκείνων, ἃ παρακατέχομεν εἰς μαρτύριον τῆς ἀληθείας· οὕτω μεγάλῃ τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίᾳ γέγονεν ἔτι περιεῖναι τὰς Ἰωάννου ἐπιστολὰς ἐν βίβλῳ ἀρχαιοτάτῃ, εἰς ἐπίδειξιν τῆς ἀληθείας. δῆλον δὲ καὶ παρὰ πᾶσιν ὁμολογούμενον, τὰ αὐθεντικὰ τῶν ἄκρων ἀρχιερέων γράμματα εἶναι Ῥωμαϊκά· Λατινικῶς γὰρ ἦν ἔθος ἐκείνοις γράφειν καὶ πρὸς αὐτοὺς τοὺς Γραικούς. γνωστὸν δὲ πᾶσι κἀκεῖνο, ὅτι φίλον ἦν Φωτίῳ παραφθείρειν τὰ γράμματα. καὶ τούτου μάρτυρες αἱ Νικολάου καὶ Ἀδριανοῦ τῶν ἄκρων ἀρχιερέων ἐπιστολαί, καὶ τὰ πρακτικὰ τῆς ὀγδόης οἰκουμενικῆς συνόδου, προσμαρτυρούντων τοῦτ' αὐτὸ καὶ τῶν Γραικῶν, Στυλιανοῦ ἐν τῇ πρὸς Στέφανον τὸν πάπαν ἐπιστολῇ, Νικήτα ἐν τῷ βίῳ τοῦ ἐν ἁγίοις Ἰγνατίου, καὶ Μητροφάνους ἐν τῇ ἐπιστολῇ πρὸς Μανουὴλ τὸν πατρίκιον. δεύτερον μαρτυρεῖ ὁ Νεοκαισαρείας Στυλιανὸς Στεφάνῳ τῷ πάπα ἐπιστέλλων, τοὺς περὶ Εὐγένιον καὶ Παῦλον παρὰ τοῦ πάπα Ἰωάννου πρὸς Ἰγνάτιον ἀποσταλέντας δώροις ἐξηπατῆσθαι ὑπὸ Φωτίου, καὶ βασιλικαῖς ἀπειλαῖς. εἶτα καὶ Πέτρον φησὶ τὸν πρεσβύτερον ἀνελθόντα ἐκ Ῥώμης εἰς Κωνσταντινούπολιν, καὶ συνελθόντα ἐκείνοις, ἀνακηρύξαι τὸν Φώτιον ὡς ἀποδεδεγμένον παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου. τρίτον ἱστορεῖ ὅτι ἦν συλλογεὺς παλαιὸς ποιησάμενος τῶν μετὰ τὴν ὀγδόην σύνοδον

ἐπιστ-

ANNO CHRISTI 870.



ANNO CHRISTI 870.

ἐπιστολῶν, τοὺς περὶ Εὐγένιον διὰ τὴν Βουλγαρίαν ἐλθόντας ἀποπλανηθῆναι ὑπὸ Φωτίου. διὸ καὶ Ἰωάννην τὸν πάπαν λαβόντα τὸ εὐαγγέλιον, καὶ ἀνελθόντα ἐν τῷ ἄμβωνι, πάντων ἀκουόντων φάναι· ὁ μὴ ἔχων τὸν θεοκρίτως ἀναθεματισθέντα Φώτιον, ὡς ἀφῆκαν αὐτὸν Νικόλαος καὶ Ἀδριανὸς οἱ ἁγιώτατοι πάπαι οἱ προκάτοχοί μου, ἔστω ἀνάθεμα. τέταρτον, γράφει Στέφανος ὁ πάπας ἐν τῇ πρὸς Βασίλειον τὸν βασιλέα ἐπιστολῇ, ὅτι Μαρῖνος, ὁ καὶ ἄκρος ἀρχιερεὺς ὕστερον χρηματίσας, ἐν Κωνσταντινουπόλει τῷ ῥηθέντι βασιλεῖ ἀντέστη, βουλομένῳ καταλῦσαι καὶ ἀκυρῶσαι τὰ παρ' αὐτοῦ δὴ τοῦ Μαρίνου πρώην συνοδικῶς πραχθέντα ἐνώπιον τοῦ βασιλέως, δηλαδὴ τὰ τῆς ὀγδόης συνόδου. καὶ ἐπειδὴ ὁ Μαρῖνος οὗτος τὸν Ἰωάννου θρόνον διεδέξατο ἀμέσως, ἀνάγκη τοῦτο γενέσθαι ἐπὶ Ἰωάννου, μεθ' ὃ Φώτιος ἐπανελθὼν τὴν ὀγδόην ἀπεκήρυξε σύνοδον. εἰκὸς δὲ τὸν Μαρῖνον ἀποσταλῆναι παρὰ Ἰωάννου ἀποκρισιάριον εἰς Κωνσταντινούπολιν, ὅτε καὶ ἀντεῖπε τῷ βασιλεῖ. πέμπτον, οὐ μόνον ὁ ὄγδοος Ἰωάννης, ἀλλὰ καὶ οἱ μετ' αὐτὸν ἀρχιερεῖς τῆς Ῥώμης, Μαρῖνος, Στέφανος, Φόρμωσος, καὶ Ἰωάννης ὁ ἔνατος, τὸν Φώτιον οὐχ ὡς πατριάρχην, ἀλλ' ἀνίερον εἶχον λαϊκὸν παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου καθῃρημένον, ὡς αἱ τῶν αὐτῶν ἀρχιερέων ἐπιστολαὶ ἔτι σωζόμεναι μαρτυροῦσι.

Διὸ δὴ τοῦ βασιλέως ἐκδημήσαντος Βασιλείου, Λέων ὁ τούτου υἱὸς τὸν Φώτιον ἐξωθήσας, ὑπερόριον ἐποιήσατο, ἔνθα ἐλεεινῶς τὸν βίον κατέστρεψε. Στέφανον δὲ ἀντ' ἐκείνου τὸν οἰκεῖον ἀδελφὸν ὁ βασιλεὺς παρεσκεύασε ψηφισθῆναι πατριάρχην, καὶ ἐπικυρωθῆναι τῇ αὐθεντίᾳ τοῦ πάπα. μνημονεύει δὲ τούτου Στυλιανὸς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἐπίσκοποι ἐν τῇ πρὸς Στέφανον τὸν πάπαν ἐπιστολῇ. τὸν δὲ Ἰγνάτιον ἡ καθολικὴ ἐκκλησία ὡς ἅγιον καὶ ἔννομον πατριάρχην ὁσίαις ἐκτοτε γεραίρει τιμαῖς, καὶ τὴν αὐτοῦ μνήμην οἱ Γραικοὶ ἐν τῷ μηνολογίῳ διαπρυσίως πλουτοῦσι. πλεῖστα δὲ ὑπ' αὐτοῦ θαυματουργηθῆναι ἱστορεῖ Νικήτας ὁ τὴν ἐκείνου βίου γραφὴν παραδούς. ἀσύστατον ἄρα καὶ ψευδὲς ὅπερ εἰρήκει ὁ Ἐφέσου Μάρκος ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῆς Φλωρεντίας κατὰ τὴν ἕκτην συνέλευσιν, τὰ τῆς ὀγδόης δηλαδὴ συνόδου τῆς ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ πάπα ἀκυρωθῆναί τε καὶ ἀνατραπῆναι, τὸν δὲ Φώτιον ὑπὸ τῆς γενομένης ἄλλης συνόδου ἀνορθωθῆναι, ἐπιστολάς τε τοῦ πάπα Ἰωάννου διασώζεσθαι ὑπὲρ τοῦ Φωτίου. ἀλλ' οὐδ' ὅπερ ἀναγινώσκεσθαί φησιν ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίᾳ οὕτως· ἅπαντα τὰ κατὰ τῶν ἁγίων πατριαρχῶν Φωτίου καὶ Ἰγνατίου γραφέντα ἢ λαληθέντα, ἀνάθεμα· χώραν ἔχει. εἰ γὰρ Ἰγνάτιος γνήσιος καὶ ἅγιος ἐχρημάτισε πατριάρχης, καθ' ὃ δὴ αἰτίως τὰ κατ' αὐτοῦ πεπραγμένα τυγχάνει πάντα κατάκριτα καὶ ἀδόκιμα, ἀνάγκη πᾶσα τὰ κατὰ Φωτίου διωρισμένα ὑγιᾶ τε εἶναι καὶ ἀκατάκριτα, ἐπείπερ ὁ Φώτιος πάντα πέπραχεν ἐπὶ διαβολῇ καὶ ἀποκηρύξει Ἰγνατίου, καὶ τῆς αὐτοῦ καταστάσεως. πῶς δὲ ἡ Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησία λόγοις μὲν ἀναθεματίζει τὰ κατὰ Ἰγνατίου καὶ Φωτίου, ἔργοις δὲ τὴν μὲν ὑπὲρ Ἰγνατίου ἁγίαν καὶ ἀληθῆ καὶ κυρίως οἰκουμενικὴν σύνοδον οὐκ ἐπιγινώσκει, ἐπιδέχεται δὲ δύο ψευδοσυνόδους τοῦ Φωτίου, τὴν κατὰ Ἰγνατίου πρώτην καὶ δευτέραν καλουμένην, καὶ τὴν μετὰ ταῦτα συστᾶσαν, ἐν ᾗ Φώτιος τὰς Ἰωάννου τοῦ πάπα διέφθειρεν ἐπιστολάς, ἥν τε αὐτὸς ψευδωνύμως ἐπωνόμασεν ὀγδόην; δῆλον οὖν ἐκ τούτων ἁπάντων καθέστηκε, τὴν ἀληθῆ καὶ γνησίαν οἰκουμενικὴν ὀγδόην σύνοδον εἶναι τὴν ἐν

habentur, a Photio ait Eugenium & alios per fraudem circumventos atque corruptos: ac poſtea Joannem VIII. pontificem accepto evangelio ambonem conſcendiſſe, cunctiſque audientibus dixiſſe: Quicumque Photium non juſto Dei judicio condemnatum judicat, quemadmodum nempe illum, qui me præceſſerunt Nicolaus & Hadrianus ſanctiſſimi papæ damnatum reliquerunt, anathema eſto. Quarto, Stephanus in epiſtola ad imperatorem Baſilium ſcribit, Marinum (qui poſtea ſummus pontifex fuit) Conſtantinopoli imperatori reſtitiſſe, qui octavæ ſynodi acta reſcindere & antiquare volebat. Quæ intelligi minime poſſunt de primo Marini Conſtantinopolim adventu, quando ipſo imperatore poſtulante, magno omnium conſenſu ſynodus octava eſt celebrata, & cui Marinus legatus præfuit. Neque vero poſt Joannis obitum intelligi queunt, cum proxime illi in pontificatu ſucceſſerit. Ergo neceſſario ſequitur, poſt Photii reditum, & poſt damnatam a Photio octavam ſynodum, imperatori, qui Photio favebat, Marinum reſtitiſſe: & veriſimile valde eſt, tunc legatum a Joanne pontifice Conſtantinopolim fuiſſe deſtinatum. Quinto, non ſolum Joannes octavus, ſed qui poſt illum pontifices fuere, Marinus, Stephanus, Formoſus & Joannes nonus Photium non ut patriarcham, ſed ut laicum, & a ſede apoſtolica damnatum, habuerunt. Extant hac de re eorumdem pontificum epiſtolæ.

Quare mortuo Baſilio imperatore, Leo Baſilii filius Photium de ſede depulſum, in exilium ejecit, in quo tandem miſere periit: ac Stephanum ſuum fratrem patriarcham eligendum curavit, & ſummi pontificis auctoritate confirmandum. Extant hac de re Styliani & aliorum epiſcoporum ad Stephanum papam epiſtolæ. Ignatium vero ut ſanctum & legitimum patriarcham eccleſia univerſa ſemper coluit, & adhuc colit, ejuſque memoria ſolennis in Græcorum menologio habetur. Atque adeo plurima ſcribit Nicetas in ejus vita ab eo patrata divinitus eſſe miracula. Liquet igitur falſum eſſe, quod Marcus Epheſius in concilio Florentino aſſeruit, octavum concilium Joannis octavi temporibus fuiſſe reſciſſum, & aliud pro Photio celebratum, & extare Joannis papæ epiſtolas pro Photio. Neque vero damnari poſſunt acta omnia quæ contra Photium & contra Ignatium habita ſunt, ut in Conſtantinopolitana eccleſia idem Marcus Epheſius fieri teſtatur. Sess. 6. Si enim Ignatius verus fuit ac ſanctus patriarcha, atque ideo omnia contra illum acta jure damnantur; neceſſario ſequitur non poſſe damnari quæ contra Photium ſtatuta ſunt, nam Photii actis ſancti Ignatii & vita & electio reprobatur atque rejicitur. Præterea ſi canones Photianæ pſeudo-ſynodi Conſtantinopolitana eccleſia recipit, quare etiam non recipit octavam generalem ſynodum pro Ignatio celebratam? Ex his omnibus conſtat, veram ac germanam octavam generalem ſynodum eam eſſe, quæ eſt Hadriani ſecundi aucto-

PART. III. CAP. XIII.

ritate

JOANNES VIII. P. EPISTOLA GERMANA Sectione 39.

ANNO CHRISTI 870.

ritate (Baſilio imperante) Conſtantinopoli celebrata, & quæ in fidei profeſſione Romanorum pontificum, atque in concilio Conſtantienſi una cum aliis œcumenicis conciliis enumeratur, & a Gregorio ſeptimo citatur. Imo vero veteres tum Græci, tum Latini hiſtorici, dum Hadriani ſecundi ſummi pontificis ac Baſilii imperatoris acta recenſent, ejus quoque ſynodi mentionem faciunt. In iis præcipue Anaſtaſius bibliothecarius, qui Ludovici ſecundi imperatoris nomine orator ad Baſilium miſſus concilio interfuit, & omnia ejus acta Latinitate donavit, ſcholiis illuſtravit, ejuſdemque ſynodi hiſtoriam in præfatione fuſe proſequitur. Extat etiam Græce hæc ſynodus, ſed in compendium videtur redacta, in qua tredecim tantum canones reperiuntur, tametſi ſeptem ac viginti habet Anaſtaſius in ſua interpretatione, quare præter Anaſtaſii verſionem, alia quæ Græco textui reſpondeat, appoſita eſt. In Græcis etiam codicibus poſt concilii acta extant, quaſi appendix ejuſdem concilii, Stephani ſexti ac Formoſi ſummorum pontificum, & aliorum quorumdam epiſtolæ, quæ multum ad concilii confirmationem faciunt, ab antiquo & ejus temporis auctore collectæ.

Viſum eſt hoc loco Joannis octavi literas, quarum ſupra facta eſt mentio, collocare: tum Græce, ut ſunt a Photio depravatæ, Latina verſione appoſita: tum Latine, prout a pontifice maximo fuere conſcriptæ; quarum vetuſtiſſimum exemplum diximus in Vaticana bibliotheca reperiri; quibus viciſſim Græca eſt adjecta interpretatio: quo facilius & Photii fraus, & rei totius veritas eluceſcat.

Κωνσταντινουπόλει κατὰ Φωτίου συστᾶσαν δι' αὐθεντίας Ἀδριανοῦ πάπα τοῦ δευτέρου ἐπὶ αὐτοκράτορος Βασιλείου· ἥτις ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τῆς πίστεως τῶν Ῥώμης ἀρχιερέων, καὶ ἐν τῇ συνόδῳ τῆς Κωνσταντίας ταῖς λοιπαῖς ἁγίαις οἰκουμενικαῖς συναριθμεῖται συνόδοις· ἧς τε Γρηγόριος πάπας ὁ ἕβδομος μέμνηται, καὶ οἱ ἀρχαῖοι τῶν ἱστοριῶν ξυγγραφεῖς Γραικοί τε καὶ Λατῖνοι, ἐν οἷς τὰς Ἀδριανοῦ πάπα τοῦ δευτέρου καὶ Βασιλείου αὐτοκράτορος ἀφηγοῦνται πράξεις· μάλιστα δὲ Ἀναστάσιος ὁ βιβλιοθηκάριος, ὁ τηνικαῦτα Λουδοΐκου αὐτοκράτορος τοῦ δευτέρου πρεσβευτὴς πρὸς Βασίλειον, τῇ τε συνόδῳ ταύτῃ παρευστάσας, καὶ πάντα ἐκείνης τὰ ὑπομνήματα εἰς τὴν Ῥωμαϊκὴν μεταφράσας διάλεκτον, σχολίοις τε διασαφήσας· ὃς καὶ ὅλην τοῦ πράγματος τὴν ὑπόθεσιν ἐν τῷ προοιμίῳ τῆς μεταφράσεως διεξέρχεται. φέρεται καὶ Ἑλληνικῶς αὕτη ἡ σύνοδος, δοκεῖ δὲ συντετμῆσθαι καὶ σύνοψις εἶναι· ἐν ᾗ τρεισκαίδεκα μόνον εὕρηνται κανόνες, εἰ καὶ Ἀναστάσιος ἐν τῇ μεταφράσει ἐκτίθεται ἑπτὰ καὶ εἴκοσι. διὸ τοῖς ἑλληνικῶς γεγραμμένοις παράκειται ἄλλη ἑρμηνεία παρὰ τὴν τοῦ Ἀναστασίου, τὰ συνοπτικῶς ἱστορηθέντα διατρανοῦσα. πρόσκειται δὲ ταῖς Ἑλληνικαῖς βίβλοις μετὰ τὰ πρακτικὰ τῆς συνόδου, ἐπιστολῶν Στεφάνου τοῦ ἕκτου καὶ Φορμώσου ἄκρων ἀρχιερέων, καί τινων ἄλλων συλλογή, πολύ τι συμβαλλομένη εἰς ἐπιστηριγμὸν τῆς συνόδου, ἀρχαίου ἀνδρὸς καὶ συγχρόνου τῇ συνόδῳ φιλοπονίᾳ πεποιημένη.

Εὔθετον δὲ πάντως ἔδοξε παραθέσθαι ἐνταῦθα τὰς Ἰωάννου τοῦ πάπα ἐπιστολάς, ὧν ἀνωτέρω ἐμνήσθημεν· καὶ Λατινικῶς μὲν, ὡς παρὰ Ἰωάννου τοῦ πάπα ἐγράφησαν καὶ εὕρηνται ἐν τῇ ἀρχαιοτάτῃ, ὡς εἴποντες ἔφθημεν, βίβλῳ τῆς ἀποστολικῆς βιβλιοθήκης, παρακειμένης αὐταῖς τῆς Ἑλληνικῆς ἑρμηνείας· ναὶ μὴν καὶ ἑλληνικῶς, ὡς παρὰ Φωτίου παραπεποίηνται, παρακειμένης ὡσαύτως τῆς Λατινικῆς μεταφράσεως· ὅπως ἂν ἐμφανέστερον ἥ τε Φωτίου ῥᾳδιουργία, καὶ ἡ τῶν πραγμάτων ἀλήθεια πᾶσιν ἔκδηλος γένηται.

## JOANNIS PAPÆ VIII. epiſtolæ germanæ, in codice Vaticano repertæ.

*Dilectiſſimis ac excellentiſſimis ſpiritalibus filiis noſtris, Baſilio, Conſtantino & Alexandrino glorioſiſſimis imperatoribus ſemper Auguſtis.*

Extant inſuper Joannis epiſtolæ ... germanæ ... [illegible]

INTER claras ſapientiæ & manſuetudinis veſtræ laudes, o Chriſtianiſſimi principes, aliquod cum puriore luce ſummæ devotionis lumen longe lateque reſplendet, quod amore fidei, quod caritatis ſtudio diſciplinis eccleſiaſticis edocti, Romanæ ſedi reverentiam more præceſſorum veſtrorum piiſſimorum imperatorum conſervatis, & ejus cuncta ſubjicitis auctoritati. Ad cujus auctorem, hoc eſt apoſtolorum omnium principem, domino loquente, præceptum eſt: *Paſce oves meas.* (Joan. 21.) Quam eſſe vere omnium eccleſiarum Dei caput, & beatorum patrum præcipuæ regulæ, & orthodoxorum principum ſtatuta declarant, & pietatis veſtræ reverendiſſimi apices atteſtantur.

## ΙΩΑΝΝΟΥ ΠΑΠΑ ΤΟΥ ΟΓΔΟΟΥ ἐπιστολαί, ὡς αὐθένται ἐφωράθησαν.

Τοῖς ἀγαπητοῖς καὶ ἐξοχωτάτοις πνευματικοῖς ἡμῶν τέκνοις, Βασιλείῳ, Κωνσταντίνῳ καὶ Ἀλεξάνδρῳ βασιλεῦσιν ἐξοχωτάτοις καὶ αἰωνίοις Αὐγούστοις.

ΤΗΣ ὑμετέρας σοφίας τε καὶ πρᾳότητος λαμπραὶ μὲν αἱ εὐφημίαι, χριστιανικώτατοι βασιλεῖς, αὐγὴ δέ τις ἐν ταύταις καθαρωτέρῳ φωτὶ μεγίστης εὐλαβείας πανταχόσε περιαστράπτει, ὅτι πόθῳ περὶ τὴν πίστιν, καὶ ἀγάπης σπουδῇ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παιδείαν ἐκδιδαχθέντες, τῷ Ῥώμης θρόνῳ αἰδῶ καὶ τιμὴν ἀπονέμετε κατὰ τὸ ἔθος τῶν προβεβασιλευκότων εὐσεβεστάτων αὐτοκρατόρων, καὶ πάντα ὑποτάσσετε τῇ ἐκείνου αὐθεντίᾳ. οὗ τινος τῷ καθηγεμόνι, τῷ ἐξάρχῳ δηλαδὴ ξυμπάντων τῶν ἀποστόλων, Χριστοῦ προσφθεγγομένου, κεκέλευσται· ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. ὃν ἀληθῶς δὴ θρόνον εἶναι πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ κεφαλὴν, καὶ τῶν μακαρίων μάλιστα πατέρων οἱ κανόνες, καὶ τῶν ὀρθοδόξων βασιλέων ἐμφανίζουσι τὰ διατάγματα, ναὶ μὴν καὶ τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας αἱ τίμιαι κεραῖαι προσμαρτυροῦσι.

οὐδὲν



ANNO CHRISTI 870.

JOANNES VIII. P. EPISTOLA GERMANA.

οὐδὲν γὰρ ἐν τῷ βασιλεύοντι διαυγέστερον ἐκλάμπει, ὡς εὐσεβὴς διάθεσις, καὶ ὀρθὴ πίστις. ἐπεὶ οὖν τὸ αἰδέσιμον τῆς ἡμετέρας ἀρχιερωσύνης ἐκτενοῦς τοιαύτῃ διανοίας ζέσει, τοιαύτῃ εὐσεβείας σπουδῇ, τοῖς μελιρρύτοις ὑμῶν γράμμασιν ἐκλιπαρεῖτε, ποθοῦντες ὅπερ συντείνειν πεπιστεύκατε πρὸς εἰρήνην καὶ λυσιτέλειαν τῆς ἁγίας τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίας, τοῦτο ἡμᾶς πρέπον ἐκπλέσαι ἀποστολικῷ δικαίῳ, κατιδόντας τοῦ καιροῦ τὴν φορὰν ἢ τὴν ἀνάγκην, συναινοῦντος καὶ συνευδοκοῦντος τοῦ ἐμπιστευθέντος ἡμῖν ἀποστολικοῦ θρόνου. ᾐτήσασθε τοίνυν ἡμᾶς, ἵνα τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας ὑπανοιγούσης τὰ σπλάγχνα τῆς οἰκείας φιλανθρωπίας, Φώτιον τὸν εὐλαβέστατον ἀποδεξώμεθα εἰς πατριάρχου τιμὴν, εἰς ἄκρας ἱερωσύνης ἀξίαν, εἰς συνάφειαν τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ καταλόγου, καὶ μέτοχον αὐτὸν τῆς ἡμετέρας ποιησώμεθα κοινωνίας, μὴ τὴν ἐκκλησίαν ἀνεχόμενοι τοῦ Θεοῦ τοσοῦτον ἤδη χρόνον τεταραγμένην ἐπιπλέον διαμένειν ἐν τῷ σχίσματι καὶ τῇ ζάλῃ τοῦ σκανδάλου. διόπερ ἡμεῖς τῆς ὑμετέρας γαληνότητος τὴν ἱκεσίαν εὐλόγως προσδεχόμενοι, ἐπειδὴ ἔγνωμεν τὸν τῆς μακαρίας μνήμης πατριάρχην Ἰγνάτιον μεταλλαχέναι τὸν βίον, ὑπολογισάμενοι τὸν καιρὸν, οὕτω θεσπίζομεν πρὸς συγγνώμην ἀφορᾶν, ὅπερ ἀρτίως περὶ αὐτοῦ τοῦ Φωτίου, εἰ καὶ αὐτὸς μηδὲν εἰς τὸν ἡμέτερον θρόνον ἀναγαγὼν τῆς ἀπηγορευμένης αὐτῷ ἐργασίας ἐδράξατο, πάντες ἴσασι πεπρᾶχθαι, τοὺς ἀποστολικοὺς θεσμοὺς οὐδαμῶς παραβαίνοντες, ἢ τῶν μακαρίων πατέρων τοὺς κανόνας διαλύοντες, μᾶλλον δὲ ῥητοῖς αὐτῶν πολλαπλασίοις ἐπιθαρροῦντες. προδηλότατα γάρ φασιν ἐν τῷ δευτέρῳ κανόνι τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου. ἐπειδὴ πολλὰ ἤτοι ὑπ' ἀνάγκης, ἢ ἄλλως ἐπειγομένων τῶν ἀνθρώπων, ἐγένετο παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικόν. ὅθεν καὶ Γελάσιος ὁ πάπας φησίν· ὅπου ἀνάγκη οὐ προσβιάζεται, τῶν πατέρων οἱ θεσμοὶ τηρείσθωσαν ἀπαράβατοι. καὶ Λέων ὁ ἅγιος τῷ αὐτῷ διακελεύεται πνεύματι, παραλιμπάνεσθαι, καὶ ἀκατηγόρητον κρίνεσθαι τὸ ὑπὸ τῆς ἀνάγκης ἐπαγόμενον. διὸ καὶ Φῆλιξ ἀρχιερεὺς ἡμέτερος προκάτοχος ἐν τῇ κανονικῇ αὐτοῦ ἐπιστολῇ συμφώνως λέγει, ἄλλως εἶναι μεταχειριστέα τὰ τῆς ἀνάγκης, καὶ ἄλλως τὰ τῆς προαιρέσεως. ἀλλὰ καὶ ἡ ἐν Ἀφρικῇ ἁγία σύνοδος ἐν τῷ λε΄. κεφαλαίῳ, τοὺς κληρικοὺς τῶν Δονατιστῶν διὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας εἰρήνην καὶ χρησιμότητα, εἰ διορθουμένης τῆς βουλῆς πρὸς τὴν καθολικὴν ἑνότητα μετελθεῖν θελήσωσιν, ἐὰν τοῦτο συμβάλλεσθαι τῇ τῶν Χριστιανῶν εἰρήνῃ φανείη, ἐν ταῖς ἰδίαις τιμαῖς ἀναδεχθῆναι κελεύει. οὐχ ἵνα ἡ σύνοδος ἡ ἐν τοῖς περαματικοῖς μέρεσι περὶ τούτου τοῦ πράγματος γενομένη διαλυθῇ· ἐν ᾗ δηλαδὴ συνόδῳ ὡρίσθη, ἵνα οἱ χειροτονηθέντες ἐν τῷ μέρει τῶν Δονατιστῶν, ἐὰν πρὸς τὴν καθολικὴν πίστιν μετελθεῖν θελήσωσι, μὴ δεχθῶσιν ἐν ταῖς οἰκείαις τιμαῖς. περὶ τούτου καὶ Ἰννοκέντιος ὁ μακάριος πάπας ἐν κεφαλαίῳ νε΄. λέγει, τοὺς ὑπὸ Βονώσου τοῦ αἱρετικοῦ χειροτονηθέντας διὰ τοῦτο δεχθῆναι, μὴ ὅπως σκάνδαλον ἐπιμείνῃ τῇ ἐκκλησίᾳ. οὐκοῦν συμφωνούντων τανῦν ὁμοψύχως, καὶ συμψήφων ὄντων τῶν ἄλλων πατριαρχῶν, τοῦ Ἀλεξανδρείας, τοῦ Ἀντιοχείας, τοῦ Ἱεροσολύμων, καὶ πάντων τῶν μητροπολιτῶν, καὶ ἐπισκόπων, καὶ ἱερέων, καὶ παντὸς τοῦ κλήρου τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίας, τῆς χειροτονίας ὄντων Μεθοδίου καὶ Ἰγνατίου τῶν ἐν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ εὐλαβεστάτων πατριαρχῶν, Φώτιον τὸν ῥηθέντα,

Nihil etenim eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quam pia devotio, & recta fides in principe... Et quia pontificii noſtri reverentiam hoc ardore mentis, hoc religionis ſtudio luculenter veſtris melliftuis literis exoratis, quod paci & utilitati ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ creditis expedire; id nos ratione, ſeu temporis neceſſitate inſpecta, cum ſedis apoſtolicæ nobis commiſſæ conſenſu & voluntate perficere jure apoſtolico decet. Igitur petiſtis a nobis, quatenus, ſede apoſtolica ſuæ pandente viſcera pietatis, Photium reverendiſſimum in patriarchatus honore, in ſummi ſacerdotii dignitate, & in eccleſiaſtici collegii ſocietate reciperemus, noſtræque communionis participem faceremus; ne eccleſiam Dei tanto jam tempore perturbatam pateremur amplius manere diviſam, ſcandaloque commotam. Nos itaque ſerenitatis veſtræ preces congrua ratione admittentes, quia Ignatium piæ memoriæ patriarcham de præſenti vita jam migraſſe cognoſcimus, temporis ratione perſpecta, hoc modo decernimus ad veniam pertinere, quod nuper de ipſo Photio, licet ipſe abſque conſultu ſedis noſtræ officium ſibi interdictum uſurpaverit, geſtum conſtat fuiſſe. Nos ſtatutis apoſtolicis non præjudicantes, nec beatorum patrum regulas reſolventes, quin potius multiplicibus earum auctoritatibus freti, qui Nicæni concilii capitulo ſecundo apertiſſime dicunt: Quoniam plura aut per neceſſitatem, aut alias cogentibus hominibus adverſus eccleſiaſticam facta ſunt regulam. Hinc & Gelaſius papa dicit, quod ubi nulla perurget neceſſitas, conſtituta patrum inviolata ſerventur. (Epiſt. 6.) Et ſanctus Leo eodem ſpiritu præcipit omittendum eſſe, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulit. Inde & Felix præſul deceſſor noſter in ſua decretali epiſtola voce conſona dicit, aliter tractandam eſſe neceſſitatis rationem, & aliter voluntatis. (Felix III. epiſt. 6.) Id etiam ſanctum concilium apud Africam geſtum capitulo xxxv. jubet, ut clerici Donatiſtarum in eccleſia propter eccleſiæ pacem & utilitatem, ſi correcto conſilio ad catholicam unitatem tranſire voluerint, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur; non ut concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſolvatur: in quo videlicet concilio ſtatutum eſt, ut ordinati in parte Donati, ſi ad catholicam partem tranſire voluerint, non ſuſcipiantur in honoribus ſuis. De hoc etiam beatus papa Innocentius dicit capitulo LV. quod ii, qui a Bonoſo hæretico ordinati ſunt, propterea ſint recepti, ne ſcandalum remaneret eccleſiæ. (Epiſt. 27.) Nunc itaque aliis patriarchis, Alexandrino videlicet, & Antiocheno, & Hieroſolymitano, atque omnibus archiepiſcopis metropolitis, epiſcopis & ſacerdotibus, cunctoque clero Conſtantinopolitanæ ſedis, qui de ordinatione beatæ memoriæ Methodii & Ignatii reverendiſſimorum patriarcharum exiſtunt, una voluntate, parique voto conſentientibus, eumdem Photium ſatisfaciendo,

miſe-

JOANNIS VIII. P. EPISTOLA GERMANA

miſericordiam coram ſynodo ſecundum conſuetudinem poſtulantem, in vera dilectione fratrem, in pontificali officio comminiſtrum, atque coram ſynodo miſericordiam quærendo in paſtorali magiſterio conſacerdotem, pro eccleſiæ Dei pace & utilitate, amodo, Chriſto favente, recipimus & habemus, Quia & vos Chriſtianiſſimi imperatores Auguſti, qui ſanctæ reipublicæ clementiſſimo affectu gubernatis imperium, pro Chriſto fungi legatione videmini, dum pro pace rogatis eccleſiæ: & nos, quibus ſecundum apoſtolum, omnium eccleſiarum Dei ſolicitudo incumbit, controverſiam aliquam in eccleſia Dei amplius remanere nolentes, hunc ipſum patriarcham cum omnibus ſive epiſcopis, ſive presbyteris, ſeu ceteris clericis, & omnibus laicis, in quos judicii fuerat cenſura prolata, ab omni eccleſiaſticæ ſanctionis vinculo abſolvimus, ſanctæque Conſtantinopolitanæ eccleſiæ judicamus recipere ſedem, dominicique gregis eſſe paſtorem; illa ſcilicet poteſtate fulti, quam eccleſia Dei toto terrarum orbe diffuſa credit nobis, in ipſo apoſtolorum principe, a Chriſto Deo noſtro eſſe conceſſam; eodem ſalvatore beato Petro apoſtolo præ ceteris ſpecialiter delegante: *Tibi dabo claves regni cælorum; & quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Sicut enim ex his verbis nil conſtat exceptum, ſic per apoſtolicæ diſpenſationis officium, & totum poſſumus procul dubio generaliter alligare, & totum conſequenter abſolvere: præcipue cum ex hoc magis præberi cunctis oporteat apoſtolicæ miſerationis exemplum. Nam & legati ſedis apoſtolicæ ab anteceſſore noſtro, Hadriano videlicet almifico præſule, Conſtantinopolim directi, ſynodo ibidem peractæ uſque ad voluntatem ſui pontificis, vigilanti ſtudio ſubſcripſerunt..... nec ab apoſtolico manere: quia ſedes beati Petri cæleſtis regni clavigeri poteſtatem habet, ligata quælibet pontificum congrua æſtimatione abſolvere. Quippe cum conſtet multos jam patriarchas, hoc eſt, Athanaſium & Cyrillum Alexandrinos, Flavianum & Joannem Conſtantinopolitanos, & Polychronium Hieroſolymitanum, ſynodice damnatos, per apoſtolicæ ſedis poſtmodum abſolutionem reſtitutos incunctanter fuiſſe. Eo tamen tenore iſta ſtatuentes, apoſtolica dumtaxat auctoritate, & ſanctorum patrum venerabilibus inſtitutis, decernimus, ut poſt hujus patriarchæ obitum nullus de laicis vel curialibus in patriarchatus eligatur vel conſecretur honore, niſi de cardinalibus, presbyteris & diaconibus Conſtantinopolitanæ ſedis, ſecundum ſacros canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos: quia nec præpropere contra canones eccleſiaſticos, decretaque majorum, cito quilibet lector, cito acoluthus, cito diaconus, cito ſacerdos vel epiſcopus fiat: quia in minoribus officiis, ſi diu perdurent, & vita eorum pariter & obſequium comprobatur:

2. Cor. 5. 2. Cor. 11.

Matth. 16.

A πληροφορίαν διδόντα, καὶ ἔλεον κατὰ τὸ ἔθος αἰτοῦντα ἔμπροσθεν τῆς συνόδου, ἐν ἀληθινῇ ἀγάπῃ ἀδελφὸν, ἐν τῇ ἀρχιερατικῇ ἀξίᾳ συλλειτουργὸν, ἐν τῇ ποιμαντικῇ διδασκαλίᾳ συνιερέα τὸ ἀπὸ τοῦδε, ὑπὲρ εἰρήνης καὶ ὠφελείας τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, διὰ τῆς Χριστοῦ βοηθείας δεχόμεθά τε καὶ ἔχομεν. καὶ ὑμεῖς γὰρ Χριστιανικώτατοι βασιλεῖς Αὔγουστοι, οἱ τῆς ὁσίας πολιτείας τὸ κράτος φιλανθρωπότατα διέποντες, ὑπὲρ Χριστοῦ πρέσβεις εἶναι δοκεῖτε, ἐν ᾧ ὑπὲρ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης καθικετεύετε. καὶ ἡμεῖς δὲ, οἷς κατὰ τὸν ἀπόστολον ἐπίκειται ἡ μέριμνα πασῶν τοῦ Θεοῦ τῶν ἐκκλησιῶν, μηδεμίαν τοῦ λοιποῦ ἀμφισβήτησιν ἐν B τῇ ἐκκλησίᾳ διαμεῖναι βουλόμενοι, αὐτὸν τοῦτον τὸν πατριάρχην μετὰ πάντων εἴτε ἐπισκόπων, εἴτε πρεσβυτέρων, εἴτε ἄλλων κληρικῶν, καὶ μετὰ τῶν λαϊκῶν ἁπάντων, ἐφ᾽ οὓς ἐνέχθη τὸ κρίμα τῆς ἐπιτιμίας, ἀπὸ παντὸς δεσμοῦ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀποφάσεως λύομεν, καὶ λαβεῖν τὸν θρόνον τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἁγίας ἐκκλησίας κρίνομεν, καὶ ποιμένα εἶναι τῆς τοῦ κυρίου ἀγέλης· ἐκείνῃ δηλαδὴ τῇ ἐξουσίᾳ ἐπιστηριζόμενοι, ἣν δέδοσθαι ἡμῖν ἐν αὐτῷ τῷ κορυφαίῳ τῶν ἀποστόλων παρὰ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἡ ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ πεπίστευκε, τοῦ σωτῆρος αὐτοῦ τῷ μακαρίῳ ἀποστόλῳ Πέτρῳ ὑπὲρ τοὺς ἄλλους κατ᾽ ἐξαίρετον ἐπιτρέψαντος ἐν οἷς ἔφη· C σοὶ δώσω τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ὥσπερ γὰρ δῆλον καθέστηκε, μηδὲν τῶν ῥημάτων τούτων ἐξαιρεῖσθαι, οὕτω διὰ τοῦ ἔργου τῆς ἀποστολικῆς οἰκονομίας ἀναμφιβόλως καὶ τὸ πᾶν δυνάμεθα καθόλου δῆσαι, καὶ τὸ πᾶν ἀκολούθως διαλῦσαι· καὶ μάλιστα δέον ἐν τούτῳ μᾶλλον χορηγεῖσθαι πᾶσιν ὑπόδειγμα τῆς ἀποστολικῆς συμπαθείας. καὶ οἱ τοποτηρηταὶ γὰρ τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας, οἱ σταλέντες εἰς Κωνσταντινούπολιν παρὰ τοῦ προκατόχου ἡμῶν Ἀδριανοῦ τοῦ θεσπεσίου ἀρχιερέως, τῇ συστάσῃ ἐκεῖ συνόδῳ μέχρι τῆς τοῦ οἰκείου ἀρχιερέως βουλήσεως ἐπαγρύπνῳ D σπουδῇ ταῖς οἰκείαις συνέθεντο ὑπογραφαῖς...... οὐδὲ παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ μένειν. καὶ γὰρ τοῦ μακαρίου Πέτρου ὁ θρόνος, τοῦ κλειδούχου τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐξουσίαν ἔχει τὰ ὑπὸ ἀρχιερέων δεσμευθέντα, ὁποῖ᾽ ἂν ᾖ, λύειν εὐλόγως διαγνωσθέντα. πρόδηλον γὰρ, ὅτι πολλοὶ πατριάρχαι, οἷον Ἀθανάσιος καὶ Κύριλλος Ἀλεξανδρείας, Φλαβιανὸς καὶ Ἰωάννης Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Πολυχρόνιος Ἱεροσολύμων, συνοδικῶς καθαιρεθέντες, μετὰ ταῦτα διὰ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τῆς λύσεως τυχόντες, ἀνυπερθέτως τοὺς οἰκείους θρόνους ἀπέλαβον. ταῦτα δὲ ὁρίζοντες, ἀποστολικῇ δήπου ἐξουσίᾳ, καὶ τοῖς σεβασμίοις τῶν ἁγίων πατέρων διατάγμασι, θεσπίζομεν οὕτως, ὥστε μετὰ τὴν ἀποβίωσιν τοῦδε τοῦ E πατριάρχου μηδένα ἐκ λαϊκῶν ἢ βουλευτικῶν εἰς τιμὴν πατριαρχικὴν ψηφίζεσθαι ἢ προβιβάζεσθαι, εἰ μὴ ἐκ τῶν καρδιναλίων πρεσβυτέρων τε καὶ διακόνων τοῦ θρόνου Κωνσταντινουπόλεως, κατὰ τοὺς ἱεροὺς κανόνας τοὺς πνεύματι Θεοῦ ὁρισθέντας, καὶ εὐλαβείᾳ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης καθιερωθέντας· ἵνα μήτις ἄφνω ἐναντίον τῶν τῆς ἐκκλησίας κανόνων, καὶ τῶν πατρικῶν διατάξεων, ταχέως ἀναγνώστης, ταχέως ἀκόλουθος, ταχέως διάκονος, ταχέως ἱερεὺς ἢ ἐπίσκοπος χειροτονῆται. ἐν τάγμασι γὰρ αὐτῶν ὑποδεεστέροις χρονιζόντων ὅ, τε βίος δοκιμάζεται καὶ ἡ ὑπηρεσία·

ANNO CHRISTI 870.





ANNO CHRISTI 870.

ὅπως δοκιμασθέντων πρότερον κατὰ τοὺς τεταγμένους ὑπὸ τῶν πατέρων χρόνους τῶν τρόπων, καὶ τῆς καλοκἀγαθίας διαλαμπούσης, τότε εἰς τὸ ἀκρότατον ὕψος τῆς ἀρχιερωσύνης ἀνάγωνται. οὐ δεῖ γὰρ ἀθρόον προαρπάζειν ἢ ἐξιδιοποιεῖσθαι τὸ ὀφειλόμενον τῇ πολυχρονίῳ δοκιμῇ τοῦ βίου. εἰ γὰρ ἐν οἱῳδήποτε τῆς ἐκκλησίας βαθμῷ προνοητικῶς ἐστι φροντιστέον, ἵνα μηδὲν ᾖ ἀσύντακτον ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ κυρίου, πόσῳ μᾶλλον διαπονητέον, ὅπως ἐν τῇ ἐκλογῇ τοῦ ἀνερχομένου ἐπάνω πάντων τῶν βαθμῶν μηδὲν ἐξαμαρτάνηται; τοῦ γὰρ παντὸς οἴκου τοῦ κυρίου σαλευθήσεται ἡ κατάστασις καὶ ἡ τάξις, εἴπερ μὴ προσείη τῇ κεφαλῇ, ὃ ζητεῖται ἐν τῷ σώματι· B καὶ γίνηται ἐκ τούτου τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἁπάσης εὐταξίας κατάλυσις, καὶ ἁπάσης τάξεως σύγχυσις. καὶ διὰ τοῦτο ὅπερ ἡμεῖς νῦν διὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας ἑνότητα καὶ εἰρήνην, ἣν ἡμῖν Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν ἔδωκε φυλακτέαν, ὁπωσοῦν ἀνεχόμεθα συγγνωστὸν εἶναι, ἀνεκδίκητον εἶναι μετὰ ταῦτα οὐ δυνήσεται, εἴ τις τοῦθ᾽ ὅπερ παντελῶς ἀπαγορεύομεν, ὑφαρπάσει. ἡ γὰρ ἄφεσις τοῦ πλημμεληθέντος οὐ δίδωσιν ἐξουσίαν τοῦ αὖθις ἐξαμαρτεῖν· οὐδ᾽ ὅπερ ἅπαξ λόγῳ τινὶ δεδύνηται συγχωρηθῆναι, θεμιτὸν ἔσται εἰς τοὐπιὸν ἀτιμωρήτως γίνεσθαι. ἔτι δὲ ταῦτα, τῆς ὑμετέρας ὑπεροχῆς ταῖς δεήσεσι παρακληθέντες, οὕτω γίνεσθαι προστάττομεν, C ἐὰν αὐτὸς ὁ πατριάρχης τὴν τῶν Βουλγάρων διοίκησιν, ἥν τινα ὁ τῆς ἁγίας μνήμης προηγησάμενος ἡμῶν Νικόλαος, Μιχαὴλ τοῦ βασιλέως αὐτῶν δεομένου, ἀποστολικαῖς ἐδίδαξε διδαχαῖς, καὶ δι᾽ εὐλαβεστάτων αὐτοῦ ἐπισκόπων ἀπέπλυνε τῷ θείῳ λουτρῷ τοῦ βαπτίσματος, καὶ ἐν πάντι ὥσπερ ἐχρῆν ἐκκλησιαστικὸν τύπον καὶ διδασκαλίαν παρέδωκε, τὸ ἀπὸ τοῦδε διεκδικεῖν ἑαυτῷ ἢ σφετερίζεσθαι μηδόλως τολμήσῃ, καὶ οὐδεμίαν ἧστινοσοῦν τιμῆς αὐτόθι χειροτονίαν ποιήσηται. ἀθεμίτως ἐκεῖ ἐχειροτονήθησαν ἐπίσκοποι καὶ ἱερεῖς..... τῷ ἀρχιεπισκόπῳ ἢ τοῖς ἐκεῖ οὖσιν ἐπισκόποις τολμήσῃ αὐτὸς ὁ πατριάρχης ἱερὸν ὠμοφόριον ἀποστεῖλαι, D ᾧ χρῆσθαι τὰ θεῖα ἱερουργοῦντες οἱ ἀρχιερεῖς εἰώθασιν. ἐπεὶ δὲ τοσαύτας πέπονθε ταραχὰς πολὺν ἤδη χρόνον ἡ καθ᾽ ὑμᾶς ἐκκλησία, τὴν αὐτοκρατορικὴν ὑμῶν εὐσέβειαν συντόνως ὑπομιμνήσκομεν, ἵνα τῷ Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχῃ τὴν ἀξίαν ἀεὶ τιμὴν ἀπονέμοντες ὡς πνευματικῷ πατρὶ, καὶ ἐξαιρέτῳ ὑμῶν τε καὶ τοῦ Θεοῦ μεσίτῃ, τά τε θεῖα ὑμῖν ἐπιμελῶς καταγγέλλοντι, δι᾽ ὧν εἰς τὴν ἀΐδιον καταντήσετε βασιλείαν, διὰ παντὸς αὐτὸν σέβησθε καὶ εὐλαβῆσθε, τιμῶντες ἐν ἅπασιν, ὡς εἰκός. ἀντὶ γὰρ προσκαίρου τιμῆς, ἣν αὐτῷ προσάγετε, καὶ τὴν πρόσκαιρον κτήσεσθε E ὑμεῖς ἐνθάδε, καὶ τὴν ἐσαεὶ διαμένουσαν πάντως λήψεσθε πολλαπλασίω, παρ᾽ ἐκείνου δῆλον, ὃς τοὺς αὐτὸν δοξάζοντας ἔφη δοξάσειν. μὴ δὴ οὖν ἀκούειν ἀξιούτω ἡ ὑμετέρα βασιλικὴ μεγαλοπρέπεια τὰς ψιθυρολογίας τῶν ὑποσπείρειν ἐπὶ τὸ ἀειφανὲς τοῦ κυρίου λήϊον τῶν σκανδάλων τὰ ζιζάνια μὴ διαλειπόντων· μηδὲ διὰ τοὺς ψιθυρισμοὺς τῶν τοιούτων, οἳ σπεύδουσι διηνεκῶς τὴν θείαν ἑνότητα διασχίζειν, τὸν χιτῶνα τοῦ κυρίου, τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Χριστοῦ,

A ut per tempora a majoribus inſtituta, comprobatis prius moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad ſummum ſacerdotium poſtmodum veniant: quoniam non eſt ſubito præripiendum, vel uſurpandum, quod vita diu probata meretur accipere. Nam ſi in quibuslibet eccleſiæ gradibus provideater curandum eſt, ut in domini domo nihil ſit inordinatum; quanto magis elaborandum eſt, ut in electione ejus qui ſupra omnes gradus ejus conſtituitur, non erretur? Nam totius familiæ domini ſtatus, & ordo nutabit; ſi quod requiritur in corpore, non ſit in capite; & inde fiat, B ut omnis eccleſiaſtica diſciplina reſolvatur, omnis ordo turbetur. & ideo hoc, quod nos modo pro eccleſiaſtica unitate & pace, quam Chriſtus dominus noſter nobis dedit habendam, utcumque patimur eſſe veniale, inultum poſtmodum eſſe non poterit, ſi quiſquam id quod omnimodo interdicimus, uſurparit: quia remiſſio peccati non dat licentiam iterum delinquendi: nec quod potuit aliqua ratione ſemel concedi, fas erit amplius impune committi. Hoc etiam modo iſta, excellentiæ veſtræ precibus moti, fieri jubemus, ſi ipſe patriarcha Bulgarorum diœceſim, quam piæ memoriæ Nicolaus C præceſſor noſter, Michaele ipſorum rege petente, apoſtolicis doctrinis docuit, & per venerabiles epiſcopos ſuos ſacri lavit unda baptiſmatis, omnique eccleſiaſtica regula & diſciplina, prout oportebat, inſtruxit, amodo ſuo juri vendicare, vel remittere nullo modo præſumpſerit, nec aliquam cujuſcumque honoris ibidem ordinationem fecerit. Ibidem ſunt illicite ordinati epiſcopi, vel ſacerdotes ........ archiepiſcopo, vel epiſcopis, qui ibidem videntur exiſtere, ſacrum pallium, quo inter ſacra miſſarum ſolennia uti pontificibus ſolitum eſt, ipſe patriarcha mittere præſumpſerit. Porro D pro tantis perturbationibus, quibus eccleſia veſtra longo jam tempore manet turbata, veſtræ auguſtali pietati obnixe ſuggerimus, ut Conſtantinopolitanum patriarcham digno ſemper honore venerantes, quaſi patrem ſpiritualem, & utpote inter vos & Deum mediatorem præcipuum, divina vobis, per quæ ad regnum perveniatis æternum, ſedulæ annuntiantem pio ſemper affectu colatis, & , ut condecet, in omnibus honoretis: quia pro temporali, quem illi præbetis, honore, vos & hic temporalem honorificentiam habebitis, & in æternum multiplicem procul dubio recipietis, ab illo nempe qui glorificantes ſe glorificare teſtatur. E Nec eorum verba falſo prolata, qui ſcandalorum zizania ſuper conſpituam ſegetem domini ſeminare non ceſſant, veſtra imperialis dignetur audire majeſtas: nec pro talium ſuſurrationibus hominum, qui ſemper ſtudent ſcindere unitatem Dei, veſtem domini, eccleſiam Chriſti, qui-

JOANNIS VIII. P. EPISTOLA GERMANA

ANNO CHRISTI 870.

JOANNIS VIII. P. EPISTOLA GERMANA

Psal. 13. & 139.

quique linguis ſuis ſemper doloſe agere non ceſſant, venenum aſpidum portantes ſub labiis ſuis, animum clementiæ veſtræ adverſus eum aliquatenus commoveatis, & ſummum ſacerdotem veſtrum Dei providentia in eccleſiæ Chriſti regimine conſtitutum, ſic facile exhonoretis: quod nimirum veſtro ſancto imperio valde inhoneſtum & indecens eſſe videtur. Præterea mandamus etiam, ut omnes epiſcopos & ſacerdotes, ſeu cujuſcumque ordinis clericos, qui de conſecratione Ignatii bonæ memoriæ patriarchæ conſiſtunt, ſive in ipſa regia urbe manentis ſive alicubi extra longe, ſeu prope retruſos, clementi animo ad gremium & unitatem ſanctæ eccleſiæ revocetis, & ulnis extenſis paterno affectu recipiatis & amplectamini, propriaſque unicuique illorum jubeatis reddi ſedes; ut ſicut una eſt fides, unum in nobis baptiſma, & omnes unum ſumus in Chriſto; ita & iſti, qui ad unitatem & ſocietatem eccleſiæ Dei, & corporis Chriſti redierint, & id ipſum dicentes, perfectique exiſtentes in eodem ſenſu & in eadem ſcientia, unus grex efficiantur, & unus paſtor; nec audeant amplius dicere, ego quidem ſum Cephæ, ego Pauli, ego autem Apollo, ſed unius Chriſti veri Dei noſtri, qui eſt pax noſtra, & fecit utraque unum, veniensque cæleſtia cum terreſtribus pacificare dignatus eſt: qui idcirco ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. Nec enim poteſt unitatis eorum firma eſſe compago, niſi eos ad inſeparabilem ſoliditatem vinculum caritatis adſtrinxerit; quatenus, Deo favente, abſque omni perturbatione, vobis regnantibus ſalvi & ſecuri perſiſtentes, pro ſalute veſtra, & pro ſtatu reipublicæ jugibus ſemper votis dominum valeant deprecari. Quod ſi forte quidam extiterint cum eodem patriarcha communicare nolentes, admoneantur ſecundo ac tertio, ut ſanctæ eccleſiæ ſe unire procurent. Quod ſi acquieſcere noluerint, in ſua pertinacia manere volentes, ſacra eos communione his præſentibus miſſis noſtris una cum ſynodo juſſimus privare, quouſque ad ſuum redeant patriarcham, & ad ſanctæ eccleſiæ unitatem ...... cum præcipue ipſi epiſcopi a nobis ſint canonice excommunicati. Et ideo ſi eos in conſortium ſuum receperit, aliquamve cum eis communionem habuerit, ſimili modo eumdem patriarcham cum ipſis epiſcopis eccleſiaſtica communione judicamus eſſe privatum. Data menſe Auguſto, indictione XII.

Epheſ. 4.

καὶ ταῖς ἑαυτῶν γλώτταις οὐ παύονται ἀεὶ λαλεῖν δολίως, ἰὸν ἀσπίδων φέροντες ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν, κινείσθω τῆς φιλανθρωπίας ὑμῶν ἡ γνώμη κατ' ἐκείνου ὁποσοῦν· μηδ' εὐχερῶς οὑτωσὶ ἀτιμαζέσθω ὁ θείᾳ προνοίᾳ μέγας ὑμῖν ἱερεὺς καταστὰς πρὸς διοίκησιν τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας. αἰσχρὸν γὰρ τοῦτό γε καὶ ἀπρεπὲς τῇ ἁγίᾳ διχαρολογείᾳ. παρεγγυώμεθα δὲ πρὸς τούτοις, ἵνα πάντες οἱ ἐπίσκοποι καὶ ἱερεῖς, καὶ οἱουδήποτε τάγματος κληρικοὶ τῆς χειροτονίας ὄντες τοῦ τῆς ὁσίας μνήμης Ἰγνατίου, εἴτε ἐν τῇ βασιλίδι διατρίβοντες, εἴτε ἐκτὸς πόρρω που ἢ ἐγγυτέρω ἐξωθέντες, προσηνῶς παρ' ὑμῶν ἀνακληθῶσιν εἰς τὸν κόλπον καὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἁγίας ἐκκλησίας, προσδεχομένων αὐτοὺς ὑμῶν καὶ περιπτυσσομένων χερσὶν ὑπτίαις, στοργῇ πατρικῇ, καὶ τοὺς οἰκείους ἑκάστῳ τούτων θρόνους ἀποδοθῆναι κελευόντων· ἵν' ὥσπερ μία πίστις καὶ ἓν ἐστὶ βάπτισμα ἐν ἡμῖν, καὶ πάντες ἓν ἐσμεν ἐν Χριστῷ, οὕτως καὶ οὗτοι πρὸς τὴν ἑνότητα καὶ τὸ πλήρωμα τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας καὶ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐπανερχόμενοι, καὶ τὸ αὐτὸ λέγοντες, καὶ τέλειοι ὄντες ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ τῇ αὐτῇ γνώσει, μία ποίμνη γίνωνται καὶ εἷς ποιμήν· καὶ μὴ τολμῶσι τοῦ λοιποῦ λέγειν, ἐγὼ μέν εἰμι Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ, ἀλλ' ἑνὸς Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ὅς ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, καὶ ἐποίησε τὰ ἀμφότερα ἕν, καὶ ἐλθὼν καταλλάξαι τά τε ἐπὶ γῆς καὶ τὰ ἐν οὐρανοῖς οὐκ ἀπηξίωσεν· ὃς διὰ τοῦτο ἐφάπαξ ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ἵνα τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα εἰς ἓν συνάξῃ. οὐ γὰρ δύναται διαμένειν τῆς συναφείας αὐτῶν ἑδραία ἡ συμβίβασις, εἰ μὴ αὐτοὺς συσφίγξῃ ὁ δεσμὸς τῆς ἀγάπης πρὸς στερρότητα ἀδιάσπαστον. οὕτω γὰρ Θεοῦ συνεργοῦντος ἄνευ ταραχῆς οἰκοῦσιν ἐπὶ τῆς βασιλείας ὑμῶν σῶοι καὶ ἀκίνδυνοι διατελοῦντες, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν σωτηρίας καὶ ἀρίστης τῆς πολιτείας ἐκτενέσιν εὐχαῖς ἀεὶ πρὸς τὸν Θεὸν πρεσβεύουσιν. εἰ δέ τινες ἴσως παραιτήσωνται τὴν πρὸς τὸν πατριάρχην κοινωνίαν, δεύτερον καὶ τρίτον νουθετείσθωσαν, ὥστε τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ ἑαυτοὺς ἑνῶσαι. μὴ βουλομένους δὲ συνελθεῖν, ἀλλὰ τῇ οἰκείᾳ ἐμμένοντας ἀπειθείᾳ, παρηγγείλαμεν τοῖς ἡμετέροις ἀποκρισιαρίοις, ἐν ἅμα τῇ συνόδῳ αὐτοὺς ἀφορίσωσι τῆς ἀχράντου μεταλήψεως, ἕως ἂν ἐπιστρέψωσι πρὸς τὸν ἴδιον πατριάρχην, καὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ...... ἄλλως τε τῶν ἐπισκόπων αὐτῶν κανονικῶς παρ' ἡμῶν ἀφορισμῷ ὑποβληθέντων. διὸ εἴ τις αὐτοὺς εἰς κοινωνίαν παραδέξηται, ἢ τῆς πρὸς αὐτοὺς ὁμιλίας ὁπωσδήποτε ἀνθέξηται, παραπλησίως τὸν αὐτὸν πατριάρχην σὺν τοῖς ἐπισκόποις ἐκείνοις κρίνομεν ἐξ ὅλης τῆς ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἀφωρισμένον. ἐδόθη μηνὶ Αὐγούστῳ, ἰνδικτιῶνος ιβ΄.

Miſſa per Petrum presbyterum.

Ἐστάλη διὰ Πέτρου πρεσβυτέρου.

ΙΩΑΝ-



ANNO CHRISTI 870.

JOANNIS VIII. EP. A PHOTIO CORRUPTÆ.

## ΙΩΑΝΝΟΥ ΠΑΠΑ ΤΟΥ ΟΓΔΟΟΥ

ἐπιστολαὶ, ὡς παρὰ Φωτίου ὑπενοθεύθησαν.

*Ἰωάννης δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, τοῖς γαληνοτάτοις ἀγαπητοῖς ἡμετέροις πνευματικοῖς υἱοῖς, καὶ Θεῷ ἠγαπημένοις, Βασιλείῳ, Λέοντι καὶ Ἀλεξάνδρῳ, νικηταῖς, τροπαιούχοις, βασιλεῦσι καὶ αἰωνίοις Αὐγούστοις.*

ΤΟ καθαρὸν καὶ ὑπέρλαμπρον τῆς ἐν τῇ πίστει ὀρθοδοξίας ὑμῶν καὶ τῆς σοφίας, καὶ τὸ ἐν τοῖς τρόποις ὑμῶν κατανοούμενον χρηστὸν καὶ ἐπιεικὲς, ὦ χριστιανικώτατοι καὶ μέγιστοι βασιλεῖς Ῥωμαίων, φωτὸς δίκην ἐν μέσῳ τῆς γῆς ἐκλάμπον, πάντα τὰ πέρατα, εἰς ἃ ἡ οἰκουμένη παρατείνεται, περιαυγάζει. ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἐν μόνῃ τῇ πίστει σεμνυνόμενοι, περὶ τ' ἄλλα εἰς ῥαθυμίαν ἀντὶ τῆς σπουδῆς διάκεισθε· ἀλλ' ἐπὶ τῷ ἀμωμήτῳ θρησκεύματι ὑμῶν ἐποικοδομεῖτε οὐ ξύλον, οὐδὲ χόρτον, οὐδὲ καλάμην, ἀλλὰ λίθους τιμίους, χρυσὸν, ἄργυρον· ἁπλῶς εἰπεῖν, πάντα ὑμῖν μετὰ τῆς ἐν σπουδῇ καλλονῆς * ἐξανύετε, ἐν οἷς γινώσκεται τὸ θεῖον θεραπευόμενον. θεραπεύεσθαι δὲ μάλιστα τὸ θεῖον διαγινώσκεται ἐπὶ τῷ τὰς ἐκκλησίας αὐτοῦ πάσας, ὅσας ὁ ἥλιος ἐφορᾷ, ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους ὁμονοίᾳ καὶ εἰρήνῃ διαπλεούσας, εὐχαριστηρίους αὐτῷ φωνὰς καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀναφέρειν. διὸ ταύτην τὴν ὁμόνοιαν καὶ ἐν τῇ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ ὁρᾶσθαι καὶ πρυτανεύεσθαι ἐπιποθοῦντες, τὴν τῶν Ῥωμαίων ἁγίαν ἐκκλησίαν διὰ τῶν ἀποκρισιαρίων ὑμῶν καὶ θειοτάτων γραμμάτων ὑμῶν κατελάβετε, συνεργὸν εἰς τὸ σπουδαζόμενον ὑμῖν ἐσομένην, καὶ οὐ ῥαθυμοῦσαν πεπιστευκότες· οὐκ αὐτοὶ πρῶτοι ἀρξάμενοι εἰς τοῦτο τὸ ἐπινόημα ἐλθεῖν, ἀλλ' ἔθει τῶν πρὸ ὑμῶν εὐσεβῶς βεβασιλευκότων εἴκοντες καὶ κατακολουθοῦντες. ἀλλὰ γὰρ ἐκ ποίου διδασκάλου ταῦτα παρελάβετε ποιεῖν, ἄξιον διερωτῆσαι. ἢ δῆλον ἐκ τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων Πέτρου, ὃν κεφαλὴν πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τέθεικεν ὁ Χριστὸς εἰπών· ποίμαινε τὰ πρόβατά μου; οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἁγίων συνόδων καὶ διατάξεων· ἔτι δὲ καὶ ἐκ τῶν ἱερῶν καὶ ὀρθοδόξων καὶ πατρικῶν ὁσίων θεσπισμάτων τε καὶ διαταγμάτων, καθὼς καὶ αἱ θεῖαι καὶ εὐσεβεῖς ὑμῶν συλλαβαὶ μαρτυροῦσι. τοῦτο δὲ ποιεῖτε, ἵνα πλέον τὸ στερρὸν τῆς πίστεως ὑμῶν διαβοώμενον ἐκλάμψῃ, καὶ ἡ πρὸς Θεὸν ἀγάπη ἀκέραιος καὶ ἀμάραντος ἀναδειχθῇ. οὐδὲν γὰρ πέφυκεν ἄλλο προσφυέστερον ἢ οἰκειότερον εἶναι τοῖς ἐν ἐξουσίᾳ καὶ μεγίσταις ἀρχαῖς καθεστηκόσιν, ἢ τῇ καλλονῇ καὶ ὡραιότητι τῆς ὀρθῆς πίστεως, καὶ τῇ πρὸς Θεὸν ἀγάπῃ σπουδάζειν σεμνύνεσθαι, καὶ τὸ πάντας ὁρᾷν τοὺς ἐν τῇ αὐτῇ πίστει τῷ Θεῷ λατρεύοντας, τῷ τῆς ἀγάπης συνδέσμῳ περιπλεκομένους τε καὶ συσφιγγομένους. ἐγκύψαντες δὲ τοῖς ὑμῶν γράμμασι, καὶ τοῖς ἐν αὐτοῖς μελιῤῥύτοις φθέγμασι καθηδυνθέντες, καὶ ἐξαφθέντες πυρσοῦ δίκην, καὶ μετὰ πάσης τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγιωτάτης τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας ὁμονοήσαντες καὶ συμφωνήσαντες, διανέστημεν εἰς τὸ τὰ παρ' ὑμῶν ἅπαντα γραφέντα προθύμως καὶ ἐπιχαρῶς πεπληρωμένα δεῖξαι· μάλιστα τοῦ παρόντος καιροῦ ἐπιτηδειοτάτου ἡμῖν, καὶ τῆς τῶν πραγμάτων φορᾶς εἰς τοῦτο γεγονότων. ἐγράψατε υἱοὶ ἡμῶν ἠγαπημένοι, ἵνα ἀποστολικὰ καὶ συμπαθῆ σπλάγχνα ὑπανοίξαντες,

Ve. ἐξανύετε, ἐν οἷς γινώσκεται.

## JOANNIS PAPÆ VIII.

epiſtolæ a Photio corruptæ.

*Joannes ſervus ſervorum Dei, tranquilliſſimis noſtris ſpiritalibus a nobis & a Deo dilectis filiis Baſilio, Leoni & Alexandro, victoribus, triumphatoribus, imperatoribus ſemper Auguſtis ſalutem.*

SINCERITAS & ſplendor orthodoxæ fidei veſtræ ac ſapientiæ; quinimo præſtantia & æquitas veſtrorum morum, Chriſtianiſſimi & maximi imperatores Romanorum, inſtar luminis in medio terræ effulgens, illuſtrat omnes fines orbis terrarum. Quin etiam non ſola fide gloriantes, oſcitanter affecti eſtis in alias res; ſed ſtudium adhibentes, ad ſincerum & ab omni labe purum cultum veſtrum ſuperædificatis non ligna, non fenum, neque ſtipulam, ſed lapides precioſos, aurum, argentum. Et ut ſummatim dicam, perficitis ſtudioſe ac pulcre omnia illa, ex quibus agnoſcitur cultus divini numinis. Maxime autem Dei cultura cognoſcitur in ea re, cum omnes ejus eccleſiæ, quaſcumque ſol aſpicit, in orthodoxa fide, & mutua in ſe pace viventes, gratiarum actiones quotidie Deo referunt. Quamobrem hanc concordiam & in veſtra eccleſia ſervari cupientes, ſanctam Romanam eccleſiam per nuntios & literas veſtras adiiſtis; ſperantes illam non ſegnem, ſed adjutricem futuram veſtris ſtudiis: quippe qui non ipſi primi hoc concilio uti cœpiſtis, ſed eorum qui ante vos pietatem colentes regnaverunt, conſuetudinem ſecuti eſtis. Operæ precium autem eſt conſiderare, ex quonam magiſtro hæc didiceritis. An non manifeſtum eſt, a principe apoſtolorum Petro hæc vobis tradita eſſe, quem caput omnium eccleſiarum poſuit Chriſtus, cum ei dixit: *Paſce oves meas?* non ſolum autem a Petro ipſo, verum etiam a ſanctis ſynodis & conſtitutionibus edocti eſtis: quin etiam a ſacris orthodoxis & patriis edictis ac præceptionibus, quemadmodum divinæ ac piæ veſtræ literæ teſtantur. Hoc autem facitis, ut fidei veſtræ firmitas celebrata magis eluceſcat, veſtraque in Deum caritas ſincera & incorrupta oſtendatur. Nihil enim congruentius aut peculiarius debet eſſe his qui ſunt in poteſtate & maximis imperiis conſtituti, quam in orthodoxæ fidei pulchritudine, & ſinceræ in Deum caritatis ſtudio aſſidue verſari, atque omnes eadem fide Deo ſervientes videre caritatis vinculo conjunctos atque conſtrictos. Veſtras igitur literas attendentes, & mellifluis earum vocibus delectati, ſimulatque accenſi inſtar facis, una cum tota noſtra ſancta Romana eccleſia concordi animo & voce excitati ſumus ad complenda libenter & alacriter omnia illa quæ a vobis ſcripta ſunt; cum præſens tempus maxime nobis opportunum videatur, & ſtatus ipſe rerum nos adhortetur. Scripſiſtis nobis dilecti filii, ut apoſtolica viſcera & miſericordem ſinum aperientes,

Joan. 21.

JOANNIS VIII. EP. A PHOTIO CORRUPTÆ.

A omnes quotquot in veſtra eccleſia propriis manibus ſubſcribentes prævaricationi, aut alio quovis modo canonicis pœnis ſubjecti ſunt, amplectamur, pacis & concordiæ curam gerentes. Quin etiam ante hæc illud poſtulaſtis, ut Photium venerabilem pontificem noſtræ communionis participem atque conſortem & comminiſtrum factum ad magnam ſacerdotii dignitatem & patriarchatus honorem reſtitueremus, ut non amplius eccleſia Dei ſchiſmatum, quæ Deo ſunt inviſa, & pravarum offenſionum aut ſcandalorum fluctuationibus pertubetur. Nos autem veſtræ ſerenitatis ſupplicationem admittentes, ut rationi conſentaneam, juſtam B & Deo gratam; & temporis opportunitatem talem nacti, qualem antea optabamus; conveniens eſſe ducentes eccleſiam Dei pacificare, miſimus legatos noſtros ad implendam petitionem veſtram. ac licet veſtra pietas vim Photio intulerit, & reſtituerit illum ante nos, hoc eſt, priuſquam miſſi a nobis legati iſtuc venirent; nos tamen id curamus, non ex noſtra auctoritate, quamvis faciendi hoc poteſtatem habeamus; ſed ex apoſtolicis conſtitutionibus & paternis decretis demonſtrationes proferentes: non leges eccleſiæ jam olim traditas irritas facientes, C ſed quibus in rebus earum ſeveritas, ſi permaneat immutabilis, integrum eccleſiæ ſtatum diſſipat, atque corrumpit, ad id quod magis expedit, omnia redigere ab eadem edocti. Synodus enim Nicæna ſecundo capitulo dicit: Quoniam ſæpe ſive per neceſſitatem, ſive ex quacumque cauſa urgente homines, contingit eccleſiaſticos canones non ſervari. Gelaſius quoque papa ait: Ubi neceſſitas non eſt propoſita, immutabilia permaneant patrum decreta. Similiter & ſanctiſſimus Leo papa eodem ſpiritu præcipit dicens: Ubi nulla præcedit vis, nullo modo violentur ſanctorum patrum ſtatuta: ubi ve- D ro neceſſitas fuerit & vis, ibi ad utilitatem eccleſiarum Dei, qui poteſtatem habet, ea diſpenſet: ex neceſſitate enim, ut ſentit divinus apoſtolus, fit mutatio legis. Cum his convenit & Felix papa, cum hæc dicit: Illud conſiderare oportet, ubi neceſſitas occurrit, ſæpe conſtitutiones patrum non ſervari. Quinimo Carthaginenſis concilii caput 35. ſic habet: Præcipimus, ut clerici Donatiſtarum in eccleſiam rurſus recipiantur, licet a ſynodo antea depoſiti fuerint. Et ſynodus ſynodum ſolvit propter unitatem & pacem eccleſiæ. Quamobrem & Innocentius papa in quin- E quageſimoquinto capitulo dicit: Qui promoti ſunt a Bonoſo hæretico, recipiantur, ne rurſus ſcandala in eccleſia pullulent. Non ſolum autem pro hæreſi depoſitis hæc apoſtolica ſedes paci eccleſiaſticæ ſtudens, adjutricem manum porrexit; ſed & orthodoxis ſacerdotibus atque patriarchis ad eam confugientibus, ſicut & nunc reverendiſſimus Photius fecit, ejus opem implorantibus ſubvenit. Noſtis omnino quemadmodum magnum Athanaſium Alexandrinum epiſcopum, Cyrillumque & Polychronium Hieroſolymorum epiſcopos,

[illegible]

ANNO CHRISTI 870.

A πάντας τοὺς τῆς καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίας, ὅσοι γεγόνασιν ἢ ἰδιοχείρων ἐν παραβάσει, ἢ ἄλλως πως κανονικαῖς ὑπέπεσον ἐπιτιμίαις, δεξώμεθα, καὶ τῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας φροντίδα ποιησώμεθα· οὐ μὴν ἀλλά γε καὶ πρὸ τούτων Φώτιον τὸν θεοσεβέστατον ἀρχιερέα τῆς πρὸς ἡμᾶς κοινωνίας μέτοχον καὶ κληρονόμον καὶ συλλειτουργὸν ποιήσαντες, εἰς τὸ μέγα τῆς ἀρχιερωσύνης ἀξίωμα καὶ τὴν τιμὴν τῆς πατριαρχείας πάλιν ἀποκαταστήσωμεν· ὡς ἂν μὴ ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ἐπὶ πολὺν χρόνον ταῖς τῶν θεοστυγῶν σχισμάτων καὶ πονηρῶν σκανδάλων τρικυμίαις ταραττομένη διαμένῃ. ἡμεῖς δὲ τῆς ὑμετέρας γαληνότητος τὴν ἱκεσίαν προσδεξάμενοι, ὡς εὔλογον οὖσαν καὶ δικαίαν καὶ θεάρεστον, τόν B τε καιρὸν ἐπιτήδειον ὄντα, οἷον καὶ πρὶν ἐπεζητοῦμεν καὶ ηὐχόμεθα, εὑρόντες· καὶ νομίσαντες ἁρμόδιον εἶναι τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ εἰρηνοποιεῖν, ἀπεστείλαμεν ἀποκρισιαρίους ἡμῶν, ἐκπληροῦντας τὸ θέλημα ὑμῶν. εἰ καὶ ἡ ὑμετέρα εὐσέβεια τὸν ἄνδρα ἐκβιασαμένη ἔφθασεν ἀποκαταστῆσαι καὶ πρὸ ἡμῶν, ἤτοι πρὸ τοῦ παραγενέσθαι τοὺς ἡμετέρους τοποτηρητὰς ἐν τοῖς αὐτόθι. ὅμως ἡμεῖς τοῦτο θεραπεύομεν, οὐκ ἐκ τῆς ἡμετέρας αὐθεντίας, καίπερ ἔχοντες ἐξουσίαν τοῦτο ποιεῖν, ἀλλ' ἐκ τῶν ἀποστολικῶν διατάξεων καὶ πατρικῶν θεσπισμάτων τὰς ἀποδείξεις φέροντες· οὐ τοὺς θεσμοὺς τῆς ἐκκλησίας τοὺς ἀνέκαθεν παραδεδομένους λύοντες, ἀλλ' C ἐν οἷς ἡ τούτων ἀκρίβεια ἀπαράτρεπτος διατηρουμένη διασπᾷ καὶ λυμαίνεται τὴν ὁλοκληρίαν τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, πρὸς τὸ συμφέρον ἄγειν πάντα παρ' αὐτῆς ἐκείνης διδαχθέντες. καὶ ὁ τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου δεύτερος κανὼν οὕτως λέγει· ἐπειδὴ πολλάκις εἴτε ἀπὸ ἀνάγκης, εἴτε ἄλλως πως ἐπειγομένων τῶν ἀνθρώπων, παραβιάζεσθαι τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας συμβαίνει. ἔτι δὲ καὶ ὁ πάπας Γελάσιος περὶ τοῦ αὐτοῦ λέγει, ὅτι ὅπου βία οὐ πρόκειται, ἀμετάτρεπτοι διαμενέτωσαν οἱ τῶν ἁγίων πατέρων θεσμοί. ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ ἁγιώτατος πάπας Λέων ἐν τῷ αὐτῷ διακελεύεται πνεύματι λέγων· ὅπου οὐ προηγεῖται βία, ἀσάλευτοι διαμενέτωσαν οἱ θεσμοὶ τῶν ἁγίων πατέρων· ὅπου δὲ ἀνάγκη D καὶ βία εὑρίσκεται, ἐκεῖ πρὸς τὸ συμφέρον ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ ὁ τὴν ἐξουσίαν ἔχων οἰκονομείτω. ἐξ ἀνάγκης γὰρ, κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον, καὶ νόμου μετάθεσις γίνεται. καὶ Φῆλιξ δὲ ὁ πάπας τούτοις συνηγορεῖ, λέγων καὶ περὶ τούτου χρὴ σκέψασθαι, ἵν' ὅπου ἀπαντήσῃ ἀνάγκη, πολλάκις αἱ συστάσεις τῶν πατέρων παραβαίνωνται. οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Καρθαγένῃ ἐν τῷ λέ. κεφαλαίῳ λέγει· κελεύομεν, ἵνα οἱ κληρικοὶ τῶν Δονατιστῶν πάλιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀνακάμψωσιν, καίπερ πρώην ὑπὸ συνόδου καθαιρεθέντες. καὶ σύνοδος ὁρᾶται σύνοδον λύουσα διὰ τὴν ἕνωσιν καὶ ὁμόνοιαν τῆς ἐκκλησίας. καὶ Ἰννοκέντιος δὲ ὁ πάπας λέ- E γει ἐν τῷ νέ. κεφαλαίῳ· οὗτοι οἱ χειροτονηθέντες ὑπὸ Βονώσου τοῦ αἱρετικοῦ δεχέσθωσαν, ἵνα μὴ πάλιν σκάνδαλα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀναφυῇ. καὶ οὐ μόνον ἐν τούτοις, καίπερ οὖσι τοιούτοις, καὶ ἐξ αὐτῶν οὖσιν τῆς αἱρέσεως, ἡ ἀποστολικὴ αὕτη καθέδρα καθαιρεθεῖσι, τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης φροντίδα ποιουμένη, χεῖρα βοηθείας ὤρεξεν· ἀλλὰ καὶ ὀρθοδόξοις ἱεράρχαις καὶ πατριάρχαις εἰς αὐτὴν καταφυγοῦσιν, ὥσπερ καὶ νῦν ὁ εὐλαβέστατος Φώτιος, τὴν βοήθειαν αὐτῆς ἐπικαλεσαμένοις ἐπήμυνεν. οἴδατε πάντως τὸν μέγαν Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας, Κύριλλόν τε καὶ Πολυχρόνιον Ἱεροσολύμων,

Ἰωάν-



ANNO CHRISTI 870.

Ἰωάννην ὃν ἡ ἀγάπη ὑμῶν Χρυσόστομον ὀνομάζει, καὶ Φλαβιανὸν τὸν Κωνσταντινουπόλεως. τούτους γὰρ ὑπὸ συνόδων καθαιρεθέντας καὶ ἀποκηρυχθέντας, καὶ τὴν ἁγίαν τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν ὑποδραμόντας, ὁ ἀποστολικὸς οὗτος θρόνος συνέστησε, καὶ πρὸς τὴν προτέραν τιμὴν ἐπανήγαγεν. εἰ οὖν οἱ ἐκ Δονατιστῶν, καὶ οἱ ἐκ Βονώσου τὴν χειροτονίαν δεξάμενοι, καὶ τῶν τῆς ὀρθοδόξου ἐκκλησίας περιβόλων ἀπελαθέντες ὑπὸ συνόδου πολυανθρώπου, ὑπὸ ἑτέρας συνόδου δέχονται, καὶ ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν ἱερέων τάττονται, διὰ τὸ τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ ἀδιάσπαστον, καὶ σχισμάτων καθαρὰν καὶ ἐλευθέραν παραμένειν. οὐδὲν γὰρ οὕτω βδελυκτὸν καὶ μεμισημένον τοῖς ὀφθαλμοῖς καθορᾶται τοῦ Θεοῦ, ὡς σχισμάτων ἑσμὸς παρυφιστάμενος ἐν ἐκκλησίαις Θεοῦ· καὶ οὐδὲν τερπνότερον ἢ προσφιλέστερον τῇ αὐτοῦ ἀγαθότητι, ὡς ἐκκλησία τὴν αὐτῆς ὁλοκληρίαν ἔν τε τῇ πρὸς Θεὸν ἀγάπῃ, καὶ τῇ πρὸς τὸν πλησίον ὁμοφροσύνῃ διασώζουσα. πολλῷ μᾶλλον ἄνδρας τοὺς ἐν ὀρθοδόξῳ πίστει διαπρέποντας, βίου τε σεμνότητι καὶ ἀκριβεῖ πολιτείᾳ πεφημισμένους, καὶ σχεδὸν μηδὲ ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε καὶ ἐπιτιμίας ἔργα διαπράξασθαι, οὐ χρὴ παρορᾶσθαι ὡς ὑπευθύνους τῷ τῆς ἐπιτιμίας βαρυνομένους ζυγῷ, ἀλλ' ἐπὶ τὴν προτέραν αὐτοὺς ἐπανάγειν τιμήν. καθάπερ γὰρ ὁ ἀποστολικὸς οὗτος θρόνος λαβὼν τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν παρὰ τοῦ πρώτου καὶ μεγάλου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ, διὰ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου, εἰπόντος πρὸς αὐτόν· σοὶ δώσω τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃν ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένος ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃν ἂν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένος ἐν τοῖς οὐρανοῖς· ἔχει ἐξουσίαν καθόλου δεσμεῖν τε καὶ λύειν, καὶ κατὰ τὸν προφήτην Ἱερεμίαν, ἐκριζοῦν καὶ καταφυτεύειν. διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς τῇ αὐθεντίᾳ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου χρώμενοι, μετὰ πάσης τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας παρεγγυώμεθα ὑμῖν, καὶ δι' ὑμῶν τοῖς τε ἁγιωτάτοις ἀδελφοῖς καὶ συλλειτουργοῖς ἡμῶν πατριάρχαις, Ἀλεξανδρείας, Ἀντιοχείας, Ἱεροσολύμων, καὶ τοῖς λοιποῖς ἀρχιερεῦσί τε καὶ ἱερεῦσι, καὶ παντὶ τῷ πληρώματι τῆς ἐκκλησίας Κωνσταντινουπολιτῶν, ὁμονοῆσαι καὶ ὁμοφρονῆσαι ἡμῖν, μᾶλλον δὲ τῷ Θεῷ ἐν πᾶσιν οἷς ὑμεῖς ἐξῃτήσατε. καὶ πρῶτον μὲν ἀποδέξασθε Φώτιον τὸν θαυμασιώτατον καὶ εὐλαβέστατον ἀρχιερέα Θεοῦ καὶ πατριάρχην, ἀδελφὸν ἡμῶν καὶ συλλειτουργόν, καὶ τῆς κοινωνίας τῆς πρὸς τὴν ἁγίαν τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν σύμμοιρόν τε καὶ συμμέτοχον καὶ κληρονόμον, διά τε τὴν ἄλλην ἀρετὴν τὴν προσοῦσαν αὐτῷ, καὶ τὸ τὰ σκάνδαλα ἐκποδὼν γενέσθαι, καὶ τὸ τὴν εἰρήνην τοῦ Θεοῦ καὶ ἀγάπην τὴν εἰς ἀλλήλους ἐν ὑμῖν φυτευθῆναι. δέξασθε δὲ αὐτὸν ἀδιστάκτῳ γνώμῃ καὶ ἀναμφιβόλῳ, καὶ ἀγάπῃ καὶ πίστει, πάντα κακίας καὶ δολιότητος ἰόν, καὶ διψυχίας καὶ ἀμφιβολίας ἐκ τῶν καρδιῶν ὑμῶν ἀπελαύνοντες, καθὼς αὐτὸν ἀπεδέξατο καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησία. ἀναμανθάνομεν γὰρ σχεδὸν παρὰ πάντων τῶν πρὸς ἡμᾶς ἐκ τῶν αὐτόθι φοιτώντων, τὸν ἄνδρα πᾶσι προτερήμασι τοῖς κατὰ Θεὸν κομᾷν· τοῦτο δὲ μὲν σοφίᾳ καὶ συνέσει τῇ περὶ τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα πάντων διαφέρειν, τοῦτο δὲ περὶ τὴν ἄλλην πρακτικὴν ἀρετὴν καὶ ἐπιμέλειαν τῶν θείων ἐνταλμάτων ἀνεπαίσχυντον ἐργάτην διαβοώμενον· καὶ οὐ δίκαιον ἐκρίναμεν εἶναι, τοιοῦτον καὶ τηλικοῦτον ἄνδρα ἀργὸν καὶ ἄπρακτον διαμένειν,



A & Joannem, quem caritas veſtra Chryſoſtomum vocat, & Flavianum, Conſtantinopolitanos a ſynodo depoſitos atque abdicatos, & ad ſanctam Romanam eccleſiam confugientes apoſtolica ſedes hæc amplexa eſt, & in priſtinum honorem reſtituit. Si igitur qui a Donatiſtis & a Bonoſo ordinationem acceperunt, & a liminibus orthodoxæ eccleſiæ a plenaria ſynodo ſequeſtrati, rurſus ab alia ſynodo recipiuntur, & in catalogo ſacerdotum habentur, ut eccleſia Dei permaneat indiviſa, & a ſchiſmatibus pura & libera. Nihil enim ita execrabile atque exoſum divinis oculis eſſe perſpicitur, ut ſchiſmata B quæ in eccleſiis Dei ſuboriantur: contra nihil jocundius eſt aut gratius ejus bonitati, quam cum eccleſia integram caritatem in Deum, & concordiam ac pacem cum proximo perpetuo conſervat. Multo magis orthodoxa fide inſignes viros, vitæ honeſtate & moribus tam laudabiles, ut ne reprehenſione quidem dignum aliquid commiſerint, non ita contemnere oportet, quaſi correctionis pœnæ ſubjici jugoque gravari debeant, ſed ad priſtinum honorem revocare. Sicut enim apoſtolica ſedes hæc, cum ſemel acceperit claves regni cælorum a primo & magno illo pontifice Jeſu Chriſto per principem apo- C ſtolorum Petrum, cui dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum*; & quemcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatus & in cælis; & quemcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutus & in cælis: habet poteſtatem univerſaliter ligandi & ſolvendi, & ut eſt apud Jeremiam prophetam, evellendi & plantandi: ita & nos ejuſdem poteſtate principis apoſtolorum Petri utentes, cum omni ſancta noſtra eccleſia ſignificamus vobis, & per vos ſanctiſſimis fratribus & conſacerdotibus noſtris patriarchis Alexandriæ, Antiochiæ & Hieroſolymorum, & ceteris archiepiſcopis, epiſ- D copis, & omni plenitudini Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, convenire & nobiſcum ſentire, imo vero cum Deo, in omnibus quæ a nobis poſtulaſtis. Ac primum recipite reverendiſſimum ac ſumme admirabilem virum Photium in patriarcham, fratrem & conſacerdotem noſtrum, communionis cum ſancta Romana eccleſia participem atque conſortem, tum ob ejus virtutes, tum ut ſcandala removeantur, & pax Dei atque caritas mutua in vobis componatur. Recipite igitur illum amota omni ambiguitate ac diſceptatione in caritate & fide, omnem malitiæ ac fraudis livorem, nec non perfidiæ & E hæſitationis, ex veſtris cordibus expellentes, quemadmodum & eccleſia Romana illum recepit. Audivimus enim ab omnibus fere, qui veniunt iſthinc ad nos, virum hunc omnibus virtutibus quæ ſunt ſecundum Deum, florere; ac partim ſapientia, divinarumque & humanarum rerum intelligentia omnibus præſtare; partim vero ea virtute quæ in actione verſatur; & in divinorum præceptorum obſervantia ita celebrem, ut quemadmodum ait apoſtolus, dici poſſit operarius inconfuſibilis. Neque juſtum judicavimus, talem ac tantum virum ſegnem atque otioſum manere,

Matth. 18.

JOANNIS VIII. EP. A PHOTIO CORRUPTÆ.

Sſ 3 ſed

JOANNIS VIII. EP. A PHOTIO CORRUPTÆ.

ſed in ſublimi veſtræ eccleſiæ ſede rurſus collocatum ac fulgentem, ſibi conſueta & Deo accepta, ſacerdotibuſque ac pontificibus ſolita opera perficere. Quamobrem eamdem repetentes orationem, vobis omnibus dicimus: Recipite virum hunc omni prætextu depoſito. Nemo iniquas contra ipſum factas ſynodos excuſationem ſibi paret. Nemo cauſetur, ut quidam faciunt ex eorum numero qui ſimpliciores ſunt, beatorum pontificum prædeceſſorum noſtrorum Nicolai & Hadriani contra ipſum decreta. non enim probata ſunt ab illis quæ contra ſanctiſſimum Photium quidam machinati erant. Nemo contra eum ſubſcriptiones veſtras occaſionem ſchiſmatis adverſus illum & in voſipſos habeat. Omnia enim deſierunt, ac remota ſunt: omnia facta ſunt irrita & inania. Per nos minimos quæcumque ſunt contra eum, in manibus principis apoſtolorum poſita ſunt, & per illum in humeris Jeſu Chriſti agni Dei, qui tollit peccata mundi. Recipite igitur expanſis manibus fratrem noſtrum & conſacerdotem. Recipite pontificem Dei irreprehenſibilem. Recipite patriarcham veſtræ eccleſiæ, confirmate in eum caritatem, fidem; & cum reverentia obedientiam illi, & per ipſum ſanctæ Romanæ eccleſiæ præſtate. Qui enim illum non accipit, is ſcilicet neque illa accipit, quæ a nobis & ſancta Romana eccleſia de Photio ipſo decreta ſunt. neque adverſus nos bellum ſuſcipit, qui hæc facit, ſed contra ſanctiſſimum apoſtolum Petrum, quinimo contra Chriſtum Dei Filium, qui tanto honore & gloria decoravit apoſtolum ſuum, ut conferret poteſtatem ligandi atque ſolvendi. Hortamur autem vos pii imperatores, ut illud etiam recordemini, quam multo tempore ſcandala & ſchiſmata, quæ in eccleſiam veſtram irrepſerunt ejus ipſius integritatem læſerint. Horum autem malorum non alia fuit cauſa, niſi quod vos imperatores blaſphemias & calumnias admittitis contra epiſcopos & patriarchas veſtros & reliquos ſacerdotes Dei; quodque negligenter vos geritis in præſtanda illis fide, caritate, honore ac reverentia. Quamobrem rogamus ſacrum veſtrum imperium, ut poſthac veſtras aures clauſas habeatis ad audiendas pravorum & ſeditionibus gaudentium hominum calumnias, quas inferunt in ſacerdotes Dei: atque ut piaculum & abominabile ſcelus ipſos, & prava ejuſmodi ſermonum eorum jacula omnino averſemini; honoretiſque patriarchas veſtros; & patrum loco illos habentes, ut mediatores Dei & hominum revereamini. Ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, quæ ad ſalutem veſtram pertinent, ſemper a Deo poſtulantes: quin etiam pro peccatis veſtris quæ committitis offendentes Deum, ſacrificia offerunt pro veſtra reconciliatione, placabile vobis numen efficientes. Non ſolum autem hæc faciunt, verum etiam pro ſtabilitate & conſervatione imperii veſtri, pro victoria de hoſtibus & trophæis, & ſalute omnium Chriſtianorum apud benigniſſimum Deum noſtrum intercedunt. Quin etiam interpretes ſunt & doctores ve[illegible], quippe qui vos admonent ea facere,

ANNO CHRISTI 870.

A ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ὑψηλοῦ τῆς καθ᾽ ὑμᾶς ἐκκλησίας πάλιν ἀνατεθέντα καὶ ἀναλάμψαντα, τά τε αὐτῷ συνήθη καὶ Θεῷ φίλα, ἱερεῦσί τε καὶ ἀρχιερεῦσιν * ἔργα διαπράττεσθαι. διὸ πάλιν τὸν αὐτὸν ἐπαναλαμβάνοντες λόγον, πρὸς ὑμᾶς ἅπαντας λέγομεν· δέξασθε τὸν ἄνδρα ἀπροφασίστως. μηδεὶς προφασιζέσθω τὰς κατ᾽ αὐτοῦ γενομένας ἀδίκους συνόδους, μηδείς, ὡς τοῖς πολλοῖς τῶν ἀφελεστέρων δοκεῖ, τὰς τῶν πρὸ ἡμῶν μακαρίων ἀρχιερέων, Νικολάου τέ φημι καὶ Ἀδριανοῦ καταψηφίσεις αἰτιάσθω. οὐ γὰρ ἀπεδέχθησαν παρ᾽ αὐτῶν τὰ κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου τυρευθέντα. * μηδεὶς εἰς τὰς κατ᾽ αὐτοῦ χειρογραφίας ὑμῶν ἀφορμὴν τῶν πρὸς
B αὐτόν τε καὶ πρὸς ἀλλήλους σχισμάτων ποιείτω. πάντα γὰρ πέπαυται καὶ ἐξωστράκισται, πάντα γὰρ τὰ κατ᾽ αὐτοῦ ἠκύρωται καὶ ἠχρείωται. πάντα δι᾽ ἡμῶν τῶν ἐλαχίστων ἐν ταῖς χερσὶ τοῦ κορυφαίου τέθειται, καὶ δι᾽ αὐτοῦ ἐν τοῖς ὤμοις Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀμνοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. δέξασθε οὖν αὐτὸν ὑπτίαις χερσὶν ἀδελφὸν ἡμέτερον καὶ συλλειτουργόν. δέξασθε ἀρχιερέα Θεοῦ ἄμεμπτον. δέξασθε πατριάρχην τῆς καθ᾽ ὑμᾶς ἐκκλησίας. κυρώσατε πρὸς αὐτὸν ἀγάπην, πίστιν, καὶ τὴν μετ᾽ εὐλαβείας ὑπακοήν, καὶ δι᾽ αὐτοῦ πρὸς τὴν ἁγίαν τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν. ὁ γὰρ ἐκεῖνον μὴ
C ἀποδεχόμενος, δῆλον ὅτι οὐδὲ τὰ παρ᾽ ἡμῶν καὶ τῆς ἁγίας τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας περὶ αὐτοῦ ψηφισθέντα δέχεται. καὶ οὐ πρὸς ἡμᾶς ὁ τοιοῦτος τὸν πόλεμον ἀναλαμβάνεται, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἁγιώτατον Πέτρον τὸν ἀπόστολον, μᾶλλον δὲ πρὸς Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν οὕτως τιμήσαντα καὶ δοξάσαντα τὸν αὐτοῦ Ἀπόστολον, ὡς ἔχειν αὐτὸν ἐξουσίαν δεσμεῖν τε καὶ λύειν. καὶ τοῦτο ἀναμιμνήσκεσθαι παρακαλοῦμεν τὴν ὑμῶν βασιλείαν, ἐκ πόσου χρόνου τὰ σκάνδαλα καὶ τὰ σχίσματα ἐν τῇ καθ᾽ ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ παρεισελθόντα, τὴν ταύτης ὁλοκληρίαν λυμαίνεται. τούτων δὲ τῶν κακῶν αἴτιον οὐδὲν ἄλλο καθέστηκεν, ἀλλ᾽ ἢ τὸ παραδέχεσθαι ὑμᾶς τοὺς
D βασιλεῖς βλασφημίας καὶ συκοφαντίας κατὰ τῶν ἀρχιερέων καὶ πατριαρχῶν ὑμῶν, καὶ τῶν λοιπῶν ἱερέων τοῦ Θεοῦ· καὶ τὸ ὀλιγώρως ἔχειν ὑμᾶς περὶ τὴν εἰς αὐτοὺς ἀγάπην, καὶ πίστιν, καὶ τιμήν, καὶ εὐλάβειαν. διὸ ἱκετεύομεν τὸ θεῖον ὑμῶν κράτος, ἀπὸ τοῦ νῦν κλεῖσαι τὰ ὦτα τῆς θεοψηφίστου βασιλείας ὑμῶν ταῖς τῶν πονηρῶν ἐκείνων καὶ χαιρεκάκων ἀνθρώπων κατὰ τῶν ἀρχιερέων τοῦ Θεοῦ διαβολαῖς καὶ συκοφαντίαις· καὶ ὡς ἄγος καὶ μύσος καὶ ἀποτρόπαιον αὐτούς τε, καὶ τὰς πονηρὰς βολίδας τῶν λόγων αὐτῶν ἀποπέμπεσθαι· τιμᾶν τε τοὺς πατριάρχας ὑμῶν, καὶ σέβεσθαι, καὶ ὡς πατέρας οἰκείους λογίζεσθαι,
E καὶ ὡς μεσίτας Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων εὐλαβεῖσθαι. αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, τὰ πρὸς σωτηρίαν ὑμῖν ἀεὶ ἐξαιτούμενοι παρὰ Θεοῦ· ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν ὡς εἰκὸς σφαλλομένων ὑμῖν ἐν προσκρούσματι Θεοῦ, θυσίας αὐτῷ προσφέρουσιν ὑπὲρ τῆς πρὸς ὑμᾶς καταλλαγῆς, εὐίλατον ὑμῖν τὸ θεῖον καθιστῶντες. οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ εὐσταθείας καὶ διαμονῆς τοῦ κράτους ὑμῶν, καὶ τῆς κατ᾽ ἐχθρῶν νίκης καὶ τροπαιοφορίας, καὶ σωτηρίας πάντων τῶν Χριστιανῶν, αὐτοὶ πρὸς τὸν φιλάνθρωπον Θεὸν ἡμῶν πρεσβεύουσιν, ἀλλὰ καὶ εἰσηγηταὶ καὶ διδάσκαλοι ὑμῶν χρηματίζουσιν, ἐν οἷς παραινοῦσι πράττειν ὑμᾶς ταῦτα,

ἃ καὶ

* λείπ. ἐπίκειται

* Ἴσ. μηδεὶς τὰς κατ᾽



ANNO CHRISTI 870.

ἃ καὶ τὴν ἐν οὐρανοῖς βασιλείαν ὑμῖν προξενοῦσι. πρὸς τούτοις καὶ φιλοῦντες ὑμᾶς ὑπὲρ τοὺς ἄλλους γινώσκονται. οὐ γὰρ τὴν κολάκων φιλίαν ἐπίστανται φιλεῖν ὑμᾶς, ἀλλ᾽ ἣν ἐδίδαξεν αὐτοὺς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς διὰ τῶν ἁγίων αὐτοῦ ἀποστόλων. οὐ χρὴ οὖν παροράσθαι τοὺς πατριάρχας ὑμῶν διά τε τὰ ἄλλα, ἃ προείπομεν, καὶ διὰ τὸ οὕτως ὑμᾶς φιλεῖν, ὡς ὁ κύριος ἐνετείλατο, καὶ γινώσκετε, ὅτι τοῦτο ποιοῦντες καὶ εὐλαβῶς εἰς αὐτοὺς διακείμενοι, οὐκ αὐτοὺς τιμᾶτε καὶ σέβεσθε, ἀλλὰ τὸν ταῖς ἐκείνων χερσὶν ἱερουργούμενον, καὶ ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς ἁμαρτίας προσφερόμενον τῷ Θεῷ καὶ πατρί. ὁ γὰρ ἐκείνους τιμῶν, τὸν Θεὸν τιμᾷ· καὶ ὁ ἐκείνους ἀποστρεφόμενος, τὸν Θεὸν ἀποστρέφεται. τὰς ψευδεῖς οὖν κατ᾽ αὐτῶν ὁμιλίας καὶ ψιθυρισμούς, δι᾽ ὧν τὰ ζιζάνια καὶ σχίσματα καὶ σκάνδαλα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ παρεισφέρονται, καὶ μερίζουσι τὸν ἄνωθεν ὑφαντὸν χιτῶνα τοῦ Χριστοῦ, ὡς ἰὸν ἀσπίδων ἡ ὑμετέρα εὐσεβὴς ἐκτρεπέσθω βασιλεία· καὶ μᾶλλον συναγωνιζέσθω τῷ ἁγιωτάτῳ Φωτίῳ τῷ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ ἡμῶν εἰς πᾶν ὃ συντελεῖ εἰς καταρτισμὸν τῆς ἐκκλησίας. ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀτιμάζοντας αὐτὸν ἐπίπληττε, ἵνα σωφρονῶσιν. οὓς γὰρ πολλάκις ὁ τοῦ Θεοῦ φόβος καὶ ἡ πρὸς τὰ θεῖα εὐλάβεια οὐκ ἐσωφρόνισε, βασιλέων καὶ ἡγεμόνων καὶ ἀρχόντων ἀγανάκτησις ἐπελθοῦσα ἐπιεικεστέρους εἰργάσατο. καὶ τοῦτο ποιῶν δὲ ἴσθι προμνηστευόμενος σεαυτῷ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, καὶ τὴν εἰσαεὶ τοῦ κράτους διαμονήν, καὶ τὴν εἰρηναίαν τῆς βασιλείας ὑμῶν κατάστασιν· ἐπεὶ ἐὰν τοῦτο μὴ ποιῆτε, γινώσκετε, ὅτι οὐδέποτε σχίσματα λήξουσιν ἐν τῇ τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίᾳ. καὶ τοῦτο θεσπίσαι παραινοῦμεν τὴν ὑμῶν θεοφρούρητον βασιλείαν, ἵνα μετὰ τὴν ἀποβίωσιν τοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν καὶ ἀδελφοῦ μηδεὶς ἀπὸ κοσμικῶν ἀξιωμάτων εἰς τὴν ἀρχιερατικὴν τάξιν ψηφίζηται καὶ χειροτονῆται, ἀλλ᾽ ἢ ἐκ τῶν πρεσβυτέρων τῶν καρδιναλίων, ἤγουν τῶν ἐγκαταλεγμένων ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἢ ἐκ τῶν ταύτης διακόνων, ἢ ἐξ ἄλλων ἱερέων τῶν τελούντων ὑπὸ τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως, κατὰ τοὺς θείους καὶ ἱεροὺς κανόνας· ὡς ἂν μὴ ἐναντίως τῇ ἐκκλησιαστικῇ εὐταξίᾳ, καὶ τοῖς πατρικοῖς κανόσι τὰ καθ᾽ ὑμᾶς διαπράττηται. προέρχεσθαι δὲ τὸν τοιοῦτον βουλόμεθα καθ᾽ ἕκαστον βαθμὸν τῆς ἐκκλησίας δοκιμαζόμενον· πρῶτον ἀναγνώστην, ἔπειτα ἀκόλουθον, εἶτα διάκονον, αὖθις πρεσβύτερον, μετὰ ταῦτα ἐπίσκοπον· δηλονότι μεμαρτυρημένον ἐπ᾽ εὐλαβείᾳ καὶ λόγων μελέτῃ. ὅτι ἐν τοῖς ὑποδεεστέροις τάγμασι τοῦ τοιούτου χρονίζοντος, δοκιμάζεται ἥτε ἀρετὴ αὐτοῦ καὶ ἡ λοιπὴ καλοκἀγαθία. καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ δεῖ τοὺς καθ᾽ ὑμᾶς πατριάρχας προέρχεσθαι, καὶ μὴ αἰφνίδιον προαρπάζειν ἕκαστον βαθμόν· ἵνα ἐν τῷ οἴκῳ κυρίου μηδὲν εὑρεθῇ ἀσύνθετον, μήτε ἄτακτον. ὁ γὰρ ἐπάνω πάντων τῶν βαθμῶν ἀνερχόμενος, ἀκατάγνωστος ἐν πᾶσιν ὀφείλει εὑρίσκεσθαι· μή πως ἐκ τούτου κατάλυσις ἀναφυῇ πασῶν τῶν ἐκκλησιαστικῶν διδαχῶν. καὶ μὴ διότι ἡμεῖς πρόνοιαν ποιούμενοι καὶ φροντίδα τῆς ἐν τῇ καθ᾽ ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ εἰρηνικῆς καταστάσεως, Φώτιον τὸν θεοσεβέστατον ἀδελφὸν ἡμῶν ἀπεδεξάμεθα, ὥσπερ καὶ ὁ πάλαι Ἀδριανὸς Ταράσιον τὸν αὐτοῦ θεῖον, ἤδη τοῦτο ὑμῖν εἰς συνήθειαν καὶ κανόνα λογιζέσθω.

JOANNIS VIII. EP. A PHOTIO CORRUPTÆ.

A quæ regnum etiam illud quod in cælis eſt, vobis concilient. Ad hæc ipſi vos diligere comprobantur pluſquam alii. Non enim ſciunt diligere eo modo, quo adulatores diligunt; ſed dilectionem illam præſtant, quam Jeſus Chriſtus per ſanctos apoſtolos ſuos eos docuit. Non ſunt igitur vobis contemnendi patriarchæ veſtri, tum ob alia omnia quæ prædiximus, tum quod vos ita diligant, ut dominus præcepit. Illud etiam ſcitote, quod cum hoc facitis, & reverenter in ſacerdotes Dei vos geritis, non eos honoratis & reveremini, ſed illum ipſum qui eorum manibus ſacrificatur, & pro omnium
B peccatis offertur Deo & patri. Qui enim illos honorat: Deum honorat: qui autem averſatur illos, averſatur Deum. Falſa igitur contra ipſos colloquia, ſuſurros atque obtrectationes, quibus zizania, ſchiſmata & ſcandala inferuntur in eccleſias Dei, & ſcinditur deſuper contexta Chriſti tunica, imperii veſtri pietas ut venenum aſpidum averſetur; & concertet potius cum ſanctiſſimo Photio fratre & conſacerdote noſtro ad omnia illa quæ pertinent ad reſarciendum eccleſiæ ſtatum. Caſtiget etiam illos qui illum deſpiciunt, ut modeſte ſe gerant. Quos enim ſæpe Dei timor & divinarum rerum reverentia non corre-
C xit, eos regum, ducum & principum indignatio modeſtiores effecit. Quod ſi vos feceritis, ſcitote illud futurum, ut concilietis vobis regnum cælorum, perpetuam imperii veſtri ſtabilitatem, & pacificum regni ſtatum. Sin minus, ſcitote numquam defutura ſchiſmata in eccleſia Conſtantinopolitana. Illud etiam admonemus veſtrum a Deo cuſtoditum imperium ſanciat, ut poſt mortem ſanctiſſimi Photii fratris & conſacerdotis noſtri nullus ex mundanis dignitatibus ad patriarchalem ordinem promoveatur & ordinetur, ſed ex presbyteris cardinalibus ejuſdem eccleſiæ, vel diaconis, aut ex aliis ſacerdotibus qui
D ſub eccleſia Conſtantinopolitana conſiſtunt, ut divini & ſacri canones præcipiunt: ne ſcilicet contra rectam eccleſiaſtici ordinis conſtitutionem & paternos canones aliquid apud vos agatur. Volumus autem, ut talis promoveatur per ſingulos gradus eccleſiaſticos probatus; ut ſit primum lector, deinde acoluthus, poſtea diaconus, tum presbyter, poſt hæc epiſcopus: cujus videlicet pietas & diſciplinæ meditatio teſtimoniis comprobata ſit. Nam per inferiores ordines diu progrediendo, virtus & probitas ejus probatur. Hoc modo veſtros decet patriarchas promoveri, non repente præripere
E ſingulos gradus; ut in domo Dei nihil inveniatur incompoſitum aut inordinatum. Qui enim ſupra omnes gradus aſcendit, in omnibus ſine culpa debet inveniri; ne ſcilicet ex ea re totius eccleſiaſticæ diſciplinæ oriatur diſſolutio. Neque quoniam nos providentiam & curam gerentes pacifici veſtræ eccleſiæ ſtatus, Photium religioſiſſimum fratrem noſtrum recipimus, ſicut & Hadrianus papa Taraſium ejus patruum recepit, propterea hoc vobis pro conſuetudine & canone futurum eſt.

Privi-

JOANNIS VIII. EP. A PHOTIO CORRUPTÆ.

Privilegia enim paucorum communem legem non faciunt. Nam a domino Jeſu Chriſto viſcera miſericordiæ accipientes, compaſſi ſumus vobis in hac parte; & petitionem veſtram de hoc, ſicut & de aliis ſacerdotibus qui ſunt ex alia ordinatione, complevimus. Si quis vero tale quid poſthac facere præſumpſerit, ſine venia erit illi ex canone & nobis pœna atque condemnatio. Petimus etiam hoc a veſtra pietate; ut neque frater & conſacerdos noſter ſanctiſſimus Photius, neque quiſquam alius ejus ſucceſſor ex hoc tempore ordinationem faciat in Bulgaria; neque propria manu, neque per pallii miſſionem; neque vendicet ſibi prædictam provinciam Bulgarorum, quaſi ad illum pertineat. In alieno enim fundamento non decet alios ſuperædificare. ſiquidem beatæ memoriæ præceſſor noſter Nicolaus rogatus a principe Bulgariæ Michaele, apoſtolicam doctrinam gentem illam erudivit, & per reverendiſſimos epiſcopos ſuos baptizavit; omneſque eccleſiaſticas formas atque canones, quæque pertinent ad Chriſtianorum religionem, omnia perfecte illis tradidit: licet quidam abripuerint a nobis provinciam nulla ratione ad ipſos pertinentem; qui & ordinationes, conſecrationeſque eccleſiarum, & ut ſummatim dicam omnia fecerunt, quæ non erant facienda. Quamobrem hoc etiam præter jam dicta admonemus, ut cum nos eos qui nunc ſunt illorum epiſcopi, criminis alicujus reos deprehenderimus, & canonicis cenſuris ac pœnis ſubjicimus, non habeant vos patrocinium, ad quos confugiant; ſed inveniamus vos nobiſcum ad id collaborantes, a nobis non diſſentientes, ſed ſequentes nos. Præterea hortamur vos Chriſti amantes imperatores, ut congregetis epiſcopos, presbyteros, & cujuſcumque ordinis, ſive eccleſiaſtici, ſive politici illi ſint, qui videantur a vobis diſſidere, ubicumque conſtiterint intra veſtros fines: illos inquam, ad vos congregate, & admonete, ut ad unionem eccleſiæ Dei revertantur, & Photii ſanctiſſimi patriarchæ fratris & conſacerdotis noſtri. Quibus ad unionem redeuntibus pontificales ſuos & ſacerdotales honores & gradus reddetis, viſcera miſericordiæ illis aperientes: ut ſicut eſt unus Deus, unum baptiſma, una fides, & noſipſi unum ſumus in Chriſto; ita & ipſi per veſtram divinam doctrinam & admonitionem unum nobiſcum ſint in plenitudine eccleſiæ Chriſti, conſtructi, compacti & connexi nobiſcum in ſanctiſſimo Chriſti corpore: ut eadem mente & voluntate viventes glorificemus Deum qui eſt ſuper omnia; & nemo de cetero dicat: *Ego ſum Cepha, ego Pauli, ego vero Apollo*: ſed omnes idem dicamus, quod omnes Chriſti ſumus, crucifixi & mortui pro nobis omnibus, qui per paſſionem ſuam pacificavit & reconciliavit quæ in terris, quæque in cælis ſunt; & coaptavit nos & colligavit per ſeipſum Deo & Patri, mutuaque inter nos caritate atque communione. Quod ſi vobis illos congregantibus, admonentibus atque hortantibus ad unionem eccleſiæ

ANNO CHRISTI 870.

τὰ γὰρ σπάνια ἀγαθὰ οὐ δύναται νόμος εἶναι τοῖς πολλοῖς. ἀπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Χριστοῦ σπλάγχνα καὶ αὐτοὶ συμπαθείας δεξάμενοι, συνεπαθήσαμεν ὑμῖν ἐν τούτῳ τῷ μέρει, καὶ τὸ αἴτημα ὑμῶν καὶ περὶ τούτου, ὥσπερ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἱερέων τῶν ἐξ ἑτέρας χειροτονίας ὄντων ἐπληρώσαμεν. ὅστις δὲ ἀπὸ τοῦ νῦν τολμήσει τοῦτο διαπράξασθαι, ἀσυγχώρητος αὐτῷ ἔσται ἡ ἐκ τοῦ κανόνος καὶ παρ᾽ ἡμῶν ἐπιτιμία καὶ κατάκρισις. ἀξιοῦμεν δὲ καὶ τοῦτο τὴν ὑμῶν εὐσέβειαν, μήτε ὁ ἀδελφὸς καὶ συλλειτουργὸς ἡμῶν Φώτιος ὁ ἁγιώτατος, μήτε τις τῶν αὐτοῦ διαδόχων ἀπὸ τοῦ νῦν χειροτονήσῃ εἰς Βουλγαρίαν, μήτε αὐτοχειρίᾳ, μήτε δι᾽ ὠμοφόρου ἀποστελλομένου· μήτε διεκδικῇ τὴν εἰρημένην ἐπαρχίαν τῶν Βουλγάρων, ὡς ἰδίαν αὐτοῦ. ἐπ᾽ ἀλλοτρίῳ γὰρ θεμελίῳ οὐ δεῖ ἐποικοδομεῖν ἄλλους. ὁ γὰρ ἐν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ ὁ προηγησάμενος ἡμῶν Νικόλαος ταῖς δεήσεσι τοῦ ἄρχοντος Βουλγάρων Μιχαὴλ, ἀποστολικαῖς διδαχαῖς τὸ τοιοῦτον διέθρεψεν ἔθνος, καὶ διὰ τῶν εὐλαβεστάτων αὐτοῦ ἐπισκόπων ἐβάπτισε· καὶ πάντας τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς τύπους καὶ κανόνας, καὶ ὅσα εἰς τὴν τῶν Χριστιανῶν θρησκείαν συντελεῖ, παραδεδωκὼς ἐτελείωσεν· εἰ καί τινες τολμηρῶς ἀφήρπασαν ἀφ᾽ ἡμῶν τὴν μὴ προσήκουσαν αὐτοῖς ἐπαρχίαν, καὶ χειροτονίας, καὶ καθιερώσεις ἐκκλησιῶν, καὶ ἁπλῶς πάντα ὅσα οὐκ ἐχρῆν, ἐποίησαν. διὸ πρὸς τοῖς εἰρημένοις καὶ τοῦτο ὑμῖν παρεγγυώμεθα, ἵνα ὅταν ἡμεῖς τοὺς νῦν ἐπισκοποῦντας * εἰς αὐτοὺς ἐγκλήματι ἑαλωκότας φωράσωμεν, καὶ κανονικοῖς ἐπιτιμίοις ὑποβάλωμεν, μὴ εὑρίσκωσιν ὑμᾶς καταφύγιον· ἀλλ᾽ ἵνα εὕρωμεν καὶ ὑμᾶς εἰς τοῦτο συμπνέοντας καὶ κατακολουθοῦντας ἡμῖν, καὶ μὴ διαφωνοῦντας. ἔτι δὲ παρακαλοῦμεν τὴν φιλόχριστον ὑμῶν βασιλείαν, ἵνα συνάξητε τοὺς ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους, καὶ τοὺς οἱουδήποτε τάγματος, εἴτε ἐκκλησιαστικοῦ, εἴτε πολιτικοῦ, τοὺς δοκοῦντας ἀφ᾽ ὑμῶν ἀποδιΐστασθαι, ὅπου δ᾽ ἂν ὦσιν ἐντὸς τῶν ὑμετέρων ὁρίων, καὶ ἀγάγητε αὐτοὺς πρὸς ὑμᾶς, καὶ παραινέσητε ἑνωθῆναι αὐτοὺς τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, καὶ Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ, ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ ἡμῶν. καὶ ἑνουμένων αὐτῶν, τὰς οἰκείας ἀρχιερατικὰς τιμὰς καὶ τοὺς βαθμοὺς ἀποδώσετε, σπλάγχνα οἰκτιρμῶν εἰς αὐτοὺς ἀνοίγοντες. ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐστὶν εἷς Θεὸς καὶ ἓν βάπτισμα, καὶ μία πίστις, καὶ αὐτοὶ ἡμεῖς ἓν ἐσμὲν ἐν Χριστῷ· οὕτω καὶ αὐτοὶ διὰ τῆς ὑμετέρας θείας διδασκαλίας καὶ παραινέσεως ἓν σὺν ἡμῖν ἔσονται ἐν τῷ πληρώματι τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ, συναρμολογούμενοι καὶ συμβιβαζόμενοι σὺν ἡμῖν εἰς τὸ τοῦ Χριστοῦ πανάγιον σῶμα· ἵνα ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ ἐν τῷ αὐτῷ θελήματι διατελοῦντες δοξάζωμεν τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν, καὶ μηδεὶς τοῦ λοιποῦ λέγῃ· ἐγὼ μέν εἰμι Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Παύλου, ἐγὼ δὲ Ἀπολλώ· ἀλλ᾽ ἵνα πάντες ταὐτὸ λέγωμεν, ὅτι Χριστοῦ ἐσμὲν πάντες τοῦ σταυρωθέντος καὶ ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν, τοῦ διὰ τοῦ πάθους αὐτοῦ εἰρηνοποιήσαντος καὶ καταλλάξαντος τά τε ἐπὶ γῆς, καὶ τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ συνάψαντος ἡμᾶς καὶ συνδήσαντος δι᾽ ἑαυτοῦ τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ, καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους ἀγάπῃ καὶ κοινωνίᾳ. ἐὰν δὲ ὑμῶν συναγόντων αὐτοὺς καὶ προσκαλουμένων, προτρεπομένων τε καὶ παρακαλούντων εἰς τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας, συμβι-



ANNO CHRISTI 870.

συμβιβασθῆναι ὑμῖν, οὐχ ἅπαξ καὶ δὶς, ἀλλὰ καὶ πολλάκις, μὴ βουληθῶσιν ἡμῖν ὑπακοῦσαι, μήτε τοῖς ἡμετέροις γράμμασι πειθαρχῆσαι, καὶ τὴν οἰκείαν καρπώσασθαι σωτηρίαν, ἀλλ᾽ ἐν τῇ προτέρᾳ αὐτῶν αὐθαδείᾳ καὶ ἀλαζονείᾳ διαμένωσι, τούτους κελεύομεν τῆς ἀχράντου μεταλήψεως τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀλλοτρίους εἶναι, ἕως ἂν ἑνωθῶσι τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ καὶ Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ, τῷ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ ἡμῶν. καὶ εἶθ᾽ οὕτως τὰ λοιπὰ τῆς δικαίας αὐτῶν καταδίκης ἐν μὲν τοῖς πρὸς ὑμᾶς γράμμασιν οὐκ ἐγράψαμεν, ἵνα μὴ πλέον τοῦ μέτρου μηκυνθῇ· ἀλλ᾽ ἐν κομμονιτωρίῳ γράψαντες, διὰ τοῦ θεοσεβεστάτου Πέτρου πρεσβυτέρου καὶ καρδιναλίου καὶ ἀποκρισιαρίου ἡμῶν ἀπεστείλαμεν τοῖς περὶ Εὐγένιον καὶ Παῦλον θεοσεβεστάτοις ἐπισκόποις· ἵνα σὺν αὐτοῖς καθίσας ἅμα τῇ ἐνδημούσῃ συνόδῳ, καὶ τῷ ἁγιωτάτῳ πατριάρχῃ Φωτίῳ τῷ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ ἡμῶν, τὸν τὰ πάντα ἐφορῶντα ἀνύστακτον ὀφθαλμὸν πρὸ τῶν οἰκείων ὀφθαλμῶν ἔχοντες, καὶ τὴν ἀναπόδραστον παρὰ Θεοῦ δίκην, καὶ τὴν συνείδησιν αὐτῶν ἀνεπιθόλωτον καὶ ἀνακρωτηρίαστον συντηροῦντες, πάντα τὰ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν Κωνσταντινουπολιτῶν πράγματα, τά τε νῦν ἐπιδεόμενα διορθώσεως, καὶ τὰ ὡς εἰκὸς ἀνακύπτειν μέλλοντα, ἐπὶ τῷ καλῷ καὶ συμφέροντι τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ διαπράξωνται. τὸ θεοσεβὲς κράτος ὑμῶν ὁ οὐράνιος φυλάξαι βασιλεὺς, καὶ πάντων τῶν ἐθνῶν τοὺς αὐχένας τοῖς ὑμετέροις ποσὶν ὑποτάξαι.

Πᾶσι τοῖς εὐσεβεστάτοις καὶ ἁγιωτάτοις ἐπισκόποις καὶ συναδέλφοις τοῖς ὑπὸ τὸν θρόνον τελοῦσι τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίας, καὶ ταῖς λοιπαῖς τρισὶ πατριαρχικαῖς ἐκκλησίαις.

ΕΚΟΜΙΣΑΜΕΘΑ, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, ἅπερ ἐξ ὑμῶν τινες ἀπέστειλαν γράμματα, καὶ τὴν ἐν τῷ μέρει Φωτίου συμφωνίαν τε καὶ ὁμόνοιαν ἐν αὐτοῖς καθαρῶς εὕρομεν. διόπερ πάνυ σφόδρα ποθοῦντες, ἵν᾽ ὅπερ ἐς τόδε μερικῶς, τοῦτο κανονικῶς ἀεὶ καὶ καθόλου, κατά τε τὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ οὐχὶ τὰ ὑμέτερα, εὐσεβεῖ γνώμης διαθέσει τὸ αὐτὸ φρονοῦντες, ἵνα μὴ σχίσμα ᾖ ἐν ὑμῖν, ζητῆτε, κρούητε, καὶ εὑρίσκητε· τῇ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου συμπαθείᾳ ἡμεῖς ὥσπερ ἐπὶ τοῖς διὰ φιλονεικίαν διεστῶσι, καὶ τοῖς διὰ πλάνην διεσχισμένοις ἀλγοῦμεν, οὕτω χαίρομεν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης, καὶ τῇ στερεᾷ συναρμογῇ τῆς ἀγάπης τὴν ὑμῶν ἀδελφότητα συνέχεσθαι ἀδιαλείπτως ἐν ἀκεραιότητι. φρονεῖτε τὸ αὐτὸ κατὰ τὸν ἀπόστολον, καὶ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἔσται μεθ᾽ ὑμῶν. ἐν ᾧ δὲ συντόνῳ φροντίδι αἰτεῖται ἡ ὑμετέρα ἀγάπη, ὅπως δι᾽ αὐθεντίας τοῦ μακαρίου ἀποστόλου καὶ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου κατανεύσωμεν ὑμῖν Φώτιον τῆς βασιλίδος Κωνσταντινουπόλεως εἶναι πατριάρχην, ἐκεῖνο ταῖς ὑμῶν διανοίαις φωτὸς λαμπρότερον κατέχετε, ὅπερ ὁ κύριος τῷ ἀρχιποίμενι ἐν τῷ εὐαγγελίῳ φησίν· ἐδεήθην περὶ σοῦ Πέτρε, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. ταύταις ἀναφλεγόμενοι ταῖς παραινέσεσι, μᾶλλον δὲ ἐνδυναμούμενοι, ἐφ᾽ ὅσον δυνάμεθα προσβοηθεῖν, ἐν μηδενὶ ἀξιολόγῳ προσκρούοντες, πᾶσί τε τοῖς ἱερεῦσι τοῦ κυρίου, καὶ τῷ καθ᾽ ὅλην τὴν οἰκουμένην χριστωνύμῳ λαῷ, οὐδέποτε διαλείπομεν, ἑπόμενοι τῶν πρὸ ἡμῶν ἀρχιερέων τοῖς παραδείγμασιν. ἐξ ὧν τοῦ τῆς ἁγίας μνήμης πάπα Ἀδριανοῦ, ἐν τῇ

JOANNIS VIII. EP. A PHOTIO CORRUPTÆ.

convenire, idque non ſemel aut bis, ſed ſæpe facientibus noluerint obedire, neque noſtris literis parere, & propriam ſalutem conſequi, ſed in ſua priori arrogantia & contumacia perſtiterint; hos jubemus ab immaculata communione corporis & ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti prohiberi, quoad redierint ad unionem ſanctæ Dei eccleſiæ & Photii ſanctiſſimi patriarchæ, fratris & conſacerdotis noſtri. Reliquas cenſuras juſtæ condemnationi debitas in his ad vos literis non ſcripſimus, ne ultra modum fierent prolixæ; ſed in commonitorio ſcriptas per Dei amantiſſimum Petrum presbyterum cardinalem & apocriſiarium noſtrum miſimus ad Eugenium & Paulum religioſiſſimos epiſcopos; ut una ipſi ſedentes cum præſente ſynodo & ſanctiſſimo patriarcha Photio fratre & conſacerdote noſtro, omnia inſpicientem oculum illum qui nunquam dormitat, atque inevitabilem Dei juſtitiam præ oculis habeant; & conſcientiam ſuam ſine labe atque integram conſervantes, eccleſiæ Conſtantinopolitanæ res omnes, tam quæ nunc indigent correctione, quam quæ, ut veriſſimile eſt, denuo poſſunt emergere, pro bono & utili eccleſiæ Dei diſponant. Pium imperium veſtrum cæleſtis cuſtodiat imperator, & omnium gentium colla veſtris ſubjiciat pedibus.

*Reverendiſſimis & ſanctiſſimis omnibus epiſcopis & confratribus eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſedem reſpicientibus, ſeu tribus aliis* [a] *principalibus eccleſiis, Hieroſolymitanæ &c.*

[a] patriarchalibus.

QUorumdam ſane veſtrum, fratres cariſſimi, ſcripta ſuſcipientes; unanimitatem atque conſenſum in parte Photii in eis plene reperimus: indeque obnixe optantes, ut quod particulariter hactenus, hoc canonice ſemper & generaliter, atque ſecundum ea quæ ſunt Chriſti Jeſu, & non quæ veſtra, pia animi devotione idipſum, ut non ſit in vobis ſchiſma, ſapiatis quærere, pulſare & invenire: nos autem moderatione ſedis apoſtolicæ, ſicuti diviſa contentione, atque ſciſſa errore dolemus, ita gaudemus in vinculo pacis ac caritatis compagine ſolida fraternitatem veſtram ſine intermiſſione inviolate perſiſtere, juxta apoſtolum: *Idem ſapite, & Deus pacis erit vobiſcum.* (2. Cor. 13.) Quod vero ſolicita intentione veſtra petit dilectio; uti auctoritati beati apoſtoli principis apoſtolorum Petri, vobis Photium patriarcham in regia urbe Conſtantinopolitana fore conſentiamus, illud animo luce clarius retineris, quod in evangelio primo paſtori dominus ait: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* (Luc. 22.) His hortatibus ſucceſſi, imo potius corroborati, in quantum ſine gravi offenſione valemus auxilium ferre tam cunctis domini ſacerdotibus, quam univerſo in orbe terrarum Chriſtiano populo, nunquam deſinimus, ſequentes prædeceſſorum exempla, de quibus ſanctæ memoriæ Hadriani papæ in

In epiſtola Hadriani I. ad Conſtantinum & Irenen imp. habetur in ſep. ſynodo act. 2.

Tara-

JOANNIS VIII. EP. A PHOTIO CORRUPTÆ.

Taraſii nuperrime regiæ urbis patriarchæ confirmatione, hæc interim ponimus verba, inter reliqua, inquit: Ipſe enim Taraſius regiæ urbis patriarcha miſit nobis ſynodicam, priſcam adimplens conſuetudinem; quam ſuſcipientes, & liquidius indagantes, & tam de confeſſione rectæ fidei ejus, quam dogmatum ſanctarum ſex ſynodorum, & venerandarum imaginum ovantes, nimis iterum conturbati ac contriſtati ſumus, quia ex laicorum ordine & imperialibus obſequiis deputatus, repente in patriarchatus culmen electus eſt, & † Apocaligus contra ſanctorum canonum cenſuram factus eſt patriarcha. Et quod dicere pudet, & grave tacere eſt, qui regendi adhuc & docendi ſunt, doctores nec erubeſcunt videri, nec metuunt, ducatumque animarum impudenter aſſumunt, quibus via omnis ignota doctoris eſt, [a] quo vel ipſi gradiantur, ignari ſunt. Quod quam pravum, quamve ſit temerarium, ſæculari ordine & diſciplina monſtratur. Nam dum dux exercitus non niſi labore & ſolicitudine expertus eligitur, quales animarum duces eſſe poſſunt, qui in epiſcopatus culmen immatura cupiunt feſtinatione conſcendere? Hujus ſaltem rei comparatione conſiderent, & aggredi repente inexpertos labores abſtineant; quippe qui non didicerint quod doceant. unde canonica inſtituit cenſura, nequaquam ex laico ad ſacerdotium repente tranſire. Et niſi per ejus fidelem concurſum pro ſanctarum imaginum erectione, ejus conſecrationi aſſenſum omnimodo tribuere nequivimus. [b] Porro & nos ac vos fratres cariſſimi lege conſtringimur, ut ſi deinceps apud cunctam eccleſiam quæ in vobis eſt, a paterni regulis per ſimilem prævaricationem nunquam ſpondeatis delinquere, id eſt, ne neophytum repente ad honorem aſcendere: & ſi parochiam Bulgariæ gentis, quæ Deo auctore, beati Petri apoſtoli interceſſione, atque deceſſorum noſtrorum labore, ad Chriſtum converſa eſt, ſubducta quam ibi feciſtis, illicita ordinatione, reddideritis: & abjectos quoſque fratres, ac diſcordantes veſtro labore [*] ſtudio cum prædicto Photio, quem patriarcham in regia urbe deſideratis habere, aliiſque piis operibus offenſionem quam coram Deo & ſanctis canonibus contraxiſtis in hac parte, recompenſaveritis: venerabilem fratrem Photium, coram ſynodo miſericordiam quærendo, & patriarchatus honore fungi volumus, & noſtræ communionis, imo & beatorum apoſtolorum, ſeu omnis eccleſiæ fore domini miſeratione participem. Hoc exemplo roborati maxime, quo egregius prædeceſſor noſter Innocentius ſanctiſſimus papa Photinum reſtaurare dignatur, dicens: Veniam nunc ad maximum, quaſi quoddam thema, Photinum. & inter alia: Quia res ad ſalutarem rediit veniam, hunc in tantum vobis annitentibus, poſt condemnationem more apoſtolico ſubrogamus, tantiſque veſtris aſſertionibus, vobiſque tam bonis, tam caris non dare conſenſum, omnibus duris rebus durius arbitramur.

† In epiſtola Hadriani eſt a caliga militari.

a) Forte, & qui quo. H.

Videtur locus depravatus.

b) Forte, Porro & nos hac vos, fratres cariſſimi, lege conſtringimus; ex Græco. H.

[*] f. deeſt reconciliaveritis.

Epiſt. 17.

ANNO CHRISTI 879.

ἐπιβεβαιώσει Ταρασίου τοῦ προσφάτως ἐν τῇ βασιλίδι γεγονότος πατριάρχου, ταύτας δὴ τὰς λέξεις παρατιθέμεθα. λέγει γὰρ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ ταῦτα· καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ τῆς βασιλίδος τῆς πόλεως πατριάρχης Ταράσιος συνοδικὴν πέπομφεν ἐπιστολὴν πρὸς ἡμᾶς, τὸ ἀρχαῖον ἔθος ἀποπληρῶν· ἥν τινα δεξάμενοι, καὶ ἀκριβέστερον διερευνήσαντες, ἐπί τε τῇ αὐτοῦ ὁμολογίᾳ τῆς ὀρθῆς πίστεως καὶ τῶν ἱερῶν δογμάτων τῶν ἓξ συνόδων καὶ τῶν σεπτῶν εἰκόνων περιχαρέντες, λίαν αὖθις διεταράχθημεν καὶ ἐλυπήθημεν, ὅτι ἀπὸ λαϊκοῦ τάγματος καὶ βασιλικῆς ὑπηρεσίας ἀθρόον εἰς τὴν πατριαρχικὴν ἐψηφίσθη ἀκρότητα, καὶ γέγονε πατριάρχης ὁ ἀπὸ καλίγων παρὰ τὰς διατάξεις τῶν θείων κανόνων, καὶ ὅπερ εἰπεῖν μὲν αἰσχρὸν, σιωπῆσαι δὲ ἐπαχθὲς, οἱ κυβερνήσεως ἔτι καὶ μαθήσεως χρῄζοντες, διδάσκαλοι δοκεῖν οὐκ αἰδοῦνται, οὔτε δεδίασι· καὶ ψυχῶν ἡγεμονίαν ἀναισχύντως λαμβάνουσιν, οἷς ἐστιν ἄγνωστος πᾶσα διδασκαλίας ὁδὸς, οἵγε μὴ εἰδότες ὅπῃ ποτὲ καὶ αὐτοὶ πορεύονται. ὅπερ φαῦλόν τε καὶ αὔθαδες εἶναι δείκνυται ἐκ τῆς κοσμικῆς τάξεως καὶ ἀγωγῆς. ὅπου γὰρ στρατηγὸς οὐ προβιβάζεται, εἰ μὴ ὁ μόχθῳ καὶ φροντίδι πεῖρας μετασχὼν, ὁποῖοι ψυχῶν ἡγεμόνες εἶναι δύνανται οἱ προώρῳ σπουδῇ ποθοῦντες ἀνελθεῖν εἰς τὸ ὕψος τῆς ἐπισκοπῆς; κἂν τῇ ἀντιπαραβολῇ ταύτῃ σκεψάσθωσαν, καὶ ὧν οὔπω πεῖραν εἰλήφασι πόνων, ἀφροντίστως μὴ ὑπερεχέσθωσαν, οἷα μὴ μαθόντες ἃ διδακτέον. ὅθεν ὁ κανονικὸς θεσμὸς διατάττεται, λαϊκὸν μὴ διαβαίνειν ἀθρόον εἰς ἱερωσύνην. καὶ εἰ μὴ πιστῶς συνέτρεχεν ὑπὲρ τῆς ἀναστηλώσεως τῶν σεπτῶν εἰκόνων, οὐκ ἂν αὐτοῦ ἐδυνάμεθα συνευδοκῆσαι τῇ χειροτονίᾳ. καὶ ἡμεῖς οὖν, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, τούτῳ ὑμᾶς τῷ προσδιορισμῷ δεσμεύομεν, ἵνα εἰ τοῦ λοιποῦ ὑπόσχησθε ἐν πάσῃ τῇ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ μὴ παραβαίνειν τοιούτοις πλημμελήμασι τοὺς τῶν πατέρων κανόνας, τουτέστι νεόφυτον μὴ προάγειν αἰφνίδιον εἰς τιμήν· καὶ εἴπερ τὴν Βουλγαρικὴν ἀποδῶτε ἐπαρχίαν, ἣν ὁ Θεὸς διὰ πρεσβειῶν τοῦ μακαρίου ἀποστόλου Πέτρου, καὶ μόχθου τῶν πρὸ ἡμῶν ἀρχιερέων προσήγαγε τῷ Χριστῷ, ἀφαιρεθείσης τῆς ἀθεμίτου χειροτονίας, ἣν ἐκεῖ ἐποιήσατε· καὶ πάντας τοὺς ἐκβληθέντας ἀδελφοὺς, καὶ ἀσυμφωνοῦντας διὰ ὑμετέρας σπουδῆς Φωτίῳ καταλλάξητε, ὃν πατριάρχην ἔχειν ἐν τῇ βασιλευούσῃ πόλει ποθεῖτε, καὶ ἑτέραις χρησταῖς πράξεσιν ἀντισηκώσητε τὸ πταῖσμα, δι' οὗ τῷ Θεῷ προσεκρούσατε καὶ τοῖς ἱεροῖς κανόσι· Φώτιον τὸν αἰδέσιμον ἀδελφὸν, αἰτοῦντα ἔλεον ἐνώπιον τῆς συνόδου, βουλόμεθα καὶ τὴν πατριαρχικὴν μετιέναι ἀξίαν, καὶ τῆς ἡμῶν κοινωνίας, ναὶ μὴν καὶ τῆς τῶν μακαρίων ἀποστόλων, καὶ ξυμπάσης τῆς ἐκκλησίας, ἐλεοῦντος τοῦ Θεοῦ, μέτοχον εἶναι. ἐκείνῳ μάλιστα τῷ ὑποδείγματι κραταιωθέντες, ᾧ Φωτεινὸν ἀποκαταστῆσαι οὐκ ἀπηξίωσεν ὁ θεσπέσιος ἡμῶν προκάτοχος Ἰννοκέντιος ὁ ἁγιώτατος πάπας, οὑτωσὶ φάσκων· ἐλεύσομαι νῦν εἰς τὸ μέγιστον οἷόν τι πρόβλημα τὸν Φωτεινόν. εἶτα ἐπιφέρει· ἐπειδήπερ τὸ πρᾶγμα ἐπανῆλθεν ἐπὶ τὴν σωτηριώδη συγγνώμην, τοῦτον μετὰ κατάκρισιν ἀποκαθιστῶμεν κατὰ τὸ ἀποστολικὸν ἔθος, τοσοῦτον ὑμῶν ἐγκειμένων, καὶ τοσαῦτα διαβεβαιουμένων. ὑμῖν δὲ τοῖς οὕτω χρηστοῖς τοῖς οὕτω φίλοις μὴ συγκατατίθεσθαι ἡγούμεθα τῶν ἀποτόμων ἁπάντων ἀποτομώτερον.



ANNO CHRISTI 879.

τοιγαροῦν ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, κατὰ τὴν ὑμετέραν δοκιμὴν καὶ γνώμην καὶ αἴτησιν, ἔχετε Φώτιον ἐπίσκοπον. θεμιτόν ἐστιν οὕτω θεσπίσαι, ὡς καθικετεύετε· καὶ τὴν ἡμετέραν κρίσιν διὰ τοῦ ὑμετέρου πόνου, ἢ καὶ τῆς μαρτυρίας τραπεῖσαν ἐπὶ τὸ βέλτιον δέξασθε, τυχόντες τοῦ ποθουμένου. φροντίζοντας γὰρ ὑπὲρ σωτηρίας ἀσμένως ὑμᾶς ἀποδέχομαι· ᾧ χεῖρα ὀρέγετε, μεθ' ὑμῶν ὀρέγω· ᾧ δ' ἂν ὀρέξω, ὀρέξατε σὺν ἐμοί. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ φανερωθεῖσα πρὸς Κορινθίους ἀποστολικὴ εὐμένεια, ἵν' οἱ ἀγαθοὶ τὴν ἐπενεχθεῖσαν, καὶ αὖθις ἀκυρωθεῖσαν ἀπόφασιν ἐν τῷ αὐτῷ πνεύματι ἀεὶ δέχωνται ἀδιαφόρως. ἐδόθη μηνὶ Αὐγούστῳ, ἰνδικτιῶνος ιβ΄.

Ἐστάλη διὰ Πέτρου πρεσβυτέρου.

Φωτίῳ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως.

ΠΕΙΡΑ σαφεστάτῃ μαθόντες διὰ τῶν πρὸς τὴν ἡμετέραν ἀρχιερωσύνην ἀποσταλέντων γραμμάτων τὴν ἐν σοὶ φρόνησιν, ἀνυμνήσαμεν τὸν ἄνω βροντὰς ἐπαφιέντα Θεὸν, εὐσεβεῖς αὐτῷ ἀναπέμποντες εὐχαριστίας, τῷ πᾶσι τοῖς αἰτοῦσι διδόντι σοφίαν, καὶ ἐν τῷ κατοικίζειν ἐν οἴκῳ τοὺς μονοτρόπους, σώζοντι πάντας τοὺς ἐλπίζοντας εἰς αὐτὸν, καὶ περισκέποντι τοὺς ἐν ἀληθείᾳ αὐτὸν ζητοῦντας· τῷ μήτε τοὺς ἀγαθοὺς ὑπευθύνους, μήτε τοὺς εὐσεβεῖς ποιοῦντι τυράννους, δικαίᾳ δὲ ὅμως κρίσει τοῖς μὲν μακαρίοις οὐρανίαν χαριζομένῳ ἀντίδοσιν, καὶ τοὺς δυστυχεῖς, χορηγουμένου μεταξὺ πρὸς μετάνοιαν χρόνου ἣν μὴ ἀναλήψωσιν, αἰωνίᾳ παραδιδόντι κολάσει. ἐν τοῖς προρρηθεῖσι δὲ γράμμασι τὰ εἰς ἡμᾶς ἐγκώμια ἀναγνόντες, τὴν σὴν διάθεσιν ἐγνώκαμεν· καὶ ὅπως νῦν πρὸς ἡμᾶς εὐλαβῶς διάκεισαι, προφανέστατα εὕρομεν. πλὴν ἐφ' ὅσον οὐκ ἔχομεν προσόντα ἡμῖν ὀρθὰ πολιτεύματα, τῷ Θεῷ παραλείπομεν· καὶ ἐν ᾧ ἀνθρωπίνοις ἐπαίνοις ὁστισοῦν ἡμᾶς πειρᾶται ἐπαίρειν, τὸ ἀδρανὲς τῆς ἡμετέρας φύσεως, τοῦ αὐτοῦ Θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἡμῖν ὄντος, μετὰ πλείστου δέους κατανοοῦμεν. οἴδαμεν γὰρ αὐτὸν λέγοντα, ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν ταπεινωθήσεται, καὶ ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν ὑψωθήσεται. ὃ δὲ λέγεται, τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἁγίαν ἐκκλησίαν ὁμονοεῖν ἐπὶ σοὶ, σέ τε τὴν χηρεύσασαν ἀπολαβεῖν ἐκκλησίαν, τοὺς δὲ ἡμῶν ἀποκρισιαρίους μὴ θελῆσαι συλλειτουργῆσαί σοι, ὑπὲρ μὲν τῆς πάντων συμφωνίας εὐχαριστίαν τῷ Θεῷ ἀναπέμπομεν, τοῖς ἀποκρισιαρίοις δὲ οὐδὲν περὶ τούτου ἐνετειλάμεθα, ὅτι βέβαιον ἡμῖν οὐδὲν ἔγνωστο, ὅπως εἶχεν ὁ θρόνος. νῦν δὲ ὥσπερ χαίρομεν πάνυ ἐπὶ τῇ εἰρήνῃ καὶ ὁμοφροσύνῃ τῆς αὐτόθι ἐκκλησίας, οὕτως ἐπὶ τῇ διχονοίᾳ τῶν μὴ βουλομένων εἰρηνεῦσαι λυπούμεθα. κατὰ τὸν Σαμουὴλ, ἁμαρτία τῆς μαντείας τὸ προσερίζειν, ἡ δὲ ἀνομία τῶν εἰδώλων τὸ ἀπειθεῖν. πλὴν ἐπὶ τῇ παραλήψει τοῦ χηρεύοντος θρόνου πρὸς ἡμᾶς ἔχρην προτέρας ἀναδραμεῖν· ἀλλ' ἐπεὶ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ συνεπισκόπου ἡμῶν Ἰγνατίου τὸν βίον ἀπολιπόντος, σὲ προεστάναι τοῦ θρόνου Κωνσταντινουπόλεως ἠκούσαμεν, δι' αὔξησιν μόνον τῆς εἰρήνης καὶ κατάπαυσιν τῶν φιλονεικιῶν πολυτρόπως τῷ Θεῷ εὐχαριστοῦμεν. σὺ δὲ τὰς πάντων γνώμας καταπραΰνων, πάντας ἐγκολπιζόμενος περιλάμβανε, τοὺς διεσκορπισμένους πάντας συναγείρων μὴ παύου, πάντας συνάξαι σπουδαίως φρόντιζε. ὡς γὰρ ὁ ἅγιος πάπας Λέων ὁ μέγας γράφει, τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἡ ἐπιείκεια ταύτην φυλάττει τὴν συμμετρίαν, ὥστε καὶ αὐστηρῶς

Pro veſtra ergo approbatione fratres cariſſimi, & ſententia ac poſtulatione, epiſcopum Photinum habetote. Licitum eſt ita conſtituere, ut deprecamini; & noſtram in melius converſam ſententiam laborare vel teſtimonio veſtro, compotes voti ſuſcipite. Solicitos enim vos pro ſalute libenter admitto: cui manum porrigitis, vobiſcum porrigo: cui porrigo, mecum porrigite. Hæc enim eſt ad Corinthios apoſtolica declarata benignitas, ut in uno ſpiritu ductam ac reductam ſententiam boni ſemper indifferenter ſequantur. Data menſe Auguſto, indictione duodecima.

JOANNIS VIII. EP. A PHOTIO CORRUPTÆ.

*Miſſa per Petrum presbyterum.*

*Photio patriarchæ Conſtantinopolitano.*

EXperientia tuæ prudentiæ, literis pontificio noſtro delatis, ſatis ubertim comperta, altitonantem dominum, piiſſimas ei grates agentes, laudavimus; qui poſtulatus dat omnibus ſapientiam, & in domo faciens unanimes habitare, ſalvat omnes in ſe ſperantes, & protegit ſe in veritate quærentes: qui neque probos reos, neque facit pios tyrannos; tamen juſte judicans, beatis quibuslibet ætherea præmia, & infelicibus, reſervato interim pœnitudinis tempore, niſi reſipuerint, æterna confert ſupplicia. In prædictis vero literis præconia noſtra legentes, affectum tuum cognovimus, & quam ſis nunc erga nos devotus, ſatis evidenter reperimus. Verum in quo nobis noſtra merita non ſuffragantur, Deo dimittimus: & in quo nos humanis laudibus quicumque mortalium elevare conantur, fragilitatem naturæ noſtræ cum ſumma formidine, eodem Deo præ oculis habito contemplamur. Scimus enim ipſo dicente, quia *qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*. Quod dicitur autem ſanctam Conſtantinopolitanam eccleſiam in te convenire, teque privatam ſedem recipere, miſſoſque noſtros tecum minime [*] conſecrare; de adunatione omnium Deo gratias agimus, ſed miſſis noſtris ideo de hoc mandatum non dedimus, quia nil certitudinis, qualiter ipſa ſedes haberet, antea comprobavimus. Nunc vero ſicut de pace & adunatione ipſius eccleſiæ valde gaudemus, ita & de diſſenſione nolentium acquieſcere contriſtamur: quia Samuele teſtante, *quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & ſicut genus idololatriæ, nolle acquieſcere*. Verum ſuper receptione privatæ ſedis nos debuimus antea conſuli: tamen quia obeunte fratre & coepiſcopo noſtro Ignatio, te Conſtantinopolitano throno præſidere audivimus, tantum ut pax augeatur, & jurgia ceſſent, multimodas Deo gratias agimus. Tu autem omnium mentes demulcens, omnes patulis ulnis amplectere, omnes diſperſos congregare non deſine, omnes colligere ſolicite ſtude. Quia ſicut ſanctus papa Leo Magnus ſcribit, ſedis apoſtolicæ, inquiens, moderatio hanc temperantiam ſervat, ut & ſeverius agat

cum

Extat utraque tam germana quam corrupta infra tom. 9. concil. cum notis Severini Binii.

Matth. 23. Luc. 14.

[*] f. conſentire.

Eccl. 4. 1. Reg. 15.

Epiſt. 15.

JOANNIS VIII. EP. A PHOTIO CORRUPTÆ.

cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis: & cum non ſit reprehenſibilis erga correctum quantacumque miſeratio, ſi ſatisfaciens coram ſynodo miſericordiam ſecundum conſuetudinem poſtulaveris, ac ſi evidenti correptione uteris, & peritiæ tuæ non obliviſcens, nullius damna moliaris: quin potius exilia eorum qui tibi non velle conſentire dicuntur, ſtudioſe diſſolveris, eoſque ſuis eccleſiis & honoribus reſtitueris. Et ſi (quia ſpiritualis filius noſter Baſilius Chriſtianiſſimus imperator apud nos pro te multis precibus intervenit) omnes uno voto, uno conſenſu, & una concordia in tua reſtitutione convenerint, veniam pro pace ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ tibi concedimus, communionem quoque & gradum, coram ſynodo miſericordiam quærendo, nihilo minus reddimus; & ut ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ digne præeſſe debeas, conſentimus: ita tamen, ut deinceps de laicis in eadem eccleſia epiſcopus contra ſanctorum patrum ſtatuta nullatenus ordinetur, & omnis illa mala conſuetudo abinde penitus amputetur, juxta capitulum, quod ſuper hac re venerabili ſynodo, tempore ſcilicet deceſſoris noſtri Hadriani junioris papæ Conſtantinopoli habita, eſt congruentiſſime promulgatum. (Can. 5. in act. 10. VIII. ſynod.) Reliqua vero, quæ literæ tuæ a nobis fore cenſenda, vel finienda expectant, dato commonitorio, noſtris legatis, Petro venerabili presbytero cardinis noſtri, dilectiſque conſiliariis noſtris, quædam ſcriptis, quædam autem verbis injunximus; qui juxta cenſuram noſtri apoſtolatus inſtructi de omnibus, cuncta, Deo præ oculis habito, contemplantes, & admittenda, ubi fas eſt, admittere ſtudeant, & corrigenda ſub æquitatis libramine corrigant. Præterea ſicut veſtra pars ſuum velle conatur jus vires accipere, ita & nos diœceſim noſtram Bulgariam, quam apoſtolicæ recordationis ſanctiſſimique domini papæ Nicolai certamine ſedes apoſtolica receperat, ac Hadriani æque beatiſſimi præſulis tempore poſſederat, ſumma nobis celeritate reſtitui volumus. Et de cetero omnem ordinationem eccleſiaſticam ab eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præſulibus in eadem diœceſi Bulgarica auctoritate apoſtolica amputamus: ipſos autem ordinatos ibidem epiſcopos, & omnes alios inferioris ordinis clericos, ut inde ſe ſubtrahant, & ab invaſione Bulgaricæ noſtræ diœceſis ſe omnino compeſcant, decertare procures. Quibus ſi tu aut pallium dederis, aut quamcumque illic ordinationem feceris, vel donec nobis obediant, cum eis communicaveris; pari excommunicatione cum eis teneberis annexus.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Photio ſanctiſſimo fratri & comminiſtro, patriarchæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ ſalutem.*

SApientiam, & veſtræ fraternitatis prudentiam in veſtris literis quas miſiſtis, perſpicientes inſtar tonitrui de cælo reſonantem, a Deo provenientis, ac ſonitu

ANNO CHRISTI 872.

ἑαυτὸν τοῖς σκληρυνομένοις παρέχειν, καὶ ποθεῖν τοῖς διορθωθεῖσι διδόναι συγγνώμην. καὶ ἐπειδὴ οὐκ ἔχει μέμψιν τὸ ἐλεεῖν ὁποσονοῦν τὸν ἐπιδιορθωθέντα, εἴπερ ἐνώπιον τῆς συνόδου τὸ ἱκανὸν παρεχόμενος, ἐλεηθῆναι ζητήσεις, ὡς εἴθισται, χρήσῃ τε σαφεστάτῃ ἐπιτιμήσει, καὶ τῆς σῆς παιδείας μὴ ἀμνημονῶν, οὐδεμιᾷ μηχανῇ μηδενὶ ἐνεδρεύσῃς, μᾶλλον δὲ λῦσαι σπουδάσῃς τὰς ὑπερορίας τῶν μὴ θέλειν ὁμοφρονῆσαί σοι λεγομένων, καὶ τὰς οἰκείας αὐτοῖς ἐκκλησίας καὶ τιμὰς ἀποδῷς. καὶ εἴγε πάντες, (καθότι ὁ πνευματικὸς ἡμῶν υἱὸς Βασίλειος ὁ χριστιανικώτατος αὐτοκράτωρ πολλὰς ὑπὲρ σοῦ πρὸς ἡμᾶς κατεβάλετο δεήσεις,) μιᾷ ψήφῳ, μιᾷ συμπνοίᾳ, καὶ μιᾷ συμφωνίᾳ τὴν σὴν ἀποκατάστασιν δέχονται, παρέχομέν σοι, ἵν᾽ ἡ ἁγία τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησία εἰρηνεύῃ, συγγνώμην, καὶ ἀποδιδόαμέν σοι τήν τε κοινωνίαν καὶ βαθμὸν, ἐνώπιον μὲν τῆς συνόδου ἔλεον αἰτοῦντι· καὶ συγκατατιθέμεθα, ὥστε σε προΐστασθαι ἀξίως τῆς ἁγίας τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας· οὕτω μέντοι, ὥστε ἀπὸ τοῦ παρόντος μηδένα ἐκ λαϊκῶν ἐν τῇ αὐτῇ ἐκκλησίᾳ χειροτονεῖσθαι ἐπίσκοπον παρὰ τοὺς ὅρους τῶν ἁγίων πατέρων, καὶ πᾶσαν ὅλως ἐκεῖθεν τὴν φαύλην ἐκείνην ἀποκοπῆναι συνήθειαν, κατὰ τὸν κανόνα τὸν ἁρμοδιώτατα περὶ τοῦ πράγματος τούτου ἐκδοθέντα ἐν τῇ σεβασμίᾳ συνόδῳ τῇ ἐν Κωνσταντινουπόλει συγκροτηθείσῃ ἐπὶ τοῦ πρὸ ἡμῶν ἀρχιερατεύσαντος Ἀδριανοῦ τοῦ νεωτέρου πάπα. τὰ δὲ λοιπὰ, ἃ διευκρινηθῆναι παρ᾽ ἡμῶν ζητεῖς ἐν τοῖς γράμμασι, διὰ κομμονιτωρίου δοθέντος τοῖς ἡμετέροις ἀποκρισιαρίοις, Πέτρῳ τῷ αἰδεσίμῳ πρεσβυτέρῳ καρδιναλίῳ, καὶ τοῖς πεφιλημένοις ἡμῶν συμβούλοις, τὰ μὲν ἐγγράφως, τὰ δὲ διὰ φωνῆς παρηγγείλαμεν. οἵτινες κατὰ τὴν κρίσιν τῆς ἀποστολικῆς ἡμῶν ἀξίας ἅπαντα διδαχθέντες, τοῦ τε Θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν αὐτοῖς ὄντος, πάντα κατανοοῦντες, καὶ τὰ παραδεκτέα, ᾗ θέμις, παραδέξασθαι σπουδάσωσι, καὶ τὰ διορθωτέα ἐπανορθώσωσι τῇ στάθμῃ τῆς ἐπιεικείας. πρὸς τούτοις καθάπερ ὑμεῖς τὰ ὑμέτερα κρατύνειν πειρᾶσθε, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἀποδοθῆναι τὴν ταχίστην βουλόμεθα ἡμῖν τὴν Βουλγαρικὴν ἡμῶν ἐπαρχίαν, ἣν ἡ ἀποστολικὴ καθέδρα παρειλήφει δι᾽ ἀγῶνος τοῦ τῆς ἀποστολικῆς μνήμης ἁγιωτάτου πάπα κυρίου Νικολάου, καὶ ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ ἐπίσης μακαριωτάτου Ἀδριανοῦ ἀρχιερέως ἐκέκτητο. τοῦ λοιποῦ δὲ πᾶσαν ἐκκλησιαστικὴν χειροτονίαν τῶν Κωνσταντινουπόλεως προέδρων ἐν τῇ αὐτῇ διοικήσει τῆς Βουλγαρείας ἀποστολικῇ ἀποκόπτομεν αὐθεντίᾳ. αὐτοὶ δὲ οἱ χειροτονηθέντες ἐκεῖ ἐπίσκοποι, οἵ τε λοιποὶ πάντες ὑποδεεστέρου βαθμοῦ κληρικοὶ, ἵν᾽ ἐκεῖθεν ἀναχωρήσωσι, καὶ τοῦ τῆς Βουλγαρικῆς ἡμῶν κατακρατεῖν ἐπαρχίας ἀπέχωνται τὸ παράπαν, αὐτὸς ἐπιμελέστατα φροντίσεις. ὡς εἴπερ σὺ ἢ ὠμοφόριον ἀποστείλῃς, ἢ ποιήσῃς ἐκεῖ οἱανοῦν χειροτονίαν, ἢ συγκοινωνήσῃς αὐτοῖς, ἕως ἂν ἡμῖν ὑπακούσωσι, τῷ ἴσῳ ἀφορισμῷ σὺν αὐτοῖς καὶ σὺ ἔνοχος ἔσῃ.

Ἰωάννης ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, Φωτίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ, πατριάρχῃ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας.

ΤΗΝ σοφίαν καὶ φρόνησιν τῆς ἐν ὑμῖν ἀδελφότητος ἐν τοῖς ὑμετέροις ἀνιχνεύσαντες, οἷς ἀπεστείλατε γράμμασιν, ὥσπερ βροντὴν ἀπηχοῦσαν ἐξ οὐρανοῦ, πεμπομένην τε ἐκ Θεοῦ, καὶ πάντα τὰ πέρατα

τοῦ ἤχου



ANNO CHRISTI 872.

τοῦ ἤχου πληροῦσαν, εὐσεβεῖς εὐχαριστίας καὶ ἐπαίνων ὕφος ἀνεπέμψαμεν τῷ Θεῷ, τῷ πᾶσι τοῖς αἰτοῦσι κατὰ τὴν αἴτησιν διδόντι σοφίαν, καὶ κατοικίζοντι ἐν ὁμονοίας οἴκῳ, σκέποντί τε καὶ σώζοντι τοὺς ἐν ἀληθείᾳ τὴν ἑαυτῶν ἐλπίδα ἀνατιθέντας εἰς αὐτόν· τῷ μήτε τοὺς πονηροὺς εἰς τέλος ἀπωθουμένῳ, μήτε τοὺς ἀγαθοὺς ἐμπίπτειν εἰς τυραννίδα ὑπὲρ * δύσιν συγχωροῦντι· ἀλλὰ δικαιοσύνης ὁσιότητι καὶ ζυγῷ κριμάτων τὰ ἀνθρώπινα πάντα διευθύνοντι καὶ κατευοδοῦντι. καὶ μακάριος, ὅστις ἂν προθύμως ἐν τῷ νῦν καιρῷ διὰ μετανοίας διανιστῶν τοὺς πεσόντας, ἐν οὐρανοῖς θησαυρίζῃ. οὗτος γὰρ ἐν μακαριότητι διαμένων, ἀπολαύσει τῆς εἰς τὰ μέλλοντα αἰώνια ἀναφαινομένης λαμπρότητος. τοίνυν τοῖς προῤῥηθεῖσι γράμμασιν ἐπιεικέστερον ὑμῶν ἐπιβαλόντες, καὶ τὸ ἐν αὐτοῖς ὕφος τῶν ἐπαίνων ἡμῶν καταμαθόντες, τήν τε διάθεσιν ἣν πρὸς ἡμᾶς φέρεις, ἔγνωμεν, καὶ ὅπως πρὸς ἡμᾶς εὐσεβῶς καὶ ὑγιῶς διάκεισαι· εἰ τὰ ἔργα τῆς πολιτείας ἡμῶν πρὸς τοὺς ἐπαίνους, οὓς ἔγραψας, εἰς ἡμᾶς διαφέρονται. ἐν θνητότητι γὰρ καὶ τρεπομένῃ φύσει τὸν βίον ἔχοντες, οὐ πάνυ τὸ βέβαιον ἐν τοῖς ἐπαίνοις τοῖς καλοῖς ἔχομεν. καὶ δειλιῶμεν, καὶ τῷ φόβῳ συνεχόμεθα τοῦ πάντα βλέποντος τὰ ὄντα ὀφθαλμοῦ, καὶ ἐφορῶντος τὰ κρυπτὰ καὶ τὰ φανερὰ, μή πως τοῖς ἀνθρώποις ἄλλως νομιζόμενοι, ἐνώπιον αὐτοῦ ἑτέρως ὀφθῶμεν· καὶ ἀντὶ τοῦ τυχεῖν ἐπαίνων ἀληθινῶν καὶ δόξης ἐπιθυμητῆς, αἰσχύνην αἰωνίαν καρπωσώμεθα. ἀλλὰ ταῦτα παραχωρήσωμεν πως τῷ τὰ πάντα εἰδότι Θεῷ, καὶ μηδὲ τῶν ἡμετέρων ἄγνοιαν ἔχοντι. γινώσκομεν γὰρ αὐτὸν λέγοντα· ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν ταπεινωθήσεται. ἔγραψας ἡμῖν, ὅτι ἡ ἁγιωτάτη τοῦ Θεοῦ τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησία ἐν σοὶ συνεφώνησε καὶ συνῆλθέ σοι· καὶ ὅτι τὸν θρόνον ὃν ἐστερήθης, ἀπέλαβες, ὃς ἦν ἴδιός σου. ὑπὲρ τούτων, λέγω δὴ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ἀποκαταστάσεώς σου, ἣν εἰς τὸν ἴδιον θρόνον κατέστης, Θεῷ τὴν εὐχαριστίαν ἐξ ὅλης ψυχῆς καὶ δυνάμεως ἀνεπέμψαμεν. ἔτι δὲ περιεῖχε τὸ γράμμα τῆς ὑμῶν εὐλαβείας, ὅτι οἱ ἀποκρισιάριοι ἡμῶν εὐθέως οὐκ ἠθέλησαν συλλειτουργῆσαί σοι. καὶ λέγομεν τοῦτο συμβῆναι, διὰ τὸ μὴ παραχωρῆσαι ἡμᾶς * ἃ προσετάξαμεν ποιῆσαι αὐτούς. ἐπεὶ εἰ ἐντολὴ ἡμῶν προῆλθεν, οὐδεὶς ἂν δισταγμὸς ἐν αὐτοῖς εὑρέθη, οὐδὲ λύπην τινὰ εἶχον ἂν προξενῆσαι τῇ εὐλαβείᾳ σου· πλὴν οὐδὲ ἡμεῖς πληροφορηθέντες περὶ τῆς σῆς ἀδελφότητος, ὅτι τέλεον ὁ Θεὸς ὑπέστρεψέ σε εἰς τὸν θρόνον σου, καὶ ὅτι ἀπέλαβες αὐτόν· ἐπεὶ τὸ καθῆκον ποιοῦντες ἀπεστείλαμεν ἂν καὶ παραμυθούμενοί σε, καὶ συγχαίροντες εἰς τὴν ἀποκατάστασιν τοῦ θρόνου σου. καὶ ἐν τούτῳ μηδὲν ἀγανακτήσῃς· τὸ γὰρ ὑστέρημα καὶ ὑπερεκπερισσοῦ ἀνεπληρώθη. ἐμάθομεν δὲ καὶ τοῦτο, ὡς εἰσί τινες σχισματικοὶ ἐν ὑμῖν, καὶ οὐ καθεύδουσιν, ἀλλὰ μοχθοῦσι μόχθον μάταιον, καὶ ἀγῶνα διαβολικὸν καταβάλλονται, κατὰ τὸν λέγοντα προφήτην· διεσχίσθησαν, καὶ οὐ κατενύγησαν, ὥστε ἀποσπᾶν καὶ διαστρέφειν ἑαυτοῖς τινὰς τῶν ἁπλουστέρων. καὶ ὅσον εὐφράνθημεν ἐπὶ τῇ καταστάσει σου, ἣν ὁ Θεὸς ἀποκατέστησέ σε, καὶ τῇ ἑνώσει τῇ γεγενημένῃ τῆς ἐκκλησίας, τοσοῦτον ἠλγήσαμεν ἐπὶ τῇ ἐκείνων τῶν σχισματικῶν ἀπωλείᾳ. ἀλλ᾽ αὐτὸς τῇ ἐνούσῃ σοι σοφίᾳ καὶ συνέσει,

* In. vet. ὑπὲρ σθένος, ὑπὲρ δύναμιν.

* In. περὶ ὧν

JOANNIS VIII. EPIST. A PHOTIO CORRUPTÆ.

omnes mundi fines complentis, pias gratiarum actiones & laudum præconia ad Deum miſimus, qui omnibus petentibus pro voto dat ſapientiam, & habitare facit in domo concordiæ, protegitque ac ſalvat eos qui in veritate ſuam ipſorum ſpem in illo reponunt: qui nec malos ad finem uſque repellit, nec bonos tyrannide premi ſupra vires permittit; ſed juſtitiæ ſanctitate, & judiciorum trutina humana omnia dirigit, ac proſpere ducit. Et beatus quidem eſt, qui prompto animo præſenti tempore per pœnitentiam erigendo lapſos, theſaurizat ſibi in cælis: ubi in beatitudine permanens fruetur ſempiterno ſplendore in futuris illis æternis ſæculis. Cum veſtras igitur prædictas literas attente legeremus, quæque in illis continentur, noſtrarum laudum ſeriem perſpiceremus, tuam in nos benevolentiam cognovimus, & quam pie ac ſincere in nos affectus ſis: ſi tamen vita & mores noſtri non diſtent a laudibus quas in tuis literis nobis tribuiſti. Cum enim in natura mortali & mutabili vitam degamus, non ita firmiter conſiſtimus, ut veras laudes habere poſſimus: quinimo formidamus & valde timemus oculum illum qui omnia perſpicit, tam quæ occulta, quam quæ manifeſta & aperta ſunt; ne ſcilicet aliquo modo hominibus videamur alii, quam qui in conſpectu Dei ſumus: & pro veris laudibus & gloria illa valde appetenda, dedecore afficiamur ſempiterno. Sed hæc relinquamus omnia ſcienti Deo, neque quidquam noſtrarum rerum ignoranti. Scimus enim illum dixiſſe: *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* (Matth. 23.) Scripſiſti nobis, ſanctam Conſtantinopolitanam eccleſiam in te concordem jam factam conveniſſe, & ſedem qua privatus fueras, tibi reſtitutam fuiſſe, quæ tua erat. His de rebus, hoc eſt de eccleſiæ concordia, & reſtitutione tuæ ſedis, Deo gratias egimus quam maximas potuimus. Præterea continebant literæ pietatis veſtræ, apocriſiarios noſtros noluiſſe ſtatim una tecum ad miſſarum ſolennia convenire: quod accidiſſe dicimus, propterea quod præter noſtra mandata quidquam agere iis non permiſeramus. Nam ſi mandatum noſtrum habuiſſent, nulla de ea re in ipſis fuiſſet dubitatio, neque ullam triſtitiam pietati tuæ attuliſſent. Nam neque certi quidquam erat ad nos perlatum de tua fraternitate, quod Deus tibi tuam ſedem reſtituiſſet, atque ipſam recepiſſes. Alioquin quod fieri conveniebat, agentes miſiſſemus, & conſolati te eſſemus, gratulantes tibi ſedis reſtitutionem. Hoc igitur non moleſte feras: quod enim defecerat, abunde ſuppletum eſt. Audivimus etiam eſſe apud vos ſchiſmaticos quoſdam, qui non dormiunt, ſed inanem laborem ſumunt, & certamen diabolicum adhibent, juxta illud prophetæ dictum: *Diſſipati ſunt, & non ſunt compuncti*; (Pſal. 34.) ut abſtrahant ac pervertant aliquos ſimpliciores. Itaque quantum lætati ſumus te reſtituto, & facta eccleſiæ unione, tantum doluimus illorum qui adhuc in ſchiſmate ſunt, perditione. Sed ipſe pro ea quæ in te eſt ſapientia ac prudentia,

JOANNIS VIII. EPIS. A PHOTIO CORRUPTÆ.

& gratia a Deo tibi conceſſa, (quid enim habes quod non accepiſti? ſcimus quod non gloriaris, quaſi non acceperis) da operam, ut omnes tibi reconcilies; qui a te alienati ſunt ac diſperſi, eos ad te congregare non dedigneris, aperiens humanitatis viſcera, & miſerationum benignitate illos complectens. ut quemadmodum ſanctiſſimus & magnus Leo papa ſcribit, eos qui quærunt humiliari coram Deo, & concordiam habere nobiſcum ſtudent, amplectamur; in eos vero qui obdureſcunt corde, & nos duri ſimus: ſimiliter etiam & pœnitentiam quærentibus, quæ lapſos erigit, manum auxilii porrigamus. Non enim eſt condemnatio pœnitentibus, & miſericordiam implorantibus non eſt dedecus. Quamobrem & tuam fraternitatem rogamus, ut Chriſti morem & ejus humilitatem attendens, quam ſuſtinuit propter ſalutem humani generis, non dedignetur in ſynodo prædicare Dei miſericordiam & opem in ſe oſtenſam, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ protectionem ac laborem, quem pro tua dilectione, affectu & caritate ſuſcepit. Doce omnes de concordia quæ inter nos eſt, ac de noſtro conſenſu; quod videlicet ſicut petiiſti, ita & a ſancta Romana eccleſia impetraſti, cujus mos eſt, omnibus injuſte aliquid patientibus opem ferre: cujus auxilii neque tu expers fuiſti, ſed adjuvante Deo, & hujus ipſius, quam diximus, eccleſiæ labore ac ſtudio in ſedem tuam reſtitutus es. Tuæ autem conſuetæ lenitatis atque commiſerationis, quam re & factis quotidie ita oſtendiſti, ut ejus fama in omnes pervulgata ſit, noli obliviſci, ſed illam ſerva: ut nullius hominis jacturam fieri patiaris. neque quemquam a miſericordiæ ſinu repellas; eorum videlicet, qui ad hunc uſque cum pietate tua unionem habere aut conſentire noluerunt. Sed magis labora & ſtude, partim docendo, hortando ac patienter admonendo; partim hilari & blando vultu alliciens, ut ex apoſtoli ſententia aut omnes, aut ſaltem plures ſtudeas lucrifacere & tibiipſi conciliare, ac per teipſum Deo. Illis autem ad te & per te ad Deum redeuntibus concede, ut ſacerdotales honores & eccleſias ſuas recipiant, quemadmodum ſpiritalis noſter filius & Chriſtianiſſimus imperator Baſilius pro te nos rogavit; & nos imperatoris honeſtæ & juſtæ & Deo gratæ petitioni aſſentientes, fecimus cum pietate veſtra: ita & te rogamus, ne ſuccenſeas his qui a te abalienati ſunt; ſed redeuntes illos ex animo expanſis manibus veneranda pietas tua colligere non gravetur: ut omnes, quemadmodum fas eſt, conſentientes in ſedis tuæ Conſtantinopolitanæ reſtitutione, & in unum convenientes, communem hilaritatem & diem feſtum agamus, & exultationis panegyrim celebremus. Hoc etiam rogamus fraternitatem tuam, ut una nobiſcum prohibeas, ne poſthac quiſquam ex laicis repente promoveatur in eximiam epiſcopatus ſedem; quippe quæ formidabilis eſt ac mediatrix Dei & hominum; ſed per gradus & ordinem ad miniſterium procedatur. Qui ſi proprias per ſingulorum graduum aſcenſionem virtutes oſtenderit,

ANNO CHRISTI 870.

A καὶ τῷ δοθέντι σοι παρὰ Θεοῦ χαρίσματι· τί γὰρ ἔχεις, ὃ οὐκ ἔλαβες; οἴδαμεν, ὡς οὐ καυχᾶσαι, ὡς μὴ λαβών· πάντας μετέρχου οἰκειοῦσθαι. πρὸς σὲ, καὶ τοὺς ἀπὸ σοῦ μακρυνθέντας καὶ διασκορπισθέντας, φιλανθρωπίας αὐτοῖς ὑπανοίγων σπλάγχνα, καὶ οἰκτιρμῶν χρηστότητι περιλαμβάνων, συναγαγεῖν μὴ ἀπαξιώσῃς, ἵνα ὡς ὁ ἁγιώτατος πάπας Λέων ὁ μέγας γράφει, τοὺς μὲν ζητοῦντας ταπεινωθῆναι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, καὶ ὁμόνοιαν ζητοῦντας πρὸς ἡμᾶς, δεχώμεθα, πρὸς δὲ τοὺς σκληρυνομένους τῇ καρδίᾳ σκληρυνώμεθα. ὡσαύτως καὶ τοῖς μετάνοιαν ζητοῦσιν, ἥ τις ἀνιστᾷ τοὺς πεσόντας, χεῖρα βοηθείας ὀρέγωμεν. B οὐ γάρ ἐστι κατάγνωσις τοῖς μετανοοῦσι, καὶ τοῖς αἰτοῦσιν ἔλεον οὐκ ἔστιν αἰσχύνη. διὸ καὶ τὴν σὴν ἀδελφότητα ἀξιοῦμεν, χριστομίμητον ἀναλαμβάνουσαν τρόπον, καὶ τὴν αὐτοῦ ταπείνωσιν, ἣν ὑπέστη διὰ τὴν σωτηρίαν τοῦ γένους ἡμῶν, μὴ ἀπαξιῶσαι ἐπὶ τῇ συνόδῳ ἀνακηρύξαι τὸ εἰς σὲ τοῦ Θεοῦ ἔλεος καὶ τὴν βοήθειαν, καὶ τῆς ἁγιωτάτης τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας τὸν ὑπερασπισμὸν καὶ τὸν κόπον, ὃν ὑπὲρ τῆς σῆς ἀγαπητικῆς διαθέσεως καὶ φίλτρου κατεβάλετο· πληροφορῶν ἅπαντας ἐν τῇ ὁμονοίᾳ τῇ πρὸς ἡμᾶς, καὶ τῇ ἡμετέρᾳ συγκαταθέσει, ὅτι καθὼς ᾔτησω παρ' αὐτῆς καὶ ἔλαβες· καὶ ὡς ἔστιν ἔθος αὐτῇ βοηθεῖν πᾶσι C τοῖς ἀδίκως τι πάσχουσιν, οὐδὲ αὐτὸς τῆς παρ' αὐτῆς βοηθείας ἠμοίρησας, ἀλλὰ τῇ συνεργίᾳ τοῦ Θεοῦ, καὶ τῷ ταύτης μόχθῳ καὶ ἀγῶνι εἰς τὸν θρόνον σου ἀποκατέστης. τῆς δὲ ἐξ ἔθους σοι βοηθείας καὶ συμπαθείας, ἣν δι' αὐτῶν τῶν ἔργων καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπιδεικνύμενος, εἰς πάντας τὸν ἦχον αὐτῆς ἐκπέμπεις, μὴ ἐπιλανθάνου, ἀλλ' ἔχου αὐτῆς· καὶ μηδένα ζημιωθῇς, μηδὲ ἐκ τῶν σπλάγχνων τοῦ ἐλέους ἐξωθήσῃς, οἵ τινες ἕως τοῦ παρόντος οὐκ ἠθέλησαν τὴν ἕνωσιν τὴν πρὸς τὴν σὴν εὐλάβειαν, οὐδὲ ὁμοφρονῆσαι· μᾶλλον δὲ μόχθον καὶ ἀγῶνα καταβαλοῦ, τοῦτο μὲν διδασκαλίᾳ καὶ λόγοις καὶ μακροθύμοις παραινέσεσι, τοῦτο δὲ ἱλαρῷ καὶ προσηνεῖ τῷ D ὄμματι· ἵνα κατὰ τὸν Ἀπόστολον, ἢ τοὺς πάντας, ἢ τούς γε πλείονας σπεύσῃς κερδῆσαι, καὶ σεαυτῷ προσαγαγεῖν, καὶ διὰ σεαυτοῦ τῷ Θεῷ. ἐρχομένων δὲ αὐτῶν πρὸς σὲ, καὶ διὰ σοῦ πρὸς τὸν Θεὸν, ἀπολαμβάνειν αὐτοὺς εὐδόκησον τάς τε ἱερατικὰς τιμὰς καὶ τὰς ἐκκλησίας αὐτῶν· καθ' ὃν τρόπον ὁ πνευματικὸς ἡμῶν υἱὸς καὶ χριστιανικώτατος βασιλεὺς Βασίλειος περὶ σοῦ ἠξίωσεν ἡμᾶς, καὶ εἴξαντες τῇ εὐλόγῳ καὶ δικαίᾳ καὶ Θεῷ ἀρεσκούσῃ ἀξιώσει αὐτοῦ, πεποιήκαμεν μετὰ τῆς εὐλαβείας σου· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ σὲ παρεκαλέσαμεν μὴ μνησικακῆσαι εἰς τοὺς μακρυνθέντας ἀπὸ σοῦ, ἀλλ' ὑποστρέφοντας ὁλοψύχως καὶ ἡ σὴ ἐν τιμῇ E γνωριζομένη εὐλάβεια ὑπτίαις χερσὶν ὑποδέξασθαι καταξιωσάτω· ἵνα πάντες αἰσίως ὁμονοήσαντες καὶ ὁμοψυχήσαντες εἰς τὴν σὴν ἐπαναστροφὴν καὶ ἀποκατάστασιν τοῦ θρόνου, καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνελθόντες, κοινὴν εὐφροσύνην καὶ ἑορτῆς ἡμέραν, καὶ ἀγαλλιάσεως πανήγυριν ἐκτελέσωμεν. καὶ τοῦτο δὲ ἀξιοῦμεν τὴν σὴν ἀδελφότητα σὺν ἡμῖν θεσπίσαι, ἵνα ἀπὸ τοῦ παρόντος ἐκ λαϊκῶν μηδεὶς ἀθρόον ἐπὶ τὸν μέγαν τῆς ἀρχιερωσύνης θρόνον, ὅς ἐστι φοβερὸς, καὶ Θεοῦ μεσιτείαν ἐπέχων, ἀναβιβάζηται· ἀλλὰ κατὰ βαθμὸν καὶ τάξιν εἰς τὴν ὑπηρεσίαν προβαίνων, καὶ τὴν οἰκείαν καθ' ἑκάστην βαθμοῦ ἀνάβασιν ἐπιδεικνύμενος ἀρετὴν,



ANNO CHRISTI 870.

οὕτως τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου τὴν καθίδρυσιν λαμβανέτω. ὁ γὰρ ἑτέρως ἀγόμενος, ἐναντίον τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἡμῶν κανόνων ποιεῖ. καὶ βουλόμεθα τοῦτο τὸ ἔθος, ὅπερ οὐκ ἔστιν αἴσιον, οὐδ' ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ εὑρημένον, ἀπὸ τοῦ νῦν ἄπρακτον διαμένειν. τοῦτο δὲ λέγομεν κατὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκτεθέντα συνόδῳ ἐν τοῖς χρόνοις Ἀδριανοῦ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα, καὶ Ταρασίου τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. τὴν δὲ γενομένην κατὰ τῆς σῆς εὐλαβείας σύνοδον ἐν τοῖς αὐτόθι ἠκυρώσαμεν καὶ ἐξωστρακίσαμεν παντελῶς, καὶ ἀπεβαλόμεθα διά τε τὰ ἄλλα, καὶ ὅτι ὁ πρὸ ἡμῶν μακάριος πάπας Ἀδριανὸς οὐχ ὑπέγραψεν ἐν αὐτῇ. τὰ δὲ λοιπὰ πάντα τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων, ὅσα διηγόρευσεν ἡ ἐπιστολὴ ὑμῶν, ἐν κομμονιτωρίῳ γράψαντες, ἐν ᾧ καὶ πάντες ὑπεγράψαμεν εἰς τὴν σὴν ἀποδοχὴν, καὶ ἐπιδεδωκότες Πέτρῳ τῷ εὐλαβεστάτῳ πρεσβυτέρῳ καὶ καρδινάλει καὶ τοποτηρητῇ ἡμῶν, ἀπεστείλαμεν τοῖς περὶ Εὐγένιον καὶ Παῦλον θεοσεβεστάτοις ἐπισκόποις καὶ τοποτηρηταῖς ἡμῶν· ἵνα τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον ἔχοντες πρὸ ὀφθαλμῶν, καὶ τὴν συνείδησιν αὐτῶν ἀνεπιθόλωτον συντηροῦντες, πάντα πρὸς τὸ συμφέρον τῇ καθ' ὑμᾶς ἐκκλησίᾳ σὺν ὑμῖν διοικήσωσιν. ὁ Θεός σε διαφυλάξαι εἰς τέλος ἀδελφὲ ἀγαπητὲ, ὁσιώτατε καὶ συλλειτουργέ.

Ἰωάννης δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, τοῖς εὐλαβεστάτοις, ἁγιωτάτοις πᾶσιν ἐπισκόποις, ἀδελφοῖς καὶ συλλειτουργοῖς ἡμῶν τῆς ἐκκλησίας τῶν Κωνσταντινουπολιτῶν, καὶ πᾶσι τοῖς αὐτὴν ἀποδεχομένοις, καὶ ταῖς λοιπαῖς ἄλλαις πρώταις ἐκκλησίαις, Ἱεροσολύμων, Ἀντιοχείας καὶ Ἀλεξανδρείας, καὶ τοῖς αὐτῶν τῶν ἀρχιερατικῶν θρόνων προεστῶσιν.

ΤΑ ὑγιαίνοντα ὑμῶν, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, δεξάμενοι τῆς ἑνώσεως καὶ ὁμονοίας ἐν τῷ μέρει Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου γράμματα, πάνυ ἐν αὐτοῖς ἐχάρημεν· ἵνα ὁμοίως πάντες ἐν κοινωνίᾳ πνεύματος, καὶ οἰκουμενικῇ συμφωνίᾳ τὰ τοῦ κυρίου ὑμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ φρονῶμεν καὶ στέργωμεν, καὶ ἃ πρέπει τῇ ὑμετέρᾳ εὐσεβεῖ διαθέσει, καὶ ὁσιωτάτῃ ψυχῇ καθέστηκεν ἁρμόδια· ἵνα μὴ ὦσιν ἐν ὑμῖν σχίσματα, ἀλλ' ἵνα γινώσκητε ζητεῖν, καὶ κρούειν, καὶ εὑρίσκειν. ἡμεῖς δὲ τῇ συμπαθείᾳ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου κινούμενοι, ὥσπερ συμπάσχομεν καὶ συναλγοῦμεν ἐπὶ τοῖς διεστῶσι καὶ ἀπεσχοινισμένοις τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, καὶ φιλονεικοῦσι τὰ τῆς στάσεως καὶ πλάνης μᾶλλον, ἢ τὰ τοῦ Χριστοῦ κρατεῖν· οὕτω χαίρομεν ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης καὶ ἀγάπης τῆς ἀδελφότητος ὑμῶν, καὶ εὐχόμεθα πάντοτε ἀδιαλείπτως, ἵνα ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι διαμένητε κατὰ τὸν Ἀπόστολον, καὶ ἵνα διὰ παντὸς ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης εἴη μεθ' ὑμῶν. τοιγαροῦν ἀληθῶς ἡ πολυφρόντιστος ὑμῶν ἐπ' ἀγαθῷ φιλονεικία ᾐτήσατο ἀγάπην δι' ἀποδείξεως τοῦ μακαρίου καὶ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου, ὥστε Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην ἐν τοῖς κλίμασι τῆς ἐπαρχίας τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας ἀποκατασταθέντα ἀσμενίσωμέν τε καὶ συναποδεξώμεθα. τοῦτο δὲ προθύμῳ καὶ λαμπροτάτῃ ψυχῇ, κατέχοντες τὸ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ εἰρημένον τῷ πρωτοποιμένι, ᾧ ὁ Κύριος λέγει· ἐγὼ παρεκάλεσα περὶ σοῦ Πέτρε, ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου. καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στερέωσον τοὺς ἀδελφούς σου·

A in epiſcopali ſede collocetur. Nam qui alio modo promovetur, contra eccleſiaſticos noſtros canones facit. Volumus ergo morem hunc & injuſtum, & in veſtra eccleſia non ab initio ſervatum, deinceps irritum eſſe. Hoc autem dicimus ſecundum canonem editum in ſynodo ſub Hadriano ſanctiſſimo papa, & Taraſio beatæ memoriæ patriarcha Conſtantinopolitano. Quæ vero ſynodus in urbe iſta contra reverentiam veſtram habita eſt, eam nos irritam fecimus, atque omnino abrogavimus & rejecimus, tum ob alia, tum etiam quod qui fuit ante nos beatæ memoriæ papa Hadrianus non ſubſcripſit ſynodo B illi. Reliqua vero omnia eccleſiaſtica negotia, quæ literis veſtris continebantur, in commonitorio, cui omnes ſubſcripſimus pro te recipiendo, ſcripta atque aſſignata Petro reverendiſſimo cardinali & legato noſtro, miſimus ad Eugenium & Paulum reverendiſſimos epiſcopos & legatos noſtros; ut Dei timorem præ oculis habentes, & conſcientiam puram ſervantes, omnia quæ eccleſiæ veſtræ expediunt, vobiſcum una diſponant. Deus te conſervet ad finem uſque frater dilecte, ac ſanctiſſime comminiſter.

JOANNIS VIII. EPIS. A PHOTIO CORRUPTÆ.

C *Joannes ſervus ſervorum Dei, reverendiſſimis & ſanctiſſimis omnibus epiſcopis, fratribus & comminiſtris noſtris eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & omnibus ad illam ſpectantibus, nec non reliquis aliis primis eccleſiæ, Hieroſolymorum, Antiochenæ, Alexandrinæ, & earumdem ſedium præſulibus.*

CUm veſtras ſana mente ſcriptas literas, fratres dilectiſſimi, acceperimus de ſincera unione & concordia cum Photio reverendiſſimo patriarcha, multum illis gaviſi ſumus: quod ſcilicet omnes in D communione ſpiritus, & univerſali concordia ea quæ ſunt domini noſtri Jeſu Chriſti ſentiamus atque amplectamur, & quæ ſunt veſtro pio affectu, animarum veſtrarum ſanctitati conſentanea: ut non ſint in vobis ſchiſmata, ſed ut ſciatis quærere, pulſare, & invenire. Nos vero apoſtolicæ ſedis affectu commoti, ſicut compatimur & condolemus his qui diſſident, & a Chriſti corpore ſunt abſciſſi, atque contendunt ut ſeditio potius & error prævaleant, quam Chriſti præcepta; ita gaudemus vinculo pacis & caritatis fraternitatis veſtræ: & ſine intermiſſione oramus Deum, E ut ſitis ſine querela & ſimplices filii Dei, quemadmodum inquit apoſtolus; & ut ſemper Deus pacis ſit vobiſcum. Igitur veſtra vere multa ſolicitudo & in bono perſeverantia petiit beati principis apoſtolorum Petri caritatem vobis impertiri, ut Photium ſanctiſſimum patriarcham in regionibus Conſtantinopolitanæ ditionis eccleſiæ reſtitutum amplectentes, vobiſcum una recipiamus. Nos in corde & animo retinentes quod in euangelio dictum eſt primo illi paſtori, cui dominus dixit: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos:* Luc. 22.

libenter complevimus petitiones veſtras. His enim divinis eloquiis excitati, & poteſtatem habentes a Deo corroboratam, & orbi terrarum cognitam, quatenus a culpa & condemnatione liberi, Chriſtianis omnibus opem & auxilium afferre poſſimus; libenter annuimus petitioni veſtræ, præcipue vero ſequentes exempla eorum, qui nos præceſſerunt pontifices Dei, Hadriani inquam beatæ memoriæ: quippe qui opem tulit Taraſio ſancto patriarchæ, quo tempore nonnulli tumultum ac ſeditionem adverſus illum commoverunt. Etenim ille ſanctus patriarcha Conſtantinopolitanæ urbis Taraſius miſit tunc ſynodales literas, conſuetum ſequens ac ſervans morem. Quas cum legerimus, & rectitudinem fidei quam habebat tum in aliis dogmatibus, tum de ſanctis & venerandis imaginibus, perſpexerimus; cum denique literas ipſas ſanctis ſex univerſalibus conciliis congruentes invenerimus, amplexi ſumus, & cum illis conſenſimus: licet non ſine moleſtia & perturbatione illud tulerimus, quod a ſæculari ordine & regali miniſterio atque a caligis ad magnam ſedem aſcenderit, neque ſecundum noſtros canones patriarcha effectus ſit. Itaque loqui erat difficile, tacere vero periculoſum. Decet enim paſtores eſſe tales, qui non doceri habeant, ſed docere alios poſſint; quique non antequam didicerint, vocentur magiſtri; ſed qui animadvertunt, quomodo ipſi non percipiant fructus peccatorum, quæ commiſerint animæ ſibi creditæ; neque in gradum illum inſilire ſtudeant, cujus dignitas quantam ſapientiam poſtulet, ignorant. Scire enim oportet, quam abſurdum, ſuperbum ac terribile ſit, divinarum rerum imperitum & inſcium hominem a mundanis negotiis & ſæculari converſatione ad docendi gradum aſcendere. Ecquis enim imperator exercitum ducere poterit, niſi omnium teſtimonio comprobatus fuerit, poſſe labore ac diligentia ſibi commiſſum exercitum ſervare? Si hoc ita ſe habet, quanto magis ad epiſcopatus altitudinem promoveri non debet; aut illi animarum cura credenda non eſt; qui eccleſiaſticæ diſciplinæ ignarus eſt, atque in militia & politicis rebus ſe commiſcens, repente ad eccleſiaſtici gradus faſtigium aſcenderit? ubi poſitus, cum eccleſiaſticarum legum nihil cognoverit, qua ratione ille poterit alios docere? Quamobrem canonica conſtitutio præcepit atque injunxit, ne is qui ita imperitus eſt, ac paſci ipſe neſcit, ad paſtoris & magiſtri dignitatem ſtatim promoveatur. Quapropter & ſupradictus ſanctiſſimus Taraſius cum ex laico ad patriarchatum promotus eſſet, turbavit quoſdam. Sed fideliſſimo ſuo curſu, hoc eſt ſanctarum imaginum reſtitutione, hac de cauſa omnes tunc in ejus patriarchatum conſentientes, ejus promotionem comprobavimus; quemadmodum & nunc in præſenti negotio Photii, inquam, fratris & conſacerdotis noſtri. Sed quod raro fit, non eſt habendum pro lege: neque quoniam præter opinionem iſti effulſerunt, propterea tamquam regula ſervari hoc debet in aliis. Sed conveniens eſt, fratres dilectiſſimi, antiquam legem ſervari, ut ex præſenti tempore in ſancta veſtra

ἀπεπληρώσαμεν. τούτοις γὰρ διαναστάντες τοῖς θείοις, λογίοις, καὶ ἐξουσίαν ἔχοντες ἐνδυναμουμένην, ἐφ' ὅσον ἄμεμπτοι καὶ ἀκατάγνωστοι δυνάμεθα διαμεῖναι, βοήθειαν καὶ συνεργίαν φέρειν πᾶσι Χριστιανοῖς, τὴν ἐξηχηθεῖσαν εἰς πάντα τὰ πέρατα· μάλιστα δὲ ἑπόμενοι τοῖς τῶν πρὸ ἡμῶν Ἀρχιερέων Θεοῦ παραδείγμασι· λέγω δὴ Ἀδριανοῦ τοῦ ἐν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ πάπα, καθὼς ἐκεῖνος ἐποίησε, συνεργήσας Ταρασίῳ τῷ ἐν ἁγίοις πατριάρχῃ, ὁπηνίκα τινὲς πρὸς αὐτὸν ταραχὰς καὶ στάσεις ἐποίουν. καὶ γὰρ ἐκεῖνος ὁ ἐν ἁγίοις πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως Ταράσιος ἀπέστειλε τότε συνοδικὰ γράμματα, πληρῶν τὸ κατ' ἔθος. ἃ ἡμεῖς δεξάμενοι, καὶ τὸ ὀρθὸν τῆς αὐτοῦ πίστεως, ὅπερ εἶχε περί τε τὰ ἄλλα δόγματα, καὶ περὶ τὰς εὐαγεῖς καὶ σεπτὰς εἰκόνας, μαθόντες, καὶ εὑρόντες σύμφωνα τῶν ἁγίων ἓξ οἰκουμενικῶν συνόδων, ἠσμενίσαμέν τε καὶ συνεφωνήσαμεν· εἰ καὶ οὐκ ἀλύπως ἐνηνέχαμεν, οὐδὲ ἀταράχως, ὅτι ἀπὸ κοσμικοῦ τάγματος καὶ βασιλικῆς ὑπηρεσίας, ἀπὸ καλίγων εἰς τὸν μέγαν θρόνον ἀνῆλθε, καὶ οὐ κατὰ τοὺς παρ' ὑμῖν κατέστη κανόνας πατριάρχης· καὶ τὸ μὲν λαλῆσαι ἦν χαλεπὸν, σιωπῆσαι πάλιν ἐπικίνδυνον. δεῖ γὰρ τοὺς ποιμένας μὴ διδασκομένους εἶναι, μηδὲ πρὸ τοῦ μαθεῖν καλεῖσθαι διδασκάλους. ἀλλ' ἵνα θεωρῶσιν, ὥστε μὴ θερίσαι αὐτοὺς ἁμαρτίαν ἐκ τῶν ψυχῶν, ὧν ἐπιστεύθησαν· μηδὲ εἰς τὸν βαθμὸν τῆς σοφίας, οὗ τὴν ἄγνοιαν ἔχουσιν, ἀναπηδᾷν σπουδάζωσι. δεῖ γὰρ εἰδέναι, ὅσον αὔθαδες καὶ φοβερόν ἐστιν, ἀμαθῆ τῶν θείων ὄντα καὶ ἀνεπιστήμονα, ἐκ κοσμικῆς πραγματείας καὶ ἀγελαίας συναναστροφῆς εἰς διδασκαλίας ἀναβαίνειν βαθμόν. ποῖος γὰρ στρατηγὸς στρατοῦ καθηγεῖσθαι δύναται, ἐὰν μὴ μαρτυρηθῇ παρὰ πάντων, ὅτι δύναται μόχθῳ καὶ φροντίδι τὸν καταπιστευθέντα αὐτῷ σώζειν λαόν; εἰ δὲ τοῦτο, πόσῳ μᾶλλον ψυχὰς οὐκ ἐμπιστευθήσεται, καὶ εἰς τὸ ὕψος τῆς ἐπισκοπῆς ἀνέλθοι, ὁ τὴν ἐκκλησιαστικὴν μάθησιν ἀγνοῶν, καὶ στρατείαις καὶ πολιτικοῖς συμφυρόμενος πράγμασιν, εὐθέως εἰς τὸ ὕψος τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως τῆς κορυφαίας ἀναδραμεῖται; εἶτα ἐκεῖ ἀναβὰς, καὶ μηδὲν ἐπιστάμενος τῶν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν, πῶς ἄλλους δύναται διδάξαι; διὰ τοῦτο ἡ κανονικὴ πρᾶξις συνεστήσατο καὶ παρήγγειλεν, ἵνα μὴ οὕτως ὁ ἀμαθὴς καὶ μὴ εἰδὼς ποιμαίνεσθαι, εἰς ποιμένας εὐθὺς καὶ διδασκάλους ἀναβαίνῃ. διὰ τοῦτο δὲ καὶ ὁ προρρηθεὶς ἁγιώτατος Ταράσιος ἀπὸ λαϊκοῦ εἰς ἀρχιερωσύνην ἐλθὼν, ἐθορύβησε τινάς. ἀλλὰ διὰ τοῦ πιστοτάτου αὐτοῦ δρόμου, τουτέστι διὰ τὴν ἐπανόρθωσιν τῶν ἁγίων εἰκόνων, τούτου χάριν ἅπαντες οἱ τηνικάδε εἰς τὴν αὐτοῦ ἀρχιερωσύνην ὁμονοήσαντες, συνευδοκήσαμεν καὶ ἡμεῖς μετ' αὐτῶν, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῆς παρούσης ὑποθέσεως, λέγομεν δὴ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου ἀδελφοῦ ἡμῶν καὶ συλλειτουργοῦ. ἀλλ' οὐ χρὴ τὸ σπάνιον νόμον γίνεσθαι· οὐδὲ διότι παραδόξως οὗτοι ἐξέλαμψαν, κανόνα τοῦτο ποιεῖσθαι καὶ εἰς τοὺς ἄλλους. ἀλλὰ πρέπον ἐστὶν, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, τὸν παλαιὸν νόμον συντηρεῖν· ἵνα ἀπὸ τοῦ παρόντος εἰς τὴν καθ' ὑμᾶς ἁγίαν τοῦ

Θεοῦ



Θεοῦ ἐκκλησίαν τοῖς ὁμοίοις τρόποις μὴ παραβαίνωνται τῶν πατέρων οἱ κανόνες ἐν τούτῳ, μηδὲ αἰφνίδιον εἰς τὴν μεγάλην ἀξίαν τινὲς ἀνατρέχωσι. παρακαλοῦμεν δὲ καὶ τοῦτο τὴν ὑμετέραν ἀδελφότητα, ἵνα τὴν ἐπαρχίαν τῆς Βουλγαρίας, ἣν ὁ Θεὸς διὰ πρεσβειῶν τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου, καὶ τοῦ κόπου καὶ μόχθου τοῦ προηγησαμένου ἡμῶν, εἰς Χριστὸν ἐπέστρεψεν, ἀποδώσητε ἡμῖν. θέλομεν δὲ καὶ τοῦτο, ἵνα ἐὰν ᾖ τις δεδιωγμένος ἢ ἀποσχίστης, διὰ τοῦ ὑμετέρου κόπου μοχθήσαντες ὑμεῖς μετὰ τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Φωτίου, ὑπὲρ οὗ καὶ τὸν πόθον διεχαράξατε, μετὰ πάντων ὑμῶν τῶν εὐσεβῶν ἔργων καὶ αὐτοὺς κερδήσητε· ὡς ἂν καὶ ἐν τούτῳ ἄμεμπτοι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ εὑρεθείητε. ὁ δὲ ἁγιώτατος καὶ θεοσεβέστατος ἀδελφὸς ἡμῶν Φώτιος ὁ πατριάρχης μὴ ἀπαξιώσῃ ἐνώπιον τῆς συνόδου τὴν χάριν καὶ τὴν σπουδὴν ἡμῶν, μᾶλλον δὲ τὰ σπλάγχνα τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἀνακηρύξαι. ὥσπερ καὶ ἡμεῖς χάριτας αὐτῷ ἀδελφικὰς κατεθέμεθα, πατριάρχην αὐτὸν ἀποδεξάμενοι ἐννομώτατον καὶ κεκανονισμένον, συγκοινωνοῦντα τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου· καὶ πᾶσα ἡ ἐκκλησία τῶν Ῥωμαίων σπλάγχνα πατρικὰ ἐπεδείξατο εἰς αὐτὸν, παραδείγμασιν ἐπακολουθήσασα τῶν τε ἄλλων προηγησαμένων ἡμῶν, μάλιστα δὲ τοῦ μακαριωτάτου Ἰννοκεντίου, καὶ Γελασίου, καὶ πολλῶν ἁγίων ἀρχιερέων Ῥώμης. χρὴ γὰρ ὅσα εἰς κοινὴν σωτηρίαν συντελεῖ, πάντα προθύμως ποιεῖν. καὶ γὰρ πολλοὶ τῶν Ἀρχιερέων τοὺς οἰκείους θρόνους ἀδίκως ἀποβαλόντες, καὶ διωχθέντες ἐξ αὐτῶν, τῇ Ἀποστολικῇ διαθέσει τοὺς ἰδίους θρόνους ἀπέλαβον. ὑμῶν δὲ ἀγαθῶν ὄντων, καὶ ἐπ' ἀγαθοῖς τὴν αἴτησιν ποιουμένων, καὶ ἐπὶ συμφέροντι κοινῷ τῆς οἰκουμένης, τίς οὕτω σκληρὸς καὶ ὠμὸς εὑρεθείη, ἵνα πρὸς τὴν ὑμετέραν αἴτησιν, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, ἀπαυθαδιάσῃ, καὶ ἀποδοκιμάσῃ τὴν κοινὴν τῶν ἐκκλησιῶν σωτηρίαν; ἰδοὺ τοίνυν ὑπηκούσαμεν καὶ ὑπακούομεν τῇ ὑμετέρᾳ ἀξιώσει, ἐπικυροῦντες καὶ ἐπιβεβαιοῦντες τὸν ποιμένα ὑμῶν Φώτιον τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην. καὶ δυσωποῦμεν τὴν ὑμετέραν εὐλάβειαν, ἐν καλῇ ἀναστροφῇ διαμεῖναι, καὶ ἵνα μὴ ὦσιν ἐν ὑμῖν σχίσματα· ἀλλ' ἀποδεξάμενοι αὐτὸν αἰσίως ἅπαντες σὺν εἰλικρινεῖ προθέσει, ἀδιστάκτῳ γνώμῃ καὶ ἀδόλῳ καρδίᾳ, καθὼς καὶ διεσημάνατε, τὸν αὐτὸν σύνδεσμον καὶ τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἐν Χριστῷ τῇ πάντων κορυφῇ συνάψητε· καὶ μηδεὶς μηκέτι ἐν ὑμῖν στασιάζῃ. ὁ γὰρ αὐτὸν μὴ ἀποδεχόμενος, οὐκ ἔχει μέρος μεθ' ἡμῶν· ὥσπερ ὁ δεχόμενος αὐτὸν, καὶ ἡμᾶς δέχεται. δεῖ γὰρ ὑμᾶς, ᾧ τινι χεῖρα ἡμεῖς ὀρέγομεν, μεθ' ἡμῶν ὀρέγειν· ἵνα καὶ ἡμεῖς, ᾧ τινι χεῖρα ὀρέγετε, μεθ' ὑμῶν ὀρέγωμεν. οὕτω γὰρ πληροῦται καὶ τὸ, ἐν ἑνὶ πνεύματι καὶ μιᾷ καρδίᾳ δοξάζειν τὸ πάντιμον ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Dei eccleſia ſimili modo non violentur in hoc paterni canones, neve repente ad magnam dignitatem aliqui promoveantur. Rogamus etiam fraternitatem veſtram, ut Bulgariæ provinciam, quam Deus ipſe interceſſionibus beati Petri apoſtoli, & ſtudio ac labore prædeceſſoris noſtri ad Chriſti fidem convertit, nobis reſtituatis. Volumus etiam, ut ſi quis eſt qui perſecutionem patiatur, vel in ſchiſmate adhuc perſiſtat, una cum ſanctiſſimo patriarcha Photio (pro quo deſiderium ſignificaſtis) laboretis pro his qui ſunt hujuſmodi: ut cum aliis piis operibus hoc quoque perficientes, illos etiam lucrifaciatis; ut & in hoc ſine culpa inveniamini coram Deo. Ipſe vero ſanctiſſimus & piiſſimus frater noſter Photius non dedignetur in conſpectu ſynodi gratiam & ſtudium noſtrum, vel potius viſcera Romanæ eccleſiæ prædicare; quemadmodum & nos gratiam illi fraternam contulimus, ut patriarcham eum ſuſcipientes legitimum omnino & canonicum, & cum ſancto apoſtolo Petro communicantem. Itaque tota Romana eccleſia paterna illi aperuit viſcera, eorum qui nos præceſſerunt, ſequens exempla, præcipue beatiſſimorum Romanorum pontificum Innocentii, Gelaſii, & aliorum. Oportet enim omnia quæ ad communem ſalutem pertinent, libenter facere. Nam multi epiſcopi, qui fuerant injuſte a ſuis ſedibus ejecti, apoſtolica diſpoſitione ſunt reſtituti. Vos autem cum ſitis boni, & honeſta poſtuletis cum communi eccleſiæ bono, quis erit tam durus & inhumanus, ut veſtræ petitioni, fratres dilectiſſimi, contradicere, aut communem eccleſiarum ſalutem reprobare audeat? En igitur veſtræ petitioni auſcultavimus & auſcultamus, approbantes & confirmantes vobis paſtorem Photium ſanctiſſimum patriarcham. Rogamus autem pietatem veſtram, ut in bona converſatione perſeveretis, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſed recipientes ipſum omnes ſincero animo, certa ſcientia, puroque corde, ſicut vos facturos ſignificaſtis, eodem vinculo & caritate in Chriſto qui eſt omnium caput, connexi ſitis; neque quiſquam amplius in vobis ſeditioſe agat. Qui enim ipſum non recipit, non habet partem nobiſcum: quemadmodum qui eum recipit, & nos recipit. Oportet enim cui nos manum porrigimus, & vos porrigere: ut & nos, cui vos porrigitis, vobiſcum una porrigamus. Ita enim fit, ut uno ſpiritu & uno corde glorificetur honorabile nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

## IN CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM IV.

[b] OECUMENICUM SEU UNIVERSALE [c] octavum [d] approbatum, [e] centum & duorum epiſcoporum, quo [f] Ignatius ab exilio cum dignitate revocatus, ſedique Conſtantinopolitanæ reſtitutus eſt, [g] Photio cum 45. [h] Photianis, omnibuſque Iconomachis exauctoratis & anathemate damnatis; anno domini 869. die 5. Octobris inchoatum, [i] anno autem ſequente 870. ultimo Februarii abſolutum ſub Hadriano papa II. & Baſilio imperatore.

ANNO CHRISTI 870.

## NOTÆ SEVERINI BINII.

*Hæc ſancta ſynodus ab Hadriano papa indicta eſt.*

a *Concilium.* ] Hanc ſacroſanctam ſynodum Hadrianus pontifex indixit, Baſilius vero imperator auxilio & opera ſua promovit. Nam epiſtola, quam hac de re Hadrianus papa ſcripſit ad Baſilium imperatorem, diſertis verbis iſta continet: *Volumus ergo per veſtræ pietatis induſtriam numeroſum celebrari concilium, cui noſtri quoque miſſi præſidentes, & culparum perſonarumque differentias liquido cognoſcentes, juxta quod in mandatis acceperunt, ſingulorum libere diſcretiones exerceant*, &c. ut ſupra actione I. verſionis Anaſtaſii. His literis acceptis tres legatis ſedi apoſtolicæ, Donatus & Stephanus epiſcopi cum Marino diacono Conſtantinopolim profecti, ſummo cum triumpho ab imperatore Baſilio recepti fuere. Cumque ipſi extirpationem ſchiſmatis deprecanti reſpondiſſent, ſe ideo veniſſe, ideoque a ſede apoſtolica Conſtantinopolim miſſos eſſe, ut eccleſiam Conſtantinopolitanam ſchiſmate purgarent, neminemque orientalium ſuſciperent, niſi qui prius oblato libello (quem ſupra in actis ſynodalibus invenies) ſubſcripſiſſet, ad petitionem Baſilii imperatoris prolata eſt forma libelli, & de Latino in Græcum converſa, omnium notitiæ intimata fuit. Hæc de iis quæ ante ſynodum contigerunt in vita Hadriani ſecundi ſupra Anaſtaſius, qui Conſtantinopoli his temporibus agens, hæc omnia præſens vidit & deſcripſit. De rebus in ſynodo geſtis infra agemus.

*An fuerit œcumenicum.*

b *Oecumenicum.* ] Anaſtaſius hiſtorica præfatione ad hanc octavam ſynodum ſcripta ad Joannem papam: *Nuncupanda eſt*, inquit, *ſine ulla contradictione ſynodus univerſalis octava, ut & appellatio, quam cum aliis conciliis ſortita eſt, non celetur, & nomen proprium, quod ſingulariter poſſidet, non veletur.* Formula profeſſionis fidei, quæ in ordinatione epiſcoporum & Romanorum pontificum ex more uſurpari ſolet, hanc ſynodum Conſtantinopolitanam œcumenicam eſſe teſtatur. Et quidem merito œcumenica cenſetur eſſe ſynodus, quam Romanus pontifex indixit, cuique convocatis ex toto orbe Chriſtiano epiſcopis, per Donatum Oſtienſem, Stephanum Nepeſinum epiſcopos, & Marinum ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconum, apoſtolicæ legationis munere fungentes, ideoque primum loquentes, primumque ſubſcribentes, præſedit. Imperator Baſilius adfuit quidem: ſed in fine concilii aperte teſtatus eſt longa oratione, non eſſe ſuum, nec ullius hominis laici miſcere ſe eccleſiaſticis judiciis. Et tandem poſt omnes patriarchas non definiens, ſed ſuſcipiens & conſentiens ſubſcripſit cum illa præfatiuncula & proteſtatione prævia, ſe debuiſſe ſubſcribere poſt omnes epiſcopos, ut olim fecerunt Conſtantinus, Theodoſius & Marcianus: tamen ſe immediate poſt patriarchas ſubſcripſiſſe, quia tali cum honore epiſcopi afficere voluerint. Oecumenica igitur ſynodus eſt iſta unica, quæ tali tempore Hadriani papæ II. & Baſilii imperatoris, anno domini 869. celebrata eſt Conſtantinopoli in cauſa viventis adhuc Ignatii ejuſdem Conſtantinopolitanæ eccleſiæ patriarchæ.

*Imperator ſynodo non præſedit.*

*In cauſa Ignatii quot concilia habita fuerint.*

Scio quod in cauſa Ignatii plures ſynodi Romæ & Conſtantinopoli ſub Nicolao I. Hadriano II. & Joanne VIII. habitæ fuerint: verum ex iis tres tantum legitimæ, reliquæ autem omnes damnatæ habentur. Cum hac unica Conſtantinopolitana legitimæ ſunt duæ Romanæ, quarum altera ſub Nicolao, altera ſub Hadriano II. Romæ celebrata eſt. Reliquæ pſeudoſynodi ſunt omnes, atque ideo eaſdem non aliter quam conciliabuli ſuo loco a me nominatas invenies.

Matthæus Raderus e ſocietate Jeſu, qui hanc ſynodum cum Vaticanis & Antonii Auguſtini codicibus collatam a Græco Latine tranſtulit, & doctiſſimis, quæ meis annotationibus inſeruntur, ſcholiis illuſtravit, hæc de re iſta notavit.

*Porro quatuor concilia œcumenica reperio, quibus pontifex Romanus vel per ſe, vel per legatos interfuit: quæ omnia locum octavi œcumenici & nomen ſibi tranſcribunt.*

*Primum eſt anno Chriſti 861. Conſtantinopoli celebratum, in quo, ut ſupra diximus, Ignatius eſt publice exauctoratus. Nicetas enim his verbis citatum ait Ignatium. Legati antiquæ Romæ, &c. ſignificant tibi, ut ad ſanctam & œcumenicam ſynodum extemplo venias. Sed hoc locum potius octavi, quam nomen obtinuit, damnatumque poſtea a Nicolao & Hadriano fuit.*

*Octavum legitimum.*

*Alterum verum & germanum eſt œcumenicum, ſub Hadriano ſecundo Conſtantinopoli, a Baſilio & legatis pontificiis celebratum, in quo reſtitutus eſt* A *Ignatius. Et hoſt eſt œcumenicum octavum legitimum anno Chriſti 869.*

*Tertium eſt quod ſchiſmatici pro octavo numerant, in quo per fraudem Photius ſedem recepit, anno Chriſti 880. Hujus etiam in Florentino fit mentio.*

*Concilium Florentinum.*

*Quartum eſt Ferrarienſe ſeu Florentinum, quod in quinto conciliorum volumine VIII. appellatur, ſed interpretis inſcitia. probatum illud quidem, ſed numero ſextumdecimum.* Hæc Raderus.

c *Octavum.* ] Quid de octavæ ſynodi titulo actis ſynodalibus concilii Florentini male inſcripto ſentiat Baronius, declarat ipſe tom. 10. annalium, anno 869. num. 64. his verbis ſequentibus:

*Cum autem hoc ſtatu, de octava ſynodo œcumenica comprobata, & numquam reſciſſa, monſtrata* B *acta illa concilii Florentini remanſiſſent, magna interpretis temeritate atque audacia, ſicut & imperitia factum eſt (fuit is Abrahamus Cretenſis) ut eidem concilio Florentino inditum illud ſit nomen, ut octava ſynodus nominetur, cum id factum decreto ipſius ſynodi dici non poſſit, ſicut nec debuit; cum nulla ratio ſubſit, ut illa dici queat octava, eum locum in ordine numeri vendicante ſibi hac ipſa legitima octava, eademque œcumenica celebrata ſub Hadriano, dicta jure Conſtantinopolitana octava, quam (ut audiſti) una cum aliis œcumenicis profiteri ſolerent omnes electi Romani pontifices conſecrandi: ut antiquata nullo modo dici poſſit, quæ per ſingulos ſucceſſores Romanos pontifices ſolenni ritu profeſſione fidei innovaretur. Cum igitur nec in Florentinæ ſynodi decre-* C *tis, vel actis, nec in Eugenii papæ diplomatibus de ipſa datis, concilium illud octavum ut dicatur, cautum aliquo modo inveniatur, interpretis Abrahami explodenda omnino penituſque temeritas eſt, qui eidem octavæ ſynodi nomen perperam indidit; cum alioqui, etſi hæc de qua agimus, octava ſynodus (quod dicere ſacrilegium eſt) fuiſſet abolita, adhuc tamen nec Florentino concilio illa nota numeri competit, ut dicatur octavum, cum plures aliæ ante ipſam celebratæ inveniantur ſynodi œcumenicæ. Aboleatur igitur (iterum clamo) aboleatur omnino nomenclatura mendax a Cretenſe mendace præſumpta, Latinis tradita, & inconſiderate deſcripta, cuſaque oſcitantia collectoris.*

*Abrahamus Cretenſis interpres concilii Florentini, quem* [illegible] *dus.*

Atque hæc de concilio octavo œcumenico ab eccleſia Latina probato & recepto, Baronius prædicto loco.

D

*An ſit approbatum.*

b *Approbatum.* ] Hoc concilium a Græcis orthodoxis fuiſſe receptum oſtendit breviarium octavæ ſynodi, quod ex Radero acceptum Græce & Latine ſubjungendum putavi in additamento eorum quæ in Romana editione deſiderantur. Ab Anaſtaſio in vita Hadriani ſecundi, ſacta & approbata ſynodus merito appellatur: utpote quod auctoritate Hadriani pontificis confirmata, inter alias œcumenicas annumerari, & in fidei profeſſionibus ex more fieri ſolitis poſt alias ſeptem œcumenicas publica lectione & profeſſione approbari meruerit. *Conſtat*, inquit Baronius prædicto loco, *quod etiam ipſi Romani pontifices in eorum ordinatione profitebantur una cum aliis ſynodis œcumenicis, hanc quoque dictam octavam Conſtantinopolitanam œcumenicam ſe recipere, ut patet ex ſolenni fidei profeſſione ab eis recitari ſolita, cum in pontificem electi eſſent jam conſecrandi, quæ ſic habet.*

E

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.*

*Ex libro* [illegible] *Antonii Auguſtini* [illegible] *profeſſio pontificis.*

Ego N. ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus vel presbyter aut epiſcopus cardinalis electus, ut fiam per Dei gratiam hujus ſanctæ apoſtolicæ ſedis humilis miniſter, profiteor tibi beate Petre apoſtolorum princeps, cui claves regni cæleſtis ad ligandum atque ſolvendum in cælo & in terra creator & redemptor dominus noſter tradidit, inquiens: *Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis:*

*Matth. 16.*



ANNO CHRISTI 870.

ſanctæque tuæ eccleſiæ, quam hodie tuo præſidio regendam ſuſcipio, quod quamdiu in hac miſera vita conſtitutus fuero, ipſam non deſeram, non relinquam, non abnegabo, non abdicabo aliquatenus, nec ex quacumque cauſa, cujuſcumque metus vel periculi occaſione dimittam; nec me ſegregabo ab ipſa, ſed veræ fidei rectitudinem, quam Chriſto auctore tradente per beatiſſimum tuum coapoſtolum Paulum, & per diſcipulos ſucceſſores veſtros uſque ad exiguitatem meam prolatam in tua ſancta eccleſia reperi, totis conatibus, uſque ad * ſanguinem cuſtodire, tam de ſanctæ & individuæ Trinitatis myſterio, quæ unus eſt Deus; quam de diſpenſatione, quæ ſecundum carnem facta eſt unigeniti filii Dei domini noſtri Jeſu Chriſti. Et de ceteris eccleſiæ dogmatibus, ſicut in univerſalibus conciliis & conſtitutionibus apoſtolicorum pontificum, probatiſſimorumque eccleſiæ doctorum ſcriptis ſunt commendata, id eſt quæ ad rectitudinem noſtræ veſtræque orthodoxæ fidei a te traditionem recipiunt, conſervare, ſanctaque octo univerſalia concilia, id eſt Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Epheſinum primum, Chalcedonenſe, quintum quoque & ſextum item Conſtantinopolitana, & ſeptimum item Nicænum, octavum quoque item Conſtantinopolitanum uſque ad unum apicem immutilate ſervare, & pari honore & veneratione digna habere: & quæ prædicaverunt, & ſtatuerunt, omnimode ſequi, prædicare: quæque condemnaverunt, condemnare ore & corde.

** al. aulnum.*

*Diſt. 6. c. 1.*

Diligentius autem & vivacius quamdiu vixero, omnia decreta canonica prædeceſſorum apoſtolicorum noſtrorum pontificum, quæcumque ipſi ſynodaliter ſtatuerunt & probata ſunt, confirmare, & indiminuta ſervare, & ſicut ab eis ſtatuta ſunt, in ſui vigoris ſtabilitate cuſtodire: quæque vel quoſcumque condemnaverunt, vel abdicaverunt, ſimili ſententia condemnare, vel abdicare. Diſciplinam & ritum eccleſiæ, ſicut invenimus a ſanctis prædeceſſoribus meis canonice traditum, quamdiu vita in iſtis comes fuerit, illibate cuſtodire, & indiminutas res eccleſiæ conſervare, neque alienare, ſeu in feudum, cenſum, vel emphyteuſim dare quomodolibet ex quacumque cauſa; & ut indiminute cuſtodiantur, operam dare. Nihil de traditione, quam a probatiſſimis prædeceſſoribus meis canonice traditam & ſervatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere; ſed ferventer, ut eorum vere diſcipulus & ſequipeda, totis mentis meæ conatibus quæ tradita canonice comperio, ſervare & venerari. Si qua vero emerſerint contra canonicam diſciplinam, communicatione filiorum meorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, cum quorum conſilio, directione & rememoratione miniſterium meum geram & peragam, emendare, aut patienter (excepta fidei & Chriſtianæ religionis gravi offenſione) tua & beatiſſimi tui coapoſtoli Pauli procurante interceſſione, tolerare, ſacroſque canones & ſacrorum pontificum conſtituta, ut divina & cæleſtia mandata, Deo auxiliante, cuſtodire. Utpote Deo & tibi ſciens me redditurum de omnibus quæ profiteor, & quamdiu vixero, egero, vel oblivifcar, diſtrictam in divino judicio rationem. Cujus ſanctiſſimæ ſedi divina dignatione, te patrocinante, præſideo, & vicem interceſſionibus tuis adimpleo. Eris autem mihi in illa terribili die hæc conanti, & diligenter ſervare curanti propitius.

A Adjutorium quoque ut præbeas, obſecro, in hac corruptibili vita conſtituto, ut irreprehenſibilis appaream ante conſpectum judicis omnium domini noſtri Jeſu Chriſti, dum terribiliter de commiſſis advenerit judicare, ut faciat me dexteræ partis participem, & inter fideles diſcipulos & ſucceſſores tuos eſſe conſortem. Hanc autem profeſſionem meam per notarium & ſcriniarium ſanctæ Romanæ eccleſiæ me jubente ſcriptam, propria manu ſubſcripſi, & tibi apoſtole Petre, & apoſtolorum omnium principi, pura mente & devota conſcientia ſuper ſanctum corpus tuum & altare tuum ſinceriter offero. Actum, &c. *Hactenus profeſſio pontificis.*

B Quod audiſti, lector, octo ſynodos œcumenicas recipi ab omnibus Romanæ eccleſiæ thronum conſcenſuris, ipſamque octavam ſynodum œcumenicam, Conſtantinopolitanam dici, nec aliam quam hanc quæ ſub Hadriano ſecundo eſt celebrata: hinc valde miramur, cur concilium Florentinum, octava ſynodus œcumenica dicta & inſcripta in ipſius actis typis excuſis habeatur. Pace dictum ſit Juliani cardinalis, qui in diſputatione habita cum Marco Epheſino ſeſſione ſexta Ferrariæ, eidem nimis viſus eſt indulgere iſta dicenti de octava hac de qua agimus, ſynodo, cum ea carens Julianus, & a Græcis eamdem petens, Epheſinus hæc attulit in excuſationem: *Concilium illud inter generalia connumerandum non eſt, quandoquidem non modo non ſuſceptum, verum etiam antiquatum fuiſſe conſtat. Joannis enim & Hadriani ſummorum pontificum tempore convocatum fuit, ac Photium Conſtantinopolitanum antiſtitem condemnavit. Is deinde Joannes aliud concilium habuit, quod idem appellavit octavum, quod acta* C *ipſius concilii, quod vos octavum fuiſſe dicitis, improbavit, Photiumque reſtituit. In quo plane concilio inter alia fuerat decretum, ut hæc eadem ſymboli additio tolleretur: quod vos non ignorare putamus. Si quidem igitur ipſius concilii acta reprobata videntur, non eſt congruum rationi, ut de his aliqua mentio fiat, cum alterum octavum concilium ſequi potius deberemus. Propterea tempore ex eo in Conſtantinopolitana eccleſia hucuſque ſolet ita celebrari: Quæcumque in ſanctos patriarchas Ignatium & Photium ſcripta vel dicta ſunt, anathema ſunto.*

*Concil. Flor. act. 6. in princ. Marci Epheſ. mens ſubdola. Mendacia Marci Epheſ.*

Hucuſque Marcus Epheſius, veteratoria arte Latinos exuens tanto concilio œcumenico; ipſa, inquam, octava ſynodo ſolemni ritu ſub Hadriano pontifice Conſtantinopoli celebrata: turpiter mentiens quidem & multipliciter, ut ex iis quæ ſuperius ſunt dicta, & quæ ſuo loco in Joanne papa dicentur, quilibet facile poterit intelligere. Procul enim abeſt, ut octava ſynodus ſub Hadriano abrogata fuerit a Joanne Romano pontifice: lon- D geque longius a vero diſcrepat, ut Joannes ſynodum Photianam damnantem octavam eamdem legitimam eſſe & œcumenicam ſynodum comprobarit. Falſum quod ait, quod œcumenica eadem octava ſynodus ſub Joanne etiam pontifice fuerit congregata, quam inchoatam & abſolutam vidimus ſub Hadriano. Rurſum quas citat literas Joannis contra octavam ſynodum, eas falſatas fuiſſe a Photio, ex teſtificatione ejuſdem Joannis literarum luce meridiana clarius ſuo loco demonſtratur, ut de his nulli prorſus poſſit eſſe aliqua dubitatio.

Præterea non fuit juris ac poteſtatis eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, anathemati tradere quæcumque tranſacta ſunt inter Ignatium patriarcham atque Photium, cum ea publica fuerint; & quæ pro Ignatio contra Photium facta ſunt, eadem auctoritate Romanorum pontificum habita atque comprobata fuiſſe noſcantur. Ad poſtremum, cum ambos Ignatium atque Photium nominet patriarchas atque ſanctos; cum neceſſario mentitum opor- E tuit in alterutrum; cum de patriarchatu pugnantibus invicem uſque ad mortem, plane dicendum eſt, quod ſi legitimus patriarcha fuit dum vixit Ignatius, Photius tunc temporis eſſe non potuerit. Sed & ſi ſanctus fuit Ignatius, quem jure meritoque tam orientalis quam occidentalis eccleſia inter ſanctos allegit: neceſſe eſt dicere, ut ejus perſecutor acerbiſſimus Photius in anathemate diem claudens extremum, ſanctus neutiquam dici poſſit, ſed maledictus, reprobus, inter damnatos & excommunicatos annumerandus. Tanta iſta cum potuiſſet atque debuiſſet in plena ſynodo contra Marcum reſpondendo Julianus afferre, & inſultantem Græcum, retundens mendacia veritate, perſtringere & cohibere, & loquacem elinguem reddere, procacemque reprimere: iſta omnia prætermittens, puto ignoratione rerum geſtarum, iſta tantum Marco, omnibuſque ſimul Græcis reſpon-

*Marcus Epheſius redarguitur.*

ANNO CHRISTI 870.

reſpondit: *Hoc autem metu vos libero, præſtantiſſimi patres. nam nihil de ipſo concilio, octavo ſcilicet, recitabitur. Sed quoniam in eo volumine nonnulla ſexti, ſeptimique concilii acta ſunt ſcripta; idcirco ea videre vellemus. nam de octavo concilio nobis curæ non eſt.* Hactenus Julianus: atque ea actione de octava ſynodo poſthac ſilentium.

*Juliani incuria in re tanta.*

Sic ipſe quaſi per tranſitum (ut dici ſolet) rem agens, cuncta quæ objicienda erant in Marcum, omittens, ad præcipuam quæſtionem, cujus cauſa ſynodus illa fuerat convocata, ſe contulit. Ceterum res tanta, ipſa octava œcumenica ſynodus, mea ſententia minime ſic fuerat relinquenda Epheſii dicacitate proſtrata, attrita mendaciis, atque penitus condemnata. Cum alioqui non levioris fuerit culpæ, caruiſſe tunc ibi Latinos in tanto patrum conventu ipſa legitima octava æque œcumenica ſynodo, quam Græce ſcriptam, & Latinitate a ſe donatam Anaſtaſius bibliothecarius in ſanctæ Romanæ eccleſiæ archivum intuliſſet, & jam ex autographo deſcripta complura exemplaria eſſent in diverſis bibliothecis recondita, ut opus eſſet a Græcis ſchiſmaticis illa petere, vel negatam ita relinquere indefenſam: cum Julianus una ſimul telum & clypeum viſus ſit abjeciſſe tanta jactura catholicæ eccleſiæ, quæ jam per ipſum non ſtetit, quin diſpendium paſſa ſit ſynodi octavæ œcumenicæ, ejuſdemque germanæ atque legitimæ. At in ſequenti ſeſſione, quod Julianus inconſiderate prodegerat, Andreas Coloſſenſis epiſcopus vir doctiſſimus æque ac maxime pius reſtituit, qui omnino negavit, per Joannem octavum abolitam eſſe octavam ſynodum œcumenicam ſub Hadriano ſecundo Romano pontifice habitam. *Hæc Baronius.*

*An Græci ſynodum octavam receperint.*

Latina igitur eccleſia una cum Græca catholica hanc ſynodum octavam legitimam, ſanctam & œcumenicam judicavit; nec ab illa unquam ſententia deflexit. Dixi a Græca catholica eccleſia hanc ſynodum receptam fuiſſe, quia non inviti concedimus, prout ex libello Photii & Joanne Pſello de ſeptem ſynodis conſtat, quod Græci ſchiſmatici, quos in concilio Florentino Marcus Epheſinus ſequitur, hanc ſynodum octavam cum ſequentibus non tantum non recipiant, verum etiam omnino rejiciant, & quamdam pſeudoſynodum Photianam ſub pontifice Joanne octavo Conſtantinopoli poſt obitum Ignatii celebratam ſubſtituant: quodque eoſdem imitatus Zonaras, in ſua canonum collectione & interpretatione, loco œcumenicæ octavæ ſacrilegam Photianam ſynodum poſuerit, ipſamque, tribus ejuſdem canonibus recitatis, Theodorus Balſamon univerſalem appellaverit: adeoque grandi miraculo pro germana ſynodo octava, ſynodus Photiana a Græcis accepta fuerit. Non immerito taxatur a Baronio Gratianus, quod male conſultus canonem quemdam Photiani conciliabuli ex Balſamone deſumptum, ſub nomine legitimæ octavæ ſynodi inter alia decreta retulerit, cum tamen idem canon odio Photii impoſtoris plane exſuſtandus fuiſſet.

*Refellitur objectio.*

*Dices: In auctario Aimonii Benedictinus quidam monachus, ſive Ademarus *, ſive quis alius, ut eſt in Pithœi ad miſcellam hiſtoriam præfatione, contra hanc octavam œcumenicam ſynodum palam ita ſcripſit: Hadrianus papa ſecundum quod Nicolaus deceſſor ejus diſpoſuerat, miſſis ſuis, Donatum ſcilicet Oſtienſem epiſcopum, & Stephanum Nepeſinum epiſcopum, & * Martinum diaconum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ad Baſilium imperatorem, & ad filios ejus Conſtantinum & Leonem Auguſtos Conſtantinopolim direxit: cum quibus & Anaſtaſius bibliothecarius Romanæ ſedis, utriuſque linguæ peritus, perrexit: & ſynodo congregata (quam octavam univerſalem ſynodum illuc convenientes appellarant) exortum ſchiſma de Ignatii depoſitione, & Photii ordinatione ſedaverant, Photium anathematizantes, & Ignatium reſtituentes. In qua ſynodo de imaginibus adorandis aliter quam orthodoxi doctores ante definierant, ſtatuerunt; quædam etiam pro favore Romani pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam contra antiquos canones, & contra ipſam ſynodum conſtituerunt, ſicut qui eamdem ſynodum legerit, patenter inveniet.*

** Neque Ademarus eſt neque alius ab authore annalium Bertinianorum qui monachus, clericus, laicuſve fuerit, neſcimus.*

** al. Maximum. Marinum lege.*

*Mentitur Iconomachus.*

*Impudens mendacium.*

Ad hanc objectionem in promptu reſponſio eſt, inquit Raderus, *Benedictinum illum, ſeu Ademarum, ſeu Aimoinum, fuiſſe Iconomachum ſacrilegumque, & impudentiſſimum eſſe mendacium, in octava ſynodo aliter de ſacris imaginibus decretum eſſe, quam antea orthodoxi definierint. Qui enim erant illi orthodoxi huic monacho, niſi Iconomachi & Iconoclaſtæ? Nonne idem eſt definitum in octava ſynodo de imaginibus colendis, quod antea in ſecunda Nicæna, quæ fuit ſeptima œcumenica, quam Romana ſemper & Græca, æque catholica ac ſchiſmatica eccleſia ſacroſanctam habuit, erit definitum? Sed audi columen eccleſiæ Baronium noſtræ ſententiæ aſſertorem.* Porro, inquit, de octava ſynodo accidit ſcelus Aimoini ita dicentis, dum de ipſa paucis agit: In qua ſynodo de imaginibus adorandis aliter quam orthodoxi doctores ante definierant, ſtatuerunt, &c. Ex quibus [illegible]) plane qualis ipſe fuerit, cujuſve dogmatis, manifeſtatur, nempe ex Gallis illis unus, qui negabant cultum ſanctarum imaginum, de quibus & Anaſtaſius in præfatione ad eamdem octavam ſynodum meminit, quos nos ſuperiori tomo abunde ſatis confutavimus. Porro in hac ſynodo nihil præterea de cultu ſacrarum imaginum eſſe decretum, quam quod in pluribus Romanis conciliis & in œcumenico Nicæno ſecundo ſtatutum erat, certum eſt. *Hæc Baronius.*

*Si quid ergo contra decretum eſt, quid illud? quis canon, quod verbum repugnat prioribus conciliorum ac patrum decretis? Sed nimirum quotquot ab eccleſiæ Romanæ auctoritate diſceſſerunt, paſti ſunt, & paſcuntur hodie mendaciis, qui non ſolum veritatem, ſed imaginem quoque veritatis amiſerunt.*

*Refellitur objectio.*

Præterea objici poſſet, quod ipſi veritatis magiſtri catholici parum conſtanter de hac ſynodo loquantur, cum vel perſonas epiſcoporum, vel ipſas ſynodos de Photio & Ignatio habitas inter ſe confundunt, & ex duabus unam faciunt.

*His*, inquit Raderus, *merito eſt ignoſcendum, cum hactenus, codicibus, & exemplaribus octavæ ſynodi caruerint, cum tot præſertim in una cauſa concilia, quæ octavum ſibi locum uſurpabant, fuiſſent habita. Tametſi in re erret nemo, ſed in numero dumtaxat epiſcoporum. Omnes enim fatentur illam eſſe legitimam, qua reſtitutus eſt Ignatius, & pſeudo patriarcha Photius dejectus. Sed Photianum illud ſacrilegum ſub Joanne octavo celebratum, a Photio corruptum multis impoſuit, cum exemplaria deeſſent, & titulus eſſet ſpecioſus, & artes frauſque Photii notari perſpicique non poſſent. Ego ſane ſimul ac Græcum codicem illius Photiani concilii legi, tuli damnationis in illud ſententiam, quod ſtatim animadverterem plurima in illo penitus corrupta, repugnare priori œcumenicæ ſynodo octavæ: eaque de re ad Jacobum Gretſerum, priuſquam decimus tomus annalium Baronii appareret, perſcripſi.*

*Sed nimirum improbiſſimus Photius has huic ſynodo octavæ œcumenicæ, legitimæ ac germanæ tenebras offudit, quas ingreſſi poſtea ſchiſmatici Photiani pro luce coluerunt, cum illud in ſua eccleſia dictum celebrarent: Quæcumque in ſanctos patriarchas Ignatium & Photium ſcripta vel dicta ſunt, anathema ſunto. Hoc ſchiſmaticorum fuit anathema, non catholicorum. Octava enim ſynodo diſerte contra veteratorem Photium celebrata, unquam antiquata eſt, in qua & diris omnibus devotus & confixus eſt Photius. Cum enim Ignatianam aliter abolere non poſſent ſchiſmatici per ſpeciem [illegible]; tenebras luci miſcuerunt, & ſchiſmaticum ſuum Photium cum catholico Ignatio compoſuerunt.*

*Qui quotve epiſcopi interfuerint.*

e *Centum & duorum epiſcoporum.*] Non plures ſynodo univerſali interfuiſſe vel ſubſcripſiſſe, poſt Nicetam ipſa acta concilii atteſtantur: in quorum fine poſt imperatores centum epiſcopi & unus ſubſcripti numerantur. Ubi Anaſtaſius teſte Baronio hæc notat in margine:

*Non te ſcandalizet ſubſcribentium paucitas, quia dum Photius diu tyrannidem exercuiſſet, & pene omnes a piis deceſſoribus ſuis ſacratos depoſuiſſet, & in loca eorum fautores ſuos tantummodo provexiſſet, quorum nullus in hac ſynodo receptus eſt: iſti ſoli ex priorum patriarcharum conſecratione ſuperſtites ſunt inventi. Verum quotquot ſub Nicolao & Hadriano ſanctiſſimis pontificibus epiſcopi fuerunt, huic ſynodo conſenſerunt; illi hæc paucitas illi gregi pro ſui juſtitia comparetur, cui dominus dixit: Nolite timere, puſillus grex, &c.* Hæc ipſe qui interfuit Anaſtaſius, &c.

*Legati apoſtolici qui.*

Ex horum numero legatione apoſtolica fungebantur Donatus Oſtienſis, Stephanus Nepeſinus, epiſcopi, & Mari-



ANNO CHRISTI 870.

nus ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus: aliarum patriarchalium ſedium epiſcopi vel per ſe, vel per ſuos locum tenentes interfuerunt & ſubſcripſerunt. Imperatores Auguſti una cum pluribus patriciis viris clariſſimis præſto fuerunt, non ad præſidendum vel aliquid decidendum, ſed potius ad tutandam ſynodum, omnemque inordinationem ab ea propulſandam: qua intentione alii imperatores aliis œcumenicis conciliis interfuerunt. Conſeſſus epiſcoporum locuſque evangelii in medio conſtituti idem fuit haud dubie, qui ceterarum ſynodorum. Quid vero conſidentibus hoc ordine epiſcopis deinceps actum fuerit, infra dicemus.

*Ignatius epiſcopus deſcribitur.*

f *Ignatius.*) Ignatius anno domini 798. tempore Leonis III. Conſtantinopoli Nicephoro & Michaele imperatoribus, quorum alter avus, alter parens erat, progenitus, anno ætatis 16. in monaſterium detruſus eſt, ibique a pædagogo quodam Iconomacho male habitus, in omni virtutum genere & diſciplina religioſa plurimum profecit. S. Theophanes cum in monaſterio degentem viſitans, eidem patriarchatum prædixit. Cum ſacros ordines a Baſilio fortaſſe Theſſalonicenſi per intervalla ſuſcepiſſet, Methodio Conſtantinopolitano patriarcha defuncto, communi omnium decreto ex S. Joannicii oraculo ſuffectus anno domini 847. tempore Leonis IV. & patriarchalem ſedem adeptus, Gregorium Syracuſanum coacto concilio exauctoravit: Michaeli imperatori Theodoram Auguſtam in monaſterium detrudere conanti reſtitit, Bardæque Cæſari propter nurum inceſtuoſe violatam ſacris interdixit. Qua de cauſa ille per calumniam reus majeſtatis accuſatus, de ſolio ejectus eſt in exilium, paſſuſque ea omnia de quibus ſupra. Damnatus a Photio quinque diverſis conciliis: quorum primum habitum eſt Conſtantinopoli contra Ignatium jam exturbatum anno redemptoris noſtri 858. tempore Nicolai primi. Secundum eſt a Photio indictum anno Chriſti 859. tempore ejuſdem Nicolai papæ, ut ab Ignatio epiſcopos, alioſque illi faventes abſtraheret. Tertium rurſus Conſtantinopoli præſentibus Rhadoaldo & Zacharia pontificiis legatis prævaricantibus celebratum eſt, in quo reductus ab exilio Ignatius, & in concilio Caiphano contra jus omne publice cum ſumma ignominia, non tam Ignatii, quam pontificiorum legatorum, abdicatus & penitus exauctoratus eſt. Quarto Photiano conciliabulo, quod habitum fuit anno Chriſti 864. ipſum quoque Nicolaum papam anathemate percuſſit. Quintum eſt illud pſeudooctavum & œcumenicum indigitatum, anno Chriſti 879. tempore Joannis papæ VIII. celebratum, in quo mortuo Ignatio, Photius corruptis legatis pontificiis Paulo & Eugenio, denuo ſedem Conſtantinopolitanam malis artibus occupat, epiſtolas Joannis pontificis maximi corrumpit omnes ſynodos priores ſub Nicolao & Hadriano pro Ignatii reſtitutione Romæ & Conſtantinopoli celebratas antiquat, ſuumque ad nutum imperatorem, legatos & concilium fingit & refingit; ut ex notis ejuſdem conciliabuli ſub Joanne VIII. infra pluribus invenies. Raderus in præfatione hujus concilii iſta ſcribit.

*Quod ad Ignatium attinet, neſcio, quid primum vel poſtremum in hoc cæleſti heroe & athleta mirer: fidemne erga Deum, & Dei ſponſam eccleſiam, quam omnibus modis violatus, violare ipſe nunquam voluit: an ſummam in malis ultimis patientiam: an denique perpetuam cum in virtute colenda, religione augenda, tum hoſtibus & eccleſiæ perduellibus frangendis repellendiſque conſtantiam.*

*Nullum hominum genus fuit, quod hujus Jobi tolerantiam non tentarit. Primum, admodum puer a Leone illo atrociſſimo viro ſpoliatus, & regiæ ſucceſſionis ſpe dejectus; atque in monachum attonſus eſt. Deinde patriarcha creatus, a Gregorio epiſcopo Syracuſano omnibus machinis oppugnatus. Mox a Barda Cæſare a ſolio dejectus, atque in inſulam deportatus, omni genere ærumnarum exercitus eſt. cui tamdiu Photius inſidiatus eſt, quamdiu Bardas Cæſar & Michael imperator ſuperſtites fuere: imo quamdiu vixit Ignatius. Ipſi quoque pontificii legati, a quibus ſolis opem & auxilium expectare poterat, minis imperatoris fracti, & donis a Photio propitiati, fidem prodiderunt innocentiſſimumque virum proſcripſerant & exauctorarunt.*

*Neque reſtituto a Baſilio licuit pace frui, donec per inſidias Ignatius imperatoris nepos, imperatoris filius, patriarcha ſanctiſſimus e medio tolleretur. Merito igitur defunctum, miraculiſque coruſcantem, eccleſia Romana juxta ac Græca in divorum cenſum relatum, ad x. Kalendas Novembris votis publicis anniverſaria celebritate colit.*

*Nec quiſquam Græcorum hiſtoricorum eſt, qui non de Ignatio veluti viro ſanctiſſimo honeſtiſſime ſummaque cum veneratione loquatur & ſcribat: quod ejus ſanctimonia tantopere eluxerit, ut ſchiſmaticorum quoque factio famam illius lædere formidaret, imo certatim celebraret.*

*S. Theophanes adoleſcenti patriarchatum prædixit.*

*Joannicius de eo conſultus, patriarcham nominavit.*

*Nicetas Paphlago cognomento David, cujus mentionem facit Curopalates, totam ipſius vitam panegyrico laudavit.*

*Michael ſyncellus, & ſapientia & religione clariſſimus, encomium ejuſdem conſcripſit. Metrophanes Smyrnenſis metropolita illius cauſam in concilio œcumenico octavo ſuſcepit, & poſt concilium quoque egit. Joannes Thraceſius Scilizza curopalates ejuſdem ærumnas & patientiam non tacuit. Zonaras quamvis ſchiſmate infectus, ſanctum appellat, nec laudes ejus & acta diſſimulat.*

*In menæis Græcorum ejuſdem dies, & res geſtæ narrantur.*

*Glycas, Conſtantinus Manaſſes, Stylianus Neocæſareæ metropolita, illius caſus dolenter exponunt.*

*Theognoſtes archimandrita & exarchus coram pontifice & per literas illum defendit.*

*Epiphanius archiepiſcopus Cypri eidem reſtituto gratulatur.*

*Michael ipſe imperator adhuc ſanus ſummis laudibus apud pontificem Romanum celebrat, cum eumdem in ſolium extollit.*

*Theodora Auguſta poſtea divinis adſcripta, ut Ignatius patriarcha fieret, enixe contendit.*

*Nicolaus primus, Hadrianus ſecundus.*

*Baſilius imperator pulſum cum triumpho reſtituit.*

*Pontifices Romani omni ratione defenderunt, laudarunt, reſtituerunt. Illius cauſa octavum œcumenicum concilium Hadrianus ſecundus indixit.*

*Nicolaus primus tota qua valuit & potuit auctoritate & poteſtate, fulminato Photio Ignatium adjuvit.*

*In Hadriano ſecundo Baronius [illegible].*

*Anaſtaſius œcumenicum nobis concilium ſalvum ex Græcorum fraude eripuit, Latine fecit, & Ignatium ab omni injuriæ ſuſpicione vindicavit, ubique prædicavit.*

*In codice Græco Romani juris apud Leunclavium,*

*Laudatur quoque Ignatius in ſerie & ſyllabo patriarcharum Conſtantinopolitanorum exquiſitis verbis.* Ἰγνάτιος ὁ ἁγιώτατος, ἐπὶ τῶν αὐτῶν βασιλέων Θεοδώρας ϗ Μιχαὴλ, ἔτη δ'. μῆνας β'. *Quod poſtremum tamen de quatuor annis & duobus menſibus falſum eſt. Nam undecim annos & menſes quinque primum patriarcha præfuit, deinde 9. & amplius annos exul. iterum patriarcha ſub Baſilio annis undecim (ut recte ipſe catalogus a. I. refert) eccleſiam adminiſtravit, ita ut tota annorum ſumma contineat triginta, & hoc amplius, annos.*

g *Photio.*) Præter ea quæ ſupra in notis conciliorum ſub Nicolao & Hadriano celebratorum dixi, de Photio in apparatu Poſſevinus ſcribit iſta quæ ſequuntur.

*Photius patriarcha Conſtantinopolitanus in locum Ignatii viri ſancti, qui vivebat, quique duodecim prope annis in eo throno digne ſederat, per Bardam, quem Ignatius excommunicaverat, ſubrogatus eſt contra fas juſque anno 858. De Photio autem ſcribit Nicetas in beati Ignatii vita, cum fuiſſe nobilitate inſignem, protoſpatharium dignitate*

munere

ANNO CHRISTI 870.

munere a ſecretis imperatori inſerviſſe, divitiis pollentem, ſcientiis ſæcularibus diſertiſſimum, antiquis etiam ex hac parte comparandum, ſacrarum vero literarum expertem, ſed qui (ſero licet) ubi eum invaſit libido ſpiritualis præfecturæ, hanc non qua decet animi ſubmiſſione aggreſſus, nullo uſus magiſtro, magiſtrum qui alios docere poſſet, ſtatim profeſſus eſt, homo gloriæ appetentiſſimus, ſexque diebus ex laico transformatus in patriarcham; nimirum (ut inquit ipſe Nicetas) prima die ex laico monachus, ſecunda efficiatur anagnoſtes, tertia ſubdiaconus, quarta diaconus, quinta presbyter; ſexta denique patriarcha ſedem patriarchalem conſcendens, alta voce populō pacem annuntiavit, nihil pace dignum cogitans. Hæc Nicetas. At Baronius cardinalis annalium ſuorum decimo tomo pergit reliqua intexere, quem ſceleſtiſſimum & immaniſſimum perſecutorem eccleſiæ Chriſti, ac deteriorem fuiſſe quibuſvis aliis ſive ſchiſmaticis, ſive hæreticis, ſive gentilibus, pleniſſime demonſtrat.

Sed & qualiſnam fuerit, paucis quidem, verum graphice delineatus eſt duodecim jambicis verſibus, quorum mentio fit in actione 7. ſynodi veræ octavæ œcumenicæ, ad finem in codice Græco pronuntiatorum adverſus eumdem Photium, qui ab Anaſtaſio redditi Latine, extant ibi.

Photius igitur dictus Conſtantinopolitanus patriarcha, qui octavæ ſynodi tempore multorum in eccleſia malorum & turbarum auctor fuit, quique fraudulenter a ſede patriarchali abdicavit præceſſorem ſuum, ac proinde a Nicolao hujus nominis primo pontifice ut ſummo, ſic ſanctiſſimo, & ab octava generali ſynodo damnatus eſt anathemate, ac patriarchali ſpoliatus dignitate, ſchiſma inter Græcam & Latinam eccleſiam fovit & auxit: cum etiam in populo Conſtantinopolitano pernicioſiſſimum ſereret errorem, quo aſſerebat duas eſſe in homine animas. Qua de re acriter a Conſtantino philoſopho Chriſtiano reprehenſus eſt, quemadmodum Anaſtaſius bibliothecarius inquit in præfatione octavæ ſynodi generalis, cui interfuit, & quam mandato Hadriani pontificis Romani e Græco Latinam fecit: ſub quo quidem pontifice eadem ſynodus finita fuit. Hic igitur bibliothecam ſcripſit, quæ inſcripta eſt, μυριόβιβλον, in qua tamen ducenti ſeptuaginta novem tantummodo auctores cenſentur. Hujus tamen ſcribendæ occaſio hæc fuit. Dum in Aſſyria legationis munere fungeretur pro Baſilio, qui rerum orientis eo tempore potiebatur, Taraſius, quo ipſe familiariſſime utebatur (hic etiam, ut quibuſdam placet, patriarchali dignitate fuit ornatus) amici abſentiam ægre ferebat: quamobrem per literas a Photio petiit, ut quando communi ſtudiorum & amicitiæ ſuavitate ac fructu frui minus poſſet, efficeret ſaltem, ut quæ ipſe legeret ſubſecivis horis, & quæ a legationis munere, aliiſve negotiis libera illi ſupereſſent, ſibi ſignificaret. Photius autem ut amico gratificaretur, quæ caſu legerat, nullo ſervato ordine, nullaque methodo, ea quæ commentariorum inſtar annotarat, Taraſio miſit. In quibus tamen omnibus cum aliquando ſtyli ſuavitate præſtet, ac judicio valere videatur, fuſius tamen aliqua, conciſius multa, nonnulla vero erroribus aſperſa inſeruit, a quibus cavendum eſt maxime. Quinetiam opera beati Dionyſii ut pſeudepigrapha videntur ab eo notari: aliorum autem citat libros, qui non ſolum hæretici, ſed & hæreſiarchæ ſunt habiti; præterquam quod major librorum pars, qui in Photii bibliotheca proponuntur, non extant apud alios auctores, aut ne alibi quidem, quod ſciam.

Verumtamen iſtis ſublatis, ſciant ſtudioſi, non minimum aliquando pondus habitura, quæ ex ipſo Photio afferri poſſunt teſtimonia, dum in eo tot encomia & panegyricos legimus de ſancto Cæleſtino papa, de ſancto Leone & ſancto Gregorio, aliiſque ſummis pontificibus & ſanctis patribus, de majeſtate item pontificia, deque apoſtolicæ ſedis auctoritate, & aliis hujuſmodi, eo futuris efficacioribus argumentis, quo ſedi apoſtolicæ ille fuit infenſior, ut non tam hoſtium dona, quam ſpolia de ipſius manibus eripiamus.

Ceterum, non multos ante annos Patavii bibliothecam hanc Græce manuſcriptam aſſecuti a viro clariſſimo Vincentio Pinello, deinde Romæ, quam Antonius Carrafa Cardinalis, & alteram quæ extat auctior in Vaticano; poſtea & illius in Latinum verſionem a Federico Metio epiſcopo Thermulanorum factam, ſed non evulgatam: denique & aliam a viro nobiliſſimo & eruditiſſimo Marco Velſero Auguſtanæ reipublicæ duumviro, ejus cura emendatam, & pulcerrimis typis Græcis Auguſtæ Vindelicorum excuſam relegentes, id excerpſimus, quod variis in locis hujus apparatus noſtri ita locavimus, ut eadem opera, quod inde ſelectius viſum eſt, depromeremus.

Verumtamen & Photius librum quem Nomocanonem prænotavit, collegit, in quo ſacros canones, & ſanctorum patrum reſponſa contexuit, ſeptimæ autem ſynodi canonibus adjecit alios numero decem & ſeptem diverſorum argumentorum hujuſcemodi pſeudoſynodi canones, ultimo loco ponens, quem de promotione laicorum, cujus reus erat, conceperat ipſe canonum perverſor. Vide Baronium cardinalem 10. tomo ſub annum 861. Ceterum, Nomocanon iſte cum commentariis Theodori Balſamonis, Gentiano Herveto interprete, extat in tomo ſexto bibliothecæ ſanctorum patrum Bignæi. Scripſit etiam ſeptem actiones ſynodicas (quæ nunquam extiterunt, neque actæ ſunt) & eas quidem adverſus beatum Ignatium legitimum patriarcham Conſtantinopolitanum, diabolico conſilio fruſtra contextas: quarum & ſingularum initio beatus Ignatius erat depictus opera impii Syracuſani Gregorii cognomento Asbeſtæ, cum impiis contumeliis.

Quin & literas doli plenas, mendaciiſque refertas ſcripſit ad Nicolaum pontificem maximum, quas in bibliotheca cardinalis Sirleti, nunc Columnenſi, & in Latinum redditas a Petro Morino theologo Pariſienſi, inſeruit ſuis annalibus 10. tomo Baronius cardinalis ſub annum 859.

Atque Photii ejuſdem epiſtola encyclica, data an. 866. ad patriarchales ſedes orientis, adverſus Nicolaum pontificem maximum, quæ extabat Romæ in Vallicellana bibliotheca, & in codice collegii Græcorum, quod eſt Romæ, a Federico Metio in Latinum verſa, intexta eſt eidem decimo tomo annalium Baronii cardinalis. Quæ ſane oſtenditur non fuiſſe Siſinii (ut aliqui putarunt) quod quidem liquido conſtat ex iis quæ in illa tractantur de Bulgaris & Ruthenis ad fidem converſis.

Octava autem ſynodus quonam modo falſata fuerit a Photio, non ſolum ipſe Baronius cardinalis perſpicaciter eodem in decimo tomo indicavit apertius, ſed & poſt illum Matthæus noſter Raderus, qui eam ſynodum, vitamque beati Ignatii patriarchæ Græce ac Latine editam, doctis ſcholiis illuſtravit. Itaque vera vere eccleſiæ catholicæ ſynodus reſtituta.

Raderus in præfatione ſynodi circa finem eumdem admodum graphice deſcribit his verbis. *Quid porro ſcele-ſtius*



ANNO CHRISTI 870.

ſtius Photius egit, poſteaquam per fraudem iterum ſolium occupavit?

Ab eccleſia mox ſe Latina totum, ſecumque orientem abſtraxit, contra Latinos ſcripſit, aliaque fecit, quibus orbi terræ non minus quam ullus Arius nocuit, cum errores ſuos & ſchiſma in omnem Græcorum poſteritatem propugnavit: unde divinitus factum eſt, ut, cum Spiritui ſancto ſuum ex Patre & Filio procedendi fluxum & modum negarent, ipſi a Spiritu ſancto ipſis * pentecoſtes feriis totum ſimul cum vita imperium amitterent.

* an. 1452. feria 3. poſt octavas pentecoſtes.

Hic nempe fuit ille ſerpens Photius, quem gravida ejus mater per nocturnam vidit ſpeciem ſe utero ferre, qui totam illam regionem, ac totum fere imperium orientis peſtifera lue veneraret. Hoc eſt quod eidem matri cum uterum ferret, a pluribus viris ſanctitatis opinione & rerum futurarum prædictione claris, ſignificatum fuit, illam eccleſiæ peſtem & perduellem utero geſtare. Quibus illa perculſa vaticiniis, ſæpe mortem ſibi fœtuique adferre conabatur, cum interim a marito cuſtodiretur, & a ſanctis ab ea mente deduceretur, moneretur que, divinæ ut ſe providentiæ permitteret.

Lege de hoc plurima ſi libet apud Divum Antoninum parte 3. chronicorum tit. 22. cap. 13. parag. 10. de nona diviſione Græcorum a Latinis ubi multa ſane de Photio, quæ tamen pleraque in octava œcumenica ſynodo & adjunctis ſcriptis continentur, refert. Addit etiam ipſum Photium Beclas nominatum propter inſignem illam impoſturam, qua per hanc vocem βῆκλας Baſilium faſcinavit, & ſibi conciliavit, penituſque a Romani pontificis auctoritate avulſit.

Primus ergo Photius aperte ſe ab eccleſia Romana ſejunxit, qui non mediocrem anſam præbuit poſteris, ut in ſchiſmate perſeverarent. Quamvis enim ſæpius reconciliati, a Latinis tamen identidem deficiebant, præſertim Conſtantinus Monomachus imperator, cum Leoni nono papæ Romano iratus, Michaelem patriarcham ſuum œcumenicum papam creavit, cui eumdem ipſe habuit honorem, quem Romano papæ imperatores habent occidentis. Quamquam eum mox facti pœnituit, cum ſibi formidaret, ne olim ab illo excommunicatus imperium perderet, illum rurſus præſente toto populo poteſtate pontificali privavit, ſibique in omnibus obnoxium reddidit, patriarchæ nomen & papæ reliquit. Et ſic, inquit Antoninus, juſto Dei judicio factum eſt, ut patriarcha careret propriis, qui aliena jura invaſerat. Ex tunc imperatores Græci ita habent ſuos patriarchas & tenent ſubjugatos, quia quando volunt, deponunt, & quem volunt, & quando volunt, inſtituunt. Sed bis adhuc reconciliata, tandem in duodecima diſſenſione ipſum imperium orientis a Turca occupatum eſt. Eccleſia vero ab eo tempore nunquam ad concordiam & pacem cum Romana rediit, quam vere Pater & Filius & Spiritus ſanctus ab eccleſia catholica tandem ſeparavit, cum toties contumelioſa in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum extiterit, nec ſeſe emendari paſſa ſit. Cujus prima ſummaque cauſa nequiſſimus ille ſpado Photio extitit, Græci prorſus ingenii homo, in quo nulla unquam fides, perfidia ſumma, crudelitas, contumacia, & intolerandum ſupercilium; cui vere ut poeta Arpinas canit:

Ingenium velox, audacia perdita, ſermo
Promptus, & Iſæo torrentior, ede quid illum
Eſſe putes?
Gramaticus, rhetor, geometres, pictor, alaſtor,
Augur, adulator, medicus, magus: omnia novit.

Non ἐπιτηδεύτερον hoc dico; Nicetam Paphlagonem in Ignatio lege; perlege acta ſynodi octavæ, & præcipue actionis nonæ; Metrophanis item & Styliani epiſtolas: invenies hujuſcemodi mendaciorum & perjuriorum, corruptelarumque monſtra, qualia ab orbe condito viſa nunquam vel audita. Corruperunt alii e Græcorum natione pro more, ut Romani pontifices ſcriptoreſque quiritantur, epiſtolas pontificum, alii nonnulla conciliorum acta. Corruptum III. IV. V. VI. VII. imo & octavum concilium: ſed Photius non corrupit tantum, verum ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, a vertice, inquam, uſque ad extremum unguem, novum & œcumenicum concilium finxit & procudit, falſos legatos ex urbe, falſos ex omnibus patriarchiis vicarios ſuppoſuit. Duo præterea alia, quæ item œcumenica dici poterant, ſi fraus abfuiſſet, corrupit. Alterum ſub Nicolao primo, in quo ipſos legatos pontificios Dorica arte circumvenit, impulitque ut ſanctiſſimum virum Ignatium abdicarent. Alterum ſub Joanne VIII. ubi non ſolum legatos pontificios in fraudem illexit, ſed ipſi quoque pontifici impoſuit, ex quo ille non mediocrem infamiæ labem contraxit. Poſtremo non tacendum ex vita Ignatii patriarchæ & hoc concilio œcumenico, aliquammulta paſſim ex verſione Friderici Metii reverendiſſimi Thermularum epiſcopi extare apud cardinalem Baronium decimo tomo annalium, quæ cum noſtra interpretatione non uſquequaque ſemper conveniant, quod ex Græcorum codicum inter ſe variantium ſcriptura potuit accidere: quamquam non admodum etiam differant, ſi non verba, ſed ſententiam ſpectemus.

Vide Baron. anno 879.

h *Photianis.*] Qua ratione iſta contigerint, ex actis ſynodalibus meo more breviter & compendioſe referam.

Prima actione, quæ die quinta menſis Octobris celebrata fuit, poſtquam legati ſedis apoſtolicæ cum imperatoribus Auguſtis eo ordine, quo ſupra dixi, conſediſſent, juſſi ſunt ingredi epiſcopi glorioſi confeſſores, qui nunquam ab Ignatio deſciverant, ſed ejus cauſa multa perpeſſi fuerant, numero tantum duodecim: quibus hortatu legatorum ordine debito ſedentibus, juſſa eſt legi imperatoris Baſilii ad ſynodum exhortatio, epanagnoſticon dicta, qua monuit eos, quæ recta ſunt judicare. His peractis, Bahanes famoſiſſimus patricius & præpoſitus, qui in ſynodo judicis cognitoris munus gerebat, rogavit legatos apoſtolicos, ut mandatum ejus a quo miſſi eſſent, oſtendere non gravarentur: non quod eo ipſo apoſtolicæ ſedi quidquam derogatum vellent, ſed potius quia anteriores legati Rhadoaldus & Zacharias alia quam mandatum erat, agentes, fraude doloque Conſtantinopolitanam ſedem decepiſſent. Legati qui primo hortatu id facere recuſabant, hac ratione perſuaſi, obtulerunt legendas Hadriani papæ literas ad imperatorem datas, quibus, quæ ipſis mandata erant, continebantur. Epiſtolam Hadriani idiomate Latino quo ſcripta erat, legatorum inferior Marinus diaconus legit: tranſlatam a regio interprete deinceps recitari mandarunt. Cumque pro tanto beneficio pontificis Ignatius patriarcha aliique epiſcopi gratias egiſſent, legati ſedis apoſtolicæ exegerunt legi eas epiſtolas, quas vicarii ceterorum patriarcharum orientalium Thomas & Elias a ſuis patriarchis ſcriptas accepiſſent. Obtemperatum eſt petitioni legatorum, & recitatæ ſunt literæ, quas ſedes orientales vicariis ſuis dederant. Addita eſt lectio iſtius libelli, quem Theodoſius Hieroſolymorum patriarcha ad Ignatium patriarcham Conſtantinopolitanum tranſmiſerat.

Prima actio. [illegible]

Hic libellus poſtquam recitatus fuiſſet, deque eodem totius ſynodi ſententia rogata eſſet, una voce omnium eſt laudatus; adjunctaque eſt recitatio definitionis legatorum Antiochenæ & Hieroſolymitanæ eccleſiarum, quæ ante legatorum ſedis apoſtolicæ adventum habita eſt Conſtantinopoli, cum morantes diu venire ab urbe legatos diutius expectare recuſarent, qui jam integrum annum, ut habet Anaſtaſius, illic morati erant. Porro eorum definitio non alia fuit, quam ut in omnibus obedirent Nicolai papæ decretis. Approbata iſta legatorum definitione, ad petitionem Bahanis patricii, iidem legati ſedis apoſtolicæ ediſſeruerunt, quomodo Nicolaus papa abſentem Photium condemnaſſet, & quare ipſi Conſtantinopolim venientes, Photium non convenerint, ſed ut execrabilem habuerint: nimirum quod legitima auctoritate a Romano pontifice juſte condemnatum, & a nulla patriarchalium ſedium receptum, plane vitandum eſſe putaverint. Et cum iſta reſponſione ipſum conciliabulum

Pho-

*ANNO CHRISTI 870.*

Photii adverſus Nicolaum Romanum pontificem celebratum cui legatos orientalium patriarcharum interfuiſſe & ſcripſiſſe mentiebatur) falſitatis redargutum eſſet, factæque eſſent acclamationes in ſynodis fieri conſuetæ, primæ actioni finis impoſitus fuit.

*Actionis 2. compendiũ.*

Secunda actio celebrata eſt ſeptima die menſis Octobris, qua per oblationem libelli ſupplicis, epiſcopi illi qui a S. Methodio & Ignatio ordinati, partes Photii ſectati fuerant, ad veniam & eccleſiæ communionem recipi petiverunt, & impetrarunt cum ea conditione, ut libellos ab eccleſia Romana ſynodo oblatos acceptarent, impoſitoſque ſuper lignum ſanctæ crucis, & ſancta evangelia quatuor iſthinc ſumerent, ſuoque patriarchæ Ignatio offerrent: idcirco haud dubie, ut iſta ratione fidem prædicto libello contentam approbarent, ipſumque Photium cum ſuis artibus execrarentur. Quæ cum illi paratiſſimo animo præſtitiſſent, Ignatius ſuperhumeralibus epiſcoporum ipſis impoſitis, conſenſu totius ſynodi eoſdem in eccleſiam recepit. Simili modo qui poſt ad pœnitentiam ſecuti ſunt presbyteri & diaconi, redditis iis orariis tamquam inſignibus, ab Ignatio eccleſiæ reconciliati ſunt. Poſt hos pœnitentes ſubdiaconi, per interceſſionem ſanctiſſimæ Dei genitricis, ſanctorum apoſtolorum, & ſanctiſſimi ac beatiſſimi Nicolai papæ, rogantes ad veniam recepti, & ad eccleſiæ reconciliationem admiſſi fuerunt iſta lege, ut ob lapſum ſubirent pœnam epitimii in hunc modum a ſynodo præſcriptam:

*Formula epitimii.*

*Sit remedium & ſalutem animæ ferens ac valde diſcretum epitimium ſacerdotum qui per multam conſuetudinem ceciderunt*, &c. ut ſupra apud Anaſtaſium. Qua perlecta, conſuetis acclamationibus ſecundæ actioni finis impoſitus fuit.

*Actionis 3. compendioſa deſcriptio.*

Tertia actio habita legitur undecima menſis Octobris, qua duo refractarii archiepiſcopi Ancyræ & Nicææ eam quam petiverunt, veniam non ſunt adepti, ideo quod libellum a pontifice miſſum ad ſatisfactionem ſuſcipere noluiſſent. Inſuper juſſu legatorum ſedis apoſtolicæ recitatæ ſunt epiſtolæ Baſilii, Ignatii ad Nicolaum, nec non Hadriani ad Ignatium: quibus lectis & collaudatis, tertia actio finita fuit.

*Actionis 4. compendiũ.*

Decimatertia Octobris quartam actionem celebraturi patres ad eumdem ſacrum conſeſſum convenerunt, in qua duo legatorum illorum, qui ex parte Photii ad Nicolaum papam miſſi fuerant, ad ſynodum intromitti & audiri petiverunt. Patres concilii ſupplicationibus initio reſtiterunt, propterea quod qui ſententia Nicolai papæ condemnati fuerant, nequaquam in ſynodum intromitti & audiri deberent. Verum cum ſenatores qui aderant, pro iis audiendis intercederent, ex indulgentia & gratia in conſeſſum ſynodalem intromiſſi, ultimo loco ſtantes dixerunt, ſe una cum Photio non tantum a Nicolao papa, verumetiam a patriarchalibus eccleſiis receptos eſſe. Quod cum Marinus apoſtolicæ ſedis legatus diaconus teſtimonio legatorum orientalium eccleſiarum & lectione epiſtolarum a S. Nicolao papa de Photio non ſemel condemnato ſcriptarum manifeſte refutaſſet, opifices mendaciorum pſeudoepiſcopi magno cum dedecore foras ejecti fuerunt. Atque ita peracta eſt actio quarta, cum poſt ejectos Photianæ partis legatos, Metrophanes Smyrnenſis archiepiſcopus coram omnibus teſtatus eſſet, ſe ea de cauſa ſeductum a Photio, quod ille ſe a Romano pontifice omnibuſque patriarchis receptum aſſereret.

*Actionis 5. compendiũ.*

Quinta actione, quæ ſolito ritu ſolenni celebrata eſt xix. Octobris, monitu imperatoris juſſus eſt accedere ipſe Photius. Per miniſtros laicos, qui ex laico per ſaltum factus fuerat epiſcopus, primo citatus: ſecunda autem vice vocatus, cum de vi proteſtaretur & accedere recuſaret, introductus eſt, & in medio ſynodi conſtitutus, quamtumvis ipſe reluctaretur. Interrogatus a legatis, an conſtituta ſanctorum patrum ſuſciperet: non ſe ea ſuſcipere reſpondit. Cumque iidem urgerent, an conſtitutis Romanorum pontificum acquieſceret: plane obmutuit, nec verbum ullum reſpondit, ne ſi affirmaret, ſuo ſe judicio condemnaret: ſi negaret, famæ ſuæ periculum incurreret. Et cum reſponſum urgerent, ſe cum judicaretur Chriſti exemplo tacere, non ſine magna fraude & vaſritie reſpondit. Sciebat enim ſe a Nicolao pontifice non ſemel damnatum fuiſſe: quare ſi reſcripta pontificum approbaſſet, ſuo ſeipſum gladio interfeciſſet. Cumque de communione apoſtolicæ aliarumque patriarchalium ſedium aliquoties gloriatus fuiſſet, ſummam turpitudinis notam ſibi intuliſſet, ſi conſtitutiones pontificum in pleno patrum conſeſſu recepiſſet. De auctoritate igitur ſedis apoſtolicæ quæſitus, non tam exemplo Chriſti, quam inſtinctu diaboli tacuit, ut univerſo ſynodali conſeſſui, ipſiuſque, ſi poſſet, Spiritus ſancti judicio imponeret. Sed detecta eſt impoſtoris fraus & verſutia, recitatæ ſunt ipſo præſente epiſtolæ Nicolai papæ, audita ſunt teſtimonia legatorum orientalium: quibus omnibus ille mendacio & efficta ſedium patriarchalium communione convincebatur, & a pontifice damnationis & depoſitionis ſententiam retuliſſe oſtendebatur. Quare cum turpiter convicto tempus ad reſipiſcendum illi patres ſynodi benigne conceſſiſſent, illeque oblatam gratiam reſpuiſſet, merito e conſeſſu ſynodali cum quadam ignominia foras ejectus fuit.

*ANNO CHRISTI 870.*

*Actionis 6. compendiũ.*

Sexta actione, quæ xxv. Octobris habita fuit, Metrophanes Smyrnenſis epiſcopus habuit orationem: qua abſoluta, legati ſedis apoſtolicæ ab imperatore petierunt executioni mandari, quæ contra Photium definita fuiſſent. Ad confirmandam Photii condemnationem relectæ ſunt literæ Nicolai, quibus ſententia damnationis in eum Romæ prolata continebatur. Orientales iterum aperta voce conteſtati ſunt coram imperatore, Photium ab orientalibus ſedibus nunquam fuiſſe receptum. Quæ cum plures epiſcopi partis Photianæ in ſynodum admiſſi coram audiviſſent, eoſque imperator quæſiviſſet, an manifeſto communique omnium judicio de cauſa Photii acquieſcerent, illi non tantum non acceſſerunt ad communem totius eccleſiæ ſententiam, verum potius defendendi Photii veniam ſibi concedi petiverunt. Qua impetrata, unus ex iis nomine Zacharias Chalcedonenſis epiſcopus prolixa oratione, ſed a ratione vacua, Ignatii depoſitionem juſtam fuiſſe conatus eſt oſtendere: ſed fruſtra. Nam Metrophanes Smyrnenſis epiſcopus ſingula ab eo propoſita argumenta reſumpſit, eaque vana eſſe oſtendit. Quod cum factum fuiſſet, ſperabatur fore ut veritati cederent, monitiſque imperatoris, eorum ordinationem vitioſam (qua alii ex laicis & curialibus & patriciis, alii ex ſpathariis & ſtabulariis creati erant epiſcopi) reprehendentis & graviter taxantis, omnino acquieſcerent: ſed reſtiterunt illi, & ſumma imperatoris clementia abuti perrexerunt. Qua de cauſa legati ſedis apoſtolicæ interlocuti dixerunt, excommunicatis in ſynodo loqui negatum eſſe, nihilque aliud licere, quam ut libellum ab eccleſia Romana oblatum, ſi velint, accipiant, & ſic veniam petant. Cumque illi pertinaces eſſe pergerent, oblatamque reconciliationis gratiam recuſarent, imperator eos hortatus eſt ad pœnitentiam, & quadam mirabili benignitate eoſdem ad reſipiſcentiam provocavit illa oratione ad perditiſſimos pſeudoepiſcopos Photianos habita, quæ aureis literis merito exaranda extat apud Anaſtaſii verſionem ſupra.

Hanc orationem dum pius imperator abſolviſſet, ejus erga lapſos pietatem & miſericordiam univerſa ſynodus admirata deprædicavit, & plurimum collaudavit. Schiſmatici vero inſtar aſpidis ſurdæ aures ſuas obturarunt, nullumque piiſſimi imperatoris exhortationi locum dederunt. Antequam vero ſynodali judicio damnarentur, ad reſipiſcendum conceſſa eſt decem dierum dilatio, & tunc poſt ſolitas acclamationes ſexta actio finita fuit.

*Actionis 7. compendiũ.*

Decem his diebus elapſis, actione VII. (qua habita eſt 29. Octobris) Photius baculo innixus cum Gregorio Syracuſano introductus eſt in concilium. Dempto e manu ejus, quo innitebatur, baculo, interrogatus eſt a legatis ſedis apoſtolicæ, an pœniteret, & libellum ſupplicem offerre paratus eſſet. Reſpondit, ipſos potius legatos pœnitere debere. Ob quod reſponſum pertinax cum a legatis acriter reprehenſus fuiſſet, interrogati ſunt epiſcopi partis Photianæ, rogatique de libello pœnitentiæ offerendo, magis obſtinati quam antea ſunt reperti, adeo ut imperator his verbis eos compellandos eſſe ſtatueret: *Dicite unde eſtis? De cælo eſtis, an de terra in qua nos degimus? Et oſtendite ab hac hora. Quis, ſive hæreſis mota eſt, ſive ſchiſma emerſit in qualibet parte, & ſenſit aliquis extra quatuor patriarchia, & ſalvatus eſt? Et audio vos hodie. Quatuor patriarchia, imo vero quinque, condemnatione condemnant vos. Quid vobis videtur ad hæc? dicite.* At illi ſtulte provocantes ad canones, ſynodi judicium conati ſunt ſubterfugere. Tunc apoſtolicæ ſedis legati repetitum a Romano pontifice Nicolao judicium, quo Photius condemnatus erat, recitari juſſerunt. Quo recitato, addita eſt lectio epiſtolarum, quibus ejuſdem concilii acta ab Hadriano confirmabantur: item acta ſynodalia illius concilii Romani, quo ſub Hadriano papa conciliabulum Photii cum omnibus ejus ſcriptis igni adjudicatum fuit. Poſt hæc Nicetas archidiaconus nomine legatorum apoſtolicorum inſtitit, ut quæ contra Photium ejuſque ſcripta in commonitorio continebantur, executioni mandarentur. Deinde ſubſecuta eſt declamatio Ignatii patriarchæ ad ſynodum facta, qua cum ſumma gratiarum actione Dei beneficia inter plurimas paſſiones ſibi collata commemoravit. Qua abſoluta, per Stephanum archidiaconum in fine actionis in aſtantem Photium anathematiſmi ex Romano concilio tempore Hadriani celebrato (ut in margine notat Anaſtaſius) recitati fuerunt.

Qui-



*ANNO CHRISTI 870.*

Quibus abſolutis, pleniſſimæ & feliciſſimæ acclamationes dictæ ſunt in Nicolaum & Hadrianum pontifices Romanos, reliquoſque aliarum ſedium patriarchas; & Iambi in Photium recitati ſunt, qui ſupra leguntur in fine actionis ſeptimæ, verſionis Anaſtaſii.

*Actionis 8. compendioſa deſcriptio.*

Actione octava, quæ habita eſt quinta Novembris, imperator rogationem propoſuit de comburendis chirographis ſcriptiſque omnibus, quæ Photius vel ab omni hominum genere extorſerat, vel contra Nicolaum in publicum emiſerat. Cum imperatoris rogationi utiliſſimæ legati ſedis apoſtolicæ conſenſiſſent, in medio ſynodi vaſe æneo extructus eſt ignis ampliſſimus, eoque combuſta ſunt omnia ſcripta & volumina, quæ vel ab ipſo Photio publicata, vel ejus importunitate ab aliis clericis & laicis extorta fuerant. Poſt hæc introducti ſunt Petrus & Baſilius, quibus impegerat Photius, quaſi ipſi Roma Conſtantinopolim profecti, in ſuo conciliabulo adverſus Nicolaum libellos obtuliſſent. Hac de re examinati plane negaverunt, quod Photius doloſe utrique impoſuerat. Idem reſpondit Leontius, quem tamquam Alexandrini patriarchæ apocriſiarium ſuo conciliabulo ſubſcripſiſſe ſimili impoſtura vulgaverat. Detectis ergo his Photii fraudibus, legati ſedis apoſtolicæ mandarunt recitari vigeſimum canonem concilii Lateranenſis, ſive Romani, ea haud dubie intentione, ut Photius qui in eumdem canonem multis modis deliquerat, non niſi in fine vitæ ad pœnitentiam reciperetur. His abſolutis introducti ſunt Iconomachi, quorum caput erat Theodorus quidam ʹ Chriſtinus cognominatus, qui cum aſſereret ſe imagines ſacras ideo non venerari, quod non inveniretur ea de re aliquod Chriſti præceptum: reſponſum eſt illi, id a Chriſto præceptum eſſe, quod ab univerſa eccleſia catholica eſt definitum. Cumque ille in impietate perſeveraret, duo alii Iconomachi Nicetas clericus & Theophilus laicus pœnitentiam agentes, non tantum ad eccleſiam reverſi, verumetiam ab imperatore oſculo excepti fuere. Poſt hæc anathematiſmi quidam prolati ſunt in Iconomachos: quibus abſolutis repetiverunt eoſdem, quos in Photium tulerunt actione præcedente: atque ita collaudato ex more acclamationibus imperatore atque univerſa ſynodo, finita eſt actio octava & ultima anno redemptoris noſtri 869.

*ʹ Crithinus.*

*Actionis 9. compendiũ.*

Anno domini noſtri Jeſu Chriſti 870. duodecima menſis Februarii ſolito loco, ſoliſque ritibus ſactis patres convenerunt, nonamque actionem concilii a legato Michaelis patriarchæ Alexandrini, qui nuper advenerat, omniaque acta concilii rata habuit & approbavit, inchoarunt. Poſt hæc plurimi jurati teſtes in Ignatium coram plena ſynodo confeſſi ſunt, & pœnitentiam epitimii, de qua ſupra act. 2. a legatis ſedis apoſtolicæ & univerſa ſynodo ſibi impoſitam acceperunt.

Poſt hæc ſuggeſtione legatorum ſedis apoſtolicæ tres laici illuſores ſacerdotii, qui in urbe Conſtantinopoli ſacerdotalibus indumentis veſtiti per urbem progreſſi, & ſacra ludicra facere conſueverant, in conſeſſum epiſcoporum introducti ſunt, deque ea re interrogati, confeſſi ſunt ſe id mandato Michaelis imperatoris egiſſe: petentibus vero ad pœnitentiam recipi reſponſum eſt, ut futura ſeſſione redirent. Cumque hæc ſcelera Photius pro ſuo munere & officio non corrigeret, appellatus eſt a ſynodo compatriarcha mimi poſt alios infamiæ titulos, qui hac eadem actione in notis verſionis Anaſtaſii ſupra reperiuntur expreſſi.

Poſt hæc juſſi ſunt ſynodum ingredi falſi vicarii ſeu legati, quibus contra Nicolaum uſus eſt Photius: qui cum falſitatem ſua ſponte confiterentur, magna cum admiratione & deteſtatione Photii finis impoſitus eſt actioni nonæ.

Antequam vero ſynodus abſolveretur, legatio duplex, teſte Anaſtaſio in præfatione ad octavam ſynodum: Conſtantinopolim adveniens, intromiſſa eſt in ſynodum, una a Ludovico occidentalis orbis imperatore pro conjugio ineundo inter ejus filiam atque Baſilii imperatoris orientalis primogenitum: altera a rege Bulgarorum. Quid vero poſt abſolutam ſynodum in cauſa utriuſque legationis actum fuerit, videre eſt apud Anaſtaſium in vita Hadriani, & præfatione ad octavam ſynodum ſupra.

*Actionis 10. compendioſa deſcriptio.*

Eodem anno 870. die ultima Februarii cœpta eſt decima & ultima actio hujus ſynodi, in qua præter nominatos ſupra magiſtratus, præſentes fuerunt legati Ludovici imperatoris, & qui a Bulgarorum rege miſſi fuerant: quorum nomina idem qui interfuit Anaſtaſius in notis, ſeu ſcholiis ad dictam ſynodum a ſe additis ita recenſet.

*Hic ſimiliter conſederunt in dextera parte glorioſiſſimi principes & apocriſiarii perſpicui Ludovici imperatoris, Italorum atque Francorum, videlicet Anaſtaſius Deo amabilis bibliothecarius Romæ. Suppo primus contoſanariorum & conſobrinus uxoris ejus, & Everardus præpoſitus menſæ illius: ſimiliter glorioſiſſimi judices Michaelis ſublimiſſimi principis Bulgariæ Staſiſzereo, Neſundicus, Vagartus*, &c.

*ANNO CHRISTI 870.*

*Quod autem pertinet ad res hac actione geſtas, primum omnium juſſi ſunt legi canones a patribus conſtituti omnes numero* XXVII. *apud Anaſtaſii verſionem extantes, quibus in primis Conſtantinopolitanæ eccleſiæ opportunitatibus conſultum eſt.*

*Horum canon primus eſt de apoſtolorum, pontificum, patrum & eccleſiæ canonibus decretis & traditionibus ad unguem obſervandis.*

2. *De perpetuo conſervandis, quæ a ſanctiſſimis Romanis pontificibus pro Ignatio contra Photium definita eſſent.*

*Ut cultus ſacrarum imaginum firmus conſiſteret.*

4. *Ut quæ collata ſunt Photio; & ipſe in alios contulit ſacra miniſteria, nullius ſint efficaciæ.*

5. *Ne quis laicus in epiſcopalem provehatur dignitatem, niſi in ordine lectoratus annum unum, duos in ſubdiaconatu, in diaconatu tres, in presbyteratu autem quatuor annos exegerit.*

6. *Ut cuncta res geſta per Photium, potiſſimum in Nicolaum Romanum pontificem, nullius ſint roboris.*

7. *Ne ſacras imagines anathematizati pingere audeant.*

8. *Ne chirographa ab epiſcopis exigantur, niſi ex more, tempore conſecrationis. Hac enim arte Photius ſuam roboravit tyrannidem.*

9. *Ut extorta per Photium hujuſmodi chirographa nullius ſint roboris.*

10. *Itemque, ne quis ante ſententiam ſeparetur a communione proprii patriarchæ.*

11. *Anathematizati etiam ubi ſunt omnes cum Photio credenter duas in uno corpore eſſe animas.*

12. *Statutum eſt etiam iſtud admodum eccleſiæ Dei proficuum, ne favore principum eligantur epiſcopi. Sunt iſta canonis verba: Apoſtolicis*, &c. ut ſupra apud Anaſtaſium.

13. *Ut non niſi qui in eadem eccleſia militarunt, ad majores gradus promoveantur, & non aliunde petiti.*

14. *Ne promoti ad epiſcopatum indecentia obſequia exhibeant magiſtratibus: nimirum ne obviam prodeant procul ab eccleſiis ſuis: non ſe dimittant ab equis vel mulis, vel procidant & adorent; nec intrent ad principes hora prandii, ubi indebita perſolvant obſequia. Sed veneratione digni habeantur, & qui libere errantes principes valeant redarguere.*

15. *Vetantur omnes decimoquinto canone alienare cimelia eccleſiæ, ornamenta ſcilicet, poſſeſſiones vendere, vel dare in emphyteuſim.*

16. *Decimoſexto canone vehementer prohibetur ſacrilegus ille uſus a Michaele imperatore introductus, quo laici luſus cauſa, ſacra indumenta geſtarent ſacerdotum; de quo ſæpe ſuperius, graviſſimis pœnis ejus criminis reos afficientes.*

17. *Decimuſſeptimus ſancitur canon, quo patriarcharum jura in convocandis metropolicanis illibata ſervari vult: execraturque ſancta ſynodus omnes dicentes, invalidas eſſe ſynodos, quibus non interſit perſona principis: monens ut non interſint niſi conciliis œcumenicis principes. Sunt hæc canonis verba: Illud autem tanquam peroſum*, &c. ut ſupra apud Anaſtaſium.

18. *Inde ſtatutum eſt, ut privilegia eccleſiarum conſerventur.*

19. *Utque viſitationes eccleſiarum ſine omni avaritia ſuſpicione peragantur.*



20. Iſti-

ANNO CHRISTI 870.

20. *Itidem ne ſibi jus dicat epiſcopus in rebus eccleſiaſticis.*

21. *Vigeſimus primus autem ſancitus eſt canon de exhibendo honore & reverentia omnibus patriarchis, præcipue vero Romanæ eccleſiæ ſummo pontifici, de quo ſpeciatim iſta: Neminem debere conſcriptiones contra ſanctiſſimum papam ſenioris Romæ, ac verba complicare, atque componere ſub occaſione, quaſi diffamatorum quorumdam criminum, quod nuper Photius fecit, & ante Dioſcorus. Quiſquis autem*, &c. ut ſupra in verſione Anaſtaſii.

22. *De ſummorum ſacerdotum electione promotiones & conſecrationes epiſcoporum*, &c. ut ſupra in verſione Anaſtaſii.

23. *Inſuper ſtatutum, a rebus & perſonis & ſacris actionibus alienæ diœceſis quemlibet abſtinere debere.*

24. *Item illud: Ne archiepiſcopi per alios ſuas eccleſias curent ſuffraganeos.*

25. *Ne qui hactenus adhærentes Photio epiſcopi conſecrati a Methodio ſive Ignatio, etiamſi reſipiſcant, ſpem ullam habeant reſtitutionis epiſcopatus.*

26. *Inſuper ut beneficium appellationis ad majores ſedes ſit cuique clerico liberum.*

27. *Ultimo vero loco definitum, ne epiſcopi pallio utantur, niſi loco & tempore congruo: & ne monachi ad epiſcopatum aſſumpti, monaſticum habitum deponant.*

His ſtatutis & comprobatis, facta commemoratione ſeptem aliorum œcumenicorum conciliorum præcedentium eorumque confirmatione adhibita, Manichæorum & Iconomachorum hæreſibus, quæ adhuc alibi vigebant, damnatis, repetitaque ſententia contra Photium prolata, ſacroſancta ſynodus omnium conſenſu feliciſſime abſoluta fuit. Et cum Baſilius imperator binas ad epiſcopos & laicos orationes recitaſſet, primo omnium ſedium patriarchalium legati ſubſcripſerunt: poſt illos Auguſti imperatores juſſu legatorum * alios epiſcopos ſuam ſubſcriptionem non atramento, ſed potius rubramento, ſive literis phœniceis expreſſam actis ſynodalibus appoſuerunt.

* *f.* ante alios.

*i Anno domini*, &c.] Sicut de numero epiſcoporum, ita de tempore hujus ſacroſanctæ ſynodi, doctores graviſſimi errarunt: quem errorem facile evitaſſent, ſi acta germana vidiſſent. (Quo tempore.)

## DE HIS QUÆ CONC. ANNEXA SUNT.

### Ex præfatione Raderi.

*Epiſtola quidem encyclica ad ipſum concilium pertinet, quemadmodum & ipſius quoque ſynodi epiſtola ad Hadrianum pontificem, a quo concilium petit decretorum in concilio confirmationem, & pontificiam auctoritatem; haud ignarum, abſque pontificis Chriſti vicarii, ſancti Petri ſucceſſoris auctoritate & ſententia concilii majeſtatem & fidem concidere.*

*Jam illa Hadriani ad Ignatium epiſtola poſt concilium data, ad controverſiam tantum pertinet, quæ Romanæ eccleſiæ cum Conſtantinopolitana de diœceſi Bulgarum intercedebat, in qua durius a pontifice Ignatius ſæpe eſt acceptus, cui & anathematis fulmen poſtremo intentavit. Sed Ignatium poſt mortem miraculis clarum res ipſa excuſavit, & Baronius eumdem merito defendit, cum illum aliter agere, niſi ſalutis admittendæ periculum adiret, non potuiſſe dicit.* (Anno Chriſti 878.)

*Extat & Metrophanis ad Manuelem patricium epiſtola, qua acta Photiana egregie exponuntur.*

*Deinde Stephani papæ ad Baſilium a Photio iterum pſeudopatriarcha penitus perverſum, in qua Marinus pontifex defenditur, & Baſilius imperator acriter perſtringitur.*

*Sequitur poſtea Styliani Neocæſareæ metropolitæ prolixa admodum ad eumdem Stephanum papam epiſtola, qua Photii artes improbæ deteguntur, quemadmodum Romanos legatos Nicolai & Joannis octavi circumvenerit, & bis per fraudem & vim thronum occuparit, Ignatium Baſilio tam invisum per Santabarenum reddiderit, ut illi per inſidias occultas vitam ademerit.*

*Rogat etiam Stephanum pontificem Stylianus, uti populo ignoſcat, qui per fraudem Photii & legatorum deceptus, Photio rurſus, Ignatio defuncto, adhæſerat.*

*Ad has Styliani, & ſimul Leonis, qui Baſilio patri jam mortuo ſucceſſerat, Stephanus reſpondet; literas imperatoris a literis Styliani diſſentire, quod † altera affirmarent, Photium fuiſſe ejectum a catholicis, † altera, illum ſponte abdicatum, privatam & religioſam vitam ſectari. Petit ergo pontifex ab utraque parte, Leonis, inquam, qui ejecto Photio germanum ſuum Stephanum in ſolium patriarchii induxerat, & Photii qui ejectus erat, ad ſe legatos mitti. Non quod pontifex cauſam Photii dudum damnati probaret, ſed quod Stephanum quoque videret, non ordine creatum eſſe, & quod in abdicato Photio literæ diſſentirent, quæ res merito pontifici ſuſpecta fuit. vide notas concilio ſubjectas. Ad hanc Stephani epiſtolam reſpondet Stylianus, & pontificem quaſi in ſe pugnantem & contraria in eadem epiſtolæ parte dicat, jure Photium exactum & ejectum, cum in poſtrema eumdem affirmet pro legitimo antiſtite habendum. Sed pontifex Stephanus non affirmarat legitimum eſſe Photium patriarcham, vel pro legitimo habendum: ſed cum contraria eſſent de eo perſcripta, alterius patriarchæ promovendi cauſa, hoc per legatos tranſigi apud ſe debere. Quamquam obſcurius literæ pontificiæ loquantur. Poſtremo rurſum petit Stylianus pro Photianis diſpenſationem.*

† Styliani. † Leonis.

Plura in notis.

*Styliano reſpondit Formoſus pontifex, cum Stephanus jam deceſſiſſet; generaque lapſorum diſtinguit, & quibus ignoſcendum ſit docet, omniaque cum legatis pontificiis, Capuano, Landulpho & Romano tranſigenda dicit. Subjicitur deinde ſcriptum, quo Stauropatarum, hoc eſt, epiſcoporum contra juſjurandum & chirographum ſuum peccantium perfidia proponitur & notatur. Quotquot ſint, & quæ genera hominum ſeu epiſcoporum, qui cum Photio communicarunt.*

*Hoc ſcriptum caute legendum eſt. Videntur enim ipſi pontifices notari, quod Photium poſt mortem Ignatii ad patriarchium admiſerint: quod Baronius quoque obſervavit. Joannem enim octavum eo nomine peſſime vulgo audiſſe, papiſſamque appellatum, quod ab eunucho Photio ſe circumveniri decipique paſſus ſit. Id quod ipſe pontifex probe ſenſit: unde in publicum ambonem publice progreſſus, Photium, veteri anathemate renovato, novo inſuper mactavit.*

Anno Chriſti 879.

Joannes papa damnat Photium antea a ſe reſtitutum.

*Exprimuntur deinde ſynodica pontificum decreta* ἐν ἐκτύπῳ *in Photium edita.*

*Additur poſtremo octavæ ſynodi œcumenicæ breviarium, quod Conſtantinopoli in porticu ad ingreſſum magnæ eccleſiæ legebatur.*

*In hoc quoque breviario quædam animadverſione & cenſura digna reperiuntur, ubi nempe aſſeritur, eum qui ab uno pontifice ſit ligatus, ab altero ſolvi non poſſe; quodque Joannes Photium abſolvere non potuerit, quod tum demum verum eſt, cum eadem cauſæ in lapſo hærent, ob quas antea fuerat damnatus. Photius autem etiam ſecundo ſedem Conſtantinopolitanam per fraudem occupavit, maliſque artibus impetravit diſpenſationem, cum Paulum & Eugenium epiſcopos, poſtea a Joanne octavo damnatos corrupiſſet, & Joanni ipſi fucum feciſſet. Unde factum eſt, ut catholici Græci Photium nunquam pro abſoluto & reſtituto, legitimoque patriarcha agnoſcerent, Latini vero & Romani pontifices omnibus modis execrarentur.*



ANNO CHRISTI 870.

*Stylianus porro tandem etiam corruptus, a pontificia auctoritate deſcivit: ad quem Joannes nonus pontifex maximus epiſtolam dedit, quæ breviarium ſequitur, & poſt epiſtolam, epiſtolæ ipſius declaratio cujuſdam ſcholiaſtæ Græci, qui Photium a duodecim pontificibus damnatum ait, quorum primus fuit.*

Stylianus fit Photianus.

*Nicolaus I.* 1
*Hadrianus II. alter.* 2
*Joannes VIII. tertius.* 3
*Marinus I.* 4
*Hadrianus III.* 5
*Stephanus VI. dictus V.* 6
*Formoſus.* 7
*Bonifacius VI.* 8
*Stephanus VII. dictus VI.* 9
*Romanus I.* 10
*Theodorus II.* 11
*Joannes IX. qui anno Chriſti nongenteſimo obiit.* 12

*Auctarium demum concluditur paucis ex Scilitza ſeu Curopalate de eodem Ignatio & Photio, Baſilioque & Leone deſumptis.*

## " ** IN EAMDEM CONSTANTINOP. & octavam œcumenicam ſynodum

### OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

*Hiſce verbis Latine dumtaxat habetur expreſſa in libello ſynodico, toties a nobis hactenus laudato, ſive ejus appendice a Io. Pappo addita: exciderunt enim Græca* ἐξεπαιδεύθημεν ὧν τέλος οὐκ ἔχω ... *evanuit præ venuſtate ſui, aut neſcio quo alio fato, Timeo quippe Danaos &c.*

" ** Synodus œcumenica octava, Conſtantinopoli celebrata; anno tertio piiſſimorum imperatorum, Baſilii & Conſtantini: in qua præſentibus Donato & Stephano epiſcopis, & Marino diacono, locum tenentibus Hadriani archiepiſcopi ſenioris Romæ, in locum priſtinæ dignitatis reſtitutus eſt Ignatius: eſtque judicatum, nefaria occupatione ſolium patriarchæ tenuiſſe, & reſtituendum eſſe Ignatium. Tum & execratione damnatus Photius: & hoc decretum factum eſt, conſecrationes & promotiones epiſcoporum, clericorum electione ac decreto, & epiſcoporum collegio fieri debere hæc ſancta & univerſalis ſynodus definit & ſtatuit: atque jure promulgavit, neminem laicorum principum vel potentum, ſemet inſerere debere electioni vel promotioni patriarchæ, vel metropolitani, aut cujuslibet epiſcopi.

" ** Græcum ſynodicon vulgato auctius habet V. C. Leo Allatius, unde quæ ſequuntur G. & L. exhibuit pagg. 279. & 285. doctiſſimæ exercitationis XVI. in Roberti Cheigtoni Angli præfationem ad lectorem Florentinæ ſynodi Syropulianæ infinitis erroribus ab homine hiſtoriæ recentis rerumque Græciæ parum perito fœdiſſime conſpurcatam. Idem quoque ſynodicon integrum, cum hæc typothetæ traderentur excudenda, commodavit mihi V. C. idemque amiciſſimus Emericus Bigotius deſcriptum ex mſ. codice bibliothecæ Florentinæ S. Laurentii, collatum cum altero in optima charta exarato Danielis Mauclerc, doctoris medici Victoriacenſis.

" ** Φώτιος γοῦν τὸ καθ' ἑαυτοῦ γνοὺς Νικολάου τοῦ πάπα διάπυρον Μιχαὴλ συναρπάσας βασιλέα, τὴν ἀλλοπρόσαλλον κρυφηδὸν συγγραψάμενος ψευδοσύνοδον, καὶ δῆθεν τοποτηρητὰς τῶν λοιπῶν πατριαρχῶν συστησάμενος, φωνὰς καὶ ὑπογραφὰς πάντων ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων καὶ ἡγουμένων τῶν ὑπ' αὐτῷ κατεγράψατο, καὶ πατρικίων μὴ καθόλου εἰδότων πότε καὶ πῶς καὶ διατί συγκεκίνηται. δι' ὧν ἁπάντων καθαίρεσιν καὶ ἀναθεματισμὸν τῷ πάπα Ῥώμης Νικολάῳ τῷ θεοφόρῳ ἀπέστειλε διὰ χειρὸς Ζαχαρίου μητροπολίτου Καλχηδόνος καὶ Θεοδώρου Καρίας μετελθόντος εἰς Λαοδίκειαν.

* In exemplari Bigotiano * ut referas ad Michaelis verſatile ingenium.

Ἀλλ' ἐν ὅσῳ ταῦτα ἠνύετο, Μιχαὴλ τοῦ βασιλέως θείᾳ δίκῃ τὸν βίον τελέσαντος, Βασίλειος ὁ φιλόχριστος αὐτοκράτωρ μέγας Ῥωμαίων ἀναγορευθεὶς, καὶ ζήλῳ κυρίου πυρούμενος, ἵνα τῆς Χριστοῦ ἐκκλησίας πάντα ἐξάρῃ τὰ σκάνδαλα, θείαν καὶ ἱερὰν οἰκουμενικὴν ὀγδόην σύνοδον ἐν Κωνσταντινουπόλει συγκροτηθῆναι ἐθέσπισε σύνοδον; ἧς ἐξῆρχον προκαθεζόμενοι Ἀδριανοῦ τοῦ πάπα Ῥώμης, Νικόλαος γὰρ πρὸς κύριον ἐξεδήμησε, τοποτηρηταὶ Στέφανος, καὶ Δονάτος ἐπίσκοποι, καὶ Μαρῖνος διάκονος, Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχης Ἰγνάτιος, Μιχαὴλ διάκονος χαρτοφύλαξ καὶ σύγκελλος, Μιχαὴλ τοῦ πάπα Ἀλεξανδρείας τὸν τόπον ἐπέχων, Θωμᾶς ἐπίσκοπος Τύρου Νικολάου Ἀντιοχείας Συρίας, καὶ Ἠλίας μοναχὸς πρεσβύτερος καὶ σύγκελλος Θεοδοσίου Ἱεροσολύμων, Βασίλειός τε, καὶ Κωνσταντῖνος οἱ εὐσεβέστατοι αὐτοκράτορες. ἥτις ἁγία σύνοδος τὰς ἁγίας καὶ οἰκουμενικὰς ἑπτὰ συνόδους, καὶ τοὺς ἀνέκαθεν αὐτῶν διὰ μέσου πατέρας μακαρίους ἀνακηρύξασα, Νικολάου, καὶ Ἀδριανοῦ πάπα Ῥώμης τὰ συνοδικὰ ἐπεκύρωσε, καὶ τὸν Φώτιον ἀναθεματίσασα, καὶ τὰ εἰς αὐτὸν, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ ὑπ' αὐτοῦ πάντα γενόμενα, δικαίοις ὅροις ἐκκλησιαστικῆς ἀπεβάλετο παραδόσεως, καὶ οὕτω θεοπρεπῶς πεπλήρωτο ἐν τοῖς δεξιοῖς μέρεσι γινομένη τῆς ἁγίας μεγάλης τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ ἐκκλησίας, ἥνπερ σοφίαν κατονομάζειν" ἐξεπαιδεύθημεν.

CLV. Photius igitur agnoſcens Nicolai adverſus ſemetipſum concitatam, atque exardeſcentem iracundiam, ad ſe malitioſe Michaele imperatore tracto; & clanculum verſuta illa pſeudoſynodo concinnata, & ac ſi reliquorum patriarcharum oratores adeſſent, vocibus ac inſcriptionibus effictis, necnon omnium epiſcoporum, ſacerdotum, diaconorum & abbatum, qui in ditione illius erant: patriciorum item qui prorſus ignorabant quando, & quomodo, & quare motus ille exortus fuiſſet, depoſitionem & anathematiſmum Nicolao divinitus inſtructo papæ Romano per Zachariam Chalcedonis metropolitam, & Theodorum Cariæ in Laodiceam promotum miſit.

CLVI. Interim dum iſta peragantur, & Michaele imperatore divino judicio vita defuncto, Baſilius Chriſti amans, magnus Græcorum imperator declaratur, qui divino zelo incenſus, ut e Chriſti eccleſia omnia ſcandala ejicerentur, divinam & ſacram œcumenicam ſynodum in urbe Con-

ſtantinopolitana cogi mandavit, in qua præerant præſidentes Hadriani papæ Romani, Nicolaus enim ad dominum migraverat, locum tenentes Stephanus & Donatus epiſcopi, & Marinus diaconus; Conſtantinopolitanus patriarcha Ignatius papa Alexandrini locum tenebat Michael diaconus chartophylax, & ſyncellus: Antiocheni Syriæ Nicolai Thomas Tyri epiſcopus; Hieroſolymorum Theodoſii Elias monachus presbyter, & ſyncellus, Baſilius, & Conſtantinus piiſſimi imperatores. Quæ ſancta ſynodus ſanctas & œcumenicas ſeptem ſynodos, & a longinquo tempore inter ipſas beatos patres præconis inſtar deprædicans Nicolai & Adriani papæ Romæ ſynodica confirmavit, & Photium anathemati tradens, quæ in ipſum & per ipſum, & ab ipſo omnia facta, tentataque, juſtis eccleſiaſticæ traditionis definitionibus, rejecit: & ſic, ut Dei cultoribus addecet, peracta, in dextris ſanctæ magnæ ſalvatoris Chriſti eccleſiæ partibus, quam Sapientiam nuncupare didicimus, abſoluta eſt.

### Observatio alia Philippi Labbe, S. J.

Photius in commentariolo de ſynodis, octavam iſtam ſynodum omnino prætermiſit, ut ſibi ignominioſam, nec aliam quæ apud Græcos pleroſque ſub falſo octavæ ſynodi nomine invaluit, ſubſtituere auſus umquam fuit. Verum eo longe impudentior Nilus metropolita Rhodi ſchiſmaticus in libello de ſynodis, præterita per ſummum nefas octava œcumenica ſynodo, Photianum conciliabulum imprudentibus objecit, ut monebimus infra commodiori loco, neque hoc tacere debuerant Nili editores. Ejuſdem porro octavæ loco Joannes Zonaras, ac Theodorus Balſamon in ſuis canonum atque antiquarum ſynodorum collectionibus, quas commentariis explanare conati ſunt, Latrocinalem illam ſynodum a Photio adverſus S. Ignatium celebratam ſubſtituerunt, quæ a Græcis prima & ſecunda dici ſolet, ob eam cauſam quam ſequens Zonaræ præfatio declarabit.

## SYNODUS IN TEMPLO SS. apoſtolorum habita, prima & ſecunda nuncupata.

### JOA. ZONARÆ PRÆFATIO CUI SUBSCRIBIT DE MORE TH. BALSAMON.

SYNODI hujus inſcriptio ita ſe habet. Sancta, & magna prima, & ſecunda ſynodus Conſtantinopolitana, in templo ſanctorum, & glorioſiſſimorum apoſtolorum congregata. Apud eos ergo qui hanc inſcriptionem legunt, dubitatio exoritur, qua ratione una cum ſit, prima, & ſecunda hæc ſynodus nuncupetur. Igitur, in templo ſanctorum apoſtolorum, quod diximus, ſynodum celebratam, ibique inter orthodoxos, & adverſæ factionis homines habitam diſputationem fuiſſe, ac in ea ſuperiores orthodoxos extitiſſe memorant. Cum vero de iis quæ ultro, citroque diſputata fuerant, ſcripto exarandis conſtitutum eſſet, hæreticos, quippe qui ſe victos, atque e conventu fidelium eliminandos exiſtimari nollent, quæ decreta fuerant, ſcriptis conſignari, ſeditione etiam ob eam cauſam excitata, minime paſſos. Quam quidem ſeditionem eouſque proceſſiſſe, ut eductis quoque gladiis, complures interfecti ceciderint, atque hoc pacto, congreſſum illum, nullo videlicet rei exitu, diremptum. Hinc rurſum temporis intervallo alterum in eodem templo conventum habitum, iterumque de iiſdem rebus diſputatum, dogmaticaque decreta literarum monumentis commendata tum demum fuiſſe. Atque ex hoc factum ajunt, ut hæc licet una ſynodus, tamen ob patres bis convocatos, prima, & ſecunda merito nominata fuerit. In ſecunda itaque congreſſione, iis quæ diſputata, atque omnium conſenſu decreta fuerant, ſcripto commendatis, ſubjecti quoque canones promulgati fuere.

* Hæc Zonaræ & Balſamonis pſeudoſynodus, quam Latrocinalem appellat Nicol. papa ep. 8. & alibi potius una in duas diviſa dici debuit, quam 1. & 2. vocitari. In qua Ignatius depoſitus, atque a Photio contra fas omne poſſeſſor multatus. Necnon in ejus vicem Legatis pontificiis minis de terrore [illegible] Nicol. epiſt. 6. & 9. Pontificia littera quæ [illegible] paſſim illata à Græcis ac depravata. Nicol. ep. 9. Subſcriptos canones 17. Photius ipſe compoſuit, ut inſinuant Zonar. & Balſ. in quo ultimum illum, ut ſibi conſuleret, adjecit.

## CANON I.

RES adeo veneranda, & honorabilis, & a beatis, & ſanctis patribus noſtris jam olim pulchre excogitata, monaſteriorum ædificatio, hodie male geritur. Nonnulli enim ſuis copiis, & facultatibus, nomen monaſterii imponentes, & eas Deo ſanctificare profitentes, ſe eorum quæ ſunt conſecrata dominos eſſe inſcribunt, & ſola appellatione Deo dedicare machinari decreverunt. Eamdem enim poteſtatem etiam poſt conſecrationem ſibi uſurpare non erubeſcunt, quam prius habere non vetabantur: & tanta rei cauponatio adhibita eſt, ut multa eorum quæ ſunt conſecrata, ab iis ipſis qui conſecrarunt vendita cernantur, & admirationem, & odium iis qui ea vident afferentia: & tantum abeſt ut ullam agant pœnitentiam ob id, quod eorum quæ Deo dedicata ſunt, ſibi poteſtatem attribuant, ut etiam eam ad alios ſine metu tranſmittant. Propterea ergo ſancta definiit ſynodus, ut nemini liceat monaſterium ædificare abſque epiſcopi ſententia, & conſilio. Illo autem ſciente, & permittente, & eam quam debet orationem peragente, ut ab antiquis pie ac religioſe cautum eſt, monaſterium quidem ædificetur: omnia autem quæ ad ipſum pertinent, cum illo ipſo in brevi inſcribantur, & in epiſcopalibus archivis reponantur, nullo modo poteſtatem habente eo qui conſecrat, ſe ipſum præfectum, vel pro ſe alium conſtituere. Si enim eorum quæ quis homini largitur dominus amplius eſſe non poteſt, quomodo eorum quæ quis Deo ſanctificat, & dedicat, ſibi dominium arripere ſinetur?

## Η ΣΥΝΟΔΟΣ ΕΝ ΤΩι ΝΑΩι τῶν ἁγίων ἀποστόλων συστᾶσα ἡ πρώτη καὶ δευτέρα λεγομένη.

Η ΣΥΝΟΔΟΣ αὕτη ἐπιγέγραπται οὕτως, ἡ ἁγία καὶ μεγάλη πρώτη καὶ δευτέρα σύνοδος ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει συστᾶσα ἐν τῷ πανσέπτῳ ναῷ τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων. ἀπορεῖν τοίνυν ποιεῖ τοὺς τὴν ἐπιγραφὴν ἀναγινώσκοντας, αὕτη πῶς μία οὖσα πρώτη καὶ δευτέρα καλεῖται. λέγεται τοίνυν σύνοδον ἐν τῷ ῥηθέντι ναῷ ἁγίων ἀποστόλων συγκροτηθῆναι, καὶ διαλεχθῆναι τοὺς ὀρθοδόξους τοῖς ἑτεροδόξοις, καὶ δόξαι τοὺς ὀρθοδόξους ἐπικρατεστέρους, μέλλειν τε γραφῇ παραδοθῆναι τὰ λαληθέντα, τοὺς δὲ αἱρετικοὺς μὴ ἀνασχέσθαι γραφῆναι τὰ δόξαντα, ἵνα μὴ φανεῖεν ἡττηθέντες, καὶ ἐκκηρυχθῶσι τῆς τῶν πιστῶν ὁμηγύρεως, καὶ στασιάσαι διὰ τοῦτο, καὶ ἐς τοσοῦτον τὴν στάσιν αὐτοῖς προελθεῖν, ὡς καὶ μέχρι ξιφουλκίας καὶ φόνων χωρῆσαι, καὶ οὕτω διαλυθῆναι τὴν πρώτην ἐκείνην συνέλευσιν, μὴ σχοῦσαν δῆλόν τι ἀποτέλεσμα. εἶτ' αὖθις παραρρυέντος χρόνου δευτέραν τῷ αὐτῷ ναῷ γενέσθαι συνέλευσιν, καὶ πάλιν περὶ τῶν αὐτῶν γενέσθαι διάλογον, καὶ τότε συγγραφῆναι τὰ λαληθέντα περὶ δογμάτων, καὶ διὰ τοῦτο φασὶν αὐτὴν μίαν οὖσαν κυρίως πρώτην καὶ δευτέραν ὀνομασθῆναι, ὡς δὶς γεγονυίας τῆς συνελεύσεως τῶν πατέρων, ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ συγγραφέντων τῶν λαληθέντων καὶ συνδοξάντων, ὅτε καὶ οἱ ὑποτεταγμένοι κανόνες ἐξεφωνήθησαν.

## ΚΑΝΩΝ α'.

ΠΡΑΓΜΑ σεμνὸν οὕτω καὶ τίμιον καὶ τοῖς μακαρίοις καὶ ὁσίοις πατράσιν ἡμῶν πάλαι καλῶς ἐπινοηθὲν ἡ τῶν μοναστηρίων οἰκοδομὴ κακῶς ὁρᾶται πραττόμενον σήμερον. τινὲς γὰρ ὄνομα μοναστηρίου ταῖς οἰκείαις περιουσίαις καὶ ὑπάρξεσι περιτιθέμενοι, καὶ Θεῷ καθαγιάζειν ταύτας ἐπαγγελλόμενοι κυρίους τε τῶν ἀφιερωθέντων ἑαυτοὺς ἀναγράφουσι, καὶ μόνῃ τῇ προσηγορίᾳ τὸ θεῖον ἀφοσιοῦν, ἐκμηχανᾶσθαι διεγνώκασι. τὴν αὐτὴν γὰρ ἐξουσίαν καὶ μετὰ τὴν ἀφιέρωσιν οὐκ ἐρυθριῶσι σφετερίζεσθαι, ἣν ἔχειν οὐκ ἐκωλύοντο πρότερον. καὶ τοσαύτη καπηλεία προστετρίβη τῷ πράγματι, ὥστε πολλὰ τῶν ἀφιερωθέντων παρ' αὐτῶν γε τῶν ἀφιερωσάντων καθορᾶται πιπρασκόμενα, καὶ οὐ μόνον οὐκ ἔστιν αὐτοῖς μεταμέλεια, ἐφ' οἷς τῶν ἅπαξ ἀνατεθειμένων Θεῷ τὴν ἐξουσίαν ἑαυτοῖς ἐπιτρέπουσιν, ἀλλὰ καὶ ἑτέροις ταύτην ἀδεῶς παραπέμπουσιν. ὥρισεν οὖν διὰ ταῦτα ἡ ἁγία σύνοδος, μὴ ἐξεῖναι μοναστήριον οἰκοδομεῖν, ἄνευ τῆς τοῦ ἐπισκόπου γνώμης καὶ βουλῆς· ἐκείνου δὲ συνειδότος καὶ ἐπιτρέποντος, καὶ τὴν ὀφειλομένην ἐπιτελοῦντος εὐχήν, ὡς τοῖς πάλαι θεοφιλῶς νενομοθέτηται, οἰκοδομεῖσθαι μὲν τὸ μοναστήριον, μετὰ πάντων δὲ τῶν αὐτῷ προσηκόντων σὺν αὐτῷ ἐκείνῳ βρεβίῳ ἐγκαταγράφεσθαι καὶ τοῖς ἐπισκοπικοῖς ἀρχείοις ἐναποτίθεσθαι, μηδαμῶς ἄδειαν ἔχοντος τοῦ ἀφιεροῦντος, παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ἑαυτὸν ἡγούμενον, ἢ ἀντ' αὐτοῦ ἕτερον καθιστᾶν. εἰ γὰρ ἅπερ τις ἀνθρώπῳ χαρίζεται, τούτων οὐκέτι κύριος εἶναι δύναται, πῶς ἅπερ τις Θεῷ καθαγιάζει, καὶ ἀνατίθησι, τούτων ὑφαρπάζειν τὴν κυριότητα παραχωρηθήσεται.



## ΚΑΝΩΝ β'.

ΕΠΕΙΔΗ τινες τὸν μονήρη βίον ὑποδύεσθαι σχηματίζονται, οὐχ ἵνα Θεῷ καθαρῶς δουλεύσωσιν, ἀλλ' ἵνα τῇ σεμνότητι τοῦ σχήματος δόξαν εὐλαβείας προσλάβωσι, καὶ τῶν οἰκείων ἐντεῦθεν ἡδονῶν ἄφθονον εὕρωσι τὴν ἀπόλαυσιν· τῶν τριχῶν γὰρ μόνον τὴν ἀποβολὴν ποιούμενοι, ἐν τοῖς οἰκείοις οἴκοις παρεδρεύουσι, μηδεμίαν τῶν μοναχῶν ἀποπληροῦντες ἀκολουθίαν ἢ κατάστασιν· ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, μηδένα τῶν πάντων τοῦ μοναχικοῦ σχήματος ἀξιοῦν ἄνευ παρουσίας τοῦ ὀφείλοντος αὐτὸν εἰς ὑποταγὴν ἀναδέχεσθαι, καὶ τὴν ἐπ' αὐτῷ ἡγεμονίαν, καὶ τῆς ψυχικῆς αὐτοῦ σωτηρίας τὴν πρόνοιαν ἐπαγγέλλεσθαι, ἀνδρὸς ὄντος δηλονότι θεοφιλοῦς, καὶ μονῆς προεστηκότος, καὶ ἱκανοῦ σώζειν ψυχὴν ἀρτίως τῷ Χριστῷ προσαγομένην. εἰ δέ τις φωραθείη ἀποκείρων τινὰ χωρὶς παρουσίας τοῦ εἰς ὑποταγὴν αὐτὸν ὀφείλοντος ἀναλαμβάνειν ἡγουμένου, τοῦτον μὲν καθαιρέσει καθυποβάλλεσθαι, ὡς ἀπειθοῦντα τοῖς κανόσι, καὶ τὴν μοναχικὴν εὐταξίαν διαλύοντα· τὸν δὲ παραλόγως καὶ ἀτάκτως ἀποκαρθέντα, ἐν ὑποταγῇ καὶ μοναστηρίῳ, ἐν ᾧ ἂν ὁ κατὰ τὸν τόπον ἐπίσκοπος δοκιμάσῃ, παραδίδοσθαι. αἱ γὰρ ἄκριτοι καὶ ἐπισφαλεῖς ἀποκουραὶ καὶ τὸ μοναχικὸν σχῆμα ἠτίμωσαν, καὶ τὸ τοῦ Χριστοῦ ὄνομα βλασφημεῖσθαι πεποιήκασιν.

## CANON II.

QUONIAM nonnulli ſe vitam monaſticam ſubire præ ſe ferunt, non ut Deo pure ſerviant, ſed ut propter habitus honeſtatem, pietatis opinionem conſequantur, & ea ratione propriis voluptatibus uberius fruantur (ſolorum enim pilorum jactura facta, propriis domibus aſſident, nullam monachorum vitæ adminiſtrationem, vel conſtitutionem implentes) ſtatuit ſancta ſynodus, ne ullus ex omnibus monaſtico habitu dignus cenſeatur, ſine præſentia ejus, qui illum debet ad obedientiam ſuſcipere, & ſe principatum in illum obtenturum, & ejus animæ ſalutis curam geſturum profiteri: qui ſcilicet eſt vir pius, & præeſt monaſterio, & eſt idoneus ad ſervandam animam, quæ Deo offertur. Si quis autem deprehenſus fuerit aliquem tondens ſine præſentia ejus, qui ipſum debet ad obedientiam ſuſcipere, præfecti, ille quidem depoſitioni ſubjiciatur, ut qui canonibus non pareat, & monaſticum ordinem bene compoſitum diſſolvat. Qui vero inordinate, & præter rationem tonſus eſt, in ſubjectionem, & monaſterium, in quo illius loci epiſcopus melius eſſe duxerit, tradatur. Citra judicium enim factæ, & temerariæ ac præcipites tonſuræ, monaſticum quoque habitum ignominia affecerunt, & ut Chriſti nomen blaſphemiis appeteretur effecerunt.

## ΚΑΝΩΝ γ'.

ΚΑΙ τοῦτο κακῶς πραττόμενον, κατὰ πολὺ δὲ χεῖρον παρορᾶσθαι καὶ ἀμελείᾳ παραπεμπόμενον τυχεῖν ἐκρίθη διορθώσεως, ἵνα εἴ τις μονῆς προϊστάμενος τοὺς ὑπ' αὐτὸν τεταγμένους μοναχοὺς ἀποδιδράσκοντας, οὐ μετὰ πολλῆς τῆς ἐπιμελείας ἐπιζητοίη, ἢ ἐφευρίσκων οὐκ ἀναλαμβάνοιτο, καὶ τῇ προσηκούσῃ καὶ καταλλήλῳ τοῦ πταίσματος ἰατρείᾳ τὸ νενοσηκὸς ἀνακτᾶσθαι,

## CANON III.

ID quoque quod male fit, & multo pejus deſpicatui, & negligentiæ mandatur, correctionem oportere aſſequi judicatum eſt. Si quis ergo qui præeſt monaſterio, eos qui ei ſubjecti ſunt monachos non cum multa diligentia requirat, vel inveniens non recipiat, & con-

A & conveniente lapſuique congruente medicina id quod morbo affectum eſt non recuperat, & confirmare contendit, ſtatuit ſancta ſynodus eum ſegregationi ſubjici. Si enim, cui animalium ratione carentium præfectura credita eſt, gregem negligit, id non impune aufert, is cujus fidei Chriſti pecoris imperium commiſſum eſt, & ſocordia ac negligentia eorum ſalutem venundat, quidni audacis ejus incepti pœnæ ab eo exigentur?

## CANON IV.

MULTIS modis malignus monaſticum venerabilem habitum probroſum efficere contendit, & magnum eam ad rem auxilium B invenit ejus, quæ præceſſit, hæreſis tempus. Propria enim monaſteria hæreſis neceſſitate relinquentes monachi, hi quidem ad alia, illi vero etiam ad ſæcularium virorum habitacula ſe transferebant. Verum enim vero, quod tunc ab illis propter pietatem factum, eos laudandos beandoſque efficiebat, in mores a ratione alienos converſum, eos jure deridendos efficit. Cum enim jam ubique terrarum propagata ſit religio, & eccleſia a ſcandalis & offenſionibus liberata, quidam adhuc e ſuis monaſteriis excedentes, & tanquam fluentum aliquod, quod cohiberi non poteſt, nunc huc nunc illuc ſe C conferentes, & confluentes, monaſteria quidem multa immodeſtia replent, & multam ſibi confuſionem petulantiamque afferunt, obedientiæque honeſtatem convellunt ac perdunt. Sed eorum inſtabilem & non ferendam appetitionem reſecans ſancta ſynodus, ſtatuit, ut ſi quis monachus a proprio aufugiens monaſterio, vel ſe in aliud monaſterium conferat, vel in ſæculare habitaculum ingrediatur, ipſe & qui eum ſuſcepit ſegregatus ſit, donec qui aufugit, in id monaſterium a quo improbe receſſerat, revertatur. Sed ſi epiſcopus quidem de nonnullorum monachorum pietate & vitæ probitate ab idoneis teſtibus certior factus, in aliud monaſterium ad ejus conſtitutionem D eos transferre voluerit, vel in domum ſæcularem, ad eorum, qui inhabitant, ſalutem, traducendos eos cenſuerit, vel in alio quovis loco præficiendos ceteris duxerit, hoc neque iis, qui ſuſcipiunt, nec ipſis monachis fraudi erit.

## CANON V.

QUÆ temere, & ſine judicio ac probatione fiunt, renunciationes, bono monaſtico ordini magnum afferre incommodum invenimus. In monaſticam enim vitam ſe facile injicientes, & ad aſperam, & laborioſam exercitationem ſe ſegniter gerentes, ad E carnalem, & voluptariam vitam rurſus miſere revertuntur. Propterea ergo ſtatuit ſancta ſynodus, ut nemo monaſtico habitu dignus putetur, prius quam triennii tempus ad experientiam eis relictum, eos eſſe probatos & tali eſſe vita dignos oſtenderit. Et hæc omni modo obſervari præcepit, præterquam ſi gravis aliquis morbus incidens probationis tempora contrahi coegerit, vel ſi nondum quis ſit vir religioſus, & tamen vitam monaſticam in habitu ſæculari peragat. Tali

A καὶ ἐπιῤῥωννύειν ἀγωνίζοιτο, τοῦτον ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἀφορισμῷ ὑποκεῖσθαι. εἰ γὰρ ζώων ἀλόγων τὴν προστασίαν ἐγχειριζόμενος, καὶ τοῦ ποιμνίου καταμελῶν, οὐκ ἀτιμώρητος καταλιμπάνεται, ὁ τοῦ Χριστοῦ θρεμμάτων τὴν ποιμαντικὴν ἀρχὴν καταπιστευθεὶς, καὶ ῥᾳστώνῃ καὶ ῥαθυμίᾳ τὴν αὐτῶν σωτηρίαν ἀπεμπολῶν, πῶς οὐ δίκας τοῦ τολμήματος εἰσπραχθήσεται;

## ΚΑΝΩΝ δ'.

ΠΟΛΥΤΡΟΠΩΣ ὁ πονηρὸς τοῦ μοναχικοῦ σχήματος τὸ σεβάσμιον ἐπονείδιστον θεῖναι B ἠγωνίσατο, καὶ πολλὴν εὗρεν εἰς τοῦτο συνδρομὴν, τῆς κατασχούσης αἱρέσεως τὸν καιρόν. τὰς γὰρ ἰδίας μονὰς τῇ ἀνάγκῃ τῆς αἱρέσεως οἱ μονάζοντες καταλιμπάνοντες, οἱ μὲν, εἰς ἑτέρας, οἱ δὲ εἰς κοσμικῶν ἀνδρῶν μετέπιπτον καταγώγια. ἀλλὰ γὰρ ὅπερ αὐτοὺς δι' εὐσέβειαν τότε πραττόμενον μακαριστοὺς ἀπέφαινεν, εἰς ἔθος ἄλογον μεταπεσὸν, καταγελάστους παρίστησι. πανταχοῦ γὰρ νῦν τῆς εὐσεβείας ἐξηπλωμένης, καὶ σκανδάλων τῆς ἐκκλησίας ἀπηλλαγμένης, ἔτι τινὲς τῶν οἰκείων μοναστηρίων ἀποφοιτῶντες, καὶ καθάπερ τι ῥεῦμα δυσκάθεκτον ὧδε κἀκεῖσε μεταγγι- C ζόμενοί τε καὶ μεταῤῥέοντες, πολλῆς μὲν πληροῦσι τῆς ἀκοσμίας τὰ μοναστήρια, πολλὴν δὲ τὴν ἀταξίαν ἑαυτοῖς συνεισκωμάζουσι, καὶ τῆς ὑποταγῆς τὸ σεμνὸν διασπῶσί τε καὶ καταλυμαίνονται. ἀλλὰ τούτων τὸ ἄστατον τῆς ὁρμῆς καὶ ἀνυπότακτον ἡ ἁγία σύνοδος ἀνακόπτουσα, ὥρισεν, ἵνα εἴ τις μοναχὸς τῆς ἰδίας ἀποδράσας μονῆς εἰς ἕτερον μεταπέσῃ μοναστήριον, ἢ εἰς κοσμικὸν εἰσκωμάσῃ καταγώγιον· αὐτός τε καὶ ὁ τοῦτον ὑποδεξάμενος ἀφωρισμένος εἴη, ἕως ἂν ὁ ἀποφυγὼν ἐπανέλθῃ, ἐξ ἧς κακῶς ἐξέπεσε μονῆς. εἰ μέντοι γε ὁ ἐπίσκοπός τινας τῶν μοναχῶν ἐπὶ εὐλαβείᾳ καὶ βίου σεμνότητι μαρτυρουμένους, εἰς ἕτερον μοναστή- D ριον ἐπὶ καταστάσει τῆς μονῆς ἐθελήσοι μετακομίσαι, ἢ καὶ εἰς κοσμικὴν οἰκίαν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἐνοικούντων δοκιμάσει καταστῆσαι, ἢ ἀλλαχόσε εὐδοκήσει ἐπιστῆσαι· τοῦτο, οὔτε τοὺς ὑποδεχομένους, οὔτε τοὺς μοναχοὺς ὑποδίκους ποιεῖ.

## ΚΑΝΩΝ ε'.

ΤΑΣ ἀκρίτους καὶ ἀδοκιμάστους ἀποταγὰς ἐπὶ πολὺ τὴν μοναχικὴν εὐταξίαν λυμαινομένας, ἐλέγχομεν. προπετῶς γάρ τινες εἰς τὸν μονήρη βίον ἑαυτοὺς ἐπιῤῥίπτοντες, καὶ πρὸς τὸ τραχὺ καὶ ἐπίπονον καταλιγωροῦντες τῆς ἀσ- E κήσεως, ἐπὶ τὸν φιλόσαρκον καὶ φιλήδονον βίον, ἀθλίως πάλιν ἐπαναστρέφουσιν. ὥρισεν οὖν διὰ τοῦτο ἡ ἁγία σύνοδος, μηδένα τοῦ μοναχικοῦ καταξιοῦσθαι σχήματος, πρὶν ἂν ὁ τῆς τριετίας χρόνος εἰς πεῖραν αὐτοῖς ἀφεθεὶς, δοκίμους αὐτοὺς καὶ ἀξίους τῆς τηλικαύτης βιοτῆς καταστήσῃ, καὶ τοῦτο κρατεῖν παντὶ τρόπῳ παρεκελεύσατο, πλὴν εἰ μή πω τις προσπεσοῦσα βαρεῖα νόσος, τὸν χρόνον ἀναγκάσῃ συναλεῖψαι τῆς δοκιμασίας, ἢ εἰ μή πω τις εἴη ἀνὴρ εὐλαβὴς καὶ τὸν μοναχικὸν βίον ἐν τῷ κοσμικῷ διανύων σχήματι. ἐπὶ

γὰρ τοῦ



γὰρ τοῦ τοιούτου ἀνδρὸς εἰς ἀπόπειραν παντελῆ, καὶ A ὁ ἑξαμηναῖος ἀρκέσει χρόνος. εἰ δέ τις παρὰ ταῦτα διαπράξεται, τὸν μὲν ἡγούμενον τῆς ἡγουμενείας ἐκπίπτοντα, παιδείαν τῆς ἀταξίας τὴν ἐν ὑποταγῇ διαγωγὴν ἐφελκύσασθαι· τὸν δὲ μονάσαντα ἐν ἑτέρᾳ μονῇ τὴν μοναχικὴν ἀκρίβειαν φυλαττούσῃ παραδίδοσθαι.

## ΚΑΝΩΝ ς'.

ΟΙ μοναχοὶ οὐδὲν ἴδιον ὀφείλουσιν ἔχειν, πάντα δὲ τὰ αὐτῶν προσκληροῦσθαι τῷ μοναστηρίῳ. φησὶ γὰρ ὁ μακάριος Λουκᾶς περὶ τῶν εἰς Χριστὸν πιστευόντων, καὶ τὴν τῶν μοναχῶν πολι- B τείαν διατυπούντων, ὡς οὐδείς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι, ἀλλ' ἦν αὐτοῖς ἅπαντα κοινά. διὸ τοῖς ἐθέλουσι μονάζειν ἄδεια δίδοται περὶ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς διατίθεσθαι πρότερον, καὶ οἷς ἂν βούλοιντο προσώποις μὴ κεκωλυμένοις δηλονότι παρὰ τοῦ νόμου τὰ αὐτῶν παραπέμπεσθαι. μετὰ γάρ τοι τὸ μονάσαι, τῶν προσόντων αὐτοῖς ἁπάντων, τὸ μοναστήριον ἔχειν τὴν κυριότητα, καὶ οὐδὲν περὶ τῶν οἰκείων φροντίζειν ἢ διατάσσεσθαι τούτοις παρακεχώρηται. εἰ δέ τις φωραθείη κτῆσίν τινα, ἥτις οὐκ ἀπεκληρώθη τῷ μοναστηρίῳ ἰδιοποιούμενος, καὶ φιλοκτησίας πάθει δουλούμενος, ταύτην μὲν παρὰ τοῦ ἡγουμένου C ἢ τοῦ ἐπισκόπου ἀναλαμβάνεσθαι, καὶ πολλῶν παρουσίᾳ πιπρασκομένην, πτωχοῖς καὶ ἀπόροις διανέμεσθαι. τὸν δέ γε τὴν τοιαύτην κτῆσιν κατὰ τὸν παλαιὸν Ἀνανίαν ὑποσυλᾷν μελετήσαντα, τῷ προσήκοντι ἐπιτιμίῳ ἡ ἁγία σύνοδος ὥρισε σωφρονίζεσθαι. δῆλον δὲ ὡς ἅτινα περὶ μοναζόντων ἀνδρῶν ἡ ἁγία σύνοδος ἐκανόνισε, ταῦτα καὶ περὶ μοναζουσῶν γυναικῶν κρατεῖν ἐδικαίωσεν.

## ΚΑΝΩΝ ζ'.

ΠΟΛΛΑΣ τῶν ἐπισκοπῶν ὁρῶμεν καταπιπτούσας, καὶ ἀφανισμῷ πλείῳ κινδυνευούσας παραδίδοσθαι, ὅτι περ οἱ τούτων προεστηκότες D τὴν περὶ αὐτῶν φροντίδα, καὶ ἐπιμέλειαν, εἰς νεουργίας μοναστηρίων καταναλίσκουσι, καὶ τὸν σφετερισμὸν τῶν εἰσόδων ἐκμηχανώμενοι, τὴν ἐκείνων ἐπαύξησιν πραγματεύονται. ὥρισεν οὖν διὰ τοῦτο ἡ ἁγία σύνοδος, μηδενὶ τῶν ἐπισκόπων ἐξεῖναι μοναστήριον ἴδιον ἐπὶ καταλύσει τῆς ἰδίας ἐπισκοπῆς νεουργεῖν. εἰ δέ τις φωραθείη τοῦτο τολμῶν, αὐτὸν μὲν τῷ προσήκοντι ἐπιτιμίῳ καθυποβάλλεσθαι, τὸ δὲ νεουργηθὲν ὑπ' αὐτοῦ, ὡς μηδὲ τὴν ἀρχὴν μοναστηρίου δίκαιον ἀπειληφὸς, ὡς ἰδιόκτητον τῷ ἐπισκοπείῳ προσκυροῦσθαι. οὐδὲν γὰρ τῶν παρανόμως καὶ ἀτάκτως παρυ- E φισταμένων τὸ πρόκριμα τῶν κανονικῶς συνισταμένων ἀποφέρεσθαι δύναται.

## ΚΑΝΩΝ η'.

Ο θεῖος καὶ ἱερὸς τῶν ἁγίων ἀποστόλων κανὼν, τοὺς ἐκτέμνοντας ἑαυτοὺς αὐτοφονευτὰς κρίνει, καὶ ἱερεῖς μὲν ὄντας, καθαιρεῖ, μέλλοντας δὲ καὶ τῆς ἐπὶ ἱερωσύνην προκοπῆς ἀπείργει, δῆλον ἐντεῦθεν καθιστῶν, ὡς εἴπερ ὁ ἑαυτὸν ἐκτέμνων αὐτοφονευτής ἐστιν, ὁ ἕτερον ἐκτέμνων πάντως

A enim viro ad abſolutam experientiam tempus ſemeſtre ſuffecerit. Si quis autem præter hæc fecerit, præfectus quidem præfectura excidens, perperam obſervati ordinis correctionem, in obedientia, & ſubjectione converſationem inveniat. Qui eſt autem in alio monaſterio monachus, alii monaſterio tradatur, quod monaſticam diſciplinam accurate perfecteque obſervet.

## CANON VI.

MONACHI nihil debent habere proprium; ſed omnia eorum monaſterio adſcribi. Dicit enim beatus Lucas de iis qui B credunt in Chriſtum, & monachorum inſtitutionem deſcribunt, quod nemo quidquam eorum quæ aderant, proprium eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Et ideo iis qui monachi eſſe volunt, prius datur facultas de ſuis rebus teſtandi, ac diſponendi, & quibuſcumque velint perſonis, lege ſcilicet non prohibitis, ſua tranſmittendi. Poſtquam enim monachi facti fuerint, omnium bonorum dominium monaſterium habebit, & nullam de rebus propriis curam gerere vel diſponere eis permiſſum eſt. Si quis autem deprehenſus fuerit, poſſeſſionem aliquam, quæ monaſterio non adſcripta fuerit, ſibi privatim attribuere, & acquirendarum poſſeſſionum cupiditati ſer- C vire, ea quidem ab epiſcopo ſeu præfecto recipiatur, & in multorum præſentia vendita, pauperibus & mendicis diſtribuatur. Eum autem qui eam poſſeſſionem, ut olim Ananias, ſurripere meditatus eſt, convenienti pœna caſtigandum eſſe ſancta ſynodus ſtatuit. Clarum eſt autem, quod quæ de viris monachis ſancta ſynodus canonice conſtituit, ea in monachis quoque fœminis valere, & obſervari æquum cenſuit.

## CANON VII.

D MULTOS epiſcopatus ruere, & perpetuo exitio tradi videmus, quod qui eis præſunt, omnem de eis curam, & ſolicitudinem in recentes monaſteriorum extructiones conferunt, & eos divellentes ac diſtrahentes, & ut ad ſe pertineant reditus molientes, ut ipſa augeantur, laborant. Hoc ergo ſtatuit ſancta ſynodus, nulli licere epiſcopo privatum monaſterium ad proprii epiſcopatus perniciem recens excogitare. Si quis autem hoc audere deprehenſus fuerit, ipſum quidem convenienti pœnæ ſubjici: quod ab ipſo autem recens extructum eſt, ut quod nec eſt ab initio jus monaſterii ſortitum, ut privatum epiſcopatui adſcribit. Nihil enim eorum quæ præter E leges, & inordinate conſiſtunt, iis quæ canonice conſtituta ſunt, præjudicium afferre poteſt.

## CANON VIII.

DIVINUS, & ſacer ſanctorum apoſtolorum canon, eos qui ſeipſos caſtrant eſſe Cano. Apoſt. 22, 23. & 24.
ſui homicidas judicat. Et ſi ſint quidem ſacerdotes, deponit, ſi non ſint autem, ne ad ſacerdotium promoveantur prohibet, ex eo aperte ſtatuens, quod ſi is qui ſeipſum execavit ſui eſt homicida, qui alium execat, eſt omnino

homi-

homicida. Merito autem ſtatuerit quiſpiam eum quoque in opificium contumelioſum videri. Quamobrem decrevit ſancta ſynodus, ut ſi quis epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus, caſtrare aliquem convictus fuerit, vel manu propria, vel ſuo juſſu, is depoſitioni ſubjiciatur: ſi ſit autem laicus, ſegregetur, præterquam ſi morbus, qui alicui accidit, ad eum execandum, qui caſtratus eſt, coegerit. Quemadmodum enim Nicænæ primæ ſynodi canon, eos qui in morbo execti ſunt, non punit, propter morbum: ſic, & nos, nec ſacerdotes, qui ægrotos caſtrari mandant, condemnamus, nec laicos, qui propriis manibus ad caſtrationem utuntur, reprehendimus. Hoc enim morbi eſſe medelam, non autem creaturæ inſidias fieri, vel opificium injuria affici exiſtimamus.

## CANON IX.

Can. Apoſt. 26.

CUM apoſtolicus & ſacer canon ſacerdotes, qui verberare aggrediuntur, vel fideles, qui peccarunt, vel infideles qui injuriam fecerunt, depoſitioni ſubjiciat: ii qui ſuæ iræ mederi moliuntur, & apoſtolicas conſtitutiones detorquent, eos intellexerunt, qui ſua manu verberarent, nec canone tale quid ſignificante, nec recta ratione hoc intelligere permittente. Etenim revera ineptum & valde lubricum, ut qui ſua quidem manu ter, vel quater percuſſerit, deponatur, data autem facultate juſſu verberandi, eum qui immaniter, & uſque ad mortem ſupplicium inflicturus eſt, impune id ferre negligi. Quamobrem canone ipſum verberare abſoluto puniente, nos quoque ſimul cum eo ita decernimus. Oportet enim Dei ſacerdotem doctrinis, & admonitionibus, nonnunquam autem & pœnis canonicis eum qui ſe immodeſte & inſolenter gerit, inſtituere, ſed non flagellis, & verberibus in hominum corpora inſultare. Si qui autem ſunt morem omnino non gerentes, & pœnarum correctioni non cedentes, eos per vocationem ad ejus loci magiſtratus nemo caſtigari prohibet. Antiochenæ enim ſynodi canon V. eos qui tumultus excitant, & ſeditiones in eccleſia introducunt, per manum externam converti oportere ſtatuit.

## CANON X.

QUI ſeipſos tradunt animi perturbationibus, non ſolum quod a ſacris canonibus intentatur ſupplicium non horrent, ſed eis etiam inſultare auſi ſunt. Ipſos enim torquent: & ad ſuam animi perturbationem eorum quoque voluntatem adulterant: ut propter animi ſui motus contentionem, ut inquit Gregorius Theologus, non ſolum ſit eorum malum correctioni non obnoxium; ſed divinum quoque exiſtimetur. Apoſtolicum enim canonem, qui dicit, Vas aureum, vel argenteum, ſanctificatum, vel velum lineum, nemo in ſuum uſum accipiat: eſt enim præter leges. Si quis autem deprehenſus fuerit, ſegregatione mulctetur. Eum ad ſuorum delictorum patrocinium aſſumentes, dicunt eos non oportere judicari depoſitione dignos, qui venerandum ſanctæ menſæ indumentum in propriam tunicam, vel in aliquod aliud veſtimentum transformant.

Greg. Naz. orat. 34. p. 546.

... ἁγίας τραπέζης ἐνδυτὴν εἰς οἰκεῖον χιτῶνα, ...

φονευτής ἐστι. θείη δ' ἄν τις τὸν τοιοῦτον δικαίως καὶ τῆς δημιουργίας αὐτῆς ὑβριστήν. διόπερ ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, ὡς εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος εὐνουχίζων τινὰ ἐλεγχθείη, ἢ αὐτοχειρία, ἢ διὰ ἐπιτάγματος, τοῦτον καθαιρέσει καθυποβάλλεσθαι. εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφορίζεσθαι, πλὴν εἰ μήπω νοσήματι περιπεσὼν, πρὸς ἐκτομὴν τοῦ πεπονθότος ἐκβιάζοιτο. ὥσπερ γὰρ ὁ τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου πρῶτος κανὼν τοὺς ἐν νόσῳ χειρουργηθέντας οὐ κολάζει διὰ τὸ νόσημα· οὕτω καὶ ἡμεῖς, οὔτε τοὺς ἱερεῖς ἐπιτάσσοντας τοὺς νοσοῦντας εὐνουχίζεσθαι κατακρίνομεν, οὔτε μὴν τοὺς λαϊκοὺς αὐτοχειρίᾳ πρὸς τὴν ἐκτομὴν χωμένους αἰτιώμεθα. τοῦτο γὰρ ἰατρείαν τοῦ νοσήματος, ἀλλ' οὐκ ἐπιβουλὴν τοῦ πλάσματος, ἢ τῆς πλάσεως ὕβριν λογιζόμεθα.

## ΚΑΝΩΝ θ'.

ΤΟΥ ἀποστολικοῦ καὶ θείου κανόνος τοὺς ἱερεῖς τύπτειν ἐπιχειροῦντας πιστοὺς ἁμαρτήσαντας ἢ ἀπίστους ἀδικήσαντας καθαιρέσει καθυποβάλλεσθαι διορίζομένου, οἱ τὸν οἰκεῖον ἀποθεραπεύειν μηχανώμενοι θυμὸν, καὶ τὰς ἀποστολικὰς διατάξεις, παραχαράσσοντες τοὺς αὐτοχειρίᾳ τύπτοντας ἐξειλήφασι, μήτε τοῦ κανόνος μηδὲν τοιοῦτον ὑποσημαίνοντος, μήτε τοῦ ὀρθοῦ λόγου τοῦτο ἐπιτρέποντος. μάταιον γὰρ ὡς ἀληθῶς καὶ λίαν ἐπισφαλὲς τὸν αὐτοχειρίᾳ μὲν τρὶς ἢ τετράκις πλήξαντα, καθαιρεῖσθαι, ἀδείας δὲ διδομένης, διὰ ἐπιτάγματος τύπτειν τὸν ἀπηνῶς καὶ μέχρι θανάτου τὴν τιμωρίαν ἐπαύξοντα, παρορᾶσθαι ἀτιμώρητον. διόπερ τοῦ κανόνος τὸ τύπτειν ἁπλῶς κολάζοντος, καὶ ἡμεῖς οὕτω συμψηφιζόμεθα. χρὴ γὰρ τοῦ Θεοῦ ἱερέα καὶ διδασκαλίαις, καὶ νουθεσίαις, ἔσθ' ὅτε καὶ τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ἐπιτιμίοις, τὸν ἀτακτοῦντα παιδαγωγεῖν, ἀλλὰ μὴ ταῖς μάστιξι καὶ ταῖς πληγαῖς εἰς τὰ τῶν ἀνθρώπων σώματα ἐπιπηδᾷν. εἰ δέ τινες εἶεν παντελῶς ἀνυπότακτοι καὶ τῷ σωφρονισμῷ τῶν ἐπιτιμίων μὴ ὑπείκοντες, τούτους διὰ τῆς πρὸς τοὺς κατὰ τὸν τόπον ἄρχοντας ἐκκλήσεως, οὐδεὶς κωλύει σωφρονίζεσθαι. καὶ γὰρ ὁ τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ συνόδου πέμπτος κανὼν, τοὺς θορυβοῦντας καὶ στάσεις τῇ ἐκκλησίᾳ παρεισάγοντας, διὰ τῆς ἔξωθεν χειρὸς ἐκανόνισεν ἐπιστρέφεσθαι.

## ΚΑΝΩΝ ι'.

ΟΙ τοῖς πάθεσιν ἑαυτοὺς ἐκδότους παραστήσαντες, οὐ μόνον τὴν ἀπὸ τῶν ἱερῶν κανόνων τιμωρίαν οὐ φρίττουσιν, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν ἐκείνων καταπορχεῖσθαι τετολμήκασι. στρεβλοῦσι γὰρ αὐτοὺς, καὶ πρὸς τὸ ἐμπαθὲς αὐτῶν ἀποκιβδηλεύουσι τοῦ θελήματος, ἵνα τῇ φιλοτιμίᾳ τῆς ἐμπαθείας κατὰ τὸν θεολόγον Γρηγόριον, μὴ μόνον ἀνεύθυνον αὐτοῖς ᾖ τὸ κακὸν, ἀλλὰ καὶ θεῖον νομίζοιτο. τὸν γὰρ ἀποστολικὸν κανόνα τὸν λέγοντα. σκεῦος χρυσοῦν ἢ ἀργυροῦν ἁγιασθὲν ἢ ὀθόνην, μηδεὶς ἔτι εἰς οἰκείαν χρείαν σφετεριζέσθω, παράνομον γάρ. εἰ δέ τις φωραθείη, ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ. τοῦτο οὖν εἰς συνηγορίαν τῶν οἰκείων παρανομημάτων ἐκλαμβάνοντες, οὔ φασι δεῖν καθαιρέσεως ἀξίους κρίνεσθαι τοὺς τὴν σεβασμίαν τῆς ἱερᾶς τραπέζης ... ἐνδυτὴν ... τῶν ἀμφίων μετασχηματίζοντας· οὐ μὴν



οὐ μὴν, ἀλλ' οὐδὲ τοὺς τὸ ἅγιον ποτήριον ὢ τῆς ἀσεβείας· ἢ τὸν σεπτὸν δίσκον, ἢ τὰ τούτοις παραπλήσια εἰς ἰδίαν ἐκδαπανῶντας χρείαν, ἢ καταχραίνοντας. ὁ γὰρ κανών φησι τοὺς εἰς τοῦτο περιπίπτοντας ἀφορισμῷ μὲν καθυποβάλλεσθαι· ἀλλ' οὐ καθαιρέσει ἐδικαίωσεν. ἀλλὰ τίς ἂν ἀνάσχοιτο τῆς τοσαύτης παραποιήσεως καὶ δυσσεβείας τὸ μέγεθος; τοῦ γὰρ κανόνος τοῖς τὸ μόνον ἁγιασθὲν εἰς χρῆσιν, ἀλλ' οὐκ εἰς τελείαν ἁρπαγὴν σφετεριζομένοις τὸν ἀφορισμὸν ἐπιπέμποντος, αὐτοὶ καὶ τοὺς καθαρπάζοντας καὶ ἱεροσυλοῦντας τὰ τῶν ἁγίων ἅγια, ἐλευθεροῦσι τῆς καθαιρέσεως, καὶ τοὺς εἰς βρωμάτων ὑπηρεσίαν, ὅσον γε τῇ ἐφ' ἑαυτοὺς κρίσει τοὺς σεβασμίους δίσκους, ἢ τὰ ἱερὰ ποτήρια καταμολύνοντας ἀκαθαιρέτους εἰσάγουσι, καί τοι φανεροῦ καθεστηκότος τοῦ μιάσματος, καὶ δῆλον ὂν, ὡς οἱ τὰ τοιαῦτα πράττοντες οὐ μόνον καθαιρέσεως, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐσχάτης δυσσεβείας τῷ ἐγκλήματι περιπίπτουσι· διόπερ ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος τοὺς τὸ ἅγιον ποτήριον, ἢ τὸν δίσκον, ἢ τὴν λαβίδα, ἢ τὴν σεβασμίαν ἐνδυτὴν, ἢ τὸν λεγόμενον ἀέρα, ἢ ἁπλῶς τοὺς ἔν τι τῶν ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ ἱερῶν καὶ ἁγίων σκευῶν ἢ ἀμφιασμάτων εἰς ἴδιον κέρδος ὑφαρπάζοντας, ἢ εἰς χρῆσιν ἀποχρωμένους ἀνίερον παντελεῖ καθαιρέσει καθυποβάλλεσθαι. τὸ μὲν γάρ ἐστι βεβηλῶσαι, τὸ δὲ συλῆσαι τὰ ἅγια. τοὺς μέντοι τὰ ἔξωθεν τοῦ θυσιαστηρίου ἀφωρισμένα σκεύη τινὰ, ἢ ἄμφια εἰς χρῆσιν ἀνίερον ἑαυτοῖς ἢ ἑτέροις παρέχοντας, τούτους καὶ ὁ κανὼν ἀφορίζει καὶ ἡμεῖς συναφορίζομεν. τοὺς δὲ παντελῶς ἀφαρπάζοντας, τῇ τῶν ἱεροσύλων καταδίκῃ καθυποβάλλομεν.

## ΚΑΝΩΝ ια'.

ΤΟΥΣ πρεσβυτέρους ἢ διακόνους κοσμικὰς ἀρχὰς ἢ φροντίδας ἀναδεχομένους, ἢ τὰς ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀρχόντων λεγομένας κουρατωρείας, οἱ θεῖοι καὶ ἱεροὶ κανόνες, καθαιρέσει καθυποβάλλουσι. τοῦτο οὖν καὶ ἡμεῖς ἐπικυροῦντες, καὶ περὶ τῶν λοιπῶν τῶν ἐν κλήρῳ κατειλεγμένων διορίζόμεθα, ὡς εἴ τις αὐτῶν κοσμικὰς ἀρχὰς μεταχειρίζοιτο, ἢ τὰς ἐν τοῖς τῶν ἀρχόντων οἴκοις ἢ προαστείοις λεγομένας κουρατωρείας ἀναδέχοιτο, τοῦτον τοῦ οἰκείου κλήρου ἐκδιώκεσθαι. οὐδεὶς γὰρ δύναται κατὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν αὐτόλεκτον καὶ ἀψευδεστάτην φωνὴν, δυσὶ κυρίοις δουλεύειν.

## ΚΑΝΩΝ ιβ'.

ΤΗΣ ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ἕκτης συνόδου τοὺς ἐν τοῖς εὐκτηρίοις οἴκοις ἔνδον οἰκίας οὖσι, λειτουργοῦντας ἢ βαπτίζοντας κληρικοὺς παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου καθαιρέσει καθυποβαλλούσης, καὶ ἡμεῖς τούτῳ συμψηφιζόμεθα. τῆς γὰρ ἁγίας ἐκκλησίας ὀρθοτομούσης, καὶ τὸν ἀληθῆ πρεσβευούσης λόγον, καὶ τὸ σεμνὸν τῆς πολιτείας συντηρούσης τε καὶ ἐκδιδασκούσης, ἀπηχὲς καὶ ἀνόσιον παραχωρεῖν τοὺς ἀπαιδευσίᾳ καὶ ἀναρχίᾳ συζῶντας, εἰς τὰς οἰκίας ὑποδυομένους, τὴν ταύτης εὐταξίαν διασπᾷν, καὶ πολλῆς ταραχῆς καὶ σκανδάλων ἀποπληροῦν. διόπερ ἡ νῦν ἱερὰ καὶ θεοσυνέργητος σύνοδος τῇ οἰκουμενικῇ καὶ ἁγίᾳ ἕκτῃ συνόδῳ συμφωνοῦσα, ἀποκεκληρωμένους εἶναι τοὺς ἐν τοῖς εὐκτηρίοις οἴκοις ἔνδον οἰκίας οὖσι λειτουργοῦντας, διωρίσατο, τῆς ἀποκληρώσεως, δηλονότι, παρὰ τοῦ κατὰ τὸν τόπον ἐπισκόπου αὐτῆς ἀπονεμηθείσης.

Sed neque eos qui ſanctum calicem, o impietatem, vel venerabilem diſcum, vel ea quæ ſunt iis ſimilia, in proprium uſum inſumunt, vel polluunt. Canon enim, inquiunt, eos qui in hoc incidunt, eſſe ſegregationi non depoſitioni ſubjiciendos æquum cenſuit. Sed quis tantæ perverſitatis, & impietatis magnitudinem ferat? Cum enim canon, eos qui quod ad uſum ſolum eſt ſanctificatum, & id non ad perfectam rapinam ſibi vendicant, ſegregationi ſubjiciat, ipſi eos qui ſancta ſanctorum rapiunt, & ſacrilegis manibus auferunt, depoſitione liberant: & eos qui ad ciborum miniſterium, ſuo quidem certe judicio, venerabiles diſcos & ſacros calices inquinant, deponendos judicant, non, quamvis ſit apertum piaculum. & clarum eſt, quod qui hæc faciunt, non ſolum in depoſitionem, ſed in extremæ etiam impietatis crimen incidunt. Et ideo ſtatuit ſancta ſynodus, eos qui calicem, aut diſcum, aut ſuſcinulam, aut velum, aut unum aliquod in altari ſacrorum & ſanctorum vaſorum, vel veſtimentorum, ad proprium uſum rapiunt, vel ad profanum uſum convertunt, abſolutæ depoſitioni ſubjici. Hoc enim eſt profanare: illud vero ſurripere. Eos quidem certe, qui extra altare, vaſa quædam ſegregata, vel veſtes, ſibi vel aliis præbent, eos canon quoque ſegregat: & nos una quoque ſegregamus. Eos autem qui plane ſurripiunt, ſacrilegorum condemnationi ſubjicimus.

## CANON XI.

PResbyteros, vel diaconos, ſæculares magiſtratus vel curas ſuſcipientes, vel eas quæ in magiſtratuum ædibus dicuntur, curationes, divini, & ſacri canones depoſitioni ſubjiciunt. Hoc ergo nos quoque confirmantes, de reliquis quoque qui ſunt in clericorum catalogo decernimus: Quod ſi quis eorum ſæcularia officia aſſumat, vel eas quæ in magiſtratuum ædibus vel in ſuburbanis dicuntur, curationes ſuſcipiat, is ex clero expellatur. Nemo enim poteſt, ut eſt Chriſti veri Dei noſtri vox ab ipſo prolata, eaque longe veriſſima, duobus dominis ſervire.

## CANON XII.

CUm ſancta, & univerſalis ſancta ſynodus, clericos, qui in oratoriis, quæ ſunt intra domum, celebrant, vel baptizant, præter epiſcopi voluntatem, depoſitioni ſubjiciat, nos quoque idem decernimus. Cum enim ſancta eccleſia recte diſpertiat, veramque rationem defendat, & venerabilem ac honeſtam bonæ inſtitutionis formam doceat, & conſervet, inconcinnum eſt, & ineptum, ut qui in petulantia, & inſolentia ac in inobedientia vitam agunt, domos ſubeuntes, bonum ejus ordinem convellant, & multa perturbatione, & offenſionibus impleant. Et ideo ſacra nunc, & divinitus coacta ſynodus, univerſali ſextæ ſynodo conſentiens, eos qui in oratoriis, quæ ſunt intra domos, celebrant, clero amotos eſſe ſtatuit, a clero videlicet amotione eis ab ejus loci epiſcopo edita;

Si

Si qui autem præter eos, non conſentiente epiſcopo in domos irruentes, celebrationis miniſterium attingere audeant, ii quidem deponantur: qui vero eorum communionis ſunt participes, ſegregationi ſubjiciantur.

## CANON XIII.

HÆreticorum zizaniorum ſemina in Dei eccleſia malignus dejiciens, & eas videns gladio ſpiritus excindi radicitus, ad aliam venit inſidiarum viam, ſchiſmaticorum inſania Chriſti corpus dividere aggrediens. Sed & has ejus inſidias ſancta ſynodus reprimens, omnino definiit deinceps, ut ſi quis presbyter, vel diaconus, ut qui utique ob aliqua crimina proprium epiſcopum condemnarit, ante ſynodalem cognitionem, & examinationem, & perfectam ejus condemnationem, ab illius communione diſcedere auſus fuerit, & ejus nomen in ſacris celebrationum precibus, ut eccleſiæ traditum eſt, non referat, is depoſitioni ſubjiciatur, & omni ſacerdotali honore privetur. Qui enim eſt in ſacerdotali ordine collocatus, & metropolitanorum judicium præripit, & ante judicium, ipſe quantum in ſe eſt, proprium patrem, & epiſcopum condemnat, is nec presbyteri honore, nec nomine dignus eſt. Qui autem eos conſequuntur, ſi ſint quidem ex iis qui ſunt ſacris initiati, ipſi quoque a proprio honore excidant: ſin autem ſint laici vel monachi, ex eccleſia omnino ſegregentur, donec cum ſchiſmaticis conjunctionem reſpuentes, ad proprium epiſcopum reverſi fuerint.

## CANON XIV.

SI quis epiſcopus metropolitani crimen prætexens, ante ſynodalem cognitionem, ſeipſum ab ejus communione ſubduxerit, & nomen ejus, non, prout divini myſterii celebrationi eſt conſuetum, referat, ſancta ſynodus eum depoſitum eſſe ſtatuit, ſi tantum convictus fuerit a proprio metropolitano receſſiſſe, & ſchiſma feciſſe. Oportet enim unumquemque proprias partes cognoſcere, & nec presbyterum proprium epiſcopum contemnere, nec epiſcopum proprium metropolitanum.

## CANON XV.

QUæ de presbyteris, & epiſcopis, & metropolitanis conſtituta ſunt, multo magis etiam in patriarchis conveniunt. Quamobrem ſi quis presbyter, vel epiſcopus, vel metropolitanus a ſui patriarchæ communione recedere auſus fuerit, & nomen ejus non, ut in divini myſterii celebratione conſtitutum eſt, & ordinatum, referat, ſed ante ſynodale decretum, & perfectam ejus condemnationem, ſchiſma fecerit, ſtatuit ſancta ſynodus eum eſſe ab omni ſacerdotio alienum, ſi in hoc ſolum deliquiſſe convictus fuerit. Et hæc quidem conſtituta, & obſignata ſunt, de iis qui aliquorum criminum prætextu a propriis præſulibus recedunt, & ſchiſma faciunt, & eccleſiæ unionem convellunt. Qui enim propter hæreſim aliquam a ſanctis patribus vel ſynodis condemnatum, ſe a præſulis communione ſeparant,

A εἰ δέ τινες παρὰ τούτους, τοῦ ἐπισκόπου μὴ εὐδοκοῦντος εἰς τὰς οἰκίας εἰσπίπτοντες ἅπτεσθαι τῆς λειτουργίας ἀποτολμῶσι, τούτους μὲν καθαιρεῖσθαι· τοὺς δὲ τῆς αὐτῶν κοινωνίας μετασχόντας, τῷ ἀφορισμῷ καθυποβάλλεσθαι.

## ΚΑΝΩΝ ιγ'.

ΤΑΣ τῶν αἱρετικῶν ζιζανίων ἐπισπορὰς ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ ὁ παμπόνηρος καταβαλὼν, καὶ ταύτας ὁρῶν τῇ μαχαίρᾳ τοῦ πνεύματος τεμνομένας προῤῥίζους, ἐφ' ἑτέραν ἦλθε μεθοδείας ὁδὸν, τῇ τῶν σχισματικῶν μανίᾳ τοῦ Χριστοῦ σῶμα μερίζειν ἐπιχειρῶν. ἀλλὰ καὶ ταύτην αὐτοῦ τὴν ἐπι-
B βολὴν ἡ ἁγία σύνοδος ἀναστέλλουσα παντελῶς ὥρισε τοῦ λοιποῦ, ἵνα εἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος, ὡς δῆθεν ἐπ' ἐγκλήμασί τισι τοῦ οἰκείου καταγνοὺς ἐπισκόπου πρὸ συνοδικῆς διαγνώσεως καὶ ἐξετάσεως, ἀποστῆναι τολμήσει τῆς αὐτοῦ κοινωνίας, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐν ταῖς ἱεραῖς τῶν λειτουργιῶν εὐχαῖς κατὰ τὸ παραδεδομένον τῇ ἐκκλησίᾳ μὴ ἀναφέροι, τοῦτον ὑποκεῖσθαι καθαιρέσει, καὶ πάσης ἱερατικῆς ἀποστερεῖσθαι τιμῆς. ὁ γὰρ ἐν πρεσβυτέρου τάξει τεταγμένος, καὶ τὴν μητροπολιτῶν ἁρπάζων τὴν κρίσιν, καὶ πρὸ κρίσεως αὐτὸς κατακρίνων, ὅσον τὸ ἐπ' αὐτῷ τὸν οἰκεῖον πατέρα καὶ ἐπίσκοπον, οὗτος οὐδὲ τῆς τοῦ πρεσ-
C βυτέρου ἐστὶν ἄξιος τιμῆς, ἢ ὀνομασίας. οἱ δὲ τούτοις συνεπόμενοι, εἰ μὲν τῶν ἱερωμένων εἶεν τινες, καὶ αὐτοὶ τῆς οἰκείας τιμῆς ἐκπιπτέτωσαν· εἰ δὲ μοναχοὶ, ἢ λαϊκοὶ, ἀφοριζέσθωσαν παντελῶς τῆς ἐκκλησίας μέχρις ἂν τὴν πρὸς τοὺς σχισματικοὺς συνάφειαν διαπτύσαντες, πρὸς τὸν οἰκεῖον ἐπίσκοπον ἐπιστραφεῖεν.

## ΚΑΝΩΝ ιδ'.

ΕΙ τις ἐπίσκοπος ἐγκλήματος πρόφασιν ποιούμενος τοῦ οἰκείου μητροπολίτου πρὸ συνοδικῆς διαγνώσεως ἀποστήσει ἑαυτὸν τῆς πρὸς αὐτὸν κοινωνίας, καὶ μὴ ἀναφέρει τὸ ὄνομα αὐτοῦ κατὰ τὸ εἰθισμένον ἐν τῇ θείᾳ μυσταγωγίᾳ, τοῦτον ὥρισεν ἡ ἁγία
D σύνοδος καθῃρημένον εἶναι, εἰ μόνον ἀποστὰς τοῦ οἰκείου μητροπολίτου, σχίσμα ποιήσει. δεῖ γὰρ ἕκαστον τὰ οἰκεῖα μέτρα γινώσκειν, καὶ μήτε τὸν πρεσβύτερον καταφρονεῖν τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου, μήτε τὸν ἐπίσκοπον τοῦ οἰκείου μητροπολίτου.

## ΚΑΝΩΝ ιε'.

ΤΑ ὁρισθέντα ἐπὶ πρεσβυτέρων καὶ ἐπισκόπων καὶ μητροπολιτῶν πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ πατριαρχῶν ἁρμόζει, ὥστε τις εἰ ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ μητροπολίτης τολμήσειεν ἀποστῆναι τῆς πρὸς τὸν οἰκεῖον πατριάρχην κοινωνίας, καὶ μὴ ἀναφέροι τὸ ὄνομα αὐτοῦ κατὰ τὸ ὡρισμένον καὶ διατεταγμέ-
E νον ἐν τῇ θείᾳ μυσταγωγίᾳ, ἀλλὰ πρὸ ἐμφανείας συνοδικῆς, καὶ τελείας αὐτοῦ κατακρίσεως σχίσμα ποιήσει, τοῦτον ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος πάσης ἱερατείας παντελῶς ἀλλότριον εἶναι, εἰ μόνον ἐλεγχθείη τοῦτο παρανομήσας. καὶ ταῦτα μὲν ἐσφράγισται, καὶ ὥρισται, περὶ τῶν προφάσει τινῶν ἐγκλημάτων τῶν οἰκείων ἀφισταμένων προέδρων, καὶ σχίσματα ποιούντων, καὶ τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας ποιούντων. οἱ γὰρ δι' αἵρεσίν τινα παρὰ τῶν ἁγίων συνόδων ἢ πατέρων κατεγνωσμένην τῆς πρὸς τὸν πρόεδρον κοινωνίας ἑαυτοὺς διαστέλλοντες, ἐκεί-

νου



νου τὴν αἵρεσιν δηλονότι δημοσίᾳ κηρύττοντος, καὶ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ ἐπ' ἐκκλησίᾳ διδάσκοντος, οἱ τοιοῦτοι οὐ μόνον τῇ κανονικῇ ἐπιτιμήσει οὐχ ὑποκείσονται πρὸ συνοδικῆς διαγνώσεως ἑαυτοὺς τῆς πρὸς τὸν καλούμενον ἐπίσκοπον κοινωνίας ἀποτειχίζοντες, ἀλλὰ καὶ τῆς πρεπούσης τιμῆς ὀρθοδόξοις ἀξιωθήσονται. οὐ γὰρ ἐπισκόπων, ἀλλὰ ψευδεπισκόπων, καὶ ψευδοδιδασκάλων κατέγνωσαν, καὶ οὐ σχίσματι τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας κατέτεμον, ἀλλὰ σχισμάτων καὶ μερισμῶν τὴν ἐκκλησίαν ἐσπούδασαν ῥύσασθαι.

## ΚΑΝΩΝ ις'.

ΔΙΑ τὰς φιλονεικίας τε καὶ ταραχὰς τὰς ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ συμβαινούσας, καὶ τοῦτο ὁρίσαι ἀναγκαῖον ἐστί. τὸ, μηδενὶ τρόπῳ ἐπίσκοπον καταστῆναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἧς ἔτι ὁ προεστὼς ζῇ, καὶ ἐν τῇ ἰδίᾳ συνίσταται τιμῇ, εἰ μὴ αὐτὸς ἑκὼν τὴν ἐπισκοπὴν παραιτήσεται. καὶ γὰρ χρὴ πρότερον τὴν τοῦ μέλλοντος τῆς ἐπισκοπῆς ἐκδιώκεσθαι, κανονικῶς ἐξεταζομένην εἰς πέρας ἄγεσθαι, εἶθ' οὕτως μετὰ τὴν αὐτοῦ καθαίρεσιν ἕτερον ἀντ' αὐτοῦ εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προβιβάζεσθαι. εἰ δέ τις τῶν ἐπισκόπων ἐν τῇ ἰδίᾳ συνιστάμενος τιμῇ μήτε παραιτεῖσθαι βούλοιτο, μήτε τὸν
C οἰκεῖον ἐθέλοι ποιμαίνειν λαὸν, ἀλλὰ τῆς οἰκείας ἀποστὰς ἐπισκοπῆς ὑπὲρ τὸ ἑξάμηνον ἐν ἑτέρῳ διατρίβοι τρόπῳ, μήτε βασιλικῷ προστάγματι κατεχόμενος, μήτε ταῖς τοῦ οἰκείου πατριάρχου λειτουργίαις ὑπηρετούμενος, μήτε μὴν ὑπὸ νόσου χαλεπῆς τὴν ἀκινησίαν ἐμποιούσης, παντελῇ συνεχόμενος, ὁ τοιοῦτος οὖν ὁ κατὰ μηδεμίαν τῶν εἰρημένων προφάσεων κωλυόμενος, τῆς οἰκείας ἀφιστάμενος ἐπισκοπῆς, καὶ ὑπὲρ τὸν ἑξαμηνιαῖον χρόνον ἐν ἑτέρῳ τόπῳ χρονοτριβῶν τῆς τοῦ ἐπισκόπου τιμῆς τε καὶ ἀξίας ἀλλοτριωθήσεται παντελῶς. τὸν γὰρ τῆς ἐμπιστευθείσης αὐτῷ καταμελοῦντα ποίμνης, καὶ ἐν
D ἑτέρῳ ὑπὲρ τὸ ἑξάμηνον χρονοτριβοῦντα τόπῳ, ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος καὶ τῆς ἀρχιερωσύνης δι' ἧς ποιμαίνειν ἐτάχθη, παντελῶς ἀλλότριον καθεστάναι, καὶ εἰς τὸν αὐτοῦ τῆς ἐπισκοπῆς τόπον ἕτερον ἀντ' αὐτοῦ καταλέγεσθαι.

## ΚΑΝΩΝ ιζ'.

ΕΝ πᾶσι τῆς ἐκκλησιαστικῆς εὐταξίας φροντίζοντες, καὶ τοῦτο ὁρίσαι ἀναγκαῖον ἐθέμεθα, ὥστε τοῦ λοιποῦ μηδένα τῶν λαϊκῶν ἢ μοναχῶν ἀθρόον εἰς τὸ τῆς ἐπισκοπῆς ὕψος ἀνάγεσθαι, ἀλλὰ τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς βαθμοῖς ἐξεταζόμενον πρότερον, οὕτω τῆς ἐπισκοπῆς τὴν χειροτονίαν ὑπο-
E δέχεσθαι, εἰ γὰρ καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἀπὸ τῶν λαϊκῶν ἢ μοναχῶν τινες ἀπαιτούσης χρείας παραυτίκα τιμῆς ἄξιοι γεγόνασιν ἐπισκοπικῆς, ἀρετῇ τε διαπρέψαντες, καὶ τὴν κατ' αὐτοὺς ἐκκλησίαν ὑψώσαντες, ἀλλὰ τὸ σπάνιον, οὐδαμοῦ νόμον τῆς ἐκκλησίας τιθέμενοι, ὁρίζομεν τοῦ λοιποῦ μηκέτι τοῦτο γίνεσθαι· εἰ μὴ κατὰ λόγον ὁ χειροτονούμενος τῶν ἱερατικῶν προέλθοι βαθμῶν ἐν ἑκάστῳ τάγματι τὸν νενομισμένον χρόνον ἀποπληρῶν.

A illo hæreſim ſcilicet publice prædicante, & nudo capite in eccleſia docente, ii non ſolum canonicæ pœnæ non ſubjicientur, ante ſynodalem cognitionem, ſeipſos a communione ejus, qui epiſcopus dicitur, ſejungentes; ſed & honore qui orthodoxis convenit, digni habebuntur. Non enim epiſcopos, ſed pſeudepiſcopos doctores condemnarunt; & non ſchiſmate eccleſiæ unionem conſciderunt, ſed a ſchiſmatibus, & diviſionibus eccleſiam liberare ſtuduerunt.

## CANON XVI.

B

PRopter contentiones & tumultus, qui in Dei eccleſia contingunt, hoc quoque eſt definire neceſſarium, ut epiſcopus nullo modo conſtituatur in eccleſia, cui qui præeſt, adhuc vivit, & eſt adhuc in proprio honore conſtitutus, niſi epiſcopatui ſua ſponte renunciaverit. Oportet enim cauſam ejus, qui eſt epiſcopatu expellendus, canonice examinatam ad finem prius deduci: deinde poſt ejus depoſitionem, alterum in ejus epiſcopatum provehi. Si quis autem epiſcopus in proprio honore conſtitutus, nec vult renunciare, nec proprium populum paſcere, ſed a ſuo epiſcopatu recedens,
C pluſquam ſex menſibus in alio loco degat, nec regio juſſu detentus, nec ſui patriarchæ miniſterio deſerviens, neque a gravi morbo, & qui ut omnino moveri non poſſit efficiat, retentus, is nulla ex ſupra dictis cauſa prohibitus, & a ſuo epiſcopatu abſens, & ultra ſemeſtre tempus in alio loco degens, ab epiſcopi dignitate & honore omnino alienabitur. Eum enim qui ſuæ fidei commiſſum gregem negligit & in alio loco ſupra ſemeſtre tempus degit, ſtatuit ſancta ſynodus, ut a ſacerdotio, per quod paſcere ordinatus eſt, alienus omnino conſtituatur, & in ejus epiſcopatus locum, alius pro ipſo promoveatur.

D

## CANON XVII.

IN omnibus boni eccleſiaſtici ordinis curam gerentes, hoc quoque definire neceſſarium duximus, ut nullus deinceps laicus, vel monachus repente ad epiſcopalem altitudinem eveheretur, ſed in eccleſiaſticis gradibus primum examinatus, ſic epiſcopalis dignitatis ordinationem ſuſciperet. Etſi enim huc uſque quidam ex monachis & laicis, exigente neceſſitate, epiſcopali honore ſtatim digni facti ſunt, qui &
E virtute excellenti fuere, & ſuam eccleſiam in altum extulere, id tamen quod raro evenit, eccleſiæ legem nequaquam ſtatuentes, decernimus, ut id deinceps minime fiat, niſi is qui rite ordinatur, per gradus ſacerdotales proceſſerit, in unoquoque ordine tempus præſtitutum adimplens.

CANO-

# CANONES EDITI A SANCTA SYNODO,

Quæ in celeberrimo templo, cui nomen a vera Dei ſapientia inditum, congregata fuit, & ſeptimam œcumenicam ſynodum confirmavit; omneſque ſchiſmaticorum, ac hæreticorum errores depulit.

## CANON I.

*Hæc alia eſt pſeudoſynodus illa, de qua multa [illegible] Photii [illegible] feruntur. Celebrata fuit anno Chriſti 879 [illegible] papa [illegible] in hac ſynodo [illegible] facilitate uſus, ac deluſus a Photio [illegible] eſt, ut ex eo ſemina, quam vire [illegible] adverſarii ſint calumniati. In hac ſynodo Photius reſtitutus, & [illegible] ſynodus ſub Hadriano [illegible] ipſe Photius fuit, confirmata [illegible] Joann. epiſt. 199. [illegible] 202. 203. Damnata fuit [illegible] ab eodem Joanne [illegible] Photio. Joa. ep. 250. & 251. [illegible] Græci [illegible] & [illegible] appellatio [illegible] utraque [illegible] ſedis [illegible] & [illegible] Photii calliditati [illegible] vetteratoris.*

A STATUIT ſancta & univerſalis ſynodus, ut ſi qui ex Italiæ clericis, vel laicis, vel epiſcopis, in Aſia, vel Europa, vel Libya verſantes, ſub vinculo, vel depoſitione, vel anathematizatione apud ſanctiſſimum papam Joannem fuerunt, ut ii quoque ſint ejuſmodi etiam apud Photium ſanctiſſimum patriarcham Conſtantinopolitanum in eadem pœnæ definitione, id eſt, vel depoſiti, vel anathematizati, vel ſegregati. & quos Photius quidem ſanctiſſimus noſter patriarcha, clericos, vel laicos, vel epiſcopalis, vel ſacerdotalis ordinis, in quacunque parochia, ſegregationi, vel depoſitioni, vel anathematizationi ſubjecerit, ſanctiſſimus quoque papa Joannes, & ſancta Dei Romanorum eccleſia eoſdem in eodem pœnæ judicio habeat, privilegiis, quæ adſunt ſanctiſſimæ Romanorum eccleſiæ ſedi, & ejus antiſtiti, nihil penitus innovatis, nec nunc, nec in poſterum.

## CANON II.

ETIAM ſi hucuſque nonnulli antiſtites, qui ad monachorum habitum deſcenderant, ut in epiſcopali faſtigio manerent, vim adhibuerunt, & cum hoc facerent, neglecti ſunt: ſancta tamen, & univerſalis hæc ſynodus, hanc negligentiam quoque corrigens, & ad ritus eccleſiaſticos hanc inordinatam actionem redigens, ſtatuit, ut ſi quis epiſcopus, vel aliquis alius ex pontificali dignitate, voluerit ad vitam monaſticam deſcendere, vel pœnitentiæ locum implere, ne amplius antiſtitis dignitatem uſurpet. Monachorum enim profeſſiones, ſubjectionis, & diſcendi cupiditatis rationem habent, non autem doctrinæ vel primatus: nec alios paſcere, ſed ipſos paſci profitentur. Et ideo quemadmodum prædictum eſt, decernimus, ut nemo eorum, qui in epiſcopalem paſtorumque catalogum relatus eſt, ad eorum qui paſcuntur, & agunt pœnitentiam, locum ſe demittat. Si quis autem hoc facere auſus fuerit, poſt denuntiationem & declarationem hujus editæ ſententiæ, ipſe, qui ſeipſum epiſcopali gradu privavit, non amplius ad priorem, quam factis deſpicatui habuit, dignitatem revertetur.

## CANON III.

SI quis laicus auctoritate uſus, divinis quidem, & regiis juſſis contemptis, reverendiſque eccleſiæ ritibus, & legibus irriſis, aliquem epiſcopum verberare auſus fuerit, vel in cuſtodiam tradere, vel ſine cauſa, vel aliqua conficta cauſa, is ſit anathema.

# ΚΑΝΟΝΕΣ ΕΚΤΕΘΕΝΤΕΣ ΠΑΡΑ τῆς ἁγίας συνόδου.

Τῆς ἐν τῷ περιωνύμῳ καὶ ἐπωνύμῳ ναῷ τῆς τοῦ Θεοῦ λόγου σοφίας συστάσης, καὶ τὴν ἑβδόμην οἰκουμενικὴν σύνοδον ἐπιβεβαιωσάσης, πᾶσαν δὲ σχισματικὴν καὶ αἱρετικὴν πλάνην ἀπελασάσης.

## ΚΑΝΩΝ α΄.

ΩΡΙΣΕΝ ἡ ἁγία σύνοδος, ὥστε εἴ τινες τῶν ἐξ Ἰταλίας κληρικῶν, ἢ λαϊκῶν, ἢ ἐπισκόπων, ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ἢ Εὐρώπῃ, ἢ Λιβύῃ διατρίβοντες, ὑπὸ δεσμὸν, ἢ καθαίρεσιν, ἢ ἀναθεματισμὸν παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ἐγένοντο Ἰωάννου, ἵνα ὦσιν οἱ τοιοῦτοι καὶ παρὰ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως ἐν τῷ αὐτῷ τῆς ἐπιτιμίας ὅρῳ, τουτέστιν ἢ καθῃρημένοι, ἢ ἀναθεματισμένοι, ἢ ἀφωρισμένοι, οὓς μέντοι Φώτιος ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν πατριάρχης κληρικοὺς, ἢ λαϊκοὺς, ἢ τοῦ ἀρχιερατικοῦ καὶ ἱερατικοῦ τάγματος, ἐν οἱᾳδήποτε παροικίᾳ ὑπὸ ἀφορισμὸν, ἢ καθαίρεσιν, ἢ ἀναθεματισμὸν ποιήσῃ· ἵνα ἔχῃ αὐτοὺς καὶ ὁ ἁγιώτατος πάπας Ἰωάννης, καὶ ἡ κατ' αὐτὸν ἁγία τοῦ Θεοῦ Ῥωμαίων ἐκκλησία ἐν τῷ αὐτῷ τῆς ἐπιτιμίας κρίματι· μηδὲν τῶν προσόντων πρεσβείων τῷ ἁγιωτάτῳ θρόνῳ τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας, μηδὲ τῷ ταύτης προέδρῳ τὸ σύνολον καινοτομουμένων, μήτε νῦν, μήτε εἰς τὸ μετέπειτα.

## ΚΑΝΩΝ β΄.

D ΕΙ καὶ μέχρι νῦν ἔνιοι τῶν ἀρχιερέων εἰς τὸ τῶν μοναχῶν κατιόντες σχῆμα ἐπὶ τῷ τῆς ἀρχιερωσύνης ἐβιάζοντο διαμένειν ὕψει. καὶ τοῦτο πράττοντες παρεωρῶντο, ἀλλ' οὖν ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος αὕτη, καὶ τοῦτο ῥυθμίζουσα τὸ παρόραμα, καὶ πρὸς τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς τὴν ἄτακτον ταύτην ἐπανάγουσα πρᾶξιν, ὥρισεν, ἵνα εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ εἴ τις ἄλλος τοῦ ἀρχιερατικοῦ ἀξιώματος πρὸς τὸν μοναδικὸν θελήσειε κατελθεῖν βίον, καὶ τὸν τῆς μετανοίας τόπον ἀναπληρῶσαι, μηκέτι τοιοῦτον τῆς ἀρχιερατικῆς ἀντιποιεῖσθαι ἀξίας. αἱ γὰρ τῶν μοναχῶν συνθῆκαι ὑποταγῆς ἐπέχουσι λόγον, καὶ μαθητείας, ἀλλ' οὐχὶ διδασκαλίας ἢ προεδρείας, οὐδὲ ποιμαίνειν ἄλλους, ἀλλὰ ποιμαίνεσθαι ἐπαγγέλλονται. διὸ, καθὰ προείρηται, θεσπίζομεν, μηκέτι τινὰ τῶν ἐν ἀρχιερατικῷ καταλόγῳ καὶ ποιμένων ἐξεταζομένων, εἰς τὴν τῶν ποιμαινομένων καὶ μετανοούντων χώραν ἑαυτὸν καταβιβάζειν. εἰ δέ τις τοῦτο τολμήσειε πρᾶξαι μετὰ τὴν ἐκφώνησιν, καὶ διάγνωσιν τῆς νῦν ἐκπεφωνημένης ψήφου, αὐτὸς ἑαυτὸν E τοῦ ἀρχιερατικοῦ ἀποστερήσας βαθμοῦ οὐκέτι πρὸς τὸ πρότερον, ὅπερ δι' αὐτῶν τῶν ἔργων ἠθέτησεν, ἀξίωμα ἀναστρέψει.

## ΚΑΝΩΝ γ΄.

ΕΙ τις τῶν λαϊκῶν ἀρχῇ χρησάμενος, καὶ καταφρονήσας μὲν τῶν θείων καὶ βασιλικῶν προσταγμάτων, καταγελάσας δὲ καὶ τῶν φρικτῶν τῆς ἐκκλησίας θεσμῶν τε καὶ νόμων τολμήσειεν ἐπίσκοπόν τινα τύψαι ἢ φυλακίσαι, ἢ χωρὶς αἰτίας, ἢ καὶ συμπλασάμενος αἰτίαν, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

a CON-



# a CONCILIUM APUD VERMERIAM, IN QUO ACCUSATUS HINCMARUS EPISCOPUS Laudunenſis ad ſedem apoſtolicam appellavit, anno DCCCLXIX.

*Ex editione J. Sirmondi.*

A *HIncmaro Laudunenſi, Hincmari Rhemenſis nepoti, tria maxime ut ex variis utrinſque ſcriptis liquet, objici ſolebant, excommunicationes quædam immoderatæ & injuſtæ, ſacramenta regi non obſervata, & beneficia per vim & injuriam quibuſdam ablata. Infenſum autem præ ceteris habuit Hincmarum patruum, tum Hincmaro inſtigante, Carolum quoque regem. Quare in hac primum ſynodo accuſatus, cum difficilem ſibi exitum fore ſentiret, ad ſedem apoſtolicam appellavit. Romam tamen, quo etiam ab Hadriano papa vocabatur, ut ire liceret, non obtinuit. De hac itaque ſynodo accipienda ſunt, quæ Hincmarus ſenior adverſus nepotem c. 8. ſcribit his verbis:* Nam & quando principalis poteſtas, nec non & omnis præfectura totius regni ſui, inſolentia tua exigente, contra te fuerunt commotæ in Vermeria B palatio, iterum inde ſcriptum quod legiſti, porrexi. *Appellationis vero ſuæ apud Vermeriam, Romanaque profeſſionis inhibitæ, meminit Hincmarus ipſe in pittacio, quod ad patruum de ea re ſcripſit poſt ſynodum Attiniacam.* Unde vos nunc, *inquit*, pro amore Dei omnipotentis, & reverentia ſancti Petri, expoſco, ſicut & in eadem ſynodo in eadem Attiniaco a vobis convocata, quod & impetrare non valui, expoſtulavi, & jam etiam per integrum efflagitavi annum, & præcipue in ſynodo apud Vermeriam palatium olim ab horno habita obſecrando declamavi, nunc quoque & obſecro, & item declamo, ut & hactenus egi; quo veſtra archiepiſcopali auctoritate apud domini noſtri glorioſiſſimi regis Caroli clementiam C obtineatis, quatenus domni & univerſalis papæ Hadriani præceptis ac inſtitutionibus eccleſiaſticis mihi, ut omnibus expedit, veluti ei qui de omni eccleſia fas habet judicandi, liceat obedire; videlicet ut limina ſanctorum apoſtolorum, Petri ſcilicet ac Pauli, merear, ut devovi, & ab eodem inſuper vocatus ſum, penetrare. Alioquin me vobis abhinc, ut archiepiſcopo coepiſcopus obtemperare cidebet, canonice ſciatis obſequi non poſſe.

D ** PRÆCEPTORUM REGIORUM in favorem Carroſenſis monaſterii confirmatio in conventu apud palatium Vermeriam Remenſis provinciæ, ſive, ut in ipſo inſtrumento dicitur, diœceſis, anno Chriſti DCCCLXIX.

*1) Tr. conhibentibus, Breſ. conniventibus.*

CUm canonum ſanctionibus 1 cohibentibus & ſereniſſimo regnum Carolo orthodoxo annuente & invitante, anno incarnationis dominicæ DCCCLXIX. indictione II. regni ſupradicti principis 29. conveniſſemus nos ſuffragante Chriſti gratia epiſcopi, quorum nomina ſubter habentur, in Rhemenſem diœceſim apud palatium Vermeriam, prætaxatuſque rex pridie Kalendas Maii medio noſtrum ſancta reſideret in ſynodo, venerabilis E Carroſenſis monaſterii abbas Guillelmus noſtro conventui præcepta obtulit, qualiter ipſe rex ad deprecationem Gumbaldi & Valafredi abbatum tria monaſteria integra prædicto monaſterio conceſſerat: quorum unum dicitur Colonus in pago Alninſe ſitum: alterum in honore S. Saturnini conſtructum in pago Andegavenſi: tertium in pago

A Sanctonico in honore S. Florentii martyris, & præterea villas Fraxinidum & Montiniacum confirmaverat. Quæ omnia recitata in ſynodo confirmantur epiſcopis manu propria ſubſcribentibus.

Hincmarus Rhemorum archiepiſcopus.
Wanilo Rotomagenſis archiepiſcopus.
Egilo Senonenſis archiepiſcopus.
Frotarius Burdegalenſis archiepiſcopus.
Herardus Turonenſis archiep.
Remigius Lugdunenſis archiep.
Arduinus Veſuntionenſis archiep.
Vulfadus Bituricenſis archiep.
Odo Belvacenſis epiſcopus.
Ercambertus Bajocenſis epiſcopus.
Seginandus Conſtantienſis epiſc.
B Æneas Pariſienſis epiſc.
Falcricus Tricaſſenſis epiſc.
Rothadus Sueſſionenſis epiſc.
Abbo Nivernenſis epiſc.
Hilmeradus Ambianenſis epiſc.
Erpuinus Silvanectenſis epiſc.
Hildegarius Meldenſis epiſc.
Actardus Nannetenſis epiſc.
Jſaac Lingonenſis epiſc.
Helias Engoliſmenſis epiſc.
Rahinelmus Noviomagenſis epiſc.
Chriſtianus Antiſſiodorenſis epiſc.
Joannes Cameracenſis epiſcopus.
Walterius Aurelianenſis epiſc.
Willebertus Catalaunenſis epiſc.
C Hildebrandus Sajenſis epiſc.
Hilduinus Ebroicenſis epiſc.
Giſlebertus Carnotenſis epiſcopus.

### NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

a *Concilium apud Vermeriam.*) Quibus de rebus, & quam grave Hincmari ſenioris adverſus nepotem diſcidium fuerit, intelligi licet ex libro c. 55. & ex prolixa epiſtola, cujus partem recitat Flodoardus lib. 2. cap. 21. Extant & Hincmari Laudunenſis epiſtolæ, aliaque opuſcula nondum edita, quibus cauſam ſuam tueri ac munire conatus eſt. In his queri inter cetera ſolet, unum ſibi infenſum Hincmarum, ab eoque uno accuſatum fuiſſe. Sic enim quodam loco ſcribit: *De eo quod me rogabant ſubſcribere, ut ſacrilegus eſſem, & poſt ſubſcriptionem promittebant mihi reddere officium meum & epiſcopatum, cum nullus me accuſaret tunc, nec accuſet, niſi Hincmarus.*

*** Extat editus anno 1615. a Cordeſio, atque a Sirmondo recognitus tomo II. a pag. 177. ad 593. epiſtola vero pag. 597.*

### NOTA SEVERINI BINII.

*Cauſa concilii.*

n *Concilium.*) Præceperat Hadrianus papa ſecundus, ut Hincmarus Rhemenſis archiepiſcopus, aliique Galliarum epiſcopi, Northmannum, quia Carolo rege bona eccleſiaſtica in beneficium acceperat, excommunicarent. Cumque Hincmarus ſenior Rhemenſis archiepiſcopus huic ſedis apoſtolicæ mandato non obtemperaret, Hincmarus junior Laudunenſis epiſcopus, illius E ſenioris nepos, præcepto pontificis ſatisfaciens, Northmannum excommunicavit. Quo facto Hincmarus ſenior cum rege plurimum offenſus, hanc ſynodum congregavit, qua nepotem ſuum, quaſi metropolitano ſuo inobediens foret, condemnavit. Laudunenſis epiſcopus injuſte damnatus, appellabat ad Romanum pontificem: ſed delatum non eſt illius appellationi, utpote quod hoc facto, ut ajebat, contra canones egiſſet. Cumque ille per literas apud ſedem apo-



ſtolicam

ANNO CHRISTI 869.

ſtolicam ſuam interpoſitam appellationem proſequeretur, atque pontificis reſcriptum pro ſe obtinuiſſet, Hincmarus Rhemenſis adverſus nepotem ſuum Hincmarum Laudunenſem prolixam ſcripſit epiſtolam apologeticam, qua ille hujus ſynodi acta pro arbitrio conſcripſit: ideoque damnatum fuiſſe denuntiavit, quod non eſſet obediens ſuo metropolitano, quodque ob privatas injurias ſuas omnes Laudunenſes excommunicaſſet, & ſacros miniſtros omnes a ſacris miniſteriis, ſacramentorumque prohibitione ſuſpendiſſet. Hæc ex Flodoardo & epiſtolis Hadriani ad Hincmarum & Carolum, Baronius anno 870. num. 37. & 38.

## OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Quæ in annalibus Bertinianis ad eccleſiaſticam illorum temporum hiſtoriam ſpectantia in periochis annorum 868. & 869. deprehendimus, ea in unum veluti faſcem collecta, quanta fieri poterit brevitate, ſubjiciemus, ut inde lectoribus major lux aſſulgeat ad conciliorum Vermerienſis hujus, ac ſequentium Metenſis, Attiniacenſis, Duziacenſis, aliorumque accuratiorem notitiam.

" ** Carolus per curtes regias in pago Laudunenſi conſiſtentes pergens, Hincmarum Laudunenſem epiſcopum, nullo epiſcopo ſuæ provinciæ conſcio, juſſit ut ad cauſas ſuas, id eſt, ad ſæculare judicium advocatum ſuum daret, pro eo quod beneficia quibuſdam ſuis hominibus abſtulit. Iſdem autem epiſcopus ſe reclamans, quod relicto eccleſiaſtico judicio non auderet ſæculare adire judicium, ſicut ei juſſum fuerat, ad locum nominatum ſæcularis judicii non venit, ſed cauſas ſuæ impoſſibilitatis regi mandavit. Rex autem Carolus jubens inde quaſdam judicare etiam infames perſonas, quia perſonam præfatus epiſcopus non miſit, qui juraret quod illuc venire non poſſet, & quoniam advocatum ſuum de ſe in judicio ſæculari non dedit, prædictarum perſonarum judicio quidquid iſdem epiſcopus de rebus, & facultatibus eccleſiaſticis in uſibus epiſcopii ſpecialiter habebat, proſcriptum eſt. Sicque idem rex ad Piſtas medio menſe Auguſto veniens annua dona ſua ibidem accepit; & caſtellum menſurans, podituras ſingulis ex ſuo regno dedit.

Hincmarus autem Rhemorum archiepiſcopus, Hincmarum epiſcopum Laudunenſem ſecum ducens, apud Piſtas cum aliis epiſcopis ſcriptis & verbis regem adiit, oſtendens quantum præjudicium & epiſcopalis auctoritas, & univerſalis eccleſia in tali facto patiebatur. Et obtinuit ut reveſtito epiſcopo quibus fuerat ſpoliatus, ſicut ſacræ leges præcipiunt, in provincia, ubi hæc cauſa judicanda erat, electorum judicum judicio, & ſi neceſſe foret poſt hoc ſynodali terminaretur examine. Sed & eodem placito rex Markiones, Bernardum ſcilicet Toloſæ & iterum Bernardum Gothiæ, itemque Bernardum alium ſuſcepit.

Carolus rex Kalendas Decembris Cariſiacum veniens, quoſdam Primores tam ex epiſcopis, quam ex aliis regni ſui, obviam ſibi accerſivit: & commotus contra Hincmarum Laudunenſem epiſcopum, quia Romam ſine illius conſcientia miſerat, & epiſtolas pro quibus non convenerat obtinuerat. Eidem vero epiſcopo contumaciter ſibi reſiſtenti valde infenſus erat. Unde iſdem epiſcopus ſine illius licentia, cum ſæpe ab eo evocatus fuerat, & ad illum venire diſtuliſſet, ad ſedem ſuam perrexit, & amplius quam epiſcopalis gravitas poſtulat, eumdem regem contra ſe excitavit. Carolus autem Compendium veniens, ibidem nativitatem domini celebravit.

Et quoniam iſdem epiſcopus etiam per alios epiſcopos evocatus, ut ad illum veniret, juſſionem illius implere detrectavit, ſcaram ex quamplurimis comitibus regni ſui confectam Laudunum miſit, ut ipſum epiſcopum ad eum violenter perducerent. Iſdem autem epiſcopus cum clericis ſuis juxta altare reſedit, & quibuſdam epiſcopis ſatagentibus, actum eſt ut ipſi, qui miſſi fuerant, de eccleſia eum non extraherent. Sed ſine illo ad Carolum redierunt, omneſque homines ipſius epiſcopii liberos ſibi ſacramenta fieri fecit. Carolus autem valde commotus, ſynodum omnium epiſcoporum regni ſui VIII. Kalend. Maii ſecundæ indictionis apud Vermeriam condixit, quo eumdem Hincmarum epiſcopum vocari præcepit.

ANNO CHRISTI 870.

Lotharius mittens ad eum, ſed & ad Ludoicum petiit ut in ſuo regno nullum impedimentum ei facerent, donec ipſe Romam rediret. A Carolo autem nullam firmitatem accepit. ſed a Ludoico, ſicut dicitur, firmitatem inde ſuſcipiens Romam perrexit, locuturus prius cum Ludoico fratre ſuo imperatore: ut tunc ſi poſſet, per eum apud Hadrianum papam obtineret, quatenus Theutbergam rejiceret, & Waldradam reſumeret. Ipſamque Theutbergam poſt ſe Romam ire præcepit. Sed, ut dicebatur, Ludoicus imperator ab obſeſſione Saracenorum pro fratris ſui petitione non debuiſſet diſcedere, cui amplius quam ducentas naves rex Græcorum in auxilium contra eoſdem Saracenos feſtinato mittebat.

Lotharius iter, quod tempore inconvenienti, ſcilicet menſe Junio, cauſa uxorum ſuarum, in parte Romæ cœperat, contendens perficere, uſque Ravennam venit, ubi miſſos fratris ſui obvios habuit, per quos ei contradixit, ut nec in antea procederet, nec diutius in eodem regno immoraretur, ſed ad ſuum regnum rediret, & tempore commodo & opportuno loco ſimul convenirent, & de quibus vellet cum eo satageret. Lotharius autem Romam rediens a latere ad ſuum fratrem in Beneventum uſque pervenit, & apud eum per Engelbergam multis petitionibus & muneribus, atque inconvenientiis * obtinuit ut ipſa Engelberga cum eo uſque ad monaſterium S. Benedicti, quod in monte Caſſino ſitum eſt rediret. Quo etiam Hadrianum papam eidem Engelbergæ, & ſibi ex juſſione imperatoris venire fecit, & apud eum datis illi multis muneribus per ipſam Engelbergam obtinuit, ut idem papa illi miſſam cantaverit, & ſacram communionem hac convenientia ei donaverit, Si, poſt quam Nicolaus papa Waldradam excommunicavit, nullum cum ea contubernium, vel carnalis copulæ commercium, quin nec colloquium quoddam habuerit. Ipſe autem infelix more Judæ ſimulata bona conſcientia, & impudenti fronte, eamdem ſacram communionem ſub hac conventione accipere non pertimuit, nec recuſavit. Sed & ſui fautores cum eo ab ipſo papa percepere communionem. Inter quos & Guntharius, auctor & incentor hujus publici adulterii, communionem inter laicos ab eodem Hadriano papa accepit, data illi prius coram omnibus profeſſione, quæ ita habetur.

Profiteor ego Guntharius coram Deo, & ſanctis ejus, vobis domino meo Hadriano ſummo pontifici & univerſali papæ, ac venerandis tibi ſubditis epiſcopis, reliquoque conventu, quoniam judicium depoſitionis in me a domno Nicolao canonice datum non reprehendo, ſed humiliter porto. Unde nec ulterius ſacrum miniſterium



ANNO CHRISTI 869.

ſterium contingere præſumo, niſi per miſericordiam mihi ſubvenire volueritis. Nec aliquando contra ſanctam Romanam eccleſiam aut ejus pontificem aliquod ſcandalum, vel quidquam adverſi movere volo: ſed devotum me eidem ſanctæ matri eccleſiæ ejuſque præſuli exhibere, atque obedientem permanere proteſtor. Ego Guntharius huic profeſſioni a me factæ manu propria ſubſcripſi. Data Kalendas Julii, indictione II. in eccleſia S. Salvatoris, quæ eſt in monaſterio S. Benedicti in Caſſino.

Accipiens autem iſdem papa a Gunthario conſiſtente inter laicos hanc profeſſionem, relectam inter laicos ab ipſo publice coram omnibus, dixit illi: Et ego tibi concedo laicam communionem, ea conditione ut ita quamdiu vixeris, obſerves, ſicut modo profeſſus fuiſti.

Engelberga denique redeunte ad ſuum imperatorem, Hadrianus papa Romam reverſus eſt. Quem e veſtigio Lotharius eſt proſecutus, & Hadriano papa Romam ingrediente, Lotharius ad eccleſiam beati Petri venit, ubi nullum clericum obvium habuit: ſed tantum ipſe uſque ad ſepulchrum S. Petri cum ſuis pervenit: indeque ſolarium ſecus eccleſiam beati Petri manſionem habiturus intravit, quem nec etiam ſcopa mundatum invenit. Putavitque in craſtina ſubſequente videlicet dominica (nam ſabbato ad baſilicam S. Petri pervenit) ſibi cantari debere miſſam. Sed a præfato pontifice hoc obtinere non potuit. Inde ſecunda feria Romam ingrediens, in palatio Lateranenſi cum ipſo apoſtolico prandidit, & datis ei muneribus in vaſis aureis & argenteis, obtinuit ut ei ipſe pontifex lœnam, & palmam, ac ferulam daret, ſicut & fecit. Quæ munera ita ipſe & ſui interpretati ſunt, videlicet ut per lœnam de Vvaldrada reveſtiretur, per palmam victorem ſe in his quæ cœperat demonſtraret, per ferulam epiſcopos ſuæ voluntati reſiſtentes obſiſtendo diſtringeret. ſed aliter ab eodem papa & Romanis fuere diſpoſita. Nam idem pontifex Formoſum epiſcopum, & alium etiam cum eo epiſcopum, in has Galliarum partes mittendos diſpoſuit; ut cum pluralitate epiſcoporum de his, quæ Lotharius petebat tractarent, & illi Kalend. Martii quæ inventa forent in ſynodo renunciarent, quam Romæ in ipſis Kalendis Martii denunciavit. Quo etiam quatuor epiſcopos ex regno Ludoici regis Germaniæ cum ipſius legatis; & quoſdam epiſcopos ex regno Lotharii, cum epiſtolis ſuis hac conditione venire præcepit, ut quæ in ſynodo vel examinanda, vel gerenda forent in perſonis aliorum confirmarent, tam ex occidentalibus partibus, quam ex orientalibus. Unde miſſos ſuos, quos nuper Conſtantinopolim pro contentione, quam orientales cum Nicolao papa habebant, miſerat, tunc venturos ſperabat.

ANNO CHRISTI 869.

Lotharius vero Roma lætus promovens uſque Lucam civitatem venit, ubi febre corripitur: & graſſante clade in ſuos, quos in oculos ſuos coacervatim mori conſpiciebat, ſed judicium Dei intelligere nolens uſque Placentiam VIII. Idus Auguſti pervenit. Ibique dominica die ſuperdiurnans, circa horam nonam inopinate exanimis pene effectus eſt & obmutuit, atque in craſtina hora diei ſecunda moritur, & a paucis ſuorum qui a clade remanſerant, in quodam monaſteriolo ſecus ipſam civitatem terræ mandatur.

# a CONCILIUM METENSE,

## QUO REGNUM GALLIÆ A LUDOVICO II.

### Imperatore, qui Lotharii fratris legitimus ſucceſſor habebatur ut ſanguine proprior; ad Carolum Calvum utriuſque patruum Francorum regem fuit translatum anno Chriſti DCCCLXIX. tempore Hadriani papæ II.

a Editione P. Sirmondi.

*Mortuo in Italia Lothario, Carolus a regni ejus proceribus accitus, ut regnum capeſſeret, iter confeſtim ingreſſus eſt, Virdunique Hattonem epiſcopum, Metas veniens Adventium ejus civitatis præſulem, & Franconem Tungrenſem, atque alios plurimos in fidem ſuſcepit. Mox ibidem V. Idus Septembris, in baſilica ſancti Stephani, ab epiſcopis qui adfuerunt, præmiſſis annuntiationibus quæ ſequuntur, publice coronatus eſt.*

" ** *Auctor annalium Bertinianorum ad ann. 869. ſynodo Metenſi iſta præfixit*: Carolus, mortem Lotharii, apud Silvanectis civitatem degens non incerto comperiens nuntio, ab ipſa civitate movens, Attiniacum venit. Ubi a quibuſdam epiſcopis, ſed & ab aliquibus primoribus regni quondam Lotharii miſſos directos ſuſcepit ut ibi reſideret, & in regnum quod Lotharii fuerat non intraret, donec frater ſuus Ludoicus rex Germaniæ ab expeditione hoſtili de Winedis, cum quibus præſenti, & præterito anno ſæpe cominus ſui congredientes, aut nihil aut parum utilitatis egerunt, ſed damnum maximum retulerunt, reverteretur. Petierunt ergo ut in palatio Ingilheim reſidens ad eum miſſos ſuos dirigeret, & ei mandaret ubi & quando ſimul convenirent, & de regni ipſius diviſione tractarent. Plures autem ſaniori conſilio illi mandaverunt, ut quantocius commode poſſet uſque Mettis properare ſatageret, & ipſi tam in itinere quam ad ipſam civitatem ei occurrere maturarent. Quorum conſilium Carolus acceptabilius & ſalubrius eſſe intelligens, juxta eorum ſuggeſtionem agere feſtinavit. Veniens ergo uſque Viridunum, plurimos de eodem regno, ſed & Hatonem ipſius civitatis epiſcopum, & Arnulphum Tullenſis urbis epiſcopum ſibi ſe commendantes ſuſcepit. Indeque Metis nonas Septembris veniens, Adventium ipſius civitatis præſulem, & Franconem Tungrenſem epiſcopum, cum multis aliis in ſua commendatione ſuſcepit. Sicque V. Idus ipſius menſis ab epiſcopis qui adfuerunt, coeuntibus omnibus in Baſilica beati Stephani hæc quæ ſequuntur denuntiata & geſta fuere hoc modo.

ANNO CHRISTI 869.

*AN. INCARNATIONIS DOMINICÆ DCCCLXIX. indictione II. v. Idus Septembris, Metis civitate in eccleſia ſancti Stephani martyris, hæc quæ ſequuntur capitula Adventius epiſcopus ipſius civitatis, coram rege & epiſcopis qui adfuerunt, publice populo & ſcripto & verbis denuntiavit.*

## CAPUT I.

Annotationes hæ ſub Caroli Calvi in regno Lotharii coronationem ab epiſcopis habitæ, inter ejus capitula citatæ ſunt titulo 35.

VOs ſcitis, & multis in plurimis regnis eſt cognitum, quantos & quales eventus temporé ſenioris noſtri, quem hactenus habuimus, pro cauſis notiſſimis communiter ſuſtinuimus, & quanto dolore, quantaque anguſtia de illius infauſta morte nuper cordibus perculſi ſumus. Unde unicum refugium, & ſingulariter ſalubre conſilium, rege & principe noſtro deſtituti ac deſolati, nobis omnibus eſſe conſideravimus, ut jejuniis & orationibus ad eum nos converteremus, qui eſt adjutor in opportunitatibus in tribulatione, & cujus eſt conſilium ac cujus eſt regnum, & ut ſcriptum eſt, cui voluerit dabit illud; & in cujus manu corda ſunt regum; & facit unanimes habitare in domo, ſolvens medium parietem, & faciens utraque unum: deprecantes ipſius miſericordiam, ut daret nobis regem ac principem ſecundum cor ſuum, qui judicio & juſtitia nos in omni ordine ac profeſſione regeret, ſalvaret atque defenderet juxta voluntatem ejus, & corda omnium noſtrorum unanimiter in eum inclinaret atque uniret, quem ipſe ad ſalutem & profectum noſtrum præſcitum & electum atque prædeſtinatum habeat ſecundum miſericordiam ſuam.

II.

Quia denique voluntatem Dei, qui voluntatem timentium ſe facit, & deprecationes eorum exaudit, in concordi unanimitate noſtra videmus, hunc regni ejus heredem eſſe legitimum, cui nos ſponte commiſimus, domnum videlicet præſentem regem ac principem noſtrum Carolum, ut nobis præſit & proſit: videtur nobis, ſi vobis placet, ut ſicut poſt illius verba vobis manifeſtabimus, ſigno certiſſimo demonſtremus, quia illum a Deo electum & nobis datum principem credimus, & eidem largitori Deo ex ſuis beneficiis non ſimus ingrati, ſed gratiarum actionis illi referentes, oremus quatenus & cum nobis ad ſalutem & defenſionem ſanctæ ſuæ eccleſiæ, & ad auxilium atque profectum omnium noſtrum cum ſalute ac pace, & tranquillitate nobis conſervet diutius, & nos fideli devotione illi obſequentes, atque optata ſalvatione fruentes, ſub illius adminiſtratione in ſuo gubernet ſervitio.

III.

Et ſi illi placet, dignum ipſi & neceſſarium nobis eſſe videtur, ut ex ejus ore audiamus, quod a Chriſtianiſſimo rege, fideli & unanimi in ſervitio illius populo, unicuique in ſuo ordine convenit audire, ac devota mente ſuſcipere.

*Poſt hæc rex Carolus hæc quæ ſequuntur per ſe ipſum eidem eccleſia cunctis qui adfuerunt denuntiavit.*

Quia ſicut iſti venerabiles epiſcopi unius ex illis voce dixerunt, & certis indiciis ex veſtra unanimitate monſtraverunt, & vos acclamaſtis, me Dei electione, ad veſtram ſalvationem & profectum, atque regimen & gubernationem, huc adveniſſe, ſciatis me honorem & cultum Dei atque ſanctarum eccleſiarum, domino adjuvante, conſervare, & unumquemque veſtrum, ſecundum ſui ordinis dignitatem & perſonam, juxta meum ſcire & poſſe honorare & ſalvare, & honoratum ac ſalvatum tenere velle, & unicuique in ſuo ordine, ſecundum ſibi competentes leges tam eccleſiaſticas, quam mundanas, legem & juſtitiam conſervare: in hoc ut honor regius & poteſtas, ac debita obedientia, atque adjutorium ad regnum mihi a Deo datum continendum & defenſandum, ab unoquoque veſtrum, ſecundum ſuum ordinem & dignitatem atque poſſibilitatem, mihi exhibeatur, ſicut veſtri anteceſſores fideliter, juſte & rationabiliter meis anteceſſoribus exhibuerunt.

*ET POST HÆC HINCMARUS Rhemorum epiſcopus hæc quæ ſequuntur capitula, jubente ac poſtulante Adventio ipſius civitatis epiſcopo, & ceteris epiſcopis Trevirorum provinciæ, Attone ſcilicet eccleſiæ Viridunenſis epiſcopo, & Arnulfo Tullenſis civitatis epiſcopo, & Francone Tungrenſis civitatis epiſcopo, conhibentibus provinciæ Rhemorum epiſcopis, coram epiſcopis & rege, cunctis qui adfuerunt in eadem eccleſia publice denuntiavit.*

## CAPUT I.

NE alicui forte videatur, incongrue ac præſumptioſe me ac provinciæ noſtræ venerabiles coepiſcopos facere, quoniam de altera provincia ordinationi & cauſis hujus provinciæ nos immiſcemus; ſciat nos contra canones ſacros non agere: quoniam Rhemenſis & Treverenſis eccleſiæ in hac regione Belgica commiſſis, eccleſiis ſorores & comprovinciales habentur; ſicut auctoritas eccleſiaſtica, & antiquiſſima demonſtrat conſuetudo. Ac per hoc unanimi conſenſu & ſynodalia judicia exercere, & quæ a ſanctis patribus conſtituta ſunt, debent concorditer cuſtodire, hac privilegii conditione ſervata, ut qui prior de Rhemenſi & Treverenſi epiſcopis fuit ordinatus, prior etiam habeatur.

a) Forte, excercere li.

II.

Et lex divinitus inſpirata præcipit, dicens: *Si tranſieris per meſſem amici tui, colligens ſpicas, manu confricabis ad manducandum, falcem autem non mittas*; vel, *falce non metas*. Meſſis eſt populus, ut dominus monſtrat in euangelio dicens: *Meſſis quidem eſt multa, operarii autem pauci: rogate dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam*. quia vos pro nobis epiſcopis debetis orare, ut vobis digna poſſimus loqui. Meſſis autem amici, eſt populus in provincia alteri metropolitano commiſſa. Unde vos hortando, quaſi manu, operis confricando, ad Dei voluntatem & veſtram ſalutem in corpus unitatis eccleſiæ valemus & debemus trajicere. In parochianos autem provinciarum aliis metropolitanis commiſſarum falcem judicii non mittimus: quia nec eſt unde, & hoc noſtrum eſſe conſideramus.

Deut. 23. Matth. 9.

III.

Eſt & alia cauſa: quia iſti venerabiles domini & confratres noſtri, provinciæ iſtius epi-



ANNO CHRISTI 869.

ſcopi, non habentes metropolitanum epiſcopum, exignitatem noſtram ſic in ſuis, ſicut & in ſpecialibus noſtris cauſis, nos fraterna caritate jubent, & commonent agere. Eſt ita, domini fratres? Et reſponderunt ipſi epiſcopi: Ita eſt.

IV.

Præter ea quæ domnus epiſcopus & frater noſter Adventius vobis ex ſua, & ceterorum ſuorum ac noſtrorum fratrum & venerabilium epiſcoporum voce dixit, in hoc etiam animadvertere poteſtis voluntatem Dei eſſe, ut præſens domnus & rex noſter, qui in parte regni, quam hactenus tenet & tenuit, & nobis ac eccleſiis noſtris, & populo ſibi commiſſo utiliter præeſt ac præfuit, & ſalubriter prodeſt & profuit, inde ad hunc locum domino ducente pervenerit. Quo etiam vos ejus in inſpiratione confluxiſtis, & ipſi vos ſponte commendaſtis, cujus inſtinctu animantia omnia in arcam Noe, ſignificantem eccleſiæ unitatem, nullo cogente convenerunt. Quia ſanctæ memoriæ pater ſuus, domnus Hludouvicus Pius imperator Auguſtus, ex progenie Hludouvici regis Francorum inclyti, per beati Remigii Francorum apoſtoli catholicam prædicationem cum integra gente converſi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis parvulis & mulieribus, ᵃ vigilia ſancti Paſchæ in Rhemenſi metropoli baptizati, & cælitus ſumpto chriſmate, unde adhuc habemus, peruncti, & in regem ſacrati, exortus per beatum Arnulfum, cujus carne idem Hludouvicus Pius Auguſtus originem duxit carnis, & a Stephano papa Romano ante ſanctæ Dei genitricis & ſemper virginis Mariæ altare Rhemis in imperatorem eſt coronatus & demum factione quorumdam terreno imperio deſtitutus, in prædictam regni partem, unanimiter epiſcoporum & fidelis populi, ante ſepulcrum ſancti Dionyſii eximii martyris, eccleſiæ ſanctæ eſt redditus, & in hac domo, ante hoc altare protomartyris Stephani, cujus nomen interpretatum reſonat, coronatus, per domini ſacerdotes, acclamatione fidelis populi, ſicut vidimus qui adfuimus, corona regni eſt imperio reſtitutus. Et quia, ut in hiſtoriis ſacris legimus, reges, quando regna obtinuerunt, ſingulorum regnorum ſibi diademata impoſuerunt, non incongruum videtur iſtis venerabilibus epiſcopis, ſi veſtræ unanimitati placet, ut in obedientia regni, unde vos ad illum ſponte conveniſtis, & vos ei commendaſtis, ſacerdotali miniſterio ante altare hoc coronetur, & ſacra unctione Deo conſecretur. Quod ſi vobis placet, propriis vocibus conſonate. Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem epiſcopus: Agamus ergo unanimiter Deo gratias, decantantes, Te Deum laudamus.

ᵃ Avitus natalem Chriſti deſignat.

*** Pergit idem auctor Anonymus ex codice celeberrimi ſancti Bertini, in Audomaropolitano civitate cœnobii deſcriptus, cujus ſæpe hactenus meminimus.* Et poſt hæc ab epiſcopis cum benedictione ſacerdotali eſt idem rex coronatus.

### NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium.*) Cum Carolus Calvus rex Francorum occupaſſet Lotharii regnum, quod jure hæreditario ejus fratri Ludovico imperatori debebatur, neque frequentibus ejuſdem Ludovici expoſtulationibus ac monitis ullum locum dediſſet, ille ſedem apoſtolicam interpellans, impetravit, quod Hadrianus papa decerneret legationem ad Carolum, de quia iſta apud Aimonium: *Carolus legatos Hadriani*, &c.

Cauſa concilii.

Eidem legationi addidit epiſtolas, quas ſupra invenies, plures, quarum una ad Carolum, altera ad epiſcopos, tertia ad Ludovicum regem Germaniæ ſcripta erat. Antequam vero iſta legatio ad Carolum perveniſſet, habita eſt iſta Metenſis ſynodus, qua Carolus regni coronam injuſte accepit, ideoque non immerito ſynodus prædatoria nominatur. Abſoluta ſynodo, Carolus legationem cum oblatione duarum coronarum aurearum gemmis intextarum pro duobus regnis quæ poſſidebat, miſit ad Hadrianum papam. Qui munera oblata reſpuens, novam legationem ad Carolum & Ludovicum deſtinavit; de qua fit mentio in epiſtola quadam ad Carolum, cujus initium, *Sacrorum itaque dogmatum*, &c.

Acta concilii.

# ** PISTENSE CONCILIUM
## A PLURIMIS EPISCOPIS

Præſente Carolo Calvo Francorum rege celebratum anno 869. regni ejus 29. indictione 2. exhibet nobis diploma Senonenſe a D. Luca Dacherio editum II. Specilegii pag. 712. ex Clarii O. B. monachi chronico ſancti Petri Vivi Senonenſis.

ANno ab incarnatione domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXIX. glorioſi regis Caroli XXIX. indictione ſecunda, poſitis nobis diverſarum urbium epiſcopis cum eodem rege in Piſtis, qua ad componendum regni ſui ſtatum acceſſerat, Reverendiſſimus nobiſque dilectiſſimus Egil gratia Dei archiepiſcopus Senonicæ civitatis, propter inſidias & cupiditatem ſucceſſorum impetrato regali præcepto de quadam villa ſui epiſcopatus nomine Seuriaci, in comitatu Senonico ſita, cum manſis omnibus in Villamari, & Septempiri, & Longumpiri, & cunctis ad camdem villam pertinentibus plena integritate, cuidam ejuſdem epiſcopatus monaſterio ad orientalem plagam præfatæ urbis in honorem ſancti Petri dicato, ubi turma monachorum jugiter Deo famulatur, ob Dei ejuſdemque ſancti Petri amorem & honorem, per ſuæ authoritatis præceptum reſtitueret vel donaret, & reſtituens, vel dans perpetim habendam confirmaret. Poſtulavit inſuper, ut quamdam eccleſiam ejuſdem epiſcopatus in honore ſancti Petri conſtructam, cum omnibus ad eam pertinentibus in eodem pago Alſonis ſitam, eidem monaſterio ſancti Petri æternaliter concederet, atque concedens delegaret. Cujus petitionem libenter ſuſcipiens, libentiſſimeque perficiens reſtituit quæ juris illarum eſſe dicebantur. Et dedit vel largitus eſt authoritate & poteſtate regis quod pie a memorato antiſtite poſtulatum eſt, ut quia locum ſuæ ſepulturæ in eodem monaſterio præparare decreverat, ex eadem eccleſia luminare ibi continuatim miniſtraretur, & præfata villa cum ſuis appendiciis, uſibus monachorum ibi degentium deſerviat. Hoc igitur præceptum flagitavit cariſſimus & dulciſſimus Egil coepiſcopus, ut noſtræ fraternitatis conventus privilegio noſtræ authoritatis roboraret atque confirmaret: neque abnuimus.

Igitur ſtatuimus ut hæc reſtitutio vel largitio noſtri ſenioris, atque præfati antiſtitis perpetualiter obſervetur, neque a ſucceſſoribus ſuis ullo modo violetur, ſed ſemper ad uſus fratrum, & ad lumen ſufficiendum pro ſua ſepultura teneatur: non modo hæc, verum etiam omnia quæ in tempore videntur habere, vel quidquid deinceps acquirere potuerint, ſeu a fidelibus eis collatum fuerit cauſa eleemoſynæ, inſolubiliter ab illis poſſideatur. Quod ſi quis noſtram exiguitatem contemnendo per aliquam cupiditatem, vel ſubreptionem, hoc noſtrum decretum infregerit, ſecundum authoritatem quam in beato Petro accepimus, dicente domino: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*: eum juſte ac rationabiliter anathematis vinculo obligamus, qui cœca cupiditate hæc Dei ſervorum ſtipendia etiam poſt noſtram prohibitionem auferre præſumpſerit. Atque ut hæc conſtitutio vera credatur, & profutura Dei famulis omni tempore inviolabiliter conſervetur, manus noſtræ ſubſcriptionibus eam univerſi firmavimus: & inſuper tam abſentes quam futuros noſtri ordinis cooperatores, ſeu quoslibet veræ religionis ſectatores poſcimus, ut hanc tanti pontificis largitionem cum legerint, vel audierint, voto & ſubſcriptione eam nobiſcum roborent.

Ego Egil indignus archiepiſcopus Senonenſis eccleſiæ hanc donationem & conſtitutionem a me factam ſubſcripſi.

Fulcarius Tricaſſenſis epiſcopus.

Ego Chriſtianus Autiſſiodorenſis eccleſiæ epiſcopus.

Æneas Pariſienſis epiſcopus.

Hildegarius Meldenſis epiſcopus.

Abbo Nevernenſis.

Gualterius Aurelianenſis.

Guenilo Rothomagenſis.

Iſaac Lingonicæ civitatis epiſcopus.

Hincmarus metropolitanus Rhemenſis.

Vulphadus Bituricenſis.

Ayrardus Turonenſis metropolitanus epiſcopus, &c.

Ex Baluzii Capitular. tom. 2. pag. 209.

☞ *Hæc, quæ ſequuntur Capitula conſtituta ſunt a domno noſtro Karolo Rege glorioſo cum conſilio & conſenſu epiſcoporum ac cæterorum Dei & ſuorum fidelium qui adfuerunt in loco qui dicitur Piſtis, anno Incarn. Dom. 869. anno autem regni ſui 30. Indictione 2., & ab eo denuntiata ſunt a ſe & ab omnibus fidelibus ſuis, ſecundum uniuſcujuſque ordinem & perſonam inviolabiliter conſervanda.*

## CAPUT I.

De honore & cultu Dei atque ſanctarum eccleſiarum in regno noſtro decernimus, ut ſicut tempore avi & patris noſtri excultæ & honoratæ fuerunt, & ſicut a noſtra largitate honoratæ & ditatæ ſunt, vel deinceps fuerint, ſalva æquitatis ratione, ita ſub immunitate permaneant. Archiepiſcopi quoque & Epiſcopi & ceteri ſacerdotes ac ſervi in ancillæ Dei quiſque vel quæque in ordinis ſui dignitate honorem atque immunitatem ſecundum ſacras leges & canones habeant.

### II.

Ut ab Archiepiſcopis & Epiſcopis & ab aliis fidelibus noſtris honor regius & poteſtas a debita obedientia atque adjutorium & regnum noſtrum continendum, & defenſandum nobis in omnibus & ab omnibus ſecundum uniuſcujuſque ordinem & dignitatem atque poſſibilitatem, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum juſte & rationabiliter conſueverat, exhibeatur.

### III.

Ut omnes noſtri fideles veraciter ſint de nobis ſecuri, quia quantum ſciero, & juſte ac rationabiliter potuero, domino adjuvante, unumquemque ſecundum ſui ordinis dignitatem & perſonam honorare, & ſalvare, & honoratum ac ſalvatum conſervare volo, & unicuique eorum in ſuo ordine ſecundum ſibi competentes leges tam mundanas quam eccleſiaſticas rectam rationem & juſtitiam conſervabo: & nullum fidelium noſtrorum contra legem & juſtitiam vel auctoritatem ac juſtam rationem aut damnabo, aut dehonorabo, aut opprimam, aut indebitis machinationibus affligam; & legem, ut prædiximus, unicuique competentem, ſicut anteceſſores ſui tempore anteceſſorum meorum habuerunt, in omni dignitate & ordine, adjuvante Domino, conſervaturum perdono, cuilibet dumtaxat ex eis quo mihi fideles & obedientes ac veri adjutores atque cooperatores juxta ſuum miniſterium & perſonam conſilio & auxilio ſecundum ſuum ſcire & poſſe, & ſecundum Deum ac ſecundum ſæculum fuerint ſicut per rectum unuſquiſque in ſuo ordine & ſtatu Regi ſuo & ſuo ſeniori eſſe debet. Et capitula, quæ avus & pater noſter pro ſtatu & munimine ſanctæ Dei eccleſiæ & miniſtrorum ejus, & pro pace ac juſtitia populi & quiete regni conſtituerunt, & quæ nos cum fratribus noſtris regibus & noſtris ac eorum fidelibus communiter conſtituimus, ſed & quæ nos conſilio & conſenſu Epiſcoporum ac ceterorum Dei & noſtrorum fidelium pro ſupraſcriptis cauſis in diverſis placitis noſtris conſervanda ſtatuimus, permanere inconvulſa decernimus.

### IV.

Ut quia regia noſtra poteſtas hoc, adjuvante Domino, exequi per omnia cupit, regni miniſtri, quantum Deus ſcire, & poſſe illis donaverit, epiſcopis & ceteris ſacerdotibus ac ſervis & ancillis Dei, ut ſuum miniſterium implere poſſint, ſicut ab anteceſſoribus noſtris Imperatoribus & Regibus, & a nobis conſtitutum eſt, adjutorium præſtent, & ſanctis eccleſiis & ſacerdotibus ac ſervis & ancillis Dei ſecundum ſacras leges tam mundanas quam eccleſiaſticas, & ſecundum capitula avi & patris noſtri ac noſtra debitum honorem & immunitatem conſervent & exhibeant, ut quiete pro ſtabilitate regni ac noſtra & illorum ſalute Dominum exorare poſſint.

### V.

Ut Epiſcopi Comitibus, Miſſis, & Vaſſis noſtris, ſed & ipſis ſuis ſubditis, tam Clericis quam laicis, & Comitum ac vaſſallorum noſtrorum hominibus, paternam benignitatem ſecundum ſuum miniſterium, & debitum honorem ac legem & juſtitiam, unicuique ſecundum ſuum ordinem ac dignitatem impendant & conſervent, ſicut ſacræ leges tam mundanæ quam eccleſiaſticæ, & capitula avi & patris noſtri decernunt, & ſicut in capitulis a nobis & a fratribus noſtris Regibus ac communibus fidelibus noſtris eſt conſtitutum, & ſicut temporibus avi & patris noſtri juſta & rationabilis conſuetudo fuit. Similiter Comites & Miſſi ac vaſſi noſtri epiſcopis ac presbyteris debitam reverentiam & vaſſallis epiſcoporum legem & juſtitiam & debitum honorem impendant ſecundum præfatas leges & præfata capitula, ac præfatam conſuetudinem.

### VI.

Ut ſi epiſcopis ſuis Clericis injuſte fecerint, ſecundum quod ſacri canones & ſacræ leges, quas eccleſia catholica probat & ſervat, præfigunt hoc eorum judicio, quorum intereſt, emendare procurent.





### VII.

Ut ſi epiſcopi ſuis laicis injuſte fecerint, & ipſi laici ſe ad nos inde reclamaverint, noſtræ regiæ poteſtati ſecundum noſtrum & ſuum miniſterium ipſi archiepiſcopi & epiſcopi obediant, ut ſecundum ſanctos canones, & juxta leges, quas catholica eccleſia probat & ſervat, & ſecundum capitula avi & patris noſtri, hoc emendare curent, & ſicut temporibus avi & patris noſtri juſta & rationabilis conſuetudo fuit.

### VIII.

Ut Presbyteri Parochiani ſuis ſenioribus debitam reverentiam & competentem honorem atque obſequium ſecundum ſuum miniſterium impendant, ſicut in legibus ſacris & in præfatis capitulis continetur, & ſicut temporibus avi & patris noſtri juſta & rationabilis conſuetudo fuit. Quod ſi ipſi presbyteri non fecerint, ſeniores illorum epiſcopis, non per occaſionem aut malitiam, ſed per rationem & veritatem, hoc innoteſcere ſtudeant; & epiſcopi Presbyteros ſecundum ſuum miniſterium & leges eccleſiaſticas taliter caſtigent ut hoc illos emendare delectet; qualiter cum neceſſaria benignitatis concordia & illi pro ſenioribus ſuis orare, & ſeniores illorum ſacra officia & divina myſteria puro corde per illos ſuſcipere poſſint.

### IX.

Ut ſi Abbates, vel Abbatiſſæ, aut Comites, ſeu Vaſſi noſtri, aut ceteri laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ epiſcopis canonice conſecrandos ſuiſque in eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet occaſione eos epiſcopi vel miniſtri eorum reſiſtant; & epiſcopi prævideant quem honorem Presbyteri pro eccleſiis ſuis ſenioribus ſuis tribuere debent. Et epiſcopi parochias & decimas antiquis eccleſiis ſervent; & ſeniores immunitatem de manſo ad eccleſiam dato conſervent: & non ſine auctoritate vel conſenſu epiſcopi presbyteri in quibuslibet eccleſiis conſtituantur, vel expellantur, ſicut in primo libro Capitulorum avi & patris noſtri, & ſicut in Capitulis patris noſtri anno XVI. imperii ejus factis continetur. Et Senioribus Presbyterorum hoc ſufficiat, & amplius per ingenioſas machinationes a Presbyteris non exigant vel exquirant, niſi ſicut in eiſdem capitulis avi & patris noſtri ac noſtris eſt conſtitutum, ne Deum offendant, & pro lucro terreno, quod abſit, ſuas animas perdant, & noſtram offenſionem incurrant, ac poſt debitam emendationem dignam harmiſcaram a nobis diſpoſitam ſuſtineant. Et epiſcopi tam ſeniores Presbyterorum, quam Presbyteros, ſed & ſeipſos cuſtodiant, ne laici per ignorantiam, & Presbyteri per neceſſitatem, & ipſi epiſcopi vel miniſtri eorum per cupiditatem & avaritiam, quod abſit, in Simoniacam hæreſim cadant: quia, ut S. Gregorius dicit, qui præmio, vel gratia, aut ſupplicatione indebita ad ſacros ordines accedit vel promovetur, hæreticus a Domino deputatur, tam ille qui promovetur, quam ille a quo taliter promovetur, & cujus interventu taliter promovetur; & qui pro tali ordinatione illicita quolibet malo ingenio, quod Deum latere non poteſt, aliquid dederit vel acceperit, vel mediator factus fuerit, a Deo, ſicut canones Dei ſpiritu conditi demonſtrant, condemnatur per illorum judicium, qui cum Deo in cælis regnant, & in terris miraculis coruſcant. Damnantur utique in præſenti ſæculo, comburendi igne perpetuo, tales negotiatores pravi, cum quod juſte benemeritis dare gratis debent, juſtitiam, ſicut Judas Chriſtum, qui (ut dicit Apoſtolus) factus eſt nobis a Deo juſtitia, vendidit, & ita iſti Deum patrem omnipotentem & eandem juſtitiam Chriſtum atque conſubſtantialem illis Spiritum ſanctum, qui per impoſitionem manuum ſacerdotalium hominibus tribuitur, quoniam ſanctæ Trinitatis una eſt natura, voluntas, & operatio, gradus eccleſiaſticos temporali commodo dantes vel accipientes vendunt; & qui pretium proinde donant, emunt peccatum, & hæretici fiunt; & qui præmium proinde accipiunt, ſicut idem ſanctus demonſtrat Gregorius, facti & ipſi hæretici eos malitiæ ſuæ gladiis occidunt, quos viviſicare orationis ſuæ incarnatione debuerunt.

Lib. 1. Capitul. c. 84.

Capitul. anni 829. c. 1.

Lib. 4. Ind. 13. Ep. 95. 100. & 1 7. Ind. 2. p. 110.

### X.

Ut nemo epiſcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequam cauſa probetur propter quam eccleſiaſtici canones hoc fieri jubent, & donec illum qui peccavit, & inde aut ſponte confeſſus, aut aperte convictus fuerit, ſecundum Evangelicum præceptum, ut ad emendationem & pœnitentiam redeat, commonitum habeat. Qui peccator ſi commonitus de certa & manifeſta cauſa ut ad emendationem & correptionem redeat, inobediens & incorrigibilis permanſerit, & ad emendationem redire noluerit, & excommunicationem canonicam de cauſis deſignatis & manifeſtis parvipenderit, regiam vel reipublicæ poteſtatem per ſe vel per miniſtros ſuos aut per literas ſuas epiſcopus adeat, ut conſtringatur, quatenus ad emendationem ac pœnitentiam idem peccator redeat; ne dicatur nobis a Domino quod olim populo veteri ab eo legimus dictum: *Anathema in medio tui, Non poteris ſtare coram inimicis tuis*. Si autem idem peccator de manifeſta & comprobata vel a ſe ſponte confeſſa cauſa ad pœnitentiam venire noluerit, ſed ipſam pœnitentiam propter faidam ſecundum canones ſuſcipere, & quiete agere non potuerit, epiſcopus per ſe vel per miniſtros aut per literas ſuas regiam noſtram vel reipublicæ noſtræ poteſtatem adeat, ut ipſa faida ſecundum conſtitutionem avi & patris noſtri legaliter pacificetur, aut juxta leges ſecundum quas in aliis regionibus quilibet vivunt ſedetur. Et tunc peccator medicinam pœnitentiæ ſecundum ſacros canones cum pia & ſalubri diſcretione ſecundum regulas ſacras ſuſcipiat & peragat, & reconciliationem atque communionem percipiat, ſicut in eiſdem ſacris regulis diſcretiſſime & miſericorditer continetur.

Lib. IV. Capitul. c. 27.

### XI.

Ut Comites & Miſſi ac Vaſſi noſtri, & miniſteriales regni noſtri, unuſquiſque ſecundum ordinem & dignitatem ac poſſibilitatem ſuam, pacem & juſtitiam in ſuis miniſteriis faciant, & juſte omnes ſub Dei reſpectu judicent, attendentes quod Dominus omnibus judicantibus dicit: *In quo judicio judicaveritis judicabitur de vobis*: Et: *Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore.*

Matth. 7.

Pſal. 105.

### XII.

Ut epiſcopi atque Abbates & Comites ac Vaſſi noſtri & omnes fideles laici concordi dilectione & conamini voluntate ad Dei & ſanctæ eccleſiæ ac noſtrum & regni noſtri honorem & ſtatum atque communem noſtram ſalvationem ſine invidia & malevolentia atque indebita contentione communiter decertare procurent, ut pax & juſtitia & ve-

& vera cum Dei voluntate concordia inter nos omnes & in regno noſtro maneat: quia, ſicut ſancta Scriptura dicit, *juſtitia elevat gentem, miſeros facit populos peccatum*; & ubi non eſt vera cum Dei voluntate concordia, ibi niſi ad judicium non habitat Deus, qui, ſicut pſalmus dicit, *facit unanimes habitare in domo*, id eſt in ſancta eccleſia; in qua fideliter conſiſtentibus ſpiritum caritatis infundit, qui propter nimiam caritatem ſuam qua dilexit nos, tradidit ſemetipſum pro nobis, & cum eſſemus mortui in peccatis noſtris, convivificavit nos in ſemetipſo, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate, & ſimus ſectatores bonorum operum, in quibus cum fide recta perſeverantes perveniamus omnes, ipſo præveniente, adjuvante, & ſubſequente ad regna cœlorum.

Prov. 14.

XIII.

Epiſcopi privilegia Romanæ ſedis & legum præcepta eccleſiis ſuis confirmata vigili ſolertia cuſtodiant, ut exinde auctorabili firmitate tueantur. Nonas & decimas unde ſtatutum eſt abſque alicujus contradictu recipiant. De terris cenſalibus & poteſtate eccleſiæ ſuæ & culturis indominicatis & abſitatibus & manufirmatis major eccleſia, quæ caput epiſcopatus eſt, decimam recipiat. Similiter & de * carruca indominicata. De manſis hereditariis presbyter parochiæ, ſicut conſtitutum eſt, decimum conſequatur. Et ne de hoc contentio oriatur, ſummopere cavendum eſt.

* ſ. curte.

ADNUNTIATIO KAROLI REGIS.

CAPUT I.

Volumus vos ſcire, quia ſecundum conſuetudinem anteceſſorum noſtrorum conſideravimus in hoc placito cum epiſcopis & ceteris fidelibus noſtris de honore ſanctæ eccleſiæ & epiſcoporum ac ceterorum ſervorum Dei, ut debitum honorem habeant, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum habuerunt; & hominibus fidelibus noſtris, unicuique in ſuo ordine, legem & juſtitiam conſervabimus, ſicut eorum anteceſſores tempore anteceſſorum noſtrorum habuerunt.

II.

Et volumus atque jubemus, ut vaſſalli epiſcoporum, Abbatum, & Abbatiſſarum, atque Comitum, & vaſſorum noſtrorum talem legem & juſtitiam apud ſeniores ſuos habeant, ſicut eorum anteceſſores apud illorum ſeniores tempore anteceſſorum habuerunt. Et ſi aliquis Epiſcopus, Abbas, aut Abbatiſſa, vel Comes, aut Vaſſus noſter ſuo homini contra rectum & juſtitiam fecerit, & ſe inde ad nos reclamaverit, ſciat quia ſicut ratio & lex atque juſtitia eſt, hoc emendare faciemus.

III.

Et volumus atque jubemus ut Epiſcopi atque Abbates, Comites, ac Vaſſi noſtri, concordi dilectione & unanimi voluntate ad Dei & ſanctæ eccleſiæ, ac noſtrum & regni noſtri honorem & ſtatum atque communem noſtram ſalvationem decertare procurent, ut pax & juſtitia & vera cum Dei voluntate concordia inter nos omnes & in regno noſtro maneat, & canones ita ſint ſemper parati, ut ſi nobis neceſſitas evenerit, ad defenſionem patriæ contra paganos, aut contra alios Dei, & noſtros inimicos, ſicut conſuetudo fuit tempore anteceſſorum noſtrorum, abſque mora, ſtatim ut eis nuntiatum fuerit, poſſint venire.

IV.

Et volumus ut ſciatis quia commendavimus, ut unuſquiſque de ſua opera talo certamen habeat, ſicut ſcit neceſſe eſſe ad defenſionem iſtius Dei eccleſiæ, ſecundum noſtram commendationem. Gratias vobis agimus, quia fideliter ſecundum noſtram commendationem in noſtro veniſtis ſervitio. Et ite cum Dei gratia ſani & ſalvi, & Deus nobis concedat, ut iterum cum ſanitate & gaudio ad ſuam voluntatem reconjungamur.



# SYNODUS VIENNENSIS SUB ADONE PRÆSULE,

## Ubi privilegium confirmatum eſt Monaſterii S. Augendi ſuper quadam Eccleſia anno DCCCLXX.

Ex Mabillon. ſæcul. Benedict. IV. part. 2. p. 269.

Anno 870. Incarn. D. N. Jeſu-Chriſti congregata eſt ſynodus Viennæ metropolis eccleſiæ domno & Venerabili Archiepiſcopo Adone præſidente, & vigilantiſſima cura cauſas eccleſiaſticas, & filiorum ſuorum neceſſitates inveſtigante ac eccleſiaſtico more definiente. Adveniens Reverendus vir Manno Præpoſitus Cœnobii S. Augendi, adventus ſui cauſam manifeſtans protulit in medio quamdam eccleſiam ex Cœnobio prædicto, & infra Viennenſem diœceſim ſitam in Villa Velnis dotatam in honore S. Petri, privilegio ſibi conceſſo ab Anteceſſoribus ſanctiſſimi jam fati Archiepiſcopi, necnon ab ipſo compontifice uſque ad id tempus conſervato, proclamante Vici S. Albani Rectore deſolatam eſſe. Protulit etiam iſdem Venerabilis Præpoſitus ſcripturam Inquiſitionis temporibus piæ recordationis domni Agilmari factam, eo quod tunc temporis altercatio haberetur inter ipſarum Rectores eccleſiarum. Sed quia ea ſancta ſynodus irritam judicavit, eo quod [illegible] ..... roboratam non [illegible]. Placuit S. Pontifici a capite per ſanctiſſimos Presbyteros omnem cauſam reiterari, quatenus veritate comperta altercatio diu ventilata firmaretur *. His igitur teſtantibus, & dicentibus ordinem veritatis, viſum eſt domno Pontifici una cum conſenſu ſanctiſſimæ ſynodi, quatenus ſicut in diebus anteceſſorum ſuorum ſanctorum Pontificum honorata fuit ſancta Congregatio Cœnobii beatiſſimi Augendi; ſic & in hac petitione, & in cæteris neceſſitatibus ſuis honorem, & opem ferret ad vires tuas S. Metropolis Viennenſis eccleſia. Et ut ſopita querela firmius Privilegium ſuum ſuper facto Viennenſis S. Augendi eccleſia in futurum poſſideat, litteris etiam roboretur. In hunc itaque modum ego Ado Viennenſis Archiepiſcopus conſentiens, & pio conſilio filiorum meorum annuens manu propria ſubter firmavi, ſanctiſque filiis meis ſecundum morem eccleſiaſticum firmare rogavi. Actum Viennæ publice menſe Aprilis, epiſcopatus domni Adonis anno X. Indictione 3.

* l. ſaltem

[1,2] CON-





# [1] [2] CONCILIUM APUD ATTINIACUM.

## SYNODUS DECEM PROVINCIARUM,

### In qua Hincmarus epiſcopus Laudunenſis iterum accuſatus ad ſedem apoſtolicam iterum appellavit, menſe Majo, anno DCCCLXX.

Ex editione P. Sirmondi.

*In hoc conventu primum auditi ſunt a Carolo rege duodecim legati Ludovici regis Germaniæ, pro diviſione regni Lotharii ab eo miſſi. Deinde,* [2] *ubi ſynodalia ventilari cœperunt, iterata eſt accuſatio Hincmari Laudunenſis. Poſtremo acta cauſa Carlomanni filii Caroli regis. Tria enim hæc apud Attiniacum tractata docet Aimoinus* * *libro 5. capite* 24. Menſe Majo, *inquit*, Carolus rex ad Attiniacum palatium venit: ubi & duodecim legatos fratris Ludovici pro diviſione regni accepit. *Et poſt alia.* Interea poſt de multis impetitus, præcipue autem de inſubjectione regiæ poteſtati, & inobedientia erga ſuum archiepiſcopum, Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, ut ſe ab impetitis expediret, in ſynodo epiſcoporum decem provinciarum libellum propria manu ſubſcriptum porrexit hæc continentem: Ego Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, amodo & deinceps domno ſeniori meo Carolo regi ſic fidelis & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & epiſcopus per directum ſuo regi eſſe debet: ac privilegio Hincmari metropolitani provinciæ Rhemorum eccleſiæ ſecundum ſacros canones, & decreta ſedis apoſtolicæ ex ſacris canonibus promulgata, pro ſcire & poſſe me obediturum profiteor. Et ſubſcripſit. Carlomannus etiam regis filius, & plurimorum monaſteriorum abbas, reputatus quoniam inſidias erga patrem ſuum infideliter moliretur, abbatiis privatus, in civitatem Silvanectenſem eſt cuſtodia mancipatus. *Sed quod ad Hincmari Laudunenſis cauſam attinet, narrat illum Hincmarus ſenior in epiſtola quam recitat Flodoardus libro 3. capite 21. cum ab epiſcopis propter injuſtas excommunicationes, a rege ob violata ſacramenta, a Northmanno denique propter beneficia vi adempta impeteretur, ut ſynodicam cenſuram evaderet, regi & ſibi ſupraſcriptum profeſſionis libellum dediſſe. Deinde cum electos judices expetiiſſet, deſignatoſque Actardum, Ragenelmum & Joannem epiſcopos ſuſcepiſſet, ante ſynodi definitionem fuga lapſum exceſſiſſe, tum pittaciolum, cujus in ſynodo Vermeriaca mentio facta eſt, miſiſſe quo Romam eundi licentiam poſtulabat. Qua de re Hincmarus idem in eadem epiſtola:* * Quod dicis, *inquit*, te in ſynodo apud Vermeriam, indeque apud Attiniacum licentiam eundi Romam petiiſſe, & impetrare non potuiſſe; omnes epiſcopi qui in eiſdem ſynodis fuerunt, liquido ſciunt, quoniam cum de tuis inſolentiis increpabaris, timens regulare judicium, vel regis caſtigationem, licentiam eundi Romam petebas. Cum vero videbas, quia & rex & epiſcopi erant tibi placabiles, de ipſa licentia nihil dicebas, ſicut nec modo facis, donec aliquam novitatem, ut ſicut, quam ſemper timendo expecto, iterum facias, de qua compellatus ſolitam cantionem de licentia tua recantes. *At contra Laudunenſis in apologia* * *nondum edita, qua ſuperiori epiſtolæ reſpondet, ſingula refellens, & objecta crimina diluit, & profeſſionis libellum per vim fraudemque ſibi extortum, & fugam neceſſariam fuiſſe demonſtrat, retentumque ſe, ne ad Romanam, quam appellarat, ſedem iret, vehementer conqueritur.*

* Aimoini continuator [illegible] deſcripſit [illegible] ex [illegible] ad an. 870. quos conſule.

* Vide pag. 605. tomi II. operũ Hincmari Rhemēſis archiepiſcopi.

* Illam anno poſtmodum 1645. publici juris fecit idem R.

P. Sirmondus tomo II. operum Hincmarianorum a pag. 608.

NOTÆ JACOBI SIRMONDI, S. J.

1 *Concilium apud Attiniacum.*] Decem provinciarum ſynodum paſſim appellat Hincmarus Rhemenſis, in eaque libellum ab Hincmaro nepote ſubſcriptum ait, quem Hincmarus ipſe Laudunenſis in ſynodo habita in Attiniaco per vim & fraudem ſibi extortum ſcribit in epiſtola apologetica, cujus initium eſt: *Relegi curſim ſcripta veſtræ celſitudinis.*

2 *Ubi ſynodo ventilari*] Cum Hincmarus junior in altera epiſtola, cujus initium: *De his quæ vobis per Hittonem*, &c. *Vocaſtis me*, inquit, *literis veſtræ auctoritatis Attiniacum ad ſynodum. Tractata ſunt in eodem Attiniaco a domno rege per aliquot dies quæ viſa ſunt. Cum autem deſignaretur nobis dies certus, in quo ſynodalia tantum debuiſſent ventilari, qui futurus erat ſexta feria, adveni.*

NOTA SEVERINI BINII.

2 *Concilium.*] Cum Hincmarus Laudunenſis epiſcopus ob cauſam præcedente conciliabulo expreſſum reſcriptum Hadriani papæ pro ſe impetraſſet, illudque Hincmaro Rhemenſi archiepiſcopo & Carolo regi inſinuaſſet, ex odio erga Laudunenſem uterque decrevit, ut hæc ſynodus, quæ [illegible], cogeretur. Præfuerunt illi Remigius Lugdunenſis, Ardoicus Veſontienſis, Bertulfus Trevirenſis archiepiſcopi, una cum ſubjectis ſibi epiſcopis. In ea Hincmarus Rhemenſis epiſcopus una cum Carolo rege accuſatorem agebat adverſus Hincmarum nepotem ſuum, quem jam antea epiſcopum Laudunenſem conſecraverat. Cauſa denuntiandi Hincmarum erat iſta; quod ille jura ſedis apoſtolicæ contrariis ſcriptis defenderat, quæ Rhemenſis archiepiſcopus impugnare & evertere nitebatur: quodque contra juramentum fidelitatis, quo regi erat obſtrictus, eumdem Carolum regem apud Romanum pontificem accuſaſſet, atque ſine ejus licentia adverſus ipſum ſcripta miſiſſet. Cumque Hincmarus Laudunenſis jam, prout mandatum erat a pontifice, itineri accinctus eſſet, ut Romam pergeret, ab hoſtibus captus & ſpoliatus, introductus eſt in hanc pſeudoſynodum. Auditis querelis ſupra commemoratis omnibus, obtulit ille libellum defenſionis ſuæ: ſed rejectus eſt, & nequaquam legi permiſſus. Qua de re cum ille viciſſim ad ſedem apoſtolicam provocaret, non modo non ejuſdem appellationi detulerunt, verumetiam humi proſtratus, defenſioniſque locum ſibi dari expoſtulans, nequaquam eſt exauditus. Ferentes ſententiam eum epiſcopatu depoſuerunt, vinctumque duriſſimis & ferreis vinculis in exilium ejecerunt; atque demum, quod omnem crudelitatem ſuperat, oculis evulſis excæcari fortaſſe procurarunt, ut redeundi ad epiſcopatum ſpem omnem illi adimerent. Hæc ex libello Trecenſis concilii ſub Joanne VIII. celebrati Baronius anno 870. num. 35. & 36.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Nacti ſumus ineditas aliquot Hincmari utriuſque epiſtolas quæ ex codice Vaticano deſumptæ, & ad nos huc ab Em. cardinale Fr. Barberino tranſmiſſæ plurimum lucis afferre queunt iis quæ de Vermerienſi, atque Attiniacenſi ſynodis præmiſſa ſunt: ſed ne ordinem editionis regiæ in pluribus violare videamur, ſatius viſum fuit eas tantiſper differre, nec prius publicare, quam quæ ſubjecit Cellotius noſter Duziacenſi concilio Hincmari utriuſque opuſcula fuerint excuſſa.

[1] CON-

ANNO CHRISTI 871.

# a CONCILIUM COLONIENSE IN CAUSA ECCLESIASTICA DISCIPLINÆ

Celebratum VI. Kalendas Octobris, anno domini DCCCLXX. tempore Hadriani papæ II.

a *Concilium*.) Vetus Francorum chronicum imperatorum a Pithœo editum refert, quod anno 870. VI. Kalendas Octobris agente rege Ludovico ſynodus quædam Coloniæ Agrippinæ acta fuerit, in qua quidem complura etiam ad eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia pertractata ſint: inſuper ab eiſdem, qui convenerunt, epiſcopis dedicata fuerit eccleſia S. Petri. De reliquis actis ibidem nihil aliud extat.

# a CONCILIUM DUZIACENSE, IN QUO HINCMARUS EPISCOPUS

Laudunenſis tertium accuſatus epiſcopali gradu dejectus eſt, apud Duziacum villam menſe Auguſto celebratum, an. Chriſti DCCCLXXI. Hadriani II. papæ anno IV. Caroli Calvi regis XXXII.

Ex editione P. Sirmondi, & P. Cellotii.

*Tertia hæc ſynodus contra Hincmarum Laudunenſem. nam tribus in ſynodis convictum fuiſſe Carolus rex Hadriano papæ reſcripſit. Quo autem pacto ad ſynodum hanc perductus, & quam acerbe in ea tractatus, atque ab epiſcopali remotus ſit officio, tum deinde in exilium miſſus, ferro vinctus, ac denique oculis cæcatus, fuſe narrat Hincmarus ipſe in libello proclamationis quem Joanni papæ poſtea oblatum ſuo loco reddemus in ſynodo Tricaſſina. Hujus vero ſynodi acta, quæ ad Hadrianum papam miſſa fuerant per Actardum, non extant: extat tamen Hadriani reſcriptum ad ſynodum, in quo Hincmari depoſitionem improbat, eumque in urbem iterandi judicii gratia mitti jubet. Hadriani porro epiſtola ad ſynodum Duziacenſem, excuſſa eſt ſupra* inter alias ejuſdem epiſtolas num. 32. ad quam concilium tale reſcriptum edidit.*

* pag. 932. A.

## RESCRIPTUM

EPISCOPOR. SYNODI DUZIACENSIS, ad epiſtolam XXXII. Hadriani papæ II.

*DOMINO SANCTISSIMO AC reverendiſſimo patri Hadriano ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Romanæ primæ ſedis papæ, epiſcopi diverſarum provinciarum, qui in ſynodo apud Duziacum provinciæ Rhemenſis in nomine Chriſti convenimus, quorum nomina & ſubſcriptiones in geſtorum ejuſdem ſynodi ſerie continentur, quam per venerabilem conſacerdotem noſtrum Actardum vobis direximus, & quibus per eum paternitatis veſtræ literas remiſiſtis.*

VEniens ad nos prædictus venerabilis frater & conſacerdos noſter Actardus tradidit nobis epiſtolam a veſtra paternitate filiolitati noſtræ directam, quam cum in conventu noſtro fecimus recenſeri, quædam in ea invenimus, quæ ſtuporem mentibus noſtris non mediocriter induxerunt, feceruntque nos non modicum dubitare, utrum aliter putaremus, an illa ita eſſent poſita, quemadmodum perſonabant. Quæ cum ſæpius repeti juſſimus, ad præfati fratris & coepiſcopi noſtri relatione impedimenta veſtræ ſanctitatis, & occupationes miniſtrorum ſedis apoſtolicæ pro diverſis & maximis negotiis audivimus, geſta ſynodi ab exiguitate noſtra ſublimitati veſtræ per eumdem fratrem noſtrum ſecundum canones ſacros directa, ab eo, cui nobis inde juſſiſtis, ſicut ipſæ literæ monſtrant, reſcribere, ex integro relecta non fuiſſe advertimus. Sed & epiſtolam noſtram de eiſdem actionibus auctoritati veſtræ tranſmiſſam ſtudio neceſſario eum non relegiſſe comperimus. Scriptum eſt enim in epiſtola ſanctitatis veſtræ nobis directa hoc modo; Igitur de Hincmari Laudunenſis eccleſiæ epiſcopi depoſitione pontificio noſtro ſcripſiſtis, quatenus de eo ſecundum quod canonicum eſt, vobis reſcribere juberemus. Primo denique veſtræ reſpondemus caritati, quia cum clamaret in ſynodo, ſe ad ſedem apoſtolicam velle incunctanter venire, atque in præſentia ejus pro objectis ſibi ab adverſario criminibus reſpondere, damnationis in eum non erat proferenda ſententia. Tamen ſicut in ipſius concilii actionibus legitur, quoniam ſalvo in omnibus judicio ſedis apoſtolicæ illum ab epiſcopis fuiſſe judicatum aſſeritis: nos autem, non aliqua contra quoſlibet commoti invidia, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus & auctoritate apoſtolica, quia nullius partis favorem aut obſequium, ſed rei geſtæ veritatem magis invenire cupientes, jubemus ipſum Hincmarum Laudunenſem epiſcopum ad limina ſanctorum apoſtolorum, noſtramque venire præſentiam. Quo ſane veniente, veniat pariter accuſator idoneus, qui nulla poſſit auctoritate legitima reſpui; & tunc præſentia noſtra, & totius ſedis Romanæ ſynodali collegio, cauſa illius prudenti ventilata examine ac diligenter inquiſita, ſecundum Deum & ſacrorum canonum conſtitutiones ſpiritu Dei prolatas, ſine protelatione aliqua finietur. A qua reprehenſione noſtra, quod accuſemur, quia cum clamaret in ſynodo, ſe ad ſedem apoſtolicam velle incunctanter venire, atque in præſentia ejus pro objectis ſibi ab adverſario criminibus reſpondere, damnationis in eum non erat proferenda ſententia, beati Petri apoſtolorum



ANNO CHRISTI 871.

primi pro modulo noſtro imitantes exemplum, per quem ſumpſimus religionis exordium, nos minores apud vos potiores humiliter excuſare ſatagimus; quia ille, ut in ſacra hiſtoria legimus: reprehenſus a minoribus ſuis, cur ad gentiles intraſſet, & comediſſet cum eis, & cur eos in baptiſmate recepiſſet, querelam minorum ſuorum humili ratione placavit, atque in cauſa reprehenſionis ſuæ teſtes adhibuit dicens: *Venerunt autem mecum ſex fratres iſti*. Quam excuſationis noſtræ ſatisfactionem tanto vos placabilius acceptare confidimus, quanto nos in ea ipſius exemplum ſequi velle cognoſcetis, cujus ſedi divino conſilio præſidetis. Unde nunc nobis non eſſet neceſſarium excuſare, ſi is quem nobis juſſiſtis reſcribere, ad locum in geſtorum ſynodalium ſerie legiſſet, quod ibi antequam damnationis in Hincmarum proferretur ſententia, ſcriptum eſt ita: Tunc lectæ ſunt in ſynodo ab Adalgario diacono ſententiæ canonum, ita eo dicente: Sardicenſes canones decreverunt, ut ſi aliquis epiſcopus judicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, ut iterum concilium renovetur: ſi vobis placet, ſancti Petri apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his qui cauſam examinaverunt Julio Romano epiſcopo: & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem cauſam eſſe, ut non refricentur ea quæ acta ſunt, quæ decrevit confirmata erunt. Et Innocentius papa decrevit, ut ſi majores cauſæ in medio fuerint devolutæ, ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt judicium epiſcopale referatur. Et Bonifacius papa dicit: Nos per omnes provincias literas dirigemus, ne excuſationem ſibi ignorationis Maximus obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, & illic ſe conſtituto præſentare judicio. Quidquid autem veſtra caritas de hac cauſa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, noſtra, ut concedet, neceſſe eſt auctoritate firmetur. Et S. Leo papa decrevit: Si quæ, inquiens, aliæ emerſerint cauſæ, quæ ad ſtatum eccleſiarum, & ad concordiam pertineant ſacerdotum, illic ſub timore domini volumina ventilentur, & de componendis atque compoſitis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea quæ juxta eccleſiaſticum morem juſte & rationabiliter fuerint definita, noſtra quoque ſententia roborentur. *Cetera deſiderantur*.

Act. 11. — Conc. Sardic. can. 5. — Decret. cap. 10. — Decret. c. 3. — Decret. cap. 49.

## NOTA JACOBI SIRMONDI, S. J.

*Concilium Duziacenſe*.) Synodi hujus menſes & locum indicat Hincmarus junior in reclamatione quam Joanni papæ obtulit in ſynodo II. Tricaſſina: *A Rhemorum*, inquit, *archiepiſcopo ad ſynodum ſum vocatus ad Duziacum villam, quam conſtituit hebdomada prima menſis Auguſti, & monuit me de certis cauſis paratum eſſe ibidem ut reſponderem*. Nomen hodieque retinet locus ultra Moſam, haud procul Moſomo, in finibus Rhemenſis diœceſis. Olim Duodeciacus vocabatur.

Hodie, Douzi les Prez.

## NOTA SEVERINI BINII.

a *Concilium*.) De rebus in hac ſynodo geſtis Aimoinus lib. 5. cap. 24. in fine hæc ait: *Interea poſt de multis impetitus, præcipue autem de inſubjectione & inobedientia erga ſuum * archiepiſcopum. Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, ut ſe ab impetitis expediret, in ſynodo epiſcoporum decem provinciarum libellum propria manu ſubſcriptum porrexit, hæc continentem.*

* regem Carolum.

Juramentum Hincmari Laud. epiſcopi.

*Ego Hincmarus eccleſiæ Laudunenſis epiſcopus amodo & deinceps domino ſeniori meo Carolo regi ſic fidelis & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & epiſcopus per directum ſuo regi eſſe debet, ac privilegio Hincmari metropolitani Rhemorum eccleſiæ, ſecundum ſacros canones & decreta ſedis apoſtolicæ ex ſacris canonibus promulgata, pro ſcire & poſſe me obedientem profiteor. Et ſubſcripſit.* Hucuſque Aimoinus. Facta ſunt hæc in ſynodo Duziacenſi in Rhemenſi provincia congregata. Sed quoniam nec iſta ſatis fuere ipſi, ne damnaretur ab epiſcopis, hac de cauſa ſedem apoſtolicam appellavit, quam ne adiret, tum rex, tum epiſcopi, a quibus damnatus fuerat, aliquamdiu impedimento fuere. Quæ cum Hadrianus audiſſet, cum rege & epiſcopis ſtudioſe literis egit, ut ſineretur idem Hincmarus Romam ſe conferre: qua etiam pendente cauſa (ut dictum eſt) idem rex Carolus legatum Romam miſit Actardum ad Hadrianum pontificem.

Porro hanc legationem revera eſſe diverſam a priori, ne quid dubites, illud certum reddit, quod illa contigit anno domini octingenteſimo ſeptuageſimo: hæc autem hoc anno, ut ex ejuſdem Hadriani literis ſupra excuſis intelliges, quæ datæ habentur hoc anno, ſeptimo Kalendas Januarii, indictione quinta inchoata.

Duæ legationes Actardi epiſcopi.

## OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

Nec plura de prima hac Duziacenſi ſynodo poſt Binium Sirmondus publicam emiſit in lucem anno 1629. Verum anno 1645. cum me præſente luſtraret inſtructiſſimam V. C. Alexandri Petavii ſenatoris Pariſienſis integerrimi manuſcriptorum codicum bibliothecam, incidit in theſaurum hactenus ſibi ignotum, peritaque ac impetrata ab humaniſſimo ſenatore deſcribendi licentia, a tenebris concilii hujus acta feliciter vindicavit, & poſt aliquot annos R. P. Ludovico Cellotio, hiſtoriæ Goteſcalcanæ ſcriptori toto orbe celeberrimo publicanda conceſſit: quod anno tandem 1658. peractum eſt, typis Cramoſianis in 4. Unde tibi quæ ſequuntur, lector, plena manu liberalique animo communicamus non ſervato tamen in omnibus eodem quem collector ſequutus eſt ordine.

## LUDOVICI CELLOTII. PARIS. S. J.

PRÆFATIO IN ACTA CONC. DUZIACENSIS I.

QUod hic vides (benevole lector & catholice) ſpolium vetuſtatis eſt, non obſoletæ; munus novitatis, non delicatæ: Gallicanæ opus eccleſiæ; nec florentis, ut procul a primitiva, neque languentis, ut noſtris moribus non propinquæ. Ætas Chriſtum inter, & nos media huic operi, & materiam fecit, & formam. Locum in conciliis Galliæ deſignavit editor Jacobus Sirmondus ἐ μακαρίτης, non dedit. Concilium Duziacenſe verbo tenus appellavit, paucas ejus partes, neque omnes integras deſcripſit. Acta Romam miſſa per Actardum non extare profeſſus eſt, & quidem veriſſime, quis enim extare putet ſcripta tineis ſolis blattiſque expoſita ad rodendum? Fecit Deus poſt illam editionem ut in ejus manum feliciter tali librorum generi obſtetricantem, veniret, dum Petavianam bibliothecam reconditioris doctrinæ apothecam excutit & indagat. Prætererat collocandi cum ceteris conciliis occaſio exquiſitis, pro more, notis illuminare non ſinebat ætas ingraveſcens; prælo committere rudem maſſam, atque imperfectam vetabat elegans hominis genius. Dum ipſe jam affectis vacat opuſculis, & eruditum ſibi ſepulcrum ſtruere pergit, poſtremo vitæ anno, iſtud, quaſi exceptum hereditati, donatione inter vivos ad nos tranſire voluit, ne periret poſteritati, quacumque tandem manu publicaretur. Et hæc literarum jactura eſt, prodire non a Sirmondo. Habe, lector, vel a me, & munus æſtima, non donantem.

Unde & quomodo prodeat hoc concilium. — Conc. Gall. tom. 3.

Ejus vero ſuſceptorem te advoco, & hunc diem operi per te luſtricum eſſe cupio. Dic, amabo, quo nomine velis appellari? Concilium, an hiſtoriam, an apologiam? Certe concilium eſt, hortatu pontificis ex octo, vel ſi mavis, decem provinciis Galliæ pro cauſa eccleſiaſtica legitime coactum, cui metropolitanus præfuit, rex interfuit, recto ordine juxta canones omnia geſta, per epiſcopum legatum Romam miſſa. In iis ſi nævus aliquis Hadriano II. diſplicuit, tamen poſtea ex aſſe Joanni VIII. probata ſunt. Hiſtoria nihilominus cenſeri poteſt, & debet, temporum perturbationem, tumultus ab improbis excitatos, bonorum ſtudium laboremque in iis componendis, jucunda rerum varietate aperto ſtylo deſcribens: quæ quia ſcriptoribus hactenus fuit incognita, næ illi graves in errores impegerunt. Nam læſos aliorum

Eſt verum concilium provinciale. — Admodum utile hiſtoriæ eccleſiaſticæ.

ANNO CHRISTI 871.

rum injuria; ſuo inſuper judicio cruentant: Eccleſiæ regnique perduellibus laudum encomia plenis manibus largiuntur, viros ſanctiſſimos infamia ſchiſmatis dedecorant, pacis & tranquillitatis publicæ perturbatores pene martyrii titulo cohoneſtant. Has calumniarum nebulas concilii narratio diſſipat, & facta omnia, doteſque ſingulorum in aperta veritatis luce conſtituit.

*Ex qua multorum innocentia cognoſcitur.*

Hinc apologia clarorum hominum virtuti atque innocentiæ comparata, Caroli Calvi regis Chriſtianiſſimi, Hincmari ſenioris Rhemenſis archiepiſcopi, epiſcoporum triginta qui per ſe ipſi, vel per legatos concilium fecerunt, æquorum nominibus infamiæ labem abſtergere, & memoriam debito ſplendori reſtituere, publicæ rei, & morum bonorum intereſt. Nam pro ſchiſmatico traducitur a quibuſdam, hujus ipſius concilii gratia, Carolus Calvus, ut qui ne pilum quidem boni viri habeat, cujus patientiam in injuriis ab homine eccleſiaſtico illatis, obſervantiam adverſus ſacros antiſtites, magnificentiam in ornandis eccleſiis hoc in concilio miraberis: ac deinde ab eo qui concilium probavit pontifice ſic compellatum audies. *Vere enim, filiorum cariſſime, cor veſtrum in manu Dei eſt, quia ejus* * *conſulta univerſa diſponitis, & ſapienter imperium vobis collatum moderari ſtudetis: quia ex utero matris crevit vobiſcum ſapientia, & rectitudo fuit dilecta amica veſtra.* Hincmaro archiepiſcopo Rhemenſi Janſeniana factio in primis infenſa, ob Gotteſcalcum patriarcham virgis ſuppoſitum, conciliorum tyrannum, omnimodæ nequitiæ architectum, nepotis epiſcopi carnificem, ex hoc concilio appellat; quem modis omnibus a nepote peſſumdatum, in cauſa capitali recuſatum, in ſententia dicenda poſtremum leges in actione concilii. Concilium totum accuſant alii contemptæ apoſtolicæ ſedis, imminutorum jurium Romani pontificis, damnati contra jus faſque reclamantis epiſcopi, & Romam appellantis: in quo frequenter audies hortantes epiſcopos ut Romam appellet; objurgantes quod religioſum iter, ne invitante quidem pontifice, aggrediatur; monentes ut quam ferunt ſententiam in reum convictum, ea ſalvo per omnia ſedis apoſtolicæ judicio privilegioque ſubdatur. Non credidit nobilis ille conſeſſus, in quo plurimos videbis ſanctitatis gloria ſuis in eccleſiis celebres, veram appellationem dici oportere, quæ multis nominibus illuſoria eſſet, quæ ab homine ſeditioſo, ad audaciam confirmandam, contra regni tranquillitatem, honorem eccleſiæ, ſacrarum legum intentionem, jam tertio, in procinctu damnationis, fruſtra & inaniter objiceretur judicibus, non ſemel anto deluſis. Habebat in ore canones a conciliis prioribus, & pontificibus Romanis conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, quos accurate ſequeretur: & ab Hincmaro concilii præſide vix quicquam abſque citata canonis auctoritate factum reperies, qui etiam prædeſtinatianum monachum ſecundum *canones & regulas* vapulare juſſit in ſynodo.

*Carolus Calvus non fuit ſchiſmaticus.*

Joan. VIII. ep. 23.

* forte conſulta Hincmarus Rhemenſis per vim nihil egit. Patres concilii Romanæ ſedis obſervantes.

*Inter pontificem & concilium diſcordia.*

Quam igitur ob rem, inquis, ex hoc concilio nata eſt inter Carolum regem, cum antiſtibus ſuis, & pontificem Hadrianum diſcordia? Cur acerbiores ultro citroque ſcriptæ epiſtolæ? Quare concilii judicium, ſi fuit ad canones exactum, reſcidit ſupremus judex, cauſam omnem ad ſuum tribunal revocavit, & factus eſt de judice defenſor & patronus? Audi pacate dum ſatisfacio. Primo aſpectu jus ſacrum, ab incunabulis eccleſiæ uſitatum, Romam appellandi, læſum eſſe credidit pontifex, hinc ſententiæ in appellantem dictæ ſuſpenſio, & graves ad regem & concilium literæ. Doluerunt iſti vehementer ea pontificis voluntate, & rebellis epiſcopi pervicacia, qua liberari ſperaverant, referri ſe in præteritos tumultus; deſperarunt ullo modo quietem regno; atque eccleſiæ poſſe reſtitui, ſi pontifex Hincmarum patrocinio, Hincmarus perduellionem impunitate foveret. Sic iracundius reſponſum Hadriano. Eſt autem de hiſtorico quopiam pontificibus parum æquo dictum, quod vulgo probatur ab omnibus: *Quis illi non parcat ſi ſcripſit iratus?* quod ad anteriores illos referre quid vetet?

*Non ſatis conſulto nata.*

Video animum tuum, Lector, hiſtorica licentia de veterum geſtis arbitrium dicere geſtientem, ut utrimque plus æquo humanitati eſſe indultum pronuncies. Potuit enim animadvertere pontifex, cauſam ſibi reſervatam, reum ad appellationem invitatum eſſe a patribus, promiſſum a rege ſubſidium ad ejus proſecutionem, abuti furioſum hominem appellationis nomine, qui rem non ſemel antea contempſiſſet: rogare ſuppliciter concilium, ut res judicata perſiſteret. Quæ hic ſuſpicio contemptus, quæ umbra ſchiſmatis? Quid eſt igitur cauſæ cur tantopere pontifex excandeſcat? Ex adverſo debuit expendere concilium, quid exigeret Hadrianus, quid concederet? Judicio peracto probabant antiſtites Galli appellationem ab Laudunenſi opponi, ſuis etiam regiiſque facultatibus juvare parati. Hoc ipſum erat quod poſtulabat pontifex, retractari apud ſe judicium, quodque in Rothado & Wlfado olim fecerat Nicolaus. Optaverant alterutrum præſules, ut aut ex omni parte ſententia confirmaretur a pontifice; aut certe ſi quid mutatum vellet, pendente lite, depoſitionem non tangeret, non attigit pontifex, contentus vetare, ne quis ſucceſſor in locum ita depoſiti ſubrogaretur. Actardum Namnetenſis epiſcopatus bonis hoſtili manu exutum, legatum delegerunt patres, qui ſimul & acta concilii deferret ad pontificem, & ab eo alicujus beneficii gratiam emereretur: archiepiſcopum Turonenſem creavit pontifex, vel eo facto teſtatus non damnari a ſe concilium, cujus legatum extolleret. Unde igitur in ſacrum caput tantæ animis cæleſtibus iræ.

ANNO CHRISTI 871.

*Bevi fuit.*

Sed hæc nubecula fuit, gratiorem cælo Gallico ſerenitatem mox factura. Nam paulo poſt, imperium pontifex placato regi promiſit, ſucceſſor contulit. Carolus Hincmarum depoſitum turbare pergentem ſupplicio coercuit, tacente Hadriano. Profectus eſt Romam Carolus, venit in Galliam Joannes VIII. Concilium Trecis habuit, ad quod amantiſſime Rhemenſem Hincmarum invitavit. Et dubitas quin plurimi cum eo Tuziacenſis concilii patres advenerint, cum Hodonem Belvacenſem ab eo invitatum ſcribat Flodoardus? Audita eſt illa in ſynodo depoſiti Laudunenſis querimonia, & rejecta: confirmatus in ſede ſucceſſor, antea juſſus eligi: cæcus ad partem unam ſacerdotalem pontificia commiſeratione admiſſus, non tam diu vixit privatus, quam ſero mortuus eſt miſer. Hic finis ingentis illius ſchiſmatis, quod aliqui horrere ſe dicunt. Eo pervenerunt illa diſſidia, quæ Gallicanam eccleſiam a Romana, eccleſiarum omnium matre & magiſtra, creduntur avellere potuiſſe.

*Injuria ... huic ...*

Quæ omnis apologia pro concilio, de ipſo concilio deprompta eſt, quod proinde funditus noſſe neceſſarium eſt. Ab eo tamen ſi digredimur ad Gratiani collectionem, ejuſque gloſſam, in ea nihil admodum parebit, quod efficaciter opponi debeat: quin potius juvabunt plurima, & majores noſtros omni ſchiſmatis ſuſpicione liberabunt. Ibi enim appellatio definitur proprie, *Provocatio iniquæ ſententiæ querelam continens.* Poſt latam ergo ſententiam aſſumenda, quod unum volunt Duziacenſes. Eſt *remedium quo cauſa vitiata ſublevetur.* Quid autem in ſynodo vitii deprehendere poteſt Laudunenſis? imo quid in vita ipſius vitii non reprehendit ſynodus? *Ad Romanam eccleſiam ab omnibus, maxime tamen ab oppreſſis appellandum eſt, & concurrendum quaſi ad matrem, ut ab ea omnes oppreſſi auxilium, & injuſte damna reſtitutionem petant.* Lecto concilio tuum erit judicium. Lector, ſitne oppreſſus ab aliquo Laudunenſi, an alios oppreſſerit? ſitne damnatus injuſte, qui juſtam trium ſynodorum damnationem arte effugit? *Quicumque non confidentia juſtæ cauſæ, ſed cauſa afferrendæ moræ, ne contra eum ſententia proferatur, appellaverit hujuſmodi appellationes non recipiuntur.* Quid autem aliud tribus in ſynodis fecit Hincmarus? *Ceterum ſi cauſa fruſtratoriæ dilationis appellaverit, a judice ad quem provocatum fuerit, condemnabitur.* Quæ vero magis eſſe poteſt appellatio fruſtratoria, vel quæ eo nomine dignior, quam Hincmariana illa toties interjecta, nunquam tentata? *A judicibus quos communis conſenſus elegerit, non licrat provocare.* At provocavit Hincmarus apud Attiniacum, & quidem, quod nefas eſt, ab eccleſiaſticis ad laicos abſque metropolitani conſenſu. *Ei qui appellat impertitur annus, intra quem ſecundum ſe communiter cum adverſario litem exequatur: aut ſi juſta cauſa interceſſerit, annus alius indulgeatur, quo tranſacto, lite non completa, rata manet ſententia.* Quæ cauſa Laudunenſem coegit ultra triennium domi reſidere, & ne pontificis quidem invitatu, non regis conceſſione, non metropolitani hortatu religioſum iter aggredi?

*Non ... Rhemenſi ... Nicolai.*

Dies me deficiet ea colligentem ex Gratiano, aliiſque canoniſtis, quibus Hincmari appellatio debilitetur, atque adeo Duziacenſium patrum facto robur addatur. Neque quicquam illis nocere poteſt Hincmari Rhemenſis, qui concilio præſedit, producta in Gratiano vehemens reprehenſio, a graviſſimo pontifice Nicolao I. facta: quando & aliter decernenti pontifici ſumma animi demiſſione paruit archiepiſcopus, & illud judicium per calumniam exprobranti nepoti ſapienter reſpondit avunculus, ut hoc in concilio perſtringitur, & nos in hiſtoria Gotteſchalci fuſius explicuimus. Neque vero cauſa Rothadi, vel omnino caſus ullus a Gratiano ſignificatus, huic Laudunenſis contumaciæ ſimilis eſt. Recte autem Fulbertus Carnotenſis illorum temporum pene æqualis, pronunciavit, *nihil valere exemplorum inductione, ubi neque perſonarum, neque negotiorum ſimilitudo conſequitur.* Quamobrem, ut tandem deſinam præſtanti concilio patrocinari, hac gemma ſi bene te novi (Lector catholice) venenum ſchiſmatis non bibes, ut aut notam ullam majoribus noſtris inuras, aut de Romanæ ſedis jure ac dignitate, tali abuſus exemplo quicquam detrahas.

Quod



ANNO CHRISTI 871.

*Hujus concilii editio non eſt importuna.*

Quod ſi me quoque dignum apologia judicas, quod ad piorum ſcandalum obducta vetuſtate vulnera hujus concilii editione refricentur, & in ſacratiſſimi ordinis dedecus Laudunenſis epiſcopi ſcelera publicentur. Reſpondeo expeditiſſime, Rhemenſis Hincmari ſcriptis, & hiſtoria Flodoardi, aliiſque libris ante jam editis culpam illam, ſi quæ eſt, fuiſſe contractam: poſſe ſæculo noſtro vulgari, quod nono ab ipſis epiſcopis in luce totius Galliæ publico judicio geſtum eſt. Hiſtoriam accuſari a te quæ facta narrat, ut hominem excuſes, qui fecit peſſime. Sua quemque dedecorant crimina; nihil eſt privatorum vitiis cum ordinis ſanctitate commune: niſi fortaſſe regum omnium intereſſe vis, quod adulterium homicidiumque Davidis ſcriptura propalat: aut regum filios in Amnonis inceſtu, vel Abſalonis fratricidio, ac perduellione partem aliquam habere arbitraris. Morum ſcientia præceptis, hiſtoria exemplis, humanitatem totam explicant, virtutibus vitiiſque conſtantem. Leges divinæ atque humanæ præmio pœnaque propoſitis quid ſequi, quid cavere debeamus, edocent. Paucorum impietas vindicata, omnium diſciplina eſt. Quæ peccavit Hincmarus in oppido, improbarunt plurium provinciarum epiſcopi ſanctiſſimi, & etiamnum damnat poſteritas. Illud beneficii genus debemus hiſtoriæ. Supremum in homines, &, mea quidem ſententia, longe graviſſimum improborum ſupplicium eſt, poſteritatis memoria: illam horrent etiam in ſui ſimilibus ſcelerati, nec ullus ſuccenſet hiſtoriæ, niſi qui de ſe prior confitetur.

*Quædam omiſſa ſunt ſive ... ?*

Quæris ad extremum, totum-ne concilium, quale ac quantum eſt, exhibeam? & repetundarum accuſas ſi quid detraho. Non poſſum diſſimulare, quod invitiſſimus patior, minorem capite produci, quod temporis latrocinium eſt, ab ipſo fortaſſe aliquando reſtituendum. In fine truncando, fateor ingenue arbitrii mei pluſculum reperiri. Quamvis enim, vetet indicis Tridentini regula *in libris catholicorum veterum mutari quicquam*, duplicem tamen laciniam oculis tuis ſciens volenſque ſubduco, infirmioribus animis aliquo modo ſuſpectam, nullo neceſſariam. Prior eſt, contentioſa illa de qua dictum, Caroli regis ad pontificem Hadrianum epiſtola, quam in rhapſodiis aliis poteris aliquando legere; quam ex hac quidem cum Laudunenſi contentione natam, & poſt iſtud concilium ſcriptam fatemur, ſed non ſolius occaſione ſynodi, quando rex mitiſſimus collectam ex longo iracundiam a turbulentiſſimi hominis nequitia excitatam, eo ſcripto videtur profudiſſe. Poſterior eſt, Reſcriptum epiſcoporum Duziacenſium ad literas Hadriani, quibus cauſam Laudunenſis jubet retractari, & latum in appellantem judicium non probat. Nam cum ejus reſponſi prima pars a Sirmondo primum ſit edita, deinde in concilia regia immiſſa; tertia lacunis fœde hiantibus ne divinationi quidem criticæ pervia, operæ pretium non putavi in media parte deſcribenda tempus ponere, quæ merum Hincmari multiloquium complectitur.

V. Baron. ad an. 871. to. 9.

Hadrian. ep. 32. al. 27.

Sirm. to. III. concil. Gall. Conc reg. to. 23. In fine.

*Nova alia ad ... adita.*

Verum qualis eacumque jactura eſt, cumulatiſſime compenſatur appoſita coronide ex opuſculis Hincmari utriuſque pro eccleſia, proque Laudunenſis epiſcopii poſſeſſionibus adverſus vim aulicam certantis: quæ quia ſerius in manus meas venerunt, de iis poſt concilium ſuo tantum ordine locoque dicetur. Unum addo, partium & capitum ſectiones quæ parent in concilio ex MS. vel apographo non eſſe, ſed a me tædii vitandi gratia eſſe additas, non ſine ſcriptorum aliorum frequentibus exemplis. Fruere, lector, hoc labore, & veritati conſtanter lita.

# TESTIMONIA VETERUM

## AD CONCILIUM DUZIACENSE I.

## Et Hincmarum Laudunenſem epiſcopum ſpectantia.

### HADRIANUS II.

*Epiſt. ad epiſcopos concilii Duziacenſis.*

Hadr. ep. 32. in Sirm. 27.

HAdrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverendiſſimus & ſanctiſſimis confratribus noſtris archiepiſcopis & epiſcopis, qui apud Duziacenſem provinciæ Rhemenſis ſynodum convenerunt. Caritatis veſtræ literas, per Actardum venerabilem coepiſcopum & glorioſi regis Caroli legatum ſuſcepimus: & quid de eo ad ſuggeſtionem & deprecationem noſtram egeritis, non ſolum in eis, verum & per ipſum cognovimus. *Et infra.*

Igitur de Hincmari Laudunenſis epiſcopi depoſitione, pontificio noſtro ſcripſiſtis, quatinus de eo ſecundum quod canonicum eſt, vobis reſcribere juberemus, *&c.*



ANNO CHRISTI 871.

*Idem epiſt. ad Carolum regem.*

Hadr. ep. 34. in Sirm. ...

De pontifice Laudunenſi Hincmaro, a præſulibus decem provinciarum depoſito, & a metropolitano ſuo, venerabili fratre Hincmaro archiepiſcopo, reſervato per omnia hujus primæ ſedis privilegii judicio, cumulata in ſynodalibus literis, & præfati metropolitani, & veſtris, nec non in libello reclamationis cleri & plebis Laudunenſis, ſeu in libello continenti ſeriem geſtorum ſynodi, tanta turpia, tanta dictu nefanda, tantaque execranda & auctorem ſuum damnantia referuntur, ut incredibilia ab ignorantibus, *&c.*

### CAROLUS REX.

*Epiſtolæ ad Hadrianum papam.*

Apud Hincmar. ep. 43. tom. 2.

Valde mirati ſumus ubi hoc dictator epiſtolæ nobis per Actardum epiſcopum delatæ ſcriptum invenerit, eſſe apoſtolica auctoritate præcipiendum, ut rex correctór iniquorum, & diſtrictor reorum, ac ſecundum leges eccleſiaſticas atque mundanas ultor criminum, reum legaliter ac regulariter pro exceſſibus ſuis damnatum, ſua fretum potentia Romam dirigat. Maxime autem illum, qui & ante depoſitionem contra cuſtodiam publicam, & contra quietem moliri in tribus ſynodis extitit deprehenſus, ſicut in geſtis epiſcopalibus paternitati veſtræ directis continetur: & poſt depoſitionem ſuam, & per ſe, & per quoſcumque potuit, a ſua pervicacia non quievit, *&c.*

### JOANNES VIII.

*Epiſtola ad Hincmarum Rhemenſem.*

Joan. ep. 314. in Sirm. 2.

Quamvis de ſanctitatis tuæ judicio nihil dubitaviſſemus: quia tamen cariſſimus filius noſter Carolus invictiſſimus imperator, a nobis diligentiſſime percunctatus, circumſtantiam judicii a beatitudine tua coepiſcopiſque ſuis in Hincmarum dudum Laudunenſem epiſcopum prolati, apoſtolatui noſtro retulit, agnovimus juſtum fuiſſe omnino judicium. Neque enim tantus princeps niſi veritate fultum quicquam poterat affirmare, *&c.*

### HINCMARUS IPSE LAUDUNENSIS.

*Proclamatione ad Joannem in ſynodo Tricaſſina.*

A Rhemorum archiepiſcopo ad ſynodum ſum vocatus ad Duziacum villam, quam conſtituit hebdomada prima menſis Auguſti, & monuit me de ceteris cauſis paratum eſſe ibidem, ut reſponderem. Ad quam cum feſtinaſſem, *&c.*

### FLODOARDUS IN HIST. RHEMENSI.

*De epiſtolis Hincmarus Rhemenſis ad diverſos.*

Item convocans eum ad ſynodum, ubi Hadriani papæ mandata tractanda erant. L. 3. c. 22.

Item pro conventu ſynodali ſuper reſponſione ad epiſtolam Hadriani papæ. Ibid. c. 23.

Item pro ordinationem Hedenulphi ſecundum juſſionem Joannis papæ, ad epiſcopatum Laudunenſem, diu paſtore vacantem.

Item cum Vvaltero Giſleberto, & Angelino epiſcopis, ut convenirent ſecum ad peragendam juſſionem præfati papæ Joannis, inter Hedenulphum & Hincmarum Laudunenſes epiſcopos, cum ſacrorum obſervatione canonum.

Item pro mandatis papæ Joannis, de Hincmaro Laudunenſi, ad eumdem Arulſum ab eodem papa directo, quid illi ſit obſervandum.

Hedenulfo, quem poſt Hincmarum Lauduni ordinaverat epiſcopum, pro quibuſdam diaconis quos ei dirigebat ad ſacerdotium provehendos.

Ut ſecundum ſacras regulas, cum conſilio coepiſcoporum & viſitatoris epiſcopii Laudunenſis, quia tunc epiſcopus ibi non habebatur, inde domino aſpirante decernatur. Ibid. c. 25.

Iſemberto illuſtri viro amico ſuo, precans pro Hincmaro nepote ſuo, quem miſerum appellat, utpote qui pro exceſſibus ſuis tam gravia ſuſtinebat, petenſque ut illum in ſuis neceſſitatibus adjuvaret. Ibid. c. 26.

Item de Nicæna ſynodo, & de abjectione vel reſtitutione Hincmari Laudunenſis epiſcopi. Ibid. c. 29.

ANNALES BERTINIANI AD AN. DCCCLXXI.

Hincmarus Laudunenſis nomine tantum epiſcopus, homo inſolentiæ ſingularis, contra veritatem evangelicam & apoſtolicam, atque eccleſiaſticam auctoritatem contra regem rebellans, &c. *quæ ſuo loco deſcripta ſunt.* Ut rex ſynodum in menſe Auguſto apud Duziacum conduceret, quatenus de illius pravitatibus regulare agitaretur judicium, *&c.*

AIMOINI SUPPLEMENTUM L. V. C. XXIV.

*De concilio apud Attiniacum.*

Interea poſt de multis impetitus (præcipue autem de inſubjectione regiæ poteſtati, & inobedientia erga ſuum archiepiſcopum) Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, ut ſe ab imperitis expediret, in ſynodo epiſcoporum decem B provinciarum libellum propria manu ſubſcriptum porrexit hæc continentem. Ego Hincmarus eccleſiæ Laudunenſis epiſcopus, &c. *Habetur ſuo loco.*

ADO [a] VIENNENSIS IN FINE CHRONICI.

[a] *Imo ejus continuator.*

*De concilio Tricaſſino.*

Quo tempore Joannes papa in Gallias venit, & apud civitatem Trecas diu moratus eſt, habuitque ſynodum epiſcoporum, in qua [b] Immaurus Lauduni [c] Davitti epiſcopus, poſt avulſionem oculorum, epiſcopatu eſt donatus.

[b] *l. Hincmarus.* [c] *clavati*

PARS PRIMA CONCILII,

C Sive, proclamatio Caroli regis adverſus Hincmarum Laudunenſem epiſcopum ſynodo porrecta.

Caput I. II. & III. deſunt.
Caput IV. carens principio.
V. *De inobedientia erga regem.*
VI. *Quod regiæ poteſtati reſtitit.*

PARS SECUNDA,

Scedula, ſive libellus expoſtulationis Hincmari Rhemenſis adverſus Hincmarum Laudunenſem in ſynodo recitatus.

PRÆFATIO.

D Caput I. *Quod palatii regii & abbatiæ adminiſtrationem contra canones obtinuit.*
II. *Quod ad eamdem abbatiam ſine licentia metropolitani contra canones perrexit.*
III. *Quod ad ordinationem epiſcopi Cameracenſis vocatus, venire, aut vicarium mittere contempſit.*
IV. *Quod regem ſine ulla ratione, vel neceſſitate offendit; & aliorum epiſcoporum parochianos excommunicavit.*
V. *Quod eccleſiæ ſuæ presbyteros & miniſtros illicite excommunicavit.*
VI. *Quod infantes in ſua parochia baptizari prohibuit.*
VII. *Quod pœnitentiam & viaticum morientibus dari vetuit.*
E VIII. *Quod ſepulturam mortuis in parochia ſua denegari præcepit.*
IX. *Quod de his exceſſibus monenti metropolitano ſuo obedire neglexit.*
X. *Quod profeſſioni cuidam ſubſcripſit cum conſenſu epiſcoporum aliarum provinciarum, poſtpoſito metropolitano.*
XI. *Quod ineptam decretorum collectionem compoſuit, eidemque indebite ſubſcripſit.*
XII. *Quod in ea collectione, ſanctorum patrum dicta ſenſuſque corrupit.*

A XIII. *Quod frequenter admonitus, excuſare culpas maluit, quam corrigere; & accuſatus in ſynodo, non expectato fine judicii fugam arripuit.*
XIV. *Quod fugam illam infirmis rationibus excuſare conatur.*
XV. *Quod res eccleſiæ, quæ controvertuntur, regi conceſſit Nortmanno tradendas.*
XVI. *Quod falſo dicit ſe detentum fuiſſe, ne Romam, quo appellabat, adiret.*
XVII. *Quod poſt fugam, Hincmaro Rhemenſi per literas ſignificavit, ſe Romam evocari a pontifice: quibus ab eodem Rhemenſi reſponſum eſt. Et quod contra ſuam profeſſionem venit.*
B XVIII. *Quod ſcedulam fictam, quaſi ab epiſcopis concilii Tullenſis conſcriptam obtulit, cui reſcripſit Rhemenſis, adhortans ad patientiam, & maturam rerum cognitionem.*
XIX. *Quod poſt fugam ab Attiniaco, relicto eccleſiæ judicio, ſæculares judices a rege expetiit, & judicata retractari fecit.*
XX. *Quod excommunicationi complicum Carlomanni poſt quartam admonitionem non ſubſcripſit.*
XXI. *Quod deinde ſemel ac iterum eadem de re monitus, obedire contempſit, & concilii Antiocheni canonem indiſcrete exponit.*
XXII. *Quod in quibuſdam Rhemenſem ipſum male reprehendit: & de pœna inobedienti irroganda.*
XXIII. *Quod Hincmaro eidem Rhemenſi traditionis crimen per calumniam imponit.*
C XXIV. *Illa calumnia tabulis teſtibuſque productis, a Rhemenſi diſſipatur.*
XXV. *Aliam nepotis calumniam de contemptu pontificiæ excommunicationis diſſipat avunculus.*
XXVI. *Senſum ſuum catholicum, de ſummæ ſedis apoſtolicæ in ſolvendo ligandoque poteſtate, publice profitetur Hincmarus.*
XXVII. *Quod plura falſo narrat de literis apoſtolicis ſecum non communicatis.*
XXVIII. *Quod vane gloriatur, excommunicationem a ſe factam a ſede apoſtolica probatum iri.*
XXIX. *Quod ſimilem excommunicationem ab ipſo Rhemenſi factam eſſe, falſo criminatur.*
D XXX. *Quod poſtulavit ut avunculus ſua adverſus ipſum ſcripta igni abſumeret. Iterum de ſuperiore calumnia, propter quam non debet ad accuſationem admitti.*
XXXI. *Quod excommunicationem a ſe factam fruſtra excuſare conatur.*
XXXII. *Refertur magna pars epiſtolæ Hincmari Laudunenſis de ſubſcriptione quam fecit in ſynodo apud Attiniacum.*
XXXIII. *Hincmarus archiepiſcopus ſuperiores objectiones vera rerum geſtarum narratione diſſolvit.*
XXXXIV. *Ejuſdem refutationis continuatio.*
XXXV. *Quod tertio vocatus ad ſynodum, non reſpondit, & ideo tractari debet ut contumax.*
E Concluſio, *Qua monſtratur, non obſtante appellatione ferri poſſe ſententiam.*

PARS TERTIA,

Sive, reſponſa epiſcoporum ad proclamationem regis.

Caput I. *Præfatio epiſcoporum.*
II. *De juramentis præſtitis & refragatis.*
III. *De ſeditione.*
IV. *De pervaſione.*
V. *De eo quod eccleſiæ bona regi tradidiſſe confitetur.*



ANNO CHRISTI 871.

VI. *De calumnia apud pontificem regi impoſita.*
VII. *De accuſatione regis ante conſtituta.*
VIII. *Quæ ſit pœna calumniatori conſtituta.*
IX. *De eo quod poſt ſacramentum homines ſuos ſine regis licentia emiſit e regno.*
X. *De inobedientia ejus erga regem.*
XI. *De eo quod regiæ poteſtati armata manu reſiſti fecit.*
XII. *De eo quod regi infideles a ſe fraudulenter emiſit.*
Concluſio, *Quorumdam criminum recapitulatio: & quod leges eccleſiaſticæ ſervandæ ſint.*

PARS QUARTA,

SIVE, ACTA SYNODI CUM HINCMARO Laudun. epiſcopo canonice vocato & præſente.

Caput I. *Ter vocatus ad ſynodum, tandem comparet.*
II. *Accipit a ſynodo petitionem regis, & literas Hadriani.*
III. *Denuo vocatus ter ad ſynodum, tandem advenit.*
IV. *Tandem præſens interrogatus in ſynodo, recuſat reſpondere, & regem calumniatur.*
V. *Convincitur in ſynodo, ſpoliati theſauri Laudunenſis eccleſiæ.*
VI. *Juſſus ad objecta reſpondere, Hincmarum metropolitanum judicem recuſat per calumniam; quæ ſtatim publice revincitur.*
VII. *Interrogatus de ſingulis accuſationis capitibus, neque ad illa reſpondens, teſtibus convincitur.*
VIII. *Hincmarus metropolitanus patres rogat ſententiam.*
IX. *Patres concilii adverſus Hincmarum Laudunenſem epiſcopum ſententiam dicunt.*
X. *Hincmarus metropolitanus adverſus Hincmarum Laudunenſem ſententiam depoſitionis pronuntiat ex ſcripto.*
*Subſcriptiones epiſcoporum.*

PARS QUINTA,

SIVE, EPISTOLÆ.

*Epiſtola ſynodalis ad Hadrianum papam.*
*Epiſtola Hincmari Rhem. ad eundem.*

CONCILIUM DUZIACENSE I.

In quo Hincmarus epiſcopus Laudunenſis tertium accuſatus, epiſcopali gradu dejectus eſt,

Apud Duziacum villam, menſe Auguſto celebratum, anno Chriſti 871. Hadriani papæ II. anno 4. Caroli Calvi regis 32.

*Ex codice MS. Alexandri Petavii ſenatoris ampliſſ. paulo ante obitum deſcriptum a R. P. Jacobo Sirmondo S. J. & opera Ludovici Cellotii ejuſdem ſocietatis presbyteri primum in lucem editum anno 1658. apud Sebaſtianum Cramoſium cum ampliſſimis atque eruditiſſimis notis.*

PARS I.

1 *Petitio proclamationis domini Caroli regis adverſus Hincmarum Laudunenſem epiſcopum in ſynodo porrecta.*

Multa deſunt e principio.

* * * * * * * * * * *

*Ex c. 4. libelli Petitionis Caroli regis.*

Quas habeo, profitetur, mihi conceſſit, ut eas

A Nortmanno beneficiarem. De quibus, poſt talia & tanta ſacramenta, & ſubſcriptionis ſuæ profeſſionem, ſicut præmiſi, antequam me inde cum archiepiſcopo, vel ceteris coepiſcopis ſuis, in ſynodo Rhemorum provinciæ, cum plures ſynodi in eadem provincia habitæ fuerint, compellaret; latenter me ad ſedem apoſtolicam ut diſtractorem rerum eccleſiaſticarum, per calumniam accuſare, miſſum ſuo nomine Celſanum, & literas ſuas tranſmiſit: ipſæ literæ domni apoſtolici, quas mihi idem Hincmarus in Cariſiaco, coram ſuo archiepiſcopo, & aliis archiepiſcopis, & epiſcopis, & pluribus fidelibus noſtris obtulit. Quæ ipſius Hincmari adverſum me accuſationem, apud apoſtolicam ſedem demonſtrant: dicente in his B mihi domno apoſtolico. [a] *Sicut enim gaudemus cum ſerenitatem tuam erga ſtatum eccleſiaſticum more paradoxorum ..... liberalitatem tuam tam literis ..... quam vocibus. Sic nimirum cum eam in aliquo diſtrahentem extra conſuetudinem ſuam conſuetudinem ſuam comperimus, tota cordis valetudine contriſtamur.* Dominus namque dicit, ſicut audio, judico: ita & domnus apoſtolicus, manifeſte demonſtrat, quia ſicut ex hac cauſa per Hincmarum literis & vocibus audivit, de diſtractione rerum eccleſiaſticarum, ita etiam ſcripto mihi mandavit. Et Hincmarus in ſcripto ſuo, quod mihi direxit, ita dicit: *Hanc autem villam idcirco, per eum,* id eſt, per apoſtolicum, *recuperandam eccleſiæ, cui indignus præſideo, dignum* C *duxi, quia omnibus caſſus, ut præmiſi, rebus, omni conſequenter deinceps extiteram veſtræ liberalitatis ſpe deſtitutus. Et tacere ulterius non fui auſus, cum per octo tranſactos penitus annos, nonoque ſere completo, ſatagens pro ea recipienda, defecerim. Ac per hoc quod ad modicum ſine diſpendio profuturo, tempus præfixo rationis modo indulſeram rebus, damnandus aſſenſor judicarer, ſi meo negligeretur torpore, quaſi conbibita abrogatione, quod veſtra erogatum fuerat devotione. Nihil vero in hoc ſaluti veſtræ contrarium, nihil veſtræ regiæ dignitati, domne digniſſime, feciſſe me putavi, vel puto obliquum, quoniam Romam miſi.*

Et idem in ſcripto ſuo dicit, quia *epiſcopi verba aut vera ſunt, aut ſacrilega.* Sed cum D domnus apoſtolicus mihi ſcripſerit, quia cum *diſtractorem me erga ſtatum eccleſiaſticum, tam literis, quam vocibus accepit, & comperit, tota cordis valitudine contriſtatur.* Quæ verba noſtræ regiæ ſaluti, atque regiæ dignitati ſunt profecto obliqua: quæ domnus apoſtolicus non de ſe protulit, ſed ſicut ab ejus ſcriptis vel vocibus a miſſo ſuo, ex ſua parte prolatis accepit, reſcribere procuravit. Et leges ſacræ decernunt, ſcriptura, vel teſtibus quemquam jure poſſe convinci. Ecce ſcripturam quæ eum convincit, me ad ſedem apoſtolicam mendaciter accuſaſſe, quia diſtraxerim ſtatum eccleſiaſticum: cum ipſe Hincmarus in ſcriptis ſuis confiteatur, mihi ad petitionem Chuonradi & Rodulfi eaſdem res E præſtitiſſe, ut illas Nortmanno beneficiarem: & Celſanus ipſam epiſtolam a ſede apoſtolica ſe detuliſſe negare non poteſt, in qua domnus apoſtolicus, ſicut literis & vocibus de me audiviſſe comperit, ſe mandaſſe manifeſtavit. Cujus teſtimonio, ut rectum eſt, credimus, quoniam non mandavit, niſi velut & literis & verbis Hincmari per miſſum ejus accepit: & ſancta ſcriptura oſtendit, duorum vel trium teſtimonio ſententiam confirmari.

Cum Hincmarum ſæpiſſime literis, & frequentibus tam eccleſiaſticis, quam & reip. miſſis

*Hadrian. ad regem epiſt. 12.*
[a] *Legend. videtur orthodoxorum*
*Laudunenſ. ad regem.*
*Villam Pauliacum.*
*Mendacii & calumniæ arguitur. Hinc. l. 55. Cap. c. 45. p. 534.*
*Item defectionis a rege, & perjurii.*

PARS I.

miſſis venire ad me vocaverim, & venire ad me contempſerit: & ad me relatione veriſimili pervenerit; quoniam cum Hlotario nepote meo illi convenerit; ut eccleſiam & plebem ſibi commiſſam deſereret, & in regno illius honores acciperet; unde in ſcriptis ejuſdem Hincmari quæ habeo, ſignificationes inveni: ad Laudunum miſſos meos direxi, & homines libero de ipſo epiſcopio, quibus ut ad me perventum erat, Hincmarus non permiſit ad me venire, quatenus ad me perducerentur: de ipſis hominibus qui ſacramento firmaverunt, ut de regno meo, ſine mea licentia non exirent; & in mea fidelitate verbis vel ſcriptis in regno meo vel extra regnum meum, miſſaticum non portarent; miſit Walconem & Bernonem; qui illud ſacramentum juraverunt; ad ſedem apoſtolicam furtim & latenter; atque mendaciter iterum me accuſare, ſicut ipſa epiſtola domni apoſtolici manifeſte demonſtrat pro villa Pauliaco, & pro aliis quæ hic audire poteſtis; & obtinuit talem epiſtolam in meam contrarietatem & inhonorationem; qualem a ſede apoſtolica nullus anteceſſorum meorum regum Francorum accepit. Et non ſuffecit illi quia in tantis ſacramentis, ſicut audiſtis, ſe perjuravit; & contra ſuam profeſſionem, & ſubſcriptionem fecit: ſed & prædictos ſuos homines perjurare fecit.

## CAPUT V.

*De inobedientia erga regem.*

*Apud Attiniacum palatium.* ISdem Hincmarus anno incarnationis dominicæ 870. 16. Kal. Jul. tertiæ indictionis, in ſynodo epiſcoporum decem provinciarum, quorum habemus nomina, dedit mihi libellum manu ſua ſcriptum, qui ita ſe habet. *Ego Hincmarus eccleſiæ Laudunenſis epiſcopus, amodo & deinceps domno ſeniori meo, Carolo regi ſic fidelis & obediens ero; ſicut homo ſuo ſeniori, & epiſcopus per rectum ſuo regi eſſe debet:* Et poſtquam hujuſmodi libellum in ſynodo mihi dedit, ſine mea licentia noctu fuga lapſus ab Attiniaco palatio noſtro diſceſſit. quem ad me venire mandavi, ut diceret, qua ratione aufugerit. Et ipſe mihi per Bertharium clerum ſuum literas miſit hæc continentes: *Epiſtola Laudun. ad regem.* *Sine mora, inſtanterque veſtræ dominationi occurrerem, ſicut pro poſſe agere conſuevi, niſi recidiva febri retinerer: & maxime dum nudo ſolis fervore perfundor ex rubea in me accenditur cholera, totumque corpus exæſtuare compellit.* *redundat ex* *Pronus igitur cordis ſupplicatione ad veſtros devolutus pedes efflagito, ut nulli meorum credatis clanculum, quia palam non audet, ſuggerenti inimico, quaſi me velle in aliquo a veſtra fidelitate deviare: de qua in quibuſcumque pro ſcire & poſſe, ut dignum eſt, cupio decertare: tantum ut mihi canonicæ inſtitutionis legem, ſine qua ſubſiſtere nequeo, conſervare dignemini. Illuſtres igitur ſuperni fomitis inſtinctus veſtri ſereniſſimi cordis aulam, ut licentiam ac liberam pro Chriſti clavigeri amore facultatem ejuſdem mihi adeundi limina, ad apoſtolicam etiam præſentaliter concedatis deprecationem.* *Licentiam poſtulat Romam proficiſcendi.* *In quo labore ab hac febrium vexatione me liberari quantocius confido; quoniam ab hac eadem olim erutus ſum hoc devovendo: & idcirco me repetit recidiva, ut implere non tardem bene devota. Superſedet quoque, ne ſi ſecus egero, etiam ob inobedientiam apoſtolica, ut ſcitis, auctoritate vocatus, merito judicer, ac eccleſiaſticis ictibus feriar.*

*Fruſtratoria appellatio.* Cui remandavi, quod mirabar valde, de eo quod mihi mandabat; ſe ad me venire non poſſe, in loco proximo febre detentus, & ſe poſſe Romam ire cum eadem febre, ut ab ea abſolveretur, mandabat. Veniret autem ad me, & ſic contra rationem, & auctoritatem illi Romam eundi licentiam non denegarem. Sed tunc ipſe venire non voluit. Poſtea autem circa Kalendas ſequentis menſis Septembris, in Silvacum ad me veniens, nihil mihi inde dixit. Deinde menſe Octobrio Remi mecum veniens; ubi & domni apoſtolici miſſi; & archiepiſcopus ejus fuit, nihil inde loquutus eſt. Poſtea in menſe Febroario Compendio per aliquot dies mecum fuit, & nihil inde petiit. Inde in menſe Junio, ſicut & ſuus archiepiſcopus, & alii ejus coepiſcopi, in Silvaco ad me venit, & nullam ſignificationem de ſuo itinere Romam oſtendit. Et non ſolum de die in diem, ſed & de hora in horam, quando ſibi videtur, & pro quibus ſibi videtur, apoſtolicam ſedem appellat, & ſe invitatum ab apoſtolico, & a me ſibi licentiam dari obtinere non poſſe proclamat. Verum & alia quæ mihi modo longum eſt enarrare, in ſuis ſcriptis meæ perſonæ imponit. Unde a veſtra epiſcopali auctoritate, conſilium & auxilium diu fatigatus expoſco, quatenus vel tandem ab illius vexationibus valeam requieſcere.

ANNO CHRISTI 871.

## CAPUT VI.

*Quod regiæ poteſtati reſtitit.*

INſuper hæc omnia, poſtquam eumdem Hincmarum, literis regio more, ad hanc ſynodum convocavi, ad quam eum & ſuus metropolitanus, & auctoritate domni apoſtolici, & ſua metropolitana ſolicitudine regulariter evocavit: quia comiti & miſſo meo præcepi, ut quoſdam liberos homines de regno meo ſibi commendatos, qui de infidelitate mea reputantur, & ſicut ad me perventum eſt, aufugere de regno meo parabant, ne ad rationem venirent, præcepi ut ſecundum legem Francorum, & antiquam conſuetudinem prædeceſſorum meorum regum, per fidejuſſores mitteret, donec ad rationem legaliter venirent: iſdem Hincmarus tam liberos, quam & colonos, & ſervos ſecum degentes contra meam regiam poteſtatem armari, & miſſis meis reſiſti fecit: ut quod ſecundum legem præceperam, miſſus meus legaliter implere non poſſet. Et miſſum ſuum Heribrandum ad me miſit, qui hæc penitus non denegavit: per quem mihi mandavit, ut epiſcopos & miſſos meos obviam illi tranſmitteſem, cum quibus libere & ſecure ad me venire poſſet. Et in ſequenti nocte eoſdem homines, ſicut & ipſe miſſis meis dixit, a ſe emiſit; & ſicut manifeſtum eſt, ne ad rationem venirent, fugam arripere in mea infidelitate præcepit. Quam rem novam, nec ante viſam exhorrui: cum de ſub illo cælo non legimus, ut epiſcopus militari manu, & in regno pacifico, regi reſiſteret, ut leges non adimpleret. Et ſacri canones dicunt, quomodo epiſcopus provincialis regulariter evocatus ad ſynodum venire debeat: & ſi pro certa cauſa venire nequiverit, apud primatem ſuum, & non apud alios, ſicut Hincmarus poſtpoſito metropolitano ſuo facit, per vicariam perſonam, cum tractoria ſuam excuſet perſonalem præſentiam, ſuumque regularem repræſentet conſenſum. Quod ſi ſecus egerit, manifeſtum eſt quid inde ſacri decernant canones.



ANNO CHRISTI 871.

*Libellus hic a ſeſtantibus epiſcopis expendendus:* Et hac perlecta, obnixe domnus rex petiit epiſcopos, ut quia Hincmarus eatenus venire ad ſynodum detrectabat, quid de his qui in ſua petitione continentur, ſcripturæ ſacræ & leges ac regulæ dicant, in unum colligerent, & ſcriptis alligarent: quatenus ſi forte Hincmarus veniret ad ſynodum, legaliter ac regulariter inter ſe ac ipſum Hincmarum diſcernerent.

PARS II.

*SCEDULA SIVE LIBELLUS expoſtulationis Hincmari metropolitani Rhemenſis adverſus Hincmarum Laudunenſem epiſcopum, in ſynodo recitatus.*

## PRÆFATIO.

*Nonnihil deeſſe videtur. Cæleſt. epiſt. 1. Matth. c. 18.* SAnctus Cæleſtinus ſynodo apud Epheſum ſcripſit, *Spiritus ſancti præſentiam teſtificat congregatio ſacerdotum. Certum eſt enim quod legimus, quia non poteſt veritas noſtra mentiri, cujus in evangelio ſententia iſta eſt, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum.* Quod certiſſimum retinens, veſtræ ſanctæ congregationi conſilium, & auxilium, ſicut & jam feci apud eos qui conventibus interfuerunt, ſcilicet in Vermeria, deinde in Gundulfi villa, & poſtea in Attiniaco, porrecta in ſynodo ſcedula de fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro expoſtulo: quem multis epiſtolis, quarum habeo exemplaria, ut a pertinaci contumacia ſua, erga metropolis ſuæ privilegium reſipiſceret, corripui; ſed corrigere non prævalui. *Laud. fruſtra ſæpe admonitus.* Nam poſt multas commonitiones, quibus apud eum nihil profeci, nuper 4. Idus Junias præſentis 4. indictionis, de his quæ in hac ſcedula breviter collecta ſequuntur: ſed & [6] de petitione Bertharii diaconi Laudunenſis, mihi adverſus eum directa, cujus exemplar hic habeo: pro loci mei officio, illum ad proxime futuram ſynodum invitans, ſcripto commonui, volens illum ſtatuere contra faciem ſuam: ut illa quæ coram Deo tecta, & coram hominibus oblita penitus cupiebam, alligata literis, & ad memoriam ejus reducta legeret, ac ſe intelligeret, ne quando eum regulare judicium raperet, quod effugere non valeret. *Bertharius diaconus. vide notas.* Et in indiculo quo ad hanc ſynodum eum vocavi, ſicut & ceteros provinciæ Rhemorum epiſcopos, illi ſuperaddidi: *Monetur ut ad reſpondendum ſe comparet.* *Sciat etiam tua fraternitas, eos qui adverſum te anno præterito apud me querelas ſuas depoſuerunt, & de quibus in ſynodo fuiſti apud Attiniacum impetitus, quoniam quæ conventa ibi fuerant, non es regulariter proſecutus, nunc iterum ſuas querelas deponere. Unde moneo fraternitatem tuam, ut ita inde præcogitatus & præparatus ad denunciatam ſynodum venias, quatenus querimoniæ indecentes epiſcopo ſopiantur: ne nomen bonum quod apoſtolica regula jubet habere epiſcopum, in tua opinione notetur; & ſicut idem dicit apoſtolus, non vituperetur miniſterium noſtrum. Dat. Prid. Id. Maii præſentis 4. indict.*

*Vide ſatisfactionis mittit collectionem quæ extat p. 147.* Unde exardeſcens ſicut ignis in ſpinis, mihi more ſuo prolixiſſimam rotulam 16. Kal. Julias præſentis 4. indict. per hominem ſuum nomine Chunibertum, exprobrationibus repletam, & calumniis reſperſam direxit. Cui hoc modo per compresbyterum noſtrum reſcriptum direxi: *Vocatur ad ſynodum Duziacenſem auctoritate pontificis.* *Domnus apoſtolicus Hadrianus miſit mihi epiſtolas de cauſis noſtræ diœceſeos, quas oportet in ſynodo legi. Propterea auctoritate ipſius domni apoſtolici, te ad proxime futuram ſynodum in Duziaco Rhemenſis parochiæ, Non. Auguſti præſentis 4. indict. venire commoneo. Data 3. Non. Julias præſentis quarta indict.* Igitur quoniam per me corrigere nequeo, veſtram conſultationem ac conſolationem inde ſimiliter adeo, ſi forte Spiritus ſanctus, qui ubi vult ſpirat, & cujus præſentiam ſancta congregatio veſtra teſtificatur, veſtris ſalubribus monitis, & Deo dignis orationibus, eum tandem aliquando corrigat, aut regulari medicamento inſolentiam ejus compeſcat: quoniam diutius eum ſine correctione, & propter Deum, & propter metropolitanam ſolicitudinem indigno mihi commiſſam, ſuſtinere non audeo. Præſertim cum & domnus papa Hadrianus me nuper apoſtolicis ſuis literis hinc commonuerit. Quæ ita ſe habent.

PARS II.

*Epiſt. Hadriani II. ad Hincm. Rhemenſem.* *Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo confratri noſtro Hincmaro archiepiſcopo: Fidelium relatione comperimus quod tua fraternitas debitum vigorem in provincia Rhemenſi non agitans, multa reprehenſione digniſſima a tuis comprovincialibus convaleſcant. Cujus rei gratia negligentiam veſtram his apoſtolicis affatibus excitamus, ut ſecundum venerandorum canonum regulas ita omnium omnino comprovincialium tuorum ſynodice, ſalvo ſanctæ Romanæ eccleſiæ privilegio reſeces vitia, ut privilegii tui coram Deo, noſtroque judicio non merearis ſuſtinere jacturam. Optamus fraternitatem tuam in Chriſto bene valere. Data 8. Kal. April.* Et hæc quidem, ſed & alia quæ ſequuntur, non de propriis & ſpecialibus meis injuriis vice accuſatoris, ſed ſolicitudine privilegium metropolis Rhemorum provinciæ, per ſacros canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos decretum, & auctoritate apoſtolicæ ſedis confirmatum, contra convellentem illud, & vindicantis & contra profeſſionem & ſubſcriptionem ſuam erga ſanctos ſanctorum conciliorum canones, & decreta ſedis apoſtolicæ, ex eiſdem canonibus promulgata, ergaque ſacras leges, quibus una cum canonibus moderatur eccleſia, ejus contemptum monſtrantis, & ei per ſcripturam falſo illatas mihi calumnias refellentis, inculco. Quia ut beatus Cæleſtinus dicit, *merito nos cauſa reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori. Quæ enim a nobis res digna ſervabitur, ſi decretorum norma conſtitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permiſſa frangatur. Non eſt agentium cauſa ſolorum; univerſalis eccleſia quacumque novitate pulſatur.* *Cæleſt. ep. 2. & 3.* Novum eſt enim quod provincialis epiſcopus qui non in civitate quæ ex antiquo inter provinciales ſedes fuerit computata, ſed in municipio Lauduni a Marcobrio prætore condito, ut produnt hiſtoriæ; quod ab exordio ſui nunquam inter ſedes provinciales Rhemorum provinciæ in paganiſmo, vel in Chriſtianiſmo nomen vel locum habuit, donec S. Remigius XV. Rhemorum archiepiſcopus, certis quibuſdam accidentibus cauſis primus ibidem ordinavit epiſcopum, & eidem municipio de rebus Rhemenſis metropolis ſatis ſuperque ditato, ipſum comitatum in quo conſiſtit, partem ſcilicet ex Rhemenſis parochia delegavit: ſed ſemper fuit Rhemenſi parochiæ municipium, ſicut hodieque & alia municipia in Rhemenſi parochia, quæ in ſubjectionis loco ac nomine permanent, privilegium ſibi arrogat, & contra privilegium metropolis ſuæ rebellat. Cum *Epiſcopum Laudun. erectio. V. l 55. Cap. c. 16. p. 431.* *S. Leo ep. 66.*

PARS II.

S. Leo diffiniat ſcribens ad Maximum Antiochenum epiſcopum : *Etſi enim diverſa nonnunquam ſunt merita præſulum, jura tamen permanent ſedium; quibus poſſunt æmuli perturbationem aliquam fortaſſis inferre, non tamen poſſunt minuere dignitatem*. Quapropter non queror adverſus hunc fratrem ſpeciali cauſa mearum injuriarum, ſed contempti privilegii Rhemorum metropolis, quod ſacri canones myſtici Nicæni concilii ſedibus ſingularum provinciarum ſervari irrefragabiliter decreverunt. De quibus item Leo ad Anatolium diffinivit, *ut omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum*.

Idem ep. 51. ad Anatol. Vide & ep. 55. ad Pulchei. Aug.

## CAPUT I.

*Quod palatii regii & abbatiæ adminiſtrationem contra canones obtinuit.*

Hinc. l. 55. Cap. c. 2. p. 391. Conc. Antioch. c. 9.

CUm ſacri Antiocheni canones præcipiant, ut præter metropolitanum nihil agere debeat, ſecundum antiquam a patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantum quæ ad ſuam parochiam pertinent, poſſeſſioneſque ſubjectas: ſine mea vel coepiſcoporum conſcientiam adminiſtrationem in palatio domni regis obtinuit. Quam adminiſtrationem illi 7 coram eodem domno rege, & aliis qui adfuerunt, ex ſacris regulis interdixi. Poſtea iterum per exteras poteſtates, id eſt, ſæcularium interventione, contra Sardicenſes canones, eamdem adminiſtrationem in palatio cum abbatia in tertia provincia, ultra Rhemenſem provinciam, ſine mea conſcientia impetravit, & per aliquot annos tenuit: donec contra dominum regem in tantum ſe, ſine ratione, contumaciter erexit, ut & adminiſtrationem palatinam, & ipſam abbatiam illi auferret. Contra quæ Sardicenſes canones dicunt: *Scimus enim & ipſi ſæpiſſime propter paucorum impudentiam religioſum ſacerdotale nomen fuiſſe reprehenſum*. Et poſt aliquanta in hujuſmodi literis ſubſcribi, & talem in communione recipi vetant.

Sacerdotalis libertas Hincmari. Conc. Sardic.

## CAPUT II.

*Quod ad eamdem abbatiam ſine licentia metropolitani contra canones perrexit.*

Ibid. c. 2. p. 393.

AD quam abbatiam quoties ſibi placuit, ſine licentia mea perrexit: & quamdiu illi placuit, ibidem commoratus fuit; contra Hilari papæ decreta dicentis: *Illud non potuimus præterire, quod ſolicitudine diligentiore curandum eſt, ne præter metropolitanorum ſuorum literas aliqui epiſcopi ad quamlibet provinciam audeant proficiſci. Quod etiam in omni genere officii clericalis per ſingulas debet eccleſias cuſtodiri*. Et ſic antea Zoſimus, & poſtea S. Gregorius decrevit, ſcribens ad * Vincentium, & ceteros epiſcopos: *Hortamur*, inquit, *fraternitatem veſtram, ut ſi quemquam veſtrum pro cauſis propriis ubicumque longius compulerit ambulare neceſſitas, a metropolitano veſtro, ſecundum inditam a ſanctis patribus regulam, petere licentiam debeatis, nec eum poſtponere in aliquo debeatis*. Et reliqua.

Hilarus ep. 8. ad diverſos epiſcopos Galliæ. Zoſimus ep. 5. 9. 11. Greg. l. 6. Ind. 2. ep. 8. * al. Innocentium.

## CAPUT III.

ANNO CHRISTI 871.

*Quod ad ordinationem epiſcopi Cameracenſis vocatus venire, aut vicarium mittere, contempſit.*

Ibid. c. 1. p. 393.

PRæterea quoque literis canonicis certum diem & locum deſignantibus, & ad eccleſiam ſuam ex more directis, quarum exemplar habeo, evocatus ad ordinationem epiſcopi in eccleſia Cameracenſi provinciæ noſtræ, paſtore deſtituta, unde apoſtolica ſedes, me ſuggerente non modice laboravit, nec ipſe venit, nec pro ſe vicariam perſonam, vel literas ſui conſenſus ad me, ſicut præcipiunt regulæ ſacræ, direxit. Qua de re, ordinatio electi fuit dilata. Unde iterum iſtiuſmodi literas ad eccleſiam ſuam ex more direxi: *Hincmarus Rhemorum epiſcopus dilecto fratri Hincmaro & venerabili coepiſcopo noſtro, ſalutem. Sicut jam altera vice literis dilectioni tuæ mandavi, clerus ac plebs Cameracenſis eccleſiæ cum decreto canonico petierunt ſibi ordinari epiſcopum Joannem presbyterum, virum boni teſtimonii: ad ejus ordinationem nonis Julii convenimus ſecus Belvacum. Sed quia tua fraternitas illuc non convenit, nec pro ſe perſonam aut literas ſui conſenſus direxit, ordinationem illius diſtulimus. Propterea, quoniam ſicut ipſe ſcis, eadem ſedes, diu in multorum periculum vacat paſtore, 12. Kalendas Auguſti conveni cum ceteris fratribus in monaſterium quod dicitur Isla, in parochia Belvacenſi ad eumdem fratrem noſtrum ex more ordinandum epiſcopum. Data 3. Id. Julii*. Et convenientibus nobis ad prædictum locum prædictis Kalendis, nec ipſe venit, nec pro ſe vicariam perſonam, vel literas ſui conſenſus, ad me, ſicut præcipiunt ſacræ regulæ, direxit. Nos autem qui convenimus, auctoritate Nicæni concilii, decernentis ut in ordinando epiſcopo, ſi communi cunctorum decreto rationabili, & ſecundum regulam eccleſiaſticam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicant, obtineat ſententia plurimorum, eumdem venerabilem fratrem Joannem epiſcopum ordinavimus. De contemptu autem fratris Hincmari, ut ad ordinandum coepiſcopum noſtrum conveniret, & ſecundo literis commonitus venire contempſit, Symmachus papa ad Æonium ita ex ſacris regulis promulgavit: *Ut ſi quilibet epiſcopus metropolitano pontifici juxta canonicam diffinitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit ſuccidendum ſe, quod non optamus, eccleſiaſtica diſciplina*. Sed dehinc a me conventus, nullam ſatisfactionem, nec etiam humile reſponſum, mihi ac coepiſcopis noſtris reddidit.

Sub Hincmaro I. Hinc. epiſt. 17. p. 246. Epiſt. Hinc. Rhemenſ. ad Laudun. Joannes electus Cameracenſis epiſcopus. Conc. Nic. c. 6. Symmachi epiſt. ad Cæſarium Arelatenſem.

## CAPUT IV.

*Quod regem ſine ratione vel neceſſitate offendit; & aliorum epiſcoporum parochianos excommunicavit.*

POſtea intervenit diutinum ſcandalum inter domnum regem & illius pertinacem contumaciam: eo quod homines ſui ad domnum regem ſe reclamaverunt, quia beneficia eorum ab eis injuſte abſtulerit. Unde domnus rex ſemel ac ſecundo me, una cum coepiſcopis noſtris, & aliis miſſis ſuis, inter eos habere audientiam juſſit. Sed illum ad rationem & obedientiam debitam flectere non potuimus. Quapropter juſſit domnus rex, ut ad Pontigonem palatium ſuum in Rhemenſi provincia, quo plures epiſcopi, & alii fideles ejus conventuri erant, aut ipſe veniret, aut ita perſonas pro ſe inſtructas dirigeret, ut ipſæ quærimoniæ finem acciperent. Ipſe autem illuc non venit, nec ita inſtructas pro ſe perſonas direxit, qui legalem finem eiſdem querimoniis imponerent. Qua de re domnus rex ei mandavit, ut ipſis hominibus ſua beneficia tenere permitteret, uſque dum juſte & rationabiliter cauſæ de quibus apud eum reclamabatur, diffinirentur.



ANNO CHRISTI 871. Conventus Pontigonenſis.

Hinc. ep. 35. p. 598.

Iſdem autem ſine miſſo regis, vel metropolitani, abſentibus illis qui contra eum querebantur, contra leges publicas & eccleſiaſticas, ſeptem homines quod ſibi fuerat viſum, interrogavit, & quod domnus rex ei mandaverat, non obaudivit. Et veniens demum ad domnum regem adeo illum commovit, ut & ſuprafatam abbatiam, & adminiſtrationem palatinam ab eo auferret. Et poſt hæc, quia ſicut ei præcepit ad domnum regem venire, non voluit, nec advocatum ſuum qui de rebus pecuniariis, contra conquirentes adverſus eum rationem redderet, miſit, nec electorum judicium juxta leges & regulas expetere voluit, nec mihi ſuo metropolitano, ut eccleſiaſticos judices, quorum judicio cauſæ finiuntur, ſicut leges & regulæ jubent, illi delegarent, quiddam mandavit, domni regis erga ſe animum non mediocriter exaggeravit. Cujus benignitatem ad eum veniens, adjunctis mecum noſtris coepiſcopis, ſicut antea, & poſtea ſæpius egi, placabilem ei feci. Sed frater Hincmarus more ſueto iterum atque iterum domni regis animum ſine ulla ratione vel neceſſitate contumaciter recommovit: & ſine ipſius licentia ab eo recedens, Laudunum per noctem aufugit. Quem domnus rex literis & miſſis tam eccleſiaſticis quam & ſæcularibus ut ad eum veniret ſæpe vocavit: qui ad eum venire contempſit. Et quoniam pervenit ad domnum regem, quia cum Hlotario illi conveniret, ut eccleſiam & plebem ſibi creditam deſereret, & in regno ipſius honores acciperet. Qui & in literis domno regi directis ſcripſit dicens: *Deo teſte vobis loquor: potius eligo extra veſtrum degere regnum, quam in veſtro talis apparere, quoſdam noſco ſuſurrare*. Tunc domnus rex neceſſitate compulſus mandavit, ut quia ipſe venire nolebat, liberi homines de epiſcopio Lauduni ad eum Compendio palatio venirent. Quo aliqui ex eis venerunt: quibuſdam vero, ut ad regem perventum eſt, Hincmarus venire non permiſit. Et ideo domnus rex duos epiſcopos Rhemorum provinciæ, Hodonem ſcilicet & Willebertum ad eum miſit, mandans ut jam tandem ad eum veniret. Et miſit reipublicæ miniſtros, ut liberos homines, qui ad eum, ſicut mandaverat non venerunt, & cum Hincmaro degebant, aut voluntarios aut invitos ad eum venire facerent.

Idem l. 55. Cap. 1. c. 2 p. 391. Regno regis, rege Auſtraſiæ. Epiſt. Laud. ad regem. Belvacenſem & Catalaunenſem epiſc.

Hincmarus audiens eorum adventum, ſicut etiam ipſe in ſcripto ſuo demonſtrat, antequam reip. miniſtri ad eum directi, Laudunum pervenirent, inauditam antea noſtris temporibus excommunicationem in meos, & multorum archiepiſcoporum & epiſcoporum parochianos, non de criminibus quibuſcumque accuſatos, vel confeſſos ſive convictos, ſed nec euangelice vel regulariter commonitos, in parochia ſua perpetratis, ſine mea conſcientia, contra ſacras regulas jaculavit. Unde maximum ſcandalum & regi & regno, & iſtis Ciſalpinis eccleſiis intulit. Excommunicatio vero, quin potius maledictio, quam furia exagitatus intorſit, hoc modo ſe habet. *Apoſtolica, imo divina auctoritate per virtutem hujus ligni*, (videlicet ſanctæ crucis) *cooperantibus meritis ſanctæ hujus genitricis Mariæ, cum auctoritate beatiſſimi principis apoſtolorum Petri, tam omnes hujus loci invaſores, quam parochiæ meæ, omneſque hujuſmodi contaminatores cunctoſque eis conſentientes, anathemate damnamus, & a liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ extorres virtute Spiritus ſancti decernimus, atque ab omni Chriſtianorum conſortio alienos adjudicamus*. Et mox ſubſequitur in ſuo ſcripto. *Responditque omnis clerus, Anathema ſint: tenentibus presbyteris in manibus ſancta euangelia, lignumque ſanctæ crucis*.

Ibid. c. 3. p. 391. PARS II. Formula excommunicationis.

Præfati vero epiſcopi ad eum venientes, nihil de obedientia erga regem, quam illi ſuper ſacroſancta juravit, obtinuerunt. Reip. autem miniſtri a rege directi, nullam ei aut cuiquam violentiam inferentes, homines liberos epiſcopii Laudunenſis ad regis fidelitatem ſacramento confirmaverunt, & ſic ad regem redierunt. Ipſe vero me poſtpoſito, in tali excommunicatione ſuis eſt libitibus uſus: cum ſacri Africæ provinciæ canones præcipiant, ut poſteriores epiſcopi anterioribus deferant, nec eis inconſultis aliquid agere præſumant. Et lex prohibeat, ut per alienam meſſem tranſiens falcem non mittat, ſed manu ſpicas conterat & manducet. *Falcem*, inquit beatus Gregorius ad Auguſtinum, *judicii mittere in ea ſegete non potes, quæ alteri videtur eſſe commiſſa: ſed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum ſuorum paleis expolia, & in eccleſiæ corpus monendo & perſuadendo, quaſi mandendo, converte*. Et item S. Gregorius ad Januarium epiſcopum, qui Iſidorum V. Cl. cauſa ſuæ injuriæ excommunicaverat, ſcripſit, dicens: *Quia, ſi ita eſt, nihil te oſtendis de cæleſtibus cogitare, ſed terrenam te habere converſationem ſignificas, dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod ſacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexiſti. Unde de cetero omnino eſto circumſpectus, atque ſolicitus, ne tale cuiquam pro defenſione injuriæ tuæ inferre denuo præſumas. Nam ſi tale aliquid feceris, in te ſcias poſtea vindicandum*. Et ſanctus Auguſtinus in libro de pœnitentia: *Auferte malum a vobis ipſis. Quibus verbis ſatis oſtendit, non temere, & quomodolibet; ſed per judicium auferendos malos ab eccleſiæ communione. Noluit enim apoſtolus hominem ab homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario uſurpato judicio: ſed potius ex lege Dei ſecundum ordinem eccleſiæ, ſive ultro confeſſum, ſive accuſatum atque convictum. Alioquin illud cur dixit, Si quis frater, nominatur aut fornicator aut idolis ſerviens, &c. niſi quia eam nominationem intelligi voluit quæ fit in quemquam, cum ſententia ordine judiciario, atque integritate profertur. Nam ſi nominatio ſufficit, multi damnandi ſunt innocentes; quia falſo ſæpe in quoquam crimen nominatur*.

Cod. can. eccl. Afr. can. 86. Deuteron. c. 23. Greg. l. 11. epiſt. 31. ad Auguſtin. Idem l. 2. Ind. 10. ep. 34. Epiſcopus proprias injurias ne perſequatur. Auguſt. Excommunicatio ſecundo legitima.

## CAPUT V.

*Quod eccleſiæ ſuæ presbyteros & miniſtros illicite excommunicavit.*

L. 55. Cap. c. 28. p. 495.

DE qua præſumptione coram coepiſcopis noſtris, quia publice illam admiſerat, cum corripui: ſed non adquievit ullo modo corrigi. Unde iterum cauſa ſuæ injuriæ, me inconſulto, & ſine conſenſu coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ,

PARS II.

vinciæ, ſicut petitio a clericis Laudunenſis eccleſiæ mihi porrecta demonſtrat, & in ſynodo apud Attiniacum habita demonſtravi, presbyteros, & miniſtros eccleſiæ excommunicavit, ut nemo in eadem parochia miſſarum officia celebraret. Unde S. Auguſtinus doctor famoſiſſimus, & ab apoſtolica ſede receptiſſimus, qui Carthaginienſi concilio interfuit, & conſtitutiones ipſius pleniſſime novit, in epiſtola ad clerum & plebem Hipponienſium, inter alia dicit: *Nuper in concilio epiſcoporum conſtitutum eſt, nullum clericum qui nondum convictus eſt, ſuſpendi a communione debere, niſi ad cauſam ſuam examinandam non ſe præſentarit.* Et S. Gregorius Auguſtino tempore poſterior, & loco prior, ex ſacris legibus ad Martinum, & ad Sicilienſes epiſcopos, promulgavit, *ut nemo ſine cognitione damnetur.* Et de inlicita excommunicandi ratione lex Juſtiniani catholici imperatoris, quam probat & ſervat eccleſia catholica, conſtitutione 118. capitulo 441. decrevit, ut nemo epiſcopus, nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam cauſa probetur, propter quam eccleſiaſtici canones hoc fieri jubent. Si quis autem adverſus ea excommunicaverit aliquem, ille quidem qui excommunicatus eſt majoris ſacerdotis auctoritate ad gratiam ſanctæ communionis redeat, is autem qui non legitime excommunicavit, in tantum abſtineat a ſacra communione tempus, quantum majori ſacerdoti viſum fuerit, ut id quod injuſte fecit, ipſe juſte patiatur. Et hinc S. Gregorius ad Joannem epiſcopum injuſte excommunicantem, inter cetera ſcripſit, dicens: *Caſſatis prius, atque ad nihilum redactis prædictæ ſententiæ tuæ decretis, ex beati Petri apoſtolorum principis auctoritate, decernimus 30. dierum ſpatio ſacra te communione privatum, ab omnipotente Deo noſtro tanti exceſſus veniam cum ſumma pœnitentia & lacrymis exorare. Quod ſi hanc ſententiam noſtram cognoverimus impleſſe remiſſius: non jam tantum injuſtitiam, ſed & contumaciam fraternitatis tuæ cognoſces, juvante domino, ſeverius puniendam.* Et item idem quoſdam epiſcopos excedentes, poſt inquiſitionem, utrum exceſſus exilio, vel depoſitione cujuſque ſit dignus? in ſex menſibus dominici corporis & ſanguinis communione privatos agere pœnitentiam in monaſterio decrevit; ea conditione, ut ſi communione privatis mortis contigerit immluere periculum; benedictio eis viatici non negetur. *De qua cauſa*, ut idem alibi, & aliunde dicit, *oſtenſa eſt nobis ira quam ſequamur, appoſita forma cui imprimamur.*

[Margin: Concil. Carthag. c. 19. 20. — Aug. epiſt. 137. — Greg. lib. 7. ind. 2. ep. 6. Vide Notas. — Illegitime excommunicantis excommunicatio. — Greg. lib. 2. ind. 11. ep. 6. — Idem.]

## CAPUT VI.

*Quod infantes in ſua parochia baptizari prohibuit.*

PRohibuit quoque ut nemo parvulos in ſua parochia, etiam in mortis urgentis periculo conſtitutos, baptizaret; ſicut in petitione præfata continetur: cum veritas dicat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum.* Et, *Non venit filius hominis animas perdere, ſed ſalvare.* Et item: *Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos.* Obviam etiam decretis Siricii, Leonis, Gelaſii, & Africani concilii. Nam de infantibus baptizandis, qui nondum baptizati noſcuntur, quoties neceſſitas exegerit, regula eccleſiaſtica per B. Siricium eſt prolata: cujus regulæ concluſio conſtat hoc modo: *Hanc præfatam regulam omnes teneant ſacerdotes,*

[Margin: Hinc. l. 55. Cap. c. 31. p. 510. c. 47. p. 570. — Joan. c. 3. — Luc. c. 9. — Matt. c. 19. — Siric. epiſt. 1. ad Himerium.]

*qui nolunt ab apoſtolicæ petræ, ſuper quam Chriſtus univerſalem conſtruxit eccleſiam, ſoliditate divelli.* Et S. Leo hujus ſalutis ſingulare præſidium nullo tempore unquam denegari decrevit.

[Margin: ANNO CHRISTI 871. S. Leo epiſt. 92. ad Ruſtic.]

## CAPUT VII.

*Quod pœnitentiam & viaticum morientibus dari vetuit.*

NUllum ſiquidem etiam ad ultimam pœnitentiam ſuſcipi, & nulli viatico munere ſubveniri, contra Nicænos & Africanos canones & decreta Siricii, & Innocentii atque Cæleſtini, nec non & Leonis, vetuit, ſicut in ſæpefata petitione habetur. Cum per ſe veritas dicat: *Venit filius hominis quærere & ſalvare quod perierat; qui non venit juſtos, ſed peccatores vocare in pœnitentiam.* Multis voce domini reclamantibus, & eccleſiæ catholicæ doctoribus, ut præſidium regenerationis & pœnitentiæ, ſacræque communionis in mortis periculo poſitis & petentibus, a quoquam nullatenus denegetur. Et ſacrum Nicænum concilium decrevit, *Generaliter*, inquiens, *omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.* Et de præfatis apoſtolicorum pontificum ex hac cauſa decretis S. Leo papa judicium protulit, *ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.*

[Margin: Hinc. c. 13. p. 511. — Luc. c. 19. Matt. c. 9. — Concil. Nicæn. c. 13. — S. Leo ep. 2. ad epiſt.]

## CAPUT VIII.

*Quod ſepulturam mortuis in parochia ſua denegari præcepit.*

SEpulturam etiam mortuis, ſicut in memorata petitione continetur, nimia inhumanitate contra ſacras ſcripturas, ſacroſque canones denegari præcepit. Cum ſicut in hiſtoria veneranda libri Regum legimus, etiam eorum corpora qui ad conſultum domini propter peccatum Saul, ob quod facta eſt fames in diebus David tribus annis jugiter, crucifixi fuerant, laudabiliter ſunt cuſtodita a concubina Saul, ne lacerarentur ab avibus per diem, neque a beſtiis per noctem, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo: ſicque ſepulta ſunt cum oſſibus Saul & Jonathæ. Et in evangelio legimus, quia petente Joſeph, Pilatus juſſit reddi corpus domini Jeſu, quem quaſi nefarium petentibus Judæis crucifigi adjudicavit: unde *& cum iniquis*, ſecundum ſcripturam, *deputatus eſt.* Et Judæi, ne remanerent etiam ſceleratorum corpora in cruce die ſabbati, inhumata, obtinuerunt a Pilato, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Et antiquorum patrum regulæ, etiam eorum corpora qui ſibi quolibet modo mortem intulerunt, vel qui pro ſuis ſceleribus puniuntur, ad ſepulturam, licet ſine hymnis & pſalmis, deferri præcipiunt, & non ſepultura in ventre matris omnium, id eſt, terræ, carere etiam talium cadavera præceperunt.

[Margin: Hinc. ibid. c. 33. p. 514. — 2. Reg. 21. — Matt. c. 27. — Iſa. 53. — Luc. c. 23.]

## CAPUT IX.

*Quod de his exceſſibus monenti metropolitano ſuo obedire neglexit.*

QUÆ audiens vehementer exhorrui, & proinde ad eum metropolitana ſolicitudine ſemel & ſecundo literas miſi, monens & hortans illum

[Margin: Hinc. ep. 35. p. 597.]



[Margin: ANNO CHRISTI 871.]

illum ut tam exitiabilem excommunicationem, & impietatis colligationem in ſuum & multorum periculum intentatam, quantocius ſolveret. Sed ad obediendum, eum invitare non valui. Cum S. Bonifacius explanans capitulum Nicæni concilii ad Hilarium Narbonenſem epiſcopum dicat: *Advertat caritas, adeo nos canonum præcepta ſervare, ut ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat, quatenus metropolitani ſui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expetat.* Et Leo ad Theodorum Forojulienſem epiſcopum: *Solicitudinis*, inquit, *tuæ is ordo eſſe debuerat, ut cum metropolitano tuo de eo quod quærendum eſſe videbatur, conferres: quia in cauſis quæ ad generalem obſervantiam pertinent, omnium domini ſacerdotum, nihil ſine primatibus oportet impleri.* Certum eſt enim quoniam illa quæ de baptizandis parvulis, & de ultima pænitentia, & viatico munere ac mortuorum ſepultura nulli deneganda, ex ſacris regulis ad eum ſcripſeram, ad generalem obſervantiam domini ſacerdotum pertinent. Contra quæ præſumere non debuerat, & inconſulto præſumens etiam ad primam commonitionem ex evangelica veritate, & apoſtolica atque canonica auctoritate, & ex decretis apoſtolicæ ſedis pontificum promulgatam, mihi qualicumque metropolitano ſuo ſuadenti, ut eaſdem conligationes impietatis diſſolveret, obaudire debuerat, S. Leone decernente, *Qui*, inquiens, *ſcit ſe quibuſdam præpoſitum, non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe prælatum, ſed obedientiam quam exigit, etiam ipſe dependat. Et ſicut non vult gravis oneris ſarcinam ferre, ita non audeat alii importabile pondus imponere.* Et non debuerat obliviſci profeſſionis & ſubſcriptionis ſuæ, ante ordinationem epiſcopalem: qui coram altari S. Mariæ, & cunctis qui adfuerunt, non ſolum de Rhemenſi eccleſia, & de Laudunenſi parochia, verum & de Rhemorum provincia epiſcopis, & aliis diverſi ordinis viris, ſecundum morem Rhemenſis eccleſiæ, ſicut ſoliti erant epiſcopi ordinandi ſubſcribere, poſt catholicæ fidei profeſſionem, de obedientia ſua ſecundum ſacras regulas erga Rhemorum metropolim propria manu ſubſcripſit; unde ſacri canones dicunt: *Si quis contra ſuam profeſſionem ac ſubſcriptionem venerit in aliquo, ipſe ſe honore privabit.*

[Margin: Bonif. ep. 5. — Concil. Nicæn. c. 13. — Idem. — Sacramentum epiſcopi in ordinatione ſua.]

## CAPUT X.

*Quod profeſſioni cuidam ſubſcripſit tum conſenſu epiſcoporum aliarum provinciarum, poſtpoſito metropolitano.*

DEinde ſine mea, & coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ conſcientia, in altera provinciam conſenſu epiſcoporum aliarum provinciarum profeſſioni ſubſcripſit, & regi dedit: quæ ita ſe habet: *Ego Hincmarus Laudunenſis epiſcopus de hora iſta in antea fidelis ero ſeniori meo Karolo, ſicut homo per rectum ſeniori ſuo debet eſſe, & epiſcopus regi ſuo: & ſic obediens quomodo homo per rectum ſeniori ſuo debet eſſe, & epiſcopus Chriſti ſecundum meum ſapere & poſſe ad Dei voluntatem, & ad regis ſalutem, & ad ſtatum .... ad meam ipſius ſalutem H.* Cum Africæ provinciæ canones dicant: *poſteriores epiſcopi anterioribus deferant, nec eis inconſultis aliquid agere præſumant.* Et canones Antiocheni decerni metropolitanum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros epiſcopos agere, ſecundum antiquam a patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantum quæ ad ſuam diœceſim pertinent, poſſeſſioneſque ſubjectas. Et ſi pro aliqua erga ſe cauſa, vel contentione ſedanda huic profeſſioni ſubſcripſit, ſine metropolitani tamen & coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ conſcientia id agere non debuerat. Unde S. Innocentius ad * Victoricium epiſcopum decrevit dicens: *Si quæ cauſæ vel contentiones inter clericos tam ſuperioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut ſecundum ſynodum Nicænam congregatis ejuſdem provinciæ epiſcopis jurgium terminetur; nec alicui liceat (ſine præjudicio tamen Romanæ eccleſiæ, * cui in omnibus cauſis debetur reverentia cuſtodiri) relictis his ſacerdotibus, qui in eadem provincia Dei eccleſiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod ſi quis forte præſumpſerit, & ab ordine cleri ſubmotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur.*

[Margin: Sacramentum regi oblatum a Laudunenſ. — Cod. can. eccl. Afric. can. 86. — Conc. Antioch. — PARS II. — Innocent. epiſt. 1. * Victricium. — * al. cujus in omnibus cauſis debet.]

Quid ſit autem reum injuriarum judicari in l. 5. ſententiarum Pauli oſtenditur: *Qui per calumniam*, inquit, *injuriæ actionem inſtituit, extra ordinem puniatur. Omnes enim calumniatores, exilii, vel inſulæ relegatione, aut ordinis amiſſione puniri placuit.* Et in lib. 1. ſententiarum ejuſdem Pauli: *Calumniator eſt, qui ſciens prudenſque per fraudem negotium alicui comparat; & in * præfatis, & in publicis judiciis omnes calumnioſi pro qualitate admiſſi plectantur.* Interpretatio. *Qui aut apud * cinctos, aut apud privatos judices fuerit calumniæ objectione convictus, non exſpectata ordinis ſententia, prout cauſa fuerit, ſupplicio ſubdatur.* Et in ſuprascripto capitulo beatus Innocentius dicit: *Si autem majores cauſæ in medio fuerint devolutæ: ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt judicium epiſcopale deferantur.* Et ſanctus Gregorius ad * Vincentium & ceteros epiſcopos, ait: *Ut nemo coepiſcoporum metropolitanum ſuum poſtponere in aliquo præſumat: excepto ſi contra eumdem metropolitanum eos habere aliquid cauſæ non contigerit: ut ob hoc ſedis apoſtolicæ judicium, ſi qui petere feſtinant, licentiam habeant, quod per canones etiam, antiquorum patrum eſt inſtitutione permiſſum.* Nam de quibus canonibus & Innocentius & Gregorius hoc dicant, manifeſtiſſime claret; ſcilicet de Sardicenſibus, de quibus & Gelaſius. *Ipſi ſunt canones qui appellationem totius eccleſiæ ad hujus ſedis examen voluere deferri: ab ipſa vero nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt.* Claret igitur ex his ſanctorum pontificum ſententiis, quia, me poſtpoſito, judicio vel hortamento aliorum, & aliarum provinciarum epiſcoporum, Wenilonis Rotomagenſis archiepiſcopi, & Æneæ Pariſiorum epiſcopi, ſine mea & coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ conſcientia, præfatæ profeſſioni ſubſcribere, & regi dare non debuit. Nam etſi contra me aliquid habebat, aut apoſtolicam ſedem adire, aut petitionem veritate ſub .... debuerat mittere, & non me poſtpoſito, judicio vel conſilio epiſcoporum aliarum provinciarum in altera provincia profeſſionem & ſubſcriptionem regi porrigere.

[Margin: Injuriarum reus qui & calumniator. — * forte privatis. — * for. civicos. — Quo tempore Romam appellandum. — * al. Innocentium. Greg. l. 7. ind. 2. ep. 8. Vide notas. — Gelaſ. Commonit. ad Fauſt.]

## CAPUT XI.

*Quod ineptam decretorum collectionem compoſuit, eidemque indebite ſubſcripſit.*

POſt hæc quærens adinventiones ut ſe a metropolitana ſubjectione poſſet exuere, libellum de antiquorum patrum ſcriptis ante ſacros Nicænæ ſynodi, & aliorum ſanctorum cano-

[Margin: Hinc. ep. 35. p. 600. habetur pag. 347.]

canones editis collegit: in quibus ſententias inter ſe diſſonas, & contra euangelicam, & apoſtolicam atque catholicam, & apoſtolicæ ſedis auctoritatem immiſcuit; & eidem libello ſine metropolitani, & coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ conſcientia & conſenſu ſubſcripſit, & a clericis eccleſiæ ſuæ, nec non & a parochianis presbyteris ſubſcribi fecit; cum Africæ provinciæ canones dicant: *Poſteriores epiſcopi anterioribus deferant, nec eis inconſultis aliquid agere præſumant: & qui putaverit ſpretis majoribus aliquid præſumendum, competenter eſſe ab omni concilio coercendum.* Et Antiochenum concilium decernit, *Metropolitanum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros epiſcopos agere, ſecundum antiquam regulam a patribus conſtitutam, niſi ea tantum quæ ad ſuam diœceſim pertinent, poſſeſſioneſque ſubjectas.* Et S. Leo ad Theodorum Forojulienſem epiſcopum decrevit: *Quia in cauſis quæ ad generalem obſervantiam pertinent, omnium domini ſacerdotum, nihil ſine primatibus oportet impleri.*

In quo libello cum aliis diverſis, & ſibi averſis ſententiis ſubſcripſit, & a clericis parochiæ ſubſcribi fecit, quia non poſſunt epiſcopi humano condemnari examine, quos Deus ſuo reſervavit judicio. Et item; ut *vocato epiſcopo canonice in loco omnibus congruo, tempore ſynodali, ab omnibus comprovincialibus epiſcopis in ſua provincia audiatur. Qui concordem ſuper eo proferre debebunt ſententiam.* Quod & Antiocheni canones apertiſſime decreverunt. Et item ſubſcripſit, & ſubſcribi a clericis ſuis fecit, ut *delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur.* Et ſubjungens Leonis ſententiam, qua dicit: *Hæc itaque admonitio noſtra denunciat, quod ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venire tentaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, a ſuo ſe noverit officio ſubmovendum: nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius noluit eſſe diſciplinæ. Ne quid vero ſit quod prætermiſſum a nobis forte videatur, omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita a veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.* Et ita ſubſcripſit: *Hincmarus Deo miſerante, eccleſiæ Laudunenſis epiſcopus his ſanctorum apoſtolicæ ſedis patrum decretis obtemperandum ſubſcripſi. Qui quoque mihi eodem Deo auctore commiſſi ſunt, & in his ſimiliter ſentiunt, ſoliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur. Si vero aliqui ſecus, nolentes fieri ſocii hujuſmodi diſciplinæ, ne habeantur participes communionis noſtræ.* Quæ præmiſſæ definitiones ab eo ſubſcriptæ, quam ſint contrariæ inter ſe, atque adverſæ euangelicæ veritati, & apoſtolicæ auctoritati, nemo qui dubitet: cum ſint de epiſcopis certa & manifeſta in regulis ſanctis judicia. *Et delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputari*, ſicut hic poteſtis videre ſubſcripſit; & qui ex ſuis ſecus, nolentes fieri ſocii hujus diſciplinæ, non habeyentur participes communionis ſuæ. [13] Cum Cyprianus in abuſionum gradibus, & Innocentius in decretis ſuis ex apoſtolica ſententia judiciariæ poteſtati gladium legaliter vindicem doceant eſſe permiſſum, quem eccleſiaſticis miniſtris vel in libello, vel infeditione corripere, vel etiam portare, a majoribus noſtris legimus non eſſe conceſſum. Et dominus [illegible]: *Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Et Petrus, *non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, ſed e contrario benedicentes.* Et Paulus, *non vos defendentes cariſſimi, ſed date locum iræ.* Et S. Gregorius in epiſtola ad Sabianum diaconum Conſtantinopolitanum; *Breviter ſuggeras ſereniſſimis dominis noſtris, quia ſi ego in mortem Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet. Sed quia Deum timeo, in morte cujuslibet hominis miſcere formido.* Et S. Auguſtinus ad Bonifacium Africæ Proconſ. *Fas*, inquit, *non eſt, ut reus epiſcopi ſuggeſtionibus occidatur, qui veniæ, ſi pœnituerit, reſervatur.* [14] Si non eſt fas ut reus epiſcopi ſuggeſtionibus occidatur, qui veniæ, ſi pœnituerit, reſervatur; nefas eſt ut reus, qui veniæ, ſi pœnituerit, reſervatur, ab epiſcopo ad mortem adjudicetur, & in mortis ejus judicio ſubſcribatur: & epiſcopus, qui contra eccleſiaſticum ordinem, & regularem diſciplinam ſubſcripſit, ut ſacri altaris miniſtri huic mortis diſciplinæ nolentes fieri ſocii, non habeantur participes communionis ſuæ: videtur ſe hujus judicii ſubſcriptione a communione eccleſiaſtica ſeparaſſe, a cujus communione ſi ſe miniſtri altaris, ſubſcribentes mortis judicio, ſeparaſſent, ſolidius in communione diſciplinæ eccleſiaſticæ perſtitiſſent.

Unde B. Ambroſius in epiſtola ad Valentinianum imperatorem, qui petebatur contra religionem Chriſtianam legi ſubſcribere. *Convenio iterum fidem tuam, convenio mentem tuam, ne vel reſpondendum ſecundum hujuſmodi petitionem gentilium cenſeas, vel in ejuſmodi reſponſa ſacrilegium ſubſcriptionis adjungas: vox enim tua, manus tua, & ſubſcriptio tua opus eſt tuum.* Et antiquorum patrum canones decreverunt dicentes: *Sæpe principes contra quaslibet majeſtatis obnoxios ſacerdotibus negotia ſua committunt: & quia ſacerdotes Chriſti ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi conſentiant regibus judices, ubi jurejurando ſupplicii indulgentia committitur, non ubi diſcriminis ſententia præparatur. Si quis etiam ſacerdotum contra commune conſultum diſcuſſor in alienis periculis extiterit, ut reus effuſi ſanguinis apud Chriſtum, & apud eccleſiam perdat proprium gradum.* Hic autem nullo comminante neque jubente, gratis ſubſcripſit, ut delatori aut lingua capuletur, aut caput amputetur, & qui noluerit fieri ſocius hujus diſciplinæ, nec habeatur particeps communionis ſuæ. Et non ſuffecit illi ut ſubſcriberet, quatenus convicto delatori caput amputetur; verum & miniſtros eccleſiaſticos ſuæ parochiæ, huic perverſæ ſententiæ fecit ſubſcribere. Reclamante Gelaſio in epiſtola ad Anaſtaſium imperatorem. *Dicit apoſtolus, qui * non ſolum non facienda faciunt, reos videri, etiam qui conſentiunt facientibus. Legibus certe veſtris criminum conſcios, ſuſceptoreſque latrocinantium * par judiciorum pœna conſtringit: nec expers facinoris æſtimatur, qui licet ipſe non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœduſque receperit.* Hic autem & fecit, & facientes ad agendum contra regulas quoſdam impulit, quibuſdam perſuaſit. Hinc apoſtolus: *Sic enim peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis: & peribit infirmus in tua ſcientia frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Et B. Gregorius in regula paſtorali: *Scire*: inquit, *Prælatus debet, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Unde*



*Unde neceſſe eſt ut tanto ſe cautius a culpa cuſtodiant, quanto per prava quæ faciunt, non ſoli moriuntur.* Et item Gelaſius in decretis ad epiſcopos per Dardaniam conſtitutos, ac ſi de his loquatur, quos ſecum fecit ſubſcribere: *Sicut*, inquit, *in ſimili conditione conſtricti, non poſſunt complicem ſuum judicare non jure damnatum, neque * rei reum poſſunt competenter abſolvere: ſic illo juſte prævaricatore damnato, iſti quoque parijacent damnatione proſtrati: neque inde niſi reſipiſcentes poterunt prorſus abſolvi; quia ſicut per unum ſcribentem eorum omnium vulgata tranſgreſſio eſt, qui in eamdem perfidiæ ceciderant actionem; ſic in uno eodemque qui pro omnibus ſcripſerat, vel ſcribendo omnium prodiderat voluntates, tranſgreſſio eſt punita cunctorum.*

Et quia ſacrum Nicænum concilium metropolitanos ſingularum provinciarum epiſcopos privilegium habere decrevit. Unde Leo ad Anatolium dicit: *Illa*, inquiens, *Nicænorum canonum per ſanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla eſt parte ſolubilis.* Sed & alia catholica concilia ita ab omnibus teneri diffinierunt: quia eorum immobilibus decretis contraria ſubſcripſit, ſe, ſibique complices a catholica communione ſegregaſſe videtur. Sicut item Leo in epiſtola ad Pulcheriam Auguſtam manifeſte demonſtrat dicens: *Contra ſtatuta canonum paternorum, quæ ante longiſſimæ ætatis annos in urbe Nicæna ſpiritualibus ſunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur: ita ut ſi quis diverſum aliquid decernere velit, ſe potius minuat, quam illa corrumpat.* Et quia, ut ipſe B. Leo, & ante illum Damaſus, & Bonifacius, & poſt eum alii apoſtolicæ ſedis pontifices ſcripſerunt, iidem ſacri canones, manſuræ ſcilicet uſque in finem ſæculi leges, Spiritu dei ſunt conditi. Qui ſcilicet Spiritus, juxta euangelicam & apoſtolicam veritatem Spiritus eſt Patris, Spiritus eſt Filii, quia æqualiter a Patre procedit & Filio, & totus eſt Patris, ac totus eſt Filii Spiritus; & Pater, & Filius, & idem Spiritus ſanctus, quorum eſt una ſubſtantia, una voluntas, & operatio; ſcilicet ipſa ſancta Trinitas unus eſt Deus, ac dominus. Conſtat quia a Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, tota videlicet Trinitate, uno Deo & domino ipſi canones ſunt conditi: a quibus qui per contemptum pertinaciter deviat, in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum ac dominum peccat. Et in hac ſubſcriptione apoſtoli eſt ſententia * Hincmarus, in qua ſolicitus non fuit ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis: ſed ſolicitus fuit diſſolvere unitatem Spiritus, contra vinculum pacis. Dicit enim apoſtolus, cujus ſententiam ſubſcriptioni ſuæ perverſæ inſeruit: *Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis; unum corpus, unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* Unde B. Gregorius: *Ad unam igitur vocationis ſpem nequaquam pertingitur, ſi non ad eam unita cum proximis mente curratur. Eſt, inquit dominus ad Moyſem, locus penes me, & ſtabis ſupra petram.* Locus quidem apud dominum eſt ſanctæ eccleſiæ unitas, in qua ſuper petram ſtatur, dum confeſſionis ejus ſoliditas utiliter tenetur. Hi enim in loco qui penes dominum eſt, & ſuper petram ſtant, qui per hæreſes, & per ſchiſmata ab unitate ſe eccleſiæ non dividunt. Quia ut S. Hilarus papa dicit: *Non minus in ſanctarum traditionum ſanctiones committitur, quam in injuriam ipſius domini proſilitur.* Et B. Leonis decernentis, quia in cauſis quæ ad generalem obſervantiam pertinent omnium domini ſacerdotum, nihil ſine primatibus oportet impleri, non fuit ſocius diſciplinæ: unde timendum eſt, ut non ſit etiam conſors communionis ſuæ, a cujus communione ſi fuerit alienus, cum his qui præfatis ſynodis interfuerunt, & quorum decreta convelli fecit, ac per hoc, cum eccleſia catholica communionem habere non poterit. Et in edicto quinti concilii ſcriptum eſt: *Miramur eorum dementiam qui divinæ ſcripturæ contraria agunt, evidenter dicenti, quia æqualiter horribilis ſunt apud Deum impius & impietas ejus. Actio enim cum actore punietur.* Si autem ſimiliter impietas horribilis eſt Deo, & ille qui impie agit, certe ſeparatus eſt talis a Deo, & anathemati juſte ſubjicitur. Anathema enim nihil aliud ſignificat, niſi a Deo ſeparationem: ſicut in veteri, & in novo teſtamento judicium de anathemate ſignificat.

## CAPUT XII.

*Quod in ea collectione, ſanctorum patrum dicta ſenſuſque corrupit.*

ET in eo, de quo agitur, libello, ſed & in illo, quem per Wenilonem quondam archiepiſcopum mihi miſit, quem paulo infra commemorabo (cum enim præ manibus habeo) verbis B. Gregorii, de quatuor errorum capitulis, de quibus ad Theoctiſtam patriciam ſcripſit, quibus dicit: *Si qui vero ſunt qui dicunt, quia compulſus quiſquam neceſſitate ſe anathematizaverit, anathematis vinculo non tenetur*: verbis ſuis impoſuit, immittens, & ſuperadjiciens, *aut contra ea quæ ſub anathemate prohibita ſunt, præſumpſerit.* In eodem autem loco, ubi dixit: *Si qui ſunt igitur, qui ſub nomine Chriſtiano, hæc quæ prædiximus errorum capitula, aut prædicare audent, aut taciti apud ſemetipſos tenere*: detruncavit, & pervertit ad ſuum ſenſum dicens: *Si qui ſunt igitur qui ſub nomine Chriſtiano hæc prædicare audent.* Non timens ſententiam ſanctæ ſextæ ſynodi in duodecima actione prolatam hoc modo: *Inveteratum Macarium in impietatis dogmatibus, & non ſolum univerſam Chriſto amabilem plebem, quæ hanc a Deo conſervandam regiam urbem inhabitat everſione turbulenta potantem; teſtimoniaque ſanctorum & probabilium patrum falſantem, & quædam quidem abſcidentem, quædam vero addentem, & ſecundum quod ei videbatur, in devio mittentem, piiſſimum & a Deo coronatum principem per oblata ab eo codicia, ſed & a Solis ortu uſque ad occaſum per literas ſuas, & per homines quos mittebat, univerſos perturbantem, & a fide vera ſegregantem, & juſte atque rationabiliter a pontificali habitu denudatum, nullatenus divina regula de cetero ſuſcepit in doctoris ſede reſidere: ne ex hoc propria ſuæ hæreſeos muſtos jam recrudeſcere faciat intelligentiam, & fiant, juxta quod ſcriptum eſt, noviſſima illius hominis deteriora prioribus.* Et Macedonius Conſtantinopolitanus epiſcopus ab imperatore Anaſtaſio legitur expulſus, quoniam euangelia falſaſſet, & maxime illud apoſtoli dictum: *Quod apparuit in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu*; & pervertiſſe ut legeretur, *ut eſſet Deus, apparuit per carnem.* Quales redarguit Paulus apoſtolus de ſe, & ſuis ſociis dicens: *Non enim ſumus*, inquit, *ſicut plurimi adulterantes verbum Dei. Adulterare eſt*, inquit B. Gregorius, *verbum Dei, aut aliter ſentire quam de illo eſt, aut ex eo non ſpiritales fructus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ.* Unde Gelaſius ad epiſcopos per Dardaniam

[PARS II.]

daniam conſtitutos, de hujuſmodi prave ſentientibus ſcripſit: * *Quia majores noſtri neceſſario præcaverunt, ut contra unumquamque hæreſim * quod acta ſemel ſynodus pro fidei communione & veritate catholica atque apoſtolica promulgaſſet, non ſinerent novis poſt hæc retractationibus * nubilari: ne pravis occaſio præberetur, quæ medicinaliter fuerant ſtatuta, pulſandi: ſed auctore cujuslibet inſaniæ ac pariter errore damnato, ſufficere judicarunt, ut quiſquis aliquando hujus erroris communicator exiſteret, principali ſententia damnationis ejus eſſet obſtrictus, quoniam manifeſte quilibet vel profeſſione ſua, vel communione poſſet agnoſci.* Et poſt aliquanta: *Quoniam idem ipſe error, qui ſemel eſt cum ſuo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effecto, execrationem ſui geſtat & pœnam.*

[* al. Quæ majores noſtri divino inſpiramine ſtatuerunt. * acta ſynodus. * nubilaris. * quiſque.]

[Hinc. epiſt. 35. p. 600.] Poſt præfati denique monſtruoſi libelli a ſe monſtruoſe collecti ſuam ſuorumque ſubſcriptionem, literis quarum exemplar habeo, denuo illum commonui, ut ea quæ in parochia ſua contra rationem & auctoritatem egerat, ſtuderet corrigere. Sed admonitioni meæ non paruit: cum dicat apoſtolus: [Hebr. c. 13.] *Obedite præpoſitis veſtris in domino.* Et S. Leo decernat, ut *qui ſcit ſe quibuſdam præpoſitum, non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe prælatum.*

## CAPUT XIII.

*Quod frequenter admonitus excuſare culpas maluit, quam corrigere, & accuſatus in ſynodo, non expectato fine judicii, fugam arripuit.*

[Hinc. ibid. & l. 55. Cap. Præfat.] DEinde ex epiſtolis Romanæ ſedis pontificum ante Nicænam ſynodum ſcriptis libellum a ſe collectum, & 20. verſiculis, in nomine domni regis Caroli titulatum, per venerabilem quondam archiepiſcopum Wenilonem, in Gundulfi villa coram epiſcopis qui adfuerunt, mihi direxit. De quo, illi, ſcripto reſpondi, cujus exemplar hic habeo: monens illum, ut ſacris canonibus & apoſtolicæ ſedis decretis ex eiſdem ſacris canonibus promulgatis fidem accommodaret, & debitam obedientiam illis dependeret. Inde in Attiniaco Rhemenſis parochiæ, illi coram epiſcopis, qui adfuerunt, dedi libellum in 55. capitulis, 44. verſibus titulatum, [Liber 55. Capitulo. p. 381.] auctoritates eccleſiaſticas continentem, contra illa quæ in præfatis ſuis duobus libellis collegerat: monens ut a talibus hujuſmodi reprehenſionibus ſe cohiberet; & ſe ſacris regulis ſubdens, pacem & ſanctimoniam, ſecundum apoſtolum, ſequi ſtuderet. Is autem nullam inde meæ admonitionis ſatisfactionem exhibuit. Quin potius rotulam prolixiſſimam de quadam capella, [Capella in Attiniaco conteſta. lib. 55. Cap. 4.] unde cum ſæpe literis, pro reclamatione ad me hominum ex ſua parochia, monui: ſed nihil profeci; & fabulis de Fimo presbyteri parochiæ ſuæ, & villæ eccleſiæ noſtræ; ſed & de aliis mendaciter compoſitis, de quibus ſe ipſe presbyter ad me non reclamavit, nec in aliqua ſynodo comprovinciali ullam rationem inde commovit, contextam, in eodem concilio mihi porrexit. [Non extat.] De qua rotula loqui, in aliud tempus dignum duxi differre, ne vobis tædium deliramenta ſua inferant, & ad neceſſariora vos deliberanda impediant. Sed & præfatum ſuum monſtruoſum libellum, a ſe & a ſuis ſubſcriptum, in eadem ſynodo protulit: quem ibidem accipiens, hactenus ſervo.

[Synodus apud Attiniacum.] Et cum me vidi poſt tot admonitiones nihil apud eum poſſe proficere, ſcedulam porrexi in ſynodo decem provinciarum, ab eiſdem venerandis epiſcopis quærens conſilium quid contra ſuam perſonam contumaciam agere poſſem; & quæ illi ..... ſuæ contra colligationes ſuæ impietatis direxeram, contra illis nota feci. Unde & ab eadem ſynodo conventus, quoniam injuſte ac irregulariter tantas & tales excommunicationes facere præſumpſit, dedit mihi in eadem ſynodo profeſſionis ſuæ libellum de regulari obedientia ſua, quem habeo, qui ita ſe habet: *Privilegio Hincmari metropolitani provinciæ Remorum eccleſiæ ſecundum ſacros canones & decreta ſedis apoſtolicæ ex ſacris canonibus promulgata, pro ſcire & poſſe me obediturum profiteor, & ſubſcribo.* Et ex eo quod ſui homines ſe ad regem reclamaverunt, quoniam ab eis ſua beneficia, quæ apud anteceſſores ſuos, & apud eum proſervierunt, injuſte & irrationabiliter abſtuliſſet, poſt datum mihi libellum in ſynodo de regulari obedientia ſua, electos judices epiſcopos apud me expetivit: & tres, ſecundum Africanum concilium, ſcilicet Actardum, Ragenelmum, atque Joannem a me ſibi deſignatos ſuſcepit; & eorum, atque aliorum Deum timentium judicio, in domni regis, ſicut poſtulavit, præſentia, de quibuſdam decretum fuit, ut beneficia ſua quæ irrationabiliter perdiderunt, recuperare deberent. Tota autem eorum cauſa, uſque ad alium tractatum, certis intervenientibus cauſis non diffinita, ſed die alia diffinienda, remanſit. Et ante diffinitionem contra ſacros canones, ſine ulla neceſſitate vel ratione, noctu fuga lapſus, regularem diffinitionem expectare contempſit. [Noctu fuga lapſus.] Unde ſacri canones Africani concilii de Quodvultdeo, qui antequam aut judices electos expeteret, aut etiam in rationem contra conquirentem adverſum ſe introiſſet, rationem ſubterfugiens diſceſſit, decreverunt dicentes: *De Quodvultdeo*, inquiunt, *epiſcopo Centurienſi, * quoniam adverſarius ipſius cum ſe petiſſet introduci ad concilium noſtrum, interrogatus vellet cum eo apud epiſcopos experiri, primo promiſerat; alia die reſpondit, hæc ſibi non placere, atque diſceſſit. Placuit omnibus epiſcopis, ut nullus eidem Quodvultdeo communicet, donec cauſa ejus qualem potuerit terminum ſumat. Nam adimi ei epiſcopatum, antequam cauſæ ejus exitus appareret, nulli Chriſtiano videri jure * potuit.* Et item dicit, *ut per epiſcopos judices cauſa finiatur, ſive quos eis [quin inter ſe conquirentibus] primates dederint, ſive quos ipſi vicinos ex conſenſu delegerint. Si autem ex communi placito vicinos judices elegerint, aut unus eligatur, aut tres: ansi ſi tres elegerint, aut omnium ſententiam ſequantur, aut duorum. A judicibus autem, quos communis conſenſus elegerit, non liceat provocare: & quiſquis probatus fuerit pro controverſia nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ ſedis epiſcopo fuerit probatum, det literas ut nullus ei communicet epiſcoporum, donec obtemperet.* Et Carthaginenſe dicit concilium, *ut quiſquis epiſcoporum accuſatur, ad primates provinciæ ipſius cauſam deferat accuſator.* Et poſt aliquanta: *Verum tamdiu poſt menſem ſecundum non communicet, donec purgetur. Si autem ad concilium univerſale anniverſarium occurrere noluerit, ut vel ibi cauſa ejus terminetur, ipſe in ſe damnationis ſententiam dixiſſe judicetur. Tempore ſane quo non communicat, nec in ſua eccleſia, vel parochia communicet.* Et jam tranſactus eſt annus, ex quo a me, ſuo metropolitano, præfatos judices electos expetiit, & accepit; & cauſam ſuæ accuſationis regulariter executus non fuit. Et dilata eſt hactenus ex eo ſententia Africani concilii, de Maximino epiſcopo promulgata: *De Maximino*, inquit, * *Bacagenſi, & ad eum, & ad ipſam plebem placuit de concilio literas dari, ut & ipſe ab epiſcopatu diſcedat, & illi ſibi alium requirant.*

[Concilium Afric. c. 19. Cod. can. eccl. Afric. c. 19.] [Conc. Carthag. III. c. 7. Cod. can. eccl. Afric. can. 19.] [Conc. Afric. c. 55. Cod. can. eccl. Afr.]

CAPUT



[ANNO CHRISTI 871.]

## CAPUT XIV.

*Quod fugam illam infirmis rationibus excuſare conatur.*

[Hinc. Laud. epiſt. De his quæ vobis p. 610.] ET cum hæc ita ſe habeant, idem frater mihi reſcribens, multis allegationibus ſe neceſſitate compulſum, & perſecutionem declinantem fugiſſe aſſeverat, ſicut ſua ſcriptura quam hic habeo, prodit. Videlicet, [16] quia omnes homines ſui banniti fuerunt ad cauſas, ita ut nec unus, dum rediret ad manſionem, illum ſequi permiſſus ſit: Nortmanno hoc agente pro villa Pauliaco, eo quod illam conceſſione regia, & apoſtolica etiam, ut ſcirem, auctoritate recipiens, illum iidem ſui homines in eamdem villam ſecuti ſunt. [Ibid. p. 613.] Et in eiſdem ſuis allegationibus ponit teſtimonia ex epiſtola Julii papæ in Athanaſii pro fuga defenſione: [Ep. 2. ad Orientales.] *Quia dominus quando Phariſæi conſilium fecerunt adverſus eum ut eum occiderent. Sciens autem Jeſus diſceſſit inde. Et diſcipuli propter metum Judæorum receſſerunt, celantes ſeipſos. Et Paulus in Damaſco a principe gentis quæſitus de muro in ſporta depoſitus eſt, & manus quærentis effugit.* [2. Cor. 11.] Sed utrum pro eo [17] ſi Franci homines ad judicia ſuis legibus vocabantur, ut quod contra legem feciſſe quærebantur, aut legibus emendarent, aut legaliter defenderent, [Refellitur.] fugere illum oportuit, an non, cauſa in promptu eſt. Et utrum præmiſſa teſtimonia, ſuæ quam dicit perſecutioni, ſuæque cauſæ ac perſonæ, vel perſecutoris ſui perſonæ, quam ſpecialiter ſignat, ſed & aliis perſonis ſe perſequentibus a ſe deſignatis conveniant, an non, ratio manifeſte demonſtrat. [Quando fugere liceat.] De fuga vero Athanaſii, & quando, ac qualiter, vel pro quibus, epiſcopis vel miniſtris eccleſiaſticis fugiendum ſit, B. Auguſtinus in epiſtola ad Honoratum epiſcopum inter alia dicit: [Auguſt. ep. ad Honor.] *Fortaſſe quis dicat ideo debere fugere Dei miniſtros talibus imminentibus malis, ut ſe pro utilitate eccleſiæ temporibus tranquillioribus ſervent. Recte hoc fiet a quibuſdam, quando non deſunt alii, per quos ſuppleatur eccleſiaſticum miniſterium, ne ab omnibus deſeratur. Quod feciſſe Athanaſium ſupra diximus. Nam quantum neceſſarius fuerit eccleſiæ, quantumque profuerit quod vir ille manſit in carne, catholica fides novit, quæ adverſus Arianos hæreticos ore illius & amore defenſa eſt.* [Athanaſii fuga utilis eccleſiæ.] *Sed quando eſt commune periculum magis timendum eſt ne quiſquam id facere credatur non conſulendi voluntate, ſed timore moriendi: magiſque fugiendi obſtet exemplo, quam vivendi proſit officio: nulla ratione fugiendum eſt.* Et item poſt aliquanta: *Quicumque igitur iſto modo fugit, ut eccleſiæ neceſſarium miniſterium non deſit, facit quod dominus præcepit, ſive permiſit.* [Matth. c. 10.] *Qui autem ſic fugit, ut gregi Chriſti ea quibus ſpiritaliter vivit alimenta ſubtrahantur, mercenarius ille eſt, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non eſt ei cura de ovibus.* [Joan. c. 10.]

## CAPUT XV.

*Quod res eccleſiæ quæ controvertuntur, regi conceſſit Nortmanno tradendas.*

[Hinc. epiſt. 35. p. 603.] DE eo quod ſcripſit, me ſcire eamdem villam illi conceſſione regia, & apoſtolica etiam auctoritate ſibi redditam, quod in ejus literis legi, hoc me ſcire non denego. [18] Dicit enim ibi, ad petitionem virorum venerabilis memoriæ Chonradi, & Rodolfi, ſe eamdem villam conceſſiſſe regi, ut eam Nortmanno, qui antea illam tenuerat, beneficiaret. Superadjiciens in reſponſione ſua, quia ſi ipſam villam in alodem haberet, quidquid regis eſſet voluntatis ex ea facere gauderet; quia illud voto regis non obviabat, nec inde ei periculum animæ imminebat. [Laudunenſis res eccleſiæ ſuæ regi male conceſſit.] Ceterum quando illam conceſſionem de rebus eccleſiæ ſuæ fecit, nec mea conſcientia, vel coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ, ſed nec cum conſenſu presbyterorum ac diaconorum Laudunenſis eccleſiæ, ſicut præcipiunt canones, fecit. Sed & hoc inde ſcio, quod in domni apoſtolici epiſtola exinde legi. Et quia quando Nortmanno ipſam epiſtolam oſtendam, dicens illi, quia niſi ab ipſis rebus Laudunenſis eccleſiæ quas invaſerat, ſe mox exueret, illum ſecundum juſſionem domni apoſtolici excommunicarem: [Nortmannus excommunicationem deprecatur.] coram plurimis epiſcopis mihi reſpondit, ut pro amore, & honore Dei, & S. Petri, ac domni apoſtolici illum non excommunicarem, quia nec meus parochianus erat, & ipſas res non invaſerat; & habebat inde auctorem, qui illi eas beneficiavit: & ſi ipſe ſuus auctor eas illi contradiceret, nihil poſtea ſe inde præſumeret.

## CAPUT XVI.

*Quod falſo dicit ſe detentum fuiſſe ne Romam, quo appellabat, adiret.*

[Hinc. Laud. p. 613. dit.] DIcit etiam in eodem ſcripto ſuo Hincmarus, ideo ſe ab Attiniaco fugiſſe, quia *Silvaci memor fuerat, ubi & ego adfui, quod illi nihil profuit, ſed obfuit: quia pro eo ſolummodo retentus fuit, ne Romam domni apoſtolici præceptis obediens iret: quod a ſæculo non eſt de epiſcopo ab epiſcopis auditum.* Unde reſpondi, quia ne tunc, ſicut pro certo ſcio, & illi mecum ſciunt qui adfuerunt, nec umquam, prout reminiſci valeo, illum Romam appellaſſe pro quacumque cauſa audivi. Tunc autem ad ſynodum, quæ in proximo futura erat, invitatum audivi. Sed & multorum divulgabatur oribus quia cum Hlotario agebat, quatenus eccleſiam ſibi commiſſam, & oves ſibi creditas deſereret, ut ad Hlotarium iret, & in regno illius honores obtineret. [Laudunenſis defectionem a rege cogitat.] Veruntamen ex hac cauſa nullam rationem tunc cum domno rege habui; ſed & domnus rex nihil inde tunc mihi dixit.

## CAPUT XVII.

*Quod poſt fugam Hincmaro Rhemenſi per literas ſignificavit ſe Romam evocari a pontifice, quibus ab eodem Rhemenſi reſponſum eſt. Et quod contra ſuam profeſſionem venit.*

[Hinc. epiſt. 35.] IS autem frater Hincmarus; poſtquam electos judices, a me regulariter, ut ſcripſi, datos ſibi ſuſcepit, & incaute ac inhoneſte noctu fuga lapſus abſceſſit, [19] pitaciolum irrationabiliter confectum, & manu ſua ſubſcriptum, ac præfatæ profeſſioni ſuæ uſquequaque contrarium, per Ermenoldum diaconum ſuum 6. Non. Jul. 3. indict. mihi tranſmiſit, quod ita ſe habet.

[Epiſt. Hincmari Laudunenſis ad Rhemenſem.] *Reverendiſſimo Rhemorum archiepiſcopo Hincmaro, ſanctæ Laudunenſis eccleſiæ Hincmarus Deo miſerante epiſcopus, debitam in Chriſto devotionem. Vos ſcitis quia ab univerſali ſanctæ Romanæ eccleſiæ papa, patre quoque noſtro & magiſtro Hadriano his vocatus exiſto. Et vos ipſi in quaternionibus mihi a vobis in Attiniaco palatio coram archiepiſcopis, & epiſcopis qui affuerunt datis, quod ad eamdem ſedem venire totidem vocatus detractem, me reprehendiſtis: ſi vitio ſcriptoris pro detrectem, quod eſt* diſſi-

PARS II.

*diſſimilem, vel differam, detractem, quod valde tractem non ab re accipi poteſt, intercharaxatum non fuit. Unde vos nunc pro amore Dei omnipotentis, & reverentia S. Petri expoſco, ſicut & in eadem ſynodo in Attiniaco a vobis convocata, quod impetrare non valui, expoſtulavi; ac jam etiam per integrum efflagitavi annum: & præcipue in ſynodo apud Vermeriam palatium olim ab horno habita obſecrando declamavi*. Et quæ ſequuntur. *Ego Hincmarus S. Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus ſponte ſubſcripſi.*

Habetur integra apud Rem. p. 551. & epiſt. 13. p. 604.

De quo pitacio latius in quaterniunculis, ut ſupra dixi, ei datis reſpondi: & quia nunquam vel nuſquam apoſtolicam ſedem eum adire prohibui, Inſuper etiam illum, ſicut & ipſe ſcripſit, cur juſſionem invitationis domni apoſtolici proſequutus non fuerit, reprehendi. Qui undicunque ſibi viſum fuit, cum de ſuis inſolentiis increpatus eſt, licentiam eundi Romam petit, vel ſedem apoſtolicam appellat. Quando vero rex, & epiſcopi ſunt ſibi placabiles, de ipſa licentia nihil dicit, nec ſedem apoſtolicam appellat: cum ſacri præfigant canones qualiter, & unde, & ubi appellare debeat epiſcopus apoſtolicam ſedem. Et anno præterito, poſtquam in Attiniaco libellum de ſua regulari obedientia mihi porrexit in ſynodo, ſedem apoſtolicam non appellavit, nec de licentia illuc eundi aliquid dixit. Sed cum commotus inhoneſte inde diſceſſit, præmiſſum pitaciolum de licentia Romam eundi, circa Kalend. Julias mihi direxit. Poſtea vero nihil mihi inde mandavit, nec quando mecum locutus fuit, inde aliquid dixit. Sed & cum domno rege in ſubſequenti menſe Septembrio in Silvaco, & in menſe Octobrio Remi, ubi & ego fui, & domni apoſtolici miſſi ibi fuerunt, & inde nihil dixit. Deinde menſe Februario in Compendio cum domno rege per aliquot dies fuit, & ego etiam illic fui. Poſtea vero menſe Aprili apud Silvanectis cum domno rege fuit. Et demum in Silvaco per aliquot dies cum domno rege fuit, & ego etiam ibi fui, & nihil inde dixit. Et jam plures Kalendæ menſis Auguſti pertranſierunt ultra placitum quod ei domnus apoſtolicus miſit, mandans ut ultra illas Kalendas non remoraretur quin Romam pergeret. Scripſi etiam illi, quia inſulſe ſcripſerit quoniam ſi licentiam ei eundi Romam apud regem non impetrarem, *Abhinc ut archiepiſcopo coepiſcopus obtemperare debet, canonice mihi obſequi non poſſet*. Et quia contra rationem hoc dixit, ei ex epiſtolis B. Leonis oſtendi; & ut decretales epiſtolas quas beatiſſimi papæ diverſis temporibus ab urbe Roma pro diverſorum patrum conſolatione dederunt, de quibus (ut a metropolitano privilegio contra canones & decreta ſedis apoſtolicæ ex eiſdem ſacris canonibus promulgata ſe poſſit exuere, contumacia pertinaci contendit) illum commonui, ut ſecundum dictum B. Gelaſii venerabiliter ſuſciperet, & ſacra concilia, ut Gelaſius, & ceteri catholici videlicet, doctique pontifices decreverunt, inviolabiliter conſervaret, illi ſuaſi.

Hinc. ep. 55. cit. p. 403.
Fruſtratoria appellatio.
Supra in I. Proclam. Reg. c. 3.
Hinc. l. 55. Cap. c. 40. p. 452.

Et de eo quod ſcripſit, quia *quod apoſtolica ſedes de eo voluit, ac diſpoſuit, Remigio & Arduico archiepiſcopis committere, commiſit*: ſcilicet ut per eos domni apoſtolici epiſtola, unde illi mandavi, ad domnum regem perveniret, & ipſi ejus cauſam agerent: illi non credo; quoniam epiſtola domni apoſtolici mihi directa aperte demonſtrat, illam de qua oblique ſategit, mihi miſiſſe, ut ego illius, videlicet ſuffraganei mei, cauſam agerem apud regem: quatenus & apoſtolicæ ſedes vigorem proprium retineret, & a ſe conceſſa aliis jura ſua non demeret.

Ibid. c. 8. p. 411.

ANNO CHRISTI 871.

Et his, ut præmiſi, ſubſcribens, illi profeſſioni & ſubſcriptioni quam coram epiſcopis decem provinciarum in ſynodo apud Attiniacum profeſſus fuerat, & manu propria ſubſcripſerat; ſcilicet, quia privilegio metropolitano provinciæ Remorum eccleſiæ ſecundum ſacros canones, & decreta ſedis apoſtolicæ ex ſacris canonibus promulgata pro ſcire & poſſe ſe obediturum, contraria profitendo ſubſcripſit. De qua profeſſione atque ſubſcriptione in eadem ſynodo mihi data, S. Leo in epiſtola ad Septimum epiſcopum dicit: *Saluberrimum eſt*, inquit, *& ſpiritalis medicinæ utilitate pleniſſimum, ut ſive presbyteri, ſive diaconi, * vel cujuslibet ordinis clerici, qui ſe correctos videri volunt, errorem ſuum, & ipſos erroris auctores damnari a ſe ſine ambiguitate fateantur; ut ſenſibus pravis, & dudum peremptis * nulla adſpirante ſuperſit occaſio, nec ullum membrum eccleſiæ talium poſſit ſocietate violari, cum per omnia illis profeſſio propria cœperit obviare*. In qua profeſſione & ſubſcriptione ſua confratres & venerabiles coepiſcopi noſtri, conſulentes duritiæ animi ſui, & ſupportantes eum in caritate, noluerunt eum exaggerare de præteritis; ſed tantum futuram correctionem profitendo & ſubſcribendo promitteret. Attendentes quod B. Gregorius in paſtorali regula dicit: *Quia plerumque quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad ſalutem priſtinam aqua tepens reduxit: & nonnulla vulnera quæ curari inciſione ferri nequeunt, fomentis olei ſanantur: & durus adamas inciſionem ferri minime recipit, ſed leni hircorum ſanguine molleſcit*.

S. Leo epiſt. 85. Septimo epiſc.
Greg.

Et hac profeſſione quam ſubſcripſit, quia ſi ei licentiam eundi Romam, quo illum vel quemquam nunquam vel nuſquam volentem ire prohibui, apud domnum regem Carolum non impetrarem, mihi ex tunc, ut archiepiſcopo coepiſcopus obtemperare debet, canonice ſcirem illum obſequi non poſſe: ſubjungens, *Ego Hincmarus S. Laudenenſis eccleſiæ epiſcopus ſponte ſubſcripſi*: illam quam in ſynodo decem provinciarum apud Attiniacum habitam mihi dedit, quantum in ipſo fuit, deſtruxit. Sicut B. Leo in epiſtola ad Leonem Auguſtum, etiam tantus pontifex de ſe dicens, oſtendit: *Secundum apoſtolum ſi quæ deſtruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo, & eis me ultionum conditionibus ſubdo, quas non ſolum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, ſed etiam ego mea conſenſione firmavi*. Deſtruxit enim in præfata ſynodo inobedientiæ præteritæ inſolentiam, ædificans profitendo & ſubſcribendo futuram ſecundum ſacros canones erga ſuæ metropolis privilegium obedientiam. Quam iterum hac prævaricationis ſuæ profeſſione atque ſubſcriptione deſtruere, & adnullare ſategit, & priſtinam ſuam inſolentiam, redivivo furore reſuſcitavit: ac per hoc ſe prævaricatorem conſtituit.

Leo ep. 78.

Quas omnes profeſſiones & ſubſcriptiones ſuas ſapientia veſtra inſimul conferat, & quod de ſubſcriptione vel profeſſione ſubſcribentis ac profitentis, & negligentis atque refragantis ſanctus Spiritus, per eos in quibus locutus eſt, & qui cum Deo in cælo regnant, & in terris miraculis coruſcant, decreverit, ſolicita mente recogitet atque dijudicet. [20] Ait enim ſacrum Carthaginenſe concilium: *Si quis contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerit in aliquo, ipſe ſe honore privabit*. Quid enim in hac noviſſima ſubſcriptione ſua ſacris canonibus & ſupraſcriptis profeſſionibus & ſubſcriptionibus ſuis contraria, congruentius referri poteſt, qua dixit, Ego Hincmarus contra meam profeſſionem, vel ſubſcriptionem veniens, ſponte me honore privavi?

Sed forte dicet, alias ſubſcriptiones ſe invitum, atque coactum feciſſe. Et quid dicit de illa ſubſcriptione, qua libello compilationum ſuarum, nullo petente, vel ſperante, ſubſcripſit, & ab aliis quibuſdam invitis ſubſcribi fecit? Illi nempe qui de verborum differentiis loquuntur, ſicut Nonius Marcellus Peripateticus, in libello de compendioſa doctrina, dicit: *Hoc diſtare inter confiteri & profiteri autumant, quod confiteri voluntatis eſt, profiteri neceſſitatis, & coacti*. Sed non illo hoc ad voluntatem ſuam ſuccurrit, qui contra ſuam profeſſionem & ſubſcriptionem venit. Cum S. Leo, ſicut multoties in illius invenitur epiſtolis, ab unanimitate catholicæ pacis exorbitantes, profeſſionem cum abſolutiſſima ſubſcriptione coram omni clero, & univerſa plebe, * clare præcipiat. Et S. Gregorius in epiſtola ad Theoctiſtam patriciam, de his qui dicebant, [21] quia ſi compulſi aliqui de quibus juſte reprehendebantur, anathematizare ſe, dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri, manifeſtiſſime dicat: *Et ſi ſunt*, inquiens, *qui certiſſime talia ſentiunt vel tenent, quia Chriſtiani non ſunt, dubium non eſt: eoſque & ego, & omnes catholici epiſcopi, atque univerſa eccleſia anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt, & contraria loquuntur*.

Nonius Marcel. c. 5.
Greg. l. 9. ep. 39.

## CAPUT XVIII.

*Quod ſcedulam fictam quaſi ab epiſcopis concilii Tullenſis conſcriptam obtulit, cui reſcripſit Rhemenſis adhortans ad patientiam, & maturam rerum cognitionem.*

Hinc. epiſt. 34. p. 591.

Denique ad hæc 15. Kalend. Auguſt. 3. indictionis, miſit ad me apud Pontigonem, Heddonem eccleſiæ ſuæ præpoſitum, & per eum [22] ſcedulam quamdam mihi direxit, quam habeo ſub chirographo: cujus partem coram epiſcopis, qui adfuerunt, Remigio ſcilicet, Harduico, Francone, Hodone, atque Vuilleberto, & aliis eccleſiaſticis viris referendam illi donavi; ne poſtea mihi eamdem ſcedulam, ſi vellet, miſiſſe negare valeret. Quæ confecta eſt quaſi ex nomine ſynodi apud Tuſiacum: quam antequam per Heddonem clericum ſuum acceperim, nunquam vidi, & nunquam vel nuſquam audivi; ſed nec qui adfuerunt epiſcopi, eam ſe vidiſſe & audiſſe dixerunt. Cui ſcedulæ ab epiſcopis qui præfatæ ſynodo interfuerunt, multifarie multiſque modis: ſed & a ſe aſſerit eſſe ſubſcriptum; quæ in quibuſdam, ſacris regulis contraria, & ſuæ excommunicationi quam fecerat in parochia ſua, eſt conſona. Dicitur enim ibi de damnato, ut *dum vivit, ita a cœtu & ſocietate fidelium remotus, a corpore & ſanguine domini ſeparatus, ut nec in finem communionem accipiat, neque corpus ipſius more fidelium cum oblationibus & pſalmis atque hymnis ad ſepulturam deducatur*. Et aliquanto inferius: *Habeantque principes & judices hanc in populo Dei diligentiam, ut ubicumque tales in poteſtate eorum ab epiſcopis requiſitis fuerint, abſque mora eis exhibeant, ne forte ſi diſſimulaverint, aut mandatum epiſcopi contempſerint, ab eccleſiam Dei projecti, nec ſepulturam cum fidelibus recipiant*. Et aliquanto ſupra iſtam ſententiam: *Si clericus tanti cupiditate ſacrilegii corruptus, aut laicus quicumque hac iniquitate deceptus fuerit, & cognoſcens damnationem ſuam pœnitentiæ remediis ſecundum ordinem & diſpoſitionem ſui epiſcopi ſe ſummiſerit, volumus ut pervaſa & præſumpta ſecundum qualitatem in ſimplum, aut in duplum, aut in triplum, aut in quadruplum eccleſiæ cui damnum inlatum eſt, primum reſtituat. Inde pro ſacrilegio ab epiſcopo ſuo conſilium ſalutis, & pœnitentiæ modum ſuſcipiat*. Quæ conſtitutio reſtitutionis, ſalvo legum jure contraria eſſe dignoſcitur decretis beati Gregorii ad Auguſtinum Anglorum epiſcopum interrogantem: *Obſecro quid pati debeat, ſi quis aliquid de eccleſia furto abſtulerit?* Reſponſio beati Gregorii hinc poſt aliquanta; *Addis etiam quomodo ea quæ furto de eccleſiis abſtulerint, reddere debeant? Sed abſit ut eccleſia cum augmento recipiat, quod de rebus terrenis videtur amittere, & lucra de vanis quærat*.

Extat in Concilio.
PARS II.
Greg. epiſt. ult. l. 12. ad Auguſt. interrog. 4.

Quæ ſcedula, ut oſtendi, eccleſiaſticis ordinationibus contraria, etiam & ex hoc mendax eſſe patenter oſtenditur, quia eorum epiſcoporum nomina ibi habentur ſubſcripta, qui nondum erant epiſcopi: & etiam duorum epiſcoporum nomina ex una civitate, & uno tempore ibi ſunt poſita: & eorumdem epiſcoporum nomina qui ſucceſſerunt ante nomina ſuorum deceſſorum ibi ponuntur. Habetur enim ibi nomen Chriſtiani Autiſiodorenſium, & longe poſt Abbonis item Autiſiodorenſium, cui Chriſtianus ſucceſſit. Et inſcribitur ibi nomen Rainelmi Noviomagenſium, qui nondum erat epiſcopus: deinde longe poſt, nomen Immonis Noviomagorum inſcribitur, cui Rainelmus ſucceſſit. Et aliorum epiſcoporum ibi habentur nomina, qui eidem ſynodo non interfuerunt. Et nos qui interfuimus, ſed & ſe nobiſcum his ſubſcripſiſſe mendaciter dicit, quibus non ſubſcripſimus. Unde videndum eſt ſi illi conveniat, quod Africanum decrevit concilium, de epiſcopo qui Donatiſtis ſe communicaſſe mentitus fuerit: ut *ſi probatum fuerit eum de communione illorum fuiſſe mentitum, dicendo eos communicaſſe, quos eo ſciente non communicaſſe conſtiterit, etiam epiſcopatum amittat*.

Conc. Afric. 91. Cod. can. eccl. Afric. can. 124.

Et poſtquam idem præpoſitus Heddo mihi præfatam ſcedulam dedit, dixit inter cetera, ſeniorem ſuum mihi mandaſſe, quia non poſſet dimittere, ut homines ſuos qui res de ſua eccleſia tenebant per poteſtatem & verbum regis, non excommunicaret. Quoniam altera vice quando domno apoſtolico mandavit de Nortmanno, hoc ei remandavit domnus apoſtolicus, ut prius inde feciſſet ſuum miniſterium, & tunc ſe reclamaſſet. Et hoc ideo hactenus dimiſerat, donec hoc mihi mandaret, ut ſcirem quia nunc inde ſuum miniſterium faceret: unde inter cetera ei ſcripſi: *Age frater cariſſime, quod epiſcopalem condecet gravitatem, expectans donec provincialem ſynodum, cujus jam tempus in proximo eſt, conveniamus; in qua favente ac cooperante domino, ſecundum decreta B. Gregorii, & de * indecentibus cauſis diſceptatio, & ſit ſalubris de eccleſiaſtica obſervatione conlatio, quatenus dum per hoc & præterita corrigentur*. Et quæ ſequuntur in epiſtola Hincmari 34. uſque ad finem.

Hinc. epiſt. 34. p. 594.
* al. incidentibus.
Ibid. p. 596. Superfluum viſum eſt reliqua deſcribere jam excuſa.

## CAPUT XIX.

*Quod poſt fugam ab Attiniaco, rellicto eccleſiæ judicio ſæculares judices a rege expetiit, & judicata retractari fecit.*

Et evoluto duorum circiter menſium ſpatio, poſtquam noctu aufugit ab Attiniaco,

Hinc. epiſt. 35. p. 595.

PARS II.

ante diſſinitionem cauſarum, de quibus apud metropolitanam auctoritatem electos judices expetivit: quibuſdam machinationibus exquiſitis ab eo juſſio eſt principalis elicita, ut de quibus electos judices, ſecundum ſacros canones accepit, non ſolum eorum querela, quorum cauſa uſque ad alium tractatum diffinienda remanſit, verum, & quæ, ut dixi, in domni regis præſentia electorum judicum ſententia deciſa fuerunt, ſine metropolitani conſcientia, ſineque canonico & epiſcopali judicio, per judices ſæculares, Helmigarium ſcilicet mercati palatii telonearium, & Flotarium, ac Urſionem villarum regiarum majores refricarentur, Contra canones, qui ab eccleſiaſticis ad majoris auctoritatis eccleſiaſticos judices, & non a majoribus ad minores, nec ab eccleſiaſticis ad ſæculares; neque a conſenſu partium electis provocari permittunt. A quibus ſæcularibus judicibus a ſe petitis, quædam ex diffinitis refricata & immutata, quædam vero ex diffiniendis ſunt diffinita, adinventitia reputatione, ſicut ab ipſis qui in eodem placito fuerunt, dicitur de non neceſſariis & inconvenientibus juramentis reperta: & ab eo, coram prædictis judicibus ipſis, ſive accuſatoribus, quos contra electos judices, ſicut expetierat, ſuſcepit, propoſita: quatenus & is, de quo legaliter ac regulariter deffinitum fuerat, ut beneficium ſuum haberet, quod contra rationem & æquitatem perdiderat, eadem adinventione dimitteret: & illi quibus judicatum fuerat, ut quoniam is poſt expetitum electorum judicium, idem judicium ſubterfugit, beneficia ſua uſque ad legalem diffinitionem tenerent, beneficia ipſa dererent, & ipſe quod incœperat, evindicaret. Cum ſicut ei non licet, de accuſatione ſive criminalis, ſive civilis cauſæ, relicto eccleſiaſtico, publico purgari judicio; ita etiam non licet illi poſtpoſito, vel contempto eccleſiaſtico judicio, ad ſæcularia judicia convolare: vel quemcumque, vel etiam laicam perſonam pertrahere; neque ad forum ſuum ſequi, ſi ipſa perſona laica conſenſerit eccleſiaſtico ſubire judicio. Sicut lex Valentiniani, quam probat eccleſia, demonſtrat dicens: *Clericus ſi aliquem lite pulſaverit, in foro illius quem ad judicium provocat audiatur. Si tamen pulſatus non adquieverit ad presbyteri & epiſcopi venire judicium.* Et S. Leo * ac Romana ſynodus in epiſtola Sarmationi, Caratoni, Deſiderio, epiſcopis & presbyteris omnium eccleſiarum intra provinciam * Tertiam * conſtitutis directa, dicit: *Si clericus laïcum pulſat, prius ſe audiri ab epiſcopis poſcat: tum ſi petitioni ſuæ laicum videri obviare, ex * permiſſo epiſcopi ſui in ſæculi * moderatoris diſceptatione confligat.* Videlicet, non per ſe, ſed per advocatum; ſicut leges & regulæ ſacræ decernunt. Et quod non licet cuiquam clerico, minime autem licet epiſcopo. Quoniam ut ſanctus Hilarius papa in ſuis decretis dicit, *reatu majore delinquit qui potiore honore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum ſublimitas dignitatum.* Et Africanum concilium decrevit: *Placuit*, inquiens, *ut quicumque*, ſcilicet clericorum, cum quibus & epiſcopalis ordo connumeratur, *ab imperatore cognitionem judicum publicorum petierit, honore proprio privetur. Si autem epiſcopale judicium ab imperatore poſtulaverit, nihil ei obſit.* Et Carthaginenſes canones in III. concilio: *Cui*, inquiunt, *ad eligendos judices undique eccleſiæ patet auctoritas, ipſe ſe indignum eccleſiæ conſortio judicat, qui de univerſa eccleſia male ſentiendo, de judicio ſæculari poſcit auxilium; cum privatorum Chriſtianorum cauſas apoſtolus etiam ad eccleſiam deferri, atque ibidem terminari præcipiat.* Et item Carthaginenſes canones præcipiunt, *ut quiſquis epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum ſeu clericorum, cum in eccleſia ei fuerit crimen * inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto eccleſiaſtico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat; & hoc in * criminali: in civili vero, perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit.*

Nonmannus.

Hincmarus Laudun.

Non licet clericis apud judices ſæculares litigare.

S. Leo ep. 96. * imo Leo Bituricenſis. A.

* al. Thraciam.

* i. Turon.

* al. permiſſa.

* moderatoris.

Hilarius in ſynodo Rom. cit.

Conc. Afric. c. 71. vod. can. eccl. Afr. can. 104.

Conc. Carthag. III. can.

ANNO CHRISTI 871.

Ibidem.

* al. inſtitutum.

* al. criminali judicio.

Unde ſanctus Leo cum ſynodo Romæ habita prædictis epiſcopis Sarmationi, Caratoni, Deſiderio, & presbyteris omnium eccleſiarum intra provinciam * Tertiam conſtitutis, ſuis ſubſcriptionibus hæc quæ ſequuntur; miſit: *Tantam ſæculi poteſtates circa ſacerdotalem ordinem * reverentiam prævalere voluerunt, etiam hi quos ſub imperiali nomine terris divina potentia præeſſe præcepit, ut jus * diſtringendorum negotiorum epiſcopis ſanctis juxta Divalia conſtituta permiſerint. Quod cum & juris antiqui edictis, & * inlatis frequentius ſit legibus confirmatum, præſenti tempore a pleriſque invenimus fuiſſe calcatum. Nam prætermiſſo ſacerdotali judicio, paſſim ad examen * ſæcularium tranſierunt. Quocirca nobis viſum eſt, ut hanc & * ſacrarum legum, & noſtri ordinis contumeliam, & ad præſens ulciſceretur plena diſtrictio, & obſervandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſemus itaque, ut quicumque prætermiſſo ſacerdote eccleſiæ ſuæ, ad diſceptationem venerit ſæcularium, ſacris liminibus expulſus, a cæleſti arceatur altario; neque ullus poſt hanc diffinitionem, quæ communi ſedit arbitrio, quicquam ſibi ultra præſcriptum vindicare nitatur. * Ita fieri, ut & hi qui ante erraverunt, congrua emendatione ſe corrigant, & qui ſub obſervatione clericali, cæleſti probatur ſervire officio, * ex clerico habendum, ſi prætermiſſo ſacerdotum judicio, ſæcularium adierit poteſtatem. Quod ideo ſingulos univerſoſque volumus agnoſcere, ut quod pleno juſtitiæ & juris ordine conſtitutum eſt, effectum totius firmitatis * ex omnibus clericorum negotiis ſortiatur.* Et paulo poſt: * *Leo epiſcopus ſubſcripſi. Victorius epiſcopus ſubſcripſi. Euſtachius epiſcopus ſubſcripſi.* Sic & ceteri qui adfuerunt epiſcopi ſubſcripſerunt.

Synodus in urbe Roma ſub Leone Magno, ep. 96. cit.

* Thraciam.

* al. tantam reverentiam prævalere voluerunt.

* al. diſtringendorum.

* al. ſæculo.

* al. ſæculi.

* al. & ita fiet.

* al. ex clero abjiciendum.

* al. in omnibus.

* al. Leo ſubſcripſi. Victorius ſubſcripſi. Euſtachius ſubſcripſi.

De his autem quæ, ut præmiſi, diffinita fuerunt, & irregulariter ſunt retractata, S. Leo in epiſtola ad Leonem Auguſtum per Philoxenum agentem in rebus directa dicit: *Quæ patefacta ſunt, quærere; & quæ perfecta ſunt, retractare; & quæ diffinita ſunt, convellere, quid aliud eſt, quam de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?* Unde attendendum eſt, de tanta exaggeratione, quam ſit grave quod admiſit, in obtentis, quæ patefacta ſunt, quærere, & quæ perfecta ſunt, retractare, & quæ diffinita ſunt, convellere. Quod tantæ ſapientiæ, & ſanctitatis atque auctoritatis vir apoſtolicæ ſedis pontifex reatui comparavit, qui, ut docet apoſtolus, *in omnes homines pertranſivit*, & non niſi morte filii Dei potuit expiari. Et videndum ſi tale commiſſum ſine ultione delata, abſque periculo eorum quorum intereſt, valeat pertranſire.

S. Leo ep. 99.

Rom. cap. 5.

CA-



ANNO CHRISTI 871.

## CAPUT XX.

*Quod excommunicationi complicum Carlomanni poſt quartam admonitionem non ſubſcripſit.*

Aimonius l. 5. hiſt. c. 24. & ſeq.

DEnique poſtquam Carlomannus a domno noſtro Carolo rege glorioſo inconvenienter ac pernicioſe diſceſſit, & multis filiis Belial ſibi conſociatis, regnum ejuſdem domni noſtri eſt deprædatus: unde quantum potuimus, fideles illius qui in hoc regno commorabamur, fatigimus. Sed & domnus noſter rex poſtquam huc rediit, promiſſionibus paternis ac blanditiis, atque indulgentiarum largitione non modice laboravit, quatenus eundem filium ſuum Deo & ſibi reſtitui, & complices ejus ſalvare valeret. Sed cum ipſe & nos epiſcopi regni ejus qui adfuimus, nec terrores divini judicii, nec promiſſiones regni æterni ac temporalium honorum, apud eum & complices ejus proficere vidimus: epiſcopale miniſterium, quia ipſe de Rhemorum diœceſi non erat, ſed diaconus provinciæ Senonum exiſtebat, in complices ejus qui de noſtris parochiis erant: ſed & in eos qui in iiſdem parochiis noſtris multa ſcelera perpetrarunt, ſententiam excommunicationis eccleſiaſticæ, uſquedum reſipiſcerent, jaculavimus. Quam ſententiam ad archiepiſcopos diverſarum provinciarum dirigendam decrevimus, quæ ita ſe habet.

Flodoard. l. 3. c. 26.

Excommunicatio complicum Carlomanni.

*Hincmarus Remorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus, cum Remorum diœceſeos venerabilibus conſacerdotibus noſtris, Remigio reverendiſſimo Lugdunenſium archiepiſcopo, & ipſius diœceſeos venerandis epiſcopis, ſalutem. Carlomannus domni noſtri Caroli regis glorioſi carne filius in diœceſi Remorum ex aqua & Spiritu ſancto regeneratus, & a patre ſacro altari oblatus, religioſis divini ſervitii obſequiis mancipandus, ac in clericum tonſus; in diœceſi vero Senonenſi, & in parochia Meldenſi ab Hildegario ejuſdem civitatis religioſo epiſcopo, per ſingulos gradus uſque ad ordinem diaconatus provectus, nuper a patre, poſt plurima benignitatis ac beneficentiæ dona ſibi conlata, fuga lapſus, congregavit ſecum plurimos filios Belial.* Et quæ ſequuntur apud Hincmarum, epiſtola 32. uſque ad illa verba. *Cuiquam illorum imminens urgentis mortis periculum ingruerit, ſecundum præfatam ſacrarum regularum formam poſcenti, ultima pœnitentia, & viatici muneris communio non negetur. Quæ idcirco veſtræ reverendæ fraternitati innoteſcere procuravimus, ut vobis commiſſos talium ante correctionem vitare pernicioſum conſortium ſecundum ſacram regulam denuncietis, ne illorum peſtilenti contagione maculentur. Nomina autem vobis eorum omnium de quibus agitur, adnotata, propter pluralitatem mittere non valuimus; ſed ſigna vobis certiſſima deſignamus; quia ſicut Chriſtus ſuis dixit: In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem: ita & vos cognoſcetis illos a diſcipulatu Chriſti, qui ſuos docuit eſſe pacificos, fore per inſolentiam alienos, & ab unitate ipſius eccleſiæ ſeparatos, qui Carlomanno & ſuis complicibus in apoſtaſiæ obſtinatione perſeverantibus, pertinaciter adhærere decreverunt. Valete fratres cariſſimi, ſemper in domino, memores noſtri: quia nos veſtri oblivviſci non poſſumus.*

Meldenſis clericus.

Et hæc deſcribere ſuperſedimus; quia extant in Hinc. ep. 32. p. 553. Hæc deſiderantur in excuſis.

Joan. c. 13.

13 Et quia frater Hincmarus Compendio fuerat, quando adhuc de Carlomanni & complicum ejus converſione tractabatur: & ſine conſcientia mea inde receſſit: conſilio & conſenſu coepiſcoporum noſtrorum, qui ibidem mecum fuerunt, iſtiuſmodi literas ei, ſed & aliis epiſcopis Remorum provinciæ, qui corpore tunc nobiſcum non erant, direxi. *Hincmarus Rhemorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus, Hincmaro dilecto fratri, & venerabili coepiſcopo noſtro, ſalutem. Te latere non poteſt quanta mala Carlomanni complices in Rhemorum diœceſi fecerunt. Propterea cum fratribus & conſacerdotibus noſtris qui adfuerunt, tenore ſubjuncto eos excommunicandos decrevimus. Et ideo his, quæ ſubter adnotantur, relectis, præſentaliter mihi per comminiſtrum literas tui conſenſus in hac excommunicatione canonica mitte; ut per ſingulos archiepiſcopos diverſarum provinciarum eam concurram dirigere, antequam malum quod cœperunt, gravius graſſari, & longius ac latius ſerpendo poſſit excreſcere. Data Prid. Kal. Febr. præſentis 4. indictionis.* Et direxi ei præfatam huic ſubjunctam epiſtolam. Deinde v. Non. Februarias, venit ad me Heddo præpoſitus ſuus, & quia ſicut ei mandaveram, literas ſui conſenſus in hac excommunicatione canonica non direxit, per eum illi eaſdem literas mihi dirigendas verbo mandavi. Et evolutis pluſquam triginta diebus, ex quo inde literas accepit, remiſi ad eum iterum literas, mandans, ut veluti anteriores, & ordinatione poſteriores ſui, & etiam de longinquioribus partibus literas ſui conſenſus obedienter miſerunt, diutius & ipſe mittere non differret: aut certam & regularem rationem mihi reſcriberet, cur jam tertio commonitus eas mihi mittere detrectaret. Ad quas mihi reſcripſit hoc modo.

Hincmar. Rhemenſ. epiſt. ad epiſcopos diſtates.

Refertur ab ipſo Laudun. p. 552.

Flodoard. l. 3. c. 21.

Sæpe detrectat ſubſcribere.

*Venerabili Remorum archiepiſcopo Hincmaro, epiſcoporum minimus ſanctæ Laudunenſis eccleſiæ Hincmarus, ſalutis Chriſticolæ magnificentiam. Quia adeo literas mei conſenſus in excommunicatione a vobis facta requiritis, remandate literis mihi quoque veſtris, ſi ea in eadem addidiſtis etiam, quæ tantillitati meæ videri rationi & auctoritati congruere per Heddonem parvitatis meæ legatum & comminiſtrum mihi, eccleſiæ quin etiam cui indignus præſideo, præpoſitum, non ab re * utique reor, vobis intimavi. Et equidem ipſe demum de meo conſenſu, prout res depoſcit, * coapto tempore ſuſcepto, quod omni ſub ſole adjacet vel, locoque proſpecto, nihilominus regulariter congruo, funditus, & deſpective, non detrectative * tractanda pertractans, literis, dante Deo, canonicis reſcribendo reſpondere, voto compote, & vita comite, cum actutum, tum accuratim procurabo. Alioquin reminiſcor & in hoc negatio illius ſapientis, cujus crebro agitis mentionem, * dicentes: qui jubet impoſſibile, ipſe ſe facit contemptibilem.*

Reſponſ. Laudunenſis ad Rhemenſ. habetur ante epiſt. 36. p. 644.

* al. nihilque.

* al. coepto.

* al. tractandam.

* al. dicentis.

Unde inter cetera illi reſcripſi hoc modo: *Frater Heddo, quando ad me venit, nihil mihi innotuit quæ in literis de præfata excommunicatione ſuperaddere debuiſſem. Verum nec fratres & coepiſcopi noſtri, qui mecum præſentes fuerunt, ibi tunc quiddam addendum viderunt: nec etiam illi qui corpore tunc non adfuerunt, & ætate ac ordinatione tui præceſſores ac ſucceſſores habentur, quando mihi conſenſum ſuum inde regulariter, & obedienter miſerunt, ibi ſuperaddendum aliquid mandaverunt. Præſertim cum eadem excommunicatio ſecundum evangelicam, & apoſtolicam, atque canonicam, & decretorum apoſtolicæ ſedis auctoritatem habeatur contexta: ſicut in epiſtola tibi directa, vel tenuiter intelligens ſine difficultate poteſt advertere. Verumtamen quia Deus ſæpe juniori*

Reſcriptum Rhemenſis ad Laud.

PARS II.
Greg. lib. 7. Ind. 2. ep. 64.

*revelat, & S. Gregorius B. Petri apoſtolorum principis in apoſtolica ſede ſucceſſor, ad quemdam epiſcopum ſcribit: Ego, inquiens, & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus ſum. Stultum eſt enim qui in eo ſe primum exiſtimat, ut bona quæ viderit, diſcere contemnat. Reſcribe mihi planis verbis, & non tortuoſo, ſicut ſoles, ſed recto & aperto ſenſu, quæ tibi in tenore præfatæ excommunicationis tibi directæ, videntur juxta ſanctarum ſcripturarum tramitem, traditionemque majorum ſuperadjicienda, vel detrahenda, ſeu immutanda: & voluntarie a te, vel a quoquam alio, ſalubriter diſcam quod neſcio: & ſecundum euangelicam, & apoſtolicam, atque eccleſiaſticam regulam, ſi quid perpere cum fratribus & coepiſcopis noſtris Rhemorum diœceſeos in hac cauſa, quod adhuc non recognoſco, decrevi, corrigere procurabo.*

Hincmari modeſtia.

*Tandem vero de eo quod ſcripſiſti: Alioquin reminiſcor & in hoc negotio illius ſapientis, cujus crebro agitis mentionem, dicentis: qui jubet impoſſibile, ipſe ſe facit contemptibilem: non videtur mihi ut rationabiliter illud dictum, quod nec ſacris ſcripturis, nec eccleſiaſticis regulis continetur, (licet in communi colloquio forte, ut dicis, me hoc audieris dicere) in auctoritate ad contemnendam metropolitanam commonitionem mihi debueris proponere. Et me hujus cauſæ juſſione apud te non feci contemptibilem, videlicet ad conſerviendum habilem, quia nihil tibi contra fidem & bonos mores, contra ſacras regulas & eccleſiaſticam conſtitutionem, ſeu conſuetudinem ſcripſi: ac per hoc nihil contemptibile, & ideo nihil impoſſibile juſſi ſcribens, ut in meis literis tibi directis continetur, quatenus veluti anteriores, & ordinatione tui poſteriores, ac etiam de longinquioribus partibus obedienter miſerunt, diutius mihi mittere conſenſum tuum non differres, aut certam & regularem rationem mihi reſcriberes, cur ecce jam tertio commonitus, & evolutis pluſquam 30. diebus ex quo inde literas accepiſti, metropolitano mandato in hac cauſa obedire detractares: non immemor ſententiæ B. Leonis qua dicit: Qui non vult gravis oneris ſarcinam ferre, non audeat alii importabile pondus imponere. Diſcipuli enim ſumus humilis & mitis magiſtri, dicentis: Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Et tu, frater, ſequere ſententiam ſancti Spiritus, per eumdem ibidem dictam: Qui ſcit ſe quibuſdam præpoſitum, non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe prælatum; ſed obedientiam quam exigit, etiam ipſe dependat.*

S. Leo ep. 84.
Ibidem.
Quanto admonet & obteſtatur ut ſubſcribat.

*Quapropter nunc tibi iterum, frater, ſcribo, non pueriliter ſermonibus per gloſulas exquiſitis, ut ſtudes, quo ſine ullo intelligentiæ ac inſtructionis fructu a fatuis inanes admirationis rumuſculos capias: nec quaſi aerem verberans, vel mundanæ ſapientiæ verbis, aut ſæculari militia tecum pugno, ſed virtute diſpoſitionis divinæ: quia ut S. Leo oſtendit, etiam & inter beatiſſimos apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis; & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt ut ceteris emineret. De qua forma, epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna ordinatione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia vindicarent, ſed eſſent in ſingulis provinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia: quoniam etſi ordo generalis eſt omnibus ſacerdotibus, non tamen communis eſt dignitas omnibus. Te coram Deo & Chriſto Jeſu, & electis angelis ejus in virtute Spiritus ſancti, quem per manus impoſitionem humilitatis meæ, in epiſcopali ordinatione creditum eſt te accepiſſe, commoneo & obteſtor ut reſipiſcas a cœpta contumacia, & obedias ſecundum ſacros canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, tuæ metropolis privilegio. Juxta quod redargutus de inſolentiæ tuæ frequenti ac periculoſa inobedientia, manu propria coram multis teſtibus profeſſus es ac ſubſcripſiſti, & mihi porrexiſti in ſynodo plurimarum provinciarum, quatenus canonicum non ſubires judicium, ante oculos mentis habens quod de hujuſmodi tranſgreſſoribus, qui contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerint in aliquo, ſacri canones præfigant. Et quæ hinc ſacra hiſtoria, & in ipſius ſententiæ expoſitione B. Gregorius apoſtolicæ ſedis pontifex diffiniat. Melior eſt, inquiens, obedientia quam victimæ, & auſcultare magis quam offerre adipes arietum: quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle adquieſcere. Hinc B. Gregorius: Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quiſque citius Deum placat, quanto ante ejus oculos repreſſa arbitrii ſui ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat. Quo contra ariolandi peccata inobedientia dicitur, ut quanta ſit virtus obedientiæ demonſtretur. Ex adverſo ergo melius oſtenditur quod de ejus laude ſcribitur. Si enim quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle adquieſcere: ſola eſt quæ fidei meritum poſſidet obedientia; ſine qua quiſque infidelis convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur. Data 13. Kalend. Maji.*

S. Leo ep. 88. Diſt. 21. c. Sacroſancta
Hincl. 55. Cap. c. 13. p. 413.
ANNO CHRISTI 871.
1. Reg. c. 15.
Greg. lib. 35. in Job. c. 10.
Obedientiæ commendatio.

## CAPUT XXI.

*Quod deinde ſemel ac iterum eadem de re monitus obedire contempſit, & concilii Antiocheni canonem indiſcrete exponit.*

POſtea 3. Nonas Maji venit ad me clericus ſuus, nomine Teutlandus, quædam mihi de patre illius referens, quæ hic cauſa brevitatis omitto. Et dixi ei, ut epiſcopo ſuo diceret, quatenus ſicut & literis & verbis jam illi mandaveram, literas ſui conſenſus in excommunicatione complicum Carlomanni mihi mittere diutius non differret: unde tunc quinta vice eum commonebam. Poſtea ſexta vice literis, quarum exemplar habeo, illum commonui, quatenus conſenſus ſui literas in excommunicatione canonica complicum Carlomanni mihi mittere diutius non differret. qui obedire mihi more ſuo dedignatus fuit. Inſuper in memorata rotula ſua inter alia hinc mihi reſcripſit: *Cujus couti dedignamini concilio, petere non operæpretium habetis conſenſum. Et miror cur in hoc meum requiritis conſenſum, cujus non quæſiſtis; immo ſpreviſtis conſilium. Cum Antiochenum decernat concilium: Nec archiepiſcopus ſine ceterorum agat conſilio ſacerdotum: quod nullum excludit coepiſcopum.*

Memoratur a ipſo Laudun. ep. 16. pag. 555.
Non extat.

Non attendens quam indiſcrete ſententiam ipſius exponat concilii; quam diſcrete idem decrevit concilium, dicens: *Placuit præter metropolitanum ceteros epiſcopos nihil amplius agere ſecundum antiquam a patribus noſtris regulam conſtitutam.* Et reliqua. Quæ ſit autem antiqua regula a noſtris patribus conſtituta, ſancta Nicæna ſynodus patenter oſtendit, decernens, ut quoniam primatus & ſolicitudo omnium eccleſiarum in principatu beati Petri domini ore percepto, pertinet ad primæ & ſanctæ Romanæ ſedis pontificem, ut Alexandrinus epiſcopus omnium ſibi commiſſorum habebat poteſtatem. Similiter & apud Antiochiam, ceteraſque provincias ſua pivilegia ſerventur eccleſiis. De quibus autem eccleſiis dicat, & quæ, & qualiter privilegia illis ſervari debeant, præfatum Antiochenum demonſtrat concilium: *Per ſingulas*, inquit, *regiones epiſcopos convenit noſſe, metropolitanum epiſcopum ſolicitudinem totius provinciæ gerere: propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere, concurrant.* Et Africanum concilium: *Decreta*, inquit, *Nicæna ſive inferioris gradus clericos, ſive epiſcopos ipſos ſuis metropolitanis apertiſſime commiſerunt.* Et reliqua. Et S. Bonifacius ſcribit: *Convenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita ſynodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita * incipit, (ut eadem proprie verba ponamus) Per unamquamque provinciam jus metropolitanos ſingulos habere debere; nec cuiquam duas eſſe ſubjectas. Quod illi (quia aliter credendum non eſt) ſervandum ſancto Spiritu ſuggerente, ſibimet cenſuerunt.* Et paulo poſt: *Quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua, adeo nos canonum præcepta ſervare, ut ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat, quatenus metropolitani ſui unaquæqe provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet.* Diſtincte igitur Antiochenum decrevit concilium, ut *præter metropolitanum ceteri epiſcopi nihil amplius agant, niſi ea tantum quæ ad ſuam diœceſim pertinent, poſſeſſioneſque ſubjectas.* Hic diœceſis pro parochia, ſicut, & alibi, ponitur. Et poſt aliquanta: *Nec metropolitanus ſine ceterorum gerat conſilio ſacerdotum*: Et non addidit in hac ſententia, quod in præcedenti præpoſuit: nihil amplius ſine ceterorum gerat conſilio ſacerdotum: quoniam ſacrum Nicænum concilium noverat decreviſſe, ut ſi duo aut tres provinciales epiſcopi propter contentiones proprias contradicunt, obtineat ſententia plurimorum.

Conc. Antioch. c. 9.
Conc. Nicæn. c. 6.
V. l. 55. Cap. 4. p. 401. &c.
Conc. Antioch. c. 9 cit.
Concil. Afric. c. 105. & Cod. can. eccl. Afr. can. 138.
Bonifac. papa ep. 5. * al. præcipit.
Concil. Nicæn. can. 6.

Claret igitur fratrem Hincmarum aliter quam debuerat, ad ſuum ſenſum inflexiſſe ſententiam Antiocheni concilii, quam idem concilium, ſed & S. Bonifacius papa intellexerunt ſententiam ſacri Nicæni concilii: cum idem S. Bonifacius in eodem concilio promulgaverit, *quatenus metropolitani ſui unaquaque provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet*. Et non decrevit, quia non debuit, contra Nicænum & Antiochenum concilium, ut in omnibus rebus metropolitanus omnium coepiſcoporum provinciæ conſilium ſemper expectet: quoniam de omnium negotiis, qui de provincia ad metropolitanum undique concurrunt, ſemper omnium coepiſcoporum conſilium expetere vel expectare metropolitanus non poteſt, verum nec debet. Sed ſicut ſanctus Leo ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem ſcribens: *Secundum ſanctorum Patrum canones Spiritus Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, metropolitanos ſingularum provinciarum epiſcopos jus traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decrevit, ita ut a regulis præſtitutis nulla aut negligentia aut præſumptione diſcedant.* Privilegium ſuæ ſedis metropolitanus eo modo debet exercere, ut ea ſingulis ſervari præcipiat; ſicut item Leo ad Hilarium Narbonenſem epiſcopum ſcribit: * *Quæ nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum inveniatur adverſum.* Et hoc eſt a præſtitutis regulis nulla aut negligentia, aut præſumptione diſcedere: videlicet ut præſtituta pro viribus exequi metropolitani non negligant, neque præſumptione convellant. Quæ autem ſecundum præſtitutas regulas ſingulis pro negotiis convenientibus præcipiens, quorumcumque rebellionem vel præſumptionem non potuerit corrigere, ſua præceptione debet aut per judices a ſe datos, aut ex conſenſu partium electos, corrigere: aut in comprovinciali ſynodo, ſecundum ſacras regulas, quæ neglecta, vel præſumpta ſunt, conſilio epiſcoporum provinciæ emendare.

Officium metropolitani.
Leo ep. 85. ad Anaſt.
Idem ep. 92. ad Ruſticum Narbon. * quod

Quas ſententias ſacrorum canonum ab omnibus omnium provinciarum epiſcopis, præter eum, in iſtis regionibus obſervatas, ante mentis oculos habens, non ſæpe memoratam excommunicationem canonicam in Carlomanni complices, ſine ceterorum qui adfuerunt, & adeſſe voluerunt, vel adeſſe potuerunt conſilio vel conſenſu exerui; & aliorum qui tunc adeſſe non potuerunt, conſenſum & conſilium requiſivi, & obedienter ab illis datum, & miſſum recepi. Ab eo autem qui adeſſe potuit, & adeſſe non voluit, quique de tractatu ex cauſa Carlomanni & complicum ejus ſine conſcientia mea diſceſſit, conſenſum requiſivi: & ſicut ab anteceſſoribus & ſucceſſoribus ejus in ordinatione obtinui, apud illius contumaciam hactenus obtinere non potui.

PARS II.
Solus Laudun. non obſervat canones.
Ex concilio apud Attiniacum.

## CAPUT XXII.

*Quod in quibuſdam Rhemenſem ipſum male reprehendit, & de pœna inobedienti irroganda.*

SCripſit etiam mihi ſe miratum valde fuiſſe, ſi eum per ſuum clericum commonere potuiſſem. Non attendens quia ſi ipſius metropolitanus eſt qui ſedet in Remorum metropoli, & clerici ſui eſt metropolitanus, ad quem ſecundum ſacros canones, totius provinciæ debent convenire omnes qui videntur habere negotia: & ipſe præcipere ſingulis, & in commune omnibus quæ nec præceptis euangelicis contraria, nec decretis ſanctorum inveniantur adverſa: & corrigere in ſingulis ſingula ſi quæ fortaſſis emerſerint. Quibus conſtat etiam [a] per clericum ſuum metropolitanus cum prævalet commonere, & apud quem, juxta Carthaginenſes canones, ſi eſt utile, debet & prævalet provincialis epiſcopus accuſari. Et presbyteri, & diaconi, & ceteri inferiores clerici in cauſis quas habuerint, ſi de judiciis epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, & ab eis, atque a vicinis epiſcopis ad primatem provinciæ appellaverint, ejus auctoritate ſuos epiſcopos regulariter commonere valebunt. Nam & coepiſcopi Rhemenſis provinciæ in longinquioribus partibus conſtituti, ex antiquo, [b] metropolitanis literis per vicinorum epiſcoporum miſſos ad ſynodum vel ordinationem regulariter & jure, ſed & de aliis quibuſque monentur.

Metropolitanus epiſcopos per quemlibet potest monere.
a) Forte, quod per. H.
b) Forte, Metropolitani. H.

Et ſubſequitur, *Quod tamen ſynodali agendum erat tempore, & judicio ſi eſſet digna ratio unde commoneret. Nam iſta tales veſtræ præceptiones non illiuſmodi commonitiones ſunt: neque mihi aut alicui epiſcopo per loca diverſa, qua pro veſtra commoditate aditis; ſi impetiar reſpondendum eſt, ſed in ſynodo.* Non videns, vel potius arrogantia cæcus videre non valens, quia aliud eſt, ſi a quoquam impetitur vel accuſatur; & aliud eſt, ſi pro reclamatione alicujus ex ſua parochia a metropolitano commonetur, ut ea quæ * propere egit, provincialis epiſcopus mendare monetur, aut pro cauſis neceſſariis conſenſus illius re-

Non extat hæc epiſtola Laudun.
* legendum videtur præpropere.

PARS II.

requiritur. Nam pro omnibus omnium negotiis; qui undique juxta canones ad metropolim ſuam conveniunt, ad eum commonendum non debet, nec valet metropolitanus ſynodum convocare.

*Carlomanno & complicibus data benedictio ab epiſcopis.*

Reprehendit etiam me, quia Carlomanno, & ſuis, quibus excommunicationem intentaverat, ſed adhuc eam, ſicut & ipſe ſcribit, in illos non protulerat, & qui ſe profitebantur velle corrigere, in ſua parochia publice ſine ſuo conſenſu, benedictionem petentibus dedi. Dicit de quibuſdam ſcriptura: *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt; ſed labor labiorum illorum operiet eos.* [24] Quando fideles ſenioris noſtri qui convenimus tam epiſcopi, quam abbates, & comites, & ceteri ejus fideles ad conlocutionem Carlomanni, atque ſuorum, & perſuaſimus eis, ut datis & acceptis utrinque obſidibus, a malis quæ perpetrabant in regno ſenioris noſtri, quieſcerent, & pacifice ibi degerent, quouſque ad ſenioris noſtri indulgentiam pervenirent: cum ſolvenda erat conlocutio, & quique noſtrum ad ſua redire pararent, tam ſenioris noſtri fideles, quam & Carlomannus & ſui, profitentes de correctione ſua, benedictionem ſibi dari a me, ſed & ab aliis qui adfuerunt epiſcopis, petierunt. Et præmiſſa ſententia domini, qua præcepit diſcipulis ſuis dicens: *In quamcumque domum intraveritis, dicite, Pax huic domui; & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra: ſin autem, pax veſtra ad vos revertetur.* orando, ut confirmaret hoc Deus, quod operatus erat in nobis, & per nos in illis: benedictionem, ut fidelibus, & voluntatem, ac devotionem fidelitatis habere profitentibus, dedimus. Docente S. Gregorio ex legali ſententia, ut *per alienam meſſem tranſiens, manu ſpicas conterat & manducet; ut de ſegete quæ alteri videtur eſſe ſubjecta, per effectum boni operis, frumenta dominica vitiorum ſuorum paleis* * *exſpolietur, & in eccleſiæ corpus monendo & perſuadendo, quaſi mandendo convertat.* Et canones ſacri dicunt, ut epiſcopus alienam civitatem quæ non eſt illi ſubjecta, non adeat, nec ad poſſeſſionem accedat, quæ ad eum non pertinet ſuper ordinatione cujuſquam; quod nec me feciſſe intelligo; cum iidem ſacri canones dicant: Per ſingulas regiones epiſcopos convenit noſſe, metropolitanum epiſcopum ſolicitudinem totius provinciæ gerere. Unde in quacumque parochia totius provinciæ viſum mihi fuerit, ſicut & in Laudunenſi parochia ſæpe jam egi, ſecundum Calchedonenſes canones & decreta ſedis Romanæ pontificum, libere poſſum ſynodum convocare; & corrigere ſingula, ſi quæ fortaſſis emerſerint. Non ergo alienam civitatem, quæ non eſt mihi ſubdita, adii; nec ad poſſeſſionem quæ ad me non pertinet ſuper ordinatione cujuſquam acceſſi. Quæ etſi Laudunenſis parochia mihi in privilegio metropolitanæ ſedis non eſſet ſubjecta, de ſegete qua alteri videbatur eſſe commiſſa; per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum ſuorum paleis exſpoliare, & in eccleſiæ corpus monendo & perſuadendo, quaſi mandendo, libere poſſem convertere.

*Luc. c. 10.*

*Gregor. l. 11. ep. ult. interrog. 9.*

*Deuteron. c. 23.*

* *exſpoliet.*

*Concil. Antioch. can. 22. Vide Anton. Auguſt. l. 4. Jur. pontif. tit. 20.*

*Exceptio de ultima infirmitate.*

Sed & quod ſcripſimus in epiſtola de excommunicatione complicum Carlomanni, per diverſos archiepiſcopos dirigenda, dicentes: *Ea videlicet conditione,* [25] *ut ſecundum formam myſtici Nicæni concilii, & Africæ provinciæ canonum, juxtaque apoſtolicæ ſedis decreta pontificum Siricii, Innocentii, Cæleſtini, Leonis, ubi* [illegible] *ultima pœnitentiæ* [illegible] *neceſſarii viatici communio petentibus non negetur.* Secundum ſuam ſingularem ſapientiam corrigit, ſcribens in ſua rotula: *De viatico autem illis concedendo, non niſi per profeſſionem, etiamſi in ultimo ſint poſiti, videlicet ut ſi poſtea convaluerit, quiſquis eorum viaticum in infirmitate poſitus petierit, profiteatur non ulterius ſe talia acturum, neque talia agentibus ſe participaturum. Quoniam in ſuis ita ſanctus papa Gelaſius inſtituit conſtitutis; ſententia præfigitur, vel præfixa eſt ſemper errori. Quæ ſententia huic errori præfixa, nunquam omnino ſolvetur.* Qua de re quid eſt nobis agendum, niſi intremus apud illum in ſcholam, & nos magiſtrali ferula doceat, quod patres qui in Nicænum concilium convenerunt, & canones ſpiritu Dei conditos, manſuraſque uſque in finem ſæculi leges præfixerunt? [26] Sed & epiſcopi Africæ provinciæ, inter quos & famoliſſimus Auguſtinus, non parva Chriſti portio, & eccleſiæ catholicæ inſtitutio, atque defenſio, extitit, neſcierunt, vel obliti fuerunt? Sed & Siricius, Innocentius, Cæleſtinus, & Leo percipere non potuerunt? Verumtamen quia nobis de hac cauſa ſufficit tantorum, quorum formam præmiſimus, catholica & ſalutaris doctrina; cui ex ſuperfluo, vel potius ex anguſtia quiddam, quaſi diſſimulando, ſuperaddere voluit ac præſumpſit; quoniam eum repercuſſit, contra quam in ſua pernicioſa excommunicatione agere non pertimuit: & ideo ſui conſenſus literas in præſcriptis canonum & decretorum apoſtolicæ ſedis pontificum diffinitionibus mittere mihi auſus non fuit. Et accidit illi quod ſcriptum eſt; Qui fugerit arma ferrea, irruet in arcum æreum. Dum enim vitare voluit, ne contra ſuæ pernicioſæ excommunicationis præſumptionem in conſenſu ſibi mandato a me, ſcriberet, & de ipſa præſumptione inlicitæ excommunicationis, & de contempto privilegio ſuæ metropolis, & de inobedientia contra ſuam profeſſionem & ſubſcriptionem, in judicium ſacrarum legum, & canonum & decretorum apoſtolicæ ſedis pontificum irruit. Et ut ſtatuerat ſuam ſententiam, poſuit in eodem ſuo ſcripto teſtimonium contra ſe beati Auguſtini ex libro de fide & operibus, de diſcretione correptionis & excommunicationis, & quaſi fugiens a facie leonis, irruit in urſum; & in domo innixus parieti, momordit eum coluber. Id eſt, teſtimonium contra ſe a ſe ipſo in ſcripto ſuo poſitum ex ſcripturis illius, qui exaltatus eſt in cruce, ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto. *Non eſt*, inquit Auguſtinus in teſtimonio ab Hincmaro poſito, *contrarius apoſtolus domino, quia dixit, Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant: cum ille dicat, Corripe eum inter te & ipſum ſolum. Utrumque enim faciendum eſt, ſicut infirmitatis diverſitas admonet eorum, quos utique non perdendos, ſed corrigendos curandoſque ſuſcepimus.* Quæ verba teſtimonii a ſe in ſcripto ſuo poſiti ſi attenderet, illam pernicioſam excommunicationem ad perditionem multorum, quos non perdendos, ſed corrigendos curandoſque ſuſcepit, intentare nequaquam præſumeret. Quo contra Salomon dicit: *Sicut ſpina in manu temulenti: ſic & in ore ſtulti parabola.* Ut enim temulentus ſpinam in manu gerens ſeipſum vulnerat; ita qui incautus eſt ad loquendum, ſententia ſua ſe percutit. Et item in eodem teſtimonio beatus Auguſtinus dicit: *Ita etiam eſt ratio diſſimulandi, & tolerandi malos in eccleſia: & eſt rurſus ratio caſtigandi, corrigendi, non admittendi, vel a communione removendi.*

*ANNO CHRISTI 871.*

*Corrigit a Leone.*

*Ridicule.*

*Auguſtinus etc.*

*Teſtimonium ſibi oppoſitum alleget.*

*Aug. lib. de fide & operibus c. 1. Timoth. c. 5. Matth. c. 18.*

*Proverb. c. 26.*



*ANNO CHRISTI 871.*

*Errant autem homines non ſervantes modum; & cum in unam partem proclives ire cœperint, non reſpiciunt divinæ auctoritatis alia teſtimonia, quibus poſſunt ab illa intentione revocari, & in ea quæ ex utriſque temperata eſt, veritate & moderatione conſiſtere.* Et ſi hanc diſcretionem corripiendi & excommunicandi, aut diſſimulandi & tolerandi malos in eccleſia, quam beatus Auguſtinus dixit, & ex verbis ſacri eloquii ratiſſimam demonſtravit, frater Hincmarus attendens a metropolitano ſuo ſemel & ſecundo ex euangelica veritate, & apoſtolica atque canonica auctoritate, & decretis apoſtolicæ ſedis commonitus, ut eamdem pernicioſam excommunicationem reſolveret, in pertinaci contumacia ſua in ſuum periculum non perſiſteret.

*Inobedientia pœna.*

Contra cujus inobedientiam, qui mihi, ſuo metropolitano, literas ſui ex hac cauſa conſenſus contumaciter mittere recuſavit, quid ſacræ leges & regulæ dicant, ſubjungam: Honorius & Theodoſius Augg. in legali edicto ſuo, directo Aurelio Carthaginenſi archiepiſcopo, decreverunt dicentes: *Religio itaque tua competentibus ſcriptis univerſos epiſcopos faciat admoneri, ſcituros diffinitione ſanctimonii tui hanc ſibi diffinitionem eſſe proſcriptam, ut quicumque damnationem ſupra memoratorum, quo pateat mens pura, ſubſcribere, impia obſtinatione neglexerint, epiſcopatus amiſſione mulctati, interdicta in perpetuum, expulſi civitatibus, communione priventur.* Et paulo poſt: *Una enim eademque culpa eſt eorum qui aut diſſimulando conhibentiam, aut non damnando favorem noxium præſtiterunt.* Et hinc S. Gregorius ad Felicem epiſcopum in Sardica: *Qualiter*, inquit, *obedientia, vel ſit reverentia præpoſitis exhibenda, ex tuis quoque ſubjectis ipſe non ambigis. In qua re valde eſt utile, ſi id quod diſciplinæ vigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda ſervaverit. Pervenit ad nos itaque quod fraternitas tua Joanni fratri noſtro, primæ Juſtinianæ epiſcopo ſecundum morem* * *conſtitutum parere deſpiciat, & nec decreto ejus, nec* * *relationi, juxta conſuetudinem, voluiſſet ſubſcribere. Quod ſi ita eſt, contriſtamur, quia ſuperbiæ de te manifeſte præbes indicium: quod quam ſit, præſertim in ſacerdote, culpabile,* * *divinæ clementia monitionis eloquitur. Propterea hortamur, ut mentis tumore depoſito antedicto fratri, & coepiſcopo noſtro humilem te exhibeas, & parere non deſinas: quatenus & Deus gaudeat in fraternitatis veſtræ concordia, & alii de te ſumant bonitatis exemplum. Nam ſi, quod non credimus, te in ſuperbia permanere contigerit, diſtrictam canonicamque diſciplinæ correctionem contumaciæ tuæ* * *ſcito ſacros canones ulciſcenter imponere. Bene ergo facis talem te ſponte ſalubri conſideratione præbere, qualis eſſe canonica* * *coercitione compelleris. Nam nec tibi denuo poſt hanc noſtram admonitionem licebit ad tuæ voluntatis arbitrium, contra morem, majoribus tuis inobedientem exiſtere: nec nos tantæ indiſciplinationi eccleſiaſticam cognoſcas diſſimulare vel differre vindictam.* Unde attendentes judicii comminationem beati Gregorii, contra inobedientiam archiepiſcopo ſuo, qua dicit: *Denuo poſt hanc noſtram admonitionem nec tibi licebit ad tuæ voluntatis arbitrium, contra morem, majoribus tuis inobedientem exiſtere: nec nos tantæ indiſciplinationi eccleſiaſticam cognoſcas diſſimulare, vel differre vindictam.* Diſcernite utrum quod in terris conſiſtens, & converſatione in cælis habitans intentavit; & adhuc nobiſcum in ſuis conſtitutionibus vivens, de cælo in hujuſmodi creditur intentare, poſt tot commonitiones, vindictam tantæ indiſciplinationi iſtius regularum contemptoris diſſimulare, vel differre diutius debeamus, nos qui per Dei gratiam ad cæleſtia ſuſpiramus.

*Greg. l. 4. epiſt. 7.*

* *al. obedientiam.*

* *al. relationi quam ad nos direxit.*

* *al. divinæ admonitionis clamant eloquia.*

* *al. nec ſcito ulciſcenter impune.*

* *al. coercitione exigente.*

PARS II.

## CAPUT XXIII.

*Quod Hincmaro eidem Rhemenſi traditionis crimen per calumniam imponit.*

POſt tantas denique, & alias plures, quas vitando prolixitatem prætereo, commonitiones & ſacras auctoritates a me illi prolatas; ſicut dominus de rebellante adverſum ſe populo queritur: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Et, *verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam*, accidit mihi ab illo, quod Salomon dicit: *Acetum in nitro ei qui cantat carmina corde peſſimo. Acetum*, inquit Gregorius, *ſi mittatur in nitrum, ferveſcit nitrum protinus, & ebullit: & perverſa mens quando per increpationem corripitur, nec per prædicationis dulcedinem ad bona ſuadetur, & correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitatem ſuccenditur, unde debuit ab iniquitate compeſci.* Unde ſubſequitur in rotula nuper 16. Kal. Julias præſentis 4. indictionis mihi directa.

*Jerem. c. 51. Mali homines exaſperantur correptione. Ezech. c. 22. Proverb. c. 25. Greg.*

*Nulla*, inquiens, *conſanguinitatis pietate reſtricti, ſed neque aliqua archiepiſcopalitatis præſtabilitate aut probitate, ab* * *orgis juſtitiam non operante retenti, ſuadentes, ac immo compellentes me tradendo, ut a regia poteſtate manciparer cuſtodiæ, ſcribentes literis veſtris ad eum ita: Et cum Silvanectis veneris, habe tales homines ſtrenuos ac peritos, ſicut opus eſt ad talem beſtiam capiendam. Et ad Odonem complicem veſtrum, ſic, ut quando ad ſynodum venerimus, Deus poterit dare nobis quid loquamur: uſquedum de iſto indomabili unicornio, & inquieto animali nos liberabit. Hæc autem perficere laborare non ceſſaſtis, a tempore quo ſynodum in Sueſſionica civitate pro depoſitione Rothadi habuiſtis: eo quod retinebar ſubſtitui contra ſacras regulas in ejus loco epiſcopum, antequam univerſalis papa pro tanto conſuleretur, ut auctoritas ſe habet, negotio. Quod dum ante efficere non voluiſtis, quia nondum venerat hora mea, in Silvaco compote eſtis potiti voto. Et hoc vos egiſſe Rhemis mihi negaſtis; quod tamen tunc vobis aperte dicere nolui.*

*Lud. ad Rhemenſem.*

* *fort. ὀργῆς.*

De quibus ſcribo. Lex Juſtiniani dicit, ut *metropolitanus vel primas provinciæ, de eccleſiaſtico jure, vel de aliis negotiis inter conquirentes audiat: & quod eccleſiaſticis canonibus & legibus noſtris conſentaneum ſit, hoc diffiniat, & nulla pars valeat calculo ejus contradicere.* Et hinc beatus Gregorius ſæpenumero in ſuis ex Regeſto decretis præcipit, ut *ſecundum leges & canones eccleſiaſtica judicia terminentur.* Et ſacræ leges, quas eccleſia catholica recipit, dicunt: *Quoniam confiteri quiſque in judicio, non tantum ſua voce, ſed & literis, & quocumque modo poteſt: convinci autem non niſi ſcriptura aut teſtibus poteſt.* Et de clericis, in poſteriori lege Majorani abrogatum demonſtrant, ut *clerici per compromiſſi vinculum non adeant epiſcopale* judicium. Et item leges ſacræ dicunt, ut in criminalibus cauſis nec accuſator, nec accuſatus per procuratorem, aut aliam perſonam defenſare ſe permittantur, niſi ingratum libertum patronus accuſet. Et in cauſa capitali nemo damnatur, neque abſens per alium accuſare aut accuſari poteſt; niſi forte accuſatus legaliter ac regulariter evocatus (quia, ut ſcri-

*Reſpondet Rhemenſis.*

*Leges de judiciis eccleſiaſticis.*

PARS II. Gelaſ.

ſcribit Gelaſius, *Ita vocatur ad judicium certa quæcumque perſona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis*) ad purgandum ſe, contra evocationis regulam venire diſtulerit, ut ſecundum leges, & decreta Gregorii, in eum, quaſi in contumacem proferatur ſententia. Et ſecundum leges & canones, ut dicit Felix, *reſpondere diffidens, objecta confirmat*: quatenus ut Bonifacius papa decrevit, *dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur*. Cujuſmodi judicio & accuſator ſecundum leges & canones ſubjacebit, ſi accuſationem ſuam legalem, ac regularem proſequutus non fuerit; ut aut quæ objecit, legaliter ac regulariter comprobet, aut falſitatis reus judicio legali ac regulari ſubjaceat. Sicut in legis Theodoſianæ lib. 9. c. 26. & 27. in Carthaginenſis concilii c. 19. & Africani concilii c. 27. evidenter oſtenditur. Sed & conſpirans cum propria plebe, & nonnunquam vocatus ad concilium venire [a] detractans, putans ſibimet plebem ſuam poſſe ſufficere, fraterna dilectione contempta; non tantum diœceſim amittere, verum & auctoritate publica ab ipſa principali cathedra removeri, & propriis carcere, ut rebellis, præcipitur: ſicut in 20. Capitulo Africani concilii continetur.

a) Pro detrectans, R.

Crimen traditoris.

Ceterum, quia graviſſima & in hoc crimine judicia & in legibus ſacris, & in eccleſiaſticis regulis demonſtrantur, tam in accuſatum, quam in per calumniam accuſantem, & non probantem; ſive præſens in judicio Hincmarus a ſe objecta proſequatur; vel objectis ſibi reſpondeat; ſive ſæpius regulariter evocatus adeſſe neglexerit: neceſſe erit ex utriſque partibus veritatem inquiri, & quæ inventa fuerint, juſte & rationabiliter deffiniri. Dicit namque ſuum me traditorem, id eſt, proditorem, videlicet epiſcopum epiſcopi delatorem. Et hiſtoriæ, ac chronicæ eccleſiaſticæ adſtruunt, præcipue chronica Proſperi, Cæciliano eccleſiæ Carthaginenſis epiſcopo objecta crimina non probata fuiſſe; maxime quod a traditoribus divinarum ſcripturarum fuerit ordinatus. Et non leve crimen eſt, ſi ego qualiſcumque archiepiſcopus per me domino conſecratum epiſcopum tradidi. Unde & ſigna literarum mearum, quibus recognoſcerem me ſuum traditorem mihi iſdem frater noſter ad comprobationem producere. * Sicut & de traditore domini noſtri ſcriptum eſt; quia traditor eis, quibus eum tradebat, dedit ſignum, ut quemcumque oſculatus fuiſſet, ipſum tenerent. De quo idem dominus ad Pilatum dicit: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*. Duarum quoque epiſtolarum mearum verba mendoſe, ac ſi duos teſtes adverſum me in teſtimonium protulit: ut & in accuſatione ſummi capitis noſtri factum fuiſſe legimus. *Omnes*, inquit Gregorius; *electi, quia ſummi capitis membra ſunt, caput quoque ſuum in paſſione ſequuntur, ut ipſos adverſarios in ſua morte ſentiant, de quorum vita præſumebant; & tanto eis creſcat merces operis, quanto eis virtutis lucrum proficit & ex aliena damno caritatis*.

Proſper. * deeſt debet. Matt. c. 26. Joan. c. 19. Greg.

Sanctus autem Zoſimus papa ad Aurelium, & ad univerſos epiſcopos per diverſas provincias conſtitutos ſcribens, oſtendit quantum ſcelus ſit traditionis, dicens: *Lazarus dudum in Taurinenſi concilio * præmiſſorum epiſcoporum ſententiis pro calumniatore damnatus, cum * Briccii innocentis epiſcopi vitam falſis objectionibus appetiſſet. Poſt vero * indebite ab eodem Proculo, qui inter ceteros in * ſynodo damnationi ejus adſenſerat, ſacerdotium conſequutus eſt, & quo ſe ipſe vitæ*

Zoſim. ep. 6. t. 2. concil. * al. graviſſimorum * al. Briſſi * al. indebitum * al. ſynodo damnationis ejus acceſſerat

ANNO CHRISTI 871.

ſua conſcientia datis literis in * abdicatione ſui ſua ſponte ſummovit. Et in lib. 8. Theodoſianæ legis c. 29. de calumniatoribus ſcriptum eſt. *Gratianus, Valentinianus, Theodoſius A A A. Hellibico comiti, & miniſtro utriuſque militiæ. Non eſt ratio qua manifeſti calumniatoris ſupplicium differatur. Non enim patimur frequenter iterari, quæ conſiſtere prima accuſatione non quiverint; atque alienam innocentiam ſecuritatemque ſine crimine, damnabili appetitione terreri. Data 3. Kal. Jun. Merobaude & Saturnino Conſſ.* Iidem Auguſti Menandro Vicario Aſiæ: *Noſtris & parentum noſtrorum conſtitutionibus comprehenſum eſt, eos qui accuſationem alienis nominibus præſumpſiſſent, delatorum numero eſſe ducendos. Atque ideo calumnioſiſſimum caput & perſonam judicio irritæ delationis infamem deportatio ſequatur: quo poſthac ſinguli univerſique cognoſcant, non licere in eo principum animos commoveri, quod non poſſit oſtendi. Data Idus Majas, Arcadio & Bautone Conſſ.* Et item Arcadius & Honorius A A. Victuro proconſuli Africæ: *Innocentes ſub ſpecie falſæ criminationis non patimur callidorum impugnatione ſubverti: qui ſi tentaverint, intelligant ſibimet ſeveritatem legum pro commiſſis facinoribus incumbere. Data 4. Id. Mart. Mediolano. Honorio Auguſt. III. & Eutychiano Conſſ.* Et item ibi poſt alia: *Calumniatores etiam ſunt, qui falſa deferentes contra cujuſque innocentis perſonam, principum animos ad iracundiam commovere præſumunt; qui omnes infames effecti, in exilio detrudentur*. Et in lib. 10. c. 5. de delatoribus lex promitur, quam idem frater in ſuis compilatis quaterniunculis ſynodo apud Attiniacum præſentatis ſubſcripſit, & ſubſcribi a ſuis clericis fecit. Quæ quia eccleſiaſticis judiciis de miniſtris eccleſiaſticis non convenit, hic eam mittere ſuperſedi.

## CAPUT XXIV.

*Illa calumnia tabulis teſtibuſque productis a Rhemenſi diſſipatur.*

27 ET quia dixit, *ſuadente, ac immo compellente me tradendo, ut a regia poteſtate manciparetur cuſtodia*, domnus rex præſens, ſi dignatus fuerit, veritatem coram vobis hinc dicere poteſt, quia nullus eo melius ſcit, ſi ipſum fratrem noſtrum tradidi, & ei ſuaſi, vel conſilium illi dedi, ſive conſenſum præbui, ut eum regia poteſtas manciparet cuſtodiæ. Nam quando ſuis juſſionibus reſultabat, & adverſus eum rebellabat, domno regi miſit literas ſuas, quas mihi dominatio ſua direxit, mandans ut apud Silvacum ad eum venirem; & antequam illuc venirem, literariam reſponſionem de literis Hincmari remandarem. Et quoniam mihi contra fidem, & bonos mores nihil mandavit, & apoſtolica regula nobis præcipit, ut *ſubjecti ſimus regi, tanquam præcellenti*, feci de juſſione illius ut potui, & iſtiuſmodi literas exinde illi direxi.

*Domino glorioſo ſit ſemper ſalus & vita. Cariſſima & reverentiſſima dominatio veſtra, exiguitati meæ literas Hincmari ad vos miſſas, & veſtras illi remiſſas direxit, jubentes ut de his conſiderarem: ſed non juſſiſtis ut inde reſponderem. Juſſiſtis etiam ut apud Silvacum ad vos venirem: ſed qua die Calendarum illuc venirem, non mandaſtis. Nunc autem iterum dominationis veſtræ literis rogaſtis ut ad Silvacum veniam, ſed diem non mandaſtis quando veniam. Mandaſtis etiam ut*



ANNO CHRISTI 871.

*antequam ad Silvacum veniam, literariam reſponſionem de literis Hincmari, vobis remandem. Et non demonſtraſtis utrum vobis quid mihi ex literis Hincmari videatur, reſpondeam; an quid Hincmaro ex his reſpondendum ſit, quod mihi videtur, ſcribam. Unde dominationi veſtræ quod mihi ex literis videatur, ſcribo. Videlicet quia ſpiritu ſuperbiæ illum agi, ſicut & antea, mihi videtur; & hoc, quantum video, laborat, & nulli ſubjectus ſit, & maximam habet fiduciam, ut per ſedis Romanæ poteſtatem omnia quæ cupit, evincat. Veniam autem, ſi dominus permiſerit nunc Kalend. Jun. ad Codiciacum, & in craſtino ubi vos eſſe audiero. Et ſi benigno veſtro ſederit animo, multum cupio ut fidelis veſter, filius noſter Hodo epiſcopus vobiſcum ſit, quando ad vos venero; ut quod ex his quæ dominatio veſtra injunxerit, pro me agere nequivero, ipſe perficiat. Sed & ſi eſſe poſſit, multum vellem ut etiam alii de fidelibus veſtris ſociis noſtris epiſcopis ibi adeſſent, qui periti ſunt ad hanc beſtiam capiendam ad ipſius ſalutem, ne in perniciem ſuam captionis retia tranſilire, & ſibi periculum, & aliis impedimentum, & ſacerdotali miniſterio vituperium poſſit aliquod facere.*

Hinc. Ibid. t. 2. p. 593. Greg.

Laudunenſis impoſtura.

Ego ita ſicut hic poſui, me ſcripſiſſe non denego. Quo contra ipſe ſcribit, me ſcripſiſſe domno regi cum Silvanectis venerit, habere tales homines ſtrenuos & peritos, ſicut opus eſt ad talem beſtiam capiendam. Et quomodo ad tradendum eum ſcriptura mea conveniat, quæ ſalutem illius, & non traditionem quæſivit? vos judicate. Et alteram domno regi ex eo direxi prolixam epiſtolam, cujus exemplar hic habeo: in qua continetur ad locum.

Frequentium alterius epiſtola ad regem.

*Ego autem ſic hæc quæ acta ſunt, progredi timeo, & ſic doleo; licet iſdem Hincmarus ſicut ad me pro certo per eos qui ab ipſo audierunt, & ejus frendentes motus cum de me loquitur, vident, perventum eſt, mihi hoc totum reputat, quod vos a me provocati, quicquid contra eum egiſtis & agitis, dicens quod hæc omnia meo conſilio & inſtinctu agitis. Quod non eſſe verum, melius ipſi ſcitis.* Et item ad locum in eadem epiſtola: *Quod autem juſſiſtis ut conſilium qualiter contra contumaciam Hincmari vobis agendum ſit remandare procurem, cum venia veſtræ dominationis reſpondeo, hoc mihi non modo difficile, verum etiam mihi videtur impoſſibile.* Et paulo poſt: *Sicut vobis ſufficienter eſt cognitum, ſacros præcipere canones de cauſa epiſcopi, maxime unde regia veſtra poteſtas læſam ſe queritur: & apoſtolicæ ſedis auctoritas contentioſe, ſicut mihi relatum eſt, in medium devocatur, ſine coepiſcoporum tractatu atque conſenſu ſententiæ conſilium dare, vel quiddam diffinire non valeo.*

Hincmarus non probat de Laudunenſi.

Hodoni autem epiſtolam pro eo, miſi, interroganti quid vellem, ut Hincmaro daret conſilium: unde illi prolixas literas miſi, quarum exemplar hic habeo. alteram autem eidem fratri Hodoni pro Hincmaro miſi epiſtolam, cujus exemplar & hic habeo, in qua continetur. *Quantum potes animum domni regis modifica, ne talia faciat in ſancta eccleſia, & in epiſcopali ordine, unde tunc pœniteat, quando illa facta habere nolebit. Et reduc ei in memoriam quod B. David de Nabal ſtulto faciendum juraverat, ſed ad interceſſionem unius ſapientis mulieris, in vaginam ultionis gladium revocavit. Et dic ei, quod per ipſum David Spiritus ſanctus decantavit, quod iſte ſenior noſter ſedulo cantat, & cantare debet, & omnis catholica cantat eccleſia: Iraſcimini & nolite peccare. Et in libro Job ſcriptum eſt: Non te ſuperet ira, ut aliquem opprimas. Et hæc non dico pro perſona Hincmari; quem utinam non vidiſſem! & quem non, ſicut Deus Judam per providentiam, ſed ſicut homo per improvidentiam ordinavi: ſciens a domino dictum: Si oculus dexter, aut manus, aut pes ſcandalizaverit te, projice illa abs te. Sed pro ipſo ſeniore noſtro, ne in ſuo miniſterio, & in eccleſia, & in generali ordine epiſcopali, & in his qui alterius ſocordia perire poſſunt, ipſe taliter peccet, & in Deum, quod abſit, offendat.*

Non extant. Hincm. Rhem. ad Hodonem, pro mitigando rege adverſus Laudunenſem. 1. Reg. 25. Pſalm. 4. Job c. 36.

PARS II. Matth. c. 5.

Tertiam quoque eidem fratri pro eo miſi epiſtolam, cujus exemplar hic habeo: in qua continetur: *Multum timeo ac doleo, ne forte iſdem filius meus, ac frater noſter propter arrogantiam a domino per electionis judicium neſciatur, quem per humilitatem ipſe ſcire non appetit. Quia de arrogantibus dominus queritur, dicens: Tenentes legem neſciunt me: & ipſi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi. Et neſciri ſe ab hujuſmodi dominus queritur; & neſcire ſe principatum neſcientem proteſtatur: quoniam qui eum per humilitatem neſciunt, a domino neſciuntur. Hæc autem cordis dolore conſtrictus de illo per vocem luctus emitto, dicens quod pius dominus clementer perituræ civitati flendo dixiſſe legitur: Quia ſi cognoviſſes & tu. Subauditur, fleveras. Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Tandem ſi iſtius indebitam pertinaciam Deus converterit ad debitam humilitatem, & ad bonum finem mala cœpta illius perduxerit, de his quæ in ſynodo apud Vermeriam futura ſunt, ſufficienter nobis reſponſiones dabit, qui unicuique fideli in ſe fideliter credenti repromiſit: Aperi, inquiens, os tuum, & ego adimplebo illud. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.*

Alia Rhem. epiſtola ad Hodonem. Jerem. c. 2. Oſee c. 8. Rhemenſis pietas erga Laudun. Luc. c. 19. Pſal. 80. Matth. c. 10. Laudunenſis impoſtura.

Ego ſic ſcripſi. Et Hincmarus dicit me ad complicem meum Hodonem ſcripſiſſe, ut *quando ad ſynodum venerimus, Deus poterit nobis dare quid loquimur, uſque dum de iſto indomabili unicornio, & inquieto animali nos liberabit.* Quæ ſcripturæ quantum inter ſe diſcordent, ratio manifeſta demonſtrat. Nam etſi ita, ut dicit Hincmarus, ad Hodonem ſcripſiſſem: non tamen ibi colligere poterat illius traditorem me fore: cum etiam in literis ſuis me dicat dixiſſe: *Quando ad ſynodum venerimus, Deus poterit nobis dare quid loquamur.* Quæſivi enim inter exemplaria literarum exemplar epiſtolæ in qua hæc verba quæ dicit, continentur, ſed invenire non potui. Et licet eum unicornem, ſcilicet indomabilem beſtiam in meis literis appellarem, non criminaliter peccatum committerem. Cum B. Gregorius exponens ſententiam domini ad Job dicentis: *Nunquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo?* de ſuo imperatore dicat: *Sæpe, inquiens, vidiſſe me memini quod cum ſe ad feriendum graviter hic rhinoceros accenderet, quaſi elevato cornu beſtiolis minimis mortis exitia, damnationemque ſubjectis immenſis terroribus intentaret, repente fronti ſigno crucis impreſſo, omne in ſe incendium furoris extinxit.* Et utinam hic rhinoceros noſter ſignum crucis fronti & cordi imprimeret, & e ſuæ contumaciæ ferocitate ſemetipſum extingueret, & ſe alterum faceret: ut cum apoſtolo dicere poſſet: *Vivo ego, jam non ego vivit autem in me Chriſtus.* Unde Gregorius: *Extinctus quippe fuerat ſævus ille perſequutor, & vivere cœperat pius prædicator.* Adferat autem literas meas de quibus hic ſcripſit, & proferat eum qui eas illi dedit, & cognoſcatur inde veritas. Nam quod dicit, mihi reſtitiſſe de Rothado: ſubſcriptiones manus ſuæ, quas habeo, inde mendacii

Job c. 39. Gregor. Signo crucis ira ſedatur. Galat. c. 2. Gregor.

PARS II.

cii eum redarguunt, oſtendentes, quia nihil de Rothado decrevi, vel de ordinando alium in locum ejus feci, quod mecum ipſe non fecerit: ſicut. & ſynodalia geſta apoſtolicæ ſedi directa, quibus ipſe ſubſcripſit, patenter oſtendunt.

Hinc. lib. 55. Cap. c. 3. p. 408.

*Teſtes præſentes (?) appellat.* Cippidum, Suppe.

Ceterum veni ad domnum regem ad Solarium in Cippido, & ei literarum reſponſionem de ſuis & Hincmari literis detuli. Quam reſponſionem coram me, & Hodone epiſcopo, & Ottulfo, atque Hildeboldo tunc presbyteris, ſed & coram Eirico comite, & non recordor aliorum nomina qui ibidem affuerunt, Hincmaro dedit, & * locum ſuper noctem ad legendum conceſſit. Et in craſtina ad regem reverſus, quia in ſolita contumacia pertinaciter perſtitit, ut nec ego, nec frater Hodo, nec etiam qui adfuerunt alii, quiddam rationis, vel humilitatis, aut epiſcopalis gravitatis obtinere apud eum potuimus: licentiam apud domnum regem petii: quia ſatis infirmus eram, ad manſionem ſeceſſi. Si autem quiddam de traditione illius, vel de cuſtodiæ mancipatione cum domno rege aliquid loquutus fui, non ſolum domnus rex hoc melius ſapit: verum & iſti religioſi epiſcopi Hodo, & Ottulfus, & Hildeboldus, veritatem nobis pro amore ipſius veritatis poſſunt edicere, & me aut noxium, aut innoxium de hac calumnia pronunciare. Scriptum eſt enim: *In ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum*. Et apoſtolus accuſationem ſub duobus, vel tribus teſtibus adverſus presbyteros, recipi poſſe oſtendit. Et Nicænum concilium, Neophytum epiſcopum a duobus vel tribus teſtibus redargutum, abſtinere a clero præcipit, ſi aliquod delictum animæ circa perſonam reperiatur hujuſmodi. Sed & quia, ut ſupra poſui, ſacræ leges dicunt, quia convinci nemo poteſt, niſi ſcriptura vel teſtibus: audiſtis ſcripturas & ſuas, & meas, de quarum certitudine cum domni regis, & iſtorum epiſcoporum atteſtatione legaliter ac regulariter poteſtis diſcernere, atque decernere, ſi præfata judicia legum, & Zoſimi, in eum qui me falſo eſt calumniatus, recidere debeant; quæ in me procederent, ſi me per calumniam delatorem ſuum probare valeret.

* *forte noctem ſuper lectum.*

Matth. c. 16. 1. Tim. 5.

Nic. conc. can. 2.

Quæ, & alia, de aliis mihi ab eo illatis, non cauſa mearum injuriarum dico: ſed zelo Dei & eccleſiaſticarum regularum, atque divinæ ordinationis, ſecundum paternas conſtitutiones: ne pro loci mei officio damnari ex negligentia debeam: ſed, ſicut B. Gregorius in regula paſtorali demonſtrat, eumdem zelum poſtmodum, inter me & illum, fortem munitionem habeam, ne tunc ad vindictam ſim deſtitutus, ſi nunc in correctiones fuero diſſolutus. Necnon ut & de me veritas, & literarum illius falſitas, cunctis ejus accuſationes & meas excuſationes legentibus liqueat. Et ſi fortaſſis idem frater Hincmarus ideo ſubſcripſit, & ſubſcribi ab eccleſiaſticis eccleſiæ ſuæ miniſtris fecit, ut delatori, juxta forenſes leges, aut lingua capuletur, aut caput amputetur, quatenus in me, quem ſuum delatorem poſtea ſcripſit, hæc vindicta procederet: egit præpropere, & contra eccleſiaſticam diſciplinam, ut antequam me confeſſum, vel ordine regulari convictum videret: judiciali me ſententia, & illa maxime, quam non recepit cenſura eccleſiaſtica, condemnaret.

*Accuſare non intendit Hincmarus.*

Gregor.

ANNO CHRISTI 871.

## CAPUT XXV.

*Aliam nepotis calumniam de contemptu pontificiæ excommunicationis diſſipat avunculus.*

Aliam quoque rotulam nimis prolixam præterito anno, Idibus Novembris, 4. indictionis, per Clarentium presbyterum ſuum direxit, in qua contra me ſcriptum habetur. *Non mihi*, inquit Hincmarus, *videtur dignum excellentiæ veſtræ fuiſſe, ut diceretur Bertario quod mihi renunciavit vos dixiſſe: Si eos præſignatos meos excommunicaſſem homines, qui talia agerent, & adhuc agunt, non eos excommunicatione teneri, videlicet anathematis vinculo non ligari. Sed non eſt mirum, ſi parvitatis meæ excommunicationem parvi penditis, ac forte irrationabilem judicatis, quando apoſtolicæ ſedis excommunicationem & pro nihilo ducitis, & pro nihilo ducendam, utpote abſurdam, judicatis.*

*Habetur apud Hincm. p. 15.* Pag. 617.

De qua calumnia mihi inlata, quia S. Gregorius in libro ex Regeſto frequentiſſime dicit, ſecundum leges & canones, cauſas inveſtigari debere, & judicia terminari, legantur leges & canones. Dicunt enim antiquorum patrum noſtrorum regulæ: *Dignum eſt, ut vita innocentis nulla maculetur pernicie accuſatoris. Ideo quiſquis a quolibet criminetur, non ante accuſatus ſupplicio detur, quam accuſator præſentetur, atque legum & canonum ſententiæ exquirantur. Quod ſi indigna ad accuſandum perſona invenitur, ad ejus accuſationem non admittatur. Et, quod ſi epiſcopus aliquem de crimine putat eſſe damnandum, accuſatoris vice diſcutiendum ſe ſciat. Fas eſt enim ut quæ uni probantur, probentur & omnibus.* Quos canones ſi, ut ſolet ea quæ contra illum faciunt, refutare voluerit: audiat, quid hinc Leo papa ad Maximum Antiochenum epiſcopum dicat: *Quicquid*, inquiens, * *propter ſpeciales cauſas ſynodalium conciliorum ad examen epiſcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem, ſi nihil de eo eſt a ſanctis patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis & * conſtitutionibus diſcordat, apoſtolicæ ſedis nunquam poterit * obtinere conſenſum.* 28 Et Antiochena ſynodus, perfectum illud eſſe concilium, ubi interfuerit metropolitanus antiſtes. Et Zoſimus papa in epiſtola ad univerſos epiſcopos per diverſas provincias conſtitutos, provincialem Gallicanorum epiſcoporum ſynodum approbat, dicens: *Lazarus*, inquit, *dudum in Taurinenſi concilio graviſſimorum epiſcoporum ſententiis pro calumniatore damnatus, cum Briccii innocentis epiſcopi vitam falſis objectionibus appetiſſet.* Et Africæ provinciæ canones: *Cauſæ*, inquiunt, *quæ communes non ſunt, in ſuis provinciis judicentur.* Et Africanum concilium decrevit, ut *quotieſcumque clericis, cum quibus & epiſcopi numerantur, ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipſis, de quo prius egerit, probare non valuerint, ad cetera non admittantur.* Et ſacræ leges dicunt, quia nemo convinci niſi ſcriptura, aut teſtibus poteſt. Et Gelaſius in Commonitorio Fauſto legatione fungenti dato, de epiſcopis prævaricatoribus: *Quid tamen dicerent, ſi non chartis ſuis in omnibus vincerentur?* Et Africanum dicit concilium: *Teſtes ad teſtimonium non admittendos, qui nec ad accuſationem admitti præcepti ſunt: vel etiam quos ipſe accuſator de domo ſua produxerit.* Et item ſacræ leges dicunt: Unius teſtimonium, quamlibet ſplendida, & idonea videatur eſſe perſona, nullatenus audiendum.

Reſponſio.

Ex [illegible] Tolet. [illegible] c. [illegible]

S. Leo ep. 62.

Conc. Afric. c. 97. Cod. can. eccl. Afric. 130.

Gelaſ. Commonit.

Conc. Afric. cap. 98. Cod. can. eccl. Afric. can. 131.

Unde



ANNO CHRISTI 871.

Unde quia ſcriptura quam frater Hincmarus calumniatus eſt, impræſentiarum habetur: aut producantur ab accuſatore adverſum me legales & regulares teſtes, vel ſcriptura, qua me de hac calumnia, * qua dicit, excommunicationem apoſtolicæ ſedis & pro nihilo me ducere, & pro nihilo ducendam, utpote abſurdam, prædicare. Quod ſi agi ab eo, vel a quoquam nequiverit: leges & regulæ de calumniatore ſententiam proferent. Et veniet frater Bertharius diaconus, in præſentiam veſtram, quem ſibi Hincmarus renunciaſſe dixit, me illi dixiſſe, quod ſi præſignatos ſuos homines excommunicaſſet, qui talia ſcilicet contra leges eccleſiaſticas egerunt, & adhuc agunt, non eos excommunicatione teneri, videlicet anathematis vinculo ligari. Et quia diſcreta eſt iſta Hincmari in ſcriptura ſua ſententia, quia de ſua excommunicatione a me annullata ad Bertharium ſe reclamat, licet mihi legaliter ac regulariter in præſentia veſtra confligere cum eodem Berthario.

*Offert ſe legitime [illegible]. a * Deeſſe videtur, convincat, H.*

Hinc. I. 55. Cap. c. 29. p. 501. &c. 55. p. 521.

## CAPUT XXVI.

*Senſum ſuum catholicum de ſumma ſedis apoſtolicæ in ſolvendo ligandoque poteſtate publice profitetur Hincmarus.*

De eo autem quod dicit idem Hincmarus: *Sed non eſt mirum, ſi parvitatis meæ excommunicationem parvi penditis, ac forte irrationabilem judicatis*, 29 *quando apoſtolicæ ſedis excommunicationem & pro nihilo ducendam, utpote abſurdam, prædicatis*; cum eo legaliter, ac regulariter eſt mihi, conſilio & auxilio veſtro agendum. Qualiter autem de apoſtolicæ ſedis, quæ eſt omnium eccleſiarum in toto orbe terrarum mater & magiſtra, & cujus pontifex, patriarcha eſt patriarcharum, & primas primatum cunctarum provinciarum, ligatione atque ſolutione ſentiam atque teneam, ut ſciatis mendaciter hinc me ab Hincmaro calumniatum: quamquam decernat Africanum concilium, *ut quotieſcumque clericis ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipſis, de quo prius egerit, probare non valuerint, ad cetera jam non admittantur*: coram vobis expono, ſicut corde credo ad juſtitiam, & ore confiteor ad ſalutem.

Pag. 617. cit.

Can. Afric. cit.

Et ſicut ex doctrina beati Leonis, ejuſdem ſanctæ & primæ ſedis pontificis didici, qui in ſermone ſui natalis, inter cetera dicit: *Quod dicitur beatiſſimo Petro, Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis: tranſivit quidem etiam in alios apoſtolos jus iſtius poteſtatis, & in omnes eccleſiæ principes decreti hujus conſtitutio commemoravit: ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis eccleſiæ rectoribus Petri forma proponitur.* Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipſius fertur æquitate judicium: nec nimia eſt vel ſeveritas vel remiſſio, ubi nihil eſt ligatum, nihil ſolutum, niſi quod B. Petrus aut ligarit, aut ſolverit: qui regem cælorum, ut Auguſtinus & ceteri doctores exponunt, majore præ ceteris devotione confeſſus eſt; merito præ ceteris ipſe conlatis clavibus regni cæleſtis munere donatus eſt: ut conſtaret omnibus, quia abſque ea confeſſione ac fide regnum cælorum nullus poſſit intrare. Claves autem regni cælorum, ipſam diſcernendi ſcientiam, potentiamque judiciariæ poteſtatis nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos ſecludere debet a regno. Unde dominus manifeſte ſubjunxit: *Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.*

*Petri privilegium.*

S. Leo ſerm. 3. in anniverſ. aſſumpt. Matt. c. 16.

PARS II.

Quæ ſolvendi ac ligandi poteſtas, quamvis ſoli Petro data videatur a domino; abſque ulla tamen dubietate noſcendum eſt, quia & ceteris apoſtolis datur, ipſo teſte, qui poſt paſſionis reſurrectioniſque ſuæ triumphum apparens eis *inſufflavit & dixit* omnibus, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Nam ſic interrogatis generaliter omnibus, Petrus reſpondit unus pro omnibus; ita & quod Petro dominus reſpondit, in Petro omnibus reſpondit: Necnon etiamnunc in epiſcopis ac presbyteris omni eccleſiæ officium idem committitur, ut videlicet agnitis peccantium cauſis, quoſcumque humiles ac vere pœnitentes reſpexerit, hos jam a timore perpetuæ mortis miſerans abſolvat: quos vero in peccatis quæ egerunt perſiſtere cognoverit, illos per * omnibus ſuppliciis obligandos inſinuet. Unde alias dominus, de correpto ſemel & iterum, ac tertio, ſed non pœnitente fratre, præcepit dicens: *Si autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Et ne leve quiſque putaret eccleſiæ ſe judicio condemnari, mox terribiliter adjunxit, *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Omni igitur electorum eccleſiæ, juxta modum culparum, vel pœnitentiæ, ligandi ac ſolvendi datur auctoritas. Sed idem B. Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſequutus, ſpecialiter claves regni cælorum, & primatum judiciariæ poteſtatis, & curam paſcendarum ovium dominici ovilis accepit; & in primatu illius ſucceſſores ipſius in ſede ejus acceperunt: ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei, vel ſocietatis illius quolibet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolvi, nec januam poſſunt regni cæleſtis ingredi.

*Toti eccleſiæ datum.*

Joan. c. 20.

* deeſt eum.

Matt. c. 18.

*Sed Petro primatus.*

De qua obligatione vel ſolutione epiſcopali, quod nobis apoſtolicæ ſedis filiis ac diſcipulis, ſatis tremendum, & cavendum, atque obſervandum eſt, S. Gregorius in homilia euangelii dicit: *Sæpe in ligandis ac ſolvendis ſubditis paſtor ſuæ voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur. Unde fit, ut ipſa hac ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privet, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubjectorum moribus exercet. Unde recte per prophetam dicitur: Mortificabant animas, quæ non moriuntur: & vivificabant animas, quæ non vivunt.* Non morientem quippe mortificat, qui juſtum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui reum ſupplicio abſolvere conatur: ac ſæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatos ſolvat. Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda.

*Prudenter ea poteſtate utendum.*

Greg. hom. in euang.

Ezech. c. 13. *ut interficerent animas.*

Ceterum ſicut B. Auguſtinus, & ceteri catholici doctores dicunt, non ſunt ligamenta vel ſolutiones ſanctæ eccleſiæ, quæ contra ſanctam eccleſiam fiunt; vel ab his fiunt, qui contra dogmata catholicæ eccleſiæ ſentientes, contraria ipſi eccleſiæ ligant, vel ſolvunt. Sancta quippe eccleſia dicit: *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. Lavabo inter innocentes manus meas.* In cujus ſolius catholicæ eccleſiæ unitate, quæ per hæreſes & ſchiſ-

*In ſola eccleſia ſunt vera cenſura.*

Pſal. 25.

PARS II.

*Eccleſia unominis.*

& ſchiſmata non eſt diviſa, ut vera ſunt ſacramenta, ita vera ſunt ligamenta atque ſolutiones; quæ ædificata eſt ſuper petram: quæ unica columba appellatur: quæ ſponſa pulchra ſine macula & ruga: & hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum, locus penes Deum in quo ſolide ſtatur, & locus auro in quo conflatur; & domus Dei quæ claves regni cælorum accepit, ac poteſtatem ligandi & ſolvendi. Hanc domum ſi quis corrigentem corripientemque contempſerit, præcipitur a domino, ut *ſit ſicut ethnicus & publicanus*.

*Hincmari catholica profeſſio.*

Ita de ligatione & ſolutione ſanctæ catholicæ eccleſiæ, & apoſtolicæ ſedis pontificis, ſed & ſubjectorum ſibi epiſcoporum ex ejuſdem apoſtolicæ ſedis doctrina credendum, & tenendum, atque ſequendum accepi: & ita credo, teneo, & ſequor. Et qui aliter de me dixit atque dixerit, oſtendet ſe eſſe malevolum, & me probare non poterit non eſſe catholicum: ſe autem comprobabit mendacem criminatorem, & non criminis eſſe me reum. Quæ autem mihi diſcenda ſunt, & libenter & obedienter ab illius ſummæ ſedis catholica doctrina paratus ſum diſcere, tenere, & loqui; quæ in primatu B. Petri, cui dominus trina repetitione paſcendas ſuas oves commiſit, & ut confirmaret fratres ſuos præcepit, privilegium primatus omnium eccleſiarum in toto orbe terrarum accepit.

## CAPUT XXVII.

*Quod plura falſo narrat de literis apoſtolicis ſecum non communicatis.*

Ibid. p. 613.

vel Hundulfivilla, Hrudilcour.

Iſdem etiam frater noſter Hincmarus, mihi literis ſuis impegit noxam non levem; ſi verum diceret, me commiſiſſe contra eamdem ſanctam & apoſtolicam ſedem, dicens: *Vocaſtis me literis veſtræ auctoritatis Attiniacum ad ſynodum, intimantes quia litera domini apoſtolici domno regi Carolo, & regni ipſius epiſcopis directæ fuerunt, de quibus ſine ſynodali conſultu reſponderi non poterat. Quamvis has literas in Gundulfivilla ſuſcepiſſetis, ubi & præſens adſui: quas mihi ibidem nullatenus oſtendiſtis. Cum autem Attiniacum veni, dediſtis mihi quaſi exemplar earumdem, legere me rogantes, & ſic ſtatim inde me reſpondere, & ut perlegens idipſum exemplar vobis protinus redderem, præcepiſtis. Sicut autem poſtea per aliud didici exemplar, plura in indiculo veſtro mihi oſtenſo defuerunt.*

Quæ dicta illius non ſunt vera. Nam ipſa die quando miſſi domni apoſtolici, in Gundulfivilla ejus epiſtolas in præſentia regis & epiſcoporum, & ceterorum fidelium qui ibi aderant mihi dederunt: ſicut & domnus rex ſcit, & epiſcopi, ac ceteri in quorum præſentia epiſtolas illas accepi, antequam de ipſa domo exirem, audiente rege, & audientibus epiſcopis, & ceteris qui ibidem fuerunt, eas relegi. Et ſi Hincmarus ibi fuit, & audire eas voluit, ſicut & ceteri eas audierunt, audire modis omnibus potuit. Quod dicit, quoniam quaſi exemplar earumdem, quando Attiniacum venit, illi dedi, & legere rogavi, & ſic ſtatim reſpondere, non dicit verum. Exemplar ſecundum tenorem authenticum epiſtolæ illi ad legendum dedi, ſicut & Erardo, & Waniloni, & Wlfado, & ceteris archiepiſcopis domni Caroli ex integro miſi, & eamdem epiſtolam in ſynodo apud Attiniacum relegi. Quod dicit, me juſſiſſe illum ut ſtatim reſponderet: non ſic dixi: ſed ut legeret illud exemplar, & videret quid inde reſponderet. Quod dicit, quia per aliud exemplar didicit plura in indiculo meo ſibi oſtenſa defuiſſe: integrum exemplar epiſtolæ illi legendum dedi. In indiculo autem a me collecto, & regibus, & epiſcopis relecto & dato, quantum de ipſa epiſtola, ſed & de illa quam domnus apoſtolicus miſit, neceſſarium ad mittendum vidi, miſi, & exemplar ipſius indiculi domno apoſtolico ex epiſtola mea direxi. Et ipſam epiſtolam domni apoſtolici, ſed & memoratum indiculum, ſed & ſcripta ipſius fratris Hincmari, hic habeo: quibus probari poteſt me verum dicere, & illum a vero deviare.

ANNO CHRISTI 871.

## CAPUT XXVIII.

*Quod vane gloriatur, excommunicationem a ſe factam a ſede apoſtolica probatum iri.*

Scribit etiam in rotula quam per Clarentium presbyterum ſuum mihi tranſmiſit hoc modo: *Tam intentative in Attiniaco de excommunicatione a me in parochia mea facta interrogatus ſum. Tantummodo hoc interea pando, eo quod vos inauditam illam, ac contra apoſtolicam doctrinam, & contra eccleſiaſticam veritatem fuiſſe aſſeratis factam. Non aliam illam feci, quam a veſtra vivæ vocis doctrina faciendam didici, & vos ea quæ jure deſtruxiſtis, ab re ædificare non debetis. Immo & quam in Romana ſede apoſtolica auctoritate cognovi præinditam, & de qua eamdem mihi ſedem declamo fore auctricem: cujus intereſt & de illa a me facta excommunicatione judicare, & de veſtra reſolutione decernere.*

Ad quæ reſcribo. Majores ac doctores noſtri dixerunt, quædam eſſe nomina, quæ in femininum flecti non poſſunt, ut auctor, curſor. Et iſte novus doctor, qui noviter adinvenit quod diceret de ipſa excommunicatione, apoſtolicam ſedem ſe reclamat fore *auctricem*. Sed me auctorem non habebit, de eo quod ſuper me dicit, *quia non aliam illam excommunicationem parochia ſua fecit, quam a mea vivæ vocis doctrina faciendam didicit.* Et quod mox ſubſequitur. *Quoniam ea quæ jure deſtruxi, ab re ædificare non debeo*, verum eſſe confirmo. Nam per euangelicam veritatem, & apoſtolicam atque canonicam auctoritatem; necnon & per apoſtolicæ ſedis doctrinam atque decreta, ſuam pernicioſam excommunicationem deſtruxi: quam ab re ædificare non debeo, nec volo, nec valeo.

In eo vero quod dicit, quia non aliam illam excommunicationem fecit, *quam in Romana ſede apoſtolica auctoritate cognovit præinditam*; id eſt, ante inſertam, ante impoſitam, ante immiſſam: nimis audacter poſuit in cælum os ſuum. Et ideo non eſt mirum ſi lingua ejus tranſivit in terram, ut de me peccatore diceret: *non aliam illam feci, quam a veſtra viva vocis doctrina faciendam didici.* Sed ſicut apoſtolica ſedes a nobis accuſari non debet, nec valet: ita excuſatione noſtræ humilitatis non indiget. Verumtamen quod non ab incertis relatoribus inde audivimus, cum venia ipſius ſedis libere dicere poſſumus. Audivimus namque, quia ſanctæ memoriæ Nicolaus papa, ſancta Romana eccleſia in afflictione poſita, auctoritate veteris & novi teſtamenti, in jejunio, & fletu, ac planctu, in cinere & cilicio litanias indixerit. Sed a nullo audivimus, quia cauſa ſuarum injuriarum & ipſius ſedis apoſtolicæ, parvulos in diſcrimine mortis



ANNO CHRISTI 871.

poſitos baptizari, & obeuntibus atque petentibus ultimam pœnitentiam, & viatici muneris communionem, & mortuis ſepulturam negari præceperit. Et quod de illa excommunicatione pernicioſa quam fecit, eamdem ſibi ſedem *fore*, ſermone vitioſo, atque calumnioſo dicit *auctricem*, non credimus. Abſit enim ut, ſicut hic frater Hincmarus in pernicioſo ſcripto ſuo improprie dicens declamat, ſuæ conligationibus impietatis apoſtolica ſedes conſentiat; minime autem *auctrix* exiſtat. Quæ per B. Cæleſtinum univerſo mundo apoſtolice intonat, *Obſecrationum*, inquiens, *ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab apoſtolis tradita, & in toto mundo, atque in omni catholica eccleſia uniformiter celebrantur: ut legem credendi, lex ſtatuat ſupplicandi. Cum enim ſanctarum plebium præſules mandata ſibimet legatione funguntur, apud divinam clementiam humani generis agunt cauſam; & tota ſecum eccleſia congemiſcente poſtulant & precantur, ut infidelibus donetur fides.* Et ſic pro omnibus exorare dominum catholicam eccleſiam debere demonſtrat, ut erutos de poteſtate tenebrarum transferat in regnum filii caritatis ſuæ: & ex vaſis iræ, faciat vaſa miſericordiæ: qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: & qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; & neminem vult perire. Abſit, inquam, ut auctor ſit ſancta ſedes apoſtolica iſtius pertinacis crudelitatis tantorum hominum, qui per baptiſmum, vel per ſacerdotalis miniſterii reconciliationem ſalvari, & per viatici muneris communionem ab æterno poterant liberari interitu mortibus reo: quia non poterat fieri ut in tam ampla parochia, ſicut illa eſt, quæ ſpecialiter ſubjacet Laudoni municipio, per quinque circiter dies, quibus eo modo, ſicut præmiſi, fuerat conligata, quia eam antea metropolitana ſolicitudine, euangelica, & apoſtolica, atque canonica, & apoſtolicæ ſedis auctoritate abſolvere non concurri, plures ſine baptiſmo, & abſque communionis gratia, non obierint: de quibus quicumque ſalvati ſunt, ſalvantis eſt donum; qui autem perierunt, perditoris & pereuntium fuit meritum.

Cæleſtin. — Coloſſ. c. 1. — Rom. c. 9. — Ezech. c. 33. — 1. Timot. 2. — aliquid deeſt. — *Quinque dies tenuit excommunicatis.*

Attamen licet, velut ſanctus Ambroſius in fidei devotione Valentiniani, & beatus Auguſtinus diſputando demonſtrat, ut ſicut in illo latrone cum domino crucifixo & credente, & confitente, quod ei ex baptiſmi ſacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas: ita forte parvulis quibus baptiſmum denegari juſſit, parentum vel patronorum corde credentium, & etiam parvulis fideli confeſſionis verbo baptiſma expetentium, ſed non impetrantium fides, & fidelis poſtulatio prodeſſe potuerit: donante eo, cujus ſpiritus, quo regeneratio fit, ubi vult ſpirat; & etiam ante baptiſmum ſe baptizandis infudit, ſicut in ſacra hiſtoria legitur. Similiter & de his qui ultimam pœnitentiam, & viatici muneris communionem petierunt, & impetrare pro ſua interdictione non potuerunt, gratia ejus, cui ab omni fideli dicitur: *Gemitus meus a te non eſt abſconditus*: & quibus ſingulis dominus dicit: *Mox ut ingemueris, ſalvus eris*, ad ſalutem prodeſſe valuerit. Ipſe tamen de eorum perditione ſecurus eſſe non poteſt, ſi aliqui ſine eiſdem ſacramentis per ſuam juſſionem abierunt, ut non diſtricte inde judicetur.

*Opinio peculiaris Hincmaro.* — Ambroſ. l. de obitu Valentin. — Auguſt. — Pſal. 37.

*Occurrit objectioni de excommunicatione Nortmanni.*

Et ſi vult dicere de excommunicatione Nortmanni, quam mendaciter per ſubreptionem a ſede apoſtolica elicuit, ſuggerens Nortmannum res ſuæ eccleſiæ invaſiſſe, quas ipſe aut regi, aut Nortmanno beneficiandas conceſſit, aut filio Nortmanni beneficiavit, ſicut ſcripta ſua demonſtrant: reſpondendum ab eadem ſancta & diſcretiſſima ſede credimus: *Fiat tibi ſecundum fidem tuam*, Et, *ex verbis tuis condemnaberis*. Et quod B. Auguſtinus in ſerm. 7. euangelii Joannis dicit: *Juris*, inquiens, *forenſis eſt, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi proſit quod impetravit. Dixiſti enim quod voluiſti. & cui dixiſti, neſcivit an verum ſit, dimiſit te adverſario tuo convincendum, ut ſi ante judicem convictus fueris de mendacio, quia non potuit ille niſi præſtare, neſciens an fueris mentitus, ibi careas beneficio reſcripti, quo perduxiſti reſcriptum.* Et hoc jus in corpore libri Theodoſianæ legis haberi legimus. Ceterum, ſicut de Deo omnipotente, cum omnia poſſit, ſcilicet quæ omnipotentiæ illius conveniunt, recte dicit apoſtolus: *Seipſum negare non poteſt*: ita & nos de illa ſancta ſede dicimus, quia ſibi ipſi, præſertim in tam manifeſtiſſimis & maximis cauſis, & humanæ redemptionis atque ſalutis ſingularibus præſidiis, contraria nullo modo eſſe poteſt: & quæ ſecundum euangelicam veritatem, & apoſtolicam traditionem, atque canonicam auctoritatem, per Siricium, Innocentium, Cæleſtinum, Leonem irrefragabiliter conſtituit, refragari a quoquam impune nulla ratione dimittet. Cujus intereſt, ſicut iſdem frater Hincmarus ſcribit, *de illa a ſe facta excommunicatione judicare, & de mea reſolutione decernere.*

PARS II. — Matt. c. 9. — Matt. c. 12. — *Mentitus in precibus nihil impetrat.* — 2. Timot. 2.

Verumtamen, ſicut ex concilii Sardicenſis canonibus SS. Innocentius, Bonifacius, & Leo promulgaverunt, prius majores cauſas, quæ ad ſtatum eccleſiarum, & ad concordiam pertinent ſacerdotum, apud nos, ſub timore domini, convenit ventilari; & de componendis, quæ forte noſtro nequiverint ſopiri judicio; & de judicio noſtro compoſitis poſt judicium oportet ad ſedem apoſtolicam plenam rationem tranſmitti: ut ea quæ juxta eccleſiaſticum morem juſte & rationabiliter apud nos fuerint diffinita, ipſius apoſtolicæ ſedis ſententia roborentur. Sic enim & S. Ambroſius ſcribens ad Theophilum Alexandrinum epiſcopum, ſacras leges, & canones, ut poſt judicium ad ſedem apoſtolicam relatio referatur, & qui legaliter evocatus, judicio adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ proferendæ, ſicut in contumacem, de abſentia non lucretur, ſe intellexiſſe demonſtrat dicens: *Cum ſancta ſynodus cognitionis jus unanimitati tuæ, ceteriſque ex Ægypto conſacerdotibus noſtris commiſerit, iterum oportet fratrem noſtrum Flavianum convenias, ut ſi in eo perſeveraverit, quo veniendum non putet, ſalvis concilii Nicæni, etiam ſynodi Capuenſis ſtatutis, inlibata pace univerſorum ita conſulas, ut non videamur deſtruere quod ædificatum eſt. Si enim quod ædificavi deſtruo, prævaricatorem me ipſe conſtituo; ac ſi quæ deſtruxi, iterum ædificem. Servetur ergo impertita pacis gratia inter univerſos, & nihilominus declinatio partis alterius fruſtrandi effectum habere non poſſit. Sane referendum arbitramur ad ſanctum fratrem noſtrum Romanæ ſacerdotem eccleſiæ; quoniam præſumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi diſplicere non queant. Ita enim utile erit conſultum ſententiæ, ita pacis & quietis ſecuritas, ſi id veſtro ſtatuatur conſilio, quod communioni noſtræ diſſenſionem non afferat; ut nos quoque accepta veſtrorum ſerie ſtatutorum, cum id geſtum eſſe cognoverimus, quod eccleſia Romana haud dubie comprobaverit, læti fructum hujuſmodi examinis adipiſcamur.*

Ambr. ep. ad Theoph.

PARS II.

## CAPUT XXIX.

*Quod ſimilem excommunicationem ab ipſo Rhemenſi factam eſſe falſo criminatur.*

Verbo tantùm objectum.

DE hac etiam excommunicatione mihi in Gundulfi villa per venerabilem quondam archiepiſcopum Wenilonem mihi mandavit, ſicut domnus Adventius, & ceteri qui adfuerunt epiſcopi, ſciunt, quia quod de illa excommunicatione fecit, ego illi inſinuavi, dicens ſe habere quamdam villam in mea parochia, & quia homines ejuſdem villæ rogavit, ad illam eccleſiam daræ illorum decimam, ad quam eam dare debebant, excommunicaverim illos: & habebat inbreviatos, quot infantes ſine baptiſmate, & quot homines ſine communione inde obierint: quæ mihi in publicum objicere nollet, ne poſtea illi improperarem. Quod ſi alia mala de me ſciret, illa etiam diceret. Unde illi ſtatim per eumdem Wenilonem remandavi, quia & inde, & de quibuſcumque vellet, quæ illi viderentur, objiceret. Sed de hac cauſa verum non diceret, & contra canones ſe confitebatur egiſſe, qui me poſtpoſito ordinationem decimæ in mea parochia uſurpavit.

Argumentum epiſtolæ Rhemenſis ad Laudunenſes quæ non extat.

Et poſtea inde illi ſcripto reſpondi, cujus exemplar hic habeo: in quo continetur, tria me conſideraſſe in hoc quod dixit, me illi inſinuaſſe quod de illa excommunicatione fecit. Primum quidem, quoniam ſi ratio inter illum & clericos Laudunenſis eccleſiæ agitanda foret, de petitione ex cauſis in eo continentibus ab eiſdem mihi porrecta, utrum eſſet an non veritate ſubnixa, nullam quæſtionem deberet recipere, poſtquam ſuæ confeſſionis atteſtatione firmatur. Aliud vero, quia ſilentio ſuppreſſis bonis quæ illi inſinuavi, atque inſinuari feci, imputando mihi quod male illi de hac excommunicatione quam perpetravit, inſinuaverim, reum ſe confeſſus eſt, quia ſcienter male fecit. Ac per hoc, ſecundum decreta Hilari papæ, ſuum contra regulas factum deberet ipſe diſſolvere. Quod ſi nollet, per ſententias canonum, & apoſtolicæ ſedis decreta, quæ nulla poſſunt ratione convelli, auctoritas metropolitana illud deberet annihilare. Tertium, quia ut ſecum me poſſet inlaqueare, ſi forte, ut aſſolet improviſæ menti accidere, illi ſtatim hæc falſa de me rejiciendo imparatus & ira commotus non reſponderem, & ſe jactare valeret, me in aliquo inde concrediſſe; voluntarie ſibi de tali confeſſione laqueum ſtuduit injicere. Et pro bonis mala retribuens, non ut quondam proditorum primicerius ſimulando pacem oſculo, quam non habebat in pectore, ſed exerto linguæ gladio, me aperte, ac impudenter decrevit impetere: & quaſi me qualicumque patrono, ac benefactore, atque ordinatore ſuo tradito, talis confeſſionis de tantis impietatibus laqueo ſe ſuſpendere. Sed benedictus dominus, qui ſecundum promiſſionem ſuam, qua dixit, *a flagello linguæ abſconderis*, liberando animam meam a labiis iniquis, & a lingua doloſa, adjuvit me, & conſolatus eſt me, mox telum falſitatis, ſcuto veritatis, reſpondendo rejeci.

Alium accuſando crimen ſuum fatetur. — Confertur cum Juda proditore. — Job c. 5.

Quæ animi dolore compunctus, non animi livore ſtimulatus, dixi, ſciens capiti ac ſalvatori noſtro mendaciter multa fuiſſe objecta: ſed & productos adverſus eum falſos teſtes fuiſſe. Nam & Romanæ ſedis pontificibus Damaſo, Sixto, & Leoni III. verum & aliarum inſignium eccleſiarum pontificibus, Athanaſio ſcilicet Alexandrino, Joanni Conſtantinopolitano, Cæciliano Carthaginenſi, ſanctitate fidei & operationis atque ſcientiæ doctrinæ præclaris: necnon & quamplurimis aliis venerandis epiſcopis, ab hominibus invidis, & eorum locum, ac bonæ opinionis famam obtinere volentibus; ſed non habere meritum illorum ſtudentibus, mortalia & nefaria crimina falſo impacta, & uſque ad eccleſiaſtica judicia, & cognitionem publicam fuiſſe perducta legimus. Sunt enim hujuſmodi viperæ nequitiæ homines, qui licet prius eorum mentes propria rodat invidia, in hoc tamen ſuas regere poſſe iniquitates putant, ſi alios infamia modo quolibet maculare curaverint: quorum criminationes iidem viri ſancti patientiſſime toleraverunt, & conſtantiſſime, adjuvante domino, revicerunt. Et horum, ſicut ſcriptum eſt, intuens exitum, converſationis fidem mihi neceſſe eſt imitari: & ita compertus, & de illo in me prorſus expertus, quia phreneticus ſæpe nulli majorem alapam dare ſolet, quam ipſi medico, qui eum curare volet. Sed & multum me miratum ſcripſi illi, ubi ſenſum ſuum habuit, quando de me, tantæ auctoritatis, & ſapientiæ, atque religionis viro, ſicut domnus erat Wenilo, dixit, & ad plurimorum epiſcoporum notitiam pervenire fecit, quod ſi in judicio regulari dixiſſet, probare non poſſet: præſertim ſe reum de hoc ipſo confeſſus, & confitendo ſe talia egiſſe, quæ etſi non confiteretur perpetraſſe, negare non poſſet, ſeipſum inlaqueaſſe videre non potuit. Et quia mendacium erat quod dixit, me excommunicaſſe homines villæ de ipſa ruſticana parochia, & infantes ſine baptiſmate, & homines ſine communione in ea excommunicatione inde obiiſſe; mox illi remandavi, quoniam nulli unquam in mea parochia, poſtquam fui ordinatus epiſcopus, baptiſmum, vel viatici muneris communio, a me, vel a quoquam comminiſtro meo denegata fuere: ſicut omnes in parochia mea tam eccleſiaſtici, quam ſæculares, tam viri quam feminæ ſciunt.

Viri maximi impoſita ſunt calumniæ. — ANNO CHRISTI 871. — Mendax ejus objectio.

## CAPUT XXX.

*Quod poſtulavit ut avunculus ſua adverſus ipſum ſcripta igni abſumeret. Iterum de ſuperiore calumnia, propter quam non debet ad accuſationem admitti.*

MAndavit etiam mihi per præfatum venerabilem quondam archiepiſcopum Wenilonem, ut ſi ſcripta quæ illi & eccleſiæ ſibi commiſſæ, de excommunicatione qua agitur ab eo intentata ſuæ parochiæ, tranſmiſi, quæque ibi ſecum habebat, coram aliis incenderem, & annullanda dicerem, meque contra rationem & auctoritatem feciſſe profiterer, mecum pacem habere vellet. Unde illi pro tempore, cum aliis quæ mihi occurrerunt, per eumdem archiepiſcopum, & Adventium glorioſum epiſcopum remandavi. Et poſtea illa ipſa, & alia, ſcriptis, quorum hic habeo exemplaria, inculcavi, quoniam in quocumque conventu me adire, mihique pacis oſculum, ſicut & domnus rex, & epiſcopi, ac ceteri illuſtres, ac mediocres qui conveniebant, dare nolebat, nec etiam ullo verbo me alloqui dignabatur, de quibus hic quædam ſtudui replicare. Scripſi nempe inter cetera illi, quomodo ei in ſenſum ſuum venire potuerit, ut talia mihi mandaret? Nam diabolus loquens ad primos parentes noſtros, ſed & ad redemptorem ac ſalvatorem noſtrum, non ex dejectione, ſed ex provecta, & ex ſublimitatis avaritia eos tentavit.

Adventius Metenſis. — Pacis oſculum. — Argumentum epiſt. Rhem. ad Laudun. quæ non extat.



ANNO CHRISTI 871. — Iſai. 56. — a Fre. malignantes. H.

Iſdem autem ſupergreſſus, ſic dici fas eſt, diaboli malignitatem, oblitus ſcriptum eſſe, quod [a] *malignitates exterminabuntur*, me ſtultiſſime ex dejectione temptavit: ſciens quia quæ illi, & eccleſiæ ſibi commiſſæ in eiſdem ſcriptis direxi, de euangelica veritate, & apoſtolica atque prophetica, necnon & canonica auctoritate, ſed & de apoſtolicæ ſedis conſtitutione, ſicut acceperat eadem ſancta ſedes, beatiſſimorum apoſtolorum traditione conſtaret eſſe conſcripta. Et ſanctarum ſcripturarum traditores & incenſores inter ſacrilegos legimus computatos. Si ergo illa quæ de euangelio, & apoſtolis, atque prophetis, necnon & de ſacris regulis Spiritu Dei conditis, ſine admixtione alicujus hæreſeos, vel ſchiſmatis, conſcripſi, videlicet menſuram tritici a comburendis paleis & zizania puri, revera de horreo dominico in tempore illi ac eccleſiæ ſibi commiſſæ, & ſolicitudine meæ ſubjectæ prolata incenderem, & vera negarem: ſine dubio Chriſtum qui in eis prænunciatus & oſtenſus eſt, & per quæ Chriſtum cognovimus, quique illa loquutus eſt, me noſſe, & in eum credere, ac per hoc me Chriſtianum negarem. Et ſi ſacros canones, & decreta catholicæ eccleſiæ incenderem & abdicarem: me procul dubio ab epiſcopatu non ſolum ipſe dejicerem, verum & ab eccleſia catholica diviſum, & alienum, id eſt, ſchiſmaticum & anathematizatum, publicis & eccleſiaſticis legibus efficerem. Sicut S. Leo papa ſcribens ad Leonem Auguſtum etiam de ſe dicit: *Si ſecundum apoſtolum*, inquit, *quæ deſtruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo, & eis me conditionum ultionibus ſubdo, quas non ſolum auctoritas beatæ memoriæ principis Marciani, ſed etiam ego mea conſenſione firmavi.*

Qualis collectio Rhem. Hincmari. — Leo ep. 78.

Quapropter etſi me infirmum ac fragilem, atque imbecillem, ut revera ſum, adeo æſtimavit, ut minis vel promiſſionum blanditiis ad hæc agenda trahi, vel invitari valerem: non tamen epiſcopus dubitare debuerat verum eſſe, quod ab eo qui perficit in infirmitate virtutem, ore veridico promittitur: *Dominus*, inquit, *dabit virtutem multam euangelizantibus verbum*: & epiſcopus mihi qualicumque epiſcopo mortiferum ad bibendum non debuerat propinare; ſcilicet, ut eloquia ſacra, gratia ſui incenderem. Et licet hinc me Deus gratia ſua ſervaverit, qui in ſe credentibus repromiſit, dicens: *Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Dum peſtiferas*, inquit B. Gregorius, *ſuaſiones audiunt, & tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum quidem eſt quod bibunt; ſed non eis nocebit*. Ipſe tamen niſi pœnituerit ex hac perniciosiſſima ſuaſione, ſtudii ſui luet judicium. *Tardius*, inquit B. Gregorius, *peccatum ſolvitur, quod & per conſilium ſolidatur. Niſi enim mens omnimodo æterna deſpiceret, in culpa ex judicio non periret.*

Hinc. c. 47. p. 563. — Marc. c. 16. — Gregor. homil. 29. in euangel. — Paſtor. l. 3. admon. 33.

Et quia dicit apoſtolus: *avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus*: & B. Gregorius, ex provectu avaritiæ primos parentes noſtros tentatos & ſuperatos demonſtrat, oſtendens avaritiam, non ſolum pecuniæ, ſed etiam altitudinis eſſe: & quia recte avaritia dicitur, cum ſuper modum ſublimitas ambitur: ſcripſi ei ex verbis beati Auguſtini de ſcripturæ ſacræ auctoritate dicentis, contra Donatiſtas ſchiſmaticos, qui ſe ſine cauſa a compage unitatis catholicæ ſeparaverant, dicentes quod probare non potuerunt, Cæcilianum a traditoribus ſacrarum ſcripturarum fuiſſe ordinatum; ut cognoſceret quam grave peccatum ſit idololatria, quod ex ambitu altitudinis admiſiſſe videtur, dum nulli ſubjectus eſſe velit, qui cunctis præeſſe non valet. Et quia gravius eſt peccatum incenſio divinorum eloquiorum, ad quod me traducere voluit: & quoniam graviſſimum ſit peccatum ſchiſma, quo ſe a fraterna noſtra unanimitate per ſuam pernicioſam ſubſcriptionem ſeparavit: ſicut ſcripto oſtendi in libello ſuo monſtruoſo, a ſe, & a clericis parochiæ ſuæ ſubſcripto: ubi quibuſdam ſubſcriptis quæ euangelicæ veritati, & apoſtolicæ auctoritati, & decretis ſanctorum conciliorum, quæ univerſalis eccleſiæ probavit adſenſus, & apoſtolicæ ſedis confirmavit auctoritas, inveniuntur adverſa. Ait enim beatus Auguſtinus loquens ad Donatiſtas de his tribus capitulis: *Non afferamus*, inquit, *ſtateram doloſam, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentes, hoc grave, hoc leve eſt. Sed afferamus divinam ſtateram de ſcripturis ſanctis, tanquam de theſauris divinis, & in illa quid ſit gravius, appendamus: imo non appendamus, ſed a domino appendente recognoſcamus. Tempore illo, quo dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cavenda monſtravit, & idolum fabricatum, atque adoratum eſt, & propheticus liber ira regis contemptoris incenſus, & ſchiſma adtemptatum, idololatria gladio punita eſt; exuſtio libri, bellica cæde & peregrina captivitate; ſchiſma, hiatu terræ ſepultis auctoribus vivis, & ceteris cœleſti igne conſumptis: quis jam dubitaverit hoc eſſe ſceleratius commiſſum, quod eſt gravius vindicatum?*

Hinc. Ibid. pag. 562. Coloſſ. c. 3. — PARS II. — Ibid p. 564. — Auguſt. l. 2. de bapt. c. 6. — Jerem. c. 36.

Sed quia illi non ſuffecit me calumniari, quod tam nefariam & exitiabilem excommunicationem illi agendam exemplo docuerim; niſi etiam nunc me ſcripto calumniaretur, non aliam illam excommunicationem ſe feciſſe, quam a mea vivæ vocis doctrina faciendam didicerit: reſpondendum mihi contra mendacem illius calumniationem ex ſacris auctoritatibus neceſſarium video; ne quaſi tacendo conſentiens, reus pariter cum illo dijudicer. Sicut in petitione, quam clerici Laudunenſis eccleſiæ mihi dederunt, continetur, & ſicut in ſynodo coram illo apud Attiniacum habita demonſtravi, omnes ſacerdotes totius parochiæ ſuæ conligavit, ut nemo eorum in ea ſacerdotali miniſterio tamdiu uteretur, uſquedum ille ipſe iterum cum eis viva voce loqueretur, aut literæ a ſede B. Petri apoſtoli eis mitterentur: & ne baptizarent pueros, ne viſitarent infirmos, ne reconciliarent cum viatico munere pœnitentiam petentes, ne ſepelirent mortuos, penitus ab his omnes eos prohibuit. Et in ſua rotula mihi ſcripſit, non aliam illam feciſſe, quam a mea vivæ vocis doctrina faciendam didicit. Quod mendacium eſſe profiteor. Et quia manifeſtum eſt, eum illas conligationes impietatis admiſiſſe: quæ ſi crimina eſſe poſſunt, ſicut S. Gregorius eſſe oſtendit, criminaliter illas admiſit: oſtendendum eſt ex ſacris auctoritatibus, ſi crimioſus alium criminari, & reum criminis facere poſſit. Sacræ quippe leges, quas eccleſia catholica recipit, dicunt, quia jure & legibus conſtitutum eſt, *ut ſpontanea profeſſione reus, reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui ſe crimino ſum eſſe confeſſus eſt*. Et item. *Non credendum eſt contra alios eorum confeſſioni, qui in criminibus accuſantur, niſi ſe prius probaverint innocentes: quis periculoſa eſt, & admitti non debet rei adverſus quemcumque profeſſio*. Et ſacri canones dicunt, ut *ad accuſationem non admittantur, quos ad*

Falſo ſcribit exemplo avunculi ſe clericos ſuos excommunicaſſe. — Reus reum facere non poteſt. — Jul. epiſt. 1. c. 28. — 3. q. 3. c. Accuſationes.

PARS II. C. accuſatores. Can. Afric. cap. 130.

*ad accuſanda publicæ crimina leges publicæ non admittunt*. Et quoticſcumque clericis ab accuſatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipſis de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cetera non admittantur. Et item ſacræ leges Theodoſianæ dicunt:

2. q. 7. c. Si quis epiſcopus.

*Si epiſcopus, vel presbyter, diaconus, & quicumque inferioris loci Chriſtianæ legis miniſtri, apud epiſcopos, ſiquidem alibi non oportet, a qualibet perſona fuerint accuſati, ſive ille ſublimis vir honoris, ſive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus inlaudabilis intentionis arripuerit, noverit docenda documentis ſe debere inferre. Si quis ergo contra hujuſmodi perſonas non probanda detulerit, auctoritate hujus ſanctionis intelligat ſe jacturæ famæ propriæ ſubjacere: ut damno pudoris, exiſtimationiſque diſpendio diſcat ſibi alienæ verecundiæ impune inſidiari, ſaltem dicere non licere.* Et Africanum dicit concilium,

Conc. Afr. cap. 129. Ibid. c. 124.

*Omnes infamiæ maculis adſperſos ad accuſationem non admitti, niſi in cauſis propriis.* Et de epiſcopo qui Donatiſtis ſe communicaſſe mentitus fuerat, idem decrevit concilium, ut *ſi probatum fuerit eum de communione illorum fuiſſe mentitum, dicendo eis ſe communicaſſe, quos eo ſciente non communicaſſe conſtiterit, etiam epiſcopatum amittat.*

Unde veſtra fraternitas inter me & illum diſcernat, atque decernat, ut ſi ego, licet mendaciter me talia illum docuiſſe vel hortatum fuiſſe, ſicut ipſe dicit, confiterer, reus criminis epiſcopatum deberem amittere: quid ille mereatur qui mendaciter me calumniatur, non ſolum participem, verum & auctorem in his ſuis impiis excommunicationibus eſſe. Unde etiam antiquorum patrum canones ſanxerunt, ſcribentes ad epiſcopos per Gallias & quaſcumque provincias conſtitutos, hoc modo: *Nec illud, fratres, ſcribere alienum ab eccleſiæ utilitate cenſuimus, ut ſciretis, quicumque ſub ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel epiſcopatus mortali crimine dixerint ſe eſſe pollutos, a ſupradictis ordinationibus ſubmovendos: reos ſcilicet vel veri confeſſione, vel mendacio falſitatis. Neque enim abſolvi poteſt, qui in ſeipſo dixerit mortis cauſam, quæ dicta in alium puniretur; cum omnis qui ſibi fuerit mortis cauſa, major homicida ſit.*

Explicatur canon.

Quod enim in hac ſententia canonum dicitur, *Quicumque ſub ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel epiſcopatus, mortali crimine dixerint ſe eſſe pollutos a ſupradictis ordinationibus ſubmovendos*; nemo ſanum ſapiens hæc de ſola luxuria, & immunditia, vel pollutione carnis dictum intelligit, cum ſcriptum ſit:

Luc. c. 1. 1. Petr. 5. Matt. c. 15.

*Diſperſit ſuperbos mentes cordis ſui. Deus qui ſuperbis reſiſtit.* Et in euangelio dicit: *Quæ de corde exeunt, hæc coinquinant hominem.* Et S. Gregorius dicit,

Gregor.

quia *per humilitatis cuſtodiam ſervanda ſemper eſt munditia caſtitatis*. Et item dicit, quia *aliquando minus eſt in corporis corruptionem cadere, quam in cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. Neque enim rex Babyloniæ tunc reus de elatione extitit, cum ad elationis verba pervenit. Quippe qui ore prophetico & ante, cum ab elatione tacuit, ſententiam exprobrationis audivit.*

Nabuchodonoſoris ſuperbia. Dan. c. 4.

*Nam diſtrictus judex prius inviſibiliter vidit, quod poſt publice feriendo, reprehendit. Unde & in irrationabile hunc animal vertit, ab humana ſocietate ſeparavit, agri beſtiis mutata mente conjunxit, ut diſtricto videlicet, juſtoque judicio homo quoque eſſe perderet, qui magnum ſe ultra homines æſtimaſſet.* Et item ſcriptura dicit:

Eccli. c. 10. Superbia & inobedientia mortalia crimina. Job. c. 41.

*Initium omnis peccati ſuperbia*: quæ mater eſt inobedientiæ, & regina omnium vitiorum, qua de cælo cecidit archangelus, & factus eſt diabolus, *qui eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*. Mortale igitur peccatum eſſe ſuperbiam, nemo qui neſciat. Sed & inobedientiam, propter quam homo eſt ejectus de paradiſo, & de qua hic frater arguitur, omnes mortale peccatum novimus. De qua etiam ſcriptura dicit:

ANNO CHRISTI 871. 1. Reg. 15.

*Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle adquieſcere.* Unde S. Gregorius:

Gregor.

*Sola eſt*, inquit, *quæ fidei meritum poſſidet obedientia, ſine qua quiſque infidelis convincitur, etſi fidelis eſſe videatur*,

## CAPUT XXXI.

*Quod excommunicationem a ſe factam fruſtra excuſare conatur.*

ET frater Hincmarus, excommunicationem, de qua agitur, ſe egiſſe in ſuis rotulis confitetur. Quam mortalem fuiſſe, & in plurimorum perditionem, in nullius autem ſalvationem a ſe abſque ulla diſcretione intentatam denegare non poteſt. De qua ſatis egit, ut ſe valeret contegere tam de apoſtolicæ ſedis calumnia, dicendo ab eadem ſancta ſede illam excommunicationem præinditam, & ſibi fore auctricem: quam & dicendo ſuper me falſa: quaſi ego illi & exemplo faciendam oſtenderim, & verbo agendam docuerim; quatenus exitiabiliter egiſſe a me non poſſet redargui. Sed quo fructu, ac cujus mercedis intuitu illam fecerit, in rotula per Clarentium mihi directa manifeſte denudat, dicens, ad excuſandas excuſationes in peccatis, ut impleat peccata ſua ſemper.

Hincmar apud Hincmarum Laudunenſem in epiſt.

*Docet quidem papa Alexander in fine ſuæ epiſtolæ, quod non tantum adtendenda ſunt quæ fiunt, quantum quo animo fiunt. Nempe cum hoc examuſſim tam in vobis, quam in me fuerit perſcrutatum, patebit illico inde æquitatis emolumentum.* Et quæ ſequuntur uſque ad hanc ſententiam: *Quod non me, pro me dicere reamini, quaſi propria inſtigatum injuria. Quia, Deo teſte, pro cavendo potius eccleſiaſtici ordinis detrimento, vobis ſcribo, uti ſcriptum eſt: Nolite locum dare diabolo.*

Epheſ. 4.

Quibus verbis aperte oſtendit, ſe ſuſtinere non velle, ut auctoritas metropolitana, ſecundum regulas, exceſſus illius corrigendi ullam habeat poteſtatem: & quem violatorem apoſtolicæ ſedis decreta, & delinquentem contra omnes leges tam divinas quam humanas ſignificet, qui legit, vel audit, intelligat: & cui væ propheticum imminere ea docenti, per quæ hæc fieri quoquomodo a quibuſcumque præſumantur: & quem in ipſo ſacroſanctam religionem prævaricatum fuiſſe convictum dicat, aperte in ſuperiori capite demonſtravit, in quo me ſuum traditorem vocavit. Verba quoque S. Alexandri corrupte interpretatus eſt. Ubi enim idem ſanctus dicit. *Non tantum adtendenda ſunt quæ fiunt, quantum quo animo fiant.* Paulo poſt ſubſequitur, inquiens: *Unde & illud eſt, quod dominus ad munera Abel reſpexit, & non ad Cain. quia magis intendit ad offerentis animum, quam ad ea quæ offeruntur.* Hinc B. Gregorius:

Gregor.

*Ab omnipotente Deo munus non accipitur, quod corde obligato in malitia offertur: quia omne quod Deo datur, ex dantis mente penſatur, quia in his quoque animo gerantur, ignoratur a proximis. Apud Deum igitur bona vera commendat intentio pura: quoniam non eſt arbor mala faciens fructum bonum. Arbor namque homo, fructus autem opera ſunt ipſius.* In apertis autem malis non eſt neceſſe intentionem requirere cordis: quia non eſt arbor bona, quæ facit fructus malos. Dicit enim apoſtolus:

Galat. c. 5.

*Manifeſta autem ſunt opera carnis*;



ANNO CHRISTI 871.

*nis*; poſt quorum eumerationem ſubdit ſpiritus fructus. Inconvenientem ergo interpretationem præcepti domini ad primos parentes noſtros, non humilitatem quacumque ſimulatione conlectam; ſed nudam ſuperbiam frater Hincmarus ſe excuſando de ſua pernicioſa excommunicatione oſtendit: quia, ut beatus dicit Gregorius:

Greg. in Pſ. pœnit. Pſ. 1. * al. & iniquitatem ſatisfactione pœnitentiæ diluere. * al. & vulgatum defendendo ampliare.

*Vera humilitatis teſtimonia ſunt, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, * & cognitam voce confeſſionis aperire. At contra, uſitatum humani generis vitium eſt, & labendo peccatum committere, & commiſſum negando defendere, * & convictum defendendo multiplicare.*

Similiter & apoſtoli ſententiam ad ſuum ſenſum violenter inflectens, dicit: *lex propter tranſgreſſores poſita eſt.* Quæ juxta ipſius ſenſum ad quem illam retorſit, ita exponi poteſt; ac ſi diceret. Tranſgreſſus ſine timore legem, contra legem, excommunicationis poſui legem, quam rex timeret, & me contingere non auderet: & prædicans non furandum, furari non timui; & abominans idola, ſacrilegium feci. Deinde ponens Gregorii verba dicentis:

Greg. lib. 7. epiſt. 6.

*Qui non corrigit reſecanda, committit.* Ac ſi patenter diceret: in me reſecanda, in multos excommunicando commiſi, ut hoc facto nemo in me reſecanda auderet corrigere. Demum ſubſequitur: *Deo teſte, pro cavendo potius eccleſiaſtici ordinis detrimento vobis ſcribo.* Quibus verbis evidenter oſtendit, qua intentione illam excommunicationem fecerit; videlicet ſuæ irrationabilitatis caſtigationem, vocans eccleſiaſtici ordinis detrimentum, ut rex illam excommunicationem pertimeſceret, & illum rebellantem contra ſe contingere non auderet: & ipſe, qui pro Dei timore ſe non cohibebat, nec diſtringi a quoquam hominum revereretur, & propriæ voluntatis motus ut libenter, ita etiam exequi poſſet licenter. Tandem addidit: *pro cavendo eccleſiaſtici ordinis detrimento vobis ſcribo, ut ſcriptum eſt: Nolite locum dare diabolo.* Quod apoſtoli teſtimonium, dum non apoſtolico, ſed apoſtatico ſenſu in alium jaculare voluit, in ſeipſum retorſit. Sicut ipſe apoſtolus ad

Ibid. 4.

Epheſios aperte demonſtrat, dicens: *Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo.*

Epheſ. c. 4. Gregor.

*Per iram*, inquit Gregorius, *lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Deus radium ſuæ cognitionis abſcondit.* Ipſe ergo in ſe locum diabolo principi tenebrarum, ſcilicet iniquitatum, donavit, qui radium cognitionis Dei, qui lux eſt, per iracundiam menti ſuæ confuſionis tenebras incuſſit, ut videre non poſſet, quam magnum malum in ſua pernicioſa excommunicatione, de qua ſe excuſando accuſat, perpetrare non metuit: ille eccleſiaſticas, imo divinas leges tranſgreſſus eſt, & locum diabolo dedit, ut ſine baptiſmo & communione mortuos homines raperet; ne locum contingendi eum contra ſuam voluntatem quis habere auderet. Verumtamen ſecundum ſuam intelligentiam, eamdem apoſtoli ſententiam adulterino ſenſu hic poſuit: qua de cauſa in ſynodis plures fuiſſe damnati leguntur.

## CAPUT XXXII.

*Refertur magna pars epiſtolæ Hincmari Laudunenſis de ſubſcriptione quam fecit in ſynodo apud Attiniacum.*

Epiſtola Laud. quæ incipit, *Relegi*

ET in rotula quam mihi 16. Kalend. Julias miſit, ita ſcribit: *Quia me ſæpe de ſubſcriptione redarguitis, quam in eadem ſynodo* (ſcilicet apud Attinjacum habita) *primo violenter per regiam poteſtatem, & poſtea fraudulenter a me extorſiſtis, compendioſe aliqua nunc reſpondebo, plura, ſi neceſſe fuerit, ſuo reſervans in tempore. Nam ſicut jam vobis reſcripſi, ad illam ſynodum pro reſponſione ad literas domni apoſtolici me vocaſtis: ad quam veniens non illam me introire permiſiſtis, ſed extra fores ut privilegio veſtræ ſedis ſubſcriberem, mandaſtis. Et ego reſpondi, quia nunquam contra privilegium veſtrum feciſſem: unde nec neceſſitas, nec ratio erat, ut a me illam ſubſcriptionem requireretis. Dum autem ex hoc magis ac magis in craſtinum fatigarer, reclamavi me per epiſtolam papæ Leonis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem epiſcopum directam, * qui ait ad locum; non enim neceſſarium fuerat, ut obligaretur ſcripto, qui obedientiam ſuam ipſo jam voluntarii adventus probabat officio. Deinde cum nec hoc adjuvaret, proclamavi per libellum, de quo ſuperius memoravi, legens capitulum iſtud. Quotieſcumque epiſcopi ſe a ſuis comprovincialibus, vel a metropolitano putaverint prægravari, aut eos ſuſpectos habuerint, mox Romanam appellent ſedem: & ſic uſque ad finem capitis percurri, quod & ſuperius integrum deſcripſi. Legi meæ vocationis a domno apoſtolico literas. Quod neutrum mihi profuit. Me autem hæc agente, domnus rex veſtra factione inſtigatus, qui priori die dixerat, ſe mihi nihil ex ſua parte diſcredere; minatus eſt, quia tantum me meoſque oneraret, quantum plus valeret, niſi illam ſubſcriptionem facerem. De me autem mihi parum erat. Videns autem quia mei homines cogerentur revadiare, quod me in villam Pauliacum ſequuti fuerant, cum jam domum cum Harduico archiepiſcopo iturus eſſem, acceſſit Frotarius archiepiſcopus ad me, alloquens cur non adquieſcerem ut ſubſcriberem, quia nihil mihi periculi erat: cui reſpondi, quia aliter hoc non facerem, niſi & vos debito eccleſiæ meæ privilegio mihi * ſubſcriberetis ſervando, uti Antiochenum conſtituit concilium: ne demum mihi, quaſi pro occaſione hujus ſubſcriptionis aliquod præjudicium niteremini inferre. Qui reſpondit: certe hoc ille nullatenus tibi contradicet. Et ſpopondi eo tenore * mihi hoc eſſe facturum. Et petii mihi ipſam ſubſcriptionem oſtendi. Quam dum mihi oſtenderitis, quædam quibus non acquievi, deleta ſunt, & quædam addita: videlicet, ut ibi haberetur, ſecundum decreta ſedis apoſtolicæ. Eſt autem ipſa ſubſcriptio talis: Ego Hincmarus Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus amodo & deinceps domno ſeniori meo Carolo regi ſic fidelis & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & epiſcopus per rectum ſuo regi eſſe debet. Ac privilegio Hincmari metropolitani provinciæ Rhemorum eccleſiæ ſecundum ſacros canones & decreta ſedis apoſtolicæ, ex ſacris canonibus promulgata, pro ſcire & poſſe me obediturum profiteor. Quam mecum deferens domum, hanc mihi a vobis * ſcribendam dictavi. Et ego Hincmarus Rhemorum archiepiſcopus tibi Hincmaro Laudunenſis eccleſiæ * epiſcope, tuum debitum, ſacris præcipientibus canonibus privilegium conſervabo; & in quibuſcumque eccleſiaſticis negotiis indigueris, ſecundum ſacras regulas, debitum tibi jure adjutorium archiepiſcopali auctoritate adhibebo. Hanc autem vobis per Fredericum Harduici archiepiſcopi presbyterum miſi: & remandaſtis mihi per eumdem, quia voluntarie illud faciebatis: & ſic in ſynodo relegi, & ſubſcripſi. Vos autem penitus ſubſcriptionem, quam promiſeratis, dimiſiſtis: ſed verbis fuiſtis profeſſi quod in quibuſcumque me juſte, & rationabiliter poſſetis ſecundum veſtrum miniſterium adjuvare, feci-*

PARS II. Capitulo habetur ſupra ep. 31. 35. — Leo ep. 84. * al. qua — pag. 149 & infer. p. 161. — al. ſcriberetis. — * al. me — Profeſſio Hincmari Laudunenſis. — * al. ſubſcribendam. — al. coepiſcope.

PARS II.

*feciſſetis. Ego autem nunquam contra privilegium ſedis veſtræ quicquam egi; neque contra ullius epiſcopi privilegium, Deo propitiante, unquam acturus ero.*

Contra quæ ſcriptum eſt: *Filius ſtulti dicit ſe eſſe juſtum, ſed exitum ſuum non abluit.* Et aliis interpoſitis ad hanc ſuam ſubſcriptionem reſilivit, dicens:

Ibid. p. 551. Alexand. epiſt. 1.

*Ac ſi etiam in ſubſcriptione illa aliquid haberetur, quod forte intolerabile foret, beatus papa Alexander, quintus poſt principem apoſtolorum Petrum, mihi manum porrigeret, qui ſuis ita inquit decretis, ad locum. Similiter ſi hujuſmodi perſonis quædam ſcripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut ſe liberare poſſint, ſi quocumque ab eis conſcriptæ, aut roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum, provenire cenſemus: neque ullam eos infamiam vel calumniam, aut a ſuis ſequeſtrationem bonis, unquam auctore domino, & ſanctis apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, ſuſtinere permittemus. Confeſſio vero in talibus non compulſa, ſed ſpontanea fieri debet: ipſo adteſtante qui ait: Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blaſphemiæ, & cetera, quæ ſunt ad hæc pertinentia. Nec tantum adtendenda ſunt quæ fiunt, quantum quo animo fiant. Si non ſunt tantum adtendenda quæ fiunt, quantum quo animo fiunt: quo animo ego illud fecerim, neque parum ſciens potui ignorare: qui etiam multo plura tunc eſſem facturus, ut meos qui innoxii erant, & cauſa mei opprimebantur, poſſem liberare.*

Matt. c. 15.

*Et ne ſolus hic ſanctus papa Alexander hæc decreviſſe putetur: quid beatus Gregorius, quem venerabiliter ſuſcipitis, de hoc ſentiat, apparet, ad Conſtantium Mediolanenſem epiſcopum de Pompeio epiſcopo ſcribens ita. Nunc igitur, quoniam illa quæ contra eum dicta ſunt, & geſta quæ exinde apud fraternitatem veſtram confecta ſunt, neque ad condemnationem, neque ad abſolutionem ejus probantur, poſſe ſufficere: non levis * res igitur incaute, vel in tranſcurſu non debet diffiniri. Nam grave eſt ſatis, & indecens, ut in re dubia, certa dicatur ſententia. Et hæc geſta quidem eſſe poterant ad diffiniendum * idonea, ſi accuſati ea confeſſio ſequeretur: ſi tamen eamdem confeſſionem ſubtilitas examinis ex occultis eliceret, & non afflictio vehemens extorqueret: quæ frequenter hoc agit, ut noxios ſe fateri etiam cogantur innoxii. Nam poſtquam præfatus epiſcopus, ut dicitur, * cruciari, cremarique fame * ſe aſſeruit, * ſcire debemus, ſi ita eſt, * utrum noceat, ſi ſic fuerit extorta confeſſio. Certe ſi non nocet extorta confeſſio, non nocet extorta ſubſcriptio.*

Greg. l. 8. ep. 30.
* al. res agitur ut in ceteris tranſcurſu debeat diffiniri.
* al. ſatis idonea,
* al. cruciari cuſtodia,
* al. ſe aſſerit,
* ſcire debetis
* al. ut non noceat,

## CAPUT XXXIII.

*Hincmarus archiepiſcopus ſuperiores objectiones vera rerum geſtarum narratione diſſolvit.*

Reſp. ad 1. object.

Cujus verba ſingillatim recenſeamus. Dicit in eadem ſynodo, primo violenter per regiam poteſtatem, & poſtea fraudulenter a me fuiſſe ab illo ipſam ſubſcriptionem extortam. Dominus rex, Deo gratias, & ætatem, & ſapientiam, & virtutem, & locum pro ſe reſpondendi habet: & de hoc facto plures habet & archiepiſcopos, & epiſcopos veridicos teſtes.

Ad 2.

Quod dicit poſtea, illam a me fuiſſe ab eo fraudulenter extortam, non eſt verum. Nam ſolus ſynodo illa die, in craſtinum convenienda, poſtquam dominus rex ab ea domo abſceſſerat, & quidam epiſcopi in eadem domo, ſicut cuique convenit, cum ſuo fratre loquebatur: & ego juxta quamdam feneſtram ſtans cum fratre Odone loquebar, venit ad me Frotarius archiepiſcopus, & Æneas epiſcopus, & dixerunt mihi coram Odone, quia frater Hincmarus vellet profeſſionis libello ſubſcribere, & de domni regis obedientia: & eſſemus inter nos pacifici ſicut pater & filius, ac archiepiſcopus & epiſcopus eſſe debent. Quod ego gratanter recepi; & ab alia feneſtra, juxta quam ſtabat Hincmarus cum aliis epiſcopis, adduxerunt eum ad me: & ipſe Hincmarus petiit, ut liceret illi loqui ſolo mecum ſolo. Et ſeceſſi cum eo juxta parietem domus; & dixit mihi, quod pro me nihil dubitaret in illa ſubſcriptione, ſed pro eo qui poſt me erit in illa ſede metropoli. Et ego ei reſpondi, ut ille ipſe libellum dictaret ſicut vellet; & petiit ut ego illum dictarem. Et reverſi ſumus ſimul ad feneſtram juxta quam Æneas & Odo ſtabant: & dixi Odoni ut acciperet ſuas tabulas, & exciperet in illis libellum cui Hincmarus deberet ſubſcribere. Et excepit Odo, ſicut tunc ſimul dictavimus. Et dixi illi, ut quicquid ibi vellet aut mutare, aut ſubtrahere, aut addere, faceret: ſicut & factum eſt. Et dixi ego Odoni, ut in craſtino illum apportaret ſcriptum, & in ſynodo ei Hincmarus ſubſcriberet. Hincmarus autem reſpondit, quia febris illum tangebat, & ſtatim ſe inde vellet deliberare, ut ſanguinem poſſet minuere. Ego autem juſſi Odonem ire ad Cancellarium regis, & accipere ab illo pergamenum, & atramentarium, & ſcriberet illum cito. Interea dixi Æneæ, cui tunc auſcultabat Hincmarus, quod melius eſſet ut in craſtina expectaret; & perſuadente Ænea adquievit ita Hincmarus. Et in craſtina veniens in ſynodo profeſſus eſt ſecundum quod in illo libello continetur. Et porrigente ſibi Odone pennam, coram omnibus, ſicut tunc paruit, eidem libello ſponte ſubſcripſit; & regi, & mihi manu ſua porrexit. Et tunc domnus rex pacem illi dedit: & ego poſt illum. In craſtino autem antequam in domum intrarem, in quam epiſcopi convenire debebant: Harduicus epiſcopus in alia domo mecum loquens, ſecretiſſime dixit mihi, quod Hincmarus mihi mittebat unum parvulum ſcriptum, petens, ut ei ſubſcriberem. Et occulte illum mihi dedit; ego autem illum ſuſcepi, & in ſinum meum miſi. Quem poſtea non legi, antequam in via eſſem, qua ad manſionem meam redibam. Et coram Odulfo epiſcopo qui mecum ibat, primum idem ſcriptum relegi; poſtea nec Hincmarus, nec aliquis alius inde mecum rationem habuit. Verum & Fredericus presbyter Harduici, unquam de illo libello mecum ullam rationem non habuit. Et per talem fraudem, ſicut auditis, eamdem ſubſcriptionem ab eo extorſi.

ANNO CHRISTI 871. Fuiſſet non verum de præfata re ipſa ſubſcripta.

Ad 1.

Quod dicit illam profeſſionem, antequam ei ſubſcriberet, ſuam domum portaſſe, non eſt verum. Quia poſtquam Odo epiſcopus eam in tabulis ſuis excepit, ſcriptam Hincmarus illam non vidit; uſquequo 16. Kal. Jul. 3. indictionis eidem profeſſioni in ſynodo coram omnibus qui adfuerunt epiſcopis, & coram domno rege ſubſcripſit: & domno regi, ac mihi porrexit, & ei in ſynodo exemplar illius donavi. In craſtino autem, id eſt, 15. Kal. Julias domnus Harduicus archiepiſcopus, tali modo ſicut præmiſi, libellum ab eo mihi directum dedit. Et nihil poſtea, quam-



ANNO CHRISTI 871. Hinc. ep. 55. p. 601.

quamdiu in Attiniaco fuimus, inde Hincmarus vel verbo, vel ſcripto quiddam mihi dixit. Qui etiamſi mihi aliquid inde dixiſſet, reſponderem illi ex Jacobo: *Petis, & non accipis, eo quod male petis.* Quia injuſtum atque irrationabile eſt, ut archiepiſcopus a ſacris canonibus exorbitans, excedenti epiſcopo ſuffraganeo, & a ſe ordinato, profeſſionis ac ſubſcriptionis ſuæ libello ſatisfaciat. Sicut enim ſecundum ſcripturam, minor a majore benedicitur: ita prorſus minor a majore, & non major a minore judicatur, ligatur, & ſolvitur: ſicut & in decretis B. Gelaſii demonſtratur.

Ad 4.

De eo quod ſubſequitur: *Nam ſicut jam vobis reſcripſi, ad illam ſynodum pro reſponſione ad literas domni apoſtolici me vocaſtis: ad quam veniens, non illam me intrare permiſiſtis; ſed extra fores, ut privilegio veſtræ ſedis ſubſcriberem, mandaſtis.* Dicat, per quem hoc illi extra fores mandavi; & oſtendat, quomodo verum eſſe poſſit, quoniam ad ſynodum veniens, non illum eam ego intrare permiſerim. Nam poſtquam ad Attiniacum venit, quandocumque in ſynodo fuimus, & ipſe interfuit: & coram illo in ſynodo ea quæ ſemel & ſecundo pro diſſolvendis ipſius impiis colligationibus ad eum ex evangelica veritate, & ex decretis apoſtolicæ ſedis decreveram, relecta fuerunt. Et in ſynodo coram illo, omnibus audientibus, Odulfus epiſcopus dixit, eum ſæpe dicere, ſicut & alii cum eo audiebant epiſcopi, quod plenam buccam de aqua non valerent illa quæ legebantur.

Ad 5.

Quod dicit ſe reſpondiſſe, quia nunquam contra privilegium meum, quod in metropolis civitatis dignitate accepi, feciſſe: vos judicate, ſi contra privilegium metropolitanum in his quæ audiſtis quoquo modo fecerit.

Ad 6.

Quod dicit ſe ſedem apoſtolicam appellaſſe: dicat quis ei contradixit, ut ſuam appellationem non proſequeretur.

Ad 7.

Quod dicit, qua domnus rex mea factione inſtigatus, qui priori die dixerat, ſe nihil illi ex ſua parte diſcredere; & poſtea illum minatus eſt: domni regis reſponſio valebit ſufficere.

Ad 8. Pauliacus villa, Baulcourt, ou Poilcourt.

Quod dicit, quia ſui homines cogerentur revvadiare, quod illum in villam Pauliacum ſecuti fuerant: ſi revvadiabant, quia irrationabiliter eum in Pauliacum ſequuti erant, negare non poteſt ſe eſſe auctorem ipſius irrationabilitatis.

Ad 9.

Quod dicit, ſi etiam in ſubſcriptione illa haberetur aliquid, quod forte intolerabile foret, B. papa Alexander illi manum porrigeret. Videamus quomodo illi conveniat, & manum illi porrigat quod S. Alexander decrevit. Ait enim in epiſtola omnibus orthodoxis per diverſas provincias domino famulantibus: *Eſt etiam & hoc ad hanc ſanctam perlatum ſedem quod pudet dicere; & non ſolum ſacerdotali, ſed etiam omni Chriſtiano nomini eſt inimicum. Id eſt, quod nonnullos epiſcopos aut ſacerdotes aut metu compellunt, aut vi extorquent, aut fraude decipiunt, * aliquos confeſſionis ſuæ in alteram partem quam debeant, aut pro ſuarum non requiſitione rerum; aut, quod deterius eſt, * alieni erroris ſectas, ſcripturas facere, & propriis manibus roborare, & coram populis recitare atque confiteri. Aliquos dicunt carceribus & ergaſtulis recludi, ut ſaltem his territi inſidiis devient domini ſacerdotes, & ſuis faveant voluntatibus.* Et plurimis capitulis interpoſitis

Alexand. ep. 2.
* al. aliquas
* al. pro alieni erroris ſecta,

iterum hinc dicit ad locum, quæ Hincmarus adulterantium modo in rotula ſua poſuit: *Similiter ſi hujuſmodi perſonis quædam ſcripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut ſe liberare poſſent, quocumque ab eis conſcriptæ vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire cenſemus: neque ullam eos infamiam, aut calumniam, aut a ſuis ſequeſtrationem bonis, unquam auctore domno, & ſanctis apoſtolis eorumque ſucceſſoribus, ſuſtinere permittemus. Confeſſio vero in talibus non compulſa ſed ſpontanea fieri debet: ipſo atteſtante qui ait: Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blaſphemiæ, & cetera, quæ ſunt ad hæc pertinentia. Nec tantum attendenda ſunt quæ fiunt, quantum quo animo fiant.* Et paulo poſt: *Unde & illud eſt, quod dominus ad munera Abel reſpexit, & non ad Cain; quia magis adtendit ad offerentis animum, quam ad ea quæ offeruntur.*

PARS II. Hincm. Laudun. cit. p. 552.
Matt. c. 15.
Geneſ. c. 4.

Conferamus verba B. Alexandri cum profeſſione, ac ſubſcriptione Hincmari. Alexander dicit nonnullos epiſcopos vel ſacerdotes, aut metu compelli, aut vi extorqueri, aut fraude decipi, aliquas confeſſionis ſuæ in alteram partem quam debeant, aut pro ſuarum non requiſitione rerum, aut, quod deterius eſt, alieni erroris ſectas, ſcripturas facere, & propriis manibus roborare, & coram populis recitare atque confiteri. Et Hincmarus profeſſus eſt, atque ſubſcripſit hoc modo: *Ego Hincmarus Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus amodo & deinceps domno ſeniori meo Carolo regi ſic fidelis & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & epiſcopus per rectum ſuo regi eſſe debet. Ac privilegio Hincmari metropolitani provinciæ Rhemorum eccleſiæ, ſecundum ſacros canones & decreta ſedis apoſtolicæ ex ſacris canonibus promulgata, pro ſcire & poſſe me obediturum profiteor, & ſubſcribo.* In qua profeſſione & ſubſcriptione nihil continetur de his quæ ſervari non debent: nec aliquid ibi ſonat de confeſſione in alteram partem quam debeat, neque pro ſuarum non requiſitione rerum, neque de ſectis alieni erroris: nec eum quiſquam, ut ſubſcriberet, aut in carcere, aut in ergaſtulo recluſit, ut his territus inſidiis, domini deviaret ſacerdos, & voluntatibus alienis faveret.

Expenditur dictum Alexandri.

## CAPUT XXXIV.

*Ejuſdem refutationis continuatio.*

Ad 10. Hincm. Laudun. ibid.

De eo quod ibidem ſubſequitur: *Si non ſunt tantum adtendenda quæ fiunt, quantum quo animo fiant; quo animo ego illud fecerim, neque parum ſciens poterit ignorare: qui etiam multo plura tunc eſſem facturus, ut meos qui innoxii erant, & cauſa mei opprimebantur, poſſem liberare.* Paulus apoſtolus dicit: *Lex non eſt poſita juſtis, ſed injuſtis.* Et hinc S. Leo dicit ſcribens ad Ravennium: *Juſto quippe ideo dicitur lex non eſſe poſita, quia normam præceptionis implet judicio voluntatis.* Si ſui qui eum ad Pauliacum ſequuti fuerunt, revvadiaverunt per legem, quod contra legem commiſerunt, innoxii non erant; & domnus rex ut noxios diſtringere juſſit: quantum audemus dicere, contra regium miniſterium fecit. Si judices regii contra legem innoxios, velut noxios diſtrinxerunt, prævaricatores legis fuerunt: ſi * arbitros innoxios, velut noxios judicaverunt, auctoritatem & locum judicii amittere meruerunt. Quia vero nec ipſe, nec aliquis ſuorum, ſe tunc in

1. Timot. 1.
Leo ep. 90.
* fort. arbitri

PARS II.

in judicio pati præjudicium reclamavit : & S. Gregorius ſæpe juxta leges & canones terminari decrevit judicia : & ex interpretatione legis Honorii & Theodoſii dicitur, quoniam *quicumque quod in judicio adverſario præſente non repetiit, poſtea de eadem re litem aliam non poterit inchoare. Legem conculcat, qui contra legem, legaliter judicata, etiam ſcripto, rediviva lite condemnat*. Et quia perſonas privatas ſuos homines contra legem diſtrinxiſſe, vel judicaſſe Hincmarus probare non poteſt : conſtat, ſi ſui homines legaliter revvadiarunt, quod contra legem commiſerunt, innoxii non fuerunt. Et qui * ſe conduxiſſe illos, ut eum ad commiſſum illud quod revvadiaverunt, ſequerentur, qui noxii fuere probati : innoxius rite dici non poteſt, & noxius innoxios facere ſuo teſtimonio nequit.

* deeſt dicit

*Ad 11.* * *fort. extortam confeſſionem.*

De hoc quod dicit, S. Gregorium ſcripſiſſe a Pompeio epiſcopo *cruciato, crematoque fame* * *extorta confeſſione* : nos in illa ſynodo ſatis ſuperque illum vidimus corpulentum, atque conferſum ; & non cruciatum neque necatum fame ut profiteretur ac ſubſcriberet, vidimus vel audivimus.

*Ad 12.*

De hoc quod dicit : *Certe ſi non nocet extorta confeſſio, non obeſt extorta ſubſcriptio*. Puto clamare nunc contra illum de cælo, & clamaturos in divino judicio ducentos quatuordecim ſanctos epiſcopos, qui in Carthaginenſi concilio decreverunt, ut *ſi quis contra ſuam profeſſionem, vel ſubſcriptionem venerit in aliquo, ipſe ſe honore privabit*. Et dicentem ex ſua perſona : *Certe ſi non nocet extorta confeſſio, non obeſt extorta ſubſcriptio* : niſi pœnitentiam egerit, credo illum inter alia de hoc mendacio ab eiſdem ſanctis epiſcopis judicandum. Sed & a beato Gregorio condemnandum, qui ſcripſit ad Theoctiſtam patriciam : *Si qui ſunt qui dicunt, quia compulſus quiſpiam neceſſitate ſe anathematizaverit, anathematis vinculo non teneri, ipſi ſibi teſtes ſunt, quia Chriſtiani non ſunt : quia ligamenta ſanctæ eccleſiæ vanis ſe æſtimant conatibus ſolvere : ac per hoc nec abſolutionem ſanctæ eccleſiæ, quam præſtat fidelibus, veram putant, ſi ligaturas ejus valere non æſtimant. Contra quos diutius diſputandum non eſt, quia per omnia deſpiciendi & anathematizandi ſunt, & unde ſe fallere veritatem credunt, inde in peccatis ſuis veraciùs ligantur*. Et aliquanto ſuperius : *Et quia ſi compulſi aliqui de quibus reprehendebantur, anathematizare ſe dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri. Et ſi ſunt qui certiſſime talia ſentiunt, vel tenent, quia Chriſtiani non ſunt, dubium non eſt. eoſque & ego, & omnes catholici epiſcopi, atque univerſa eccleſia anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt, & contraria loquuntur*. Sed & mihi alia mendaciter impingit : ſed & ſuper ſcriptum quædam dicit, contra quæ longum eſt mihi ſcribere, & vobis audire.

Conc. Carthag. cit.

Greg. l. 9. ep. 39. cit.

## CAPUT XXXV.

*Quod tertio vocatus ad ſynodum non reſpondit, & ideo tractari debet ut contumax.*

ECce audivit veſtra fraternitas, quomodo & in quantis ſcriptura fratris Hincmari ſit mendax. Et ſicut ſacræ leges dicunt, quia hoc in omnibus cauſis ſtatutum eſt, ut ſcripturam prolator affirmet : nam ſi is qui ſcripturam protulit, ejus non aſtruxerit veritatem, ut falſitatis reum eſſe retinendum. Et in concilio Epheſino, & Chalcedonenſi, ſed & in quinta, ac ſexta ſynodo, propriis ſcripturis & ſubſcriptionibus ſuis convictos, nullorumque aliorum accuſationem vel teſtificationem requiſitam, ſecundum ſacras leges, dicentes quoſcumque convinci ſcriptura vel teſtibus, legimus damnatos fuiſſe.

ANNO CHRISTI 871.

Sed & tertio vocatos, & venire detractantes, (quanto magis poſt tot ac tantas commonitiones ?) omni ſacerdotali officio etiam abſentes invenimus fore privatos. Sed & Joannem Antiochiæ tertiæ ſedis epiſcopum, quia blaſphemias contra Cyrillum ſecundæ ſedis archiepiſcopum per libellos emiſit, tertio vocatum, & non adeuntem Epheſinam ſynodum legimus ibidem fuiſſe excommunicatum. Necnon & Dioſcorum ſecundæ ſedis Alexandrinæ epiſcopum inter cetera, quoniam adverſus regularem ordinem & eccleſiaſticam egerit diſciplinam : inſuper etiam quia multos libellos plenos iniquitatibus contra archiepiſcopum ſuum primæ ſedis magnæ Romæ ſanctiſſimum & ſapientiſſimum Leonem, ſæpius eccleſiaſticos conculcans canones in concilio obtulit ; privatum omni ſacerdotali miniſterio, ab eodem beatiſſimo Leone per vicarios ſuos in eadem magna ſynodo Chalcedonenſi ; & tertio vocatum, quia ſynodo ſe præſentare contempſit, abſentem legimus fuiſſe damnatum. Verum de trina commonitione ſacræ leges dicunt, quicumque tribus auctoritatibus judicis conventus, vel tribus edictis ad judicem fuerit provocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id eſt, quod cauſam extinguit, fuerit evocatus, & præſentiam ſuam apud eum judicem, a quo ei denunciatum eſt, exhibere noluerit, adverſus eum quaſi in contumacem judicari poteſt : Quin immo nec retractari per appellationem negotia poſſunt, quoties in contumacem fuerit judicatum ab ea ſententia quæ adverſus contumaces data eſt ; neque appellari, neque in duplum revocari poteſt. Et hinc S. Gregorius ad Maximum Salonitanum epiſcopum : *Ita*, inquit, *fac, ut ad veniendum amplius jam moras non ingeras : ne ipſa te magis abſentia obnoxium his quæ dicuntur, adſignet : & nos * inter hæc reo non ſolum propter dicta crimina quæ purgare ſubterfugis, ſed etiam propter inobedientiæ culpam, durius, ſcilicet ut in contumacem cogat ex concilio ferre judicium*. Et S. Cæleſtinus de trina vocatione ad Neſtorium ita ſcripſit : *Itaque quamvis jam frater Cyrillus * ſecundis te epiſtolis aſſerat eſſe conventum, intelligas volo poſt primam & ſecundam illius, & hanc correptionem noſtram, quam conſtat eſſe jam tertiam, ab univerſitate collegii & conventu Chriſtianorum te prorſus eſſe ſejunctum ; niſi mox ea quæ male dicta ſunt, corrigantur, niſi in eam viam redeas, quam * Chriſtus eſſe teſtatur*. Et item in eadem epiſtola : *Perſequar plane domini mei * fidelis ſervus inimicos : cum propheta aſſerat, eos odio ſe odiſſe perfecto. Moneor rurſus altero loquente, ne parcam. * Quem vis ergo reſpiciam, cui honoris aliquid ſervem, quando agitur ut mihi totius ſpei meæ cauſa tollatur?* Ipſius in euangelio verba ſunt domini, quibus ait non ſibi patrem, non matrem, non filios, non aliquam neceſſitudinem debere præponi. Eſt enim frequenter talis pietas ex qua naſcatur impietas : cum vincente carum affectu carnis caritati illi quæ Deus eſt, caritas præponitur corporalis. Et S. Ambroſius in pſalmo 118. *Eſt juſta miſericordia, & eſt etiam injuſta miſericordia. Denique in lege ſcriptum eſt de quodam. Non miſerebitur illius. Et in libro regnorum legis, quia Saul pro-*

Greg. l. 2. ep. 103.

Cæleſtin. ep. 5.

Ambroſ. pſal. 118.

1. Reg. 4.



ANNO CHRISTI 871.

*Miſericordia injuſta.*

*propterea contraxit offenſam, quia miſeratus eſt Agag hoſtium regem, quem prohibuerat ſententia divina ſervari. Et ſi quis latronis filiis deprecantibus motus, & lacrymis conjugis ejus flexus, abſolvendum putet, cui adſit latrocinandi affectus, nonne innocentes tradit exitio, qui liberet multorum exitia cogitantem ? Certe ſi gladium reprimit, vincla diſſolvit ; cur laxat exilia, cur latrocinandi qua poteſt clementiore via non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit ? Deinde inter duos, hoc eſt, accuſatorem & reum, pari periculo de capite decernentes, alterum ſi rem probaſſet, alterum ſi non eſſet ab accuſatore convictus, non id quod juſtitiæ eſt judex ſequatur ; ſed dum miſeretur rei, damnet probantem, aut dum accuſatori favet qui probare non poſſit, addicat innoxium. Non poteſt igitur hæc dici juxta miſericordia. In ipſa eccleſia ubi maxime miſerari decet, teneri quam maxime debet forma juſtitiæ, ne quis a conſortio communionis abſtentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quam plurimis debet poſtulare temporibus, facilitati ſacerdotis extorqueat. Nonne cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapſionis contagium provocari ? facilitas enim veniæ, incentivum tribuit delinquendi. Hoc eo dictum eſt, ut ſciamus ſecundum verbum Dei, ſecundum rationem, diſpenſandam eſſe miſericordiam debitoribus. Medicus ipſe ſi ſerpentis interius vulneris invideat cicatricem, cum debeat reſecare ulceris vitium, ne latius ſerpat, tamen a ſecandi urendique propoſito lacrymis inflexus ægroti medicamentis tegat, quod ferro aperiendum erat : nonne iſta inutilis miſericordia eſt ; ſi propter brevem inciſionis vel uſtionis dolorem corpus omnino tabeſcat, vitæ uſus intereat ? Recte igitur & ſacerdos vulnus, ne latius ſerpat, a toto corpore eccleſiæ, quaſi bonus medicus, debet abſcidere, & prodere virus criminis quod lateat, non fovere : ne dum unum excludendum non putat, plures dignos faciat, quos excludat ab eccleſia. Jure ergo apoſtolus divino nos hortatur exemplo, dicens : Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei ; in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem ; in te autem bonitatem, ſi permanſeris in bonitate*. Et ſanctus Gregorius in regula paſtorali : *Malorum*, inquit, *cum incaute amicitiis cingimur, culpis ligamur. Unde Joſaphat qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis pæne periturus increpatur : cui a domino per prophetam dicitur : Impio præbes auxilium, & his qui oderunt dominum, amicitia jungeris ; & idcirco iram quidem domini merebaris ; ſed bona opera inventa ſunt in te, eo quod abſtuleris lucos de terra Juda*. Et in homilia evangelii : *Multum*, inquit, *eſt, quod carnales affectus intentionem mentis diverberant, ejuſque aciem obſcurant : ſed non declinant a recto itineris, qui arcam Dei portant in mente*.

*Pœnitentia diuturna.*

*Severitas in eccleſia neceſſaria.*

Rom. c. 11.

Gregor. paſtor. curæ, parte 3. c. 3. admonit. 24.

2. Paralip. 19.

Idem in evang.

*Obediendi reſpondet.*

Hilarus ep. 1.

Et ne quis dicat, beatum Cæleſtinum de tertia commonitione ſcripſiſſe ad Neſtorium hæreticum : attendendum eſt quod Hilarus papa dicit : *Quia non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in injuriam ipſius domini proſilitur*. Et hujuſmodi præſumptor, qui in ſanctarum traditionum pertinaciter ſanctiones delinquit, non inter catholicos eſt computandus, ſed cum ſchiſmaticis eſt condemnandus : quia ſicut in decretis apoſtolicæ ſedis ſcriptum eſt, quiſquis ſchiſmatico aſſenſerit, ſchiſmaticus eſſe negari non poterit. Quod etſi omnes ſacerdotes, & mundus aſſentiat, damnatio conſentientes involvit, non prævaricationem conſenſus abſolvit. Non enim crimen minuitur, ſed roboreſcit, cum generale fit ex privato. Hoc enim Deus omnium judicavit, qui peccatorem mundum generali diluvio interemit. Et his beatus Gelaſius concinit in decretis ſuis : ſicut manifeſte ex ejus verbis hic poſſem oſtendere, ſi prolixitatem non devitarem.

PARS II.

*Concluſio qua monſtratur non obſtante appellatione ferri poſſe ſententiam.*

HÆc omnia ſupraſcripta, ut ſæpe commemoravi, non cauſa mearum injuriarum, ſed evindicatione dignitatis mihi commiſſæ metropolis, contra fratrem Hincmarum contexui : nec ſacras leges & regulas collegi adverſus eum in cauſis propriis intentando judicium, ſed oſtendendo qualitatem, ac quantitatem ſuorum exceſſuum, & mearum commonitionum ; & quibus ac quantis conſtitutionibus pertinacem objecit contemptum. Veſtra vero Deo placita unanimitas, coram ſe recitata vigilanti diſcernat libramine : quia licet ſacerdotibus canones ignorare non liceat ; levior tamen fuerat error, ſi per ignorantiam deliquiſſet, quam nunc, quia ſciens & prudens ex conſilio & ſtudio ſacrarum regularum per contumaciam transgreſſor exiſtit, quarum cuſtodiam & obſervationem profeſſione ac ſubſcriptione ſua firmavit. Duplici ergo reatu tenetur adſtrictus ; qui non ſolum contra venerabilium patrum, ſed etiam contra ſua veniſſe decreta temere comprobatur. Utrum igitur Deo medio prolata ſententia, cum debeat percellere ; an veraciter recognoſcentem, & humiliter ſupplicantem abſolvere, ſalvis ſanctorum conciliorum ſtatutis, & apoſtolicæ ſedis pontificum ex eiſdem ſacris canonibus promulgatis, & reſervato per omnia primæ & apoſtolicæ ſedis privilegio, ac Rhemorum metropolis jure : quod ex me eſt, conſilio, & judicio veſtræ unanimitatis committo : pro modulo meo ſequens dicta B. Cæleſtini ad Cyrillum epiſcopum de Neſtorio : *Studeo*, inquit, *quieti catholicæ, ſtudeo pereunti ſaluti, ſi tamen voluerit ægritudinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne volenti * corrigere, forſitan deeſſe videamur. Nam * ſi & nobis ſuſtinentibus uvam, ſpinas ſibi addiderit, impleatur manentibus ſtatutis prioribus ſui fructu judicii, colligat quod ſulco diabolico ſeminavit, non noſtro conſilio, ſed ſe periturus auctore. * Probat nos veloces pedes ad effundendum ſanguinem non habere, quando ſibi etiam remedium cognoſcat oblatum*. Et hæc dico non præjudicans veſtræ deliberationi, utrum juxta hæc B. Cæleſtini verba veraciter recognoſcens, & humiliter ſupplicans, abſolvi ; an pro tam diutina pertinaci in contemptu ſanctarum regularum permanſione debeat percelli. Quia ſicut a regulis præſtitutis de ceteris & manifeſtis cauſis quæ in nullo nobis ſunt dubia vel obſcura nulla aut negligentia aut præſumptione debemus diſcedere, ſicut Leo ad Anaſtaſium ſcribens decrevit : ita de quibus diffinitivas ſententias, quæ nulla poſſunt ratione convelli, a ſanctis patribus promulgatas habemus, non debemus novum inire tractatum, vel novum expectare conſilium.

*Tertio ſe accuſari negat Rhemenſis.*

Cæleſtin. ep. 10. apud Baron. an. 431.

* al. ſe corrigere.

* al. etſi & nobis

* al. Probet

Leo ep. 84.

Nec etiam ſedem apoſtolicam in requirendo inquietare, ſicut S. Innocentius ſcribens ad Macedones epiſcopos dicit : *Cum ſæpius*, inquit,

*De tribus jam definitis non eſt conſulenda ſedes apoſtolica.*

PARS II.

Hinc. l. 55. Cap. c. 34. Innocent. ep. 27. Id. ep. 3.

inquit, *reperi feciſſem* (*quin ſcripta veſtra*) *adverti ſedi apoſtolicæ, ad quam relatio, quaſi ad caput eccleſiarum, miſſa currebat, fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum ſententia duceretur*. Et ad Felicem Nucerianum epiſcopum. *Stupuimus prudentem virum de his voluiſſe conſulere, quæ omnibus ſunt certa ratione comperta*. Et S. Zoſimus: *Sciat quiſquis hoc, poſtpoſita patrum, & apoſtolicæ ſedis auctoritate neglexerit, a nobis diſtrictius judicandum, & loci ſui minime dubitet ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones impune poſſe tentari. Contumeliæ enim ſtudio ſit, quicquid interdictum toties uſurpatur*. Et S. Cæleſtinus: *Quæ enim a nobis res digna ſervabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permiſſa frangatur?* Et item: *Quæ enim ſola admonitionis auctoritate non corrigimus, neceſſe eſt per ſeveritatem congruentem regulis vindicemus*. *Et * ideo omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum noſtrorum quæ de eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita a veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus: ut, ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari*. Et Gelaſius: *Satis indignum eſt, quemquam vel pontificem, vel ordinum ſubſequentium, hanc obſervantiam refutare, quam B. Petri ſedem videat edocere: ſatiſque conveniens ſit, ut totum corpus eccleſiæ in hac ſibimet obſervatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, ubi dominus eccleſiæ totius poſuit principatum*. Et item: *Non opus fuit nova ſynodo; cum veteris conſtituti ſufficienter hæc forma præſcriberet*. Et item: *Nunquam ceſſiſſe manifeſtum eſt, qualibet neceſſitate cogente, noviter, quæ fuerant ſalubriter conſtituta, temeraſſe*. Et S. Gregorius ad Sergium defenſorem: *Si homo eſſes, aut aliquam * diſtrictionem habuiſſes, ita regularis diſciplinæ debuiſſes cuſtos exiſtere, ut ea quæ illic inlicita committuntur, ante vindicta corrigeret, quam ad nos eorum nuntius perveniret*. Et poſt pauca: *Nam ſi quolibet modo in hac re negligens, vel lentus extiteris, ita in te diſtrictiſſime noveris vindicandum, ut quod ex te neſcis, pœna poſſis * ſecante cognoſcere*. Et domnus Hadrianus papa in epiſtola, ſicut audiſtis, nuperrime directa: *Fidelium*, inquit, *relatione comperimus, quod tua fraternitas debitum vigorem in provincia Rhemenſi non agitans, multa reprehenſione digniſſima a tuis comprovincialibus convaleſcant. Cujus rei gratia negligentiam veſtram his apoſtolicis affatibus excitamus, ut ſecundum venerandorum canonum regulas, ita omnium omnino comprovincialium tuorum ſynodice, ſalvo ſanctæ Romanæ eccleſiæ privilegio, reſeces vitia, ut privilegii tui coram Deo, noſtroque judicio non merearis ſuſtinere jacturam*.

Cæleſtin. ep. 111. Ibidem. * S. Leo. Leo ep. 1. Gelaſ. ep. 11. Greg. l. 7. ep. 10. * al. diſtrictionem. * al. reſecante. Hadriani II. epiſtola ad Hincm. jam relata.

Et quia frater Hincmarus ſæpe non in canonico judicio, nec pro certis cauſis, ſed pro animi ſui motibus, inregulariter ſedem apoſtolicam appellavit, & proſequi appellationem ſuam, etiam inregularem neglexit: ſi regulariter nunc appellare voluerit, ſic ſummiſſe & temperate legum & canonum ſunt exequendæ ſententiæ, ut & ipſe comedat fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturetur, & ſedes apoſtolica ſecundum ſacros canones, ut dignum eſt, honoretur; & nos pro diſſolutione regularis diſciplinæ redargui non mereamur. Nam de appellatione Conſtantinus Aug. ad Catolinum decrevit hoc modo. *Moratorias dilationes, fruſtratoriaſque non tam appellationes quam ludificationes admitti non convenit. Nam ſicut bene appellantibus negari auxilium non oportet; ita his contra quos merito judicatum eſt, inaniter provocantibus differri bene geſta non decet*. Et ex interpretatione legis Valentiniani, Valentis, & Gratiani Auggg. ad Claudium: Lex iſta hoc dicit: Cronopium epiſcopum a multis epiſcopis fuiſſe damnatum, & ſtuduiſſe eum, ante judicium, ſententiam quæ proferebatur, appellatione ſuſpendere: a qua ſententia, quia juſte prolata fuerat, appellare minime debuiſſet. In qua cum gravi mulcta, id eſt, 50. libras argenti addictum fuiſſe dicit. Quæ tamen ſumma ipſius mulctæ, non fiſco prodeſſe juſſa eſt, ſed pauperibus erogari. Unde apoſtolica ſedes diſcernet, ſi appellans epiſcopus bonam cauſam habebit. velut decrevit Sardicenſe concilium: *Si*, inquiens, *aliquis epiſcopus judicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, ut iterum concilium renovetur, ſi vobis placeat, ſancti Petri apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his qui cauſam examinarunt, Julio Romano epiſcopo: & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem eſſe cauſam, ut non refricentur ea quæ acta ſunt: quæ decreverit, confirmata erunt*. Et hinc in c. 4. & 7. ordo appellationis epiſcopi poſt epiſcopale judicium ad apoſtolicam ſedem deſcribitur. Quem eodem modo exequendum Innocentius, Bonifacius, & Leo in decretis ſuis ex eiſdem ſacris canonibus apertiſſime promulgaverunt. Unde & Gelaſius ſcribit: *Confidimus quod nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret uniuſcujuſque ſynodi conſtitutum, quod univerſalis eccleſiæ probavit aſſenſus, * nullam magis exequi ſedem * oportere, quam primam, quæ & unamquamque ſynodum ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus apoſtolus domini voce perceptum, eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper, & retinet*. Quam ſynodum Sardicenſem apoſtolica ſedes per Oſium Cordubenſem, & Gentium Capuenſem, & Calepodium Neapolitanum epiſcopos, ſuos vicarios confirmavit: & eccleſia nihilominus ſubſequente confirmatam tenuit ſemper, & retinet.

Irregularis Hincmari appellatio. Fruſtratoriæ appellationes. ANNO CHRISTI 871. Conc. Sardic. c. 3. Gelaſ. ep. * al. nulla magis quam * al. primam quæ

## RESPONSA EPISCOPORUM

*ad libellum proclamationis Caroli regis contra Hincmarum Laudunenſem epiſcopum.*

PARS III.

### CAPUT I.

*Præfatio epiſcoporum.*

De his quæ contra fratrem noſtrum Hincmarum proclamans domnus rex nobis propoſuit, unde ſpatium ad reſpondendum petivimus, pro temporis brevitate quæ juxta ſanctarum ſcripturarum tramitem, traditionemque majorum, & auctoritatem ſacrarum legum & canonum invenimus, capitulatim proferimus.

### CAPUT II.

*De juramentis præſtitis & refragatis.*

Primo quidem de juramentis illi præſtitis, & ut in petitione ſua invenimus, refragatis. Unde catholicæ eccleſiæ doctores atque rectores ita dixiſſe legimus, quantum temeritatem jurandi vitare debeamus, & ipſe dominus in euangelio, & Jacobus in epiſtola ſua docet, dicens: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum: ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, ut non ſub judicio decidatis*: illo videlicet judicio ſub quo decidit Herodes, ut vel pejerare, vel perjurium cavendo, aliud neceſſe haberet patrare flagitium. At ſi aliquid forte nos incautius juraſſe contigerit, quod obſervatum ſcilicet pejorem vergat in exitum, ubere illud conſilio ſalubriori mutandum noverimus; ac magis inſtante neceſſitate pejerandum nobis, quam pro vitando perjurio in aliud crimen gravius eſſe divertendum. Sed quia in juramentis, quæ frater noſter Hincmarus regi juravit, nihil invenimus, ſicut in ejus petitione relegimus, quæ non debuerit obſervare: quæ juramenta, ſicut prolata ſcripta, & domni apoſtolici, ſuggeſtione Hincmari elicita, & ipſius Hincmari ſcripta demonſtrant, quoniam poſtea non ſervavit, a reatu perjurii illum innoxium pronunciare non poſſumus. Scriptum eſt namque in Exodo: *Non aſſumes nomen domini Dei tui in vanum. Nec enim inſontem habebit dominus eum, qui aſſumpſerit nomen domini Dei ſui fruſtra*. In vanum quippe, & fruſtra, non ut nihil ſit, ſed ut ei qui nomen domini Dei ſui in vanum & fruſtra acceperit, nocivum, ut criminis reo, ſit. Item in Levitico dominus dicit: *Non perjurabis in nomine meo, nec polluet nomen domini Dei tui. Ego dominus*. Et ſanctus David in pſalmo: *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit*. (Jurare eſt, inquit Caſſiodorus, hominem ſub teſtatione divina aliquid polliceri. Jurare enim dictum eſt, quaſi jure orare, id eſt, juſte loqui. Tunc autem quiſpiam juſte loquitur, quando ea quæ ᵃ permittit, implentur.) Et ſanctus Ambroſius in epiſtola ad Valentinianum imperatorem: *Quid eſt jurare, niſi ejus quem teſtaris fidei tuæ præſulem divinam potentiam confiteri?* Et item dicitur in pſalmo: *Nec juravit in dolo proximo ſuo*. Per dolum itaque jurat, quiſquis aliter facturus eſt, quam promittit: credens perjurium non eſſe, decepiſſe nequiter credentis errorem. Et hinc S. Hieronymus: *Multi ſunt*, inquit, *qui doloſe jurant, ut decipiant proximum. Quod abominatur pater luminum, dicente Petro: Non es hominibus mentitus, ſed Deo*. Et in libro regum ſcriptum eſt, quia quando *facta eſt fames in diebus David tribus annis jugiter, & conſuluit David oraculum domini, dixit dominus: Propter Saul, & domum ejus & ſanguinem, quia occidit Gabaonitas*. Filii quippe Iſrael juraverant eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quaſi pro filiis Iſrael, & Juda, dicens, Joſue gratis eoſdem Gabaonitas vivere permiſiſſe, Hinc patet, quanta impietas eſt perjurium, cui dominus tantam repoſuit ultionem. Et Jeremias propheta: *Ecce vos confiditis vobis in verbis mendacii quæ non proderunt vobis, furari, occidere, adulterare, jurare mendaciter*. Hinc ergo penſandum eſt, quantum crimen ſit jurare mendaciter, quod adulterio, & homicidio, ac furto conjunxit propheta: quorum perpetratores apoſtolus regnum Dei dixit non poſſidere. Et Hieronymus in expoſitione ejuſdem prophetæ: (Poterat fieri ut aliqui invenirentur in populo Dei, qui ſimularent cultum Dei, & jurarent per dominum. Hoc prævenit, quod nequaquam Deus vanis ſermonibus, ſed veritate fidei delectetur, & dicet: Non eos diligo qui jurant per me, & jurant in mendacio; ſed quorum corda labiaque conſentiunt.) Et in Zacharia propheta: *Quia omnis fur, ſicut tibi ſcriptum eſt, judicabitur: & omnis jurans ex hoc ſimiliter judicabitur. Educam illum, dicit dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio ejus, & conſumet eum, & ligna ejus*. Et in Ezechiele propheta: *Vivo ego, dicit dominus, quoniam in loco regis qui conſtituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, & ſolvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur*. (Spreverat enim, inquit Hieronymus, Sedechias juramentum, ut ſolveret fœdus. Et cum omnia hæc fecerit, non effugiet.) Et iterum Hieronymus: (Ecce, inquit, dedit manum ſuam regi Ægypti, & tradidit ſe, & perjurii contra Deum commiſit ſacrilegium.) Et hinc item Hieronymus: (Ne putaremus juramentum, & fœdus, & pactum regis eſſe Babylonii, vel Sedechiæ, qui fecerat: ſequitur, in prævaricatione qua deſpexit me. Ergo qui contemnit juramentum, illum deſpicit per quem juravit: illique facit injuriam, cujus nomini credidit adverſarius... Quicquid igitur contra Sedechiam fecit Nabuchodonoſor, non ſuis fecit viribus, ſed ira Dei, in cujus nomine fuerat perjuratus. Legimus enim Sedechiam captum, ductum eſſe in Reblatha, ibique interfectis filiis excæcatum: & inſtar feræ clauſum cavea tranſlatum in Babylonem.) Et ſanctus Cyprianus in nono abuſionis gradu, regis miniſterium dicit eſſe impios de terra perdere, parricidas & perjuros vivere non ſinere. Et S. Gregorius homilia euangelii de Martyribus: (Ad extincta, inquit, eorum corpora viventes ægri veniunt, & ſanantur: perjuri veniunt, & a dæmone vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur.) Hinc ergo colligendum eſt, quantum peccatum ſit perjurare in nomine Dei, & ſanctorum ejus: quod & ſacrilegium, ut præmiſimus, dicit eſſe ſanctus Hieronymus.

Hincm. ep. 5. ad Carol. Matth. c. 5. Jacob. ep. c. 5. Marc. c. 6. Exod. c. 20. Levit. c. 19. Pſal. 14. Jurare quid. Caſſiod. a) Verius, promittit. Ambroſ. Pſal. 23. Hieron. Act. c. 5. 2. Reg. 21. Jerem. c. 7. 1. Cor. 6. Hieron. Zach. c. 5. Ezech. c. 17. Hieron. Idem ſuperius. Cyprian. Gregor.

### CAPUT III.

*De ſeditione.*

De ſeditione, lib. 9. Theodoſianæ legis, capitulo 23. De his qui plebem audent contra publicam colligere diſciplinam: ex interpretatione legis Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii decretum eſt: *Si quis populum ad ſeditionem concitaverit, damnis graviſſimis ſubjacebit*. Et in lib. 5. ſententiarum Pauli, capitulo 3. ſcriptum eſt (quæ non ſunt noſtri judicii) de his quæ per turbam fiunt: *In eos qui turbam ſeditionemque alicui dederint, damnave curaverint, ſi quidem res pecuniaria eſt, æſtimatione dupli ſarciatur. Quod ſi ex hoc corpori alicujus, vitæ, membriſque noceatur, extra ordinem vindicetur*. Interpretatio. *Si aliquis collecta multitudine, vel concitata ſeditione damnum cuicumque intulerit, ſi pecunia damnum fiat, dupli redhibitione componatur. Nam ſi corpus alicujus vel membra cæde pulſata fuerint, hujuſmodi admiſſum a judice vindicetur. Quicquid ex incendio, rapina, naufragio, navique expugnata, raptum, ſuſceptum, ſuppreſſumve erit, eo anno in quadruplum ejus rei quam quis ſuppreſſerit, celaverit, rapuerit, convenitur: poſtea vero ſimplum*. Sunt & hinc alia & graviora judicia, ad rem publicam pertinentia, & ab eccleſiaſtica manſuetudine alie-

Leges Auguſtæ contra ſeditioſos. Damni compenſatio.

PARS III.

aliena, quæ in ſuis locis lector poterit invenire, & hic commemoranda duximus: ut quantum ſit commiſſum ſeditio, eorum ultione colligatur.

Canones contra ſeditioſos. * al. c. 69.

In canonibus autem Africæ provinciæ concilii IV. * capitulo 72. de ſeditionariis aut uſurariis, ne clerici fiant, ſcriptum eſt ita: *Seditionarios numquam ordinandos clericos, ſicut nec uſurarios, vel injuriarum ſuarum ultores.* Et ſi tales ordinandi non ſunt: colligendum eſt quid mereantur, qui poſt ordinationem admittere talia non formidant. Et antiqui patrum canones in ſynodo, cui plurimi metropolitani cum ſuis ſuffraganeis interfuerunt, decernente Antiocheno concilio, perfectum concilium illud eſſe, ubi interfuerit metropolitanus antiſtes, concordi ſententia decreverunt, ut *clerici qui in quacumque ſeditione arma volentes ſumpſerint, reperti, amiſſo ordinis ſui gradu, in monaſterio pœnitentiæ retrudantur.* Et ſacram euangelii hiſtoriam patres catholici exponentes, de his qui concitaverunt turbam ad comprehendendum, & crucifigendum dominum, eos eſſe potius reos homicidii, qui auctores damnationis Chriſti fuerunt, dicunt. Et clericus qui ad ſeditionem arma contra miniſterium corripi facit, immunis a reatu ipſius ſeditionis judicari non poteſt. *Ipſe*, inquit, ſanctus Ambroſius ad Theodoſium, *facis, quicquid fieri juſſiſti.* Et dominus in euangelio prælia & ſeditiones conjunctim poſuit, dicens: *Cum audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri.* Hinc beatus Gregorius: *Penſanda ſunt verba redemptoris noſtri, per quæ nos aliud interius, aliud exterius paſſuros denuntiat: bella quippe ad hoſtes pertinent, & ſeditiones ad cives. Ut ergo nos indicet interius exteriuſque turbari, aliud nos fatetur ab hoſtibus, aliud a fratribus perpeti.* Unde penſandum eſt, quam graviſſimum ſit admiſſum, ab epiſcopo ſeditionem incitari, vel ſeditionibus ſe commiſcere, quæ a Chriſto bellis hoſtium conjunctæ proferuntur. Et S. Hilarus in decretis ſuis: *Reatu*, inquit, *majore delinquit, qui potiore perfruitur; & graviora facit vitia peccatorum ſublimitas dignitatum.* Et S. Gelaſius in decretis ſuis dicit: *Quamvis enim membra ipſius, id eſt, veri regis atque pontificis, ſecundum participationem naturæ magnifica, utcumque in ſacra generoſitate ſummiſſa dicantur, ut ſimul regale genus, & ſacerdotale ſubſiſtant: quoniam Chriſtus memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti conſuleret, diſpenſatione magnifica temperavit: ſic actionibus propriis, dignitatibuſque diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit, ſuos volens medicinali humilitate ſalvari, non humana ſuperbia rurſus intercipi: ut & Chriſtiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro temporalium curſu, rerum imperialium diſpoſitionibus uterentur: quatenus ſpiritalis actio a carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo militans Deo, minime ſe negotiis ſæcularibus implicaret; ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus: ut & modeſtia utriuſque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque ſuffultus, & competens qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur.*

Ambroſ.

Luc. c. 21. Greg. hom. 35. in euang.

Hilar. cit.

Gelaſ.

Quibus omnibus rite collectis, ſatis evidenter oſtenditur, quam graviſſimum ſit commiſſum, epiſcopum contra eccleſiaſticam diſciplinam, & epiſcopalem gravitatem, & ſanctitatis modeſtiam, atque manſuetudinem, ſeditionarium eſſe; cum regiæ ſit poteſtatis hoſtes depellere, & ſeditioſos comprimere, vel punire: & epiſcopalis ſit miniſterii, cæleſtibus ſacramentis inſiſtere; & orationi atque doctrinæ, ceteriſque pietatis officiis indeſinenter incumbere, qui prorogandis venerabilibus eſt attributus myſteriis. *Chriſtus*, inquit Petrus, *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe injuſte: qui peccata omnium in ſe pertulit in ſuo corpore ſuper lignum: ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus: cujus livore ſanati eſtis.* Et item: *Cum modeſtia & timore, conſcientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt de vobis, confundantur, qui calumniantur veſtram bonam converſationem.* Quæ qui obſervat, ſeditionem non incitat.

ANNO CHRISTI 871.

1. Petr. 2.

Ibid. c. 3.

## CAPUT IV.

*De pervaſione.*

Lege reprimenda pervaſ.

DE pervaſione ſiquidem ſacræ leges, quibus una cum ſacris canonibus, & decretis apoſtolicæ ſedis ſancta moderatur eccleſia, dicunt in conſtitutione legum Novellarum Valentiniani Auguſt. *Epiſcopi ſeu pro pervaſione rei alicujus, ſeu pro quibuſcumque gravibus injuriis, ſi ad judicium fuerint provocati, licet in criminalibus cauſis per alium nulli liceat reſpondere, epiſcopis tamen & presbyteris hac lege præſtatur, ut in talibus cauſis miſſo procuratore reſpondeant; ſine dubio ut ad nos redeat ſententia judicati. In reliquis vero criminalibus cauſis, ubi de ſcelere convincenda perſona eſt, ſuam in judicio præſentiam exhibere procurent. Quod ſi tertio conventi per executorem, ad judicium venire noluerint, ſententiam excipiant contumacis.* Et hinc Gregorius ad Malchum epiſcopum ex legibus & ſacris regulis promulgavit: *Præterea*, inquiens, *fraternitatem tuam præſenti præceptione curavimus admonendam, ut Stephanum epiſcopum ad eligendum compellas venire judicium: & quicquid inter Joannem virum magnificum, & ſupradictum epiſcopum electorum fuerit ſententiis diffinitum,* (quin ſecundum ſacras leges, ut multoties ſcribit) *ad effectum perducere non omittas.* Et in lib. 4. Theodoſianæ legis, capitulo 19. ex interpretatione legis Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii Auggg. ad Photium: *Quicumque cauſam ſuam non ita agere voluerit, ut adverſarium ſuum publice patefacta actione conveniat, & * dominum poſſeſſoris aliqua ratione conturbaverit, ita negotio ipſo careat, ut eam cauſam nunquam valeat reparare, qui prius rem voluit auferre, quam ſperaret a judice ut deberet audiri. Similiter & ille omni cauſa privetur, qui judicis ordinatione ſuppreſſa, judicium ſe habere dicens, alienam poſſeſſionem ſua præſumptione pervaſerit.*

Greg. l. 1. epiſt. 36.

Codex Theodoſ.

* l. dominium

Et hinc Africanum concilium capitulo 88. *Item placuit, ut quicumque epiſcopi plebes, quas ad ſuam cathedram æſtimant pertinere, non ita repetunt, ut cauſas ſuas epiſcopis judicantibus agant, ſed alio retinente irruerint, ſive volentibus, ſive nolentibus plebibus, cauſa ſua detrimentum patiantur. Et quicumque hoc jam fecerunt, ſi nondum eſt inter epiſcopos finita intentio, ſed adhuc inde contendunt: ille inde diſcedat, quem conſtiterit prætermiſſis judiciis eccleſiaſticis irruiſſe. Nec ſibi quiſque blandiatur, ſi a primate, ut retineat, literis impetrarit: ſed ſive habeat literas, ſive non habeat,*

Lege reſtituſſe ſtatu pervaſas.



ANNO CHRISTI 871.

*habeat, conveniat eum qui tenet, & ejus literas accipiat, ut eum appareat pacifice tenuiſſe eccleſiam ad ſe pertinentem. Si autem aliquam quæſtionem retulerit, per epiſcopos judices cauſa finiatur, ſive quos eis primates dederint, ſive quos ipſi vicinos ex conſenſu delegerint.* Et in lib. 4. Theodoſianæ legis, ſupraſcripto capitulo, ex interpretatione legis Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii Auggg. ad Meſſianum: *Cognovimus rem fiſci noſtri violenter aliquos invaſiſſe. Sed nos evidenti lege præcepimus, ut ſi quis aut fiſcalem rem, aut privatam, ante ſententiam a judice prolatam invaſerit, & noluerit expectare litis adventum, perdat negotium qui noluit expectare judicium. Ille vero qui præſumpſit invadere, quod per juſtitiam apud judicem non poterat obtinere, habita exiſtimatione talem aliam rem illi domino reſtituat, qualem noſcitur ante judicium pervaſiſſe.* Et in 4. lib. capitulorum domni Caroli, & Hludovici Pii impp. cap. 34. *Si quis proprium noſtrum, quod in veſtitura genitoris noſtri fuit, alicui quærenti ſine noſtra juſſione reddiderit, aliud nobis tantum de ſuo proprio cum ſua lege componat: & quicumque illud ſcienter per malum ingenium adquirere tentaverit, pro infideli teneatur: quia ſacramentum fidelitatis quod nobis promiſit, irritum fecit.* Et reliqua. Et in decreto ſynodali anno 14. imperante Mauricio, ſanctiſſimus atque ſapientiſſimus Gregorius papa, cap. 3. de pervaſione hoc decrevit judicium: *Præſenti*, inquiens, *decreto conſtituo, ut ſi quis eccleſiaſticorum unquam titulos ponere, ſive in ruſtico, ſive in urbano prædio ſua ſponte præſumpſerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes, anathema ſit.* Et item ibidem cap. 4. *Is autem qui præeſt eccleſiæ, ſi hoc vel ipſe fieri præcipit, vel ſine ſua præceptione factum digna punire animadverſione neglexerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes, anathema ſit.* Et hinc ad Petrum ſubdiaconum & rectorem patrimonii in Sicilia ſcripſit, in capitulo commonitorii quinto: *Si quid juſte conſpicis juri eccleſiaſtico poſſe competere, cave ne unquam hoc manu ſtudeas defenſare: maxime quia & decretum ſub anathematis interpoſitione conſtitui, ne unquam nomine eccleſiæ urbano, vel ruſtico prædio tituli debeant imponi. Sed quicquid ratione pauperibus competit, ratione etiam debet defendi; ne dum bona res non bene agitur, apud omnipotentem Deum etiam quod juſte a nobis quæritur, de injuſtitia redarguatur.* Et item idem in altero commonitorio ad eumdem: *Præterea cognovi quia quaſdam res * per plures fundorum alieni juris eſſe cognoſcis; ſed pro quorumdam obteſtatione vel metu dominis ſuis reſtituere reformides, qui ſi veraciter Chriſtianus eſſes, plus Dei judicium, * quam homines timeres: * quia ego quoque te hac de re indeſinenter admoneo. Quod ſi implere neglexeris, etiam & meas voces contra te in teſtimonium habebis.* Et in epiſtola ad Vitalem defenſorem Sardiniæ, inter cetera dicit: *Pro requirendis*, inquiens, *rebus eccleſiarum, vel monaſteriorum, ſive piarum cauſarum quod ſcripſiſti, prius quidem hi quorum intereſt, admonendi ſunt, ut ab his te inſiſtente, atque ſolicitante modis omnibus requirantur. Quod ſi forte vel ipſi negligentes extiterint, vel certe qui eas requirere debeant, inventi non fuerint, tunc omnia ipſe perquire, atque ita reperta recollige, ut manu aliquod judicium inferre cuiquam minime videaris.*

Habetur in fine epiſtolarum l. 12. al. l. 4. ep. 44.

Greg. l. 11. epiſt. 10. * al. vel plures

* al. quam omnes ... * al. ... quia Gregor. l. 11. ep. 30.

Ecce quod judicium de pervaſione apoſtolicæ ſedis pontifex S. Gregorius, qui adhuc nobiſcum in ſuis conſtitutionibus vivit, in pervaſores rerum alienarum protulit, dicens: *Præſenti decreto conſtituo, ut ſi quis eccleſiaſticorum unquam titulos ponere ſive in ruſtico, ſive in urbano prædio ſua ſponte præſumpſerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes, anathema ſit.* Et in 4. capitulo: *Is autem qui præeſt eccleſiæ, ſi hoc vel ipſe fieri præcepit, vel ſine ſua præceptione factum digna punire animadverſione neglexerit, anathema ſit. Et reſponderunt omnes, anathema ſit.* Cujus judicium nos refragari non poſſumus, dicente beato Gelaſio in decretis ſuis, de ſecundæ ſedis antiſtite, quod ab inferioris ſedis pontifice non poſſit abſolvi: *Nec ab inferiore*, inquiens, *qualibet, ſed a prima ſede jure poſſit abſolvi; inferior quippe potiorem abſolvere non poteſt. Sola ergo potior inferiorem convenienter abſolvit. Proinde inferioris loci pontifices, qui nullatenus ſe noverunt potiorem ſibi, ſine prima ſede poſſe reſolvere, præcipue quem ejus ſententia noverunt obligatum, prævaricatoria abſolutione potius non illum penitus exuerunt, ſed ſe prævaricatione potius nexuerunt.* Et idem Gelaſius ad epiſcopos per Dardaniam conſtitutos: *Quod acta*, inquit, *ſemel ſynodus pro fide, communione, & veritate catholica, atque apoſtolica promulgavit, majores noſtri non ſiverunt novis poſt hæc retractationibus mutilari, ne pravis occaſio præberetur, quæ medicinaliter fuerant ſtatuta, pulſandi, ſed auctore cujuſlibet inſaniæ, ac pariter errore damnato, ſufficere judicaverunt, ut quiſquis aliquando hujus erroris communicator exiſteret, principali ſententia damnationis ejus eſſet obſtrictus.* Et poſt aliquanta: *Quoniam idem ipſe error qui ſemel eſt cum ſuo auctore damnatus, in participe quolibet pravæ communionis effectum execrationem ſui geſtet & pœnam.* Et in commonitorio, Fauſto magiſtro militum fungenti legationis officio Conſtantinopolim dato: *Deceſſorem*, inquit, *meum executorem fuiſſe veteris conſtituti, non novæ conſtitutionis auctorem. Quod non ſolum præſuli apoſtolico facere licet, ſed & cuicumque pontifici.* Si non licet, juxta documentum B. Gelaſii, nobis ſolvere quod per B. Gregorium apoſtolica ſedes ligavit, & licet exequi veteris conſtituti decretum: non nobis eſt exequi negligendum, quod eſt a ſede apoſtolica judicatum.

PARS III.

Gelaſ. in tomo de anathematis vinculo.

Idem epiſt. 13.

Quæ majores noſtri divina inſpiratione ... neceſſarie præcaverunt, ut contra unamquamque hæreſim coacta ſynodus pro fide, &c.

## CAPUT V.

*De eo quod eccleſiæ bona regi tradidiſſe confitetur.*

Epiſcopus regi res eccleſiæ [illegible]

DE eo quod frater Hincmarus in ſcriptis ſuis profitetur, deprecantibus Rodulfo, & Chuonrado, regi res eccleſiaſticas, Laudunenſi eccleſiæ a rege redditas, & etiam traditas, conceſſiſſe, ut eas Nortmanno qui eas ante habuit, beneficiaret. Videndum eſt quid ſacri canones dicant: *Unuſquiſque* inquiunt, *epiſcopus habet ſuæ parochiæ poteſtatem, ut regat juxta reverentiam ſingulis competentem, & providentiam gerat omnis poſſeſſionis, quæ ſub ejus eſt poteſtate.* Regat, inquit, poſſeſſiones juxta reverentiam regulis competentem, & non abroget contra reverentiam incompetentem. Et item Antiocheni canones dicunt, *ut res & facultates eccleſiæ epiſcopus non ſine presbyterorum conſcientia, diaconorumque pertractet: ſed quæ ſunt eccleſiæ ſub omni ſolicitudine & conſcientia bona, & fide quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat, judicatque, ſerventur.* Serventur quidem, & non ſine ratione atque auctoritate aliis, niſi eccleſiæ ſibi commiſſæ ſubjectis, ab epiſcopo concedantur, vel ſine regulari conſultu committantur. Et item

Conc. Antioch. can. 9. Vide can. apoſt. c. 39.

Ibid. can. 24.

PARS III. Ibid. can. 25.

item canones dicunt : *Si autem & aliter accuſetur epiſcopus, aut presbyteri qui cum ipſo ſunt, quod ea quæ pertinent ad eccleſiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet eccleſiaſtica facultate, ſibimet uſurpent : ita ut pro hoc affligantur quidem pauperes, criminationi vero & blaſphemiis tam ſermo prædicationis, quam hi qui diſpenſant taliter, exponantur ; & hos oportet corrigi a ſancta ſynodo, id quod condecet approbare.*

Videtur namque viam ceteras eccleſias lædendi, eum in hac cauſa contra ſacros canones dediſſe : quia niſi hoc pro divino reſpectu dimiſeritſ, poteſt princeps apud alios epiſcopos petere poſſeſſiones eccleſiarum, ut eas concedant a ſibi commiſſis eccleſiis abrogari : & illum in exemplum donans ſicut ipſe fecit, aliis in beneficium dari. Quod ſi fecerint, faciant contra canones : ſi autem non fecerint, ſcandalum ipſis, eccleſiis illorum, fratre Hincmaro prævio, diverſas afflictiones ſuſtineant. Nam & in literis quas canones ordinatos ab ordinatoribus ſuis jubent accipere, traditione ſedis apoſtolicæ ſcriptum habetur : *Miniſterium*, inquit, *ornatum, vel patrimonium atque reditus, vel facultates eccleſiæ, prout leges divinitus promulgatæ præfigunt, ſtude conſervare, ampliare, augere, vel diſpenſare.* Unde videndum eſt, qualiter hæc, cum his quæ in ſcripto ſuo dicit, eum ad petitionem Rodulfi, & Chuonradi conceſſiſſe, ut domnus rex Normanno eaſdem res quas ſuæ eccleſiæ reddidit, ſive tradidit, beneficiaret, conveniant. S. Cæleſtino adverſus illius conſenſum, ſuamque actionem clamante : *Nulli ſacerdoti ſuos * liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod patrum poſſit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digna ſervabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permiſſa, frangatur?*

Literæ ordinationis data. — Cæleſt. ep. 3. — * al. liceat

Dicit etiam ſcripto ſuo, quia ſi taceat, & non clamet, ſi non quibus valet viribus inſiſtat, ut camdem villam recipiat, ſacrilegium a ſe fieri reputet. *Par enim pœna*, (ſicut ſcribit) ut ait beatus papa Lucius, *& agentes & conſentientes comprehendit*. Conſiderandum eſt, ſi ſacrilegium faceret, ſi taceret, ut eamdem villam non reciperet : quid fecit, quando illam contra competentem reverentiam a ſibi commiſſa eccleſia irregulariter abrogavit. Contra quem conſenſum, immo factum ſuum Antiocheni canones dicunt : *Quæ ſunt eccleſiæ ſub omni ſolicitudine, & conſcientia bona, & fide quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat, judicatque, ſerventur.* Contra quæ patet, quia ipſi villa ſub omni ſolicitudine & conſcientia bona, & fide quæ in Deum eſt, ab illo non eſt ſuæ eccleſiæ conſervata ; nec regulariter & humiliter, ſicut debuerat ſe recognoſcere, ab eo eſt repetita : donec commotus contra principem ſuum, & contra præfatum Nortmannum diu ſibi familiariſſime amiciſſimum, eam ſua factione, & quaſi per forciam, & non per juſtitiam, vindicare curavit. Cum antiqui Carthaginenſes canones concilio IV, ex auctoritate euangelica & apoſtolica dicant, *ut epiſcopus nec provocatus pro rebus tranſitoriis litiget.* Sunt enim advocati & defenſores eccleſiarum, quos ſacri canones & leges, quibus modeatur eccleſia, epiſcopos habere jubent, quorum hujuſmodi eſt officium, ut per leges, quæ ſunt eccleſiæ aut defendant, aut conquirant, & non violenter aut ſua præſumptione, aut epiſcopi juſſione quæ eccleſiæ dicuntur, vel putantur eſſe, pervadant. Et quia hæc frater [illegible] contra ipſius

Sacrilegii ſe eſſe convenit. — Conc. Antioch. cit. — Epiſcopus non litiget. — Defenſores ec.

actionem S. Gregorius ad Victorem, & Columbum epiſcopos dicit : *Quanto cordi noſtro lætitiam eccleſiaſticus ordo inculpabiliter cuſtoditus infundit, tanto reſciſſus tædium doloris imponit ; quod pravitatis temeritas in everſionem diſciplinæ tentat, & quæ ſunt olim laudabiliter ſtatuta, diſſolvere, & quæ fortius punienda, præſumere.* Et poſt aliquanta : *Accendat ergo vos zelus æquitatis accendat juſtitiæ rectitudo ; ad cuſtodiendam in cunctis antiquam eccleſiaſtici ordinis diſpoſitionem operam inſtanter impendite ; diſtrictos ſolicitoſque vos inter culpas & innocentiam exhibete : quatinus & * juſtitia cum habentibus magna de rectitudinis veſtræ zelo ſit fiducia, & inquietis de futuro omnis excedendi amputetur occaſio.*

ANNO CHRISTI 871. — Greg. l. 7. ind. 2. ep. 17. — * juſtitia conſcium

## CAPUT VI.

*De calumnia apud pontificem regi impoſita.*

DE eo quod in petitione regis humilitati noſtræ porrecta continetur, quia poſt tanta & talia ſacramenta, & profeſſionis ſuæ ſubſcriptionem, antequam de ipſis rebus eum cum archiepiſcopo vel ceteris coepiſcopis ſuis in ſynodo Rhemorum provinciæ, cum plures ſynodi in eadem provincia habitæ fuerint, compellaret, latenter illum ad ſedem apoſtolicam, ut diſtractorem rerum eccleſiaſticarum per calumniam accuſare, miſſum ſuum nomine Celſanum, & literas ſuas tranſmiſit : ſicut ipſæ literæ domni apoſtolici, quas regi idem Hincmarus in Cariſiaco, coram ſuo archiepiſcopo & aliis archiepiſcopis & epiſcopis, & pluribus fidelibus ſuis obtulit, quæ ipſius Hincmari adverſum eum accuſationem apud ſedem apoſtolicam evidenter oſtendunt. Attendendum nobis videtur, quid inde ſacræ leges & canones venerandi decernant. Decernunt enim leges, ſcriptura vel teſtibus quemquam convinci. Et Gelaſius in commonitorio Fauſto legatione fungenti dato, De epiſcopis prævaricatoribus : *Quid tamen dicerent, ſi non chartis ſuis in omnibus vincerentur?* Et in legis Valentiniani, Gratiani, & Valentis interpretatione, ad Antonium dicitur : *Quicumque ſcripturam in audientiam protulerit, veritatem ejus probare videatur : quia hoc in omnibus cauſis ſtatutum eſt, ut ſcripturam prolator adſirmet. Nam ſi is qui ſcripturam protulit, ejus non adſtruxerit veritatem, ut falſitatis reum eſſe retinendum.* Neceſſe eſt igitur fratri Hincmaro, ut probet ea eſſe vera, quæ in epiſtola a ſe per miſſum ſuum a ſede apoſtolica obtenta continentur : quam domno regi coram ſuo archiepiſcopo, & aliis archiepiſcopis & epiſcopis, & pluribus fidelibus ſuis in Cariſiaco obtulit : quia domnus apoſtolicus, ſicut per Hincmari petitionem de accuſatione domni regis audivit, ita etiam reſcripſit. Et ſi iſdem frater Hincmarus ſcripturæ, quam ſua petitione obtinuit, & in audientiam protulit, veritatem probare nequiverit, oportet ut falſitatis reum illum eſſe tenendum.

Scriptura vel teſtibus. Gelaſ. in commonit.

## CAPUT VII.

*De accuſatione regis ante compellationem.*

DE accuſatione quoque ante compellationem, qua regi, ut ſua petitio continet, contra ſacras leges, & venerandos canones præjudicium fecit : ſacræ leges dicunt, ut *ultra provinciæ terminos accuſandi licentia non progrediatur. Oportet enim illic criminum judicia agitari, ubi*

Accuſatio ubi facienda. 1. v. Aug. Ant. 3. p. l. 30



ANNO CHRISTI 871.

*ubi facinus dicitur admiſſum.* Et ex interpretatione legis ipſius : *Criminum diſcuſſio ibi agitanda eſt, ubi crimen admiſſum eſt nam alibi criminum reus prohibetur audiri.* Et ex interpretatione legis Martiani : *Si quis adverſarium aut repetitione, aut criminis objectione pulſaverit, in provincia in qua conſiſtit ille qui pulſatur, ſuas exerat actiones : nec æſtimet adverſarium ſuum alibi, aut longius ad judicium pertrahendum.* Et ſecundum has leges decrevit ſacrum Carthaginenſe concilium ut accuſatus, vel accuſator in eo loco unde eſt ille qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat, quo non ſit difficile teſtes producere, ubi cauſa finiatur. Nam etſi forum Reipublicæ non habebat quo regem per procuratorem ſuum accuſare valeret, debuerat eum ſynodali ſententia convenire : & ſi vel decreto ſynodi quæ ſuæ eccleſiæ jure competebant, obtinere nequiret, tunc proſequentibus epiſcopalibus literis, ſuam proclamationem ad ſedem apoſtolicam rationabiliter valuiſſet proferre. Sicut Innocentius ad Victoricium Rothomagenſem epiſcopum decrevit, ut *ſecundum ſynodum Nicænam, congregatis ejuſdem provinciæ epiſcopis jurgium terminetur : nec alicui liceat, ſine præjudicio tamen Romanæ eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri, relictis his ſacerdotibus qui in provincia eccleſiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod ſi quis facere præſumpſerit, & ab officio cleri ſummotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores cauſæ in medio fuerint devolutæ, ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt judicium epiſcopale, referatur.* Et quamquam idem B. Innocentius præmiſerit in capite hujus capituli, ut *ſi quæ cauſæ vel contentiones inter clericos tam ſuperioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ* : & reliqua quæ præſcripſimus : non ab re tamen idem capitulum ad regiam poteſtatem, & epiſcopalem auctoritatem derivandum putavimus. Cum B. Gelaſius ad Anaſtaſium imperatorem ſcribat : *Duo ſunt*, inquiens, *Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra pontificum, & regalis poteſtas.* Et Leo ad Anaſtaſium : *Si forte inter ipſos qui præſunt, de majoribus, quod abſit, peccatis cauſa naſcitur, quæ provinciali nequeat examine diffiniri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate metropolitanus curabit inſtruere ; ut ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita judicio, ad noſtram cognitionem, quicquid illud eſt, transferatur.*

Rex potuit compellare apud ſynodum. — Prima cognitio in provincia eſt. — Innoc. ep. 2. ad Victricium 3. — Appellatio & majores cauſæ ad [illegible] referuntur. — Gelaſ. ep. 8. — S. Leo ep. 88.

Debuerat ergo frater Hincmarus de his quæ per ſe non poterat obtinere, regiam poteſtatem prius in comprovincialis ſynodi convenire judicio ; & ſi coram poſitis partibus nec noſtro foret res ſopita judicio, noſtris literis ad ſedis apoſtolicæ cognitionem, quicquid illud erat, transferre. Quod quia non fecit, juxta decretum B. Innocentii & ab officio cleri ſummotus, & injuriarum reus debet ab omnibus judicari. Quid ſit autem reum injuriarum judicari, leges ſacræ manifeſte demonſtrant, dicentes : *Qui per calumniam injuriæ actionem inſtituit, extra ordinem puniatur. Omnes enim calumniatores exilii, vel inſulæ relegatione, aut ordinis amiſſione puniri placuit.* Et hinc ſanctus Gregorius in commonitorio ad Joannem defenſorem euntem in Hiſpanias, in cauſa contra epiſcopum mota, ſive probata, jubet requiri, utrum exilio, vel depoſitione ſit digna?

Quis ſit injuriarum reus. — Greg. l. 11. epiſt. 52.

## CAPUT VIII.

PARS III.

*Quæ ſit pœna calumniatori conſtituta.*

DE eo quod in petitione regis continetur, eum ad ſedem apoſtolicam, ut diſtractorem rerum eccleſiaſticarum per calumniam accuſare miſiſſe : ſicut ipſæ literæ domni apoſtolici patenter oſtendunt. In lib. 9. Theodoſianæ legis cap. 29. de calumniatoribus ſcriptum eſt : *Gratianus, Valentinianus, Theodoſius AAA. Ellibico comiti, & magiſtro utriuſque militiæ. Non eſt ratio qua manifeſti calumniatoris ſupplicium differatur. Nec enim patimur frequenter iterari quæ conſiſtere prava accuſatione non quiverint : atque alienam innocentiam ſecuritatemque ſine crimine, damnabili appetitione terreri. Data 3. Kal. Jun.* * *Merebaudo, & Saturnino Coſſ.* Idem Auguſtus ** Minandro vicario Aſiæ : *Noſtris & parentum noſtrorum conſtitutionibus comprehenſum eſt, eos qui accuſationem alienis nominibus præſumpſiſſent, delatorum numero eſſe ducendos : atque ideo calumnioſiſſimum caput : & perſonam judicio irritæ delationis infamem deportatio ſequatur : quo poſt hæc ſinguli univerſique cognoſcant, non licere in eo principum animos commoveri, quod non poſſit oſtendi. Data Idibus Maii. Arcadio & Bautone Coſſ.* Et item Arcadius & Honorius Auguſti, Victuro procoſ. Africæ : *Innocentes ſub ſpecie falſæ criminationis non patimur callidorum impugnatione ſubverti : qui ſi tentaverint, intelligant ſibimet ſeveritatem legum pro commiſſis facinoribus incumbere. Data 4. Idus Mart. Mediolano. Honorio Aug. III. & Eutychiano Coſſ.* Et item ibi poſt alia : *Calumniatores etiam ſunt, qui falſa deferentes, contra cujuſque innocentis perſonam, principum animos ad iracundiam commovere præſumunt. Qui omnes infames effecti in exilio detrudentur.* Et S. Zoſimus papa ad Aurelium, & ad univerſos epiſcopos per univerſas provincias conſtitutos, oſtendit quantum ſcelus ſit calumnia, dicens : *Lazarus dudum in Taurinenſi concilio graviſſimorum epiſcoporum ſententiis pro calumniatore clamatus eſt, cum Briccii innocentis epiſcopi vitam falſis objectionibus appetiſſet.* Quia ſicut leges publicæ mortem inferunt delatoribus, id eſt, calumniatoribus : ita eccleſiaſtica cenſura eccleſiaſticos miniſtros gradu privari debere decernit.

Leges Cæſareæ de calumniatoribus. — * Merobaudo — ** Menandro — Calumniatores qui. — Zoſim. ep. cit. — Calumniatores deponendi.

## CAPUT IX.

*De eo quod poſt ſacramentum homines ſuos ſine regis licentia emiſit e regno.*

DE his, ſicut in petitione regis continetur, quod poſt ſacramentum illi præſtitum, ut de regno ſuo ſine ipſius licentia non exirent : & in ſua infidelitate verbis vel ſcriptis, in regno ejus, aut extra regnum ſuum, ſine ipſius licentia non exirent : & poſt illud ſacramentum, ad ſedem apoſtolicam furtim & latenter, atque mendaciter iterum eum accuſare pro Pauliaco villa Hincmarus eos direxit : regiæ benignitatis intereſt, utrum eis aut legaliter reputare, aut miſericorditer parcere velit. Et tunc demum ipſi, quorum parochiani ſunt, eos ſecundum modum culpæ, modo pœnitentiæ ſubdere procurabunt. Verumtamen ſicut dominus ad Pilatum dicit : *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet* : qui eos ad peccandum vel ſuaſit, vel pellexit, vel impulit, vel pertraxit, majus illis

Joan. c. 19.

PARS III. Ambroſ. 1. Cor. 8. exinde peccatum habet: *Plus*, inquit Ambroſius, *aſtringitur qui labi infirmum coegerit*; unde & apoſtolus: *Sic enim peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis; & peribit infirmus in tua ſcientia frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt*. Et B. Gregorius in regula paſtorali dicit (Gregor.): *Scire enim debent prælati, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Unde neceſſe eſt, ut tanto ſe cautius in culpa cuſtodiant, quanto per prava quæ faciunt, non ſoli moriuntur*. Et S. Gelaſius (Gelaſ. ep. 8. cit.) ad Anaſtaſium imperatorem ſcribens, *Cum dicat*, inquit, *apoſtolus, qui non ſolum non facienda faciunt, reos videri, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Legibus certe veſtris criminum conſcios ſuſceptoreſque latrocinantium per judiciorum pœna conſtringit: nec expers facinoris æſtimatur, qui licet ipſe non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœduſque receperit*. Ut ille igitur, de quo ſcriptum eſt (3. Reg. 14.), *qui peccavit, & peccare fecit Iſrael*, duplici reatu frater Hincmarus conſtringitur: in eo quidem quod ipſe pejeravit, & in eo quod alios pejerare fecit.

## CAPUT X.

*De inobedientia ejus erga regem.*

DE eo quod in petitione regis continetur, quia iſdem Hincmarus in ſynodo epiſcoporum decem provinciarum dedit ei libellum nomine ſuo ſubſcriptum, qui ita ſe habet: *Ego Hincmarus eccleſiæ Laudunenſis epiſcopus, amodo, & deinceps domno ſeniori meo Carolo regi ſic fidelis & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & epiſcopus per rectum ſuo regi eſſe debet*. Et poſtquam hujuſmodi libellum in ſynodo illi dedit, ſine ſua licentia noctu fuga lapſus ab Attiniaco palatio ſuo diſceſſit. Quem ad ſevenire mandavit, ut diceret qua ratione aufugerit. At ipſe ad eum, ſicut jam & aliis vicibus, venire contempſerit. Contra inobedientiam ejus ſacra ſcriptura dicit (1. Reg. 15.): *Melior eſt obedientia quam victimæ, & auſcultare magis, quam offerre adipes arietum. Tanto*, inquit Gregorius (Gregor. in Job. l. 35. c. 10.), *Deum quiſque citius placat, quanto ante ejus oculos repreſſa arbitrii ſui ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta ſit virtus obedientiæ demonſtretur. Si enim quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle adquieſcere: ſola eſt quæ fidei meritum poſſidet obedientia, ſine qua quiſque infidelis convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur*. Et ſacri Sardicenſes canones (Conc. Sardic. can. 7.), invitatum vel evocatum epiſcopum a religioſo principe ad comitatum ire præcipiunt. Et in evangelio (Matt. c. 17.) legimus dominum ſolviſſe tributum Cæſari, ut nobis perpetuæ libertatis gratiam donaret. Unde catholici doctores: *Servivit*, inquit, *Dei Filius homini regi, qui divinæ ſervitutis ignorabat obſequium, ut nobis per hoc etiam humilitatis formam tribueret: inſinuans videlicet quantum per caritatem ſervire debeamus invicem cum ipſe non deſpexerit ei qui veræ caritatis erat neſcius, impendere ſervitium*. Ubi hoc quoque ſuo præmonſtravit exemplo, quia poſtmodum per apoſtolorum principis erat verba docturus (1. Petr. 2.): *Subditi*, inquit, *eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive regi, quaſi præcellenti; ſive ducibus tanquam ab eo miſſis*. Hinc S. Auguſtinus (Auguſt.) in ſerm. 6. quan- [illegible] Apoſtolus voluit ſervire regibus, volunt

honorari reges, & dixit: *regem reveremini. Noli dicere, quid mihi & regi? Quid ergo tibi & poſſeſſioni? Per jura regum poſſidentur poſſeſſiones. Dixiſti, quid mihi & regi? Noli dicere poſſeſſiones tuas; quia ipſa jura humana renunciaſti, quibus poſſidentur poſſeſſiones*.

ANNO CHRISTI 871.

Cum igitur & dominus ſuo exemplo, & apoſtolica regula, regem honorare, regique ſubjacere præcipiat: & frater Hincmarus oſtendere nequeat, ut domnus rex contra fidem vel bonos mores præceperit: & ſacra ſcriptura inobedientiam idololatriæ atque ariolationi comparet; non mediocriter in judicium B. Gregorii decidit, qui hujuſmodi hominem adeo infidelitate denotavit, ut diceret (Greg. de): *Sola eſt quæ fidei meritum poſſidet obedientia; ſine qua quiſque infidelis eſſe convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur*. De profeſſione autem & ſubſcriptione ſua refragata, ſacri Carthaginenſes canones decreverunt, ut ſi quis contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerit in aliquo, ipſe ſe honore privabit. Et S. Leo ad Ruſticum Narbonenſem epiſcopum (S. Leo ep.), de ſacerdotibus quocumque crimine lapſis dicit: *Scriptum eſt, ſacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro illo? unde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei, privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa*.

## CAPUT XI.

*De eo quod regiæ poteſtati armata manu reſiſti fecit.*

HIs autem quæ domnus rex in petitione ſua in ſynodo humilitati noſtræ porrecta dicit, fratrem Hincmarum egiſſe. Videlicet quia cum hominibus, tam liberis, quam & colonis vel ſervis ſecum degentibus armatis, contra regiam poteſtatem miſſis ſuis reſiſti fecit; ut quod ſecundum legem præceperat, miſſi ejus legaliter implere non poſſent: id eſt, ut quoſdam liberos homines de regno ſuo Hincmaro commendatos, qui de infidelitate regis reputantur, & rationem diffugere velle dicebantur, ſecundum legem & antiquam conſuetudinem fidejuſſione conſtringerentur. Apoſtolus contra dicit (Rom. c. 13.): *Omnis*, inquiens, *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo. Quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim eſt miniſter tibi in bonum. Si autem male feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in ira ei qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*. Et hinc S. Innocentius (Innocent. ep. 6.) ad Exuperium Toloſanum epiſcopum: *Legimus a Deo poteſtates hæc fuiſſe conceſſas, & propter vindictam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum: & Dei miniſtrum eſſe datum in hujuſmodi vindicem. De his ergo ita ut hactenus ſervatum eſt, ſic habemus, ne aut diſciplinam evertere, aut contra auctoritatem domini venire videamur*. Et S. Cyprianus (Cyprian. de 12. abuſ. c. 9. 11.) in 9. abuſionis gradu dicit: *Regem correctorem iniquorum eſſe oportet*. Et item idem. *Undecimus abuſionis gradus eſt plebs ſine diſciplina: quæ dum diſciplinæ extr-*



ANNO CHRISTI 871.

*exercitationibus non ſervit, communi ſe perditionis laqueo conſtringit. Ita etenim domini abſque diſciplina vigore non evaditur. Sicut enim tunica totum corpus tegitur præter caput: ita diſciplina omnis eccleſia præter Chriſtum: quia eccleſia & ſub diſciplina ejus protegitur, & ornatur. Ipſa vero tunica contexta deſuper fuerat per totum; quia eidem eccleſiæ diſciplina a domino de cælo tribuitur & integratur. Tunica enim corporis Chriſti, diſciplina eccleſiæ eſt. Qui autem extra diſciplinam eſt, alienus a Chriſti corpore eſt. Non ſcindamus igitur illam; ſortiamur de illa: non ſolvamus quicquam de mandatis Chriſti; ſed unuſquiſque in quo vocatus eſt, in eo permaneat apud Deum.* (Tunica Chriſti, diſciplina eccleſiæ.)

Et quia ſanctus Leo ad Ruſticum Narbonenſem epiſcopum ſcribens decrevit, ut id noverimus ſequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum inveniatur adverſum: & ſanctus Gelaſius decrevit ſervanda quæ ſunt ſecundum tramitem ſanctarum ſcripturarum, traditionemque majorum: frater Hincmarus non mediocriter in hoc facto contra regulas ſacras exceſſit. Qui enim in eccleſiaſticis regulis legit, quas, ut Cæleſtinus ſcribit, nulli ſacerdoti licitum eſt ignorare, a principibus terræ leges ab eccleſia, & pro eccleſia petitas, & promulgatas, non debuerat leges diſſolvere, vel eis, minime autem militari manu, contraire. Dicit enim beatus Ambroſius (Ambroſ.) in epiſtola contra Auxentium: *Repugnare non novi, dolere potero, potero flere, potero gemere: adverſus arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ meæ arma ſunt. Talia enim ſunt munimenta ſacerdotis. Aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere*. Et iterum: *Habeo defenſionem, ſed in orationibus pauperum. Cæci iſti & claudi, debiles & ſenes, robuſtis bellatoribus fortiores ſunt. Denique munera pauperum, Deum obligant: quia ſcriptum eſt, qui largitur pauperi, Deo fœneratur. Præſidia bellatorum divinam ſæpe gratiam non merentur*. Quid igitur obaudientius poteſt eſſe, quam ut Chriſti ſequamur exemplum, qui ſpecie inventus ut homo, humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem. Denique omnes per obedientiam liberavit. (Rom. c. 5.) *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt plurimi; ita per unius obedientiam, juſti conſtituentur multi*.

## CAPUT XII.

*De eo quod regi infideles a ſe fraudulenter emiſit.*

DE eo quod in præfata petitione domni regis continetur, quia, ſicut frater Hincmarus miſſis ſuis dixit, ipſe a ſe homines ſuos, qui de infidelitate regis reputantur, emiſit: ſentiendum videtur, quod S. Gelaſius (Gelaſ. ep. 8. cit.) in epiſtola ad Anaſtaſium imperatorem dicit: *Apoſtolus*, inquit, *qui * non ſolum non facienda faciunt, reos videri, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Proinde ſicut non poteſt perverſitatis communicatore ſuſcepto, non pariter perverſitas adprobari: ſic non poteſt refutari perverſitas complice ſectatore perverſitatis admiſſo. Legibus certe veſtris criminum conſcios, ſuſceptoreſque latrocinantium per judiciorum pœna conſtringit: nec expers facinoris æſtimatur, qui licet ipſe non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœduſque recepit*. Et S. Cyprianus (Cyprian. cit. c. 12.): *Duodecimus abuſionis gradus eſt, populus ſine lege: qui dum * edicta, & legum ſcita contemnit, per diverſas errorum vias eundo, perditionis laqueum incurrit. Utique multa perditionis via.* incidunt, cum una regalis via, lex Dei videlicet, quæ neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinat, per negligentiam deſeritur. Igitur populus ſine lege populus ſine Chriſto eſt: * Non ſiamus ergo ſine Chriſto, in hoc tempore tranſitorio, ne ſine nobis Chriſtus eſſe incipiat in futuro.*

* al. Dei dicta. * al. time incidunt. * al. Non itaque ſiamus ſine Chr.

PARS III.

Non leviter igitur frater Hincmarus exceſſit, eoſdem homines virtute defenſans, & a ſe fraudulenter emittens; ne ſecundum leges conſtringerentur, ut aut per legem liberarentur, aut per legem judicaretur. Quia, ſicut Hilarus papa dicit, *reatu majore delinquit, qui potiore honore perfruitur: & graviora facit vitia peccatorum ſublimitas dignitatum*. Et ſi, ut Cyprianus dicit, *Populus ſine lege, populus ſine Chriſto eſt*: Epiſcopus legem conculcans exhonorare videtur Chriſtum, qui dicit (Prov. c. 8.): *Per me reges regnant, & conditores legum juſta decernunt*. Unde timendum illi eſt, quod B. Cyprianus dicit: *Non ſiamus ergo ſine Chriſto, in hoc tempore tranſitorio, ne ſine nobis Chriſtus eſſe incipiat in futuro*.

## CONCLUSIO

*Quorumdam criminum recapitulatio, & quod leges eccleſiaſticæ ſervandæ ſint.*

DE fidelitate autem contra juramenta a ſe præſtita, & contra profeſſiones, & ſubſcriptiones ſuas refragata, egimus. Sed & de ſeditione, ſufficienter ſupra reſponſum putamus. Hoc tamen ſuperadjiciendum vidimus, ut in B. Ambroſio contempletur, quantum cavere debuerat, in tot ſeditionibus a ſe commotis, ſi- [illegible] noſſe dicunt, humanus ſanguis effundi non poſſet. [illegible] de ſe idem B. Ambroſius (Ambroſ. in concione.): *Dominica poſt lectiones atque tractatum, dimiſſis catechumenis, ſymbolum aliquibus competentibus in baptiſterii tradebam baſilica. Illic nunciatum eſt mihi, comperto quod ad Portianam baſilicam de palatio decanos miſiſſent, ut vela ſuſpenderent: populi partem eo pergere. Ego tamen manſi in munere, miſſam facere cœpi. Dum offero, raptum cognovi a populo Caſtulum quemdam, quem presbyterum dixerunt Ariani: hunc autem in platea offenderant tranſeuntes. Amariſſime flere, & orare in ipſa oblatione Deum cœpi, ut ſubveniret, ne cujus ſanguis in cauſa eccleſiæ fieret effuſus. Certe ut meus ſanguis pro ſalute non ſolum populi, ſed etiam pro ipſis impiis profunderetur. Quid multa? miſſis presbyteris & diaconibus eripui injuria virum*. (In cauſa eccleſiæ ſanguis ne fundatur.) Hæc ſunt enim epiſcopi: quia nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit (2. Timot. 2.): & non militari manu regi reſiſtere; ac per hoc, ut apoſtolus monſtrat, Dei ordinationi reſiſtere.

Et quiſquis clericorum, in quibus connumerantur epiſcopi, contra tramitem ſcripturarum, traditionemque majorum contumaciter venit, ordinis ſui detrimentum patenter incurrit: quia nemo judicum eccleſiaſticorum, eccleſiaſticarum regularum judiciis audet, aut prævalet obviare. Cum S. Leo decernat, * ut ſecundum ſanctorum patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, metropolitanos ſingularum provinciarum epiſcopos, jus traditæ ſibi antiquitus dignitatis, integratum habere: ita ut a regulis præſtitutis nulla aut negligentia aut præſumptione diſcedant. Et S. Auguſtinus in libro de vera religione dicit (Aug. l. de vera relig. c. 31.): *Æternam legem mundis animis fas eſt cognoſcere, non eſt fas judicare. In iſtis autem temporalibus legibus, quamquam de his homines judicent,* cum

* redundat ut.

PARS IV.

*cum eas inſtituunt, tamen cum fuerint inſtitutæ, atque firmatæ, non licebit judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas.* Et S. Cæleſtinus: *Quæ*, inquit, *a nobis res digna ſervabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permiſſa, frangatur?* Et ſi imperatores Romanorum ſuas leges æternas vel perpetuas appellaverunt, multo magis leges illæ æternæ, atque perpetuæ ſunt, quæ ſunt ſancto Spiritu promulgatæ. Unde Leo ad Anatolium ſcribens dicit: *Sancti illi & venerabiles patres, qui in urbe Nicæna ſacrilego Ario cum ſua impietate damnato manſuras uſque in finem ſæculi leges eccleſiaſticorum canonum condiderunt, & apud nos* in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus vivunt: & ſi quid uſquam, aliter quam illi ſtatuere, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur: ut quæ ad perpetuam utilitatem* inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur.* Et ſacrum Carthaginenſe concilium ſub Grato epiſcopo dicit: *De quibus aperteſſime divina ſcriptura ſanxit, non differenda ſententia eſt, ſed potius exequenda. Nemo contra prophetas, nemo contra evangelia, nemo contra apoſtolos facit ſine periculo.* Et: *Quæ facta, vel dicta ſuperius comprehenſa ſunt, vel aliis conciliis conſcripta, quæ ſecundum legem inveniuntur, cuſtodire nos oportet. Si quis vero ſtatuta ſupergreſſus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, ſi laicus eſt, communione; ſi clericus eſt, honore privabitur.* Et S. papa Hilarus dicit: *Quia non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in injuriam ipſius domini proſilitur.* Et Dei virtus, ac Dei ſapientia per Salomonem præcepit dicens: *Ejice deriſorem, & exibit cum eo & jurgium, ceſſabuntque cauſæ & contumeliæ.* Et per ſemetipſam dicit: *Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cæleſtis, eradicabitur. Neque enim qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, niſi incrementum det Deus.*

Hinc. epiſt. ad Carol. regem, p. 332. — S. Leo ep. 56. — * al. & intuete. — * al. generaliter inſtituta. — Conc. Carthag. ſub Grato c. 13. — Idem c. 14. — Hilarus ep. cit. — Prov. c. 22. — Matt. c. 15. — 1. Cor. 3.

PARS IV. concilii.

## *ACTA SYNODI*

*Cum Hincmaro Laudunenſi epiſcopo, canonice vocato & præſente.*

## CAPUT I.

*Ter vocatus ad ſynodum tandem comparet.*

ET dum hæc omnia præmiſſa legebantur in ſynodo, [36] quoniam iſdem Hincmarus non in anguſto tempore, & regis & metropolitani ſui literis ad eamdem ſynodum regulariter evocatus: & quia de certis cauſis, certæ perſonæ, querelarum petitiones adverſus eum deponebant, a metropolitano ſuo venire præmonitus, venire contempſit: per ter, ternis epiſcopis, ac ternis presbyteris, terniſque diaconibus ad eamdem ſynodum eſt iterum vocatus hoc modo.

*Prima citatio Hincm. Laudun.*

Directis ad eum Hildeboldo Sueſſionicæ urbis epiſcopo, & Adelulfo presbytero, atque Hadeberto diacono, ei dicentibus: Frater Hincmare, domnus apoſtolicus Hadrianus miſit Hincmaro metropolitano noſtro epiſtolas, de cauſis Rhemorum diœceſeos: ſed & tibi ſpecialem mittit epiſtolam: quas in ſynodo coram fratribus noſtris, ſed & coram te recitari oportet. Nec non & certæ perſonæ de certis cauſis petitiones adverſum te porrexerunt in ſynodo. Propterea ſancta ſynodus, quæ apud Duziacum parochiæ Rhemenſis convenit: ſed & prædictus metropolitanus noſter, mandant tibi auctoritate domni apoſtolici, & ſacrorum canonum, ut quantocius ad ſynodum convenias, & ibi mandata domni apoſtolici audias. Sed & his quæ per libellos proclamationum contra te deponuntur, ſicut regulæ jubent, reſpondeas. Iſdem vero Hincmarus obtulit eis prolixam rotulam deferendam in ſynodo, & ſedem apoſtolicam appellare ſe dixit. Cui præfatus epiſcopus, presbyter, & diaconus reſponderunt. Veni ad ſynodum, ad quam regulariter es convocatus; & audi mandata domni apoſtolici; & reſponde de his regulariter, quæ opponuntur tibi: & tunc, ſi neceſſe tibi fuerit, ſecundum regulas, ſedem apoſtolicam appellare, ſicut præcipiunt canones, appellationem tuam proſequare. Et ſi tibi appellare neceſſe non fuerit, & aut voluntarius, aut a ſede apoſtolica vocatus illuc ire volueris: cum fraternitatis unanimitate religioſum iter aggredere. Et inſuper præfatus epiſcopus, presbyter, & diaconus addiderunt. Mandant tibi omnes epiſcopi, qui ad illud concilium convenerunt, ut ad ſynodum illorum, ad quam regulariter es vocatus, venire non dubites: quia pro ullius perſonæ reſpectu tibi nullum præjudicium contra ſacras regulas inferent: ſed ſicut juſtius & rationabilius, domino revelante, ſcire potuerint, de his quæ adverſum te proponuntur, æquali lance ſecundum ſacras regulas, & leges, judicia proferent.

ANNO CHRISTI 871. — Non venit. — Secretius legitur.

[17] Et quia quemdam presbyterum ſuæ ruſticanæ parochiæ, de villa Rhemenſis eccleſiæ, nomine Haimeradum ſecum habebat, Romam mendaciter proclamare ducendum, de rebus inutilibus, de quibus nec ad metropolitanum, nec in ſynodo comprovinciali ſe reclamavit; cum pluſquam centies in eadem villa ubi eſt Haimeradus presbyter ordinatus, cum metropolitano fuerit, & plures ſynodi in eadem provincia, & in ſua vicinitate habitæ fuerint, poſtquam Hincmarus Laudunenſis fuit ordinatus epiſcopus. Sed nec de his ſe reclamavit apud ſynodum, quæ a longo tempore diffinita manſerunt, & uſque ad nuperrima Hincmari Laudunenſis tempora obtinere non potuit: cum leges dicant, ut res olim judicata poſt longum ſilentium in judicium deduci non poteſt: & longum tempus inter præſentes decennium computatur: & canones etiam inter epiſcopos diffiniant, ut ſi quiſquam aliquem locum per triennium obtinuerit, nemine repetente, ſi tamen per ipſum triennium obtinuerit, nemine repetente, ſi tamen per ipſum triennium fuit epiſcopus, qui poſſet repetere, & tacuit, ulterius non repetatur. Et item leges atque canones, & decreta Gelaſii diſſiniunt, ut ultra 30. annos nulli liceat pro id appellare, quod legum tempus excludit. Et parochia de qua iſdem presbyter queritur, per ſeptuaginta & amplius annos ſine altercatione fuit: donec conbibente, & ut quidam dicunt, inſtigante Hincmaro iſdem presbyter ea quæ ſua non fuerunt, obtinuit: unde hactenus villani homines adverſus eum, ſed & adverſus Hincmarum reclamant. Quapropter præfatus epiſcopus, presbyter, & diaconus adjecerunt, dicentes: metropolitanus etiam noſter Hincmarus, & coepiſcopi Rhemenſis provinciæ mandant tibi, ut Haimeradum presbyterum parochiæ tuæ, quem tecum habes, ad hanc comprovincialem ſynodum in Rhemenſi parochia venire jubeas: quatenus ibi de omnibus querimoniis ejus, de quibus Haimerado abſente, & in Laudunenſi parochia commorante Hincmaro metropolitano noſtro, in ſynodo apud Attiniacum Rhemenſis parochiæ anno præterito rotulam dediſti, quam ſecum habet, ſicut præcipiunt canones, regularia judicia præſente ipſo Haimerado determinentur. Quia ſecundum ſacras leges, neque accuſator per alium accuſare, neque reus per alium defendi poteſt: niſi ingratum libertum patronus accuſet; aut in abſentia defendatur. Et canones jubent, qui ſe læſos exiſtimant, comprovincialibus ſynodis adeſſe debere, ut ſynodi experiantur examen.

Falſæ Haimeradi presbyteri querimoniæ. — Longum tempus quid ſit.



*Citatur presbyter Haimeradus.*

Sed & Hincmarus metropolitanus Hairoardum diaconem ſuum, ad eundem Haimeradum presbyterum miſit vocans eum ad ſynodum, hoc modo: Haimerade, Hincmarus metropolitanus Rhemorum epiſcopus, & coepiſcopi Rhemenſis provinciæ, mandant tibi ut venias ad hanc comprovincialem ſynodum in Duziaco Rhemenſis parochiæ, ſi te læſum exiſtimas: quatenus ibi de querimoniis tuis, de quibus tuus epiſcopus Hincmarus, Hincmaro metropolitano epiſcopo, in ſynodo apud Attiniacum, te abſente, rotulam contextam donavit, quam ſecum habet, ut ſecundum ſacros canones de his te præſente regularia judicia terminentur.

*Secunda & tertia citatio.*

Et quia nec ſic vocati iſdem Hincmarus epiſcopus, & Haimeradus presbyter, venerunt ad ſynodum, iterum eodem modo per Joannem epiſcopum Camaracenſem, & Vvinefridum presbyterum, ac Bernonem diaconum, iſdem Hincmarus epiſcopus eſt vocatus. Et per Hildradum diaconum Rhemenſis eccleſiæ, præfato modo Haimeradus presbyter eſt vocatus. Similiter, & tertio per Rainelmum Tornacenſem epiſcopum, & Vvanilonem presbyterum, ac Bernonem diaconum Hincmarus vocatus, tamdem venit ad ſynodum. Presbyter autem Haimeradus non venit.

## CAPUT II.

*Accipit a ſynodo petitionem regis, & literas Hadriani.*

ET Hincmaro præſente in ſynodo, iterum domnus rex Carolus petitionem proclamationis adverſus eum porrexit: quæ coram eo eſt relecta, & per Hodonem Belgivacorum epiſcopum illi data, ut diligenter eam inſpiceret: & haberet inducias, quatenus his quæ ibi continentur, ſingillatim ad ſingula regulariter in ſynodo reſponderet. Sed & epiſtola domni Hadriani papæ in ſynodo eſt illi data: & ipſo jubente, & inſpiciente, ab Hodone epiſcopo relecta: ne more ſuo Hincmarus denegaret ea in illa contineri, quæ ibi continentur. Cujus & exemplar his geſtis dignum duximus inſerendum.

*Hadriani epiſtola ad Hincmarum Laudun.*

*Hadrianus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Hincmaro Laudunenſi epiſcopo. Solicitudine paſtorali ſuper tuæ remorationis negotio liquidius perſcrutantes, reperimus te ſanctæ ſedis apoſtolicæ promiſſa viſitatione, ambitus propriæ voluntatis, quo ſatis tergiverſatorie uti diceris, tepidum reddidiſſe: & aut numquam viſitare ſanctorum apoſtolorum limina voluiſti; aut dominum vota tua non audire credidiſti; aut & dominum cui voviſti, & nos a quibus vocari voluiſti, procul dubio contempſiſti. Ergo ne forte, ut credimus, occaſione adeundæ ſedis apoſtolicæ fretus, a reverentiſſimi fratris noſtri Hincmari metropolitani tui debita ſubjectione alíorſum declinans, tanto liberius libita per abuſum pertinaciæ tuæ committas, quantum & metropolitano regulariter ſubjici, & ad nos de die in diem differendo venire detrectas: auctoritate ſancti Spiritus tibi præcipimus, ut memor ſacrorum canonum, qui jubent per unamquamque provinciam jus metropolitanos ſingulos habere debere, metropolitano tuo per omnia, ſecundum ſacros canones, ſubjectus exiſtas: neque moleſte feras hunc tibi eſſe prælatum, qui te noſti tuis ovibus eſſe præpoſitum. Quin potius, obedientiam quam a tuis exigis, etiam ipſe metropolitano tuo, ſalvo dumtaxat apoſtolicæ ſedis ſynodico proclamandi judicio, canonica lege dependens vota tua, ſi vere vota fuerunt, procraſtinando tamdiu non differas, ne exiſtimationis tuæ merearis, quam non optamus, ſuſtinere jacturam.*

PARS IV.

## CAPUT III.

*Denuo vocatus ter ad ſynodum, tandem advenit.*

*Ampliantur induciæ ad reſpondendum.*

SEquenti autem die ſynodus Actardum epiſcopum, & Vvinefridum presbyterum, & Adalgarium diaconem, ad eumdem Hincmarum direxit, mandans illi hoc modo: Frater Hincmare, mandat tibi ſancta ſynodus, ut ſi præparatus es breviter & capitulatim reddere rationem de his, quæ pridie oppoſita ſunt tibi per ſcripturam a domno rege, de quibus jamdiu fuiſti impetitus, & non in anguſto tempore a metropolitano tuo præmonitus, vade ad ſynodum, & propone tuam defenſionem & juſtificationem* præparandam; qualiter te exuere poſſis ab his quæ oppoſita ſunt tibi: & proxima die ſabbati veni ad ſynodum, & ſicut tibi ſupradictum eſt, reſponde capitulatim de tibi oppoſitis. Quia, ut dicit B. Gelaſius, *ideo vocatur ad judicium certa quæcumque perſona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis.* Iſdem autem Hincmarus ad ſe miſſis prolixam rotulam obtulit ſynodo deferendam. Qui reſponderunt, ut ipſe per ſe in ſynodo reſponderet objectis.

* forte præparatam. — Gelaſius. — Vocatur iterum. — Non apparuit.

*Tertia citatio.*

Deinde miſſi ſunt a ſynodo ad Hincmarum Rainelmus epiſcopus, & Vvanilo presbyter, & Berno diaconus, dicentes illi hoc modo: Frater Hincmare, quia non in anguſto tempore primum, & regiis literis, & metropolitana ſolicitudine, inſuper & auctoritate apoſtolicæ ſedis, ad certum locum, & diem, de præſignatis tibi rebus regulariter evocatus ad ſynodum, venire detractaſti; iterum ab hac ſynodo evocatus, uſque dum tibi fuit viſum, diſtuliſti venire: quo tandem te perveniente denuo domnus rex in tua præſentia eamdem petitionem porrexit in ſynodo, quæ ibi coram te fuit relecta, & a ſynodo per venerabilem coepiſcopum noſtrum Hodonem, tibi data, ut diligenter inſpiceres quæ tibi objiciuntur; & inde ad ſingula capita ſingillatim & capitulatim in ſynodo reſponderes. Deinde ſynodus die ſequenti, per venerabilem coepiſcopum noſtrum Actardum, & Vvinefridum presbyterum, & Adalgarium diaconem, tibi mandavit, ut, ſi præparatus eras breviter & capitulatim rationem de his, quæ tibi ſunt per ſcripturam a domno rege oppoſita, reſpondere, ires ad ſynodum. Sin autem, haberes inde de illo, & in craſtina inducias ad præparandam tuam reſponſionem; & hodie ita præparatus venires ad ſynodum, quatenus de his quæ objiciuntur tibi, reſponderes. Quapropter poſt has inducias, ſi ad reſpondendum de his quæ objiciuntur tibi, ita es præparatus, ſicut ſynodus tibi mandavit: vade ad ſynodum, & de his quæ tibi oppoſita ſunt, redde regulariter rationem. Quia, ut dicit S. Gelaſius, *ideo vocatur ad judicium certa quæcumque perſona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis.* De prolixis tuis rotulis ex eis cauſis contextis, de quibus metropolitanus

Gelaſius.

PARS IV.

nus tuus pro loci ſui officio ad correctionem tuam præmonuit, quas relegendas in ſynodo agis, & ipſe fers, nec tibi eſt ratio ſynodo eas offerre; nec legaliter, vel regulariter eas ſynodus ad legendum, vel quamcumque tuam proclamationem ad diſcernendum vel decernendum poteſt recipere, donec de his, quæ tibi ſunt per ſcripturam oppoſita, legaliter & regulariter rationem reddas in ſynodo: nec potes legaliter ac regulariter quemquam de quacumque cauſa in judicio ſynodali impetere, uſque dum legaliter ac regulariter exutus fueris ab his, quæ ſunt tibi oppoſita. *Neganda eſt*, inquiunt ſacræ leges, *accuſatis licentia criminandi, priuſquam ſe crimine, quo premuntur, exuerint. Nam ſanctionum veterum conditores adimendam licentiam omnibus conſuerunt, in accuſatores ſuos invidioſam dicendi vocem. Nullam itaque obtineat auctoritatem in judiciis periclitantium furor; qui ſi latius evagetur, nec ipſe quidem cognitor tutus erit, aut quæſtionem ſecurus agitabit; qui exequendo juris ſeveritatem, non poteſt illorum quos punit, odium evitare.* Et ſacrum Africanum decrevit concilium, ut ad accuſationem non admittantur, quos ad accuſanda publica crimina leges publicæ non admittunt.

*Reus accuſare vel criminari non poteſt.*

## CAPUT IV.

*Tandem præſens interrogatus in ſynodo, recuſat reſpondere, & regem calumniatur.*

TAndem 19. Kalend. Auguſti, 4. indictionis, reſidentibus epiſcopis qui convenerant, cum presbyteris, & diverſarum eccleſiarum legatis, adſtantibus diaconibus, cum laicis fidelibus, domnus rex eidem ſynodo præſentavit, ut proclamationem ſuam legaliter ac regulariter proſequeretur. Vocatus eſt autem & frater Hincmarus ad ſynodum. Quo veniens cum presbyteris & diaconibus Laudunenſis eccleſiæ, dixit ei metropolitanus ſuus Hincmarus Rhemorum epiſcopus: Frater Hincmare, tu ſcis quam petitionem proclamationis adverſum te domnus rex de certis clauſis huic ſanctæ ſynodo porrexit, quæ & coram te relecta, & tibi data eſt, ut eam diligenter inſpiceres, & ſingillatim ad ſingula regulariter reſponderes. Propterea acceptis ad reſpondendum induciis, de his unde non in anguſto tempore fuiſti præmonitus; videlicet de his, quæ anno præterito in ſynodo apud Attiniacum fuiſti impetitus, quoniam ea, ſicut ibi conventum fuerat, non es regulariter proſequutus: profer eamdem petitionem, & reſponde, ſicut præcipiunt regulæ, de ſingulis tibi objectis.

*Conferenda ſunt hæc cum illa Hincmari proclamatione. V. Notas.*

38 Cui frater Hincmarus reſpondit: Spoliatus ſum omnibus rebus & facultatibus meis, & ideo nihil in hac ſynodo reſpondebo. Et protulit quaterniones de ſinu ſuo, & cœpit legere ſententias de appellatione epiſcoporum. Cui dixit Hincmarus metropolitanus epiſcopus: Frater Hincmare, habemus Sardicenſes canones a ſede apoſtolica confirmatos, qui dicunt, de quibus, ac qualiter epiſcopus appellare debeat ſedem apoſtolicam. Hæc quæ legis, ubi inveniſti? Qui reſpondit: Felicis papæ ſunt verba. Cui ſynodus ſancta dixit: Reſponde in hac ſynodo, ſicut præcipiunt regulæ, de tibi objectis: & tunc ſi neceſſe tibi fuerit, ſecundum regulas ſedem apoſtolicam appellare, ſicut præcipiunt canones, appellationem tuam proſequere. Et ſi tibi appellare neceſſe non fuerit, & ... voluntarius, aut a ſede apoſtolica vocatus, ... volueris, cum licentia domni regis, & fraternitatis noſtræ unanimitate religioſum iter illud aggredere. Ad hæc frater Hincmarus reſpondit: Spoliatus ſum omnibus rebus & facultatibus meis: nihil ad hæc, quæ objiciuntur mihi, reſpondebo.

*Fraudulenter appellat ad papam.*

*Hinc. Laud. in collect. pag. 349. & 361.*

Cui ſynodus ſancta reſpondit: Dic, frater, certas perſonas, quæ te exſpoliaverunt rebus & facultatibus tuis. Qui reſpondit: Iſti mei clerici ſciunt, quis me exſpoliavit. Synodus illi reſpondit: Tu ipſe potes dicere, ætatem enim habes, & licentiam reſpondendi. Qui reſpondit: Iſti mei clerici dicant. Et conjuratus Fagenulfus presbyter Laudunenſis eccleſiæ, ut memor ordinis ſui, veritatem & corde, & ore inde proferret, quem ſciret epiſcopi ſui a ſede, & rebus, & facultatibus eccleſiaſticis ſpoliatorem eſſe. Qui dixit: Etiam, de ſe nullam poteſtatem habet. Cui rex dixit: Dic certas perſonas, quæ eum exſpoliaverunt: & ego faciam inde, ſecundum legem, juſtitiam. Cui Fagenulfus dixit: Vos illum exſpoliaviſtis. Tunc rex ſurgens, ſynodo dixit: Non dicit iſte frater verum.

Regiis literis, more præceſſorum meorum, Hincmarum Laudunenſem epiſcopum ad hanc ſynodum convocavi: & poſt eamdem convocationem, certa relatione fidelium meorum comperi, quia homines liberi de regno meo ſibi commendati, mihi infideles erant, unde etiam comprobati fuerunt. Et juſſi comiti, & meis miſſis, ſicut in petitione mea continetur, ut eoſdem homines, ſecundum legem & antiquam conſuetudinem, per fidejuſſores mitterent, uſque ad rationem reddendam. Et iſte Hincmarus epiſcopus tam liberos, quam & colonos, & ſervos ſecum degentes, contra meam regiam poteſtatem armari, & miſſis meis reſiſti fecit; ut quod ſecundum legem præceperam, miſſus meus legaliter implere non poſſet. Quod cum mihi nunciatum fuit, quoniam eum, ſicut & ceteros epiſcopos qui ad ſynodum convocati fuerunt, cum paucis hominibus venire juſſeram, ut alii eorum homines parati eſſent ad patriæ defenſionem, contra Nortmannos: & Hincmarus cum omni plenitudine ſuorum hominum, armata manu veniebat ad ſynodum: direxi miſſos meos ad ipſos homines, & mandavi eis ut parati eſſent, ſicut & antea juſſeram, quatinus; mox ut eis mandarem, ad locum ubi militia de ipſo epiſcopio Laudunenſi contra paganorum infeſtationem ad cuſtodiam eſſe ſolebat, irent: & decem vel duodecim de ipſis * caſatis hominibus, præter clericos & ſervientes, cum Hincmaro venirent ad ſynodum; qui & illi veluti ſeniori obedirent, & ei ſervirent, & ad ſua cuſtodienda ſufficerent.

*Calumniatur regem.*

Denique nunciatum eſt mihi certa relatione, quia ipſos homines, & propinquos ſuos qui de mea infidelitate reputantur, & quos per fidejuſſores mittere juſſeram ad rationem reddendam, a ſe Hincmarus latenter cum facultatibus eccleſiaſticis, ne ad rationem venirent, emiſit, & fugam arripere fecit. Poſt quos, & ipſe, ſicut & jam ſæpe fecerat, & fuga lapſus ne veniret ad ſynodum, vellet abſcedere. Et inſuper facultates eccleſiaſticas, & vaſa ſacra, & veſtimenta, ſed & alia, quæ ego, & uxor quondam mea, eccleſiæ ſanctæ Mariæ Laudunenſis epiſcopii in noſtra eleemoſyna dederamus, & bonæ memoriæ prædeceſſor ſuus Pardulus epiſcopus, eidem eccleſiæ reliquerat, fraudulenter ſecum aſportabat. Et ideo miſi fidejuſſores, ut ſatagerent ne iſdem Hincmarus cum theſauro & facultatibus eccleſiaſticis fugam arripere poſſet. Et ſi ad ſynodum venire vellet, libere eum venire permitterent; & nullam vio-

*Pardulus epiſcopus bonæ memoriæ.*



ANNO CHRISTI 871.

PARS IV.

lentiam, vel dehonorationem illi facerent: & ſui clerici, ac ſui vaſſalli & ſervientes, illi debitum obſequium, ſicut ſeniori & epiſcopo, exhiberent: mei autem homines, quos ad præfatam cuſtodiam miſeram, a longe in circuitu illius cuſtodiæ agerent, ne ipſe cum eis quæ ſunt eccleſiæ, poſt fugitivos a ſe emiſſos, effugere poſſet.

Hincmarus autem poſt tertiam regularem evocationem venit ad ſynodum, & noluit ire ad manſiones, quas ſui homines præmiſſi acceperant, & ad quas diſpenſa ſua adducta fuerat: ſed dixit mihi, quia non haberet manſionem. Et dixi illi, ut ſi vellet, iret ad ſuas manſiones: ſin autem, maneret in manſione juxta eccleſiam in corte mea. Et reſpondit, ſe ita velle. Et præcepi cuſtodi noſtro Bernoni, ut eum cum honore exciperet, & ſua ſcrinia cum Hincmari clericis & hominibus cuſtodiret, ſi Hincmarus ſic vellet. Sed Hincmarus ad manſiones ſuas perrexit: & ſua ſcrinia ſalva & inviolata ei fuere delata. In quibus & crux aurea cum gemmis pretioſis, quam uxor mea bonæ memoriæ Yrmintrudis ſanctæ Mariæ eccleſiæ Laudunenſis donavit, cum aliis eccleſiaſticis rebus, adhuc in eiſdem habetur ſcriniis: & nullus meorum fidelium illi vel ſuis contradixit, ut quando vellet, ac eccleſiam ire non poſſet. Et ecce clerici religioſi, & laici nobiles, cum quibus hæc ita eſſe poſſum probare.

*Nihil ipſi per vim ereptum.*

*Yrmintrudis uxor Caroli Calvi.*

Et productis utriuſque ordinis teſtibus, probata ſunt hæc ita ſe habere. Sed & ipſe Fagenulfus, ac ceteri clerici Laudunenſis eccleſiæ, hæc ita eſſe dixerunt. Hincmarus autem more ſuo, * quandoquidem confitebatur, quandoquidem vero negabat.

*Teſtibus res probatur.*

** quandoque.*

## CAPUT V.

*Convincitur in ſynodo ſpoliati theſauri Laudunenſis eccleſiæ.*

ET probatum eſt coram omnibus in ſynodo, quia calicem onychinum de ipſa eccleſia auro & gemmis ornatum, & patenam onychinam, quam domnus rex ſanctæ Mariæ Laudunenſis eccleſiæ dedit, auro & gemmis ornatam, de ſcriniis ſuis, ne in ſuis ſcriniis invenirentur, ipſo die presbytero ſuo Yrminoni latentius juſſit accipere: ſicut & ipſe Yrmino ibidem fuit confeſſus: ſed & reliquias, quæ & ab antiquo tempore in eadem fuerunt eccleſia, & quas deceſſor illius Pardulus, rege & plurimis aliis largientibus, ipſi eccleſiæ contulit, cum præfata cruce, quam Yrmintrudis quondam regina eccleſiæ Laudunenſi donavit: ſed & præcepta & * ſtrumenta chartarum, de rebus ipſius eccleſiæ, ſecum aſportare eſt accuſatus. Crucem quoque auream cum ligno ſanctæ crucis, quam Pardulus deceſſor ſuus ſanctæ Mariæ dedit, ipſe Hincmarus ibidem ſecum habebat. Quæ cum ab eo fuit repetita, dixit, ut ſi Hincmarus metropolitanus ſuus ei præciperet, utique illam redderet.

** Chartas donationum ſive privilegiorum inſtrumenta.*

Hincmarus autem metropolitanus, intelligens quod de exſpoliatione, ſicut & de aliis, more ſuo eum falſo inſimulare vellet, proferens librum canonum, dixit: Non aliter tibi reddere aliqua jubeo, niſi veluti hæ regulæ dicunt. Et juſſit has regulas in ſynodo recitari: *Quæ ſunt eccleſiæ ſub omni ſolicitudine, & conſcientia bona, & fide quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat, judicatæ ſerventur. Quæ etiam diſpenſanda ſunt judicio & poteſtate pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ quæ intra eccleſiam congregantur. Manifeſta vero ſunt quæ pertinere videntur eccleſiæ, cum notitia presbyterorum & diaconorum, qui circa ipſum ſunt: ita ut cognoſcant, nec ignorent quæ ſint eccleſiæ propria; nec eos aliquid lateat: ut, ſi contigerit epiſcopum migrare de ſæculo certis exiſtentibus rebus, quæ ſunt eccleſiæ, nec ipſa conlapſa depereant, nec quæ propria probantur epiſcopi ſub occaſione eorum pervadantur eccleſiæ. Juſtum namque & acceptum eſt coram Deo & hominibus, ut ſua epiſcopus quibus voluerit derelinquat; & quæ eccleſiæ ſunt, eidem conſerventur eccleſiæ: ut nec eccleſia aliquod patiatur incommodum, nec epiſcopus ſub occaſione proſcribatur eccleſiæ.*

*Hincmari Rhemenſis prudentia.*

*Conc. Antioch. ſæpe cit.*

Qua perlecta ſententia, domnus rex dixit: Iſte Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, eſt de nihil habentibus: quia quando eſt ordinatus epiſcopus manifeſtum eſt, quia nec unum habebat denarium. Nam avunculus ſuus eum de rebus & facultatibus paſcebat & veſtiebat Rhemenſis eccleſiæ, in qua eum totondit, & nutrivit, & per ſingulos gradus eccleſiaſticos ordinavit. Et Hincmarus Laudunenſis epiſcopus reſpondit, quia res, & mancipia habebat. Quod conſtat eſſe mendacium. 39 Nam nec unam rigam de terra, nec ullum habebat mancipium proprium, niſi quantum avunculus ſuus Hincmarus apud propinquos & coheredes ſuos, ſed & apud matrem ſuam, aviam ſcilicet iſtius Hincmari, eo modo de rebus & mancipiis quædam illi tradi obtinuit, ut ipſa in vita ſua haberet, & poſt ſuum diceſſum Hincmarus ea poſſideret: quia avia illius eaſdem res, & mancipia in ſua poteſtate per annum & amplius quam quatuor menſes habuit, poſtquam Hincmarus Laudunenſis epiſcopus ordinatus fuit. Sed & pater ejuſdem Hincmari Laudunenſis epiſcopi res & mancipia ſuæ hereditatis; ſed & res & mancipia matris ipſius Hincmari olim defunctæ, in ſua poteſtate habebat: qui per aliquot annos in corpore vixit, poſtquam Hincmarus fuit ordinatus Laudunenſis epiſcopus: & nec quantum valet unus denarius, de omnibus rebus ſuis ſe melioratam ſenſit hactenus Laudunenſis eccleſia. Et quid de nihil habentibus in clerum ordinatis decernant Africæ provinciæ canones, conſtat eſſe notiſſimum.

*Hincmarus Laudunenſis inops ante epiſcopatum.*

*Conc. Carthag. III can. 32.*

Et quia propinqui ipſius Hincmari ſunt, qui cum aliis facultates eccleſiaſticas fuga lapſi aſportaverunt: & per diverſa loca libri & facultates de ipſa eccleſia ab Hincmaro per diverſos latenter dicebantur eſſe commendata, lecta eſt etiam hæc quæ ſequitur ſententia canonum. *Epiſcopus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ad diſpenſandum erga omnes qui indigent, cum ſumma reverentia & timore Dei. Participet autem & ipſe quibus indiget, ſi tamen indiget; tam ſuis, quam fratrum qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturus: ita ut in nullo qualibet occaſione fraudentur, juxta ſanctum apoſtolum ſic dicentem: Habentes vitam & tegumentum, his contenti ſimus. Quod ſi contentus iſtis minime fuerit, convertat autem res eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos; & ejus commoda, vel agrorum fructus, non cum presbyterorum conſcientia diaconorumque pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis, aut propinquis, aut fratribus, filiiſque committat, ut per hujuſcemodi perſonas occulte cetera lædantur eccleſiæ: ſynodo provinciæ pœnas iſte perſolvat. Si autem & aliter accuſetur epiſcopus, aut presbyteri qui cum ipſo ſunt, quod ea quæ pertinent ad eccleſiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet eccleſiaſtica facultate, ſibimet uſurpent: ita ut, ex hac affligantur quidem pauperes; criminationi vero & blaſ-*

*Epiſcopus quatenus res eccleſiæ in ſuos & propinquorum uſus poſſit convertere.*

*Conc. Antioch. can. 25.*

*1. Timot. 6.*

PARS IV.

*blaſphemiis tam forma prædicationis, quam hi qui diſpenſant taliter, exponantur: & hoc oportet corrigi a ſancta ſynodo, id quod condecet approbante.* Et poſt hanc lectionem, Hincmarus Laudunenſis epiſcopus de ſinu ſuo producens præfatam crucem, reddit eam * Yrmioni theſaurario Laudunenſis eccleſiæ.

** Cor. Yrminoni.*

## CAPUT VI.

*Juſſus ad objecta reſpondere, Hincmarum metropolitanum judicem recuſat per calumniam, quæ ſtatim publice revincitur.*

ET his quæ ſupra diximus legaliter ac regulariter probatis atque oſtenſis, Hincmarus metropolitanus epiſcopus Hincmaro Laudunenſi epiſcopo dixit. Frater Hincmare poſt tantas commonitiones, ſicut præcipiunt regulæ, ad objecta tibi reſponde: quia ſicut ſanctus dicit Gelaſius, *ideo ad ſynodum vocatur certa quæcumque perſona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis.* Frater Hincmarus reſpondit. Tua juſſione non reſpondebo, nec judicium tuum recipiam, quoniam adverſum te habeo; unde apoſtolicam ſedem appello. Cui Hincmarus metropolitanus epiſcopus reſpondit. Non habes contra me aliquid cauſæ, ut me aliquo poſtponere debeas, & recipere judicium meum non debeas: quia licet te ſæpiſſime verbis & ſcriptis de certis cauſis commonuerim, ut reſipiſceres; & de certis cauſis te præmonuerim, ut præparatus eſſes ad objecta tibi in ſynodo reſpondere: nullum tamen tibi præjudicium intuli, nec adhuc te in ſynodo judicavi, ut ob hoc, ſedis apoſtolicæ judicium, bonam te putans habere cauſam, per antiquorum patrum canones expetere debeas: ſicut B. Gregorius ad * Vincentium & ceteros epiſcopos ex ſacris canonibus promulgavit. Et accuſatus in ſynodo per ſcripturam a certis perſonis, & de certis cauſis, non potes legaliter ac regulariter me, vel quemcumque alium de quacumque cauſa in judicio ſynodali impetere, uſque dum legaliter ac regulariter exutus fueris ab his quæ ſunt tibi oppoſita, prout ſacræ regulæ ac leges demonſtrant. Suſcipies igitur de quibus oppoſita ſunt tibi, ſi ab eis exuere te non poteris, regulare judicium: reſervato per omnia juris privilegio, atque judicio Romanæ ſedis pontificis, ſicut ſacri Sardicenſes præcipiunt canones: & poſt judicium, ſi appellare volueris, cum tua appellatione ad illius examinis perges diffinitionem, nobis ei ſcribentibus, qui juxta ſacras regulas cauſam examinavimus. Quia ſic conſonantes regulis, domni Hadriani mihi & tibi epiſtolæ directæ præcipiunt. Et ecce epiſtola, quam mihi direxit: & exemplar iſtius epiſtolæ, quam tibi direxit. Et relectæ ſunt in ſynodo ipſa epiſtolæ.

*Greg. l. 7. indict. 2. epiſt. 8.*
** al. Innocentium.*
*Iterum Hadriani lecta epiſtola.*

Poſt quarum lectionem, dixit Hincmaro ſynodus. Frater Hincmare, ſecundum præceptionem domni Hadriani papæ, eſto obediens juxta ſacras regulas tuo metropolitano, & ad objecta reſponde: ſalvo ſedis apoſtolicæ proclamandi judicio, ſicut ipſa domni papæ jubet epiſtola: & ſic tua vota, ſi vere vota fuerunt, implere non differes. Ad hæc Hincmarus reſpondit. In iſta habetur epiſtola mihi directa, ut vota mea eundi Romam amodo non differam, & ad ipſam apoſtolicam ſedem me ire velle, appello. Cui ſynodus reſpondit. In- [illegible] epiſtolæ ipſius domni papæ, & ſecundum ordinem in ea taxatum tua vota implendo ad apoſtolicam ſedem perge; id eſt, ſicut in eadem continetur epiſtola, *metropolitano tuo per omnia ſecundum ſacros canones ſubjectus exiſte: neque moleſte feras hunc tibi eſſe prælatum, qui te noſti tuis ovibus eſſe præpoſitum. Quin potius obedientiam, quam a tuis exigis, etiam ipſe metropolitano tuo, ſalvo dumtaxat ſedis apoſtolicæ ſynodico proclamandi judicio; canonica lege dependens*, reſponde ad tibi objecta, ſicut metropolitanus tuus, & hæc ſancta ſynodus, auctoritate ſacrorum canonum, & domni apoſtolici Hadriani papæ jubet. Et tunc ſi neceſſe tibi fuerit, ſecundum regulas, ſedem apoſtolicam appellare, ſicut præcipiunt canones, & epiſtola ipſius domni papæ, appellationem tuam proſequere. Et ſi tibi appellare neceſſe non fuerit, & aut voluntarius, aut a ſede apoſtolica vocatus, illuc ire volueris, ſicut jam tibi dictum eſt, 40 cum licentia domni regis, & noſtræ fraternitatis unanimitate religioſum iter illud aggredere. Ad hæc Hincmarus reſpondit. Nulli objectioni in hac ſynodo reſpondebo, & meum metropolitanum judicem non recipiam, quoniam adverſum illum habeo, quia me a rege in cuſtodiam mitti fecit.

ANNO CHRISTI 871.

Tunc Hincmarus metropolitanus epiſcopus ſurrexit, & coram ſynodo, domno regi dixit. Domne rex, peto dignationem veſtram, ut coram iſta ſancta ſynodo dignetur clementia veſtra dicere, ſi meo conſilio, vel meo conſenſu, ſicut frater Hincmarus ſuper me dicit, eum in cuſtodia aliqua religaſtis, vel miſiſtis. Ad quem domnus rex cum multa obteſtatione nominis domini, & in fide ſua quam Deo debet, teſtificatus eſt, quod nec conſilio, nec conſenſu ipſius Hincmari metropolitani epiſcopi, Hincmarum Laudunenſem epiſcopum in quacumque cuſtodia religavit, vel miſit, nec cum inde aliquid interrogavit: ſed ſi pro ejus reverentia hoc non dimiſiſſet, jam duo anni tranſierunt quod in artiſſima, & longiſſima a Laudunenſi eccleſia cuſtodia eum religaret; quia ſuas inſolentias ſufferre non poterat. Et niſi ipſe illum inſolentem epiſcopum a ſuis quamplurimis fidelibus eripuiſſet, ipſi illum etiam de palatio ſuo violenter abſtrahere, & aut membrorum demptione deturpare, aut uſque ad mortem cædere diſpoſuerunt, propter ſuas inſolentias, & dehonorationes ac violentias, quæ non ſolum illis, ſed & ſuæ regiæ dignitati adeo tam multipliciter ac frequenter inferebantur, ſicut nullus epiſcoporum unquam in iſto regno aut regi, aut regni primoribus hactenus intulit. Et licet, ſicut S. Leo, ad Anatolium ſcripſit, *ſufficere poſſet atteſtatio principis Chriſtiani* cauſæ *cui tam venerabilis * aſſertio acceſſerit*; idem tamen Hincmarus metropolitanus epiſcopus, converſus ad epiſcopos, Hodonem ſcilicet, & Hildebaldum, qui tunc ibi erant, ſicut & Otulfus, qui ad ſynodum propter infirmitatem venire non potuit, precatus eſt eoſdem epiſcopos, ut in amore veritatis quæ Chriſtus eſt, quid inde ſcirent, veraciter ſynodo reſponderent. Qui coram ſynodo teſtificati ſunt, in veritate & ſacerdotio ſuo, quia conſilio, vel conſenſu, ſeu hortamento Hincmari metropolitani epiſcopi, Hincmarus Laudunenſis epiſcopus a domno rege cuſtodiæ mancipatus non fuit. Similiter & Sigemundus presbyter & abba, & Agenulphus presbyter, & Angelramnus, atque Eiricus comites, & illuſtres viri, & alii quamplurimi teſtificati ſuper, qui tunc cum rege fuerunt, quando eundem Hincmarum, ut corrigeretur, & a gradu non caderet, rex cuſtodiæ mancipavit: quoniam ab eo nec hoc potuit obtinere, ut vel verbo diceret, ſi ad ſynodum tunc proxime futuram, venire debuiſſet: & multorum oribus dicebatur, quia eccleſiam & plebem ſibi commiſſam vellet deſerere, & ad Hlotarium nepotem ſuum ire, & in regno ſuo vellet honores obtinere.

*Calumnia convincitur [illegible]*
*Hincmar. [illegible] cap. 45 p. 555.*
*Rex & epiſcopi [illegible] Hincmarum [illegible]*
*S. Leo ep. [illegible]*
** al. aſſertio [illegible]*
*Clerici & [illegible]*

41 Et poſt tantorum ac talium virorum teſtificationem, quia Hincmarus Laudunenſis epiſcopus falſo metropolitanum ſuum calumniatus erat: judicavit ſynodus, Hincmarum metropolitanum epiſcopum ab hac calumnia exutum, & purgatum; & Hincmarum Laudunenſem epiſcopum, ut calumniatorem judicari debere: & quia ejuſdem metropolitani ſui judicium regulare non poſſet rejicere.

*Hincmarus Remenſis abſolvitur, & Laudunenſis calumniator judicatur.*

## CAPUT VII.

*Interrogatus de ſingulis accuſationis capitibus, neque ad illa reſpondens, teſtibus convincitur.*

TUm ſancta ſynodus dixit Hincmaro metropolitano epiſcopo, ut jubeat Hincmarum epiſcopum Laudunenſem, quatenus ad objecta ſibi regulariter reſpondeat. Et a ſynodo monitus Hincmarus metropolitanus epiſcopus dixit Hincmaro Laudunenſi epiſcopo. Frater Hincmare, profer petitionem proclamationis adverſum te a domno rege ſynodo porrectam, & reſponde regulariter ad tibi objecta. Hincmarus autem Laudunenſis epiſcopus dixit, eamdem petitionem in ſinu ſuo habere: quam dum proferre non vellet, exemplar ipſius petitionis Hincmarus metropolitanus epiſcopus per ſingula juſſit relegi in ſynodo.

*Regis petitio contra [illegible] publice recitata.*

Et primum relecto tenore juramenti a ſe domno regi præſtiti, interrogavit eum Hincmarus metropolitanus epiſcopus, ſi tale juramentum domno regi feciſſet? Qui noluit reſpondere utrum ita juraſſet, an non: 42 ſed tantum dixit, quia non * fuerit ibi, quando juravit, quatuor euangelia. Unde a multis ibidem probatum fuit, quia non verum dixerit. Deinde dixit, quia infidelitatem regi juravit, quam & attendit. Dixit etiam ſe ſcriptum habere qualiter juravit. Et juſſus proferre idem ſcriptum, dixit ſe illud ſecum non habere; nec habere cum quibus ſe idoneum poſſet reddere, de his quæ illi objiciebantur: cum presbyteros, & diaconos ſuæ eccleſiæ, ſed & liberos laicos plures ſecum haberet.

*De juramento regi præſtito.*
** forte fuerint.*

Et ſuperadjecit, 43 ut quilibet illi quæcumque vellet objicere, iret cum illo Romam, & in domni apoſtolici judicio quæ voluerit illi diceret. Et hoc etiam in ſuis ſcriptis dicit. Quod quam ſit contra leges & canones dictum, nemo qui neſciat. Dicunt enim leges, ut ultra provinciæ terminos accuſandi licentia non progrediatur. oportet enim illic criminum judicia agitari, ubi facinus dicatur admiſſum. Et Carthaginenſes canones: *Placuit ut accuſatus, vel accuſator in eo loco, unde eſt ille qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat proximum, quo non ſit difficile teſtes producere, ubi cauſa finiatur.* Quod capitulum ſanctus Gregorius in regeſto, & Africanum concilium ad Cæleſtinum ſcribens, non pro accuſato, ſed pro ab accuſatore teſtibus producendis decretum fuiſſe demonſtrant: cum oſtenditur ratum judicium eſſe debere, quo teſtium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, vel pro aliis impedimentis, ad locum proximum poſſunt adduci: quia convinci nemo niſi aut ſcriptura, aut teſtibus poteſt. Et Sardicenſes canones, epiſcopum a congregatis regionis epiſcopis de gradu ſuo dejectum, a finitimis epiſcopis cum ejuſdem provinciæ epiſcopis, apoſtolicæ ſedis auctoritate, vel cum a latere ſuo directo, in provincia in qua cauſa ventilata, & judicata eſt, jubent audiri. Et hinc ſanctus Gregorius ad Columbum Numidiæ epiſcopum dicit: *Indicamus*, inquiens, *ſanctitati veſtræ veniſſe ad nos * quemdam, Petrum nomine, qui ſe aſſerit fuiſſe epiſcopum; atque cauſæ ſuæ a nobis remedium poſtulaſſe. Et prius quidem retulit, quæ digna miſeratione eſſe potuiſſent: ſed requirentes poſtea, multo aliter quam indicavit, invenimus: & vehementer nos ejus actio triſtavit. Sed quia cauſæ ejus interna ſubtiliter nequaquam addiſcere tam longo itineris intervallo disjuncti potuimus: eam, incerti quippe, diffinire nequivimus.* Et paulo poſt. *Quia ergo præſentes, ſubtilius cauſam poteſtis ſcire, hortamur ut ita eidem Petro ſervare quicquid juſtum canonicumque fuerit debeatis: quatinus & rectitudinis vigor a vobis in omnibus impleatur, & cauſa ipſius ſecundum Dei timorem, & eccleſia videatur regulas judicata.* Quia vero leges pro eccleſia & eccleſiaſticis, vel de eccleſia & eccleſiaſticis, ſeu eccleſiæ ac eccleſiaſticis, ab imperatoribus & regibus promulgatas, regulæ ſacræ ab eccleſiaſticis judiciis non repellunt: ſed ubi ab eccleſiaſtica religione non diſcordant, conjunctim in judiciis proferre, & ſecundum eas judicari præcipiunt: S. Leo in epiſtola ad Leonem Auguſtum etiam tantus pontifex de ſe dicit: *Secundum apoſtolum*, inquiens, *ſi qua deſtruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo, & eis me ultionum conditionibus ſubdo, quas non ſolum auctoritas beatæ memoriæ principis Marciani, ſed etiam ego mea conſenſione firmavi.* Et ſanctus Gregorius ad Natalem archiepiſcopum. *Quæ ſunt legibus canonibuſque placita decernantur.* Et ſic multoties in regeſto idem beatus inculcat Gregorius.

*Prima cauſæ cognitio extra provinciam fieri non poteſt.*
*Canones ſæpe citati. V. Anton. Auguſt. l. 30. c. 7.*
*Greg. l. 5. ep. 16. & l. 12. ep. 13. Conc. Afric. ad Cæleſtin. pap.*
*Ob teſtium infirmitatem.*
*Conc. Sardic.*
*S. Gregorius cauſam remittit ad provinciam. l. 5. ep. 36.*
** al. quemdam hominem.*
*S. Leo ſæpe cit.*
*Greg. l. 2. indict. 11. ep. 8.*

Et licet idem Hincmarus in familiari ſua contumacia permanens fateri noluiſſet, quod ita, ut in petitione domni regis habetur, juraſſet: multorum tamen teſtium idoneorum teſtimonio eſt comprobatus ita juraſſe: quia coram epiſcopis, & presbyteris, & diaconibus, & quamplurimis laicis juramentum illud peregit.

De ſubſcriptione autem ſuæ profeſſionis interrogatus, ſi hanc profeſſionem a ſe ſubſcriptam, regi, ſicut in petitione illius continetur, donaverit? Reſpondit: *Si forte eidem petitioni ſubſcripſi, utique attendi.* Sed ſuis actibus, & idoneorum teſtium eſt teſtimonio comprobatus, profeſſionis ſuæ ſubſcriptionem non conſervaſſe.

*De ſubſcriptione profeſſionis.*

De aliis autem ſingillatim interrogatus, reſpondere nihil voluit: ſed ex verbis, & ſcriptis, ac ſubſcriptionibus ſuis, & idoneorum teſtium teſtificatione, de ſingulis quæ in eadem petitione continentur, eſt coram ſynodo comprobatus atque convictus. Scilicet quia, ſicut in ſcriptis ſuis, quæ habemus, ipſe fatetur, & teſtium veridicorum teſtimonio in ſynodo eſt comprobatum, auctor, & incentor ſeditionum extitit: & poſt juramenta domno regi præſtita, & ſubſcriptionem illi datam de fide-

*De ſeditione.*

PARS IV.

*De pervaſione.*

fidelitate & obedientia ei ſervanda, rerum proprietatis ejus pervaſor, & ſuis verbis, ac ſcriptis, & teſtium idoneorum teſtimonio comprobatus, perjurii reatu revictus, & contra ſubſcriptionem ſuam, quam domno regi de ſervanda fidelitate, & obedientia dedit, veniſſe probatus eſt. Sed & poſt juramenta domno regi præſtita, & profeſſionem ac ſubſcriptionem illi datam, de fidelitate & obedientia ei ſervanda: de rebus epiſcopii Laudunenſis, ab eodem epiſcopio a longo tempore abſtractis, & ſuo præcepto eidem epiſcopio redditis, inſuper & aliis ſuæ proprietatis rebus traditis, quas laicorum petitione, ſicut ipſe Hincmarus in ſuis ſcriptis fatetur, ſine conſcientia ſui metropolitani, ac coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ, vel comminiſtrorum eccleſiæ, contra ſacras regulas eidem regi conceſſit, ut eas Nortmanno beneficiaret, latenter & mendaciter per calumniam ad ſedem apoſtolicam eum accuſare direxit: ſicut & in ſcriptis ſuis, quæ habemus, & veridicorum teſtium teſtimonio in ſynodo eſt comprobatum. Sed & homines ſuos liberos, contra juramentum domno regi præſtitum, perjurare fecit, & ſacrilegum ſe eſſe in ſuis ſcriptis ipſe profeſſus eſt. Et de inobedientia poſt ſacramenta præſtita, & profeſſiones ac ſubſcriptiones a ſe regi datas, quia denegare non potuit, comprobatus extitit. Regis quoque infideles, contra eccleſiaſticam auctoritatem armata manu defendit, ne ſecundum leges ad reddendam rationem veniret: ipſoſque infideles fraudulenter ac latenter a ſe cum facultatibus eccleſiaſticis emiſit. In ſynodo etiam decem provinciarum epiſcoporum eſt comprobatus, quia omnes presbyteros & miniſtros eccleſiæ ſibi commiſſæ, non accuſatos, nec confeſſos atque convictos de quocumque crimine, ſed cauſa ſuæ injuriæ excommunicavit, ut miſſam presbyteri non cantarent: & nemo parvulos, etiam in mortis urgentis periculo conſtitutos, baptizaret: nemo ad ultimam pœnitentiam aliquem ſuſciperet, necnon viatico munere ulli ſubveniret: nulli mortuo ſepulturæ humanitatem exhiberet. Et inde literis a metropolitano ſuo ter commonitus, ut hanc impietatis ligationem ſolveret: obedire illi, contra ſuam profeſſionem, contempſit: ſicut in literis, quæ ante geſtorum ſeriem præmittuntur in hoc opuſculo, demonſtratur.

*De distractione rerum eccleſiaſticarum.* — *De calumnia in regem.* — *De ſacrilegio.* — *De inobedientia erga regem.* — *De infidelitate.* — *De illicita excommunicatione.* — *De inobedientia erga metropolitanum.* — Non extant.

Libellum etiam idem Hincmarus Laudunenſis epiſcopus in ſynodo epiſcoporum decem provinciarum obtulit: cui ſine metropolitani ac coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ conſcientia & conſenſu, contra ſacras regulas ſubſcripſit, & a clericis eccleſiæ ſuæ, ac a parochianis presbyteris ſubſcribi, contra profeſſionem ac ſubſcriptionem ſuam veniens, fecit. Quem libellum & præterito, & hoc anno, in ſynodo inſpeximus; & ſubſcriptionem ſuam, ac ſuorum conſpeximus. Sed & ipſe ſe eidem libello ſubſcripſiſſe, in ſcriptis ſuis non denegat. In quo inter cetera ſubſcripſit, *ut delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur*. Et defendi, & protegi ſe obtendit de verbis S. Innocentii, qui dicit, gladium vindicem judicibus traditione apoſtolica permiſſum a Deo. Cum licet S. Cyprianus & Innocentius ex apoſtolica ſententia judiciariæ poteſtati gladium legaliter vindicem dicentes eſſe permiſſum; non tamen ipſi, vel quiſquam catholicorum epiſcoporum, ſicut Hincmarus, ſubſcripſit, ut qui ſuæ diſciplinæ (... ut delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur) ſocius fieri nollet, ſuæ communionis particeps non eſſet. In eodem etiam libello, ſed & in alio a ſe collecto, & a ſua profeſſione, adulterator verborum & ſcripturarum catholicarum eſt comprobatus: Sed & contemptor privilegii ſuæ metropolis, contra ſacram Nicænam ſynodum, contraque cetera ſancta concilia, & decreta ſedis apoſtolicæ, multipliciter & ſuis ſcriptis ac ſubſcriptionibus, & verbis, & epiſtolis ſui archiepiſcopi eſt comprobatus: & contumax contra ſacras regulas, & domni apoſtolici mandata revictus. Præterea quæ multifarie multiſque modis, & in epiſtolis commonitoriis ſui metropolitani, & in ſuis ipſis ſcriptis quæ habemus, & coram nobis relecta ſunt, & in plurimorum petitionibus continentur: de quibus, his noſtris judiciis nihil inſeruimus, exceptis his de quibus in noſtra ſynodo fuit revictus & comprobatus: quia propter brevitatem temporis, & varias occupationes, tantum in ſynodo remorari nequivimus, ut de ſingulis ſingillatim ejus pertinax contumacia legaliter ac regulariter terminaretur.

*De integralis libelli ſubſcriptione.* — *De adulteratione librorum.* — *De contemptu privilegii. De contumacia.*

44 Et quia iſdem Laudunenſis Hincmarus, ſine ratione & auctoritate, non ſolum ſine epiſcopali gravitate, verum etiam ſine Chriſtiana modeſtia, ſuis clamoribus ſynodo obſtrepebat: iterum atque iterum ſynodus Hincmaro metropolitano dixit, ut ei regulariter præciperet, ad objecta ſibi, ſecundum ſacras regulas reſpondere. Cui iſdem Hincmarus metropolitanus dixit: Frater Hincmare, hæc ſancta ſynodus, & mea humilitas, auctoritate Dei, & ſacrorum canonum, & domni Hadriani papæ, & metropolitana ſolicitudine, tibi præcipimus, ut ſecundum ſacras regulas ad objecta tibi reſpondeas. Et reſpondente Hincmaro, quia nulli objectioni in eadem ſynodo reſponderet: uſque tertio Hincmarus metropolitanus epiſcopus Hincmaro Laudunenſi epiſcopo hæc eadem inculcavit: & eodem Hincmaro Laudunenſi in ſua pertinacia contumaciter permanente, ſancta ſynodus dixit, dignum eſſe ut in eumdem Hincmarum Laudunenſem epiſcopum ſententia contumacis proferretur. Sicque Hincmarus metropolitanus epiſcopus ſanctæ ſynodo dixit.

## CAPUT VIII.

*Hincmarus metropolitanus patres rogat ſententiam.*

SAnctitas veſtra, domini fratres, audivit quid in petitione domni regis adverſus Hincmarum Laudunenſem epiſcopum contineatur: quam, detrectante venire eodem Hincmaro ad hanc ſynodum, ad quam tertio regulariter fuit evocatus 8. Idus Auguſtas præſentis 4. indictionis, porrexit in ſynodo. Quæ iterum per ter, ternis, epiſcopis, ac ternis presbyteris, terniſque diaconibus * eumdem Hincmarum ad hanc ſynodum evocatum, in præſentia illius eſt a domno rege porrecta, & coram eo relecta, atque data, ut eam diligenter inſpiceret, & ſingillatim ad ſingula regulariter reſponderet. Et poſt datas ſibi inducias nunc regulariter reſpondere contemnit. Audiſtis etiam ex ſcriptis, & ſubſcriptionibus, ac verbis ipſius Hincmari, per quanta & qualia contra epiſcopalem ordinem, & eccleſiaſticam diſciplinam exceſſit: & adverſus quanta & qualia regularum ſacrarum judicia ſuæ per plures annos, ab ipſo etiam ordinationis ſuæ initio, multoties ac multipliciter correptus, ſed non correctus: quin potius adverſus ſacros canones ſe pertinaciter erigens, canonicam in ſe proferri ſententiam elicuit. Unde quid veſtræ ſanctitati videatur, edicite.

*Synodus per commonitoria evocatus.* — * *deeſt in*

ANNO CHRISTI 871.

## CAPUT IX.

*45 Patres concilii adverſus Hincmarum Laudunenſem epiſcopum ſententiam dicunt.*

*Judicatur ut ſeditioſus.* — 2. Tim. 2.

HArduicus Veſontionenſium archiepiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, contra regulam apoſtolicam dicentem, *Nemo militans Deo, implicet ſe negotiis ſecularibus*, auctor & incentor ſeditionum, & ſuis verbis, ac ſcriptis, & teſtium veridicorum teſtimonio comprobatus, depoſitione dignus a ſacris regulis judicatur: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Ut pervaſor & perjurus.*

Frotharius Burdegalenſium archiepiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, poſt juramenta domno regi præſtita, & ſubſcriptionem illi datam de fidelitate & obedientia ei ſervanda, rerum proprietatis ejus pervaſor, & ſuis verbis, ac ſcriptis, & teſtium veridicorum teſtimonio comprobatus: perjurii quoque reatu revictus: & contra ſubſcriptionem ſuam, quam domno regi de ſervanda fidelitate & obedientia dedit, veniſſe probatus, ſecundum tramitem ſanctarum ſcripturarum traditionemque majorum juxtaque ſacros canones, non ſolum gradus amiſſione dignus a ſacris regulis & legibus judicatur, ſed & ſecundum decreta Gregorii, anathema eſſe decernitur.

*Ut calumniator.*

Vulfadus Biturigenſium archiepiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, poſt juramenta domno regi præſtita, & profeſſionem, ac ſubſcriptionem illi datam, de fidelitate & obedientia ſui ei ſervanda, & de rebus epiſcopii Laudunenſis ab eodem epiſcopio a longo tempore abſtractis, & ſuo præcepto eidem epiſcopio redditis: inſuper & aliis ſuæ proprietatis rebus traditis, quas laicorum petitione, ſicut ipſe Hincmarus in ſuis ſcriptis fatetur, ſine conſenſu ſui metropolitani ac coepiſcoporum eccleſiæ ſuæ, contra ſacras regulas, eidem regi conceſſit, ut eas Nortmanno beneficiaret: latenter, & mendaciter per calumniam, antequam eumdem regem inde in ſynodo epiſcopali compellaret, ad domnum apoſtolicum, miſſum ſuum Celſanum, ut diſtractorem rerum eccleſiaſticarum accuſare direxit: ſicut & in ſcriptis ſuis, & veridicorum teſtium in ſynodo coram nobis eſt teſtimonio comprobatum. Quapropter ſecundum ſacras regulas & leges, ut calumniator, epiſcopalis gradus amiſſione multari debet: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Ut regi infidelis.*

Bertulfus Trevirenſium archiepiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus poſt juramenta domno regi præſtita, & ſubſcriptionem illi datam de fidelitate & obedientia ei ſervanda, homines liberos qui fidelitatem eidem domno regi juraverunt, & quod de regno illius ſine ſua licentia, & in ſua infidelitate non exirent, & ullum miſſaticum in illius infidelitate uſquam non portarent, in ipſius domni regis infidelitate, falſo eum accuſare miſiſſe manifeſtiſſimis documentis eſt comprobatus. Quapropter ſecundum ſanctarum ſcripturarum tramitem, traditionemque majorum, gradus epiſcopalis depoſitione dignus addicitur: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.





PARS IV.

*Ut ſacrilegus.*

Adalardus Rothomagenſium archiepiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, in ſcriptis ſuis dicit, quia ſi taceat, & non decertet, ſi non quibus valet viribus inſiltat, ut villam Pauliacum recipiat, ſacrilegium a ſe fieri reputet, ipſe prodit ſe ſacrilegium perpetraſſe, quando ad petitionem laicorum, ſicut ipſe ſcribit, eamdem villam ſine conſcientia ſui metropolitani, & coepiſcoporum, ac ſuæ eccleſiæ comminiſtrorum, contra regulas abrogavit: & manifeſtus ſacrilegus tractare ſancta in epiſcopali officio a ſacris regulis non permittitur: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Ut regi inobediens.* — Gregor.

Anſegiſus Sennenſis archiepiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, poſt juramenta domno regi præſtita, & profeſſionem manu ſua ſubſcriptam in ſynodo decem provinciarum, de fidelitate & obedientia illi ſervanda, ſine ſua licentia fuga lapſus ab Attiniaco ejus palatio diſcedens, ab eo mandatus, ut veniret, & rationem redderet, de his unde accuſatus erat, & ad regem, ſicut jam & aliis vicibus obedire illi ut veniret contempſit: non ſolum inobedientiæ & infidelitatis notam, ſed & alia crimina pertinaci contemptu incurrit: ſicut ſacra ſcriptura, & ſanctus demonſtrat Gregorius: *Quaſi ariolandi peccatum eſt*, inquit, *repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle adquieſcere*. Et, *ſola eſt quæ fidei meritum poſſidet obedientia, ſine qua quiſque infidelis convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur*. Quibus revictus verbis iſdem frater in epiſcopali ordine regulariter manere non poteſt: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Ut ſuæ profeſſionis violator.* — S. Leo ep. 92.

Acthardus provinciæ Turonenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus contra profeſſionem, & ſuam ſubſcriptionem, quam in ſynodo decem provinciarum porrexit, veniens comprobatus, ipſe a ſacris canonibus ſe honore privaſſe decernitur. Unde poſt tot, & tantos exceſſus, ſicut admiſiſſe probatur, velut S. Leo decernit, *ad promerendam miſericordiam Dei, eſt illi expetenda ſeceſſio: unde & ſatisfactio ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa*: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Ut qui regi reſtitit armata manu.* — Rom. c. 13. — Innocent. ep. 3. — * *leg. reſiſtendum.*

Franco Tungrenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, regiæ poteſtati, & juſſis ejus armata manu reſtitiſſe, ne liberos homines qui de regia infidelitate reputabantur, ſecundum legem, & antiquorum conſuetudinem per fidejuſſores mitterentur, & ſuis verbis, & teſtium veridicorum teſtimonio in ſynodo comprobatus, apoſtolico beati Pauli judicio condemnatur: qui præcepit ut *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Et hinc ſanctus Innocentius decrevit, poteſtatibus ad vindictam noxiorum ab eccleſiaſticis non reſiſtendis *, *ne diſciplinam evertere, aut contra auctoritatem domini venire videamur*. Quibus decretis & apoſtoli, & apoſtolicæ ſedis pontificis, quoniam iſdem frater contraire præſumpſit, ipſe in ſe damnationis ſententiam proferri elicuit: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Ut perjurus & infidelis.*

Hildegarius Meldenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, poſt juramen-

*PARS IV.*

ramenta domno regi præſtita, & profeſſionem, & ſubſcriptionem illi datam de fidelitate & obedientia ei ſervanda, homines liberos, qui de infidelitate regia reputabantur, emiſiſſe a ſe ſuis verbis in ſynodo comprobatus, apoſtolico, & apoſtolicæ ſedis pontificis Gelaſii judicio percellitur: qui ſcripſit ad Anaſtaſium, *apoſtolus*, inquit, * *qui non ſolum non facienda faciunt reos videri, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Legibus certe veſtris criminum conſcios, ſuſceptoreſque latrocinantium par judiciorum pœna conſtringit; nec expers facinoris æſtimatur, qui licet ipſe non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœduſque receperit*. Unde iſdem frater, qui infideles ne ad rationem venirent abduxit, perjurii, & infidelitatis, ac refragationis ſuæ profeſſionis & ſubſcriptionis triplici reatu revictus, epiſcopi ordine eſt privandus: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Gelaſ. ep. 8. cit.*
** al. non ſolum quæ*

*Ob injuſtam excommunicationem, & inobedientiam erga metropolitanum.*

Adventius Metenſium epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, in ſynodo epiſcoporum decem provinciarum coram nobis eſt comprobatus, quia omnes presbyteros, & miniſtros eccleſiæ ſibi commiſſæ, non accuſatos, nec confeſſos, neque convictos de quocumque crimine; ſed cauſa ſuæ injuriæ excommunicavit: ut miſſam presbyteri non cantarent, & miniſtri nullum miniſterium eccleſiaſticum exhiberent. Et inde literis a ſuo metropolitano ter commonitus, ut hanc tam irregularem excommunicationem ſolveret, contra ſuam profeſſionem, quam ante ordinationem ſuam coram multis teſtibus, de fidei catholicæ & ſacrorum canonum obſervatione & obedientia erga ſuæ metropolis privilegium ordinatori ſuo porrexerat, obedire illi contempſit. Qua de re juxta ſacras regulas debet honore privari: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Ob eaſdem cauſas.*

Giſlebertus Carnotenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, in ſynodo epiſcoporum decem provinciarum coram nobis eſt comprobatus, quia contra evangelicam veritatem, & apoſtolicam traditionem, contraque ſacras regulas prohibuit, ut nemo parvulos in ſua parochia, etiam in mortis urgentis periculo conſtitutos, baptizaret: nemo ad ultimam pœnitentiam aliquem ſuſciperet: nemo viatico munere ulli ſubveniret: nulli mortuo ſepulturæ humanitatem exhiberet. Et inde literis a metropolitano ſuo ter commonitus ut hanc impietatis colligationem ſolveret, obedire illi contra ſuam profeſſionem contempſit. Qua de re juxta ſacras regulas debet honore privari: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Quia mortis judicio ſubſcripſit.*

Hodo Belgivacenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, libellum coram nobis obtulit in ſynodo epiſcoporum decem provinciarum, cui ſine metropolitani ac coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ conſcientia & conſenſu, contra ſacras regulas ſubſcripſit; & a clericis eccleſiæ ſuæ atque a parochianis presbyteris ſubſcribi contra profeſſionem, & ſubſcriptionem ſuam veniens fecit. Et in eodem libello, qui in præſenti habetur, contra evangelicam, & apoſtolicam, atque canonicam auctoritatem ſubſcripſit, & ſubſcribi a miniſtris eccleſiæ ſuæ fecit, ut delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Et S. Ambroſius ad Valentinianum imperatorem ſcripſit, *Vox*, inquiens, *tua*, *manus tua*, & *ſubſcriptio tua, opus eſt tuum*. Et quia mortis judicio ſubſcripſit, & ſubſcribi contra epiſcopalem ordinem fecit, ipſe in corpore vivens deſungi ſacerdotio debet adjudicari: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Ambroſ.*
*ANNO CHRISTI 871.*

Rageneſmus Tornacenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, in eodem libello, qui in præſenti habetur, ſacrarum ſcripturarum ſenſum adulteravit, & verba catholicorum impoſturavit. Unde ſententiam depoſitionis, quam in ſanctis conciliis adulteratores & impoſturatores ſacrarum ſcripturarum ac verborum catholicorum ſuſceperunt, meretur ſuſcipere: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

Eugenoldus Pictavenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus privilegii ſuæ metropolis, contra ſacram Nicænam ſynodum, contraque cetera ſancta concilia & decreta ſedis apoſtolicæ, contemptor, ab epiſcopali regimine deponi debet: qui non vult obedientiam quam a ſuis ſubditis exigit, prælato ſuo dependere: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

Joannes Camaracenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus die conſtituta ad ſynodum, ad quam regulariter primum regiis literis, & metropolitana ſolicitudine, inſuper & apoſtolicæ ſedis auctoritate ad certum locum & diem, de præſignatis ſibi a metropolitano ſuo pro loci ſui officio rebus, non in anguſto tempore fuerat evocatus; non venit. Domnus rex Carolus petitionem proclamationis adverſus eum porrexit in ſynodo, quæ coram eo relecta fuit. * Propterea per ter, ternis epiſcopis, ac ternis presbyteris, ternisque diaconibus tandem iterum vocatus venit. In cujus præſentia domnus rex iterum ſuam petitionem in ſynodo adverſus eum porrexit, quæ coram eo relecta fuit. Unde non ſicut eccleſiaſticus, ſed ſicut indiſciplinatus quilibet, ibi loquutus fuit: neque cum debita religione ſe continuit; ſed in calumnias, & contumeliationes atque convicia quorumdam epiſcoporum exarſit: & ea de quibus reputabatur, quandoquidem confitebatur, & quandoquidem iterum denegabat. Sed & de aliis talibus a ſe perpetratis, quibus tranſgreſſus eſt terminos, quos ſtatuerunt patres noſtri, ſe indignum epiſcopali ordine judicavit, & judicandum ſe nobis exegit: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Ob plures exceſſus.*

Vvaltharius Aurelianenſis epiſcopus dixit. Fratrem Hincmarum Laudunenſem epiſcopum de pluribus exceſſibus comprobatum, de quibus ſancti patres noſtri, per quos Spiritus ſanctus ſacras regulas promulgavit, in quibus de eiſdem exceſſibus canonica præfixere judicia, cum jam judicatum habent. Unde neceſſe eſt, ut & nos eorum proſequamur, & exſequamur judicia: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

Vvillebertus Catalaunenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, quia poſt tantas, ſicut in promptu eſt, correptiones, a ſua contra regulas ſacras pertinacia corrigi non poteſt, dicente domino, ut quilibet frater poſt tertiam correptionem non correctus ſit nobis ſicut ethnicus & publicanus, ab epiſcopali ordine dejici eſt judicandus: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

Hildebaldus Sueſſionenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, quia dicente Gelaſio, ideo ad judicium vocatur certa quæcumque perſona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis, quoniam ad objecta ſibi legaliter reſpondere contemnit, oportet, ut ſecundum ſacras regulas atque leges ſententiam ſuſcipiat contumacis: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.





*ANNO CHRISTI 871.*

*Ut domni apoſtolici contemptor.*

Berardus Viridunenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, quoniam ſicut domnus Hadrianus papa auctoritate ſancti Spiritus illi mandavit per epiſtolam ſuam, quæ ei eſt in hac ſynodo data atque relecta, ſecundum ſacras regulas, ſalvo ſedis apoſtolicæ ſynodico proclamandi judicio, metropolitano ſuo obedire contemnit, dignum eſt ut etiam de contemptu ipſius domni apoſtolici, ſalvo ſedis apoſtolicæ ſynodico proclamandi judicio, ſicut & ipſe ſcripſit, ejus auctoritate damnetur: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*Ut ſcandaloſus.*

Ingilvvinus Pariſiacenſis epiſcopus dixit. Frater Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, in epiſcopali ordine nomine manens, agendo multoties contra ſacras regulas traditionemque majorum, ſicut ex ſuis ſcriptis ac ſubſcriptionibus, & certiſſimis patet documentis, ſe ab epiſcopalis diſciplinæ ſocietate diſcrevit: & eccleſiæ ac eccleſiaſticis votis, atque regi & regno ſæpe ſcandala non mediocriter intulit. Colligat ſui fructum judicii, ſicut Dei [a] metus, & Dei ſapientia per Salomonem præcepit: *Ejice*, inquiens, *deriſorem, & exibit cum eo & jurgium, ceſſabuntque cauſa & contumeliæ*. Et per ſemetipſam dicit, *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Neque enim qui plantat, aut rigat, eſt aliquid, niſi incrementum dat Deus*: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

*a) Leg. virtus. it. Proverb. c. 22.*
*Matth. c. 15. 1. Cor. 3.*

*Deferens judicium metropolitano.*

Birico Dungrenſis chorepiſcopus dixit. Fratrem Hincmarum Laudunenſem epiſcopum multoties contra regulas ſacras agentem, & in ſua diutina contumacia permanentem, quia, ſicut ſanctus dicit Gregorius, *qui non corrigit reſecanda, committit*, metropolitanus & ordinator illius judicet eum primus, & nos ejus judicium regulariter proſequemur: ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio.

## CAPUT X.

*Hincmarus metropolitanus adverſus eundem Hincmarum Laudunenſem, ſententiam depoſitionis pronunciat ex ſcripto.*

*Prudens Hincmari cautio.*

Hincmarus Rhemorum epiſcopus dixit. Nunquam vellem in eum me judicare oporteret: & utinam nec ordinare contigiſſet, de quo ſemper timui, quod nunc video, poſtquam eum ſibi ſæculum rapuit, & ei frequenter ſcriptum prædixi: *Qui mentis eſt duræ, corruet in malum*. Sed quia ipſe ſibi judicium ferri exegit: veſtra unanimitas dicat, ſi ego pro præmiſſis cauſis eum judicavero, utrum vos illum mecum unanimiter judicabitis, an non? Et ſingillatim epiſcopis reſpondentibus, ſe illum una cum eo judicaturos: Hincmarus Rhemorum epiſcopus dixit. Et poſtquam ego judicio, ſecundum morem eccleſiaſticum ſubſcripſero, ſubſcribetis mecum eidem judicio? Reſponderunt, quia quod cum eo judicaverint, ſe juxta morem eccleſiaſticum fore ſubſcripturos. 46 Et tunc lectæ ſunt in ſynodo ab Adalgario diacono ſententiæ canonum, ita eo dicente: Sardicenſes canones decreverunt, *ut ſi aliquis epiſcopus judicatus fuerit in aliqua cauſa, & putet ſe bonam cauſam habere, ut iterum concilium renovetur, ſi vobis placet ſancti Petri memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his qui cauſam examinarunt, Julio Romano epiſcopo, & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices: ſi contra probaverit talem eſſe cauſam, ut non refricentur ea quæ acta ſunt; quæ decreverit, confirmata erunt*. Et Innocentius papa decrevit, *ut ſi majores cauſæ in medio fuerint devolutæ, ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit, & * vetus conſuetudo exigit, poſt judicium epiſcopale referatur*. Et Bonifacius papa dicit. *Nos per omnes provincias literas dirigemus, ne excuſationem ſibi ignorationis jure Maximus obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, & illic ſe conſtituto præſentare judicio. Quicquid autem veſtra caritas de hac cauſa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, noſtra, ut condecet, neceſſe eſt auctoritate firmetur*. Et S. Leo papa decrevit. *Si quæ*, inquiens, *alia emerſerint cauſæ, quæ ad ſtatum eccleſiarum, & ad concordiam pertineant ſacerdotum, illic ſub timore domini volumus ventilentur: & de componendis atque compoſitis omnibus ad nos relatio plena mittatur: ut ea quæ juxta eccleſiarum morem juſte & rationabiliter fuerint diffinita, * noſtra quoque ſententia roborentur*.

*Prov. c. 28.*
*PARS IV.*
*Conc. Sardic. can. 3.*
*Innocent. ep. 1.*
** al. beata conſuet.*
*Bonifac. ep. 3.*
*S. Leo ep. 87.*
** al. mea*

*Sententia in Hincmarum Laudunenſem.*

Tunc Hincmarus metropolitanus Rhemorum epiſcopus legens, dixit. Hincmarus Rhemorum epiſcopus Hincmarum hactenus eccleſiæ Laudunenſis epiſcopum evangelicæ veritati, atque apoſtolicæ auctoritati in pertinacia præſumptionis inlicitæ excommunicationis repugnatorem; & ſanctorum canonum venerandorum conciliorum, & decretorum ſedis apoſtolicæ, ex eiſdem ſacris canonibus promulgatorum, tranſgreſſorem; & eccleſiaſtici ordinis ac regularis diſciplinæ in contemptu privilegii ſuæ metropolis contra ſacram Nicænam ſynodum, contraque cetera ſancta concilia, & decreta ſedis apoſtolicæ novum impugnatorem: veternoſis fæcibus corruptum, ſeditionis ſcilicet Choræ, ac poſt Nicænæ ſynodi conſtitutionem, quorumdam ſubjectorum rebellionis contra potiores ſuos reſuſcitatorem; & contra ordinem eccleſiaſticum ac regularem diſciplinam profeſſorem ac ſubſcriptorem; necnon & canonicæ profeſſionis ac ſubſcriptionis ſuæ prævaricatorem; ſacræque ſcripturæ adulteratorem, & verborum catholicorum interverſorem, & impoſturatorem. Regiæ ſiquidem ſubjectioni, & honorificentiæ contra regulam apoſtolicam reſultatorem; perjurum quoque, ſeditioſum, & rerum alienarum ac facultatum pervaſorem, calumniatorem, ac injuriarum reum; & poſt tertiam vocationem a metropolitano ſuo ad ſynodum evocatum; itemque ab ipſa ſynodo per ter, ternis epiſcopis, ternisque presbyteris, ac ternis diaconibus iterum evocatum, in diutina contumacia ſua pertinaciter perſiſtentem, & non reſipiſcentem; & ad objecta ſibi regulariter reſpondere contemnentem. Per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cujus evangelicæ veritati, pertinaci præſumptione pernicioſæ excommunicationis repugnavit, judicio ſancti Spiritus, qui loquutus eſt in beatiſſimis apoſtolis, & apoſtolicæ ſedis pontificibus, quorum doctrinæ, atque decretis cauſa ſuæ injuriæ crudeliter & contumaciter obviavit, ſecundum ſacros ſanctorum conciliorum cano-

PARS IV.

canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, quibus ſæpe correptus, & non correctus, multotiens reſultavit: & ideo ipſe contra ſe elicuit canonicam damnationis proferri ſententiam: epiſcopali honore ac dignitate privatum judico, 47 & omni ſacerdotali officio ſpoliatum decerno: reſervato per omnia juris privilegio domni & patris noſtri Hadriani, apoſtolicæ ac primæ ſedis papæ: ſicut ſacri Sardicenſes canones decreverunt, & ejuſdem apoſtolicæ ſedis pontifices Innocentius, Bonifacius, Leo, ex eiſdem ſacris canonibus promulgaverunt.

## 48 SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

Hincmarus Rhemorum epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Harduicus Veſontionenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Remigius Lugdunenſis epiſcopus relegi, conſenſi, & ſubſcripſi.

Frothatius Burdegalenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Vvlfadus Biturigenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Bertulfus Trevirenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Adalardus Rothomagenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Anſegiſus Sennenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Acthardus epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Franco Tungrenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Hildegarius Meldenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Adventius Mettenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Giſlebertus Karnutenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Hodo Belgivagorum epiſcopus ſimiliter judicans ſubſcripſi.

Ragenelmus Tornacenſium epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Joannes Camaracenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Vvaltherus humilis Aurelianorum epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Vvillebertus Catalauniorum epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Hildeboldus Sueſſionicæ eccleſiæ epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Berhardus Viridunenſis epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Ingilvinus Pariſiorum epiſcopus judicans ſubſcripſi.

Birico chorepiſcopus ſubſcripſi.

Gerholdus presbyter ad vicem domini & patris mei Helmeradi Ambianenſis eccleſiæ epiſcopi, ſubſcripſi.

Frothardus presbyter ad vicem domini & patris mei Erpoini Silvanectenſis epiſcopi ſubſcripſi.

Ageteus presbyter ad vicem domini & patris mei Erchamberti Baiocagenſis epiſcopi ſubſcripſi.

Ego Leuderius a Πρ vice patris mei Arnulfi Tullenſis epiſcopi ſubſcripſi.

Eudo Πρ ad vicem Liudonis ſanctæ Æduenſis eccleſiæ præſulis ſubſcripſi.

[illegible] presbyter legatus patris mei Ottulfi Auguſtæ Trecorum epiſcopi ſubſcripſi.

*a) Πρ, presbyter, vel archidiaconus: & ſic inferius. H.*

ANNO CHRISTI 871.

Heliſeus archidiaconus, ad vicem patris mei Chriſtiani præſulis eccleſiæ S. Stephani Autiſiodorenſis, ſubſcripſi.

Anſoldus archidiaconus, ad vicem patris mei Abbonis Nivernenſium epiſcopi, ſubſcripſi.

Sigloardus Rhemenſis eccleſiæ archipresbyter, ſive ſervans locum archidiaconi, ſubſcripſi.

Hrodoldus archipresbyter Rhemenſis eccleſiæ ſubſcripſi.

Reinfredus Burdegalenſis archidiaconus ſubſcripſi.

Dodo Biturigenſis archidiaconus ſubſcripſi.

Fredegiſus Veſontionenſis eccleſiæ presbyter ſubſcripſi.

Rado Sueſſionenſis eccleſiæ δυ ſubſcripſi.

Frotgerus Carnotenſis eccleſiæ archidiaconus ſubſcripſi.

Vvillebertus ſacerdos ſubſcripſi.

PARS V.

## *EPISTOLA SYNODALIS ejuſdem concilii ad Hadrianum papam.*

DOmino ſanctiſſimo, ac reverentiſſimo patri Hadriano, ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Romanæ primæ ſedis papæ, Hincmarus, Harduicus, Remigius, Frotarius, Vvlfadus, Bertulfus, Adalardus, Anſegiſus, Franco, Hildegarius, Adventius, Giſlebertus, Hodo, Rainelmus, Engenoldus, Joannes, Vvalthatius, Vvillebertus, Hildeboldus, Berardus, Ingilvvinus, epiſcopi, qui cum diverſarum eccleſiarum legatis, in ſynodum apud Duziacum Rhemenſis parochiæ, in nomine Chriſti convenimus. Diutinis, ac multis, graviſſimiſque, atque frequentibus, ab inſolentiis Hincmari Laudunenſis, vexationibus fatigati, quem nec metropolitanus ſuus, qui orfanum benigne illum nutrivit, in clericum totondit, literis erudivit, per ſingulos gradus, electione cleri & plebis Laudunenſis eccleſiæ, cum favore domni regis Caroli, ad apicem epiſcopatus provexit, multifarie multiſque modis & verbis, & ſcriptis commonitum, corrigere non potuit. Quem domni noſtri regis Caroli benignitas multorum beneficiorum largitionibus, & caſtigationibus, ad epiſcopalem manſuetudinem, & gravitatem attrahere non prævaluit: & nec ipſe, neque metropolitanus ſuus ad hoc eum compellere potuerunt, ut clericis ac laicis, quibus injuſte fecerat, quod lex, & juſtitia dictabat, reſtitueret. Sed potius quicumque ad regem, vel ad metropolitanum ſuum ſe contra eum reclamavit, nequaquam ceſſavit, donec eos penitus exterminavit. Cui etiam ſynodales invectiones, ut a contumacia & levitate ſua reſipiſceret, & bonum nomen, quod apoſtolica regula epiſcopum etiam ab his qui foris ſunt, habere jubet, morum probitate, & ordinis ſui religione obtinere, & bonorum operum exemplum demonſtrare ſtuderet, perſuadere non potuerunt. Quem etiam humana verecundia a ſuis reprehenſibilibus actibus, ut non vituperaretur miniſterium noſtrum, retrahere nequiverunt. Quem veſtræ poſtremo apoſtolicæ epiſtolæ, obteſtationes, & commonitiones corrigere, & ad obedientiam debitam flectere non potuerunt.

*Hincmari Laudun. ſæpe & ſæpius ſuſpenſi narratio.*

*1. Tim. 3.*

Tandem quod non ſine gemitu & cordis



ANNO CHRISTI 871.

dolore dicimus, quoniam aliud medicamentum quo ſanaretur, reperire nequivimus, ab ordine ſacerdotali removimus: ſicut in geſtorum ſerie ſanctitas veſtra inveniet, 49 quam per hunc fratrem, & venerabilem coepiſcopum noſtrum Actardum, qui nobiſcum reſedit in ſynodo, auctoritati veſtræ dirigimus. Quia diutius nec ſibi commiſſa eccleſia, quæ ſub eo veluti ſub graviſſimo faſce gemebat, illum portare; nec aliarum eccleſiarum rectores, ſine reprehenſione inſolentias ejus ferre; nec regiæ dignitatis poteſtas, vel regni unanimitas, ejus inquietudinem ac dehonorationem ſuſtinere valebat. De quibus quædam, & juxta pluralitatem aliorum exceſſuum in præfata geſtorum ſerie pauca invenietis: quia & pro temporis brevitate, quoniam iſdem Hincmarus conſtituta ſibi die noluit venire ad ſynodum; 50 & domnus rex cum quibuſdam epiſcopis ad colloquium fratris ſui, pro reconciliatione filiorum ejus, ad patrem illorum & fratrem ſuum feſtinare accelerabat; ne commota ſeditione a carne propinquos inter ſe compugnantes Chriſtianorum parricidalis ſanguis * effunderetur; & hac de cauſa eccleſiarum Dei res ſcinderentur, & ſacerdotum ac ſervorum Dei facultates diriperentur, & pauperes depopularentur. Verum & ipſum Hincmarum ad hoc perducere multum laborantes non potuimus, ut ſecundum rationem & auctoritatem ad objecta ſibi redderet rationem. Sed obſtrependo clamoribus, & incondictis vocibus, ea quæ verbis confitebatur, & in ſcriptis ſuis profeſſus fuerat, iterum denegabat, & ea quæ negaverat, iterum fatebatur.

*Pauca de multis crimina in ſynodo diſcuſſa ſunt.*

*a Forte, Inter carne propinquos ſecum pugnantes. H. * legend. effunderet.*

Propterea * præmiſſis aliis, quæ in geſtorum ſerie invenietis, & quæ in plurimis ſui metropolitani epiſtolis, & quæ in ipſius Hincmari ſcriptis habentur: intermiſſis etiam quamplurimis plurimorum querelis, qui datis petitionibus in ſynodo adverſus eum querebantur, tam de clericis & laicis eccleſiæ ſuæ, quam & de parochianis presbyteris, & liberis hominibus, non ſolum ſuæ parochiæ, verum & aliarum parochiarum. Intermiſſa nihilominus ratione de auro, & gemmis quamplurimis & pretioſis; & multis ac variis ornamentis ex auro & gemmis compoſitis, quibus Pardulus epiſcopus deceſſor illius altare ſanctæ Mariæ Laudunenſis eccleſiæ pulchre ſatis ornavit: quod iſte defabricavit: & ſicut miniſteriales ipſius eccleſiæ dicunt, 51 inde umgas ad ſpatas, & balteos, & calcaria, atque ligaturas hoſarum, quas hoſobindas dicunt, fieri juſſit; & ſuo fratri, & quibus ſibi placuit dedit. Sed & de auro puriſſimo ex calice, quod præfatus deceſſor ſuus eidem eccleſiæ contulit. Necnon & de alio auro, verum & de argento ipſius eccleſiæ; ſed & de caſulis pretioſis, quas dedit quibus ſibi viſum fuit. Necnon & de ſacrato panno optimo ex altare ſanctæ Mariæ, quem ad ſæculares uſus dedit: & alia plurima, quæ ad rationem, & judicationem mittere non concurrimus.

** ſor. prætermiſſis.*

*Varia ſacrilegia.*

Sicut nec de ſeditionibus aliis, præter eam de qua rex eum accuſavit per ſcripturam, præſens præſentem in ſynodo: in quarum una ipſe fuit, & veniens cum pluribus armatis hominibus, & permixta vulgi multitudine, cum gladiis & fuſtibus ad manſum ubi mulier comitis regis, nomine Nortmanni, de partu more femineo jacebat, ejecit eam inde, & omnia quæ ibi habuit, aurum, argentum, veſtimenta, pannos plurimos, annonam, vinum, 52 & generis diverſi ac ſexus pecuniam, ſine miſſo, vel literis, aut verbo regis, in ſua parochia, & miſſatico, illi per violentiam abſtulit: ſicut in petitione ipſius Nortmanni nobis porrecta in ſynodo continetur. In altera vero ſeditione quæ ipſius juſſione fuit concitata, ſicut illi dicunt qui in ea fuerunt, unus homo fuit occiſus. Nam quia domnus rex cuidam vaſſallo de Laudunenſi epiſcopio, nomine Amalberto, cui beneficium reddere juſſit, quod ab eo injuſte tulerat, præcepit hominibus ſuis & familiæ epiſcopii Laudunenſis illuc ire cum armis & fuſtibus, & inde illum ejicere: ſicut & factum eſt; & fugato eo, unus homo ibi fuit occiſus.

*Variæ ſeditiones.*

PARS V.

*Amalbertus idem ab eo irregulariter excommunicatus. Hinc. lib. 55. cap. c. 2. & 43. p. 548.*

Sed & plura ſunt alia, quæ nobis longum eſt ſcribere: tantum de his quæ in petitione domni regis contra eum in ſynodo data continentur, judicia terminavimus: reſervato per omnia juris privilegio apoſtolicæ ſedis, ac veſtro judicio: ſicut ſacri Sardicenſes canones, & decreta ſedis apoſtolicæ pontificum, Innocentii, Bonifacii, & Leonis, ex eiſdem ſacris canonibus promulgata decernunt. Ea vero quæ metropolitanus ſuus & jam in altera, & nuper in iſta ſynodo ad correctionem illius, quem per ſe non valebat corrigere, legenda obtulit, idcirco auctoritati veſtræ dirigimus, ut expreſſius & certius, ſeu plenius, faſtum & animi ejus duritiam, & irrevocabilem ipſius Hincmari pertinaciam cognoſcatis; & non præpropere, vel immature, ac inconſulte, ſed ſatis coacte nos in eum, ipſo compellente, damnationis ſententiam protuliſſe.

*Non extat ſcedula oblata ſynodo apud Attiniacum.*

Unde obnixe precamur veſtram auctoritatem, ut a tanto hujus incorrigibilis peſtis tædio, nos etiam ſuo judicio, quem longius ſupportare nequivimus, liberet: ſecundum decreta Bonifacii & Leonis, ea quæ juxta eccleſiaſticum morem, prout intelleximus, non inimico animo, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati, juſte & rationabiliter diffinivimus, veſtra quoque ſententia roborando. Et ſi forte, quod non putamus, viſum vobis neceſſario fuerit, ut ſecundum Sardicenſes canones renovetis judicium, & detis judices, ſcribendo epiſcopis qui in finitimis & vicinis provinciis ſunt, ut & ipſi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis diffiniant. Vel ſi decreveritis mittere a latere veſtro habentes auctoritatem veſtram, qui cum epiſcopis judicent, eo in gradu adhuc non reſtituto, ſicut ſacri Sardicenſes canones præcipiunt, non abnuimus. Licet, quantum poſſumus, redire ad laborem quo diu vexati ſumus, refugere cupiamus: & ea quæ propter verecundiam ſacerdotalis reverentiæ tegi potius, quam publicari optamus, ſi valuerimus, ad plurimorum notitiam deferri modis omnibus reſultemus. Verumtamen quanta poſſumus devotionis humilitate depoſcimus, ut etiam in hac cauſa nobis canonicam diffinitionem ſervetis. Videlicet ut ſi, quod non credimus, ea quæ regulariter diffinivimus, prout ſacras regulas intelleximus, vobis præſentaliter non placuerit veſtra ſententia roborare; non antea communione ſacerdotali, a qua ſeparatus eſt, reſtituatur, antequam ſecundum regulas & leges, in provincia, in qua cauſæ geſtæ, & judicatæ ſunt, requirantur. Quia uſque ad noſtra tempora nulla patrum diffinitione hoc eccleſiis Gallicanis & Belgicis eſt derogatum: præſertim quia decreta Nicæta, ſive inferioris gradus clericos, ſive epiſcopos ipſos, ut Africanum ſcribit concilium, ſuis metropolitanis aptiſſime comiſerunt. Sicut & S. Bonifacius exponit, ſcribens ad Hilarium Narbonenſem

*Petunt confirmari ſententiam.*

*Saltem ut ante retractationem judicii non reſtituatur.*

*Laudunenſis ſeparatus a communione ſacerdotali.*

*Numquam derogatum eſt Gallicanis eccleſiis.*

*Boniſac. ep. 3.*

PARS V.

A nenſem epiſcopum. *Convenit nos*, inquit, *paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita ſynodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus. Per unamquamque provinciam jus metropolitanos ſingulos habere debere; nec cuiquam duas* * *eſſe ſubjectas. Quod illi, quia aliter credendum non eſt, ſancto Spiritu ſuggerente ſibimet, cenſuerunt.* Et paulo poſt. *Quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua, adeo nos canonum præcepta ſervare, ut ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat, quatinus metropolitani ſui unaquaque provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet. Prudentiſſime enim ſancti patres noſtri juſtiſſimeque viderunt*, ut Africanum concilium ad Cæleſtinum papam ſcri- B pſit, *quæcumque negotia in ſuis locis ubi orta ſunt, finienda: nec unicuique provinciæ gratiam ſancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Chriſti ſacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſime teneatur.* Maxime autem cum diffinitione ac patrocinio ſanctæ & apoſtolicæ ſedis, ſecundum leges & Africæ provinciæ canones, illud ratum haberi poſſe oſtendatur judicatum, *ubi teſtium neceſſariæ perſonæ abſque ſexus, vel ſenectutis, ſeu infirmitatis, vel multorum aliorum excuſatione impedimentorum, poſſunt adduci.* Quoniam nemo niſi aut ſcriptura, aut teſtibus, legaliter ac regulariter poteſt convinci: ſicut Hincmarus ſuis ſcriptis, ac ſubſcriptionibus, & idoneis teſtibus eſt in ſynodo coram nobis convictus.

* al. poſſeſſe.

Conc. Afr. ep. ad Cæleſt.

C Quia ergo nos, quantum ſcimus & poſſumus, privilegium ſanctæ ac primæ ſedis Romanæ, & conſervare, & obaudire, & extollere cupimus, atque ſatagimus, *pro ſuo ſcilicet principatu, quem B. Petrus apoſtolus domini voce perceptum, eccleſia nihilominus ſubſequente & tenuit ſemper & retinet*: ſervet veſtra paternitas, & a Deo in prima ſede conſtituta auctoritas, nobis, filiis & ſubjectis ſibi epiſcopis eccleſiaſtica privilegia, a ſacris canonibus, & veſtris deceſſoribus ac prædeceſſoribus, noſtris deceſſoribus, ac prædeceſſoribus conſervata: Quatenus & apoſtolica ſedes proprium vigorem retineat, & a ſe conceſſa aliis ſua jura non minuat. Sicut B. Gregorius ſcribens ad Dominicum Carthaginenſem epi- D ſcopum. *De eccleſiaſticis*, inquit, *privilegiis quod veſtra fraternitas ſcribit, hoc poſtpoſita dubitatione teneat, quia ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſque eccleſiis ſua jura ſervamus: nec cuilibet favente gratia, ultra quam meretur impertior; nec ulli hoc quod ſui juris eſt, ambitu ſtimulante* * *derogabo: ſed fratres meos honorare per omnia cupio, ſicque ſtudeo eos* * *in honores ſubvehi, dummodo non ſit, quod alteri jure ab altero poſſit opponi.* Et ad Natalem Salonitanum epiſcopum. *Quod vero dicitis* * *veſtris temporibus debere ſervari, quæ a* * *deceſſoribus quoque tradita & cuſtodita ſunt: abſit a me ne ſtatuta majorum conſacerdotibus meis in qualibet eccleſia infringam: quia mihi injuriam facio, ſi fratrum meorum jura perturbo.*

Petunt ſervari privilegia eccleſiæ Gallicanæ.

Greg. l. 2. epiſt. 39.

* al. derogo.

* al. honore ſingulos ſubvehi.

Idem l. 2. indict. 10. ep. 37.

* al. noſtris temporibus.

* al. a meis quoque deceſſ.

E Et ſi forte, quod abſit, cujuſcumque ſuggeſtione vel poſtulatione, apoſtolicæ ſedi ſurreptum fuerit, ut idem contemptor & conculcator ſacrorum canonum in gradu reſtitutus, aut in noſtras provincias ad audientiam remittatur, aut ſine audientia in reſtitutione manere jubeatur, ut cum venia veſtra dicamus, ulterius, quod iſdem ab ipſis ordinationis ſuæ primordiis ſemper quæſivit, ut in noſtris provinciis, nullius coercitionis reſpectu quicquid vellet, licenter agere poſſet, ſciens nos de ſingulis Romam mittere non poſſe: uſquequo iidem ſancti patres noſtri, qui adhuc nobiſcum in ſuis conſtitutioni-

Curam abjiciunt Hincmari, ſi judicium ipſorum irritatur.

ANNO CHRISTI 871.

A bus vivunt; & ſecundum tramitem ſanctarum ſcripturarum, traditionemque apoſtolorum, præventi, ac inſpirati gratia ſancti Spiritus, de hujuſmodi factis, quæ inſolens, & tranſgreſſor ſacrarum legum, ac regularum Laudunenſis Hincmarus noſcitur perpetraſſe, certa præfixere judicia, cum domino inde judicaturi adveniant, de ipſius in epiſcopali cum ma... ordine perpetratis, ac perpetrandis exceſſibus, ſicut hactenus actibus ejus conhibendo non communicavimus; ita in poſtmodum nulla de eo judicia decernemus, vel quamcumque proclamationem apud quemcumque faciemus. Vivat ſibi ſicut vult, conſolante nobis ac conſulente apoſtolo, qui dicit: *Nolite communicare operibus infructuo-* B *ſis tenebrarum, magis & redarguite.* Egimus enim de illo pro modulo noſtro. Quia ſicut B. Auguſtinus exponit, *duobus modis nos non maculat malus, ſcilicet, ſi non conſentiamus ejus operibus malis; & ſi ea redarguamus.* Non conſenſimus quidem: imo & ejus opera redarguimus; & quem corrigere non potuimus, judicatum a nobis Dei mediante ſententia, diffinitionis veſtræ judicio reſervavimus: & ſub geſtorum ſerie, quæ acta ſunt per venerabilem epiſcopum noſtrum Actardum, qui ſynodalibus diffinitionibus noſtris interfuit, paternitati veſtræ dirigimus. [53] Quod & de Rothado faceremus, ſi legatis noſtris facultas tranſeundi Alpes in illis temporibus concederetur. Credite ergo fidei C noſtræ, quia non inimico animo, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati eum judicavimus: ſed ipſo multis & maximis, atque diutinis exceſſibus nos compellente: ac per hoc credite, juxta Sardicenſes canones, poſſe ſufficere: ſicut regulariter negotio terminum impoſuimus, noſtrum judicium veſtra roborante ſententia.

Ephes. c. 5.

August.

Locus corruptus.

[54] Venerabilem denique fratrem, & coepiſcopum noſtrum Actardum, quem clerus & plebs metropolis eccleſiæ Turonenſis, in eadem eccleſia baptizatum, tonſum, & nutritum, ac per ſingulos gradus ad ordinem epiſcopatus provectum, ſibi incardinari depoſcit: quemque veſtra paternitas nobis incardinandum, etiam ſi D locus eveniret in noſtris regionibus in metropoli recommendavit, auctoritati veſtræ remittimus. Quatenus illum in præfata metropoli, eo, ſi vobis placet, tenore archiepiſcopum incardinetis, ut poſt deceſſum illius præfatæ metropoli eccleſiæ cleri ac plebis electione, ſicut regulæ ſacræ præcipiunt, & vetus conſuetudo exigit, a ſuffraganeis & provincialibus epiſcopis ibidem metropolitanus ordinetur epiſcopus. Quem licet, juxta Antiochenos canones perfecto concilio, atque ſecundum apoſtolicas veſtras literas vacanti eccleſiæ incardinare poſſemus: quia tamen Turonenſis eccleſia ex antiquo metropolis, & B. Martini meritis famoſiſſima, & honorabilis ſemper extitit, & præfatus frater noſter Actardus E venerabilis epiſcopus [55] genio pallii a benignitate veſtra eſt honoratus: rationabilius vidimus, ut petitione cleri ac plebis ipſius eccleſiæ, & conſenſu noſtræ unanimitatis, ac favore domni noſtri Caroli regis glorioſi, ac veſtra auctoritate eidem incardinetur eccleſiæ. Deus noſter ſanctitatem veſtram ævo longiore orantem pro nobis cuſtodiat, domine reverentiſſime pater in domino. Data VIII. Idus Septembr. præſentis 4. Indictionis.

Rogat Actardum fieri Turonenſ. præſul.

Flodoard. l. 3. c. 21.

Hadrian. ep. 3. de pſſ. ſynod. Sueſſion.

Hadrian. epiſt. 38. ad Carol.

Conventum ſed ... Lib. 7. epiſt. 114.

EPI-



ANNO CHRISTI 871.

## EPISTOLA [56] HINCMARI RHEMORUM archiepiſc. ad Hadrianum papam.

DOmino ſanctiſſimo & reverentiſſimo patrum patri Hadriano, primæ ſedis apoſtolicæ, & univerſalis eccleſiæ papæ, Hincmarus, nomine non merito Rhemorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus. Venerabilem fratrem, & coepiſcopum noſtrum Actardum, ſicut veſtra dignatio exiguitati meæ literis ſuis præcepit, in gremio dilectionis ſuſcepi, [57] & a paganis Nortmannis, necnon & a pſeudochriſtianis Britonibus de ſua ſede expulſum, conſenſu coepiſcoporum Rhemenſis provinciæ, ac favore domni noſtri Karoli regis glorioſi, in vacante eccleſia * B diœceſeos noſtræ locum ſacrificandi, & epiſcopale miniſterium peragendi conceſſi: & ſecundum Sardicenſes canones immorandi licentiam dedi: & de rebus ac facultatibus ejuſdem eccleſiæ, larga benevolentia humanitatem exhiberi præcepi: uſque dum aptus & conveniens ſibi locus eveniret, ubi ſecundum præceptionem veſtram poſſet incardinari. [58] In qua vacante eccleſia diœceſeos noſtræ ſecundum apoſtolicas literas veſtras, incardinari non potuit; quia res eccleſiæ Namnetenſis a Paganis reſiduæ, longe ab eccleſia Morinenſi Rhemorum provinciæ diſtant, & in duabus provinciis regulariter conſcribi non poterat. Nunc autem quia clerus & C plebs metropolis eccleſiæ Turonenſis, in eadem eccleſia baptizatum, tonſum, & nutritum, ac per ſingulos gradus ad ordinem epiſcopatus provectum, ſibi eum incardinari depoſcit, quem veſtra paternitas nobis incardinandum, etiam ſi locus eveniret in noſtris regionibus in metropoli, commendavit, auctoritati veſtræ remittimus: quatinus illum in præfata metropoli, eo, ſi vobis placet, tenore archiepiſcopum incardinetis, ut poſt deceſſum illius, præfatæ metropoli eccleſiæ, cleri & plebis electione, ſicut regulæ ſacræ præcipiunt, & vetus conſuetudo exigit, a ſuffraganeis & provincialiabus epiſcopis, ibidem metropolitanus ordinetur epiſcopus. Quem licet juxta Antiochenos canones perfe- D cto concilio, atque ſecundum apoſtolicas veſtras literas vacanti eccleſiæ incardinare poſſemus: tamen quia Turonenſis eccleſia ex antiquo metropolis, & beati Martini meritis famoſiſſima, & honorabilis ſemper extitit; & præfatus frater noſter Actardus venerabilis epiſcopus, genio pallii, a benignitate veſtra eſt honoratus: rationabilius vidimus, ut petitione cleri ac plebis ipſius eccleſiæ, & conſenſu noſtræ unanimitatis, ac favore domni noſtri Caroli regis glorioſi, a veſtra auctoritate eidem incardinetur eccleſiæ.

Auſpicatur ab Actardi commendatione.

Hadrian. epiſt. 4. ad Hinc.

* Morinenſi.

Conc. Sardic. can. 3. 15. & 21.

Eccleſia Turonenſis.

E De cauſa vero fratris Hincmari, ſufficienter vobis geſtorum ſeries, quam per hunc venerabilem fratrem & coepiſcopum noſtrum Actardum, ſynodus in parochia Rhemenſi nuper habita, veſtræ auctoritati tranſmittit, plenam notitiam intimabit. Cui poſt omnia geſta, quæ de illo gerenda fuere, cum aliis epiſcopis & confratribus noſtris, [59] apud domnum regem * obtinuit, ut quicumque de clero, vel de familia Laudunenſis eccleſiæ cum illo pergere vellet, licentiam haberet. Quem utinam non vidiſſem, minime autem illum me ordinare in epiſcopum contigiſſet, per quem tantum ſcandalum in noſtrarum provinciarum eccleſiis, & in regno in quo degimus, ſine ulla neceſſitate commotum, & diutino tempore hactenus eſt perduratum.

De Hincm. Laudunenſis vita & moribus.

* leg. videtur obtinui.

PARS V.

A Adeo ut non inconvenienter de eo dicere poſſem: Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille: qui pro eo ut ad epiſcopalem gradum provectus in religione proficeret, ſub qua nutritus fuerat, pompas & inlecebras ſæculi cœpit ſequi, & familiaritates, ac contubernia ſæcularium delectari; de negotiis ſæcularibus ſermocinationes frequentare; cupiditatem & avaritiam, non ſolum pecuniæ, ſed & altitudinis, ac turpis lucri emolumenta ſectari; meas, & quorumcumque correptiones aſpernanter, & indignanter accipere, & in ſenſu, ac ſapientia ſua confidere; ſicut multi, pro dolor! in noſtris regionibus ſciunt. Et ut alia plurima ſpecialiter computare omittam, quæ per plures annos in B timore, & cordis dolore, de illius moribus & improbabilibus actibus, & etiam humana verecundia de inſolentiis ejus ſuſtinui: ſæpiſſime illum & verbis, & ſcriptis, familiariter & per me, & per communes familiares noſtros corripiens, & ad recognitionem, vel correctionem adducere non valens; de his pauca commemorabo, quæ ante quadriennium in pejus proficiens, & excreſcens, cum virtute laborare cœpit, ut caderet.

Hincmar. l. 55. cap. c. 45. & 52. ep. 53.

Cœpit enim clericos & laicos, qui eum elegerant, per varias occaſiones affligere; & ab eis, quæ habebant, vel adquirere poterant, per diverſa ingenia ſurripere, &, ut dicam apertius, C rapere: indeque illos de loco, in quo nutriti fuerant, exterminare, & alios pravæ opinionis ex diverſis provinciis recipere. Unde afflicti tam clerici, quam laici de ſibi commiſſa eccleſia, cœperunt ſe reclamare ad domnum regem, & ad meam exiguitatem: pro quibus ſatis ſuperque laboravi: ſed aut parum, aut nihil profeci. Iſdem autem pro reclamatione ſuorum hominum contra domnum regem commotus, de rebus a Nortmanno invaſis, quas ipſe regi ſine meo ac coepiſcoporum meorum conſenſu conceſſerat, ut eas Nortmanno beneficiaret, ſicut & ipſe in ſuis ſcriptis fatetur: miſit illum apud veſtram auctoritatem, me inſcio, ſine ulla neceſſitate accuſare, per miſſum ſuum Celſanum. Et D mandavit mihi, quod domnus rex eum, & omne epiſcopium Laudunenſis eccleſiæ, exceptis principali eccleſia, & epiſcopii domo, & clauſtro fratrum, proſcripſerit & confiſcaverit, quia ipſe ſæculare judicium adire noluerit. Ego autem illi ut epiſcopo credens, ſcripſi inde domno regi plura, & minus caute, reprehendens illum de injuſto judicio. [60] Et quia non ita ſe res habebat, ſicut idem Hincmarus mihi mandaverat, & poſtea ipſe dixerat: aſſumpto eo mecum, veni ad domnum regem, & una cum coepiſcopis noſtris, ſicut antea, & poſtea ſæpius egi, domnum regem ei placabilem feci. Poſtea vero ſine mea conſcientia, vel conſenſu, miſit iterum ad veſtram auctoritatem, non ſolum regem, ſed & me accuſare, ſicut in ſanctitatis veſtræ literis E inveni. In quibus inter cetera continetur, *Quare miniſterio juris epiſcopalis in regionibus iſtis abutar, & Hincmarus nepos, & æquivocus meus, venerabilis dumtaxat epiſcopus, ſicut audiſtis, non minima in eccleſia ſua ſuſtinent detrimenta: ſi me tepeſcente nullam potuit conſolationem invenire.* Unde jure veſtræ auctoritati reſcripſi, quod non eſt modo neceſſe repetere.

Subditos ſuos vexat.

Hincm. lib. cit. c. 51.

Hinc. epiſt. 29. ad Carol. regem.

Fragmentum epiſtolæ Hadriani ad Hincmarum Rhemenſem.

Non extat.

Sed ipſe Hincmarus unde cautior & humilior eſſe debuerat, ſcilicet de mea interceſſione, & domni regis benignitate, inde elatus in ſuperbiam, & amarus animo effectus, non ſolum ſe non correxit, ſed malis pejora ſemper adjecit. Et

Beneficiis Avunculi nepos exaſperatur.

quia

PARS V.

quia ſuis pravis actibus & improbabilibus moribus conſentire non volui, & incaute ſuis mendaciis fidem accommodare vitavi; immo & illum redarguere cœpi: etiam contra me irremediabiliter ſe commovit; & plura & majora ſcandala & regi, & regno, & mihi, ac coepiſcopis noſtris, & eccleſiæ ſuæ tam clericis quam laicis ſemper accumulavit.

Hincmari apologia, quod nepotem ordinaverit. L. 55. Capit. c. 41. p. 538. 1. Reg. 9.

Et horum ſcandalorum, licet non apertis vocibus, ſcandalizati ab eo, ut audivi, me auctorem eſſe dicebant: quoniam eum ſcilicet nepotem meum epiſcopum ordinaveram. Non attendentes, quia non ut Judam electum præſenti juſtitia apoſtolum, & Saul regem poſtea reprobatum, de quo ſcriptum eſt, *Erat vir electus & bonus, & non erat vir de filiis Iſrael melior illo*, Deus omnia ſciens ordinavit, & nihil culpæ contraxit, quia peccare non potuit: ſed ut homo neſciens quod futurum erat, iſtum per improvidentiam ordinavi, & divini judicii non injuſti miniſter extiti: quia, ſicut timeo, aliis peccatis meis hoc eſſe promerui. Quamquam & ſancti apoſtoli cum B. Stephano, & aliis diaconibus, Nicolaum ordinaverint, nec tamen dictis & factis illius improbabilibus poſtea manifeſtis, per manuum ſuarum impoſitionem communicaverunt. Sicut nec Samuel culpam contraxit in ordinatione Saul: quem divina juſſione a ſe ordinatum, & a domino poſtea abjectum diutiſſime flevit, veluti ſacra narrat hiſtoria. Quia autem dicebant quod nepotem meum epiſcopum ordinaverim, non attendebant quia & alii per me ſunt epiſcopi ordinati, qui non ſunt mihi carne propinqui: & quia non impedit ad quemquam ordinandum carnis propinquitas, ſi ordinandus fuerit electus, & petitus ſecundum eccleſiaſticas regulas. Nam & dominum a quo, & per quem cœpit epiſcopatus, carne ſibi propinquos legimus ordinaſſe epiſcopos.

Actor. c. 6. 1. Reg. 15.

Sed licet in iſto nepote meo egerim unde gemo; quia neſcio qualiter de hoc, & de aliis meis factis *terribilis in conſiliis ſuper filios hominum* in occulto ſuo judicio, *qui poſuit tenebras latibulum ſuum* diſponet: ſcio tamen omnipotentem advocatum, & miſericordem judicem, *ante quem eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus non eſt abſconditus*. Conſolatur enim me, quia recepi pro illo & per illum duplicia. Quoniam ſicut ſanctus dicit Gregorius. *Quos plus ceteris diligimus, cum ab eis adverſa patimur, majorem dolorem mala nobis ingerunt, quam quæ ab externis inferuntur: & plus in nobis ea tormenta ſæviunt quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præſumebamus; quia cum damno corporis mala nos cruciant amiſſa caritatis. Hinc eſt enim quod de Juda traditore ſuo per pſalmiſtam dominus dicit: Et quidem ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique; & ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, qui & notus meus, ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo domini ambulavimus cum conſenſu.* Et rurſum: *Homo pacis meæ in quo ſperabam, & qui edebat panes meos, magnificavit adverſum me ſupplantationem.* Ac ſi de traditore ſuo apertis vocibus dicat: tranſgreſſionem ejus tanto gravius pertuli, quanto hanc ab eo qui meus eſſe videbatur, ſenſi.

Gravior eſt ejus quem amamus quam externi cujuſlibet impugnatio. Greg. Pſal. 54. Pſal. 40.

[62] Cui multa & multipliciter ut ſe corrigeret, ſcripſi: quæ ſi in unum corpus fuerint congregata, non puto minoris fore voluminis, quam quinque ſunt libri Moyſi. Et ideo ad ſcribendum illi me contuli, quia ſufferre non poterat, quæ illi me dicebantur. Sed nec de ullo homine patienter aliquid poteſt audire, ut ſemper non ipſe loquatur; niſi ea illi quis dixerit, quæ in ſuo corde verſantur. [63] Contra quæ illum ſcripta ipſe multa multipliciter, & irrationabiliter mihi reſcripſit: nolens ea quæ illi ſcribebam ſic intelligere, ſicut ſcripta erant: ſed me, & ipſa ſcripta reprehendere, & calumniari, atque refellere laborabat.

Multis ſcriptis illum corrigere ſtuduit.

ANNO CHRISTI 871.

Per quæ intelligens illum eſſe incorrigibilem, ſtatui in corde meo, ulterius me apud illum non inaniter laboraturum: videns in eo impleri, quod de domino pſalmiſta dicit, *Immiſſiones per angelos malos, viam fecit ſemitæ iræ ſuæ.* Cor, inquit Gregorius, *dominus prioribus meritis aggravatum, juſte permittit etiam ſubſequentibus malignorum ſpirituum perſuaſionibus falli: quod dum digne in culpa trahitur, reatus jam in pœna cumulatur. Unde & iræ ſuæ domino viam facere, eſt in eos qui punire in ſe cauſas recte noluerunt, diſtricte judicando dilatare: ut qui illuminati agere recta noluerunt, juſte cæcati adhuc faciant unde amplius puniri mereantur. De quibus dicit apoſtolus, ut impleant peccata ſua ſemper.* Et hinc voce angeli ad Joannem dicitur: *qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Et hinc David ait: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitia tua.* Et hinc per Moyſen dicitur: *Nondum completa ſunt peccata Amorrhæorum.* Hinc per eumdem Moyſen dominus dicit. *Ex vinea enim Sodomorum, vitis eorum; & propago eorum ex Gomorrha. Uva eorum uva fellis, & botrus amaritudinis ipſis. Furor draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? In die ultionis reddam eis.* Et quia multa eorum mala narravit, tamen illico adjunxit. *In tempore quo lapſus fuerit pes eorum.* Et atrociſſima peccata illorum deſcribuntur: & tamen ad ultionis diem adhuc ſubſequens lapſus adipiſcitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent jam quidem, unde feriri mereantur: ſed ſuſtinetur tamen adhuc peccatum creſcens, ut peccantes poſſit acrior culpa cumulare. Jam meretur ſupplicium peccatum, & cauſa peccati: ſed expectatur adhuc, ut augmentum ſupplicii ſubroget peccatum & pœna peccati. Quæ in illo compleri videns, pro modulo meo ſequi decrevi quod dominus dicit. *Non audivit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi: & dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus ſuis.* Et, *vocavi & renuiſtis, & deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Comedent igitur hujuſmodi, fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturabuntur.*

Incorrigibilem deſerit eum. Pſal. 77. Gregor. 1. Theſſal. 2. Apoc. 22. Pſal. 68. Geneſ. 15. Deut. 32. Pſal. 80. Prov. 1.

Et quia ipſe dominus dicit: *Si oculus tuus dexter, vel manus tua dextera ſcandalizat te, projice eos abs te*: & odire nos proximos noſtros præcipit, adhuc autem & animam noſtram. Unde beatus dicit Gregorius, quia amandus quilibet in hoc mundo nobis eſt adverſarius: ſed in via Dei contrarius non amandus eſt nobis, etiam proximus. Quia licet amandi ſint proximi, & impendenda caritas omnibus, & propinquis & extraneis; non tamen pro eadem caritate in Dei eſt amore flectendum. Quia pro affectu carnali, ſicut nec vaccæ quondam portantes arcam Bethſames, non declinant a recto itinere, qui arcam Dei portant in mente: cognoſcentes quia compaſſio proximis, & rectitudo debetur vitiis. Quæ idcirco veſtræ ſanctiſſimæ auctoritati ſcribens, dolore cordis conſtrictus, de illo per vocem luctus emitto: ut ſciatis, quanta non ſolum ego, ſed & eccleſiæ Ciſalpinarum regionum, & rex, ac regnum noſ-

ſtrarum

Matt. 5. Luc. 14. Greg. hom. 37. in evang. 1. Reg. 6.



ANNO CHRISTI 871.

ſtrarum partium per illum hactenus ſuſtinuerunt. Suggero enim paternitati veſtræ, quia quamdiu in hac mortali carne vixero, ſicut metropolitanus cum epiſcopo rationem habere debet, quantum ex me eſt, nec de parochia, nec de quacumque cauſa, metropolitana ſolicitudine, cum illo ullam rationem habebo: quem diutius inſolentem ſufferre non valeo. Et tolerabilius mihi eſt, etiam corporaliter, oculum, aut manum, aut pedem abſciſſione amittere, quam cum illo, quem ſpe gaudens dilexi, & ea gemens diligo propter Deum, de ſuis inſolentiis contentiones ſine ulla utilitate conſerere. Jam enim in multis, & per plures ab eo vexato, neceſſe eſt mihi, ut non rixas, ſed quietem exquiram. Quatenus qui jam terminum meum expecto, vel in eodem termino, per Dei miſericordiam dicere poſſim: *Nunc dimittis ſervum tuum domine, ſecundum verbum tuum in pace.*

Luc. 2.

[63] Ceterum veſtræ paternitatis auctoritas nuper mihi literas miſit de presbytero parochiæ noſtræ, nomine Triſingo, præcipiens ut plenariis ſcriptis remitterem vobis notitiam de cauſa ipſius. De quo ſicut ſe rei veritas habet, veſtræ auctoritati reſcribo.

Narratio de Triſingo presbytero.

Quædam libera femina, ſoror hominis nomine Livulſi, de ipſa villa in qua præfatus Triſingus presbyter fuerat ordinatus, accepit maritum fratrem ipſius Triſingi presbyteri: & hac familiaritate idem Triſingus cœpit frequentare domum fratris ſui. Et, ſicut idem Livulfus, qui in ipſa villa manebat, & parochiani atque vicini ejuſdem presbyteri dicebant, cum filia uxoris fratris ſui, quam de altero marito ſuſceperat, cœpit concumbere. Et quadam die ipſe presbyter, atque præfatus Livulfus perrexerunt ad caſtellum, quod Moſomus dicitur, & inebriaverunt ſe in quadam taberna [64] contra noſtrum epiſcopale interdictum: qui presbyteris noſtris in omnibus ſynodis interdicimus, ut ſicut canones Africani diffiniunt, *Clerici edendi, vel bibendi cauſa tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi.* Et iſte presbyter, gulæ non peregrinationis neceſſitate, ad inebriandum ſe tabernam intravit: quia idem caſtellum non amplius quam quatuor milliaria a manſione ipſius presbyteri diſtat. Revertentes autem idem presbyter & Livulfus, ebrii, de præfato caſtello, cœperunt * verboſare inter ſe, ſicut ebrii ſolent facere, & illorum verboſatio eouſque proceſſit, ut de ipſa ſua nepte improperaret presbytero; & e contra ipſe presbyter opprobria quæ invenire potuit, eidem Livulfo retulit. Idem autem Livulfus fuſte, quem in manu portabat, bis percuſſit Triſingum presbyterum. Tunc ipſe presbyter irruens ſuper filium Livulfi, qui ſpatam ad collum portabat, extraxit eamdem ſpatam; & volens percutere eum per medium caput, ut illum occideret, levavit idem Livulfus manum contra ſpatam, & ſuſcepit ſpatæ ictum, & abſciſſi ſunt illi duo digiti de eadem manu: & cadente illo de caballo, putavit presbyter illum eſſe mortuum, & ſaliens in caballum illius perrexit domum ſuam.

Conc. Afr. c. 40.

* Se prendre de paroles. dixit Auguſtinus Juliano, inaniter verboſaris. hoc eſt, multis nugatis lib. 5. contra Jul. c. 46.

Ego vero per multos hoc audiens, vocavi eum ad me, in præſentia clericorum ac comminiſtrorum noſtrorum, & interrogavi eum, ac veritatem. Qui de femina de qua reputabatur, negavit quod cum ea non concubuerit. De voluntate autem, quia eo ordine ſicut præmiſi, ipſum hominem occidere voluerit, confeſſus fuit: qui juxta vocem Joannis apoſtoli homicida convincitur. Ego autem, ſicut B. Auguſtinus de presbytero ſuæ parochiæ Xantippo primati ſuo ſcripſit, quæ negavit, Deo dimiſi; quæ occultare permiſſus non eſt, judicavi; & eum ab officio ſacerdotali removi, donec ad ſynodum comprovincialem veniret, & ibi cum certo epiſcoporum numero, ſicut Carthaginenſes præcipiunt canones, cauſa ipſius certum finem acciperet. Iſdem autem, cum plures ſynodos in provincia noſtra habuerimus, ad ſynodum poſtea nullam venit. Quem per annum & ſex menſes expectavi, & pro ſe in ſynodo nihil ſategit. Et decernentibus ſacris canonibus, *ut quotiens clerici convicti, & confeſſi in aliquo crimine, ſiforte cauſæ adeſſe voluerint, & innocentiam ſuam adſerere, intra annum excommunicationis hoc faciant. Si vero intra annum cauſam purgare contempſerint, nulla eorum vox poſtea penitus audiatur.* Poſt annum & ſex menſes reclamantibus parochianis eccleſiæ ipſius, in qua idem presbyter fuerat ordinatus, ſe non habere presbyterum *: nam quia Romam perrexerit, ignoravi, donec poſt tres menſes, quam in loco ejus fuit presbyter ordinatus, Roma veniens mihi literas veſtræ ſanctitatis attulit.

Triſingus ad ſe vocatus. Auguſt.

PARS V.

Canon Afric. c. 95. Conc. Carthag. III. can. 8. Conc. Carthag. V. can. 12. * Deeſt aliquid ad ſenſum.

In canonibus autem Africæ provinciæ concilii quarti capitulo 67. De ſeditionariis & uſurariis, ne clerici fiant ſcriptum eſt ita. *Seditionarios nunquam * ordinandos, vel injuriarum ſuarum ultores.* Et ſi tales ordinandi non ſunt, colligendum eſt, quid mereantur qui poſt ordinationem, admittere talia non formidant. Et antiqui patrum canones in ſynodo, cui plurimi metropolitani cum ſuis ſuffraganeis interfuerunt, decernente Antiocheno concilio perfectum illud eſſe concilium, ubi interfuerit metropolitanus antiſtes, manifeſta ſententia decreverunt, *ut clerici, qui in quacumque ſeditione arma volentes ſumpſerint reperti, amiſſo ordinis ſui gradu in monaſterio pœnitentiæ detrudantur.* Et Zacharias papa Bonifacio epiſcopo Moguntino ſcripſit, ut epiſcopos, presbyteros, aut diaconos ſanguinem Chriſtianorum ſeu Paganorum effudiſſe repertos, ab iiſdem eccleſiaſticis gradibus removeret. Et jam pluſquam duo ſunt anni, ex quo præfatus Triſingus ſupraſcriptum Livulfum volens occidere, demembravit, quando hanc relationem, ut juſſiſtis, veſtræ auctoritati tranſmitto. Et quia populus ſine presbytero tamdiu manere ſine periculo dimitti non poteſt, veſtra ſapientia ſufficientiſſime novit. Deus omnipotens ſanctitatem veſtram ad doctrinam & correctionem ſanctæ ſuæ eccleſiæ in ſuo cœpto ſervitio per annorum multa curricula conſervare dignetur, domine ſanctiſſime, & reverentiſſime patrum pater in domino.

Conc. Carthag. IV. can. 66. * al. ordinandos clericos. Concil. Tolet. IV. can. 45. habetur. 23. q. 8. Clerici qui. Zachar. ep. ad Bonifac.

## VITA HINCMARI JUNIORIS EPISCOPI LAUDUNENSIS,

ad notitiam concilii Duziac. I. & II. &c.

*Auctore eodem Ludovico Cellotio ſociet. JESU.*

Ratio edendi hujus concilii.

HIncmarum Laudunenſem epiſcopum Rhemenſis Hincmari nepotem, alumnum, adverſarium, ad ſynodos regias tractum fuiſſe, rebus ſuis ſpoliatum, non ſemel clauſum cuſtodia, denique dejectum de gradu, ejectum in exilium, oculis privatum, cum maxime ſedem apoſtolicam appellaret: inde vero eductum carcere, Trecas ad magnum concilium ægre adveniſſe, & ſupplici querelarum libello cauſam ſuam commendaſſe

mendaſſe pontifici, narrat temporum hiſtoria. Facti atrociſſimi auctorem nullus veterum appellat de nomine; ne offenſus quidem ipſe, inimicus, & ſupplex. Placuit tot poſt ſæculis noſtratium novitati, crimen ex eo facere, quod ſupplicium fuit; & actori tragœdiæ, Hincmari tyranni nomen imponere. Itaque Gilberti Mauguini hiſtorica diſſertatio, quam in hiſtoria Gotteſchalci nuper edita decurrimus, *ſumma*, ut profitetur, *fide, nec minima diligentia*, extra inſtituti ſui metas provecta, invidioſiſſimo epilogo in eam ſententiam clauditur; ponitque tanquam indubitatum, agentis partes in ea fabula ſuſtinere avunculum Hincmarum. Si falſo, per intolerabilem calumniam: ſi vere, per magnam credulitatis noſtræ fiduciam, ſine auctore, ſine teſte, ſine argumento ullo, vel topico: quin potius contra certiſſimas rationes ſecundo Hincmarianorum operum tomo liberaliter ſparſas. Quo iſtud animo dicat ſcriptor, aut a nobis credi percupiat, nemo jam quærit, qui genium novitatis agnoſcat. Si quibus fortaſſe perſuaſit, excuſationem habent ab ignorantia, quam hujus concilii latebræ hactenus permiſerunt.

*Calumnia in Rhemenſem Hincmarum.* — *Hiſtor. diſſert. epil.*

Ex iis igitur emergit modo & veritas, & clariſſimi antiſtitis innocentia, concilio Duziacenſi I. ex bibliotheca Alexand. Petavii ſenatoris ampliſſimi, & vetuſtatis ſtudioſiſſimi, per Sirmondum educto, quo cauſa tota continetur, & quid in eccleſiaſtico tribunali, & quamobrem, & quomodo paſſus ſit Laudunenſis Hincmarus, edocemur. Magna ſane cauſa, in qua reus epiſcopus, rex accuſator, quæſitor avunculus; quæſtio de tempore modoque Romanæ appellationis; exitus reo funeſtus, indecorus judici, turbulentus actori. Atque cum tandem appellationem proſequuturus, libellum proclamationis Joanni pontifici obtulit Laudunenſis; in eo de ſolo hoc concilio quæſtus eſt, quia cetera evaſerat. Suas tamen calamitates ita in eo narrat, & deſcribit, ut omnino ad horum actorum fidem, velut ad Lydium lapidem admovenda ſit proclamatio, cui omnes hactenus qui ſolam habuerunt cognitam, ut Sibyllæ folio crediderunt. Ne annales quidem eccleſiaſticos excipio, quibus quia fax iſta non præluxit, viſum eſt Hincmarum unum Laudunenſem toto regno eccleſiaſticorum jurium & bonorum aſſertorem & vindicem; Carolum autem regem conſiliis ſenioris Hincmari, fœda epiſcoporum omnium aſſentatione, oppreſſorem & ſchiſmaticum extitiſſe. Non erit tibi, lector, ut ſpero, injucundum, nobile vetuſtatis monumentum, ad vindicandam Hincmari archiepiſcopi famam, & ſincerum veritatis teſtimonium; ut a ſynodo, & quidem plurium provinciarum. Illud igitur accipies, non ut nudam rerum geſtarum narrationem, ſed ut juſtam regis Chriſtianiſſimi, & eccleſiæ Gallicanæ defenſionem, non parum pro temporum iniquitate, Hincmaro duce tum florentis, & in ætatis ferreæ confinio adhuc argenteæ. Quam ut majori cum animi voluptate perPenſeas, fuſius tibi collectam ex avunculi præcipue ſcriptis, notitiam nepotis prælibo.

*[illegible] concilii ad hiſtoriam.* — *Proclamatio Laudunenſis Hincmari fallacia.* — *Baron. ad anno 871. tom. 10.*

## §. I.

*Hincmari junioris educatio, ſtudia, mores.*

*Vita Hincmari Laudun. in Rhemenſi eccleſia.*

HIncmarus junior in agro Bononienſi natus, matre Hincmari archiepiſcopi ſorore, patre nobis ignoto de nomine, nobilibus, at non copioſis parentibus, matre amiſſa in ipſo pueritiæ limine, in avunculi ſinum nutriendus, & bonis artibus inſtituendus convolavit. Admodum puero id contigiſſe oportuit, quando *linguam in qua natus eſt*, adeo ignoravit, ut etiam in epiſcopatu eam *non ſolum loqui, verum nec intelligere, niſi per interpretem poſſet*. Hanc autem educationem ſumptibus eccleſiæ Rhemenſis factam, atque adeo peculiarem ejus fuiſſe clericum profitetur avunculus, *quem Rhemenſis eccleſia ab ipſis, ut ita dicam, cunabulis, dulci benignitate nutrivit, & pannis infantiæ eluit, atque exuit; & ad virum perduxit, atque ad epiſcopatum provexit*. Animum puer attulit ad facultates grammaticæ poeſeoſq; propenſum; ſed plane quales ea colebant tempora, ut in ejus epiſtolis, & verſibus videre eſt. Prodidit ſe ſtatim in puerilibus ſtudiis natura, novitatis, jactantiæ, vanitatis affectatrix, cum obſcuram orationis vetuſtatem affectavit: cum ſermonem ex plurium gentium linguis, tamquam centonem, conſarcinavit: cum *verba impropria, veritate ſenſus carentia, quæ nec ipſe intelligebat, ſtudioſe conquiſivit ad oſtentationem*. Invito quidem avunculo, & coercente; ſed ne acriori reprehenſione diſcendi ardorem extingueret, & jam tum refractariolum exacerbaret, illius pravitatis correctionem ad maturioris ætatis temperiem remittente. Sed in eo ſpe ſua eluſum ſe demonſtrat, cum in verbi unius enucleatione grammaticali per ipſum oblata, exprobrat jam epiſcopo, *de novo ejus utre grammaticæ artis muſtum, & ponderationes verborum ebullire*. Atq; cum alibi ſolœciſſaret, peccare in grammaticorum regulas ſibi ait licere, utpote ſcriptori eccleſiaſtico, qui magna ſerio tractet: *Tibi autem*, inquit, *novo grammatico, qui ut frondoſa & condenſa arbor foliis; ornatus verborum phaleris debes incedere, & tua figmenta grandiſonis pompare modis, & in omnem ventum inflatis buccis grammaticas ſpumas exſpuere, hoc dicere non licebit*. Extat earum in dicendo ſordium non tenue veſtigium, in articulis per Heddonem præpoſitum ad avunculum miſſis, in quibus barbariem putes collegiſſe de triviis & compitis. Præterea jus canonicum, & decreta pontificia libavit, eodem quo reliqua vanitatis ingenio, uſque ad avunculi contemptum, in eo doctrinæ genere laudatiſſimi: quicum & armis illis confligere auſus eſt.

*Patria.* — *L. 55. Cap. 44. p. 59.* — *Ibid. c. 36. p. 556.* — *Studia.* — *Ibid. c. 43. p. 543.* — *Ibid. c. 21. p. 413.* — *Ibid. c. 19. p. 411.* — *Epiſt. 34. p. 591.* — *L. 55. Cap. 24. p. 477.*

*Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli.*

Ex his eminere jam incipiunt mores adoleſcentis, arrogantes, inquieti, monitoris impatientes, contumaces & refractarii, quos adeo ad epiſcopatum attulit, nihil ut ipſi magis avunculus Rhemenſis identidem objiciat: *Dictum eſt mihi, quoniam apud plurimos gloriaris, quia mihi potes reſiſtere, & me audes contemnere. Dementia quoque tua, ſic enim vocatur a plurimis, per multorum ora volitat. A multis etiam denotaris, quod ſuperbia efferaris, & vana gloria jactiteris, atque arrogantia ſupereris*. Ejuſq; rei ſtolidum profecto, & indecorum epiſcopo producit exemplum. *De hoc quippe vitio deſcendit, quod multi te apud plurimos dicunt, de fortitudine, & agilitate corporis tui gloriari, & de præliis, atq; ut noſtratium lingua dicitur, de vaſſalicis, frequenter ac libenter ſermonem habere: & qualiter ageres, ſi laicus fuiſſes, irreverenter referre: & alia multa quæ tibi non conveniunt dicere, & agere, nec mihi enunciare*. Ridicula ſane in eo qui obeſo ventre, & adipatis membris fuiſſe dicitur.

*Mores.* — *Ibid. c. 51. &c.* — *Ep. 35. p. 592.*

*Congruis inde tibi, ſapiens quod dixerat olim:*
*Non tenuem ſenſum venter obeſus habet.*
*Moribus, & factis turgens, ut corpore; corde,*
*Motibus, atque nimis diverſi-ote levis.*

*Reſp. pag. 583.*

Et in motibus incompoſitis ſuperbiæ ſignum eſt, & omen in puero peſſimum: ut in apoſtata Juliano deprehendit Nazianzenus. Illud autem intolerandæ arrogantiæ eſt, nemini quidquam debere velle, & aliena beneficia ſuis meritis imputare. Omitto quod pæne ſemper ipſi objectum eſt, nemini ſubeſſe velle; non regi, non avunculo & metropolitano. In hoc enim omnis controverſiæ cardo verſatur. Nihil proinde mirum, ſi cenſorem omnem a ſe procul excuſſit. *Dic frater ac fili, quid aliud a te exegi, poſtquam epiſcopus factus es, & divitias terrenas adeptus es, niſi ut Deum haberes placabilem, & epiſcopaliter vivens, & epiſcopalem habitudinem gerens, te hominibus faceres venerabilem? Et tibi hoc eſſe grave videbam: & hoc quidem tibi grave hactenus eſſe potuit, & propter ætatem; & quia ſæculi hujus inſtabilitatem, & quam mutabile & fragile ſit, eatenus non cognoviſti. Nunc autem hora eſt jam nos de ſomno ſurgere: & non debemus ſemper eſſe juvenes, ſicut bos malus ſemper eſt vitulus*. Itaque cum juvenem Sacerdotem vocat metro ludens,

*Ibid. c. 51. p. 590.* — *C. 50. p. 583.* — *Cap. 49. pag. 582.*

*Hoc tibi de titulo, juvenis Hincmare ſacerdos,*
*Reſpondere mihi convenit, arte pari.*
*Verſibus inverſis, juvenis Hincmare ſacerdos*
*Reddita ſume tuis, fontibus hauſta ſacris.*

*Reſp. pag. 583.*

Non potius ætatem quam mores perquam immaturos ſpectare cenſendus eſt. Atque id attente conſiderandum, illam monendi curam in avunculo, fortaſſe nimiam, aliquando & intempeſtivam, ex rigido virtutis & diſciplinæ zelo, quo ſemper flagravit, profectam, intenti in contraria nepotis protervia & rebellioni quodammodo occaſionem dediſſe, quam ipſe non niſi graviſſima ſua culpa ſuſcepit. *Hinc quoque te frequentiſſime monui, & adeo corripui, ut etiam contra me, & mihi fideles inde ſcandalum ſumpſeris, & quas vel quantas potuiſti inſidias moliri ſtudueris.*

*C. 51. pag. 586.*

Nihilominus ut amicis & propinquis ſtudio favemus non judicio, poſteaquam annis maturuit: captata occaſione, rebus gerendis idoneum, gerendo reddere ſtuduit, & in publicam lucem educere. Itaque capitula quædam apud Cariliacum per Rhemorum & Rothomagenſium provincias Ludovico Germaniæ regi ſcripta, ipſe per nepotem ſuum ad Carolum miſit. De quibus ita ſcribit. *Et nolite negligere illa capitula, quæ ſynodus de Cariſiaco per Uuenilonem & Erchanraum tranſmiſit ad hunc Attiniacum præterito anno Ludovico fratri veſtro; & me tranſmittente, Hincmarus filius meus vobis dedit, quando vobiſcum in Burgundia fuit.* Obitam quoque a ſe legationem in Gothiam regis nomine teſtatur nepos: ſed ejus tempus aut cauſam non deſignat. Illud certum habemus, longe ante ſacras infulas acquiſitas, ad eccleſiaſticos honores ardenter aſpiraſſe, *tantum ut vel uno in oppido poſſet eſſe epiſcopus: & etiam ſi vellet nutritor avunculus, & auctoritas & ratio foret, honoris & poteſtatis cupidus, vicanus fieri conſentiret epiſcopus, qui Græce vocatur chorepiſcopus.*

*Admovetur ad negotia.* — *Hinc. opuſc. 5. pag. 145.* — *Anno 858.* — *Hinc Lauden. epiſt. de his p. 611.* — *Honores affectat. Hincm. lib. 55. Cap. 16. p. 437.*

## §. II.

*Hincmarus junior in ſede Laudunenſi epiſcopus ordinatur.*

*Epiſcopus Laudunenſis ordinatur.*

COmmodum autem per ea tempora mortuo Pardulo ſedes Laudunenſis vacavit, quam ſtatim cleri & plebis electione, regis favore, nepoti impetravit avunculus: opportunam ſane ſuis rationibus, ſive locum conſideres, Durocortoro Rhemorum vicinum, & metropoli ſingulariter ſubditum; ſive fidem, ut homini amiciſſimo, nepos; patroni & educatoris ſui beneficio ſuccederet. Quamobrem rex ab itinere debito flectentem revocare conatus, ſic eum alloquitur: *Prius te dignum duco monere, ut clerum & plebem tibi commiſſam, qui te, nullo cogente, ſed ſpe ducti, quia pro amore tui avunculi, qui & nobis, & regno, ac eccleſiæ regni noſtri in multis profuit, me videbant te diligere; & quia putabant te illius veſtigia ſecuturum, & conſiliis obediturum; & quoniam Laudunenſe mancipium Rhemenſi eccleſiæ, in qua nutritus fuiſti, unitum antiquitus fuerat, devote elegerunt, & obnixe ſibi paſtorem ordinari petierunt, debitam eis vicem rependens, epiſcopalem ac paſtoralem benignitatem impendas.* Ventum igitur ad ordinationem eadem avunculi velificante gratia, & nullo refragante, ſine primatis ullius examine, ſolo avunculi teſtimonio, præſentibus comprovincialibus epiſcopis fuit in epiſcopum Laudunenſem conſecratus. Quo tempore pro ceterorum more ad altare B. Mariæ metropolitano ſuo fidem obedientiamque promiſit: ſæpe deinde ab ipſo ruptam, ſæpe ab avunculo exprobratam. Neſciebat enim tum profecto ſenior Hincmarus ea manuum impoſitione parari ſibi ſegetem curarum, dolorum ſeminarium, cotem zeli eccleſiaſtici, ſcopulum patientiæ. Illudebant animo, & in futurum proſpicere vetabant fauſtæ acclamationes, & publicus favor, bonis omnibus in perſona nepotis avunculo, ut fit, certatim gratificantibus. Sic enim illum præterita recordari jubet. *Tandem frater & fili, moneo te, reduc in memoriam, qui nunc es in proverbio, & motione capitis, atque in fabula & cantico tota die, cum quanta quiete a tumultu cogitationum quibus nunc in diverſa diſtenderis, degebas in primis diebus, quando ad epiſcopatum veniſti; cum quanta benignitate a domno rege ſuſcipiebaris; quanta dulcedine mea fruebaris; quanta unanimitate cum fratribus & coepiſcopis noſtris utebaris, cum quanto amore a palatinis & ab aliis hujus terræ hominibus colebaris; cum quanta amoris reverentia a tibi commiſſis, ſed & a noſtris a quibus, & cum quibus, & inter quos nutritus fuiſti, venerabilis ante quam immoderatus amor ſæculi tibi irreperet.* Ordines in eo beneficiis ornando ducere voluit rex Carolus, qui ut antea in ſenioris Hincmari gratiam eccleſiæ Rhemenſis bona in palatinos diviſa eccleſiæ ipſi reſtituerat, ſic ad demerendum juniorem epiſcopio Laudunenſi dudum ereptas facultates reddidit, & ſpeciatim villam Pauliacum ab antiquo divulſam, quæ poſtea fuit Marathonius campus Hincmari. Profitetur idem Carolus epiſtola ad Hadrianum pontificem ſcripta, multis a ſe prædiis & hæreditatibus eccleſiam Laudunenſem amplificatam eſſe. *Cujus eccleſia duo circiter millia manſa, pluſquam tempore anteceſſorum noſtrorum habuerit, adduximus; & etiam ipſius tempore* (Hincmari) *pluſquam ſexcenta ſuccrevimus*. Adminiſtrationem quoque palatinam, etiam inſcio avunculo, illi commiſit, & externarum ſive ſæcularium poteſtatum interventu abbatiam quamdam eidem contulit, in tertia provincia, ultra Rhemenſem provinciam. Quo duo licet contra canones facta, propenſam tamen in ipſum & regis & aulicorum voluntatem declarant. Cui etiam accedebat eccleſiæ neceſſitas, & inopia epiſcopi, quem poſtea rex probavit in ſynodo, fuiſſe de nihil habentibus, qui ad clericalem militiam ſe adjungunt. Atque ipſe Laudunenſis clamat, ſi ſibi villa Pauliacus eripitur, *non habere unde ſuis ſufficientia, imo nec ſubſiſtentia tribuat, & ſibi ad ſervitia ſua peragenda neceſſaria præparet, & inde itinera tam crebra peragere valeat, & poſſit regi temporale reddere ſervitium*. Qua major videri debet regis liberalitas, qui ad hæc omnia ſufficientes ſumptus ſuppeditavit.

*Caroli regis ad Hincm. Laud. ep. I. 55. Cap. c. 31. p. 586.* — *Hincmari Rhem. regno & eccleſiæ utilis.* — *Hinc. l. 55. C. præfat. p. 389.* — *Omnibus per initia mire gratus.* — *L. 55. Cap. 45. p. 554.* — *A rege beneficiis ornatur.* — *Flodoard. l. 3. c. 4.* — *Epiſt. Caroli MS. ad Hadrian.* — *Hinc. epiſt. 35. p. 598.* — *Conc. Duziac. p. 3. c. 5.* — *Hinc. Laud. ep. De his pag. 609.*

Nec fuit per hæc tempora omnino inutilis avuncu-

*Avunculo.*

*Suffraganeus in conciliis.*

avunculo, quem in conciliis ſemper comitatus eſt. Abierant quidem illæ de dogmatis theologicis cum Gotteſchalcana factione contentiones: ſed Rothadi & clericorum Rhemenſium lites vigebant tum maxime: in quibus nihil minus opis & obſequii a nepote, quam antea a Pardulo ſperare debebat avunculus. Tractantem igitur hæc negotia educatorem ſuum imitatus, omnibus actis ſubſcripſit: cumque poſtea eo levitate animi proceſſit, ut hæc ejus judicia riſu proſequeretur, ut a ſede apoſtolica reſciſſa, ſubjecit audacter Rhemenſis. *Si hac dicis, non me tantum, ſed & plurimos plurimarum provinciarum epiſcopos, imo & teipſum, quod non denegas, quia & denegare non potes; comparticipem in omnibus judicio noſtro, mendaciter impetis, non videns quo te laqueo ſtrangules.* Et expreſſius alibi, de Rothadi judicio, ſive potius, ut ego interpretor, de ſubrogatione alterius in ejus depoſiti locum, ante cauſam appellantis Romæ cognitam. *De eo quod dicis de Rothado, quia in ejus depoſitione non conſenſiſti; ſubſcriptiones tua manus propria te revincunt. Nihil enim inde egi, quod mecum non egeris: nihil ſubſcripſi; quod non ſubſcripſeris; habeo enim illas ipſas manus tuæ ſubſcriptiones.* Quamquam & de ſynodo Tullenſi II. apud Tuſiacum certantes viſuri ſumus, affirmante ſeniore prolixæ ſuæ epiſtolæ ſubſcriptum a præſentibus fuiſſe, negante nepote alteri ſe ſubſcripſiſſe, quam brevi cuidam collectioni, non ab ipſo confectæ. Qua in re, ut dicemus, cum ſe in partem Lugdunenſium facile duci permiſit, avunculo in omnibus oppoſitorum, quanta fuerit animi levitate quamque parum conſtans in avunculi amicitia & obſervantia, demonſtrare incepit.

*L. 55. Cap. 4. p. 400.* — *Epiſt. 36. p. 641.* — *Epiſt. 34. p. 595. Hinc. Laud. epiſt. de his pag. 616. Conc. Duziac. 1. p. 5. 8.*

§. III.

*Nondum matura virtute ad eum gradum evectus.*

*Ipſius in pejus mutatio.*

HActenus dictum ut de epiſcopo, ex inſtitutione Hincmari Rhemenſis educto. nunc ut de procella & tempeſtate pluribus agendum eſt. Si vere ſapienterque dictum eſt olim, vitam hominum quaſi fabulam eſſe, profecto tragœdiam vixit Hincmarus, a lætis initiis per turbulentam epitaſim in funeſtam cataſtrophen devolutus. Nihil quippe fuit hoc ceppho levius, nihil hoc Proteo mutabilius, nihil Iſmaele tali pugnacius, qui epiſcopatum deſideravit, *bonum opus*, tanquam patentem libertatis campum, impatiens ſeſſoris equulus; tamquam theatrum & gloriæ, ambitionis mancipium: tamquam auream meſſem, avarus & inops animus. Fateri tandem aliquando coactus eſt avunculus, præcocem fuiſſe ejus ordinationem, & juvenem qui ſevera lege apud ſe noluit proficere, crudam virtutem in ſæculum & mundi illecebras propuliſſe. ut neceſſe habuerit ad extremum graviter admonere: *Unde frater, & quondam dulciſſime fili, qui exigentibus peccatis de nido paterno, velut implumis, citius quam neceſſe fuerat, evolaſti; & antequam ſoliditate plumarum, id eſt, humilitatis veſte fores protectus, quaſi nudus, his animoſitatum, & ſæcularium cupiditatum ſpinis ac vepribus, quibus lacerari, inſediſti.* Hinc illud correctionis, quam differebat, *tempus, ante tempus exceſſiſſe* conqueritur. Hinc dolet in deterius ſtatim prolapſam vivendi rationem. *Cum te raptum habuit mundus, ſicut ſolet facere mundus immundus, cunctos quos accepit, decepit; cunctos quibus arriſit, irriſit: & ſicut a plurimis dicitur, ad ea te ſponte offerre (tantum ut hoc ego neſcirem, nulla, niſi forte cupiditate, aut indebito timore cogente, quem non haberes ſi epiſcopaliter viveres) exequenda perduxit, quæ in tantum deteſtabaris, ut antea tibi collum abſcinderetur, quam ad illa perduceteris agenda, quæ multi dicunt a te etiam iterata.* Nec diſſimulat hæc ſibi ſolere a multis objici, *quod te*, inquit, *nepotem meum, gratia propinquitatis ordinaverim: quia talem, ſicut & contra divinæ ordinationis diſpoſitionem, & contra regem, & erga me, & erga eccleſiam tibi commiſſam, & erga plurimos alios effectus es, epiſcopum ordinaverim.* Quod quamquam & eo loco, & apud pontificem ipſum cogatur excuſare, humanum tamen aliquid paſſus videtur, ut carnem potius & ſanguinem in ea ordinatione, quam Dei rationes ſpectaret, & epiſcopum conſecraret, non *irreprehenſibilem*, ſed nepotem. At non ſine divina vindicta, quæ illo ipſo flagello, ut olim Abſalone adverſus Davidem, ad eum reliqua pæne vita vexandum, uti voluit. Nam verbum S. Hieronymi uſurpans, qui ſuos obtrectatores canes appellabat, *audiant canes mei*, ait, *ipſum de filio in fratrem, inde in coepiſcopum, ac poſtremo in canem ſuum excreviſſe*: qui videlicet dictis, factis, ſcriptis allatrare, & mordere numquam deſierit. Seque alibi conſolatur, quod qualemcumque culpam ejus ordinationis eluerit patientia, *quia recepit pro illo, & per illum duplicia*.

*Immatura provectio ad epiſcopatum.* — *L. 55. Cap. 44. p. 552.* — *C. 43. pag. 561. C. 41. pag. 534.* — *Nec ſine culpa in avunculum.* — *C. 41. pag. 533.* — *Epiſt. 36. p. 646.* — *Epiſt. ad Hadr. poſt ſynod.*

§. IV.

*A rege Carolo paſſus injuriam, auxilium accipit ab avunculo.*

*Occaſio diſcordiæ cum rege.*

PErſonas autem quibus ſempiternum bellum intulit hominum importuniſſimus, modo didicimus ex avunculo, quas inſtituti noſtri eſt ordine ſpeculari. Primus nominatus eſt rex Carolus, non cauſa, ſed prætextus & occaſio jurgiorum. Is non tam ſuo, quam temporum vitio palatinos ſorices eccleſiaſtica bona corrodentes pati cogebatur, obnitentibus contra epiſcopis, & eccleſiæ immunitatem, patrimonia pauperum, pretia peccatorum fortiter, & generoſe vindicantibus. Dictitabant res eccleſiaſticas epiſcoporum in regis eſſe poteſtate ut eas largiretur ad libitum: hi ſacrorum bonorum pervaſores laicos, ſacrilegos, pauperum necatores eſſe clamabant: & Carolum Martellum tanti ſacrilegii auctorem, hoc ſolo nomine æternis cruciatibus addictum aſſerebant. Pleni ſunt conciliorum tomi ſcriptis epiſcopalibus, & decretis in eam ſententiam, neque zelum ſuum hac in re deſiderari unquam paſſus eſt Rhemenſis. Atque inter cetera de Carolo rege ſuo, ſcribit cum epiſcopis duarum provinciarum, ad Ludovicum Germanum ejus fratrem, & regni invaſorem. *Monaſteria religioſa, & canonicorum atque ſanctimonialium, quæ frater veſter domnus noſter partim juventute, partim fragilitate, partim aliorum callida ſuggeſtione, etiam & minarum neceſſitate, quia dicebant petitores, niſi eis illa loca ſacra donaret, ab eo deficerent talibus, ſicut ſcitis, perſonis commiſit, debito privilegio reſtituite.* Adjicit epiſcoporum monitis pie obtemperantem plurima in integrum reſtituiſſe. *Nam idem frater veſter & divina inſpiratione, & ſacerdotali redargutione, & etiam ab apoſtolica ſede commonitus, ex aliqua parte quæ perpere egit, correxerat: quæ autem adhuc incorrecta erant, quomodo emendare poſſet, gemebundus quærebat.* Redargutio illa quod mireris, ad excommunicationem uſque proceſſit. Hoc enim videtur idem Hincmarus ipſum redarguens ſignificare. *Et poſt hæc omnia & alia, quæ ſæpe fidelibus veſtris, & etiam in Cariſiaco, quando veniam petentes ab epiſcopis qui adfuerunt, manus impoſitionem accepiſtis.* Et ad epiſtolæ finem. *Quiſcumque violans & convellens conſtituta divina, ab eccleſiæ corpore ſeparatus, niſi per pœnitentiam, & ſacerdotalis indulgentiæ reconciliationem eidem eccleſiæ fuerit reincorporatus, erit ab æterna eccleſia ſeparatus.* Iſta quis ſcribat, niſi cenſuram eccleſiaſticam experto, & reconciliatoria manus impoſitione donato? ut vel hinc agnoſcas paſtoralem vigorem exeruiſſe prælatos noſtros, eoſque injuria, adulationis & conniventiæ incuſari. Carolus autem, niſi cum vel optimatum minæ, vel aſſentatorum aures prohiberent, ipſe per ſe in eccleſiarum ornatus laudabili religione ferebatur. Teſtis eſt utraque eccleſia, Rhemenſis & Laudunenſis, de qua diximus: & Pariſienſis, cui pontem dedit in Æneæ epiſcopi perſona, quem quotidie calcamus. & Actardi hujus ſynodi legati teſtimonio didiciſſe ſe ait Hadrianus pontifex, univerſe *quod ſit amator, exaltator, & illuſtrator ſpecialis in orbem terrarum, & permaximus eccleſiarum Dei.* Et Joannes VIII. poſt ejus obitum cum vera de regibus prædicantur, *divæ memoriæ tantum adjutorem eccleſiarum domini in orbe Chriſtiano*, appellat: multum proinde remotum a ſchiſmate.

*Hinc. epiſt. 11. c. 4.* — *Opuſc. 4. c. 5.* — *Cap. Caroli Calvi tit. c. 1.* — *Ibid.* — *Carolus ab epiſcopis ... Hinc. epiſt. 15. p. 337.* — *Ibid. p. 331.* — *Caroli magnificentia in eccleſiam.* — *Hadr. epiſt. 29.*

*Initium offenſe ex regis injuria.*

Ex his principiis originem duxit bellum ab Hincmaro Laudunenſi contra Carolum regem, regioſque purpuratos tanto tumultu geſtum, in ſpeciem juſtum pro tuenda eccleſiæ libertate. Sed intereſt quo quis animo faciat, quo uſque progrediatur; & bonum bene agier jubent ſapientes. Primus congreſſus, quem quidem commemorat hiſtoria, fuit anno 868. in placito quodam in ipſa Laudunenſi parochia, ubi *cauſa* nobis incognita, *initio rationabili, ſcilicet ſacris legibus non contrario, & aliquanto progreſſu, quia cum audientia epiſcopali, & non in loco publico, ſed in privato, & familiari examine cœpta diſcuti*, derepente Luidonis filius (ſive carnalis ante clericatum ſuſceptus, ſive ſpiritalis, quemadmodum & Hincmarum ipſum Laudunenſem Rhemenſis filium appellare ſolet) ad regem accedit ſupplex, deque præſente Hincmaro conqueritur, quod cum dato munere patris ſui beneficium ab ipſo impetraſſet, illo deinde per injuriam ab eodem privatus fuiſſet, & excluſus. Erat ut ſummum ea levitas indecora epiſcopo (nam de dato acceptoque exenio, nullum tunc jurgium, quod tamen inferius revocabitur ab avunculo.) At rex ſubita ira inflammatus, ultra quam res poſceret, in frequenti procerum corona conviciis & opprobriis hominem proſcidit, quæ nec epiſcopum audire, nec regem dicere conveniret. Aliunde commotum fuiſſe oportuit: quamquam & Luidonem amabat, Parduli veteris amici archidiaconum. Erit qui rem altius ſpeculatus, ſimoniæ crimen ab hominibus prætermiſſum, a Deo in Luidonis filio, per epiſcopum, in epiſcopo per regem, punitum eſſe arbitretur. Non enim hic ſtetit regis offenſio. Siquidem Hincmaro diem dixit, quod ad cauſas ſuas, hoc eſt, ad ſæculare tribunal ſe ſiſteret, facti illius ſui rationem redditurus. Excuſantis per eccleſiæ jura, & nec advocatum pro ſe mittentis, bona omnia proſcribit: per cancellarium palatii vetat ſubditorum quemquam domino ſuo epiſcopo ullum debitæ ſervitutis obſequium deferre: quodque ſupra omne propudium eſt, judicium illud per infames ſacris profaniſque legibus perſonas exercet, quas liberi & ſani capitis laici merito recuſaſſent.

*Hinc. epiſt. 29. p. 316.* — *Non ſine aliqua culpa Laudunenſ.*

Neque tamen omni culpa hoc in negotio vacaſſe Laudunenſem Hincmarum, colligimus ex Rhemenſi, ad ipſum ita ſcribente. *Poſt hæc, more tuæ inſtabilitatis ac inconſtantiæ, contra domnum regem in tantum te ſine ratione contumaciter erexiſti, ut & adminiſtrationem palatinam, & ipſam abbatiam tibi auferret, & a te exaggeratus, duriora ingerenda tibi proponeret. Unde & ſcriptis & verbis pro te ſatagens illum tibi reconciliavi.* Sic & alibi: *Quando pro te & verbis, & ſcriptis apud domnum regem ſategimus, & commotionem illius a te ſine cauſa & irrationabiliter excitatam, placavimus.* quod ita geſtum eſt.

*Hinc. epiſt. 33. p. 358.* — *L. 55. Cap. c. 7. p. 411.* — *Hincmarus ... pro Laudunenſi laborat.*

Acceptam a rege injuriam Hincmarus Laudunenſis avunculo Rhemenſi per literas ſignificat, non tamen ſincere, & ad omnes veritatis numeros, unum admonens, proſcripta bona eccleſiaſtica, quod vocatus ad ſæculare judicium, venire noluiſſet: idemque præſenti præſens repetit. Cui ſenior, ut epiſcopo credens, ſine mora pro juribus eccleſiæ vindex exurgit, & regem graviſſimis literis vehementer increpitum, ad officium, & pœnitentiam revocat. Tum aſſumpto ſecum nepote regem Piſtas abeuntem cum aliis ſequutus epiſcopis, oblatis iterum quaternionibus, & multis verbis *oſtendit quantum præjudicium & epiſcopalis auctoritas, & univerſalis eccleſia in tali facto patiebatur.* Sic enim auctoritatem in aula comparatam collocabat, qui dicitur aulicus epiſcopus, effectu non irrito; ſiquidem obtinuit ut *reveſtito epiſcopo, quibus fuerat ſpoliatus*, & privatim Pauliaco villa reddita, donec legitimo judicio lites omnes terminarentur, pacata ſtarent omnia.

*Hinc. epiſt. ad Hadrian. poſt concil. Duziac. Annal. Bertin. ad an. 868. in fine.*

§. V.

*Regem Carolum mu... modis offendit.*

*Hinc. Laudun. beneficio maleuitur.*

TAnto affectus beneficio juvenis imprudens, graviter & regem, & avunculum, & epiſcopos omnes offendit, cum præcipiti mentis impetu, nemine conſulto, regis facinus pontifici Romano per literas ſignificavit: quod & alias facere non omiſit, quoties vexationis nonnihil a regiis miniſtris paſſus eſt. Hoc vero & acerbiſſime tulit princeps Chriſtianiſſimus, & abſque conſenſu ſuo factum improbarunt antiſtites; ut jure illi Rhemenſis exprobret. *Si vim ab aliquo fuiſti perpeſſus, ut ab ea (*provincia Rhemenſi*) irregulariter, vel coactus exires, nihil apud me, ſicut præcipiunt regulæ, inde queſtus fuiſti: ſed antequam ſcires quid ex eodem negotio acturus eſſes, vel quid obtinere valerem, ſine mea conſcientia, ſicut & jam altera vice feciſti* (puta in prima regis offenſa) *reclamationem ad apoſtolicam ſedem miſiſti.* Iterum quoque eadem occaſione & regem, & archiepiſcopum ſuum apud eumdem pontificem accuſavit: illum ut rerum eccleſiaſticarum pervaſorem, hunc ut in illis injuriis patientem nimis, &, ut dicit ſcriptura, canem mutum, non volentem latrare. Quamobrem ab eo digreſſus, nec ipſum, nec ejus deinde legatos benigne excepit. Sed comprovincialibus omnibus epiſcopis neglectis, ad aliarum provinciarum epiſcopos in poſterum confugit, conſilium & præſidium ab iis rogaturus: *Quia cum bis ad te miſſos & literas miſerim, & quidam tuorum tecum loquendi habuerint facultatem, & tecum loquuti fuerint, nec meum, vel coepiſcoporum noſtrorum expetiſti auxilium, nec noſtro voluiſti uti conſilio, ſicut jam aliis vicibus egiſti.* Et poſt pauca: *Me quoque poſtpoſito, ac relictis provinciæ tuæ communibus coepiſcopis, ſcili-*

*L. 55. Cap. c. 7. p. 410.* — *Hinc. epiſt. ad Hadrian. poſt concil.* — *L. 55. Cap. c. 7. p. 411.*

*ſcilicet meis ac tuis, in alia provincia, & aliarum provinciarum epiſcoporum inde uti conſilio magis, quam noſtro contra regulas delegiſti; cum ego in vicinate loci, ubi domnus rex immorabatur, tunc fuerim, & quidam coepiſcoporum noſtrorum cum rege degueriut.* Putaſ-ne lector, temerarium fore ſuſpicari, epiſcopos illos aliarum provinciarum fuiſſe, quibus Lugdunenſium nomen indictum eſt, quibuſcum jam inde a concilio apud Tuſiacum amicitiæ fœdere conjunctus eſt: qui vetere in regem Carolum & Hincmarum archiepiſcopum odio, quod per Gotteſchalcum in quæſtionibus theologicis obtinere non potuerunt; per nepotem inquietum in bonis eccleſiaſticis conſequuti ſint, ut perpetua vexatione turbarentur, & vitam traherent curis moleſtiiſque pœnitendam? Quidquid credi oporteat, peccavit Laudunenſis, cumque longum & lentum ſequutis in negotiis morem ſemper tenuit, ut neglecto parabili & inter manus poſito remedio, quod a metropolitano avunculo, viciniſque epiſcopis regem perpetuo circumſtantibus, ſperare potuit, præſidium ſibi procul, & trans Alpes quæreret; & inde defenſionem ſuam auſpicaretur, ubi tentatis fruſtra omnibus terminare debebat. Neque hoc intellexit vir incautus, ſe ab epiſcopis contemptu offenſis derelictum, patere totum injuriæ; & ubi non legibus, ſed poteſtate certatur, ſubditum hominem unum, nihilo plus eſſe regi, quam muſcam elephanto.

*Hincm. in Comitem Nortmannum geſta.*
Conc. Duziac. p. 3. c. 3.

Qui maxime noſtro in concilio, totaque iſta rixa commemoratur, comes aulicus Caroli regis eſt, Nortmannus nomine, cui primis annis perdiu *familiariſſime amiciſſimus* fuit Hincmarus, ut loquuntur epiſcopi. Ad ejus gratiam rogantibus aulicis item duobus Rodulpho, & Chuonrado, Pauliacum villam, & res alias olim eccleſiæ ſuæ per regem reſtitutas, eidem regi libens volenſque tradidit; ut eas eidem Nortmanno in beneficium daret. De villa autem Pauliaco præcipua lis eſt (*Bellus Pauliacus villa* ab annalibus Bertinianis dicitur) quam loci venuſtate forte alliciente, voluntate mutata repetere inſtitit, atque a recuſante per vim extorquere.

*Pauliacus villa.*
Ann. Bertin. an. 868.
Hinc. Laudun. epiſt. de Lis p. 614.
Hadrian. ep. 22.

Comitem enim, quæ ſua eſſe contendebat, dare abnuentem primum excommunicat: tum apud pontificem accuſat, tanquam *raptorem, & ſacrarum rerum pervaſorem, & ſacrilegum.* Literas impetrat ad Rhemenſem archiepiſcopum, quibus jubetur Nortmannum excommunicare, *niſi præſentialiter ſe omnibus Lugdunenſi eccleſiæ rebus exueret.* Mentem pontificis rite interpretatus Hincmarus Rhemenſis, excommunicandum eſſe, ſi quid contra jus & æquum ageret, facile reſpondet, res eccleſiæ non invaſiſſe Nortmannum, ſed ab epiſcopo inconſultis omnibus regis datas, *ut eas Nortmanno ſuo beneficiaret, ſicut plurimi ſciunt, & in ſcriptis ſuis domno regi, & mihi directis fatetur. Quas quidem res nuper domnus rex eccleſiæ Laudunenſi reſtituit: quaſdam res prædictus epiſcopus, filio Nortmanni ſibi commendato in beneficium dedit; quas ab eo receptas tenet.*

Hinc. epiſt. 41. p. 699.

Leve hoc foret, niſi vehementiore impetu ferociam ſuam in regis contumeliam, & regiorum purpuratorum injuriam demonſtraſſet. Nam, ut eſt expoſitum in epiſtola ſynodali, armatos homines, & permixtum vulgus magna multitudine ſecum trahens, venit in villam, irruit in domum, in qua Nortmanni conjux de partu jacebat, & direpta omnis generis ſupellectile, tanquam Troia capta, languentem ejicit, nemine ante monito, inſcio rege, ſtupentibus omnibus. Alio poſtea die Nortmannum ipſum imparatum eadem vi occupans, non mitius habet, & omnia quæ ſupererant illius bona, corradit. ut mirum non ſit, tam vehementer accuſatum fuiſſe in ſynodis Hincmarum a Nortmanno.

Epiſt. ſyn. concil. Duziac.
Hinc. epiſt. 33. p. 541.

At ex adverſo Laudunenſis, velut accepta injuria, & ne quid contra jus & fas moliri videretur, rotulas regi & avunculo ſuo miſit, *in quibus*, inquit iſte, *hiſtorias altercationum inter te, & eumdem domnum regem, & item inter te & Nortmannum deſcripſiſti, & vocum ac factorum tuorum novitates explicuiſti.* Præterea, cuidam Amalberto ereptum beneficium cum rex juſſiſſet reſtitui, epiſcopus armata ſua familia, illum ex eo ejecit; & neſcio quo alio prætextu indecoro, cum magna ſua infamia, & avunculi contemptu excommunicavit: *Quam*, ait, *turpis rei epiſcopo indecentem hiſtoriam; pro dolor! multis nimium cognitam, pudet me ſcribere.* Juvenis autem epiſcopus ſcripturæ ſuæ admodum liberalis, eidem avunculo rotulam dedit, *in qua fabulam de Amalberto & uxore ejus contexens, plurima in eum captavit.*

Idem l. 55. Cap. c. 41. p. 540.
Ibid. c. 2. p. 391.
Ibid. c. 41. cit. p. 531.

Aliam quoque ejus ſeditionem exprimunt patres concilii, in qua hominem occiſum fuiſſe teſtantur; quod ab epiſcopali familia remotiſſimum eſſe oportet. Quid dicam de regiis miniſtris ad quoſdam *reos* pertrahendos ad ſynodum Duziacenſem miſſis, quos ille armata manu repulit, & eos qui petebantur, nocta emiſit, ne rationes ſuas regi reddere cogerentur: *Quam rem novam*, ait rex in petitione ſynodali, *nec ante viſam exhorrui: cum de ſub iſto cælo non legimus, ut epiſcopus militari manu, & in regno pacifico, regi reſiſteret, ut leges non adimpleret.* Omitto meditatam aliquando a rege defectionem, ad ejus nepotem Lotharium, regem ab ipſo excommunicatum, & ejuſdemmodi ſexcenta quadriennio & amplius perpetrata, quod malorum olympiadem non injuria dixeris. Atque horum pleraque poſt fidem regi datam & ſacramenta præſtita: quod perſæpe amplificat Rhemenſis. & ea refert Laudunenſis ipſe in hæc verba: *Ego Hincmarus Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus, amodo, & deinceps domno ſeniori meo Carolo regi ſic fidelis, & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſeniori, & epiſcopus per rectum ſuo regi eſſe debet.* Cui profeſſioni a ſe ſubſcriptæ, & datæ in ſynodo Attiniacenſi, quia factis repugnavit, contendit rex & concilium, perjurii crimen incurriſſe, eoque nomine damnandum, epiſcoporum aliqui cenſuerunt. Et hæc pauca de regiis injuriis nemini mortalium tolerandis.

*Alia ſeditio.*
Epiſt. ſyn. concil. [illegible]
Conc. Duziac. p. [illegible]
[illegible]

## §. VI.

*In archiepiſcopum avunculum temere incurrit.*

*Hincmar. ſe* [illegible]

IN quibus poſcebat prudentia, etiam vulgaris, ut culto, & obſervato ſemper avunculo, apud regem & epiſcopos gratioſiſſimo, cujus nutu & conſiliis omnia in republica gerebantur, tutum ſibi perfugium pararet, quo contra regis offenſi, & optimatum impetus tegeretur. Verum ejus amicitiam nihil ſibi prodeſſe, imo potius obeſſe falſo exprobrans, cum illo, cui nihil non debebat, beneficiis omnibus præventus, bipedum ingratiſſimus ita certavit dictis, factis, ſcriptis, ut dici poſſit tantum cum rege velitatus. Multa hic non dico, quia ſuum & metropolitanæ ſedis contemptum, ſane infinitum,

Idem epiſt. De [illegible]



& in libro quinquaginta quinque capitum, & aliis epiſtolis, & in expoſtulatione apud ſynodum, infinito & ipſe multiloquio Rhemenſis proſequitur. Equidem ſine ſtopore non lego, quod neſcio utrum exaggeratione rhetorica ſcribat: *Ab ipſa die tuæ ordinationis tam verbis, quam ſcriptis, & inordinatis actibus ac moribus tuis, frequentibus adeo ſum gravatus lacerationibus atque contuſionibus, ut tædeat me vitæ meæ.* Atque utinam qui pro officii graduſque mei ratione tibi ſum alligatus, in vaſtam ſolitudinem procul a te tuiſque poſſem avolare! *ut aut tua pertinacia contumacis præſentiæ, aut miſſorum tuorum duriloquiis, aut ſcripturarum tuarum derogationibus, & inutilibus næniis, quin potius tragœdiis, aut talibus quæ non conveniunt epiſcopo de te auditionibus, non affligar.* Quod ſic interpretor; ut ſui juris factus per ordinationem, excuſſa ſtatim cenſoris ſui reverentia, ſpretiſque monitis ſæculares mores induerit, ad opes, ad honores, ad corporis delicias anhelarit, dolente & identidem revocante avunculo: eaque ſimultas intra privata colloquia, & occulta literarum commercia aliquamdiu ſteterit; donec tandem in apertum magna omnium offenſione prorupit, cum quicquid ab alieniſſimo, & inimiciſſimo homine timeri potuit, hoc avunculo nepos, nutritori & benefactori alumnus, ordinatori epiſcopus intulit.

*Ab ipſa initio epiſcopatus.*
Hinc. epiſt. 51. p. 597.

Qualia ſunt hæc, poſſeſſiones eccleſiæ Rhemenſis invadere: adminiſtrationem palatii, & abbatiam eo inconſulto accipere: ad illud monaſterium in aliena provincia ſitum, abſque metropolitani literis proficiſci, & in eo negotia ad ipſum non pertinentia inconſulte diſponere; quæ poſtea excuſare, & a ſynodali cognitione removere, coactus eſt avunculus. Semel ac ſecundo advocatum ad concilium, neque accedere ipſum, neque vicarium mittere cum tractoria. Multorum criminum reos ab ipſo excommunicatos, ut Nivinum, & fratrem ejus Bertricum, apud ſe recipere: ejus ſubditos, ut Amalbertum, excommunicare, neque tertio admonitum ſententiam illam velle reſcindere: ut eam ob rem placitum indici oportuerit a Rhemenſi; ad quod convenientibus epiſcopis & laicis cujuſcumque ordinis, multa indecora dixit fecitque juvenis Hincmarus. Hujus Amalberti uxorem illam eſſe puto accuſatricem feminam, quam alibi videbimus dici ab epiſcopis Duziacenſibus, ad pontificem Romanum mitti non poſſe. Ad preces avunculi Senato clerico ordinationem, Hadulfo presbytero, & monacho cuidam a rege miſſo, per eum excommunicatis, veniam & communionem nolle concedere: quam tamen monachus, aliorum epiſcoporum rogatu ab eodem facile impetravit. Contempto metropolitano, alterius provinciæ epiſcoporum exquirere concilium, & ſtare velle judicio: ne præſentem quidem ipſum ſalutare vel intueri: vel oſculum pacis in concilio dare, quod ab alio nemine recuſabatur: nihil denique non agere, quo vexare avunculum, & metropolitani jugum excutere moliretur. *Et ſtudes*, inquit, *tergiverſationes exquirere, ut nulli poſſis ſubeſſe, qui non potes cunctis præeſſe.* Et alibi: *Tu ante cogitans conſilia, quæ non poteris ſtabilire, inobedientiam tuam ne corrigas quæ perpere admiſiſti, & effrenationem deſideratæ libertatis, indebite, ut non ſis metropolitano ſubjectus,* &c. Et hoc præciſe ad propoſitum: *Tu qui quantiſcumque potes molitionibus certas, ut tuæ metropolis auctoritatem, ex antiquo per ſacras regulas attributam, deroges; ac per hoc omnibus metropolitanis debita jura tollas.* Ea ſunt, comprovincialium epiſcoporum cauſas primo cognoſcere, & judicare: ſalvo poſtea appellationis jure ad primam ſedem: quæ intempeſtiva appellatione, ad defugiendum inter notos judicium, & eludendam metropolitani vigilantiam poteſtatemque, convellebat Hincmarus.

L. 55. Cap. c. 1. p. 389.
c. 1. p. 391. Ibid.
c. 43. p. 540. & epiſt. 30. p. 334.
c. 2. p. 395.
Epiſt. 51. p. 339. & ipſe Laudun. epiſt. Relegi. p. 344.
c. 9. p. 412.
c. 7. p. 411.
Præfat. p. 386.
c. 10. p. 420.
c. 27. p. 492.
c. 16. p. 437.

Jam autem ubique famam avunculi carpere: dictitare ejus inſtinctu atque conſilio regem adverſum ſe efferari: inſultare tanquam victo duabus in cauſis, Rothadi, & Wlfadi; poſtulare ut ſua ipſe ſcripta concremaret: clamare degradatione & interdictione a miſſa celebranda dignum eſſe, idque ſe effecturum minari: calumniam impingere, vel quod dictorum veterum ſcripta adulteret; vel quod id unum agat, ne appellationem ſuam apud ſedem Romanam proſequatur; imo ut jus appellationis ad pontificem abrogetur; quæ calumnia non alteri inter homines quam ipſi venire potuit in mentem. Omitto ſcripta in Rhemenſem mole grandia, faſtu turgentia, fabulis & corruptelis inania, *monſtruoſos libellos, monſtruoſe collectos.* Quorum cenſuram breviter exſequitur his verbis: *Cum autem mihi vacaverit, ſuccinctius de aliis perverſis & incompoſitis ſcriptis tuis; in quibus quædam mendaciter, quædam reprehenſibiliter me reprehendendo, quædam ficte humiliter, & vere ſuperbe ſcripſiſti, reſcribam.* Nam licet tituli & appellationes nonnullæ aliquid reverentiæ præferant, in ironicum tamen ſenſum accipi oportere demonſtrat, dicens: *Et quia patrem me, ut pares, irriſione potius, quam veneratione vocaſti.* Denique quantum ab eo moleſtiarum patiatur, planius exponere non poteſt, quam cum ſcribit: *Ne magnitudo miſerationum domini, quas de manu illius gratuita gratia ſine merito ullo ſuſcepi, extollat me, datus es mihi ſtimulus recognoſcendæ infirmitatis meæ, angelus ſatanæ, ut me, & matrem tuam Rhemorum metropolim quæ te nutrivit, elatis moribus, & inobedientibus colaphizes.* Et ad extremum ad concordiam illum invitans: *Noli ergo diutius, tanquam civili bello, noſtris contra nos erectis ſignis armiſque pugnare, & ſeditiones a multis, & per multos, & ſuper multos compreſſas* (in externo bello Gotteſchalcano) *redivivo furore in perniciem tuam, & eccleſiæ catholicæ commotionem reexcitare. Et noli te extollere contra maternam metropolis tuæ generalem totius provinciæ ſolicitudinem, & contra paternam nutritoris, & ordinatoris tui benignitatem, quam tibi cum ceteris, ſine aliquo detrimento, tantum ut te recognoſcas, & metropolis privilegium, & metropolitani dilectio, ſine difficultate cupiunt exhibere.*

c. 40. p. 536.
c. 5. p. 399.
c. 4. p. 396.
c. 6. p. 407.
c. 43. p. 539.
c. 45. p. 555.
Epiſt. 55. p. 600.
c. 43. p. 543.
c. 39. p. 534.
*Angelus ſatanæ.*
c. 44. p. 553.

## §. VII.

*Eccleſiæ ſuæ clericos & laicos vexat.*

POſt regem, & archiepiſcopum avunculum offenſos, debuit ſaltem pacata & regulari eccleſiæ Laudunenſis adminiſtratione ſubditorum ſuorum benevolentiam ſibi conciliare. Id vero quemadmodum præſtiterit, videamus. Simoniæ quippe manifeſtiſſime convincitur in manuum impoſitione. *Bene reminiſci potes, me jam te commonuiſſe, quoniam per multos audivi, ſed & uſque ad aures domni regis pervenit, quia & de impoſitione manus in ordinatione eccleſiaſticorum graduum, etiam a manu munera accipiebas: & de eccleſiarum datione præmia requirebas;*

*Eccleſiam ſuam per* [illegible] *gubernat.*
*Simoniacus.* c. 34. p. 522.

*bus ; & a diffamatis presbyteris , ne diſcuterentur , redemptionem accipiebas. Unde & ab eccleſiæ tuæ filiis iſdem domnus rex veritatem audire quaſivit : & requiſitionem , interveniente tali cauſa quæ nota eſt , proſequi deſtitit ; tibique quam terribilius potui , interdixi , ut his facinoribus nullo modo communicares.* Atqui pretio aliquo temporali , vel publice peccantium crimina epiſcopo tegere , vel minus digne pœnitentiam publice peragentem ad reconciliationem deducere, vel quocumque livore , quemlibet dignius pœnitentem ab eadem reconciliatione removere , ſerio vetat Hincmarus noſter in capitulis , *quia hoc ſimoniacum & Deo & hominibus abominabile eſt* . Quanto magis Spiritum ſanctum & eccleſiæ miniſterium pecunia vendere? Quamobrem Theodulfo comiti viro illuſtri apud Flodoardum eccleſiam aliquam pretio vendere paranti , graviter ſcribit : *Scias quia ſi vel unum denarium tibi aliquis clericus pro ipſa eccleſia , vel pro alia aliqua in mea parochia , per ſe , vel per immiſſam perſonam dederit , per me ordinatus in ea non erit.* Multorum quoque gravaminum in ſubditos perdiu accuſatus eſt : *Dicitur & a multis quod & clericos , & laicos tibi commiſſos in multis exeniis , per diverſas occaſiones graves .* Et poſt pauca : *A multis enim dicitur , quod vix pauci , aut potius nulli apud te quiddam beneficii , niſi præmii datione prævalent obtinere.* Quod admodum credibile facit inopia quam ad epiſcopatum attulit , ut antea dicebamus. Atque hanc criminationem ad fœnus & turpem uſuram ait a canonibus referri , latis adverſus clericos fœnus & turpia lucra ſectantes : a quo propudio illum cum aliis rationibus , tum exemplo maxime ſuo revocat , qui ad inſtar Samuelis nullum quacumque de cauſa munus accepit. Quo in temperantiæ genere , ut id obiter adjiciam , mihi ſemper placuit generoſa Theodoreti profeſſio ad Nomum exconſulem. *Viginti quinque jam egi annos* ( in epiſcopatu ) *nec a quoquam accuſatus , nec alium accuſavi. Nec eorum aliquis qui mihi ſubjiciuntur religioſiſſimi clerici , tot annis , ne obolum quidem mihi in tribunali oblatum conqueſtus eſt : neque veſtem a quoquam accepi ; panem unum , vel ovum nullus domeſticorum meorum accepit aliquando. Præter laceras has veſtes quibus veſtior , nihil poſſidere volui.* Redeo ad Hincmarum. Violenter etiam ſua in oves proprias uſum poteſtate narrat & avunculi epiſtola ad Hadrianum , & Caroli regis ad ipſum epiſcopum , qua admonet , ut clero & plebi ſui commiſſæ , epiſcopalem , & paſtoralem benignitatem impendat : *Et non eos* , inquit , *tam duriter tractes , atque adfligas : neque illis alios quos non noſti , præponas , vel ſuperponas : & de gremio eccleſiæ tibi commiſſæ , in qua nutriti & educati fuerant , illos , ſicut quoſdam jam expuliſti , vel abſcedere compuliſti , non projicias , vel cum gemitu ibidem conſiſtere cogas :*

Hinc. Cap. tit. 1. n. 13.
Flodoard. l. 3. c. 26.
L. 55. Cap. c. 51. p. 584.
Fœneratori ſimilis.
p. 587.
Theodoreti laudabilis abſtinentia. ep. 81.
Hincmari violentia.
Epiſt. Car. regis ad Laudun. c. 51. p. 586.

Sed funeſtiſſima Laudunenſis eccleſiæ perturbatio tum accidit , cum neſcio qua laceſſitus injuria , omnes parochiæ ſuæ clericos excommunicavit. Erant illi magno numero , in quibus innocentes plurimos extitiſſe oportet. Poterat utcumque illa eccleſiæ contumelia tolerari , ſi pauci , accuſati , confeſſi , convicti , fuiſſent ejecti , ſi quid in eorum accuſatione dubium , aut obſcurum foret. *At ubi manifeſtiſſime , ſicut omnibus conſtat eſſe notiſſimum , ſine aliqua ratione vel culpa abjectorum contra omnem auctoritatem trecenti , vel quadringenti , ſive quingenti , ſolo tuo furore , & cauſa injuriarum tuarum abjecti erant* , &c. Poſcebat legum ordo , ut ad me , tuum metropolitanum querelam deponentes , meumque de illa judicium expectares ; ſed tu præceps iracundia , nemine conſulto , rem tantam , tam pernicioſam derepente confeciſti. Quam multa hic peccata! Injurias privatas ſpiritali gladio ultum ire , quod canones vehementer improbant : illum abſque ullo judicii ordine exerere : plurimos innocentes eo ferire : novum illud & inſolens factum abſque metropolitani auctoritate aggredi. Sed illud luctuoſiſſimum , quod ea cenſura conſtrictis eccleſiæ miniſtris ſequutum eſt , ut neque baptiſmus parvulis , quod Pelagio placuit ; neque communio morientibus , quod Novati dogma eſt ; neque ſepultura mortuis , quæ nimia inhumanitas eſt , donari poſſet . Non arbitror equidem adeo crudelem fuiſſe , & impium , ut iſta directe fieri vetaret : ſed , quod eodem redit , clericorum neminem reconciliare voluiſſe , a quo cum tempus & ratio poſceret , hæc omnia fierent.

Clericos ſuos inanes excommunicat.
c. 28. p. 495.
c. 30. p. 507.
p. 508.
c. 31. p. 510.
c. 31. p. 512.
c. 33. p. 514.

## §. VIII.

*Excommunicationem ab eo irrogatam ſolvit avunculus metropolitanus.*

DIes quinque tenuit ferale juſtitium ( quibus credibile eſt & infantibus multis baptiſmum , & morientibus viatici muneris communionem in parochia ſatis ampla defuiſſe. ) Dum Laudunenſes clerici diuturnioris cladis metu , quod erat in proximo remedium exquirentes , appellant ad metropolitanum *abſque ſchiſmate & rebellione juxta temporis anguſtiam , & imminens periculum* . Quid enim opus tum erat Romani pontificis cognitione , ad quam remittebat epiſcopus , in re certa , & ſæpius judicata ? De dubiis enim & obſcuris tantum conſulenda eſt ſedes apoſtolica , ubi canones deficiunt , aut diverſas interpretationes patiuntur. Sic ergo appellatus Rhemenſis archiepiſcopus , legitimo judicio , licet abſque provinciali concilio , & ſcrupuloſa teſtium interrogatione , clericos cenſura ſolvit , & communioni miniſterioque ſuo reſtituit. Quamquam non tam ſuſtulit inhærentem , quam nullam fuiſſe judicavit : *Quibus ſententiis* , inquit , *ſanctarum ſcripturarum , & ſacrorum canonum , atque decretorum ſedis Romanæ pontificum fultus atque ſuffultus , & ſicut adhuc in proceſſu oſtendam , metropolitana auctoritate execrabilem , atque exitiabilem non excommunicationem , ſed maledictionem tuam in eos jaculatam , qui non accuſati , nec confeſſi , nec convicti , nec etiam a te fuere , ſecundum domini juſſionem commoniti : ac de his , pro quibus eos excommmunicaveras , ſicut non ſolum mihi , ſed & pene omnibus in Rhemenſi provincia erat notum , innoxii , & tanti , ſimul a ſacro officio , atque a ſocietate eccleſiæ catholicæ , ſolo tuo furore , & cauſa tuæ injuriæ , ad multorum exitium fuere depulſi , irritam , & nullius momenti eſſe decrevi.* Ad hæc grandi canonum & veterum patrum collectione , quam nobis injuria temporum invidit , factum ſuum probavit , & latæ excommunicationis iniquitatem oſtendit : illudque ſcriptum ad eccleſiam Laudunenſem tranſmiſit , ut omnes cognoſcerent , 1. ſic ligata *nullas vires habere , nec eccleſiaſtica reputari* ; *libere* proinde *potuiſſe ſolvere* metropolitanum , *pro officio loci ſui , quod ipſi non licuit ligare.* Cui dicto ſimile eſt aliud quod a Laudunenſi objicitur : *Non mihi videretur dignum excellentia veſtra fuiſſe , ut dice-*

Abſolutus a metropolitano.
c. 47. p. 564.
c. 34. p. 514.
c. 30. p. 505.
Collectio Hincm. ... Epiſt. 55. p. 589.
c. 31. p. 511.
Hinc. Laudun. epiſt. De his p. 615.

*ceretis Bertbario , quod mihi renunciavit vos dixiſſe , Si hos præſignatos meos excommunicaſſem homines , qui talia egerunt & adhuc agunt , non eos excommunicatione teneri. videlicet anathematis vinculo non ligari .* Quæ & alia exempla demonſtrant , iracundius & frequentius quam deceret eccleſiaſticas illas manubias jaculatum fuiſſe juvenem epiſcopum. 2. Opus concilio provinciali non fuiſſe , quia periculi magnitudo præſens auxilium flagitabat : *Quia pro omnibus reprehenſibilibus , quæ de te per omnium , ut ita dixerim , ora volitant , & ad me non pervenire non poſſunt , ſemper quando eaſdem reprehenſiones tuas audiero , omnes epiſcopos provinciales , ut eas mecum audiant , congregare non poſſum* . 3. In publico & vulgatiſſimo crimine teſtes non fuiſſe conquirendos , illudque nulla tergiverſatione regi potuiſſe : *Cum certiſſimum , atque notiſſimum & nobis , & omnibus in hac Rhemenſi provincia habeatur , quod nec accuſati , nec confeſſi , neque convicti de aliquo crimine fuerint* . 4. Legitimum ejus non fuiſſe judicium , & ideo appellari debuiſſe : *Quia vero certum eſt te non ſecundum has regulas judicaſſe ; nec ex conſenſu partium electus in hac judicatione judex fuiſti , a te judice eccleſiaſtico , ad me majoris auctoritatis judicem eccleſiaſticum judicati , ſicut & fecerunt , debuerunt provocare : & tua injuſta ſententia a me eſt competenter ſoluta* . Judicati , inquit , non judicandi & proximam condemnationem præcipientes ; quia male judicati , ad juſte judicaturum , provocarunt.

Hinc. c. 35. cit.
cap. 28. p. 497.
c. 29. p. 501.
Ibid.

Hinc vero bellum inteſtinum nepotem inter & avunculum recruduit , dum ille ſe manifeſto in crimine deprehenſum indignatur : dum collectionem illam ſententiæ ſuæ peremptricem flammis aboleri poſtulat per Vvenilonem Rothomagenſem , nunquam alias rediturus in gratiam. Quam conditionem non riſu , ut par erat , elevans , ſed ſerio reſpuens , tanquam *mortiferum* poculum ab ipſo *propinatum* , hominem vana ſpe , & infinita ſuperbia elatum rejecit. Ac denique ad ſynodos compulit , quarum contentiones ejuſcemodi materies fuerunt , excitatis accuſatoribus , paratis accuſationum libellis , & , quod mirabile eſt , offenſis judicibus omnibus , rege , metropolitano , epiſcopis. Quapropter eorum judicium vitare conatus eſt Romana appellatione ſæpius repetita , ſed fraudulenta & illuſoria; de quibus modo dicendum eſt. Statuit enim tandem aliquando rex Carolus rebellem & calumniantem coercere : certum eſt Hincmaro metropolis ſuæ jus & poteſtatem vindicare : non dubitant antiſtites Gallicani , quin provinciale judicium appellationi præire debeat. Synodum poſtulant res & perſona. Tres dantur , apud Vermeriam , apud Attiniacum , apud Duziacum. In prima declamat , fugit a ſecunda , ſpoliatus venit ad tertiam : convictus in omnibus , appellat ab omnibus , vix ab illa liber aut ſalvus evadit. Poſt hæc appellationem proſequitur , ſed damnatus : auditur , ſed cæcus : toleratur ut vivat , non ut imperet : Sampſon enervis , uni ſibi miſer , oneri quod tandiu exaggeravit , ad extremum ipſe ſuccumbit.

Inde major diſcordia inter utrumque Hincmarum.
præfat. p. 386.
c. 47. p. 563.
Ad ſynodos tandem perducta.

## §. IX.

*Prima ſynodus adverſus Hincmarum Laudunenſem apud Vermeriam palatium.*

PRima ſynodus apud Vermeriam palatium , Piſtenſe colloquium , & deſcriptam a nobis pacificationem ſequuta eſt , cum Laudunenſis Hincmarus crebris a rege literis evocatus adire contempſit , & ſcriptis ad pontificem Hadrianum literis eum cum metropolitano ſuo accuſavit. *Indeque , ſicut ſciunt plurimi ,* ait Rhemenſis , *contra illum te iterum erexiſti , & mandata ſua ut ad eum venires , contemnens , adeo illum ad iracundiam provocaſti , ſicut omnes in iſtis regionibus ſciunt , ut coactus te per fideles ſuos , ſicut infidelem appeteret* . Id quomodo geſtum ſit ab hiſtorico repetendum eſt , annaliſta Bertiniano , poſt illa quæ ſuo loco retulimus , ſic narrante: *Et quoniam iſdem epiſcopus etiam per alios epiſcopos evocatus , ut ad illum veniret , juſſionem illius implere detrectavit , ſacram ex quampluribus comitibus regni ſui confectam , Laudunum miſit , ut ipſum epiſcopum ad eum violenter perducerent . Iiſdem autem epiſcopus cum clericis ſuis juxta altare reſedit : & quibuſdam epiſcopis ſatagentibus , actum eſt ut ipſi , qui miſſi fuerant , de eccleſia eum non extraherent : ſed ſine illo ad Carolum redierunt , omneſque homines ipſius epiſcopi liberos ſibi ſacramenta fieri fecit . Carolus autem valde commotus ſynodum epiſcoporum omnium regni ſui 8. Kal. Maii ſecundæ indictionis apud Vermeriam condixit , quo eumdem Hincmarum epiſcopum vocari præcepit .* Quo tempore illud factum opinor quod in homine vehementis iracundiæ credibile eſt , & ad eum ſcribens avunculus ſupradictis adjecit : *Tu autem ante inauditam excommunicationem in meos , & multorum archiepiſcoporum , & epiſcoporum parochianos , ſed & in ipſum regem , ſine mea conſcientia , contra ſacras regulas jaculaſti : unde multos ſcandalizaſti ; & maximum ſcandalum , non ſolum eccleſiæ , ſed & regi & regno intuliſti* . Putabat Laudunenſis ita vindicari jura eccleſiæ , præſulibus ceteris ſeditionem & pervicaciam interpretantibus , cui proinde dicere poterant : *Ecce tu ſapientior es Daniele ; omne ſecretum non eſt abſconditum a te. In ſapientia & prudentia tua , feciſti tibi fortitudinem.* Hic novus labor Herculi Rhemenſi , ut protervum nepotem cum rege & epiſcopis , ac deinde per regem cum optimatibus & ceteris revocaret in gratiam , ne recentes injurias ſynodali judicio perſequerentur. *Poſt quam præſumptionem adhibitis mecum confratribus noſtris , te & cum eo pacificavi ; & epiſcopis , quorum parochianos excommunicaſti , ut te in ſynodali ſententia non inveherem , perſuaſi . Sed & eoſdem a te excommunicatos , licet non ſine labore , adminiculante domno rege , adverſum te conquieſcere feci* . Quod non verbis ſolis , ſed etiam quibus pollebat ſcriptis effecit , ad eorum ſimilitudinem , quæ paulum ante , apud Piſtas regi obtulerat . *Nam & quando eadem principalis poteſtas , necnon & omnis præfectura totius regni ſui , inſolentia tua exigente , contra te fuere commotæ in Vermeria Palatio , iterum inde ſcriptum , quod legiſti , porrexi* .

Prima ſynodus apud Vermeriam.
Hincm. ep. 55. p. 598.
Annal. Bertin. ad an. 869.
... Hincm. opuſc. c. 3.
Regem , & plurimos alios excommunicat.
Epiſt. 55. cit. p. 599.
Ezech. c. 28.
Regi & ... reconciliatur.
Hincm. ep. 55. cit.
c. 8. p. 412.

Hac , ut credibile eſt , pacificatione ſecurus , venit ad ſynodum Hincmarus. Haud ſcio idemne de Carolo rege dici debeat , lectis apud annales citatos ejus geſtis poſt indictam ſynodum : maxime cum & illa Hincmari reconciliatio ante ſynodum perfici potuerit , & in ea nihil actum appareat , quod præ-

In ſynodo accuſatus Romam appellat.

præſentiam regis expeteret. Quid autem tum Laudunenſi fuerit objectum, qui fuerint ejus accuſatores, quid reſponderit, nuſquam proditur. Unum conſtat, objectionibus tanquam laqueis irretitum, non aliter extricari potuiſſe, quam interjecta Romana appellatione; cujus licet nulla tum ſit habita ratio, ulterius tamen proceſſum non eſt: ſed abſque effectu prima illa cognitio conquievit. Sic enim ipſe conqueritur: *Jam etiam per integrum efflagitavi annum, & præcipue in ſynodo apud Vermeriam palatium, olim ab horno habita, obſecrando declamavi; nunc quoque & obſecro, & item declamo, ut & hactenus egi, quo veſtra archiepiſcopali auctoritate, apud domni glorioſiſſimi regis Caroli clementiam obtineatis*, &c. Cui reſpondet avunculus: *Quod dicis te in ſynodo apud Vermeriam, indeque apud Attiniacum licentiam eundi Romam petiiſſe, & impetrare non potuiſſe; omnes epiſcopi qui in eiſdem ſynodis fuerunt, liquido ſciunt, quoniam cum de tuis inſolentiis increpabaris, timens regulare judicium, vel regis caſtigationem, licentiam eundi Romam petebas*: & quæ ſequuntur. Nam de appellatione, & appellantis luſione opportunius poſt ſynodum Attiniacenſem dicemus, cum ejus artes clarius paruerunt. Certum videtur interim monitum ab ipſo pontificem de illa ſua appellatione, & nonnullis in ſynodo geſtis, cum regis & metropolitani accuſatione, quorum ope gratiaque ab aliorum injuriis tegebatur.

*Laud. apud Rhem. ep. 33. cit. p. 604.* — *Ibid. p. 605.*

## §. X.

*A rege mittitur in cuſtodiam apud Silvacum.*

CONſtat & illud, poſt ſynodum Vermerienſem, detentum fuiſſe a rege, velut in carcere, apud Silvacum in parochia Laudunenſi. cujus facti culpam non obſcure rejicit in avunculum, cum ei ſcribit: *Relegi curſim ſcripta veſtræ celſitudinis, quæ mihi perferenda deſtinatis, inſtante anniverſario mei traditionis, perpetrato mea in parochia, & loco qui dicitur Silvacus. Mei autem, non meæ ſcripſi traditionis, ut removeatur amphibologia ambiguitatis, inter tradentem & traditum, ex poſſeſſivo pronominis. Liquet enim ex primitivo genitivi me traditum fuiſſe, non traditorem extitiſſe.* Et expreſſius in concilio publice proteſtatus eſt: *adverſum illum habeo, quia me a rege in cuſtodiam mitti fecit.* Sed hanc eſſe calumniam, & regis in ſynodo graviſſima aſſeveratione, & hic ex Rhemenſi patet, narrationem ſuam ita proſequente: *Sed tu addens pejora prioribus, ſic domnum regem, ſicut mihi longum eſt enarrare, & multi ſciunt, iterum exaggeraſti, ut cauſa tuæ caſtigationis, te ſine mea voluntate, ſineque meo conſenſu, aliquantulum detineri juberet.* Notanda vox, *cauſa caſtigationis*; nam modo regiam caſtigationem audiebamus, a regulari, hoc eſt, ſynodali judicio diſtinctam: ut judicium, epiſcoporum ſit; caſtigatio, regis; judicium, res ſacras; caſtigatio, corpus attingat: quemadmodum anno ſequente in Karlomanno, judicium regulare excommunicationem, caſtigatio carcerem Silvanectenſem, ac deinde excæcationem peperit. Novum igitur effectum contumaciæ, & rebellionis crimen advenire oportuit, cuſtodia prohibendum. Id quale ſit, quis divinet, cum enarrare prætermittat Hincmarus? Quod ſi tum perficere conatus eſt, quod ante cogitarat, ut ab eccleſia ſua, & regno Caroli, ad ejus nepotem Lotharium in Auſtraſiam transfugeret? Hoc enim ejus conſilium, & conventionem cum Lothario factam, refert circa ſynodum Vermerienſem Carolus in petitione ſynodali. Diuturnam non fuiſſe detentionem, ſignificat vox *aliquantulum*. Idque epiſcoporum beneficio, & admonitionibus factum licet arbitrari, malentibus epiſcopis cauſam in ſynodo cognoſci, & ſi res poſceret, canonica damnari ſententia, quam regia caſtigatione coerceri.

*Detinetur a rege.* — *Hinc. Laud. ...* — *Concil. Duziac. p. 4. c. 6. Hincm. ep. 33. cit. p. 597.* — *Conc. Duziac. p. 1. c. 4.*

## § XI.

*Secunda ſynodus apud Attiniacum palatium, adverſus eumdem Hincmarum & Carlomannum.*

QUare anno ſequente hujus ſæculi ſeptuageſimo, apud Attiniacum palatium, habita ſynodus eſt, ſuperiore ut major, ita famoſior: Decem provinciarum vulgo dicta, quod ex totidem provinciis epiſcopi ad eam convenerint: in qua vocati ſunt ad judicium clerici duo illuſtres, Hincmarus rebellis epiſcopus nepos archiepiſcopi, & Carlomannus perduellis, filius Caroli regis. Ab utroque provocatum Romam, ſed irrito utrinque conatu. Atque ut a Carlomanno ordiamur, eum breviter ita deſcribunt annales Metenſes. *Prædictus rex* (Carolus) *ex Hirmentrude regina tres filios ſuſceperat; Carolum ſcilicet, & Carlomannum, atque Ludovicum.* Et poſt pauca: *Porro Carlomannus cum eſſet puerulus, juſſu patris attonſus, clericus effectus eſt. Dehinc procedenti tempore ad diaconatus officium, quamvis invitus & coactus, in præſentia genitoris ordinatus eſt: legitque publice evangelium, & pontifici miſſam celebranti juxta morem miniſtravit. Poſt hæc per apoſtaſiam recedens ab eccleſiaſtica religione, & abjiciens gratiam quæ data erat ei per manus impoſitionem, alter Julianus efficitur. Collecta namque prædonum non modica turba, eccleſias Dei cœpit devaſtare, & cuncta diripere; & inaudita mala perpetrare. Pro quibus cum crebro a patre correptus fuiſſet, nec a cœpta pravitate ceſſaret, noviſſime ex præcepto patris ei oculi eruuntur: juſto Dei judicio lucem exteriorem amittens, qui interiorem, quæ Chriſtus eſt, a ſuo pectore effugaverat.* Sed hæc poſtea. Quod ad hunc annum ſpectat & ſynodum, breviſſime colligunt annales Bertiniani: *Carlomannus etiam Caroli regis filius, & plurimorum monaſteriorum pater reputatus, quoniam inſidias infideliter erga patrem ſuum moliebatur, abbatiis privatus, in Silvanectenſi civitate eſt cuſtodiæ mancipatus.* A qua eodem anno rogantibus Ludovici regis Germaniæ legatis eductus, ſequente funeſtiores tragœdias excitavit: iterum a nobis Hincmaro, ad quem regredimur, conveniendus.

*Annal. Bertin. ad an. 870.*

Hincmarus igitur Laudunenſis, Silvacenſi cuſtodia efferatus, ad honeſtam pertinaciæ ſpeciem converſus, appellationem ſuam oſtentat, de appellanda ſede Romana libellum ex veterum pontificum decretis colligit, ſane imperfectum, neque avunculo tantum, ſed etiam auctori pudendum. Quare ſecundis & ſapientioribus curis ad aliam collectionem aggreditur, aliquanto perfectiorem, cui & verſiculos dedicationis indices præfigit ad Carolum regem: quam per Vvenilonem archiepiſcopum Rothomagenſem in Gundulfi villa, cum iis qui aderant epiſcopis, ad avunculum miſit. Neque ſibi defuit Rhemenſis, quin daret illi cuncta duplicia, pro confuſione duplici & rubore, librum videlicet quinquaginta quinque capitum: verſus verſibus, canones & decreta decretis, admonitiones & exprobrationes pervicaciæ & opprobriis reponens: eumque librum apud Attiniacum Palatium coram epiſcopis illi tradidit. Sed ſurdo canebat, & adhuc pugnaci. Venitur ergo ad ſynodum, in qua rex de ejus rebellione, archiepiſcopus de contumacia, Nortmannus comes de vi, clerici Laudunenſes de injuſta excommunicatione, laici ſubditi de rapinis queruntur. Ipſe autem ex adverſo *prolixiſſimam rotulam, contra veritatem & auctoritatem, ac rationem contextam, in eadem ſynodo obtulit, & monſtruoſum ſuum libellum, a ſe & a ſuis ſubſcriptum protulit.* Huic altercationi finis impoſitus eſt, per novam fidelitatis, regi & metropolitano iterum præſtitæ profeſſionem, publice in ſynodo datam atque ſubſcriptam. Cujus quia hominem deinde piguit, & eam violare penitus conſtituit, per vim & metum ſibi finxit extortam. Quod figmentum nativa rerum geſtarum narratione ita refellit archiepiſcopus, ut omnem dubitationis nubem detergat ex animo. Spontaneam quoque fuiſſe profeſſionem illam, teſtantur annales S. Bertini, ſynodum totam in ſummam contrahentes. *Interea poſtquam de multis cauſis impetitus, præcipue autem de ſubjectione regiæ poteſtatis* (nimirum violatæ) *& inobedientia erga ſuum archiepiſcopum Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, ut ſe ab impetitis expediret, in ſynodo epiſcoporum decem provinciarum, libellum propria manu ſubſcriptum porrexit, hæc continentem: Ego Hincmarus.* Et quæ ſequuntur, in concilio legenda, unde hiſtoricus videtur hauſiſſe, ſuoque teſtimonio actorum noſtrorum veritatem confirmare. Atque hic Caroli regis benignitas enituit, qui crimina illa judiciario ordine per teſtes, per tabulas, objiciendo, interrogando, probari noluit, ne quid dedecoris eccleſia pateretur: *Quod inde tibi in ſynodo reputatum eſt, judiciario ordine comprobatum non eſt: ſed regia benignitate intermiſſum eſt, omiſi hinc regulare judicium ponere, ut te ad conſcientiam tuam remitterem.* Id eſt, apparatum & inſtrumenta regularis judicii, quibus certo convictus fuiſſes, niſi tuo & noſtro pudori rex optimus pepercisset.

*Hincmari Laudunenſis ... appellatione ...* — *Cui reſpondet Rhemenſis ...* — *Ibid.* — *Regi & archiepiſcopo ſatisfacit.* — *Conc. Duziac. p. 4. c. 32. 33.* — *Ann. Bertin. cit.* — *Hincm. ep. 33. cit. p. 603.*

Supererant terminandæ aliorum cauſæ, Nortmanni, clericorum, aliorum. Eique rei electos tres epiſcopos Actardum, Ragenelmum, Joannem deſignarat avunculus, admiſerat nepos. Jamque aliquibus in regis præſentia pacate judicatis, & veris legitimiſque poſſeſſoribus adjudicatis, maxime villa Pauliaco comiti Nortmanno reſtituta, quam manifeſtiſſime ejus eſſe judicibus paruit: cum ceterorum cauſa certas ob rationes comperendinaretur, omnibus ad eventum judicii ſuſpenſis, hic juri ſuo diffiſus, ne aliis exueretur, quæ injuſte abſtulerat, *ante definitionem contra ſacros canones, & ſine ulla neceſſitate ac ratione, incaute ac inhoneſte fuga lapſus*; avunculo ſcribit, bis evocatum ſe a pontifice Romam, reprehenſum ab archiepiſcopo quod toties vocatus, adire detrectaret, jam tandem obſecrare, & declinare, ut ſua ipſe archiepiſcopali auctoritate licentiam abeundi ſibi a rege impetret. Revocanti autem per literas regi, valetudinem excuſat, febribus ſe jactari quæ per æſtum augeantur; orare ut Romam ſolvendi voti cauſa proficiſci liceat. Ridiculum hominem! Rex ait: qui non audeat ſoli ſe committere, ut Attiniacum redeat unde diſceſſit; & Romam cogitet æſtuante canicula. Reſpondet avunculus non vetare ſe quominus Romam eat bonis avibus, licentiam ſui arbitrii non eſſe. Ceterum ejuſmodi appellationem vanam eſſe & ludicram, rectorium pervicaciæ, rimam judiciorum, ſpem libertatis indomitæ. *Omnes*, inquit, *epiſcopi liquido ſciunt quoniam cum de ſuis inſolentiis increpabaris timens regulare judicium, vel regis caſtigationem, licentiam eundi Romam petebas: cum vero videbas quia & rex & epiſcopi erant tibi placabiles, de ipſa licentia nihil dicebas; ſicut nec modo facis, donec aliquam novitatem, ut ſoles, quam ſemper timendo expecto, iterum facias; de qua compellatus ſolitam cautionem de licentia tua recantes.* Neque hic ſtetit hominis levitas dicam, an improbitas? qui ne putaretur cauſæ ſuæ diffidere, ſæculares judices a rege impetravit, is qui tanto quondam tumultu judicium ſæculare defugerat. Vix quidem excuſari poteſt ea regis conceſſio, quem canones eccleſiaſtici, & eccleſiarum privilegia non latent: Epiſcopum autem a majoribus ad minores, ab eccleſiaſticis ad minores, ab eccleſiaſticis ad ſæculares judices, abſque partium conſenſu provocare quis ferat? Helmigarius tamen mercati palatii telonearius, Flotharius ac Urſio, villarum regiarum majores, factum novum, & hactenus inauditum! quæ ſunt ab epiſcopis rege præſente judicata, retractant, donata reſcindunt, remiſſa definiunt, & quaſi non eſſet propheta in Iſrael, de rebus eccleſiaſticis agente epiſcopo, pleno jure decernunt.

*Certa capitula ... judicantibus, aufugit.* — *Ib. p. 604.* — *Romam ad pontificem ridicule appellat.* — *Hinc. Ibid. p. 605.* — *Sæculare tribunal expetit.* — *Ib. p. 606.*

Hanc quidem maculam eluere conatur in prolixa reſponſione ad avunculum: fugam ſuam ridicule comparat cum fuga Pauli Damaſo ſeſe proprientis, & Athanaſii furorem Romanorum vitantis: judices epiſcopos ad dictam diem non adfuiſſe queritur: nihil ſe in avunculo præſidii reperiſſe; nihil ſecum agi per rationem & auctoritatem, ſive majorum decreta & exempla; & id genus [illegible] rerum geſtarum ignaris non incredibilia. Quamdiu enim [illegible] certare licuit, calamiſtrata defenſione non caruit nepos, [illegible] avunculi oſoribus Gotteſchalcanis poſſit illudere. Sed præterquam quod in multis falſi & mendacii convincitur a Rhemenſi oculatiſſimo teſte, apud eos in quorum oculis geſta ſunt omnia, nemo eſt qui cum illo non ſic agat. Illuſtri illa fuga cum Athanaſio, cum Paulo apoſtolo, cum Chriſto domino latitantibus comparanda, quid quæſiſti? Judices? at habebas electos. Judicium? at incœperat. Rationem & auctoritatem? at ea perturbas. Avunculi præſidium? at præſens erat. Quid opus fuit fugere, ut fugam excuſares; appellare, ut luderes; coram ſæcularibus litigare, ut eccleſiæ jura perderes? Habes quibus te tuearis? Adveniet alterius ſynodi tempus; proferes publice Duziaci. Quid & hic obmuteſcis? Rex accuſat in ſynodo: avunculus expoſtulat apud ſynodum: vocat te ſynodus reſponſurum: patiens eſt omnium, membrana: dum ſcribitur, dum reſcribitur, obtunditur veritas, convaleſcunt ſcelera, perit occaſio, teſtes diffluunt, loquere judicaturis.

*Hæc omnia excuſat & defendit Epiſt. De his. p. 613.*

## §. XII.

*Pro appellatione ad ſedem apoſtolicam a ſe interjecta ſcribit.*

ITaque ſynodo Attiniacenſi ad eum modum abrupta, vehementiſſime pugnatur pro appellatione Romana, declamante Laudunenſi, manus apud Silvacum non alio conſilio ſibi injectas, quam ne Romam invitante pontifice abiret: *Quod a ſæculo non eſt ab epiſcopo de epiſcopis auditum*: apud Vermeriam, apud Attiniacum, annum totum obſecraſſe, ſibi ut permitteretur obedire pontifici, velut

*Laudunenſ. pro appellatione ſua certat.* — *Epiſt. De his. cit. Epiſt. Veſtris. p. 115.*

*velut ei qui de omni eccleſia fas habet judicandi*: ſimul & votum exſolvere, pro recuperanda ſanitate ad limina apoſtolorum: decreta pontificum de jure appellationis ad Romanum pontificem plenis buccis perſonante: avunculum ubique & apud quoſcumque incuſante, quod apoſtolicæ ſedis poteſtati derogaret, jura infringeret: una illa de cauſa infenſum experiri, quod Romanam auctoritatem, adverſus illius machinationes, pro extollendis metropolitanis, tueretur: ab eodem avunculo quærente audacter, *an ſibi appellanti ad ſummam apoſtolicæ ſedis auctoritatem, & ab eadem vocato, perque ejus auctoritatis literas præſentialiter legendo reclamanti, deceret privilegium ejus ſedis* (metropolitanæ) *illam inferre violentiam?* & ſexcenta ejuſcemodi magnis clamoribus quaquaverſum evulgante: interim pontificem de ſua appellatione admonente, & eas literas impetrante, de quibus mox agemus.

*Rhemenſ. l. 55. Cap. c. 45. p. 555.* — *Laudun. ep. Rheng. p. 151.*

*Reſpondente Rhemenſi.* Ad quæ graviter ſolideque reſpondet Rhemenſis avunculus, nihil unquam a ſe contra Romanæ ſedis auctoritatem, poteſtatem, appellationem dictum: ipſius calumniæ crediſiſſe, vel unquam crediturum ſapientem neminem. *Quoniam & ipſa ſcripta*, inquit, *quæ ad apoſtolicam ſedem ſæpiſſime miſi, & illa quæ tibi reſultanti jam tranſmiſi, te revincent, & in iſto ſæculo, & in futuro judicio*. Nihil a ſe factum unquam, quo vel appellare prohiberetur, vel appellationem proſequi. Doluiſſe tantum, quod auguſto illo nomine, & te omnibus veneranda uſus eſſet, ut gladio, quem, cum opus videretur, educeret e vagina; cum poſtulata obtinuerat, reconderet: ut veſte, quam, cum frigus erat, ſumeret; cum æſtus, abjiceret: qui merus mimus eſt, & in ſeriis ludus non ferendos. *Non unde, nec ſicut canones ſacri præcipiunt, ſed pro motibus incompoſiti animi tui, undecumque & per andronas, de hora, in horam appellas; & illam ſemel, etiam & ſecundo ab ea literis evocatus, adire detractas: cum ea quæ voles, & pro quibus te illam fingis appellando abire, quolibet modo apud domnum regem obtines: pro certo ſciens adhuc de cauſis regulari ordine te non compellari, pro quibus appellans in ſynodo, cum appellatione tua, illam, ſicut ipſa per canones præcipit, cures adire.*

*Epiſt. 36. p. 645.* — *L. 55. Cap. c. 45. p. 555.*

*De literis pontificis ad Laudunenſem.* Quæ ſequuntur verba, duas tangunt epiſtolas, quibus ſe dicit evocatum. quæ quia non extant (habemus enim alias duas Hadriani ad regem, & ad archiepiſcopum, ut veniente Romam voti cauſa Hincmaro, ejus eccleſia ab injuriis Nortmanni tuta ſit) quæ de illis ſcire nos voluit Rhemenſis archiepiſcopus, operæ pretium eſt in memoriam revocare. 1. Emendicatas fuiſſe, ab ipſo, ſine teſte & cenſore, quod libuit ad pontificem ſcribente: *Licet abſque rationabili neceſſitate, quantum ex te conſtat, literas evocationis tuæ obtinueris, ut ipſam primam & ſanctam ſedem adires: ceterum ipſa unde, & ſicut audit, reſcribit.* 2. Finxiſſe illum iis aliqua contineri, quæ reipſa non legerentur. *Quod autem mihi mandaſti, quoniam altera vice, quando domno apoſtolico mandaſti de Nortmanno, hoc tibi remandavit, ut inde prius feciſſes tuum miniſterium, & tunc te reclamares, non hoc in ſuis literis invenimus, vel audivimus.*

*C. 43. cit.* — *Epiſt. 14. p. 654.*

§. XIII.

*Hadrianus II. acerbas literas regi ſcribit pro Hincmaro Laudunenſi, Romam appellante.*

ET quando verſamur in Hadriani papæ literis, eadem via perlatæ ſunt in Galliam aliæ ad regem, & ad archiepiſcopum Hincmarum, graves & acerbæ, quas tradere non auſus ipſe Laudunenſis, curavit ut per alios in eorum manus pervenirent. Sic enim arguit Rhemenſis: *Epiſtolas quoque domno regi pro reclamatione tua a domno apoſtolico per miſſos tuos directas, non ſecundum domni papæ juſſionem mihi, ut juſſa illius exequerer, dari feciſti; ſed per aliarum, & etiam longinquarum regionum archiepiſcopos domno regi, & mihi, in parœchia mea, in qua degebamus, dari obtinuiſti.* Remigium & Harduicum alibi nominat, ejus latores. Et hoc verbo declaratur, non tantum precibus obtentas literas, ſed etiam perferendarum modum ab uno Hincmaro ſubtiliter excogitatum, qui mitti nolebat ad regem, ut ille olim, *durus nuncius*. Nam plurimo aceto perfuſam fuiſſe epiſtolam Hadriani ad Carolum, ex ejus reſponſione diſcimus, quam poſt Duziacenſe concilium remiſit: in qua objici ſibi queritur crimina *perjurii, tyrannidis, perfidiæ, impietatis*: quæ demonſtrant quo felle fuerint imbutæ Laudunenſis Hincmari ad Hadrianum literæ criminatrices, quæ cor humaniſſimi pontificis, adverſus regem optimum tam vehementer permoverunt. Cujus rei cauſam, præter hominis impotentiam, & præcipitem ad quemlibet lædendum audaciam, eadem nos docet epiſtola, quod nimirum ſibi perſuaderet, lancinante conſcientia reus, multorum criminum a rege ſe fuiſſe accuſaturum. *Scriptum eſt etiam nobis, miſiſſe nos vobis epiſtolam, de Hincmaro accuſationes nefandas continentem ..... nefandas accuſationes vobis de illo non ſcripſimus: ſed quæ multi & epiſcopi, & alii viri eccleſiaſtici, & primores regni noſtri, & nobiles, & mediocres, & ignobiles de illo tunc fatebantur, & adhuc fatentur, vobis ſcripſimus: ſuggerentes ut quia corrigere eum volebamus, ne ad hoc perveniret, ad quod ſe ipſe impegit ut rueret, vobis quiſque ſurriperet, antequam inde veritatem reſciretis.* Fatetur ergo rex ſcripſiſſe ſe ad pontificem de Laudunenſi epiſcopo, & quidem per initia contentionum, fortaſſe ſtatim a Vermerienſi concilio, ſed non invidioſe contra ipſum, imo potius ſalubriter pro illo, ut veritate cognita communis pater præcipitantem filium ſuſtineret.

*Literæ pontificis ad Carolum regem.* — *Hincm. ep. 1. p. 411.* — *Epiſt. Caroli regis ad Hadrian.* — *Reſponſio regis de Hincmaro.* — *Hadrianus Hincmari commendat regi.*

Et ne dubium eſſet, cujus inſtinctu ſcriberetur epiſtola regem tantopere commotura, commendabat regi pontifex, Colſanum, Vvalcanonem, & Bernonem, Hincmaro Laudunenſi addictos, contumelioſos in regem, perjuros, fugitivos. Mox enim ſequitur: *Et in eadem epiſtola nobis ſcriptum eſt, ut homines de regno noſtro Colſanum, & Vvalcanonem, atque Bernonem, ſalvos & incolumes cum ſuis permitteremus conſiſtere: & ſi aliter egerimus, veſtræ communionis participes, uſque ad veram ſatiſfactionem eſſe non valeremus: & non evaſuros nos veſtram cenſuram ſciremus, ſi veſtra a nobis fuerint amplius decreta, vel monita violata.* Ex his intelligis, lector, quo inſtigante, & quodammodo dictante, ſcriptæ literæ iſtæ fuerint, quas a ſe ſcriptas poſtea negavit pontifex idem, ſed ſubreptas ex-



*tortas, conſictas?* Agnoſcis ſpiritum Laudunenſis turbinis, poſt agitatam Galliam, Romanos etiam animos concutientem? Habes interim in epiſtola regia nondum excuſa, pontificiæ præcipua capita, quæ penitus excidit.

*Alia litera pontificis ad regem expreſſa.* Pervidere me arbitror & aliam non benigniorem in hiſtoria Flodoardi, ſignificantis ingenti ſollicitudine vexatum fuiſſe aliquando Rhemenſem Hincmarum, ne literis Roma delatis, rex indignum in modum offenſus, grandi malo earum procuratorem, illum, inquam, Hincmarum, ſeditionis artificem & incentorem mulctaret. Ergo rationes, quibus animum exulceratum demulceret, ſerio inveſtigantem, Odoni Belvacenſi apud regem tum degenti, ſcripſiſſe *de presbytero, qui epiſtolam papæ Roma detulerat, ut regem admoneret, modificans ejus animum, ne contra dominum aliquid faciat in eccleſia Dei, vel epiſcopali ordine: non pro Hincmaro nepote ſuo ſe tantum id dicere aſſerentem, quantum pro ipſo ſeniore ſuo rege, ne ipſe taliter peccaret, unde æternaliter periret.* Aliam a priore dico hanc videri epiſtolam, quæ ſit ab presbytero delata: & ipſam acerbam, quæ juſto metu archiepiſcopum percelleret, ne quid furor Caroli perpetraret. Quare vix mihi perſuadere poſſum, hanc eſſe, quæ pro Hincmaro votum ſimulante ſcripta eſt; licet paucis verſibus vulnus inſerat in Caroli ipſius ſynodali petitione non neglectum: *Cum eam in aliquo diſtrahentem, extra conſuetudinem ſuam comperimus, tota cordis valetudine contriſtamur.* Sed quid fruſtra quærimus ſcripta, quæ credibile eſt periiſſe? cum conſtet ex epiſtola Caroli regis modo citata, frequentibus illum ejuſcemodi aculeis punctum fuiſſe: *Sæpe nobis exprobrationum epiſtolas mittitis, & crimina nobis incognita, niſi quantum per malevolorum noſtrorum ora auditis, nobis impingitis.*

*Flodoard. l. 3. c. 23.* — *Hadr. ep. 12. ad Car.* — *Car. epiſt. MS. cit. ad Hadrian.*

§. XIV.

*Ejuſdem pontificis literæ ad Hincmarum Rhemenſem, & hujus ad illum, de Hincmaro Laudunenſi.*

*Litera pontificis ad Hincmarum Rhemenſem.* EAdem via redditæ ſunt Hincmaro metropolitano pontificis literæ, ſed non eodem ſtilo & atramento notatæ. Siquidem univerſe deprehendo, ſi quid in Hincmaro reprehendendum habuit Hadrianus, id feciſſe lenius & humanius, quam quod modo in rege audiebamus. Nam & hoc ipſo anno, cum Carolum Auſtraſiæ regem Metis coronaſſet, eaque alieni regni invaſio magnopere pontifici diſpliceret, ad Hincmarum in hæc verba ſcripſit iratus: *Reſtat ut te de tuis actibus per juſtitiam, ex caritate tamen, reprehendere non omittamus.* Vides paternum γλυκύπικρον, quod etiamſi poſtea minus temperatum propinavit, ſemel, quod ſciamus, id factum, cum literis ſuis non reſpondente Hincmaro contemni ſe crederet. Itaque in cauſa Laudunenſis Hincmari, duas Hadriani epiſtolas commemorat Rhemenſis. Priorem, qua jubetur Nortmannum excommunicare, niſi res eccleſiæ Laudunenſi ablatas mox reſtituat. *Veſtra denique auctoritas miſit mihi præterito anno epiſtolam* (poſt concilium apud Vermeriam) *per miſſum coepiſcopi noſtri Hincmari, præcipientem ut oris mei officio Nortmannum, qui res eccleſiæ Laudunenſis invaſerat, excommunicarem.* Extat illa in tomis conciliorum Gallicanorum. Cui articulo poſtquam reſpondit, falſo accuſatum fuiſſe Nortmannum, rogat ut in ſimilibus negotiis, juſſioni ſuæ pontifex interponat in poſterum: *Si ita eſt ut vobis innotuit*: ut conditio præcepto addita, remittat ad plenam facti notitiam. Poſterior hoc anno ante ſynodum Duziacenſem accepta, paulo commotior videtur: *Alteram ſiquidem mihi pro negotio ipſius Hincmari direxiſtis epiſtolam, dicentes: Miranda eſt plane veſtra fraternitas, quare miniſterio juris epiſcopalis in regionibus illis abutitur, & multorum caritas abundante nequitia refrigeſcere dicitur*, &c. Reprehendit, at non acerbe, de duobus, quod nepotem & æquivocum ſuum Hincmarum, pro conſervandis eccleſiæ ſuæ bonis adverſus regem regioſque comites laborantem, conſilio & auxilio non ſublevet. Et quod eumdem Romanum iter aggredi volentem, prohibuerit: quæ ſunt manifeſtæ Laudunenſis querelæ: quarum iniquitatem refellere facile fuit innocenti: *Unde humiliter auctoritati veſtræ reſcribo, quomodo, ut ſcriptum eſt, ſicut audio, judico; & vos ſicut audiſtis, ſcripſiſtis. Sed qui veſtræ ſanctitati hæc verbis vel literis intimavit, mendacium vobis dixit. Plurimum enim pro eo & apud regem, & apud alios laboravi.* Erat hoc quaſi negativum crimen, non adjuviſſe laborantem. Sequitur poſitivum, prohibuiſſe Romam iterum. *Et ſicut illa de quibus mihi pro eo ſcripſiſtis, mendaciter dicta ſunt, etiam aliquis vobis ſuggeſſit, quod eum ire Romam prohibuerim, vel diſſuaſerim: mendacium vobis nihilominus dixit: ſicut & plures in iſtis regionibus ſciunt, & ſcriptis ad eum ſæpe directis poſſum oſtendere.*

*Hadrian. ep. 10 ad Hinc.* — *Hinc. ep. 41. p. 693.* — *Hadrian. ep. 11. to. 3. concil. Gallic.* — *Hincm. ep. 1. cit. p. 700.* — *Ibid. Rhemenſis ad pontificem reſponſio.*

*Rhemenſis ad pontificem ſcribit de Laudunenſi.* Cum autem ab Alexandro illo ſuo tot ſibi mala, & in Gallia, & ex urbe Roma ſentiret oſtendi, continere non potuit, quin & apud apoſtolicos legatos querelam viciſſim deponeret, & Hadrianum ipſum frigoris & temporis illius eccleſiaſtici cauſam edoceret. Id narratur in epiſtola poſteriore ab epiſcopis Duziacenſibus poſt concilium ſcripta, cujus initium habetur in conciliis. In parte autem ejus manuſcripta, cap. 5. ita legimus: *Et quia metropolitanus Hincmari, quoniam ſæpiſſime verbis, & multiplicibus ſcriptis, ſecundum ſanctarum tramitem ſcripturarum, traditionemque majorum eum corripuit, & ad correctionem perducere non prævaluit: apud legatos apoſtolicæ ſedis, Joannem & Petrum, itemque Joannem epiſcopos, & Petrum cardinalem Romanæ eccleſiæ presbyterum, coram Hodone coepiſcopo ſuo, & Anſegiſo venerabili tunc abbate, nunc autem archiepiſcopo, ſe de illius contumacia, & variis exceſſibus reclamavit: & quibuſdam eorum ſcripto illius exceſſus oſtendit: & per præfatum Anſegiſum, qualiter eum tandem de ſpecialibus ejus exceſſibus caſtigaverit, ſcriptis Romam direxit, & ut verbis apud auctoritatem veſtram obtineret, quatenus apoſtolicis eum verbis caſtigaretis, ut ſecundum ſacras regulas ſe epiſcopaliter gereret, & auctoritati ſuæ metropolis obediret: ſicut & veſtra paternitas egit, ſuo metropolitano, & eidem Hincmaro apoſtolicas literas veſtræ auctoritatis per Anſegiſum dirigentes.* Vicem igitur nepoti ſuo rependit avunculus, & unde ille literarum fulmina in regem & metropolitanum petebat, inde hic adverſus illum dignas ejus contumacia reprehenſiones elicuit. quamquam & bruta fuerunt hæc omnia. Pergunt enim patres: *Sed quia monitis veſtris iſdem protervus Hincmarus obedire non voluit, metropolitanus ejus, & nos cum eo, de illo ſic egimus, ſicut in epiſtola paternitatis veſtræ in conventu noſtro relecta, nobis præcipit. quæ ſic habet.* Audiemus & nos illam in concilio, cui conſervatam debemus, quamque magno labore vix tandem evicerunt antiſtites ipſo præſente & patiente perlegi. Meminit Laudunenſis ipſe litera-

*Reſcript. epiſcop. conc. Duziac. MS. c. 5.*

rum

rum regi & epiſcopis omnibus a pontifice miſſarum, *de quibus ſine ſynodali conſultu reſponderi non poterat*: quarum exemplar in Attiniaco palatio accepiſſe ſe fatetur ab avunculo. Sed cum veriſimile ſit ab iſtis fuiſſe diſtinctas: quales eæ fuerint, divinare non licet: ut neque ſuas increpatorias ſimul miſſas, ad nos pervenire voluit, vere protervus Hincmarus.

*Hinc. Laud. epiſt. de his p. 613.*

## §. XV.

*Secunda rebellio Carlomanni, cujus excommunicationi ſubſcribere Hincmarus Laudunenſis abnuit.*

*Carlomanni rebellio & ejus complicum excommunicatio.*

VIdes, lector, tangere nos digito concilium Duziacenſe, cui pontificia hæc epiſtola conſenſum & auctoritatem ſolito majorem tribuit: ſed eo properantes retinet nos alius horum temporum turbo, Carlomannus perduellis Caroli filius, infeliciſſimæ nequitiæ princeps. qui e patris latere profugus, collecta perditorum manu, per Belgium primo, deinde per Rhemenſem provinciam *tantam crudelitatem & devaſtationem, ſecundum operationem ſatanæ*, inquit hiſtoria, *exercuit, ut credi non poſſit, niſi ab ipſis qui eamdem depopulationem viderunt, atque ſuſtinuerunt*. Carolus rex eam rebellionem & immania flagitia regio, & eccleſiaſtico judicio certus proſequi, Carlomanni complices & ſocios morti addicit, eorum bona omnia fiſco: *& ordinatis ſicariis quæ eumdem Carlomannum cum ſuis complicibus de regno propellerent, judicium epiſcopale de illis expetiit*. Complices provinciæ ſuæ vaſtatores excommunicat Hincmarus, & cenſuræ formulam ad archiepiſcopos aliarum provinciarum, atque ad nepotem ſuum *Hincmarum* mittit ſubſcribendam. Carlomannus Senonnenſis diaconus, juramenti bis patri ſuo præſtiti reus, eidem provinciæ judicandus permittitur. Conſentiunt in eam archiepiſcopi Rhemenſis excommunicationem remotiores archiepiſcopi: renuit ter quaterque admonitus ſubſcribere Hincmarus, ſive regis & archiepiſcopi odio, ſive ſimilis cauſæ ſocietate, quam & ſimul cognitam vidimus in ſynodo Attiniacenſi; ſive ad pontificis Romani gratiam magis ac magis emerendam. Nam Carlomannus epiſcopi exemplo, quid ſi & conſilio? legatis Romam miſſis, & appellatione ad pontificis judicium excommunicationem multis hominibus ſibi debitam conatur effugere: dum ipſe loca terrarum qua tranſit, qua fugit, fœde depopulatur. Egregium ſane par hominum, quibus ſacroſanctum jus appellationis patrocinari debuit! quorum cauſa inter Hadrianum, Carolum regem, & magnum Hincmarum ſimultates oriri oportuit.

*Annal. Bert. ad an. 871.* — *Ibid.* — *Hinc. Laud. ep. Relegi. p. 532.* — *Idem epiſt. [illegible] p. 644. Conc. Duziac. 2. p. 6. 20.*

*Carlomannus ad pontificem provocat.*

Hadrianus enim ad eam appellationis vocem excitatus, & principis impii legatione deceptus, (nam is eodem tempore patrem & regem ſuum pulchra in ſpeciem legatione ludere voluerat) & aliunde ob regnum Auſtraſiæ occupatum Carolo infenſus, ejus patrocinium ardenter ſuſcipit, patrem de cogitata adverſus filium vindicta graviter reprehendit: *Inter cetera exceſſuum tuorum, quibus aliena uſurpando invaſiſſe crederis, illud quoque nihilominus objicitur, quod etiam beſtiarum feritatem excedens, contra propria viſcera, id eſt, contra Carlomannum genitum tuum, ſævire minime verearis: eum videlicet non ſolum paterna gratia & beneficiis privans, verum etiam regni finibus eliminans, atque, quod impium eſt, ut excommunicetur, affectans*. Et ad extremum brevis epiſtolæ, monet: *Ergo ne adjicias peccatum ſuper peccatum: ſed & de priſtinis invaſionis & avaritiæ pravitatibus deprecare, & correctionis oſtenſa perfectione, veniam eccleſiaſticam recipere totis medullis exopta, & ne ſine tenus pereas uſquequaque decerta*. Scribit & ad epiſcopos Carolinos, vetatque excommunicationem in Carlomannum jaculari, *qui ſe inſontem circa patrem multipliciter aſſerit*, alioquin irritam fore. Tertio & ad regni Proceres, ne a patre vocati ad arma contra filium progrediantur, quiſquis fecerit, *non ſolum excommunicationis nexibus innodabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus in gehenna cum diabolo deputabitur*. Ita de perduelli & apoſtata filio, mendaciis præventus pontifex. atque extant eæ literæ apud Baronium, neque ipſum hujus hiſtoriæ ad unguem ſcientem, & in tomis conciliorum Gallicanorum, in quibus de hiſtoria præterea nihil. Fueritne non obſtante tali pontificis interdicto excommunicatus Carlomannus, nemo prodidit. Hoc narrant annales noſtri, opera Ludovici Germaniæ regis patrui ſui, reconciliatum iterum patri eadem emendationis conditione: idque Duziaci factum, poſt ſynodum quæ de Hincmaro poſtrema decrevit.

*Hadr. ep. 24. ad Car.* — *Idem epiſt.* — *Idem epiſt.* — *Baron. ad ann. 871.*

Ac deinde ad ſe redeuntem, ita pater ſuſcepit, ut de eo continendo ad ſuorum conſilium referre promitteret. Omiſſo igitur eccleſiæ judicio, rem definit in placito apud Silvacum, ut iterum in Silvanectenſem cuſtodiam mitteretur, *& ejus complices ſacramento ſuæ fidelitatis per ſingulos comitatus conſtringerentur*. Sed perditis hominibus reip. perturbationem nihilominus per eum affectantibus, concilium rex habet Silvanecti, & ejus frequenti rebellione iterum examinata, de gradu diaconatus dejectus, ad laicam communionem redactus eſt. Inde miſer, tanquam omni ſolutus tonſuræ obligatione, regnum cogitat, cuſtodiæ repagula per ſuos infringere molitur, & in ſpem majorum turbarum inquietos omnes erigit. *Quapropter neceſſe fuit, etiam illa, de quibus ab epiſcopis judicatus non fuerat, in medium revocare, & ſecundum ſacrarum legum decreta, pro admiſſis ſuis judicio mortis addictum, mitiori ſententia, ut locum & ſpatium pœnitendi haberet, & graviora admittendi facultatem, ſicut meditabatur, non haberet, luminibus, acclamatione cunctorum qui adfuerunt, orbari: quatenus pernicioſa ſpes pacem odientium de illo fruſtrata foret; & eccleſia Dei ac Chriſtianitas in regno ejus, cum infeſtinatione paganorum, ſeditione exitiabili perturbari non poſſet*. Ita narrant iidem annales anno ſuperiore a Ludovico Caroli fratre Reſtitium Vvinidorum regulum bello captum, & aliquamdiu in cuſtodia detentum, poſt judicium mortis excæcatum, & in monaſterium retruſum fuiſſe. Aliud paternæ juſtitiæ exemplum circa hæc tempora Metenſes annales nobis exhibent primogenitum regis Bulgarorum filium, qui cum a patre Chagano recens Chriſtiano, & monaſticum habitum induto, regnum accepiſſet, abuſus poteſtate, in vitia omnia præceps ruit, gentileſque ſuos ad ejuratam nuper idololatriam per vim adegit. Quibus auditis pater, reſumpto cultu regio, caris comitantibus, laſcivientem juvenem aggreſſus, oculis privatum & in carcerem detrudit; regnoque minori ejus fratri cum monitis miniſque commiſſo, *ſimilia paſſurum, ſi in aliquo a recta Chriſtianitate deviaret*, ad monaſticen rediit. Quis credat poſt hæc etiam novis furiis exagitatum Carlomannum, in Germaniam ad patruum

*Carolus ſe condemnat.* — *Annal. Bert. ad ann. 873.* — *Concil. Silvanectenſe.* — *Annal. Bert.* — *Annal. Met.*



truum fugiſſe? qui plus impotentiam animi, quam corporis orbitatem miſeratus, monaſterium conceſſit in quo pacate moreretur. Hæc eſt Carlomanni tragœdia, obſtinatæ rebellionis in filio, patientiæ & clementiæ in patre, luculentum exemplum; Hincmarianæ pervicaciæ, illuſoriæ appellationis, extremæ cæcitatis ſpirans imago, ut paria paribus accommodanti faciliime apparebit.

## §. XVI.

*Qualis ſit inter Hincmarum utrumque de appellatione Romana contentio.*

*Indicitur ſynodus apud Duziacum. Annal. Bertin. ad an. 871.*

AD eum ergo ut reveniamus, ſynodum adverſus illum indictam, poſt narratam Carlomanni rebellionem, & ejus complicum excommunicationem, ita proſequitur annaliſta Bertinianus. *Hincmarus autem Laudunenſis, nomine tantum epiſcopus, homo inſolentia ſingularis, contra evangelicam veritatem, & apoſtolicam, atque eccleſiaſticam auctoritatem, contra regem rebellans, & in vicinos, ac ſibi commiſſos tam clericos, quam laicos ſine ulla reverentia ſæviens, & metropolitano ſuo ſe inde regulariter commonenti obedire contemnens, adeo & regem ſuum, & archiepiſcopum ſuum, atque epiſcopos totius regni erga ſe commovit, ut rex ſynodum in menſe Auguſto apud Duciacum condiceret: quatenus de illius pravitatibus regulare ibi agitaretur judicium. Ipſe autem rex Carolus, petentibus nepotibus ſuis, Ludovici fratris ſui filiis, Ludovico & Carolo, per Viridunum obviam eis, loquuturus cum illis, perrexit, & inde ad ſynodum in Duciaco rediit*. A qua nimirum abeſſe non debebat, ſe facturus actorem. Quæ dum paratur, dum epiſcopi conveniunt, dum accuſatio regis, expoſtulatio archiepiſcopi, ceterorum petitiones inſtruuntur: magnæ quæſtionis ſtatum, ſynodum totam, & quæ illam conſequuta ſunt animaturæ, diligenter indagemus.

*Hincmari Laudunenſ. appellatio explicatur.*

Hincmaro Laudunenſi homini litigioſo & inquieto præcipue res eſt cum rege, & cum avunculo Rhemorum archiepiſcopo, ac per ipſum, & propter ipſum, regi, & archiepiſcopo, contentio cum pontifice Romano, quem ille per appellationem ſuas in partes deduxit. Regis diſceptatio diutiſſime de rebus fuit; archiepiſcopi de moribus, deque perſona. Judicia duo priora apud Vermeriam & Attiniacum, de rebus & bonis eccleſiaſticis cognoverunt: tertium apud Duziacum, de perſona & moribus: utrobique victus, utrinque appellat ad pontificem: ut ſit quaſi duplex appellatio, prior a regis judicio, poſterior ab archiepiſcopi ſententia. Priorem magno non æſtimavit Hadrianus, ad expoſtulationem Hincmari contentus per literas regem admonere, ne bona eccleſiaſtica pervaderet: epiſcopum Romam evocare, non ut appellantem & litigaturum; ſed ut voto ad limina apoſtolorum, ob recuperandam ſanitatem obligatum: Regi interim ejus eccleſiam commendare, ne in ejus bona per paſtoris abſentiam ſæculares invadant. Contentioſius fuit agitata poſterior, ac præcipue poſt ſynodum Attiniacenſem cœpta, ultra Duziacenſem perſeveravit. Fateor equidem a neutro diſputantium diſtinctas unquam appellationes iſtas, vel ſi mavis, appellandi rationes; ſed univerſe ſemper, de appellatione ad Romanum pontificem fuiſſe tractatum. Sed cum conſtet priores duas ſynodos in rebus repetendis maxime poſitas fuiſſe; & quæſitum, an eſſent Hincmaro aſſerendæ, vel Nortmanno aliiſque reſtituendæ? in poſtrema autem, quam ingredimur, non jam de villa Pauliaco, vel de Amalberti uxore, verum de ipſo Laudunenſi epiſcopo Hincmaro, eſſe cognitum; ut epiſcopatu dejiceretur, ob mores protervos, & indigna facinora; concludendum omnino eſt, tertiam iſtam, ut cauſam, ſic appellationem gravioris eſſe ponderis, & momenti. Quare quod in utroque legimus de appellatione, ita de omnibus tribus ſynodis intelligemus, ut in poſtrema potiſſimum, ſenſum cogitationemque figamus.

*Hadrian. epiſt. 11. & 12.*

*De appellatione cum Rhemenſi diſputat.*

Laudunenſis igitur univerſe appellationem magnis clamoribus objicit, ut fortiſſimum ſcutum ad refutandos omnes adverſariorum ictus, & judicum interlocutiones infringendas: non ignarus videlicet quanta ſemper obſervantia Petri ſedem, matrem & magiſtram eccleſiarum omnium, Franci principes & antiſtites coluerint. Hoc appellandi jus multis rotulis, & collectionibus ſtabilire, & in omnium mentibus defigere ſtudet. Sic enim in poſteriore earum quæ extant, ad Carolum ipſum regem profitetur:

*Hincmar. Laud. præfat. p. 355.*

*Iſte pitaciolus plane depromit & alte*
*Sedem appellandam libere apoſtolicam.*
*Archique pontifici diſtinguit juſque modumque,*
*Cum comprœſulibus ceu teneat ſobrius.*

Multa illic proferuntur de Romanæ ſedis dignitate, quæ nunquam venit apud eos in quæſtionem: de jure appellandi: de judiciorum retractatione: de metropolitanorum coercendo imperio; ne [illegible] aliena, ne quid extra parochiam abſque comprovincialibus ſtatuant, ne judicent aut deponant epiſcopos: & id genus alia ad rem præſentem conducentia. Reſpondet libro quinquaginta quinque capitum Rhemenſis, differre pontificum epiſtolas a canonibus conciliorum: Decreta quæ producit Laudunenſis uſu eſſe antiquata: reduxiſſe eccleſiam in canones quæ vellet obſervata: corruptos & truncatos ab eo locorum pleroſque, & in pravum ſenſum detortos: illum contra metropolis ſuæ privilegia venire: non debuiſſe decreto ulli, præter metropolitani conſenſum ſubſcribere, longe minus contra metropolitani rationes: ceterum irritam eſſe ſubſcriptionem, quæ conſulis nota careat. Atque cum horum plurima leviora ſint, quam ut litis partem facere debeant, cuneum nodo adprimit, & paſſim multis oſtendit, per canones mundi reverentia conſecratos, perque decretales pontificum poſt Nicænam ſynodum epiſtolas, inter epiſcopos primam cauſæ cognitionem, quam vocamus inſtantiam, metropolitano deberi; a quo non ante cognitam, latamque ſententiam ad pontificem deinde provocetur: ſitque in ejus poteſtate judicium, ſive confirmandum, ſive infirmandum eſſe videatur quod multæ Laudunenſis compilationis auctoritates & exempla factum eſſe demonſtrant. Et ut rem ex uſu noſtro clariorem efficiamus, vetera illa cum iis quæ ob oculos poſita ſunt, licet conferre. Evocationem cauſæ, ab appellatione forum noſtrum diſtinguit. Evocat enim qui privilegio, vel qua alia ratione negotium ſuum ab ordinario, & ex ſeſe legitimo tribunali, ad aliud non æque ordinarium traducit. Appellat autem, qui poſteaquam ordinario ſuo tribunali ſe ſubjecit, de mala tractatione queritur, & a ſuperiore judice, a quo & tribunal illud pendet, retractari judicium, & refigi ſen-

*Hincmar. Rem. I. 55. Cap. c. 43. p. 544. c. 10. p. 418. c. 14. p. 476. c. 16. p. 526.* — *Ibid. p. 527.*

*Res expenditur per evocationis ab appellatione diſcrimen.*

tentiam poſtulat. Iſtud poſterius, jus vocant tribunalia, & æqui boniquc conſulunt: illud prius privilegium dicunt, & ſæpiſſime injuriam interpretantur. In evocatione prima cognitio ſupremo & extraordinario tribunali tribuitur, quaſi per vim extorta ab inferiore: in appellatione, ſecunda ſuperiori & ipſi ordinario; bene volente inferiore, quia officio ſuo perfunctum eſt.

*Status quæſtionis conſtituitur.*

Jam ergo noſtra in controverſia, non tam juriſdictionis conflictus eſt, quam ordinis: evocationem ſiquidem poſtulat Laudunenſis; appellationem offert Rhemenſis. Romæ judicari volo, ait junior Hincmarus. Prius in provincia, inquit ſenior, apud metropolitanum judicem tuum ordinarium; ab eo judicatus, ſi lubet, appella. Sic Rothadus & Vulfadus litigarunt; & lis erat de perſonis. Inſtat ille, utor privilegio apoſtolicæ ſedis, quod mea collectione monſtravi. At in ea, dicit Rhemenſis, legiſti tu ipſe appellari ſedem apoſtolicam: metropolitanum tum omnium comprovincialium epiſcoporum inſtantia cauſas epiſcoporum audire debere: accuſatum, vel judicatum a comprovincialibus in aliqua cauſa epiſcopum appellare, vel adire ſedis apoſtolicæ pontificem: ſalva auctoritate apoſtolica, nullum epiſcopum extra ſuam provinciam ad judicium devocari: ſed vocatum canonice audiendum eſſe, & concordem canonicamque ſuper eum proferri debere ſententiam. Athanaſium, Joannem Chryſoſtomum, Flavianum nominari, quos ante Romanam cognitionem conſtat fuiſſe judicatos: & hujuſmodi plura, quæ appellationem loquuntur, non evocationem; ſecundum quæ vult ipſe primus judicare, unde non prohibet appellare.

*Hincmar. Laudunenſ. collect. p. 356. 359. p. 358.*

*p. 360.*

*p. 375.*

*Rhemenſis non eſt contrarius appellationi.*

Falluntur ergo ſi qui putant ſtatum hujuſce quæſtionis in nuda appellatione verſari, quam nunquam negavit Hincmarus, qui Laudunenſes clericos ad ſuum tribunal appellantes admiſit: ſi credunt tangi privilegia ſedis apoſtolicæ, quæ religioſiſſime colenda ſemper docuit: ſi criminantur iter Romanum ab eo præcludi appellantibus; qui poſt concilii provincialis judicium, etiam viatico, ſi fuerit opus, ad appellationis perſecutionem promittit inſtruere. Eſt igitur unus ille & verus controverſiæ cardo: utrum appellatio maturæ interjecta, cauſæ cognitionem inferiori judici eripiat; & ad ſuperiorem ſtatim pertrahat, necne? utrum ad appellationis vocem, omnis cognitio ſtatim ceſſet in provincia & Romam devolvatur, necne? Affirmat Laudunenſis, & metropolitani tribunal defugit, in quo certa ejus criminum damnatio eſt: negat Rhemenſis, doletque jus appellationum ad eccleſiaſticæ diſciplinæ munimen & ornamentum antea adhibitum, modo turbulentiſſimi hominis contumacia ſempiterna, ad ejuſdem eccleſiaſtici ordinis perturbationem & perniciem admoveri. Uterque decretis pontificum inſtructus eſt; ſed hic peritius canones, & uſum tum adhuc florentem advocat. Metropolitani jura defendunt antiſtites Gallicani: Rex abire vetat, rebellem intra Gallias compreſſurus. Nullum hic a ſchiſmate periculum, apud canonum peritiſſimos, æqui obſervantiſſimos, ſedi Romanæ devotiſſimos Galliarum epiſcopos; qui ſalva caritate & obedientia, jura metropolitana canonibus, & pontificum decretis definita, conſervare ſe putant.

## §. XVII.

*Tertia ſynodus adverſus Hincmarum Laudunenſem apud Duziacum palatium.*

*Tertia ſynodus Duziacenſis.*

ITaque ſic animo comparati præſules conveniunt ad ſynodum Duziacenſem I. cujus acta per Actardum tunc Nannetenſem epiſcopum Romam miſſa ad Hadrianum, editioni conciliorum Galliæ adhuc incognita, ſed deinde, volente Deo, reperta, editoris Sirmondi vice producimus. Quæ quia prolixitate & Hincmariano multiloquio faſtidioſa fortaſſe alicui videbuntur, in partes quinque ſecari poſſunt. Earum prima petitionem ſive proclamationem & accuſationem Caroli regis adverſus Laudunenſem continet, ſed imperfectam, & primis capitibus mutilam. Secunda, expoſtulationem Hincmari metropolitani, prolixam admodum, qua omnes ſuas cum Laudunenſi contentiones enarrat. In tertia redit iterum petitio regia, cum epiſcoporum judicio, & commentariis: ſiquidem rex de ſingulis accuſationis capitibus epiſcoporum judicium expetierat, atque illi dierum aliquot ſpatium ad reſpondendum rogaverant: Jamdiu inchoata ſynodo, geſtis & lectis illis omnibus, tandem Duziacum advenit Hincmarus, ut quarta pars cum illo conficeretur: ut præſens, interrogatus, auditus, convictus, quantumvis appellans, & recuſans judices, condemnaretur. Quod ita narrant annales ſæpe citati: *Hincmarus vero tandem cum multa ſuperbia venit in ſynodum: in qua a rege Carolo ſecundum regulas eccleſiaſticas porrecta petitione de cauſis certiſſimis regulariter accuſatus atque convictus, depoſitionis judicium regulare ſuſcepit. Sicut in geſtis continetur ipſius ſynodi, quas eadem ſynodus per Actardum venerabilem epiſcopum, qui eidem ſynodo interfuit, ad apoſtolicam ſedem direxit.*

*Partitio actorum ſynodi.*

*Annal. Bertin. ad an. 871.*

Servata nihilominus eſt duobus in capitibus Romanæ poteſtati & appellationi quæ debebatur reverentia. Primum enim ſententiam ſuam in hæc verba concluſerunt patres, *Salvo per omnia apoſtolicæ ſedis judicio*, quæ formula non potuit Hadriano non eſſe jucundiſſima; quæ & concilium a periculo temeritatis exemit & ſchiſmatis. Reſpondit enim pontifex, non poſſe ſe ſententiam in epiſcopum provocantem ad ſedem apoſtolicam ratam habere; *Tamen, ſicut ipſius concilii actionibus legitur, quoniam ſalvo in omnibus judicio ſedis apoſtolicæ illum ab epiſcopis judicatum aſſeritis; nos non aliqua contra quoslibet commoti invidia, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus*, &c. Deinde in locum dejecti Hincmari, neminem ſubrogarunt, ut integra omnia decretoriæ pontificis ſententiæ reſervarent. Meminerat quippe Rhemenſis Hincmarus, peccaſſe ſe olim in ſimili, cum depoſito Rothado, ſtatim alium ſuffecit, quod iniquiſſime tulit Nicolaus, & intruſum illum abſque mora ullam epiſcopalis officii partem attingere vetuit. Quare non falſo profitentur in epiſtola ſynodali, ſe, quantum ſciunt & poſſunt, privilegium ſanctæ & primæ ſedis Romanæ, conſervatum & amplificatum cupere.

*Romanæ [illegible] appellationi.*

*Hadrian. ep. 27.*

*Nicol. epiſt. 32. ad Hinc.*

*Epiſt. ſyn. conc. Duz.*

Hæc eſt epiſtola cum aliis quæ partem concilii quintam, eamque poſtremam facit. Uſitato conciliis omnibus more, quoties declarandum aliquid decernitur: cui autem non appareat ejus hac in cauſa neceſſitas, cujus defectus in ſummam appellatæ ſedis injuriam redundaſſet; Alteram præterea privatim adjecit archiepiſcopus Hincmarus, cujus fuerant ad ſynodo partes præcipuæ, quemque proxime rei perſona tangebat. Utramque damus nondum viſam. Servat & tertiam Sirmondi apographum, Caroli regis ad eumdem Hadrianum: quæ quia de pontificiarum literarum acerbitate prolixius quæritur, quam de Hincmaro Laudunenſi tractat, quæque ad hunc pertinent, ubi ſe offert occaſio, excerpimus, tam longi concilii faſtidio victi, ut minime neceſſariam ad litis hujus cognitionem, deſcribere prætermittimus. Eique libentius labori parcimus, quod ejuſdem argumenti ſtilique alteram habemus in conciliis, inferius memorandam.

*De epiſtolis poſt ſynodum ſcriptis.*



Miſſa Romam ad pontificem hæc omnia per Actardum legatum: acta inquam ſynodi, petitio regis, expoſtulatio Hincmari metropolitani duplex, & hæc Duziacenſis, & quæ anno ſuperiore apud Attiniacum oblata fuerat: Proclamatio quoque cleri plebiſque Laudunenſis, licet in eo concilio urgentibus aliis negotiis non lecta. Denique tres epiſtolæ, ſynodi, Hincmari, regis. Neque dubito quin per eam opportunitatem Hincmarus ad Anaſtaſium bibliothecarium ſcripſerit, quod jam olim in prima ejuſdem Actardi legatione fecerat. Id mihi facile perſuadent ipſius Anaſtaſii literæ, per Actardum reducem redditæ, quarum meminit Flodoardus: *Anaſtaſio venerabili abbati, ac bibliothecario ſanctæ Romanæ eccleſiæ, gratiarum referens actiones, pro benedictionibus ſanctiſſimis ab eo ſibi per Actardum epiſcopum directis, ſuas eidem quoque abbati mittens munerum benedictiones. Quædam etiam opuſcula, ſuo labore confecta, ipſi delegans.* Hæc enim literarum commercia frequentabant, ea lege, qua ſolent eruditi noſſe invicem ingenio, ſi non & vultu. Licebat & Hincmaro depoſito Actardum comitari Romam abeuntem: quemadmodum antea ſe legatis epiſcoporum Rothadus adjunxerat: atque iter illud avunculus Hincmarus a rege obtinuerat, & ut comites ſibi ex epiſcopio Laudunenſi adſciſceret, quoſcumque collibitum eſſet. Sed poſt tale judicium, & cum actis talibus, præſente oculato teſte, præcipuæ auctoritatis viro, pontificem, quod ſolebat, mendaciis fallere deſperans, manſit in Gallia; eo, ſi unquam, facto confirmans, quo conſilio Romam antea provocaſſet, & quanti canones & pontifices faceret, quos ambitioſe compilaverat.

*Acta omnia Romam miſſa.*

*Hincm. epiſt. 57. ad Anaſtaſ.*

*Flodoard. l. 3, c. 24.*

*Hincmaro licuit Romam proficiſci.*

*Hincm. epiſt. ad Hadrian.*

## §. XVIII.

*Hadriani pontificis de ſynodo Duziacenſi judicium.*

DUo poſtulabat legatio; ipſi legato Actardo Turonenſem archiepiſcopatum, quem libentiſſime conceſſit Hadrianus: & ſynodi confirmationem, atque depoſitionis Hincmarianæ approbationem, quod erat legationis caput. Hoc vero conſtanter recuſat pontifex, ut quondam Nicolaus pro Rothado. Arguit quod *cum clamaret in ſynodo ſe ad ſedem apoſtolicam velle incunctanter venire, atque in præſentia ejus pro objectis ſibi ab adverſario criminibus reſpondere, damnationis in eum fuerit prolata ſententia*. Jubet advenire illum, & cum eo *accuſatorem idoneum, qui nulla poſſit auctoritate legitima reſpui*; ut cum ſynodali conventu ſecundum morem judicium retractetur. Vetat interim, *quouſque cauſa illius fuerit iterum refricata atque finita, alterum epiſcopum in ipſa Laudunenſi eccleſia ullatenus ordinari*. Et hæc quidem ad epiſcopos univerſe, & ad regem Carolum, privatæ ipſius epiſtolæ inſerta. Hincmaro autem Rhemenſi reſponſum nihil video: fortaſſe quod jam antea ejus ingenium eſſet expertus, cum ad pontificis ipſius literas reſpondit, quibus de non prohibito rege ab invaſione Auſtraſiæ multis arguebatur. Quod vero ad regem privatim attinet, cum ejus offenſionem perſpexiſſet in dicta epiſtola pontifex, converſus ad leniendam iracundiam, miratur ad apoſtolicæ correptionis verba tantopere commotum fuiſſe, ſe & pontificia uſum auctoritate, & paterna caritate, ut *cariſſimum filium* verbis admonuiſſe: *patris* autem *verba dilecti, non ex voto male optantis, ſed ex radice veræ procedentia caritatis, humili ſemper intentione recipi debere*. Eadem olim ratione Nicolaus Hubertum abbatem Theutbergæ reginæ fratrem placaverat dolenti ſibi conſolationem a ſede apoſtolica ſperanti, miſſam increpationem innocenti. *Quod utique devotio tua*, inquit Nicolaus, *moleſte ducere non debuerat: quia patris ſolers diſciplina dilecto filio, etiam minime peccanti, nonnunquam adhibetur, non quo ſeveritate verberum fruſtra examinetur; ſed quo ne in ſuſpectis facinoribus devolvatur, benevola invectione terreatur*. Sed privatis hæc ratio ſatisfaciat: regibus, quibus vera vitia & raro, & nunquam niſi ſericis verbis aperiuntur, non poteſt non eſſe moleſtiſſima falſorum criminum exprobratio.

*Hadrianus ſynodum confirmare abnuit.*

*Hadr. epiſt.*

*Hincm. epiſt. 41. reſponſ. ad Had. epiſt. 25.*

*Hadrian. ad regem prior. epiſtola 28.*

*Nicol. I. epiſt. 27.*

Quod cum probe noſſet Hadrianus: epiſtolæ illi quam publicari, & in omnium notitiam venire cupiebat, ſecretam aliam adjecit eodem tempore, ſi neceſſarium foret, ſi regis & aulicorum animi nondum conquieſcerent, reddendam: ſed occulte, & pauciſſimis conſciis, *ut ſermo ſit ſecretior*, inquit, *& litera clandeſtina, nullique niſi fideliſſimis publicanda*. In ea pontificiam majeſtatem divina caritatis arte papa prudentiſſimus inclinat; & ut regem conſervet filium, vere ſe patrem exhibet, dignus & ipſe ob eam pacificationem Dei filius appellari. Nam in primis regem in titulo ſalutat & conjugem. Non ſcripſerat quidem iſta cum rege, quod ſciamus; ſed ea compellatio illam, & per eam regem ſcribenti conciliat. Tum reddita breviter objurgationis ſuæ ratione, & ad paternæ admonitionis tolerantiam, regem humaniſſime cohortatus, in ejus laudes & magnificentiam erga omnes regni ſui eccleſias ingreditur, cumque locum ita concludit: *In veritate, credite nobis, quia tales virtutes diligo in vobis, ſicut animam meam*. Ad hæc, quod obſervandum maxime, literas increpatorias Roma miſſas ſic excuſat, ut a ſe ſcriptas neget, ſed ab officiis, ſuo nomine. *Et ſi quædam literæ vobis delatæ ſunt, aliter ſe habentes in ſuperficie, vel ſubreptæ, vel a noſtris; nobis infirmantibus, extortæ, vel a qualibet perſona confictæ, durius aut mordaciter ſonantes: id tamen nobis fixum ſemper manſit in mente, quod vobis ſignificavimus devote*. Cui excuſationi viam aperuerat rex ipſe ſuis literis in hunc modum ſcribens: *Ceterum tales literas & veſtro miniſterio incongruentes, & noſtræ regiæ dignitati ac poteſtati inconvenientes, ſicut nobis ex veſtro nomine diriguntur, non a vobis, neque a ſancta Romana eccleſia in omnibus ſemper diſcretiſſima, atque cautiſſima dictatas credimus: quia ipſa ſancta ſedes modeſtia & diſcretione ſemper corripere, & ſalubriter corrigere, ſecundum uniuſcujuſque perſonam & ordinem ſolita fuit*. Poſt multa pontifex eadem epiſtola myſterium pandit Carolo:

*Poſterior epiſt. pontificis 29.*

*Subreptæ extortæ confictæ literæ.*

*Sedis apoſtolicæ diſcretio in reprehendendo.*

rolo: ſi ſuperſtes imperatori fuerit nepoti ſuo Ludovico juniori, neminem alium ab ipſo, quolibet oblato pretio evehendum fore in imperium. Poſtremo devolutus ad Hincmari Laudunenſis negotium, longe aliter quam antea de illo cenſet & loquitur, dum multorum ſcelerum reum pæne agnoſcit: *Tanta turpia, tanta dictu nefanda, tantaque execranda & auctorem ſuum damnantia referuntur, ut incredibilia abignorantibus videantur*. Perſiſtit tamen in conſervando appellationis privilegio, & judicii renovandi propoſito, ſed longe quam antea mitius: *Non tamen eo prius in gradu reſtituto*, quod rogarant epiſcopi: *Quod ſi venire detrectaverit, clareat quod idem ipſe dederit locum damnationis in ſeipſum*. Atqui prius auctoritate apoſtolica juſſerat illum *regis & epiſcoporum fretum potentia* Romam venire. Demum neque accuſatorem idoneum, neque tres epiſcopos qui omnium vices ſuſtinerent, hac epiſtola flagitat, ac tandem Carolo inter cetera optat *regiam & imperialem dignitatem, ſuam & bonorum omnium communionem, & ſocietatem, peccatorum omnium remiſſionem*. Ubi eſt ergo ſchiſma illud quod a rege, & ab Hincmaro Rhemenſi Baronius pertimeſcit.

*In cauſa Laud. epiſ. Hincmari inclinat in partes regis.*

Actardus igitur nova auctus dignitate, & his inſtructus literis, redit in Galliam: quæ vix publicatæ ſunt, cum novam in regis & epiſcoporum omnium animis tempeſtatem excitarunt, vetera mala ab Hincmaro Laudunenſi metuentium, quid enim non movebit dum lis pendet? quid ſi quibus pollet artibus & mendaciis Romanæ curiæ illudit, & cauſam obtinet? Atqui rex literis proteſtatus erat, ſe vivo ac regnante nunquam in Laudunenſi throno ſeſſurum; Hincmarus, & epiſcopi curam ejus omnem abjecerant, ut hominis deſperatiſſimæ pervicaciæ. In novos iterum fluctus revolvi tot jam prius emenſis? Victoriam de regni & eccleſiæ perturbatore tot ſcriptis, tot contentionibus, tot ſynodis partam in manibus infringi? nihil actum annis plurimis, immenſis laboribus? Rebus adhuc incertis, ſpe quaſi perdita, perturbatis animis epiſcopi longa & vehementi epiſtola reſpondent Hadriano, deque appellationibus, & metropolitanorum juribus multa ſcribunt irati. Primam epiſtolæ partem exhibent concilia Galliæ hoc titulo: *Reſcriptum epiſcoporum ſynodi Duziacenſis ad epiſtolam 27. Hadriani II. papæ*: ſecundam ſervat Sirmondi apographum; ex quo nonnulla, ut ſe dedit occaſio, libavimus; tertiam tineæ corroſerunt. Manus & ſtilus videtur Hincmari; qui pro ſe nihil ſingulariter ſcripſit. Rex quoque pari iracundiæ ſpiritu concitatus, neglecta deliniente epiſtola, aut certe diſſimulata, fortaſſe quod promiſſa in futurum pontificis bona minoris æſtimaret, quam imminentem ab Hincmaro Laudunenſi moleſtiam, &, ut ſic loquar, perſecutionem, ad priorem ſolam adhæreſcit, eique majore quam alias unquam perturbatione reſpondet. Extat integra inter Hincmari epiſtolas, tamquam Hincmari ipſius opus, regis nomine. Cujus partem ex politico ſcriptore depromptam, tanti fecit Baronius, ut refutatione dignam exiſtimarit: putaritque Carolum eo facto ſeſe *neſcientem a filiatione ſanctæ eccleſiæ diſcidiſſe*. Verum qui ſe in titulo *ſpiritualem papæ filium* appellat: qui in appendice, *reſponſionem hanc non contumaciter, ſed mente pacifica contextam fuiſſe* ait; qui ſe in priore epiſtola, *regem quamlibet [illegible], nomen catholicum, & in catholica religione devote manentem* vocat: qua tandem ratione cenſeri poteſt ſchiſmaticus? quod ſi priori quam citamus epiſtolæ, in qua *multa reclamatoria, reſultatoria, & tumultuoſa perſpexiſſe* ſe ſcribit Hadrianus, notam ſchiſmatis non affixit, quin potius ea lecta *filium cariſſimum, ſapientia præcellentem, diligentem juſtitiam, glorificantem Deum* nuncupat; *fideles ſuas orationes, & certiſſimas amicitias nunquam aliorum declinaviſſe* proteſtatur: cur hæc epiſtola ejuſdem notæ & ſtili ſchiſmaticum feciſſe dicetur? Denique ſapientiſſimus & moderatiſſimus pontifex, ad omnes has literas ne apicem quidem reſcripſit, malum vitans ſilentio patientiaque, quod aliqui jam putant inchoatum: atque ſequenti anno exeunte mortuus, Joanni VIII. penitus ſopiendum reliquit.

*Litteræ pontificis quomodo in Gallia receptæ.*

*Tom. 3. conc. Gall. p. 403.*

*Hinc. Rhem. epiſt. 42. p. 281.*

*Baron. ad an. 871. §. 10.*

*Carol. ep. 2. ad Hadr.*

*Hadr. epiſt. 39. ad Carol.*

## §. XIX.

*Hincmaro depoſito, hærente in Gallia, Joannes VIII. ſynodum Duziacenſem confirmat.*

Hic ergo deſinunt dicta, ſcripta, concilia adverſus Hincmarum juniorem, quondam epiſcopum. Vacat Laudunenſis ſedes, epiſcopis impetrantibus ne reſtituatur ejectus; vetante Hadriano papa, ne quis alius ſubrogetur. Eccleſiæ viduatæ adminiſtrationem ſuſcipit metropolitanus Rhemenſis: quod ex iis diſcimus apud Flodoardum, quæ poſtea Richildi reginæ ſcripſit, & ipſi tam viduæ, *ſignificans quod quando Laudunenſis parochia epiſcopo vacans in ſua ſpecialiter erat providentia* &c. Ipſius autem Hincmari depoſiticuram nemo geſſit, quam epiſcopi, & Hincmarus avunculus, literis ad pontificem ex ſynodo ſcriptis penitus abjecerant. Inde factum, ut quid egerit poſtea, jaceat in obſcuro. Quid autem egiſſe credendus eſt turbulentus animus, quietis impatiens, regi Carolo & ejus epiſcopis perinſenſus? Uno verſu ad Hadrianum ſcripto multa nobis offert cogitanda Carolus, *poſt depoſitionem ſuam*, inquiens, *& per ſe & per quoſcumque potuit, a ſua pervicacia non quievit*. Qui tamen quievit ab appellationis proſequutione, ab itinere illo Romano tam ambitioſe flagitato, tam liberaliter poſt Duziacenſe concilium conceſſo. Cur illud autem, niſi ut motuum Gallicanorum pars aliqua fieret, convictus in ſynodo eccleſiæ ſuæ fœdum in modum ſpoliatæ, & cogitatæ antea ad Lotharium Caroli nepotem defectionis? Nunc autem rege Carolo poſt Ludovici junioris mortem ad occupandum Joannis pontificis voluntate imperium, in Italiam proficiſcente, cum Ludovicus germanus ejus frater irrupit in regnum, quod Hincmarus Rhemenſis tamdiu ante præſenſerat, & Attiniacum uſque penetravit, filios autem duos, cum totidem exercitibus in Italiam miſit, imperii Carolini conſilium diſturbaturos; dubitari non debet, quin depoſitus Hincmarus novis rebus in tanta opportunitate pro virili ſtuduerit. Nihilominus Carolus Romæ imperium a pontifice accipit, aut, ut annales Metenſes loquuntur, *magnis muneribus, & ingenti pretio emit*. Atque ita *Carolus ſolus qui Calvus dictus eſt, & regnum Francorum, & imperium Romanorum nobiliter ac ſtrenue rexit*, ait auctor vitæ S. Genulfi. Quibus verbis omnia Fuldenſis annaliſtæ, Carolo ſemper infenſi, convicia refelluntur, licet a Baronio quaſi probante deſcripta, qui dictas Carolo laudes a Joanne papa in concilio Ticinenſi referendas non putavit, quod nimis effuſas, & hyperbolicas exiſtimet.

*Hincmari ſtatus poſt depoſitionem.*

*Flodoard. l. 3. c. 27.*

*Hincmar. epiſt. 41.*

*Hincmar. opuſc. 9.*

*Carolus imperator: Annal. Metenſ. ad an. 875. Vita S. Genulfi l. 2. c. 11. Baron. ad an. Ch. 876.*

Inter cetera autem negotia, quæ Romæ cum Joanne confecit Carolus imperator, non poſtremum fuit concilii Duziacenſis, & Hincmarianæ depoſitionis confirmatio. Siquidem rogatus a pontifice, annales ab homine male geſtorum, communes omnium querelas, legitimam ſynodi cognitionem coram enarravit, & ad illam confirmationem ea luculenter inſtructum pontificem adduxit. Qui mox ad Hincmarum metropolitanus dat literas, quibus ratum habet ejus judicium, & alium in depoſiti locum ſufici jubet: *Carolus inviĉtiſſimus imperator, a nobis diligentiſſime percunctatus, circumſtantiam judicii a beatitudine tua, coepiſcopiſque ſuis, in Hincmarum dudum Laudunenſem epiſcopum prolati, apoſtolatui noſtro retulit; agnovimus juſtum omnino fuiſſe judicium. Neque enim tantus princeps niſi veritate fultum quicquam poterat affirmare. Unde nefas eſſe duximus ejus relationi non præbere incunctanter auditum*. Maxime cum acta ſynodi, & ſynodalis epiſtola imperatoris narrationi conſentirent. Itaque curante metropolitano Rhemenſi clerus & plebs Laudunenſis Hedenulfum eligunt *eccleſiæ ſuæ filium, & in illa ſuffragantibus ſtipendiorum meritis, ad onus uſque ſacerdotale promotum, vita & moribus ac ſancta converſatione approbatum*. Sic enim de illo prædicant in ejus electionis decreto, fitque a Flodoardo epiſtolarum ab eodem Hincmaro ad Hedenulfum jam epiſcopum ſcriptarum mentio, quibus tamen ſignificat archiepiſcopus aliquid ſacerdotalis vigoris in eo deſiderari, quod ſequens narratio reddet probabile.

*Synodus Duziacenſis confirmatur a Joanne VIII.*

*Joan. ep. 2.*

*Hedenulfus eligitur epiſcopus Laudunenſ.*

*Tom. 3. concil. Gal. p. 431.*

*Flodoard. l. 3. c. 23. & 27.*

## §. XX.

*Hincmarus ab imperatore Carolo Calvo in cuſtodiam miſſus, oculis privatur.*

Ad hæc tempora, reverſo in Galliam imperatore Carolo, referenda mihi videtur Hincmari Laudunenſis extrema calamitas, qua ejectus in exilium, annos duos egit, aliqua illorum parte conſtrictus vinculis in cuſtodia; ſub finem oculis privatus, ut in reclamatione ſua lamentatur. Ita nimirum præteritam rebellionem vindicante principe, ut futuræ poteſtatem omnem eriperet: in quam tamen, jam miſer, ſed nondum perdomitus, toties viribus *per ſe, & alios* incumbebat. Solent exhorreſcere ad eam excæcationis mentionem hiſtoriæ imperiti, quam ego tibi, lector, ut pulcherrimum clementiæ regiæ munus & veſtigium, paucis prænotatis, repræſento.

*Hincm. Laud. exilium & excæcatio.*

Memineris enim oportet rebellium, ſeditioſorum, eorum a quibus publicæ tranquillitati erat aliquid metuendum, illud fuiſſe ſupplicium, morte merita mitius, & æque ſecurum. Ita Salomonem Britonum ducem exocularunt Franci, *quos valde afflixerat*. Ita Chaganus Bulgarus apoſtatam filium repreſſit. Ita bibliothecarius Anaſtaſius, Romæ ſuggeſſit Adalgrinum quemdam oculis & lingua privandum eſſe. Id autem modis duobus factum a principe: vel uſu meræ poteſtatis: vel legitimo judicii proceſſu, quo ſententia capitis in perduelle decerneretur: quo caſu regum clementia capitalem ſententiam mitigabat, & oculorum privatione contenta, reis pœnitendi ſpatium concedebat. Cujus facti nobile exemplum duplex occurrit. Alterum in Ludovico Germaniæ rege, Caroli noſtri fratre, qui Reſticium Vinidorum regulum judicio procerum morti addictum, excæcari, & in monaſterium trudi imperavit. Alterum in Carolo ipſo, qui Carlomannum filium, de quo nos ſupra, in ſynodo Sylvanectenſi exauctoratum, & ad communionem laicam redactum, apud ſæculares judices novorum criminum poſtulavit, & capitis damnatum, *mitiori ſententia*, ut loquitur Aimoinus (*ut locum & ſpatium pœnitendi haberet, & graviora admittendi locus & ſpatium, ſicut meditabatur, non daretur*) *luminibus, acclamatione cunctorum qui adfuerunt, orbari* juſſit.

*Uſitatum eo ſæculo ſupplicium.*

*Aimoin. l. 5. c. 31.*

*Sigebert. in chr. ad an. 865.*

*Annal. Bertin. an. 868.*

*Aimoin. ibid. c. 26.*

*Ann. Fuld. an. 870.*

*Aimoin. ibid. c. 29.*

Hæc, niſi admodum fallor, imago eſt rei geſtæ in cauſa Hincmari, cum uterque in eadem & rebellionis, & condemnationis cymba naufragium idem eodem pene tempore paſſus fuerit. Ac licet ſplendore natalium principi regis filio ceſſerit Hincmarus, dignitate tamen eccleſiaſtica diaconum ſuperavit epiſcopus. Non affirmo judicium ſæculare præceſſiſſe, & latam in eum capitis ſententiam: ſed hoc ajo, neque crimina defuiſſe ob quæ in jus a rege vocaretur; neque ſive vocatus fuit, ſive regia voluntate punitus, jus & æquum ab eo facto abfuiſſe. Non enim communi ſupplicio dignum cenſuit Carolus, cum apud Hadrianum pontificem illum deſcribit, *Sacrarum legum prævaricatorem, ſancti ſacerdotii vituperatorem, regiæ dignitatis contra apoſtolicam regulam dehortatorem, regni perturbatorem, perjurum, & ſeditionum auctorem, eccleſiæ ſibi commiſſæ afflictorem, facultatum eccleſiaſticarum ſacrilegum fraudatorem, & extirpatorem, epiſcoporum, ac totius populi ſcandalizatorem, alienarum rerum pervaſorem, & veniendo contra ſubſcriptiones, & profeſſiones ſuas, a ſeipſo damnatum*. Et hæc quidem ante judicium eccleſiaſticum; quibus ſi deinde addidit, eccleſiæ & epiſcopis jam tertio illuſum, cum vaniſſimæ appellationis oſtentatione, novos per regis abſentiam *per ſe & per quoſcumque potuit* rebellandi conatus, & ſexcenta alia, quæ animus inquies, & exacerbatus infamia moliri potuit, ſi hæc inquam, vel ſæcularibus quæſitoribus probata, vel ſuo tribunali reſervata voluit imperator, dubitas quin ſummæ fuerit manſuetudinis, vitam talium reo, quantumlibet miſeram, donare, & ſola luminum amiſſione mulctato pœnitendi facultatem concedere, nocendi eripere? Non enim jam ſpectamus epiſcopum, ſed ἁπλῶς imperatoris Francorum ſubditum, epiſcopatu dejectum, a fidelium conſortio ſeparatum, umbram & inane nomen epiſcopi.

*Juſte ipſi irrogatum.*

*Epiſt. apud Hincm. 41. p. 709.*

Non hæc conſiderat Janſenianus diſſertator, ultimus inimicorum Rhemenſis Hincmari, dum epilogo atrociſſimo, quem velut colophonem diſſertationi fabuloſæ imponit, excæcationis illius horrorem in immenſum auget, ejuſque ſupplicii auctorem fingit avunculum. Hoc tam grave, tam memorabile hiſtoriæ momentum ſi verum eſſet, ſiluiſſent per ea tempora tot æmuli Rhemenſis archiepiſcopi; omiſiſſet nepos infenſiſſimus in illa reclamatione, in qua nihil prætermiſit ad ejus invidiam; ignoraſſent poſteriorum ſæculorum omnes hiſtorici; non clamarent etiamnum lapides; Baronius qui Rhemenſem habet pro ſchiſmatico, non nominaret? Servabatur nimirum illa notitia Janſenianis ingeniis, quæ ſibi in omnes ætates veteres, ut & in præſentem quidlibet audendi ad fictionem poteſtatem arrogarunt.

*Avunculus ejus auctor [illegible] diſſertatoris in epilogo.*

Cui autem perſuadere ſperat eo ſævitiæ deveniſſe Hincmarum, ſeverum obſervatorem canonum, qui nihil tale permittunt epiſcopo: eum qui tulit indigniſſime ſcriptum fuiſſe a nepote, calumniatori *aut linguam capulandam, aut caput amputandum*: quem videbimus maximopere pugnantem in concilio, ne credatur regem vel

*Concil. Duz. p. 4. c. 6.*

vel verbo impuliſſe ad nepotem carcere coercendum : cujus reverentia vetitum ſe profitetur rex Carolus , quo minus *in artiſſima , & longiſſima Laudunenſi eccleſia cuſtodia eum religaret* , atque impediſſe ne ab aulicis per vim abſtractus a palatio , aut membris mutilaretur, aut ad mortem cæderetur ? Per gradus ad ſumma conſcenditur : canones ſpreviſſe , & gradum ſuum dedecoraſſe probandus eſt in multis & gravibus cauſis , ut id factum in eum cadere poſſe arbitremur.

## §. XXI.

*Hincmari cæci proclamatio in ſynodo Tricaſſina , ac deinde mors avunculo ſuperſtite.*

*Reclamatio Hincmari in ſynodo Tricaſſina.* AD extremum favit miſero Deus , dum qui Romam appellans , & appellatus , adire ſæpe noluerat , modo non poterat , Romam ad ſe accedentem exiguo labore , nonnullo fructu attigit. Joannis enim pontifex poſt Caroli mortem delatus in Gallia , cum generale Trecis haberet concilium , *Concil. Tricaſſ. II.* inter cetera , ejus reclamatione , quam ſæpe citavimus , audita , vehementer rogantibus , & pene cogentibus quibuſdam *Solvitur irregularitate.* epiſcopis , eum ab excommunicatione , & irregulariter ſolvit , & ad canendam miſſam , ſi vellet , admiſit ; attributa ad Vitæ ſuſtentationem , aliqua redituum eccleſiæ Laudunenſis parte : ea tamen lege , ut Hedenulfus , quantumlibet miſſionem rogans ob corporis infirmitatem , & otii religioſi appetens , ſedem & epiſcopale officium occuparet . Quam permiſſionem avide arripientes aliarum provinciarum archiepiſcopi & epiſcopi , non tam fortaſſe amici Laudunenſis Hincmari , quam Rhemenſis ex antiquo æmuli , ex inſperato , & non conſulto pontifice , *veſtimentis ſacerdotalibus indutum in præſentiam ipſius papæ adduxerunt : indeque ſublatum cantantes in eccleſiam illum duxerunt , & ſignum benedictionis ſuper populum dare fecerunt : Sicque ſynodus illa ſoluta eſt* , ut narrant annales ſæpe citati , & ex iis Aimoinus.

*Annal. Bertin. ad an. 878. Aimoin. l. 5. hiſt. c. 37. "Seu ejus continuator.*

*Non debet dici propria reſtitutio.* Factio certe fuit iſta , non ratio , ut ajunt iidem eodem loco , alia in propoſito hiſtorici : quam , qui Laudunenſi bene volunt , aut male Rhemenſi , habent pro reſtitutione : at non ſatis conſulte : quippe qui non animadvertunt gratiam hanc eſſe , non judicium ; permiſſionem , non ſententiam ; non eſſe retractatam cauſam , acta concilii non reſciſſa , Joannis ipſius audito imperatore ſententiam non mutatam ; imo potius confirmatum in epiſcopali ſede Hederulfum , a qua & ſucceſſoris poſſeſſione , & orbitate ſua excludebatur Hincmarus . Omnium peſſime chronici Adonis auctarium *epiſcopatu donatum eſſe* ſcribit : *Ado in chron.* quaſi excluſus a Laudunenſi ad alium epiſcopatum tranſlatus ſit , quod ne per ſomnium quidem narrant hiſtorici. Imo vero inglorius in ſua illa ſacerdotali parte non multo poſt obiit : tunc etiam commendatus ab avunculo , *Mors Hincmari. Flodoard. l. 3. c. 24. Idem c. 11. & 29.* qui Hugoni abbati ſcripſiſſe legitur , *notificans illi obitum Hincmari nepotis ſui Laudunenſis epiſcopi , rogans ut pro ejus anima remedio per ſubjectos ac familiares ſuos domini miſericordiam deprecari ſatagat*. Idem autem Rhemenſis Hincmarus illo in concilio plurimis a Joanne papa honoribus affectus , apologetico generali omnibus ſuis adverſariis ſatisfecit , de quo non ſemel Flodoardus in hiſtoria : ac demum multis magniſque perfunctus laboribus in ſenectute bona , [illegible] ſuperſtes omnibus , migravit ad dominum , anno epiſcopatus ſui ſeptimo ſupra trigeſimum , Chriſti 882. deſinente ; laudatus a poſteris , ac præſertim a Flodoardo notæ virtutis & integritatis viro , qui flagrante adhuc ejus geſtorum memoria ſcripſit hiſtoriam . Et hic finis eſt tragœdiarum adverſus illum excitatarum , & ejus narrationis , quam Duziacenſi concilio præmittendam " putavimus.

# LUDOVICI CELLOTII, S. J.

## NOTÆ IN CONCILIUM

### DUZIACENSE I.

FACTUM vetuſtatis injuria , ut nobile concilium demus capite truncum ; quippe cui præambulæ deſunt epiſtolæ, quarum in actis ſynodi occurreret mentio : & petitionem , ſive accuſationem regiam a capite quarto inchoamus , neque ipſo integro . Sed eæ partes quam levi jactura effluxerint , longa ſeries querelarum , & cum infinita Hincmari expoſtulatione ſæpius iteratæ repetitiones oſtendunt . Nam & metropolitanam epiſtolam , concilii convocatricem , non omittit Hincmarus deſcribere : & Regiæ petitionis articulos omnes , in reſcripto ſuo expendunt Antiſtites : & liber quinquaginta quinque capitum omnibus hujuſce concilii locis poteſt plurimum lucis afferre . Ac fortaſſe initium illud , qualis tandem cumque utilitatis eſſe putetur , tineis & blattis eripiet aliqua poſteritas , noſtra ætate vel peritior , vel felicior.

*Acta hujus concilii manca. l. 4. c. 7.*

1 Itaque ut a Caroli regis accuſatione , quam petitionem proclamationis appellant , obſervandi ducamus exordium : non poſſum equidem laudare ſatis & mirari Chriſtianiſſimi regis modeſtiam , & in perſonas reſque ſacras ob reverentiam , qui ſubditum calumniatorem , invaſorem , ſeditioſum , rebellem , toties eluſis ſynodis ſemper reum , ſemper inſulas ſuas dedecorantem , in injuriis inferendis obſtinatum , ſynodali judicio perſequi obſtinavit : cum mille aliis viis hominum importuniſſimum pro poteſtate regia coercere poſſet , & de medio tollere . Neque id tantum , ſed etiam præterea libellum accuſationis ſuæ , a ſynodo expendi voluit , ne quid contra ſacras leges poſtulare videretur ; & ut volente Franci principis pietate , jura imperialia canonibus eccleſiaſticis faſces ſubmitterent. Ita paulo poſt Carlomannum perduellem filium Meldenſis eccleſiæ clericorum , per epiſcopos in concilio Silvanectenſis congregatos ab ordine dejiciendum curavit , & ad laicam communionem redigi. Cujus acta concilii habere in titulis qui ſoli ſuperſunt multa noſtris ſimillima ; atque iſtud maxime . *Tria capitula a rege Carolo epiſcopis data , ubi accuſatio adverſus Karlomannum , & quæſitio conſilii de eo tenendi continetur* . Quin etiam eo uſque proceſſit regis optimi demiſſio , ut ſeipſum , ſuumque in repub. ordinem epiſcopali judicio ſubmiſerit , cum Wenilonis Senonenſis proditionem accuſans in ſynodo Tullenſi apud Saponarias diceret , *a qua conſecratione , vel regni ſublimitate ſupplantari vel projici a nullo debueram , ſaltem ſine audientia & judicio epiſcoporum , quorum miniſterio in regem ſum conſecratus ; & qui throni Dei ſunt dicti , in quibus Deus ſedet , & per quos ſua decernit judicia : quorum paternis correptionibus & caſtigatoriis judiciis me ſubdere fui paratus , & in præſenti ſum ſubditus*. Privatim quoque Rhemenſis Hincmari conſilio , plurimis in negotiis uſum fuiſſe Carolum , teſtis eſt hiſtoria Flodoardi , *ut qui ejuſdem archiepiſcopi de multis requirebat conſilium , & per ejus prudentiæ ſuggeſtionem multa induſtrie diſponebat* . Quæ hoc in veſtibulo literis uncialibus proſcribi oportuit , ut intelligamus quicquid de eo per calumniam ad pontificem Hadrianum ſcripſerit Laudunenſis Hincmarus , non potuiſſe regem ſic animo comparatum aut res eccleſiaſticas invadere , aut ſchiſma meditari vel fovere.

*Carolus rex pius.* *Tom. 3. Conc. Gall. p. 69.* *Flodoard. l. 3. c. 18.*

2 , *Sicut enim gaudemus* . ) Ejuſdem Caroli regis in locupletandis eccleſiis magnificentiam ſine exceptione laudat idem pontifex Hadrianus , literis poſt hanc ſynodum per Actardum ejus legatum miſſis , in hæc verba : *Annunciatur etiam a pluribus probis , permaxime a comminiſtro , & fratre verbotenus noſtro , veſtroque & fratrum noſtrorum regni veſtri , Duziacenſis ſynodi archiepiſcoporum , & epiſcoporum legato , archiepiſcopo jam a nobis conſtituto Turonenſibus Actardo , quod ſis amator , exaltator , & illuſtrator ſpecialis in orbe terrarum , & permaximum eccleſiarum Dei , itaut nullus ſit epiſcopatus , nullumque monaſterium in regno tuo quod non auxeris rebus propriis , & veſtimentis ſuis perplurimum ; optareſque ferventer & deſiderares hanc principis apoſtolorum Petri primam ſedem exaltare , honorare , multiſque muneribus vicarium ejus , & clerum ſibi commiſſum ditare* . Neque potuit ignorare nepos Hincmarus , in eccleſia Rhemenſi a teneris educatus , quam multa eidem eccleſiæ poſt ordinatum avunculum rex idem reſtituerit : ut hominem oporteat frontem exuiſſe , cum Carolum apud pontificem ſacri peculatus accuſavit , eo teterriore calumnia , quod illas ipſas , de quibus agitur , poſſeſſiones jamdiu eccleſiæ Laudunenſi ereptas , idem rex Carolus eidem Hincmaro epiſcopo pie liberaliterque reſtituerat : ac poſtea Hincmarus idem in gratiam Normanni , quo tum familiariſſime utebatur , in manus ejuſdem regis tranſtulerat ; ut narratur inferius , eſtque a nobis fuſiſſime expoſitum in notitia.

*Flodoard. l. 3. c. 4.*

3 *Et obtinuit talem epiſtolam.* ) Ad eam videtur alludere Carolus ipſe privata epiſtola non edita , quam poſt concilium per Actardum paulo commotior ſcripſit . *Sæpe nobis exprobrationum epiſtolas miſiſis , & crimina nobis incognita , niſi quantum per malivolorum noſtrorum ora auditis , nobis impingitis . Quod veſtræ ſanctitatis miniſterium non oporteret , neque deceret . Sed neque deceſſores ac prædeceſſores veſtri , noſtris deceſſoribus aut prædeceſſoribus talia impegerunt , vel mandaverunt* . Et inferius iterum . *Et ſi omnes epiſtolas revolvimus quas habemus , ex eo tempore quo Romani pontifices ad reges Francorum cœperunt ſcribere , nihil tale in eis invenietis* . Quod factum cum ſapienter Carolus a pontifice in Laudunenſem Hincmarum deoneret , utpote pontificiæ reſponſionis cauſam , quam atrox & injuſta fuerit ejus delatio , facile poteſt intelligi.

*Litera pontificis ad regem intempeſtiva.*

*IN LIBELLUM EXPOSTULATIONIS Hincmari.*

*Expoſtulatio a petitione diſcrimen.* 4 SCEDULA expoſtulare ſe de fratre Hincmaro dicit Rhemenſis , unde ſcedulam expoſtulationis , ſive libellum nuncupavimus , & ſummam capitum addidimus , quæ in apographo diſtincta ſunt . Quid ſit autem inter hanc expoſtulationem & ſuperiorem petitionem diſcriminis , declarat Hincmarus ipſe , quod eam producit in ſynodo , non tanquam actoris accuſationem , ſed ut læſi & contempti querimoniam nudam & ſimplicem , ne jus metropolitanæ ſedis cui præeſt , fœdum in morem pervicaci temeritate violatum a Laudunenſi , ſilentio prodere videatur. Non vult ergo ex oratione ſua , & objectis criminibus judicium ferri ; ſed in ferendo poſt examinatam regis accuſationem judicio , illud rogat attendi , ut reus metropolis ſuæ dignitatem minuere & dedecorare non poſſit in poſterum. Quare ſtanti in ſynodo , & juſſo reſpondere , *Hincmarus Rhemenſis nepotem non accuſat.* regis petitio perlegitur , & datur in manus , ut expenſis articulis ſingulis reſponſionem appareat ; Expoſtulatio metropolitani nec recitatur , nec traditur , neque porro exigitur reſponſio : quia accuſatio non cenſetur : licet ad condemnationem momenti non parum attulerit , & nonnulli judicium ob hæc ipſa quæ Rhemenſis narravit , damnandum putaverint. Quod exemplo profano non male poteſt illuſtrari P. Servilii Iſaurici , qui forum præteriens , cum *Valer. max l. 8. c. 5.* vidiſſet teſtes in reum dari , acceſſit & ipſe ; præfatuſque , & hominem , & ejus crimen , & æquitatem judicii ſibi penitus ignota eſſe , addidit , ſibi iter facienti occurriſſe admodum anguſto loco , neque equo deſcendere voluiſſe. Non erat illa proprie accuſatio , neque ob inurbanitatem ejuſcemodi judiciorum ſeveritati reum putavit exponendum , quem tamen judices vix auditis ceteris teſtibus damnaverunt. *Valuit enim* , ut notat hiſtoricus , *apud eos , cum amplitudo viri , tum gravis neglectæ dignitatis ejus indignatio ; cumque qui venerari principes neſciret , in quodlibet facinus procurſurum crediderunt*. Quæ pro rata portione ad utrumque Hincmarum eo juſtius retuleris , quod archiepiſcopus & avunculus nutritor in nepotem alumnum & ſuffraganeum teſtimonium dicit.

Non eſt quod ab iſto limine , animum tuum , lector , adverſus prolixitatis , verboſitatis , repetitionum faſtidia comparem : Hincmarum Rhemenſem in hoc ſpecimine vel noſces , vel feres. *Qua fides ſit habenda objectionum.* Monere præſtat 1. vix aliud quicquam eſſe hanc expoſtulationem , quam libri quinquaginta quinque capitum repetitionem. Unde rerum objectarum veritas teſtatior apparet ; ut quæ privatim & amice Laudunenſi objecit Rhemenſis , publice etiam , & in celeberrimo concilii judicio repetere non vereatur : quæ autem privata epiſtola Rhemenſi reſpondit Laudunenſis , coram judicibus in ſynodo iterare erubeſcat . 2. Rhemenſem Hincmarum ſingula teſtimonii ſui capita , etiam leviora , ut aſſolet per canones conciliorum & decreta pontificum confirmare . *Hincmarus Rhemenſis Romanorum pontificum obſervantiſſimus.* Hic vero non tantum dictorum fidem expendi cupio , ſed maxime ſummam adverſus pontifices Romanos obſervantiam , cum & eorum decreta cupide producat , & ingens auctoritas pondus ex apoſtolicæ ſedis majeſtate illorum dictis accedere perpetuo ſignificet . Quis igitur his lectis ſchiſmaticum putabit Hincmarum ? 3. Utrumque Hincmarum in arenam deſcendere , tanquam campiones duos , canonibus & decretis armatos : his circumſonare Rhemenſis petitiones , refertas ex adverſo Laudunenſis cotulas , & reſponſiones : hunc Romam appellare , ſecundum canones & decreta ; illum Romanam appellationem poſt ſynodi judicium remittere , juxta canones & decreta : & omnia non ſemel ab utroque proferri , apud plurimarum provinciarum antiſtites Gallicanos , in ſanctiſſimo ſynodorum conſeſſu. Quibus ſincere & ſerio perpenſis , cum vides ſuperiorem cauſa Rhemenſem , rejici Laudunenſem : dubitas quin iſte canonibus & decretis pro ſe appellatis addat aliquid , ut minuat , ſenſum adulteret , ſitque merus corruptor , & , ut loquuntur , dictorum catholicorum impoſturator ? Rhemenſem autem quis arguat parum cultæ ſedis Romanæ , ſi nihil his in judiciis aut poſtulat , aut aſſequitur , quod eccleſiæ canonibus , & Romanorum pontificum decretis fideliter productis conforme non fuerit ? Quam perverſe autem in hoc judicio reſpondere Laudunenſis renuerit , alibi declarabitur.

*Canonibus & decretis ſua dicta recte confirmat.*

*IN PRÆFATIONEM.*

5 SICUT *in Vermeria , deinde Gundulfivilla* . ) Quid in hac Gundulfivillæ ſynodo geſtum ſit adverſus Laudunenſem , divinare non poſſumus , cum nulla ejus rei extet memoria. *Quid actum in Gundulfivilla.* Narrat quidem Rhemenſis , miſſam ad ſe ab eo , per Vvenilonem Rotomagenſem archiepiſcopum , ſecundum canonum collectionem , *in Gundulfivilla coram epiſcopis qui aſſuerunt* . Laudunenſis autem queritur literas Hadriani papæ ſibi non eſſe redditas ab Hincmaro metropolitano , *quamvis eas literas* , inquit , *in Gundulfivilla ſuſcepiſſetis , ubi & præſens adſui , quas mihi ibidem nullatenus oſtendiſtis* . Quæ omnia judicialem actionem non oſtendunt : ut conſtanter aſſerere pergamus , tribus tantum ſynodis fuiſſe convictum , apud Vermeriam , apud Attiniacum , & in hac apud Duziacum.

*Hinc. Rem. ep. 35. p. 600. Hinc. Laud. in reſponſ. p. 613.*

6 *De petitione Berthari Laudunenſis diaconi* . ) Berthario clerico ſuo commiſſam a ſe ad comitatum legationem narrat Laudunenſis ; quo etiam tempore eidem Berthario dictum a Rhemenſi exprobrat , excommunicatos ab epiſcopo Hincmaro , eo vinculo non teneri . Quæ res alium fuiſſe perſuadet Berthariùm hunc , ab illo ejuſdem nominis diacono Laudunenſi , qui libello epiſcopum ſuum apud metropolitanum accuſavit , de illicita , ut arbitror , excommunicatione.

*Id. p. 610.* *pag. 617.*

*IN CAPUT I.*

7 CORAM *eodem domno rege* . ) Qui Rhemenſem Hincmarum aulicum aſſentatorem faciunt : ii conſtantiam hominis in vindicandis eccleſiaſticis juribus aut ignorant , aut diſſimulant . *Hincmari conſtantia in conſervandis eccleſiæ juribus.* Hujus libertatis exemplum locus iſte continet , cum nepotem , ipſo rege præſente , graviter reprehendit , quod ſe inconſulto , contra ſacras regulas , palatinam adminiſtrationem a rege accepiſſet . Ejuſdem animi , & infra in iſto concilio cui rex ſemper interfuit , & alibi ſæpe in opuſculis Hincmarianis occurrunt exempla. In quibus non minus prædicanda eſt regis modeſtia , qui & eas reprehenſiones non gravate tulit , & poteſtatem ſuam eccleſiaſticis canonibus voluit eſſe ſubjectam , ut quod liceret ageret , non quod liberet .

Et erit fortaſſe cui priorum capitum objectiones leviores videantur , quam ut exprobrari epiſcopo , & in tanto conſeſſu audiri debuerint. *Cur Hincmarus tenuia objiciat.* Sed iſta cogitet ab Hincmaro objici , olim diſciplinæ monaſticæ apud monaſterium ſuum præcipuo reparatore , & legum eccleſiaſticarum ad ſcrupulum uſque exactore & obſervatore . Hincmaro objici , avunculi præceptionibus , exemplis , ſcrupulis innutrito ; qui , quod effrenes adoleſcentuli ſolent , quantum ſub prædagogo jugum ferret , ſequuta ſtatim licentia monſtravit . Objici in ſynodo ex epiſcopis magnam partem conflata , qui in ſeptis monaſticis , & obſervantia regulari , virtutem antea fuerant adepti dignam inſulis & epiſcopatu . Putas hæc tenuia eſſe & exilia ? Eccleſiæ Gallicanæ ſanctitatem laudas , quæ tum etiam parva magni facientes habuit epiſcopos ; & Hincmari probas innocentiam , qui non potuit papulas alienas obſervare , ſi fuit ipſe ulceribus plenus . Unde igitur *omnimoda Hincmari nequitia* in Mauguini diſſertatione toties , tam invidioſe repetita ?

*IN CAPUT III.*

8 UNDE *apoſtolica ſedes me ſuggerente* . ) Laboris illius & ſtudii tum Nicolai papæ , tum Hincmari metropolitani , veſtigium jacet in celebri ejuſdem Hincmari epiſtola 17. ex Flodoardo eruta . *Cameracenſis epiſcopi electio.* [?] Neque longe quærenda fuit pernicioſæ illius vacationis cauſa , quando Cameracum

eum in regno Lotharii recenſebatur. Sedem vacantem invaſit Lotharii voluntate Hilduinus, non ille ſub Ludovico Pio archicapellanus palatii: legitime ad eam electus eſt S. Joannes, cujus ordinatio Hincmari Laudunenſis importunitate comperendinata eſt. De quo, ut & de ceteris qui ſynodo huic interfuerunt epiſcopis, ſi quid notatu dignum obvenerit, in eorum ſubſcriptionibus commodiore loco memorabitur. Quæ vero de legatione, tractoriaque adjiciuntur, ex iis aperta ſunt, quæ in Prudentii tractoria libro Goteſcalcanæ hiſtoriæ quarto fuſiſſime diximus. Tantum notabimus, hæc omnia contemptus indicia, prius ab Hincmaro Laudunenſi proceſſiſſe, quam de avunculo ſuo, deque rege ulla ratione queri poſſet: ut intelligamus, ex quo primum fonte ſequentes diſcordiæ promanarint.

## IN CAPUT V.

*Hincmari citatio ex memoria.*

9 AD *Martinum & ad Sicilienſes epiſcopos.* ] Senſum Gregorii ſequutus, non verba, epiſtolam 61. libri 7. indict. 2. citat ad Martinum ſcholaſticum, hoc eſt, advocatum, de cauſis epiſcoporum maturo judicio cognoſcendis. *Quanta cura, quantaque vigilantia epiſcoporum cauſæ debeant perſcrutari, ſapientia tua conſideret.* Quare paucis queſtus negotium quod agebatur, ab eo non ſatis explicatum fuiſſe, ſubjicit: *Sed quia cauſarum origo, vel qualitas, omnino nobis ignota eſt pronunciare aliquid definitive non licet, nec poſſumus: ut ne, quod reprehenſibile nimis eſt, de rebus non bene cognitis, proferre ſententiam videamur.* Hinc facile deduci poteſt ea ſententia, *neminem ſine cognitione damnandum*, licet iiſdem verbis concepta non legatur. Lubet autem mirari neglectam eſſe hujus loci auctoritatem, adverſus Hincmarum, in alienas provincias inconſulto metropolitano commeantem, quando & id ſibi minime placere declarat Gregorius: *Illud tamen nobis omnino diſplicet, quod aliquos epiſcoporum, ſine primatis ſui epiſtolis ad comitatum profectos eſſe, vel conventus ſignificas illicite celebrare.* Unde quis non temere judicet totum hunc ex memoria, ſine librorum auxilio ab Hincmaro fuiſſe citatum; quod alibi neceſſario factum a ſe, vidimus excuſantem.

Favet huic conjecturæ, quod mox ubi viaticum morientibus denegatum conqueritur, ſequentem ſtatim epiſtolam, velut ignotam præteribitur, homo minime parcus in citando, & Gregorii perquam ſtudioſus. In illa enim Joannem Syracuſanum admonet, ut Lucillum Miletinum epiſcopum criminis reum de gradu dejiciat: presbyteros quoque & diaconos ejuſdem conſcios & participes in monaſterium releget ad pœnitentiam: alios ſceleris adminiſtros excommunicatione feriat: hac tamen lege, *ut iis qui mortis urgentur periculo, viaticum non negetur.*

*Gregor. l. 7. ep. 62.*

## IN CAPUT VIII.

*Spuriam diſpoſitionem ad mortem.* *Conc. Aurelian. II. can. 15.* *Tom. 1 conc. Gall. p. 217.*

10 ETIAM *corpora eorum qui ſibi qualibet modo*, &c. ] Videtur ad concilium Aurelianenſe II. alludere; cujus tamen non omni ex parte ſententiam exprimit, quæ ſic habet: *Oblationes defunctorum qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere cenſemus: ſi tamen non ipſi ſibi mortem probentur propriis manibus intuliſſe.* Cujus canonis in Joannis II. decretis de cauſa Contumelioſi additur expoſitio: *Nec illud credimus omittendum, ut iis qui pro ſcelere ſuo a præſidibus, ſeu a rectoribus populi fuerint interempti, & ſepulturam in cœmiterio Chriſtianorum habere, & offerentium pro ipſis oblationes juxta ſtatuta canonum, indicamus licentiam non negari.* Quod ſi eorum oblationes admittit eccleſia, quanto æquius ſepeliri permittit? Quis eſt igitur Laudunenſis Hincmarus, qui Chriſtianos, in eccleſiæ ſinu, naturali morte fungentes vetat ſepeliri? Quæ fuerit autem ſemper apud gentes omnes ſepeliendorum mortuorum religio, nemini eſt ignotum; ut ethnicos ipſos & barbaros inhumanitas illa ſuperare videatur.

## IN CAPUT X.

*Corrigitur locus.* *Hinc. l. 55. cap. 6 & 7. p. 410.*

11 SI *contra eumdem metropolitanum*, &c. ) Eam ſententiam frequenter repetit Rhemenſis noſter, in quam ſeu præli, ſeu aliquo alio errore negans particula irrepſit, boni ſenſus expers. Ut cum in l. 55. capitum ſcribit: *Nec me in aliquo poſtponere debes præſumere, excepto ſi contra me, aliquid cauſæ non habueris: ut ob hoc apoſtolicæ ſedis judicium regulariter exceptas.* Et eadem mox pagina: *Cum præcipiant regulæ, ut nullus epiſcopus metropolitanum ſuum præſumat poſtponere, excepto ſi contra eum cauſæ aliquid non habuerit, ut ob hoc ſedis apoſtolicæ petat judicium.* Quæ hi loci omnino ex ipſis Gregorii magni verbis contracti ſunt: *Quod etiam ſi quemquam veſtrum pro cauſa propriis, quæcumque compulerit neceſſitas, ab eodem metropolitano veſtro, ſecundum indictam nobis regulam petere ceſſionem debeatis, nec eum poſtponere in aliquo præſumatis: excepto ſi (quod non optamus) contra eumdem metropolitanum veſtrum habere vos aliquid cauſæ contingat, ut ob hoc ſedis apoſtolicæ judicium requiratis. Nam iis qui petere feſtinant licentiam, quod ſcitis, per canones, etiam antiquorum patrum inſtitutione, habere permiſſum eſt.* Ex his non tantum locum habemus integrum, quem brevitatis cauſa contraxit auctor; ſed etiam, accuſatoris perſonam, hoc in judicio non ſuſtinere Hincmarum archiepiſcopum: neque nepotis recuſatione ab hujus cauſæ cognitione fuiſſe repulſum. Qua enim fronte auſus eſſet Gregorii decretum huc advocare, quo jugularetur?

*Greg. l. 9. Ind. 2. ep. 1.*

## IN CAPUT XI.

*Duo Laud. Hincmari collectiones.*

12 LIBELLUM *de antiquorum patrum ſcriptis*, &c.) Fateor equidem hic me tenebras pati, & ubi perturbata collectione agitur, multa legere perturbata. Nam in primis, cum duas teneamus junioris Hincmari collectiones canonum & decretorum, & is utramque ad avunculum miſerit, ut jus appellationis ſuæ, & metropolitanæ poteſtatis limites illi ſignificaret: in quam hoc loco Rhemenſis invehitur? In priorem, an poſteriorem? Non certe in priorem. Ait enim patres illos ante Nicænam ſynodum ſcripſiſſe. Atqui [a] Calliſtum, Julium, Felicem, Damaſum, magno concilio poſteriores, in ea laudatos video. Cum pontificibus illis Leonem magnum ait productum: quem tamen lego in poſteriore ſola. Idem dico de S. Gregorio, qui penitus in priore non nominatur: idem de multis ſententiis pontificum, quas prior non continet, ſed tantum poſterior. Vis ergo de poſteriore totam orationem intelligi; at ſequenti capite utramque aperte diſtinguit, & de ſola priore hic tractari declarat: *Et in eo de quo agitur libello: ſed & in illo quem per Uuenilonem quondam archiepiſcopum mihi miſit, quem paulo infra commemorabo.* Hæc eſt ſecunda collectio in Gundulfi villa per Uuenilonem Rotomagenſem miſſa. Illa ergo *de qua agitur*, prima collectio eſt, & brevis, & inefficax, & confuſa; *monſtruoſum libellum* vocat inferius. Hujus libri ea ſubſcriptio eſt, quæ hic deſcripta, alibi exagitatur; poſteriorem autem de ſubſcriptione nuſquam video reprehendi. Hanc in Gundulfi villa non accepit per Uuenilonem, ſed ampliorem ſecundam & paulo diſtinctiorem. Concludendum eſt igitur neceſſario, in priore vexanda modo verſari Rhemenſem, mox ad poſteriorem tranſiturum. Sed & agnoſcendum ſimul priorem eamdem mutilam & imperfectam ad nos perveniſſe; & fortaſſe amanuenſes parum accuratos retuliſſe in poſteriorem locos, qui prioris eſſent; ac ſi mavis, repertos in poſteriore, a priori abraſiſſe. Ex adverſo autem quæ pertinerent ad poſteriorem auctoritates, eas in priorem revocaſſe quæ ſcilicet poſt Nicænam ſynodum emanarunt in publicum. Hanc conjecturam in re perplexa ſi æqui bonique conſulis, lector, jam non miraberis legem illam ſæcularem, qua jubetur delatori aut lingua capulari, ſive præſcindi, aut caput amputari, quæ magni criminis inſtar ſæpe repetitur & amplificatur, in neutra collectionum inveniri. Quam tamen abfuiſſe a priore nemo dixerit, quando producta eſt in judicio, & in ea judicium unus depoſitionis ſententiam fundavit.

*[a] Conc. 2. Chr. 214.* *Prior mutila & imperfecta.*

Multa igitur in eo reprehendit Hincmarus: quod *monſtruoſus ſit libellus, ab eo monſtruoſe conſcriptus*; quod ſententias colligat inter ſe pugnantes, evangelicæ, apoſtolicæ, atque catholicæ fidei non conſentientes: quod catholicorum in iis dicta corruperit: quod patres Nicæna ſynodo anteriores ex profeſſo ſelegerit: quod mortis ſententiam, & mutilationis membrorum, probaverit, quod epiſcopo non licet; quod illi neſciente metropolitano ſubſcripſerit, & ad eamdem ſubſcriptionem clericos ſuos adegerit, quæ res canonibus vetatur.

13 *Cum Cyprianus ab abuſionum gradibus.* ] Copiam auctorum amavit ætas Hincmariana, non delectum: neque unquam receptos vulgo librorum titulos revocavit in dubium. Quare veteres illas Clementis, Anacleti, & ejuſcemodi pontificum epiſtolas, tanquam omni fide conteſtatas producit. Et huic de Abuſionibus libro aliquoties citato Cypriani auctoritatem adſcribere non veretur; cum tamen a melle Cypriani *doctoris ſuaviſſimi*, ut loquitur Auguſtinus, procul abſit. Vulgo autem inſcribitur liber de XII. Abuſionibus ſæculi. Qui vero in Auguſtini opera intruſerunt, de XII. abuſionum gradibus inſcripſere, qui titulus Hincmaro noſtro magis arridet.

14. *Si non eſt fas ut reus*, &c. ) Argumentum parium concipere vult Hincmarus. Non licet epiſcopo, ſecundum Auguſtinum, in cauſa capitis teſtimonio reum opprimere; ergo nec fas eſt epiſcopo ſubſcribere in mortem delatoris convicti, quod fecit, & fieri coegit Hincmarus.

*Hincmari ratio in argumento.*



At profecto longe aliud eſt affirmare univerſe delatores capite minui oportere; aliud in privatum hominem ferre teſtimonium, & convictum duci jubere. Hoc vetant & eccleſiaſticæ regulæ, & exempla ex Gregorio atque Auguſtino petita; de priori nullum eſt edictum. Quamobrem gravius & invidioſius quam res exigat, factum iſtud premere mihi videtur orator.

## IN CAPUT XII.

*Corruptela auctorum fugienda.* *Quæ eſt hæreticorum.* *Hinc. l. 55. cap. c. 43.*

15 VERBIS *ſuis ſuppoſuit immittens & ſuperadjiciens.* ] Quanta cum reverentia & religione tractari voluerit auctores uterque Hincmarus, inde manifeſtum eſt, quod eorum corruptelam ſibi invicem objiciunt: & Rhemenſis maxime, non illi tantum, ſed etiam Goteſchalco, & hæreticis omnibus. Unde Macarium Antiochenum in ſexta ſynodo ejus criminis convictum ſæpe commemorat, in opere de prædeſtinatione contra Goteſchalcum, ut & Felicem Urgelitanum, Hiſpanum epiſcopum. Quater id a Laudunenſi peccatum fuiſſe objicit, in duabus videlicet iſtis collectionibus, & in prioribus rotulis item duabus: neque video in omnibus junioris Hincmari apologiis, qua ratione ictum hunc caveat. Rhemenſis autem æquo animo ferre non poteſt eo telo ſe peti, confidenterque factum pernegat, certus innocentiæ: *Per plures denique audio, te apud multos me infamare, quoniam ſacras ſcripturas ſoleam detruncare, & ad meum ſenſum inflectere. Quod ut pro certo adhuc credo nec in uno loco me egiſſe, ſi tamen hoc quod dicis, poteris approbare: & ſi hoc ad approbationem volueris ducere, oſtende coram quantis, & quibus tibi libuerit; & aut patenter oſtendam te mea verba bene non intelligere, aut ab aliquo illa falſata fuiſſe: & ſi fecit me, quod dicis (ſi tamen dicis) egiſſe cognovero, quantocyus corrigere procurabo.* Obſervanda correctio, *Si tamen dicis.* q. d. tam eſt illa criminatio a meis moribus, ab omnium opinione qui mea norunt ſcripta ab omni ſimilitudine veri remota, ut in animum meum non poſſim inducere, quamquam frontem amiſiſti, & mendaciis in me totus ſuffarcinatus es, id a te unquam potuiſſe proferri. Hæc attentius conſiderare cupio, & eos qui Rhemenſem noſtrum falſarium vocant, & qui patrum fruſtra ad novitatis ſuæ confirmationem hinc inde corrogantes, nihil minus quam auctorum mentem exprimunt, & ſimpliciorum ignorantiæ populariter illudunt.

## IN CAPUT XVI.

*Hincm. Laud. ep. ad Rhem. p. 610.*

16 QUIA *omnes homines ſui banniti fuerunt ad cauſas.* ] Laudunenſis verba ſunt, *Nam præteritis ipſis diebus per bannum regium omnes mei homines in palatio retenti fuerant: ego autem ſolus ad manſiones Harduici, cum uno ſuo clerico, & tribus laicis hominibus perrexeram.* Et aliquanto poſt: *Et nunc in proximo dum hoſtiliter omnes banniti fuiſſent in regis ſervitium; & ipſe cum aliis meis veniſſem hominibus ad Moſomum:* cum ante paulo narraſſet: *Immo etiam cum in palatio ad cauſas pro ipſis, bannus a quodam meo requireretur homine, qui inde nullum miniſterium habebat, niſi quia tantummodo ad poteſtatem S. Mariæ* (Laudunenſis eccleſiæ) *eas me jubente revocaverat, ut ceteri mei homines ceteras; & pro eo quod in illa manſa intraverat, ut bannum revvadiaret, interpellaretur, adſtitit meus pro his rebus advocatus, qui* &c. *Qui mox expulſus eſt, & cum omni violentia coegerunt illum meum alium hominem, ad quem inde nihil pertinebat, ut bannum pro his revvadiaret, & revvadiato banno minati ſunt quod ad mortem illum judicarent pro infidelitate regis, niſi præſentaliter talia vadimonia daret*, &c. Semel & paucis excutienda iſta barbaries eſt, ne quis obex rerum geſtarum cognitionum intervertat.

*Bannus quid.* *Hincm. Rhem. ep. 29. ad Carol. reg. pro Laud. p. 317.*

Bannum interpretatur Hincmarus ipſe Rhemenſis, pro nepote Laudunenſi apud regem Carolum agens, confiſcationem & publicationem. *Et requiſito, & non invento advocato illius, qui de ejus capite ex prædicta cauſa redderet rationem, excepta eccleſia, & epiſcopii domo, ac clericorum clauſtro, quicquid de rebus, & facultatibus eccleſiaſticis: ſibi in epiſcopali ordinatione, munere Spiritus ſancti, ad gubernandum & diſpenſandum commiſſis acceperat, juſſione veſtra per vice comitem ipſius pagi in bannum, quod in lingua Latina proſcriptio confiſcandi vocatur, eſt miſſum. Et poſtea, ſicut audivi, per cancellarium palatii veſtri, mandaſtis vicedomino, & præpoſito iſtius eccleſiæ, cum non modica interminatione, ut providerent, quatenus nullum obſequium ab eccleſiæ ipſius hominibus, nullumque ſubſidium de facultatibus eccleſiaſticis per clericum vel laicum ipſe epiſcopus poſſet habere.* Hic habemus & bannum, & banni effectum; & ei vim ſimilem a rege illatam, quam citato primum loco deſcribit Hincmarus nepos: eo tamen diſcrimine, quod hæc poſterior veram habet narrationem, & culpa regis excita, forti & animoſa avunculi actione compreſſa eſt. Illam autem rex & Hincmarus ipſe habent pro fictitia, neque in judicio probari potuit ab auctore. Sit ergo *bannus* proſcriptio & confiſcatio, jus regium adverſus infidos, *bannire*, erit proſcribere, & banniti homines Laudunenſis Hincmari, addicti fiſco regio, ut in poſterum omne regi obſequium. Hincmaro nullum perſolvant. Eſt etiam frequentiſſima in capitularibus *banni regii* mentio, hoc eſt, mulctæ regi pendendæ, quæ 60. ſolidorum eſt. Hinc bannum regis ſolvere, bannum componere, & ſimilia. Et quoniam bannire alias, eſt convocare, congregare, ut bannire exercitum, bannire ad cauſas, ſive ad placitum, vocare in jus: inde heribannus, aut ſimpliciter bannus, mulcta eſt eorum qui ſic vocanti regi non parent. Gregorius Turon. in hiſtoria: *Chilpericus rex de pauperibus & junioribus eccleſiæ, vel baſilicæ, bannos juſſit exigi, pro eo quod in exercitu non ambulaſſent: non enim erat conſuetudo, ut hi illam exolverent functionem.*

*Bannus regius.* *Heribannus.* *Greg. Turon. hiſt. Franc. l. 5. c. 26.*

Quid eſt autem bannum revvadiare? Uvadium illa majorum noſtrarum lingua ſcimus eſſe pignus; & Uvadiare, oppignerare. Sic in additione Karoli magni ad legem Salicam: *Liber qui ſe loco vvadii in alterius poteſtatem commiſerit, ibique conſtitutus damnum aliquod cuilibet fecerit, qui eum in locum vvadii ſuſcepit, aut damnum ſolvat, aut hominem in malo* (majore judicio & placito) *perductum dimittat, pendens ſimul debitum, propter quod eum in vvadio ſuſcepit, & qui damnum fecit, juxta qualitatem, regi cogatur emendare.* Et in formulis Marculfi: *Ita ut pro ipſa cauſa ſolidos tantos in pagalia* (perſolutione) *nobis dare deberes: quos & in præſente pro vvadio ſuo viſus es tranſolviſſe.* Et iterum: *Hac igitur de cauſa judicatum eſt ei ab ipſo comite, ſeu ab aliis illius loci pagenſibus, ut illam laudem* (compoſitionem) *quod ſunt ſolidi tanti, pro ſuo vvadio ponere deberet, quod ita & fecit.* Revvadiare autem interpretantur relaxare, eximere banno, affine conſuetudini noſtræ qua dicimus, *avoir main levee, faire lever la ſaiſie.* Sed in hoc etiam pretii aliquid interveniſſe colligimus, ex capitulari Ludovici, *ut vaſſi noſtri, & vaſſi epiſcoporum, abbatum, abbatiſſarum, & comitum qui anno præſente in hoſte (exercitu) non fuerunt, heribannum revvadient, exceptis his qui propter cauſas neceſſarias, & a domno rege, & genitore noſtro Karolo conſtitutas, domi dimiſſi fuerunt.* Item paulo ante: *Ut de debito quod ad opus noſtrum fuerit revvadiatum, talis conſideratio fiat, ut is qui ignoranter peccavit, non totum ſecundum legem componere cogatur, ſed juxta quod poſſibile viſum fuerit. Is vero qui tantum mala voluntate peccavit, totam legis compoſitionem cogatur exſolvere.* Iſtiuſmodi leges, quæ paſſim occurrunt in capitularibus, ſuadent illam banni relaxationem pretio fieri ut mihi probabilius videatur, revvadiare bannum, eſſe ſummam conſtitutam & taxatam ſolvere, eaque ratione bannum relaxare. Videtur iſtud confirmari lege Karoli magni, *de libero homine in hoſtem bannito;* ſive ad exercitum convocato: *Quicumque liber homo in hoſtem bannitus fuerit, & venire contempſerit, plenum heribannum, id eſt, ſolidos 60. perſolvat; aut ſi non habuerit unde illam ſummam perſolvat, ſemetipſum pro vvadio in ſervitium principis tradat; donec per tempora ipſe bannus ab eo fiat perſolutus, & tunc iterum ad ſtatum libertatis ſuæ revertatur.* Itaque ſi vera narrat Laudunenſis, juſte queritur hominem ſuum culpæ omnis expertem, ab ea cauſa penitus alienum, a Normanni ſatellitibus coactum eſſe ut bannum revvadiaret, & ſummam ab aliis debitam perſolveret.

*Uvadium. Uvadiare.* *Addit. Caroli magni, ad l. Salic. n. 8. tit. 1.* *Marc. formul. c. 126.* *Ibid. c. 124.* *Bannum revvadiare.* *Capitul. l. 4. c. 70.* *Ibid. c. 58.* *Ibid. l. 3. c. 67.*

17 *Si Franci homines ad judicia*, &c. ] Ridiculam oſtendit adverſarii defenſionem, qui fugam ſuam a ſynodo in qua legitime conveniebant, tegere conatur exemplo Athanaſii, Pauli, apoſtolorum, Chriſti ipſius Judæorum invidiam & odium declinantis. Quamvis autem hoc loco Francorum nomen nationem ſignificet, non conditionem; quia tamen Francorum hominum, liberorum hominum, frequens in iſtis auctoribus memoria legitur, & nos in hac modo verſamur grammatica; breviter dicamus, ſi conditionem ſpectamus, nihil aliud eſſe francos, quam liberos, & a pendendo tributo immunes. Id omnino ſignificat Laudunenſis noſter de Nivino ſcribens ad Rhemenſem: *Illo reſultante quod Francus eſſet, & ut liber ſe defendere vellet & quiret.* Et Rhemenſis ad Hadrianum: *Et nos Francos non jubeat ſervire, quia iſtud jugum ſui anteceſſores, noſtris anteceſſoribus non impoſuerunt, & nos illud portare non poſſumus; qui ſcriptum eſſe in ſanctis libris audimus, ut pro libertate & hereditate noſtra uſque ad mortem certare debeamus.* Sic autem exponit Siffridus presbyter in chronici. Cum Valentinianus imperator quoſdam populos, qui Alani dicuntur, vincere non poſſet: fecit edictum, ut qui eos vincerent, decem annos a tributo liberi eſſent. Unde Teutones ejus gloriæ cupi-

*Francus quid.* *Hincm. Laudun. ep. Fuer. p. 335.* *Hincm. Rem. epiſt. 45. p. 695.* *Siffrid. presb. chronic. l. 1. p. 288.*

cupidi, illoſtrenue delent, & inde Franci appellati ſunt. Hinc *Francæ perſonæ*, apud Marculphum. Et in legibus Ripuariorum; *Si quis Ripuarius advenam Francum interfecerit*, 200. *ſolidos culpabilis judicetur*. Ubi & gens, & ſtatus intelligitur, atque grandi ſumma mulctatur; cum Alamannus & Burgundio interfecti 160. ſolidis tantum æſtimentur, at Romanus advena, non plus centum.

*Marc. formul. c. 106. Lex Ripuar. tit. 36.*

## *IN CAPUT XV.*

*Hincmari junioris impudentia.*

18 DICIT *enim ibi*.) Perſtringitur hominis imprudentia, qui ſuo ſe gladio juguler, dum ſcripto fatetur ſe villam eccleſiaſticam, de qua tota lis eſt, regi conceſſiſſe. Quo facto bis peccavit, & quod eam ceſſionem contra canones ſacros peregit; & quod peractam, violenter irritat. Regemque, ut invaſorem bonorum eccleſiaſticorum apud pontificem accuſat, qui quod ultro datum eſt accepit, & bene volente donatore Hincmaro, in beneficium Normanno dedit. Ridicule igitur poſt hæc geſta cupit ſibi eamdem villam dari in alodem; quam antea reſtitutam a rege ita potuit poſſidere Alode prædium eſt pleno jure poſſeſſum. *Allodium hereditas quam vendere, vel donare poſſum, ut mea propria*. Monet autem Hincmarus noſter apud Flodoardum, cavendum eſſe *ne villa in alodem verteretur, & eccleſiaſtica mancipia in ſervos & ancillas diſpertiatur*; atqui de villa Pauliaco tota quæſtio eſt.

*Alode, allodium.*

## *IN CAPUT XVII.*

*Pittacium, rotula, &c.*

19 PITACIOLUM *irrationabiliter confectum*. Pitacium, ſcedula, rotula, quaternio, voces ſunt horum temporum ſyllabis magis & literis, quam ſenſibus diſtinctæ. Nam quod pitacium hoc loco vocatur, mera epiſtola eſt, quam deſcribit alicubi Rhemenſis. Quam ſuperioribus capitibus *rotulam prolixam* appellavit, *pitaciolum* dixit Laudunenſis, & quidem ſolœciſſans.

*Iſte pitaciolus plane depromit, & apte*
*Sedem appellandam libere apoſtolicam.*

*Hincm. Laudun. p. 555.*

Cui criticus avunculus:

*Namque pitaciolum neutro dixere priores:*
*Et caput hoc languens, cetera fluxa docet*

*Remenſ. p. 583. Ibid. 577.*

*Libellum* etiam ſupra vocavit, ut & priorem collectionem nepotis: ſuam autem reſponſionem, hoc eſt, librum 55. capitum, in ipſo indicis veſtibulo, *Epiſtolam* dicit. Quid eſt autem *ſcedula*, niſi libellus, qualem hanc videmus in ſectiones & capita diviſum? Quid quod opus de prædeſtinatione vegrande tribus libris conſtans ſe *commiſiſſe ſcedulis tumultuario ſermone* ſcribit alibi? quaterniones quoque & quaterniunculi, quibus illi pitacio reſpondit, ſunt epiſtolæ & libelli, quorum partem adhuc manibus verſamus.

*L. de prædeſt. epiſt. ad regem.*

Quod deinde in pitacio Laudunenſis legimus *intercharaxatum*, jam eſt a nobis explicatum in hiſtoria Gotteſchalci, & hic ipſe locus exemplum adductus. Hanc vero grammaticuli criticam adeo neglexit Rhemenſis noſter, nunquam ut *detrecto* voluerit ſcribere, ſed expreſſiſſime *detracto*. Denique quod ait *olim ab horno*, interpretor, longe ante hac, eſt enim *hornus* grammaticis, præſentis anni fructus. *Ut olim ab horno*, ſit diu ante præſens tempus. Habitum eſt autem Vermerienſe concilium in quo cœpit accuſari, anno 869. iſtud vero Duziacenſe biennio poſt, anno 871.

*Intercharaxatum. Detracto. Olim ab horno.*

20 *Ait enim ſacrum Carthaginenſe concilium*.) Quia frequentiſſime canonem iſtum habet in ore Hincmarus, & ex eo non Laudunenſem tantum, ſed etiam Prudentium Tricaſſinum, ut alias videbamus, damnandum eſſe proclamat; illum ſemel proferre neceſſe videtur. Nam concilium Carthaginenſe, ſecundum vulgo dictum, quod ad tempora Cæleſtini referunt, ad extremum confectis omnibus, ſubſcriptionem epiſcoporum rogans, ſic inter cetera loquitur; *Genedius epiſcopus dixit*, (erat is concilii præſes) *Si, quod non opinamur, ab aliquo fuerint violata* (ſtatuta concilii) *quid ſtatuitis, quod fieri debeat? Ab univerſis epiſcopis dictum eſt: Qui contra ſuam profeſſionem, vel ſubſcriptionem venerit, ipſe ſe ab hoc cœtu ſeparabit*. Hæc verba nihil gravius quam excommunicationem ſonare videntur. Aliter tamen intelligit titulus canonis, *ut qui contra profeſſionem ac ſubſcriptionem ſuam venerit, in concilio deponatur*. Secundum quam expoſitionem refert Hincmarus verbis aliis, *ipſe ſe honore privabit*. Ut conjectura ſit in aliis exemplaribus ita lectum fuiſſe; quando ſibi conſentientes habet concilii ſui epiſcopos, & tacentem Hincmarum Laudunenſem, quos in tam gravi canonis mutatione mutos eſſe non oportuit. Ceterum non deſunt qui credant ad hoc concilium alludere, aut communi ſaltem vocabulo includere, Leonem IV. inter receptos ab eccleſia Romana canones numerantem, *Africanenſium*, *Carthaginienſium*. Quod etſi mihi nondum ſit perſuaſum; ſi tamen aut admittitur, aut ab Hincmaris creditum unquam eſt, eo major illius canonis auctoritas eſſe debuit, quo recentiore decreto in jus canonicum erat immiſſum.

*Canon Carthaginenſis explicatus. Concil. Carthag. 2. c. 13. Leo 4. ep. ad epiſc. Britan.*

21. *Quia ſi compulſi aliqui*.) Quo modo de varietate exemplarium dicebamus, hac Gregoriana citatione liquido confirmatur, in qua libri noſtrates excommunicationem illam ignorant, quæ ab utroque Hincmaro ſine dubitatione deſcribitur. Ejus initium recte ſic producit junior Hincmarus. *Si qui vero ſunt qui dicunt, quia compulſus quiſpiam neceſſitate, ſi anathematizatus fuerit*, (aut contra ea quæ ſub anathemate prohibita ſunt, præſumpſerit) *anathematis vinculo non tenetur, ipſi ſibi teſtes ſunt, quia Chriſtiani non ſunt*. Et paulo poſt; *Contra quos diutius non eſt diſputandum, quia deſpiciendi per omnia, & anathematizandi ſunt, ut unde veritatem fallere ſe credunt, inde in peccatis ſuis veraciter ligentur*. Ac deinde; *Si qui ſunt igitur qui ſub nomine Chriſtiano hæc, (quæ diximus errorum capitula) aut prædicare audent, aut taciti apud ſemetipſos tenere, hos procul dubio & anathematizavimus*. His verbis immediate ſubditur; *Ex omnibus tamen capitulis*, &c. Unde eſt igitur additamentum illud, quod utrobique legimus in Hincmaris? *Eoſque & ego, & omnes catholici epiſcopi, atque univerſa eccleſia anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt, & contraria loquuntur?* Profecto ex alio exemplari, ſed non ſano; cum hæc lacinia, Gregorii ſtylum minime ſapiat.

## *IN CAPUT XVIII.*

22 SCEDULAM *quamdam mihi direxit*.) De ſcedula iſta in conſilio Tullenſi apud Tuſiacum conſcripta magna eſt inter Hincmarum utrumque contentio, affirmante nepote ſcriptam & ſubſcriptam a ſeipſo, & ab aliis epiſcopis; negante funditus avunculo viſam eſſe in concilio, & a patribus ſubſcriptam. Atque hic dictum ſuum inde credibile facit, quod multis in partibus vitioſam ſubſcriptionem eſſe demonſtrat. Quæ vitia & nos ipſi legimus in eo concilio, in tomis conciliorum Gallicanorum. Illi tamen fidem penitus abrogare difficile eſt, aſſirmanti ſe quem citat ſcedulam ab archiepiſcopo Veſontionenſi Harduico viro graviſſimo accepiſſe, & tranſcripſiſſe. Ita res videtur extricanda, ut ſynodi Tullenſis apud Tuſiacum nomine ſcripta duo prodierint, verum unum & legitimum, opus ſenioris Hincmari, quod extat & legitur in tomis conciliorum, germanam & ſolidam eccleſiæ & beati Auguſtini de quæſtionibus tum agitatis doctrinam continens, teſte diſſertatore hiſtorico, ut in quarto operis libro fuſius dictum eſt a nobis. Hoc agnoſcit, & magnam ejus partem producit Hincmarus iſte junior, ad librum 55. Capitum reſpondens. Sed in eo fallit, quod epiſtolæ illi ſynodali ob prolixitatem ſubſcriptum non eſſe commemorat: cum clare teſtetur ſenior Hincmarus auctor ſcedulæ, *authenticam & veram diffinitionem* illam eſſe, *ſecundum ſacras leges in eadem ſynodo decretam*. Quomodo autem ſine ſubſcriptione dici potuit *authentica*? Alterum ſcriptum, furtivum, & adulterinum, quod *mendax*, *& in quibuſdam ſacris regulis obvians* vocat Rhemenſis, oſtentat hoc loco Laudunenſis, quod incipit, *Cum in nomine Dei omnipotentis*: quod & ipſum extat. Negat tamen archiepiſcopus Hincmarus ſe, aut eos qui concilio interfuerunt epiſcopos, umquam illud aut vidiſſe, aut audiviſſe. Et tamen epiſcoporum omnium & archiepiſcoporum ſubſcripta nomina, quodque mireris, *Hincmari ipſius ſanctæ Rhemorum eccleſiæ epiſcopi*, præfert: & ſi iſti credimus, nonnullorum qui eidem ſynodo non interfuerunt. Habemus in conciliis falſam hanc collectionem & ſubſcriptionem, ut & veram epiſtolam ſynodalem: veram autem, ſi quæ fuit, collectionem, & veram ſubſcriptionem deſideramus. Quibus porro *admonentibus & ſatagentibus* fraus illa ſucceſſerit, ſuo loco aperuimus.

*Hinc. Rem. ep. 55 p. 415.*

Itaque cum duplex fuerit ſcriptum, & duplex item ſubſcriptio, ea ex parte conciliari poſſunt Hincmari duo. Verum hæc ſupereſt difficultas, quod uterque animoſe contendit, uni tantum collectioni fuiſſe ſubſcriptum; Rhemenſis, ſuæ prolixæ; Laudunenſis, alteri *ſuccinctius collectæ*: & uterque ſe illi ſynodo interfuiſſe repetit, ut teſti oculato, & auctori ſubſcriptionis credatur. Alterum ſuo falli neceſſe eſt; & æquius videtur, ut pro avunculo ſtemus, adverſus nepotem: non quidem ſtudio partium, ſed veritatis. Dicendum enim collectionem cum ſua ſubſcriptione a nepote jactatam, fuiſſe furtim & inſciis pleriſque concilii patribus factam; quam proinde jure optimo fictam, incognitam, mendacem appellat avunculus, habetque pro infecta. Falſi ſi quidem convincitur, non ſolum ex capitibus a Rhemenſi notatis: ſed etiam ex eo quod Hincmarus ipſe, qui nec vidiſſe, nec audiviſſe proteſtatur, ei ſubſcriptus legitur cum epiſcopis aliis; qui idem de ſe confirmant, cum Rhemigio, Harduico, Francone, quibus præ-



ſentibus eam primum accepit & vidit, deferente Heddone Laudunenſi præpoſito: qui profecto ſi habuiſſent ante cognitam, Hincmaro ſtuporem, & dubium omne abſterſiſſent. Deinde, quod magni apud me ponderis eſt, ea ſcripti ſubſcriptioniſque vanitas & impoſtura, publice modo audientibus octo provinciarum epiſcopis proclamatur in ſynodo, nomine omnium refragante nemine ſibi notam eſſe affirmante: cum tamen præter Hincmarum Rhemenſem, judices hic conſideant, Harduicus, Frotarius, Rhemigius, archiepiſcopi; Franco, Hildegarius, Adventius, Giſlebertus, Engenoldus, epiſcopi, qui in fictitia illa ſubſcriptione leguntur. Hi omnes ſi ſcripto illi in Tullenſi concilio vere ſubſcripſiſſent, illa de tali ſcedula dicentem Hincmarum non interpellaſſent, & ſibi oblatam, a ſe ſubſcriptam brevitatis cauſa, jactaſſent? Hincmarus ipſe Laudunenſis, cum ſteterit præſens in ſynodo, ejus rei mentionem non potuit inducere, & Harduicum, a quo illam acceperat, conteſtari, ceteros qui ſubſcripſiſſe dicuntur, appellare ſingulatim, ut hoc pro veritate teſtimonium dicerent, & ex illa metropolitani ſui impoſtura, ejus fidem in reliquis æſtimarent? Sit igitur hoc certum pro Rhemenſi Hincmaro, ſcedulam ejuſcemodi paucorum dolo fuiſſe confictam, ſynodi Tullenſis nomine & ſpecie in concilio nunquam viſam, longe minus probatam: non ſubſcripſiſſe plurimos epiſcoporum, ſed eorum nomina furtim mala manu in eam ſubſcriptionem immiſſa: epiſtolam vero ſynodalem ab Hincmaro *archiepiſcopali adminiſtratione dictatam*, ut loquitur Laudunenſis, vere publice a ſynodo probatam & ſubſcriptam fuiſſe. Quod igitur illi figmento, inductus a quibuſdam Ebbone ſcilicet Gratianopolitano & ſimilibus, Hincmarus nepos ſubſcripſit, contempta ſynodali epiſtola, jam tum oſtendit, quo animo ferretur in avunculum.

## *IN CAPUT XX.*

*Laudunenſis renuit excommunicationi ſubſcribere.*

23 ET *quia frater Hincmarus*.) De Carlomanni perduellione, ejus complicum excommunicatione, obſtinata pervicacia Laudunenſis Hincmari, excommunicationem illam æquiſſimam ſubſcriptione probare refugientis, & reipſa nunquam ſubſcribentis, nihil habeo quod addam ad ea quæ in vita Hincmari præfando retuli. Unum tamen reperere ſuperfluum non eſt, illa obſtinatione cum regis & metropolitani indignationem commeritum fuiſſe Laudunenſem: tum juſtiſſimam de rebellionis ſocietate cum illo inita ſuſpicionem dediſſe: ut mirum non ſit eodem utrumque ſupplicio poſtea fuiſſe punitum.

## *IN CAPUT XXII.*

24 QUando *fideles ſenioris noſtri*.) Objicit avunculo nepos factum contra canones, ut Carolomanno ejuſque ſatellitibus in parochia Laudunenſi benedictionem, ſive a criminibus quæ prædationem comitantur, abſolutionem impertiret, cum ſua ipſa ſe parochia Rhemenſi continere debuerit. Reſpondet avunculus, feciſſe ſe, neque ſolum, ſed cum epiſcopis qui tum aderant: dediſſe rogantibus, & pœnitentiam oſtentantibus; & hoc jure factum a ſe, qui ſit metropolitanus, & quocumque libuerit provinciæ ſuæ loco, concilia congregare, & canones ad diſciplinam ſpectantes ferre poſſit. Quanto magis in Laudunenſi parochia, ſedi Rhemenſis per conditorem Rhemigium peculiariter ſuppoſita?

Reconciliationem porro iſtam in hiſtoria non videmus, niſi volumus obſcure in ea Bertinianorum annalium narratione contineri: *Quod audiens Carlomannus, cum ſuis complicibus ad Moſomum perrexit, & ipſum caſtellum, cum villis circumjacentibus devaſtavit. Unde quatuor miſſos ſuos ficte ad patrem ſuum direxit, mandans, quod ſine honoribus ad illum credens fidei ſuæ veniret, & Deo, & illi de quibus convenerat ſatisfacere vellet. Tantum ut de his qui cum eo erant, miſericorditer tractaret, qualiter ſalvi eſſe valerent*. Hic umbra pœnitentiæ apparet, ſaltem fictæ, quamquam Hincmari & epiſcoporum reconciliantium nulla fiat mentio. Sequitur: *Carolus autem rex ad eumdem filium ſuum Carlomannum cum duobus illius miſſis (nam alios duos ſecum retinuit) Gauzlinum abbatem, & Balduinum comitem, ipſius Carlomanni ſororium miſit: mandans illi convenientiam, qua ad eum ſecure poſſet venire, ſi vellet. Ipſe autem Carlomannus doloſe ſimulans ad patrem ſuum venturum, alios miſſos impoſſibilia quærentes ad eum direxit, & ipſe in partes Tullenſes direxit*. Verum ab hac opinione, ut de iſta graſſatione perditorum hominum benedictionem illam accipiam, non levia me abducunt, 1. Quod hiſtoricus illos negat *a malo capto vel aliquantulum deſtitiſſe*, ac datos obſides, & ceſſatum a deprædatione profitetur Hincmarus. 2. Illa injuria commotum regem ſcribit annaliſta confugiſſe ad epiſcopos, excommunicari ſatellites filii impetraſſe. Atqui reconciliatio Hincmariana illa excommunicatione poſterior nulla apparet. 3. Neque mihi placet quod excommunicationem annaliſta refert ad annum hujus concilii 871. cum & cenſuram & hanc abſolutionem ab hoc tempore remotiorem eſſe reſponſio Hincmari ſignificet. Videant igitur indagatores temporum, an hæc conlocutio Karlomanni & benedictio ad primam illius rebellionem pertinere poſſit: poſt quam iterum nova molitus apud Attiniacum damnatus ſit ad carcerem. Qua de re ipſo ejus concilii anno ſic agit Bertinianus, *Carlomannus etiam Caroli regis filius, & plurimorum monaſteriorum pater, reputatus, quoniam inſidias infideliter erga patrem ſuum moliebatur, abbatiis privatus, in Sylvanectenſi civitate eſt cuſtodiæ mancipatus*. Quod factum non eſſe prima rebellione poteſt inde conjici, quod inferius dicitur *poſt præſtita per duas vices ſacramenta pejeraſſe*. Notemus interim, Laudunenſem Hincmarum, qui excommunicationi per avunculum dictatæ, & ab omnibus, etiam remotis, epiſcopis probatæ, contumaciter ad extremum ſubſcribere abnuit, privatam ſuam in eoſdem perduelles intentaſſe, &, ut videtur, paratam habuiſſe. Adeo nitimur in vetitum ſemper; quamquam & dolo id egiſſe non temere dicatur, ut & regi excommunicationem poſcenti ſatisfaceret, & Carlomanno eam refugienti gratificaretur.

*Carlomanni graſſatio. Annal. Bertin. ad an. 871. Annal. iidem ad an. 870.*

Quod ſi temporis ratio annalibus Bertinianis hac in narratione non conſtat: quid dicemus de ultimo ejus ad rebellandum conatu, & cum ſequuta excæcatione, quum *ſecundum ſacrarum legum decreta pro admiſſis ſuis judicio mortis addictus eſſet?* Hoc judicium refert hic hiſtoricus ad annum 873. Annales autem Metenſes, ad ſynodi apud Attiniacum tempora, anno 870. minus probabiliter. *Per idem tempus*, inquiunt, *Carolus Carlomannum filium ſuum oculis privavit*. Et relata per compendium frequenti ejus rebellione, & ſupplicio, addunt: *Orbatus itaque Ludovicum patruum ſuum adiit, calamitatum ſuarum ærumnas apud eum lugubriter deplorans. Ille miſeratione motus, Abſternacum monaſteriorum S. Willibrordi ei ſubſidium vitæ præſentis conceſſit; ubi non multo poſt tempore mortuus eſt, & ſepultus*. Hunc ipſum Carlomanni ſeceſſum ad Ludovicum Germaniæ regem aliter narrat, & cogitatæ tum etiam defectionis plenum deſcribit Bertinianus annaliſta: *Sublatum per quoſdam homines ſuos, conſentientibus duobus pſeudomonachis de Corbeja monaſterio* (in quo degebat Ratramnus) & deductum ad patruum, ab illo tandem Luitberto archiepiſcopo paſcendum in monaſterio S. Albani apud Moguntiam commiſſum eſſe: eoque facto monſtraſſe Germanum, quantopere nepotis ſui rebellionem, & fœdas depopulationes regionum execraretur. Et hæc de Carlomanno non omnino πάρεργα.

*De excæcatione Carlomanni. Annal. iidem ad an. 873. Annal. Met. ad an. 870. i. Epternacum.*

25 *Ut ſecundum formam myſtici Nicæni concilii*.) Etſi jam antea libellus iſte in concilio recitatus *myſticam Nicænam ſynodum* imo & in libro 55. capitum *ſacram & myſticam Nicænam ſynodum* appellaverit exiſtimo tamen epiſtolam de qua verba illa decerpuntur, videlicet formulam excommunicationis ſociorum Carlomanni, hoc eſſe ſcriptum, ex quo ſumpta eſt occaſio exponendi, quam ob cauſam myſticum Nicænum concilium vocetur. Cujus tractatus hæc eſt theſis: *Quæſitum eſt, ut a quibuſdam mihi dictum eſt, cur in quodam meæ humilitatis ſcripto, poſuerim myſticam Nicænam ſynodum*. Cum enim ſcriptum illud tota Gallia, etiam ad Lugdunenſes provincias circumlatum fuerit, credibile eſt illud verbi myſterium, novitate ſui, aliis riſum excuſſiſſe: modeſtiores autem ignorantiam ſimpliciter profeſſos, id fuſius explicari rogaſſe; quod peculiari fecit opuſculo. Atque ut hoc in vocabulo abſtruſiorem doctrinam, abſque ulla, ut arbitror, neceſſitate affectavit, ita brevius reſpondere potuit, ſic loquutum eſſe Leonem pontificem, ex quo non dubito quin hauſerit: *Hoc etiam apud Nicænam myſticus ille patrum numerus definivit*. Ut antiquiores omittam qui tale myſterium in trecentis decem & octo patribus prædicaverunt.

*Nicænum concilium myſticum. Hinc. Rhem. l. 55. cap. c. 4. Idem opuſc. 58. p. 816. Leo epiſt. 78.*

26 *Sed epiſcopi Africæ provinciæ*.) Celebre & multis nominibus venerandum Africæ concilium 217. epiſcoporum, in quibus Auguſtinus, Valentinus, Aurelius, Poſſidius, Alypius, & ſedis apoſtolicæ legati, Rhemenſis Hincmarus vehementer probat laudatque; Laudunenſis juvenili levitate contemnit & improbat: uterque ad inſtitutum ſuum accomodate. Sed jure potiori ſenior, magnos, & antiquos patres eorumque decreta veneratur. Quando autem juvenis ſciolus de illis ſcribit: *Nec illud Africanum concilium contra innumerabilia apoſtolicorum decreta vobiſcum valebit*: & poſtea contemptim: *Si iſti non potuerunt quia forte noluerunt*, nimirum canonem Nicænum de modo appellationum invenire. Hæc, inquam, cum de talibus ac tantis epiſcopis ſcribit Laudunenſis refractarius, non illos ſchiſmaticos facit, ſed ſe contemptibilem & ridiculum. Intereſt tamen utriuſque, quod dixi, ut ſuam ſinguli de concilio Africano ſententiam tueantur,

*Concilium Africanum huic ſimile. Contemnitur a Laud. Hincm. Laudun. ep. 619. epiſt. De his.*

*Apiarius excommunicatus.*

tur, ob illius cum hoc noſtro ſimilitudinem. Nam in illo presbyter Siccenſis Apiarius multorum flagitiorum reus & excommunicatus, appellat Romam: appellat & Hincmarus, eludendi judicii gratia. Appellationem Apiarii ſuſcipit Cæleſtinus papa, & reum abſolvit, judicibus ſuis inſultantem: ſuſcipit & Hadrianus Hincmarum, eumque ad ſe evocat, & advenire vetitum indignatur, & interim appellationis interjectæ prætextu ſacra omnia & profana violantem, regi, metropolitano, epiſcopis, conciliis, clericis, laicis, ſuis, alienis importunum. Hac re permoti patres Africani, negant ſic eſſe appellandum, ſic inconſultis ordinariis judicibus recipiendum legitime excommunicatum; hanc appellandi formam concilio Nicæno non contineri; poſtulant verum canonem ſibi oſtendi, quem in exemplaribus ſuis non legunt; rogant Cæleſtinum, & *impendio deprecantur ut deinceps*, inquiunt, *ad veſtras aures hinc venientes, non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere: quia hoc etiam Nicæno concilio definitum facile advertet venerabilitas tua*: Duziacenſes noſtri appellatione illuſoria negant impediri aut retardari judicium, aut metropolitano primæ cognitionis jus eripi: eamque in rem ſibi ſuffragantes Nicænos, & Africanos iſtos canones, & plurimum pontificum Romanorum decreta producunt. Nemo unquam veterum Africano illi concilio ſchiſmatis notam inuſſit, quia Romani pontificis auctoritate ſervata, modum appellandi, & appellationem terminandi canonibus ſibi notis non congruentem mirabantur. Neque vel iſtud concilium, vel concilii præſes Hincmarus metropolitanus, eam infamiam poteſt incurrere: cum ſalvo per omnia apoſtolicæ ſedis privilegio, de tempore ſolo appellationis diſceptetur, & quidem animo ſincero, ut effreni turbandi licentiæ frenum potentius injiciatur. Non igitur patres illi ſchiſmatici, ſed Apiarius, & Hincmarus perperam appellantes, contumaces ſunt & rebelles. Unum deeſt ad hanc ſimilitudinem, quod Apiarius pœnitentia ductus, ſcelera palam confeſſus, a prioribus judicibus veniam petiit & exoravit; totamque illam controverſiam feliciter terminavit. Hincmarus autem obſtinata contumacia, & deponi, & excæcari, & nunquam in integrum reſtitui meruit.

*Epiſt. Conc. Afric. ad Cæleſt.*

*Nullum hic ſchiſma cogitandum.*

*Apiarius pœnitens.*

## IN CAPUT XXIV.

*Hincmari Laudunenſis [illegible] in [illegible] [illegible].*

27 E*T quia dixit: Suadente.*) Magnum eſt in hoc capite momentum, & ad cauſam. Dum enim impudentem nepotis calumniam diſſipat avunculus, & ſcripta ſua nobis offert, quæ Sirmondi editoris diligentiam fugerant, & fidem omnem juveni tot mendaciorum convicto eripit. Primum eſt, quod ejus conſilio & impulſu, cuſtodiæ mancipatus ſit ad Silvacum. Id vero & conſtantiſſime negat Rhemenſis, & ſolenni regis teſtimonio falſum reperitur in concilio, & re adhuc recenti, atque adeo in ipſa doloris acerbitate, avunculum ejus facti non audet inſimulare Lugdunenſis; ut patet ex ejus epiſtola expoſtulatoria. Secundum eſt, quod epiſtolas & ad regem, & ad Hodonem epiſcopum Belvacenſem ab avunculo ſcriptas corrumpat, & invidioſiſſime interpretetur. Quæ fraus, & impoſtura, prolatis ipſis literis evidentiſſime revincitur. Tertium eſt, quod obſtinate declamet, regem adverſum ſe ad iracundiam concitari: cum ex adverſo ex literis ad Hodonem ſcriptis appareat, regis animum jure commotum, ab ipſo mitigari, proque ipſo Laudunenſi, licet immerito, ſcribi. Quartum eſt, quod fingat meruiſſe ſe avunculi indignationem, quod Rothadum appellantem ad ſedem apoſt. condemnari non probaverit. Hanc vero mendacem eſſe adulationem, patet ex eo, quod ipſe Laudunenſis, in ſynodo Sylvanectenſi, Rothadi depoſitioni interfuit, eamque cum ceteris ſua ſubſcriptione firmavit. Nam cum nondum eo deveniſſet audaciæ, ut hanc diſcordiæ rationem confingeret, ſic eum alloquebatur avunculus: *Tu, ſi hæc dicis, non me tantum, ſed & plurimos plurimarum provinciarum epiſcopos, immo & teipſum, quod non denegas, quia & denegare non potes, comparticipem in omnibus judicio noſtro, mendaciter impetis; non videns quo te laqueo ſtrangules.* Et mox: *Si contra regulas, inimico animo, vel aliqua cupiditate aut gratia depravatum, nobiſcum te judicaſſe confiteris.* Judicavit igitur Laudunenſis: ſeque judicaſſe, perdiu non negavit. neque vero rem, & veram, & omnibus cognitam diſſimulare potuit. qua igitur fronte, modo id a ſe factum negat, & hanc abruptæ amicitiæ cauſam obtendit? Quintum ſequitur proximo capite, quod hoc loco ſtudioſiſſime confutat, eſtque duplex: renunciari juſſiſſe Laudunenſibus, illos epiſcopi ſui excommunicatione non teneri; & ab ipſo ſedis apoſtolicæ excommunicationem pro nihilo haberi. Nemo enim majori obſervantia Romanos pontifices veneratus eſt: & Gregorii ſententiam ignorare non potuit: *Utrum juſte an injuſte obliget paſtor, paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt: ne is qui ſubeſt, & cum injuſte forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam, ex alia culpa mereatur.* Habebimus & inferius c. 27. evidentem de literis apoſtolicis calumniam.

Hincm. Laudun. p. 341.

Hincm. Rhem. l. 55. cap. c. 5. p. 400.

Laudunenſ. c. 417. Greg. hom. 26. in evang.

## IN CAPUT XXV.

28 E*T Antiochena ſynodus, perfectum illud eſſe concilium.*) Video id ſæpiuſcule ab Hincmaro proferri, quod conceptis verbis in Antiochena ſynodo non video. Multa quidem de metropolitanorum dignitate, juribuſque, ſapientiſſime variis canonibus decernit: ſed nuſquam ait, perfectum illud eſſe concilium, cui metropolitanus interfuerit. Niſi dicamus ſenſum canonis 20. expreſſiſſe, ſi non verba. Ubi legimus: *Nullus vero liceat apud ſe celebrare concilia, præter eos, quibus metropolitana videntur eſſe jura commiſſa.* Μὴ ἐξεῖναι δὲ τινὰς καθ' ἑαυτοὺς ποιεῖσθαι (τὰς συνόδους) ἄνευ τῶν πεπιστευμένων τοὺς μητροπόλεις. Quid etiam prohibet locum hunc iis accenſere, qui exemplarium varietate mutantur?

Concil. Antiochenum.

## IN CAPUT XXVI.

29 Q*Uando apoſtolicæ ſedis excommunicationem.*) Etſi multa graviaque negotia Rhemenſem Hincmarum cum Nicolao I. papa commiſerunt, atque hic illum, agentibus æmulorum criminationibus, aſperrime non ſemel habuerit: de obſervantia tamen erga ſedem apoſtolicam nihil unquam remiſit, neque pontificis cenſuras neglexiſſe ullo modo probari poteſt. Ut ad eumdem pontificem cum omni fiducia non veritus ſit ſcribere. *Perhibente mihi teſtimonium conſcientia mea, licet in aliis ſim peccator: tamen in his de quibus me apud auctoritatem veſtram audio denotari, non talis ſum in oculis divinis, qualis depingor in auribus humanis. De tumore namque erga ſedem apoſtolicam omnium eccleſiarum matrem ac magiſtram, jam apud ſanctæ recordationis Sergium atque Leonem fueram denotatus: ſed debitis obſequiis, cooperante domino, quæcumque ſe locus mihi præbuit, demonſtravi quod fidelis & devotus, humilis quoque atque ſubjectus ſemper, in omnibus, & ubique, erga ſedem apoſtolicam & ejus rectores extiterim: & modo cum tumore, quem quantum potui ab ineunte ætate vitavi, doloſitate, atque crudelitate, apud ſanctam & prudentiſſimam ſimplicitatem veſtram videor denotari.* Et quæ tota illa epiſtola ad hujus modeſtiæ confirmationem ſparſa ſunt. Et alibi: *De dilecto ſcilicet fratre noſtro Vulfado, & ejus collegis, de quibus mihi ſumma dignitatis veſtræ auctoritas, quæ ſibi placuit, ſcripſit, nihil aliud ſanctitati veſtræ ſcribere præſumo, niſi quod increpationes veſtras non negligenter, ſed diligenter ſuſcipio, & præceptiones obedienter abaudio.* Quod & Nicolaus ipſe fateri coactus, ad eum in hac ipſa Vulfadi cauſa ſcribit. *Tam ex ipſis epiſtolis, quam ex verbis ejuſdem venerabilis viri,* (Egilonis archiepiſcopi) *devotionem, & ſupplicem patientiam tuam, quam erga ſedem apoſtolicam habes, etiam nunc agnovimus.* Pontificiarum autem cenſurarum contemptionem in Rhemenſi quo ex veſtigio ſubodorari potuerit, equidem non video, qui etiam in cauſa Judith, Caroli regis filiæ, ſane impeditiſſima, laborare juſſus, cum aliqua niſi pareret cenſuræ interminatione, non tulit illud fulmen, quod contemptorem decuiſſet, ſed ſtatim cum epiſcopis ſuis patrem & matrem illi placare contendit.

*Rhemenſis [illegible] apoſtolicæ [illegible].*

Hincm. ep. 26. ad Nic.

Idem ep. 27.

Nic. ep. ad Hincm. [illegible]

Hincm. ep. 27. ad Nic.

## IN CAPUT XXVIII.

30 I*Ta forte parvulis, quibus baptiſmum denegari juſſit.*) De ſupplendo parvulorum baptiſmo nihil affirmate ponit Hincmarus, ſed ad parentum ſolatium ſub dubio humaniorem ſenſum objicit; a quo tamen in tali conſeſſu patrum, ut ingenue dicam, abſtinere conſultius fuerat. Nam illa nuda propoſitione, & qualicumque latronis exemplo, quo credibilem facere nititur, opus Auguſtini ad Vincentium Victorem, ignotum ſibi fuiſſe teſtatur. In quo legere debuit, *Noli credere, noli dicere infantes, antequam baptizentur, morte præventos, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum.* Quam videtur intelligere nomine *regenerationis & ſpiritus ſe baptizandis infundentis.* Addit Auguſtinus: *Exempla enim quæ te fallunt, vel de latrone, qui Chriſtum confeſſus eſt in cruce, vel de fratre ſanctæ Perpetuæ Dinocrate, nihil tibi ad hujus erroris ſententiam ſuffragantur.* Latronem tamen ex Auguſtino producit Hincmarus: *Latro quippe ille, quamvis potuerit judicio divino inter eos deputari, qui martyrii confeſſione purgantur, tamen illum utrum non fuerit baptizatus ignoras.* Hoc tamen ſcimus ex dubio Hincmari opinionem illam hac ætate non fuiſſe ab eccleſia penitus proſcriptam, modo peccatum originis non negaretur. Et noſtra modo D. Thomæ aſſectatrix, præciſe negat quemquam poſſe ſalvari abſque baptiſmo, vel

*De ſupplendo parvulorum baptiſmo.*

August. l. [illegible]

*Vincentii Victoris error de [illegible].*

D. Th. 3. p. q. 68. a. 2.



vel reipſa, vel per votum ſuſcepto, quod de Valentiniano D. Ambroſii creditur. Voti autem capaces non ſunt parvuli. Sequitur ergo, ut realis baptiſmus, abſoluta neceſſitate, quam medii vocant, illis conferendus ſit, ſi ſalvos eſſe volumus: neque unquam tolerari potuit in Cajetano, quam modo legimus in Hincmaro, ſententia. Stare igitur nos oportet vetere ſancti Auguſtini definitione: *Nulla igitur ex noſtro arbitrio, præter baptiſmum Chriſti, ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit ſcriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda.* Quod tamen addit eo loco, parem eſſe participationis euchariſtiæ neceſſitatem in parvulis, non æque admittit eccleſia.

Cajet. in D. Th. loco cit. Auguſt. l. de pecc. merit. & remiſſ. c. 21.

Neque prætereunda eſt Hincmari hac in poſitione moderatio, qui præter dubium, quo illam enuntiat, ait tantum, fidem parentum vel patronorum *prodeſſe poſſe*, qua vero tenus proſit, non explicat: ac non invitus ſic intelligi ſe pro parvulis ſinit, ut mox pro morientibus, quibus autem gratiam Dei *ad ſalutem prodeſſe*. Minorem autem ſalutem hic arbitror accipi, quam illis temporibus plurimi a regno cælorum diſtinguebant, ut in hiſtoriæ Gotteſcalci libro quinto notabamus, vitam diuturnitate æternam, tranquillitate doloris omnis expertem, deliciis quibuſdam diffluentem, ſupremæ beatitudini citimam, ſed ab ea diverſam. Huc transferri credebant etiam adultos flamma purgatoria decoctos, ſed inferioris meriti, quam ut ante judicium extremum ad Dei intuitum admittendi viderentur. Quod Hincmarus licet de infantibus abſque baptiſmate, & morientibus abſque viatico munere non exprimat hoc loco, non dubito tamen quin *ſalutis* nomine intelligat. Eccleſia vero mundi inviſibilis ſtatus conditioneſque certius nunc explorans, etſi non jubeat ex Auguſtini ſenſu corpoream in igne inferni vexationem infantium credere, neque limbum puerorum cum indolentia averſetur: mediam tamen ſtationem inter regnum cælorum, & purgatorium omnino repudiat: nec in hac ipſa infantium cauſa potior audiri citatus Auguſtinus. *In cujus regnum non intrabit, niſi qui renatus fuerit ex aqua & ſpiritu: nec præter regnum ejus ſalutem ac vitam poſſidebit æternam.* Et mox: *Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter baptiſmum & participationem dominicæ menſæ, non ſolum non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam, poſſe quemquam hominum pervenire.* Quem errorem in Vincentio Victore longe vehementius coarguit, quod is crederet, illos interim paradiſum incolentes, poſt extremi judicii diem in regnum cælorum intraturos: quod omnes qui tum fuerunt in Hincmari ſententia de manſionum diſtinctione affirmare oportuit: *Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquos eorum qui ſine baptiſmo Chriſti ex hac vita emigraverint, interim non ire in regnum cælorum, ſed in paradiſum, poſtea vero in reſurrectione mortuorum etiam ad regni cælorum beatitudinem pervenire, ſi vis eſſe catholicus. Hoc enim eis dare nec Pelagiana hæreſis auſa eſt.* Et paulo poſt. *Ut excepto errore, quo audes a regno Dei paradiſum ſeparare; quibuſdam quos reos naſci, ſicut catholicus, credis, ſine baptiſmate mortuis, & illius reatus abſolutionem, & regnum cælorum non dubites inſuper polliceri: quaſi contra Pelagium in originali peccato adſtruendo, tunc eſſe poſſis catholicus verus, ſi contra dominum fueris in deſtruenda ejus de baptiſmo ſententia hæreticus novus.*

Ibid. c. 24. *Quid nomine ſalutis Hincmarus intelligat.*

D. Th. ſuppl. q. 69. a. 6. 7.

Auguſt. l. de pecc. merit. & remiſſ. cit.

*Vincentii Victoris ſecundus error.* Idem l. de anim. & ejus orig. c. 13.

## IN CAPUT XXX.

31 S*CRIPSI nempe illi inter cetera.*) Non caret temeritate & audacia, nepotis ad avunculum, juvenis epiſcopi ad ſeniorem archiepiſcopum legatio, ut ſi redire ſecum vellet in gratiam, collectionem qua cenſuram in clericos Laudunenſes latam confutaverat, publice damnaret, igne abſumeret, ſeque contra jus & fas feciſſe profiteretur. Quid enim gravius ab hæreticorum perniciosiſſimo flagitaret eccleſia? Sed ex adverſo cum reſpondet avunculus, immane ſibi ſcelus ab eo ſuaderi; Chriſtianum nomen hoc facto ejurari; in ſchiſma & anathema ſic incurri; ab epiſcopatu, immo ab eccleſia projiciendum, ſi tale ſacrilegium auderet: cum rem eam comparat cum Africanis illis ſub imperatorum tyrannide ſacrorum librorum traditoribus: Deo gratias agit, quod ei tentationi non aſſenſerit: Nepotem ad pœnitentiam de perdito illo conſilio excitat: hæc, inquam, omnia cum vehementer perorat, nonne in nimiam exaggerationem, cum infinita opuſculi ſui gloria videtur efferri? Verum hoc tenere nos oportet, agi de mera collectione, quæ Hincmarianum nihil admixtum haberet: eam collectionem ex ſcripturæ utriuſque inſtrumenti, canonum, & ſummorum pontificum locis & auctoritatibus fuiſſe conflatam: poſtulatum ſaltem indirecte, ut divinis illis auctoritatibus falſitatem & mendacium contineri proteſtaretur, illaſque eo nomine igni traderet in æternum abolendas. Quod ſane ſine ſacrilegio, & Chriſtianæ religionis abdicatione committi non potuit; neque iſtud ad gloriam collectoris, ſed ad debitam divinis codicibus venerationem pertinet. Atque utinam & omnis illa collectio, & hæc ad Laudunenſem epiſtola, cujus argumentum delibat, ad nos cum ceteris opuſculis perveniſſent, ut in hujus litis cognitione certius pro alterutra parte verſaremur!

*Temeritas poſtulatio junioris Hincmari.*

## IN CAPUT XXXII.

32 Q*UOCUMQUE ab iis conſcripta aut roborata fuerint ingenio.*) Cadentis Latinitatis vox eſt *ingenium* pro arte, machinatione, fraude etiam, & ut communiter loquimur, inventione ſumptum: ut in capitularibus, & pœnitentialibus libellis videre eſt. Qua proinde credi non debet uſus eſſe Alexander papa, qui altero poſt Chriſtum natum ſæculo vixit. Sunt & validiores aliæ rationes, quæ vetuſtiſſimas illas decretales primorum pontificum epiſtolas ponunt in dubio: quia tamen ab iſtis auctoribus abſque ſcrupulo & ambiguitate recipiuntur, non immerito citantur ab Hincmaro juniore, neque ſatisfacit ſenior, adulterinas appellando; ſed ea jura quæ ex illis eruuntur, antiquitate deſita, & Nicæno concilio priora eſſe reprehendo: quod ante vidimus: aut pernegando pontificis dicta ullo modo ad propoſitum attinere, quod præſtat hoc loco. Quis autem non magnopere miretur, neutri contendentium, nemini judicum vel audientium veniſſe in mentem, hæc ipſa quæ prolixe referuntur ex Alexandro, in eccleſiam tum adhuc lactentem, & Gentilium tyrannide pæne ſuffocatam quadrare non poſſe? Nimirum tam incredibili veneratione ſedem apoſtolicam coluerunt majores noſtri, ut quicquid quo tandem cumque modo Romani pontificis nomen profiteret, prono mentis impetu indiſcuſſum complectebantur.

*Ingenium.*

*Decretales primorum pontificum epiſtolæ.*

## IN CAPUT XXXIII.

33 Q*UOD dicit poſtea illam a me.*) Tota hæc quanta eſt refutatio Laudunenſis apologiæ, tum ejus [illegible] impudentiam, in coacervandis tot ſimul mendaciis [illegible] Rhemenſis innocentiam, in illo falſi confidentes [illegible] eorum ſedentibus, qui res, cum gererentur, [illegible] viderant. Debet autem prudenti cuilibet, quæ prima decrevit, placere narratio de profeſſione & ſubſcriptione Laudunenſis; in qua non eſt ea, quam laudat in Cicerone Quintilianus, *calliditiſſima ſimplicitatis imitatio*, qua *non ſolum rebus ipſis vir eloquentiſſimus, ſed verbis etiam vulgaribus, & quotidianis, & arte occulta conſecutus eſt* quod voluit: ſed ipſa ſimplicitas, ab omni fuco remota, uſque ad ſermonis familiaris utiſitatem, res ab Hodone, Frotario, Harduico judicibus ſpectatas & geſtas referens: cui collata junioris Hincmari calumnia, ne pilum quidem veriſimilitudinis habere videtur.

*Nepotis in avunculum calumnia.*

Quintil. inſtit. orat. l. 4. c. 2.

## IN CONCLUSIONEM.

34 D*ICTA B. Cæleſtini ad Cyrillum epiſcopum, de Neſtorio.*) Habemus in epiſtolis Romanorum pontificum, & in communibus conciliorum editionibus unicam Cæleſtini ad Cyrillum epiſtolam de Neſtorio: ejuſdem autem Cæleſtini ad Conſtantinopolitanos, & ad ſynodum Epheſinam ſingulas de eodem Neſtorio. Item ad Neſtorium ipſum unam. In quibus omnibus quatuor, locus hic inſignis ab Hincmaro citatus non reperitur. At Baronius Epheſini concilii tractans hiſtoriam, poſteriorem adfert Cæleſtini ad Cyrillum epiſtolam *nunquam hactenus editam*, inquit, quæ teſtimonium iſtud fuſe nobis exhibet. Ut hoc illuſtri exemplo confirmetur, quod jam ante monſtravimus, aliis, & fortaſſe perfectioribus exemplaribus, quam quæ modo verſamus, uſum eſſe Rhemenſem.

Epiſt. pont. tom. 1. Concil. general. tom. III. p. 345. ſeqq. Baron. ad an. Chr. 431.

Licet autem epiſtola Cyrilli perierit, cui tum reſpondit Cæleſtinus: facile tamen intellectu eſt, quid a Romano ſcire cuperet Alexandrinus. Nimirum, cum Neſtorio decem tantum dies ad reſipiſcendum & abdicandum errorem eſſent a Romano conceſſi, quibus expletis a catholica communione ſepararetur: dubitavit Cyrillus, an eſſet immobilis ille terminus, & irrevocabilis ſententia? an ſi poſt tranſactos illos dies pœnitentiam & fidem catholicam profiteretur in ſynodo hæreſiarcha, veniam impetrare deberet? Quam quæſtionem opportune ad nepotis geſta traducens avunculus, dubitare ſe oſtendit, utrum ſi jam tandem omnium perperam factorum pœnitere vellet Hincmarus, a ſynodo poſſit abſolvi; an veterum ſtatuta canonum, quæ illius moribus excommunicationem irrogarunt, ſacroſancta eſſe debeant, & inviolabiliter ſervari.

## *IN PARTEM CONCILII TERTIAM, quæ reſponſionem epiſcoporum ad petitionem regis complectitur.*

DE petitione proclamationis regiæ jam ante diximus, quæ ad rem noſtram neceſſaria videbantur. Neque eſt quod in epiſcoporum reſponſione diutius immoremur, cum ea novi nihil ad hiſtoriam adferat; aut ullo modo confirmet, vere geſta eſſe ab Hincmaro quæ rex objicit, quod eſſet ſtatui cauſæ conjecturali proprium: ſed tantum, rerum veritate ſuppoſita, male geſta eſſe, ſacris profaniſque legibus declarat: qui ſtatus qualitatis vocatur. In quo miraberis lector, nihil leve, nihil indifferens, nihil non graviſſimum judicari, ut omnibus illis nominibus, ſi vel unius reum eſſe conſtiterit, damnari mereatur. Ceterum cum in eo ſcripto ſatis religioſe videantur antiſtites ad fontes, unde auctoritates hauriunt, digitum intendere: ſi quando cum vulgatis codicibus eorum citatio minus conveniet, eorum fidei committenda potius viſa eſt; quam tempus in labore inutili collocandum.

### *IN CAPUT IV.*

*Pet. Chryſol. ſer. 154.* — *Auguſt. in pſ. 21.* — *Hincmar. epiſt. 29.* — *Ambroſ. ep. 33.* — *Conc. Meld. can. 54.*

35 ET *hinc ad Petrum.*) Tituli quibus hic loquitur Gregorius, ſunt locorum, domorum prædiorum inſcriptiones, dominum ſuum declarantes: ut breviter docet Petrus Chryſolog. *Dominum prædiorum limitibus affixi tituli præloquuntur.* & Aug. in Pſ. *Ubi potens aliquis invenerit titulos ſuos, nonne jure rem ſibi vindicat? & dicit non poneres titulos meos niſi res mea eſſet.* Imperatores vela, ſive cortinas purpureas ſuſpendebant; modo affiguntur inſignia familiæ. Hinc tituli proſcriptionis regis juſſu eccleſiæ Laudunenſis poſſeſſionibus affici, cum primum Hincmaro epiſcopo rex ſuccenſuit, narrante Rhemenſi: *ut quod antea inauditum eſt, titulum proſcriptionis ſuſtineas, contra decreta omnium ſanctorum epiſcoporum, qui ſedi apoſtolicæ præſederant.* Immo vero antea auditum eſt, cum perſequens Ambroſium Juſtina *de palatio decanos miſit qui vela ſuſpenderent.* Hinc tituli cardinales in concilio Meldenſi, cui Hincmarus Rhemenſis interfuit, *ut titulos cardinales in urbibus vel ſuburbiis conſtitutos epiſcopi canonice, & honeſte, ſine retractatione ordinent & diſponant.* Eccleſias ſcilicet cardinum ſive regionum urbis, aut ſuburbii.

## *IN QUARTAM PARTEM CONCILII, SIVE Acta ſynodi cum Hincmaro.*

### *IN CAPUT I.*

36 QUONIAM *iſdem Hincmarus.*) In hac quarta concilii parte res geritur, cujus præcedentia faciunt apparatum: eaque ſic geſta narratur, ut omnino ſynodo toti, non uni reo crimina ſua tegenti, & de injuria querenti, nemo ſapiens credendum non arbitretur. Quare actorum iſtorum veritati, opponenda ſæpe a nobis erit aut adhuc vigentis vaniſſima gloriatio; vel jam damnati artificioſa proclamatio, quæ una hactenus apud æmulos Rhemenſis Hincmari fidem meruit: quia quod cupiunt ita narrat, ut hactepus falſi revinci non potuerit.

*Hincm. Laudunenſ. ep. Relegi. p. 345.*

Itaque ut a vocatione ad ſynodum ducamus exordium, gloriatur apud avunculum nepos, *ſe neque ſynodale unquam aut uſquam diffugiſſe judicium.* id quam vere profiteatur, apparet. Nam in tribus ſynodis accuſatus, vix tandem tertia judicium perfici paſſus eſt. Ad illam tertiam (quæ hæc noſtra Duziacenſis eſt) tertio vocatus a metropolitano, ad extremum ægre Duziacum advenit. Ibi poſitus, a legatis ſynodi tertio citatus, intravit in ſynodum, & regis actionem in ſcriptis accepit, dato tempore ad reſpondendum. Poſtea cum pueriliter procraſtinaret, & inducias identidem prorogari poſtularet, iterum ac tertio revocatus per legatos, juſſus eſt ad ſynodum regredi, ubi torquente conſcientia, & animi levitate, modo reſpondere noluit, modo reſpondit: eadem ſibi objecta modo negavit, modo confeſſus eſt. Hoc nimirum eſt *nullum unquam ſynodale judicium diffugere.*

*Haimeradus presb. Laudunen. Hinc. Lauden. ep. Relegi. p. 342.*

37 *Et quia quemdam presbyterum.*) Haimeradi presbyteri meminit Laudunenſis ſcribens ad avunculum. *Itaque de cauſa Haimeradi compresbyteri noſtri, eo regulariter & canonice audito reſcribam.* Illi contra voluntatem datus erat ſocius Sigebertus quidam clericus, & ut credibile eſt, cum aliqua bonorum eccleſiaſticorum parte attributa. Illam proviſionem ferret Haimeradus; ad diœceſanum epiſcopum ſuum Hincmari, cui apprime carus erat, judicium provocavit, in quo ſane litem obtinere perfacile fuit. Unde libenter epiſcopus audientiam obtulit Sigeberto; *ut ſi juſtam in poſtmodum ſe putaret habere querimoniam, loco & tempore congruo & canonico deferret.* Specioſe dictum, ſi ſincere. Nam ſi paſſus eſt injuriam Haimeradus, quare ad hanc veram & magnam ſynodum vocatus, adeſſe detractat? nonne vadimonio deſerto ipſe ſe damnat, & qui *regulariter & canonice* audiri velle ſimulat, regulas & canones ſibi repugnantes metuit? Fuit autem vetus illa lis, & dudum ante definita; neque prius illam retractari poſtulavit Haimeradus, quam ad epiſcopatum perveniſſet Hincmarus, ut ex hoc loco diſcimus, & ſimul malam fidem tum vetera moventis Haimeradi, tum judicata reſcindentis Hincmari.

### *IN CAPUT II.*

*Expenditur proclamatio Hincm.*

38 CUI *frater Hincmarus reſpondit.*) Intereſt veritatis & juſtitiæ, ut totum iſtud caput conferas, lector, cum prima parte proclamationis Hincmari ad Joannem in ſynodo Tricaſſina. *A Rhemorum archiepiſcopo* (neque metropolitanum ſuum vocare audet, neque vult avunculum) *ad ſynodum vocatus ſum ad Duziacum villam* (pluribus & metropolitani, & regis literis) *quam conſtituit hebdomada prima menſis Auguſti, & monuit me de certis cauſis paratum eſſe, ibidem ut reſponderem. Ad quam cum feſtinaſſem* (toties venire juſſus) *violentia hoſtili in medio itinere ſegregatus ſum ab ovibus meis: privatus ſum & ſpoliatus omnibus rebus meis: perductus ſum ab eiſdem hoſtibus uſque ad præfatam villam.* Si quæ vis hic eſt, non ab Hincmaro metropolitano, ſed ab ipſo rege profecta eſt, qui tamen ejus rationem reddit in ſynodo. *In qua cum conſiſterem* (in ſynodo, ſex legationibus invitatus & citatus) *jam ſtabat rex Carolus ante ipſum archiepiſcopum meum.* quaſi tum primum eſſet inchoata ſynodus. Atqui regi & Hincmaro vacaverat libros ſuos publice recitare: datæ erant epiſcopis induciæ, ut ad ſingula regiæ petitionis capita reſponderent; eaque item reſponſio in conſeſſu patrum fuerat perlecta, cum in ſynodo, imo & Duziaci, nondum paruerat Laudunenſis. *Tenens in manum ſcripturam, reputans me eſſe perjurum, quia Romam ſine ſua voluntate miſerim, & imputans quod eum accuſaverim.* Ex omnibus articulis unum deligit, quem ſcit invidioſiſſimum, minimeque Romani ſaporis: atque illum ipſum malitioſe depravat: *Ad quæ idem archiepiſcopus me reſpondere juſſit. Cui ego reſpondi, quia pro his de quibus me admonuerat in eadem ſynodo eſſe paratum ut reſponderem, paratus eram ſcriptis reſpondere.* Immo vero his in actis præciſe negat ſe reſponſurum, *ad hæc quæ objiciuntur*, & quæ legit ſcripta, non reſponſionem, ſed appellationem continent. *Quæ ſcripta præ manibus tenui: ſed ipſe non permiſit ut ſynodus ſcripta mea ſuſciperet.* Legiſſe tamen hic refertur, & inter cetera, Felicis papæ verba de appellatione. Et ſi rotulam integram non perlegit, non a metropolitano, ſed a ſynodo interpellatus eſt, ut ad objecta reſponderet: *Quia ſibi dari jubebat, ſed ego ſuſpecto dare nolebam.* Petita & recuſata ad eum modum ſcripta in actis iſtis non legimus: *De clerico autem meo, nomine Bertario, quem ſubito requiſivit, ſed requiſitus non adfuit.* Bertarium ne nominant quidem acta, ſed Haimeradum. Quem & ſolenniter requiſitum tradunt adeſſe recuſaſſe: *Reſpondi, quia ipſi homines mecum veniebant, qui eum comprobaturi eſſent, ſi eis venire licuiſſet.* Hujus reſponſionis ne apicem quidem acta prælegunt. *Sed idem archiepiſcopus de his nihil me poſtea appellavit: ſed ad accuſationem regis me reſpondere iterum præcipiebat.* Hic tandem vera loquitur: in ceteris quantæ corruptelæ!

*[illegible] Laudun. [illegible] p. 366.*

### *IN CAPUT V.*

*Regi terr.*

39 NAM *nec unam rigam de terra.*) Minimum quid terræ non poſſidebat, quod diceremus vernacule, *pas un ſeul poulce de terre.* Fulcandus abbas S. Faronis Meldenſis, in ejus vita: *Anathematizavit cunctos, qui ex ſupradicta terra aliquam fraudem facere præſumerent vel uſque ad unam rigam minuere.* Quo iniquius eſt illud Hincmari Laudunenſis ſacrilegium, quod in concilio Carthaginenſi III. de nihil habentibus epiſcopis & quibuſcumque clericis, decernitur, ut *ſi quid in ſuo nomine ſuo comparant, tamquam rerum dominicorum invaſionis crimine teneantur, niſi admoniti in eccleſiam eadem ipſa contulerint.* Quanto minus pretioſam eccleſiæ ſuæ ſuppellectilem furtim auferre, & chartas alio aſportare debuit?

*Conc. Carthag. III. can. 31.*

### *IN CAPUT VI.*

*Sine regis licentia de regno non eſt egred.*

40 CUM *licentia domni regis.*) Sine qua nefas optimatibus de regno egredi, aut alios emittere. Sic enim Rhemenſis Hincmarus cauſam reddens cur acta Sueſſionenſis III. concilii Romam miſſa non ſint, *quia nos metropolitani in iſtis regionibus non habemus poteſtatem, ut ſine conſenſu, vel juſſione regis, aut nos ipſi ire, aut coepiſcopos noſtros quopiam longius poſſimus dirigere.* Unde & Hincmarus ipſe per epiſcopatus initia cum vellet Romam proficiſci, a Lothario imperatore, & Carolo rege retentus, *quando valde neceſſarius eis erat ad ſopiendas, quæ tunc excitæ fuerant, perturbationes.* Cum ergo querentem aliquando Laudunenſem vidimus, quod appellationem ſuam proſequi nondum potuerit, & Rhemenſem audivimus audacter & ſerio negantem a ſe fuiſſe impeditum: conſeri debet regem reſtigiſſe, a quo detineretur: quamquam & rex ipſe hominem rideat Romam appellantem: quo nunquam proficiſcatur. Sed cum emiſſarios ſuos clanculo, & inconſulto rege atque epiſcopis, ad pontificem legavit, regem accuſaturos de bonorum eccleſiaſticorum invaſione: ſi non fortaſſe directe regni jura violavit, at certe contra leges eccleſiæ peccavit, qui ſine reclamatione ad ſynodum id egit, hoc eſt, rebus quas querebatur ereptas, nondum eccleſiaſtico judicio in provincia repetitis: peccavit contra caritatem, qui fraternæ correctionis gradus a Chriſto poſitos non obſervavit: peccavit contra veritatem & juſtitiam, qui contra jus & fas innocentem regem falſo calumniatus eſt.

*Hincmar. Rhem. ep. ad Nic. Flodoard. l. 3. c. 10.*

*Hincmarus Rhem. legitimus in hac ſynodo judex.*

41 *Et poſt tantorum ac talium virorum teſtificationem.*) Non potuit tanta calumnia pluribus & gravioribus teſtibus revinci; teſteque judicatum eſt a ſynodo, Hincmarum metropolitanum legitimum eſſe judicem, cujus recuſandi & judicium ſubterfugiendi nulla eſſet cauſa probabilis. Poſt hæc tamen audet ſcribere Laudunenſis in proclamatione: *Sed & addidi, quia non ſolum ſuſpectum, ſed maniſeſtiſſime illum infeſtum habebam. Unde & apoſtolicam ſedem appellavi pro amore Dei, & honore S. Petri, tam de ipſa accuſatione regis, quam de præjudicio, quod ab ipſo patiebar archiepiſcopo.* Fallit in duobus: 1. quod maniſeſtiſſime apparuit in concilio non infeſtus, quando & ea calumnia certiſſime diſſipata eſt, & publice ſemper proteſtatus eſt, non expoſtulare ſe tanquam accuſatorem, ſed tamquam ſedis metropolitanæ vindicem. Immo jam ante audierat nepos avunculum ita ſcribentem: *Ego, crede mihi, non tecum, ſed cum tuis improbabilibus moribus, de quibus te ſæpe & verbis, & literis reprehendi, & caſtigavi, & ut doleo, dolui, diſcordiam habeo. Fac quod ſalubriter tibi cupio, & tuo conſenſu miniſterio, & me præſtabilem ac placabilem in cunctis habebis.* 2. Quod totam ſuæ appellationis invidiam derivat in metropolitanum, quaſi ob ſolam ejus infeſtationem, & inimicitiam, coactus ſit Romam appellare. Atqui antequam exiſterent tantæ ſimultates, in ſynodo apud Vermeriam, & apud Attiniacum, appellationis ſcuto vim judiciorum retudetat. At frequenter publice conteſtatus eſt Rhemenſis, nihil ſe vetare, quin appellationem ſuam proſequeretur.

*Hincm. l. 55. cap. c. 39. p. 531.*

### *IN CAPUT VII.*

*Jurare ad evangelia.*

42 SED *tantum dixit, quia non fuerit ibi.*) Credo legendum *non fuerint*, ut cauſetur Laudunenſis eo juramento non teneri, quod non tactis evangeliis concepit. Evangelia enim hoc in ritu, qui etiamnum viget, adhiberi ſolita, quaſi Chriſto ipſi præſenti, & ſpectanti, fides & reverentia deferretur, norunt vel imperiti. Unde in legibus Longobardorum, jurare ad evangelia: *Si qualiſcumque cauſa inter homines liberos evenerit, & ſacramentum dandum fuerit, ſi uſque ad 20. ſolidos fuerit cauſa ipſa, aut amplius, ad evangelia ſancta juret, cum 12. aliis ſuis, id eſt ſacramentalibus. Quod ſi minor cauſa fuerit, de 20. ſolidis, uſque ad 12. ſibi ſextus juret ad arma ſacrata. Et ſi minor fuerit cauſa de 12. ſolidis, ſibi tertius juret ad arma ſacrata.* Et inferius: *Debitor ſingulus ſatisfaciat ad evangelia, vel in arma ſacrata.* Formulam juris jurandi exhibet ſynodus VI. CP. *Tactis propoſitis ſacroſanctis Dei evangeliis, Georgius Deo amabilis diaconus & chartophylax, juravit hoc modo. Per ſanctas ſcripturas has & Deum qui per eas loquutus eſt, omnia perſcrutans non inveni*, &c. Credit autem Hincmarus Laudunenſis, non diſſentiente ſynodo, totam juramenti religionem in eo contactu & præſentia evangeliorum, aut reliquiarum, eſſe poſitam, ſi vanum & irritum putat eſſe ſacramentum a quo abfuerint evangelia. Nec minore in errore verſabantur Græci, qui concepti coram rebus non ſacratis, aut pure coram hominibus juramenti nullam vim & vinculum eſſe arbitrabantur. Sic enim illud Bedæ interpretor in pœnitentiali: *Qui ſciens virtutem ſacramenti vel perjurii, perjurat in manu epiſcopi, aut presbyteri, vel altari, vel cruce conſecrata, tres annos pœniteat; ſi vero in cruce non conſecrata, annum unum pœniteat. Si autem in manu hominis, apud Græcos nihil eſt.* Et alibi. *Si quis in manu laici juraverit, apud Græcos nihil eſt.*

*Leg. Longobard. l. 2. tit. 55. c. 5.* — *Ibid. c. 10.* — *conc. 6. œcum. act. 13. ſub fin.* — *Beda l. de remediis peccat. c. 3. Ibid. c. 9.*

*Idoneum facere.*

Quod paulo poſt addit, non habere ſe cum quibus ſe idoneum poſſet reddere. Hoc eſt, teſtes locupletes, quorum teſtimonio vel ſacramento purgare ſe poſſet de criminibus objectis. Sic in capitulari: *Liceat ei ſecundum legis ordinem cum ſacramento quod poſuimus, manu propria ſingula ſe idoneum facere: Et ſi quilibet renuerit venire, & ſemetipſum idoneum facere nequiverit.* Inde dictum idoniare: *Si quis ſuper miſſum dominicum cum collecta & armis venerit, & miſſaticum illi injunctum contradixerit, aut contradicere voluerit, & hoc ei adprobatum fuerit, quod ſciens contra miſſum dominicum veniſſet*, (quæ omnia ſunt Laudunenſi objecta, & probata) *de vita componat. Et ſi negaverit, cum 12. ſuis juratoribus ſe idoniare faciat:* Et alibi. *Et liceat ei prima vice per ſacramentum ſe ſecundum legem idoneare, ſi potuerit.* Recte vero ibi deprehenditur vana fugitantis hominis tergiverſatio, qui magna ſtipatus ſuorum caterva, & ante monitus quibus objectionibus eſſet reſpondendum, cum in rem præſentem ventum eſt, negat ſibi eſſe ad manum ſcripta, & teſtes, quibus ſe immunem faciat a crimine.

*Capitul. l. 3. c. 89.* — *Idoniare. Ibid. c. 64.* — *Ibid. l. 4. c. 26.*

*Non proprie rationes [illegible] intelligen.* — *Anton. Auguſt. Jur. canon. l. 30. tit. 7.* — *Hadrian. ep. 27.*

43 *Ut quilibet illi quæcumque vellet objicere.*) Nemo non videt hominem inficetum ridere, & concilio æque ac regi velle illudere. Quare ſapienter producuntur canones, qui propter teſtium opportunitatem judicium intra provinciam fieri jubent, quos in Antonio Auguſtino collectos habes: præter quoſdam hic citatos. Nihilominus Hadrianus pontifex ad epiſcopos hujus ſynodi reſcribens, idem ipſum, quod Hincmarus, poſtulat, fortaſſe ab ipſo ſuggeſtum: *Rei geſtæ veritatem magis invenire cupientes, jubemus ipſum Hincmarum Laudunenſem epiſcopum, veſtra fretum potentia, ad limina ſanctorum apoſtolorum, noſtramque venire præſentiam. Quo ſane veniente, veniat pariter accuſator idoneus, qui nulla poſſit auctoritate legitima reſpui.* Cui diverſa reſpondent antiſtites noſtri manuſcripta parte ejus epiſtolæ quæ incipit *Veniens ad nos*: cujus initium exhibet tomus 3. conciliorum Galliæ.

*Calumniæ Hincmari Laudun. in proclamat.*

44 *Et quia iſdem Laudunenſis Hincmarus.*) Cum iſtis conferenda eſt proclamationis ipſius narratio, & de loci utriuſque veritate abſque affectu judicandum. *Legi manibus tenens auctoritates Julii papæ, & Felicis papæ.* Id jamdudum factum acta narrant, niſi ab obſtrepente volumus tenerita. *Videlicet ea quæ ipſi in eis præfigunt, de appellationibus epiſcoporum, quæ mihi ſervare appellando ſedem apoſtolicam proſtrato corpore expetii. Sed nihil horum mea petitio obtinuit. Sed neque, litera apoſtolicæ quas mihi præſentialiter dederat, quoniam me vocabant, ut procraſtinando venire non differrem, ſi ſtatus mei jacturam ſuſtinere non vellem, quicquam prævaluerunt.* Quippe quæ metropolitano per omnia ſecundum ſacros canones ſubjectum exiſtere jubebant: & occaſione adeundæ ſedis apoſtolicæ fretum, ab ea ſubjectione alIorſum declinare prohibebant. Neque vero dicendæ ſententiæ ſpatium, & perficiendi judicii tantum fuit, ut eum de die in diem differendo, & procraſtinando ſuatim differre cogeret. Ab hoc exemplo, de Rothado judicare difficile non eſt, & ipſo contra Hincmarum apud ſedem apoſtolicam referente: *Mox ego in terra provolutus orabam per nomen æterni Dei ut ab iſto judicio ceſſarent: mihique, ut aſſidue petebam, Romam proficiſcendi licentiam non adimerent; tunc e veſtigio tamquam in latronem, more ſatellitum homines in me manus injecerunt, meque rapaciter ad carceralem duxere cuſtodiam.*

*Rothadus Sueſſion. in proclamat. tom. 3. conc. Gall.*

### *IN CAPUT IX.*

*Expenditur proclamatio Hincm.*

45 IN primis iterum reſpectandum ad proclamationem Hincmarianam, eaque huic præſenti capiti applicanda: *Judicium præfatus archiepiſcopus ſuper me impoſuit, ut ab epiſcopali removendus eſſem officio: auditis viginti circiter archiepiſcopis & epiſcopis illud decernentibus. Sed alii gemebant flebantque, inter quos nullum merebar pati inimicum.* Quo juſtius ſinceriuſque illorum judicium fuiſſe confitetur. *Scripta quidem ab eodem archiepiſcopo ipſis impoſita manibus tenentes; ſed ore proferre nolentes, inviti vix verba ſingultiebant.* Tanquam de pueris loquitur, a quibus ſcholaſticum penſum invitis & flentibus Orbilius exigat. Etiamne Remigius Lugdunenſis qui tum aberat, poſtea relegens & ſubſcribens flevit, & ſingultiit? *Aditum tamen ad ſedem apoſtolicam minime ſperantes mihi poſſe denegari: unde, ſalvo per omnia ſedis apoſtolicæ judicio, ipſi finem lectionis terminavere.* Quid metropolitanus? nonne & ipſe ſedis apoſtolicæ privilegium, & jus appellandi vult reformatum? Ergo ſi ex ea clauſula recte colliguntur alii appellationem comprobaſſe, quare hic ſolus impediſſe cenſetur? Quanto magis ſi formulas ceteras dictavit, eumdem animi ſui ſenſum in omnibus patefecit?

Atque ut per occaſionem de hac exceptione modo dicamus: equidem mihi facile perſuadeo, addidam fuiſſe ad ſingu-

ſingulorum ſententias conſilio & voluntate metropolitani Hincmari ſynodo præſentis: quod & eam in decretis pontificum, & canonibus legeret, quos ſummopere venerabatur; & hoc jus eſſe Romanæ eccleſiæ matris & magiſtræ eccleſiarum publice omni loco ac tempore prædicaret; & id jucundum fore ſciret Hadriano pontifici, in cujus epiſtola iſtud ipſum videbat expreſſum. Quod & evenit, reſcribente ad concilii patres pontifice: *Quia cum clamaret in ſynodo ſe ad ſedem apoſtolicam vel incunctanter venire, atque in præſentia ejus pro objectis ſibi ab adverſario criminibus reſpondere, damnationis in eum non erat proferenda ſententia. Tamen ſicut ipſius concilii actionibus legitur, quoniam ſalvo in omnibus judicio ſedis apoſtolicæ illum ab epiſcopis fuiſſe judicatum aſſeritis*, nos &c.

*Hadrian. ep. 27. ad epiſc. conc. Duziac.*

Ad ſententias quod pertinet, ſinguli, prout cuique libitum eſt, accuſationis capita eligunt, quorum ſingulorum pœnam, depoſitionem eſſe cenſent: quid ſi omnia ſimul unum in cumulum conferantur? Inter quos mihi, ut ingenue fatear, rigidiſſimus videtur Hodo Belvacenſis, qui capitale putat, fuiſſe approbatam ab Hincmaro legem imperatoriam de reſecanda lingua, aut amputando capite delatoribus, ſi hæc ejus approbatio legem tantum univerſe & infinite tangebat, non autem privatum quemdam hominem in judicio ejus criminis accuſatum, ſententia ſua premebat, aut teſtimonio. Quis enim noſtrum abſque ſcrupulo non profiteatur, veneficis, exempli gratia, & ſepulchrorum effoſſoribus jure mortis ſupplicium irrogari? Profecto in hac Hodonis ſententia latet reconditum aliquid, quod noſtram aciem fugit.

*De ſingulorum ſententiis.* — *Hodo rigidior.*

Quod dictas ex ſcripto ſententias ſignificat proclamator, etſi acta non exprimant, credibile mihi tamen videtur, moderante concilium Hincmaro canonum peritiſſimo, qui alibi inter ritus proferendæ poſt accuſatores, reos, teſtes auditos, ſententiæ, hunc non omittit ex legibus profanis: *Ut ſententia ſi ſine ſcripto dicta fuerit, nec nomen ſententiæ habere mereatur. Quod legale decretum, & in paſſione domini, ſuper cujus caput poſuerunt cauſam ipſius ſcriptam, & in martyrum paſſionibus, quando judicati ſunt, obſervatum multoties legimus: & legatos apoſtolicæ ſedis, auctoritate Leonis papæ, Dioſcorum in Chalcedonenſi concilio; & Felicem, Acacium; & Silverium papam, Vigilium, & ceteros Romanæ ſedis pontifices, per ſcripturam, plures qui reſipiſcere noluerunt, legimus condemnaſſe.* Quod & ab ipſo in ſententia dicunda fuiſſe obſervatum habetur inferius. Sic in concilio Tricaſſino Joannes papa primum, exinde poſtulatis induciis epiſcopi Gallicani Lambertum & Adalbertum Romanos tyrannos de ſcripto excommunicant.

*Ex ſcriptis dicta.* — *Hincm. l. 55. capit. c. 28. p. 501.* — *Concil. Tricaſſ.*

## IN CAPUT X.

46 E*T tunc lecta ſunt in ſynodo.*) Duabus in rebus mox pronunciandæ ſententiæ cavet Hincmarus Rhemenſis. Primum erga judices conſidentes, ut ſinguli promittant eadem cum ipſo judicaturos. Deinde erga pontificem, ad quem appellatur, & acta concilii mittenda ſunt, ut abſque ſedis apoſtolicæ injuria, canonum & eccleſiarum mores ſequutus, in ferenda, non obſtante appellatione, ſententia, cognoſcatur. Quod enim Innocentii I. Bonifacii I. Leonis magni auctoritate, hortatu, exemplo facit, probandum ſperat ab Hadriano II. Et hunc ipſum locum diligenter ab ipſo notari cupiunt epiſcopi noſtri, quem ejus reprehenſioni tanquam ſcutum obtendunt. *Unde nunc nobis non eſſet neceſſarium excuſare, ſi is quem nobis juſſiſtis reſcribere* (ſic papam comiter excuſant) *ad locum in geſtorum ſynodalium ſerie legiſſet, quod ibi antequam damnationis in Hincmarum proferretur ſententia, ſcriptum eſt ita. Tunc lectæ ſunt in ſynodo ab Adalgario diacono ſententiæ canonum, ita eo dicente: Sardicenſes canones decreverunt.* Et quæ ſequuntur ad finem auctoritatum pontificalium.

*Cautio Hincmari archiepiſc.* — *Reſcr. ep. Duziac. ad Hadrian. in parte edita.*

Verum audito Sardicenſis concilii nomine, ſtatim apparet erroneum in alterutris illud citantibus judicium. Nam cum ſine fine repetat Hincmarus, ſe in condemnando Hincmaro Laudunenſi canonibus Sardicenſibus paruiſſe; Anaſtaſius ex adverſo eumdem Hincmarum Rhemenſem *contra Sardicenſis concilii regulas* egiſſe ſcribat, cum Rhotadum, & ipſum *Sedis apoſtolicæ judicium appellantem, depoſuit* neceſſe eſt alterutri rationem non conſtare. Sane in epiſtola ſynodali profitentur antiſtites noſtri, *juxta eccleſiaſticum morem, prout intellexerunt*, judicaſſe ſe: quod idem rogatus Anaſtaſius reſponderet de Rothadi judicio. Eos igitur ut conciliemus, arbitror ego canones Sardicenſes ab Anaſtaſio intellectos fuiſſe de prima cognitione, & judicio ante ſententiam epiſcoporum terminando Romæ a pontifice: ab Hincmaro autem & patribus Duziacenſibus acceptos pro cognitione poſteriori judicium epiſcopale ſubſequente per appellationem. Utrius autem intelligentia melius Sardicenſis concilii, & decretorum pontificalium, quæ ex Innocentio, Bonifacio, Leone citantur, mentem aſſequatur, ex ipſis verbis promptum eſt cuilibet judicare. Poteſt etiam aliter exponi Anaſtaſius, ut *depoſitionem* intelligat plenam & perfectam, quæ vere ab Hincmaro facta eſt contra Sardicenſis concilii regulas, alium in locum depoſiti vetantis creari epiſcopum ante Romani pontificis appellati judicium: contra quem canonem fecit Hincmarus, qui ſecundum alterum egiſſe ſe credit.

*De canone Sardicenſi.* — *Anaſtaſ. in vita Nic. I.* — *Concil. Sard. can. 4.*

Ceterum quando Rothadi mentio ex judicii ſimilitudine inducta eſt, ex timida illa & verecunda Hincmari cautione, ſcire volentis a judicibus, an ſuæ conſtituerint ſuffragari ſententiæ, debet ſapiens quilibet æſtimare, verene Rothadus velut tyrannum conciliorum Hincmarum deſcripſerit, qui per vim & metum omnium perturbare ageret. *Denique ſæpe fatus archiepiſcopus meus, in eodem concilio tanquam imperator triumphans, & tanquam ſummus eccleſiæ pontifex decernens, ſubjugata ſuo poteſtatui, & oppreſſa fratrum humilitate, jam mihi intrepide, & ut reor, impie judicium depoſitionis emiſit; parvipendens quod ulli ulterius inde eſſet rationem redditurus: & quaſi hoc nulli deberet, in ſeipſo confidens.* Hæ querimoniæ nemine contradicente Romæ auditæ, quam procul diſſitæ ſint ab hoc Duziacenſi judicio, in quo ſummam fuiſſe Hincmari gratiam pro rege, pro jure metropoleos, pro avunculis nutritoribus contra nepotes alumnos, hoc eſt, pro jure regni, eccleſiæ, naturæ, adverſus ingratiſſimum, & importuniſſimum mortalium contendentis, nemo non videt. Ea tamen ſi moderatiſſime uſus eſt, quis impotentem dominatum, & vim tyrannicam in prioribus ſuſpicetur.

*Calumnia Rothadi in Hincmarum.* — *Proclamat. Rothadi.*

47 *Et omni ſacerdotali officio ſpoliatum decerno.*) Præter abrogationem epiſcopalis officii & gradus, quam degradationem appellamus, deprimitur etiam ad laicam communionem, ut neque miſſam cantare, neque cum clericis in choro communicare poſſit. Hæc enim verba ſic interpretari ſuadet poſtulatio ſynodalis epiſtolæ mox conſulendæ, qua rogatur pontifex, *ut non antea communioni ſacerdotali, a qua ſeparatus eſt, reſtituatur*, quam ejus cauſa, ſi retractanda videbitur, in provincia cognoſcatur. Huc etiam facit, quod quando Joannis pontificis miſeratione, in ſynodo Tricaſſina nonnihil indulgentiæ conſequutus eſt, hoc ejus fautores ſtudioſe egerunt, permittente papa, ut miſſam cantaret, & populo publice benediceret: quo facto nemini dubium fuit, quin communione laica ſolutus eſſet, & ad ſacerdotalem regreſſus.

*Hincmarus Laudun. ad laicam communionem redactus.*

## IN SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM.

48 O*CCURRUNT* plurima hoc loco non prætermittenda, ut quæ vel ad hiſtoriam conferre, vel ex aliquorum animis ſcrupulos poſſint evellere. Ac primum quidem univerſe, fideliter exequi judicantes epiſcopos, quod Hincmaro promiſerunt. De quorum æquitate dubitari non poteſt, ſi cogitamus illorum plurimos jam anno ſuperiore in ſynodo Attiniacenſi verſatos, cauſam omnem non tam cognoviſſe, quam oculis ipſis tetigiſſe. Atque in ceteris, tres illos electos judices, Actardum, Rainelmum, & Joannem epiſcopos; quorum tribunal proxime condemnandus effugit. Quid quod jam ante ſinguli ſententiam dixerant; neque aliud ſynodi præſes Hincmarus pœnæ impoſuit omnibus rei criminibus in unum collatis, quam quod de ſingulis decreverant. Quæ res & Hincmari metropolitani moderationem, & concilii concordiam, & judicii æquitatem mirifice commendat. In formula quoque ſubſcriptionis notanda eſt diverſitas inter epiſcopos, & alios inferioris ordinis clericos, etiam abſentium epiſcoporum legatos, quorum nullus ſe *judicare* profitetur.

Jam ut ad ſingulares deſcendamus: primum ſe offert Rhemigius, qui quia cum ceteris ſententiam non dixit, ideo *non judicans*, ſed *relegens & conſentiens ſubſcripſit*. Ne fruſtra nodum quæramus in ſcirpo, & ſimpliciter cenſeri debet ab ea ſynodi ſeſſione abfuiſſe Rhemigius, qua ſententia in accuſatum lata eſt. Quæ cauſa fuerit abſentiæ, divinationi relinquitur. Ceterum in ſynodo *judicaſſe*, aut poſt ſynodi ſeſſionem *relegiſſe & conſenſiſſe*, æque ſynodi membrum faciunt: ut vere ad eam pertineat Rhemigius, qui & eodem ordine tertius in epiſtola ſynodali nominatur. Quamlibet ergo magnificis præconiis virtutem, ſanctitatem, doctrinam, ſapientiam, gravitatem Rhemigii extollant Gotteſchalcani proceres, ea omnia pro Rhemenſi Hincmaro, adverſus Laudunenſem hac in cauſa militant.

*Rhemigius Lugdunenſis.*

In Bertulfo dignum eſt obſervatu, nepotem fuiſſe S. Adventii Metenſis, in metropoli Trevirorum ſuffectum Theutgaudo, ob ſynodi Metenſis factionem a Nicolao I. excommunicato & depoſito. Petente eodem Adventio & Arnulfo, jubente rege Carolo, ad ejus conſecrationem adiiſſe Hincmarum epiſcopum Laudunenſem, Hodonem Belvacenſem; & Joannem Cameracenſem, omnes Hincmari metropolitani monitis inſtructos, *ut a ſacris regulis nulla aut negligentia, aut præſumptione in aliquo deviarent*. Ejuſdem quoque Bertulfi rogatu, Hincmarus noſter Rhemenſis *Vuilleberum Catalaunenſem miſit ad ordinationem Arnoldi epiſcopi: quia eodem Bertulfo infirmitate detento, numerus epiſcoporum a ſacris canonibus præfixus, in ordinatione præſulis, ei non aderat*. Ut inde agnoſcas qualis tandem fuerit Vuillebertus qui parebit inferius, quem ſuum in locum ſubſtitui rogat archiepiſcopus & primas.

*Bertulfus Trevirenſis.* — *Flodoard. l. 3. c. 21.* — *Ibid.*



Adalardum, quem Gunthaldi Rothomagenſis olim archiepiſcopi, qui ſynodo Meldenſi interfuit, nepotem fuiſſe aiunt, recens creatum fuiſſe Rothomagenſem antiſtitem oportet, quando apud Attiniacum anno proxime elapſo Vuanilo rebus geſtis Laudunenſis Hincmari adfuerat.

*Adalardus Rothomagenſis.*

Anſegiſus hic prius ſancti Michaelis abbas in Bellovacenſi epiſcopatu, deinde Senonenſis archiepiſcopus eſt factus anno 871. Geminam obiit legationem Romanam, alteram cum abbas adhuc eſſet; alteram, cum Senonenſis antiſtes. Utriuſque meminit Aimoinus, l. 5. c. 27. & c. 35. Pridem autem obſervavit Sirmondus perperam eum confundi cum altero antiquiore Anſegiſo abbate Lobienſi, qui Caroli magni & Ludovici Pii capitula in quatuor digeſta libros edidit anno 827. De eo in archiepiſcopum Senonenſem conſecrando, ſcripſit Hincmarus epiſtolam. Cui tamen poſtea, imperatore Carolo, Galliæ primatum affectanti generoſe reſtitit in concilio Pontigonenſi, contraque illum ad epiſcopos ſcripſit de jure metropolitanorum.

*Anſegiſus Senonenſis.* — *Flodoard. l. 3. c. 23.* — *Hincmar. opuſc. 44.*

Adventium Metenſem epiſcopum ſanctitatis titulo in eccleſiaſticis tabulis illuſtrem, cauſæ hujus æquiſſimum judicem ſediſſe docet Flodoardi hiſtoria, quæ narrat roganti ſuper ea re nonnulla, reſpondiſſe Rhemenſem: *Item pro his quæ idem Adventius ei mandaverat de Hincmaro Laudunenſi epiſcopo, breviter intimans quæ bona erga ipſum geſſerit, & quæ prava ille contra gerebat.*

*S. Adventius Metenſis.* — *Flodoard. ibid.*

Hodonem Bellovacenſium epiſcopum non minus quam metropolitanum ſuum judicem recuſaſſet Hincmarus, ſi quidem eo ventum foret; ut facile colligi poteſt ex Rhemenſis expoſtulatione. Verum id profecto injuria. Fuit enim Hodo præclarum hujus ſæculi lumen, ſive rempublicam ſpectes, ſive eccleſiam; legationibus perfunctus, frequens in conciliis; adverſus Græcorum errores & ſchiſma erudite, & ad mentem Hincmari ſcripſit, & colligendorum operum quæ docti e Gallia viri eadem de re componerent, provinciam ſumpſit ab Hincmaro: cujus ſpecimen habemus in opere Ratramni, ad eumdem Hincmarum per Odonem miſſo. Denique magni apud me momenti eſt, quod cum Hincmarus pluribus epiſtolis conſiliorum ſuorum participem facit, in partem rerum agendarum adſciſcit, *filium cariſſimum ſæpe vocat*, & magnis negotiis parem exiſtimat.

*Hodo Belvacenſis.* — *Hinc. ep. 51. Flodoard. ibid.*

Ragenelmus ſive Ragenelinus, Tornacenſis ſimul atque Noviomagenſis epiſcopus Hincmaro dicitur, pro cujus defuncti eligendo ſucceſſore, ad Hugonem abbatem ſcripſit, & ad Ludovicum & Karlomannum Caroli filios, ut canonicam fieri permitterent. Illum vidimus inter electos judices Hincmaro Laudunenſi datos apud Attiniacum.

*Ragenelmus Tornacenſis.* — *Idem l. 3. c. 19. 24. Hincm. ep. 12. 13.*

Et ipſi adjunctum Joannem Cameracenſem ſimul & Atrabatenſem epiſcopum, virum ſanctitatis titulo decoratum: pro quo expulſis invaſoribus canonice inſtituendo ad Guntharium Colonienſem archiepiſcopum ſæpius ſcripſit Hincmarus. Memorat plures Hincmari epiſtolas Flodoardus ad Joannem Cameracenſem, quarum nulla apparet reſidua: nam quæ inter ceteras Hincmari epiſtolas modo legitur, ea nec in illo catalogo reperitur, nec ſimile tractat negotium. Ac licet earum una gratiarum referat actiones *pro beneficiis ſæpe ſibi ab eo impenſis*; alia tamen eidem Romam cogitanti recuſat commendatitias dare, *quod ſine conſilio coepiſcoporum literas ei dimiſſorias, maxime pro re incerta dare nequiret.*

*S. Joannes Cameracenſis.* — *Flodoard. l. 3. c. 24. Hinc. ep. 51.* — *Flodoard. cit. c. 23.*

Ad hunc locum pertinet Engenoldus Pictavienſis, cujus cum ſententiam in concilio ſupra audiverimus, & nomen in epiſtola ſynodica lecturi ſimus: in hac ſubſcriptione abſque amanuenſium negligentia prætermitti non potuit.

*Engenoldus Pictavienſis.*

Ad Hildeboldum Sueſſionenſem cum multa ſcripſerit Hincmarus: duo præcipue rem noſtram aliquo modo tangere videntur. Prius, quod eum, cum Vualtero, Gisleberto, & Angelino epiſcopis invitavit, *ut convenirent ſecum ad peragendam juſſionem papæ Joannis inter Hedenulfum & Hincmarum Laudunenſes epiſcopos, cum ſacrorum obſervatione canonum*. Quod interpretor, Hincmarum in ſynodo Tricaſſina, per papæ Joannis commiſerationem, aliqua redituum eccleſiæ Laudunenſis parte donatum, cum Hedenulfo in eadem ſede confirmato partiri bona debuiſſe: eamque curam herciſcundæ eccleſiæ metropolitano datam, qui epiſcopos illos quatuor in conſilium advocavit, quo res æquius & magis canonice conficeretur. Poſterius, adeo ſincere Hildeboldi amicitiam coluiſſe Hincmarum, ut ille in mortis vicinia conſtitutus, ſuam ad hunc confeſſionem miſerit, & abſolvi rogaverit. Sic enim hiſtoricus: *Item exhortatoriam ad eumdem Hildeboldum corporis infirmitate detentum, in qua juxta petitionem literarum confeſſionis illius, abſolvit eum reconciliando licet per abſentiam corporalem.* Cujus facti exemplum aliud illuſtre habes, anno concilium iſtud conſequente, Rotberti Cenomanenſis epiſcopi, idem ab epiſcopis in exercitu regio Andegavos obſidente conſtitutis, per literas poſtulantis, quas cum epiſcoporum reſponſione concilia Gallicana exhibent.

*Hildebol. Sueſſionenſis.* — *Ibid.* — *Ib. Hincm. ep. 30.* — *Abſolutio data abſenti.*

Berhardum Viridunenſem epiſcopum Democharis catalogus poſt Hattonem ordine trigeſimum collocat: Gallia autem Chriſtiana, eo prætermiſſo in eum numerum Dadonem ipſius ſucceſſorem inſinuat. Sed omnino inter nobilis eccleſiæ præſules recenſendum Berhardum, ſi alia deſint teſtimonia, concilium quod videmus, evincit. Ut ex adverſo, in ſerie Carnutenſium antiſtitum, idem Demochares Gisleberti noſtri oblitus eſt, quem Gallia Chriſtiana pluribus conciliis frequentatis nobilem repræſentat. Inter hæc & ſimilia, quis mirabitur Engenoldum Pictavienſem in hoc ſubſcribentium catalogo, neſcio qua incuria, deſiderari?

*Berardus Viridunenſis.* — *Democh. l. 2. c. 33. Gall. Chr.* — *Democh. l. 2. tit. c. 18.*

Porro qui paulo ante Angelinus nominatus eſt ab Hincmaro, quis alius eſt, quam qui Engilvinus, in Pontigonenſi concilio Ingilvvinus ſcribitur, Pariſienſis epiſcopus, tantæ vir probitatis atque auctoritatis, ut eum Carolus rex a filii ſui Ludovici latere nunquam voluerit diſcedere? Habuerat anno ſuperiore apud Attiniacum Laudunenſis Hincmarus amicum Æneam Pariſienſem, cujus conſiliis regeretur, & foveretur præſidio: judicem modo experitur Angelinum: quia viro graviſſimo tanta mentis levitas, morum perturbatio probari non potuit.

*Engilvinus Pariſienſis.*

Jam vero in Biricone ordo incipit, non dicentium ſententiam, ſed ab epiſcopis judicata, ſubſcriptione firmantium. In iis familiam ducit chorepiſcopus, qui neque ſic antea loquutus eſt, ut damnaret epiſcopum, ſed ut a metropolitano damnari ſuaderet. Non enim is erat Hincmarus, qui magnam in ſynodo, cui præſidebat, auctoritatem chorepiſcopos uſurpare ſineret, quorum officium & inſtitutum numquam magni faciendum putavit. *Sicut & quidam epiſcopi*, inquit, *etiam a longe præcedentibus temporibus ſcandalum pro ſua quiete, & voluptatibus in eccleſiam intromiſerunt, ordinantes chorepiſcopos, & eis quæ ſummis pontificibus conveniunt, agere permittentes. Quos apoſtolica fides ſæpius reprobavit & apoſtolico mucrone recidit, ſicut in decretalibus eorum, qui voluerit recenſere, inveniet. Inter quos Damaſus papa de talibus dictis epiſcopis. Illi, inquiens, epiſcopi, qui talia ſibi præſumunt, videntur mihi eſſe meretricibus ſimiles;* &c.

*Birico chorepiſcopus.* — *Chorepiſcopi improbati. Hinc. ep. 45. Damaſi epiſtola contra chorepiſcopos.*

Sigloardi archipresbyteri meminit Flodoardus, eas enumerans epiſtolas quas ad ipſum pluribus de negotiis ſcripſit Hincmarus, quæ declarant parem archiepiſcopo ſuo in diſciplina eccleſiaſtica fortitudinem illi defuiſſe.

*Sigloardus archipresbyter.* — *Flodoard. l. 3. c. 28.*

Ad extremum omittendum non videtur, ſcripſiſſe Hadrianum ad Carolum regem, Hincmarum Laudunenſem epiſcopum *a præſulibus decem provinciarum fuiſſe depoſitum*. Interfuerunt certe huic concilio epiſcopi ex provinciis decem, nimirum archiepiſcopi octo cum ſuffraganeis nonnullis, ac præterea Actardus ex Turonenſi provincia, Franco ex Colonienſi. Quemadmodum in ſynodo Tullenſi apud Saponarias, ante decennium & amplius habita, præſcriptum eſt in titulo, *Synodus duodecim provinciarum*, cum in ea octo numerentur metropolitani, & epiſcopi præterea ex quatuor aliis provinciis, Senonenſi, Viennenſi, Moguntinenſi, Tarentaſienſi. Sunt qui hanc ſynodum octo provinciarum appellent, quod provinciarum numerum dicant ex archiepiſcopis, qui ſynodo interſunt, colligi: in hac autem noſtra non plures octo nominentur.

*Hadrian. ep. 29. ad Carol. reg.*

## IN QUINTAM CONCILII PARTEM quæ epiſtolas complectitur.

## IN EPISTOLAM SYNODALEM.

49 Q*UAM per hunc fratrem & venerabilem coepiſcopum.*) Actardo Nannetenſi hactenus epiſcopo, bona

*Actardus ſynodi legatus.*

bona eccleſiaſtica Nortmannorum incurſione magna ex parte perierant : atque is ab Hadriano papa literas impetraverat, quibus aliis Carolinis regni epiſcopis, præcipueque Hincmaro commendabatur, ut ſi quæ forte vacaret eccleſia, in ea collocaretur. Quid egerit Hincmarus, ipſe poſtea narrabit. Accidit autem ut circa hæc tempora, per obitum Erhardi archiepiſcopi, deſtitueretur paſtore illuſtris eccleſia Turonenſis Actardi alumna & nutrix. Hac opportunitate utuntur patres, ut Actardum ad Hadrianum delegent, ſimul acta literaſque concilii laturum, ſimul a pontifice Turonenſem cathedram impetraturum.

*Caroli cum Ludovic. fratre colloquium. Annal. Bertin. ad an. 871.*

50 *Et domnus rex cum quibuſdam epiſcopis.*) Narrat annaliſta Bertinianus hoc anno poſt indictam Duziaci ſynodum, regem Carolum, petentibus nepotibus ſuis Ludovici fratris ſui Germaniæ regis filiis, Ludovico & Carolo, *per Viridunum obviam illis, locuturum cum illis, perrexiſſe, & inde ad ſynodum in Duziaco rediiſſe.* Ex expoſito ſynodi ſucceſſu, reverſus ad principes hæc habet : *Prædicti quoque nepotes regis in Duziacum venerunt ad eum, petentes ut eos cum patre ſuo pacificaret. Sed & miſſi Ludovici fratris ſui ad eum venerunt, poſtulantes ut obviam illi ſecus Trajectum municipium ad colloquium illius veniret : ſicut & fecit : ducens ſecum miſſos nepotum ſuorum, qui ea quæ petierunt, apud patrem ſuum ex illorum voce narrarent. Ubi etiam miſſos Karlomanni filii ſui, interveniente Ludovico fratre ſuo, Carolus rex audivit ; & ſicut antea ſub conditione ſuæ correctionis eum redire ad ſe invitavit. Quæ invitatio nihil profecit. In quo aliquamdiu colloquio Ludovicus & Carolus immorantes, aut parum, aut nihil profecerunt.* Deo per filiorum diſcordiam in Ludovicum Germanum conferente, quod ipſe cum Lothario parenti optimo Ludovico Pio commodaverat.

*Hincmari Laudunenſis ſacrilegium.*

51 *Inde umgas ad ſpatas, & balteos, & calcaria.*) Miror equidem ſacrilegiorum iſtorum voces non alitus in hominum auribus inſonuiſſe, ut omnes undique adverſus impium hominem armarentur. Atque huc maxime reſpectare mihi videtur Hadrianus ad Carolum regem ſcribens, cum ait *in ſynodalibus literis, metropolitani, & regis, nec non in libello reclamationis cleri & plebis Laudunenſium, ſeu in libello continenti ſeriem geſtorum ſynodi, tanta turpia, tanta dictu nefanda, tantaque execranda, & auctorem ſuum damnantia referri, ut incredibilia ab ignorantibus videantur.* Rhemenſem autem ad eam famam & vulgi querelas, in rebus tantis, quæ obſcuræ eſſe non poterant, tacuiſſe nemo mihi perſuaſerit : ſed periiſſe potius increpationis ejus literas, eo non invito, ne tanta labes ad perpetuam infamiam ejus nomini adhæreſceret.

*Hadrian ep. 29. ad Carolum.*

*Umga.*

Quid porro ſit umga, ſola novit barbaries. Niſi uncos intelligamus vinciendis & comprimendis enſibus, balteis, calcaribus accommodatos. Hoſas enim caligas dicimus apertas & ſolutas, quæ apud Ludovicum de la Cerda in adverſariis ſacris, a Vvarneſtido ſic deſcribuntur. *Calcei his erant ad ſummum pollicem pene aperti, alternatim laqueis corrigiarum retenti ; poſtea vero cœperunt hoſis uti, ſuper quas equitantes tubragos birros mittebant.* Caligas ſolutates appellat Thvvroch in chronico Ungaro. *Corpus ipſius ſplendidiſſimum tunica ſcarlatina, ac etiam caligis ſolutaribus, gemmis pretioſiſſimis contextis.* Quæ ille tubragos, alii tubrucos vocant, ſic dictos ait Juvenalis interpres, *quod tibias braccaſque tegant.*

*Hoſa quid ? Lud. de la Cerda adverſ. ſacr. c.61.n.11.*

*Pecunia diverſi ſexus.*

52 *Ex generis diverſi ac ſexus pecuniam.*) Vox inſolens ; & nuſquam alibi mihi lecta, neque ego ſexum alium in pecunia conjicere poſſum, quam ſi aurum pro mare, argentum ſignatum pro femina accipias. Vide utrum huc referri poſſit, quod Auguſtinus de diis gentium ſcribit. Pecunia dicta eſt dea, quæ dat pecuniam, non omnino *Pecunia Dea ipſa putata eſt.* Et alibi expreſſius. *Dicerem quippe noluiſſe illos Jovi femininum nomen imponere, niſi & in illis verſibus* (Valerii Sorani) *progenitor genitrixque deum diceretur : & inter alia ejus cognomina legerem, quod etiam Pecunia vocaretur : quam deam inter illos munuſcularios invenimus, ut in quarto libro commemoravimus. Sed cum & mares & feminæ habeant pecuniam, cur non & Pecunia, & Pecunius appellatus ſit, ſicut Rumina, & Ruminus, ipſi viderint.*

*Auguſt. l. 4. de civit. c. 24. Idem l. 7. c. 11. Jupiter Pecunia.*

*Locus expenditur.*

53 *Quod & de Rothado feceremus.*) Quid hic facit intempeſtiva Rothadi mentio ? & ſi ea inducenda eſt, cur tamquam de præſenti negotio agitur, & adhuc integro, licet tot ante annis ſit confectum, & Nicolaus papa, Rothaduſque vivis exceſſerint ? Faceremus, inquiunt, ſi legati Alpes tranſire poſſent. Poteſt modo Actardus cum actis hujus concilii : quidni igitur modo & illi ? quid eſt autem, ſi concederetur illis temporibus ? quis ita loquitur ? Fac tamen concedi. Quid conferent acta Sueſſionenſis concilii ſub Nicolao I. ad acta ſynodi Duziacenſis ſub Hadriano II. Concludendum omnino videtur hunc locum ab ſcioloaliquo, perquam importune ; vel ſaltem aliter conceptum fuiſſe, ad præterita tempora reſpectando. *Quod & de Rothado feciſſemus, ſi legatis veſtris facultas tranſeundi Alpes in illis temporibus conceſſa eſſet.*

Quod dictum ut abducamus ab hac epiſtola, & abſolute in ſe ſpectemus, omnino verum eſt, aut fallunt hiſtorici : nihil omiſerunt Sueſſionenſis III. concilii antiſtites, ut damnatum a ſe Rothadum Romam appellantem mitterent, ut acta concilii per Odonem Nicolao ſignificaret, ut legatos ſuos facti rationem pontifici reddituros repræſentarent. Sed quo minus Romam tangerent, vis externa obſuit, quam fuſe Bertinianus annaliſta exponit, & nos, ad declarandam innocentiam Hincmari, ex eo deſcribimus.

*Rothadi appellatione proſequenda fruſtra.*

Ad annum igitur Chriſti 863. hæc habet. *Carolus VIII. Kal. Novembris ſynodum in Vermeria palatio habuit, ibique abbatiam S. Carilephi ſuper Rotbertum epiſcopum Cinomannicæ urbis, qui eam per apoſtolicam commendationem juri ſui epiſcopatus mancipatam tenere volebat, legaliter evindicavit.* Habes in conciliis Gallicanis epiſtolas Nicolai papæ complures ad diverſos ea de lite ; & earum unam ad Hincmarum increpatoriam, quod monachis favere videretur. Ita nihil unquam impune licuit archiepiſcopo Rhemenſi. Pergit hiſtoricus. *Et Rothadum nuper depoſitum, ſicut domnus papa ei mandaverat, cum ſuis & epiſcoporum literis atque vicariis Romam miſit.* Ac deinde anno conſequente, profectionem ipſam & conatum ſub oculos ponit. *Carolus cum epiſtolis per Rodbertum* Cenomannicæ urbis epiſcopum (nam concilii legatus erat Odo Belvacenſis) *Romam, ſicut apoſtolicus juſſerat, Rothadum dirigit. Sed & epiſcopi regni ejus, vicarios ſuos cum ſynodicis literis de cauſa ipſius Rothadi ad apoſtolicam ſedem mittunt, quibus Ludovicus* (imperator) *tranſitum denegat. Ipſi autem legati tam regis, quam epiſcoporum, impoſſibilitatis ſuæ cauſas Romam eundi clanculo papæ cognitas faciunt. Rothadus ſimulata infirmitate. Veſontio, ceteris patriam repedantibus, remanet : & poſt aliorum regreſſum, per Curiam, ſuffragantibus ſibi Lotharii & Ludovici Germaniæ regis fautoribus, Ludovicum imperatorem Italiæ adiit, quatenus ipſius ſolatio Romam valeat pervenire.* Hæc ſi vere geſta non eſſent, non ea ſimplicitate referrentur. Quæ ſi Romæ poſitus pontificem celavit Rothadus, ſilendo veritatem prodidit.

*Annal. Bertin. ad an. 863.*

*Nicol. epiſt. tom. 3. conc. Gall.*

*Annal. Bertin. ad an. 864.*

54 *Venerabilem denique fratrem & coepiſcopum noſtrum Actardum.*) Eadem verbis pene iiſdem pro Actardo poſtulant Hincmarus Rhemenſis, & rex Carolus, privatis ad pontificem epiſtolis : eaque una videtur eſſe cauſa, ut ſupra dicebamus, cur ipſe præter ceteros delectus ſit, qui hæc acta Romam perferret. Duo autem poſtulant : primum, ut ab ipſo, Turonenſi eccleſiæ incardinetur, ſive applicetur, addicatur ; eſt enim ex S. Gregorio & aliis nota vox. Secundum, ut hæc per pontificem inſtitutio, ejuſdem eccleſiæ privilegiis non præjudicet ; neve poſt Actardi mortem, electionis jus illi eripiatur, tamquam ad ſedem apoſtolicam ſemel ab epiſcopis Gallicanis delatum. Prioris poſtulati, tres afferunt rationes : quod cum clerus populuſque Turonenſis eligat, & expetat : quod eum commendans Hadrianus ipſe literis ſuis ſimile aliquid optare & permittere ſit viſus ; quod jam illum pallio, velut archiepiſcopatus candidatum, decoraverit : Huic poſtulato prona voluntate annuit Hadrianus, & *per noſtræ apoſtolicæ auctoritatis decretum,* inquit, *conſtituimus cardinalem metropolitanum, & archiepiſcopum Turonicæ eccleſiæ atque provinciæ* : eamque in rem Antheri papæ veterem decretalem citat de mutatione epiſcoporum de civitate in civitatem. Aliis quoque literis ad regem conditionem petitam admittit, ut *poſt ejus deceſſum electio canonica & ordinatio a ſuffraganeis epiſcopis ejuſdem metropoleos Turonicæ, canonice celebretur ex more.* Eamdemque eccleſiam hoſtium incurſionibus deſolatam ; *meritis glorioſiſſimi confeſſoris Chriſti Martini honorabilem ſemperque venerabilem, & inter Gallicanas eamdem vel ſecundam, vel tertiam provinciam Turonenſem* Caroli regis magnificentiæ impenſe commendans ſic ab eo locupletari copiis & ornari, *non ulterius Cæſarodunum, ſed Karolidonum in perpetuum vocetur.*

*Poſtulatum epiſcoporum pro Actardo.*

Erit tamen hac in petitione, & conceſſione, qui ſe diſſerat. Cur antiſtites Gallicani electionem, & ordinationem ſuam eſſe, conditione appoſita monſtrarunt, cur rex ipſe Carolus, neque Egilonem metropoli Senonenſi datum eſſe, Nicolaum primum celaverit ; & Vvlfadum in Bituricenſi ſede collocatum, ab Hadriano confirmari cupierit ? Declarant enim hæc exempla, non pleno jure ordinatos fuiſſe tum etiam temporis ſaltem metropolitanos a ſuffraganeis : ſed pontificis Romani conſenſum fuiſſe quæſitum. Ergo videtur inutilis illa conditio, quæ poſtulat ab antiſtitum primo, ut ſuo jure ſe privet. Reſpondeo ; proprium hoc fuiſſe ſemper eccleſiæ Gallicanæ ; ut ſupremam ſedem eximie venerarentur, præſertim iſtis Carolinorum regum temporibus, vix ut quicquam ullius momenti inconſulto pontifice moveret : neque inter eos tam juris eſſet contentio, quam caritatis paternæ in filios obſequentiſſimos ; filiolitatis, ut dicebant, in optimum parentem. Quare electionum & ordinationum jus liberrimum benevolentiſſimis pontificibus Romanis habebant eccleſiæ : & iſtæ, ſi quid præter ordinem accideret, ad pontifices devotiſſime deferebant. Unde Actardum incardinare ſe potuiſſe non tacent : ſed id ut ſplendidius, & majori cum auctoritate fieret, perfici cupiunt a pontifice. Longe autem alia eſt Egilonis & Vvlfadi cauſa, quæ non abſque aliqua neceſſitate pontificibus Romanis oblata eſt. Nam Egilo ex alia aſſumptus provincia, ad Senonenſem transferebatur, non recte ſecundum canones, clamante Nicolao, *indecorum, quin potius illicitum eſſe, in aliena ſtipendia quemquam irrepere, & ex tranſverſo venientem in caſtra, inter quæ non militavit, ducatum arripere.* & profitente, in animo ſibi eſſe *hanc temeritatem, & ſacrorum ſuper hoc canonum violationem familiarius in illis regionibus dilatatam, generalis decreti ſui ligone radicitus extirpare.* Hinc eſt quod Hadriano epiſtolæ iſtæ omnes inculcant, Actardum in eccleſia Turonenſi baptizatum, nutritum, tonſum, ad epiſcopatus ordinem per ſingulos gradus eſſe provectum. Illam ergo diſpenſationem, ejus in eccleſiam Turonenſem tranſlatio non requirebat. Vvlfadus autem præter hanc cauſam, (Rhemenſis quippe clericus Bituriges migrabat) illi etiam eccleſiæ per regem, abſque pontificia voluntate & diſpenſatione datus erat epiſcopus ; atque idem nondum ex toto ſuis ordinibus reſtitutus, quibus eum dudum Sueſſionenſis ſecunda ſynodus exuerat. Quod *minus caute & fixe*, nimis *maturato* factum ſe inconſulto, jure improbat Nicolaus. Actardus ex adverſo, rogante pro eo pontifice Hadriano, & jam pallium ipſi concedente, ad ſedem vacantem poſtulatur : neque ullo trium diſpenſationis capitum indiget.

*Egilo Senonenſ. arch. Tranſlationes epiſcoporum non probat pontifex Nic. ep. 54.*

*Vvlfadus Bituricenſis. Ep. 6. Caroli ad Nic.*

*Nic. ep. 59. ad epiſcop. conc. Sueſſ. Pallium epiſcopo conceſſum.*

55. *Genio pallii a veſtra benignitate eſt honoratus.*] In rationibus per epiſcopos allatis, conſideratione digna mihi videtur tertia, quæ pallium Actardo datum commemorat, e ſede Nannetenſi ejecto nondum in vacantem ullam adſcito, verbo dicam, epiſcopo, & quidem ſedis incertæ. Talis conceſſio in epiſtola Hadriani ad ipſum legitur, dicentis ſe *decus pallii pro Dei ſolius amore concedere.* ut quidem magno privilegio, tamquam confeſſori, & religionis cauſa exulanti, *quem inter furentium paganorum manus & gladios confeſſus es.* Et expreſſius poſt pauca. *Quod non aliter tibi, nec cuilibet abſque metropolitis concederemus, niſi multoties exilia, mare, vincula paſſo, etiam ad capitalem ſententiam frequenter tracto, teſte tuo metropolitano, hoc tua, ad celerrimæ conſolationis ſolatia, tanta exigere detrimenta ; quin potius merita. ut videlicet habeas pro exilio & catena, pallii ornamenta, non in tua eccleſia perenne decretum, ſed ad tuum, certo tempore, vitaque præſentis ſpecialiter uſum.* Quod iiſdem pæne verbis renunciat Hadrianus concilii Sueſſionenſis patribus, ea epiſtola qua ipſum petit in eccleſia, *quæ forte ſuo fuerit viduata rectore, penitus incardinari.* Quare cum S. Gregorius ad Brunichildem reginam ſcribat, ex priſco more duas in donando pallio conditiones attendi, *ut honor pallii niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat* : tanta ſunt in Actardo merita, ut etiam ultro ne ſperanti quidem, nedum *fortiter poſtulanti*, dari poſſit ac debeat.

*Hadr. ep. 6. ad Actard. Actardus confeſſor.*

*Hadr. ep. 2.*

*Greg. l. 7. epiſt 5.*

Ex quibus duo diſcimus, alterum, non ſolis metropolitanis, ſed etiam inferioribus epiſcopis concedi pallium, quemadmodum & olim Siagrio Auguſtodunenſi datum eſt a Gregorio magno. Et S. Adventii in epiſcopatu Metenſi ſucceſſor Vvalo Hincmarum Rhemenſem conſulit, *de pallio a ſede Romana ſibi obtento, unde archiepiſcopus ipſius* (Trevirenſis) *literas papæ ſuſcipere noluit.* Quæ fuerit cauſa recuſandi, diſceremus ex Hincmaro, ſi reſponſio ſupereſſet. Alterum, tantam fuiſſe Gentilium Nortmannorum perſecutionem in Gallis, ut etiam confeſſores & martyres daret eccleſiæ : cujuſmodi Noviomenſes tabulæ Immonem nobis offerunt in urbis direptione ab Haſtingo Nortmannorum duce interfectum. Florebat autem cum Hincmaro, multiſque cum illo ſynodis interfuerit, atque illi primum Cariſiacæ, in qua Gotteſchalcus luculente tractatus eſt.

*Flodoard. l. 3. c. 23.*

*S. Immo Noviom. mart.*

## IN EPISTOLAM HINCMARI RHEMENSIS.

*Cur privatim ſcribat Hincmarus.*

56. IN Africano concilio, præter epiſtolam ſynodicam conventui toti communem, privatas etiam literas ad Innocentium papam dederunt ſelecti quidam epiſcopi, Aurelius, Auguſtinus, Alypius, & alii. Quorum exemplo potuit Hincmarus concilii præſes, & actor præcipuus, poſt epiſtolam ſynodalem, quæ ſtilum ejus redolet, privatim ad Hadrianum ſcribere, & animi ſui ſenſa de Hincmaro Laudunenſi, fidenter exponere. Sed & aliæ intercesſerunt cauſæ, quæ currentem impellerent. Una, quod Actardus Hincmaro peculiariter commendatus erat ab Hadriano, epiſtola officii laudiſque pleniſſima. Res igitur exigebat, ut quæ jam egerat in ejus gratiam, explicaret. Altera, quod presbyteri cujuſdam Triſingi ab Hincmaro depoſiti cauſam cognoſcere volebat pontifex : quam per Actardum mitti opportunitas invitabat. Sunt igitur epiſtolæ tres partes, de ſingulis perſonis ſingulæ : de Actardo, commendatitia ; de Hincmaro, expoſtulatoria ; de Triſingo, exegetica.

*Hadrian. epiſt. 4. ad Hincm.*

57. *Et a paganis Nortmannis, nec non & a pſeudochriſtianis.*] Facit utramque paginam in hiſtoria Caroli Calvi, Nortmannorum ſive Danorum irruptio in Gallias, deprædatio, immanitas, quæ religione Chriſtiana, & Gallico cælo ſoloque mirum in modum mitigata eſt. Quod autem & Britonibus infenſus ſit Hincmarus, ea videtur eſſe ratio, quod & primi eorum duces tyrannice regnarunt, & epiſcopi diuturno ſchiſmate, quod cum adhuc perennabat cum iſta ſcriberet, a metropolitano ſuo diviſi, & excommunicati, eccleſiam male habebant. De Nomenoio quidem duce, nota eſt epiſtola ſynodalis concilii Turonenſis IV. quod alii Pariſienſe malunt appellare, in qua hæc inter cetera. *In quo tamen regimine qualem te exhibueris, teſtis eſt conſcientia tua, & amaræ querimoniæ diverſarum eccleſiarum, & afflictiones nobilium & ignobilium, divitum & pauperum, viduarum & orphanorum, quos damnabili cupiditate, & horribili crudelitate vexaſti. Sed quia Chriſtianum nomen non penitus abjeciſti,* &c. & paulo poſt. *Cupiditate tua vaſtata eſt terra Chriſtianorum, templa partim deſtructa, partim incenſa, cum ſanctorum oſſibus ceteriſque reliquiis.* Et quæ ſequuntur. In epiſtola quoque ſynodali concilii Sueſſionenſis III. dicuntur *nomine tenus Chriſtiani, quoniam cum ſint barbari, feritate nimia tumidi, nullis ſacris conſtitutis obediunt. Sed pro libitu inſipientiæ malevolentiæque ſuæ cuncta peragunt.* Fortiſſimum querelarum caput, & eccleſiæ morumque ſtrages inde fluxit, quod ejectis legitimis epiſcopis, alios ſuæ gentis & linguæ in ſedes epiſcopales intruſerunt, & a Turonenſi, ut diximus, metropolitano ſuo per ſchiſma ſeparati, Dolenſem ſedem *metropolim contra fas habere juſſitarunt.* Non ſine aliarum tamen urbium con[illegible] *nulla memoria ſit*, inquit Nicolaus papa, *[illegible] regione ullam habuiſſe metropolitanam eccleſiam.* In ejectis [illegible] Actardus, in intruſis Giſlardus : cum hujus cauſam [illegible] Nicolao probare per literas conaretur Salomon rex Britonum, hoc ab eo reſponſum tulit. *De Giſlardo autem & Actardo, epiſcopis, de quibus ſcripſiſti, multo aliter quam tua referebat epiſtola in ſcrinio noſtro reperimus. Licet non bene faciat Actardus, quia denuo conſecrat, quos Giſlardus in eo gradu dignoſcitur ordinaſſe : tamen Actardus invenitur ante Giſlardum epiſcopatus officium ſuſcepiſſe. Denique ſanctiſſimus Leo papa, Nomenoio ſcribens, inter cetera, præcipuum Actardum appellat, & hunc ſanum ſapere, & ſanum docere, vivere, ac permanere denunciat : Giſlardum vero, tamquam prædicti Actardi ſedulum invaſorem denotat.* Eadem epiſtola Leo *furem & latronem Giſlardum in Namnetica ſede* vocat : *qui viventis* (*quod non licuit*) *locum non timuit uſurpare* : vetatque Nomenoii patrocinio tegi. Ex his vides vetus iſtud eſſe certamen, & jam a patribus Sueſſionenſis III. Actardum ſedi apoſtolicæ commendatum ; neque aliud decreviſſe Nicolaum, quam ut cauſa vel apud metropolitanum Turonenſem, vel Romæ apud pontificem diſceptaretur. Rebus autem deſperatis, alia ratione juvit Actardum Hadrianus, convenientibus in illud humanitatis officium epiſcopis Galliarum.

*Perſecutiones Nortmannorum paganorum. & Britonum.*

*Epiſt. ſyn. conc. Tur. IV. tom. 3. conc. Gall.*

*Epiſt. ſyn. concil. Sueſſ. III.*

*Nicol. ep. 36. ad Sal.*

*Actardi & Giſlardi contentio. Leo papa.*

*7. Non ſatem.*

58. *In qua vacante eccleſia diœceſeos noſtræ.*] Duas ob cauſas negat vacanti Morinenſi eccleſiæ incardinari potuiſſe. Prior eſt, quod pauca quæ ſupererant ex latrocinio barbarico Nannetenſis eccleſiæ bona procul inde diſtarent, quibus conſervandis volebat eum etiam invigilare. Poſterior, quod per canones eum non liceba in duabus provinciis cenſeri, Turonenſi, ad quam Nannetes pertinent, & Rhemenſi, ad quam Morinenſes. Sed iſte, meo judicio, merus prætextus eſt, & prudens Hincmari cautio, in Actardi conſilia ſolertius penetrantis. Videbat enim eo tendere hominem, ut conſervata Nannetenſi ſede in aliam ſimul immitteretur, contra canones, vetantes uni duas eſſe ſubjectas. Id conſecuturum facilius, ſi Morinenſi, quam ſi nobiliori & locupletiori Turonenſi addiceretur ; qua turpe illi foret non eſſe contentum. quapropter Morinenſi, tamquam viliore, prætermiſſa, modis quibus poteſt omnibus contendit, ut Turonenſi incardinetur, ejuſque rei maxime probabiles rationes affert. Et ſi conjecturis agere licet, ejus ſuaſu factum facile crediderim, ut Actardus Herardo mortuo, ſufficiendus a clero & plebe diligeretur ; ſibique ipſi poſtulatio regi offerenda committeretur : *quod idem pontifex promptiſſime peregit*, inquit Flodoardus. Inti-

*Actardus quomodo duabus eccleſiis præpoſitus.*

*Flodoard. l. 3. c. 21.*

*intimari etiam regi de quodam clerico, qui ſe ingerebat, non recipiendo.* Quod ſi poſtea, Romæ poſitus in ſua legatione Actardus, utramque ſedem ab Hadriano impetravit, quod his verbis regi ſignificare videtur pontifex. *Et ſi Nannetica contigerit eccleſiæ ad priorem redire ſtatum, nihil officiat ei hæc neceſſitatis unitio, quam exigit paganorum vaſtatio, quo minus proprium valeat habere pontificem*, ipſum videlicet Actardum, eccleſiæ Turonenſi jam unitum. Illud quantum ſibi diſpliceat, quod antiquis repugnat canonibus; diſſimulare non poteſt Hincmarus, ut in extemporali ad familiarem epiſcopum tractatu videre eſt.

Hadrian. epiſt. 28. ad Carol.

Hincmar. epiſt. 45.

59. *Apud dominum regem obtinuit.* ] Omnino legendum *obtinui*; non enim ipſa ſynodus cum epiſcopis & confratribus id obtinuiſſe dicitur. Vana ergo non fuit Hincmari promiſſio, ſæpius repetita, peracto judicio ſi Romam provocare pergeret Laudunenſis, cum bona regis & epiſcoporum venia, iturum quandocumque colliſitum eſſet. Hoc ipſum conceſſiſſe ſe rex in epiſtola ſua ad Hadrianum teſtatur: *Quapropter de illo veſtra pontificalis auctoritas, ut credimus, faciet, quod regulæ ſacræ decernunt. Vos tamen certiſſimum reddimus, quia quamdiu nos Deus in regni regimine conſervaverit, epiſcopium Laudunenſe idem Hincmarus in ſuo regimine non habebit. Cui conceſſimus, quamvis non mereatur, pietatis intuitu, ut quicumque de clericis, & de familia epiſcopii Laudunenſis pergere vellet, licentiam haberet.* Hac igitur poteſtate, toties, tantis clamoribus petita, tanto ambitu impetrata, jam liber Hincmarus perurgente negotio, calente adhuc depoſitionis infamia, clamante Romanis auribus contemptæ hactenus, ut ajebat, appellationis injuria, quidni properato uſus, iter expetitum, votivum, imperatum, famæ, dignitati, corpori ſalutare arripuit? Cur in Gallia moras cunctator importunus texuit? Quis eum non videt ſuo more procraſtinaſſe, dum nova aliqua machinatione in regem fatigatiſſimum, expugnata demum cæli terræque patientia, excæcationem ſibi carceremque conſciſceret? Et poſt hæc ſcribere auſus eſt in proclamatione ſeptennio poſt: *uſque modo retentus, ad vos, & ad veſtræ piiſſimæ ſerenitatis præſentiam, mox ut venire dimiſſus ... protinus acceſſi.* Atqui duos tantum poſtremos annos exegit in cuſtodia & exilio. quid igitur poſt latam ſententiam, & veniam factam abeundi, annis quinque tergiverſator egit in Gallia?

Ep. Caroli MS. ad Hadrian.

Proclamat. Hincmar. Laudun. & ...

Quid vero interea pontifex Hadrianus? Non ſatisfecit illi poteſtas eo modo conceſſa Laudunenſi: qui quia judicium retractare cupiebat, non humiles aliquas perſonas Hincmaro ſubditas, ſed epiſcopos eccleſiam Gallicanam referentes voluit advenire. At rex, qui retractationem illam velis remiſque fugiebat, in ejuſcemodi legationem conſentire noluit. Quod diſcimus ex Hincmaro ipſo Rhemenſi, ad pontificis propoſitionem reſpondente. *De eo quod puſillitati meæ veſtra reſcripſit ſublimitas, ut eumdem Hincmarum, & alios tres epiſcopos, omnium epiſcoporum regni domni Caroli vicem ferentes ad ſynodum Romam mitterem.* in qua nimirum de Hincmari Laudunenſis cauſa, & concilii Duziacenſis judicio judicaretur. Ad hæc Rhemenſis. *Veſtra ſciat auctoritas quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet epiſcoporum diœceſos Rhemorum; minime autem aliarum provinciarum epiſcopos, niſi domnus rex illis præceperit, Romam: vel in aliquam partem, mea commendatione mittendi habeo poteſtatem: nec ipſe ego, ultra fines regni ſui, abſque illius ſcientia progredi valeo: ſicut miſſis veſtræ ſanctitatis, coram Hodone venerabili epiſcopo, & Anſegiſo religioſo presbytero & abbate, quibus noſtræ cauſæ ſunt cognitæ, dixi.* Cum in lite Rothadi de eo ſimiliter Romam mittendo ageretur.

Pontifex ... epiſcopos ...

Hincmar. Rhe. ep. 41.

Epiſcopi ... tergiverſatio.

60. *Et quia non ita ſe res habebat.* ] Totum hunc locum de primo Hincmari Laudunenſis cum rege Carolo congreſſu, & injuria quam pertulit, quamque viciſſim intulit; quæque in objurgatoria ad regem epiſtola refert Hincmarus Rhemenſis nepotis hic ſui patronus, mirifice illuſtrant annales Bertiniani hoc modo. *Carolus autem per curtes regias in pago Laudunenſi conſiſtentes pergens, Hincmarum Laudunenſem epiſcopum, nullo epiſcopo ſuæ provinciæ conſcio, juſſit ut ad cauſas ſuas, id eſt, ad ſæculare judicium, advocatum ſuum daret, pro eo quod beneficia quibuſdam ſuis hominibus abſtulit.* Quod repugnantibus epiſcopis difficile ſibi futurum præſagiebat, illud iis inconſultis aggreſſus eſt, ut olim Vvenilo Senonenſis *abſque audientia epiſcoporum Karolo eidem regi reconciliatus eſt.* Quæ res ad conſtantiam & auctoritatem epiſcoporum declarandam, non parum conducit. *Iſdem autem epiſcopus* (Hincmarus Laudunenſis) *ſe reclamans, quod relicto eccleſiaſtico judicio, non auderet ſeculare adire judicium, ſicut ei juſſum fuerat,* (a rege) *ad locum nominatum ſæcularis judicii non venire, ſed cauſas ſuæ impoſſibilitatis regi mandavit. Rex autem Carolus jubens ... quoſdam judicare,*

Hincmari Laudun. ...

Hincmar. epiſt. 29. Annal. Bertin. ad an. 868.

Hideman. 859.

*etiam infames perſonas, quia perſonam præfatus epiſcopus non miſit, qui juraret, quod illuc venire non poſſet; & quoniam advocatum ſuum de ſe in ſeculari judicio non dedit; prædictorum judicio quicquid iſdem epiſcopus de rebus & facultatibus eccleſiaſticis in uſibus epiſcopii ſpecialiter habebat, proſcriptum eſt. Sicque idem rex ad Piſtas, medio menſe Auguſto veniens, annua dona ſua ibidem accepit: & caſtellum menſurans, pedituras ſingulas ex ſuo regno dedit.*

Hic pugnantia videntur occurrere. Nam regem contra jam feciſſe dicunt annales, dicit & in epiſtola archiepiſcopus. Idem tamen hoc loco, quaſi mutata in odium nepotis ſententia, regem excuſat; ſibi falſo nunciata profitetur; a ſe immerito regem per epiſtolam increpitum. Ne quid autem ad gratiam, quod abjectiſſimæ levitatis eſt, loquutus cenſeatur Hincmarus; judicii & diſcordiæ cauſam ab iis quæ circumſtant, quæque conſequuntur, diſtinguamus neceſſe eſt. In prima enim fefellit Laudunenſis, & avunculus præpropera credulitate adverſus regem concitatus eſt; in poſterioribus ſtetit veritas, & ipſa regi indecora. Prima quidem origo, fuerunt beneficia tantopere controverſa, Normanno comiti, & quibuſdam aliis erepta ab epiſcopo, juſſa a rege reſtitui. Hæc ajebat epiſcopus pertinere ad eccleſiam, hominibus laicis concedi non debere: vim regiam, eccleſiæ injuriam, canonum contemptum clare oſtentabat; & avunculo perſuaſit, præfervido rerum ... eccleſiaſticarum defenſori. Qui tamen re maturius expenſa, audito jure poſſidentium, & vera judicii cauſa, cenſuit impoſuiſſe regi ſibique epiſcopum, villam Pauliacum optimo jure ad Normannum pertinuiſſe: quippe ab epiſcopo ipſo regi donatam, ut eidem Normanno in beneficium daretur. Nec ideo proſcripta ejus bona, quod ſæculare judicium adire noluerit; ſed quod injuſte ablata reddere recuſarit. De hoc igitur articulo verba Rhemenſis intelligenda ſunt, *quia non ita ſe res habebat.* Cetera vera, ſæculare judicium, excuſatio epiſcopi, proſcriptio regia, in quibus reipſa vim paſſus epiſcopus. Qui & ipſe regem in eo graviter offendit, quod quo tempore querelam apud avunculum deponeret, Celſanum hominem ſuum, Romam, inconſulto rege & avunculo, miſit, regem apud papam accuſatum de rerum eccleſiaſticarum pervaſione. Hæc autem initia ſunt dolorum, & ejus quadriennii, quod pontifici renarrat archiepiſcopus: hic fons conciliorum trium, in quorum poſtremo jamdudum verſamur. Ante ergo quam ejus finem ſalutemus, ſpecta lector Carolum regem inter Hincmaros duos poſitum, quorum junior æquum poſtulat, eccleſiæ bona ad laicos non transferri: ſacros homines ad ſæcularia judicia non compelli: res Deo dicatas non proſcribi. Senior jus idem coram rege, contra regem fortiter tuetur; & a rege irato omnibus orationis & auctoritatis viribus extorquet, ut titulos refigat, judicium reſcindat, bona reſtituat. Id facit iſte ſalva & incolumi regis gratia: in ſummam ejus offenſionem incurrit. Quæro ex te, uter prudentius rem gerat? uter proſit eccleſiæ? Quid regis indignationem pariat, res quæ agitur, an modus agendi? utrius, ſi detur optio, te ſimilem eſſe malis? Sunt tamen qui temerarium juvenem æqualibus epiſcopis omnibus præferant; qui ſenem archiepiſcopum aulicæ aſſentationis accuſent.

In ... Hincmar. ...

Hincmari ...

61. *Cui multa & multipliciter ut ſe corrigeret, ſcripſi.* ] Cogita dilectionem avunculi, ſolicitudinem metropolitani, multiloquium Hincmari, pervicaciam nepotis, reſponſionem ſcioli, perſeverantiam ſenioris, utriuſque ingenium, crebras occaſiones. Vide quid portent opera jam edita, quæ Flodoardus appellet de nomine, nondum educta e muſæis. Audi nihil non promittentem verbis iſtis. *Væ mihi eſt, ſi non docendo, cuſtodiendo, ſuadendo, increpando mulcendo, terrendo, aliquando leniter, aliquando vero ſeverius agendo, pro viribus, & capite meo evangelizavero tibi cum aliis.... Sanguis ergo morientis de manibus ſpeculatoris requiritur, quia peccatum ſubditi, culpæ præpoſiti, ſi tacuerit, reputatur. Et quia frequenter, juxta præceptionem domini, verbis & litteris, ſecreto per me, & cum aliis, te corripui, ſed correptionem meam ut exoptaveram prodeſſe tibi non vidi, de quibus reprehendi te audio, tacere tibi non audeo.... Mihi ergo fili, & contemptor, & tibi parcet, ſi a contumacia cordis, & ab inconditis moribus, atque inconvenientibus actibus reſipueris. Tibi & mihi parcam, quando ea quæ de te diſplicenda audiero, aut corrigenda in te videro, vel cognovero, non tacebo.* Et ſimilia pleraque ſi attendis, immenſam hac in materia ſcriptorum molem facile reputabis.

Multa ſcripſit ... Flodoard. l. 3. c. 22. Hincmar. 51. Cap. 43. p. 554.

62. *Contra quæ etiam ſcripta ipſe multa multipliciter.* ] Extant eorum pauca quædam inter avunculi epiſtolas ſæpe a nobis citata. De quorum uno bene longo, quod libro quinquaginta quinque capitum oppoſuit, ita queritur. *Et jam tandem putavi te pigere talia exequi; cum ecce nunc Idibus Novembris quartæ indictionis prolixiſſimam rotulam mendaciis & irrationabilitatibus, ac improperiis, contra veritatem & auctoritatem, repletam mihi miſiſti. Et miror cur ſic exfrons factus, ut de Judæa dominus queritur, neſcis erubeſcere, & tibi non eſt nauſea talia & tanta ſcribere, niſi quoniam utilibus non es intentus, neque in neceſſariis occupatus.* Pergit eum officii ſui admonere, ſua in eum beneficia commemorare, male ab eo geſta replicare.

Multa ... Laudunenſis. Hincmar. epiſt. 55. p. 597.

Atque hæc eſt, meo judicio, poſtrema hujus contentionis epiſtola; idque ſignificare videtur Flodoardus. *Scribit ad eum præterea multa. Noviſſime voluminis ſeriem, rememorans in eo,* &c. Quam proinde alibi promiſiſſe cenſendus eſt his verbis. *Cum autem mihi vacaverit, ſuccinctius de aliis perverſis, & incompoſitis ſcriptis tuis, in quibus quædam mendaciter, quædam reprehenſibiliter me reprehendendo, quædam ficte humiliter, & vere ſuperbe ſcripſiſti, reſcribam: & in illo ſcripto, quia lego dixiſſe dominum, jam non iraſcar tibi amplius, quantum adhuc mihi paret, de hujuſmodi altercationibus tibi ſcribendi finem imponam.* Utrum ad hæc reſponderit Laudunenſis, obſcurum eſt. Unum conſtat, fregiſſe conſtantiam avunculi *indomabili contumacia*, ut ipſe loquitur; viciſſe amantiſſimi nutritoris caritatem, ingratiſſima perfidia, quæ cladibus omnibus triſtior eſt victoria. Quare omnem hoc loco ejus curam abjicit metropolitanus, ut exclamet deſperans: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata.*

Rhemenſis altercationi ... Flodoard. l. 3. c. 22. Hincm. epiſt. 56.

L. 55. Cap. c. 7.

63. *Ceterum paternitatis veſtræ auctoritas.* ] Sequitur pars epiſtolæ tertia, qua Triſingi cujuſdam ebrioſi presbyteri factum pontifici exponitur. Erat videlicet illud de majoribus cauſis, quas ad ſedem apoſtolicam referri oportet? Inter orbis Chriſtiani curas, & apoſtolica negotia trans Alpes currere debuit presbyter ruſticanus, ut exhalata crapula ſciſſos compotori digitos apud patrem patrum, & epiſcoporum epiſcopum numeraret? Quid ſi hoc egit exemplo Hincmari Laudunenſis Triſingus, quemadmodum exemplo Rothadi metropolitanum tribunal deſpexit Hincmarus? Non poſſum autem mirari ſatis & laudare archiepiſcopi obedientiam, qui de Triſingi cauſa, leviſſima juſſus ſcribere, in eo argumento, tamquam in hæreſi Gotteſchalci, & in Græcorum ſchiſmate, ſerio diligenterque verſatur; uſque ad patrum & conciliorum auctoritates producendas. Adeo nihil in eccleſiaſtica diſciplina tenue putat, & negligendum.

Scribit Hincmarus de Triſingo presbytero.

64. *Contra noſtrum epiſcopale interdictum.* ] Cum omnibus ſynodalibus conventibus id a ſe vetitum profiteatur Hincmarus, nuſquam tamen expreſſius ſcriptum reliquit, quam in capitulis quæ voluit a decanis inquiri per eccleſias. *Inquirendum ſi de tabernis & de comeſſationibus, & de familiaritate indebita mulierum ſe cuſtodiant presbyteri, ſicut ſæpiſſime interdiximus, & interdicimus. Quia ad contumeliam noſtram laici me petunt, ut ſi evidenter cum teſtibus, quo negari non poſſit, a quoquam presbyterum in tabernis invenerint, caballum & cappam inde eis habere liceat. Quapropter ſi abhinc presbyteri ſe de talibus non caverint, quia divinum non timent judicium, temporalem illis inveniemus contumeliam, & ſæculare illorum incorrigibilitati adinveniemus detrimentum.* Quod ab Iſaac Lingonenſi jam ſatis indicatum videtur. *Itaque quemcumque ebrium fuiſſe conſtiterit, ut ordo patitur, 40. dierum ſpatio a communione ſtatuimus ſubmovendum, aut corporali ſubdendum eſſe ſupplicio.* Sunt penes nos capitula MSS. horum temporum Vvalterii epiſcopi in ſynodo diœceſana lata, quorum decimum ſextum eſt, *ut presbyteri, vel reliqui ordinis clerici, in tabernis non bibant, nec ſcurrilitatibus cachinnum moventibus conſueſcant.* Quapropter Hincmarus noſter presbyteros ad Kalendas ſimul convenientes, jubet *peractis omnibus, qui voluerint panem cum caritate, & gratiarum actione in domo confratris ſui, ſimul cum fratribus ſuis frangere, & ſingulos biberes accipere: maxime autem ultra tertiam vicem poculum ibi non contingere.* Additque inferius: *Paſtos autem & comeſſationes, quas divina auctoritas vetat, ubi & gravedines; & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ, & rixæ, ſæpe etiam, ſicut experti ſumus, uſque ad homicidia & odia, & diſſenſiones accidere ſolent, adeo penitus interdicimus, ut qui de cetero hoc agere præſumpſerit, ſi presbyter fuerit, vel quilibet clericus, gradu privetur; ſi laicus, vel femina, uſque ad ſatisfactionem ſeparetur.* In capitulari quoque Caroli M. univerſe vetatur ebrietas. *Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum eum eſſe decrevimus, uſque ad emendationem congruam.* Quod decretum ab Iſaac Lingonenſi renovatur in canonibus. Herardus item Turonenſis denunciat *ne presbyteri indiſcrete domos circumeant, & comeſſationibus & ebrietatibus non inſerviant, ne famam malæ opinionis incurrant.* Citat & Hincmarus canones Africanæ eccleſiæ, tabernas clericis prohibentes. Sic illud diu prohibitum, modo etiam ſtudioſe prohibetur ab antiſtitibus; eſtque ex illis vitiis, quæ vetantur ſemper, caventur nunquam.

Hincm. cap. tit. 2. n. 20.

Can. Iſaac n. 25.

Vvalter. Capit. n. 16.

Hincm. cap. tit. 1. n. 15.

Ibid. n. 16.

Capit. Car. M. l. 5. c. 96.

Can. Iſaac n. 6. Herard. capit. n. 43. Cod. Afric. can. 40.

# *** OPUSCULA HINCMARI UTRIUSQUE

## PORRECTA CAROLO REGI APUD PISTAS.

Anno dominicæ incarnationis DCCCLXVIII. indict. I. menſe Auguſto.

*Primum in lucem edita ex Cod. Rivipollenſi opera ac ſtudio R. P. Ludovici Cellotii Pariſini, e ſocietate JESU.*

ALterum tibi, lector erudite, hic offero & ejuſdem ætatis, & Hincmariani zeli monumentum, eo glorioſius, quod in illo pro vindicandis eccleſiæ rebus & juribus certatur: eo jucundius, quod pro nepote adverſus vim externam pugnat avunculus: eo felicius, quod pace reddita beato vivere licuit victori, ſi quieto eſſe placuiſſet. Novam litis veteris memoriam refricant acta ejus integra, quæ debemus ego, tuque, humanitati illuſtriſſimi & reverendiſſimi D. Petri de Marca archiepiſcopi Toloſani, cujus virtute ſæculum noſtrum fruitur, doctrinam ſequentia prædicabunt. Is ut editionem noſtram concilii a ſe perlectam calculo ſuo probare monſtraret, apographum ex MS. codice Rivipollenſis apud Gothalanos cœnobii nobis liberaliter conceſſit, quo hæc opuſcula cum paucis aliis continentur. Non potuit non gratiſſimum eſſe novum illius operis πάρεργον, cui pretium a novitate conciliari cupimus, & illuſtrius aliquid ad Hincmari Rhemenſis gloriam, ſuperiore adverſus nepotem actione non parum apud ignaros rerum obſcuratam. Scio equidem & novitati detractum gratiæ nonnihil, & negotii tanto nobilis cognitioni additum aliquid epiſtola Hincmariana, quam cum operibus aliis in publicum emiſit Sirmondus numero vigeſimam nonam, quæ incipit *licet antea quam nunc proxime*, ſed adeo mutilam, ex codice Sueſſionenſi dedit, adeoque ſuo ipſius judicio perturbatam, ut ſub vero quaternionum nomine, alio ſchemate a nobis oblata, merito nova videri poſſit. Neque eidem novitati apud te officiet intempeſtiva litis anterioris, ad poſterius concilium adjectio, ſi quidem ante iſtud pro nepote ſuſceptum patrocinium eſt, quam actio illa contra nepotem in concilio. Eſt enim prompta ignorantiæ excuſatio, cum hæc opuſcula meas in manus poſt perfectam ſolum concilii & notarum editionem advenerint. Quæ res fecit, ut toto libro antea oculos ad iſta non reflexerimus, neque ullam uſquam, cum frequens opportunitas occurrerit, induxerimus mentionem. Veritas ſcilicet e latebris ſuis ſimul & ſemel tota non emergit: & poſt infinitam hujus ſæculi eruditorum curioſitatem, cui felicitas obſtetricata eſt, multa præterea ſupererunt antiquitatis monumenta, quæ nepotibus noſtris bibliothecæ reſervant.

Quæ ſit hæc appendix, & unde.

Tom. 2. operum Hincm. ep. 29.

De conſilio publicandæ hujus actionis ſi quæritur, nonne tuæ eruditioni fecero ſatis, ſi dixero, nova eſſe veterum ſcripta quæ tanto ſtudio indagentur a doctis: glorioſum eſſe Rhemenſis Hincmari facinus, qui cum apud Baronium ob quaſdam Romanorum pontificum epiſtolas, & nuper apud novatores noſtros, ob Prædeſtinatianum monachum exceſum & domitum offenderit, clara cum laude notitia, meritis comparata apud pleroſque indiget, ut debitum inter eximios eccleſiæ Gallicanæ antiſtites gloriæ locum poſtliminio recuperet? Quanti autem æſtimas eccleſiaſticam hiſtoriam ex ipſis fontibus haurire, & ſitientibus ſtudioſorum animis propinare? Verſor adhuc in tenebris, ſi quæ ad Hincmarum Rhemenſem archiepiſcopum pertinent diligenter expoſita, aut nullam aut exiguam ſæculi noni hiſtoriæ lucem & dignitatem adferunt.

Cur hæc opuſcula edantur in lucem.

Nolim autem exiſtimes contentionem hanc cum rege, alienam penitus eſſe a lite ſynodali cum Hincmaro Laudunenſi, ut mirum tibi ſit utramque ſimul a nobis produci. Quin potius ſive tempus, ſive materiam ſpectes, controverſiam iſtam, judicii Duziacenſis ſemen & originem non immerito, maxima ſaltem ex parte, vocaveris. Illud ex ſubjecta materia demonſtro; & eadem opera, quo iſtorum opuſculorum quodque ſcriptum tempore ſit, quo porrectum ordine aperio. Narrant annales Bertiniani, Carolum Calvum regem anno ejus ſæculi

Hæc cauſa quodammodo ad concilium Duziac. refertur.

Annal. Bertin. ad an. 867.

ANNO CHRISTI 868.

*tuli 67. ad villam quæ Bellus Pauliacus dicitur perrexiſſe:* tanquam ſcilicet comitis Normanni beneficium. Id cum ægre ferret Laudunenſis epiſcopus, & injuriam ſuam interpretaretur, vehementer, ut erat animo præcipiti, de recuperanda villa cogitavit, contra nitente comite, & regis præſidium implorante. Rex iracundia percitus in eam vim anno ſequente prorupit, quæ hanc litem facit. Eam habes ex eodem annaliſta Bertiniano a nobis producto, tum in vita junioris Hincmari, tum in notis ad concilium: ut omittam non taceri ab Hincmaro ſeniore in ipſo quaternionum limine, ut nihil neceſſe ſit hoc loco repetere. Confugit videlicet & ipſe ſtatim ad avunculum, & patronum hactenus perpetuum junior epiſcopus, ejuſque animum quibus voluit querelis occupavit. Hic ſenior Hincmarus vir promptus ac vehemens, & jurium eccleſiaſticorum intrepidus aſſertor, primo impetu, calente adhuc injuria, nepote comite Piſtas accurrit, ubi tum rex annua dona accipiebat a ſubditis: ſimul & epiſcopos regem ſequutos eo de negotio conſulturus, & illud præſens apud regem proſequuturus. Ibi magno animo, tumultuario ſatis opere, quaterniones prolixos admodum effudit, quos rex ſibi oblatos non ſatis adhuc ab iracundia quietus, legere tum neglexit. Statim poſtea rotulam ex illo multiloquio excerpſit, quæ brevitate ſua regem ad legendum magis alliceret. Nepos interim ex avunculi conſilio ſcedulam epiſcopis porrexit, addita ſacramenti formula, qua regi ſatisfacere parabat. Accedunt igitur ad Carolum regem aulicis aſſentationibus adhuc commotum Hincmarus archiepiſcopus cum rotula ſua, Odo Belvacenſis cum ſcedula & ſatisfactione Hincmari junioris epiſcopi, ceterorum antiſtitum nomine, cauſam unius acturi. Reſpondet iracunde princeps, velle ſe talibus in negotiis epiſcopos in palatio ſæculare non eccleſiaſticum ſubire judicium. Sic actum apud reges Francos præceſſores ſuos. Archiepiſcopus autem pro eccleſia dicere ſemper paratus, ſimul rotulam regi porrigit, ſimul extemporali admonitione ab ejus animo hanc opinionem conatur evellere. Quibus omnibus, præter bonorum aliquot reſtitutionem, impetravit a rege, ut ejus cauſa non jam apud ſæculares, ſed apud legitimos judices diſceptaretur. Quo facto poſtremam ſcribit epiſtolam, ut lis ea pro eccleſia ſine regiæ poteſtatis detrimento finiatur.

*Supra in vita Hincm. L. 4. & in notis.*

*Ordo & ratio opuſculorum.*

Hic terminatur actio quam reponimus, ſed ejus effecta longius quam decuit producta, in tragicum judicii Duziacenſis finem deſierunt. Nam villam Pauliacum recepit Laudunenſis, cum regia gratia per avunculum procurata. Sed integre reſtitutam ſibi negavit & multa tanquam ad eam pertinentia per vim ſibi arrogavit, contra ſemper agente Normanno, & ſua vindicante; quæ rex & ſenior Hincmarus ceterique antiſtites judicabant ab epiſcopo *contra rationem & juſtitiam, illegaliter ac irregulariter uſurpari*; de quibus per epiſtolam cum avunculo diſceptat nepos. Interim Romam mittit, qui de rege, ut iniquo rerum eccleſiaſticarum pervaſore apud pontificem queratur. Unde graves adverſus illum pontificis literas expreſſit, & excuſſa majeſtatis reverentia, prout ſe dederunt occaſiones *amplius quam epiſcopalis gravitas poſtulat, eumdem regem contra ſe excitavit*, ut loquuntur annales ſæpe citati. Quæ cum intoleranda Carolo viderentur, hominis ſpiritus frangere conſtituit, & cum in judicium, non jam ſæculare, ut antiſtitum monitis cedere ſe monſtrarat, ſed eccleſiaſticum vocare, anno dominicæ incarnationis 899. *Synodum omnium epiſcoporum regni ſui* VIII. *Kal. Maii ſecundæ indictionis apud Vermeriam condixit, quo eumdem Hincmarum epiſcopum vocari præcepit*. Cui poſtea ſucceſſit Attiniacenſis; quibus in duabus comes Normannus, & villa Pauliacus utramque paginam fecerunt; ac demum Duziacenſis noſtra reo funeſtiſſima.

*Quo fine actio terminata ſit.*

*Hincm. Laudun. ep. Dehi p. 611.*

*Annal. Bertin. ad an. 868.*

*Ibid an. 869.*

Ceterum hac in diſceptatione quid primum mirabetis, lector, quid poſtremum? Aulicæ cupiditatis violentum ardorem eccleſiæ bonis inhiantem? indefeſſum epiſcoporum in iis tuendis & repetendis ardorem & ſtudium? regum Chriſtianiſſimorum in ferendis & renovandis pro ea immunitate legibus conſtantiam? Caroli noſtri has inter leges, & repetita toties, tam ſolenniter ſacramenta, lapſus, offenſiones, viciſſitudines? Hincmari Rhemenſis, antiſtitum ſpectatiſſimi pro conſervandis eccleſiæ juribus zelum pie importunum, & ſanctam confidentiam, cum nobili rerum humanarum inter aulæ grandia contemptione conjunctam? Non feres patienter ingratum & levem Hincmari junioris animum, qui felicitati ſuæ invidens, regis gratiæ, & avunculi patrocinio, quibus cum dignitate frui poterat, turbulentiſſimas inimicitias cum utroque prætulit: Dolebis denique mecum, ut opinor, & hujus contentionis, & ſynodi Duziacenſis hiſtoriam, ne de nomine quidem a Cæſare Baronio appellatam fuiſſe. Utraque enim cognita & accurate perlecta, haud paulo æquius, ſine dubio, de virtute, & catholico Hincmari ſenioris animo tuliſſet judicium.

*Quid hac in hiſtoria maxime attendendum ſit.*

OPUSC. I.

## BREVE ARGUMENTUM OPUSCULORUM SEQUENTIUM

### ex annalibus Bertinianis ad an. 868.

*Hincmarus autem Rhemorum archiepiſcopus Hincmarum epiſcopum Laudunenſem ſecum ducens, apud Piſtas, cum aliis epiſcopis ſcriptis & verbis regem adiit, oſtendens quantum præjudicium & epiſcopalis auctoritas, & univerſalis eccleſia in tali facto patiebatur. Et obtinuit ut reveſtito epiſcopo quibus fuerat ſpoliatus* (magna ſaltem ex parte ex epiſcoporum præſentium conſilio, ut alibi teſtatur Rhemenſis) *ſicut ſacræ leges præcipiunt in provincia, ubi hæc cauſa judicanda erat electorum judicum judicio, &, ſi neceſſe foret, poſt hos ſynodali terminarentur examine.* Quod factum præcipue apud Attiniacum ſecunda ſynodo in cauſa Laudunenſis habita, in qua & Normannus, & alii complures ſibi ab Hincmaro erepta repetierunt.

*Hincm. in cap. LV. cap.*

Poſt hunc autem apud Piſtas congreſſum quid ſequutum ſit, narrant eodem anno iidem annales: *Carolus rex Kalendas Decembris Cariſiacum veniens quoſdam primores tam de epiſcopis, quam ex aliis regni ſui obviam ſibi acceſſivit: & commotus contra Hincmarum Laudunenſem epiſcopum, quia Romam ſine illius conſcientia miſerat, & epiſtolas pro quibus non convenerat, obtinuerat. Eidem vero epiſcopo contumaciter ſibi reſiſtenti valde infenſus erat. Unde iſdem epiſcopus ſine illius licentia, cum ſæpe ab eo vocatus fuerat, & ad illum venire diſſuliſſet, ad ſedem ſuam perrexit, & amplius quam epiſcopalis gravitas poſtulat, eumdem regem contra ſe excitavit.*

### Item ex Hincmaro Rhemenſi lib. LV. Cap. c. IX.

*Quando te ad me reclamaſti, quædam a domino rege, ſed & ab aliis quibuſque tibi inlata, quid de eiſdem tibi inlatis, & eccleſiaſticæ regulæ, & jura publica dicant, ſufficienter in ſcripto domno regi a me una cum venerabilibus coepiſcopis noſtris, apud Piſtas porrecto legiſti: unde obtinuimus quod nobis viſum fuit tunc ſuffeciſſe. Nam & quando eadem principalis poteſtas, nec non & omnis præfectura regni ſui inſolentia tua exigente, contra te fuere commotæ in Vermeria palatio, iterum inde ſcriptum quod legiſti, porrexi.*

### Item ex Flodoardo. lib. III. hiſt. Rhem. c. XVIII.

*Item de cauſa Hincmari nepotis ſui montis Laudunì epiſcopi, plures ſcripſit epiſtolas, pro qua multum apud eumdem regem laboravit.*

## I. OPUSCULUM.

# HINCMARI RHEMENSIS EPISCOPI I QUATERNIONES AD CAROLUM REGEM

Pro eccleſiaſtica libertate tuenda in cauſa Laudunenſis epiſcopi.

*Domino* KAROLO *regi glorioſo*, HINCMARUS *nomine non merito Rhemorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus.*

Licet antea quam nunc proxime Rhemis venerim, unde mox literas dominationi ve-



ANNO CHRISTI 868.

ſtræ direxi, quædam ex his de quibus ſcripturus ſum, auditu compererim: plenius tamen non incerta relatione eorum poſtea hiſtoriam didici. [1] Et ut in Ariulfi & Amalberti cauſa, quæ initio rationabili, ſcilicet ſacris legibus non contrario, & aliquanto progreſſu, quia cum audientia epiſcopali, & non in loco publico, ſed in privato & familiari examine cœpta eſt diſcuti, ſi eodem fine terminata fuiſſet, ſermonem non occupem inde. Dicam unde plus doleo.

Audivi namque quia reſidentibus vobis cum fidelibus veſtris, coram fratre & coepiſcopo noſtro Hincmaro, filius Liudonis [2] ad veſtram dominationem ſe reclamavit, quia hiſdem frater noſter ab eo exenium acceperit, & patris ſui beneficium ei donaverit, & deinde ab eo irrationabiliter tulerit; & ex hac ratione, forte minus neceſſaria gravitatis cautela, quæ in epiſcopo non modicum eſt ornamentum, adeo animus veſtræ ſerenitatis fuerit motus, ut eumdem epiſcopum coram omnibus, & voce publica, quamplurimis contumeliis affeceritis, quæ ſacerdotali ordini a nullo homine, minime autem a rege, in quem ſicut & in epiſcopum, omnium oculi ſunt intendentes, imperi competit, miſſa ante oculos & ſervata reverentia Dei, qui dicit, quod ſanctus Paulus de ſacerdote eſt interpretatus; *Principem populi tui non maledices*; &, *Diis non detrahes*; id eſt, ſacerdotibus. Detrahit enim & ille ſacerdotibus, qui contumelias irrogat. De quibus item dominus dicit: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari*. Et, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Et, *Qui vos audit, me audit*; Et, *Qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit*. Et, *Honorificantes me honorabo; & qui contemnunt me, erunt ignobiles*.

*Narratio cauſæ qua de agitur.*

*Act. 23.*

*Exod. 22.*

*Pſalm. 104.*

*Zachar. 2.*

*Luc. 10.*

*1 Reg. 2.*

Deinde juſſiſtis præfatum epiſcopum, ut die & loco denominato veniret ad cauſas veſtras, id eſt, ad ſæcularia judicia, & ſuum advocatum de ſuo capite, videlicet de ſuo quod ipſe egit actu, id eſt, non conſcio quocumque coepiſcopo ſuo, donaret. Qui mittens ad dominationem veſtram, excuſationem impoſſibilitatis ſuæ illuc veniendi mandavit, [4] requiſita eſt quam patriotica lingua nominamus exonia, quia venire nequiverit: quod hactenus eſt inauditum.

Et requiſito & non invento advocato illius, qui de ejus capite ex prædicta cauſa redderet rationem, excepta eccleſia & epiſcopii domo, ac clericorum clauſtro, quidquid de rebus & facultatibus eccleſiaſticis ſibi in epiſcopali ordinatione munere Spiritus ſancti ad gubernandum & diſpenſandum commiſſis acceperat, juſſione veſtra, per vicecomitem ipſius pagi, in bannum, quod jus lingua Latina proſcriptio * confiſcando vocatur, eſt miſſum.

** al. confiſcandi.*

Et poſtea, ſicut audivi, per cancellarium palatii veſtri, mandaſtis vicedomino, & præpoſito ipſius eccleſiæ, cum non modica interminatione, ut providerent quatenus nullum obſequium ab eccleſiæ ipſius hominibus, nullumque ſubſidium de facultatibus eccleſiaſticis per clericum vel laicum ipſe epiſcopus poſſet habere: & vicedominus laicos cum carris & operariis, & præpoſitus clericos habentes beneficia huc ſecum adduceret. Et impletum eſt quod olim prædictum eſt: *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos*, nulla diſcretionis lege diſtans a vulgo. Et illud nihilominus quod more ſcripturæ ponens præteritum pro futuro, prædixit beatus Joannes apoſtolus, cui cum aliis apoſtolis dictum eſt: *Beati oculi qui vident quæ videtis*: infelicibus oculis noſtris videmus. *Et ſol*, inquit, *factus eſt niger, tanquam ſaccus cilicinus*. In extremo quippe hoc tempore, ſol quaſi cilicinus ſaccus oſtenditur, quia fulgens vita prædicantium, nos præcedentium epiſcoporum, in nobis miſeris ante ſæcularium oculos aſpera & deſpecta monſtratur.

*Rem exaggerat. I ex contemptu ſacri ordinis.*

*Iſai. 24.*

*Luc. 10.*

OPUSCULUM I.

*Apocal. 6.*

Et licet credendum ſit de veſtræ Chriſtianitatis religione, quoniam ad ipſius correctionem epiſcopi hoc egeritis: tamen miranda eſt veſtra ſapientia, quæ ſic medicamentum illius vulneri temperavit, ut de medicamento ipſa vulneraretur: cum dominus menſuram in proximi dilectione talem ponat, ut proximum ſicut nos ipſos, & non plus nos ipſos diligamus. Fama enim, quin potius infamia hæc, Burgundiam, & Provinciam, atque Italiam penetrans, Romam perveniet: & per regnum nepotis veſtri, non ſolum uſque ad citeriorem, verum & uſque Germaniam ulteriorem perveniet, Aquitaniam, & Septimaniam per Niuſtriam volitans, occupabit. Et quis oculum ſimplicem, id eſt, rectam intentionem, quam in vobis neſcit, putabit: ubi factum domino contrarium & inimicum ſacris canonibus, ſicut beatus Leo ſcribit, ſpiritu Dei conditis & totius mundi reverentia conſecratis; quorum conditores in cælo cum domino regnantes, & in terris miraculis coruſcantes adhuc nobiſcum in his conſtitutionibus vivunt: ſed & legibus, quibus una cum eiſdem ſacris canonibus moderatur eccleſia, conſtat eſſe adverſum? Quid enim dicent de vobis qui audierunt quod deteſtabamini, & eos reprehendebatis qui Dei eccleſias non venerabantur, & ſacerdotibus honorem debitum non exhibebant, & præcipue Romano pontifici, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ omnium eccleſiarum matri, cum audient quod illius filiam, ac per hoc illam ipſam, quinimmo univerſalem eccleſiam præjudicio potius, quam judicio laicorum proſcripſiſtis: quod nec in legibus, nec in libris eccleſiaſticis quemquam Chriſtianorum principum feciſſe legimus.

*2. ex regio ipſius infamia.*

*S. Leo epiſt. 88. ad Anaſt. c. 1.*

Et talium etiam, ut fertur, quarumdam perſonarum præjudicio iſtud commiſſum admiſſum eſt, quæ & in legibus, & in ſacris canonibus infames perſonæ notantur. Et ſi vigor eccleſiaſticus ſic vigeret, ſicut tempore anteceſſorum veſtrorum, & noſtrorum prædeceſſorum viguit, inter criminoſos, quia videlicet, ut a multis dicitur, criminoſi, a liminibus eccleſiæ forent extorres. Nunc autem noſtra diſſolutione, ut quidam dicunt, in eccleſiam ipſi inſiliunt, qui ab eccleſia ſeparari debuerant. Et hoc noſtris peccatis, *in quos fines ſæculorum devenerunt*, merito reputamus, qui ad noſtram contumeliam, non ad eccleſiæ gloriam ſacerdotes dicimur, qui a talibus conculcamur: & ipſi de ſacerdotum capitibus judicant, quorum judicium vel compellationem, liberi & ſani capitis laici, in judicio publico legaliter non reciperent, ſi rejicere vellent. In quo facto, ut ſanctus Cæleſtinus ſcribit, *non eſt agentium cauſa ſolorum, univerſalis eccleſia quacumque novitate pulſatur*.

*3. ab indignitate judicum.*

*1. Cor. 10.*

*Cæleſtin. P. epiſt. 1.*

*4. a facti novitate.*

[5] Novum eſt enim quod nunc factum eſt, quia non eſt de ſub iſto cælo auditum, ut epiſcopus cum eccleſia ſua proſcriptionis titulo ab ullo religioſo principe, laicorum judicio, uſque modo fuerit confiſcatus, [6] poſtquam Conſtantinus magnus imperator legem univerſis clericis dedit, dicens: *Conſtantinus clericis ſalutem dicit. Juxta ſanctionem quam dudum meruiſſe perhibemini, fundos & mancipia veſtra nullus novis conlationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis*. Cum enim dicit, nullus eſt, nemo exci-

*5. a contrariis impp. legibus. Cod. Theodoſ. lib. 16. tit. 2.*

ANNO CHRISTI 868.

exeipitur : verum in hac comprehenſione etiam principalis poteſtas concluditur.

Conſtantius quoque, licet Arianus fuerit, & Conſtans, hanc immunitatem dederunt eccleſiæ dicentes : *In qualibet civitate, in quolibet oppido, vico, caſtello, municipio, quicumque votum Chriſtianæ legis meritum eximiæ ſingularisque virtutis omnibus intimaverit, ſecuritate perpetua potiatur. Gaudere enim & gloriari ex fide ſemper volumus : Scientes, magis religionibus, quam officiis & labore corporis vel ſudore noſtram rempublicam contineri.*

Ibid. lege 16.

Valentinianus quoque & Valens decreverunt dicentes : *Univerſos quos conſtiterit cuſtodes eccleſiarum eſſe, vel ſanctorum locorum, ac religioſis obſequiis deſervire : nullius adtemptationis moleſtiam ſuſtinere decernimus.*

Ibid. l. 26.

Arcadius nihilominus & Honorius ; *Quæcumque*, inquiunt, *a parentibus noſtris diverſis ſunt ſtatuta temporibus, manere inviolata atque incorrupta circa ſanctas eccleſias præcipimus. Nihil igitur a privilegiis immutetur, omnibusque qui eccleſiis ſerviunt, tuitio deferatur. Quia temporibus noſtris addi potius reverentiæ cupimus, quam ex his quæ olim præſtita ſunt immutari.* Et item iidem : *Non tam novum aliquid præſenti ſanctione præcipimus, quam illa quæ olim videntur indulta firmamus. Privilegia igitur, quæ olim reverentia religionis obtinuit, mutilari ſub pœnæ etiam interminatione prohibemus : ita ut hi quoque qui eccleſiæ obtemperant, ipſius beneficiis perfruantur.* Et item iidem Auguſti : *Si quis in hoc genus ſacrilegii proruperit, ut in eccleſias catholicas irruens, ſacerdotibus & miniſtris, vel ipſo cultui locoque aliquid importet injuriæ : quod geritur, literis ordinum, magiſtratuum, & curatorum, & notariis apparitorum, quos ſtationarios appellant, deferatur in notitiam poteſtatum : ita ut vocabula eorum, qui agnoſci potuerint, declarentur. Et ſi per multitudinem commiſſum dicitur, ſi non omnes, poſſunt tamen aliquanti cognoſci, quorum confeſſione ſociorum nomina publicentur. Atque ita provinciæ moderator, ſacerdotum & catholicæ eccleſiæ miniſtrorum, loci quoque ipſius & divini cultus injuriam, capitali in convictos ſive confeſſos reos ſententia noverit vindicandum : nec expectet ut epiſcopus injuriæ propriæ ultionem depoſcat, cui ſanctitas ignoſcendi ſolam gloriam dereliquit. Sitque cunctis non ſolum liberum, ſed & laudabile, factas atroces ſacerdotibus aut miniſtris injurias, veluti crimen publicum perſequi, ac de talibus reis ultionem mereri. Quod ſi multitudo violenta civilis apparitionis executione, & adminiculo ordinum poſſeſſorumve non potuerit præſentari, quod ſe armis aut locorum difficultate tueatur : judices, * armatæ apparitionis præſidium, datis ad virum ſpectabilem comitem Africæ literis, prelato legis iſtius tenore, depoſcant : ut rei talium criminum non evadant.* Item iidem Auguſti : *Si eccleſiæ venerabilis privilegia cujuſquam fuerint vel temeritate violata, vel diſſimulatione neglecta : commiſſum quinque librarum auri, ſicut etiam prius conſtitutum eſt, condemnatione plectatur.*

Ibid. l. 29.
Ibid. l. 30.
Ibid. l. 31.
Ibid. l. 33.
* al. judices Africani.

Multa etiam hic poni poterant, quæ ab omnibus ſalubriter regnantibus, & juſte judicantibus longo tempore conſervata ſunt : ſed ſcio ſapientiam veſtram ex his quæ de XVI. libro Theodoſianæ legis ſunt poſita, debere comprehendere plura.

6. a legibus regum & Impp. Francorum.

Et horum imperatorum imitantes religionem antiqui etiam & moderni reges Francorum, immunitates eccleſiis & ſervis Dei facere conſueverunt, quas qui non ſervant, de illorum eleemoſyna peccata ſua accumulant. Itaque cum de aliis memorabilibus imperatoribus ac regibus loquimur : avi veſtri, magni imperatoris Karoli non eſt prætereunda memoria. 7 Cui cum, ſicut adſolet, adulantium linguis ſubreptum fuerit, ut eccleſiis de rebus ſuis præjudicium quoddam inferret : [8] obſiſtentibus epiſcopis, & ſpecialiter Paulino patriarcha, ſicut vobis bene notum eſſe cognoſco, adeo ſe recognovit, & eccleſiæ ac epiſcopis ſatisfecit, ut præſens oris ſui confeſſio ei non ſuffecerit, ſed ad poſteros ſuos, qui ex illius progenie exorturi erant, confeſſionis & correctionis ſuæ ſcriptum manu ſua firmatum tranſmiſerit. De quo edicto * partem in libro veſtro, qui appellatur liber capitulorum imperialium, ſcriptum habetur, cap. LXXVII. ubi ſcriptum eſt : *Quia juxta ſanctorum patrum traditionem novimus res eccleſiæ vota eſſe fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum : cuique non ſolum habita conſervare, verum etiam multa Deo opitulante conferre optamus. Tamen ut ab eccleſiaſticis de non dividendis rebus illius ſuſpicionem dudum conceptam penitus amoveremus, ſtatuimus, ut neque noſtris, neque filiorum, & Deo diſpenſante, ſucceſſorum noſtrorum temporibus, qui noſtram vel progenitorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus diviſionem aut jacturam patiatur.*

Sicut enim Symmachus papa ad Æonium ſcripſit : *Non licet cuiquam deceſſorum ſuorum ordinationem ſub neceſſitate qualibet tranſgredi : ſed roborando quæ a deceſſoribus ſuis bene geſta ſunt, facere debet rata eſſe quæ geſſerit.* Unde non ſolum ea quæ a deceſſoribus & prædeceſſoribus veſtris bene ſtatuta ſunt ſervando, vos firmitatem eis dare oportet : verum & illa quæ ipſi geſſiſtis, & manu propria ſubſcripſiſtis, & cum maxima obteſtatione vos ſervaturos perpetuo promittentes, in manibus ſacerdotum ad vicem Dei tradidiſtis, ante oculos & mentis & corporis revocare debetis. Et non modica neceſſitas vobis incumbit, ut ſi contra ea in aliquo egiſtis, hoc quantocius emendare, & de cetero ne contra illa faciatis, cavere ſummopere procuretis. Quia enim poſt illam unctionem qua cum ceteris fidelibus meruiſtis hoc conſequi, quod beatus Petrus apoſtolus dicit, *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium*, epiſcopali & ſpirituali unctione ac benedictione regiam dignitatem potius, quam terrena poteſtate conſecuti eſtis : attendere ſubtili intellectu debetis, quoniam * ad diffinitionem ſancti Spiritus, quam ſynodali auctoritate protulit, excepti non eſtis, *Si quis*, inquit, *contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerit, ipſe ſe honore privabit.*

1. Petr. 2.

Quod licet non fiat, ſicut ſæpe ſolet accidere, in oculis hominum : fit tamen ſemper in oculis domini. Sed ſicut ſuperbiendo David, quia *initium omnis peccati ſuperbia*, faciens contra profeſſionem ſuam, quam profeſſus eſt, dicens : *Vivit dominus, quia ludam ante dominum, & ero humilis in oculis meis* : Prophetiæ gratiam & dignitatem regiam, quam peccando perdidit, confeſſus coram Nathan pœnitendo recuperavit. Et ſicut Petrus faciens contra profeſſionem ſuam, quam profeſſus eſt, dicens : *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo* : quia tertio dominum negaverat, tertio confeſſus, ut beatus oſtendit Gregorius, coram omnibus apoſtolis : quia flevit amare, quod negaverat, lacrymis lavit ; & apoſtolatum, quem negando perdiderat, confitendo & flendo recepit : (ita etiam quiſque confitendo, & pœnitendo,

Eccl. 10.
2. Reg. 6.
Matth. c. 26.



ANNO CHRISTI 868.

do, ac corrigendo) quæ perpere contra profeſſionem & ſubſcriptionem fecit, ad honorem redire, & in honore prævalet domino miſerante manere. Alioquin contra claves datas eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt, *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*. Chriſtus Jeſus, ut catholice tenet & docet eccleſia, hanc præpoſitis ejuſdem eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, quæ ſatisfactio pœnitentiæ in ipſa jam cognoſcitur confeſſione peccati, per reconciliationis gratiam reſtitueret. Et hæc reſtitutio reconciliationis quomodo non ſit contraria ſacris regulis, hic ponere non permiſerunt brevitas operis, & anguſtia temporis.

Matth. 18.

Hæc namque cum aliis quæ ibidem continentur, anno incarnationis dominicæ DCCC. XLV. menſe Aprili, anno VI. regni veſtri, in Belgivaco civitate cum maxima conteſtatione cunctis diebus vitæ veſtræ vos ſervaturos promiſiſtis eiſdem epiſcopis, qui præſentes aderant, & cæteris regni veſtri epiſcopis, qui corpore præſentes non aderant, & omnibus eorum ſucceſſoribus, & omnibus epiſcopis in regno veſtro conſiſtentibus, & in manibus eorumdem epiſcoporum ad eorum petitionem dediſtis.

Solennis Caroli regis profeſſio. Capitul. tit. 4.

I. *Ut jus eccleſiaſticum & legem canonicam nobis ita conſervetis, ſicut anteceſſores veſtri, qui hoc bene & rationabiliter obſervaverunt, juxta quod * ſcire poteritis, & dominus vobis poſſe dederit, noſtris prædeceſſoribus conſervaverunt.*

* al. ſciri poterit.

II. *Quod in mea perſona, nec in meo ordine, niſi forte, quod abſit, in antea contra dominum & contra vos manifeſte fecero, ut damnari canonice debeam, adverſum me & meum ordinem ita damnabiliter non faciatis pro quacumque præterita cauſa, ut mihi damnatio, aut dehonoratio veniat.*

III. *Quod res ad eccleſiam mihi commiſſam pertinentes, & tempore principatus veſtri ablatas ita præſentaliter reſtituatis, & reſtitutas conſervetis, ſicut tempore avi & patris veſtri fuerunt : & excepto ſuperpoſito, quod in uſus poſſidentium, vel ex ædificiis abſumptum eſt, quomodo tunc erat, quantum ad hoc quod res uſitato nomine appellamus conſtat, quando vos inde illas tuliſtis.*

IV. *Ut præcepta illicita de rebus eccleſiæ mihi commiſſæ a vobis facta, reſcindantur ; & ut de cetero ne fiant caveatis.*

V. *Ut ab eccleſia mihi commiſſa indebitas conſuetudines, & injuſtas exactiones de cetero non exactetis : ſed ſic eas conſervetis, ſicut tempore avi & patris veſtri conſervatæ fuerunt.*

VI. *Ut contra depredatores & oppreſſores eccleſiarum noſtrarum, & rerum ad eaſdem pertinentium defenſionem ſecundum miniſterium veſtrum, quantum poſſe vobis Deus dederit, exhibeatis.*

VII. *Ut præcepta quæ avus & pater veſter eccleſiis nobis commiſſis fecerunt & firmaverunt, & ſtabilia conſervaverunt, quæ etiam vos conſervaſtis, de cetero rata conſervetis.*

VIII. *Quod ſi vos contra hæc capitula, aut nos, quod abſit, non malitia, nec perverſo ſtudio, ſed aut per humanam fragilitatem, aut per ignorantiam, * vel ſubreptionem, non damnabiliter egerimus, mutuo hoc conſilio corrigamus, & firmata deinceps convenientia maneat.*

* al. vel per

Et hæc ſequentia apud Cariſiacum palatium anno incarnationis dominicæ DCCCLVIII. regni autem veſtri XVIII. XII. Kal. April. vos ſervaturos epiſcopis & ceteris fidelibus veſtris manu propria veſtra firmaſtis. *Quantum ſciero, & rationabiliter potuero domino adjuvante unumquemque veſtrum ſecundum ſuum ordinem & perſonam honorabo & ſalvabo : & honoratum & ſalvatum abſque ullo dolo ac damnatione vel deceptione, conſervabo. Et unicuique competentem legem & juſtitiam conſervabo. Et qui illam neceſſe habuerit, & rationabiliter petierit, rationabilem miſericordiam exhibebo : ſicut fidelis rex ſuos fideles per rectum honorare & ſalvare, & unicuique competentem legem & juſtitiam in unoquoque ordine conſervare & indigentibus, & rationabiliter petentibus rationabilem miſericordiam debet impendere, & pro nullo homine ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per ſtudium aut malivolentiam vel alicujus indebitum hortamentum devlabo, quantum mihi Deus intellectum & poſſibilitatem donaverit. Et ſi per fragilitatem contra hoc mihi ſubreptum fuerit, cum hoc recognovero voluntarie illud emendare curabo.* Sed & alia ex hoc firmaſtis, quæ hic non poſui.

Capit. Caroli Calvi tit. 22.



Et poſt hæc omnia, & alia, quæ ſæpe fidelibus veſtris & etiam in Cariſiaco, quando veniam petentes, ab epiſcopis qui adfuerunt manus impoſitionem accepiſtis, quin & in villa Breona, promiſiſtis : nunc tantam Laudunenſis eccleſia, immo in ea omnis eccleſia jacturam patitur, ut, quod antea inauditum eſt, titulum proſcriptionis ſuſtineat, contra decreta omnium ſanctorum epiſcoporum qui ſedi apoſtolicæ præſederunt ; quorum omnium decreta hic nimis eſt longum inſerere. Unde quædam cauſa compendii ſtudui ponere.

Ait enim ſanctus Urbanus papa & martyr, hinc inter cetera loquens : * *Innitendum eſt omnibus & fideliter cuſtodiendum, & ullius uſurpationis contumelia depellenda, ne prædia uſibus ſecretorum cæleſtium dicata, a quibuſdam irruentibus vexentur. Quod ſi quis fecerit, poſt debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga ſacrilegos jure promenda eſt, perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ damnationis deportetur : quoniam juxta apoſtolum tradere oportet hujuſmodi hominem ſatanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit in die domini.*

S. Urban. papa epiſt. 1. al. Attendendum.
1. Cor. 5.

Sanctus quoque Lucius omnibus epiſcopis in partibus occidentalibus, tam in Galliis, quam & in Hiſpaniis conſiſtentibus ſcripſit, dicens : *Res eccleſiarum veſtrarum, & oblationes fidelium, quas ſignificaſtis a quibuſdam irruentibus vexari, vobiſque ac eccleſiis veſtris auferri, indubitanter maximum eſt peccatum.* Et poſt pauca. *Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem facit : qui autem pecunias vel res eccleſiaſticas tulerit, ſacrilegium facit. Unde & Judas, qui pecuniam fraudavit, quæ uſibus eccleſiæ, id eſt, pauperibus, quos eccleſia paſcere debet, diſtribuebat juſſu ſalvatoris cujus vicem epiſcopi tenent, non ſolum fur, ſed & fur ſacrilegus eſt effectus.* Et item poſt aliquanta. *Hæc fieri prophetæ, hoc apoſtoli, hæc ſucceſſores eorum, & omnium catholicorum patrum vetant decreta, & tales præſumptiones ſacrilegia eſſe dijudicant. Quorum non ſequentes exempla, omnes tales præſumptores, & eccleſiæ raptores, atque ſuarum facultatum alienatores, una vobiſcum a liminibus ſanctæ matris eccleſiæ anathematizatos apoſtolica auctoritate pellimus, & damnamus, atque ſacrilegos eſſe judicamus. Et non ſolum eos, ſed & omnes conſentientes eis, quia non ſolum qui faciunt, rei judicantur, ſed etiam qui facientibus conſentiunt. Par enim pœna & agentes & conſentientes comprehendit.*

S. Lucius p. epiſt. unica

Et ſanctus Stephanus papa & martyr : *Quidquid in ſacratis Deo rebus, & epiſcopis injuſte agitur, pro ſacrilegio reputabitur.*

S. Stephan. p. epiſt. 2.

ANNO CHRISTI 868.

Matth. 18.

Et quia ſcriptum eſt, *in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*, pro omnium hoc ſimiliter decernentium ſedis apoſtolicæ pontificum decretis iſta tria luminaria ad illuminanda corda eorum qui in Deum credunt, & juſſa atque mandata illius cuſtodire deſiderant, ſufficere poſſe putamus. Epiſcopis autem res ac facultates eccleſiaſticas, domini & apoſtolorum ejus traditione, ipſius ſanctæ & primæ ſedis omnes pontifices commiſerunt. De quibus propter prolixitatem operis, & brevitatem temporis, & feſtinantiam, hæc ad vos tranſmiſſionis collectione hic omiſi connectere; & in ſuis locis, ſi vobis placet, poteſtis ex integro legere.

Hæc uſque ad verba *Manſuetudinis noſtræ* deſunt in codice.

Item ex concil. lib. Conc. Antioch. can. 24.

Sed & Antiocheni canones, ita inde præcipiunt: 13 *Quæ ſunt eccleſiæ, ſub omni ſollicitudine & conſcientia bona, & fide quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat judicatque, ſerventur: quæ etiam diſpenſanda ſunt judicio & poteſtate pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ quæ intra eccleſiam congregantur*. Et item, *Epiſcopus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes qui indigent, cum ſumma reverentia & timore Dei. Participet autem & ipſe quibus indiget, ſi tamen indiget, tam ſuis, quam fratrum qui ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturis*. Et reliqua.

Ib. can. 25.

Concil. Gang. can. 7.

14 Et Gangrenſes canones dicunt: *Si quis oblationes eccleſiæ extra eccleſiam accipere vel dare voluerit, præter conſcientiam epiſcopi, vel ejus cui hujuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum ejus voluerit agere conſilio, anathema ſit*. Et item: *Si quis dederit vel acceperit oblata præter epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus: & qui dat, & qui accipit, anathema ſit*.

Ibid. can. 8.

Et adeo res & facultates eccleſiæ, poteſtati epiſcopi, ſancto Spiritu decernente committuntur: ut a magna ſynodo Chalcedonenſi, etiam poſt mortem epiſcopi, reditus eccleſiæ viduatæ futuro epiſcopo penes œconomum ejuſdem eccleſiæ integre conſervari jubeantur. De quibus ſive vivente, ſive defuncto epiſcopo, quicumque, quocumque ingenio, unde gravetur eccleſia, per angarias vel indebitas penſiones exigunt: ſine timore ne ſacrilegium admittant eſſe non poſſunt: etiamſi violenter non rapiant, ſed quaſi prudenti ingenio injuſte accipiant: cum eos conſcientia quacumque ſiniſtra intentione in conſpectu domini cor intuentis accuſet: Præſertim cum Joannes dicat: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia*. Et Paulus: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. Qui autem judicat me, dominus eſt*. Siquidem dicente Paulo, *Suſtinetis, ſi quis accipit*: accipere, ut exponit Gregorius, *interdum intelligitur rapere. Unde & aves illæ quæ rapiendis ſunt avibus avidæ, accipitres vocantur*.

Concil. Chalced. can. 25.

1. Joan. 3.

1. Cor. 4.

2. Cor. 11.

Greg. l. 31. Moral. c. 11.

Claret namque ex legibus quas probat eccleſia, ejus inſpiratione prolatis, per quem conditores legum juſta decernunt, & ex ſacris canonibus, quia contra divina juſſa eſt, epiſcopum cum rebus & facultatibus eccleſiæ ſuæ titulo proſcriptionis damnari, qui hanc poteſtatem divinitus per ſacros canones habet, in quibus decretum eſt: *Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperiorem, aut religioſum expoliaverit, & mandaverit ad ipſum epiſcopus ut eum audiat, & hic contempſit: invicem mox ſcripta percurrant per omnes provinciæ epiſcopos, & quoſcumque adire potuerit, ut excommunicatus habeatur, donec audiat, & reddat aliena*.

Concil. Tolet. I. can. 11.

Quia vero epiſcopus quilibet ex ordine eccleſiaſtico cleri, relicto eccleſiaſtico judicio ad publica judicia ire non debeat, Paulus apoſtolus ſpiritum domini habens Chriſto in ſe loquente fortiter perhibet: qua nimirum auctoritate canones Carthaginenſes præcipiunt dicentes: *Quiſquis epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum, ſeu clericorum; cum in eccleſia ei fuerit crimen inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota: ſi relicto eccleſiaſtico judicio, publicis judiciis purgare voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali; in civili vero perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit*. Et Africanum concilium: *Quicumque* (ſcilicet clericorum) *ab imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur: ſi autem epiſcopale judicium ab imperatore poſtulaverit, nihil ei obſit*.

Opusc. I. Clerici ad publica judicia ire non debent. Collect. can. African. 15. Ibid. can. 104.

Quod & leges, quibus cum ſacris canonibus ſancta moderatur eccleſia, ita in XVI. libro Theodoſianæ legis confirmant, ſanciente Conſtantino dicentes: * *Manſuetudinis*, inquit, *noſtræ lege prohibemus, in judiciis epiſcopos accuſari: ne, dum adfutura ipſorum beneficio impunitas æſtimatur, libera ſit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid eſt igitur querelarum, quod quiſpiam defert: apud alios potiſſimum epiſcopos convenit explorari: ut opportuna atque commoda cunctorum quæſtionibus audientia commodetur*. Et interpretatio ejuſdem legis: *Specialiter prohibetur, ne quis audeat apud judices publicos epiſcopum accuſare, ſed in epiſcoporum audientiam perferre non differat quidquid ſibi pro qualitate negotii putat poſſe competere: ut in epiſcoporum aliorum judicio, quæ offerit contra epiſcopum debeant diffiniri*.

Cod. Theodoſ. l. 16. l. 12.

Et item Valens, Gratianus, & Valentinianus: *Qui mos eſt cauſarum civilium, idem in negotiis eccleſiaſticis obtinendus eſt, ut ſi qua ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus levibuſque delictis, ad religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis, & a ſuæ diœceſeos ſynodis audiantur*. Et reliqua. Et interpretatio ejuſdem legis: *Quoties ex qualibet re ad religionem pertinente inter clericos fuerit nata contentio; id ſpecialiter obſervetur, ut convocatis ab epiſcopo diœceſani presbyteris, quæ in contentionem venerint, judicio terminentur*. Et reliqua.

Ibid. leg. 23.

Et Theodoſius Chriſtianiſſimus imperator, & beati Ambroſii; immo per eum Dei humillimus auditor, ad Optatum Auguſtalem in lata lege, ad locum. *Continua lege ſancimus, nomina epiſcoporum, vel eorum qui eccleſiæ neceſſitatibus ſerviunt, ne ad judicia ſive ordinariorum ſive extraordinariorum judicum pertrahantur. Habent illi judices ſuos, nec quicquam his publicis commune cum legibus*. Et reliqua. Et item idem. *Clericos non niſi apud epiſcopos accuſari convenit. Igitur ſi epiſcopus aut presbyter, diaconus, & quicumque inferioris loci Chriſtianæ legis miniſter, apud * epiſcopos, ſiquidem alibi non oportet, a quolibet perſona fuerint accuſati, ſive ille ſublimis vir honoris, ſive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus inlaudabilis intentionis arripiet, noverit docenda probationibus, monſtranda documentis ſe debere inferre. Si quis ergo * contra hujuſmodi perſonas non probanda detulerit, auctoritate hujus ſanctionis intelligat ſe jacturæ famæ propriæ ſubjacere, ut damno pudoris exiſtimationiſque diſpendio diſcat, ſibi alienæ verecundiæ impune inſidiari, ſaltem de cetero, non licere*. Quæ ſit autem jactura * infamiæ propriæ, & quæ ſint perſonæ infames, leges Romanæ, ac canones, ſed & decreta ſedis Romanæ pontificum

Ibid. poſt eamdem legem. Ibid. lege. al. epiſcopum. al. contra. 1. famæ.





ANNO CHRISTI 868.

S. Stephan. p. epiſt. 1.

cum multoties inde loquentes exponunt.

Inter quos beatus Stephanus ſancto Hilario ſcribens, ita dicit: *Quod vero conſuluiſti ſedem apoſtolicam, qui ſint infames, aut qui ad gradus eccleſiaſticos non ſint admittendi, & neſſe te credimus, & pro auctoritate ſedis apoſtolicæ te informare non denegamus. 16 Infames autem eas eſſe perſonas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id eſt, omnes qui Chriſtianæ legis normam abjiciunt, & ſtatuta eccleſiaſtica contemnunt. Similiter fures, ſacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos, ſepulcrorumque violatores, & apoſtolorum atque ſucceſſorum eorum, & reliquorum ſanctorum patrum ſtatuta libenter violantes; & omnes qui adverſus patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur. Similiter & inceſtuoſos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis fugientes, & qui indigna ſibi petunt loca tenere, aut facultates eccleſiæ abſtrahunt injuſte: & qui fratres calumniantur, aut accuſant, & non probant: vel qui contra innocentes, principum animos ad iracundiam provocant: & omnes anathematizatos, vel pro ſuis ſceleribus ab eccleſia pulſos: & omnes quos eccleſiaſticæ vel ſæculi leges infames pronuntiant. Hos vero non ad ſacros ordines licet promovere nec ſervos ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec * digamos, nec eos qui curiæ deſerviunt, vel qui non ſunt integri corpore, aut ſanam non habent mentem vel intellectum, aut inobedientes ſanctorum decretis exiſtunt, aut furioſi manifeſtantur. Hi omnes nec ad ſacros gradus debent provehi: nec iſti, nec liberti, neque ſuſpecti, nec rectam fidem, vel dignam converſationem non habentes ſummos ſacerdotes poſſunt accuſare*. Et ſecundum Africæ provinciæ canones, criminoſi, quos dicit dominus ex his quæ de corde procedunt coinquinatos; quoſque docet apoſtolus a regno Dei excluſos: excommunicati etiam, & omnes infamiæ maculis aſperſi, omneſque quos ad accuſanda publice crimina leges publicæ non admittunt, eccleſiaſticos clericos niſi in propriis cauſis accuſare non poſſunt, nec ad teſtimonium adverſus eos recipiuntur.

al. bigamos.

Cod. Afric. can. 129.

Matth. c. 15. 1. Cor. 6.

Quia vero Chriſtiani ac religioſi principes, ſicut & ſupra oſtendimus, eccleſiæ clericos ad judicia publica trahi vel invitari noluerunt, vel permiſerunt, in edicto Honorii & Theodoſii luce clarius manifeſtatur, & qualiter eum habuerint, qui hoc agere contra dominum præſumpſit, in eodem edicto demonſtrant, dicentes. *Privilegia eccleſiarum omnium quæ ſæculo noſtro tyrannus inviderat, prona devotione revocamus: ſcilicet, ut quæcumque a divis principibus conſtituta ſunt, vel quæ ſinguli quique antiſtites pro cauſis eccleſiaſticis impetrarunt, ſub pœna ſacrilegii jugi ſolidata æternitate ſerventur. Clericos etiam quos indiſcretim ad ſæculares judices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, epiſcopali audientiæ reſervamus. Fas enim non eſt ut divini muneris miniſtris temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio*. 17 Unde S. Leo cum ſynodo Romæ habita * Sermationi & ceteris epiſcopis ſcripſit dicens, *Tantam ſæculi poteſtates circa ſacerdotalem ordinem reverentiam prævalere voluerint, etiam hi quos ſub imperiali nomine terris divina potentia præeſſe præcepit, ut jus diſtringendorum negotiorum epiſcopis ſanctis, juxta divalia conſtituta permiſerint. Quod cum & juris antiqui edictis; & inlatis frequentius ſit legibus confirmatum, præſenti tempore a pleriſque invenimus fuiſſe calcatum. Nam prætermiſſo ſacerdotali judicio paſſim ad examen ſæcularium transferunt. Quocirca nobis viſum eſt, ut*

Clerici ad ſæcularia judicia non trahendi.

S. Leo epiſt. 96. al. Samartioni. * Vide tom. III. p. 1410. D. & 1411. E.

*hanc & ſacrorum legum, & noſtri ordinis contumeliam & ad præſens ulciſceretur plena diſtrictio, & obſervandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſemus itaque ut cuicumque prætermiſſo ſacerdote eccleſiæ ſuæ ad diſceptationem venerit ſæcularium, ſacris liminibus expulſus a cæleſti arceatur altario*. Et reliqua quæ inde ibi proſequitur. Epiſcopi ſiquidem & reliqui eccleſiaſtici clerici ſecundum apoſtolicam doctrinam & ſacros canones ac leges, ex quarum ſenſu magna pars in eadem; ſed in decretis ſedis Romanæ pontificum ad regularia exequenda judicia habetur inſerta, velut de ſingulis ſubter commemoratis ibidem poteſtis relegere. *Si accuſantur, in eis locis unde ſunt ipſi accuſati cauſa finietur*. Et, *Nemo eorum rebus vel ſuis facultatibus ſpoliatus a quoquam de quacumque cauſa interpellatus reddet canonice ac legaliter rationem, donec inde reveſtitus, & eis legitime uſus, & ſic demum ad judicium regulariter ſit evocatus*. Et, *Non de crimine, neque de civili cauſa apud ſæculares judicari, neque ad ſæcularia judicia debent invitari vel trahi, ſicut tunc temporis ſiebat quando Chriſti nomen ab infidelibus non reverebatur*. Unde Jacobus apoſtolus ſcribit fidelibus, *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judicia?* Nec clericus, minime autem epiſcopus, publicis judiciis ſe poteſt purgare, quia non poteſt ullius alterius niſi epiſcoporum, & ſuorum regularium judicum ſubdi vel teneri judicio. Neque cuiquam licet epiſcopum, vel alicujus ordinis clericum quolibet modo damnare, niſi canonico epiſcoporum judicatum judicio, vel ſi cauſa exegerit, regulari eorum petitione. Quod autem & quibus modis excedens epiſcopus, ab aliis epiſcopis debeat corripi, vel judicari, canones ſacri demonſtrant: quos qui diligenter advertit, in eiſdem regulis comprehendit: quos & ego hic ponerem ſi neceſſe fore putarem.

Opusculum I.

Cod. Afric. can. 30.

Jac. c. 2.

De ſibi autem commiſſæ eccleſiæ rebus ac mancipiis, quæ licet legaliter, nam aliter non debent, in bannum mittantur: tamen ſicut ipſi melius ſcitis, ſicut res hominum liberorum non poſſunt in fiſcum redigi, quæ ſunt Deo dicata, epiſcopus ſecundum leges quas eccleſia recipit, & venerabiliter comprobat, & ſecundum ſacros canones, ac decreta ſedis Romanæ pontificum, advocatum publicis judiciis dare debet. Ex capite autem ſuo tam pro crimine, quam pro civili cauſa, aut apud electos judices de quibus & ſicut ſacræ leges diffiniunt, aut ipſe in ſynodo coram epiſcopis debet reddere rationem: ſicut Arcadius, Honorius & Theodoſius in edicto ſuo decreverunt dicentes, *Privilegia quæ eccleſiis & clericis legum decrevit auctoritas, hac quoque præceptione ſancta & inviolata permanere decernimus, atque hoc ipſi præcipuum & ſingulare deferimus, ut quæcumque de nobis ad eccleſiam tantum pertinentium ſpecialiter fuerint impetrata, 18 non per coronatos, ſed per advocatos, eorum arbitratu & judicibus innoteſcat, & ſortiatur effectum. Sacerdotes vero provinciæ erunt ſolliciti ne ſub hac ſcilicet privilegii excuſatione, etiam contra eorum utilitatem aliquid his inferatur incommodum*. In hoc namque capitulo evidenter oſtenditur, quia de his quæ ſunt eccleſiæ, & quæ ab imperatoribus, id eſt, eorum liberalitate, ac per eorum leges collata ad eccleſiam pertinent, eccleſiaſtici clerici advocatos judicibus, & non de ſe dare debent. Cum enim dicit, *Quæcumque de nobis ad eccleſiam tantum pertinentium ſpecialiter fuerint impetrata*, non eccleſiaſtici clerici, minime autem caput epiſcopi, compre-

Clerici de ſuo capite non dant advocatum.

Cod. Theodoſ. de epiſcopis, &c. l. 38.

ANNO CHRISTI 868.

Capitul. Caroli M. lib. 1. c. 6.

comprehendit, cui tuendi clericos curam commiſit. Et in primo libro capitulorum noſtrorum imperatorum, veſtrorum autem progenitorum, præcipitur, *ut epiſcopi ſuffraganei ad metropolitanum reſpiciant*. Et, clerici eccleſiaſtici ſi culpam incurrerint, vel inter ſe negotium aliquod habuerint, apud eccleſiaſticos judicentur, non apud ſæculares: 19 Et S. papa Gelaſius in decretis ſuis ad epiſcopos parvipendentes fratrum vexationes, cum digna increpatione ſcribit dicens: *Cur non compaſſi eſtis tantis fratribus veſtris? Cur non adiſtis imperatorem? Cur non eccleſiæ cauſam, & ſacerdotum miſerabilem decolorationem continuatis vocibus defleviſtis, allegantes numquam de pontificibus niſi eccleſiam judicaſſe? Non eſt humanarum legum de talibus ferre ſententiam, abſque eccleſiæ principaliter conſtitutis pontificibus. Obſequi ſolere principes Chriſtianos decretis eccleſiæ, non ſuam præponere poteſtatem; epiſcopis caput ſubdere principem ſolitum, non de eorum capitibus judicare. Unde conſtat quia ſi non licet principi, nec cuiquam alteri licet, niſi epiſcopis de epiſcoporum capitibus judicare. Quin etiam ipſæ leges publicæ eccleſiaſticis regulis obſequentes tales perſonas non niſi ab epiſcopis ſanxerunt judicari.* Et item Gelaſius ad Anaſtaſium imperatorem, *Duo ſunt*, inquit, *imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra pontificum, & regalis poteſtas; in quibus tanto gravius pondus eſt ſacerdotum, quanto etiam pro regibus hominum, in divino reddituri ſunt examine rationem. Noſti etenim, fili clementiſſime, quoniam licet præſideas humano generi dignitate rerum, tamen præſulibus divinitatis intuitu devotius colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis; inque ſumendis cæleſtibus ſacramentis, eiſque ut competit, diſponendis, ſubdi te debere cognoſcis religionis ordine potius, quam præeſſe. Itaque inter hæc illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim quantum ad ordinem publicæ pertinet diſciplinæ, cognoſcentes imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi quoque parent religionis antiſtites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obviare ſententiæ, quo, oro te, decet affectu & convenit eis obedire, qui prærogandis venerabilibus ſunt attributi myſteriis? Proinde ſicut non leve diſcrimen incumbit pontificibus ſiluiſſe pro divinitatis cultu quod congruit, ita his, quod abſit, non mediocre periculum eſt, qui cum debent parere, deſpiciunt.*

Gelaſ. ep. ad orientales.

Idem ep. 10. ad Anaſtaſ. Aug.

Unde, cariſſimum & venerabiliſſimum mihi caput, verbis B. Gregorii ex homilia evangelii devotiſſimam Chriſtianitatem veſtram alloquar, dicens: *Si nos indignos & qualeſcumque ſacerdotes forſitan digne deſpicitis, in mente tamen veſtra vocantis vos per indignitatem noſtram ad cæleſtia regna domini reverentiam ſervate. Sæpe enim ſolet evenire quod dico, ut perſona potens famulum habeat deſpectum: cumque per eum ſuis forte, vel extraneis aliquod reſponſum mandat, non deſpicitur perſona loquentis ſervi, quia ſervatur in corde reverentia mittentis domini: nec penſant qui audiant per quem; ſed quid, vel a quo audiunt.* Et ſi in nobis diſcernitis mores, & converſationem ac dignitatem meritorum, attendere tamen, & in Dei honore non ſolum venerari, ſed & revereri debetis unum per omnes epiſcopos ſanctiſſimum ſacerdotium. Quia, ut S. Symmachus papa ſcribit. *Ad Trinitatis inſtar, cujus una eſt atque individua poteſtas, unum eſt per diverſos antiſtites ſacerdotium*, nec ſanctius in juſto, nec minus in peccatore. Sic & ſol iſte viſibilis quando ſplendet in aurum, non ipſe eſt pulchrior, ſed aurum ſplendidius reddit. Quando autem radios ſuos emittit in fimum, clarius fimus quod eſt apparet. Sol autem cum radios ſuos inde retrahit, nullam inde immunditiam contrahit. Et ſive ſanctus, ſive peccator ſacramenta cæleſtia vobis tribuat, ipſa ſacramenta in ſe ſunt inviolabilia, & perfecta. Quia quiſquis in nomine ſanctæ Trinitatis baptizet, ut evangelica veritas monſtrat, ſuper quem Baptiſta Joannes ſpiritum deſcendiſſe, & in eo manſiſſe vidit, ipſe eſt qui baptizat. Quiſquis autem ſacramenta cæleſtia catholice conſecret, qui dixit, *hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis*, ipſe eſt qui conſecrat. Non igitur vilipendatis ſi in nobis reprehenſibilia videtis, quia quid in ſecreto ſuæ divinitatis de nobis, vel de vobis diſponat terribilis in conſiliis ſuper filios hominum, ignoratis. Recordari denique poteſtis vos mihi dixiſſe, quia ſicut vobis dixeram, ordinem diſcuſſionis quando quis de beneficio ab epiſcopo tulto ad vos ſe reclamaverit, qualiter ipſam rationem diſcuti jubere deberetis: ita & poſtea legiſſe vos contigit, & hoc anteceſſores, & progenitores veſtros tenuiſſe, & vos velle tenere. Quem ordinem ſi tenueritis, & dominum in veſtra juſſione non offendetis, & eccleſiaſticam auctoritatem ſervabitis, & dignitatem veſtram honorabitis, & æquitatem atque juſtitiam erga eum de quo reclamatur, & erga eum qui ſe reclamaverit, exequemini. Et hoc ſancti, & clariſſimi progenitores veſtri viderunt, & ſervaverunt. Et vos adulantium, & forte aliter quam ſeveritas habeat vobis ſuggerentium linguis facile adſenſum contra veſtram, quod abſit, ſalutem, & miniſterii dignitatem accommodare nequaquam debetis.

Sacerdotum meritis, eſſi valinet [illegible], [illegible] eſt. Gregor. Homil. 16. in evang.

Illa deſiderantur in editio Sirmondi. Symmach. epiſt. 1. ad Æonium.

OPUSC. I.

Auguſt. tr. 6. in Joan.

Porro epiſcopus diſpoſitis quæ ſunt eccleſiæ ac ſuis, eccleſiaſticorum nihilominus, & pauperum hoſpitumque ſubſidiis, cum de rebus eccleſiæ propter militiam beneficium donat; aut filiis patrum qui eidem eccleſiæ profuerunt, & patribus utiliter ſuccedere potuerunt; quoniam, ut quidam ſcripſit, niſi vitulus nutriatur, bos aratro non jungitur: aut talibus dare debet qui idonei ſint reddere Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo: exceptis hujuſmodi beneficiis quæ miniſtris eccleſiæ, & ſibi neceſſariis, ſine quibus eſſe nec debemus, nec poſſumus, tribuenda ſunt, jubente domino, *Non obturabis os bovi trituranti*. Qui homines militares ſtudere debent ut ſecundum quantitatem beneficii illud erga epiſcopum, ac per hoc erga eccleſiam fideliter & utiliter deſerviant, & regio obſequio ad defenſionem generaliter ſanctæ Dei eccleſiæ proficere valeant.

1. Cor. 9.

A quibus, vel ab eo qui diu & eccleſiæ utilitatibus, ſed & ſpecialiter ipſius eccleſiæ ac neceſſitatibus profuit, & reipublicæ ac militiæ utilis fuit, & infirmitate vel ætate confectus jam per ſeipſum exſequi non valet, præcipue autem ſibi ſervientem filium habenti, qui pro eo hæc valeat exſequi, ſi epiſcopus beneficium quacumque occaſione abſtulerit, & a vicini epiſcopi monitis & precibus; vel cujus alterius, juſtitiam obtinere nequiverit, non abhorret a ratione ſi non accuſet epiſcopum ad publicos judices, quod non licet, ſed ad vos ſe reclamet. De beneficio militiæ 15 quaſi de ſtipendii & roga, quæ antea, ſicut hodieque fit alibi, dabantur militibus de publico, & aucta fidelium devotione apud noſtrates, beneficia de rebus eccleſiaſticis, quæ ſunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, alimoniæ domini ſervorum & ancillarum, cum aliis exeniis, obſequutoribus principis



ANNO CHRISTI 868.

Rom. c. 13.

cipis diſpenſandis, cauſa ſuæ defenſionis, regi ac reipublicæ vectigalia, 21 quæ nobis annua dona vocantur, præſtat eccleſia, ſervans quod jubet apoſtolus, *Cui honorem, honorem: cui vectigal, vectigal*, ſubauditur, præſtate regi ac defenſoribus veſtris. Qui ergo ſtipendia eccleſiæ, cujuſcumque ſint ordinis, loci, vel dignitatis accipiunt, ſi pro illius ſalute, ac quietis honore atque defenſione, ſolicite & pro viribus non laborant, indigne, quin & ad judicium illa ſibi uſurpant. Quia ſicut res & facultates eccleſiæ ſunt epiſcopo ad diſponendum ac diſpenſandum commiſſæ, ita regiæ poteſtati commiſſæ ſunt ad defendendum, atque tuendum.

Et per jura regum eccleſia poſſidet poſſeſſiones; ſicut S. Auguſt. in ſermone Joannis evangelii dicit, *Leguntur*, inquiens, *leges manifeſtæ, ubi præceperunt imperatores, eos qui præter eccleſiæ catholicæ communionem uſurpant ſibi nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine eccleſiæ audeant poſſidere. Sed quid nobis, inquiunt, & imperatori? Sed jam dixi, de jure humano agitur, & tamen apoſtolus voluit honorari reges, & dixit, regem veneremini. Noli dicere, Quid mihi & regi? Quid tibi ergo & poſſeſſioni? Per jura regum poſſidentur poſſeſſiones. Dixiſti, Quid mihi & regi? Noli dicere, poſſeſſiones tuas, qui in ipſa jura humana renuntiaſti, quibus poſſidentur poſſeſſiones.*

Eccleſiaſtica bona jure a principibus. Auguſt. in Joan. tr. 6.

Et in lege data eccleſiæ ab Honorio & Theodoſio imperatoribus, præcipitur, ut cum presbyteri vel diaconi, ceterique clerici apud epiſcopum fuerint accuſati, epiſcopus hujuſmodi cauſas, ſub teſtificatione multorum actis audiat: quatinus ſi probati fuerint innocentes, plurimis innoteſcat. Et apoſtolus dicit, *Oportet epiſcopum habere teſtimonium bonum ab his etiam qui foris ſunt*. Quoniam in palatio a reclamante divulgatum eſt, quod injuſte fecerit epiſcopus: bonum eſt ut ejus innocentia, ſi juſte egit, etiam ſæcularibus innoteſcat. Et quoniam Sardicenſes canones pro his qui iniqua vi opprimuntur, comitatum adire jubent epiſcopum, & reipublicæ militans apud vos ſe ab epiſcopo queritur ſpoliatum. Et ſacræ leges ad judicium electorum judicum utramque partem, ſcilicet & querentem, & contra quem queritur, (ut & B. decrevit Gregorius, de cauſis in legibus conſtitutis) mora ceſſante non tantum provocari, verum & cogi jubent; ſi laica perſona epiſcopale abnuerit eligere judicium, quod epiſcopo non licet refugere; ratio eſt, & non obſiſtit auctoritati, ut cum coepiſcopis epiſcopi, * citra quem ad vos pro beneficio ſibi injuſte ablato quis reclamat, quia indignum eſt vos ipſum inde laborare, miſſos veſtros ab eo petitos, vel a vobis deputatos mittatis, qui utriuſque partis rationem audiant, & ſecundum divinas & humanas leges diſcernant, ne eccleſia jacturam in clamatore injuſtitiæ & homine inutili ſuſtineat: & ne homo utilis & clamator juſtitiæ injuſtitiam, & detrimentum veſtra militia patiatur. Et hoc non in publico, ſed in privato loco fiat. Ne ſicut ſacri canones dicunt, magnatis ſi forte exceſſerat, (*non eſt enim homo juſtus in terra*, ut Salomon dicit, *qui faciat bonum, & non peccet*. Et apoſtolus, *In multis offendimus omnes.*) verecundiam patiatur: & epiſcopus, fratribus, & ſuis judicibus, ſecundum ſacros canones dicentes, *Per epiſcopos judices cauſa finiatur*, obediat. Et hoc modo militiæ veſtræ legibus juſte conditis, quia ſcriptum per ſapientiam quæ Deus eſt, *conditores legum juſta decernunt*, ſi juſtam querimoniam habet, juſtitiam ſuam obtineat: Si etiam injuſta queſtus fuerit, os ejus legaliter, miſſis veſtris decernentibus, obſtruatur. Sicut enim S. Auguſt. in ſermone Joannis evangelii dicit, *Juris forenſis eſt, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi proſit quod impetravit. Sed hoc inter homines. Quia poteſt falli homo, potuit falli imperator, quando preces miſiſti: dixiſti enim quod voluiſti: & cui dixiſti, neſcit an verum ſit, dimiſit te adverſario tuo convincendum: & ſi ante judicem convictus fueris de mendacio, quia non potuit ille non præſtare, neſciens an fueris mentitus, * ibi careas ipſo beneficio quod impetraſti*. Ipſam autem legem a tanto viro expoſitam, hic non vidi ponendam. Unde conſtat, quia ſi carere debet eo quod per mendacium impetravit, cautius eſt ut inveſtigetur veritas, antequam per mendacium quiddam, niſi inquiſitionem, impetret: dicente ſancto & cauto rege, *Cauſam quam neſciebam diligentiſſime inveſtigabam*. Et ſi epiſcopus a ſe electorum, vel a primate ſuo deputatorum epiſcoporum judicum, aut ſynodi canonicis judiciis, ut quod ſecus quam debuerit, egit, emendet, obedire noluerit, habemus inde ſacris canonibus decretum judicium quod debeat ſuſtinere. Et ſi homo veſtræ militiæ veſtris miſſis & legibus ſæculi, ut ab injuſto clamore quieſcat, parere contempſerit, habetur judicium in capitulis, de his qui vel injuſte per calumniam ſuper alios queruntur, vel qui judicatam repetunt cauſam.

1. Tim. 3.

Concil. Sardic. can. 9.

Can. Afric. cau. 12.

* l. contra

Eccleſ. c. 7.

Jac. c. 3.

OPUSC. I. Proverb. c. 8.

Auguſt. in Joan. tr. 7.

Landun. ep. Deba p. 637. Job. c. 29.

22 Propterea, domine Chriſtianiſſime ac ſapientiſſime, providete veſtræ ſaluti, providete honori, 23 providete bonæ famæ, quam longe lateque habetis, & de eccleſiarum ditatione, & de ſacerdotum ac ſervorum Dei veneratione: & nolite maculare illam glorioſam famam veſtram, propter cujuſcumque ſocordiam: etiam nec pro cujuſcumque ejectione, ſimulantes crudelitatem in actione, quam non habetis in mente, & facientes aut præcipientes quod dignitati nominis veſtri non convenit. Legentes in libro Machabæorum, quid Eleazarus * a ſuis familiaribus quod famam ſuam non decebat, ſuaderetur, reſpondit, *Non*, inquiens, *ætatem noſtram dignum eſt fingere, ut multi adoleſcentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atq; execrationem meæ ſenectuti conquiram.* Quod enim ille de corporis ſenectute dicit, vos in miniſterii & nominis ac ſapientiæ dignitate neceſſe intelligere, dicente domino ad Moyſen, *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti quod ſenes populi ſint.* Unde S. Gregorius. *Sicut plerumque juvenes dici ſolent, qui nulla conſilii gravitate * deprimuntur: ita ſenes ſcriptura ſacra vocare conſuevit, qui non ſola quantitate temporum, ſed morum grandævitate maturi ſunt. Unde per quemdam ſapientem dicitur, Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani ſunt autem ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. * Hinc eſt ergo ad Moyſen dominus dicit: Congrega mihi LXX. viros de ſenioribus Iſrael quos tu noſti quod ſenes populi ſint. In quibus quid aliud quam ſenectus cordis requiritur, cum tales jubentur eligi, qui ſenes ſciuntur. Si enim ſenectus in eis corporis quæreretur, a tantis ſciri poterant a quantis videri. Dum vero dicitur, quos tu noſti quod ſenes populi ſint, profecto liquet, quia ſenectus mentis, non corporis eligenda nunciatur.*

Hortatio ad regem.

1. Mach. 6. * al. Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere.

Num. c. 11.

Greg. l. 19. Moral. c. 11. * al. ſubleuantur.

Sap. c. 4.

ANNO CHRISTI 868.

*Libertatem admonendi regis a rege, & ab officio accepiſſe.*

24 Quia, domine, kariſſima & venerabilis dominatio veſtra, imo divina juſſio mihi præcepit, & ego inde ſum voluntarius debitor, ut quæ ad ſalutem, & veſtri nominis ac miniſterii dignitatem pertinere ſcio, non taceam, humiliter poſtulans moneo, quatenus ſapientia veſtra recogitet, & quod exordinatum eſt, ordinet, ne diutius hæc in reverentia erga Dei eccleſiam maneat, & quantocyus ſcandalum in epiſcopos excitatum competenti ſatiſfactione ſedetur. Et ideo hinc tam inculcanter ſcribo, quia propter regem regum tacere quæ ſaluti & utilitati veſtræ neceſſaria eſſe cognoſco, non audeo: 25 ad cujus judicium vos & ego in conſpectu totius humani generis, omniumque angelorum atque archangelorum veniemus; ubi reddemus rationes, non ſolum de propriarum perſonarum actionibus, loquutionibus, atque cogitationibus: verum & de miniſteriorum ſuſceptorum officiis, qualiter in eis ea quæ ad miniſteria pertinent, ſincero corde, & juſtis actibus egerimus; dicente ipſo, *Juſte quod juſtum eſt * exequaris.* Juſte ergo juſtum exequi eſt in adſertione juſtitiæ ſolam eamdem juſtitiam quærere.

Deut. c. 16. * al. perſequeris.

Nam ſi quod mihi eſt dicendum, & vobis eſt audiendum tacuero, illud væ incurrere timeo quod dominus per prophetam nobis miſeris ſacerdotibus comminatur, dicens: *Væ his qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manus: & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.*

Ezech. c. 13. * cubito.

Pulvillos quippe ſub omni * cubitu manus ponere eſt cadentes a ſua rectitudine animas, atque in hujus mundi ſe dilectione reclinantes blanda adulatione refovere. Quaſi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti ſubtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla aſperitas contradictionis pulſat. Sed hæc rectores qui ſemetipſos diligunt, his procul dubio exhibent, a quibus ſe noceri poſſe in ſtudio gloriæ temporalis timent. Et idem dominus per Moyſen præcipit, ut tabernaculum ſacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, quatenus voces prædicationis habeat, ne ſuperni inſpectoris judicium ex ſilentio offendat. Scriptum quippe eſt, *Ut audiatur ſonitus quando ingreditur & egreditur ſanctuarium in conſpectu domini. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, ſi de eo ſonitus non auditur; quia iram contra ſe occulti judicis exigit, ſi ſine prædicationis ſonitu incedit.*

Exod. c. 28. Gregor. Paſtor. p. 2. c. 4.

De qualibus ſacerdotibus dominus dicit, *Canes muti non valentes latrare.* Et quibus in uno comminatur per Ezechielem prophetam dicens: Si ſacerdos non diſtinxerit populo, ipſe quidem populus in ſuo peccato morietur, animam tamen ejus de manu ſacerdotis requiram.

Iſ. c. 56. Ezech. c. 3.

Non ait, quia extra peccatum populus eſt, non morietur; ſed quia in ſuo peccato morietur: ſed populus quidem pro ſeipſo tantum, ſacerdos vero etiam pro populo. Et quia nos ſi tacemus, quæ ut dixi nobis dicenda, & vobis audienda ſunt, peccatum incurrimus; & vos ſi audita, quod abſit, non exauditis, a morte peccati liberi eſſe nequitis. Propterea intenta cordis aure devotio veſtra percipiat, quod tonitruum divinæ comminationis terribiliter inſonat, *Qui ſcandalizaverit*, inquit, *unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Hæc in pœna tunc temporis gravior inter alias putabatur.

Matth. c. 18.

*In ſcandalum publicum cuipa regis evaſit.*

Quanti, domine cariſſime, in unius eccleſiæ, & unius epiſcopi contra eccleſiaſticas regulas præjudicio putatis ſcandalizati ſunt, ſcandalizantur, & quicumque audierint ſcandalizabuntur? Quia, ſicut dicit S. Paulus apoſtolus, *Cum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.*

1. Cor. 12.

Quod enim quis videt in fratre, & in commiſſa ſibi eccleſia, aut audit ex fratre, & ex commiſſa ſibi eccleſia, quid putatis illum de ſe & de ſibi commiſſa eccleſia poſſe conjicere, ſi eum & ſibi commiſſam eccleſiam nutu divino in poteſtatem veſtram contigerit devenire? Non enim levi auditu eorum corda percelluntur, qui audiunt. 26 Quia non de crimine per legitimos accuſatores, ſicut præcipiunt canones, apud primatem provinciæ accuſatus: non ad ſynodum regulariter evocatus: non in judicio præſens, non judicium regulare refugiens, non in judicio regulari contra eum aliis accuſatoribus & aliis teſtibus productis, nec vel teſtium teſtimonio facta inquiſitione, utrum ex auditu, an ex ſcientia fuerint teſtificati: non legaliter ac canonice de perſonis accuſantium ac teſtificantium facta requiſitione, cujus qualitatis & dignitatis, ac quantitatis fuerint: non cauſis actuum ſcriptis inſertis, non licentia reſpondendi & defendendi illi conceſſa; non de crimine vel exilii cauſa confeſſus, nec regulariter convictus, non partibus præſentibus, id quod a ſuis judicibus judicatum fuit ſcriptis ſententia recitata, non canonico & epiſcopali judicio, ab ordine epiſcopali dejectus epiſcopus, ſuis rebus ſpoliatus, & cum eccleſia ſua cujus res & facultates vel officio defuncto, vel morte perfuncto epiſcopo per œconomum futuro epiſcopo ſervari debent, contra omnes leges, & contra omnia jura, divina ſcilicet & humana, ſæcularium præjudicio proſcriptione eſt condemnatus, cum non tantum aut prave ſentientes epiſcopi, aut majeſtatis rei, aut criminibus accuſati: verum Arius & Eutyches presbyteri non niſi conciliorum judicio gradibus ſpoliati, & eorum decreto ab imperatoribus legantur proſcripti, & in exilium deportati. Ego vero verbis non poſſum exprimere quanta conſtringar in mente anguſtia, quoniam per ora multorum audio volitare, quia homines omnium gentium etiam & Judæi Chriſtianæ legis inimici, paſſim legum ſuarum judicantur judicio: bubulcus quoque & ſubulcus, atque opilio habent legem: & contra omnem conſuetudinem Chriſtianorum principum, (& contra præcepta domini dominorum dicentis, & in propheta, atque in evangelio, & in apoſtolo, *Non facies quod iniquum eſt, nec injuſte judicabis. Juſte judica proximo tuo.* Et, *Si vere utique juſtitiam loquimini, juſte judicate filii hominum:* Quia, *In quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis:* videlicet aut juſto judicio damnabimini, pro eo quod fratrem injuſto judicio condemnaſtis: aut juſte judicantibus vobis juſtitia reſpondebit. Ergo ſic loquimini & ſic facite, ſicut per legem libertatis incipientes judicari; hoc eſt, per legem libertatis, ſcilicet evangelii, judicandi.)

Levit. c. 19. Pſal. 57. Matth. 7.

Epiſcopus qualiſcumque cum ſua eccleſia, legem eccleſiaſticam laicorum, ac quarumdam infamium perſonarum, non judicio ſed conludio atque ludibrio, a vobis ignominioſe proſcriptus, habere non potuit. Unde legalis ſententia, quam ut prædeceſſores illius, B. Gregorius in commonitorio Joanni dato decrevit eſſe canonicam, dicit, *Neceſſe eſt ut quod contra leges eſt actum firmitatem non habeat.* Et S. Auguſtinus in libro de vera religione dicit. *In iſtis temporalibus legibus quamquam de his homines judicent, cum eas inſtituunt; tamen*

Canones [illegible] Greg. l. 11. ep. 54. Auguſt. lib. de vera relig. c. 31.



ANNO CHRISTI 868.

*cum fuerint inſtitutæ atque firmatæ non licebit judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas. Conditor tamen legum temporalium ſi vir bonus & ſapiens eſt, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum eſt, ut ſecundum ejus incommutabiles regulas quid ſit pro tempore jubendum vetandumque diſcernat. Æternamque igitur legem mundis animis fas eſt cognoſcere, nefas eſt judicare.* De qua B. Proſper dicit.

Proſp. epigr. 41.

*Lex æterna Dei ſtabili regit omnia nutu,*
*Nec mutat vario tempore conſilium.*

Nam ſi imperatores Romanorum ſuam legem æternam, vel perpetuam appellaverunt, multo magis lex illa æterna eſt, quæ eſt ſancto Spiritu promulgata. De qua S. Leo poſt diſcretionem quæ in ea eſt oſtenſam dicit: *In his quæ vel dubia fuerint, vel obſcura, id novimus ſequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum inveniatur adverſum.*

S. Leo ep. 95. ad Ruſtic.

*Quæ*, inquit, S. Cæleſtinus, *a nobis res digna ſervabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permiſſa frangatur?*

Cæleſtin. P. ep. 2.

Et ſacrum Carthaginenſe concilium ſub Grato epiſcopo dicit: *De quibus apertiſſime divina ſcriptura ſanxit, non differenda ſententia eſt, ſed potius exſequenda. Nemo contra prophetas, nemo contra evangelia, nemo contra apoſtolos facit ſine periculo: & quæ facta vel dicta ſuperius comprehenſa ſunt, vel aliis conciliis conſcripta, quæ ſecundum legem inveniuntur, cuſtodire nos oportet. Si quis vero ſtatuta ſupergreſſus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, ſi laicus eſt communione, ſi clericus eſt honore privetur.*

Concil. Carthag. I. c. 13. & 14.

*Quia*, ut S. papa Hilarius decernens dicit, *Non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in injuriam ipſius domini proſilitur.*

Hilar. ep. 2.

*Legum ſacrarum obſervatio imminuta.*

Qua de re flens dico, & corde mœrenti gemens pronuncio, quia nunc lex domini irreprehenſibilis noſtris infelicibus & periculoſiſſimis temporibus tantum vigorem non habet reverentia divinitatis, ſicut antequam nomen Chriſti in honore per univerſum orbem fieret, leges Romanæ habebant timore imperatoris. Legimus quippe in Actibus apoſtolorum, quoniam cum Paulus & Silas cæſi in carcerem miſſi ſunt, quia miſerunt magiſtratus ut dimitterentur. Paulus autem dixit eis. *Cæſos nos publice indemnatos homines Romanos miſerunt in carcerem, & nunc occulte nos ejiciunt. Non ita, ſed veniant, & ipſi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem magiſtratibus lictores verba hæc, timueruntque audientes quod Romani eſſent, & venientes deprecati ſunt eos, & ejicientes rogabant ut egrederentur de urbe.*

Act. c. 16.

Et item in eadem ſacra hiſtoria. *Quia non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.*

Ibid. c. 25.

Et item cum torquendus eſſet, dicens ſe eſſe Romanum, dimiſſus eſt.

Ibid. c. 22. huc uſque in Sirmondo ep. 29.

Unde non perfunctorie audire debetis quod cæleſtis tuba Paulus apoſtolus dicit. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.*

1. Cor. 8.

Et in ſacra regum hiſtoria ſcriptum eſt. *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt dominus: ſi autem in domino peccaverit vir, quis orabit pro eo?*

1. Reg. 2. Paulin. in vita Ambroſ. Theodoret. hiſt. eccleſ. l. 5. c. 17.

Mementote facti memorandi Theodoſii, & memorabilis viri Ambroſii, & quia exceſſit ut homo Theodoſius, corripuit eum ut verus ſacerdos Ambroſius, & recepit patienter atque humiliter per illum divinam correctionem Theodoſius. Et ideo exaltatus eſt, & merito & nomine & ſanctitatis inſigne ſuper omnes poſt Conſtantinum Romanos imperatores. Felix ille imperator qui ſuo tempore talem habuit ſacerdotem, qui 27 poſt dignam pro exceſſu ſatisfactionem fecit illi ponere, & confirmare legem, ut ſi moto animo ſeverius vindicare in aliquos princeps quiſque decerneret, miniſtri Reip. uſque ad triginta dies eamdem legem exequi non auderent, donec refrigerato animo, & in ſe reverſo, quid verum eſſet, videret, & exequi quod juſtum eſſet, decerneret.

OPUSC. L. V. Baron. ad an. 390. n. 4.

Nam, *Impedit ira virum, ne poſſit cernere verum.* quia, ut quidam ſapiens dixit, cogitationes iracundi viperæ ſunt generationis; prius enim mentem comedunt, matrem ſuam. Et apoſtolus. *Ira*, inquit, *viri juſtitiam Dei non operatur.*

Jacob. c. 1.

Et felix ſacerdos Dei Ambroſius, qui in tempore talis fuit imperatoris. Scriptum eſt enim, *Beatus qui enarrat juſtitiam auri audienti.*

Eccl. c. 25.

Felices quoque ambo, & ſacerdos & imperator, quia ne ira Dei pro exceſſu deſcenderet ſuper imperatorem, habuit ſuo tempore ſacerdotem, de quo non queſtus eſt dominus, quod de nobis modo queritur (1) dicens, *Quæſivi unum qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me, ne diſſiparem eam, & non inveni.*

Ezech. c. 22.

Hinc eſt quod Iſaias noſtræ miſeriæ, & calamitatis in ſe ſumens perſonam graviter coram Deo deplorat, dicens: *Omnes nos cecidimus quaſi folium, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos, nec eſt qui invocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te.*

Iſ. c. 64.

Quomodo enim nos illum iraſcentem tenere, & placare poſſumus, qui ut S. Gregorius conqueritur, *Ad exteriora negotia delapſi ſumus, & aliud ex honore * ſuſcepimus, atque aliud officio actionis exhibemus: miniſterium prædicationis relinquimus, & ad pœnam noſtram, ut video, epiſcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus.* Et, *Relinquunt namque dominum hi qui nobis commiſſi ſunt, & tacemus; in pravis actibus jacent, & correptionis manum non tendimus; quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed * quando nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus noſtram? Curis enim ſæcularibus intenti, tanto inſenſibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris ſunt, ſtudioſiores videmur. Uſu quippe curæ terrenæ a cæleſti deſiderio obdureſcit animus, & dum ipſo ſuo uſu durus efficitur per actionem ſæculi, ad ea molliri non valet, quæ pertinent ad caritatem Dei.*

Gregor. Hom. 17. in evang. * al. ſuſcipimus. * al. quomodo

Et reliqua quæ ibidem idem ſanctus de neglegentibus ſacerdotibus proſequitur. Unde quanto minoris meriti ſumus, ut dominum contra vos, ſi iratus fuerit, tenere poſſimus; tanto magis non ſolum actus veſtros corrigere, verum ne in præceptionibus veſtris, quas vel verbo, vel ſcripto decernitis, vel decreviſtis, ſive decreveritis, quod abſit, aliqua injuſtitia, vel præſumptio, ſive indiſcretio ſit, ſolicite providere debetis, timentes comminationem æterni judicis, qui dicit: *Væ his qui condunt leges iniquas, & ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei; ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos deciperent. Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longe venientis? ad cujus auxilium confugietis, & ubi derelinquetis gloriam veſtram ne incurvemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis? Super omnibus his non eſt averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta.*

Iſ. c. 10.

*Rex non debet uſurpare quæ ſunt ſacerdotum.* * al. ut ſupra.

Et quia, * ſupra oſtendi, ex verbis B. Gelaſii,

(1) Ex Ezech. 22. lege: *Quæſivi virum ..... contra me pro terra, ne &c.* Har.

ANNO CHRISTI 868.

laſii, duo ſunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra pontificum, & regalis poteſtas, in quibus tanto gravius eſt pondus ſacerdotum, quantum etiam pro ipſis regibus hominum in divino reddituri ſunt examine rationem, ſolerter providere debetis, ne extra miniſterium veſtrum, ſicut, Deo gratias, hactenus providiſtis, manum in ſacerdotalem ordinem, & in his quæ eidem ordini Spiritus ſancti dono commiſſa ſunt, contra præceptum domini, extendatis, lectione frequentantes, & mente condentes quod ſcriptum eſt in ſecundo libro Paralipomenon. *Fecit*, inquit, *Ozias rex quod erat rectum in oculis domini, & exquiſivit dominum. Cumque requireret dominum, direxit eum in omnibus, & adjuvit eum contra Philiſthiim, & contra Arabas qui habitabant in * Corbaal, & contra Ammonitas, & divulgatum eſt nomen ejus uſque * in introitum Ægypti propter crebras victorias: & habuit multa pecora, tam in campeſtribus, quam in eremi vaſtitate. Vineas quoque habuit & vinitores in montibus & in Carmelo. * Eratque homo agriculturæ deditus. Et fuit numerus totius exercitus ejus * trecentorum decem millium, & centum. Sed cum roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum, & neglexit dominum ſuum. Ingreſſuſque templum domini adolere voluit incenſum ſuper altare thymiamatis. Statimque ingreſſus poſt eum Azarias ſacerdos, & cum eo ſacerdotes domini octoginta, viri fortiſſimi, reſtiterunt regi atque dixerunt: Non eſt tui officii, Ozia, ut adoleas incenſum domino. Sacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron qui conſecrati ſunt ad * hujuſcemodi miniſterium, eſt iſtud officium. Egredere de ſanctuario, nec contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a domino Deo. Iratus eſt Ozias, & tenens in manu thuribulum ut adoleret incenſum, minabatur ſacerdotibus: ſtatimque orta eſt lepra in fronte ejus coram ſacerdotibus in domo domini ſuper altare thymiamatis. Cumque reſpexiſſet eum Azarias pontifex, & omnes reliqui ſacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & feſtinato expulerunt eum. Sed & ipſe perterritus acceleravit egredi, eo quod ſenſiſſet illico plagam domini. Fuit igitur Ozias rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ; & habitavit in domo ſeparata, plenus lepra ob quam & ejectus fuerat de domo domini.*

(2. Paralip. 26. — al. Gurbaal. — al. ad. — al. Erat quippe homo. — al. trecentorum & ſeptem millium quingentorum. — al. hujuſce. miniſter. Egredere de ſanctuario.)

In quo facto, quia ſicut ſcriptura dicit, *Hæc autem in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem propter nos*, diligenter adtendendum eſt, quoniam quamdiu Ozias dominum coluit, pacifice regnum tenuit, & contra vicinas & alienigenas gentes crebras victorias habuit. Poſtquam autem officium non ſuum præſumpſit, ſed in ſacerdotale miniſterium contra fas manum præſumptionis extendit, uſque ad diem mortis ſuæ lepra plenus in domo ſeparata permanſit, & victoriam nullam fecit: nec cum aliis qui bellabant bella domini pro inimicis Iſrael, qui eccleſiæ typum tenuerat, perfuſus lepra, id eſt, gravi peccato percuſſus atque perculſus habitare prævaluit. Sic & eorum judicio quibus dicit dominus, *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*, & per quos eodem ſpiritu ſacri promulgati ſunt canones, voluntarie atque ex deliberatione quiſcumque violans & convellens conſtituta divina, quia docente Petro, *Non eſt perſonarum acceptor Deus*, ab eccleſiæ corpore ſeparatus, niſi per pœnitentiam & ſacerdotalis indulgentiæ reconciliationem eidem eccleſiæ fuerit reincorporatus, erit ab æterna eccleſia ſeparatus. Unde & apoſtolus præcipit, *cum hujuſmodi nec cibum ſumere*. Et item omnibus, Chriſto in ſe loquente, denunciat dicens: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum*. Quam ſententiam exponens B. Auguſtinus dicit: *Duobus modis non te maculat malus: ſi non conſentias, & ſi redarguas, hoc eſt non communicare, non conſentire. Communicatur quippe, quando facto ejus conſortium voluntatis vel approbationis adjungitur. Hoc ergo nos admonens apoſtolus, ait: Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum. Et quia parum erat non conſentire, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ, magis autem, inquit, & redarguite. Videte quemadmodum utrumque complexus eſt, nolite communicare? Nolite conſentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid eſt autem, magis & redarguite? Reprehendite, * corripite, coercete. Deinde in ipſa reprehenſione, vel coertione aliorum peccatorum, cavendum eſt ne ſe extollat qui alterum corripit, & qui ſe putat ſtare, videat ne cadat; foris terribiliter perſonet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio. Neque ergo conſentientes ſitis, ut approbetis; neque negligentes, ut non arguatis; neque ſuperbientes, ut inſultanter arguatis.*

(1. Cor. 10. — Matth. c. 10. — Act. 10. — OPUSC. I. — 1. Cor. 5. Epheſ. c. 5. — Auguſt. ſer. XVIII. de verb. dom. c. 18.)

Et nolite putare, domine kariſſime ac benigniſſime, quia quocumque carnalis propinquitatis affectu, vel quia tantum in epiſcopo Rhemenſis provinciæ indignitati meæ commiſſæ iſta ſunt acta, commotus hæc ſcripſerim, ſed zelo, de quo & in pſalmo, & in euangelio ſcriptum eſt, *Zelus domus tuæ comedit me*: videlicet zelo univerſalis eccleſiæ, quæ domus Dei eſt, & ſacri ordinis ſacerdotalis, quod unum in omnibus epiſcopis eſt, & officii meæ exiguitatis, legens electos Dei propter leges paternas, etiam mortem corporis appetiiſſe, & in laudibus divinis catholicam eccleſiam cantare ſanctum, *qui pro lege Dei ſui certavit uſque ad mortem*. Veſtræ nihilominus zelo ſalutis & optandæ nobis proſperitatis hæc ſcripſi. Tandem peto ut in hoc ſervitutis meæ obſequio diligentius diſcernatis, quoniam ſi quædam ibidem * mordacibus reſonant, non mihi verba ſunt ſenſus: quæ etſi forent, manſuetudo veſtra debet modeſte perpendere, quoniam adulator blandus eſt inimicus. Quod ſcriptura dicit, *Quia meliora ſunt vulnera amici, quam audientis inimici oſcula*. Non enim occupatam tenet veſtram, ſicut quorumdam captivatam mentem poſſidet vobis bene noti ſententia, quæ dicit, *obſequium*, id eſt, aſſentatio, videlicet adulatio *amicos, veritas odium parit*: quia, ut veritatis amicus veritatem diligitis, ſcientes a veritate dictum, *Cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Inhæreat itaque menti veſtræ quod B. Auguſtinus dicit, quia doloſi vel imperiti medici eſt, ſic * intueri emplaſtrum imponere, ut aut noceat, aut non proſit. Et ſupra poſita quæ ſine adulatione ad veſtram ſalutem veritas per ora veridicorum protulit, vobis non diſplicebunt.

(Pſalm. 68. Joan. c. 2. — 2. Machab. & 7. — Terent. Andr. — Joan. c. 8. — al. volueri.)





ANNO CHRISTI 868.

*II. OPUSCULUM.*

# HINCMARI RHEMENSIS EPISCOPI

# [28] ROTULA

*CAROLO REGI PORRECTA cum præmiſſos quaterniones legere differret.*

Cod. Afric. can. 19.

SAcrum Carthaginenſe concilium dicit. *Quiſquis epiſcoporum accuſatur, ad primatem eccleſiæ ipſius cauſam deferat accuſator.*

Ibid. can. 15.

Et item. *Quiſquis epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum, ſeu clericorum, cum in eccleſia fuerit crimen inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto eccleſiaſtico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat: & hoc in criminali. In civili vero perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit.*

Ibid. can. 104.

Et Africanum concilium. *Quicumque* (ſcilicet clericorum) *ab imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur: ſi autem epiſcopale judicium poſtulaverit, nihil ei obſit.*

Cod. Theod. l. 16. Interpret. legis.

Et ut de legibus Romanis, & nobilis hic pauca ponamus, Gratianus, Valentinianus & Theodoſius conſtituerunt, *Ne quis audeat apud judices publicos epiſcopum accuſare, ſed in epiſcoporum audientiam perferre non differat, quicquid ſibi pro qualitate negotii putat poſſe competere, ut in epiſcoporum aliorum judicio quæ aſſerit contra epiſcopum debeant diffiniri.* Et item imperatores conſtituerunt, ut in privatis cauſis hujuſmodi cauſa ſervetur, ne quemquam litigatorum ſententia non a ſuo judice dicta conſtringat.

S. Leo ep. 96. * imo in Gallia apud Biturgas a Leone archiepiſc.

Et S. Leo ſanctæ Romanæ eccleſiæ pontifex, in ſynodo * Romæ habita, ſtatuit dicens: *Tantam ſæculi poteſtates circa ſacerdotalem ordinem reverentiam prævalere voluerunt, etiam hi quos ſub imperiali nomine terris divina potentia præeſſe præcepit, ut jus diſtringendorum negotiorum epiſcopis ſanctis juxta divalia conſtituta permiſerint. Quod cum & juris antiqui edictis, & inlatis frequentibus ſit legibus conſtitutum, præſenti tempore a pleriſque invenimus fuiſſe calcatum. Nam prætermiſſo ſacerdotali judicio, paſſim ad examen ſæcularium tranſierunt. Quocirca nobis viſum eſt, ut hanc & ſacrarum legum, & noſtri ordinis contumeliam, & ad præſens ulciſceretur plena diſtrictio, & obſervandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſemus itaque, ut quicumque prætermiſſo ſacerdote eccleſiæ ſuæ, ad diſceptationem venerit ſæcularium, ſacris liminibus expulſus a cæleſti arceatur altario.*

Capitul. Caroli M. lib. 1. c. 8.

Et in primo libro capitulorum imperialium domini Karoli & domni Hludouvici ſcriptum eſt cap. VIII. *Ut ad metropolitanum epiſcopum ſuffraganei epiſcopi reſpiciant, & nihil novi audeant facere in ſuis parochiis ſine conſcientia & conſilio ſui metropolitani; nec metropolitanus ſine eorum conſilio:*

Ibid. c. 28.

Et item in eodem libro cap. XXVIII. *Ut ſi clerici vel monachi inter ſe negotium aliquod habuerint, a ſuo epiſcopo dijudicentur, non a ſæcularibus.*

Ibid. c. 38.

Et item in eodem libro cap. XXXVIII. *Ut clerici eccleſiaſtici ordinis ſi culpam incurrerint, apud eccleſiaſticos judicentur, non apud ſæculares.*

OPUSC. II.

Et hæc conſtituta ſunt de his quæ ab epiſcopo, vel presbytero, ſeu diacono committuntur, ſive in criminalibus, ſive de civilibus, id eſt, de pecuniariis cauſis. [21] Ceterum de rebus & mancipiis, & mancipiorum commiſſis, epiſcopi ex eccleſiis nobis commiſſis, vel de proprietatibus clericorum, advocatos dare ſecundum conſuetudinem non abnuimus.

Ubi autem ea emendari debeant, quæ epiſcopi vel clerici, in criminalibus, vel civilibus committunt, leges manifeſte demonſtrant, dicentes multis decernentibus imperatoribus. Ex quibus omnibus hic legem Valentiniani & Valentis ponemus, qui decreverunt, *Ut ultra provinciæ terminos accuſandi licentia prohibeatur.*

Cod. Afric. can. 30. — al. producere.

Et hinc ſacrum Carthaginenſe concilium ſtatuit, ut *accuſatus & accuſator in eo loco unde eſt ille qui accuſatur, locum ſibi eligat proximum, quo non ſit difficile teſtes * perducere, ubi cauſa finiatur.*

Et item leges dicunt, *Si quis adverſarium aut repetitione aut criminis objectione pulſaverit, in provincia in qua conſiſtit ille qui pulſatur, ſuas exerat actiones, nec æſtimes adverſarium ſuum alibi, aut longius ad judicium pertrahendum: Ille vero qui pulſatus fuerit, ſi judicem ſuſpectum habuerit, liceat appellare.*

Innocen. I. ep. 2. c. 3. al. Victricium. — al. cujus — al. clericatu — al. beata conſuet.

Et S. Innocentius ad * Victoricium epiſcopum. *Si quæ*, inquit, *cauſæ vel contentiones inter clericos, tam ſuperioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut ſecundum ſynodum Nicænam congregatis ejuſdem provinciæ epiſcopis, jurgium terminetur: nec alicui liceat, (ſine præjudicio tamen Romanæ eccleſiæ, * cui in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri) relictis his ſacerdotibus qui in eadem provincia Dei eccleſiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod ſi quis forte præſumpſerit, & ab officio * cleri ſubmotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores cauſæ in medio fuerint devolutæ, [22] ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit, & * vetus conſuetudo exigit, poſt judicium epiſcopale referatur.* Unde Carthaginenſe dicit concilium, *Ut a quibuſcumque judicibus eccleſiaſticis ad alios judices eccleſiaſticos, ubi eſt major auctoritas, fuerit provocatum, [24] non eis obſit, quorum fuerit ſoluta ſententia, ſi convinci non potuerint vel inimico animo judicaſſe, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati. Sane ſi ex conſenſu partium electi fuerint judices, etiam a pauciori numero quod conſtitutum eſt, non liceat provocari.* Qualiter autem ſententia finiri debeat, leges & ſacri canones monſtrant, dicentes, ut vel in ſynodo, vel per judices, ſive quos conquirentibus primates dederint, ſive quos ipſi vicinos ex conſenſu delegerint.

Deputatos autem judices epiſcopos, ut Africanum dicit concilium, *Ab illo primate ſunt dandi, in cujus provincia cauſa verſatur. Si autem ex communi placito conquirentes vicinos judices elegerint; aut unus eligatur, aut tres: & ſi tres elegerint, aut omnium ſententiam, ſequantur, aut duorum.*

Conc. Chalc. can. 9.

Et Chalcedonenſe concilium dicit, *Si quis clericus adverſus clericum habet negotium, non deſerat epiſcopum proprium, & ad ſæcularia percurrat judicia: ſed prius actio ventiletur apud epiſcopum proprium, vel certe conſilio ejuſdem epiſcopi*

apud

ANNO CHRISTI 868.

*apud quos utraque partes voluerint, judicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus ſubjacebit.*

Greg. l. 9. indict. 2. cap. 74.

Et S. Gregorius ex legibus & ſacris canonibus conſtituit ſcribens ad Bonifacium defenſorem Corſicæ, & vices agentem apoſtolicæ ſedis, quas in iſtis regionibus primates provinciarum tenent. *Si quis*, inquit, *contra clericum cauſam habuerit, epiſcopum ipſius adeat. Qui ſi forte ſuſpectus fuerit, executor vel ab ipſo, vel, ſi & hoc actor refugerit, a tua eſt experientia deputandus, qui partes ſibi mutuo conſenſu judices compellat eligere, a quibus quicquid fuerit definitum, ita vel tua, vel epiſcopi ſolicitudine, ſervata lege, modis omnibus compleatur, ut non ſit unde poſſint litigiis* * *fatigari*. Et ſi laicus contra epiſcopum civilem, id eſt, pecuniariam cauſam habuerit, epiſcopus admoneri vel compelli ab eis quorum intereſt, debet: Similiter & laicus admoneri vel compelli debet a Reip. poteſtate, ut ad arbitrium, id eſt, ad judicium ex utraque parte electorum judicum veniant, & eorum judicio cauſa finiatur.

al. ſe fatigare.

Greg. l. 2. indict. 9. ep. 36.

Sicut ad Malchum epiſcopum idem S. Gregorius ex legibus, & ſacris regulis ſcribens demonſtrat. * *Præterea*, inquit, *fraternitatem tuam præſenti præceptione curavimus admonendam, ut Stephanum* * *epiſcopum ad eligendum compellas venire judicium: & quicquid inter prædictum Joannem virum magnificum, & ſupradictum epiſcopum, electorum fuerit ſententiam diffinitum, ad effectum perducere non omittas.*

l. Propterea.

al. ſupraſcriptum.

Et hinc leges, quas ſervat eccleſia, dicunt. Obſervare autem judices ſpecialiter debent, *Ut in omnibus cauſis ſententia quæ deliberata fuerit conſtitutis pariter, recitetur: ut ab his a quibus cauſa dicta eſt, ad integrum quæ dicta fuerit ſententia cognoſcatur, & quicquid præſentibus partibus in cauſis fuerit ordinatum, habebit pleniſſimam firmitatem, nec poterit immutari.*

Et quia imperatores, qui ſuo tempore fuerit de pecuniariis cauſis eccleſiaſticum miniſtrum, & Reip. adminiſtrantem judices ad cauſam de accuſato epiſcopo finiendam, ſicut leges & canones jubent, deputaverunt, B. Gregorius in epiſtola decretali ad Joannem epiſcopum Lariſſæum demonſtrat dicens: *Cumque porrecta appellatio per homines Hadriani epiſcopi, ceteraque quæ penes te geſta ſunt, piiſſimis fuiſſent deportata principibus, deputatis, ut diximus, Honorato apoſtolicæ ſedis diacono, & Sebaſtiano glorioſo* * *antigrapheo, cunctiſque ſubtiliter examinatis, a ſereniſſimis principibus ſunt ab omnibus juſſionibus abſoluti.*

Greg. l. 2. Ind. 11. ep. 46.

al. antigrapho.

Unde leges quas probat eccleſia, *Res*, inquiunt, *judicatæ videntur ab his qui imperium poteſtatemque habent, vel qui ex auctoritate eorum inter partes dantur.*

Et notandum, ut præmiſimus, quoniam imperatores leges ſæculi & eccleſiæ conſervantes, ad cauſam pecuniariam, id eſt, civilem, inter epiſcopum & ſæculares inveſtigandam ac diffiniendam, cum miniſtro eccleſiaſtico adminiſtrantem Reip. deputarunt. Si vero epiſcopus aut veraciter, aut ſimulata infirmitate, aut alia qualibet occaſione ſe dixerit non poſſe venire ad ſynodum, aut ad electorum judicium contra adverſum ſe conquirentem, eligat ſibi judices aut deputatos ſuſcipiat, ſicut ex legibus & regulis ſacris præmiſimus: & mittat pro ſe perſonam inſtructam ad locum, & diem deſtinatum, quæ executionem & diffinitionem legaliter ac regulariter ad vices illius in electorum judicio proſequatur: & quod fuerit exequutum, ac diffinitum ſuſcipiat obſervandum, ſicut regulæ ac decreta ſanctæ ſedis Romanæ pontificum: ſed & S. Gregorius ſæpiſſime in epiſtolis ſuis ex legibus & regulis ſacris agendum demonſtrat.

OPUSC. II.

Ex quibus unum de pluribus hic B. Gregorii decretum ponere cenſui, quod ad Fortunatum epiſcopum ſcribens, *Fraternitatem*, inquit, *tuam his hortamur affatibus, ut ceſſante omni excuſatione perſonam huc inſtructam ſub feſtinatione tranſmittas, quæ aut in electorum, aut certe in deputatorum a nobis judicio, ſi quæ pro tuis partibus ſunt, agere, & adverſariorum intentionibus, ac objectis valeat per omnia reſpondere, ut veritate cognita ſalubrem hic finem ſuſcipiat.*

Greg. l. 3. Ind. 1. ep. 108.

Et in epiſtola ad Sergium defenſorem Siponti. *Experientiæ tuæ præſenti auctoritate præcipimus, ut Fruniſcendum admonere ſtudeat, quatenus ſi quid de obſtrictu* * *redhibere eccleſiæ cognoſcit, ſatisfacere dilatione poſtpoſita non deſiſtat. Alioquin mora ceſſante ad electorum accedat te compellente judicium, & quicquid veritate cognita* * *ſacroſanctis euangeliis fuerit ſtatutum, ita ad effectum exequutionis tuæ inſtantia perducatur, ut hujus rei denuo ad nos querela non redeat.*

Ibid. ep. 115.

al. [illegible]

al. [illegible]

Et hic leges Romanæ, in re pecuniaria, tormenta, niſi cum de rebus hereditariis quæritur, non adhibent. Alias autem jurejurando aut teſtibus explicantur. Et ſi epiſcopus noluerit ſuis coepiſcopis ac judicibus a ſe electis, vel a primatibus deputatis obedire, Africani concilii judicium ſuſtinebit, quo dicitur. *A judicibus aut quos communis conſenſus elegerit, non liceat provocari: & quiſquis probatus* * *fuerit pro contumacia nolle obtemperare judicibus, cum hoc primæ ſedis epiſcopo fuerit probatum, det literas ut nullus ei communicet epiſcoporum donec obtemperet.* [25] Et ſi laicus querens contra epiſcopum noluerit obedire judicibus, a principe Reip. & eccleſiæ tutore ac defenſore, & regia benignitate protectore. ....

Cod. Afr. can. 15.

l. pro contumacia.

In capitulis imperialibus ſcriptum eſt, libro ſecundo, *De his qui injuſte ſuper alios querelas faciunt*: Ut *ſi inde convicti fuerint, propter illam calumniam ſecundum legem & æquitatem juſtitiam reddant.*

Capit. [illegible]

Et hinc libro tertio ſcriptum habetur, *De his qui cauſam judicatam repetere præſumunt*, [26] *Sed & de his qui legem obſervare contempſerint, ut per fidejuſſores ad præſentiam regis deducantur.*

[illegible]

De his vero qui Romanis legibus judicantur, decretum eſt, *Ut qui per calumniam injuriæ actionem inſtituit, extra ordinem puniatur, omnes enim calumniatores exilii vel inſulæ relegatione, aut ordinis amiſſione puniri placuit.*

Regia igitur ſolitudo, a rege regum & æquiſſimo judice Deo, ut in directione cordis judicium * judicetur conſtituta, provide ſoliciteque providere debet, ut tales judices cum epiſcopis ad cauſam inter eccleſiaſticos, & ſæculares dirimendam eligat, & conſtituat, qui religioſi ſint & dominum timeant; & non muneris præmio, non favoris, vel propinquitatis, aut amicitiæ gratia, non indebitæ ſubjectionis obſequio, non alterius partis odio perſonam accipiant in judicio; ſed abſque contentione & livore, ſicut ipſa veritas dicit, *non ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicent*. Et hoc non in publico judicii loco,

[illegible]

Joan. 7.



ANNO CHRISTI 868.

ſed in privato: quia epiſcopi * in conſiſtorio regum, non in prætorio judicium, nec niſi ab epiſcopis, in ſynodo, aut in privato loco a primatibus deputatorum, aut a ſe electorum judicum judicio debent aut poſſunt regulariter judicari.

Sirm. non in conſ.

Et prætaxato modo ſupradictas leges, tam publicas, quam eccleſiaſticas in ſuis temporibus ſervari decreviſſe didicimus antiquos imperatores, & prædeceſſores ac progenitores veſtros epiſcopis, & viris eccleſiaſticis: & nobis veſtra dilectiſſima & benigniſſima dominatio ſervaturam ſe & verbo, & ſubſcriptione promiſit in Cariſiaco, ubi hoc capitulum conſultu ac conſilio fidelium veſtrorum tam epiſcoporum, quam & laicorum condidiſtis, & ei ſubſcripſiſtis, dicentes. *Quantum ſciero, & rationabiliter potuero, domino adjuvante, unumquemque veſtrum ſecundum ſuum ordinem & perſonam honorabo & ſalvabo, & honoratum & ſalvatum abſque ullo dolo & damnatione vel deceptione conſervabo. Et unicuique competentem legem & juſtitiam conſervabo. Et qui illam neceſſe habuerit & rationabiliter petierit, rationabilem miſericordiam exhibebo, ſicut fidelis rex ſuos fideles per rectum honorare, & ſalvare, & unicuique competentem legem & juſtitiam in unoquoque ordine conſervare, & indigentibus, & rationabiliter petentibus rationabilem miſericordiam debet impendere, & pro nullo homine ab hoc quantum dimittit humana fragilitas per ſtudium, aut malivolentiam, vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum & poſſibilitatem donaverit. Et ſi per fragilitatem contra hoc mihi ſubreptum fuerit, cum hoc recognovero, voluntarie illud emendare curabo.* Nos autem fideles veſtri, epiſcopi, & ceteri laicalis ordinis qui adfuerunt, hoc capitulum & vobiſcum condidimus, & ei ſubſcripſimus, unuſquiſque profitendo. *Quantum ſciero & potuero, domino adjuvante abſque ulla doloſitate aut ſeductione & conſilio & auxilio ſecundum meum miniſterium, & ſecundum meam perſonam fidelis vobis adjutor ero, ut illam poteſtatem quam in regio nomine, & regno vobis Deus conceſſit, ad ipſius voluntatem, & ad veſtram & fidelium veſtrorum ſalvationem, cum debito honore, & vigore tenere & gubernare poſſitis.*

Capitul. Caroli Calvi tit. 21.

Sirm. ad hoc

Ibid.

*III. OPUSCULUM.*

# HINCMARI LAUDUNENSIS EPISCOPI [27] SCEDULA EPISCOPIS, ET PER EOS REGI PORRECTA.

*Hanc ſcedulam porrexit Hincmarus Laudunenſis epiſcopus apud Piſtas III. Kal. Septembr. indict. I. epiſcopis de provincia Rhemorum, Hincmaro, Odoni: de provincia Rotomagenſi, Vueniloni, Archamberto, Sigenando: De provincia Sennenſi, Æneæ, Fulcrico, Abboni: De provincia Burdegalenſi, Engenoldo, Heliæ.*

Rhemenſi, Belvacenſi, Rotomagenſi, Bajocenſi, Conſtantiacenſi, Pariſienſi, Trecaſſenſi, Nevernenſi, Piſtavorum, Encolimenſi.

NOn latere vos ſcio, domini patres, & fratres, ac Deo digni epiſcopi, res epiſcopii Laudunenſis eccleſiæ mihi commiſſæ, immo quicquid habebam in iſto regno, exceptis principali eccleſia, & epiſcopii domo, & clauſtro primum eſſe inbannata: ita ut nihil mihi a quocumque de prædictis rebus & facultatibus quiddam præſidii miniſtretur, aut obſequii præbeatur. Quoniam ſicut mihi ſub brevi dierum tempore, & nullo epiſcopo meæ provinciæ conſcio fuerat imperatum, ſæculare judicium non adii, & exoniam, ſcilicet perſonam quæ firmaret quod illic venire nequirem, non tranſmiſi: & quod de capite meo, id eſt, de facto meo advocatum in judicio ſæculari non dedi. Verumtamen miſſum meæ excuſationis ad dominum noſtrum regem direxi. [28] Et vos ſcitis ſacris legibus eſſe decretum pro qualicumque civili vel criminali cauſa, quemcumque judicem non licere invitum epiſcopum ad judicium publicum provocare, perducere, vel exhibere. Et quiſquis epiſcoporum vel reliquorum eccleſiaſticorum clericorum, pro criminali vel civili cauſa, relicto eccleſiaſtico judicio, ad publica judicia pertexerit, & eis de criminali culpa purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat: in civili vero perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit. Sed ſi a clerico vel alio quocumque altercatio contra epiſcopum propter quamlibet cauſam fiat, apud metropolitanum, vel primatem provinciæ ſecundum ſacras regulas cauſam judicari debere. [29] Et ſi quid judicatis epiſcopus contradixerit, ad beatiſſimum ſedis Romanæ pontificem cauſa referatur: & ille juxta canones & leges huic cauſæ præbeat finem.

OPUSC. III.

Cod. Afr. can. 15.

Poſtquam vero una cum metropolitano meo ad hunc locum veni, [30] ubi Deo placitum conventum veſtrum adivi, conſilium, & conſenſum apud vos, & per veſtram reverentiam apud domini noſtri regis clementiam quæſiturus, quid me oporteat facere, & quomodo valeam vivere, rebus & obſequiis eccleſiaſticis inconſulto epiſcopali judicio ſpoliatus: non ab ignotis vel incertis perſonis ex parte domini noſtri regis mihi eſt nunciatum, ut me erga eum recognoſcam, & ei humiliter ſatisfaciam. Audivi etiam, quia homines, quorum cauſa adverſum me dominationis ſuæ animus eſt commotus, huc venerint, ut adverſum me debeant queri. Unde quoniam judicio regulari meipſum conſtringo, [31] & *ſententia ſine ſcripto dicta*, juxta definitiones inviolabiles * *nec nomen ſententiæ habere meretur*, humili ſupplicatione ſcripto reſpondeo. [32] Sim canonice reveſtitus, de quibus contra ſacros canones, & decreta pontificum ſanctæ ſedis Romanæ, contraque leges, quibus una cum ſacris regulis ſancta moderatur eccleſia, ſum ſpoliatus. In quibus mihi oſtenderit illum me irrationabiliter offendiſſe, voluntarie recognoſcam, & ei ſicut domino & ſeniori ac regi meo facere debeo, humiliter ſatisfaciam. Et deinde ſicut regulæ jubent meis legitime uſus, & uti præcipiunt canones in provincia mea regulariter ad ſynodum evocatus, de quibuſcumque ibidem fuero interpellatus, coram meis judicibus reddam canonice rationem, & canonicum ſequar judicium.

Greg. l. 11. Ind. 6. ep. 54. al. ne nomen quidem

Alioquin, ſecundum ſacros canones, & decreta ſanctæ ſedis Romanæ pontificum B. Petri apoſtoli memoria honoretur, & ut mihi nulla ab ullo violentia inferatur propria voce atque libello apoſtolicam ſedem appello. Et hanc profeſſionem atque appellationem meam domno noſtro

Pontificem Romanum appellat.

ANNO CHRISTI 868.

ſtro regi Chriſtianiſſimo a primate provinciæ meæ, cui hanc porrigo, dari depoſco: vobis una cum eo ipſius domni noſtri clementiam poſtulantibus, ut propter Dei amorem, atque ſanctæ Mariæ, & ſanctorum apoſtolorum, omniumque ſimul ſanctorum venerationem, mihi leges eccleſiaſticas ſervet, qui regia pietate cunctis legem ſervare, & miſericordiam exhibere monetur.

*IV. OPUSCULUM.*

## SATISFACTIO HINCMARI LAUDUNENSIS EPISCOPI.

*13 Verba ſatisfactionis Hincmari Laudunenſis epiſcopi domno Karolo regi per Odonem epiſcopum miſſa.*

DOmne, ego commovi animum veſtrum, quod mihi non fuerat opus, & non per infidelitatem, nec quantum intentionem mentis meæ cognoſcere potui, ad veſtram dehonorationem: ſed forte per meam incautelam vos offendi. Et quantum vos benignum habui, tantum poſtea offenſum ſenſi. Et inde 14 precor veſtram mercedem, ut veſter animus ſit mihi placatus, & vos iterum ſentiam mihi eſſe benignum.

*V. OPUSCULUM.*

## HINCMARI RHEMENSIS EPISCOPI EXTEMPORALIS ADMONITIO AD REGEM.

*Poſt perſcriptam ſcedulam ab Hincmaro epiſcopo Laudunenſi epiſcopis porrectam, quia rex diſtulit præmiſſos quaterniones ſibi ab Hincmaro epiſcopo Rhemorum oblatos legere, dicens, hanc legem habuiſſe deceſſores ſuos reges, & ſe velle habere, ut epiſcopi in ſuo palatio apud ſæculare judicium reddant rationes, ſi hominibus ſuis beneficia tulerint. 15 Hincmarus Rhemorum epiſcopus hæc quæ ſequuntur cum rotula ſcripta porrexit, dicens:*

HAnc legem deceſſores & prædeceſſores veſtri reges eccleſiæ ſervaverunt: quæ ſi aut per exceſſum principum, aut per negligentiam epiſcoporum aliquo modo violata fuit, tamen correcta, ſicut in eorum capitulis legitur, extitit. Vos etiam, deceſſores veſtros ſequentes, hanc legem eccleſiaſticam ſervaturos Deo, & nobis ſæpius promiſiſtis, ſicut hic continetur.

In libro primo capitulorum imperialium, domni Karoli avi, & domni Hludovici patris veſtri, in lege ab ipſis confirmata, eccleſiæ & univerſis epiſcopis ſcriptum eſt, capite VIII. *Ut ad metropolitanum epiſcopum ſuffraganei reſpiciant, & nihil novi audeant facere in ſuis parochiis, ſine conſcientia & conſilio ſui metropolitani, ... metropolitanus ſine eorum conſilio.* Item in eodem libro capite XXVIII. *Ut ſi clerici,* * *vel monachi inter ſe negotium aliquod habuerint, a ſuo epiſcopo dijudicentur, non a ſæcularibus.* Item in eodem libro cap. XXXVIII. *Ut clerici eccleſiaſtici ordinis ſi culpam incurrerint, apud eccleſiaſticos judicentur non apud ſæculares.* Item in eodem libro cap. LXXVII. *Quia juxta ſanctorum patrum traditionem novimus res eccleſiæ eſſe vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non ſolum habita conſervare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. Tamen ut ab eccleſiaſticis, de non dividendis rebus illius ſuſpicionem dudum conceptam* * *amoveremus, ſtatuimus, ut neque noſtris, neque filiorum, & Deo diſpenſante, ſucceſſorum noſtrorum temporibus, qui noſtram, vel progenitorum noſtrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus diviſionem aut jacturam patiantur.*

Caplt. Car. M. l. 1. c. 8.

Opusc. II. Ibid. c. 21.

al. a ſæcularibus &c.

Ibid. c. 38.

Ibid. c. 77.

al. primi amoveremus

Et hoc cum aliis capitulum quod ſequitur, vos ipſe manu propria in villa quæ dicitur Colonia, conſenſu epiſcoporum, & Vvarini, ac aliorum optimatum veſtrorum anno IV. regni veſtri confirmaſtis, & per Ricuinum Hludovico fratri veſtro miſiſtis. *De honore videlicet, & cultu Dei, atque ſanctarum eccleſiarum, quæ auctore Deo ſub ditione & tuitione regiminis noſtri conſiſtunt, communiter domino mediante decernimus, ut ſicut tempore beatæ recordationis domni ac genitoris noſtri excultæ ac honoratæ, atque rebus ampliatæ fuerunt, ſalva æquitatis ratione ita permaneant. Et quæ a noſtra liberalitate honorantur, atque ditantur, de cetero ſub integritate ſui ſerventur. Et ſacerdotes ac ſervi Dei vigorem eccleſiaſticum, & debita privilegia juxta reverendam auctoritatem obtineant. Eiſdem vero regalis poteſtas, & inluſtrium virorum ſtrenuitas ſeu reipublicæ adminiſtratores, ut competenter ſuum miniſterium exſequi valeant in omnibus rationabiliter, & juſte concurrant.*

De Vvarino ... Capitul. Car. Calvi tit. 1. c. 1.

Et hoc cum aliis capitulum quod ſubſequitur, in Belgivaco civitate, anno VI. regni veſtri coram Deo & angelis ejus, 16 in fide & dextera veſtra, per ſpatam veſtram jurantes, ſicut præſentes epiſcopi qui adfuerunt, petierant, illis & ceteris epiſcopis regni veſtri, ac ſucceſſoribus ſuis, & eorum eccleſiis cunctis diebus vitæ noſtræ vos ſervaturos promiſiſtis, petentibus. *Ut jus eccleſiaſticum, & legem canonicam nobis ita conſervetis, ſicut anteceſſores veſtri, qui hoc bene & rationabiliter obſervaverunt juxta quod ſciri* * *poteritis, & Deus vobis poſſe dederit, noſtris prædeceſſoribus conſervaverunt.*

Ibid. tit. 4. c. 1.

al. poterit

Et hoc cum aliis capitulum quod ſubſequitur anno incarnationis dominicæ DCCCLI. 17 in loco qui dicitur Marſna, cum fratribus veſtris * Vvaltario & Hludouvico manu propria per conſilium & conſenſum fidelium veſtrorum communium communiter confirmaſtis. *Ut noſtri fideles unuſquiſque in ſuo ordine & ſtatu veraciter ſint de nobis ſecuri, quia nullum abhinc in ante, contra legem, & juſtitiam, vel auctoritatem, & juſtam rationem aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus affligemus; & illorum, ſcilicet veraciter nobis fidelium, communi conſilio ſecundum Dei voluntatem, & commune ſalvamentum ad reſtitutionem ſanctæ Dei eccleſiæ, & ſtatum regni, & ad honorem regium, atque pacem populi commiſſi nobis pertinenti adſenſum* * *præbemus; in hoc, ut illi non ſolum non ſint nobis contradicentes & reſiſtentes*

Ibid. Tit. 8. c. 6. V. Notas.

l. Hlothario

l. præbeamus



ANNO CHRISTI 868.

*ſtentes ad iſta exſequenda, verum etiam ſic ſint nobis fideles & obedientes, ac veri adjutores, atque cooperatores vero conſilio, & ſincero auxilio ad iſta peragenda quæ præmiſimus, ſicut per rectum unuſquiſque in ſuo ordine & ſtatu, ſuo principi, & ſuo ſeniori eſſe debet.*

Et hoc cum aliis quod ſubſequitur capitulum 18 in ſynodo apud Sueſſionis civitatem in monaſterio ſancti Medardi anno incarnationis dominicæ DCCCLIII. vos ſervaturos profeſſi eſtis. *Denuntiandum eſt omnibus, & a miſſis noſtris ordinandum, ut omnes eccleſiæ presbyteri ſub immunitate, ac privilegio, & ordinatione atque diſpoſitione epiſcoporum* * *ſingularium parochiarum in quibus conſiſtunt, ſecundum canonicam auctoritatem & capitularia domni Karoli imperatoris avi noſtri, & pii Auguſti Hludovici domni & genitoris noſtri permaneant.*

Ibid. tit. 9. c. 4.

al. ſingularum

Et hoc quod ſubſequitur, anno incarnationis dominicæ DCCCLVIII. regni autem veſtri XVIII. in Cariſiaco palatio, conſenſu epiſcoporum ac ceterorum fidelium veſtrorum ſponte manu propria confirmaſtis. *Quantum ſciero, & rationabiliter potuero, adjuvante domino unumquemque veſtrum ſecundum ſuum ordinem, & perſonam honorabo, & ſalvabo, & honoratum ac ſalvatum abſque ullo dolo, ac damnatione, vel deceptione* * *conſervabo. Et qui illam neceſſe habuerit ... & rationabiliter petierit, rationabilem miſericordiam exhibebo; ſicut fidelis rex ſuos fideles per rectum honorare & ſalvare, & unicuique competentem legem & juſtitiam in unoquoque ordine conſervare, & indigentibus & rationabiliter petentibus rationabilem miſericordiam debet impendere. Et pro nullo homine, ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per ſtudium, aut malivolentiam, vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum vel poſſibilitatem donaverit. Et ſi per fragilitatem contra hoc mihi ſubreptum fuerit, cum hoc recognovero, voluntarie illud emendare curabo.*

Ibid. tit. 22.

al. & unicuique competentem legem & juſtitiam conſervabo.

Poſtea etiam in villa Breona anno incarnationis dominicæ DCCCLVIII. 19 quando nos tranſmiſiſtis ad excommunicandum fratrem veſtrum, & populum qui cum eo ſuper vos venerat, ut ab invaſione regni veſtri, & effuſione ſanguinis veſtri, & fidelium veſtrorum ſe cohiberent, hæc talia plura vos ſervaturos cunctis diebus vitæ veſtræ nobis & omnibus epiſcopis regni veſtri, & eccleſiis nobis commiſſis, & univerſis fidelibus veſtris legem & juſtitiam vos ſervaturos coram Deo & angelis ejus cum lacrymis publice profeſſi fuiſtis.

Ceterum apud Confluentes anno incarnationis dominicæ DCCCLX. firmitas quæ ſubſequitur inter vos & fratrem veſtrum, ac nepotes veſtros facta eſt: quam idcirco hic poſui, quia Dei voluntas, & ſanctæ ipſius eccleſiæ ſtatus, & honor atque defenſio, & populi Chriſtiani vobis commiſſi, ubi non ſexus, non dignitas, non ordo excipitur, ſalus, pax, & legis ac juſtitiæ, atque rectæ rationis conſervatio, & veſtra communis ſalus & honor eſt, ne per oblivionem de his quæ ad eos pertinent, vobis ab aliquo ſubripi poſſit, nec a quocumque vobis de ad vos pertinentibus contra firmitatem ſubripiatur. Firmitas autem ita ſe habet: *Amodo, & quamdiu vixero iſtum* * *fratrem meum natura, & nepotes meos natura ad Dei voluntatem & ſanctæ ejus eccleſiæ ſtatum & honorem atque defenſionem, & ad noſtram communem ſalutem & honorem, & ad populi Chriſtiani nobis commiſſi ſalvamentum & pacem, & ad legis ac juſtitiæ, atque rectæ rationis conſervationem quantum mihi Deus ſcire & poſſe donaverit, & ipſi me obaudierint, & a me ipſi quæſierint, vero conſilio, & ſecundum ut mihi rationabiliter & ſalubriter poſſibile fuerit, ſincero auxilio adjutor ero.* Et reliqua.

Ibid. tit. 26.

al. fratrem meum Carolum & nepotes meos Hludowicum, Hlotharium atque Karolum ad Dei volunt.

OPUSCULUM V.

Juris autem eccleſiaſtici leges ſpiritu Dei conditæ, & ipſius ſapientia qua conditores legum juſta decernunt, decretæ, quibus ſancta moderatur eccleſia, &, ut ſanctus Leo dicit, totius ſunt mundi reverentia conſecratæ, quas epiſcopis regni veſtri, & ſibi commiſſis eccleſiis vos ſervaturos voviſtis & promiſiſtis, manifeſtæ ſunt. Quas qui non obſervat ſine dubio contra Dei voluntatem, & ſanctæ ipſius eccleſiæ ſtatum, & honorem, atque defenſionem, contraque ſuam ſalutem, & juſtitiam, atque directam rationem facit. De quibus legibus hic pauca, & cauſæ unde agitur convenientia, ad memoriam veſtram ſtudui revocare.

*Quiſquis*, inquit ſacrum Carthaginenſe concilium, *epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, ſeu reliquorum clericorum, cum in eccleſia ei fuerit crimen conſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto eccleſiaſtico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiam pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali: in civili vero perdat quod devicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit.*

Cod. Afric. can. 15.

41 Et in B. Gregorii decretis ex Romanis legibus factis canonicis ad Joannem Defenſorem, conſtitutum eo pro qualicumque civili vel criminali cauſa, quemcumque judicem non licere invitum epiſcopum ad judicium publicum provocare, producere, vel exhibere. Sed ſi a clerico, vel * aliquocumque altercatio contra epiſcopum propter quamlibet cauſam fiat, apud metropolitanum vel primatem provinciæ ſecundum ſanctas regulas cauſam judicari debere. Et ſi quid judicatis epiſcopus contradixerit, ad beatiſſimum ſedis Romanæ pontificem cauſa referatur. Et ille ſecundum canones & leges huic cauſæ præbeat finem. Et ſacrum Carthaginenſe concilium decrevit, ut *Quiſquis epiſcoporum accuſatur, ad* * *primates provinciæ ipſius cauſam deferat accuſator.* Et ſanctione legis Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii *ſpecialiter prohibetur, ne quis audeat apud judices publicos epiſcopum accuſare: ſed in epiſcoporum audientiam proferre non differat quicquid ſibi pro qualitate negotii putat poſſe competere, ut in epiſcoporum aliorum judicio quæ aſſerit contra epiſcopum debeant definiri.* Et in decretis B. Gregorii ad Joannem ex lege Gratiani, Valentiniani ac Theodoſii, *Et in privatis*, inquit, *cauſis hujuſmodi* * *cauſa ſervetur, ne quemquam litigatorum ſententia non a ſuo judice dicta conſtringat.* Et item ibi. *Neceſſe eſt ut quod contra leges factum eſt, firmitatem non habeat.*

Greg. l. 11. indict. 6. ep. 54. al. 56.

al. a laico quocumque ... contra

Cod. Afr. can. 19. al. primatem

Cod. Theodoſ. de ep. l. 12.

Greg. l. 11. indict. 6. ep. 54. c. 1. al. forma

Et Carthaginenſe concilium ſtatuit, *Ut accuſatus, vel accuſator in eo loco unde eſt ille qui accuſatur, locum ſibi eligat proximum quo non ſit difficile teſtes producere; ubi cauſa finiatur.* Et lege Valentiniani atque Valentis decernitur, ut ultra provinciæ terminos accuſandi licentia prohibeatur.

Cod. Afric. can. 30.

Et Africanum concilium, *Per epiſcopos*, inquit, *judices cauſa finiatur, ſive quos eis* (42 quin conquirentibus) *primates dederint, ſive quos ipſi vicinos ex conſenſu delegerint.* 43 Sicut in ſequenti articulo dicitur, quod ſervari de cauſis in legibus conſtitutis ſicut ſua loca demonſtrant, & S. Gregorius decrevit. Et item ſacri canones ac decreta ſedis Romanæ pontificum, an-

Cod. Afr. can. 120.

ANNO CHRISTI 868.

V. Anton. Auguſt. l. 5. tit. 30.

nis ſingulis per unamquamque provinciam bis A in anno concilia celebrare præcipiunt, ut communiter ſimul omnibus epiſcopis congregatis, provinciæ diſcutiantur quæſtiones, & omnes controverſiæ diſſolvantur.

Concil. Antioch. can. 24. Can. 25. Concil. Gangr. can. 7. can. 8.

[44] Et item ſacri canones Antiocheni, & Gangrenſes atque decreta ſedis Romanæ pontificum, jubent, ut *Quæ ſunt eccleſiæ ſub omni ſolicitudine & conſcientia bona, & fide quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat judicatque, ſerventur. Quæ etiam diſpenſanda ſunt, judicio & poteſtate pontificis, cui commiſſus eſt populus, & animæ quæ intra eccleſiam congregantur.* Et: *epiſcopus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes qui indigent, cum ſumma reverentia & timore Dei. Participet autem* B *& ipſe quibus indiget, ſi tamen indiget, tam ſuis, quam fratrum qui ab eo ſuſcipiuntur neceſſariis uſibus profuturis. Si quis autem oblationes eccleſiæ extra eccleſiam accipere, vel dare voluerit, præter conſcientiam epiſcopi, vel ejus cui hujuſcemodi officia commiſſa ſunt, nec cum ejus voluerit agere conſilio, anathema ſit.* Et: *Si quis dederit, vel acceperit oblata, præter epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema ſit.*

Concil. Calched. can. 25.

Et concilium Calchedonenſe decrevit: *Res eccleſiaſticas ſecundum ſententiam epiſcopi diſpenſari, & reditus eccleſiæ viduatæ penes œconomum ejuſdem eccleſiæ integros conſervari.*

Stephan. P. epiſt. 2.

Et S. Stephanus papa & martyr, *Quicquid in ſacratis*, loquitur, *Deo rebus & epiſcopis, injuſte agitur, pro ſacrilegio reputabitur.*

Conc. Carthag. I. can. 14. Hil. epiſt. 2. al. 4.

Et Carthaginenſe concilium ſub Grato epiſcopo, judicavit, ut *ſi quis ſtatuta ſupergreſſus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, ſi laicus eſt, communione, ſi clericus eſt, honore privetur.* Quia ut S. papa Hilarus decernens dicit, *Non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in injuriam ipſius domini proſilitur.* Unde neceſſe eſt, ut quæ juſte & rationabiliter noviſtis, & promiſiſtis domino, conſervetis: jubente Dei ſpiritu per prophetam, *Vovete, & vota veſtra reddite domino Deo veſtro.*

Pſ. 75.

*VI. OPUSCULUM.*

# HINCMARI RHEMENSIS EPISCOPI [45] EPISTOLA

## AD CAROLUM REGEM

Poſtquam Hincmari Laudunenſis epiſcopi cauſa regulariter audita & definita fuit.

*Domino* KAROLO *regi glorioſo*, HINCMARUS *nomine non merito Rhemorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus.*

ECce, domine, ſicut hic dilectus frater, & venerabilis coepiſcopus noſter Odo, ac miſſi veſtri verbis plenius poſſunt dicere, & exiguitas mea his litterulis dominationi veſtræ duxi ratum ſignificare, Hincmaro epiſcopo rebus & facultatibus eccleſiaſticis quibus ſpoliatus fuerat, reveſtito in provincia, & competenti loco, ab electis ex utriuſque partis conſenſu judicibus ſe- A cundum leges eccleſiaſticas, ſine poteſtatis veſtræ aliquo detrimento, & cum honoris veſtri augmento, dicente Dei ſpiritu per pſalmiſtam, *Honor regis judicium diligit*, quæſtio contra eumdem Hincmarum commota, regulariter audita & ventilata eſt ac definita, quantum ad miniſterium epiſcopale pertinuit, licet iſdem epiſcopus ex integro non fuerit reveſtitus. Contumacium autem cauſa, alterum finem expectat. Non igitur, quod in adoleſcentia veſtra, quando animus hominis lubricus, & ad indebita uſurpanda ſolet eſſe proclivus, domino vos cuſtodiente, non accidit, in perfecta ætate vobis ſubripi, minime autem perſuaderi leges eccleſiaſticas, vel in modico infringi, ſive convelli a quo- B cumque ſuſtineatis. *Scientes*, (ſicut Conſtantinus & Conſtans impp. in edicto ſuæ legis quo immunitatem eccleſiæ, ac ſuis miniſtris *) debere *magis religionibus, quam officiis, & labore corporis & ſudore rempublicam contineri.* [46] Et ſicut ſæpe ſoletis recolere, B. Gregorium Brunichildi reginæ Francorum ſcripſiſſe, *Facite quod Dei eſt, & Deus faciet quod veſtrum eſt*, huic præmittens ſententiæ, *Confidimus*, inquit, *quod tanto * propitius cauſas veſtras ſua pietate diſponet, quanto ipſe de ſua vos eſſe videt cauſa ſolicitos.* Olim enim, ſicut Honorius & Theodoſius in lege data eccleſiæ ſcribunt, ut eorum utamur verbis, *Clericos indiſcretim ad ſæculares judices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, quos abdicata tyranni* C *præſumptione, epiſcopali audientiæ reſervamus. Fas enim non eſt, uti divini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.* Quæ lex poſtea a deceſſoribus & prædeceſſoribus veſtris regibus, eccleſiæ & miniſtris ſuis conſervata fuit: niſi forte aut per exceſſum principum, aut per negligentiam epiſcoporum ad tempus aliquo modo extitit violata: quæ aut correctione, aut innovata conſtitutione indigens per eos ad ſtatum ſolidatum eſt reducta, vel in ſtatu ſolido confirmata. Sicut in avi, & patris veſtri capitulis in libro primo capitulorum habetis, quæ in quaterniunculis vobis nuper apud Piſtas oblatis, & poſtea cauſa compendii, in rotula dominationi veſtræ a me collecta, & vobis data ſine D difficultate poteſtis relegere. Poteſt enim fieri ut alicui principi ante vos, hinc ſubreptum ad modicum fuerit, & iterum æterna lege correctum. [47] Sicut Julianus, & poſtea imperator Mauricius decreverunt, ut ei qui ſemel in terrena militia ſignatus fuerit, niſi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulſus, in monaſterio recipi, & Chriſto eum militare non liceat. Quod religioſi imperatores, & S. Gregorius auctoritate apoſtolica & generali epiſcoporum conſenſu, eccleſiaſtico vigore, ac reipublicæ Chriſtianæ cohibente religione deſtruxerunt, velut in ejus epiſtolis ad ipſum Mauritium imperatorem, & ad plurimos archiepiſcopos directis oſtenditur. Quod & divæ memoriæ avo veſtro Karolo ſubripuit, E ſicut majorum traditione, & verbis & ſcriptis didicimus. [48] Et in libro primo capitulorum cap. CXII. demonſtratur, de liberis hominibus ad ſervitium Dei ſine ſua licentia non convertendis. Quod eccleſia & reſp. non conſenſit, quodque poſtea correxit: ſicut in eodem libro cap. CXXXIV. monſtratur. De rebus nihilominus eccleſiaſticis dividendis eidem avo veſtro incongruentia quædam ſubripuit, quæ oris profeſſione, & edicti ſubſcriptione correxit, ſicut in præfato primo libro capitulorum, capite ſeptuageſimo quarto, evidenter oſtenditur. Unde præjudicium ad tempus extortum vel uſurpatum, pro

OPUSCULUM VI. Pſal. 98.

Cod. Theod. l. 16. de epiſcopis. * deeſt aliquid.

Greg. l. 9. ind. 4. ep. 5. al. propitius.

Ibid. l. 5.

Greg. l. 2. ind. 1. epiſt. 61. & ſeq.

Capitul. Caroli M. l. 1. c. 114.

Ibid. c. 134.

Ibid. c. 74.



ANNO CHRISTI 868.

Epiſtola ſecunda pars de homicidio per Luidonem perpetrato.

pro legis judicio nemo ſanum ſapiens tenuit, A retinet, vel tenebit.

Ibid. l. 2. c. 13. al. Quia quicquid.

[49] Ceterum in ſecundo libro capitulorum cap. XIII. continetur, ut *ſi talis cauſa in qualibet provincia, aut in aliquo comitatu orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem regni, aut ad commune damnum pertineat, quæ etiam ſine noſtra poteſtate corrigi non poſſit, nos diu latere non permittatis, qui omnia Deo auxiliante corrigere debemus. * Quicquid hactenus in his quæ ad pacem & juſtitiam totius populi pertinent, & ad honorem regni ac communem utilitatem aut a nobis, aut a vobis neglectum eſt, debemus Deo auxiliante certare qualiter ab hinc noſtro & veſtro ſtudio emendatum fiat.* In

Ibid. l. 4. c. 27. al. est perpetratum.

quarto etiam libro cap. XXIV. ſcriptum eſt, *Si quis aliqua neceſſitate cogente homicidium commi-* B *ſit,* [50] *Comes in cujus miniſterio * perpetratum eſt,* [51] *& compoſitionem ſolvere,* [52] *& faidam per ſacramentum pacificare faciat. Quod ſi una pars ei ad hoc conſentire noluerit, id eſt, aut ille qui homicidium commiſit, aut is qui compoſitionem ſuſcipere debet, faciat * illum qui ei contumax fuerit ad præſentiam noſtram venire, ut eum ad tempus quod nobis placuerit in exilium mittamus, donec ibi caſtigetur, ut comiti ſuo inobediens eſſe ulterius non audeat, & majus damnum inde non adcreſcat.*

al. illum comes.

Facti narratio.

Cur autem iſta vobis bene ſcientibus ſcribo, quia vobis tacere non audeo, patenter oſtendo. Jam pluſquam XV. annis, ex quo Luido in parochia noſtra invitus homicidium perpetravit, un- C de Hlotarius nepos veſter in regno ſuo, [53] ſine reſpectu alicujus perſonæ, regium miniſterium adimplevit. Nunc autem ad Piſtas, & inde ad Baſivum eumdem Luidonem, ut cum hominibus dominationis veſtræ pacificatus eſſe poſſet, ſicut vobis & nepoti veſtro, conveniſſe audivi, ducere ſtudui; & ſecundum commendationem veſtram per legale judicium [54] cauſa perrexit, uſque ad id loci, ut ne faidam homines veſtri jurarent. Vias inde ad veſtram commendationem petierunt, [55] cum judicatum fuerit, ut eiſdem * levidem revvadiaret, & homines veſtri faidam jurarent. Et ſi alia eidem Luidoni quærere vellent, [56] in mallo illius de quibuſcumque vellent eum interpellarent, & ipſe juſtitiam redderet. Quod D & ipſe Luido humiliter obtulit. Poſtea autem qualiter inde actum fuerit, vos non latet; ſcio tamen quia ſicut capitula dicunt, inde actum non fuit. Nec tantum inde in palatio veſtro fuit executum, quantum capitulum jubet, [57] ut quilibet comes in ſuo comitatu inde facere per auctoritatem debet. Unde [58] vos inquietare tunc propter Aquitanorum præſentiam nolui.

al. laudem.

Capit. Car. M. l. 5. c. 134.

Quare de ea cauſa conqueritur.

[59] Nunc autem, quia ipſi veſtri homines & proprietatem, & beneficium, in veſtro regno, & in mea parochia habent; [60] ſed & Boſo in noſtra diœceſi beneficium veſtrum habet, conſideret inde ſapientia veſtra qualiter ſecundum miniſterium vobis a Deo commiſſum, & ſecundum honorem veſtrum inde fiat, ne hæc cauſa diutius ex E veſtra parte, imperfecta remaneat, & ſi majus damnum inde fuerit, periculum anima veſtra, quod avertat dominus, contrahat. Utrum autem vobis placeat, ut ipſi homines veſtri cum miſſo veſtro, in noſtram parochiam, ubi proprietatem & beneficium habent, & ipſa cauſa corrigi debet, veniant; aut niſi venerit, quod in regno veſtro habent in bannum mittatur, aut aliter inde fiat, veſtræ ſapientiæ intererit. Ego autem quoniam amplius hanc cauſam differre non audeo, ſi interim aliud quod rationi & auctoritati conveniat, a vobis aut ab illis inde non ac- A cepero, [61] in die miſſæ S. Rhemigii, vita comite, domino adjuvante, ubi locus ſermonis mei inter ſacra miſſarum ſolennia venerit, ante corpus illius ſacratiſſimum qui vere eſt epiſcopus, auctoritate Dei, & ſanctorum apoſtolorum, & ipſius Francorum apoſtoli, in quibus & nobis licet indignis, pro patribus natis filiis, dominus dicit: *Quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cælis*, eos qui ad pacem redire nolunt, ſicut canones ſacri præcipiunt, & quolibet modo conſentientes eis, ab omni ſocietate totius Chriſtianitatis excommunicare curabo, donec ad pacem quam Chriſtus oſtendit & docuit, redire, cum debita ſatisfactione procurent: eoſque, ſicut præcipiunt canones, regibus & epi- B ſcopis & quibuſcumque potuero, literis excommunicatos eſſe denunciabo, ut non communicantes excommunicatis, excommunicati & ipſi pariter habeantur. Non enim vobis vel nobis parvipendenda eſt ſententia B. Gregorii, qua concordans apoſtolo, præſertim de poteſtatem habentibus, dicit, *Qui non corrigit reſecanda, committit.*

[62] Audivi denique quoſdam reprehendere nos epiſcopos & dicere, quod volumus tota die per ſcripturas parabolare. Quod devotio religionis veſtræ non ſinat ſuis auribus ſuſurrari. Apoſtolus namque plenus dicit, *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; ſcripta ſunt autem propter nos.* Et dominus ad pro- C phetam, *Audiens nuntiabis eis ex me.* Ex me, inquit, id eſt, quæ ego in ſcripturis loquor, & non ex te, id eſt, ex tuo animali & carnali ſenſu. Et S. Leo ſacros canones ſpiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos dicit. Et de legibus quibus eccleſia moderatur, & Chriſtianitas regitur, Chriſti domini ſapientia dicit, *Ego ſapientia habito in conſilio: per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Conditores quippe legum non nudo verbo, ſed ſcripto leges condiderunt & condunt, & ſubſcriptione confirmaverunt, atque confirmant. Quas non illi reges cuſtodiunt de quibus Deus, qui ut ſcriptum eſt, *Facit hypocritam regnare propter peccata populi*, dicit, *Ipſi regnaverunt, & non ex* D *me: principes extiterunt, & non cognovi.* Sed illi reges eas condunt atque conſervant, de quibus item dominus, ut præmiſimus, dicit, *Per me reges regnant*, quales præmittens, *dominum timete*, jubet honorificare apoſtolus, dicens: *Regem honorificate, & obedite regi quaſi præcellenti*: videlicet qui regis regum obedit mandatis, & ejus cuſtodit judicia. Alioquin ut S. Petrus dicit, *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Hinc enim ejus coapoſtolus dicit, *Non eſt poteſtas niſi a Deo*, Et, *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Quia nihil fit in mundo, niſi quod aut Deus miſericorditer facit, aut fieri juſte permittit. Cum itaque reges ex illo regnant, miſericordia illius eſt, ut ſalventur populi eis E commiſſi: cum vero non ex illo, ſed permittente juſto ipſius judicio reges regnare videntur, vindicta eſt peccatoris populi, & regnantis cumulus pœnæ. Sed fideles quique poteſtati aut a Deo collatæ, aut a Deo permiſſæ non reſiſtunt, cum juxta Petri vocem *ſub manu Dei humiliantur*, & de bonis principibus gratias referunt: & de his qui ad purgationem ſuam a Deo regnare permiſſi ſunt, gementes exultant. Sicut ſcriptum eſt, *Exultaverunt filiæ Juda in omnibus judiciis tuis, domine.* Sicque non reſiſtunt ordinationi Dei, qui novit, non mala facere, ſed ordinare. Reſiſtunt autem iniquis iniquorum operibus & mandatis.

OPUSCULUM VI.

Joan. c. 20.

Greg. l. 7. ind. 11. ep. 6.

Tertia pars contra aulicos.

Rom. c. 15.

Jerem. c. 3.

Proverb. c. 8.

Job. c. 34. Oſee c. 8.

1. Petr. 2.

Act. c. 5. Rom. c. 13.

1. Petr. 5.

Pſal. 96.

*Eccleſ. c. 12.* datis. Unde ſcriptum eſt, *Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi*: quia neſciunt culpas palpare, ſed pungere, & tolerant patienter propter dominum illata mala ſibi a principibus malis. Quapropter, qui nobis derogant dicentes, quod volumus tota die loqui per ſcripturam, *Matth. c. 12.* ſi *de omni verbo otioſo reddent rationem in diem judicii*, ſicut veritas non mentiente ore dicit, videant quid ſuſtinebunt, de hoc crimino ſo detractionis, & contra nos murmurationis verbo. Nos enim cum S. Moyſe illis dicimus, *Exod. c. 16.* *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra dominum. Nos enim quid ſumus?* Illiſque cum apoſtolo inculcamus, *1. Cor. 10.* *Neque murmuraveritis, ſicut quidam murmuraverunt, & a ſerpentibus perierunt.* Quibus enim increſcit legere, vel ſcribere quæ ſcripta ſunt, vel ſcribuntur, ſciant, quia non de ignorantia judicabuntur: ſed de contemptu quo nolunt ſcire, quo nolunt legere, vel audire condemnabuntur. De qualium choro dominus dicit, *Pſalm. 35.* *Noluit intelligere ut bene ageret; iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* Cum enim non dicit, non potuit intelligere, ſed *noluit intelligere*, aperte reatum contemptus denunciat, pro quolibet contemptor merito debitas pœnas luet. *Pauca quædam videntur deeſſe.*

# LUDOVICI CELLOTII IN OPUSCULA HINCMARI UTRIUSQUE NOTÆ.

## *IN QUATERNIONES Hincmari Rhemenſis.*

*Opuſculi veræ nomenclatio. Hincmar. Laudun. ep. de lit p. 614.*

1. VERUM huic ſcripto nomen dedit nepos Hincmarus cum ſcripſit avunculo, licet iratus, *Vos quoque in quaternionibus Piſtis regi datis hoc capitulum integrius ita poſuiſtis.* Et paulo poſt. *De quibus in quaternionibus veſtris, quando vobis placuit, pro me, proque eccleſia mea ita ſcripſiſtis ad locum.* Et longe inferius. *Ut de canonum ſtatutis ſileam, ex quibus pro re hujuſmodi, ſcriptis veſtræ auctoritatis, & regi Piſtis, ut præmiſi, datis, animadverti licebit, in quibus ad locum ita decerniti inferentes. Unde conſtat,* &c. *Ibid. p. 617.* Et paulo poſt. *Etenim quoque in quaternionibus veſtris domino regi Piſtis pro hujuſmodi redatis, ſic ſcripſiſtis ad locum.* Quibus omnibus locis ea producit, quæ reapſe in hoc opuſculo legimus. Vocavit autem quaterniones ætas illa, prolixiores & pleniores de materia aliqua tractatus. *Quaterniones quid. Concil. Duz. c. p. 2 c. 17.* Quaterniunculos ſuos, citat Rhemenſis in concilio, quibus ait ſe nepotis piracio latius reſpondiſſe: ac fortaſſe, talibus ſcriptis quæ quaterniones appellarunt, contentioſam tantum, & pugnacem materiam incluſerunt.

*Opuſculi partitio.* Hi vero noſtri ſunt ejuſmodi, ut niſi nos moneret auctor, feſtinato ſcriptos eſſe, *propter brevitatem temporis, & feſtinantiam*, potuerimus credere matura conſideratione, & animo curis omnibus vacuo fuiſſe compoſitos: adeo ingenium habuit in numerato. Siquidem in narratione a qua orditur nullam omittit circumſtantiam, qua regium facinus exaggerari poſſit. Confirmatio quæ ſequitur, quam multis divinis atque humanis legibus, & pontificum decretis, patrumque ſententiis referta eſt? Peroratione denique quid gravius atque ad permovendum aptius dici poteſt? In quibus omnibus, ſi quid forte non ſatis recto ordine perſequitur, feſtinantiæ; ſi eadem ſæpius quam par eſt repetit & inculcat, multiloquio, quod importunum ejus vitium eſt, donabit lector non malevolus.

*De loco in hac geſta ſunt.* Sed antequam ulterius progrediamur, nobilis certaminis campum noſſe, ſi ad cauſam & neceſſarium non eſt, [illegible] ad hiſtoriam inutile non fuerit. Piſtas enim locum regio palatio decoratum, placitis, ſynodis, capitulis insignem, frequentat hiſtoria, reges noſtros, maximeque Carolum ſequuta: ſed quis & ubi ſit, hactenus inter eruditos quæſitum eſt. Nam & ædificia tempus evertit, & nomen ipſum corrupit. *Tantum ævo quinqua valet mutare vetuſtas.* Hiſtorici vernaculi, certe quos legere licuit, ne nominant quidem. Ortelius in theſauro geographico, Colvenerius in notis ad Flodoardum, & alii, Piſtas idem eſſe volunt quod Pixiacum, in diœceſi Carnotenſi. Repugnat Simondus in capitularia Caroli Calvi, eamque ſedem in diœceſi Rotomagenſi quærit, neque tamen ad eam præciſe deſignandam pervenit. *Piſſ. Simond. in Opuſc. Car. Calvi.* Quoniam eo ſcribente annales Bertiniani nondum emerſerant ex tenebris, qui lucem huic dubio darent. Sic enim illi digitum ad eum locum intendunt, ut in poſterum dubitare non permittant. Audiantur.

*Carolus omnes primores regni ſui ad locum qui Piſtis dicitur, ubi ex una parte Andella, & ex altera Audura, Sequanam influunt, circa Junii Kalendas cum multis operariis, & carris convenire facit, & Sequana munitiones conſtruens, aſcendendi vel deſcendendi navibus, propter Normannos aditum intercludit.* *Piſtæ quid ſint. Annal. Bertin. ad an. 862.* Duo dicit, & inter duos fluvios eſſe in Sequanam influentes, & ibi propugnacula conſtructa, quibus Nortmannorum curſus inhiberetur. *Andella, Eure.* In eo tractu quatuor circiter ab urbe Rotomago leucis inter duos illos fluvios vallis extenditur, cui vernaculum nomen *le Val-pitan*, quod cum addito ſcribendum admonet charta authentica donationis factæ canonicis regularibus, qui monaſterium duorum Amantium in vicino monte religioſe incolunt. *Le Val Pitan.* *Dedi canonicis, &c. Molendinum meum apud Vallem Piſtene.* Odericus Vitalis in eccleſiaſtica ſua hiſtoria, vocat Vallem de Piſtris, quam Richerius de Aquila, Radulpho de Conchis donavit quia, *nec ad rura ſua, quæ ultra Sequanam ſunt, niſi per terram ejus ire poterat, conſilio regis Pontem S. Petri, totamque Vallem de Piſtris dedit, ut ſibi fidelis eſſet.* *Oderic. Vitalis hiſt. eccl. l. 12.* In ea valle pagus eſt, dictus etiamnum *Piſtres*, a quo Valli nomen, æquali ſpatio ab utroque fluvio diſſitus, neque nobis dubium eſt, quin fuerint illæ antiquorum Piſtæ tot ſignis declaratæ. *Piſtres.* Hic hodieque viſuntur veterum ædificiorum ruinæ, & miræ altitudinis puteus, ſed incertum an palatii quod incoluit Carolus ſint veſtigia, an recentioris alterius, & quidem regii palatii, quod Pleſſiacum dictum eſt. *Le Pleſſ.*

*Munitio ad Piſtas.* Tenebant eo tempore Nortmanni Oſcellum Sequanæ inſulam, quam caſtello munierant. Fuit igitur intercludendum iter, ne reliquas Galliæ partes vexarent. Imo ne Piſtas redirent, nam antea magno regni dedecore regiam illam invaſerant, & in ea aliquandiu ſubſtiterant: dicentibus ſynodi Piſtenſis epiſcopis anno Chriſti 862. *Qui ex diverſis provinciis ſuper fluvium Sequanam, in locum qui Piſtis dicitur, ubi exigentibus peccatis noſtris aliquandiu fuit ſedes Nortmannorum, convenimus.* Id igitur eo ipſo loco apud Piſtas factum a Carolo. Nam præter Caſtellum Pleſſiacum, quod imminet Sequanæ, aliorum duorum ſuperſunt monumenta, quæ ſupra Andellam eminebant, ſuis utrumque nominibus diſtinctum. Sunt qui putent nihil tunc aliud extructum a Carolo rege, præter Pontem-Archæ in vicinia; quem fabulantur incolæ conditum fuiſſe a Julio Cæſare indicio cervi illac enatantis. Quicquid autem ibi confectum fuerit, operi præfuit Venilo, ſcribente Hincmaro, apud Flodoardum, *Venilloni Rotomagenſi de operariis & opera quam faciebat ad Piſtas in Sequana.* *Flodoard. l. 3. c. 21.* Quo ex loco deducit Sirmondus Piſtas ad Rotomagenſem diœceſim, non vero ad Carnotenſem pertinere. Et hæc ſatis ſuperque ad illuſtrandum locum modo obſcuriſſimum, olim perilluſtrem.

2 *Et ut in Ariulfi & Amalberti cauſa.*) Quæ ſit illa Ariulfi cauſa, dici non poteſt, cum hiſtoria non fuerit digna. Amalbartum aliqua ex parte novimus ex l. 55. capitulorum, ubi queritur *Amalbertum parochianum ſuum contra regulas pro cauſa inlicita excommunicatum* a Laudunenſi: atque illud factum ab eodem ſcripto & veterum auctoritate avunculo probare conatum nepotem; ſed perverſe. *Scripta mea decurſans*, inquit, *in ſcripto quod mihi de Amalberto dediſti, volens me ex verbis meis revincere, & me ad fortitudinem tui judicii contorquere.* Sed hæc poſteriora ſunt, & utrumque antea injuriam feciſſe Laudunenſi oportet, cui proviſum ſit a rege, ad Rhemenſis preces remedium, eccleſiaſtica libertate illæſa.

3. *Ad veſtram dominationem ſe reclamavit.*) Vox in libris, legibus, libuſque horum temporum frequentiſſima, neque minus noſtratibus Gallis & uſu [illegible] nota; *Exenium* quod ſequitur, non unius ſignificationis eſt. Nam Hincmaro noſtro alibi, & fortaſſe etiam hoc ipſo loco, munus ſignificat. *Talia vel ita condigna exenia mecum non attuli, ut domno apoſtolico, & cariſſimo patri noſtro Arſenio, ac vobis condigne mittere poſſem.* Aliis, exenium eſt obſequium ultra ſolitum dominorum ſubditis exhibitum. Baldricus hiſtoriæ Jeroſolymitanæ l. 3. apud Lindenbrogium. *Condito corpore quibus potuerunt aromatibus, imperialibus exeniis illud proſequuti ſunt.* *Lindenbr. in Gloſſar.* Quocumque ceperis modo, filius ille Luidonis ab Hincmaro Laudunenſi beneficium gratis non accepit, & ut alii loquuntur, non vacua manu. Crimen in eo tamen nullum fuiſſe inde manifeſtum eſt, quod qui dedit, factum publice profitetur; qui recepit, non negat; qui narrat, non arguit. De Luidone autem ejus patre alia occaſione, ultima epiſtola, aget cum rege Rhemenſis.



*Exonia quid. Hincm. Laudun. in ſcedula. Ann. Bertin. an. 868.*

4 *Requiſita eſt quam patriotica lingua vocamus, exonia.*) Teſtis ſcilicet idoneus qui ſacramento confirmaret, ipſum adire non poſſe. Sic enim explicat Laudunenſis ipſa in ſcedula, *Sæculare judicium non adii, & exoniam, ſcilicet perſonam quæ firmaret quod illuc venire nequirem, non tranſmiſi.* Eodem modo narrant annales Bertiniani, ſuppreſſo vulgari vocabulo, *Quia perſonam præfatus epiſcopus non miſit, qui juraret quod illuc venire non poſſet.* Præter jus & morem id ab eo requiſitum eſſe queritur archiepiſcopus, quia tantæ gravitatis & dignitatis eſt epiſcopus, ut injurato credi debeat: & poſtulatus ſacramentum ad ſortem laicorum deprimitur. Unde diſcimus ejuſmodi teſtes laicos homines adactos fuiſſe ad præſtandum ſacramentum, cum aliunde Salica lex neminem tali in caſu eo teneri ſignificet, dum præcipit: *Leg. Salic. tit. 1.* *Si quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit, ſi eum ſunnis non detinuerit, DC. denarios, qui faciunt ſolidos XV. culpabilis judicetur. Ille vero qui alium mannivit, ſi non venerit, & eum ſunnis non detinuerit, ei quem mannivit, ſimiliter DC. denarios, qui faciunt ſolidos XV. componat. Nam ſi in juſſione regis fuerit occupatus, manniri non poteſt. Si vero infra pagum in ſua ratione fuerit, manniri poteſt, ſicut ſuperius dictum eſt.* *Sunnis.* Hic vides excuſare impedimentum (hoc enim eſt *ſunnis* & *ſunnia*) at juramentum de excuſatione poſtulari, aut diſcrimen hominis laici a ſacro, non vides.

*Juſtina S. Ambroſium perſequitur. Ambr. l. 5. epiſt. 33. ad Marcel.*

5 *Novum eſt enim quod nunc factum eſt.*) Ne ſimile quidem eſt factum Juſtinæ Auguſtæ contra B. Ambroſium, quæ ad baſilicam Portianam vela & cortinas imperatoris ſuſpendi juſſit, cum dicerent aulici, omnia imperatoris eſſe, ut narrat Ambroſius ipſe Marcellinæ ſorori ſuæ. Nam in bona Ambroſii non involabat Auguſta, ſed unam Arianis baſilicam dari volebat.

*Leges aliter citantur ab Hincmaro, quam apud nos habentur.*

6 *Poſtquam Conſtantinus magnus imperator.*) Monuimus antea codicibus ſæpe aliis uſum Hincmarum, quam quos modo manibus verſamus. Id hoc etiam loco patet. Nam legem tribuit Conſtantino, quæ in cod. Theodoſiano apud nos tit. 2. tribuitur, Conſtantino, eſtque lex VIII. Et mox, Conſtantio & Conſtanti eam quæ eſt XVI. ejuſdem tituli, tribuiturque ibi Conſtantio & Juliano. Item, Valentiniano, & Valenti unam, quæ ibidem eſt XXVI. tribuiturque Gratiano, Valentiniano, Theodoſio. Ut & inferius legem affert quaſi Conſtantini, quæ eſt Conſtantii & Conſtantis l. XVI. cod. Theod. l. XII. Sed quia nævi illi noſtræ hiſtoriæ non officiunt, cum latas eſſe leges conſtet, hæc obſervatio in alias ſimiles, ſi quæ fuerint, cadere poterit, ne moremur in ſingulis expendendis.

*Carolus magnus correxit quæ male geſſerat.*

7 *Cui cum ſicut adſolet adulantium linguis ſubreptum fuerit.*) Domeſtico & magni ponderis exemplo probat, eccleſiæ jura debere eſſe ſancta. Quod enim Carolus Magnus imperator decrevit, qua fronte Carolus Calvus rex non ſequatur? Quod avo placuit, cur nepoti diſpliceat? Si laudatur Caroli Magni antea decepti emendatio, quid eſt cauſæ cur eam non imitetur, aut cur ſe perpetuo purpuratorum adulationi faciat obnoxium Carolus Calvus?

*Carolus Martellus bona eccleſiæ dedit laicis. Hincm. Rhem. admonit. ad Ludovic. c. 7. Pipinus aliqua ſtituit. Baron. an. 760. tom. 9. edit. Rom. an. 160.*

Ne vero intelligamus tali aſſentatione factum, ut Carolus Magnus tam eccleſiarum deprædationem vel exerceret primus, vel augeret, id vetat quod criminis illius auctorem memorat Hincmarus Carolum Martellum magni imperatoris avum, eamque ob rem damnatum apud inferos narrat idem Ludovico Germaniæ regi. Pipinus deinde rex Caroli pater, licet multa reſtituerit eccleſiis, alia tamen ſub annuo cenſu reſervavit, interque cetera Aniſiacum villam Laudunenſis epiſcopii, in qua cum pernoctaret a S. Remigio per viſum flagellatus eſt, ut ſcribit *S. Hincmarus Rhemenſis epiſcopus.* (ſic enim loquitur hoc loco Baronius) *in priori tranſlatione S. Remigii.* Sed credendum eſt regem perpetuis bellis implicitum militaribus ſuorum animis pluſculum initio indulſiſſe, & multas eorum rapinas diſſimulaſſe, quæ eo uſque increverunt, ut tandem regiæ auctoritatis, quæ tum ſumma erat, freno coerceri debuerint. Anno ſiquidem regni ſui 20. edictum ab Hincmaro relatum promulgavit, cui præfationem *An. Chr. 789.* hanc præfigit capitulare. *Tempore Hadriani papæ, & Karoli magni imperatoris, quando Paulinus epiſcopus tenuit vices apoſtolicæ ſedis in Aquis, fuit factum iſtud capitulum propter hoc, quia laici homines ſolebant dividere epiſcopia & monaſteria, ad illorum opus: & non remanſiſſet ulli epiſcopo, nec abbati, vel abbatiſſæ, niſi tantum ut velut canonici & monachi viverent.*

8 *Obſiſtentibus epiſcopis, & ſpecialiter Paulino patriarcha.*) Nulla nos monet hiſtoria Paulini patriarchæ conſilio, & impulſu vehemente, hanc rerum perturbationem a Carolo adhuc tum rege fuiſſe correctam; ſed id facile credimus Hincmaro referenti, tum ob inſignem Paulini auctoritatem ex ſanctitate doctrinaque collectam; tum quod apud Carolum aſſiduus eſſet, & pluribus ab eo coactis ſynodis interfuerit. *Hincm. t. I. de prædeſt. ep. I. ad Carol. regem.* Rhemenſis ipſe *Venerandæ memoriæ patriarcham Aquilejenſis parochiæ* appellat, & ejus ſcripta; ſicut Bedæ & Alcuini cum vetuſtioribus patribus legenda eſſe affirmat.

*Quædam aliquando mutantur in canonibus.*

9 *Sicut enim Symmachus papa ad Æonium ſcripſit.*) Verba per epiſtolam per ſe brevem ſparſa, colligit in unum, & eorum nonnulla ex ſenſu potius auctoris, quam ex nativa vocum ſignificatione producit. Hic Anaſtaſii deceſſoris ſui factum, ut canonibus non congruens, præciſe improbat Symmachus: quod veterum conſuetudinem ullo modo, ulla occaſione mutari non oporteat. Illud vero ſane intelligendum eſt. Siquidem ante ipſum Ruſtico Narbonenſi ſcripſerat S. Leo. *S. Leo ep. 95. ad Ruſt. Indulgentia rigorem mitigat. Ivo Carnot. prologo decreti.* *Sicut quædam ſunt quæ nulla poſſunt ratione convelli; ita multa ſunt quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitudine rerum oporteat temperari.* Atque Ivo Carnotenſis Panormiæ ſuæ prologo multis probat, urgente neceſſitate indulgentiam in eccleſia uſurpari, & ſapienter a ſucceſſoribus mutata eſſe, quæ optime ab antecedentibus erant decreta. Sunt enim præceptiones & prohibitiones aliæ immobiles, quæ divinæ: aliæ mobiles, quæ humanæ; quas lex æterna non ſanxit, ſed poſterorum diligentia ratione utilitatis invenit. *In his igitur in quibus obſervatis ſalus acquiritur, vel quibus neglectis mors indubitata conſequitur, nulla eſt admittenda diſpenſatio. In his vero quæ propter vigorem diſciplinæ vel muniendam ſalutem poſteriorum ſanxit diligentia, ſi honeſta, vel utilis ſequatur compenſatio, poteſt præcedere auctoritate præſidentium diligenter deliberata diſpenſatio. Ergo quod neceſſitas pro remedio reperit, ceſſante neceſſitate debet utique ceſſare pariter quod urgebat. Quia aliud eſt ordo legitimus, aliud uſurpatio, quam ad præſens fieri tempus impellit.*

10 *Cum maxima conteſtatione.*) Cui ritum additum qui hoc loco non exprimitur, inferius videbimus. Oportet ſane & ingentem fuiſſe rerum neceſſitatem, quæ tale factum [illegible] exigeret, & efficaciſſimam epiſcoporum petitionem [illegible] impetraret, & incredibilem animi levitatem, aut vim & neceſſitatem quæ poſtea violaret.

*Caroli Calvi reconciliatio eccleſiaſtica.*

11 *Quando veniam petentes ab epiſcopis, &c.*) Vigoris eccleſiaſtici veſtigium hic patet, ut ne regium quidem caput præterierit cenſura, cujus novam comminationem hæc ipſa epiſtola ſub finem repræſentabit. Quod quo tempore acciderit, difficile eſt definire: Accidiſſe autem propter eccleſiæ bona in laicos præter jus ſparſa, non temere arbitramur: & fortaſſe poſteaquam apud civitatem Metenſem poſitus, optimates ſuos opimis eccleſiæ beneficiis locupletavit, & quibuſdam ſibi retentis, ut dicunt annales Bertiniani, *Cetera quæque per quoſcumque ſuos, non cum tanto illorum profectu, quam cum animæ ſuæ detrimento, diviſit.* *Annal. Bertin. an. 866.*

*Epiſtola decretales veterum pontificum incerta.*

12 *Et carceri tradatur aut exilio.*) His veterum pontificum epiſtolis, quæ vulgatæ ſunt, multum auctoritatis detrahunt ſententiæ illæ a ſenſu communi remotæ, quis enim ſibi perſuadeat optimo pontifici flagrante Auguſtorum ethnicorum perſecutione, cum cryptarum tenebris caput male tegeret, cui vivere non licebat, carceres & exilia minari licuiſſe? Eodem modo in epiſtola Lucii, quæ conſequenter citatur, dicuntur apoſtoli & omnes catholici patres, decreviſſe ne bona eccleſiarum invaderentur, & qui invaderent eſſe ſacrilegos, & ab eccleſia ejici debere. Quos autem? non ethnicos, qui tum in vitam & bona Chriſtianorum omne ſibi jus arrogabant, neque poterant anathemati eccleſiæ ſubjacere, cui ſubditi non erant. Fideles igitur Chriſtianos? At monſtroſum eſt in illa primitivæ eccleſiæ ſanctitate, tenuitate, afflictione, vel umbram illorum ſacrilegiorum ſomniare. Sic in libro de operibus cardinalibus Chriſti, cum lego in unctione chriſmatis, *Hodie patent carceres, & damnati libertate donantur: Severitate depoſita hodie judices manſueſcunt*: mirari ſatis non poſſum credere nonnullos, hæc a Cypriano, aut ſaltem ætate Cypriani, cum Decii gladius ſæviebat in Chriſtianos ſcribi potuiſſe. *Liber de cardinal. Chriſti operibus non eſt Cypriani.*

*Canon concilii.*

13 *Quæ ſunt eccleſiæ, ſub omni ſolicitudine,* &c.) Habet Græcus textus ἐμφατικῶς aliquid quod Latina verſio non exprimit, quodque Hincmarus pervidere non potuit, quem Græcas attigiſſe literas nullo veſtigio deprehendimus. τὰ τῆς ἐκκλησίας τῇ ἐκκλησίᾳ καλῶς ἔχει φυλάττεσθαι μετὰ πάσης ἐπιμελείας, καὶ ἀγαθῆς συνειδήσεως, καὶ πίστεως τῆς εἰς τὸν πάντων ἔφορον, καὶ κριτὴν Θεόν. *Æquum eſt ut eccleſiæ ſervari oporteat quæ ſunt eccleſiæ cum omni ſolicitudine, & conſcientia bona, & fide in Deum omnia videntem & judicantem.* Et quæ ſequuntur. Habet autem hic & ſuppoſitus canon magnam affinitatem cum cano-

canone apoſtolorum 40. & 41. ut notant. Balſamo & Zonaras, quem tam benigno loco non prætermitteret Hincmarus, ſi vel auditione noſſet.

*Gangrenſe concilium non aptiſſime hoc loco profertur.*

14. *Et Gangrenſes canones dicunt.*) Procul abeſt Gangrenſis & canonis & concilii mens ab Hincmari Laudunenſis negotio, & Caroli regis facto. Nam Euſtachiani communibus fidelium eccleſiis conventibuſque contemptis & deſertis privatos cœtus anteferebant, earumque fructus, & oblationes ſibi unis debitos vindicabant, ut qui conjugatis religioſiores videri vellent, atque adeo vita digniores. Hanc ſuperbiam deteſtati epiſcopi, clericorum & pauperum qui ab eccleſia alebantur curam geſſerunt, vetueruntque vota fidelium alio quam ad communem omnibus eccleſiam, & ejus principem epiſcopum deferri, cujus unius arbitrio in uſus neceſſarios diſtribuerentur. At laici ſub Carolo, nullo pietatis prætextu, ſola poſſeſſionum augendarum libidine, non nove oblata vel offerenda ad ſe derivant; ſed ab antiquo eccleſiæ donata per vim rapiunt; non coeunt in privatos cœtus epiſcopis derelictis, ſed communes eccleſias, quas prædari audent, frequentant, & ſacram epiſcoporum auctoritatem venerantes, eos ad egeſtatem reducunt. Quæ agendi ratio cum ſit longe quam Euſtathianorum ferocior & iniquior, potuit eo argumento minorum & majorum pugnare Rhemenſis, ſi locos auctorum noſſet expendere, non nude referre, & in peritia ſua judicii quam memoriæ laudem mallet acquirere. Illi igitur in præſens ſufficit, quod concilium Gangrenſe jubeat oblationes ad epiſcopum deferri, & ab eo pro poteſtate diſtribui: ut inde concludat, a ſæcularibus eo invito non debere uſurpari.

*Ingenium quid.*

15 *Quocumque ingenio unde gravetur eccleſia per angarias.*) Ingenium, apud hos auctores ars eſt, ut plurimum mala, quæ Latinis dicitur dolus malus, cum occulta & mala via ad finem pervenitur: ſic nimirum, ut homines latere ſperet: unde mox ſubdit, *Etiamſi violenter non rapiant, ſed quaſi prudenti ingenio injuſte accipiunt.* Eo ſenſu dixit & Tacitus, *Ambigenti Neroni quonam modo noctium ſuarum ingenia noteſcerent.* Angaria autem, dicitur munus perſonale, quod ſi ab eccleſiæ miniſtris, aut famulis miniſtrorum præter jus & fas exigitur, certum eſt lædi eccleſiam.

Tacit. l. 16. *Angaria quid.*

*De Stephani I. epiſtolis decretalibus judicium.*

16 *Infames autem eas eſſe perſonas, dicimus.* Pertinet ad cauſam, quod non ſolum ad ſæculares judices contra eccleſiæ privilegia trahitur epiſcopus, ſed etiam quod judices illi ſunt, infames, quod ipſis profanis legibus repugnat. Quæ ſint igitur infames perſonæ oſtendit ex Stephano papa I. qui omnes infamiæ notas in acervum colligit, ne per imperatorias leges, & eccleſiaſticos canones diutius vagari cogatur. Si tamen dignum eſt credere a Stephano ſcriptas eſſe epiſtolas duas, quibus pene eadem continentur. Nam cum in re eccleſiaſtica de perſonis infamibus conſultus ſit ab Hilario pontifex, profecto de ſolis Chriſtianis reſpondere debuit, non de Ethnicis, qui res Chriſtianas non tantum negligebant, ſed etiam opprimebant. Eſt-ne autem credibile tot tantorum criminum nomina ſecundo ſæculo inter ſævitiam perſequutionum fuiſſe cognita in eccleſia; cum ſimile nihil Cyprianus, Decianæ perſequutionis cauſam in Chriſtianorum vitia qua poteſt eloquentiæ vi refundens, vel cogitandum nobis objiciat? Quis autem non rideat eccleſiæ decretis vocatos infames *de bellis fugientes*, & parricidis, inceſtuoſis, veneficis, ſepulcrorum effoſſoribus accenſeri, cum per ea tempora ſeveriores quique militiam ſub imperatoribus paganis illicitam eſſe Chriſtianis hominibus contenderent?

*Hincmari exemplaria a noſtris diverſa.*

17 *Unde S. Leo cum ſynodo Romæ habita.*) Non iſta præfatio S. Leonis epiſtolæ præfixa, nec ipſius epiſtolæ textus, qualem deſcribit Hincmarus, in omnibus cum noſtris exemplaribus convenit. Nam ſynodum illam Romanam nemo commemorat, & ſiquidem epiſcopi duo, Victorius & Euſtachius pontificis epiſtolæ ſubſcribunt: ſi negotium illud cum eis communicavit, & ex eorum conſilio Thracibus epiſcopis ſcripſit, tu-ne ideo ſynodum e tribus conflatam, & privatæ collationis effectum vocaveris? De textus varietate idem judicium. Nam ne ad interiora epiſtolæ penetremus, ipſum principium inſpice. Sic enim in Romana editione epiſtolarum pontificum legimus. *Tanta ſæculi poteſtates circa ſacerdotalem ordinem reverentia prævaluere*, &c. Quo vero iſta pertinent? ut intelligamus, quod olim monui, aliis uſum exemplaribus Hincmarum, quam quæ modo terimus.

*Corona clericorum.* Balſam. in canon. Syn. in Trullo can. 21. Auguſt. ep. 147. Hier. ep. 81.

18 *Non per coronatos.*) Clericos in coronæ modum attonſos, quæ Græcis παπαλήθρα apud Balſamonem. Ut clericis ob flagitium depoſitis ſi pravam conſuetudinem correxerint liceat coronam & habitum clericalem geſtare. Διορθῶται ὁ τοιοῦτος, χείρεσθαι τὴν κεφαλὴν κατὰ κληρικοὺς, ἤγουν ἔχειν παπαλήθραν, καὶ ἐνδύεσθαι σχῆμα κληρικόν. Inde venerationis cauſa obſecrati ſacerdotes per coronam ſuam Auguſtinus Proculiano. *Per coronam noſtram vos adjurant noſtri, per coronam veſtram nos adjurant veſtri.* Hieronymus Auguſtino, *Fratres tuos, dominum meum Alypium, & dominum meum Evodium ut meo nomine ſalutes, precor coronam tuam.* Sidon. Apollinaris Leontio. *Si cum inſtruere dignanter advocatio conſulta faſtidit, auctoritas coronæ tuæ diſſimilantibus ſtudeat excudere reſponſi celeritatem.* Vide in eum locum Sirmondum, & Lud. de la Cerda in adverſariis ſacris.

Sidon. Apoll. lib. 6. ep. [illegible] Lud. de la Cerda adverſ. ſacr. [illegible]

19 *Et S. Papa Gelaſius in decretis ſuis.*) Sirmondi fide citamus epiſtolam Gelaſii ad orientales, quia locum hunc in Gelaſio nuſquam reperimus. Ut in his & ſimilibus ad codicum varietatem ſit recurrendum, quam inter noſtros & Hincmarianos exiſtere fateri cogimur.

20 *Quaſi de ſtipendiis & roga.*) Bona eccleſiaſtica quæ juſtis ex cauſis poteſt epiſcopus in viros militares transferre, comparat cum antiquorum ſtipendiis & donativis militaribus, imperfecta ſimilitudine. Nam ſtipendia militiæ tempore tantum collata ſunt; hic emeritis & honeſtam miſſionem conſequutis, aut eorum filiis etiam in hoſtem non pergentibus vult poſſe beneficia eccleſiaſtica donari. Stipendia quæ ſint, notiſſimum: data e publico notat, quia e ſtipe corrogata conſtantur: quique illam perſolvunt, ſtipendiarii ſunt. Varro, *milites ſtipendiarii* (vel potius *militis* ut corrigit Turnebus.) *ideo quod eam ſtipem pendebant.* Onomaſt. ſtipendiarius ὑποτελὴς, *vectigalis.* Ut mihi mirum admodum videatur vectigalem hoc loco fieri eccleſiam ab Hincmaro. Sed excuſandus eſt ex addito, *cauſa ſuæ defenſionis.* Quod latius perſequitur. Non eſt enim iniquum eccleſiæ defenſionem & protectionem ejus impenſis comparari. Roga autem eſt donativum militibus extra ordinem imperatoris liberalitate erogatum. Quemadmodum congiarium, civibus. Gloſſ. Baſilicon. ἀννῶνα σημαίνει παροχὴν, ῥόγαν, ἢ σιτικὴν διανομήν. *Annona, ſignificat donationem, rogam, frumentariam diſtributionem.* Impenſa ea profuſio feſtis ſolennitatibuſque publicis, ut principum nuptiis: Landulphus in Tiberio II. *Duxit Anaſtaſiam uxorem ſuam, & coronavit eam Auguſtam, & jactavit rogam multam.* Sic explicandus Suidas. Ῥόγα ἡ τοῦ βασιλέως δόσις, καὶ ἡ φιλοτιμία. quod principes ea magnificentia, & pium erga ſubditos animum teſtarentur, & ea multum ſibi gloriæ compararent.

*Stipendia quid.* Varro l. 4. de ling. lat. *Roga quid.* Landulphi Tiber. 2.

21 *Quæ nobis annua dona vocantur.*) Sic explicata dona annua ſecundo placito ſub autumni tempus regi præſtabantur. Atque illud ipſum tempus eſt, quo cauſa iſta apud regem Piſtis acta eſt ab Hincmaris, ſcribente annaliſta Bertiniano, poſt proſcripta Laudunenſis epiſcopi, bona, *Sicque idem rex ad Piſtas medio menſe Auguſto, veniens, annua dona ſua ibidem accepit, & caſtellum menſurans pedaturas ſingulas ex ſuo regno dedit.* Quamquam & alias Junio menſe data fuiſſe docet idem annaliſta. *Carolus Calendas Julii in loco qui Piſtis dicitur generale placitum habet, in quo annua dona, ſed & cenſum de Britannia a Salomone Britannorum duce ſibi directum more prædeceſſorum ſuorum, quinquaginta ſcilicet libris argenti, recipit.* Verum cum dona ſint gratuita, quomodo ſingulis annis, conſtituto tempore, ſtatis cærimoniis, abſque intermiſſione deferuntur? an aliter tributa & debita ſolent exigi? An forte eo modo vocantur dona, quo videmus apud Armoricos in comitiis provincialibus ſemper agi de dono regi præſtando, quod licet & donum & ſpontaneum videatur, numquam tamen non præſtatur, & quidem copioſius quam libera provincialium voluntas ferat?

Ibid. ad an. 864.

22 *Propterea domine Chriſtianiſſime.*) Pro utraque parte quod æquum eſt adduxit orator. Pro eccleſia quidem, eam ſæcularium rapinis & prædationibus non eſſe obnoxiam. Pro ſæcularibus autem, licere nonnumquam epiſcopis de facultatibus eccleſiæ in viros militares, & ad ejus protectionem utiles aliquid conferre. Hos, ſi deinde per vim & injuriam ab epiſcopo privantur, poſſe ad regium tribunal adire, ubi cauſa moderate & legitime audiatur: quia regis eſt eccleſiæ jura tueri. Quibus declaratis ſequi debet peroratio, quæ hoc loco incipit, non prolixior, utpote Hincmariana, quam vehementior, ut a tanto pontifice, qui modis ſemper omnibus Caroli regis ſalutem procuravit. Equidem cum hæc lego, ad veteres illos prophetas oculos reflecto, quos Deus olim regibus tamquam virtutis & pietatis duces adjunxit, Samuelem Sauli, Nathamum Davidi, Ezechiæ Iſaiam, Jojadam Joas, Azariam Oziæ; Et ſi quando Carolus a recto tramite aberravit, id præter Hincmari voluntatem factum eſſe docet Bernoldi viſio, quam ut Hincmari auctoritate confirmatam admittit Baronius. In illa enim Carolus dicitur pœnis purgatorii vexatus, Bernoldum ita compellare. *Vade ad Hincmarum epiſcopum, & dic ei, quia illius & aliorum fidelium meorum bona conſilia non obaudivi, ideo iſta quæ vides pro culpis meis ſuſtineo: & dic illi, quia ſemper in illo fiduciam habui, ut me adjuvet, quatinus de iſta pœna ſim liberatus.*

*Carolus in purgatorio.* Hincm. opuſc. [illegible] Flod. l. 3. c. [illegible]

23 *Providete bonæ famæ quam longe lateque habetis.*) Eodem orationis ingreſſu regis benevolentiam ſibi conciliavit, cum ſcripſit ſuperius, *Quid enim dicent de vobis qui*



*qui audierunt, quod deteſtabamini, & eos reprehendebatis qui Dei eccleſias non venerabantur, & ſacerdotibus honorem debitum non exhibebant, & præcipue Romano pontifici, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ omnium eccleſiarum matri.* Quam non eſſe aulicam aſſentationem, ſed veram rerum bene geſtarum memoriam regi oblatam, ut ſui ſemper ſimilis eſſe velit, docent in primis pontificis Hadriani II. luculentum teſtimonium, quo ſcribit ad Carolum regem, *Annuntiatur etiam a pluribus probis,* & maxime ab Actardo *quod ſis amator, exaltator, & illuſtrator ſpecialis in orbe terrarum, & permaximus eccleſiarum Dei: ita ut nullus ſit epiſcopatus nullumque monaſterium in regno tuo, quod non auxeris rebus propriis, & reſtitueris ſuis perplurimum: optareſque ferventer & deſiderares, hanc principis apoſtolorum Petri primam ſedem exaltare, honorare, multiſque muneribus vicarium ejus & cetrum ſibi commiſſum ditare.* Deinde facta ipſa quæ in Flodoardo legimus, commemorante ea quæ in gratiam Hincmari eccleſiæ Rhemenſi reſtituit: quæque Carolus ipſe epiſtola MS. narrat Hadriano pontifici a ſe in Laudunenſem eccleſiam collata, quæ citata eſt in vita Hincmari junioris. Ac demum quæ paucis multa complexus annaliſta Bertinianus ſcribit, Lotharii nepotis ſui mortem accepiſſe apud Silvanectum, *Ubi tam ipſe, quam & uxor ſua theſauros, quos in quibuſcumque rebus habuerant, per loca ſancta in ſuam eleemoſynam diſpenſantes, a Piſtis reverſi, domino, de cujus manu illos acceperant, reddiderunt.* Et ſpeciatim Romam anno ſequente, Carolus ad pontificem Hadrianum *pannum ad altare S. Petri, cum duabus coronis aureis & geminis ornatis miſit.* Hic vero ad aſſidua bella oculos flectere nos decet, quibus attritum eſt regnum, & vexatus rex ipſe, quorum ſola pecunia nervus eſt, ut melius animi ejus magnitudinem æſtimemus.

*magnificentia.* Hadrian. ep. 29. ad Carolum tom. 3. concil. Gall. Flod l. 3. c. 4. Supra p. 8. Annal. Bertin. ad an. 869. Ibid. an. 870.

*Hincmari libertas epiſcopalis.*

24 *Quia domine.*) Non eſt leviter prætereunda Caroli Calvi pietas, qui cum dignam ſacerdote confidentiam ipſius eruditioni parem videret in Hincmaro, ei ſe ultro ſubmiſit ad reprehenſiones cum opus eſſet tolerandas. Qua libertate quam ſancte fortiterque uſus ſit, cum omnia ejus ſcripta declarant, tum hic maxime locus demonſtrat, in quo illuſtre epiſcopalis conſtantiæ monumentum impreſſum eſt, uſque ad offerendam, ſi neceſſe eſt, vitam pro eccleſiæ libertate propugnanda. Aliud conſimile video apud Ludovicum III. regem Ludovici Balbi filium, qui ſe eadem ratione ipſi ſpiritualiter regendum obtulit. *De eo quod in literis veſtris relegi, voluntarie vos ſubjicere velle exiguitatis meæ conſiliis, & ſecundum quod hortatus fuero agere & diſponere in eccleſiaſticis & ſæcularibus negotiis, & meæ fiduciæ voſmetipſos ſubjicere velle, & ſecundum datum a me conſilium regni veſtri jura componere.* Et infra. *Quod ſcripſiſtis, ut ſicut ſemper regibus prædeceſſoribus veſtris in omni utilitate regni proficuus & devotus fui, ita vobis fidelis & devotus exiſtam. Quod & hactenus obſervavi, & obſervare cupio.* Hac piorum regum conceſſa licentia quam Hierarchice ſit uſus, docet & illud ipſum opuſculum, & ſequens de invaſore Belvacenſis ſedis Odacro quem rex parabat intrudere. Ubi roganti regi ut ipſius petitioni ac voluntati faveat, reſcribit, *Velitis & deſideretis quod dominus vult, ſecurus voluntati veſtræ favebo.* Et inferius, obſcurioribus verbis regi minas niſi obediat intentanti, animoſe reſpondet, *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Utinam aut per vos, aut per quemcumque ſibi placuerit educat me dominus de iſto carcere.* &c. Hæc libens deſcribo, tamquam Hincmaro ipſo apud æquum lectorem cauſam ſuam agente, adverſus eos a quibus per ſummam vel calumniam, vel imperitiam, certe contra veritatem ſole clariorem aulicæ aſſentationis, tyrannidis, & omnimodæ nequitiæ accuſatur, vir cui non animus ad martyrium, ſed gladius defuit, qui Staniſlaum Polonum, & Thomam Cantuarienſem aſſeruit.

Hincm. opuſc. 12. n. 6. & 7. Ibid. opuſc. 13. n. 2. & 10. *Offert ſe morti pro eccleſiæ libertate.*

*Extremi judicii conſideratio.*

25 *Ad cujus judicium vos & ego in conſpectu totius humani generis.*) Tantæ efficientiæ hæc eſt ratio, ut eam regi ſuo libenter inculcet, ut opuſculum 2. de cavendis vitiis. *Solerter attendite, cui inde rationem eſtis reddituri in conſpectu totius humani generis, & angelorum atque archangelorum.* Et paulo poſt. *Et non eſt obliviſcenda nobis, illa verecundia, quando aperientur libri, id eſt conſcientiæ, & non mediocriter pertimeſcenda eſt nobis pœna, quæ illam ſequetur confuſionem, quando reatus animam immortaliter morientem involvet, & indeficienter deficientem carnem gehenna conſumet.* Sic & ad Ludovicum Germaniæ regem, fratrem Caroli. *Ut & diem ante mentis oculos habeatis, quando cum omnibus anima veſtra corpus recipiet, & venietis ante faciem æterni judicis, in conſpectu omnium angelorum & hominum,* &c.

Hincm. opuſc. 2. tom. 2. præfat. Ibid. opuſc. 4. admon. ad Lud. regem. c. 4.

*Quid ſi regulare.*

26 *Quia non de crimine per legitimos accuſatores.*) Lecta hac exaggeratione per circumſtantiarum in legitimo judicio requiſitarum collectionem, oculos ad concilium reflecte, lector, & agnoſce nihil eorum quæ hic exiguntur abfuiſſe ab eo judicio quo Laudunenſis Hincmarus condemnatus eſt. Unde jure optimo dicitur, ab annaliſta Bertiniano, *regulariter accuſatus atque convictus, depoſitionis judicium regulare ſuſcepiſſe, ſicut in geſtis continetur ipſius ſynodi.* Et nota, depoſitionis judicium, non excæcationis, dici regulare; Ut enim hoc loco recte diſtinguit Rhemenſis, non habet eccleſia capitale aliud judicium, quam depoſitionem. cetera ut exilium, proſcriptio, mutilatio membrorum, regiæ juriſdictionis ſunt; quæ proinde adverſus nepotem exercuiſſe cenſeri non poteſt avunculus.

*[illegible] judicium.* Annal. Bertin. an. 871.

*Theodoſii pœnitentia.*

27 *Poſt dignam pro exceſſu ſatisfactionem.*) Illuſtriſſimum & Chriſtianæ humilitatis in Theodoſio, & generoſi zeli in Ambroſio exemplum nulla tacet hiſtoria, nulla non admirabitur poſteritas, quo appoſite in rem ſuam utitur auctor hic noſter, ut epiſcoporum in monendo libertatem volens admittat Carolus rex: quod antea apud Anaſtaſium imperatorem fecerat Gelaſius papa, cum ſcripſit, Nathan prophetam Davidi, Leonem pontificem juniori Theodoſio peccatum aperuiſſe, *Beatæ memoriæ Ambroſius Mediolanenſis ſacerdos eccleſiæ, majori Theodoſio imperatori communionem publice palamque ſuſpendit, atque ad pœnitentiam redegit regiam poteſtatem.* Nam & paulo poſt videbimus Hincmarum noſtrum Carolo ſuo ſaltem obſcure excommunicationem intentantem.

Gelaſ. ep. 11 ad Dardanos.

*Lex ab eo lata.* Sid. Apoll. l. 1. ep. 7.

De lege quoque ab eo lata, de capitali ſententia in reos ad triginta dies differenda, conſentiunt omnes, uno quod ſciam excepto Sidonio Apollinari, qui eam Tiberio imperatori aſſignat. *Nunc ex vetere ſenatuſconſulto Tiberiano, triginta dierum vitam poſt ſententiam trahit.* Atqui certum eſt ſenatuſconſultum Tiberianum ad decem tantum dies vitam produxiſſe damnatis, ſcribente Suetonio, *cautum eſſe ſenatus ſconſulto ut pœna damnatorum in decimum diem differretur.* In hac varietate laborantibus multis interpretibus, placet mihi Sirmondi ſententiarum duarum diſtinctio, quarum altera eſſet a ſenatu, qualis fuit Arvandi quæ narratur a Sidonio; & ſenatuſconſulto Tiberiano temperata primis temporibus ad decimum diem ſupplicium differebat: altera ab ipſo principe, quam per Theodoſium triginta dies ſupplicii dilationi aſſignavit, [illegible] quibus poſtea Chriſtianorum principum benignitate viginti dies ad ſenatuſconſulti decem additi ſunt, retento Tiberii nomine antiquo: quod in aliis legibus exemplo non caret.

Sueton. in Tiber. c. 75. & ult. Sirm. in Sidon. Apollin.

*Ad iram temperandam.*

Ejus legis propoſitum fuit iræ principis admoderari, dicente Ambroſio, *Quoniam iracundiæ permiſiſti judicium & non rectæ rationi, ſed irato animo obſequutus ſententiam pronunciaſti.* Hoc loco pedem non figeret Hincmarus, niſi ob præcipitem iracundiæ impetum quo vexavit epiſcopum, reprehendi Carolus mereretur. Nam quod ineunte peroratione ſupra dixit, iracundiam exterius ſimulaſſe quæ nulla foret interius in animo, oratoria diſſimulatione, & artificioſa aſſentatione ad perſuadendum appoſita dictum eſſe dubitari non poteſt. Ut dilemmate conſtringatur princeps in hunc modum, Si iracundiam ſimulaſti, peccaſti contra exemplum Eleazari: ſi vere iratus feciſti, reprehenſionem ferre debes ab epiſcopis, ut Theodoſius ab Ambroſio.

*Mora iræ remedium.* Senec. l. 3. de ira c. 12.

Ceterum ſapientium omnium ſenſu optimum iræ remedium mora eſt & dilatio. Recte Seneca. *Maximum remedium iræ dilatio eſt, ut primus ejus fervor relangueſcat, & caligo quæ premit mentem aut reſidat, aut minus denſa ſit. Quædam ex his quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantum dies, molliet: quædam ex toto evaneſcent. Si in hoc erit, petita advocatio, apparebit jam judicium eſſe non iram.* Et alibi. *Maximum remedium eſt iræ, mora. Nec ab illa pete initio ut ignoſcat, ſed ut judicet; deſinet ſi expectat: nec univerſam illam tentaveris tollere, graves habet impetus primos; Tota vincetur dum partibus carpitur.* Ac licet ſero triginta illos & decem dies Romani exequendo reorum ſupplicio interjecerint; ſemper tamen moræ aliquid interpoſuiſſe docent ipſa magiſtratuum inſignia, faſces arcte ſecuribus alligati, ut ſignificarent, ait Plutarchus, *Iram magiſtratus in proclivi & ſolutam eſſe non debere: ut ſolutio faſcium paulatim facta moræ nonnihil & cunctationis iræ injiceret: quæ nonnunquam fecit ut ſententia de ſupplicio exigendo mutaretur.* Eodem refero quod hoc loco non tacet Hincmarus, & in concilio religioſe ſervavit, recitatam fuiſſe de ſcripto ſententiam; quæ dum ſcribitur, ſedatiore animo concipitur: dum ſcripta legitur, jam quaſi alienum judicium recitatur. Sed quid? Carolus poſt proſcripta Lauduni bona epiſcopatus: Piſtas adiit, Laudunenſis Hincmarus Rhemos ad avunculum, uterque Piſtas ad regem, compoſiti Piſtis hi quaterniones, & nondum ira regis reſidente, neglecti, & in aliud tempus rejecti ſunt. Quid hinc deducimus, niſi aut

Ibid. l. 2. c. 18. Plut. in qq. Rom. q. 83.

iræ

iræ tenaciſſimæ fuiſſe regem, aut perpetuam epiſcopi in ejus offenſa obſtinationem? Illud potius & hiſtoria, & rerum exitus funeſtiſſimus perſuadet.

*In rotulam Hinemari Rhemenſis.*

*Rotula ſcribenda cauſa.* 28 QUATERNIONUM prolixitas aut cauſam dedit aut prætextum principi in annuis ſuis donis occupato, ut in majus otium legendi differrentur, & interim reſidente Hincmari utriuſque ardore, perſeveraret Laudunenſis proſcriptio, ac tandem mora temporis controverſia omnis excideret. Verum res illi erat cum epiſcopis duobus, quorum alter recti bonique zelo, alter naturæ impotentia quieſcere in tantis motibus neſciebant. Rhemenſis itaque verboſitatis ſuæ non ignarus, ut hanc etiam aulicis præcludat effugii rimam, brevius ſcriptum ex paucis auctoritatibus legibuſque colligit, & tamquam in Areopago ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν jus ſuum ſic proſequi curat, ut judex momentum temporis ad illud legendum, audiendumve negare non poſſit. Hæc eſt rotula, nudis illis collectionibus ea tempeſtate dicata vox, quam ſæpe in utroque Hincmaro leges. Neque longe abludit aut litteris aut ſenſu gallica noſtra in forenſibus actionibus quotidie uſurpata, *roolle*.

*Judices ſæculares aliquando cum eccleſiaſticis, cauſas eccleſiaſticorum cognoſcunt.* 21 *Ceterum de rebus & mancipiis.*) Ne juſta videatur ſæcularium poteſtatum querela, quod a communi ceterorum omnium jure diſcedere velint eccleſiaſtici viri, docet Hincmarus duobus in caſibus rem ipſis eſſe cum ſæcularibus. Primum ubi de rebus mancipiis, proprietatibus, re pecuniaria, agitur. Tunc enim non accedunt quidem ipſi ad judicium ſæculare, ſed advocatum mittunt, qui cauſas ipſorum agat, & jus repetat, conſervetque. At hoc loco de capite, id eſt de facto ipſo epiſcopi agitur, ubi advocatum de ſeipſo dare inauditum eſt. Deinde, cum inter eccleſiaſticos homines, & laicos lis orta eſt, judicium ex utroque ordine componi poteſt, ut conſtituatur a principe notæ vir integritatis, qui cum deputato ab eccleſia judice de ea cognoſcat. Utrumque negat a canonibus prohiberi. At hoc in negotio apud ſæculares ſolos, & quidem infamiæ maculis aſperſos citatur epiſcopus, quod eſt penitus & a ratione, & ab eccleſiæ dignitate alienum.

*Defenſor eccleſiæ.* His officiis plurimum vacaſſe credi poteſt eccleſiæ defenſor Gregorii magni ſæculo, cujus eſt creberrima apud eum mentio. Imo excogitatum eſt illud muneris genus a patribus Africanis Auguſtini tempore concilio Carthag. *Concil. Carthag. V. c. 9.* Eſtque poſtulatum ab imperatore, *Propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur eccleſia; ut defenſores eis adverſus potentias divitum, cum epiſcoporum proviſione delegentur.* Pauperum quippe intererat ut eccleſiæ bona integra conſervarentur, quibus ipſi ſuſtentabantur.

22 *Et ad ſedem apoſtolicam poſt judicium epiſcopale referatur.*) Non ait, ſi res tanta, tam obſcura & implicata ſit, ut in provincia terminari non poſſit, Romam referatur, ante judicium: ſed poſt judicium poſt ſententiam ab epiſcopis latam in concilio. *Epiſt. ad Hadr. papam tom. 3. Conc. Gall.* Hoc loco & ſimilibus utuntur patres concilii noſtri Duziacenſis, ut ſe probent nihil alienum ab eccleſiæ inſtituto, & canonibus repugnans in Hincmari, licet appellantis, condemnatione feciſſe, quod perpetuo memoria retinendum eſt, ne qua ſchiſmatis ſuſpicio in noſtris mentibus inhæreat. *Cauſa fidei primum ad ſummum pontificem referenda.* Quod nemini mirum videbitur qui conſideraverit judicia iſta diſciplinam ſpectare, non fidem. Ubicumque enim de fide tractatur, nullus umquam pontifex, nullus epiſcopus catholicus aſſeruit primam cognitionem deberi provinciæ, & ad Petri ſedem primo deferri non oportere, quæ ſola aſſertionum fidei dogmata tangentium lapis Lydius eſt. Neque poſſunt hoc abuti vel loco, vel concilio hæretici, qui poſt pontificis Romani condemnationem ad concilium provocant.

*Hincmari modeſtia reſciſſis duobus ejus judiciis.* 24 *Non eis obſit.*) Injurioſus igitur eſt nepos Hincmarus, cum objicit avunculo duo ejus judicia, Rothadi videlicet, & Vulfadi, ab apoſtolica ſede per Nicolaum I. pontificem fuiſſe irritata. Temerarius, qui eo exemplo contemnere audet metropolitanum. At Rhemenſis modeſtus, & ſuperiori ſuo præclare ſubditus, qui reſciſſis ejuſmodi ſynodorum ſententiis cum multa poſſet in ſui defenſionem afferre, ſilentio & patientia maluit rem totam occulere, contentus privata ad pontificem epiſtola. Cui Nicolaus integra cum Hincmari ſatisfactione reſpondit, ut legimus libro 55. capitulorum, imo quod & Hincmari modeſtia reticere voluit, ſcripſit Carolo regi Nicolaus, ut quæſtio de Vulfado in perpetuum ſopiretur: *Alteram autem epiſtolam Hincmaro laudibus, & fidelitatis directionibus repletam, & ut ejus vice in iſtis partibus de Lothario fungeretur.* *Hincm. Rhemenſ. l. 55. capit. c. 5. Ann. Bertin. ad an. 868.* Quo quid honorificentius archiepiſcopo Rhemenſi dici, & excogitari potuit?

*Explicatur locus.* 25 *Et ſi laicus quærens.*) Ea lacinia videtur Hincmari eſſe, non enim in canone Africano reperitur, & imperfectum continet ſenſum atque pendentem, quem ejuſmodi eſſe conjicimus. Quemadmodum eccleſiaſticos litigantes jubet eccleſiæ decretoriæ judicum electorum ſententiæ acquieſcere; ſic laicum epiſcopo dicam intendentem, æquum eſt a principe cogi, ut latam in ipſam ſententiam ferat & exſequatur. Eſt enim princeps tutor & defenſor eccleſiæ.

26 *Sed & de his qui legem obſervare.*) Duplicem legem in unam compingit. *Duæ leges conflatæ.* Prior ſiquidem rem judicatam vetat retractari, qua ſi cadunt iterum aut in ære, aut ſcapulis ſolvere jubentur. Poſterior, legum & rerum judicatarum contemptores ad regem ipſum pertrahi jubet, ejus arbitrio puniendos. Cujus argumenti ea vis eſt, ut ſi res judicatas inviolabiliter ſervari volunt avus & pater imperatores, idem ſibi curandum ſciat filius. quid autem crebrius & ſanctius omnium judicum ſententiis conſtitutum eſt, quam ut perſonis & rebus eccleſiaſticis caveatur?

*In ſcedulam Hincmari Laudunenſis.*

*Argumentum hujus ſcedulæ.* 27 NONDUM limites epiſcopalis modeſtiæ prætergreſſus junior Hincmarus de accepta injuria apud metropolitanum avunculum, & ex ejus conſilio, apud aliarum provinciarum antiſtites qui ad placitum Piſtenſe cum rege convenerant, querelam deponit. Idem ille ſcilicet, qui mox delapſus in alios mores, graviter in ſynodo Duziacenſi reprehenditur, ordine legitimo neglecto multa feciſſe, inconſulto eodem metropolitano, & Rhemenſis provinciæ coepiſcopis: *Supra p. 33.* imo aliarum potius provinciarum epiſcopos de rebus ſuis in conſilium adhibuiſſe. Itaque brevi & ſtricto quodam velut memoriali docet epiſcopos rem adverſum ſe geſtam: conſilium rogat, quid hoc rerum ſtatu ſibi agendum exiſtiment, ſatisfactionem, ſi neceſſaria judicabitur, regi promittit, quid ab eo expetat, exponit, & ad illud impetrandum opem atque auxilium fratrum ſuorum flagitat. Si rex non ſinit eorum precibus ſe moveri, ad ſedem apoſtolicam appellare ſe admonet, idque vult regi ſignificari. *Scedula quid.* Hoc eſt ſcripti argumentum, cui ſcedulæ nomen eſt, propter compendioſam brevitatem, cum inelaborato & pene extemporaneo dicendi genere, quo vocis illius ſignificatum perfectius impleat. Spargit quidem nonnulla e canonibus, ut in ſchola avunculi ſui educatus, ſed quantum alter ab illo! ut vel ex ſequenti ſpecimine licet advertere.

28 *Et vos ſcitis ſacris legibus eſſe decretum.*) Rationem reddit cur ad judicium ſeculare provocatus nec ipſe per ſe, nec per advocatum adierit. Quia, inquit, nemini judici, nemini epiſcopo licet epiſcopos & clericos ad illa tribunalia pertrahere. Reſpondeat aliquis. Eſto: Nemo clericorum ad illa volens & libens accedat: Verum per vim exterdam vel laicam, vel eccleſiaſticam, licet canonibus adverſantem, ſi quis ad id compellitur, quidni vel invitus reſpondeat? Quis enim præſtet violentiam? Quanto igitur melius avunculus his ipſis canonibus & legibus apud regem utitur in hunc modum! Quod in epiſcopum moliris, novum & inauditum eſt. Quod eum judicio ſæculari jubes conveniri, & laicos judices conſtituis, facis quod imperatorum, etiam Francorum legibus vetatur. Quod epiſcopum a primate & coepiſcopis invitum abducis, peccas in eccleſiæ canones. Debes igitur & corrigere quod agis perperam: & æqui bonique conſulere, quod ipſe facere recuſat ex legibus.

*Appellationem male interjicit.* 29 *Si quid judicatis epiſcopus contradixerit.*) Præparat animos ad eam quam interjicere cogitat appellationem, quaſi ea tali canone permittatur. Ridicule. Nam epiſcopis probandum non eſt a gravante ſententia judicium poſſe remedium ex appellatione Romana quæri, longe juſtius a ſæculari & violenta oppreſſione. Deinde hoc canone illud proprie non conficitur. Is enim de legitimo judice, de ſententia eccleſiaſtico judiciorum ordine prolata loquitur, a qua ſemper licuit, licetque ad Romanum pontificem provocare. At hic non judicium, ſed vis eſt; non ſententia, ſed oppreſſio: quæ proinde querimoniæ apud potentiorem, non appellationis apud ſuperiorum judicem remedio indiget. Quapropter apud ſapientem avunculum appellationis vocem non leges, & ſibi rebuſque ſuis longe melius conſuluiſſet nepos juvenis, ſi a mittendo Romam Celſano ſuo abſtinuiſſet.

*Placitum non erat ſynodus.* 30 *Ubi Deo placitum conventum veſtrum adivi.*) Ne putato conventum hunc eſſe ſynodalem, ſed multitudinem epiſcoporum illic conſtitutam, & fortuitum ob diverſa negotia concurſum. Nam licet in placitis factas ſæpe ſynodos ſciamus, id tamen ſemper eſſe factum, nulla ratio cogit credere, maxime placito æſtivo, cujus ut antea diximus; uſus vix alius erat quam annuorum donorum perceptio. Certe ſynodi tum celebratæ nuſquam mentio eſt, neque illam in aliena provincia haberet. Hincmarus, neque tam multos e ſua, ſi foret indicta, abeſſe permiſiſſet, qui ſolum Odonem fidum Achatem de ſuis illic repererat. Obſervabis interim, neminem hic appellatorum antiſtitum, ſi duos illos e provincia Rhemenſi excipis, poſt quadriennium in noſtra ſynodo apud Duziacum ſediſſe, licet eædem provinciæ alios miſerint.



*Locus perſpicuitatur.* 31 *Et ſententia ſine ſcripto dicta.*) Quorſum hoc axioma? Nonne de ſententia legitime a judice poſt auditam cauſam lata, & ſcriptum eſt, & a Gregorio intellectum? Quid autem hic ſimile? Citari quidem & intrudi ab avunculo multa ſæpe non ſine faſtidio videre cogemur ſatis ſuperflua, sed nulla ἔλεγχε.

*Tria Hincmarus poſtulata.* 32 *Sim canonice reveſtitus.*) Tria reſpondet, legitima omnia. Poſtulat in primis, ut ante ullam cauſæ cognitionem in bonorum, quibus per vim exutus eſt, poſſeſſionem poſtliminio redeat, quod jure canonico decretum eſt apud Gratianum, & fuſius relatum in epitome Antonii Auguſtini. *3. q. 2. 3. Anton. Auguſt. l. 31. 1010.* Quin etiam ne ſtatim quidem poſt reſtitutionem poteſt epiſcopus cogi ad judicium, ſed induciæ dandæ ſunt, ut pacate ſuis fruatur. *Ejectis, vel ſpoliatis poſt integram reſtitutionem anniverſariæ induciæ, vel ſex menſium indulgendæ ſunt.* Deinde promittit ſe facti ſui in ſynodo provinciæ ſuæ judicibus eccleſiaſticis rationem redditurum, quæ eſt hujus loci hypotheſis, quodque faciendum multis canonibus regi perſuadet Rhemenſis Hincmarus. Poſtremo, ſi vel neutrum, vel alterum tantummodo conceditur, profitetur ſe Romam appellare, quod moribus eccleſiaſticis conſentaneum eſt quo ſupra diximus modo: neque poſſunt non probare antiſtites, quorum intereſt appellationis privilegium adverſus aulicorum injurias conſervari.

*In ſatisfactionem Hincmari Laudunenſis.*

*Profeſſionem fidelitatis non ſemel fecit Hincmarus Laudunenſis.* 33 PROFESSIONEM fidelitatis regi præſtitam apud Attiniacum vidimus in concilio noſtro, cum hic *eidem epiſcopo contumaciter ſibi reſiſtenti, valde infenſus erat*, ut loquitur Bertinianus annaliſta. Sed longe diverſa hæc eſt ſatisfactio, ab homine pene adhuc innocente apud Piſtas oblata, qua imprudentiam ſuam, nihil aliud, accuſat: idque avunculi conſilio factum ab ipſo mihi facile perſuadeo, quo liberior eſſet ad reconciliationem regiam aditus, quam & obtinuit.

*Mercede, vox Hiſpana.* 34 *Precor veſtram mercedem.*) Unde porro in homine Gallo, in ſinu Galliæ, apud Gallum regem Hiſpana vox, quam in uſu Galliæ tum fuiſſe nemo mihi probet? Non habuit vel corruptiſſima latinitas verbum aliud honorificum, quo regem compellaret? an Gottalani amanuenſes hoc verbi affectarunt, ſuppreſſo Gallico vel Latino? An argumentum eſt ejus barbariei, quam ex plurium gentium linguis ſtudioſe conquiſiviſſe ad oſtentationem reprehenditur avunculo? Dicet fortaſſe illam a ſe hauſtam a S. Gregorio Brunichildi reginæ, *Quod ad mercedem veſtram reſpiciat.* *Greg. l. 7. ep. 111. ibid. ep. 311.* Et, *pro impetratis quæ pro veſtra mercede magis petimus.* Item, *Ut mercedis veſtræ magis magiſque ſit fructus uberior.* Sed illa omnia non pertinent ad perſonæ venerationem, ſed ad meriti & præmii argumentum.

*In extemporalem admonitionem Hincmari Rhemenſis.*

*Opuſculi hujus argumentum.* 35 ITERATO pulſandus fuit ariete murus ille jam pene per aulicam factionem aheneus. Et quando conſtabat dilatam eſſe quaternionum lectionem, eratque incertum qua manu, dextra an ſiniſtra, rotula exciperetur, quibus oculis, rectis an obliquis legeretur; neque dubium erat quin regis ira perſeverante, nova etiam oriretur difficultas, quod epiſcoporum cauſas quibus beneficia in aulicos collata repeterent, audiri ſolitas in palatio dictitaret, fuit huic etiam malo providendum, & error ab animo principis evellendus. Quod hoc ſcripto facit, prolatis potiſſimum ex imperatoriis capitulis, legibus Francorum regno uſitatis, ut oſtendat & avum Carolum magnum, & Ludovicum Pium patrem, & ipſummet Carolum, quoties epiſcoporum conſilio, non aulicorum fraudibus, aut potentiorum minis, regendum ſe permiſit, alia omnia decreviſſe. Deinde, ut nihil umquam ſemel dixit Hincmarus, ad theſim initio diſputatam redit, & epiſcopum probat apud eccleſiaſticos judices debere conveniri, & ejus curæ bonorum eccleſiaſticorum diſtributionem committi. *Nominis impoſiti ratio.* Sunt enim duæ iſtæ partes ejus opuſculi, cui Admonitionis, & quidem extemporalis nomen dedimus, tum quia re nata, & ex regii reſponſi occaſione initium videtur accepiſſe; tum quia diſcedendum fuit a rotulæ vocabulo jam ante occupato, cum & materia, & tractandi methodo ad eam quam proxime accedat. Sitne autem chartæ commiſſa ut ceteræ, an voce pronunciata coram rege, non facile dixerim: niſi quod magis in ſcriptionem inclinat titulus e MS. acceptus, quo dicitur, non pronunciaſſe, ſed æque ac rotulam *porrexiſſe*.

*Efficacia juramenti.* 36 *In fide & dextera veſtra perſpexam veſtram jurantes*) Cauſæ plurimum intereſt ut Carolo regi, non tantum religio, ſed etiam ſolemnitas juramenti reducatur in memoriam. Non enim tantum juravit, & Deo eſt obſtrictus, quod non omnes principes ſemper movet: ſed etiam publice & ſolenniter juravit, quod apud homines graviſſimi perjurii creare poteſt infamiam. Solennitas ea porro fuit, ut diſtrictum enſem dextra tenens ſacramentum conciperet. Unde in legibus Alamannorum, dicitur, *Cum tracta ſpata defendas.* *Leg. Alamann. tit. 89.* Et in lege Ripuariorum, *Cum dextera armata, tam prius, quam poſterius ſacramentum in præſentia judicis confirmare ſtudeas.* *Leg. Ripuar. tit. 66. Judith. c. 1. Gen. c. 42. Capit. Car. M. l. 2. c. 42.* Sic ethnici reges jurarunt per ſceptrum, Nabuchodonoſor *per thronum & regnum ſuum*, Joſeph Ægyptium ſimulans, *per ſalutem Pharaonis.* Quamquam Carolus magnus jubet ut *nullus præſumat per vitam regis & filiorum ejus jurare.* Quo fit ut remota ſequentium verborum amphibolia, *Sicut præſentes epiſcopi qui adfuerunt, periirant*, ſic explicem, ut ad conceſſos articulos, non autem ad eum ſacramenti ritum petitio epiſcoporum referatur. Quod ex eo confirmari poteſt, quod ejus cærimoniæ in capitulari nulla mentio fit, eamque ex iſto Hincmari loco ſolum diſcamus.

*Hiſtoria a diverſis varie narrata.* 37 *In loco qui dicitur Marſna cum fratribus veſtris.*) Si hoc loco de fide citantis Hincmari quæritur, ea ſane integra eſt. Si de verborum ſenſu agitur, ipſe per ſe apertus eſt. Cur hic ergo pedem figimus? Tenet hiſtoricorum diverſitas qualem vix alibi reperias. Ejus hiſtoriæ canon jure ſuo cenſeri debet ipſum Caroli Calvi capitulare, in quo legimus ad Marſnam ſive Marenam palatium regium in finibus Tungrorum bis conveniſſe tres reges, bellis civilibus & externis fatigatos: & in priore conventu anni 847. pacem inter ſe ſanxiſſe, in altero anni 851. qui noſter eſt ab Hincmaro productus, eandem confirmaſſe: nulli ut dubium foret quin inter eos *Veræ caritatis benignitas abhinc inante maneret corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, ſine dolo & ſimulatione.* *Capit. Car. Calvi tit. 3. c. 2.* Quid hic autem hiſtorici? Nithardus, imperatoris Lotharii adverſus fratres bellorum, & pacis ab eo repulſæ copioſus enarrator, ad hunc annum hiſtoriam non perducit, in 43. deſinens. ad cognoſcendam tamen rerum veritatem opportune conſulendus. Annales Fontanellenſes prius placitum omnino ſilent; poſterius breviter referunt. *Illo anno placitum magnum & generale factum eſt a nobis glorioſiſſimis fratribus Clothario, Carolo, & Ludovico magnis regibus, in loco quodam juxta flumen Moſam. Inde cum pace reverſus rex Carolus, placitum ſuum in Rauziaco tenuit, & dona annua ſuſcepit.* *Annal. Fontanell. an. 851.* Autumnali proinde tempore, quo dona hæc ordinarie deferebantur. Annales autem Fuldenſes qui & Francorum a Pithoeo editi, in primo congreſſu referendo cum capitulari conveniunt: quibus & Metenſes adjungimus, quod hic annaliſta priores ad verbum deſcribere ſit ſolitus. *Hic annus a bellis quievit, quem Hlotarius & Hludovicus mutua familiaritate tranſegerunt. Nam uterque eorum ad domum alterius invitatus, conviviis & muneribus regiis honoratus eſt.* *Annal. Fuldenſ. an. 847. Metenſ. ibid.* Ubi autem Carolus, cui privatim aſcribitur capitulare, & non minus quam alii duo adnuntiationem ſuam habet, in qua etiam futuri mox apud Pariſium placiti ad miſſam S. Joannis condicti admonet? Voluit ſcilicet & ipſe fratres ſuam in domum invitare: an id faceret non invitatus, contemptus, & tantum non ab illis rejectus? Hic ſine dubio factum quod addunt Fuldenſes, *Hludovicus tamen Hlotarium & Karolum, ita ut voluit, pacificare non potuit, renuente Hlotario propter injuriam ſibi a Giſalberto vaſſallo Karli in raptu filiæ ſuæ factam.* Id ſi vere dicitur, & admodum credibile eſt quod Lotharius adverſus Carolum infenſiore ſemper animo fuerit, quam erga Ludovicum, quomodo verum eſt quod capit. 1. edicitur, *De pace & concordia atque unanimitate trium fratrum & regum inter ſe; & quod veriſſimo, & non ficto caritatis vinculo ſint uniti?* *Capit. Car. Cal. tit. c. 1.* Fuit enim Ludovicus quidem cum utroque, ſed Carolus cum Ludovico ſolo concordia unitus. Niſi intelligamus privatum illud fuiſſe diſſidium Lotharii cum Carolo, & intra domeſticos aulæ parietes coercendum, neque unquam in bellum & publicos tumultus erupturum.

Et hæc quidem de primo conventu, de ſecundo autem ne γρῦ quidem. Baronius vero cui noti fuerunt annales iſti, & frequenter citati, neutrum conventum vel nominat, dignum tamen opus, ſi quod aliud, annalibus eccleſiaſticis, in quo tam regie rebus juribuſque eccleſiæ conſultum eſt.

Ex adverſo Bertinianus annaliſta prioris Placiti ne veſtigium quidem offert. At poſterius, videlicet noſtrum, fuſius deſcribit, relatis etiam capitulis omnibus, hoc exordio. *Hlotarius, Hludovicus, & Carolus apud Marſnam palatium conveniunt. Ubi etiam fraterne paucis diebus morati hæc communi procerum ſuorum conſilio atque conſenſu decernunt, propriorumque nominum monogrammatibus confirmant.* *Annal. Bertin. an. 851.* Ac ne quid in animis noſtris inhæreat ejus ſimultatis, quam inter fratres duos perduraſſe narrabat Fuldenſis, Carolo parum æquus, regium illius factum anno ſequente ſi commemorat. *Carolus fratrem Lotharium ad ſui* con-

*Ibid. an. 831.* *colloquium inchians apud Auguſtam Viromandorum, quæ beati Quintini martyris corpore inſignitur, fraterne ſuſcepit, honorifice afficit, germane tractat, regaliter munerat, redeuntemque benigne deducit.* Non eſt omittendum, quod ſecundi hujus apud Marſnam congreſſus decreta ſtudioſe notantur ab Hincmaro, regum ipſorum manibus ſubſignata fuiſſe, unde propria voce appellata, *Chirographum regum*, ut non ſemel vocat in libro de divortio Lotharii, *In chirographo regum noſtrorum hinc expreſſe decernitur.* Et ſub finem ſibri, *Quoniam quidem ſupra chirographi regum noſtrorum memoriam feci.* Quæ circumſtantia plurimum habet momenti, ut adeo ſolenniter conſtituta, religioſe obſervanda curet.

*Chirographum regum.* *Hincm. l. de divort. Loth. c. 23. ad 5. interrog.*

38 *In ſynodo apud Sueſſionis civitatem.*) Duplex in ea ſynodo pietatis & modeſtiæ ſpecimen Carolus edidit, quod ad propoſitum ſuum potuit Hincmarus adducere. Prius eſt, quod tanquam privatus & ſupplex epiſcoporum cœtui voluit intereſſe, *pio rege multa humiliter & prudenter proponente*, inquit, concilium. Interfuit enim *ut non ſolum devotione eccleſiæ ſe filium eſſe oſtenderet, verum etiam ſicubi opus eſſet protectorem regia poteſtate monſtraret.* Poſterius, quod diaconum quendam Rhemenſem, nomine Ragamfridum, & monachos duos presbyteros judicio epiſcoporum obtulit ob facinora quædam in ſe admiſſa puniendos. Ut ex his & ejuſcemmodi factis agnoſcamus, ſi quid aliquando in his negotiis perperam geſſit rex Chriſtianiſſimus, alieno impulſu: quod bene & ex virtute egit, id ſuopte ingenio feciſſe. Ex his præterea corriges annaliſtam Bertinianum, cum ſcribit, *Duos presbyteros monachos ejuſdem monaſterii ipſe ſynodo præſidens, epiſcopis judicantibus degradari fecit.* Non enim *præſides* qui *humiliter proponit*, qui non judicat, qui ſolum querelam apud judices deponit. Neque vero Carolus cum *ſe devotione filium eccleſiæ voluit oſtendere*, debuit eum locum & ordinem in ſynodo uſurpare, quem neque Conſtantinus imperator, neque catholicus quiſquam princeps ſæcularis ſibi unquam arrogavit. Itaque ſcribendum *reſidens*, aut *ſedens in ſynodo*: vel certe in ſcriptore puræ Latinitatis ignaro, idem vocis compoſitæ ſenſus intelligendus eſt, qui ſimplicis.

*Caroli regis modeſtia in ſynodo.* *Capit. Car. Cal. tit. 5. art. 1. Ibid. art. 5. & 6.* *Corrigitur locus annal. Bertin. ad an. 853.*

39 *Quando non tranſmiſiſtis ad excommunicandum.*) En quo recidit tanto cum apparatu inter fratres reges jurata & confirmata pax. Septennio poſt Carolus fœda ſuorum maximeque Vvenilonis archiepiſcopi Senonenſis proditione, regnum amiſit, invadente Ludovico fratre Germaniæ rege. Qua de re dictum a nobis alio loco. Hinc notamus in primis recto ordine hanc Germanorum graſſationem legationibus miſſis fuiſſe vetitam, ut ſcribit ad Ludovicum ipſum Hincmarus, Carolo regi ſuo fide conſtantiſſima conjunctus. *Primo quidem per Hildegarium venerabilem epiſcopum ſcriptis & dictis: Secundo per Æneam honorabilem epiſcopum literis & verbis. Item per Æneam verbis: Deinde per Hincmarum Rhemenſem & Vvenilonem Rotomagenſem archiepiſcopos: Iterum per eoſdem cum aliis quos ibi vocaſtis ea quæ ſaluti fuerunt congrua ſufficienter audiſtis.* Et quoniam ejus irruptionis initio, contra Danos in inſula Oſcello erat occupatus Carolus, ſuſpicor Ludovicum talibus epiſcoporum admonitionibus aliquamdiu ceſſiſſe, & ab injuſto bello manum retraxiſſe, narrante Annaliſta Bertiniano, *Quando frater ſuus Ludovicus ſuper illum venit cum omni hoſtili apparatu. Sed largiente miſericordia Dei cum honore non receſſit.*

*Irruptio Ludovici Germani in regnum Caroli.* *Hincm. epiſt. ad Ludovic. In capitul. tit. 23. c. 3.* *Ann. Bertin. ad an. 858.*

Notamus deinde hinc redeuntem ad iniquum facinus Ludovico, inde Carolo ad hoſtem propulſandum milites cogente, ingentem Galliæ vaſtationem, quod in bello civili neceſſarium eſt, factam eſſe, ſcribente ad Ludovicum Hincmaro, ex ſynodo Cariſiaca. *Quia tanta & talia crudelia, & abominanda fieri per parochias quas pertranſiſtis audivimus, & quædam ſentire timemus, & illis qui ſenſerunt, & ſentiunt condolemus, quæ calamitatem & miſeriam quam a paganis, patimur, ſuperent: quoniam a Chriſtianis in Chriſtianos, a parentibus in parentes, a rege Chriſtiano in regem Chriſtianum, a fratre in fratrem, contra omnes leges divinas & humanas aguntur.* Deque iiſdem rebus Carolum & clericos palatinos admonente. Siquidem capitula de quibus agimus ait a ſe miſſa ad ipſum Carolum, hortaturque ut ea diligenter legat, *Quia mihi credite plus pro vobis, quam pro illo facta fuerunt.* Ad clericos autem ſcribit, *Audio de hominibus veſtris, quia multa mala, rapinas ſcilicet & deprædationes, & fornicationes & adulteria in parochia mea faciunt; & etiam de vobis audio, quia rapinis illis conſentitis, ut videlicet qui de illis vivitis, & veſtros homines atque caballos inde paſcitis.*

*Horrenda clades per eum illata. Hincm. ep. ad Lud. cit. c. 5.* *Hincm. tom. 2. opuſc. 5. Ibid. opuſ. 6.*

His autem malis obviam ſcilicet ire debuerunt epiſcopi, & eccleſiaſticum diſtringere gladium, qui maternis opprimebantur. Hincmarus ergo privatim ad presbiteros ſuos ſcribit, ut excommunicationem annuntient impiis illis graſſatoribus. Carolus autem ab antiſtitibus ſuis extremis precibus non ſine lacrymis impetravit, ut ad excommunicandum Ludovicum regem, & totum ejus exercitum proficiſcerentur. Quod non aliunde quam ex hoc ſcripto, non ex capitulari, non ex hiſtoria diſcimus. Scio equidem duas de his deprædationibus epiſcoporum querimonias annis & temporibus diſtinctas, adverſus Ludovicum priorem, adverſus Carolum poſteriorem, hic ſimul a nobis commemorari. Sed nimirum ab eodem fonte utraque cauſa profluit, eoſdem effectus parit, pene ſimili fine terminatur, adeoque uno narrationis filo contexi duæ potuerunt. Quid ergo miſſi ad Ludovicum epiſcopi effecerunt? Regiam majeſtatem reveriti, eo prætermiſſo duces exercitus excommunicatione vinxerunt. At is ſive contemptu, ſive victoriæ dulcedine nihilominus excommunicatis communicando ſecundariam cenſuram contraxit. Hoc ſignificat Hincmarus epiſtol. ad eum ex ſynodo Cariſiacenſi ſcripta. *Talia ac tanta fecerunt pro quibus eccleſiaſticam, & epiſcopalem excommunicationem meruerunt.* Et paulo poſt. *Et forte vos, vel quicumque alii de eorum ſocietatis & conjunctionis communione infecti & condemnati ſunt, pœnitentiam quiſque ſe recognoſcendo faciat.* Et apertius in legatione epiſcoporum anno ſequente ad eum a ſynodo Metenſi decreta, pro poſtulanda, & offerenda, ſi reſipiſceret, indulgentia, dicitur, *illi peccata in noſtris parochiis per illum, & ab illo commiſſa, eccleſiaſtica pietate & canonico more dimittite, eique indulgentiam poſtulanti donate, atque illum ſacræ communioni, qua ipſe ſe privaverat excommunicatis communicans, reſtituite.* Quam benignitatem aſpernatus, rem totam ad epiſcoporum ſuorum conſilium retulit. Sed hæc hiſtorici.

*Sequuta epiſcoporum excommunicatio.*

Nos ad extremum advertimus, mirum non eſſe ſi Carolus in tanto rerum ſuarum diſcrimine proditus a ſuis, oppreſſus ab hoſtibus, omnia prolixe ordini eccleſiaſtico petenti promiſit, & ſi ordo ipſe eccleſiaſticus foro uti ſcivit, ut jurium & privilegiorum ſuorum confirmationem a miſero rege poſceret.

40 *Ceterum apud Confluentes firmitas quæ ſubſequitur.*) Pax & concordia anno hujus ſeculi 58. fœdum in modum rupta, anno 59. celebri legatione repetita, tandem 60. refecta eſt apud Confluentes. De qua Bertinianus, annaliſta, *Ludovicus, Karlus & Lotharius reges, Kal. Junias apud caſtrum quod Confluentes vocatur, conveniunt, ibique de pace inter ſe diu tractantes, tandem concordiam atque amicitiam ipſi per ſe* (malim *inter ſe*) *juramento firmant.* Hæc eſt firmitas hoc loco memorata, pactum ſcilicet conventum inter fratres & nepotem ſcripto, juramento & ſigillo firmatum, quod in capitulari nonnullis immutatis eodem ſenſu legimus. Niſi dicere malimus, ita ſcriptum apud Confluentes, ut hic refertur ab Hincmaro. Poſt reditum autem a Confluentibus, ſic publice juſſu Caroli populo annunciatum, ut habetur in capitulari.

41 *Et in B. Gregorii decretis.*) Quod alibi notandum eſt hoc in opere, non ſemper ab Hincmaro religioſiſſime auctores citari, contento ſenſu, verba non requirente, hoc loco confirmatur, ubi S. Gregorium citat Joanni defenſori in Hiſpaniam eunti ſcribentem, & ex ſæcularibus imperatorum legibus eum inſtituentem. Hic enim aliquod in verbis ipſis diſcrimen videmus, quod admonuiſſe ſufficit, cum tanti non ſit ut de verbis ſingulis in comparationem veniamus.

42 *Quin conquirentibus.*) Duo verba parentheſi concluſimus, quia ſunt ab Hincmaro explicante, qui ſint illi quibus judices dantur, videlicet, litigantes. Nam in ejus lingua, *quin*, expoſitoria vox ſolet eſſe, quam nos dicimus, ſcilicet, videlicet.

Ibid. 43. *Sicut in mox ſequenti articulo dicitur.*) Nihil minus articulatum, quam hic locus eſt, ubi nec pes nec caput apparet. Unum dici poteſt, in articulo qui ſequitur ante citatum, id eſt 121. agi de iis epiſcopis qui loca ad cathedram ſuam pertinentia negligunt, ut a vicinis commoniti ſi non ſatagunt, liceat monitoribus illa occupare & excolere. Qua in re ſi quid dubii enaſcatur, & *epiſcopi inter quos cauſa verſatur, diverſarum provinciarum ſit, ille primas det judices, in cujus provincia eſt locus de quo contenditur.* Vide lector, an ſenſus qui poteſt hinc erui loco iſti applicatus animo tuo ſatisfaciat.

44 *Et item ſacri canones Antiocheni & Gangrenſes.*) Licet Arianorum fuiſſe cenſeatur Antiochenum illud ſub Julio papa concilium; quia tamen & pauciores erant numero quam catholici epiſcopi, & in canonibus de fide nihil, ſed de diſciplina eccleſiaſtica præclare decreta ſunt non pauca, manſerunt in honore canones, & jure producuntur ab Hincmaro. Gangrenſe autem quod tempore præceſſit, ut jam antea dictum, rem hoc loco propoſitam non proprie tangit. In eo enim contra Euſtachium decernitur, monaſticas eccleſias, & congregationes ſæcularibus ita præferentem, ut harum oblatione ad ſolas illas transferri vellet, tanquam ſolis, utpote ſanctis, debitas. Cui errori canones Gangrenſes anathema merito dicunt, & eccleſiam cui proprie præſidet epiſcopus non tantum contemni vetant, ſed etiam ſupra privatos omnes cœtus honorari, & fidelium oblationibus locupletari jubent, quarum diſtributio in poteſtate ſit epiſcopi, vel ejus quem tali officio præfecerit. Sic Gangrenſes canones, facta communium eccleſiarum cum privatis, & ejus populi qui ſub epiſcopo congregatur, cum hæreticis comparatione. At in lite Hincmari, toti eccleſiæ cauſa communis eſt, monaſteria etiam complexa, atque inter eccleſiam & aulam, clericos & ſæculares comparatio, in iis bonis quæ jamdudum eccleſia poſſidet, non autem in iis quæ nova liberalitate & plena libertate conferuntur.



## In epiſtolam Hincmari Rhemenſis.

45 HACTENUS apud Piſtas cum rege pro juribus eccleſiæ certatum eſt, nunc alio tranſlata cauſa, longe aliter cognita tractatur. Privata fit de communi; non jam epiſcopus, ſed Hincmarus junior litigat; & qui metropolitani patrocinium expertus eſt efficax, incipit avunculi benevolentiam perdere: atque libenter hoc veſtigium obſervo, tanquam ſequentium conciliorum ſemen, & inſtantis tragœdiæ protaſin.

Epiſcopi duce Hincmaro Rhemenſi pro Laudunenſi apud regem interceſſores, evicerunt duo; prius quidem, ut in maximam bonorum per vim ereptorum partem poſtliminio rediret, & illis, ut ajebant, reveſtiretur. Poſterius autem, ut de iis quæ controverſa reſtabant, judicio per omnia canonico, quale quaterniones de notulis deſcripſerant, decerneretur. Ita & epiſcopis factum eſt ſatis, & rex omni cura ejus negotii, & culpa ſolutus. Rediit ergo in provincias, & rex poſt placitum, ut ſolet, miſſos ſuos huc illuc ablegat. Dubitare non poſſumus quin e bonis adhuc ſub lite pendentibus vel præcipua fuerit villa Pauliacus. Ad eam repetendam Laudunenſis epiſcopus, ad retinendam comes Nortmannus judices mutuo conſenſu eligunt, & cauſam cognoſci volunt in provincia vel Rhemenſi vel Laudunenſi, præſentibus miſſis regiis, adſtante metropolitano Hincmaro, & Odone Belvacenſi epiſcopo, tantæ integritatis hominibus, ut eos licet vel ſanguine, vel arctiſſima amicitia & ordine cum adverſario conjunctos, judices non recuſaret Nortmannus. Hic perorata utrinque cauſa, & juribus explicatis, pronunciant judices, ut ego quidem arbitror, peccaſſe contra canones epiſcopum, qui Pauliacum regi abſque ullius conſenſu donaverit; non injuſte poſſidere Nortmannum, qui a rege ſic acceperit: de reſtitutione integra ad regem eſſe referendum.

*Exitus prioris adiuncti apud Piſtas.*

Hæc ut geſta ſunt nunciare debet Hincmarus Carolo regi, quod hac præſtat epiſtola, rogatque ut licet citra injuriam poſſideat comes Nortmannus, exemplo tamen præceſſorum ſuorum non permittat quicquam detrimenti capere eccleſiam, jubeatque ex integro epiſcopum reveſtiri, neque factum ſuum retractare erubeſcat. Sed iſtud quod ſupereſt negotii & pleno effectu terminat, & quanto quam antea moderatius minuſque actuoſe exequitur? Confer ſcripta omnia apud Piſtas oblata, cum hac epiſtola; profecto alium a ſeipſo videbis Hincmarum, in hac cauſa & Nepotis & eccleſiæ. Unde porro iſta mutatio? Ex ipſa litigantium actione, qua didicit Pauliacum villam ab epiſcopo nemine conſcio fuiſſe regi traditam, ut ab eo in beneficium Nortmanno comiti donaretur: quamobrem neque regem, neque comitem rerum eccleſiaſticarum pervaſores eſſe, ſed ipſum epiſcopum dilapidatorem, & ſacris canonibus contraria peccantem. Se turpiter deceptum qui nimis credulam juveni & læſo epiſcopo mentem dederit, & acri objurgatione regem compellaverit ea ex parte innocentem. Hoc eſt quod pontifici Hadriano narrat idem Hincmarus. *Ego autem illi ut epiſcopo credens, ſcripſi inde domno regi plura & minus caute, reprehendens illum de injuſto judicio. Et quia non ita ſe res habebat, ſicut idem Hincmarus mihi mandaverat, & poſtea ipſe dixerat*, &c. Hinc illæ lacrymæ. Nam Bello Pauliaco ſic exutus, de rege qui donatum comiti non reſtituiſſet eccleſiæ, de avunculo ſuo qui reſtitui non curaſſet, quaſi regi & palatinis in eccleſiæ perniciem conniveret, apud ſedem apoſtolicam queſtus eſt, & utrumque poſtea multis injuriis vexare perrexit.

*Epiſtola argumentum.*

Hæc epiſtolæ prima pars eſt, cui ne actum tantum agere videretur, alias duas attexit, longe diverſas, alteram de Luidone qui hominem invitus occiderat; illi rogat modis eo tempore receptis ſecuritatem dari ab adverſariis: eos niſi ſaxint ſe conſtituto die cenſura eccleſiaſtica conſtricturum. Alteram de aulicis, ſuas & epiſcoporum admonitiones immodeſte ſubſannantibus. Quos coerceri poſtulat a rege peccati illius gravitatem expendente. Sic in concilio Duziacenſi poſt epiſtolam ſynodalem ad Hadrianum papam, quam ab Hincmaro ſcriptam eſſe non ambigo, ſubditur privata ipſius epiſtola, in qua cum Actardi commendatione, & Laudunenſis ipſius accuſatione, de Triſingo presbytero per occaſionem agit.

46 *Et ſicut ſæpe ſoletis recolere.*) Notanda regis Caroli pietas, non aliunde profecto quam ab Hincmaro accepta, qui ejus mentem præſtantiſſimis præceptionibus & ſanctorum patrum ſententiis imbuebat. Quod apertius conſtat ex variis ejus pro regum inſtitutione opuſculis tomo ejus operum ſecundo ſparſis, quorum prima duo ad Carolum regem ſcripta, cum epiſtola B. Gregorii ad Recharedum regem, quam *& diligenter legas, & intelligenter ſervando, ac quotidie magis ac magis de virtute in virtutem proficiendo cuſtodias.* Dignus profecto antiſtes qui non magis eccleſiæ ſuæ privilegio, quam virtutis & doctrinæ merito tot reges reginaſque Francorum coronaret. Quibus potuit dicere quod Arcadio Syneſius, miſit me patria, *στεφανώσοντα χρυσῷ μὲν τὴν κεφαλὴν, φιλοσοφίᾳ δὲ τὴν ψυχήν. Auro caput, animum philoſophia coronaturum.*

*Pietas Caroli Calvi.* *Hincm. opuſc. 2. Præfat.* *Syneſ. orat. de regno.*

47 *Sicut Julianus, & poſtea imperator Mauricius.*) Eam legem expreſſe Juliano adſcribit Gregorius, Theodoro medico ſcribens. *Quam legem primum, ſicut ii dicunt, qui leges veteres noverunt, Julianus protulit, de quo ſcimus omnes quantum Deo adverſus fuerit.* Itaque ſic retulit Hincmarus Gregorii fide, Gregorius peritorum juris Romani, & legum imperatoriarum. Quos nobis ignotos eſſe fatemur ingenue, cum & corpore juris non contineantur, & ab hiſtoricis non referantur. Militia quidem prohibitos Chriſtianos a Juliano Cæſare novimus, cum vetuit illos inter prætorianos in palatio militare, magiſtratus in urbibus gerere, juſſitque omnes ad idola colenda compelli. Quo audito, inquit Socrates, qui vere Chriſtum colerent magno ſtatim animo militiæ inſignia poſuerunt. Sed qui ſtipendia mererent Chriſtiani tantum legitimam miſſionem veritos ad monaſticam vitam tranſire ad eremum atque monachos, neque Chriſtianos ferret, quis mihi probaverit? Nimirum iſta ſuis momentis expendere non curat, nihil ut profanum niſi certiſſima veritate fultum afferat Chriſtianorum myſteriorum diligens perſcrutator. Atque ejuſdemmodi eſt illud quod ſe ſequitur ad Theotimum medicum, *Fuerunt quidam veterum philoſophorum qui in duobus corporibus unam eſſe animam dicerent, non affectus jungentes duos, ſed unam in duobus animæ ſubſtantiam parientes.* Qui vero fuerint veteres illi philoſophi, ſi quis ſolicitius requirat, næ judicio meo ſuam operam male collocabit: umbram certe illius erroris in ſeipſo damnavit Auguſtinus.

*Juliani imperinjuſta lex.* *Greg. l. 2. indict. 11. ep. 64.* *Socrat. l. 3. hiſt. c. 11.* *Greg. cit. ep. 65.*

48 *Et in libro primo capitulorum.*) Conferunt hæc Mauritii & Caroli magni exempla, ad verecundiam retractationis ex animo Caroli Calvi evellendam. Nam ſi Mauritius libere ſe moneri permiſit a Gregorio pontifice, ut legem contra Dei obſequium latam refrigeret: cur ſucceſeat Carolus Calvus ab epiſcopis rogari ſe ut olim contra eccleſiam facta reſcindat? Si magnus ille Carolus ſcriptam a ſe legem contra libertatem eccleſiaſticam antiquare non erubuit, cur ejus nepotem pudeat bona eccleſiæ purpurato ſuo conceſſa repetere, & epiſcopo Laudunenſi reſtituere?

Ad Caroli magni legem quod pertinet, hoc in primis obſervandum, eo numero non haberi in capitulari, qui ſignatur in MS. Deinde, legis ſcribendæ cauſam admodum probabilem, & imperatoria pietate non indignam diſertis verbis exprimi. *Quia audivimus aliquos ex illis non tam cauſa devotionis hoc feciſſe, quam pro exercitu, ſeu alia functione regali fugienda: quoſdam vero cupiditatis cauſa, ab his qui res illorum concupiſcunt circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus.* Tertio, non aliunde quam ex hoc loco, & Hincmari teſtimonio diſcere nos, oppoſitionem ab eccleſia & republica huic legi factam; præſertim cum bonis moribus cauſa legis patrocinetur. Ad extremum, legis revocationem admodum obſcuram mihi videri, & ſola Hincmari auctoritate, aliis quam nos exemplaribus utentis, credibilem fieri. Nam eo libro correcta dici non poteſt, niſi c. 143. quod eſt *De converſione liberi hominis. Ut liber homo qui in monaſterio regulari comam depoſuerit, & res ſuas ibidem delegaverit, promiſſionem factam ſecundum regulam firmiter teneat.* Hic prioris legis nulla fit mentio, & hæc poſterior abſque ulla ejus derogatione facillime conſiſtit. Nam ſive cum regia licentia, ſive illa præter-

*Carolus M. legem contra eccleſiam latam retractavit.*

termiſſa, in monachum quis ſit attonſus, promiſſionem vitæ ſuæ Deo factam, & poſſeſſionum ſuarum monaſterio, ſanctam & illibatam ſervare debet.

*Secunda pars epiſtolæ de Luidone homicida.*

49. *Ceterum in ſecundo libro capitulorum.* ) Aggreditur ad ſecundam epiſtolæ partem, præmiſſis duabus capitularium legibus, quarum priore, neceſſitatem exponendi negotii ſibi tanquam epiſcopo impoſitam declarat: poſteriore, negotium propius tangitur, & quomodo decernendum ſit aperitur. Eſt autem cauſa talis. Luido fecit homicidium invitus, puta, vel imprudens, aut vim repellens, occiſi parentes, hæredes, amici, armantur in vindictam; ille ne perpetuo de vita periclitetur rem legitimo judicio committi poſtulat, id facturus quod a lege & a judice ſtatuetur. Ita ſatisfecit adverſariorum nonnullis, qui ſunt de regno Auſtraſiæ ſub Lothario. Idem judicium ſubire recuſant alii Carolo ſubditi, & plures jam annos Luidonem inique vexant, legitimam ſatisfactionem offerentem. Poſtulat igitur Hincmarus a rege, ut eam litem ſecundum leges terminari jubeat, & contumaces ad judicium cogat: qui ſi perpetuas inimicitias cum Luidone volunt gerere, eos ſtata die excommunicationi ſubditurus eſt. Qua in narratione nihil admodum occurrit notandum, præter voces quaſdam obſoletas e temporum barbarie, & capitularibus deſumptas, quæ breviter percurrendas.

*Comites qui.*

50 *Comes in cujus miniſterio perpetratum eſt.* ] Comites, quorum frequentiſſima mentio eſt, urbium & pagorum dicuntur eorum locorum judices; ut lex Burgundionum declarat. *Ad utilitatem & quietem conſtat omnium pertinere, ut de ſingulis quibuſcumque cauſis generalis definitio proferatur; ſicque fiat ut locorum comites, atque præpoſiti competentes inſtructi evidentius judicanda cognoſcant.* Talis fuit Erlebaldus comes Caſtricenſis pagi, apud Flodoardum, qui vivus ab Heriveo Rhemenſi excommunicatus, poſt mortem poſtulante rege abſolutus eſt in ſynodo apud Troslejum. Eorum apparitores dicti, miſſi reipublicæ, ſcribente Hincmaro ad Ludovicum regem Germaniæ. *Ut miſſus reipublicæ id eſt, miniſter comitis, cum ipſis, ſi juſſerint, eat.* Ab iis ad comitem palatii, tanquam illorum judicium, judicium appellatum eſt, ut ex eodem Hincmaro diſcimus. *Comitis autem palatii inter cetera pene innumerabilia in hoc maxime ſollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ, propter æquitatis judicium palatium aggrediebantur, juſte ac rationabiliter determinaret, ſeu perverſe judicata ad æquitatis tramitem reduceret, ut & coram Deo propter juſtitiam, & coram hominibus propter legum obſervationem, cunctis placeret.* Si res gravior & obſcurior occurreret, quæ aut legum defectu aut propter litigantium pervicaciam, terminari non poſſet, ad ſupremam auctoritatem deventum eſt, ut hac ipſa quæ præ manibus eſt, lege jubetur. Hic & tum, vel rex adhibitis conſiliariis judicabat, quod citato loco ſignificat Hincmarus, aut ſolus ipſe decernebat. Quo in genere judicii notabilis fuit Caroli magni ſedulitas, de quo ſic narrat Eginhardus: *Cum calcearetur & amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam ſi comes palatii litem aliquam eſſe diceret quæ ſine ejus juſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introducere juſſit, & veluti pro tribunali ſedens, lite cognita ſententiam dixit.* Arbitrarias oportuit fuiſſe ſententias quæ ſic ex ſola principis voluntate penderet. Verum lis noſtra diverſa eſt, quæ neque comite palatii, neque regis præſentia indiget: ſiquidem tantum rogatur imperare, ut ſine mora & tergiverſatione ulla ſecundum leges regni Francorum cauſa decidatur.

*Leg. Burgund. tit. 49.* — *Flodoard. l. 4. hiſt. c. 16.* — *Hinc. opuſ. 4. nu. 7.* — *Idem opuſ. 14. nu. 21.* — *Carolus magnus procerum cauſas cognoſcit.* — *Eginhard in vita Car. M.*

*Compoſitionem ſolvere. Qualis ea ſit.* *L. Salica tit. 45.*

51 *Et compoſitionem ſolvere.* ] Mulctam convenientem perſolvere, & læſæ parti ſatisfacere, pretio dato ſe redimere, quod certe leve eſt. Sic enim in lege Salica legimus. *Si quis foris caſa, ſive iter agens, ſeu in agro poſitus a contubernio fuerit occiſus, & tres vel amplius habuerit plagas, tres de eodem contubernio qui convicti fuerint, ſingillatim mortis illius compoſitionem componant, & tres alii de ipſo contubernio 100. denarios, qui faciunt ſolid. xxx. unuſquiſque illorum culpabilis judicetur. Et tres adhuc alii de ipſo contubernio DC. denarios, qui faciunt, ſolid. xv. ſinguli eorum culpabiles judicentur.* De clericis autem interfectis, ita præcipit Caroli magni capitulare. *Qui ſubdiaconum occiderit CCC. ſolidos componat. Qui diaconum, CCCC. Qui presbyterum, DC. ſolid. Qui epiſcopum, DCCCC. ſolid. Qui monachum, CCCC. ſolid. culpabilis judicetur.* Tanti hominum etiam ſacratorum capita æſtimabant majores noſtri bellis & erroribus aſſueti, & ipſi, ut ſic dicam, ſemiferi. Hæc tamen & ſimilia de involuntariis cædibus intelligenda ſunt, qualis hæc eſt a Luidone facta. Nam ſpontaneis pœnæ graviores impoſitæ juxta capitulum aliud. *Ut quicumque auſu temerario alium ſine cauſa occiderit, vitæ periculo feriatur, & pretio ſe redimere numquam valeat. Et ſi convenerit ut ad compoſitionem quiſque deſcendat, nullus de parentibus aut amicis eum quicquam adjuvet. Quod ſi fecerit, ſuum vvirgildum cumulo componat.* Hoc eſt, pretium quod conſtitutum fuerit, quodque aliter emenda dicitur, perſolvat, quod tali homicidæ adjumento eſſe voluerit. De his plura collegit Iſaac Lingonenſis in canonibus ſuis.

*Capit. Caroli M. l. 3. c. 25. Ibid. l. 7. c. 183.* — *Ibid. Lingon. capit. 2.*

Cui vero perſolvi debeat ea pecunia, eadem lege Salica dicitur. *Si alicujus pater occiſus fuerit, medietatem compoſitionis filii colligant: & aliam medietatem parentes qui proximiores fuerint, tam de paterna, quam de materna generatione, dividant. Quod ſi de una parte, vel paterna, vel materna, nullus proximus fuerit, portio illa ad fiſcum perveniat, vel cui fiſcus conceſſerit.* Dixit lex, filios, non filias. Quia ut in legibus Longobardorum habetur; *filiæ, eo quod feminea ſexu eſſe probantur, non poſſunt ipſam faidam levare.*

*L. Salica tit. 65.* — *L. Longobard. l. 2. tit. 18.*

52 *Et faidam per ſacramentum pacificare faciat.* ) Faida inimicitia eſt, dicente lege Longobardorum, *Ceſſante faida, id eſt, inimicitia.* Pacificare autem faidam quid ſit, eadem lex aperte declarat, eodem titulo, qui eſt de plagis & compoſitionibus liberorum hominum. *In omnibus iſtis plagis ac feritis,* inquit, *ſuperius deſcriptis, quæ inter homines liberos eveniunt, ideo majorem compoſitionem poſuimus, quam antiqui noſtri, ut faida, quod eſt inimicitia, poſt compoſitionem acceptam poſtponatur, & amplius non requiratur, nec dolus teneatur, ſed cauſa ſit finita, amicitia manente.* Quanto enim majorem pecuniæ ſummam a lædente læſus accipiet, æquum eſt ut tanto libentius remittat injuriam, & in gratiam cum adverſario redeat. Idque maxime valere debet in eo qui læſit, vel occidit invitus, quod Luidoni evenit. Quare eodem legis Longobardorum libro, non ſemel legimus, *Componat ceſſante faida, quia nolendo fecit.* Itaque faidam per ſacramentum pacificare, eſt interjecto ſolenni jurejurando confirmare ſe depoſitis odiis in concordiam rediturum. Sic explicata lege facilis eſt cauſæ cognitio.

*Faida quid.* — *L. Longobard. l. 1. tit. 7.* — *Ibid. tit. 9. &c.*

53 *Sine reſpectu alicujus perſonæ.* ) Potentes & gratioſos fuiſſe oportet Luidonis adverſarios, interfecti parentes, quorum dignitatem in jure dicundo Lotharius poſthabere debuerit in Auſtraſia, quique in Francia ne Caroli quidem commendationi, vel judicis ſententiæ cedere voluerint, ut injuriam condonarent. Quamquam recte Lotharii exemplum in medium adducitur, ne Carolus patruus & jam ſenior aliquid minus regie fortiterque faciat in regno ſuo, quam quod nepos & adhuc juvenis princeps magna cum auctoritate peregit.

54 *Cauſa porrexit uſque ad id loci, ut ne faidam homines veſtri jurarent.* ) Uſque eo perventum eſt in judicio, ut ſacramentum ab interfecti parentibus non exigeretur de pace cum interfectore ineunda. Sic jurare faidam idem interpretabimur, quod ſuperius, faidam per ſacramentum pacificare: quo ſenſu melius diceretur, faidam ejurare. Aliter quoque poteſt intelligi, eo deductam eſſe cauſam ut jurare faidam, hoc eſt, exercuiſſe cum homine interfecto graves inimicitias, Luido quidem vellet, quod ea res & culpam elevaret, & mulctam minueret, ſed agentibus contra adverſariis, obtentum ſit a judice, ne cogerentur ad illud juramentum, atque ita illud homicidium pro voluntario ſemper haberetur, adeoque morte aut exilio mulctandum.

55 *Cum judicatum fuerit ut eiſdem leudem revvadiarent.* ] Leudem eſſe compoſitionem quæ in mulctam injuriæ pendi debet: revvadiare autem relaxare bannum, ſive confiſcationem, quod ſine pretio ſoluto non fieret, diximus in notis ad concilium. Quibus aptum huic loco Caroli M. decretum addimus. *Si latro ibi occiſus fuerit, qui eum occiderit leudem inde non ſolvit, & nullus illi inde faidam portare præſumat.* Æquiſſima profecto ſententia, ut pretium legibus conſtitutum pro homicidio ſic perpetrato ſolvat Luido parentibus; pacem & concordiam Luidoni promittant parentes: illud ultro offert & ingerit Luido: recuſant iſti ſacramentum præſtare, & immortales cum eo volunt inimicitias gerere, quod legi Chriſtianæ, bonis moribus, & regni quieti repugnat.

*Supra pag. 348.* — *Capit. Car. M. l. 3. c. 29.*

56 *In mallo illius de quibuſcumque vellet eum interpellarent.* ) Mallum eſſe placitum & generale judicium, ad quod litigantes omnes accedere neceſſe eſt, ſciunt omnes. Sed quid eſt, *in malo illius?* Interpretor ego, in judicio, quod comes Luidonis ipſius indixerit; aut certe in loco ubi habitat, condixerit, ut huc atque illuc diſcurrere cogatur, qui jam [illegible] ab epiſcopo ſuo ad Piſtas, ad Baſivum deductus fuit. Sic Ludovicus Pius Hiſpanis imperavit, ut *facinoroſi undecumque a vicino ſuo aut criminaliter fuerint accuſati, & ad placitum juſſi, ad comitis ſui mallum omnimodis venire non recuſent.*

*Mallum.*



*Judicum mollities in hac lite terminanda.*

57. *Ut quilibet comes in ſuo comitatu inde facere per auctoritatem debet.* ) Perſtringit comitis, ſive judicis mollitiem, qui per nimiam indulgentiam capitularium decreta in gratiam adverſariorum Luidonis violavit. Nec minori in culpa eſt ipſe palatii comes, qui comitis inferioris ſententiam non correxit. Adeo potentes ſunt qui Luidoni faceſſunt negotium. Id autem contra mentem principum fieri, docet Caroli M. admonitio ad comites omnes, quam & repetit Carolus nepos. *Vobis vero comitibus dicimus, voſque commonemus, .... ut vos ipſi in miniſteriis veſtris pacem & juſtitiam faciatis, & quæ noſtra auctoritas publice fieri decernit, in veſtris miniſteriis ſtudioſe perficere ſtudeatis. Proinde monemus veſtram fidelitatem, ut memores ſitis fidei nobis promiſſæ & in parte miniſterii noſtri vobis commiſſi, in pace ſcilicet & juſtitia facienda, voſmetipſos coram Deo, & coram hominibus tales exhibeatis, ut & noſtri veri adjutores, & populi conſervatores juſte dici & vocari poſſitis: & nulla qualibet cauſa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuſlibet, vel odium, aut timor, vel gratia ab ſtatu rectitudinis vos deviare compellat, qui inter proximum, & proximum ſemper juſte judicetis.* Si veniunt judices in partem regiæ ſollicitudinis & auctoritatis cur aliorum potentiam verentur, aut gratiam aucupari ſtudent?

*Capit. Car. M. l. 2. cap. 6. capit. Car. Calvi. tit. 20.* — *Judices ſunt regum adjutores, & populi conſervatores.*

*Multiplex Caroli regis pacificatio cum Aquitanis.*

58. *Vos inquietare tunc propter Aquitanorum præſentiam nolui.* ) Quando id factum ſit, conjecturæ noſtræ relinquitur. Nam iſta ſcribit Hincmarus anno 868. quo de Laudunenſis nepotis lite cum rege actum eſt apud Piſtas, & jam ante annos quatuor homicidium Luidonis acciderat, anno proinde circiter 864. Intermedio autem tempore, bis legitur in annaliſta Bertiniano cum Aquitanis in fide amicitiaque ipſius nunquam ſatis conſtantibus, rediiſſe in gratiam. Primo anno 865. apud Vernum villam, *Epiſcopos ac ceteros Aquitaniæ primores obvius ſuſcepit: ad quorum multam petitionem filium ſuum Carolum, necdum bene ſpaſſatum in Aquitaniam cum regio nomine ac poteſtate redire permiſit.* Quod ſpaſſatum dicit, intellige curatum & ſanatum ab eo vulnere quod per juvenilem jocum anno 864. acceperat in capite, ex quo biennio poſt anno 866. mortuus eſt, ut narrant noſtri iidem annales. Minus vero mihi ſimile videtur anno illo, qui primus effluxit ab homicidio perpetrato, uſque ad hunc Aquitanorum congreſſum, tam multa peragi potuiſſe, quæ hoc loco perſequitur Hincmarus, pacificatum videlicet Luidonem cum Lotharii ſubditis; deductum ad Piſtas, ad Baſivum ab epiſcopo Rhemenſi: cauſam apud judices diſceptatam; auditam in palatio: remiſſam ad regem, Hincmaro ad ejus latus aſſidue hærente. Commodius ergo referetur ad alterum Aquitanorum congreſſum, quem docent annales iidem factum anno 867. qui totam Hincmari Laudunenſis cum rege litem præceſſit. Tum ſiquidem Carolus *ad villam quæ Bellus Pauliacus dicitur, perrexit: ubi primores Aquitanorum ſibi obviam accerſivit, & filium ſuum Ludoicum, ordinatis illi miniſterialibus de palatio ſuo, eiſdem Aquitanis regem præfecit.* Ac licet prudenter Hincmaro credamus, cauſam cur privati cujuſdam homicidæ negotio rex inquietari non debuerit *fuiſſe Aquitanorum præſentiam*: non imprudenter tamen rationem aliam poſſumus olfacere, ſenſiſſe tunc Hincmarum regiam adverſum ſe gratiam aliquantum refrixiſſe. Cum paucis poſt menſibus in concilio Tricaſſino ſex provinciarum in cauſa clericorum Rhemenſium, dicatur fuiſſe *Carolus immemor fidelitatis atque laborum, quos pro ejus honore, & regni obtentu ſæpeſatus Hincmarus perplures annos ſubierat.*

*Annal. Bertin. ad an. 865.* — *Spaſſatum.* — *Ibid. ad an. 867.* — *Ibid. & Flodoard. l. 3. hiſt. c. 17.*

*Revocetur ad litem terminandam.*

59. *Nunc autem quia ipſi veſtri homines.* ) Quia tamdiu vexari clientem ſuum Luidonem, & litem injuſte comperendinari moleſtiſſime fert, regem admonet quibus ea modis, & ubi terminari facile poſſit; ſi judicium ſua in diœceſi, in qua illi bona & beneficia poſſident, exerceatur, eo convenire cogantur ipſi: ſi recuſant, facultates fiſco adjudicentur. Et ſi forte ſæcularis poteſtas contumacibus ceſſerit, ad ſpiritalem & eccleſiaſticam facile deveniri poſſe. ſibi certum eſſe ipſis Kal. Octobribus, ſolenni die cenſuris eccleſiaſticis caſtigare, & excommunicatos de more omnibus denunciare.

*Boſo cur ſpeciatim nominetur.*

60. *Sed & Boſo in noſtra diœceſi beneficium veſtrum habet.* ) Boſonem nominatim præter ceteros appellat, ne mirum regi vel aulicis videatur, quod illi excommunicationem intentet. Hoc enim ex eo ſibi licere judicat, quia ex beneficio quod in Rhemenſi diœceſi poſſidet, factus eſt ſubditus. Quo magis laudandus eſt Hincmari generoſus in obſequio Dei animus, qui nobiliſſimum & regi gratioſiſſimum hominem excommunicare non vereatur. Boſonem enim illum eſſe arbitror, quem Carolus jam imperator Italiæ ducem conſtituit, ut narrat Aimoinus, quique in ſynodo Ticinenſi procerum ſæcularium primus ſubſcribitur. *Signum Boſonis inclyti ducis & ſacri palatii archiminiſtri, atque imperialis miſſi.* Ac demum in ſynodo Mantalenſi regis nomen ab Arelatenſis regni epiſcopis proceribuſque ſuſcepit. Scio quidem in regno Caroli duos alios extitiſſe Boſones, patrem Huberti clerici, & Teutbergæ reginæ Lotharii conjugis ex injuſto repudio celeberrimæ: & Boſonem comitem Ingeltrudis conjugis fuga & infamia nominatiſſimum: pro qua revocanda Nicolaus I. & ejus in Gallia legatus Arſenius magnopere laborarunt. Sed ut neutrum illorum huc pertinere aſſeram, facit, quod prior longe ante hæc tempora mortuus erat, cum Benedictus III. contra Hubertum clericum *quondam Boſonis filium* ſcribebat. Poſterior hoc quidem anno ſuperſtes, domeſticis tamen negotiis ob fugitivam, & alibi proſtitutam conjugem ſuam ſic impediretur, ut aut exterris vacaſſe, aut epiſcoporum & ipſius Hincmari judicium, cui a Nicolao I. commendatus fuit, negligere potuiſſe mihi non perſuadeam. Quod ſi quis certa aliqua ratione contenderit, Boſonem de quo hic agitur, hunc ipſum eſſe comitem, non illum alium quem diximus Italiæ ducem, nihil ideo Hincmaro Rhemenſi hoc facto gloriæ decedet.

*Aimoin. l. 5. c. 32.* — *Concil. Ticin. tom. 3. conc. Gall.* — *Syn. Mantal. ibid.* — *Bened. III. epiſt. 2.* — *Nicol. I. ep. 1. tom. 3. Conc. Gall.*

*In die miſſa.*

61. *In die miſſa S. Remigii.* ) Aut ſimpliciter in miſſa, ad miſſam, S. Joannis, S. Martini, &c. Hoc eſt quod modo dicimus, ad diem, ad feſtum, quod ſæpe in capitularibus occurrit.

*Tertia pars epiſtola.*

62. *Audivi denique quoſdam.* ) Tertia & poſtrema pars epiſtolæ, qua vehementer reprehendit aulicos quibus graves erant adhortationes & tractatus epiſcoporum ex ſacra ſcriptura ducti. Vetus querela, jam inde a prophetis Judæorum, qui cum populo dicerent, *hæc mandat dominus;* ille contra ſubſannando inter pocula & delicias, reſpondebat. *Manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, & modicum ibi.* Quin etiam apud Romanos improbi quique, & ſupinis deliciis aſſueti, philoſophis cenſoribus inclamant. *Quouſque eadem?* Quibus Stoicus, *Ego debeo dicere, quouſque eadem peccabitis? Remedia ante vultis deſinere quam vitia. Ego vero eo magis dicam, & quia recuſatis, perſeverabo. Dicam etiam invitis profutura.* Præclare & ſtricte S. Auguſtinus ad Afros ſuos in eumdem ſenſum. *Puto, quia dico quod ſoleo, & vos facitis quod ſoletis. Ego coram Deo excutio veſtimenta mea: timeo ne mihi imputetur quia non dixi. Officium meum impleo: fructum veſtrum quæro.*

*Iſ. c. 28.* — *Senec. ep. 89.* — *Auguſt. ſerm. 144. de temp.*

*Riſu elevare dicta ſcripturæ malum eſt.*

63. *Videant quid ſuſtinebunt de hac criminoſa detractione.* ) Peccatum aulicorum ex contemptu verbi divini exaggerat. Nimirum vir ſapiens, maximæ auctoritatis & in eccleſia & in republica de magnis rebus ſerio agere, & ſingula dicta ſcripturæ ſanctæ, & antiquorum patrum auctoritatibus munire ſolitus, dolet non eadem mente ab auditoribus excipi, quæ proferuntur a concionatoribus: quin potius riſu eludi, & ſuffocari ſementem in piorum animos injectam. Nihil enim cum pietate & religione magis pugnat, quam ſcurrilitas, & in ridiculum detorta bene monentium dicta. Huc accedit, quod Hincmarus ſententia & ſcripturæ & patrum ab uſu non diſtinguens, audacter affirmat, & Deum & ſanctos in divinis ſcriptis contemni, quando qui iis citatis utuntur epiſcopi ſannis & ludibriis excipiuntur. Quare in concilio noſtro acerbe invectus eſt in nepotem, exigentem ut quæ adverſum ſe ex patribus & conciliis collegerat, flammis abſumeret: quod ſi faceret traditorum ſacrilegium ſe incurſurum reſpondit. Sed (quod pace tanti viri dictum ſit) latum eſt inter illa diſcrimen, & bona bene dici oportet, cavendumque ne bonis vitioſe utamur. Quod a nepote ſuo factum non tacet in concilio. Quamobrem licet omnino peccent aulici qui parabolantes per ſcripturam epiſcopos riſu dicteriiſque proſequuntur, poſſunt illi tamen culpam elevare ex importuno uſu, *tota die* abſque neceſſitate ſacra verba aſſidue intrudentium: quod ſatis non cavit Hincmarus ipſe, cui uni præter ceteros omnes Romanum illud occini poteſt. *Quouſque eadem?* Atqui meminiſſe debuit non eſſe mittendas margaritas ante porcos, neque ubi auditus non eſt, effundendum eſſe ſermonem: Quis autem non rideat, nuſquam alibi magis infartos & intricatos eſſe ſcripturæ locos, quam hic, ubi vitium illud in eo reprehenditur? Diceres irriſores ſuos jaculorum dentate velle obruere.

*Supra pag. 174.* — *Ibid. pag. 90.*

# ** HINCMARI ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS

EPISTOLÆ ALIQUOT AD HINCMARUM Laudunenſem epiſcopum, quæ in poſtrema R. P. Jacobi Sirmondi S. J. editione deſiderantur; deſcriptæ ex codice 1486. MS. Palatino bibliothecæ Vaticanæ opera V. C. Lucæ Holſtenii, & juſſu eminentiſſimi S. R. E. principis Franciſci cardinalis Barberini ad nos per R. P. Petrum Poſſinum ſoc. noſtræ theologum eruditiſſimum tranſmiſſæ. Ex his vero multa lector hauriet ad ſynodorum Vermerienſis, Attiniacenſis ac Duziacenſis, intelligentiam apprime neceſſaria.

## I.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus, presbyteris, diaconibus, ac reliquo eccleſiaſtico ordini, & cunctis in Laudunenſi parochia conſiſtentibus ſalutem.*

CONfratres ac conſacerdotes noſtri Hetto, Emmino, Hadulfus, & Clarentius presbyteri eccleſiæ veſtræ prid. Kal. Junias præſentis ſecundæ inditionis data mihi ad vicem omnium veſtrum petitione, cujus hinc partim textus, quantum ſufficere vidi, ſequitur, de quibuſdam capitulis veſtræ communis neceſſitatis conſuluerunt, hoc modo: Dum XIII. *Kal.* Majas paſtor noſter in monte Lauduno in ſua ſynodo de perplurimis utilitatibus ſuæ ſanctæ eccleſiæ, ordinando & emeliorando quædam in eis diſputaret; occurrit pro ſucceſſu temporum quædam pars ejuſdem diſputationis, pro qua quia ordinandi rerum eccleſiaſticarum poteſtas ab eo, cum jus & lex canonum jubendo præcipit, ut epiſcopus res eccleſiæ ſuæ quibus voluerit, & quomodo voluerit diſponendo diſpenſet, auferretur; perplurimæ auctoritates ſancti Petri ſucceſſorumque ejus, quibus qualiter & quomodo data ſit poteſtas ligandi & ſolvendi, ab eodem paſtore noſtro in præſentia totius ſynodi eas relegendo recitatæ ſunt. Quibus recitatis memor injuriarum ſuarum, quæ ei moderno acciderant tempore addidit, quod immineret tempus comprovincialis ſynodi, quæ in Vermeria palatio regio a vobis veſtriſque ſuffraganeis VIII. Kal. Majas habita eſt. Ad quam veſtris literis evocatus libenti animo coram omnibus profeſſus eſt, ſe ſine ulla intercapedine progreſſurum. Sed quia credebat in ipſa ſynodo, quod mos haud expoſcit canonicus, aliquam violentiam ſibi inlegaliter & contra leges canonum a quocumque fieri, ſermone conteſtatorio & auctoritate ſancti Petri, quod ſi ei licentia eundi Romam prohiberetur, aut ipſe captus obtineretur, omnes ſacerdotes totius parochiæ ſuæ colligavit, ut nemo eorum in ea ſacerdotali miniſterio tamdiu uteretur, uſque dum ille ipſe nobiſcum iterum viva voce loqueretur; aut literæ ex ipſa ſancta ſede beati Petri apoſtoli nobis mitterentur. Quo facto quod tunc non accidit, nunc in Silvaco palatio v. Kal. Junias peractum eſt. Qua tamen die priuſquam ad ipſum Silvacum perveniret præſcius venturæ violentiæ ſuæ, prædixit ſacerdoti noſtro Clarentio, ſimulque diacono Teutlando, ut nobis denuntiarent per omnia nos ſervaturos, quæ cauſa ſuarum injuriarum, & ut ſatius dicamus, pro ſtatu ſanctarum eccleſiarum, in præſcripta ſynodo XIII. Kal. Majas omnibus ſacerdotibus ſuæ parochiæ obſervare auctoritate ſancti Petri ipſe præceperat. Et poſt aliquanta: Quapropter quia eumdem dominum noſtrum regia poteſtate retentum & recluſum viva voce adire non poteramus, & ſacerdotali miniſterio prohibiti ab eo frui non audebamus, III. Kal. Junias ad capitolium noſtrum convenimus, & ibidem communi colloquio retractantes ratum fore duximus, ut exinde conſilium noſtræ ſalutis a ſacra paternitate almitatis veſtræ humiliter depoſceremus, utrum ſacerdotalis miniſterii officio miſſas celebrando, & domino pro receptione paſtoris noſtri ac communi utilitate totius ſanctæ eccleſiæ ſacrificia offerendo, baptizando pueros, viſitando infirmos, reconciliando cum viatico munere pœnitentiam petentes, ſepeliendo mortuos, cum penitus ab his omnibus prohibiti ſimus. Et paulo poſt: in parochia noſtra uti debeat, an non, & reliqua. Quam relegens ſatis ſuperque doluiſſe fateor, quia dilectus frater & coepiſcopus noſter Hincmarus contra epiſcopalem gravitatem, & contra euangelicam veritatem, atque apoſtolicam & canonicam auctoritatem talia inconſulte cauſa ſuarum injuriarum agere præſumpſit; qualia nullus ante ipſum epiſcopus egit; quæ non modo ſacrarum ſcripturarum tramiti contraria, & decretis ſunt ſanctorum adverſa, verum & ſaluti humanæ ac univerſæ Chriſtianitati ſunt inimica. Quia, ſicut Hilarus papa dicit, non minus in ſacrarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in injuriam ipſius domini proſilitur. Veſtram autem ſolertiam laudo, filii ac fratres cariſſimi, quos præcepta ſacrorum canonum non perſunctorie legiſſe cognoſco. Ait enim ſacra & myſtica Nicæna ſynodus: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quia ut urbis Romæ epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam ceteraſque provincias ſuis privilegia ſerventur eccleſiis.* Quod capitulum ſanctus Bonifacius papa ſcribens ad Hilarium Narbonenſem epiſcopum exponit hoc modo: *Convenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita ſynodi conſtitutio Nicæna, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus; per unamquamque provinciam jus metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubjectas: quod illi, quia aliter credendum non eſt, ſervandum Spiritu ſancto ſuggerente ſibimet cenſuerunt.* Et poſt aliquanta. *Quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua, adeo nos canonum præcepta ſervare, ut ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat; quatenus metropolitani ſui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet.* Et ſecundum Africanum concilium ſcribens ad Cæleſtinum papam, *Decreta*, inquit, *Nicæna ſive inferioris gradus clericos, ſive epiſcopos ipſos ſuis metropolitanis apertiſſime commiſerunt.* Et venerandum Antiochenum concilium, *Per ſingulas*, inquit, *regiones epiſcopos convenit noſſe metropolitanum epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrant. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros epiſcopos agere, ſecundum antiquam a patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantum quæ ad ſuam diœceſim pertinent poſſeſſioneſque ſubjectas. Unuſquiſque*



*enim epiſcopus habeat ſuæ parochiæ poteſtatem, ut regat juxta reverentiam ſingulis competentem; & providentiam gerat omnis poſſeſſionis quæ ſub ejus eſt poteſtate: ita ut presbyteros & diaconos ordinet, & ſingula ſuo judicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet præter antiſtitem metropolitanum.* Presbyteros, inquit, & diaconos parochiæ ſuæ epiſcopus ordinet, & non exordinet. Quia quos ſolus epiſcopus ordinare poteſt, ſolus niſi ut venerandi præfigunt canones a ſacris officiis ſubmovere vel ſuſpendere nequaquam poteſt. Et ſingula, inquit, non autem generalia ſuo judicio comprehendat, quem convenit noſſe metropolitanum epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere. Propter quod ad metropolim undique qui negotia videntur habere concurrant. Unde fratres cariſſimi, docente nos beato Gregorio ac dicente, *qui non corrigit reſecanda, committit*, ad præfatum fratrem & coepiſcopum noſtrum Hincmarum has quæ ſequuntur literas auctoritate metropolitana dirigere neceſſarium duxi; monens illum paterna ac fraterna dilectione, ut juxta beati papæ Hilari decreta ipſe quantocius iniquum factum ſuum diſſolvat. Quod ſi agere noluerit, & contumaciter, quod abſit, magis, differre quam obedire maluerit, ſciat generalitas fraternitatis veſtræ virtute domini noſtri Jeſu Chriſti, qui, ut ipſe dicit, venit animas ſalvare, non perdere, & venit quærere & ſalvare quod perierat: qui eſt, ut ipſe inſinuat, *via, veritas & vita*: via ſcilicet converſationis ſanctæ, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis ſempiternæ. A quo, & per quem in ædificationem, & non in deſtructionem ſacer ordo epiſcopalis accepit exordium. Judicio etiam ſancti Spiritus, quo ſacri promulgati ſunt canones; & ſancti prophetæ atque apoſtoli, eorumque ſucceſſores, & apoſtolicæ beati Petri ſedis pontifices nobis documenta ſalutis & regulas ac decreta ſalubria ediderunt, & ſervanda inviolabiliter tradiderunt, ſicut in ſubſequentibus relegetis cuncta quæ de capitulis in veſtra petitione conſcriptis contraria divinæ auctoritati, quæ tenetur in ſubditis, aut verbo præcepit, aut ſcripto decrevit, irrita & vacua & nullius virtutis vel auctoritatis eſſe pronuntio atque decerno; vobiſque miniſtris eccleſiæ Laudunenſis parochiæ præfata auctoritate præcipio, ut & in miſſarum celebrationibus, & in ceteris officiis, tam diurnis, quam nocturnis, & in diſtributione ſecundum traditionem domini ſacramentorum cæleſtium fratribus & populis conſulendis, ſed & in baptizandis parvulis, & in ſuſcipiendis ad pœnitentiam indigentibus, & in ſubveniendis viatico munere ſecundum ſacros canones obeuntibus, & in ſepeliendis mortuis, ſine ulla retractatione aut negligentia, quantum patitur humana fragilitas, ſecundum tramitem ſacrarum ſcripturarum traditionemque majorum divina munia exequendo fratribus & populis conſulere ſtudeatis: ſcientes vos ordinum veſtrorum ſuſtinere jacturam, ſi confeſſi aut regulariter convicti fueritis de proximorum per veſtram negligentiam, quod abſit, periculo. Si autem, quod non eſt credendum, frater & coepiſcopus noſter Hincmarus quocumque tempore cuicumque vel quibuſcumque veſtrum pro hoc quia ejus inſicitam præceptionem non obſervaſtis, contra regulas in antiquo fecerit, ſecundum ſacros canones ad metropolim veſtram, vel ad provinciale concilium qui læſos ſe exiſtimaverint ſeſtinent recurrere; ut quod perperam illis, quod Deus longe faciat, fuerit inrogatum, ſynodi experti examen debitam & neceſſariam emendationem ſuſcipiant.

Joan. 14.

## II.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus dilecto fratri Hincmaro Laudunenſi coepiſcopo noſtro ſalutem.*

PRidie Kal. Junias præſentis ſecundæ indictionis miſit ad me grex Laudunenſis eccleſiæ per legatos ſuos, quorum nomina ſcripta habemus, oblatam petitionem, in qua inter cetera continetur: Dum XIII. Kal. Maias idem paſtor noſter in monte Lauduno in ſua ſynodo de perplurimis utilitatibus ſuæ ſanctæ eccleſiæ ordinando & emeliorando quædam in eis diſputaret, occurrit pro ſucceſſu temporum quædam pars ejuſdem diſputationis, pro qua quia ordinandi rerum eccleſiaſticarum poteſtas ab eo, cum jus & lex canonum jubendo præcipit, ut epiſcopus res ſuæ eccleſiæ, quibus voluerit & quomodo voluerit, diſponendo diſpenſet, auferretur, perplurimæ auctoritates ſancti Petri ſucceſſorumque ejus, quibus qualiter & quomodo data ſit poteſtas ligandi & ſolvendi, ab eodem paſtore noſtro in præſentia totius ſynodi eas relegendo recitatæ ſunt. Quibus recitatis memor injuriarum ſuarum, quæ ei moderno acciderant tempore, addit, quod immineret tempus comprovincialis ſynodi, quæ in Vermeria palatio regio a vobis veſtriſque ſuffraganeis VIII. Kal. Maias habita eſt, ad quam veſtris literis evocatus libenti animo coram omnibus profeſſus eſt ſe ſine ulla intercapedine progreſſurum. Sed quia credebat in ipſa ſynodo, quod mos haud expoſcit canonicus aliquam violentiam ſibi inlegaliter & contra leges canonum a quocumque fieri, ſermone conteſtatorio & auctoritate S. Petri, quod ſi ei licentia eundi Romam prohiberetur, aut ipſe captus obtineretur, omnes ſacerdotes totius parochiæ ſuæ colligavit, ut nemo eorum in ea ſacerdotali miniſterio tamdiu uteretur, uſque dum ille ipſe nobiſcum iterum viva voce loqueretur, aut literæ ex ipſa ſancta ſede beati Petri apoſtoli nobis mitterentur. Quo facto quod tunc non accidit, nunc in Silvaco palatio regio V. Kal. Junias peractum eſt. Qua tamen die priuſquam ad ipſum Silvacum perveniret, præſcius venturæ violentiæ ſuæ prædixit ſacerdoti noſtro Clarentio ſimulque diacono Teutlando, ut nobis denuntiarent per omnia nos ſervaturos, quæ cauſa ſuarum injuriarum, & ut ſatius dicamus, pro ſtatu ſanctarum eccleſiarum in præſcripta ſynodo XIII. kal. Maias omnibus ſacerdotibus ſuæ parochiæ obſervare auctoritate S. Petri ipſe præceperat. Et poſt aliquanta. Quapropter quia eumdem dominum noſtrum regia poteſtate retentum & recluſum viva voce adire non poteramus, & ſacerdotali miniſterio prohibiti ab eo frui non audebamus III. kal. Junias ad capitolium noſtrum convenimus, & ibidem communi colloquio retractantes ratum fore duximus, ut exinde conſilium noſtræ ſalutis a ſacra paternitate almitatis veſtræ humiliter depoſceremus, utrum ſacerdotalis miniſterii officio miſſas celebrando, & domino pro receptione paſtoris noſtri ac communi utilitate totius ſanctæ eccleſiæ ſacrificia offerendo, baptizando pueros, viſitando infirmos, reconciliando cum viatico munere pœnitentiam petentes, ſepeliendo mortuos; cum penitus ab his omnibus prohibiti

biti ſimus. Et paulo poſt. In parochia noſtra uti debeat, an non, & reliqua. Quam novitatem a ſæculo hactenus inauditam, frater cariſſime, ſatis contremiſcens exhorrui, ſatis ſuperque dolui. Unde augentur mihi lacrimæ: gemitus ſe in meo corde non capiunt, atque ex intimo viſcerum dolore peccatis meis reputo, quod tu talia filius meus in tempore iſto novitatis præſumptione, quæ de ſuperbia deſcendere noſcitur, agis, qualia nunquam ullus epiſcoporum legitur præſumpſiſſe. Nam ſicut in ſacra hiſtoria legitur. Act. 12. *Petrus quidem ſervabatur in carcere, oratio fiebat ſine intermiſſione ab eccleſia ad Deum pro eo.* Liberius papa, Vigilius papa, Joannes papa, & pontifices ſanctæ Romanæ eccleſiæ in exilium miſſi, & quidam eorum carcere concluſi fuerunt: Athanaſius Alexandrinæ ſecundæ ſedis epiſcopus, & ſanctus Meletius Antiochenæ tertiæ ſedis epiſcopus, & Cyrillus Hieroſolymitanus epiſcopus, Joannes Conſtantinopolitanus epiſcopus, Paulinus Treverenſis epiſcopus, ſanctus Hilarius Pictavenſis epiſcopus, Euſebius Vercellenſis epiſcopus de parochiis ſuis abducti & in exilium miſſi fuerunt, & tale quid agere, ſicut egiſti, non præſumpſerunt. B. Ambroſius in eccleſia Mediolanenſi Juſtina hæretica imperatrice præcipiente concluſus, & armatis circa eccleſiam excubantibus obſeſſus, & carpento poſito ante oſtium, quo in exilium traheretur, animam ſuam tenens in manibus ſuis, quid tale non egit. Rigobertus Rhemorum epiſcopus crudeli violentia a ſede ſua expulſus, & in proprietate ſua non longe ab eadem urbe cum magna indigentia pluribus annis reſidens deguit, ſed quid tale cum coepiſcopis ſuis non egit. Fuerunt etiam alii noſtra ætate ac tempore a ſedibus ſuis pro diverſis cauſis ad tempus expulſi, quidam etiam inrecuperabiliter abjecti, & tale quid non egerunt, attendentes ſibi dixiſſe apoſtolum, & ex prophetico teſtimonio confirmaſſe: Rom. 12. Hebr. 10. Deuter. 32. *Non vos defendentes cariſſimi, ſed date locum iræ.* Scriptum eſt enim: *mihi vindictam, ego retribuam* dicit dominus. Etſi enim aliud vel hoc te ab hac præſumptione cohibere debuerat, ne ſolus talia faceres: quæ nemo alius fecit: Cum B. Petrus apoſtolus dicat: 1. Petr. 4. *Nemo veſtrum patiatur tanquam homicida, aut fur, aut maledicus.* Tamquam maledicus, inquiunt catholici doctores, patitur, qui perſecutionis ſuæ tempore in ſui ſaltem injuria perſecutoris effrenatur. Et item idem apoſtolorum princeps dicit: 1. Petr. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus; qui peccatum non fecit nec inventus eſt dolus in ore ejus. qui cum malediceretur non male dicebat, cum pateretur non comminabatur; tradebat autem judicanti ſe injuſte.* Tradebat autem, & non excommunicabat neque maledicebat. Et Paulus apoſtolus dicit: 2. Cor. 6. *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum; ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, Et patientes eſtote ad omnes.* Et S. Gregorius ſcribens ad Januarium dicit: Inter querelas multiplices, inquit, Iſidorus vir clariſſimus a fraternitate tua fruſtra ſe excommunicatum anathematizatumque conqueſtus eſt. Quod quam ob rem factum fuerit dum a clerico tuo, qui præſens erat, voluiſſemus addiſcere, pro nulla alia cauſa niſi pro eo quod te injuriaverat factum innotuit. Quæ res nos vehementer afflixit. Quia ſi ita eſt, nil te oſtendis de cæleſtibus cogitare, ſed terrenam te habere converſationem ſignificas; dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod ſacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexiſti. Unde de cetero [illegible] eſto circumſpectus atque ſollicitus, &

A talia cuiquam pro defenſione injuriæ tuæ inferre denuo non præſumat. Nam ſi tale aliquid egeris, in te ſcias poſtea vindicandum. Et oblata mihi petitio Laudunenſis eccleſiæ hanc inauditam antea excommunicationem cauſa injuriæ tuæ a te priuſquam ipſa injuria tibi irrogaretur depromptam fuiſſe demonſtrat. Quæ etiam præterita proxima dominica die IV. videlicet Kal. Junias præſentis ſecundæ indictionis miſſarum celebratione prætermiſſa in Laudunenſi parochia, pro dolor! extitit executa. Et item S. Gregorius in homilia XXVI. Judicare, inquit, digne de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis ſua vel odia vel gratiam ſequuntur. Unde fit ut ipſa hac ligandi ac ſolvendi poteſtate ſe privet, qui hanc pro ſuis B voluntatibus, & non pro ſubditorum moribus exercet. Unde recte per prophetam dicitur: Ezech. 13. *Magnificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* Non morientem quippe mortificat, qui juſtum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui reum ſupplicio abſolvere conatur. Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. Cui concordat tempore prior, ſed loco poſterior ſanctus Auguſtinus in libro de pœnitentia; Noluit, inquiens, hominem ab homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario uſurpato judicio, ſed potius ex lege Dei ſecundum ordinem eccleſiæ, ſive ultro confeſſum, ſive accuſatum atque convictum. Unde pro tuis injuriis non C debueras presbyteros excommunicare ab officio celebrandi ſanctum ſacrificium; cum juxta ſacros canones ſolus poſſis epiſcopus presbyteros ordinare, ſed non confeſſos neque convictos de crimine ſolus non potes, niſi ut venerandi præfigunt canones, ab officio removere. Minime autem pro tua injuria quemquam presbyterorum, quanto minus omnes parochiæ tuæ ſacerdotes non debueras officio presbyterali privare? cum ſanctus Gregorius ad Euphemium ſcribens dicat: Servorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere qui vero ſe contra præpoſitos ſuos erigunt, profecto oſtenditur, quod eſſe ſervi Dei contemnunt. Non enim grande eſt, his nos eſſe humiles a quibus honoramur; quod & hoc ſæcu- D lares quilibet faciunt: ſed illis maxime eſſe debemus humiles a quibus aliqua patimur. Pſalmiſta dicit: *Vide humilitatem meam de inimicis meis.* Pſal. 9. Et ad Maximianum epiſcopum ſcribit: Frequenter, inquiens, me admonuiſſe vos recolo, ut in proferenda ſententia eſſe præcipites nullatenus deberetis. Et ad Marcianum dicit, quia nullus ſine cognitione damnandus eſt.

Continetur etiam in præfata petitione ab eccleſia Laudunenſi exiguitati meæ oblata, te prohibuiſſe nulli communionem, nec etiam obeunti ultimam pœnitentiam, vel viaticum munus in parochia tua tribui, nullum infantem in eadem parochia baptizari, nullum mortuum ſepeliri, ſi E tibi licentia eundi Romam prohiberetur, aut captus tenereris; uſque dum tu ipſe viva voce cum eis loquereris, aut literæ a ſede apoſtolica eccleſiæ Laudunenſi mitterentur. Et unde noſti frater, ſi vel uſque in craſtinum vives? ſemper obligati erunt quos decreviſti ligari? Quo contra beatus Gregorius dicit: Durum quippe eſt, ut qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, judex vitæ fiat alienæ. Et plerumque contingit, ut hunc judicii locum teneat, cui ad locum vita minime concordat: ac ſæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatus ſolvat. Igitur, quantum ex te eſt, hæc crudelitas omnem crudelitatem omnium paganorum, & omnes perſecutiones



tiones omnium perſecutorum, quæ Chriſtianis inlatæ fuerunt, excedunt, dicente domino: Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Tu autem frater, quantum ex te eſt, & animam & corpus mittis in gehennam; & non ſolum illos omnes occidis, quos ſine baptiſmate, aut ſine pœnitentia & communione de hoc ſæculo exire præcipiendo facis; verum & omnes presbyteros reos mortis illorum efficis, atque illorum judicio qui jam in cælis cum Deo regnant, & in terris miraculis coruſcant, gradu privatos efficis; & pro tantis non ſolum in ſynodo, verum & in divino judicio rationem de illorum mortibus reddes. Quia ſicut Paulum legimus tantorum manibus ſanctum Stephanum lapidaſſe, quantos ad lapidandum exertos reddidit; ita & tu tantos occidis, quantos tua crudelitate, & injuſta atque iniqua commendatione ſine baptiſmate atque communione de corpore exire facis. Quomodo tibi frater a mente exceſſit, quod dominus per prophetam unicuique noſtrum dicit: *Speculatorem te dedi domui Iſrael. Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, & non converſus fuerit impius ab impietate ſua, ipſe quidem in peccato ſuo morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 33. Et ſi illorum ſanguinem de manu tua Deus requiret, quibus non annuntiaſti ſuam iniquitatem, ut ab impietate ſua converterentur; quid dices frater illis in judicio ſuo, qui ſicut ipſe dicit, non venit animas perdere, ſed ſalvare? Cum venient illæ animæ ante Deum, qui natos ſuos ad baptiſmi gratiam, ut de poteſtate diaboli liberarentur, fideliter portaverunt & obtulerunt, vel per [a] patronos miſerunt? [a] ſ. patrinos. Sed & illæ non minores grandium animulæ parvulorum, qui non ſuo ſed alieno peccato obnoxiæ liberari potuerunt, niſi tua crudelitate & furore ac indignatione animi forent perditæ, & clamabunt adverſum te? pro quibus omnibus, additis etiam tuis peccatis, tot mortibus [a] dignus, quot occidiſti crudeliori gladio tuæ ſententiæ, quam materiali machæra. Unde dignas ultionum pœnas ſine dubio lues. Cur non terruit, & ab hac perverſa ſententia proferenda domini promiſſio revocaverit, qua univerſali eccleſiæ ſuæ per Iſaiam prophetam pollicitus eſt dicens: Iſai. 43. *Ab oriente adducam ſemen tuum & ab occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da; & Auſtro, noli prohibere.* Et tu prohibes eccleſiæ ab immaculato divini fontis utero domino filios generare, qui non venit animas perdere, ſed ſalvare. Quomodo te præteriit quod in euangelio legis: Matth. 19. Marci 10. *Offerebant*, inquit, *illi parvulos ut tangeret illos. Diſcipuli autem comminabantur afferre. Quos cum videret Jeſus indigne tulit, & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos.* Et tu prohibes offerri domino parvulos? Et ſi tremendum Dei judicium te non terruit, & a furore animi tui ut talia præciperes revocare non potuit, quia nunquam & nuſquam poſtquam ſacrum Nicænum concilium eſt celebratum, tale quid factum fuiſſe audiſti, ſicut fieri præcepiſti: timere debueras ne ſolus hoc ageres quod nullus Chriſtianorum unquam facere auſus fuit. Nam de infantibus baptizandis qui needum [b] baptizare noſcuntur, quotiens neceſſitas exegerit, regula eccleſiaſtica per beatum Siricium prolata demonſtrat, dicens ita. Infantibus qui needum loqui potuerunt per ætatem, ut his quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri unda baptiſmatis omni volumus celeritate ſuccurri, ne ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari exiens unuſquiſque de ſæculo & regnum

(a) Forte, dignus es. H.

(b) Lege, baptizari. H.

A perdat & vitam. Quicumque etiam diſcrimen naufragii, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinem deſperationis inciderint, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri, eodem quo poſcunt momento temporis expetitæ regenerationis præmia conſequantur. Hactenus erratum in hac parte ſufficiat: nunc præfatam regulam omnes teneant ſacerdotes qui nolunt ab apoſtolicæ petræ ſuper quam Chriſtus univerſalem conſtruxit eccleſiam, ſoliditate divelli. Et beatus Leo dicit: Principalis & maximi ſacramenti cuſtodienda nobis eſt myſtica & rationabilis exemplatio non indicta licentia, qua in baptiſmo tribuenda periclitantibus ſubvenitur: ita enim in has duas B feſtivitates, paſcha ſcilicet, & pentecoſten, connexas ſibimet atque cognatas incolumium & in pacis ſecuritate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc veræ ſalutis ſingulare præſidium cuiquam denegemus. Et Africanum concilium etiam eis infantibus de quibus non inveniuntur certiſſimi teſtes qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem de traditis ſibi ſacramentis idonei reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos præcepit, ne iſta trepidatio eos faciat ſacramentorum purgatione privari. Et ſanctus Leo hinc dicit; Si nulla extant indicia inter propinquos C aut familiares, nulla inter clericos, aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur baptizati fuiſſe doceantur, agendum eſt ut renaſcantur, ne manifeſte pereant. In quibus quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum: qui autem poſſunt meminiſſe quod ad eccleſiam veniebant cum parentibus ſuis, poſſunt recordari an quod eorum parentibus dabatur acceperint. Sed ſi hoc etiam ab ipſa memoria alienum eſt, conferendum eis videtur, quod collatum eſſe neſcitur; quia non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis. Et ſanctus Gelaſius: Baptizandi ſibi quiſpiam paſſim quoque tempore nullam credant ineſſe fiduciam præter paſchale feſtum & pentecoſtes venerabile ſacra- D mentum, excepto dumtaxat gravi langoris incurſu, in quo verendum eſt ne morbi creſcente periculo ſine remedio ſalutari fortaſſis ægrotans exitio præventus abſcedat. Et diaconi abſque epiſcopo & presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis fortaſſis officiis longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat: quod & laicis Chriſtianis facere plerumque conceditur. Et ſanctus Gregorius ſcribens ad Joannem Lariſſæum epiſcopum, dicit; Secundum, inquiens, de criminalibus capitulum adverſus Hadrianum epiſcopum videtur eſſe propoſitum de infantibus ejus juſſu a ſacri baptiſmatis ſuſceptione prohibitis; atque ita inablutos ſorde peccati defunctos in tenebris. Vide frater quia eſſe hoc criminale capitulum E ſanctus demonſtrat Gregorius. Sed & de ultima pœnitentia, & viatico munere nulli negare debere illius ſententia ſufficere tibi debuerat qui dicit; *Venit filius hominis quærere & ſalvare quod perierat:* Luc. 19. & licet miſericordia domini qua plena eſt terra illis qui ultimam pœnitentiam, & viaticum munus ſibi dari depoſcunt, ſi eis fuerit denegatum, ſubvenire poſſit qui corde credunt ad juſtitiam, ore autem confitentur ad ſalutem, transfixi dolore cordis, & baptizata conſcientia ſuis lacrymis gratiam Dei incomprehenſibiliter percipiant, quod eis denegare juſſiſti, ſicut in illo latrone quod, ut beatus Auguſtinus

ſtinus dicit, ex baptiſmi ſacramento defuerat, complevit omnipotens benignitas; quia non ſuperbia, vel contemptu, ſed ex neceſſitate illi defuerat; tamen manifeſtiſſime tu reus eris illarum omnium animarum, ſi tua præceptione ſine pœnitentia & viatico munere rebus humanis excedant. De viatico munere ſanctæ communionis ſacrum Nicænum concilium dicit: Quia generaliter omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit. De qua ſancta & myſtica ſynodo beatus Leo papa ad Anatolium epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcribit dicens: quod illa Nicænorum canonum per ſanctum vere Spiritum ordinata conditio in nulla ſit parte ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis ſynodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo epiſcopis quantumlibet copioſior numerus ſacerdotum vel comparare ſe audeat vel præferre, cum tanto divinitus privilegio ſit conſecrata, ut ſive per pauciores, ſive per plures eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum. Et ſanctus Siricius etiam de apoſtatis, & idolorum cultu, ac ſacrificiorum contaminatione profanatis decrevit, ut in ultimo fine ſuo reconciliationis gratia eis non denegetur: quia, dicente domino, nolumus mortem peccatoris, tantum ut convertatur & vivat. Et ſanctus Innocentius dicit, quia communionem dari obeuntibus placuit, & propter domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici negantis veniam aſperitatem & duritiam ſubſequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujuſmodi vel in ſupremis ſuis permittente ſalvatore noſtro a perpetuo exitio vindicentur. Et ſanctus Cæleſtinus dicit; Agnovimus, inquiens, pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem pondere quo ſe ille expediri deſiderat liberare. Quod hoc rogo aliud eſt quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate ne abſoluta eſſe poſſit occidere; cum Deus ad ſubveniendum paratiſſimus ſit, & invitans ad pœnitentiam ſic promittat; [Ezech. 33.] *Peccator in quacumque die converſus fuerit peccata ejus non reputabuntur ei.* Et iterum; *Nolo mortem peccatoris, ſed tantum ut convertatur & vivat.* Salutem ergo homini adimit quiſquis ei mortis tempore pœnitentiam denegavit; & deſperavit de clementia Dei, qui eum ad ſubveniendum morienti ſufficere vel momento poſſe non credidit. Perdidiſſet latro in cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſſet; cum eſſet in pœna pœnituit, & per unius ſermonis promiſſionem habitaculum paradiſi domino promittente promeruit. Vera ergo, ad dominum converſio in ultimis poſitorum mente potius eſt æſtimanda quam tempore, propheta hoc taliter adſerente; [Idem.] *Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.* Cum ergo dominus ſit cordis inſpector, quovis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti; cum illi ſe obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari. Et S. Leo; Pœnitentia, inquit, quæ dilata eſt cum ſtudioſius petita fuerit non negetur, ut quoquomodo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat. Et item; His

[illegible]

autem qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda; quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, dicente Dei Spiritu per prophetam; [Idem. Prov. 18. Pſal. 129.] *cum converſus ingemueris tunc ſalvus eris.* Et alibi: *Dic tu iniquitates tuas prior, ut juſtificeris.* Item; *Quia apud dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio.* In diſpenſandis itaque Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe gemitus lacrymaſque negligere, cum ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam, dicente apoſtolo: [2. Timo.] *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* Verum etiam, ut diximus, talium neceſſitati ita auxiliandum eſt, ut actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia, ſi eam etiam amiſſo vocis officio per indicia integri ſenſus poſtulant negetur. At ſi aliqua vi ægritudinis ita fuerint adgravati, ut quod paulo ante poſcebant ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur. Et item idem ſanctus Leo dicit; Hæc itaque admonitio noſtra denuntiat, quod ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venire tentaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, a ſuo ſe noverit officio ſubmovendum, nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ. Ne quid vero ſit quod prætermiſſum a nobis forte credatur, omnia decretalia tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis ita a veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari. Item idem de damnatione violatoris ſacrorum ex hujuſmodi re conſtitutorum. Et quia hæc frater ignorare non vales, & hoc judicium jure depromptum non neſcis, præſertim cum non catholici epiſcopi, ſed Novatiani hæretici, ut beatus Innocentius, & ſanctus Ambroſius & ceteri quique orthodoxi doctores demonſtrant, ſit illa pernicioſiſſima & exitiabilis atque execrabilis ſecta: cavere debueras ne talia ſicut oblata mihi eccleſiæ tibi commiſſæ petitio monſtrat, inconſulte præciperes: puto enim te legiſſe epiſtolam ſancti Auguſtini ad Honoratum epiſcopum, in qua invenire potuiſti potius te mori debere cum plebe tibi commiſſa, quam utilis deſint ſine quibus vivere & ſalvari non poſſunt ſacramenta cæleſtia. Qua de re, frater, vide ne tu ſis homicida, & etiam homicidarum homicida, quia ſacramenta cæleſtia plebi ſubtrahi facis, ſine quibus vivere non poteſt, cum adſint qui eadem ſacramenta licite plebi valeant miniſtrare.

Pertimeſce nihilominus quod de ſententia ſancti euangelii qua dominus dicit; [Matth. 21.] *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia dominus his opus habet, & confeſtim dimittet eos*, loquentes in eis Spiritu ſancto noſtri dixere majores: Doctoribus, inquiunt, præcipitur, ut ſi quid eis obſtiterit adverſi, ſi quis verbo contradixerit veritatis, ſi quis prohibuerit peccatores ſolvi a laqueis diaboli, & per confeſſionem fidei domino adduci, non tamen a prædicando deſiſtant, ſed conſtanter inſinuent, quia dominus ad ædificandam eccleſiam ſuam talibus opus habet. Et proh dolor! cum nemo his contradicat, tu e contra implo-

[illegible] ranti-



rantibus contradicis; alligans eos ne divina munia populis exequantur, quorum intereſt ſacra miſſarum officia celebrare, myſticam diſtributionem ſpiritualis alimoniæ corporis ſcilicet & ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum fidelibus diſtribuere, per lavacrum regenerationis de poteſtate diaboli in regnum Chriſti non baptizatos transferre; per januam reconciliationis & viatici muneris ſanctificationem animas ab æterno interitu liberare, domino de cæleſtibus tibi clamante; [Joan. 10.] quia *paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*. Qui fecit quod docuit, oſtendit quod juſſit, cum præduce Juda cohors & miniſtri Judæorum venerunt, ut eum & ſuos caperent, dixit; [Joan. 18.] *ſi me quæritis, ſinite hos abire*, ſicque comprehendi ſe pertulit, & qui populos ad fidem converterent, & converſis ſacra myſteria celebrarent, ſolutos abire permiſit. Nam ſi te provocante aliquid tibi adverſi accidit, patienter ferre debueras, uſque dum ego qualiſcumque metropolitanus tuus cum coepiſcopis & confratribus noſtris domini noſtri regis clementiam pro te adirem; & ſicut jam fecimus, quod juſte & rationabiliter ab eo poſtularemus, utique obtineremus. Unde nihil dubitamus quin domino cooperante obtinebimus quod juſte & rationabiliter poſtulabimus, tantum ut tua inſolentia noſtris petitionibus non obſiſtat: quia etiam in hac tuæ præſumptionis præceptione contra ſcripturarum tramitem contraque ſacras regulas egeris, tibi ex loci noſtri officio neceſſarium duxi oſtendere: Scriptum eſt enim; [Deut. 32.] *Interroga patrem tuum & adnuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi*, &, [Prov. 4.] *palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*, &, [Eccl. 32.] *omnia fac per conſilium, & poſt factum non pœnitebis*. Et ſacrum Nicænum concilium dicit; Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, ceteraſque provincias ſuis privilegia ſerventur eccleſiis. Quod capitulum ſanctus Bonifacius papa ad Hilarium Narbonenſem epiſcopum ſcribens exponit ita. Convenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes; nulli etenim videtur incognita ſynodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus, per unamquamque provinciam jus metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubjectas. Quod illi, quia aliter credendum non eſt, ſervandum ſancto Spiritu ſuggerente ſibimet cenſuerunt. Et poſt aliquanta: Quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua adeo nos canonum præcepta ſervare, ut ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat, quatenus metropolitani ſui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectat. Et Africanum concilium ſcribens ad Cæleſtinum papam: Decreta inquit Nicæna ſive inferioris gradus clericos, ſive epiſcopos ipſos ſuis metropolitanis commiſerunt. Et ſanctus Leo ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem epiſcopum; ſecundum ſanctorum patrum, inquit, canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, metropolitanos ſingularum provinciarum epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita ut a regulis præſtitutis nulla aut negligentia aut præſumptione diſcedant. Et item ad Theodorum Forojulienſem epiſcopum; Sollicitudinis, inquit, tuæ is ordo eſſe debuerat, ut cum metropolitano tuo de eo quod quærendum eſſe videbatur conferre; quia in cauſis quæ ad generalem obſervantiam pertinent omnium domini ſacerdotum nihil ſine primatibus oportet impleri. Certum eſt enim quoniam illa quæ de baptizandis parvulis, & de ultima pœnitentia, & viatico munere nulli denegando ex ſacris regulis præmiſi, ad generalem obſervantiam domini ſacerdotum pertinent, contra quæ inconſulte præcipere non debueras. Et Antiochenum concilium dicit: Per ſingulas regiones epiſcopos convenit noſſe metropolitanum epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere; propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrant: Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum ceteros epiſcopos agere, ſecundum antiquam a patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantum quæ ad ſuam diœceſim pertinent, poſſeſſioneſque ſubjectas. Unuſquiſque enim epiſcopus habeat ſuæ parochiæ poteſtatem, ut regat juxta reverentiam ſingulis competentem, & providentiam gerat omnis poſſeſſionis, quæ ſub ejuſdem poteſtate; ita ut presbyteros & diaconos ordinet, & ſingula ſuo judicio comprehendat; amplius autem nihil agere tentent præter antiſtitem metropolitanum. * Diligenter attende quod dicitur presbyteros & diaconos parochiæ ſuæ ordinet epiſcopus: ordinet autem & non exordinet, nec contra regulas ab officio ſubmoveat vel ſuſpendat: & ibidem ſubſequitur, ſingula ſuo judicio comprehendat: ſingula autem dicit ut ſuo judicio comprehendat, & non quæ ad generalem obſervantiam omnium domini pertinent ſacerdotum, quæ, [illegible] dicit, ſine primatibus non oportet impleri. Et noli claudere aures cordis ad id quod ibidem diligentiſſime dicitur; unuſquiſque, inquit, epiſcopus habeat ſuæ parochiæ poteſtatem, ut regat juxta reverentiam ſingulis competentem. Proinde cavere debueras ne conceſſa tibi tuæ parochiæ poteſtate contra hos ſacros canones abutereris, qui dicunt ut regat epiſcopus ſuam parochiam juxta reverentiam ſingulis competentem, & non * ſubrigat, ſicut tu feciſti, quantum ex te fuit, exitio juxta irreverentiam cunctis incompetentem. Omnibus enim irreverentia quam exhibuiſti in tua parochia noſcitur eſſe incompetens, quæ ad omnium probatur pertinere exitium; cum ſingulis de ſingulis, quanto magis de pluribus timendum dominus dicat; [Matth. 18. Marc. 9. Luc. 17.] *qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria collo ejus, & demergatur in profundum maris*: Quia, ut beatus monſtrat Gregorius, ad ſanctitatis ſpeciem deducto, & verbo vel exemplo ceteros deſtruenti, melius profecto fuerat ut hunc ad mortem ſub exteriori habitu terrena acta conſtringerent, quam in ſacro officio poſitus ceteris mortem verbo & opere propinaret. Quia nimirum ſi ſolus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. Propterea, frater cariſſime, rogo, hortor, deprecor, & quanta poſſum dulcedine ac humilitate expoſco, & metropolitana auctoritate commoneo, ut ſicut dominus præcipit per prophetam, quantocius has [Iſai. 58.] *diſſolvas colligationes impietatis, ſolvas hos faſciculos deprimentes*, dimitte eos qui a te conſtricti ſunt liberos, & hoc omne onus diſrumpe: attende, quod papa Hilarius in decretis ſuis dicit, qui, inquiens, in cauſis Dei contumacia, vel contemptu deliquerit, aut ipſe quod perperam fecit abolere noluerit, in ſe quicquid mali non

reſe-

* Eadem ſuperiore epiſtola & aliis locis inculcat Hincmarus.

* f. ſubinat

reſecarit inveniet. Quapropter qui te ſcis quibuſdam præpoſitum, ſicut ſanctus Leo in decretis ſuis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem epiſcopum dicit; non moleſte feras aliquem tibi eſſe prælatum; ſed obedientiam quam exigis etiam ipſe dependas, & ſicut non vis gravis oneris a me impoſitam tibi ſarcinam ferre, ita non audeas aliis importabile pondus imponere: diſcipuli enim ſumus humilis & mitis magiſtri dicentis, (Matth. 11.) *Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris; jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et ſi, quod abſit, his ſacris ac regularibus monitis obedire renueris, ſcito metropolitana auctoritate, fulta apoſtolicæ ſedis; & canonum ſacrorum judicio, ſicut præmiſimus, hanc peſtiferam atque mortiferam excommunicationem tuam ſolvendam. Nam ſi quælibet perſona tuæ parochiæ a te excommunicata foret, unde dubitari poſſet utrum ſicut ſacri Nicæni canones dicunt, puſillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet vitio tuo videretur a congregatione ſecluſa, expectarem utique uſquequo omnibus communiter ſimul epiſcopis congregatis provinciæ diſcuteretur hujuſmodi quæſtio, & vel tibi, vel in communi placeret humaniorem pro tali ferre ſententiam. Nunc autem quia tam manifeſte cauſa patet execrabilis atque exitiabilis eſſe a te præſcripta, ut præceptis evangelicis contraria, & decretis ſanctorum inveniatur adverſa; quod, ut ſanctus Leo ſcribit, etiam in dubiis & obſcuris cavere debueras, & nullas ſuſtinet moras habere, ſupradicta auctoritate denunciabo eſſe omni penitus virtute vacuum quicquid a te ex prædictis capitulis præceptum eſt ab illorum conſtitutione diverſum. In cujus tuæ præſumptionis evacuatione, ut partim ſenſu, partim verbis utar beati Gelaſii, non novæ conſtitutionis auctor, ſed veteris conſtituti executor exiſto, quod non ſolum præſuli metropolitano, ſed & cuicumque eſt pontifici licitum, quoniam error qui ſemel eſt cum ſuo auctore damnatus, in participem quolibet modo pravæ communionis effectum execrationem ſui geſtat & pœnam.

## III.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus dilecto fratri Hincmaro Laudunenſi coepiſcopo noſtro ſalutem.*

ANte non longum tempus inconvenientes atque inlicitas excommunicationes in eos etiam qui ad te non pertinebant ira præcipiti & perturbata contra ſacras regulas jaculaſti, unde maximum ſcandalum in hoc regno, & in iſta eccleſia commoviſti: de quibus excommunicationibus nuper in Vermeria te una cum fratribus, & coepiſcopis noſtris conveni, caſque licet non ſine tui calumnioſa invidia his quibus ipſas maledictiones irrogaveras [a] quomodo diſſolviſti, a nobis commonitus ut in proferenda ſententia de cetero nullatenus præceps exiſteres: ſed tu addens pejora prioribus, ſicut data mihi petitio a Laudunenſi eccleſia monſtrat, in vindictam injuriarum tuarum præcepiſti, ut in commiſſa tibi parochia nemo miſſam cantaret, nemo communionem ſacram perciperet, cum dominus tradens ſacroſancta myſteria corporis, & ſanguinis ſui celebranda ſuis diſcipulis, & per eos omnibus ſacerdotibus, dixerit; (Luc. 22.) *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*; & de corpore & ſanguine ſuo; (Joan. 6.) *Niſi manducaveritis*, inquit, *carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Præcepiſti quoque ut nemo parvulos, etiam mortis urgente periculo in tua parochia baptizaret, cum dominus dicat: (Marc. 16.) *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: &, (Joan. 3.) *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non intrabit in regnum cælorum.* Vetuiſti nihilominus ut nemo quemquam ultimam pœnitentiam vel reconciliationem reciperet, vel poſcenti ultimo ſacræ communionis viatico ſubveniret, cum dominus omnibus prædicet: (Matth. 3.) *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Et Jacobus apoſtolus; (Jac. 5.) *Infirmatur*, inquit, *aliquis in vobis, inducat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini.* Et ſanctus Gregorius de reſuſcitatione quatriduani mortui loquens dicit, quia illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipſa jam cognoſcitur confeſſione peccati. Veniat itaque foras mortuus, id eſt culpam confiteatur peccator, venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut paſtores eccleſiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Et de corpore, ac ſanguine ſuo, in quibus ſalus animarum & corporum noſtrorum conſiſtit, dominus dicit; (Joan. 6.) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Quæ reſuſcitatio diſcreta erit ab eorum reſuſcitatione qui non manducant carnem filii hominis, & non bibunt ejus ſanguinem, ac per hoc non habebunt vitam. Juſſiſti etiam maximam inhumanitatem ut nemo mortuum in tua parochia ſepeliret, cum dominus per prophetam egenos & vagos quemque in domum ſuam inducere jubeat, & dominus in judicio dicet, (Matth. 25.) *hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me*, & tu hoſpitium in ventre omnium matris ſcilicet terræ mortuis denegari juſſiſti, de quibus præcepta evangelica atque apoſtolica, & ſanctorum decreta tibi direxi; quæ ſicut mihi non incerta relatione renunciatum eſt ſuſcepiſti quidem illa, ſed legere noluiſti, cum dicat apoſt. (Rom. 15.) *quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus*: qui enim doctrinam & conſolationem ſcripturarum abnuit, ſpem ſalutis ſe non habere oſtendit: nam beatus Joannes apoſtolus a Domitiano principe in Pathmo inſula relegatus, & humana conſolatione deſtitutus, conſolationem revelationis quam divinitus acceperat in eodem exilio ac relegatione manu propriæ ſcripſit, & ad eccleſias quibus miſſus fuerat prædicare, direxit. Et ſanctus Paulus apoſtolus ad Timotheum ſcribens dicit; (2. Tim. 2.) *Memor eſto Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David ſecundum evangelium meum, in quo laboro uſque ad vincula quaſi mala operans, ſed verbum Dei non eſt alligatum: & ideo omnia ſuſtineo propter electos ut & ipſi ſalutem conſequantur quæ eſt in Chriſto Jeſu cum gloria cæleſti.* Et tu, frater cariſſime, non ſolum ea legere quæ tibi miſi, & mihi reſpondere cum poſſes debueras; verum & miniſtros eccleſiæ tibi commiſſæ quibus modis poſſes debueras non excommunicatione ligare; ſed conſolari & adhortari ut in divino ſervitio, & aſſidua oratione,

[a] Forte, quoquomodo. H.



ne, & ſalvatione populi tibi commiſſi laborare ſtuderent. Et ſi me digne propter indignitatem meam deſpicis, tamen profeſſionis, ac ſubſcriptionis tuæ memor non debueras in qualicumque metropolitano tuo debitam obedientiam denegare, quam a tuis ſubditis etiam in his pernicioſis tuis juſſionibus exigis. Quapropter iterata commonitione, pro loci mei officio te convenire congruum duxi, ſuadens ut quod male ligaſti diſſolvas, dominus & creator, ac redemptor, atque ſalvator noſter dicit; (Joan. 12.) *Si quis mihi miniſtrat me ſequatur*, id eſt me imitetur; de quo ſcriptum eſt, (Act. 1.) *quæ cœpit Jeſus facere, & docere*, qui fecit & docuit, [a] quæ tibi in tuarum injuriarum tribulatione agendum & jubendum fuerat: nam imminente ſuæ paſſionis articulo pro ſe & pro ſuis, ſed & pro his qui credituri erant per verbum eorum in eum, patrem oravit ſecundum humanitatem qui omnia donorum munera largitur cum patre divinitatis æqualitate. Et qui præcepit diſcipulis ſuis dicens; (Matth. 5. Luc. 6.) *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii patris veſtri qui in cælis eſt*, in cruce non ſolum pro ſuis perſecutoribus, verum & pro ſuis interfectoribus exoravit, & nunc ſedens ad dexteram patris interpellat pro nobis. Juſſit etiam diſcipulis ſuis antequam pateretur, cum tæderet & mœſtus eſſet uſque ad mortem, ut orarent ne in tentationem intrarent. Et ſicut legimus, (Act. 12.) *oratio fiebat ab eccleſia* pro Petro recluſo in carcere & vincto catenis duabus; ſed & Petrus oravit, ſicut legimus, pro eccleſia. Paulus quoque in perſecutionibus, in carceribus, in vinculis atque catenis poſitus, ſicut legimus, ſæpe ab eccleſia orari popoſcit ut liberaretur ab infidelibus & importunis ac malis hominibus, ſed & ipſe oravit pro eccleſia. Jacobus apoſtolus præcipitatus de pinnaculo templi, flexis genibus oravit pro ſuis occiſoribus. Et beatus Stephanus poſitis genibus oravit pro ſe lapidantibus. Et apoſtolus de hujuſmodi loquens dicit nobis; (Hebr. 13.) *Quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Et item Jacobus apoſtolus dicit; (Jac. 5.) *Triſtatur aliquis veſtrum, oret animo æquo, & pſallat*, &, *orate pro invicem ut ſalvemini*: genus eſt enim non contemnendum exauditionis cum cordis contritione ad dominum clamare in tribulatione, ſicut ſcriptum eſt; (Pſal. 119.) *Ad dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me.* Tu autem contra hæc novus doctor, imo novus præſumptor injuriatus, miſſam, ut audivi, non vis cantare, nec etiam audire, & quaſi aliorum oratione non indigens vetuiſti pro te, & pro ſe orare tibi commiſſam eccleſiam, & cauſa tuæ injuriæ juſſiſti Chriſto in membris ſuis, qui ſedens ad dexteram Patris dixit Paulo, (Act. 9. & 26.) *quid me perſequeris?* injurias importare & mortem inferre. Paulus quoque & Silas quorum locum tenere debes, in eccleſia cæſi virgis, & miſſi in interiorem carcerem, pedes habentes ſtrictos in ligno, media nocte adorantes laudabant Deum, & audiebant eos, qui in cuſtodia erant. Subito vero terræ motus factus eſt magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris, & ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & univerſorum vincula ſoluta ſunt. Expergefactus autem cuſtos & videns apertas januas carceris, evaginato gladio volebat ſe interficere, æſtimans fugiſſe vinctos: clamavit autem Paulus voce magna dicens, (Act. 16.) *Nihil feceris tibi mali, univerſi enim hic ſumus.* Et tu tantam benignitatem eccleſiæ tuæ filiis tibi commiſſis non es paſſus impendere, quantam idem Paulus ſuo ad mortem cuſtodi impendit. Unde frater, moneo te iterum paterna & fraterna dilectione atque auctoritate metropolitana, reſipiſce ab hac prava intentione, & concordans præceptis evangelicis atque apoſtolicis, & ſanctorum decretis, quæ tibi in altera rotula pridem miſi, non dedigneris eis, & cum eis patrono tuo ſancto Remigio, in cujus ſede, licet indignus ſedeo, dicere quod ſanctus apoſtolus Paulus dixit etiam ſuis minoribus; (2. Cor. 2.) *ſi cui aliquid donaſtis, & ego.* Obaudi obſecro illorum decreta ſalubria per quos loquutus eſt Chriſtus, ne quod abſit tibi dicat, (Joan. 8.) *qui eſt ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Pertimeſce rogo quia ſanctus Innocentius, beatus Ambroſius, & ceteri catholici doctores hæc quæ juſſiſti de non ſuſcipiendis pœnitentibus ad pœnitentiam hæreſim dicunt eſſe Novati hæretici. Et non baptizare parvulos in mortis periculo conſtitutos ſchiſma eſt maximum ab univerſali eccleſia. Et in decretis apoſtolicæ ſedis legimus quia, ſicut univerſalis Dei ſemper tenuit, & tenet eccleſia, ſchiſmaticus & hæreticus niſi converſi fuerint ad ſanctam matrem catholicam & apoſtolicam eccleſiam, in regnum Dei intrare non poſſunt, ſed pars eorum eſt in gehenna: & ſi de pane cæleſti, id eſt de ſuavitate divina guſtant gehennæ participes, judicium ſibi ſumunt. Propterea frater, ab hac ſecta, & ab hoc ſchiſmate revoca ſenſum tuum, & ſequere quod ſanctus Cæleſtinus in decretis ſuis ad Galliarum epiſcopos ſcripſit dicens, Obſecrationum, inquit, ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni catholica eccleſia uniformiter celebrantur, & legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi: cum enim ſanctarum plebium præſules mandata ſibimet legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis agunt cauſam, & tota ſecum eccleſia congemiſcente poſtulant & precantur, ut infidelibus donetur fides; ut idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus; ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat; ut hæretici ad catholicæ fidei perfectionem reſipiſcant; ut ſchiſmatici ſpiritum redivivæ charitatis accipiant; ut lapſis pœnitentiæ remedia conferantur; ut denique catechumenis ad regenerationis ſacramenta perductis cæleſtis miſericordiæ aula reſeretur. Et hæc conferens in corde tuo noli pietatis viſcera petentibus ſalutem claudere, ſed pete Deum omnipotentem, ut & in te impleat quod per prophetam olim pollicitus eſt dicens: (Ezech. 36.) *Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & operemini.* Ceterum fratres noſtri quos ad te miſi mihi renuntiaverunt te illis præcepiſſe, ut me precarentur propter Dei reverentiam, & ſanctorum ejus & ſedis apoſtolicæ auctoritatem ne cogerem te reſpondere quamdiu in tali detineris cuſtodia & abſentia clericorum tuorum, nec judicium, nec præjudicium inferrem tibi, vel tuæ parochiæ. Quæ petitio partim non eſt juſta, neque rationabilis: quod enim petiſti ut præjudicium tibi vel parochiæ tuæ non inferam, obaudio. Quod petiſti ut judicium tibi vel parochiæ tuæ non inferam, non obaudio: dicit enim dominus per prophetam; (Jerem. 7.) *Si feceritis judicium inter virum & proximum ejus*, & reliqua. Et Sapientia per Salomonem; (Prov. 24.) *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes.* Quod mihi a domino, quem ſuo judicio in metropolitana ſede Rhemorum provinciæ conſtituere voluit, præcipi audio de his qui tua præceptione ducuntur ad mortem, & trahuntur

[a] Pro, quod. H.

buntur ad interitum. Et decreta Nicæna, ſicut Africana ſynodus ſcribens ad Cæleſtinum papam demonſtrat, ſive inferioris gradus clericos, ſive epiſcopos ipſos ſuis metropolitanis apertiſſime commiſerunt. Et ſanctus Bonifacius capitulum Nicæni concilii exponens, poſt alia diffinivit quatenus metropolitani ſui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet. Et Antiochenum concilium; per ſingulas, inquit, regiones epiſcopos convenit noſſe metropolitanum epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrant. Et cautum eſt ſacris canonibus ut nullis liceat apud ſe celebrare concilia præter eos quibus metropolitana jura videntur eſſe commiſſa: in ipſis autem conciliis adſint presbyteri & diaconi, & omnes qui ſe læſos exiſtimant, & ſynodi expectantur examen. Propterea quod petiſti ut judicium tuæ parochiæ non inferam, contra regulas ſacras petiſti, & dicendum eſt tibi ab apoſtolo cum hujuſmodi petitoribus; *Petitis, & non accipitis eo quod male petatis:* Jac. 4. unuſquiſque enim epiſcopus, inquit Antiochenum concilium, habeat ſuæ parochiæ poteſtatem, ut regat juxta reverentiam ſingulis competentem, & providentiam gerat omnis poſſeſſionis quæ ſub ejus eſt poteſtate; ita ut presbyteros & diaconos ordinet, & ſingula ſuo in judicio comprehendat, amplius autem nihil agere tentet præter antiſtitem metropolitanum. Ex hoc capitulo quædam ſunt quæ tibi in præmiſſa rotula ſcribenda dictavi, ſed notarius anguſtia temporis coarctatus celeriter ſcribens intermiſit; ſed ea quæ tibi ſcripſeram ad meum opus diligentius ſcribere jubens de tabulis relevari feci, videlicet diligenter attende quod dicitur, presbyteros & diaconos parochiæ ſuæ ordinet epiſcopus; ordinet autem, & non exordinet, nec contra regulas ab officio ſubmoveat, vel ſuſpendat, & ibidem ſubſequitur; ſingula ſuo judicio comprehendat: ſingula autem dicit ut ſuo judicio comprehendat, & non quæ ad generalem obſervantiam omnium domini pertinent ſacerdotum, quæ, ut Leo dicit ſine primatibus non oportet impleri. Et noli claudere aures cordis ad id quod ibidem diligentiſſime dicitur, Unuſquiſque, inquit, epiſcopus habeat ſuæ parochiæ poteſtatem, ut regat juxta reverentiam ſingulis competentem. Proinde cavere debueras ne conceſſa tibi tuæ parochiæ poteſtate contra hos ſacros canones abutereris, qui dicunt ut regat quis epiſcopus ſuam parochiam juxta reverentiam ſingulis competentem, & non ſubrigat, ſicut tu feciſti quantum ex te fuit exitio juxta inreverentiam cunctis incompetentem: omnibus enim inreverentia quam exhibuiſti in tua parochia noſcitur eſſe incompetens, quæ ad omnium probatur pertinere exitium, cum de ſingulis, quanto magis de pluribus timendum dominus dicat; Matth. 17. Marc. 9. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria collo ejus, ut demergatur in profundum maris*; quia, ut beatus monſtrat Gregorius, ad ſanctitatis ſpeciem deducto, & verbo, vel exemplo ceteros deſtruenti melius profecto fuerat, ut hunc ad mortem ſub exteriori habitu terrena acta conſtringerent, quam in ſacro officio poſitus ceteris mortem verbo vel opere propinaret: quia nimirum ſi ſolus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. Quod mandaſti ut non te cogerem reſpondere in abſentia clericorum tuorum, demonſtraſti te non recte intelligere ſententiam canonum Carthaginenſis concilii qua dicitur epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia clericorum ſuorum, licet jam tibi dixerim qualiter ſit intelligenda, & qua de re fuerit conſtituta. Quod autem mandaſti ut, ſicut mihi dominus apoſtolicus ſcriptis mandaverat, tibi licentiam Romam eundi impetrem, non mihi hoc dominus apoſtolicus mandavit: habeo enim illius epiſtolam ſalvam & incorruptam, in qua hoc quod mandaſti non continetur. Quod mandaſti quoniam in ſynodo nuper in Vermeria habita ſedem apoſtolicam appellaſti, manifeſtiſſime omnes illi epiſcopi amplius quam viginti qui adfuere in ſynodo regulariter te ſedem apoſtolicam non appellaſſe cognoſcunt. Quod mandaſti quia ſedem appellas apoſtolicam cum in judicio noſtro idem in epiſcopali judicio ſecundum ſacros canones ſedem apoſtolicam appellaveris, habemus ordinem rei qualiter inde agere debeamus. Cæterum nec tibi, nec cuiquam alii Romam ire quantum ex me eſt contradico. Data VIII. Kal. Jun. præſentis ſecundæ indictionis. Anno Chriſti 869.

## IV.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus ac plebis Dei famulus, presbyteris, diaconibus ac reliquis eccleſiaſticis ordinibus in Laudunenſi eccleſia conſiſtentibus, ſalutem.*

SIcut petitio mihi a vobis per quoſdam comminiſtros veſtros vice omnium veſtrum data continet, frater & coepiſcopus noſter Hincmarus cauſa injuriarum ſuarum vos ab officio eccleſiaſtico, & omnem parochiam ſibi commiſſam a perceptione & communione vivificorum myſteriorum noſtræ redemptionis excommunicavit. Qua de re, ſicut a quibuſdam dicitur, plurimi ſine ſacri baptiſmatis regeneratione, & ſine ultima pœnitentia petita & non impetrata, atque ſine viatico munere obierunt. Cum Daniel propheta de dictis domini teſtimonium contra inique judicantes perhibeat dicens; *Innocentem & juſtum non interficies*, Dan. 13. id eſt quibus ligandi atque ſolvendi eſt a Deo conlata poteſtas, non de ſupercilio Phariſæorum adſumant ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur, cum apud Deum non ſententia ſacerdotum, ſed eorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis ubi Levit. 14. jubentur ut oſtendant ſe ſacerdotibus, & ſi lepram habuerint tunc a ſacerdote immundi fiant, non quod ſacerdotes leproſos faciant & immundos, ſed quod habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſunt diſcernere qui mundus quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum ſacerdos immundum facit, ſic & hic cui dominus ligandi & ſolvendi poteſtatem dedit, alligat & ſolvit, videlicet epiſcopus & presbyter, id eſt; non eos qui inſontes ſunt alliget, vel qui noxii ſolvat, ſed pro officio ſuo cum peccatorum ex veritate cognoverit varietates, ſciat qui ſecundum auctoritatem ligandus ſit, quive ſolvendus. Et ſanctus Gregorius epiſcopo Nichoteranæ civitatis pro quibuſdam culpis in pœnitentiam deputato de ejus eccleſia dicat valde eſſe durum, ut quouſque cauſa ipſius epiſcopi ſubtiliter requiratur, non habeat eccleſia illa presbyterum qui ſacrum illic opus valeat celebrare: Et ad Maximinianum archiepiſcopum Syracuſanum ſcribit, ut Venantii patritii, cujus homines in epiſcopium ejus inruerant, & diverſa hoſtili more mala commiſerant, & ob id ipſe & ſua domus ab eo excommunicati erant, ejuſdem Venantii oblationes



tiones reciperet, & ipſi ac domui ejus miſſarum peragi myſteria permitteret, dicens, Quia ita terrena agi debet utilitas, ut nullum nos jurgium a caritatis valeat connexione diſiungere; & ita filiis nos ſacerdotes oportet ſacerdotalem affectum impendere, ut in cauſis, prout ratio ſuffragatur, juriſdictionem eccleſiæ noſtræ debeamus minime præterire. Sed & communicantes Maximo epiſcopo a ſe excommunicato iſdem beatus Gregorius etiam non petentes abſolvit hoc modo. Quoſdam inquiens ad communicandum eidem prævaricatori violenter eſſe compreſſos: quoſdam autem veſtrum audivi ignorantia lapſos. Omnipotentem dominum deprecor, ut eos qui huic pravitati minime conſenſerunt perpetua gratiæ ſuæ protectione cuſtodiat, & optata eis largitate reſpondeat; & illos quos aut ſtudium, aut ignorantia, aut quælibet alia cauſa traxit in culpam, ab omni reatu peccatorum, atque ab omnibus vinculis alienæ obligationis abſolvat, omnibuſque & in præſenti vita protectionis ſuæ gratiam tribuat, & nos de vobis in æterna patria gaudere concedat. Quia vero iſdem frater ac coepiſcopus noſter his quæ ipſe commoverat benignitate principali, & meo ac fratrum & coepiſcoporum noſtrorum, quorumdam etiam aliorum Dei fidelium interventu prout rationabilius paci atque concordiæ convenire perſpeximus, non ſine magno labore ſopitis pro quibuſdam cauſis & redivivis contentionibus epiſcopali modeſtiæ inconvenientibus, ſua contumacia exigente, ut auditu comperi, juſſione domini noſtri regis interim a ſua eſt eccleſia ſeparatus, uſque dum epiſcoporum conſilio tractet qualiter ejus provincia corrigatur, metropolitana ſollicitudine veſtram commoneo dilectionem, ut quoniam illud nefandum vinculum præceptis euangelicis atque apoſtolicis contrarium, & decretis ſanctorum adverſum, quod viſus fuerat alligaſſe, ſicut jam vobis aliis literis intimavi, ſecundum tramitem ſcripturarum, traditionemque majorum auctoritate ſedis metropolitanæ noſcitur diſſolutum devotis ſanctæ religionis excubiis mancipati orationum & ſacræ oblationis ac cæteris divinæ placationis ſtudiis invigilare curetis. Præpoſitus quoque ac decanus fratrum cuſtodiæ tam in ſpirituali ſollicitudine, quam in temporali adminiſtratione ſolerter curam adhibeant; Theſaurarius de luminaribus & de aliis omnibus, quæ ad eccleſiæ honeſtatem, utilitatem, atque ſalvationem, & ad ſuum miniſterium pertinent, providentiam gerat. Archipresbyteri autem totius parochiæ, ac presbyterorum ſibi commiſſorum diligentiam ſummopere habeant, & rectores ac rectrices monaſteriorum ipſius parochiæ ſedulo moneant, quatenus & in ſpiritalibus & in temporalibus ſubminiſtrationibus neceſſaria ſibi commiſſis exhibeant. Presbyteros vero aſſidue decertare hortentur & faciant, ut vigilare ſuper greges ſibi commiſſos non negligant, ne ab eis flagitia perpetrentur, vel perpetrata ſine correctione eccleſiaſtica non remaneant. Ne parvuli ſine regenerationis ſacramento moriantur. Ne ſani homines abſque prædicatione & eccleſiaſtico miniſterio fiant. Ne infirmi ſine pœnitentia & reconciliatione, ac ſancti olei unctione & viatico munere de hoc ſæculo exeant. Ne mortui ſepeliendi officio, & pia commendatione ſecundum traditionem eccleſiaſticam aliquomodo careant. Et omnes tam ſubditi quam prælati humilitatem invicem inſinuantes, & per caritatem invicem ſervientes prælati ſubditos diligant, & verbo atque exemplo ſalubriter inſtruant, & ad viam ſalutis erudiendo & corrigendo dirigant: ſubditi prælatis ſinceræ dilectionis & humilitatis affectu in domino obedire procurent, donec aut præfatus frater noſter, paſtor ſcilicet veſter reſpectu divino, & intelligentia principis vobis reſtituatur, aut fratrum & epiſcoporum noſtrorum conſilio ac conſenſu, atque ſalubri tractatu inveniam, & veſtræ in domino unanimitati renuntiem qualiter & vobis decreto ſecundum ſacras regulas ſit agendum.

## V.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus Hincmaro dilecto fratri & venerabili coepiſcopo noſtro ſalutem.*

SIcut oblata mihi a clericis tuis petitione ſuſcepta jam non ſolum, ſed & ſecundo literis per comminiſtros noſtros tibi directis mandavi, cauſa tuæ injuriæ contra ſcripturarum tramitem, traditionemque majorum in parochia exceſſiſti, & admonitus ut ea corrigeres, mihi reſponſum inde congruum non remandaſti: verum nec quando te coram domino noſtro rege, & quibuſdam confratribus, & coepiſcopis noſtris, verbis apoſtoli monui ut non negligeres gratiam Dei quæ data eſt tibi per manuum mearum impoſitionem, 2. Tim. 1. mihi ad rem pertinentia reſpondiſti. Cogitans autem maturiori conſilio inde mihi reſpondere te velle qualiter ea de quibus te monueram correxiſti, cum ſecus tuam parochiam, & in vicinitate tibi commiſſæ eccleſiæ amplius quam per decem dies immoratus fueram, nullum mihi reddidiſti reſponſum. Nunc vero quia ſicut mihi domnus rex literis ſuis mandavit, & te audiſſe jam credo pro utilitate ſanctæ eccleſiæ, & pro populi Chriſtiani una cum eo in longiores partes a parochiis noſtris pergemus, pro loci mei ſollicitudine commonere te dignum duxi, ut & ea de quibus tibi ſcripſeram, & ſi qua ſunt alia in parochia tua perperе geſta, regulis ſacris concordans debitam ſatisfactionem exhibere, atque ad tramitem Deo placitum ſtude reducere. Quatenus inordinata quæque in ea non remaneant; & ne quid contra diſciplinam eccleſiaſticam de cetero ibidem fiat, quibus valueris modis ſatagere cura: attendens quod nos omnes monet apoſtolus; *Tentatio*, inquiens, *vos non adprehendat niſi humana*: 1. Cor. 10. humanum quippe eſt tentari, ſed dæmonicum eſt a tentatione ſuperari, & ad correctionis ſatisfactionem pedem operis non revocare. Igitur juxta ejuſdem beati apoſtoli monita *ſollicite cura teipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis;* 2. Tim. 2. *vigila, in omnibus labora, opus fac euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſectare juſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, manſuetudinem: certa bonum certamen fidei: adprehende vitam æternam in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.* Data X. Kal. Septemb. præſentis ſecundæ indictionis.

## VI.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus Hincmaro Laudunenſi epiſcopo.*

EA quæ mihi pridie per manus Wanilonis venerabilis archiepiſcopi ex epiſtolis apoſtolicæ ſedis pontificum aliis prætermiſſis de ſacris regulis quibus ſancta moderatur eccleſia, priuſquam formareris in utero novi, & antequam exires de vulva in earumdem quas habeo epiſtolarum

rum integritate, non, ut dicitur, uſus peſſimo præceptore me ipſo; ſed eorum traditione qui gratia ſancti Spiritus inluminati reſplenduerunt, percepi, qualiter ſicut & in authenticis ſcripturis plura inveniuntur, quæ a quibuſdam diſſona eſſe videntur, contraria ſibi invicem non habeantur; veluti per ſingula ſi tempus eſſet ac otium, & audire dignareris, ex eiſdem & aliis ſacris regulis poſſem oſtendere, de quibus pauca numero, ſed magna merito, & auctoritatis pondere omiſſa penitus a te qui vidiſti, ſed non perſpicue illa quæ voluiſti, & non vidiſti quæ noluiſti, vel neque vidiſti, quæque videre debuiſti. Sed quoniam cum intentione tua non facium, nec digito movere ſuſtinuiſti. Ingeram ergo illa tibi, ut ſcias per ea quæ congeſſiſti, intentionis tuæ B affectum te non poſſe perducere ad effectum: decernit enim contra tuam intentionem myſtica & ſancta Nicæna ſynodus, quoniam ſollicitudo omnium eccleſiarum pertinet ad primæ & ſanctæ Romanæ ſedis pontificem; ut Alexandrinus epiſcopus omnium ſibi commiſſorum habeat poteſtatem; ſimiliter & apud Antiochiam ceteraſque provincias ſuis privilegia illis ſervantur eccleſiis: de quibus autem eccleſiis dicat, & quæ, ac qualiter privilegia illis ſervari debeant, Antiochenum demonſtrat concilium. Per ſingulas inquiens regiones: epiſcopos convenit noſſe metropolitanum epiſcopum ſollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere, C concurrant. Et notis quibuſdam interpoſitis; *Amplius autem nihil* agere tentet quia *provincialis epiſcopus* præter antiſtitem metropolitanum, nec metropolitanus ceterorum ſine gerat conſilio ſacerdotum. Et Africanum concilium; Decreta, inquit, Nicæna ſive inferioris gradus clericos, ſive epiſcopos ipſos ſuis metropolitanis apertiſſime commiſerunt, & reliqua. Et S. Innocentius dicit; Si quæ cauſæ vel contentiones inter clericos, tam ſuperioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut ſecundum ſynodum Nicænam congregatis ejuſdem provinciæ epiſcopis jurgium terminetur, & reliqua. Et S. Bonifacius ſcribit; Convenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes: nulli etenim vide- D tur incognita ſynodi conſtitutio Nicenæ quæ ita præcipit, ut eadem proprie verba ponamus; Per unamquamque provinciam jus metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubjectas. Quod illi quia aliter credendum non eſt, ſervandum ſancto Spiritu ſuggerente ſibimet cenſuerunt. Et paulo poſt, Quod idcirco dicimus ut advertat charitas tua adeo nos canonum præcepta ſervare, ut ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat quatenus metropolitani ſui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet. Et S. Cæleſtinus; juxta decreta canonum unaquæque provincia metropolitano ſuo contenta ſit, ut deceſſoris noſtri data E ad Narbonenſem epiſcopum, continent conſtituta. Nec uſurpationi locus alicui ſacerdoti in alterius concedatur injuria; ſit conceſſis ſibi contentus unuſquiſque limitibus, alter in alterius provincia nihil præſumat. Et Leo; Secundum ſanctorum patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, metropolitanos ſingularum provinciarum epiſcopos jus traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus. De quibus canonibus idem ſanctus Leo apoſtolicæ ſedis pontifex non ignorans quæ ſui deceſſores ac prædeceſſores ſcripſerunt, ad Anatolium dicit; Illa, inquiens,

A Nicænorum canonum per ſanctum vere ſpiritum ordinata conditio in nulla eſt parte ſolubilis, nulla ſibimet de multiplicatione congregationis ſynodalia concilia blandiantur. Neque trecentis illis decem atque octo epiſcopis quantumlibet copioſior numerus ſacerdotum vel comparare ſe audeat vel præferre, cum tanto divinitus privilegio Nicæna ſit ſynodus conſtituta, ut ſive per pauciores, ſive per plures eccleſiaſtica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diverſum. Et ad Maximum Antiochenum epiſcopum. Etſi diverſa nonnumquam ſunt merita præſulum, tamen jura permanent ſedium, quibus præſunt. Æmuli perturbationem B aliquam fortaſſis inferre, non tamen poſſunt minuere dignitatem: quantumlibet enim amplior numerus ſacerdotum aliquid per quorumdam ſubreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo epiſcoporum conſtitutionibus invenitur adverſum, juſtitiæ conſideratione caſſatur. Et ad Theodorum Forojulienſem epiſcopum dicit. Sollicitudinis quidem tuæ is ordo eſſe debuerat, ut cum metropolitano tuo de eo quod quærendum videbatur eſſe conferres, ac ſi id quod ignorabat dilectio tua etiam *ipſe* neſciret, inſtrui vos pariter poſceretis, quia in cauſis quæ ad generalem obſervantiam pertinent omnium domini ſacerdotum, nihil ſine primatibus oportet impleri. Et Hilarus papa; C Illud etiam non potuimus præterire, quod ſollicitudine diligentiore curandum eſt, ne præter metropolitanorum ſuorum literas aliqui epiſcopi ad quamlibet provinciam audeant proficiſci, quod etiam in omni genere officii clericalis per ſingulas debet eccleſias cuſtodiri. Et S. Greg. ad Innocentium & ceteros epiſcopos; Hortamur, inquit, fraternitatem veſtram, ut ſi quemquam veſtrum pro cauſis propriis ubicumque longius compulerit ambulare neceſſitas, a metropolitano veſtro, ſecundum incytam a ſanctis patribus regulam petere licentiam debeatis, nec eum poſtponere in aliquo præſumatis, excepto ſi, quod non optamus, contra eumdem metropolitanum veſtrum vos habere aliquid cauſæ contingat, ut D hoc ſedis apoſtolicæ judicium hi qui petere feſtinant, licentiam habeant. Quod ſcitis per canones etiam antiquorum patrum inſtitutione permiſſum; manifeſtum eſt enim de quibus canonibus, id eſt Sardicenſis concilii; ſicut & Innocentius ad Victoricium Rotomagenſem epiſcopum dicit. Et Gelaſius præfatis concordans exponendo pſalmi verſum dicit, *Deus in gradibus ejus cognoſcetur*. Et item, *Diſtribuite domus ejus* quin eccleſiæ hic ordo proculdubio qui eccleſiaſticarum narratur in altitudine dignitatatum, gradibus utique diſtributis nobis cognoſcibilem Deum fieri, & tribuit eſſe rectorem. (Pſal. 47.) Quod Leo ad Anaſtaſium evidenter exponit. Etſi ordo inquiens generalis eſt omnibus ſacer- E dotibus, non tamen communis eſt dignitas omnibus. Quia & inter beatiſſimos apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt ut ceteris præemineret. De qua forma epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna ordinatione proviſum eſt ne omnes ſibi omnia vindicarent, ſed eſſent in ſingulis provinciis ſinguli quorum inter fratres haberetur prima ſententia. Et paulo poſt: Qui ergo ſcit ſe quibuſdam præpoſitum non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe prælatum, ſed obedientiam quam exigit etiam ipſe dependat. Et Africanum



canum concilium decrevit ut epiſcopus a primate ſuo vocatus ad ſynodum competenter occurrat: quod ſi non potuerit occurrere niſi rationem impedimenti ſui apud ſuum primatem reddiderit, eccleſiæ ſuæ communione debere eſſe contentum; & qui non fuerit concors circa metropolitanam eccleſiam, & circa ſacerdotale conſortium, ſed inflatus, & ab hoc conſortio ſeparatus putat propriæ plebi incubandum, & nonnumquam conventus ad concilium venire detractat, circa hunc non tantum diœceſim non eſſe ſervandam, verum & de propria eccleſia, quæ illi male faverit, omnimodo adnitendum ut etiam auctoritate publica rejiciatur, atque ab ipſa principali cathedra removeatur. Et ſi accuſatus, juxta Carthaginenſe concilium ad rationem reddendam venire refugerit, & excommunicatus a primate ſuo extiterit, tempore quo non communicat, nec in ſua eccleſia, vel parochia communicet. Percurre, frater, ſacra concilia canonum, & decreta Romanorum pontificum, & a Siricio & in reliquum, ita ut præmiſſum eſt, invenies fuiſſe decretum ac conſervatum, & corrige illorum ſenſibus ſenſum tuum, & dirige ad eorum doctrinam & præceptionem intentionem tuam. Et ſic intellige ſacras regulas ſicut illi eas intellexerunt; Quia poteſt fieri ut ego & tu in multis erremus: non debet autem credi, vel etiam ſuſpicari, ut ipſi erraverint. Quapropter veſis poſſis hæc ſtatuta convulſa manebunt, a quibus, quod abſit, aliquis pertinaciter deviaverit non inter catholicos computabitur, ſed cum ſchiſmaticis condemnabitur, quia, ut Hilarus papa dicit; Non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in ipſius domini injuria proſilitur. Et ſicut in decretis apoſtolicæ ſedis ſcriptum eſt, quiſquis ſchiſmatico aſſenſerit, ſchiſmaticus eſſe negari non poterit. Quod etſi omnes ſacerdotes & mundus aſſentiat, damnatio conſentientes involvit, non prævaricationem conſenſus abſolvit; non enim crimen minuitur, ſed accreſcit, cum generale ſit ex privato: hoc enim Deus omnium indicavit qui peccantem mundum generali diluvio interemit.

## VII.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus dilecto fratri & coepiſcopo noſtro Hincmaro ſalutem.*

HOmines de villa quæ vocatur Follanæbrayus, metropolis eccleſiæ Rhemorum indignitati meæ commiſſæ, in tua parochia conſiſtente ad me reclamaverunt quia in eccleſia ad quam a longo tempore meorum & tuorum prædeceſſorum ſua vota & decimas ipſi & ſui prædeceſſores contulerunt, & ibi obſequium ſacerdotalis officii habuerunt uſque ad præſentis anni DCCCLXX. tertiæ indictionis prid. Non. Febr. nempe nec miſſam audire, nec in tempore neceſſitatis, ſicut ſacræ regulæ præfigunt eorum infantes baptiſmum accipere, nec etiam obeuntes confeſſione & viatici muneris reconciliatione ſalvari poſſint: dicunt enim quia ex quo memorari ab his qui in carne ſunt poteſt, quoniam ipſa eccleſia per ſe fuit ſemper, & nulli alteri eccleſiæ fuit ſubjecta. Nam tempore Tilpini Rhemorum archiepiſcopi quando Rodulfus avus Parduli Laudunenſis epiſcopi ipſam villam in beneficio habuit, fuit in præfata eccleſia Fer-

A terus presbyter. Poſt obitum Ferteri fuit in ipſa eccleſia Dodo presbyter, quando Odelherus filius Rodulfi, pater Parduli epiſcopi ipſam villam in beneficio habuit. Poſt obitum Dodonis presbyteri fuit in ipſa eccleſia Agmeradus presbyter quando, Odelgiſus frater Parduli epiſcopi habuit ipſam villam in beneficio. Et iſti tres presbyteri fuerunt in ipſa eccleſia per ſucceſſiones tempore epiſcoporum Laudunenſis eccleſiæ, Genebaudi junioris, Berniconis & Gaufredi. Poſt obitum Agmeradi fuit in ea ordinatus Ottericus presbyter a Vvenilone Laudunenſi epiſcopo. Ipſe Ottericus dum ipſam eccleſiam teneret cantavit in Noviante, & in Landrica curte & in Broeris: titulum autem ipſius in quo & B reſiduus erat, fuit in Follanæbrayo. In ipſo tempore fuit Nodalbertus presbyter in Codiciaco per annos viginti: obiit autem Vvenilo, & ſucceſſit Oſtroldus epiſcopus in eccleſia Laudunenſi. Obiit Nodalbertus presbyter de Codiciaco, & ſucceſſit ei Gozmarus presbyter qui de canonica Rhemenſi miſſus eſt ad eccleſiam in Codiciaco, & fuit ibi per annos circiter XXX. Obiit Oſtroldus & aliquamdiu vacavit epiſcopatus in Follanæbrayo cum Odelharius beneficium illud habebat uſque ad meum tempus quo fui ordinatus epiſcopus poſt plures annos ordinationis Simeonis epiſcopi. Et quia jam Gozmarus officium presbyterale agere non poterat, conſenſit ut alter presbyter illi in eadem eccleſia ſucceder- C ret, ſicque conſentiente Simeone epiſcopo miſſus eſt Haimeradus clericus Simeoni epiſcopo ad ordinandum in Codiciaco. Poſt obitum Simeonis epiſcopi in Laudunenſi eccleſia ſucceſſit Pardulus epiſcopus, cujus tempore obiit Ottericus presbyter de Follanæbrayo, qui per annos circiter ſexaginta in eadem eccleſia presbyter deguit. Poſt obitum Otterici venerunt homines de ipſa villa ante Pardulum epiſcopum reclamantes, quia non haberent presbyterum in ſua eccleſia: Pardulus autem epiſcopus cum meo conſenſu ſuggerente mihi Oſvero cui beneficium Odelharii filii Odelgiſi nepotis de fratre Parduli epiſcopi commiſeram Vvlfegerum clericum in ipſa eccleſia ordinandum ſuſcepit: ante vero D quam ipſe Vvlfegerus fuiſſe ordinatus obiit Pardulus epiſcopus. Interea ante ordinationem tuam cantavit ibidem Haimeradus presbyter in Codiciaco ordinatus a Simeone epiſcopo, & reclamante ipſo Haimerado apud me & ante te quia ipſa eccleſia ſubjecta eſſe deberet eccleſiæ de Codiciaco, cum meo conſenſu miſiſti vicarios tuos Ivonem, Luidonem archidiaconum, Hedenulfum, Angelrannum decanum presbyterum, qui inquiſierunt inde rei veritatem, quique tibi renuntiaverunt quod tibi bene eſt notum, & ſicut in noſtris geſtis habemus veracibus teſtibus, & evidentibus documentis invenerunt quod ipſa eccleſia de Follanæbrayo numquam eccleſiæ in Codiciaco fuerit ſubjecta, ſed presbyterum ſem- E per habuerit. Inde ſicut ipſi homines dicunt per tuum conſenſum Bertfridus presbyter in eadem eccleſia, & in eccleſia tua apud Broeras per quinque annos cantavit, qui Bertfridus apud te ſe reclamavit quod Haimeradus ipſam capellam deſtructam haberet; & inde pallium unum, & caſulam unam, & ſchillam unam, & librum unum abſtulerit, &, ſicut homines ipſi dicunt, miſiſti miſſos tuos ad hanc cauſam inquirendam Hadulfum ſcilicet archidiaconem, Fainulfum & Angelranum presbyteros, & ſicut ipſe Bertfridus dixerat invenerunt. Quapropter & ea quæ repetita fuerant Haimeradus ipſi eccleſiæ

coram miſſis tuis reſtituit. In ipſa eccleſia, ut A prædixi, idem Bertfridus per annos quinque per tuam licentiam miniſtravit, donec fama de eo vulgata abſceſſit. Deinde Sigebertus cui illud beneficium ″ de drame ſecundum antiquam conſuetudinem clericum petiit, qui in ipſa eccleſia a te ordinaretur, cui ſecundum conſuetudinem anteceſſorum meorum, & ſecundum regulas eccleſiaſticas ac ſynodalia capitula clericum de poteſtate eccleſiæ noſtræ ea conditione conceſſi, ut ſi tu illum probabilem judicares, ego illi libertatem eccleſiaſticam darem; & ſic demum tu illum regulariter ordinares. Qui clericus nomine Seminatus per quatuor annos te ſciente ipſam eccleſiam tenuit, & ſecundum paupertatem ſuam, ſicut ſimul ſæpe vidimus, & adhuc paret, B bene in ea laboravit, & ad illius vicem uſque dum ad ordinationem [a] venire per annum & dimidium commendatione miniſtrorum tuorum, ſcilicet Hadulfi archidiaconi & Angelrani decani presbyteri, Grimo presbyter tuæ parochiæ in ipſa eccleſia cantavit: deinde ipſorum conſenſione Heimericus presbyter tuæ parochiæ per duos & dimidium annos ibidem officium ſacerdotale exhibuit, uſque, ut ſupra dixi, pridie Nonas proxime præcedentis Februar. quando præfato clerico interdicta eſt ipſa eccleſia; &, nunc inde quæſtio removetur, quaſi non debeat ſufficere ad ſopiendam omnem remotionem antiquitas, & tanta longitudo temporum & numeroſitas epiſcoporum, ac presbyterorum ſub qui- C bus ipſa eccleſia per ſe nulli alteri eccleſiæ ſubjecta conſtitit, cum & leges publicæ tam apud Romanos, quam & apud noſtrates, ſed & canones, atque ſedis Romanæ pontificum decreta præfigunt, ut ultra xxx. *annos nulli liceat* pro eo appellare quod *legum* tempus excludit; quaſi etiam non debeant ſufficere tuæ per miniſtros tuos requiſitiones & diffinitiones, cum leges publicæ atque eccleſiaſticæ decernant, ut quæ legaliter ac regulariter diſtincta ſunt non evellantur neque removeantur: ſed & leges publicæ atque eccleſiaſticæ decretæ ſunt de his qui diffinita cauſa removere præſumunt. Poſtea vero quam ipſa eccleſia eidem clerico, ſicut quidam D dixerunt, ſine tua commendatione interdicta eſt, miſſa ibidem celebrata non fuit, nec aliquis de ipſa villa in confeſſione, vel in communione, vel in baptizatione ſacerdotale obſequium habuit, & hac occaſione duo ibidem homines ſicut ad me pervenit ſine confeſſione & communionis reconciliatione fuerunt mortui, quorum unus Erleherus, & alter Giſlehardus vocabantur; nam ipſa eccleſia habet unde bene per ſe poteſt conſiſtere; & hoc inter cetera habetur indicium, quoniam a longo tempore per ſe conſtitit, quia etiam terras habet, quas Otiericus presbyter in ea ordinatus comparavit, & ſecundum regulas eccleſiaſticas moriens ibidem reliquit, & presbyteri qui per tanta tempora in ea fuerunt bene inde ſe conduxerunt. Propterea fra- E ter moneo dilectionem tuam, ut depoſita omni contra regulas irrationabili animoſitate, nolis contra ſalutem & miniſterium tuum de eadem eccleſia agere, pro eo quod ex mihi commiſſa eccleſia & beneficio Sigeberti mihi fidelis, viri ſororis tuæ, probatur exiſtere, contra quos indebite es commotus. Præſertim cum neminem paſtoris fungentem officio latere debeat, quia in exequendo divino myſterio ſicut nullius gratia indebita provocari, ita & debita nullius odio, vel privati ſtudii zelo debeat retardare ſive pervertere. Scimus enim quia regulæ Aurelianen-

* de die o me &c.

a) Pro, venire. H.

ſis concilii dicunt, quæ tempore Kludouvici regis quem ſanctus Rhemigius cum Francorum millibus baptizavit decretæ fuerunt, ut omnes baſilicæ quæ per diverſa conſtructæ ſunt, vel quotidie conſtruuntur ſecundum priorum canonum regulam in ejus epiſcopi in cujus territorio poſitæ ſunt, poteſtate conſiſtant. Et Toletanum concilium dicit, ut dotes eccleſiarum, & omnia ſecundum conſtitutionem antiquam ad epiſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant, ſcilicet, ut Antiochenum concilium dicit, regat juxta reverentiam ſingulis competentem, & [b] prudentiam gerat omnis poſſeſſionis quæ ſub ejus eſt poteſtate: ita ut presbyteros & diaconos ordinet, & ſingula ſuo judicio comprehendat. Sed antequam regulæ tempore Kludouvici regis in ſynodo Aurelianenſi fuerint conſtitutæ, antiquiores non refragatæ Arauſici concilii regulæ ſtatuerunt, ut ſi quis epiſcoporum in alienæ civitatis territorio eccleſiam ædificare diſponit, vel pro fundi ſui, aut eccleſiaſtici, vel pro quacumque ſuorum opportunitate, permiſſa licentia ædificandi, quia prohiberi hoc voto nefas eſt, non præſumat dedicationem, quæ illi omnimodis reſervatur in cujus territorio eccleſia adſurgit, & reſervata ædificatori ſuo hac gratia, ut quos deſiderat clericos in re ſua videre ipſos ordinet in cujus territorio eſt, vel ſi ordinati jam ſunt, ipſos habere adquieſcat, & omnis eccleſiæ ipſius gubernatio ad eum in cujus civitatis territorio eccleſia ſurrexerit pertinebit. Et hac auctoritate a temporibus ſancti Remigii ſemper prædeceſſores mei in temporibus prædeceſſorum tuorum in eccleſiis ad Codiciacam villam Laudunenſis parochiæ, ſed & ad Juliacam villam in parochia Sueſſonica cum conſenſu ipſarum civitatum epiſcoporum ordinatos miſerunt presbyteros. Unde & ego in Codiciaco, & in Juliaco inveni. Sed quia mihi pro honore coepiſcoporum noſtrorum ipſarum ſedium complacuit, ut illis decedentibus clericos ordinandos in eiſdem eccleſiis epiſcopis propriarum parochiarum dirigerem cum libertate eccleſiaſtica & literis meis ordinandos presbyteros in præfatis eccleſiis miſi: & Simeon, ut prædixi miſſum a me ſibi Haimeradum ordinavit presbyterum, & domnus Rothadus meæ miſſioni non reſultans, jam in Juliaco duos a me ſibi miſſos clericos ordinavit presbyteros, & ego ipſi, ſed & aliis coepiſcopis noſtris in parochia noſtra eccleſias habentibus, eumdem honorem ſicut & prædeceſſores mei illorum prædeceſſoribus fecerunt, conſervo. Et rectum eſt ut tu antiquæ auctoritati & conſuetudini tuæ metropoli a tuis prædeceſſoribus conſervatæ non deroges: Præſertim cum ſit conſtitutum in primo libro capitulorum ſynodalium tempore Auguſtorum noſtrorum a noſtris majoribus conſervatorum, ut ſine auctoritate, vel conſenſu epiſcoporum presbyteri in quibuslibet eccleſiis conſtituantur, nec expellantur; & ſi laici clericos probabilis vitæ, & doctrinæ epiſcopis conſecrandos, ſuiſque in eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet occaſione eos rejiciant; & exinde nuper in placito domni noſtri regis *Karoli* apud Piſtas conſtitutum eſt quod & tua conſenſione firmaſti capitulum, quo dicitur ut ſi abbates, vel abbatiſſæ, aut comites, vel vaſſi noſtri, aut ceteri laici clericos probabilis vitæ & doctrinæ epiſcopis canonice conſecrandos, ſuiſque in eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet occaſione eos epiſcopi vel miniſtri eo-rum

a) Tr, pertinentiam. E.



rum rejiciant. Propterea ſi ipſe clericus crimi- A noſus non eſt, & docibilis eſt, quod etiam in epiſcopo canones ſacri requirunt, quoniam a nobis tibi ordinandus offertur, non debes illum ab ordinatione in eccleſia ipſa rejicere, cui per tanta tempora eamdem eccleſiam conſenſiſti: cum ſanctus Innocentius in decretis ſuis ad Martianum Naiſitanum epiſcopum de quibuſdam presbyteris qui in parochia illius aliquamdiu tenuerunt eccleſias, ſed quadam occaſione communionem illius mereri non poterant dicat; Frater, inquiens, cariſſime, ſi eorum aſſertio fidem recipit veri, ſuſcipiendos eſſe ambigere non debes, quod tamdiu eccleſias ſibi creditas paſſus es retinere. Et ſi eumdem clericum in eadem eccleſia vis ordinare, ſcribe mihi ſecundum mo- B rem, & ego illi libertatem eccleſiaſticam dabo. Si autem ipſe clericus cui per tanta tempora ipſam eccleſiam in Follanæbrayo habere, & in ea laborare conſenſiſti, non placet, & per rationem, aut pro crimine, aut pro indocibilitate illum rejeceris, quem contra regulas ſine mea licentia, & ſine libertate canonica ordinaſti, oſtende, & alterum inveniemus; tantum ut præfata auctoritas regularum, & antiqua conſuetudo de ipſa eccleſia nobis a te conſervetur, ſicut temporibus prædeceſſorum & deceſſorum tuorum Genebaudi, Berniconis, Gairfredi, Vvanilonis, Oſtroldi; & quando epiſcopatus vacavit in Ailemaro, & tempore Simeonis, ac Parduli, ſed & tuo tempore uſque modo meis præde- C ceſſoribus ac deceſſoribus Tilpino, & quando poſt eum vacavit epiſcopatus, ſed & Vvlfarii, Eboni, & quamdiu ipſum epiſcopatum tenuit Fulco, & poſt eum Noto, ſed & mihi jam per xxv. annos in Rhemorum ſede miniſtranti hactenus eſt conſervata amplius quam per centum annos, velut per veridicas chronicas computavi, & tibi poſſum oſtendere, cum conſtet legibus, & ſacris regulis cautum, quia ſicut nobis pro noſtro libitu non licet parochias ruſticanas antiquitus conſtitutas ſine ratione dividere; ita etiam non licet confundere. Quia vero ipſum clericum contra regulas ordinaſti, regulæ ſacræ demonſtrant dicentes; Admittuntur, inquit Leo in epiſtola ad univerſos epiſcopos per univerſas provincias conſtitutos, paſſim ad ordinem ſacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas ſuffragatur; & quia dominis ſuis libertatem conſequi minime potuerunt, ad faſtigium ſacerdotii, tamquam ſervilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur, & probari Deo poſſe creditur, qui domino ſuo necdum probare ſe potuit. Duplex itaque in hac parte reatus eſt, quod & ſacrum miniſterium talis conſortii vilitate polluitur, & dominorum, quantum ad inlicitæ uſurpationis temeritatem pertinet jura ſolvuntur. Ab his itaque, fratres cariſſimi, omnes veſtræ provinciæ abſtineant ſacerdotes, & non tantum ab his, ſed & ab aliis etiam, qui originali, aut alicui conditioni obligati ſunt, volumus temperari, niſi forte eorum petitio aut voluntas acceſſerit qui aliquid ſibi in eos vindicant poteſtatis: debet enim eſſe immunis ab aliis qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut a caſtris dominicis quibus nomen ejus adſcribitur nullis neceſſitatis vinculis abſtrahatur. Et poſt decretam natalium honeſtatem moreſque ordinandorum deſcribens, hanc concluſionem ſubjungit. Hoc itaque admonitio noſtra denuntiat, quod ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venire tentaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, a ſuo ſe noverit of-

ficio ſubmovendum, nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ. Sciendum vero eſt hic non vacare a diſcretione, ex rationis ſpecialitate *hac* pronomen pluralis numeri, cum dicit; ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venire tentaverit. & reliqua, ſicut ſecundum domini dictum, *iota unum aut apex unus a lege non præterit*. Repetamus ſuperiora hujus epiſtolæ in qua dicit; Admittuntur paſſim ad ordinem ſacrum quibus nulla natalium dignitas ſuffragatur. Si inter ſacros ordines ordo acolythi non deputatur, de hoc noſtro clerico nomine [a] Senato a te acolytho ſine noſtra licentia, vel ſine eccleſiaſtica libertate ordinato nil repeto. Et quia, ut dicit Inno- B centius, obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt, poſteriores canones dicunt, ut nullus ſervilibus, colonariiſque conditionibus obligatus juxta ſtatuta ſedis apoſtolicæ ad honores eccleſiaſticos admittatur, niſi, prius aut teſtamento, aut per tabulas eum legitime conſtiterit abſolutum. Quæ ſi quis epiſcoporum ejus qui ordinatur conditionem ſciens tranſgredi per ordinationem inhibitam fortaſſe voluerit, anni ſpatio miſſas facere non præſumat. Hos autem Gallicanos canones, quibus ſæpe in tuis ſcriptis uteris, & per quos te reclamas, ſcio quia non abjicies, cum Antiochenum concilium quod apoſtolica ſedes, & univerſalis eccleſia recipit dicat; per- C fectum concilium eſt ubi interfuerit metropolitanus antiſtes. Et Leo ad Maximum Antiochenum epiſcopum, Quicquid, inquit, propter ſpeciales cauſas ſynodalium conciliorum ad examen epiſcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem, ſi nihil de eo eſt a ſanctis patribus apud Nicæam diffinitum. Sacri denique canones manumiſſiones in eccleſia fieri poſſe ab imperatoribus petierunt, quæ & ab eis conceſſa eſt, & a tempore ipſius conceſſionis regulæ, & [b] mox eccleſiaſticus hactenus eas ſervavit, & ſervat. Unde ſcriptum eſt in libro capitulorum ſynodalium primo, quæ tempore Auguſtorum noſtrorum Karoli & Hludouvici fuerunt condita capitula LV. Nullus, D inquiunt, epiſcopus ſervum alterius ad clericatus officium ſine domini ſui voluntate promovere præſumat. Et hoc Gangrenſe concilium prohibet & capitulo LXXXII. ad locum; de eccleſiarum vero ſervis communi ſententia decretum eſt ut archiepiſcopi per ſingulas provincias conſtituti noſtram auctoritatem, ſuffraganei vero illorum exemplar illius penes ſe habeant. Et quandocumque de familia eccleſiæ utilis inventus aliquis ordinandus eſt, in ambone ipſa auctoritas eorum populo legatur, & coram ſacerdotibus, vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem conſequatur: & tunc demum ad gradus E eccleſiaſticos provehatur. Similiter quoque de his agendum eſt quos laici de familia eccleſiarum ad ſacros ordines promoveri voluerunt. Sed & de his quos præpoſiti canonicorum atque monachorum ordinandos expetierint, eadem forma ſervanda eſt. Oſtende igitur nobis iſtam manumiſſionem eccleſiaſticam de præfato clerico a te acolytho ordinato, & nihil repeto. Dictum eſt etiam mihi quod ter per tres presbyteros ipſum clericum ad tuam ſynodum vocari juſſiſti ut reddat rationem in tua ſynodo, cujus auctoritate eccleſiam in parochia tua accepit; unde tibi puto ſupra rationem reddidi, cujus

Matth. 5.

a) Qui ſeminatus ſupra. H.

b) Pro, mos. H.

cujus auctoritate, & qua ratione prædictam eccleſiam in parochia ſua ſuſcepit, quam ei per tanta tempora habere conſenſiſti, ſicut plurimis eſt manifeſtum, Ipſe autem nullam rationem ſpoliatus contra rationem, & auctoritatem tibi inde in ſynodo regulariter reddere debet; ſi autem ideo illum vis in ſynodum tuam venire, quoniam Chalcedonenſes canones dicunt nullum abſolute ordinare debere presbyterum aut diaconum, nec quemlibet in gradu eccleſiaſtico, & reliqua, ut forte oblitus per illum diſcas cujus ſuaſione illum contra regulas ordinaveris; quatenus ſi forte in ſynodo epiſcoporum inde compellatus fueris, habeas quid reſpondeas. Manda mihi, & ego illum quoniam noſtræ eccleſiæ eſt mancipium nulla libertate donatum, per meos miſſos tibi in ſynodum tuam tranſmittam, ut dicas quod beatus Leo ad Anatolium Conſtantinopolitanum epiſcopum ſcribit; quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ita & in mala conſenſione peccatur. Retractes etiam quoniam ut ſupra oſtendi, illa quæ tempore anteceſſorum tuorum conſtiterant, & poſt mortem Otterici de eccleſia in Follanæbrayo præſumpta fuerunt per miniſtros tuos Ivonem, Luidonem, Angelrannum; itemque per Hadulſum, per Famulſum, per eumdem Angelrannum deſtruxiſti, & quæ ſtatuta fuerunt tempore anteceſſorum tuorum reædificaſti, quæque nunc iterum de ipſa eccleſia deſtructa ſunt, ſed & quæ prænotavi de regulis eccleſiaſticis & ſynodalibus capitulis tranſtuliſti. Sententiam beati Leonis ad Leonem Auguſtum deprомptam parvi pendere nullo modo debes, quam in ſynodo apud Sueſſionis audiſti; & *in illo libro quem tibi dedi ipſe legere potes*. Si inquit quæ deſtruxiſti *hæc ædifico*, prævaricatorem me *conſtituo*, & eis me ultionum condi*tionibus* ſubdo, quas non ſolum auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, ſed etiam ego mea conſenſione firmavi; & ſicut presbytero noſtro parochiæ ad te miſſo reſpondiſti, quia ſicut tibi fecimus in noſtra parochia de tua eccleſia, ita & tu nobis facies de noſtra eccleſia in tua parochia non ſolum non conſentio, verum & hortor ut facias, ſcilicet ut inquiras diligenter ſub veritatis teſtificatione in ſuo ſacerdotio per Angelrannum, per Grimonem per Fraumarum presbyteros, ſed & per ipſum Haimeradum quod de ipſa eccleſia teſtificatus eſt Pardulus deceſſor tuus coram ipſis ante obitum ſuum. Sed & per alios presbyteros, & vicinos ac idoneos laïcos in ipſa villa commanentes, & circummanentes legaliter require, quod inde ex veritate cognoſcunt de his quæ præſcripſi, & ſicut epiſcopus cum veritatem inveneris inde juſtum judicium judica, velut & ego coram miſſis tuis de capella epiſcopii tui in parochia noſtra legaliter & regulariter inquiſivi, & ſecundum leges & ſacros canones ac decreta ſedis Romanæ pontificum diſſinivi, ſicut tibi ſcripto veritate & auctoritate ſubnixo oſtendam loco & tempore opportuno ſi neceſſitas fuerit. Nam plures eccleſiæ ſunt in mea parochia de epiſcopio Laudunenſi de quibus non tibi nec alicui tuorum ullum præjudicium intuli, neque inferre volo, quia non debeo; & quia ex capella de qua mandaſti tuæ intentioni non annui, ratio mihi & auctoritas contradixit. Quod autem a quibuſdam tuorum [a] quod ipſa capella antiquior ſit quam eccleſia in Viviniaca villa, etiamſi verum foret, tunc illi antiquitas ſua ſuffragium ſufficeret, ſi in antiquitate ſua uſque ad tempora moderna ſicut eccleſia in Follanæbrayo manſit, perſiſteret; nam Atrabatis, Viromandis, & Bononia ex cujus territorio es nativus, antiquiores ſedes cum epiſcopis propriis in Rhemorum provincia extiterunt quam caſtrum montis Lauduni inter ſedes computaretur in quo es ordinatus epiſcopus. Sed quoniam a longo tempore certis eventuum ac neceſſitatum cauſis accidentibus illæ aliis ſubjectæ civitatibus ſuum privilegium perdiderunt quod non recuperant, & caſtrum montis Lauduni convaluit, quia ſecundum leges, ac ſacros canones atque decreta ſedis Romanæ pontificum [a] pro id appellare, idque refragari non licet quod legum tempus excludit. De decimis ſiquidem eccleſiæ epiſcopii Laudunenſis, parochiæ vero meæ in Antenaco ex domini regis in dominicatu ordinationi meæ commiſſæ, non ſolum mihi & presbytero cui eam ad diſpenſandum commendavi, verum & domno regi contra leges & canones tuo tempore, quod ante actum non fuerat magnum præjudicium eſt a miniſtris tuis inlatum, quod propter pacis caritatiſque cuſtodiam hactenus patienter ſuſtinui: unde potes advertere quia tibi de illa capella juſtitiam non negarem, ſi ipſa juſtitia tuis votis concurreret. Propterea frater pro loci mei officio de præfata eccleſia juxta antiquam conſuetudinem, ratione, veritate atque auctoritate ſubnixam, ut præmiſi, exequi te regulariter moneo, [b] quo benigno animo te ſuſcipere & implere exopto. [c] Quid facies ſi B. Leonis præceptionem cordis aure obaudire curaveris; qui ſcit, inquit, ſe quibuſdam præpoſitum, non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe prælatum, ſed obedientiam quam exigit etiam ipſe dependat. Et quia non impune quis a ſacris regulis deviare, & debitæ obedientiæ valeat obviare, ſcientiæ tuæ appone verba beati Gregorii, quibus ad Petrum Romanæ eccleſiæ ſubdiaconem, & patrimonii magni Petri in Sicilia ſervantem dicit; De his inquiens, quæ tibi pro ſervanda juſtitia ſcribo, ego abſolvor. Et tu ſi negligis, obligaris: terribilem judicem venientem conſidera, & de adventu illius nunc tua conſideratio contremiſcat, ne tunc ſine cauſa jam timeat, cum coram illo cœlum & terra tremuerit. Audiſti quod volo. Vide quid agas. Datum V. Kal. Maii præſentis tertiæ indictionis.

a) Forte de... eſt dictum. H. — a Locus obſcurus. — b) c) ... — Anno ...

## VIII.

*Hincmarus Rhemorum epiſcopus Hincmaro Laudunenſi epiſcopo ſalutem, quæ eſt in Chriſto Jeſu domino noſtro.*

QUod erga me volens diſſolvere illa quæ tibi ſcribo per jactantiam reſcribendo agis ſingulatim, ſed non ſingulis, cauſa mihi non incerta quibuſdam prætermiſſis, reſpondere me pro loci mei officio, ne tibi ſapiens eſſe videaris, ad ſingula contumaci inobedientiæ, & inobedienti pervicaciæ tuæ exigis, qui laboras ut ſuperior in cunctis appareas & victor exiſtas, metropolitano privilegio nomine tantum ironice per antiphraſim inhonorando inſalutes, & cum inhonoratione contumelioſa inobediendo reſolutes, mihique os adeo obtures, ut de his pro quibus ad me, cui per ſacros canones divino judicio commiſſa eſt provinciæ totius in qua es ordinatus epiſcopus, ſollicitudo & qui negotia videntur habere concurrant, non audeam commonere, neque præſumam de his quæ ex te reprehenſibiles ad me perveniunt redarguere, quia etiam nec tuis ſcriptis, vel verbis in aliquo reſpondere, & ut totum brevi perſtringam cingulo, timeam quod diſpliceat tibi mutire. Sed ejuſmodi non es ſapientiæ & ſcientiæ atque religionis, ſeu loci epiſcopus, ut hæc valeas obtinere. Qui ſi veraciter ſapiens & religioſus fores, talia obtinere non attentares: & quoniam veritate, ratione, & auctoritate non potes, anxiaris, æſtuas, & anhelas, ut quoquomodo & per veriſimilia, & quaſi auctoritati, & rationi convenientia mihi poſſis reſiſtere, meque poſſis comprimere atque revincere. Unde & recte dicta ſtudes prave ad ſenſum tuum inflectere, & ea a ſuo ſenſu quantum ex te eſt cogis peregrinari. Et hoc pernicioſum certamen ſine ulla neceſſitate contra me aſſumpſiſti, & ſine ulla utilitate in eo ſatagis laborare, cum nihil aliud a te requiram, niſi ut ſcriptum eſt, *timeas dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & obedias ejus imperio* (Deut. 26.): & ſicut epiſcopus, quod omni convenit Chriſtiano, *pacem ſequaris & ſanctimoniam ſine qua nemo videbit Deum* (Hebr. 12.), & loci tui contentus modeſtia te altiora ne quæras, & ut frater ac filius cariſſimus agas, quatenus nos invicem recognoſcamus, ne antiquus hoſtis per ſcandalum duos movens, per nequiſſimam victoriam multos quæ non convenerant loqui faciat: ego enim ut aperte indicem qui per elationem a te nihil requiro quæ mihi de canonibus ſuppetunt, de quibus tibi ad recognoſcentiam & reſipiſcentiam tuam jam ſæpius, ſcripſi tacere potuiſſem, ſi ea quæ familiari ſermone monerem cum caritate & humilitate ſuſciperes. Ceterum, ut beatus Gregorius ad Joannem Conſtantinopolitanum epiſcopum dicit, rixam inferre non volo, ſed tamen a te venientem non devito, quia non valeo, nec etiam audeo pro loci mei officio: cum quaſi me pulſando, egregius prædicator dicat, *argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina* (2. Tim. 3.): Si enim, ut veraciter fatear, utinam non ad condemnationem meam, metropolitanus tuus judicio Dei non forem, & tu provincialis epiſcopus metropoli, cui diſponente Deo deſervio, ſubjectus & a me ordinatus non eſſes, ſed in alia provincia alterius ordinatus exiſteres, & talia de te audirem, ſicut audire cœpi, ex quo poſt concupiſcentias ſæculi, & elationem cordis tu ire cœpiſti, & verbis, & ſcriptis te caritatis affectu monerem, & ſi non obaudirer, apoſtolicam ſequens juſſionem, qui de eo præcipit qui ſemel & ſecundo commonitus non convertitur, nec obaudit, te devitarem: nunc autem quia non ſolum ſapientibus & inſipientibus, ſed etiam provinciæ Rhemorum epiſcopis meis, ſcilicet melioribus & ſapientioribus atque religioſioribus, debitor ſum, locum effugiendi invenire non valeo, ut te opportune importune non moneam, cum prædicator fortiſſimus dicat; *Mundus ſum a ſanguine omnium: non enim ſubterfugi quominus adnuntiarem omne conſilium Dei vobis* (Act. 20.), ſi enim non adnuntiaſſet, mundos a ſanguine non eſſet; ſed quibus omne conſilium Dei adnuntiare ſtuduit, ab eorum ſanguine mundus fuit. In qua voce & ego peccator convenior, ego inſipiens ut te moneam & arguam. Et quando neceſſitas exigit, increpem, valde conſtringor, ego reus eſſe oſtendor, qui metropolitanus epiſcopus vocor, qui ſuper ea mala quæ propria habeo, alienas quoque mortes addo, qui tot occido, ut timeo, quot ad mortem ire quotidie tepidus & tacens video, dicente domino per prophetam de uno pereunte; *Sanguinem ejus de manu tua requiram* (Ezech. 33.), quantomagis de multis? Et etiam de his per quos multi debent ſalvari, mihi hæc terribilis invectio incutitur, qui ad ſpeculandum, & etiam epiſcopis, peccatis meis exigentibus Dei judicio prælatus. Qua de re & archiepiſcopus, unde non lætor, ſed revereor, ſum vocatus, qui reatu de morte animarum ſubjectorum conſtringor, quæ forte potuiſſent ſemper vivere ſi verba meæ correptionis audirent. Sanguis ergo morientis de manu ſpeculatoris requiritur, quia peccatum ſubditi culpæ præpoſiti ſi tacuerit reputatur. Eſt ergo, ut beatus Gregorius dicit, quod mihi eſt faciendum, ut etiam moriente ſubdito me liberum reddam, ſurgam, invigilem, malis actibus contradicam, ſicut ſcriptum eſt: *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ* (Prov. 23.). Et ſi adhuc, ut cœpiſti in reſiſtendo perſiſtis, audiam quid loquatur in me, & ad me de reſiſtentibus dominus Deus. *Ecce inquiens dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam* (Ezech. 3.), ſcilicet ut ſive ab auditoribus conculcer atque deſpiciar, nec per delatum honorem refrænetur lingua ex verecundia, nec per deſpectum taceat ex infirmitate. Unde iterum mihi dici exaudio, *Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia domus exaſperans eſt* (Ezech. 2.). Itaque increpandus eſt frater & nunquam timendus qui eſt exaſperans domus. Propterea de eo quod jam tertio in præfatione tuarum literarum mihi ſcribens mandaſti debitam in domino devotionem, quam non ſubſequeris proſequendo debitam, & in domino devotionem tibi reſcribo, quia quantum ſpectat ad humanos carnis oculos debitam devotionem mihi non monſtras: quantum vero ſpectat ad mentis humanos oculos, in domino devotionem non exhibes. Quantum autem in divinis oculis ſuperbo conſilio timeo trutinari, debitam devotionem mihi rependis, qui me tuis operibus, non adeo ut deſideraveram laudabilibus, & tuis contradictionibus, & duriſſimis ac contra caritatem, quæ Deus eſt, reſponſionibus & impactionibus indebitis indeſinenter excrucias. Sed utinam mihi contingat quod in euangelio voce Abrahæ de Lazaro per flagella expurgato a malis ſuis diviti ardenti reſponſum audimus (Luc. 16.). Recepit Lazarus ſimiliter mala pro malis in vita ſua; ſicut & dives bona pro bonis in vita ſua. Et ſic opto mihi per te fieri, ut ſi per improvidentiam Deum in aliquo ex te offendi, qui in multis eum offendiſſe & offendere humili & contrito corde confiteor, recipiam ex te per te purgationem in vita mea, ne inde crucier in vita futura, qui, ut dixi, per improvidentiam, non autem per malivolentiæ conſcientiam, tantorum gemitus qui ſub manu tua, ut a multis dicitur, ſicut revera ſub faſce graviſſimo gemunt, in provectione tua excitavi, quotidie emitti ad dominum; & proinde quotidiano, immo continuo timore & dolore conſtrictus non ſolum gemo, ſed & eis congemiſcens Deo cujus permiſſionis judicio a te ſcandalizatus, & mente excruciatus verbis viri flagellis attriti corde contribulato dico, *qui cœpit ipſe me conterat, ſolvat manum ſuam & ſuccidat me, & hæc ſit mihi conſolatio ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus ſancti* (Job 6.): vellem enim ſi illi placeret, ut flagellis dignum me per alium quam per te flagellaret, ſed quia ita ſibi placet cui bona cuncta placent, verbis ſuis cum conveniam qui ex affectu noſtræ humanitatis patri dignatus eſt dicere. *Pater ſi fieri poteſt tranſeat a me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis* (Matth. 26.).

Et item: ſpiritu ſuo de eo qui ejus eſſe videbatur, prædixit; Pſal. 54. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſupportaſſem utique: tu vero homo unanimis dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos in domo Dei ambulavimus cum conſenſu*, Homo ſcilicet *pacis meæ in quo ſperabam, qui edebat panes meos, levavit contra me calcaneum ſuum*: ac ſi aperte diceret, quod tanto gravius pertuli, quanto hæc ab eo qui meus eſſe videbatur ſenſi: ſed licet hinc erga me pietas cor tuum non tangat, timor tamen illud debet compungere, quia contumacia & inobedientia tua qualicumque ſucceſſori beati Rhemigii in metropolitana ſede ipſius a te mihi inlata in eum redundat, qui in me peccatore vicario ſuo totius Rhemorum provinciæ onera portat, quinimo, B [a] Chriſte Deus noſter! orante apud eum pro nobis eodem ſanctiſſimo prædeceſſore noſtro, meas contumelioſas calumnias, & perſecutiones derogationum tuarum in ſe dignatus ſuſcipere, qui confidens patri ſuper omnes cælos & ſuper omnium angelorum verticem Saulo, ut legimus, & credimus dixit; Act. 9. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* non enim eſt diſcredendum in tanta turba credentium quos Saulus perſequebatur aliquem fuiſſe, licet non ita ut ego ſum imperfectum; in quo ſicut & in reliquis, qui videlicet corpus ejus erant, ſe dominus perſequi dixit. Et ideo in me imperfecto, modo quolibet perſequuto illum perſequi credo, quia & voce ſanctæ eccleſiæ in qua ejus ſum ultimum membrum per pſalmiſtam C dicitur; Pſal. 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.* Et iterum pſalmiſta dicit; Pſal. 112. *Benedixit omnes timentes ſe dominus puſillos cum majoribus*; & qui in juditio dicet de benefactis benefactoribus; Matth. 25. *Quamdiu feciſtis uni de his minimis meis mihi feciſtis*. Veraciter credo quia quicquid mihi ſive benignitatis, ſive malignitatis pro ejus nomine exhibetur, ſine dubio illi impenditur. Et quia beatus Joannes Baptiſta pro veritate, videlicet pro Chriſto ſine dubitatione occubuit, ſicut ipſe oſtendens dicit; Joan. 14. *Ego ſum veritas*. Et ego, ut apoſtoli utar verbis, inimicus factus ſum tibi vera tibi dicens & ſuadens, ſed perſuadere non valens, ut, ſicut ipſa veritas per beatum Leonem dicit; D Obedientiam quam a tuis ſubditis exigis, prælatis tuis ipſe dependas, & in ea vocatione qua vocatus es, in ea permaneas, quæ quia non ſuffers, non ſolum mihi, ſed & multis ſcandalum ingeris, & veritas dicit; Matth. 18. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ut ei ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Et item idem Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia dicit: Prov. 29. *Viro qui corripientem, dura cervice contemnit repentinus ſuperveniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur*. Et Moyſes & Aaron dura cervice reſiſtenti ſibi populo dicunt; Exod. 16. *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Deum*. Unde nec tuas inimicitias vereor, nec te monere in neceſſariis, quæ ſine peccato non poſſum dimittere, deſinam, E ſciens pacem dilectione integra intrinſecus me tenere debere, quam per vectionem vocis mihi extrinſecus non timeo perturbare. Quod utrumque provide David ſe perhibet ſervare, cum dicit; Pſal. 119. *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis*. Ecce & loquens impugnabatur, & tamen impugnatus erat pacificus, quoniam nec inſanientes ceſſabat reprehendere, nec reprehenſos negligebat amare. Hinc etiam Paulus ait. Rom. 12. *Si fieri poteſt quod ex vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes*: hortatur enim apoſtolus ut pacem cum omnibus ha-

A berent, præmiſit dicens: Si fieri poteſt, atque ſubjunxit; quod ex vobis eſt: difficile quippe erat ut ſi mala acta corriperent, habere pacem cum omnibus poſſent: ſed cum temporalis pax in pravorum cordibus ex noſtra increpatione confunditur, inviolata neceſſe eſt ut in noſtro corde ſervetur. Hinc iterum David cum ſe totum ad fœdera pacis internæ conſtringeret, teſtatur quod cum malis concordiam non teneret dicens: Pſal. 138. *Nonne qui te oderunt Deus, oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam. Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi*. Inimicos enim perfecto odio odiſſe eſt, ad quod facti ſunt diligere & quod faciunt increpare, mores pravorum premere, vitæ prodeſſe. Penſandum eſt igitur quando B ab increpatione quieſcitur, quanta culpa ſit, ſi cum his qui increpandi ſunt ſine increpatione pax tenetur. Si propheta tantus hoc velut [b] hiſtoriam domino obtulit, quod contra ſe pravorum inimicitias excitavit. Unde Paulus diſcipulos admonet dicens; 2. Tim. 3. *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo ut confundatur*. Atque illico ſubjunxit; *Et nolite ut inimicum exiſtimare illum, ſed corripite ut fratrem*; ac ſi diceret; Pacem cum eo exteriorem ſolvite, ſed interiorem contra illum medullitus cuſtodite. Et qui amore tuo te credo refugere ad perfugia ſolita, ſcilicet ad excuſandas excuſationes in peccatis, ut dicas quia etiam de cogitatione te judico, cum dicat apoſtolus; 1. Cor. 2. C *Quis ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* prævenio huic tuæ objectioni dicens; quia tunc ſpiritus hominis ignoratur ab altero, cum verbis, vel operibus non demonſtratur: nam cum ſcriptum ſit; Matth. 7. *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, per hoc quod foris agitur quicquid intus latet aperitur. Unde recte quoque per Salomonem dicitur; Prov. 27. *Quomodo in aquis reſplendent vultus perſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus*. Cum dicis te ſcripſiſſe ad auferendam amphibologiam traditionis tuæ ex primitivo genitivi inter tradentem & traditum, grammaticam quam tibi inſinuari feci ego & ipſe ſatis, mihi in faciem expuis: quod gratias illi patienter portare poſſum, qui quod de ſe præ- D dixit, pro me peccatore ſuſtinuit: Iſai. 50. *Faciem*, inquit, *meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me*. Sed quia te traditum, & non tradentem deſignas ex nomine, de hoc tuo dicto non curo, teſtimonium inde perhibente mihi conſcientia mea nihil me hinc tibi eſſe debitorem. Unde & 1. Cor. 4. *pro minimo mihi eſt, ut ex hoc a te judicer vel ab humano die; ſed neque me ipſum inde dijudico*. Verumtamen ſi te ita [c] mori gratum ſcirem, ut hoc ad utilitatem tuam, & ad mentis tuæ ſanitatem poſſet proficere, vel mihi inde cognoſcerem aliquam neceſſitatem incumbere, & ſcriptis meis ad regem, & ad epiſcopos, & ipſorum teſtimonio, ac per alios idoneos teſtes poſſem tibi oſtendere me, ſicut dixi, debitorem hinc tibi non eſſe: 1. Cor. 3. *uniuſcujuſque* E *enim opus quale ſit dies domini declarabit*. Quia vero de traditione tua quereris, & nihil fit in terra ſine cauſa, nihilque quod aut non faciat Deus propitius, aut fieri non permittat iratus, & pluraliter fieri traditiones atque diverſis modis diverſos, & pro diverſis cauſis traditos legimus, neceſſe eſt tibi ſubtiliter mentem tuam diſcutere, ut meditatus cum corde tuo, & non doloſa, ſed recta ſtatera appendens mores, cogitationes, verba, & actus tuos, apud te invenias hæc traditio tua unde, & a quo proceſſerit, & quem proceſſum habeat, vel ad quem finem ſpectat: legimus enim quoſdam a ſe traditos, ut Paulus ad Epheſios de quibuſdam dicit,

a) Forte, Chriſtus. H.

b) Forte hoſtiam.

c) Forte moneri.



Epheſ. 4. cit, *qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt ſe impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritia*: A Tanto enim hinc, B. inquit Gregorius, ſe quiſq; in malis præſentibus latius relaxat, quanto poſt hanc vitam ſe adſequi bona æterna deſperat; & Jacobus apoſtolus dicit: Jac. 1. *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & inlectus*, ſcilicet a recto itinere, & inlectus in malum. Et item Paulus ad Romanos de quibuſdam ſcribit; Rom. 1. *Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt*. Et paulo poſt; *Propter quod tradidit illos Deus*. Tradidit, dixit, id eſt gratia non liberavit, ſicut cor Pharaonis indoravit, quod gratia non emollivit. Et pſalmus dicit; B Pſal. 77. *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici*: in captivitatem enim virtus & pulchritudo quorumdam in manus inimici traditur, cum deceptæ menti antiquus hoſtis ex boni operis elatione dominatur. Et apoſtolus Luc. 22. *expetivit ſatanas ut cribaret eos ſicut triticum*, qui juſſi ſunt orare ut non intrarent in tentationem. Et Paulus quemdam tradidit ſatanæ, 1. Cor. 5. *ut ſpiritus ejus ſalvus fieret in die domini*. Et item; 1. Tim. 1. Quoſdam tradidit ſatanæ, ut diſcerent non blaſphemare, & Luc. 13. filiam Abrahæ incurvatam legimus a ſatana, & plures propter peccata punienda quæ cruciari meruerunt quaſi quibuſdam quæſtionariis atque tortoribus traditos legimus refugis ſpiritibus, C quia non ſolum homines miniſtri & ultores ſunt iræ Dei in his qui malum operantur, quique non ſine cauſa portant gladium, Rom. 13. ſed etiam contrariæ fortitudines, quæ appellantur furor & iræ Dei. Quapropter ſi moribus & factis tuis exigentibus juſto Dei judicio permittente, aut a te ipſo, vel per ſpiritum refugam in peccatum, quia legimus Pſal. 77. *immiſſiones per angelos malos*, vel hominem Dei miniſtrum ad pœnam peccati es traditus, ſi te non recognoſcis, & non corrigendo reſipiſcis, non habes unde queraris, ſed unde tribuleris; quia non dicit dominus, *Beati qui perſecutionem patiuntur*, Matth. 5. propter injuſtitiam, ſed *propter juſtitiam*. Et apoſtolus dicit: Jac. 1. *Beatus qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ*, quia ſicut D B. Cyprianus ait, martyrem non facit pœna, ſed cauſa: nam cum Chriſto crucem etiam periturus latro ſuſcepit, ſed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non abſolvit. Et perſecutio, vel traditio dum non rationabiliter ſuſtinetur, ut beatus monſtrat Gregorius, nequaquam proficit ad ſalutem. Nam nulli fas eſt retributionem præmiorum expectare per culpam, quod & beatus Petrus apoſtolus demonſtrat dicens; 1. Petr. 2. *Quæ eſt enim gratia ſi peccantes & colaphizati ſuffertis?* Contra hos propheta domino queritur dicens; Jerem. 5. *Attriviſti eos & renuerunt accipere diſciplinam*. Hinc eſt quod dominus dicit: *Interfeci & perdidi* Jerem. 15. *populum iſtum, & tamen a viis ſuis non ſunt reverſi*. Hinc rurſus ait; Iſa. 9. *Populus non eſt reverſus ad percutientem ſe*. E Hinc voce flagellantium propheta conqueritur dicens; Jerem. 51. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata*: Babylon quippe curatur nec tamen ad ſanitatem reducitur, quando mens in prava actione confuſa verba correptionis audit, flagella correctionis percipit, & tamen ad recta ſalutis itinera redire contemnit. Hinc captivo Iſraelitico populo, nec tamen ab iniquitate converſo dominus exprobrat dicens. Ezech. 22. *Verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam: omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis*; ac ſi aperte dicat. Purgare eos per ignem tribulationis volui, & argentum illos, vel aurum fieri quæſivi;

A ſed in fornace mihi in æs, ſtannum, ferrum & plumbum verſi ſunt, quia non ad virtutem, ſed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt; quoniam aut ad ſonitum murmurationis eruperunt, aut ſimulationis vitio non carere decreverunt, aut in nocendi malitia proximis perſeveraverunt, aut a deſideriis terrenis preſſi in tribulatione purgari non potuerunt. Hinc rurſus ſcriptum eſt; Ezech. 24. ex quo hic lege, de ea nimia rubigo. H. *Multo labore ſudatum eſt, & non exivit de anima rubigo ejus, neque per ignem*, ignem quippe nobis tribulationis admovet, ut in nobis rubiginem vitiorum dominus purget, ſed nec per ignem amittimus quando & rubiginis inter flagella, vel per flagella vitio non caremus. Hinc propheta iterum dicit; Jerem. 6. *Fruſtra conflavit conflator, malitia eorum non ſunt conſumpta*. B Pœna, inquit Gregorius, præſens ſi adflicti animum convertit, finis eſt culpæ præcedentis: ſi autem ad timorem domini minime convertit, initium eſt pœnæ ſequentis. Cavendum ergo nobis eſt & ſummopere in fletibus tota mentis converſione vigilandum, ne de tormento ad tormenta tranſeamus. Qui ergo juſtus patitur, ſi patienter ea quæ patitur ſuſtinet, Chriſtum imitatur. Qui in flagellis corrigitur, latronem qui in cruce Chriſtum cognovit, & poſt crucem paradiſum cum Chriſto intravit; qui nec inter flagella deſiſtit a culpis, ſiniſtrum imitatur latronem, qui propter peccata aſcendit in crucem, & poſt crucem ruit in tartarum. Si ergo propter peccatum modo quolibet vel a C quocumque traditus es, & per traditionis perſecutionem correctus, ut audire merearis a domino, & ſi non auribus corporis, vel auribus illis de quibus pſalmiſta dicit; Pſal. 84. *Audiam quid loquatur in me dominus Deus*, quod audivit qui propter peccatum flagellatus, & per flagellum purgatus eſt, dicente domino; Joan. 5. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Habes unde gaudeas, & quod cavendo cuſtodias. Si autem ideo traditus, & traditione flagellatus es, non quia peccaſti, ſed ne peccares, ſicut Paulus qui dixit; 2. Cor. 12. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, ut me colaphiſet*. Libenter gloriare in infirmitatibus tuis, *ut inhabitet in te virtus Chriſti*. D Si denique a quocumque, vel modo quocumque traditus es, vel non propter præcedens peccatum, vel ideo ut non incurreres quod poterat accidere tibi peccatum, ſed ut juſtus juſtificareris adhuc, ſicut Tobias, & Job de quo dixit dominus ad ſatan; Job. 1. *Ecce in manu tua eſt, tantum animam illius ſerva*, cuſtodire te oportet ut ne de flagello murmures, & animam tuam quam dominus ſervare in Job juſſerat, murmurando in poteſtatem illius tradas. 1. Cor. 10. *Neque murmuraveritis*, inquit apoſtolus, *ſicut quidam eorum murmuraverunt, & a ſerpentibus perierunt*. Cavere etiam ſummopere debes ut aucta per flagellum meriti de cetero peccando non inquines, ſed juxta vocem domini *corde bono & optimo verbum*, & purgationem ejus Luc. 8. *retinens fructum adferas in patientia*, E quoniam qui humiliter etiam pro peccatis ſuis flagella ſuſcipiunt, poſt flagella ad requiem ſublimiter ſuſcipiuntur. Sic uva calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur; ſic oliva contritionibus expreſſa amurcam ſuam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit, ſic per trituram areæ a paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perveniunt. Quiſquis ergo appetit plene vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare, ut tanto poſt ad judicem mundior veniat, quanto nunc ejus rubiginem ignis tribulationis purgat. Quod dicis meis apicibus te ſolito more morderi, ſed non te ſen-

te ſenſiſſe lædi, ſi ita quod dicis ita ut eſt intelligendum intelligis, non improbo, quia & erat unde morderi, ſed ad ſanitatem; & idcirco te non lædi ſentire debebas: [a] ſit enim ut in euangelio legimus plaga ſanatus, ſcilicet per acrem vini morſum, & per olei fomentum: cum enim tibi oſtendi quod actum ſit, rite ad morſum intellexiſti, & cum oſtendi quid agendum ſit, ſi recte facis, pertinere ad olei fomentum intelligis. Si autem adeo intentionem tuam rebus tranſitoriis immoderatius implicas; ut quibus negligentiarum jaculis transfigatis, vel quibus monitionum medicamentis debeas curari ignores, quia nec læſum, nec ſanabilem te ſentis probabiliter improbo. Unde per Salomonem vox percuſſi & dormientis exprimitur qui ait; *Verberaverunt me, ſed non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi*: mens quippe a cura ſuæ ſollicitudinis dormiens verberatur, & non dolet; quia ſicut imminentia mala non proſpicit, ſic nec perpetrata pertimeſcit: trahitur & nequaquam ſentit quoniam per inlecebras vitiorum ducitur, nec tamen a ſui cuſtodia ſuſcitatur. Quod dicis a me jaculis te impetitum, nævoque notatum, noli agere ut hoc mihi neceſſe ſit facere, & me ab his ſenties conquieſcere. Quod dicis te integro fugatum anno, & non dicis a quo fugatus exiſtas, neſcio quid inde tibi reſpondeam, niſi quod dicit ſcriptura, quod in te dominus cadere non permittat; *Fugit impius nemine perſequente*. Quod dicis te ad inſtar Abner fugatum, & ſerris tritum, & ideo non tacere permiſſum, non convenienter ſententiam beati Gregorii in perſecutione Abner ab Aſahel poſuiſti, quia non me furentem tuum perſecutorem, ſed ad corrigendum exceſſus tuos pro loci mei officio intelligere debueras monitorem: & tu non me averſa haſta, ut Abner Aſahel perſequentem feris, & tranquille ex quibuſdam tangis, & quaſi parcendo ſuperas, ſed invehendo, & reſiſtendo in faciem quantum potes per contumacem contemptum ſi potes ad furorem provocando exaggerare non ceſſas; & ideo reſponſionum ratione in intimis ſub tranquillitate tactus ab eo quod me pro neceſſitate loci mei erexeram non cado, neque ſuccumbo, ſed validius ſemper clamo, clamavi, clamabo per ævum, *& ſicut tuba exaltabo vocem meam*, & adnuntiabo tibi exceſſus tuos, & ſatagam te revocare pro viribus a contumaci elatione tua. Quod dicis te ſerris tritum; improprie quantum audeo dicere hoc tua grammatica protulit: nemo enim ſerris teritur, ſed ſecatur, quod bene Paulus intellexit ſcribens ad Hebræos cum paſſiones ſanctorum deſcripſit dicens, *Sancti ludibria & verbera experti inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt*: non enim dixit triti ſunt: ſerra enim dentata fieri legitur, & ego quantum poſſum dentatis ſerris te ab accidentibus, quæ epiſcopo non ſunt propria ſecare laboro, & ſpiritalibus dentibus mordere ac ſtimulis verborum monentium, & clavis increpationum configere non omittam; quoniam, ut ſcriptura dicit, *verba ſapientum quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi*, quia videlicet, ut exponit B. Gregorius, verba ſapientum culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere. Quia vero incompoſite præteritum verbi teror ſerris compoſuiſti, multis locis non ſolum in tua grammatica, ſed etiam in ſcripturis prævales invenire, ſed & in illo loco ubi dominus Moyſi qualiter thymiama quod noſtra lingua incenſum dicitur facere juſſit dicens, *Cumque in tenuiſſimum pulverem univerſa contuderis*. Unde S. Gregorius in tenuiſſimum pulverem aromata univerſa conterimus. Et item, aromata in pulvere redigere, eſt virtutes recogitando terere. Hujus activi paſſivum eſt, ſicut melius noſti, teror, cujus eſt præteritum tritus, quod non rite ſerris, ſed pilæ ac pilo potius applicari debet, ſicut Salomon demonſtrat dicens; *Si contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia ejus*. Quodque thymiama per Moyſem a domino juſſum fieri quotidie nos ſacri altaris miniſterio addicti debemus componere, ut recte poſſimus domino dicere: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*.

De eo quod dicis te mirari cur Hadolſum tamdiu remorantem non remittam, præſertim cum ſuper eo meæ ut juſtum erat annuiſti interventioni, ideo pleniter non reſpondeo, quia ſincera non eſt ſoliditate veritatis & caritatis atq; pacis tua mandatio, tantum hoc reſcribo, quia quotieſcumque ad me illum miſiſti, ſemper tibi illum remiſi, & non ſicut aliis literis de eo mihi directis quantum ex me eſt, contumacem illum a me recepiſti, quaſi contumax tibi extiterit: non mea ſuaſio, ſed ut æſtimo, tua factio hoc ab illo exegit, quia ut puto calice Babylonico quo viciſſim ac ſingillatim gentes propinatas uſque ad [c] Seſag noviſſimum legimus, a te ille etiam eſt propinatus, ſicut & plures alii extiterunt. Nam, ut ſcriptum eſt, a ſanctuario meo incipite, a me nutritore tuo, & ab his qui te mecum nutrierunt, vel inter quos nutritus fuiſti, prius incœpiſti derelinquens nos, & odio habere inchoans, atque aliorum familiaritates expetens, deinde per alios, & alios tam amicos, quam & ſubditos, tam clericos quam & laicos hactenus diſcurrens, & viritim præcedentes relinquens uſque ad hunc tibi familiariſſimum curſus tuus pervenit, & cum tali gratia de ſcala vitrea tuæ familiaritatis decidit, ſicut & nos priores, & illius de tuis ſubditis anteceſſores cecidimus, ſi tamen talis caſus non potius aſcenſus quam caſus dici debeat. Cum tibi Salomon dicat; *Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiſeris*. Et S. Hieronymus dicit; proverbium, inquiens, eſt quod ſerviri nequeat qui nulli ſervivit, ſicut tibi ſerviri non poteſt qui nulli ſerviſti, quique non laborando, ſed deliciando, & dormiendo alterius labore quod habes adeptus fuiſti. Et quod Simonides cum interrogaretur [b] quod inter homines celerrime conſeneſceret, beneficium inquit, manifeſte oſtendis. Et Salomon dicit; *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, & qui mentis eſt duræ corruet in malum*.

De hoc quod dicis te neſcire unde ſciam te conſenſiſſe eccleſiam Sanato clerico noſtro in Follanæbrayo, quoniam nec res nota eſt, nec per caſus aut formas ſaltem veriſimiles inflectitur; & ideo nec te conſenſiſſe ſcio, nec illud probare poſſum, tibi reſcribo, quia indignum tibi eſſe debuerat, quoniam eſt utique indecorum ut pro inlùſione mea epiſcopus ad cunas infantilis grammaticæ redires: hoc enim quod mihi ſcribis reſpondere ſolebas in ſchola, quando nomina, vel pronomina, ſeu verba declinare me jubente inſinuabaris: cum enim te conſcholarius puerulus interrogabat hoc vel illud quæ pars eſt? reſpondere ſolebas ſicut tibi videbatur quæ pars erat; & inferente illo, unde hoc ſcires, dicebas, ſi rite memior; quod mihi multis jam annis tranſactis non venit in memoriam, quia res nota eſt, & per caſus, vel modos, ſeu formas inflectitur. Et tu frater & filius meus ad deriſionem quaſi pituita, ſcilicet flegma coagulatum & vetuſtum ac muccidum mihi in vultum excreas, & non attendis quantum Deum, qua-

(a) Forte, ſic ſanari. H.
(b) Forte, quid. H.
(c) Seſach. Jerem. 25.

Prov. 23. — Prov. 28. — 2. Reg. 4. — Iſai. 58. — Hebr. 11. — Eccl. 12. — Exod. 30. — Prov. 27. — Pſal. 140. — Prov. 27. — Prov. 17.



qualiſcumque ego ſim in contemptu miniſterii ſacri ſine reverentia ulla offendas. Jam ut antiquo proverbio dicitur, bos laſſus fortius figit pedem; quia intelligere in præcedentibus literis noluiſti, vel potius dedignatus fuiſti, aut ſi intellexiſti dicere refugis, mihi non pigrum licet non tibi neceſſarium eſt iterare unde hoc ſcio, quia & res nota eſt, & a longo tempore per humaniter accidentes caſus inflexa, & per formas non dicam veriſimiles, ſed & per veras oſtenditur, videlicet quia ſicut tibi ex ordine ſcripſi, tempore Tilpini, & quando poſt eum per annos circiter novem metropolis Rhemorum vacavit epiſcopo, & tempore Wolfarii, & tempore Ebonis, & quando Folco, & poſt eum Nottho ipſum epiſcopium tenuerunt, ſed & tempore meo. Per tempora epiſcoporum Laudunenſis eccleſiæ Genebaudi videlicet junioris, Berneconis, Gairfredi, Wanilonis, Oſtroldi, & quando epiſcopatus vacavit in Ailemaro, & tempore Simeonis, ac Parduli, ſed & tuo tempore per tempora quando Rodulſus tempore Tilpini habuit villam Follanæbrayum in beneficio, & poſt eum Odelharius, deinde Odalgiſus, deinde Odelharius: deinde quando poſt eum idem beneficium commiſſum fuit Olvero, habuit ipſa eccleſia in Follanæbrayo ſemper preſbyteros, ex quo memorari poteſt, Ferherum ſcilicet, & poſt eum Dodonem, deinde Haimbradum, deinde Ottericum, & poſt eum per quinque annos Bertfeldum; & nunquam fuit eccleſiæ in Codiciaco ſubjecta. Et quando Ottericus presbyter ordinatus a Wanilo[illegible] Laudunenſi epiſcopo in eccleſia in Follanæbrayo [illegible]gebat, fuit presbyter in Codiciaco Nodalbertus per annos circiter xx. & poſt Nodalbertum fuit ibi presbyter Gozmarus per annos circiter xxx. Et poſt Gozmarum, ſicut tibi præſcripſi, miſi iſtum Haimeradum qui in Codiciaco nunc degit Simeoni ad ordinandum, quem in eccleſia, quæ eſt in Codiciaco, ordinavit. Et tempore Simeonis ſemper in Follanæbrayo Ottericus presbyter ſicut in ea ordinatus manſit. Sed & tempore Parduli uſque circa finem ipſius, & tunc Wlfegerus clericus ipſam eccleſiam conſentiente Pardulo tenuit uſque ad obitum Parduli: poſt obitum autem Parduli, & poſt ordinationem tuam Bertfridus presbyter in tua eccleſia ſecus Cadomum, & in eccleſia noſtra in Follanæbrayo per quinque circiter annos officium ſacerdotale exhibuit: utrum tu hoc conſenſeris, ut tuam eccleſiam, juxta quam ibas & redibas quando ad palatium ibas, vel de eo redibas, cum eccleſia in Follanæbrayo tenuerit, tu videris. Abſcedente autem de parochia tua Bertfrido, pro fama de eo vulgata, conceſſi more prædeceſſorum meorum Sigeberto, cui illud beneficium dedi, ut clericum noſtrum [a] Senatum in eadem eccleſia ordinandum tibi offerret; & ſi tu illum probabilem judicares, ego illi libertatem eccleſiaſticam darem. Et ſic demum tu illum regulariter ordinares. Qui clericus per quatuor annos ipſam eccleſiam tenuit, & ſecundum paupertatem ſuam, ſicut ſimul ſæpe vidimus, & adhuc paret, bene in ea laboravit; & quando ſimul equitabamus juxta ipſam eccleſiam in qua idem clericus laborabat, euntes ad regem te audiente ſe reclamaverunt ad me ipſi homines pro ordinatione dilata ejuſdem clerici, quia non habebant presbyterum; & tu me audiente, ſed & multis aliis & meis & tuis audientibus reſpondiſti quod verum non dicerent, quia nullam indigentiam de miniſterio ſacerdotali habebant: & ad tua verba te audiente, ego eiſdem hominibus dixi quod tu habebas diſpoſitum ut nullam indigentiam de miniſterio ſacerdotali haberent, donec ipſe clericus ordinaretur. Et nihil contradixiſti. Et per annum & dimidium ipſo clerico eamdem eccleſiam tenente, Grimmo parochiæ tuæ presbyter ibi cantavit. Et per duos annos & dimidium ibidem Haimericus presbyter officium ſacerdotale exhibuit uſque pridie nonas proxime præcedentis Februarii.

Et quia quæris unde hoc ſcio, ſic mihi quantum ex antiquitate per veraces homines didici, & per os Parduli audivi, & poſt eum per os tuum, ſicut dixi, audivi, & oculis vidi, res mihi nota eſt; & per has veras formas nota mihi oſtenditur. Si autem illa negas quæ per teipſum cum auditu multorum ſcio, minus tibi credere potero, ſi te excuſaveris ex his, [b] qui de te per alios audio: tamen me & te latere non poteſt quod nec tibi, ſicut nec mihi reputari poſſe ex veritate cupio quod ſcriptum eſt; *Os quod mentitur occidit animam*. Et *quod de ore procedit*, ſcilicet veritati contrarium, *hoc coinquinat hominem*. Et Salomon dicit, *Teſtis falſus non erit impunitus*. Duobus inquiunt modis auctores fit falſus teſtis, ſcilicet aut falſa dicendo, aut vera reticendo. Nihil eſt, inquit B. Gregorius, ad defendendum puritate tutius, nil ad dicendum veritate facilius: nam dum fallaciam ſuam tueri quis cogitur, duro cor labore fatigatur. Hinc namque ſcriptum eſt; Labor labiorum ipſorum operiet eos: qui enim nunc implet, tunc operit, quia cujus animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per aſperam retributionem premit. Hinc per Jeremiam dicitur; *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt*; ac ſi aperte dicerent: Qui amici eſſe veritatis ſine labore poterant, [illegible] laborant: cumque vivere ſimpliciter renuunt, [illegible] exigunt ut moriantur: Nam plerumque in culpa deprehenſi dum quales ſint cognoſci refugiunt, ſeſe ſub fallaci velamine abſcondunt: & hoc quod peccant, quod jam aperte cernitur excuſare moliuntur; ita ut ſæpe is qui eorum culpas corripere ſtudet, aſperſæ falſitatis nebulis ſeductus pene amiſiſſe videat, quod de eis jam certum tenebat. Unde recte ſub Judææ ſpecie per prophetam contra peccantem animam, excuſantemque ſe dicitur; *Ibi habuit foveam ericius*: ericii quippe nomine impuræ mentis ſeſeque callide defendentis duplicitas deſignatur: quia videlicet ericius cum adprehenditur, ejus & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conſpicitur: ſed mox cum adprehenſus fuerit ſemetipſum in ſphæram colligit, pedes introrſus ſubtrahit, caput abſcondit, & intra tenentis manus totum ſimul amittitur, quod totum ſimul antea videbatur. Sic nimirum ſic impuræ mentes ſunt cum in ſuis exceſſibus comprehenduntur: caput enim ericii cernitur, quia quo initio ad culpam peccator acceſſerit, videtur. Pedes ericii conſpiciuntur; quia quibus veſtigiis nequitia ſit perpetrata cognoſcitur; & tamen adductus repente excuſationibus impura mens introrſus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis ſuæ veſtigia abſcondit. Caput ſubtrahit, quia miris defenſionibus nec inchoaſſe ſe malum aliquod oſtendit, & quaſi ſphæra in manu tenentis remanet; quia is qui corripit cuncta quæ jam cognoverat ſubito amittens; involutum intra conſcientiam peccatorem tenet. Et qui totum jam deprehendendo viderat, tergiverſatione pravæ defenſionis [c] incluſus totum pariter ignorat. Foveam ergo ericius habet in reprobis, quia malitioſæ mentis duplicitas ſeſe [d] inter ſe colligens abſcondit in tenebris defenſionis. Audiant impuri quod ſcriptum eſt; *Qui ambulat ſimpli-*

(a) al. Sembatum. H.
(b) Forte, quæ. H.
(c) Forte, incluſus. H.
(d) Pro, Infra. H.

Sap. 1. — Math. 15. — Prov. 19. — Jerem. 9. — Iſai. 34. — Rom. 10. & 13.

*ſimpliciter, ambulat confidenter*: fiducia quippe magnæ ſecuritatis eſt ſimplicitas actionis. Audiant quod ſapientis ore dicitur. Sap. 1. *Spiritus ſanctus disciplinæ effugiet fictum*. Audiant quod ſcriptura Prov. 3. rurſum eſſe perhibetur; *Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus*. Deo enim ſermocinari eſt per inluſtrationem ſuæ præſentiæ humanis mentibus arcana revelare. Cum ſimplicibus igitur ſermocinari dicitur; quia de ſupernis myſteriis illorum mentes radio ſuæ viſitationis inluminat, quos nulla umbra duplicitatis obſcurat. Eſt autem ſpeciale duplicium malum; quia dum perverſa & duplici actione ceteros fallunt, quaſi præſtantius ceteris prudentes ſe eſſe gloriantur. Et quia diſtrictione retributionis non conſiderant de damnis ſuis miſeri exultant, & cetera quæ in regula paſtorali B. B Gregorii ex ordine potes relegere, quam tibi una cum libro ſacrorum canonum in manu ante altare S. Mariæ in die ordinationis tuæ miſi, obteſtans quæ ignorare non potes, & oblivisci non debes. Verumtamen hanc negationem tuam, quam ſine ulla neceſſitate aſſumpſiſti ad injuriam meam pertinere non ducam; nec pro crimine reputabo, neq; pro hac ſola negatione tua me a communione tua ſeparabo, ſequens capitulum Africani concilii, quod tu detruncatum, & a ſuo ſenſu expoſitum mihi ſcripſiſti, ultimam ejus particulam ad tuum ſenſum inflectendo, ſcripto tuo mihi directo imponere, quia nec pro crimine ducendum puto; ſi clerico ordinando uſque ad ordinationem C conſenſiſti in eccleſia in qua ordinandus erat laborare, donec ad ordinandum perveniret, & ſi dignus atque idoneus inventus foret ordinaretur, quia nec ſanctus Innocentius, ſicut tibi præſcripſi pro crimine reputavit epiſcopo, *qui* presbyteris quibuſdam conſenſit *in ſua parochia* eccleſias diutius retinere, *qui* communionem illius catenus non poterant promereri, ſed ſtatuit, ut *quibus* eaſdem eccleſias retinere diu in *parochia* ſua conſenſerat, ſuam eis communionem nullatenus denegaret. Integritas autem ipſius capituli Africani concilii, cujus partem ultimam tuo ſcripto inſeruiſti, iſta eſt; *Item placuit ut ſi quando epiſcopus dicit aliquem ſibi ſoli proprium crimen fuiſſe confeſſum, atque ille neget, non putet ad injuriam ſuam epiſcopus pertinere quod illi* D *ſoli non creditur. Et ſi ſcrupulo propriæ conſcientiæ ſe dicit neganti nolle communicare quamdiu excommunicato non communicaverit ſuus epiſcopus, eidem epiſcopo ab aliis non communicetur epiſcopis, ut magis caveat epiſcopus ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non poteſt*. Prov. 16. Hæc documenta quæ tibi & prius, & nunc ſcribo qualiter didici & præcedenti, & hac ſubſequenti lectione potes cognoſcere, ad quæ confirmanda, & ad te convincendum nullos teſtes producam, quia non debeo, nec de hac re ſecretam confeſſionem tuam, quam non accepi promere volo, cum ſcriptura dicat ei, *qui revelat arcana, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia* E *ſua, ne commiſcearis*. Quod ita exponunt doctores catholici. Ne commiſcearis ejus amicitiis qui prioris amici ſecreta denudat, ſed hunc velut perfidum cave. Oſtendere autem & monere te debeo, ut ſecundum leges & regulas inde quod juſtum eſt exequaris. De eo vero quod negas per multas ambages non veriſimiles, quibus mihi & longum & inutile reſpondere videtur, te non conſenſiſſe, ut ipſe clericus eandem teneret eccleſiam, ſi in contumacia & negatione tua perſeverare decreveris, habeas illum conſcientiæ & negationis tuæ judicem, quem habebis & teſtem. Et quoniam mihi ſcripſiſti quod inde cauſam quam

A neſcis inveſtigare & mihi remandare debeas, timeo pro te ne ſicut jam feciſti, ut victor in contentione videreris, quando contra ſacram auctoritatem cuidam decreto pernicioſo, ut dicitur, ſubſcripſiſti, & clericos ac presbyteros parochiæ tuæ ſubſcribere feciſti, te de cauſa hujus eccleſiæ in aliquo naufrages, & alios tecum inregulariter colligans ut evincas, in naufragium ducas. Unde obteſtor & moneo te per ſanctam & inſeparabilem unius divinitatis Trinitatem, & per Chriſtum Jeſum redemptorem noſtrum, & per gratiam Spiritus ſancti, qui maxime in ordinationibus operatur, quem per impoſitionem manuum mearum accepiſti; & per gloriam ſanctæ Dei genitricis, & ſemper virginis Mariæ, ac per electos Dei an-B gelos, & per beati Remigii merita, & metropolitanam auctoritatem eidem prædeceſſori meo, & in ejus ſucceſſione divinitus mihi conlatam, ut contra leges quas catholica & apoſtolica eccleſia ex antiquo ſervandas ſuſcepit, contraque ſacros ſanctorum conciliorum canones & decreta ſedis Romanæ pontificum de ſacris ordinibus, & canonum promulgata diſciplinis de cauſa eccleſiæ ipſius non facias, ſed ſine ullo præjudicio, quantum Deus tibi ſcire & poſſe dederit, quod juſte & rationabiliter videris exequaris, & non negligas vel parvipendas rogo hanc obteſtationem juſtitia & ratione atque auctoritate plenam, quia ſi potui propter miniſterium mihi conlatum exorare Deum per humilitatem ut tu per impoſitio- C nem manuum mearum fieres ordinatus epiſcopus, poſſum & debeo eodem miniſterio te obteſtari per auctoritatem ut facias quod facere debet epiſcopus, ſicut & Paulus obteſtatus eſt Timotheum 1. Tim. 5. a ſe ordinatum epiſcopum, *ut non declinans in aliam partem, ſine præjudicio ſervaret mandatum*. Et ſcias certiſſime quoniam ſi ſecus egeris, Deo annuente, & vita comite opportuno tempore hoc non ſine regulari diſcuſſione dimittam, non mei, quod abſit, cauſa, ſed ſacrarum regularum contemptu. De eo quod in eodem tuo inſulſo Psal. 140. ſcripto appoſuiſti; Item canon dicit; *Qui unum crimen probare non poterit ad alia admitti non debet*, tibi reſcribo, neſcis quid dicis; plenus indignatione & contumacia non potes oculis mentis D videre quod verbis debeas promere, vel quod debeas reticere; ſi ſequereris beatum David, dominum deprecareris ut *poneret cuſtodiam ori tuo, & oſtium circumſtantiæ labiis tuis*. Canon dicit; Quotienſcumque clericis multa crimina ab accuſatoribus objiciuntur, & unum ex ipſis de quo prius egerit probare non valuerit, ad cætera jam non admittatur; dic quis eſt ille accuſator; dic apud quem te accuſator accuſat; dic in quo regulari judicio te accuſat; dic de quibus criminibus te accuſator accuſat; dic de quo crimine accuſator egit, quod probare non valuit, ut ad cetera jam non admittatur: quotieſcumque enim te metropolitana auctoritate monuero, cui per E ſacros canones commiſſa eſt ſollicitudo totius provinciæ de his pro quibus ad me de tua parochia qui negotia videntur habere concurrunt, ſemper accuſator tuus exiſtam? & cum longius a te ſeparatus corpore fuero, & verbis vel literis te monuero, pro accuſatore tuo de criminibus in judicio regulari tenebor? Regulæ namque dicunt apud quem & qualiter accuſandus epiſcopus debeat accuſari, & ubi, & qualiter, vel a quibus debeat judicari; & quotiens tibi oſtendero per ſanctarum ſcripturarum tramitem, & ſacrarum regularum auctoritatem in quibus excedis, ſemper te a me inregulariter, ſcilicet abſque regulari videlicet ſynodali judicio, judica-tum



tum cauſaberis: Dominus enim dicit in euangelio; Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non occides, qui autem occiderit reus erit judicio: ego autem dico vobis quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit judicio*, &c. Et ſacri canones ſæpenumero dicunt; Si quis præter hæc fecerit, quaſi contra magnum concilium ſe efferens, ipſe de clericatus honore periclitabitur. Et decreta ſanctæ ſedis Romanæ pontificum hoc ſenſu dicunt; Si quis fratrum contra hæc conſtituta venire tentaverit, & prohibita fuerit auſus admittere, a ſuo ſe noverit officio ſubmovendum. Et ut tibi oſtendatur in quibus contra hæc agis, ſuſtinere non potes, ſed ſemper te irregulariter judicatum quereris, & laboras quærendo nodum in ſcirpo, B & unde tuam ſapientiam jactitas, inde magis ſtul- 1. Cor. 3. titiam monſtras, cum dicat apoſtolus; *Si quis vult inter vos ſapiens fieri, ſtultus fiat ut ſit ſapiens*. Prov. 14. Et Salomon dicit; *Qui impatiens eſt exaltat ſtultitiam ſuam, & qui increpationes odit morietur*, &, Prov. 15. *Non amat peſtilens eum qui ſe corripit, nec cum* Prov. 13. *ſapientibus graditur*, &, *Filius ſapiens doctrina patris; qui autem inluſor eſt, non audit cum arguitur*; Prov. 15. &, *Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientum commorabitur. Qui abjecit diſciplinam, deſpicit animam ſuam; qui autem adquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis*; Prov. 30. &, *Qui meditatur diſcordias, diligit rixas, & qui provocat* Prov. 17. *iras, producit diſcordias*; &; *Qui exaltat os ſuum, quærit ruinam*; &; *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde ejus*; Prov. 18. &, *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit ſtultus*; &, *Expedit magis urſæ* Prov. 26. Prov. 17. *occurrere raptis fœtibus, quam fatuo ſibi confidenti in ſtultitia ſua*; &, *Stultus irridet diſciplinam pa-* Prov. 15. *tris ſui; qui autem cuſtodit increpationes aſtutior fiet*. Deinde poſt plurimum, non ſolum inuti- (a) Tio, ad hoc. II. lia, ſed & fatua adhuc perveniſti ut diceres; quia capitulum quod contra te ſcripſi de primo libro capitulorum ſynodalium pro te faceret, ut ſine auctoritate, vel conſenſu epiſcoporum presbyteri in quibuslibet eccleſiis non conſtituantur, nec expellantur. Et quod conjunctim in eodem habetur capitulo, & tibi ſcripſi, propter quod & præcedentia, ut integrum illud monſtrarent D capitulum memorari noluiſti; ſcilicet ſi laici clericos probabilis vitæ & doctrinæ epiſcopis conſecrandos, ſuiſque in eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet ratione eos rejiciant. Dic qui ſine auctoritate, vel tuo conſenſu in Follanæbrayo conſtituit? Ego, ut prædixi, Sigeberto clericum noſtrum conceſſi, ut tibi illum ad ordinandum offerret, & ſi illum ordinare velles, ego illi libertatem eccleſiaſticam facerem. Quomodo ergo ſine tua auctoritate Sigebertus ibi presbyterum conſtituit? & ubi eſt ille presbyter? & Deo gratias quia ſicut in ſubſequenti capitulo regio tuo ſcripto inſerto dixiſti, non adhuc habes illam poteſtatem de Sigeberto, ut bannum regium illum revvadiare cogas, ut per fidejuſſores ad pa- E latium regium venire facias; quia nec tuus eſt parochianus, nec de tuo miſſatico divino, vel humano, nec in ipſa eccleſia presbyterum contra auctoritatem epiſcopalem conſtituit; ſed forte Prov. 16. impletur in te quod ſcriptum eſt; *abominatio domini eſt omnis arrogans, etiamſi manu ad manum fuerit non erit innocens*, quia ſi ceſſat a perverſitate quam explere non poteſt in operatione, non vacat a malitioſa voluntate quam deſiderat ſi poſſet explere in opere. Deinde ad me redis rodendum, dicens: *Perquiro cur a tanto tempore de ſua, quin mei clerici irregulari ordinatione non requiſiſtis*. Hus, reſpondeo tibi, certe quia antea

A illum a te ordinatum non audivi, niſi poſtquam ipſi homines de præfata villa ſe ad me reclamaverunt: nec in voluntate umquam habui ut de inlicita ordinatione a te facta te umquam vel uſquam impeterem. Denique dicis; *prius erat modus ordinationis cognoſcendus; & ſic aut ordinator aut ordinatus jure judicandus, aut utrique canonico percellendi cauterio*. Dic frater, Quis te judicavit? & in quo regulari judicio inde es judicatus, vel compellatus: ſed non mirum eſt quod agis, facis enim ut ſoles quod diligis. Dicit ſcriptura; *Ephraim vitula docta diligere trituram*. Et Osee 10. item; *Ephraim panis ſubcinericius qui numquam* Osee 7. *reverſatur*. Deinde dicis: *Ergo capitulum quod ex Auguſtorum noſtrorum libro quaſi contra me* B *quod agis pro me detruncatum poſuiſti, integrum reſumite*, non eſt verum; Detruncatum illud capitulum regium tibi non miſi: non enim ille clericus meus, aut tuus, vel alicujus eſt liberi hominis ſervus; & ideo quod capitulum illud de ſervis quorumlibet dicit, non poſui, quia ad iſtum clericum non pertinebat. Quia vero mihi & non tibi commiſſæ eccleſiæ ſervus eſt, quod de eccleſiaſticis ſervis illud capitulum dicit, hoc tibi ſcripſi, quia & hoc ad cauſam iſtius clerici pertinere cognovi. Et poſt iſta perſequeris; *Hujus autem capituli tenore perſpecto, reſponſum de ordinatione clerici veſtri meum, ſi a me facta eſt tempore & loco cum congruo tunc canonico expectate, & interea de mea inregulari ordinatione judicare de-* C *ſiſtite; quoniam accuſator ſimul & judex non eritis. Et poſt capitulum canonum de ſcientia hujus clerici conditionis, & de transgreſſione per ordinationem admiſſam patet quid decerneretur, quæ prius ſi placet, approbanda eſt, & aut confeſſo, aut convicto inculcandum erat judicium. Quodjam licet de me non convicto, nec confeſſo abſque ulla ſynodo, ſine ulla hujuſmodi interrogatione aut requiſitione, aut præſenti interpellatione officium accuſatoris ſimul & judicis, tam de abſente, quam abſenti ſcripto vobis judicantes exercueritis, ita pronunciando. Quia vero ipſum clericum contra regulas ordinaſti, ſacræ regulæ demonſtrant dicentes*. Et tunc ponis capitulum beati Leonis quod tibi ſcripſi; in cujus fine ſolito more tuam oſtentas ſcientiam, de qua D oſtentata ſcientia tua, quia non eſt utilis vel neceſſaria loqui nil curo; quia ſicut de chamæleonte legimus, qui quemcumque colorem viderit, in eum convertitur, ita tu ſaliendo ſemper tuis ipſis dictis contraria vadis. Quandoquidem vero quia accuſator ſimul & judex eſſe non poſſum, quandoquidem quia te abſentem judico, interdum ut perſonam accuſatoris induam, & tunc te accuſem. Aliquando quod ſine ſynodo te judico, & aliquando quod ſine ſynodo te judicare non poſſum; & quia nec intelligis nec intellexiſti admittendos ad ordines ſacros ſervituti obnoxios. Et multis modis hac illac vadis fluctuando ſicut arundo a vento agitata, videlicet animo E fluctuante, quia nullius gravitatis pondere es ſtabilitus. Dicis etiam me exponere capitulum Leonis ſicut volo, ſed non ſicut tu, hoc promis, ſed ſicut ſe res habet verum dicis: ſic enim illum expono ut volo, quia ſic illum expono ut debeo, quia ſic illum intelligo ſicut illi eum intellexerunt, qui in capitulis ſynodalibus de eccleſiarum ſervis, ut tibi ſcripſi, & mihi reſcripſiſti decreverunt; & ſicut in ipſa manumiſſione ſervi eccleſiaſtici demonſtratur; non enim ſacri canones manumiſſionem fieri in eccleſia de natura liberis ab imperatoribus petierunt, nec quilibet natura liberi per manumiſſionem fiunt cives Romani, ſed ſervi vel eccleſiaſtici, vel regii, vel quorum-libet

libet liberorum hominum. Et ideo ſanctus Leo in capitulo ſui decreti ex canonibus promulgato conſtituit, ut alicui conditioni obligatus non ordinetur, niſi forte eorum petitio aut voluntas acceſſerit, qui aliquid ſibi in eos vindicant poteſtatis. Quamdiu enim fuero Rhemorum epiſcopus, in ſervis hujus eccleſiæ mihi poteſtatem debitam vindicabo, & ſine libertate eccleſiaſtica per me ſibi data quiſquam eorum ordinari non debet. Unde breviter tibi dico quod dominus ad Judæos dixit: *Non ego accuſo vos, ſed Moyſes in quem ſperatis ipſe vos accuſat*, ſcilicet lex contra quam agitis. Et item dominus dicit: *Ego non judico quemquam, eſt qui quærat & judicet*. Videlicet quia ſi ordinaſti contra decreta Leonis ipſum clericum, non ego peccator in terra, ſed ille ſanctus de cælo te inde per ſuum decretum judicat; & ſi confiteri vis a te illum inregulariter ordinatum, ſicut nec de aliis, ita nec de iſto tuam quæro, vel deſidero damnationem, vel quemcumque ante oculos humanos roborem. Si autem negas illum te ordinaſſe, ſicut jam præmiſi, habeas illum conſcientiæ, ac negationis tuæ judicem, quem habebis & teſtem. Ceterum ſacri canones dicunt ut epiſcopus ſine [a] concilio clericorum ſuorum clericos non ordinet, ita ut civium conhibentiam, & teſtimonium quærat: & ſecundum ſacros canones & decreta ſedis Romanæ pontificum mea intereſt, ut ſi ratio poſtulaverit, me compellente ad dolectorum de ordinatione ipſius clerici quam denegas, accedas judicium, & quicquid veritate cognita, mediantibus ſacroſanctis euangeliis per eos tam clericos quam cives, quorum conſenſu, & in quorum præſentia ordinationes juberis ... inventum fuerit, hoc ſtatuatur. Sed ſi æquiſſimum judicem Deum, cui de omnibus factis, & judiciis noſtris ſumus reddituri rationem timueris, hoc agere, nulla erit neceſſitas. Neque ego hanc, vel aliam quamcumque cauſam volo exaggerare, quia de quibuſcumque ſcandalum ſine peccato propriæ conſcientiæ vitare potero, nemini ſcandalum inferre volo. Si autem ipſe clericus, quod non opto, nec quæro, ſe in comprovinciali ſynodo reclamaverit, aut de ordinatione a te in eum exhibita, aut de quocumque præjudicio, quia ſacri canones dicunt, præmiſſa ſententia de presbyteris & diaconibus, ut reliquorum clericorum cauſas etiam ſolus epiſcopus loci agnoſcat & finiat. Et ſi presbyteri, diaconi, vel ceteri inferioris gradus clerici in cauſis quas habuerint, de judiciis epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini epiſcopi eos, cum conſenſu ſui epiſcopi audiant, & inter eos diffiniant adhibiti ab eis epiſcopi. Quod etſi ab eis provocandum putaverint ad primates ſuarum provinciarum, ſicut & de epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt provocent: & omnes qui ſe læſos exiſtimant adſint conciliis, & ſynodi experiantur examen; & plura quæ hinc canones dicunt, & mihi longum eſt ſcribere. Quicquid confratrum & coepiſcoporum noſtrorum conſenſu atque judicio invenerimus ſalva pace, & caritate inde ſecundum ſacram auctoritatem exequi procurabimus. De eo quod dicis, cum per ſingula de ceteris omnibus; tunc de receptione Gallicanorum canonum pleniter reſpondebis, tibi reſcribo; quia dominus qui in ſe credentibus promiſit; *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*; &, *Ego dabo vobis ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri*, & etiam brutos aſinæ ruditus in humanas formavit loquelas, & ſiccam rupem fundere juſſit aquas: & mihi dare poterit quæ tibi reſpondeam.

Joan. 5.

Joan. 8.

(a) Melius, conſilio. H.

Pſal. 80.

Luc. 21.

Plurimis vero a te præmiſſis, & a me ut inutilibus prætermiſſis, in quibus quandoquidem eſt negatio, quandoquidem quod negaveras demonſtratio continetur, adhoc perveniſti ut diceres me obligare volens de ſententiis apoſtolicæ ſedis tibi a me literis præcedentibus ſcriptis. *Ecce in mala ſuaſione delictum, & in mala conſenſione peccatum depromitur; & ſicut vos ſententiis quod mihi male ſuaſum eſt, & a me male eſt ſenſum pariter vos conſentire dignemini, dicentes quæ jam præmiſi, ut ſcribam vobis ſi eum ordinare volo ſecundum morem, & vos illi libertatem eccleſiaſticam dabatis, quem taliter ad gradus eccleſiaſticos perveniſſe divulgatis.* Unde tibi quod Salomon dicit ſcribo; *Qui erudit deriſorem, ipſe ſibi facit injuriam*. Non bene intelligis, quia non bene vis quod tibi bene & recte ſcripſi, ſcilicet ut ſi cujuſcumque ſuaſione, vel quacumque ſubreptione in hoc exceſſiſti & alias ipſum clericum utilem in eccleſiaſtico miniſterio comprobaveris, quod defuit & tibi, & illi in ordinatione ſua, & ad me pertinebat, ego ſupplerem. Lege decreta ſedis Romanæ pontificum a beato Siricio, & deinceps, & invenies quomodo plures inregulariter ordinati per medicinam eccleſiaſticam fuere ſanati, ſupplente auctoritate in proceſſu quod defuerat in ordinationis initio. Cogunt, inquit B. Auguſtinus, multos invenire medicinas multorum experimenta morborum. Deinde volens oſtendere quod tui odio, & Sigiberti gratia, hæc de præfato clerico ſcripſerim, nugas tibi noxias, & nænias bene volenti & ſcienti non ridendas, ſed dolendas componis. Cum Sigeberto quantum ex ipſo & pro ipſo eſt cura non eſt ut numquam in illa eccleſia ſit presbyter ordinatus; quia nullam inde neceſſitatem habet: & ſi fuerit ibi presbyter ordinatus, nullum lucrum inde terrenum habebit. Et ſi in ipſa eccleſia presbyter non fuerit ordinatus, nullum detrimentum vel incommodum ſpirituale, aut temporale inde habebit: ſed & mihi nulla alia inde eſt cura, niſi ut leges eccleſiaſticæ pro tua inſolentia inde ſuum vigorem non perdant; & homines exinde commoditatem, quam ipſi & ſui anteceſſores a longo tempore habuerunt, amittant, & tu in hoc Deum offendas. Deinde minas præfato intentas clerico, cui ſi præjudicium intuleris, eſt juſtus judex qui inter te & illum judicabit: & ſi ad ſynodum venerit, quod noſtrum erit, ut prædixi, exequi procurabimus. Quod autem de miſſis meis ad ſynodum tuam mittendis ſubjungis, non miſſorum meorum ad ſynodum tuam deſcribis officium. Ego enim per me, vel per vicarios meos debeo retractare ſecundum ſacros canones acta tuæ ſynodi, ſi ſecus inde ad me quoddam pervenerit, & non ideo ad tuam ſynodum meos miſſos dirigere ut ſervum eccleſiæ noſtræ in nulla rebellione ſtantem ſervitori obnoxium comprobent. Licet enim ſatis inſipiens, ſcio qualiter, & ubi ſervus eccleſiaſticus rebellans debet conquiri, & alibi oportet me de profeſſione ſuæ ſervitutis requirere quam in tua provincialis epiſcopi ſynodo. Tandem quod ſcripſiſti, ut, o utinam tibi ſervarem epiſcopo carcerali ſicut ſcio cuſtodiæ tradito; ne inferrem tibi & parochiæ tuæ, contra apoſtolicorum omnium decreta, etiam ab apoſtolica ſede vocato, & eam appellanti, præjudicium, & non exigerem a te reſponſum uſque ad ſynodalem ſaltim conventum; & de ſententiis apoſtolicæ ſedis pontificum in eodem tuo ſcripto congeſtis, alterius temporis, & prolixiorem quam hæc ſuſtinet epiſtola poſcit reſponſionem. In clauſula vero iſtius epiſtolæ verba beati Gregorii ad quemdam ſubjectum epiſcopum directa ponere dignum duxi; quia in tuis ſcriptis ad me directis contraria his ſuis monitionibus ſæpe inveni, ut de cetero monitus per meam exiguitatem a B. Gregorio talia in tuis ſcriptis ad me, vel ad alios ſcientiam & auctoritatem habentes dirigendis ponere caveas. Primum, inquit, hoc me contriſtat, quia mihi fraternitas tua duplici corde ſcribit, & alia blandimenta in epiſtolis ſuis exhibet, alia in lingua ſua ſæculariter oſtentat. Deinde grave mihi eſt, quod irriſiones illas, quas habere notarii adhuc pueri ſolent, uſque hodie frater meus in lingua ſua retinet, mordenter loquitur, & quaſi de tali ſtudio lætatur, amicis præſentibus blanditur, de abſentibus obloquitur. Et vitium deſcribens ſuperbiæ dicit; Quiſquis, inquiens, ejus in ſe tyrannidem captiva mente ſuſceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauſo cordis oculo judicii æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab aliis vel bene geruntur diſplicent, & ſola ei quæ ipſe vel prave egerit, placent, ſemper aliena opera deſpicit, ſemper miratur quod facit; quia & quidquid egerit, egiſſe ſe ſingulariter credit, atque in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, ſibimet ipſi per cogitationem favet; nec conſiderat quod alter boni amplius quam ipſe, ſed quod boni ipſe amplius quam alter habeat: neque enim penſat, quæ bona ſpiritus alter acceperit, [a] ut ipſi deſint, ſed quæ bona ipſi, & quæ mala ſint alteri. Et cum ſe in cunctis tranſcendere ceteros æſtimat, per lata cogitationum ſpatia ſecum deambulans, laudes ſuas tacitus clamat; nonnunquam vero ad tantum elationem mens ducitur, ut in eo quod tumet, etiam per oſtentationem locutionis effrenetur: & tanto facilius ruina ſequitur, quanto apud ſe quiſque impudentius exaltatur: hinc enim ſcriptum eſt; *Ante ruinam exaltabitur cor*. Et ſanctus Gregorius Nazianzenus Juliani morem, quem in tuis literis invenio deſcribens dicit; Conſenſus & negatio ſimul, ratio nulla ratione ſubſiſtens; interrogatio inordinata, atque reſponſio nulla convenientia ſibi conveniens erat. Poſt hæc autem omnia & me, & te in mente continue habere moneo quod dominus dicit; *Super quem requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum & trementem ſermones meos*, quia ſicut ſcriptum eſt. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe a cogitationibus ſine intellectu, & non habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Et; *Juxta eſt dominus his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit; vultus autem domini ſuper facientes* perſeveranter *mala, ut perdat de terra memoriam eorum*. Data v. Idus Maii præſentis 3. indictionis.

Prov. 9.



(a) Forte, aut. H.

Prov. 18.

Iſai. 66.

Sap. 1.

OBSERVATIO PHILIPPI LABBE, S. J.

*Hoc loco ſubjungitur in MS. codice opuſculum LV. capitulorum adverſus eumdem Hincmarum Laudunenſem, quod in R. P. Jacobi Sirmondi editione habetur tomo II. pag. 377. & ſequentibus: eo finito ſequitur in eodem codice 1486. MS. Palatino bibliothecæ Vaticanæ, ut in paginis ſequentibus.*

## NARRATIO

### EORUM QUÆ POST DATA LV. CAPIT.

PERACTA SUNT AB UTROQUE HINCMARO.

HÆc LV. capitula proxime præcedentia cum præfatione ſua, & metricis titulationibus Hincmarus Rhemorum archiepiſcopus Hincmaro Laudunenſi epiſcopo coram epiſcopis decem provinciarum in Attiniaco villa regia Rhemenſis parochiæ dicens illi; *Frater Hincmare, quando proxime apud Gundulfi villam in obſequio domini noſtri regis cum plurimis archiepiſcopis & epiſcopis ceteriſque ipſius fidelibus fuimus, tu mihi mandaſti per bonæ memoriæ dominum Vvanilonem archiepiſcopum quæ tibi placuerunt, ſicut domnus Adventius epiſcopus audivit, & ad plurimorum perduxiſti notitiam, & miſiſti mihi per eumdem venerabilem archiepiſcopum quaterniones quos habeo, continentes quaſdam compilationes de epiſtolis pontificum apoſtolicæ ſedis. Unde ter tibi breviter pro tempore, & verbis, & ſcriptis reſpondi, latius reſponſurus. De quibus etiam in his quaternionibus tibi reſpondeo. Sed & de quibuſdam aliter quam epiſcopali gravitati conveniret a te actis, paterna te dilectione corripio, & ut talia de cetero caveas moneo. De aliis quoque quæ ex tua perſona ad me pervenerunt tuam fraternitatem commoneo, ut ſi vera ſunt, illa corrigere ſtudeas, & ſi vera non ſunt, ſollicite caveas.* Iſdem autem Hincmarus Laudunenſis epiſcopus reſpondit quod & ipſe haberet ſcripta quæ Hincmaro Rhemenſi epiſcopo in ſynodo vellet porrigere, ſicut & fecit de quadam eccleſia cujuſdam villæ ex poteſtate ſanctæ Mariæ, & ſancti Remigii Rhemenſis eccleſiæ in Laudunenſi parochia ſita. De qua duas epiſtolas ad eum Hincmarus Rhemorum epiſcopus miſerat, quæ ſunt præpoſitæ commemoratis LV. capitulis. Sed & quaterniunculos compilationes de præfatis apoſtolicæ ſedis pontificum epiſtolis continentes, quibus ipſe ſubſcripſerat & ſubſcribi a clericis Laudunenſis eccleſiæ & parochianis preſbyteris fecerat adverſus illa ſcripta, quæ Hincmarus Rhemorum epiſcopus eidem Hincmaro Laudunenſi epiſcopo, & parochiæ Laudunenſi direxit, pro diſſolvenda contra ſacras regulas ab eo excommunicatione, cauſa injuriarum ſuarum exitiabiliter intentata, ſæpe fatus Laudunenſis epiſcopus porrexit in ſynodo. Quæ utraque ſcripta in ſynodo ab Hincmaro Laudunenſi epiſcopo data, ſicut veritate & auctoritate; ita nihilominus juſtitia, & ratione carent. Quapropter Hincmarus Rhemorum epiſcopus venerandis archiepiſcopis & epiſcopis, ac honorandis fratribus in conventu hoc ſacro reſidentibus. [b]

(b) Deeſt, dixit. H.

*Quia rheumatiſmo validiſſime impeditus, ſicut ipſa mea vexatio veſtro dat intellectum auditui, ea quæ mihi ſunt in animo loqui, ut volo in aures veſtras non valeo, hanc recitandam vobis ſchedulam porrigo, non accuſando fratrem, & coepiſcopum noſtrum Hincmarum; ſed conſilium a vobis quærendo, qualiter ſi inventus fuerit caſtigandus a veſtræ unanimitatis fraternitate ita corripiatur, ut quod per me, ſicut optaveram, apud illum obtinere non valeam, per ſanctitatem, ac ſapientiam veſtram dominus, qui [c] unanimes facit habitare in domo, & mihi & illi concedat, quatenus inter nos, & in nobis illæſa caritas maneat.*

Pſal. 67. [c] unius moris.

Tranſacto jam anno in præſentia clericorum, & comminiſtrorum metropolis Rhemenſis eccleſiæ datis mihi petitionibus, quas præ manibus habeo, reclamatio ad me venit ex parte domini noſtri regis Karoli ac clericorum Laudunenſis eccleſiæ, quia iſdem frater & coepiſcopus noſter Hincmarus cauſa injuriarum ſuarum omnes preſbyteros eccleſiæ, ac ſibi commiſſæ parochiæ ſermone conteſtatorio excommunicaverit, ut nemo in ea ſacerdotale officium ageret, non parvuli qui ſæpe diſcrimine mortis periclitantur, baptizarentur, nulli obeunti pœnitentia, vel reconciliatio, ſeu viatici muneris gratia tribueretur, nulli mortuo ſepulturæ humanitas, vel obſequium

ſequium largiretur. Quæ audiens exhorrui fateor tantæ impietatis immanitatem, & contra euangelicam veritatem, contraque apoſtolicam, & ſacrorum canonum ac regularum eccleſiaſticarum conſtitutionem, novam & antea inauditam præſumptionem. Pro loci ergo mei officio, quantum ex me fuit, anticipare ſatagens, ne quacumque dilatione, hujus præſumptionis occaſione, imminens animarum periculum in eadem parochia proveniret, accito notario, euangelicas & apoſtolicas ſententias, ſacrorumque canonum, & apoſtolicæ ſedis ex his cauſis definitiones in unum collectas præfato fratri noſtro, & domno regi, ac clericis Laudunenſis eccleſiæ per comminiſtros noſtros dirigere maturavi. Prædicto ſcililicet fratri noſtro, ut inſpectis eiſdem ſacratiſſimis diffinitionibus obedientiam dependens, ſancto Spiritui, quo prolatæ ſunt, quod male ligaverat, diſſolvere quantocius procuraret, jubente Domino: *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt, liberos, & omne onus diſrumpe.* Domno autem regi, qui in eadem parochia morabatur, & clericis Laudunenſis eccleſiæ, ut ſive iſdem frater noſter Divinis eloquiis ac diffinitionibus obediret, ſive obedire juxta quod ejus mores mihi experti erant, magis credebam reſultare, * diligeret: ipſi præcepto Dei, & ſacrorum canonum, atque apoſtolicæ ſedis auctoritate, ſuum ac animarum ingruens periculum in eadem parochia, abſque ulla retractatione vel hæſitatione, amovere ſtuderent. Sed iſdem frater noſter, ut mente perceperam, in contumacia ſua perſiſtens, obedire ſacris diffinitionibus ſibi directis, modis omnibus recuſavit: & ideo in pertinacia ſua ex tunc & uſque nunc manſit: ut quinquies jam inde a me verbis & litteris conventus atque commonitus, non ſolum perpere admiſſa non correxerit, verum nec ullam ſatisfactionem inde privilegio metropolitano exhibuit. Quapropter peto, ut hæc quæ illi ſcriptis direxi, coram vobis recitari faciatis; & ſi ſecundum tramitem ſanctarum ſcripturarum, traditionemque majorum, hæc nobis tenenda & ſequenda ſunt, dicite, & illum ad his nobiſcum obediendum provocate: & ſi ego humaniter a fide, quod abſit, catholica, & Scripturarum auctoritate, atque ſacrorum canonum, & apoſtolicæ ſedis diffinitionibus, quæ eodem ſpiritu quo & ſacræ ſcripturæ ſunt conditæ (Unde & ſanctus papa Hilarus dicit, *quia non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in ipſius Domini injuriam proſilitur*) in aliquo exorbitavi: humiliter obſecro, mihi oſtendite; & libentiſſime Divinis ſcripturis, & ſacris diffinitionibus parere, & de cætero, quæ tenenda & ſequenda ſecundum normam atque doctrinam catholicæ atq; apoſtolicæ eccleſiæ oſtenderitis, tenere & ſequi curabo.

Iſai. 58.

* Ter. negligenter.

Ad cujus petitionem in ſynodo coram eodem Hincmaro Laudunenſi epiſcopo relecta ſunt ſcripta, quæ Hincmarus Remenſis epiſcopus pro diſſolvenda præfata irregulari excommunicatione Hincmaro Laudunenſi epiſcopo, & præfatæ parochiæ ſcripſerat: & ab omnibus epiſcopis conclamatum eſt, illa ex euangelica veritate, & apoſtolica atque canonica auctoritate, ſecundum ſanctarum ſcripturarum tramitem, traditionemque apoſtolicæ ſedis, atque catholicorum majorum noſtrorum prolata, tenenda atque ſequenda; & quiſquis ab eis contumaciter atque pertinaciter deviare præſumeret, ab unanimitate catholicæ eccleſiæ ſe abſque ulla dubitatione ipſe præcideret; & ob id inter ſchiſmaticos computari deberet: quia ut ſanctus Hilarus papa in decretis ſuis dicit, *Non minus in ſacrarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in ipſius Domini injuriam proſilitur*. In quam ſententiam Hincmarus epiſcopus Laudunenſis offendit, qui ſacris regulis, ſicut in privatis capitulis invenitur, obviare præſumpſit.

Quibus vigilantiori ſenſu conſideratis, præfatus Laudunenſis epiſcopus, quorundam epiſcoporum familiarium ſuorum conſilio uſus; quoniam & a domino rege contra apoſtolicum decretum, (quo præcipitur: *Subjecti eſtote omni creaturæ propter Dominum, ſive regi, quaſi præcellenti*) egiſſe impetebatur; & a metropolitano ſuo de injuria inobedientiæ contra metropolitanum privilegium arguebatur: nullo cogente libellum profeſſionis domno regi, & Hincmaro metropolitano ſuo, in ſynodo de inobedientia ſua porrigere ac ſubſcribere deliberavit, oſtendentibus ſibi quibuſdam epiſcopis eccleſiaſticam & apoſtolicæ ſedis traditionem. Unde ſanctus Hilarius in epiſtola de ſynodis, quam de exilio ad Gallicanos miſit epiſcopos: „Ubi, inquiens, ſenſus conſcientiæ periclitatur, illic littera poſtulatur: nec ſane ſubſcribi impedit, quod ſalutare eſt confiteri. Et ſicut ſanctus Leo in decretis ſuis ad Anaſtaſium de Attico loquens, a contrario monſtrat: „Neceſſe eſt ut obligetur ſcripto, qui obedientiam ſuam ipſo jam voluntario non probat officio. Et in epiſtola ad Theodoſium Auguſtum: „Sinceram communis fidei profeſſionem, abſolutiſſima ſubſcriptione, coram omni clero & univerſa plebe; declaret, apoſtolicæ ſedi, & univerſis Domini ſacerdotibus, atque eccleſiis publicandam. Et in epiſtola ad Pulcheriam Auguſtam: „Quoſdam, inquit, epiſcopos, de his qui rebus impiis videntur præbuiſſe conſenſum, & reconciliationem poſcere, & catholicorum communionem deſiderare: tam noſtrorum, quam fratris & coepiſcopi mei Anatolii, cui teſtimonium ferre dignamini, revelatione cognovimus. Quorum deſideriis ſic præbemus effectum, ut correctis, & quæ male ſunt facta, propria ſubſcriptione damnantibus, participata noſtrorum quos miſimus cura cum ſupradicto epiſcopo, pacis gratia tribuatur: quia devotionis utrumque eſt Chriſtianæ, ut & pertinaces veritas juſta coerceat, & converſos caritas non repellat. Et item ad Pulcheriam Auguſtam: „Siquidem pene omnes qui in conſenſum præſidentium in illo Epheſino non judicio, ſed latrocinio, aut traducti fuerant, aut coacti, reſcindendo, quod ſtatuerant, & condemnando quod ſubſcripſerant, perpetuam culpæ abolitionem, & apoſtolicæ pacis gratiam ſint adepti. Et in epiſtola ad Septimum epiſcopum: „Saluberrimum eſt, inquit, & ſpiritualis diſciplinæ utilitate pleniſſimum, ut ſive presbyteri, ſive diaconi, vel cujuſlibet ordinis clerici, qui ſe correctos videri volunt, errorem ſuum, & ipſos erroris autores, damnari a ſe ſine ambiguitate fateantur: ut ſenſibus pravis & dudum peremptis nulla ſperandi ſuperſit occaſio, nec ullum membrum eccleſiæ, talium poſſit ſocietate violari, cum per omnia illis profeſſio propria cœperit obviare. Et in profeſſione redeuntium ad unanimitatem catholicæ eccleſiæ ex regeſto beati Gregorii inter cetera ſcriptum habetur: „Poſtquam ego civitatis illius ille epiſcopus, comperto diviſionis laqueo quo tenebatur, diutina mecum deliberatione pertractans, prona & ſpontanea voluntate ad unitatem ſedis apoſtolicæ, Divina gratia duce, reverſus ſum: ne non pura mente, ſed ſimulate reverſus exiſtimer: Spondeo ſub ordinis mei caſu, & anathe-

1. Pet. 2.



„ anathematis obligatione, atque promitto tibi, & per te ſancto Petro apoſtolorum principi, atq; ejus vicario beatiſſimo Gregorio, vel ſucceſſoribus ſuis, me nunquam quorumlibet ſuaſionibus, vel quocumq; alio modo, ad ſchiſma, de quo, Redemptoris noſtri miſericordia, ereptus ſum, reverſurum, ſed ſemper me in unitate ſanctæ eccleſiæ catholicæ, & communione Romani pontificis per omnia permanere. Et reliqua. Et in epiſtola ad Theoctiſtam patritiam: „Si qui ſunt qui dicunt, quia compulſus quiſpiam ex neceſſitate ſi anathematizaverit, anathematis vinculo non tenetur: ipſi ſibi teſtes ſunt, quia Chriſtiani non ſunt, quia ligamenta ſanctæ eccleſiæ vanis ſe æſtimant conatibus ſolvere; ac per hoc nec abſolutionem ſanctæ eccleſiæ, quam præſtat fidelibus, veram putant, ſi ligaturas ejus valere non æſtimant. Contra quos diſputandum non eſt, quia per omnia deſpiciendi & anathematizandi ſunt; & unde ſe fallere veritatem credunt, inde in peccatis ſuis veraciter ligantur. Et aliquanto ſuperius. Et quia ſi compulſi aliqui de quibus reprehendebantur, anathematizare ſe dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri. Et ſi ſunt qui certiſſime talia ſentiunt vel tenent: quia Chriſtiani non ſunt, dubium non eſt: eoſque & ego, & omnes catholici epiſcopi, atque univerſa eccleſia, anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt, & contraria loquuntur.

Qua traditione atque autoritate apoſtolicæ ſedis jam dictus epiſcopus iſtiuſmodi libellum porrexit in ſynodo. *Ego Hincmarus eccleſiæ Laudunenſis epiſcopus, amodo & deinceps domno ſeniori meo Karolo regi ſic fidelis & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & epiſcopus per rectum ſuo regi eſſe debet, ac privilegio Hincmari metropolitani provinciæ Remorum eccleſiæ, ſecundum ſacros canones, & decreta ſedis apoſtolicæ ex ſacris canonibus promulgata, pro ſcire & poſſe me obediturum profiteor, &c.*

Cui profeſſioni atque ſubſcriptioni ſubjuncta „ eſt hæc quæ ſequitur cedula: In præſentia domni regi Karoli, & epiſcoporum, quorum hic ſequuntur nomina, vel coram eorum qui defuerunt vicariis ipſorum perſonas repræſentantibus, in ſynodo apud Attiniacum habita in Remenſi parochia, Hincmarus Laudunenſis epiſcopus præmiſſam profeſſionem fecit, & eidem ſubſcripſit, ac domno regi Karolo, & Hincmaro archiepiſcopo in manus dedit, anno incarnationis Dominicæ DCCCLXX: regni vero ejuſdem domni Karoli XXX. VII. Kal. Julii, tertiæ indictionis. Hæc ſunt ipſorum epiſcoporum nomina, qui in eadem ſynodo fuerunt, & acta hæc ſua conſenſione per ſe, vel per ſuos vicarios, firmaverunt.

Hincmarus Remorum archiepiſcopus.
Remigius Lugdunenſis archiepiſcopus.
Hardvvicus Veſontionenſis archiepiſcopus.
Wlfadus Biturigenſis archiepiſcopus.
Frotarius Burdegalenſis archiepiſcopus.
Bertolfus Treviren. archiep. vicario ſuo.
Ex Remenſi provincia Actardus Morin. epiſc.
Erpoinus Silvanectenſis epiſcopus.
Hilmeradus Ambian. epiſc. vicario ſuo.
Hincmarus Laudunenſis epiſcopus.
Odo Belvagenſis epiſcopus.
Ragenelmus Tornacenſis epiſcopus.
Johannes Cameracenſis epiſcopus.
Willebertus Catalaunenſis epiſcopus.
Hildebaldus Sueſſionenſis epiſcopus.
De provincia Lugdunenſi, Iſaacus Lingon. ep.
Liudo Auguſtodunenſis epiſcopus.
Gerbaldus Cavillon. epiſcopus.
De provincia Coloniæ, Franco Tungr. epiſc.
De provincia Senonum, Hildegarius Meld. ep.
Æneas Pariſiacenſis epiſcopus.
Otulfus Trecanenſis epiſcopus.
De provincia Viennenſi, Bernharius Gratianopolitanus epiſcopus.
De provincia Biturig. Rimbertus * Rond. ep.
De provincia Treverenſi, Adventius Metenſis epiſcopus vicario ſuo.
Arnolfus Tullenſis epiſcopus vicario ſuo.
Berenhardus Viridunenſis epiſcopus.
De provincia Rotomagenſi, Seibardus Ebroicenſis epiſcopus.
De presbyteris autem & abbatibus, Engelvvinus presbyter & abbas.
Anſegiſus presbyter & abbas.
Sigemundus presbyter & abbas.
Carlomannus diaconus & abbas.

* Ruthenenſis, ſeu Rodenenſis.

In craſtina autem iſdem Hincmarus Laudunenſis epiſcopus per Hardvvicum Veſuntionenſem archiep. Hincmaro Remenſi archiep. hujuſmodi breviculum ſecrete ad profitendum ſibi & ſubſcribendum direxit. *Et ego Hincmarus Remorum archiep. tibi Hincmaro Laudunenſis eccleſiæ coepiſcopo tuum debitum ſacris præcipientibus canonibus privilegium conſervabo, & in quibuſcumque eccleſiaſticis negotiis indigueris, ſecundum ſacras regulas debitum tibi jure adjutorium archiepiſcopali autoritate adhibebo.* Sed quia ſtulte contra ſacras regulas petiit, non obtinuit, nec poſtea per ſe aut per alium aliquem ut hanc inſulſam petitionem obtinere poſſet; quamcumque commemorationem habuit: quia injuſtum atque irrationabile viſum eſt, ut archiepiſcopus a ſacris canonibus non exorbitans, excedenti epiſcopo ſuffraganeo, & a ſe ordinato, profeſſionis ac ſubſcriptionis libello ſatisfaceret. Sicut enim ſecundum Scripturam minor a majore benedicitur: ita prorſus minor a majore, & non major a minore judicatur, ligatur, vel ſolvitur, ſicut & in decretis Gelaſii demonſtratur. Sed & in eo quod idem Hincmarus Laudunenſ. epiſc. in libello poſuit, quem ſibi ab Hincmaro epiſcopo Remorum profiteri ac ſubſcribi popoſcit, inter cætera dicens: *Tibi Hincmaro Laudun. eccleſiæ coepiſc. tuum debitum ſacris præcipientibus canonibus privilegium conſervabo*, neſcivit quid dixit. Quomodo, ut Hieronymus ait, privilegia ſingulorum communem legem facere non poſſunt, & ſacri canones provincialibus epiſcopis & eorum eccleſiis vel ſedibus privilegia, ſcilicet privatas leges vel jura privata, generaliter non dederunt; quia quod omnes generaliter habent, jus ſpeciale vel dignitatis lex privata eſſe non valet, ſed metropolitanis epiſcopis ac metropolitanis ſedibus privilegia tribuerunt, decernentes ut antiqua conſuetudo ſervetur Alexandrino epiſcopo, quatenus ſuorum omnium, ſcilicet quæ ſunt in provincia ſuæ diœceſis, velut Innocentius ad Alexandrum epiſcopum Antiochenum oſtendit, & Africanum concil. ad Celeſtinum papam exponit, habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ epiſcopo parilis mos eſt: ſimiliter & apud Antiochiam, cæteraſque provincias, ſuis privilegia ſerventur eccleſiis. Hinc Leo, ſicut & alii ſanctæ ſedis Romanæ pontifices, ex eiſdem ſacris canonibus ad Anaſtaſium Theſſal. epiſc. promulgavit: Secundum ſanctorum patrum, inquiens, canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, metropolitanos ſingularum provinciarum epiſcopos jus traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: quia etſi ordo generalis in „ epi-

Hebr. 7.

„ epiſcopis: non tamen communis eſt dignitas omnibus, quomodo & inter beatiſſimos apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt ut cæteris præemineret. De qua forma epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna ordinatione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis provinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia, ſicut & Antiochenum concilium decrevit dicens: Per ſingulas regiones epiſcopos convenit noſſe, metropolitanum epiſcopum ſolicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrunt: Unde placuit, eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros epiſcopos agere, ſecundum antiquam a patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantum quæ ad ſuam diœceſim pertinent, poſſeſſioneſque ſubjectas; & reliqua. Quæ etiam & beatus Bonifacius ad Hilarium Narbonenſem epiſcopum ita explanat dicens; Convenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes; nulli etenim videtur incognita ſynodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem prope verba proponamus, per unamquamque provinciam jus metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubjectas, quod illi, quia aliter credendum non eſt, ſancto Spiritu ſibimet ſuggerente cenſuerunt, Et paulo poſt, Quod idcirco dicimus ut advertat caritas tua: adeo nos canonum præcepta ſervare, ut ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat, quatenus metropolitani ſui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet. Et Leo ad Theodorum: Solicitudinis, inquit, tuæ, is ordo eſſe debuerat, ut cum metropolitano tuo de eo quod quærendum videbatur eſſe conferres, ac ſi id quod ignorabat dilectio tua etiam ipſe neſciret, inſtrui vos pariter poſceretis, quia in cauſis quæ ad generalem obſervantiam pertinent omnium domini ſacerdotum, nihil ſine primatibus oportet impleri. De dignitate autem ac privilegiis ſedium idem Leo ad maximum Antiochenum epiſcopum dicit: Etſi, inquiens, diverſa nonnunquam ſunt merita præſulum, tamen jura permanent ſedium, quibus poſſunt æmoli perturbationem aliquam fortaſſe inferre, non tamen poſſunt minuere dignitatem.

*Antioch. can. 9.*

Poſt hæc omnia Hincmarus Laudunenſis epiſcopus, conſueta levitate commotus, eo quod homines ſui reclamaverunt quomodo illorum beneficia ab eis injuſte tuliſſet. Unde ad hanc rationem inter ſe, & eoſdem accuſatores ſuos diffiniendam, ſecundum ſacros canones electos judices expetivit ac ſuſcepit: & judicium quod expetiverat declinans, noctu aufugit, & Laudunum adiit, indeque hoc pittacium quod ſequitur per Ermenoldum diaconum ſuum Hincmaro metropolitano epiſcopo miſit,

„ *Reverendiſſimo Rhemorum archiepiſcopo Hincmaro, ſancta Laudunenſis Eccleſiæ Hincmarus Deo miſerante epiſcopus debitam in Chriſto devotionem.*

„ Vos ſcitis quia ab univerſali ſanctæ Romanæ eccleſiæ Papa patre quoque noſtro & magiſtro Hadriano bis vocatus exiſto, & vos ipſi in quaternionibus mihi a vobis in Attiniaco palatio coram archiepiſcopis & epiſcopis qui affuerunt datis, quod ad eandem ſedem venire totidem vocatus detrectem me reprehendiſtis, ſi vitio ſcriptoris pro detrectem, quod eſt diſſimulem vel differam, detractem, quod valde detractem non abs re accipi poteſt inter exaratum non fuit. Unde vos nunc pro amore Dei omnipotentis, & reverentia ſancti Petri expoſco, ſicut & in eadem ſynodo in eodem Attiniaco a vobis convocata, quod impetrare non valui expoſtulavi, ac jam etiam per integrum efflagitavi annum, & præcipue in ſynodo apud Vermeriam palatium olim ab horno habita obſecrando declamavi; nunc quoque & obſecro, & item declamo, ut & hactenus egi, quo veſtra archiepiſcopali auctoritate apud Domini noſtri glorioſiſſimi regis Karoli clementiam obtineatis, quatenus domini & univerſalis papæ Hadriani præceptis ac inſtitutionibus eccleſiaſticis, mihi, ut omnibus expedit, velut ei qui de omni eccleſia fas habet judicandi, liceat obedire, videlicet ut limina ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli merear, ut devovi, & ab eodem inſuper vocatus ſum, penetrare. Alioquin me vobis abhinc, ut archiepiſcopo coepiſcopus obtemperare debet, canonice ſciatis obſequi non poſſe; quia, ut decernit beatus papa Gelaſius, neſciunt quid loquuntur qui decretis ſanctæ Romanæ ſedis præſulum quaſi canones opponunt, quibus contraire, contra canones eſt ipſos ſe erigere. Iſte Gelaſius papa venerabilis & ſanctus omnes decretales epiſtolas venerabiliter ſanxit ſuſcipiendas, nec eas venerabiliter ſuſcipit, licet ad tomum caput inclinet, qui eis non obedit, ſed potius porro obvias manus inferens, quod ſine periculo agi non poteſt, reſpuit, utpote qui de ſe judicari non proſpicit. Nam velimus nolimus, aut eis parebimus, aut eorum judicio percellemur, quorum neminem aliqui quique reprobare valemus. De archiepiſcopis autem Remigio & Harduico quod mihi per Kutlandum diaconem mandaſtis, privilegio ſanctæ Romanæ eccleſiæ non præjudicat: ſed quod eis eadem ſancta ſedes de me voluit aut diſpoſuit committere, commiſit. Vos vero quod veſtrum eſt agite, in Domino noſtro Jeſu Chriſto valete. Ego Hincmarus ſanctæ Laudunenſis eccleſiæ epiſcopus ſponte ſubſcripſi.

*Mendoſa hic aliquid.*

Sed quia Hincmarus archiepiſcopus diſtulit ex hoc reſpondere Hincmaro Laudunenſi epiſcopo expectans ſi forte retractaret quod egerat, & a ſua contumacia reſipiſceret: iſte Laudunenſis epiſcopus miſit ad Hincmarum archiepiſcopum Heddonem clericorum ſuorum præpoſitum, mandans illi talem miſſaticum, ſicut in ſubditis cum reſponſione de eodem miſſatico continetur.

*HINCMARUS Remorum epiſcopus dilecto fratri Hincmaro eccleſiæ Laudunenſis epiſcopo ſalutem.*

XV. Kal. Auguſti præſentis tertiæ indictionis, jam veſpere venit ad me communis frater & comminiſter noſter Heddo, præpoſitus commiſſæ tibi eccleſiæ, dicens mihi ex tua parte miſſaticum, ſicut hic habetur ſubnexum.

Meus ſenior vobis mandat ſalutes, *&c. ut in editione Sirmundi tomo 2. pag. 593.*

FINIS TOMI DECIMI.

APPEN-



*APPENDIX TOM. X.*

# APPENDIX AD TOMUM DECIMUM CONCILIORUM.

## RABANI ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI Reſponſum ſuper quibuſdam interrogationibus REGINBALDI chorepiſcopi

*Reverentiſſimo atque amantiſſimo fratri Reginbaldo Hrabanus exiguus ſervorum Dei ſervus in Domino ſalutem.*

POſtquam ſanctitas tua noſtræ parvitati ſe præſentare voluit: tui deſiderium iterum videndi ſe valide nobis ingeſſit. Ita ut cognoſcentes gravitatem morum, honeſtatem locutionis, humilitatem habitus, hilaritatemque vultus, quam tua dilectio nobis exhibuit, præſentia tua non vellemus carere, ſi quoquo modo eam poſſemus habere continuam. Sed quia veræ caritatis ea eſt ratio, ut quod corporaliter habere ſecum non poteſt, ſpiritualiter nunquam habere ceſſet: licet corpore abſens ſis, ſpiritu tamen præſens eſſe non deſiſtis. Quod euſque fiet, donec per Dei gratiam exuti a corpore præſentes erimus apud Deum. Hoc tamen adipiſci nos poſſe, magis Divini eſt muneris, quam humanæ facultatis: ſed ſpe jam ſalvi facti ſumus; qui autem in Domino ſperat, beatus eſt.

De cætero quoque, quia veneratio tua quædam capitula mihi in chartula tunc oſtendit ſcripta, in quibus flagitabas me tibi reſpondere de his quæ ibidem continebantur: relegi quantum licebat volumina Divinorum teſtamentorum, atque ſanctorum patrum ſententias, & quantum tempus permittebat, ea quæ ad hoc neceſſaria reſpondendum erant, in unum colligebam. Hludovuici enim regis adventus, quod te ſcire non ambigo, imminens urgebat, ut ad ejus ſuſceptionem occupati eſſemus. Nec jam licuit ſecuræ lectioni inſiſtere, quando ipſe ſe animus ſentiebat in multas partes diviſum. Sed quia tui amoris fervor me tibi parere cogit, mundanis ſolicitudinibus temperatis, quantum fragilitas humanæ mentis ſinebat, potiſſimum tuæ conſentire decrevimus voluntati. Quorum capitulorum hæc fuit ſeries.

I. Primo interrogabas, quid de eo faciendum eſſet, qui hominem Chriſtianum ſolicitando furatus fuerit, & in paganam gentem tradendo vendiderit, a quibus ultra ille venditus ſe eruere non poſſit. Ad quod tunc tibi reſpondi, homicidium reatum ipſum hominem ſibi contrahere mihi videri. Quod & poſtea, legens Divinam ſanctionem in Deuteronomio, ita probaviſſe reperi, cum homicidæ & furi hominem vendenti, parem vindictæ modum impoſuiſſet. Nam ſicut ibi legitur *animam pro anima* homicidam debere reddere, *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede*: ſic & ipſum hominem qui deprehenſus fuerit ſolicitaſſe fratrem ſuum de filiis Iſrael, & vendidiſſe accipiendo pretium, jubet interficere, & ita auferre malum de medio populi Dei. Unde mihi videtur, ſicut par ſententia in lege Divina eſt conſtituta de homicida & fure hominem vendente, ſic & canonica auctoritate pari modo plectendum eſſe qui fratrem furando atque ſolicitando vendiderit, & illum qui proximum ſuum Chriſtianum hominem injuſte peremerit; & eo gravius, quo eum in paganam gentem tradiderit, nec de animæ ſuæ ruina ullam compaſſionem habuerit. In concilio Ancyrano ita ſcriptum eſt: Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter ſe ſubmittant, perfectionem vero circa finem vitæ conſequantur. De homicidiis non ſponte commiſſis, prior quidem definitio poſt ſeptennem pœnitentiam perfectionem conſequi præcepit, ſecunda vero quinquennii tempus implere. Sed in omnibus judiciis temperanda eſt ſententia juxta intentionem & ſtudium pœnitentis: Si quis enim veraciter pœnitentiam egerit, cum lacrymis jejunia & orationes ſolvens, eleemoſynas largiter impendens, hujus ergo habet ſacerdos poteſtatem mitigare judicium. Qui autem mentis eſt duræ, & negligens eſt ad agendam pœnitentiam: in hoc omnino decretum eſt tempus ſervandum.

*Deuter. 19.* *Ibid. 24.* *Ancyran. can. 21.* *can. 22.*

II. De infantibus autem qui mortui cum patre & matre inveniuntur, & non apparet utrum ab eis oppreſſus ſit ipſe infans ſive ſuffocatus, an propria morte defunctus: nec debent inde ſecuri eſſe nec ſine pœnitentia ipſi parentes. Sed tamen in eis conſideratio debet eſſe pietatis, ubi non voluntas, ſed eventus, mortis cauſa fuit. Si autem eos non latet, ipſos ejus eſſe interfectores, ſcire debent graviter ſe deliquiſſe, quod in Ancyrano concilio hoc modo probatur. De mulieribus quæ fornicantur & partus ſuos necant, vel quæ agunt ſecum ut utero conceptus excutiatur: antiqua quidem definitio uſque ad ultimum vitæ eas ab eccleſia removet. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus ſecundum præfixos gradus pœnitentiæ largiamur. Sed alii trium annorum pœnitentiam hujuſmodi hominis denunciant eſſe debere, hoc eſt qui infantem incaute oppreſſerit, quorum unum ex eis exigat cum pane & aqua, abſtineatque ab omni luxuria tempore pœnitentiæ ſuæ.

*Ibid. can. 21.*

III. De eo vero qui viduam proximi ſui in conjugium duxit, illud conſiderandum eſt, quota generatione ipſa connubia inter propinquos fieri poſſunt, & ſic de utroque ſexu judicium æquum agendum: quia alii tertia vel quarta generatione

*Appendix Tom. X.*

ratione hoc fieri poſſe judicabant; alii quinta, alii ſexta. Sed illud ibi præcipue conſiderandum eſt, quod lex Divina inde præcipiat, ſuper quo capitulo Humberto epiſcopo ſciſcitanti jam reſpondimus. Cujus reſponſionis formulam etiam nunc tibi direximus. Manifeſtum eſt enim, quod ſacri canones ei anathema dicunt, qui de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem. Et ideo ibi ſumma eſt cautela habenda; ne forte pro inceſti noxa æterna damnatio ſequatur.

IV. De eo autem quod interrogabas, ſi pater & filius, vel ſi duo fratres, aut avunculus & nepos, cum una muliere fornicarentur, quid inde faciendum eſſet: manifeſtum eſt, quod gravi vindicta plectendum erit, quod grave facinus eſſe reperiatur. Omnis enim mœchia interdicitur ubi ſcriptum eſt; *Non mœchaberis*. Quanto magis cum cognata, vel cum conjuge, vel concubina cognati? Quid autem Dominus in lege in vindicta talium juſſerit, liber Leviticus demonſtrat, ubi ita ſcriptum eſt: *Si mœchatus fuerit quis cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui: morte moriatur & mœchus & adultera. Qui dormierit cum noverca ſua, & revelaverit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo: ſanguis eorum ſit ſuper eos. Si quis dormierit cum nuru ſua, uterque moriatur, quia ſcelus operati ſunt: ſanguis eorum ſit ſuper eos. Qui ſupra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, ſcelus operatus eſt, vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio veſtri. Qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem ejus, illaque conſpexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati ſunt, occidentur ambo in conſpectu populi, eo quod turpitudinem ſuam mutuo revelaverint, & portabunt iniquitatem ſuam. Turpitudinem materteræ & amitæ tuæ non diſcooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis ſuæ nudabit, portabunt ambo iniquitatem ſuam. Qui coierit cum uxore patrui vel avunculi ſui, & revelaverit ignominiam cognationis ſuæ, portabunt ambo iniquitatem ſuam, abſque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris ſui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris ſui revelavit: abſque filiis erunt.* *(Levit. 20.)* His enim indiciis patet, quantum Domino diſpliceat omnis inceſtus & pollutio coitus illiciti, quia mortis judicio hujuſmodi ſcelus puniendum eſſe judicavit. Nec enim filium cum uxore patris, nec patrem cum uxore filii licet concumbere, quia dormire cum noverca ſeu cum nuru prohibuit. Sed [illegible] ducere uxorem fratris convenit, quia hujuſmodi abſque filiis fieri, hoc eſt mortis reus eſſe, judicatur. Si enim Dominus in lege turpitudinem inceſtus mortis ſententia vindicari juſſit: quomodo in euangelio, ubi ſumma juſtitia eſt, inceſtuoſus pœnam peccati effugiet? maxime cum ibi pœna temporalis decernitur, hic gehenna ignis perpetui prædicitur.

Quam diſcretionem ſentiens Apoſtolus, ad Hebræos ſcribens ait; *Irritam faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione ſub duobus vel tribus teſtibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?* *(Hebr. 10.)* Proinde valde neceſſarium eſt, ut duram judicii ſententiam mitigare ſtudeat peccatorum per condignam pœnitentiam: ne forte ſcelus incorrectum ultio puniat perpetua. Unde eſt, ut Joannes Baptiſta in euangelio turbas quæ exibant ut baptizarentur ab eo, hortatus eſt, dicens: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ, jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* *(Luc. 3.)* Sacri autem canones quid de inceſtuoſis præcipiant, facile eſt agnoſcere. Nam in Cæſarienſi concilio ita ſcriptum eſt: Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur uſque ad mortem. Verumtamen in exitu, propter miſericordiam, ſi promiſerit quod facta incolumis, hujus conjunctionis vincula diſſolvat, fructum pœnitentiæ conſequatur. Quod ſi defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita manenti. *(Neocæſar. can. 2.)* Unde patet, quod æque malum eſt hoc, quod mulier duobus nupſerit, & illud, cum vir duas uxores duxerit, aut pater & filius ſi cum una muliere fornicati fuerint, aut avunculus & nepos ſi cum una muliere dormierint, aut aliquid hujuſmodi factum fuerit. Quapropter juſtum eſt, ut taliter peccantes, uſque ad finem vitæ pœnitentiam agant. Niſi forte propter nimium fletum & compunctionem validam, devotamque pœnitentiam aliquid humanius ſacerdos apud pœnitentem agendum eſſe decrevit. Quia cujus Dominus cor in compunctione lacrymarum & amaritudine fletuum viſitaverit, hujus breviandi tempus pœnitentiæ poteſtatem ſacerdos habebit, ſicut ſcriptum eſt in Laodicenſi concilio. De his qui diverſis facinoribus peccaverunt, & perſeverantes in oratione confeſſionis & pœnitentiæ converſionem habuere perfectam, pro qualitate delicti: talibus, poſt pœnitentiæ tempus impenſum, propter clementiam & bonitatem communio concedatur. *(Laodic. can. 2.)* In Ancyrano quoq; concilio, de adulterio ita ſcriptum eſt. Si cujus uxor adultera fuerit, vel ſi ipſe adulterium commiſerit, ſeptem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem conſequi ſecundum priſtinos gradus. *(Ancyr. can. 19.)* Igitur Theodorus judicavit, eum qui inceſtum fecerit, duodecim annis pœnitere debere.

Quid autem inde ſentiant cæteri doctores, in libellis eorum quos de pœnitentia conſcripſerunt, invenire poteris, qui, alii quindecim annis, alii duodecim annis, alii decem, alii ſeptem, de hujuſmodi ſceleribus judicaverunt pœnitudinem explendam. Sed tu priſcorum patrum veſtigia ſequens, illis ſolis ſpatium temperes, qui devote & cum lacrymis pœnitentiam egerunt. Cæteri autem definitum tempus expleant, quia in Salomone ſcriptum eſt: *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* *(Prov. 28.)* Pius eſt enim Deus & miſericors; ſed *miſericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Facit potentiam in brachio ſuo, diſpergit ſuperbos mente cordis ſui.* *(Luc. 1.)* *Qui autem mentis eſt duræ, corruet in malum.* *(Prov. 28.)* *Et qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem negligit vias ſuas, mortificabitur.* *(Prov. 19.)*

V. De ſervo autem illo qui fugerit dominum ſuum interrogabas, ſi ille in ipſa fuga mortuus fuerit, utrum liceret pro eo Miſſas cantare, aut pſalmodias. Hoc in Divinis libris non invenimus prohibitum: ſed tamen ſcimus ab apoſtolis fortiſſime præceptum, ut *ſervi ſubditi ſint in omni timore dominis; non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis*: & obedientes illis fiant in omnibus. *(1. Pet. 2.)* In canone autem Gangrenſis concilii ita ſcriptum eſt: Si quis ſervum ſub prætextu Divini cultus doceat dominum contemnere proprium, ut diſcedat ab ejus obſequio, nec ei cum benevolentia & omni honore deſerviat; [illegible] anathe-



ma ſit. *(Gangr. can. 3.)* Unde datur intelligi, quod ſi ille anathema meruit qui docet ſervum, dominum proprium contemnere, & ab ejus obſequio recedere: quanto magis ille qui dominum ſuum ſpernit, & ejus ſervitio ſubdi noluerit. Sed tamen diſtantia eſt inter eum qui per ſuperbiam, & illum qui propter neceſſitatem fugit, coactus crudelitate domini ſui. Nam Agar famula Saræ, fugam iniit, affligente eam domina ſua: ſed angelo admonente ut reverteretur, & fieret ſubjecta dominatrici ſuæ, reverſa eſt ad dominam. Sic & Oneſimus ſervus Philemonis effugit a domino ſuo, ſed Paulo apoſtolo docente credidit Chriſto, & baptizatus eſt: & ſic per patrocinium Apoſtoli reſtitutus eſt proprio domino ſuo. Admonendus eſt enim ſervus quilibet fugitivus, per fideles doctores, ubicumque fuerit, ut revertatur ad dominum ſuum, & fiat ei ſubjectus, ne forte contemnens præceptum Domini, perpetuo anathemate percutiatur. Attamen ſi in ipſa fuga obierit, orandum eſt pro eo, niſi forte aliquo crimine majore implicetur, aut in perfidiam devolvatur, unde fructuoſa pro eo non poſſit eſſe oratio. Attamen Auguſtinus ad Laurentium ſcribens ita inter alia ait: Cum ergo ſacrificia, ſive altaris, ſive quarumcumque eleemoſynarum, pro baptizatis omnibus offeruntur: pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt, pro valde malis, etiamſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcumque tamen conſolationes ſunt vivorum. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſi plena remiſſio, aut certe ut tolerabilior fiat ipſis damnatio.

VI. De illo vero qui presbyterum ſe eſſe finxerit, cum non eſſet ordinatus, & baptiſmi officium exercuit, requirendum eſt utrum ipſe baptizans baptizatus eſſet, & utrum in nomine ſanctæ Trinitatis ſub trina merſione baptizaverit. Quod ſi ita erat, non eſt iterum baptizandus, ſed per impoſitionem manus epiſcopalis, & unctionem ſacri chriſmatis id quod factum eſt confirmandum. Quia quod ſemel eſt in ſacramento baptiſmatis effectum, non licet iterari, quoniam unus eſt Dominus, una fides, unum baptiſma. Attamen ille qui præſumptuoſe egit, & non pro neceſſitate aliqua, canonica diſciplina eſt coercendus. Igitur ut beatus Ambroſius teſtatur, poſtquam omnibus locis eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & officia ordinata, aliter compoſita res eſt, quam cœperat. Primum enim omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuſcumque diebus vel temporibus fuiſſet occaſio. Nec enim Philippus tempus quæſivit, aut diem quo eunuchum baptizaret, neque jejunium interpoſuit. Neque Paulus & [a] tempus diſtulerunt, quo optionem carceris cum ejus omnibus baptizarent. Neque Petrus clericos habuit, aut diem quæſivit quando Cornelium cum omni domo ſua baptizavit, nec ipſe, ſed juſſit fratribus qui cum eo erant apud Cornelium in Joppe. Adhuc enim præter ſeptem diaconos nullus fuerat ordinatus. Ut ergo creſceret plebs & multiplicaretur, omnibus conceſſum eſt & euangelizare, & baptizare, & Scripturam in eccleſia explanare. At ubi omnia loca circumplexa eſt eccleſia, conventicula conſtituta ſunt, & rectores, & cætera officia eccleſiis ſunt ordinata, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium quod ſciret non ſibi creditum vel conceſſum: & cœpit alio ordine & providentia gubernari eccleſia. Quod ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res & viliſſima videretur. Hinc ergo eſt unde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque cæteri clerici vel laici baptizant, neque quocumque die credentes tinguuntur niſi ægri. Ideo non per omnia conveniunt ſcripta Apoſtoli ordinationi quæ nunc in eccleſia eſt, quia hæc inter ipſa primordia ſunt ſcripta. Nam & ipſe Timotheum presbyterum a ſe creatum epiſcopum vocat, quia primi presbyteri epiſcopi appellabantur, ut recedente eo ſequens ſuccederet. Denique apud Ægyptum presbyteri conſignant, ſi epiſcopus præſens non ſit. Sed quia cœperunt ſequentes presbyteri indigni ad primatus tenendos: immutata eſt ratio, proſpiciente concilio ut non ordo, ſed meritum, crearet epiſcopum, multorum ſacerdotum judicio conſtitutum, ne indignus temere uſurparet, & eſſet multis ſcandalum.

[a] Addi, & Silas. H.

*Appendix Tom. X.*

Quod autem unum ſit Chriſti baptiſma, & licet a diverſis miniſtretur non debet iterari vel mutari, ſacrum euangelium oſtendit, ubi verba Joannis Baptiſtæ poſita ſunt ita dicentis: *Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manentem ſuper eum, & ego neſciebam. Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui quia hic eſt filius Dei.* *(Joan. 1.)* Quam ſententiam beatus Auguſtinus ita expoſuit. Quid ergo per columbam didicit Joannes, niſi quandam proprietatem in Chriſto futuram? ut quamvis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſive juſti ſive injuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba. De quo dictum: Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat: Judas baptizet, hic eſt qui baptizat. Nam ſi pro diverſitate meritorum baptiſmus eſſet, quia diverſa ſunt merita, diverſa eſſent baptiſmata. Sed unum eſt baptiſma, & unus eſt Chriſtus, qui per diverſos miniſtros ſuos baptiſmate baptizat in remiſſionem omnium peccatorum. Ideo ſacri canones præcipiunt ut qui ab hæreticis baptizati ſunt, non rebaptizentur, ſed per impoſitionem manus ſola ſancti Spiritus invocatione, quem ab hæreticis nemo accipit, a catholicis ſacerdotibus eccleſiæ ſecuritatem conſequantur.

VII. De illis vero qui in Quadrageſima ante Paſcha carnem manducant, vel juramentum in altari vel in ſanctorum reliquiis faciunt: manifeſtum eſt quod injuſte agunt, quia Divinis mandatis contrarii exiſtunt. Unde & per Iſaiam Dominus pravorum jejunium ſpernit, ita dicens: Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie. Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter. Numquid tale eſt jejunium quod elegi, per diem affligere animam ſuam? numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum? & ſacco & cinere ſternere? Numquid iſtud vocavi jejunium & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi? Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti ſunt liberos, & omne onus diſrumpe. Frange eſurientibus panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur; & anteibit faciem tuam juſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, & Do- *(Iſa. 58.)*

APPENDIX TOM. X.

,, Dominus exaudiet. clamabis, & dicet, ecce ,, adſum, quia miſericors ſum dominus Deus ,, tuus. Hinc in canone ſanctorum patrum ſcri- ,, ptum eſt, quod non oporteat in Quadrageſi- ,, ma nuptias aut natalitia celebrare, nec jejunium ,, ſolvere, totamque Quadrageſimam ſine vene- ,, ratione tranſire; magiſque conveniat omnem ,, Quadrageſimam diſtricto venerari [a] judicio. Non eſt enim dignum, ut qui eccleſiæ unitatem ſcindit, & ſanctorum patrum traditiones ſolvit, ſine vindicta exeat, ſed pro hoc pœnas condignas ſolvat. Sacerdotis autem judicio temperanda eſt pœnæ vindicta, ſecundum modum pœnitentis: quia, ut ſupra dictum eſt, qui veraciter pœnitet & per lacrymarum indicia cordis ſui contritionem manifeſtat, leviori diſciplina tractandus eſt, quia cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit, & in quocumque die peccator converſus pœnitentiam egerit, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet & non morietur. Nec temporis longinquitas ſed animi affectus penſandus eſt, quia ſuſcepit Dominus triduanam pœnitentiam Ninivitarum, & Petri negationem amariſſimis fletibus ablutam Dominus indulſit, cum eum tertia die reſurgens inter cæteros diſcipulos angelica vocatione ad ſuam præſentiam & reconciliationem venire juſſit.

Laodic. can. 50. & 52.

a) Pro, jejunio. H.

Hæc tibi, ſancte frater, prout opportunitas temporis ſe contulit, feſtinanter dictavi: paratus, ſi quid deeſt in reſponſis, tempore opportuno tibi planius explicare. Tu autem & commendatum tibi gregem diligenter inſtrue, & nos orationibus juva: quatenus aliquid tibi dignum ſcribamus, & de tuo bono opere tibi quotidie congratulemur. Dominus omnipotens in hac vita te bonis operibus augeat, & in futuro mercede remuneret ſempiterna.

G. C. *Primum in Appendice locum dedimus huic opuſculo*, & conſequenti: ut Rabanus & Hincmarus coævi præſules, proxime conjungantur: maxime cum utriuſque opuſcula eodem ex loco deſcripta ſint.

## OPUSCULUM RABANI archiepiſcopi,

*Si liceat chorepiſcopis presbyteros & diaconos ordinare cum conſenſu epiſcopi ſui.*

POſtquam per nos tranſeuntes abiiſtis, cogitavi mecum de hoc quod præſentaliter retuliſtis, qualiter quidam de occidentalibus epiſcopis ſenſerunt de chorepiſcoporum ordine, & quod quidam eorum reordinarent illos, qui temporibus anteceſſorum ſuorum a chorepiſcopis ordinati ſunt, presbyteros atque diaconos, necnon & eccleſias ab eis ſimiliter conſecratas, profanantes omnem ſanctificationem priſtinam, quaſi non legitimam, quam tamen cum conſenſu atque præcepto epiſcoporum ſuorum ipſi chorepiſcopi perpetraverunt.

Unde & ſchiſmata in eccleſia Dei oriuntur, cum rectores populi Dei in doctrina ſua ab invicem diſcrepant: alii dicentes licere chorepiſcopis cum conſenſu & præcepto majorum ſuorum, hoc eſt præſulum civitatum ſub quibus ipſi degunt, manus baptizatis imponere, ut accipiant Spiritum ſanctum, presbyteroſque atque diaconos, necnon & cæteros eccleſiæ gradus ordinare: alii vero affirmantes, nullo modo eis hoc miniſterium competere, ſed tantum illis epiſcopis qui urbibus præſunt. Ex quo videlicet excitantur ſectæ, invidiæ, iræ, rixæ, æmulationes, diſſenſiones, contentiones: per quæ multi de populo, videntes magiſtrorum diſſenſionem, non mediocriter ſcandalizantur.

Non enim hujuſmodi litigatores illam concordiam apoſtolicam ſequuntur, de qua Philippenſes Paulus obſecrat, dicens: *Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua ſocietas ſpiritualis, ſi qua viſcera miſerationis: implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt conſiderantes ſinguli, ſed ea quæ aliorum.* Unde & ipſe volens juniores ſuos auditoribus commendare, & non deſpectos, ſed acceptabiles reddere, Corinthios admonet, dicens: *Rogo ergo vos, fratres, imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Ideo miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus cariſſimus & fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quæ ſunt in Chriſto Jeſu, ſicut ubique in eccleſia doceo.* Et rurſum: *Si autem*, inquit, *venerit Timotheus, videte ut ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego. Ne quis ergo illum ſpernat, deducite illum in pace, ut veniat ad me. expecto enim illum cum fratribus.* Hoc autem præceptum humilitatis clare ab ipſa veritate ſumpſit, quæ in evangelio diſcipulos de primatu contendentes inſtruxit, dicens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut junior; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Et ſuo eos exemplo informans ſequitur, dicens: *Ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat: filius enim hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.*

Philipp. 2.

1. Cor. 4.

Ibid. 16.

Matth. 20.

Luc. 22. Matth. 20.

Habebant enim ipſi apoſtoli adjutores in prædicatione evangelii Chriſti, qui etiam ordinationes fecerunt ex præceptis eorum. Unde legitur in codice, quem Damaſus papa de epiſcopis Romanæ eccleſiæ, petente Hieronymo presbytero conſcripſit, quod Linus & Cletus ex præcepto beati Petri ordinationes presbyterorum fecerunt: cum tamen poſt paſſionem Petri, non illi, ſed Clemens, in honorem cathedræ ſucceſſerit, ipſo eidem tradente principe apoſtolorum, ſicut epiſtola ejuſdem Clementis ſcripta ex mandato Petri ad Jacobum fratrem Domini teſtatur. Hinc reor quod uſus chorepiſcoporum primo originem ſumpſerit, & hactenus in eccleſia retineatur, ut ipſi chorepiſcopi a propriis epiſcopis ordinati, juxta præceptum eorum, diaconos & presbyteros, ac cæteros gradus ordinent, atque reliqua officia ſacerdotalia peragant.

Unde miror, quomodo iſti qui hanc contentionem movent, ordinem chorepiſcoporum tantum deſpiciant, ut pene eis nihil amplius a dignitate presbyterorum tribuant: cum hoc nec novorum, nec antiquorum, nec etiam ipſis apoſtolorum dogmatibus conſuetudinibuſque conveniat, ſed in ſenſu ſimul a dogmate diſſentiat. Claret enim hoc, quod in his non ratio & humilitas, ſed invidia atque ſuperbia dominentur: ita ut deſpectis cooperatoribus ſuis, ipſi ſoli potentes ac ſanctificatione pollentes videri appetant: & hoc quod ſancti patres ad concordiam & unionem ſingulis dignitatibus conſcripſerunt, ipſi magis damnationem noxiam, quam diſcretam diſpoſitionem eſſe putent. Præcipiunt enim ſacri canones, qualiter unuſquiſque ordo menſuram ſuam cuſtodiat, a minimo uſque ad maximum, & minor gradus majori ſemper ſubditus fiat:



fiat: ita ut diaconi abſque epiſcopo vel presbytero baptizare non præſumant, niſi prædictis fortaſſis officiis longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat: & ut gratiam ſacræ communionis poſt presbyteros accipiant diaconi, aut epiſcopo eis aut presbytero porrigente: ſed nec ſedere in medio presbyterorum diaconis liceat, nec etiam coram presbytero ſedere audeant, ſed juſſione presbyteri ſedeant. Similiter quoque mandant, ut diaconis honor exhibeatur ab obſequentibus, id eſt, ſubdiaconis & omnibus clericis.

De presbyteris vero in decretis Gelaſii papæ ,, ita ſcriptum eſt: Nec minus etiam presbyteros ,, ultra ſuum modum tendere prohibemus, nec ,, epiſcopali faſtigio debita ſibimet audacter aſſu- ,, mere: nec conficiendi chriſmatis, nec conſigna- ,, tionis pontificalis adhibendæ ſibimet arripere ,, facultatem: non præſente quolibet antiſtite, ,, niſi fortaſſe jubeantur, vel orationis vel actionis ,, ſacræ ſuppetere ſibi præſumant licentiam: ne- ,, que ſub ejus aſpectu, niſi jubeantur, aut ſe- ,, dere præſumant, aut venerabilia tractare my- ,, ſteria: nec ſibi meminerint ulla ratione con- ,, cedi, ſine ſummo pontifice, ſubdiaconum vel ,, acolythum jus habere faciendi: nec prorſus ,, dubitent, ſi quicquam ad epiſcopale miniſte- ,, rium ſpecialiter pertinens, ſuo nutu putave- ,, rint exequendum, continuo ſe presbyterii di- ,, gnitate & ſacra communione privari.

Gelaſ. I. ep. 9. c. 6.

De chorepiſcopis autem in Ancyrano concilio ,, ita ſcriptum eſt: Chorepiſcopis non licere pres- ,, byteros aut diaconos ordinare, ſed nec pres- ,, byteros civitatis, ſine præcepto epiſcopi vel ,, litteris, in unaquaque parochia. Attendo, quod non dicit, chorepiſcopis non licere penitus diaconos aut presbyteros ordinare, ſed non aliter licere, niſi ex præcepto epiſcopi ſui vel litteris in unaquaque parochia.

Ancyr. c. 12.

Item in Antiocheno concilio ſic legitur: Qui ,, in vicis vel poſſeſſionibus chorepiſcopi nomi- ,, nantur, quamvis manus impoſitionem epiſco- ,, porum perceperint, & ut epiſcopi conſecrati ,, ſint: tamen ſacræ ſynodo placuit, ut modum ,, proprium recognoſcant, & gubernent ſubjectas ,, ſibi eccleſias, earumque moderamine curaque ,, contenti ſint. Ordinent etiam lectores & ſub- ,, diaconos atque exorciſtas. Quibus promotiones ,, iſtæ ſufficiant: nec presbyterum vero, nec dia- ,, conum audeant ordinare, præter civitatis epiſ- ,, copum (id eſt præter conſcientiam civitatis epiſ- ,, copi) cui ipſe cum poſſeſſione eſt ſubjectus. Cum autem chorepiſcopos manus impoſitionem epiſcoporum percipere dicat, & quidem ſicut epiſcopi conſecrati ſint: cur cum conſenſu epiſcoporum, quibus ſubjecti ſunt, conſecrationes ſacrorum ordinum eis facere non licet, & cum chriſmate ſacro fideles conſignare? Vanum eſt enim, quemquam conſecrationem epiſcopalem habere, ſi miniſterium epiſcopi ei non licet agere. Ad quid ergo invocatur Spiritus ſanctus ab epiſcopo ordinatore [a] ſanctificationem perſonæ ordinandæ, & [a] tribuat, ſi ipſe invocator & ordinator, poſt conſecrationem quam rite peregit, reprehenderit? numquid Dominum irridet, cujus donum poſcit, cum poſtea illud donum ſpreverit? numquid non & calumnia, qua Domini ſignificationem [b] illudit, ad ipſum autorem ſanctificationis pertingit? Planum eſt ergo, quod in Spiritu ſancto per verbum Dei omnis ſanctificatio adimpletur. Et quare non pertimeſcit blaſphemare, & derogare Spiritus ſancti potentiæ? cum ſcriptum ſit: *Qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Unde Petrus apoſtolus in Actibus apoſtolorum, cum Cornelium centurionem, & eos qui ſecum erant, videret accepiſſe gratiam Spiritus ſancti, Judæos contra ſe altercantes pro eo quod ad gentes introiret & manducaret cum illis, tali reſponſo refutat, dicens: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum: ego quis eram qui poſſem prohibere Dominum? His auditis tacuerunt, & glorificaverunt Dominum, dicentes: Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit.* Quem ergo Deus dono ſpiritus ſui honorat, non eſt rectum ut ab hominibus dehoneſtetur. Nec debet quiſquam pro calumnia deputare, quod Divina diſpoſitione conſtat ordinatum eſſe: quæ enim ſunt, a Deo ordinata ſunt. Proinde nec inferioribus epiſcopis dignitas proprii gradus tollitur, cum metropolitano totius provinciæ cura delegatur. Nam ſine eo in provincia epiſcopum ordinare, nec generale concilium convocare, nec quicquam aliud cæteris epiſcopis licet in provincia agere, niſi quæ tum conſtat ad ſingulorum parochias & epiſcopatus pertinere. Si enim in epiſcoporum ordine chorepiſcopos non liceret habere, nullatenus inter trecentos decem & octo patres, qui in Nicæno concilio affuerunt, annumerarentur. In quorum catalogo amplius quam duodecim chorepiſcopi inſerti ſunt, ubi nullus presbyterorum vel diaconorum in numero præfinito patrum, ſed ſolummodo metropolitani & epiſcopi, atque chorepiſcopi, nominatim recenſiti inveniuntur. Ad quid enim epiſcopus cujuſlibet civitatis chorepiſcopum ſibi vult ac decernit ordinare, ſi ipſam ordinationem ſuam nullam efficaciam arbitratur habere. Dicit enim Apoſtolus: *Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat. Qui autem diſcernit, ſi manducaverit damnatus eſt, quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Hanc quidem ſententiam non ad ciborum ſolummodo qualitatem & differentiam diſcernendam, ſed ad omnem ambiguitatem & duplicitatem tollendam, prolatam eſſe intelligimus: ut non ſimus parvuli fluctuantes in omni vento doctrinæ, ſed ſani & ſtabiles in fide & firmi in apoſtolica doctrina. *Vir enim duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis: &, qui hæſitat ſimilis eſt fluctui maris qui a vento movetur & circumfertur.*

Antioch. c. 10.

Parentheſis eſt Rabani.

[a] f. ut ſanctific. perſ. ord. tribuat

[b] f. ſanctificationem

Luc. 12.

APPENDIX TOM. X.

Act. 11.

Rom. 14.

Jacob. 1.

Non ergo æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino, ait enim ipſa veritas in evangelio: *Amen dico vobis, quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Omnia enim poſſibilia ſunt credenti*, quia fides vera recte credentem ſalvat: & juſtus in fide ſua vivit, illa videlicet quæ per dilectionem operatur. Hoc enim ſanctorum patrum prudentia poſteris ſuis providit, & ſacra canonum autoritas inſtituit, ut diſſenſio & ſchiſmata in eccleſia Chriſti non fierent, ſed magis unitas & concordia pacis inibi prævaleret. Et ideo unicuique ordini juxta menſuram ſuam officium delegavit, ut per ſtudium humilitatis & dilectionis pax Chriſtiana & concordia in populo Dei perſeveraret. De quo & ipſa veritas diſcipulos ad imitationem ſui provocans, ait: *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Hoc jugum per caritatem fideles ſociat, non per contentionem diſſipat: hocque onus non opprimit ſe portan-

Marc. 11. Marc. 9.

Matth. 11.

tantem per ponderis gravitudinem, ſed magis ſublevat ac ſuſtentat per ſolatii conſolationem.

Nihil ergo juvat reprehenſores hos & vaniloquos magiſtros, quia ad defenſionem erroris ſui illud de actibus Apoſtolorum ſumere nituntur, quia Petrus & Joannes miſſi ſint ab apoſtolis de Hieroſolymis in Samariam, ut imponerent illis manus, quia a Philippo baptizabantur, quatenus acciperent ſpiritum ſanctum, quoniam aliter hoc fieri non decebat, quam ut apoſtoli implerent & perficerent ea, quæ a miniſtro eorum bene cœpta fuerant. Non enim Philippus hic unus de duodecim, ſed unus de ſeptem diaconibus erat, qui ab apoſtolis paulo ante ordinati ſunt, qui & in catalogo ſeptem levitarum primus poſt Stephanum annumeratus eſt. Unde poſt Stephani necem ſtatim ad Philippi actus explicandos ſcriptor hiſtoriæ videtur tranſire, ita dicens: *Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in eccleſia quæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Judææ & Samariæ præter Apoſtolos.* (Act. 8.) Et poſt pauca: *Igitur qui diſperſi erant, pertranſierunt euangelizantes verbum Dei. Philippus autem deſcendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes & videntes ſigna quæ faciebat. Multi enim eorum qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici & claudi, curati ſunt: factum eſt autem magnum gaudium in illa civitate.* (Ibid.)

Et non multum poſt: *Cum autem*, inquit, *audiſſent apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quia recepit Samaria verbum Dei: miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat: ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* (Ibid.) Idem etiam Philippus baptizavit eunuchum Candacis reginæ Æthiopum, ſicut conſequenter narrat: & poſt diſceſſum ejus *pertranſiens euangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream.* (Act. 8.) De quo Lucas alibi mentionem facit, cum tranſitum Pauli ad Hieruſalem enumeraſſet, ita dicens: *Alia autem die profecti, venimus Cæſaream. Et intrantes domum Philippi euangeliſtæ, qui erat unus ex ſeptem, manſimus apud eum. Huic autem erant filiæ quatuor virgines prophetantes.* (Act. 21.) Unde apparet, quia iſte Philippus non fuit epiſcopus, neque chorepiſcopus, ſed tantum diaconus & euangeliſta. Si enim chorepiſcopus eſſet, nequaquam ſcriptor hiſtoriæ hoc tacuiſſet. Necdum Apoſtoli ab invicem diſceſſerant, ut in ſingulis provinciis aut civitatibus epiſcopos aut chorepiſcopos ordinarent; ſed in Hieroſolymis tantum manentes prædicabant verbum Dei, donec Spiritus ſancti diſpoſitione agente, ad prædicandum gentibus per orbem directi ſunt.

Sicque omnis ordo eccleſiaſticus in ſingulis locis juxta eorum diſpoſitionem diſtributus, hactenus in eccleſia catholica ſervatur: & ſicut una fides, unum baptiſma, una religio, a Chriſtianis in toto orbe tenetur: ita unius ejuſdemque Spiritus ſancti diſtributione pax & concordia in electis Dei ubique firmiter corroboratur, omniſque diſcordia procul pellitur. Quoniam juxta Apoſtolum, *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei: qui autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* (Rom. 8.)

Proinde idem doctor gentium nos admonet dicens: *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in caritate, ſoliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* (Epheſ. 4.)

Convenit enim quibuſque fidelibus & membris corporis Chriſti, ut honore ſe invicem præveniant, ſe ſufferant: ne contra Apoſtolum *efficiantur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes*: (Galat. 5.) Sed magis unanimes omnes ſint in oratione, *compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, humiles*; (1. Pet. 3.) nihil agant per contentionem, quia non eſt diſſenſionis Deus ſed pacis.

Hæc enim tantummodo nobis credendi regula ex præcepto Dominico conceditur, ut contendamus per anguſtam portam intrare, & artam viam intendere quæ ducit ad vitam; non latam & ſpatioſam, quæ ducit ad mortem. Si enim bonæ devotionis & manſuetudinis indicia per humilitatis atque obedientiæ præbemus officia: veri imitatores Dei effecti, Chriſti domini ſequemur exempla, qui, cum adhuc peccatores eſſemus, pro impiis ſervis *mortuus eſt, juſtus pro injuſtis: ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu.* (1. Pet. 3.) *Qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per euangelium.* (2. Tim. 1.) Excelſus inter angelos, humilis inter homines, miniſtrare voluit, non miniſtrari. Unde in cœna myſtica diſcipulorum pedes lavit, & linteo quo erat præcinctus terſit, cum publicanis & peccatoribus manducavit, peccatricem mulierem ad ſe accedere permiſit, & lavare lacrymis ac tergere capillis pedes ſuos conſenſit, nihil veritus phariſæorum ſuperſtitioſam reprehenſionem, propter quod injuſtis querimoniis eorum ita reſpondit dicens: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* (Luc. 7.) Et item. *Non veni*, inquit, *vocare juſtos, ſed peccatores.* (Matt. 9.) Et alibi: *Filius*, inquit, *hominis venit ſalvare quod perierat.* (Matt. 18.) Et rurſum: *Non enim venit filius hominis ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* (Joan. 3.) At contra ſi deſpectis cæteris fratribus ac conſervis noſtris, in ſublime volumus extolli, ac ſoli potentes & glorioſi cupimus ab hominibus videri: ſine dubio illius imitamur jactantiam, qui deſpectis cæteris ſanctis, angelorum turmis ad ſimilitudinem Dei non per humilitatem ſed per jactantiam voluit ſublimari, cum dixit: *Aſcendam in cælum, ſuper altitudinem nubium, ponam thronum meum ad aquilonem; & ero ſimilis Altiſſimo.* (Iſai. 14.) Unde merito de ſublimitate angelica projectus in inferni tartarum draco perfidus, traxit ſecum tertiam partem ſiderum: ubi & nos, ſi ejus ſequimur vecordiam, propter mentis noſtræ ſuperbiam a ſanctorum ſocietate expulſi, pœnas gehennæ cum illo luemus æternas.

Quomodo autem tam prælatis quam ſubditis agendum ſit, eccleſiæ paſtor Petrus in epiſtola ſua admonet dicens: *Seniores ergo qui in vobis ſunt obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ejus quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator: paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee, ſecundum Deum; neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo: & cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus; omnes autem invicem* (1. Pet. 5.)





*vicem humilitatem inſinuate: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Quapropter neceſſarium mihi videtur, ut omnes humiliemus nos ſub potenti manu Dei, quatenus ipſe nos exaltet in tempore viſitationis: & quiſquis in majori dignitate ex electione Divina ſe poſitum agnoſcit, commilitones ſuos ac miniſtros omni honore dignos arbitretur, & ex mutua dilectione locum eis præbeat perficiendi ac bene operandi: quia venient dies, quando non honoris dignitates, ſed bonorum operum requirentur actiones. Filius enim Dei venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* (Rom. 14. 2. Cor. 5.) Qui autem inferioris gradus eſt, non majora & quæ ad ſe non pertinent per elationem appetens, tentet: ſed contentus ſit officio, quod ſibi Divina ordinatio voluit conferre: & ita rite credendo, ac recte docendo, beneque operando, quotidie in Deum proficiat, ut miniſterii ſui bonum præmium conſequatur. Qui enim bene miniſtraverit, gradum ſibi bonum adquirit. Unde ipſa veritas ait: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum pater meus.* (Joan. 12.) Et alibi: *Volo*, inquit, *pater, ut ubi ſum ego, ibi ſit & miniſter meus.*

Grandis honor eſt, Chriſti miniſtrum eſſe: unde & grande præmium bene miniſtrantes ſequitur, ita ut cum Chriſto & ſanctis angelis ejus in cæleſti beatitudine ſine fine lætentur: atque ideo non convenit ſervis Chriſti contendere de ſublimitate honoris, ſed magis certare de utilitate ſanæ prædicationis, & aſſiduitate bonæ operationis, ut populus Chriſti audiat ex ore eorum verbum rectæ fidei, & videat in actibus eorum bonum exemplum per humilitatis indicium, quia juxta veritatis ſententiam: *Omnis qui ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltabitur.* (Matth. 23.) Qui enim gradum honoris in eccleſia Chriſti acceperunt, quomodo vivere debeant & quid agere, audiant ipſum Dominum oſtendentem atque præcipientem: *Sint*, inquit, *lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus: & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei.* (Luc. 12.) Et quale eos præmium taliter facientes in futuro ſequatur, mox ſubjungit, dicens: *Beati illi ſervi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Et paulo poſt: *Quis putas eſt*, inquit, *fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſervus, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit ita facientem. Vere dico vobis, quia ſuper omnia quæ poſſidet, conſtituet illum.* Non enim pigris & hebetibus doctoribus, & de primatu hujus mundi atque divitiis certantibus, tale præmium promittitur: ſed bene laborantibus, & digne Deo ſervientibus.

Non eſt enim æquum, ut collatio ſacri ordinis, ſervis Chriſti fiat cauſa elationis & terrenæ voluptatis: quia nec in ipſius magiſtri nec in diſcipulorum ejus dictis ſive exemplis aliquid hujuſmodi reperiunt. Quomodo autem de Chriſti moribus nos inſtruat apoſtolus Paulus, audiamus: *Hæc autem*, inquit, *ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.* (Philip. 2.) Hinc ergo diſcipulis ſuis præcepit, dicens: *Nolite ſoliciti eſſe, dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite autem primum regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* (Matth. 6.) *Qui non renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* (Luc. 14.) *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur: animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* (Luc. 9.) &c. Hinc & Petrus exhortans fideles in epiſtola ſua, ait: *Succincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii perfecte ſperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in revelationem Jeſu Chriſti, quaſi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis, ſed ſecundum eum qui vocavit vos, ſanctum; & ipſi ſancti in omni converſatione eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* (1. Petr. 1.) De quo & Joannes ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas patris in eo, quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis & concupiſcentia oculorum eſt, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt; & mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* (1. Joan. 2.) Huic & Paulus ait: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus: ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, arma juſtitiæ Deo.* (Rom. 6.) Et iterum: *Carnis*, inquit, *curam ne feceritis in deſideriis.* Et rurſum: *Non ergo amplius invicem judicemus: ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.* (Rom. 13. Rom. 14.) Et iterum: *Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere: unuſquiſque proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem.* (Rom. 15.)

Si autem ſecundum hujuſmodi doctrinam conformemus nos exemplis obedientiæ, humilitatis & manſuetudinis Chriſti, conſiderantes ſinguli, non quod nobis, ſed quod aliis utile eſt, nec cupiditatibus hujus mundi, atque illecebris operam demus: nulla erit inter nos contentio de ſublimitate honoris, & inani jactantia terrenæ poteſtatis, & conflictus nequam de quæſtu nefando præſentis ſæculi: ſed erit firma pax & concordia inter nos, exercebiturque unanimiter cultus pietatis: & religio ſancta, & immaculata coram Deo, (expectantes ſupernam gloriam in revelatione Domini noſtri Jeſu Chriſti) & ſalvatore noſtro, ſine reprehenſione cuſtodietur: & ita omnia membra corporis Chriſti erunt in pace, quem cum non videmus, diligimus; in quem nunc quoque non videntes credimus, & exultando ſperamus, quod in adventu ejus percipia-

cipiamus finem fidei noſtræ, ſalutem animarum noſtrarum.

Igitur quia ordo præteritæ narrationis veſtræ, & reſponſionis parvitatis noſtræ, hoc exigebat, ut contra tam ineptum conflictum ſacerdotum, atque ſcandalum plebis, aliqua de ſcripturis ſacris, atque orthodoxorum patrum ſententiis excerperemus, quæ oſtenderent ac declarando manifeſtarent, quia ſervos Chriſti non oportet litigare, ſed manſuetos eſſe ad omnes, docibiles & patientes: fecimus quod agendum eſſe cenſuimus, & in brevi libello hæc comprehendentes, ſanctitati veſtræ dirigere curavimus: petentes, ut, ſi dignum ducatis hæc legere, ea quæ recte ibi poſita ſint, veſtra autoritate confirmetis: ſi qua autem reprehenſione ibi digna videantur, ignorantem veſtra prudentia inſtruatis, quatenus per omnia labor noſter non inanis fiat, & ſtudium doctrinæ veſtræ multiplici mercede ab omnium bonorum datore remuneretur.

---

# DE ANTIQUIS EPISCOPORUM PROMOTIONIBUS

## Cum diverſis formularum ad eas ſpectantium & formatarum exemplis.

*Ex appendice ad tomum ſecundum conciliorum antiquorum Galliæ.*

### PRÆFATIO.

JAC. SIRMONDI S. J.

*Quo more olim rituque, tum in cætera eccleſia, tum maxime in Gallia, promoti fuerint epiſcopi.*

VEtus olim totius eccleſiæ mos fuit, epiſcopos cleri & plebis, cui præfuturi erant, ſuffragiis creari. Sic enim, ut altius non repetam, Cornelium Romæ clericorum plebiſque ſuffragio epiſcopum factum, *Cyprianus* epiſtola quadrageſimaprima & quinquageſimaſecunda, Cyprianum Carthagine *judicio Dei*, & favore plebis ad officium ſacerdotii & *gradum* epiſcopatus electum, Pontius diaconus in *ejus vita*, Alexandrum in Comanorum eccleſia, *rejectis* iis quos cives ſuffragiis ſuis commendabant, *epiſ*copum a Gregorio Neocæſarienſi deſignatum fuiſſe, auctor eſt Gregorius Nyſſenus. Et quamquam in Oriente poſtea uſus invaluit, ut in epiſcoporum electionibus populi ſuffragia non exquirerentur: poſt Synodum nempe Nicænam, quæ canone quarto & ſexto epiſcopos, nulla cleri plebiſve facta mentione, ab epiſcopis provinciæ creari & ordinari jubet, & poſt Laodicenam, cujus canon decimustertius ſacerdotum electiones turbis, id eſt populis, permitti vetat: atque hoc modo Epiphanium Salaminæ in Cypro epiſcopum ab epiſcopis inſulæ, Baſilium Cæſareæ ab epiſcopis, qui ea de cauſa convenerant, electos tradant, qui eorum vitas conſcripſerunt: & eo ſpectans Baſilius ipſe Nicopolitanis epiſtola centeſima nonageſimaquarta ſcribat, epiſcoporum partes eſſe, populo epiſcopum dare, populi datum ſuſcipere. In occidentalibus tamen eccleſiis jus idem ſuffragii populo in renunciandis epiſcopis etiam poſt ſynodum Nicænam perſeveraſſe, tum Romanorum pontificum Siricii, Cæleſtini, Leonis, decreta, quæ cleri plebiſque conſenſu eligendos ſtatuunt; tum Damaſi, Ambroſii, Auguſtini, Fulgentii, & aliorum, quos eo modo creatos conſtat, innumera paſſim exempla declarant. In Gallia quoque noſtra morem eundem, quamdiu ſub Romanorum imperio ſtetit, obtinuiſſe manifeſtum eſt. Nam & Hilarium apud Pictavos concordante favore populi ſacerdotem factum, Fortunatus; & apud Turonos Martinum Severus, multitudinis, quæ ad ſuffragia ferenda venerat, conſpirantibus votis epiſcoporum factum; Illidium ſimiliter populo eligente ſacerdotem Arvernæ eccleſiæ, paſtoremque conſtitutum, docet Gregorius Turonenſis. Germanum præterea Autiſſiodori, clericorum, nobilitatis, ac plebis urbanæ & ruſticæ ſententia expetitum, Conſtantius presbyter; & Remigium apud Remos, Hincmarus teſtatur omnium generaliter votis ad pontificii culmen raptum potius quam electum. Plebis etiam & oppidanorum judicii ac voluntatis, in Simplicii Bituricenſis, & Joannis Cabillonenſis epiſcopi electione, meminit Sidonius. De Cæſario denique Arelatenſi narrat Cyprianus diaconus, Æonium epiſcopum ſub mortem ſuam clerum & cives allocutum, ut poſtquam deceſſerit, Cæſarium ſibi ſubſtituerent. [illegible] quibus exemplis, aliiſque id genus, apparet liberа in Gallia, quamdiu imperio Romano paruerint, cleri plebiſque in epiſcoporum electione ſuffragia fuiſſe. Cæterum, poſtquam in Gallia, vel in aliis gentibus, pulſis Romanis, exorti ſunt reges: fecit epiſcoporum apud omnes dignitas eximia, ut ſua intereſſe principes ducerent, illos niſi arbitratu & voluntate ſua non creari. Qua in re licet reclamarint ſæpenumero epiſcopi noſtri, atque in ſynodis ſuis priſtinam electionum libertatem ſartam tectam retinere conati ſint, ut in concilio Aurelianenſi III. can. XII. in Arvernenſi, can. II. in Aurelianenſi V. can. XI. in Pariſienſi III. can. VIII. in Pariſienſi V. can. I. in Remenſi, can. XXV. & in Cabillonenſi, can. X. vicit tamen regum autoritas, obtinuitque ut epiſcopi nulli haberentur, niſi quos vel ipſi imperarent, vel a clero civibuſque expetitos probarent & annuerent. Ita ergo Nicetium Treveris docet Gregorius Turonenſis, Theodorici regis juſſu, ad epiſcopatum fuiſſe accitum, datoque populi conſenſu, & decreto regis, ordinatum. Quintianum itidem, & hoc mortuo Gallum, Arvernis ab eodem Theodorico rege datos epiſcopos. Ita, ut de multis pauca commemorem, Germanum Pariſienſem Childeberti, Ommatium Turonenſem Clodomeris, Medardum Viromandenſem, & Euphronium rurſus Turonenſem, & Domnolum Cenomanenſem, Clotarii regis juſſu, vel aſſenſu, cathedram adeptos memorant Gregorius idem & Fortunatus.

Eodemque modo deinceps a Chilperico, fratribuſque, tum a Clotario II. Dagoberto, Clodoveo juniore, ac reliquis Meroveicæ familiæ regibus, delatos fuiſſe aut conceſſos epiſcopatus, & hiſtoriæ produnt, & fidem faciunt apud Marculfum & alios, quæ tum in uſu erant veteres formulæ: quarum aliæ populi ad regem preces continent, hunc aut illum ſibi epiſcopum flagitantis: aliæ, præceptum regis de collato epiſcopatu; aliæ, indiculos ad metropolitanum, & epiſcopos, pro epiſcopi novi ordinatione. Nec diverſam porro ſub primis ſecundæ familiæ regibus Pippino & Carolo rationem extitiſſe, tum eorum quibus epiſcopatus commiſerunt, exempla demonſtrant; tum ſynodi illorum temporibus celebratæ: in quibus cum multa de epiſcoporum officio & diſciplina præcipiantur, nulla uſquam electionum epiſcopalium fit mentio. Primus antiquæ conſuetudinis memor Ludovicus Pius, anno ut reor, imperii ſui tertio, eligendorum epiſcoporum poteſtatem eccleſiæ reſtituit lege lata, quæ a nobis ſuo loco eſt edita, & in primo libro Capitularium, cap. XXCIV. legitur his verbis: DE EPISCOPIS ELIGENDIS. *Sacrorum canonum non ignari, & ut in Dei nomine ſancta eccleſia ſuo liberius potiretur honore, ad ſenſum ordini eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet epiſcopi per electionem cleri & populi, ſecundum ſtatuta canonum, de propria diœceſi, remota perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubjectis uſquequaque prodeſſe valeant.*

Sed hujus tamen legis beneficio ita electionum jura in poſterum uſæ ſunt eccleſiæ, ut ſingulæ mortuo epiſcopo, primum omnium novi eligendi facultatem per metropolitanum a rege peterent, cum viſitatore qui præeſſet electioni. Tum electionis factæ decretum ad metropolitanum referebatur, ut ea regi probata, & electo coram provincialibus epiſcopis examinato, tum demum ordinaretur, mandatumque ab ordinatoribus acciperet, quomodo ipſum in epiſcopali munere juxta canonum ſtatuta verſari oporteret. Quæ





Quæ ſingula cum multis ſæpe locis ab Hincmaro Remenſi explicari ſoleant, tum in libro contra Hincmarum nepotem fere omnia breviter expreſſa ſunt, ubi de metropolitani præ cæteris epiſcopis dignitate ac præſtantia tractat in hunc modum. *In Remenſi provincia*, inquit, *ſi fuerit defunctus epiſcopus, ego, & non tu, viſitatorem ipſi viduatæ deſignabo eccleſiæ, & electionem cum decreto canonico præcipiam fieri. Et ſi in partes ſe eligentium vota diviſerint, meum, & non tuum, eſt eligere, qui majoribus ad ordinandum ſtudiis juvetur & meritis. Et meum eſt ordinandum examinare, non tuum. Tuum eſt autem cum aliis mecum ordinare epiſcopum, & litteris canonicis, quas ordinatus ab ordinatoribus ſuis jubetur accipere, poſt me in tuo loco ſubſcribere.* Quemadmodum autem geri hæc ſingula ſolerent, ut apertius pleniuſque cognoſci ac percipi liceat: operæ precium duximus, diverſas eo ſpectantium epiſtolarum, aliarumque actionum formulas, quæ in manus noſtras venerunt, hoc loco ſubjicere: præmiſſis etiam, de quibus dictum eſt, antiquius formulis, quibus ante reſtitutas electiones utebantur.

## FORMULÆ ANTIQUÆ DE EPISCOPATU.

Quarum olim uſus fuit ſub primis regibus.

*INDEX.*

1. *Cleri plebiſque viduatæ civitatis preces ad regem pro epiſcopo inſtituendo.*
2. *Præceptum regis de epiſcopatu, ad epiſcopum deſignatum.*
3. *Indiculus regis ad metropolitanum, ut deſignatum epiſcopum ordinet cum ſuis comprovincialibus.*
4. *Indiculus alter ad epiſcopum, pro eadem deſignati epiſcopi ordinatione.*

### I.

Cleri plebiſque viduatæ civitatis preces ad regem pro epiſcopo inſtituendo.

*Suggeſtio piiſſimo ac præcellentiſſimo domino Ill. regi a ſervis ſuis, quorum ſubſcriptiones & ſignacula ſubter tenentur inſerta.*

PRincipalitatis veſtræ circumſpecta clementia novit juſta petentibus dignanter annuere, ſui moderaminis judicio ponderante: præſertim cum illud depoſcitur generali prece cunctorum, quod & communiter proficere conſtet ad eccleſiæ regimen, & ipſius regalis clementiæ proſit ſaluti pariter ac mercedi. Quoniam ſanctæ memoriæ vir apoſtolicus Ill. Ill. urbis epiſcopus, fine appropinquante, ab hac luce migravit, tempore naturæ completo, & ne deſtitutæ ſint, quod abſit, oves decedente paſtore, in locum ejuſdem ſuppliciter poſtulamus inſtituere dignemini illuſtrem virum Ill. (aut venerabilem virum Ill.) cathedræ Ill. ſucceſſorem: in quo perſpicuitas ſublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia caſtitatis, caritatis locuples voluntas. Irrefragabiliter manu noſtra hunc conſenſum decrevimus roborare.

### II.

Præceptum regis de epiſcopatu, ad epiſcopum deſignatum.

*Ill. rex illuſtri viro Ill. aut venerabili viro Ill.*

Greg. Turon. l. 6. c. 7. de Ferreoli Ucecenſis epiſcopi ſucceſſore.

DUm juxta Apoſtoli dictum omnis poteſtas ſublimatur a Domino, & quatenus poſt Dominum in regia manet poteſtate, taliter cuncta terrena debeant gubernari. Unde oportet nos ſalubri conſilio retractare, ut illi in locis ſanctorum inſtituantur cuſtodes, qui digni ad ipſum officium gubernandum apparere noſcuntur. Igitur dum & veſtra, & cleri, vel pagenſium civitatis Ill. adfuit petitio, ut relicta urbe Ill. quam primum regere & gubernare videbamini, in ſupradicta urbe Ill. cathedram pontificalem ſuſcipere deberetis, & dum vos apud animos noſtros & actio commendat probata, & nobilitatis ordo ſublimat, ac morum probitas vel manſuetudo, & prudentiæ honeſtas exornat, cum conſilio & voluntate pontificum procerumque noſtrorum, juxta voluntatem & conſenſum cleri & plebium ipſius civitatis, in ſupradicta urbe Ill. pontificalem in Dei nomine vobis commiſimus dignitatem. Propterea per præſens præceptum decernimus ac jubemus, ut ſupradicta urbs, vel res eccleſiæ ipſius, & clerus, ſub veſtro arbitrio & gubernatione conſiſtant, & erga regimen noſtrum ſemper fidem illibatam cuſtodire debeatis, & juxta canonicam inſtitutionem plebem vobis commiſſam aſſiduis prædicationum ſermonibus expolire, & non minus pietate quam ſeveritate conſtringere ſtudeatis: & curam pauperum, vel neceſſitatem patientium, cum ingenti dilectione procuretis, ut acquiſitam multiplicatamque gregis veſtri ſalutem ad ovile Dominicum nullis maculis ſordidatum valeatis præſentare. Quatenus dum eccleſiam vobis diſpenſatione Divina commiſſam ſtrenue regere atque gubernare videmini, nobis apud æternum retributorem mercedem ſuffragia largiantur, & vos immenſum Dominum pro noſtrorum mole peccatorum aſſidue exorare debeatis.

### III.

Indiculus regis ad metropolitanum, ut deſignatum epiſcopum ordinet cum ſuis comprovincialibus.

*Domino ſancto ſedis apoſtolicæ dignitate colendo in Chriſto patri Ill. epiſcopo Ill. rex.*

CRedimus jam ad veſtram reverentiam perveniſſe, ſanctæ recordationis Ill. urbis antiſtitem, evocatione Divina de præſentis ſæculi luce migraſſe. De cujus ſucceſſore ſolicitudine integra cum pontificibus vel primatibus populi noſtri pertractantes, decrevimus Illuſtri viro Ill. (aut venerabili viro Ill.) ad præfatam urbem, pontificalem regulariter, Chriſto auſpice, committere dignitatem. Et ideo ſalutationum jura debito honore ſolventes petimus, ut cum ad vos pervenerit, ipſum ut ordo poſtulat benedicere veſtra ſanctitas non moretur; & junctis vobiſcum veſtris comprovincialibus, ipſum in ſupraſcripta urbe pontificem conſecrare, Chriſto auſpice, debeatis. Agat ergo almitas veſtra, ut & noſtræ voluntatem devotionis incunctanter debeatis implere, & tam vos, quam ipſe, pro ſtabilitate regni noſtri jugi invigilatione plenius exoretis.

### IV.

Indiculus alter ad epiſcopum, pro eadem deſignati epiſcopi ordinatione.

*Ille rex viro apoſtolico Ill. epiſcopo.*

QUamlibet nos ad adminiſtrandum gubernandumque rerum ſtatum præcelſis occupationibus regiæ ſolicitudinis cauſa conſtringat, nihil tamen tam principale ac principe dignum, quam

quam ut cum a paſtorali paululum oberrat plebs deſtituta præſidio, pro ſalute animarum hujuſmodi, perſonis loci celſioris pontificalem proſpiciat committere dignitatem, in quibus maneat dupliciter ſermo, ut populus magiſtrum, actus Chriſti imitetur diſcipulus. Qui plebem non minus pietate quam ſeveritate conſtringat, qui ſciat commiſſa ſibi talenta aſſiduæ prædicationis ſermonibus expolire, & acquiſitam multiplicatamque gregis ſui ſalutem ad ovile Dominicum nullis maculis ſordidatum valeat præſentare. Et quia cognovimus ſanctæ recordationis domnum Ill. urbis Ill. antiſtitem, evocatione Divina ab hac luce migraſſe: de ejus ſucceſſore ſolicitudine congrua una cum pontificibus vel proceribus noſtris plenius pertractantes, decrevimus Illuſtri viro, aut venerabili, Ill. in ipſa urbe pontificalem in Dei nomine committere dignitatem: quem plerumque apud animos noſtros & actio probata commendat, & nobilitatis ordo ſublimat, ac morum probitas vel manſuetudinis ac prudentiæ honeſtas exornat. Qua de re ſtatuta præſentibus ordinamus, ut cum adunatorum caterva pontificum, ad quos tamen noſtræ ſerenitatis devotio ſcripta pervenit, ipſum ut ordo poſtulat, benedicere veſtra induſtria ſtudeat, & voluntatis noſtræ deliberationem reſeratis oraculis publicare, atque effectum Domino annuente ſortiri. Quatenus dum eccleſiam ſibi a diſpenſatione Divina commiſſam ſtrenue regere atque gubernare videtur, nobis apud æternum retributorem mercedem ſuffragia largiantur, & ille pro peccatorum noſtrorum mole indeſinenter immenſum Dominum debeat deprecari.

# FORMULÆ DIVERSÆ

## IN EPISCOPORUM

## Promotionibus uſurpatæ poſt reſtitutam electionum libertatem.


1. *Epiſtola Hincmari ad regem, ut electionem & viſitatorem concedat eccleſiæ Silvanectenſi.*
2. *Epiſtola Hincmari ad Gedenulfum, ut viſitatorem agat in eccleſia Cameracenſi.*
3. *Epiſtola Hincmari ad clerum & plebem Cameracenſem, ut electionem faciant.*
4. *Epiſtola Hincmari ad Belvacenſes, de forma & modo faciendæ electionis.*
5. *Excuſatio Rhemenſium, qui electionem ante viſitatoris adventum feciſſe dicebantur.*
6. *Allocutio viſitatoris ad electores.*
7. *Decretum electionis Hedenulfi epiſcopi Laudunenſis.*
8. *Decretum aliud electionis Æneæ epiſcopi Pariſienſis.*
9. *Decretum III. electionis Anſegiſi archiepiſcopi Senonenſis.*
10. *Epiſtola Senonenſis eccleſiæ ad Hilduinum archicapellanum, pro tuenda electione quam fecerant.*
11. *Examinatio Vvilleberti Catalaunenſis ordinandi Epiſcopi.*
12. *Profeſſio Adalberti futuri epiſcopi Morinenſis.*
13. *Profeſſio altera futuri archiepiſcopi.*
14. *Tractoria Prudentii epiſcopi Tricaſſini, cum electioni Æneæ adeſſe non poſſet.*
15. *Documentum de ordinatione Electranni epiſcopi Redonenſis.*
16. *Canonica littera ab ordinatoribus data Hedenulfo epiſcopo Laudunenſi.*


### I.

### Epiſtola Hincmari metropolitani ad regem, ut clero & plebi Silvanectenſi novi epiſcopi electionem permittat, & viſitatorem deſignet qui præſit electioni.

*Domino Carolo regi glorioſo ſit ſemper ſalus & vita.*

SEptimo Idus Junii, circa horam ſecundam, venerunt tres clerici, & duo laici, Silvanectenſis eccleſiæ, ad exiguitatem meam, innoteſcentes camdem eccleſiam, fratre & conſacerdote noſtro Erpoino defuncto, viduatam eſſe paſtore; ferentes etiam ipſius eccleſiæ tam cleri quam plebis petitionem, ut eis paſtor ſecundum ſacras regulas tribuatur. Quos interrogavi, ſi verbum haberent de pace * cleri ac plebis eccleſiæ ipſius ex aliqua deſignata perſona: qui reſponderunt ſe non aliam petitionem ex parte ſociorum ſuorum afferre, niſi ut apud ſolitam miſericordiam veſtram, liberam illis ac regularem electionem obtinere ſatagerem: quatenus ſecundum ſacras regulas ille, canonico viſitatore directo, ab omnibus eccleſiæ ipſius alumnis valeat eligi, cui debeat ab omnibus obediri. Ego autem licet, ut præfatum eſt, ſacerdotem veſtrum Erpoinum per fratrem Hildeboldum compresbyterum noſtrum octavo Idus Junii defunctum audierim, non tamen ſtatui antea dominationi veſtræ quidquam inde ſuggerere, aut pro eadem eccleſia poſtulare, priuſquam ſecundum regularem morem ab ea legatos acciperem. Quia, ut Leo in decretis ſuis dicit, „ſi in quibuslibet eccleſiæ gradibus providenter ſcienterque curandum eſt, ut in domo Domini nihil ſit inordinatum, nihilque præpoſterum: quanto magis elaborandum eſt, ut in electione ejus, qui ſupra omnes conſtituitur, non erretur? Nam totius familia Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non ſit in capite. Ubi eſt illa beati Pauli apoſtoli per Spiritum Dei emiſſa præceptio, qua in perſona Timothei omnium Chriſti ſacerdotum numerus eruditur, & proinde unicuique noſtrum dicitur: *Manus nemini cito impoſueritis, neque communices peccatis alienis*: Unde religioſa ſapientia veſtra inter alia hæc duo decreta beati Leonis ſagaciſſime ponderabit, quibus dicit, ut in domo Domini nihil ſit inordinatum, nihilque præpoſterum. Quæ ſi idem ſanctus & ſapiens ita aperte non poneret, ſubtilitas intellectus veſtri ſufficienter enuclearet. Propterea, domine reverentiſſime ac clementiſſime, dignetur mihi dominatio veſtra litteris ſuis ſignificare, quem vultis de coepiſcopis noſtris, ut ei ex more litteras canonicas dirigam, & viſitatoris officio fungens in eadem eccleſia electionem canonicam faciat; & aut per ſe, aut per litteras ſuas, vicario ſuo deferente, eamdem electionem, cum decreto canonico ſingulorum manibus roborato, ad me referat, ut per me ipſa electio ad dominationis veſtræ diſcretionem perveniat. Et quia in domo Dei, ut ex verbis Leonis præmiſimus, nihil autoritas patitur inordinatum eſſe, nihilque præpoſterum: cum vota concordia cleri ac plebis in electione regulari, vel veſtræ dominationis conſenſum cognoverimus, litteras metropolitanæ autoritatis ſuper electionem certæ perſonæ ad coepiſcopos Remorum diœceſeos dirigemus, certum diem & locum eis deſignantes, quando & quo ad ordinationem ipſius electi aut ipſi conveniant,

[Margin notes: * f. deeſt — Leo dist. 49. — 1. Tim. 5.]





aut litteras ſui conſenſus per presbyterum aut diaconum vice ſua tranſmittant.

### II.

### Epiſtola Hincmari metropolitani ad Hedenulphum Laudunenſem epiſcopum, ut viſitatoris officio fungatur in electione epiſcopi Cameracenſis.

*Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Remorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus, dilecto fratri ac venerabili coepiſcopo noſtro Hedenulpho ſalutem.*

DIlecto fratre ac venerabili conſacerdote noſtro Joanne eccleſiæ Cameracenſis defunfuncto, hortor ac moneo dilectionem tuam, frater cariſſime, ut ejuſdem eccleſiæ officio viſitatoris noſtræ humilitatis metropolitana delegatione ſuſcepto, ad eamdem eccleſiam quontocius ſtudeas properare, ac aſſiduis hortationibus clerum, plebemque eccleſiæ, publice admonere feſtines, ut remoto privato ſtudio, uno eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant ac eligant ſacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Formam autem electionis, qualiter & qualem eligere debeant, tuæ dilectioni tranſmitto, quam publice coram omnibus tua ſolertia relegi faciat, ne de ignorantia ſe quilibet excuſare prævaleat. Quæ electio non tantum a civitatis clericis erit agenda: verum & de omnibus monaſteriis ipſius parochiæ, & de ruſticanarum parochiarum presbyteris, occurrant vicarii, commorantium ſecum concordia vota ferentes; ſed & laici nobiles ac cives adeſſe debebunt: quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri. Et ſi poſt lectionem formæ electionis a nobis per tuam dilectionem eis tranſmiſſæ, concordes omnes in quamcumque regularem perſonam inveneris, moneas eos decretum canonicum ab eis fieri, ac ſigillatim omnium manibus roborari: & cum decreto canonico, atque cum tentis, qui ſufficienter omnium vice teſtimonium electo ferre poſſint, cum eis mandavero, eumdem electum ad nos adducere curent.

In altera Hincmari epiſtola, quam eadem formula ſcribit ad Hadebertum Silvanectenſem, ut viſitatoris officio fungatur in electione epiſcopi Bellovacenſis poſt obitum Odonis, hoc ſolum eſt diſcrimen, quod ſub initium adjecta eſt mentio conſenſus regii hoc modo: *Officio viſitatoris, conſenſu domini noſtri Ludovici regis, noſtræ humilitatis*, &c. ſub finem vero verbis illis omiſſis, *cum eis mandavero*, paulo longius excurrit in hunc modum: *eumdem electum ad nos adducere tecum examinandum procura. Tua autem dilectio, frater cariſſime, ſolerti cura in hac electione invigiles: præſertim cum nobiſcum tibi neceſſe erit ei qui ordinandus eſt manus imponere: qui bene noſti præceptionem beati Pauli apoſtoli per Spiritum Dei emiſſam, qua in perſona Timothei omnium Chriſti ſacerdotum numerus eruditur: proinde unicuique noſtrum dicitur*: Manus nemini cito impoſueris, neque communices peccatis alienis. *&c.*

### III.

### Epiſtola Hincmari metropolitani ad clerum & plebem Cameracenſem, ut canonicam electionem faciant cum viſitatore ſibi deſignato.

*Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Remorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus, clero & plebi in parochia Cameracenſi conſiſtenti.*

QUia defuncto dilecto & venerabili confratre ac conſacerdote noſtro, patre videlicet ac paſtore veſtro Joanne, neceſſe eſt ut de eligendo atque conſtituendo vobis paſtore, & doctore, ſecundum eccleſiaſticas regulas, votis noſtris in unum Domino mediante convenientibus, præmiſſis jejuniis ac litaniarum obſecrationibus, tractare quantocius matureritis, & exorato eo, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, quique facit unanimes habitare in domo; ita vos una cum ſtudiis hujus venerandi fratris ac coepiſcopi noſtri, cui ſecundum inſtitutionem canonicam viſitatoris officium in eccleſia, cujus amore ac vigore fovemini, delegavimus, in electione regulari concorditer uniatis. Talem autem vobis futurum paſtorem eligite, qui merito vitæ, & ſcientiæ doctrina, vobis præeſſe valeat & prodeſſe, quique a canonibus ſacris non diſcrepet. De cujus electione decretum canonicum unanimi voto agere, & ſigillatim omnium veſtrum manibus in præſentia hujus viſitatoris veſtri roborare ſatagite.

### IV.

### Epiſtola Hincmari altera ejuſdem argumenti ad clerum & plebem Bellovacenſem, in qua & formam rectæ electionis inſinuat.

*Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Remorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus, clero & plebi in parochia Belvacenſi conſiſtenti.*

QUia defuncto dilecto, vel venerabili, confratre ac ſacerdote noſtro, patre videlicet ac paſtore veſtro Hodone, electione canonica a domino noſtro rege vobis ſolita benignitate conceſſa, neceſſe erit ut de eligendo atque conſtituendo vobis paſtore, vel doctore atque rectore, ſecundum eccleſiaſticas regulas, votis noſtris id unum Domino mediante convenientibus, præmiſſis jejuniis & litaniarum obſecrationibus, tractare quantocius maturetis, & exorato eo a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, quique facit unanimess habitare in domo, ita vos cum ſtudiis hujus venerandi fratris ac coepiſcopi noſtri, cui ſecundum inſtitutionem canonicam viſitatoris officium in eccleſia, cujus amore vel vigore fovemini, delegavimus, in electione regulari concorditer uniatis, ut paſtore vos diutius deſtitutos non doleatis. De cujus videlicet a nobis conſecrandi epiſcopi electione, pro impoſito nobis miniſterio, & cura totius provinciæ ſecundum myſticæ Nicænæ ſynodi canones delegata, fraternitati veſtræ auctoritatem divinitus promulgatam intimare ſatagimus. Primo ſcilicet, ut decretum ſine viſitatoris præſentia nemo conficiat, cujus teſtimonio clericorum ac civium poſſit unanimitas declarari. Deinde, ut de eccleſia veſtra, ſive ſit in civitate, ſive in monaſteriis, his diſciplinis inſtitutum, & ita apoſtolicæ formæ convenientem, de diaconibus

bus vel presbyteris eligatis vobis, auctore & fautore Domino, conſecrandum epiſcopum, ſicut cum de eligendo atque conſtituendo epiſcopo ageret, Tito & Timotheo Paulus depingit apoſtolus. Et ſi, quod abſit, de civitatis ac parœciæ veſtræ clericis, ordinandus epiſcopus nullus dignus, vel idoneus ſummo ſacerdotio, quod evenire non credimus, poterit inveniri: tunc alterum de altera diœceſeos noſtræ eccleſia, unde nobis ſecundum Africanum concilium, ſine cujuſquam contradictione, ordinandi quemquam canonice electum & petitum eſt attributa licentia, eligere procurate; qui merito vitæ & ſcientiæ doctrina vobis præeſſe valeat, & prodeſſe, quique ſacris canonibus, præcipue capitulo Carthaginenſis concilii, Qualis debeat ordinari epiſcopus, non debeat obviare; & a decretis patrum, Siricii videlicet, Innocentii, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, atque Gregorii, quantum patitur humana fragilitas, & poteritis conſpicere, non valeat quoquomodo diſcrepare. Si etiam de alterius diœceſi archiepiſcopi, vel parœcia epiſcopi, quempiam vobis notum proficuum & utilem eligere malueritis: neceſſe vobis erit, cum beneplacito illius epiſcopi, cujus intererit, & litteris canonicis petitum obtinere, & ad nos illum mediante viſitatore veſtro examinandum adducere: quatenus, ſi congruus ſacris canonibus inventus fuerit, vobis ordinetur epiſcopus. Ante omnia autem cavete in electione pontificis malum ſimoniacæ hæreſeos; ne pro dato aliquo, vel promiſſione illicita, neque pro gratia cujuſcumque vel familiaritate aut propinquitate alicujus, quemquam attentetis eligere. Non eum, cui nulla natalium, nulla morum dignitas ſuffragetur: vel qui *originali*, aut alicui conditioni obligatus *detineatur*. Neminem ex laicis neophytum, *id* eſt noviter attonſum, & ſine diſci*plina*, vel non per tempora conſtituta, ad eccleſiaſticos gradus provectum. Quod ideo ſpecialiter deſignamus, quia cum canones dicant: Nullus ex laicis ordinetur: demonſtrant quod non de omnibus ſit laicis conſtitutum. Neque enim clerici naſci, & non fieri poſſunt. Sed deſignata ſunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non poſſunt: id eſt, ſi quis fidelis militaverit, ſi quis fidelis cauſas egerit, hoc eſt poſtulaverit: ſi quis fidelis adminiſtraverit, ſi quis viro ante ſervivit, ſi quis publicam pœnitentiam pro culpis criminalibus egit; ſi quis bigamus, vel maritus viduæ fuit, vel ſi concubinam, vel pellicem novit. Cavete nihilominus ne in litteratum, vel alicujus hæreſeos peſte corruptum, ac aliquorum membrorum damna perpeſſum, non negotiatorem clericum, aut inhoneſtis & turpibus lucris incubantem, aut horrendis quibuſdam criminibus implicatum, vel diffamatum, vel dæmoniis ſimilibuſque paſſionibus irretitum, eligere attentetis: ſed domui Dei dignum, fidelem atque prudentem miniſtrum diſpenſatorem eligite, Quatenus interius exteriuſque decenter ornatus, formam vivendi vobis religioſa converſatione demonſtret, & ſana doctrina, inter hujus mundi ac tribulationum tenebras, recto calle gradiendi ſine offenſione ad portum ſalutis æternæ lumen manifeſtare prævaleat: & contra barbaricam infeſtationem, ſi quod abſit, acciderit, vobis ferre auxilium prudentia ſciat, virilitate valeat, temperantia conſulat: & ſic exteriora adminiſtret, ut interiora non deſerat; ſic interioribus ſerviat, ut exteriora penitus non relinquat; & ambidexter, contemplationi mente inſerviat, vitæ activæ ſervitiis intentus, ut fidelis ſervus & prudens; conſervis in tempore tritici menſuram, id eſt modum verbi fidei, probate diſpenſet. Non ſolum in prædicationis ſermone, ac converſationis exemplo verum in cunctis ſaluti ac vitæ neceſſariis neceſſaria & opportuna prævideat.

Can. 22. — Concilium Carthaginenſe IV. can. 1.

Hujuſmodi autem, quantum Dominus dederit, ipſo cooperante electum cum viſitatore veſtro, præſente ſcilicet confratre noſtro, & cum decreto canonico, ad humilitatis noſtræ ſollicitudinem examinandum adducite: quia, ut longe ante nos dictum eſt, non eſt facile dimittendus, cui eſt proximus committendus. Prænoſcere vos denique volo quia ſi perſonam a ſacris canonibus deviam ſcienter nobis adduxeritis, non ſolum ex ea pontificem non habebitis, verum etiam pro illicita electione, ut contemptores canonum, judicium incurretis. Sed & noſtro ac coepiſcoporum noſtrorum judicio refutata rationabiliter electione veſtra incongrua, talem ſecundum Laodicenſes canones ſtudebimus eligere, qui veſtris vitioſis voluntatibus non valeat conſentire: quia ſicut bene petentibus dicit Dominus, *Petite, & accipietis*, ita & per apoſtolum male petentes redarguit dicens: *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*. Petite, fratres a Deo, ut vobis paſtorem ſecundum cor ſuum tribuat. In cujus electione ſi non plus temporalia, quam ſpiritualia commoda ſtudueritis attendere, gratiam ſuæ electionis electioni veſtræ bonorum operum & piorum ſtudiorum auctor & cooperator ſtudebit accommodare, qui non ſicut homo tantum in faciem, ſed ſingulorum corda ſcrutatur, & renes. Cui eſt honor & gloria, poteſtas & imperium, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Matth. 7. — Jac. 4.

*Huic ſimilis altera in codice Tillano legitur Herivei archiepiſcopi ad eoſdem Bellovacenſes, de eligendo epiſcopo poſt obitum Erluini.*

## V.

Excuſatio Remenſium, qui ante viſitatoris adventum, epiſcopum, poſt Hincmari mortem, elegiſſe dicebantur, ad Hildeboldum Sueſſionenſem, & cæteros provinciæ Remenſis epiſcopos.

*Sanctiſſimo & reverentiſſimo patri, domno Hildeboldo venerabili epiſcopo, una cum cæteris epiſcopis cujus ſanctæ ſedis metropolis eccleſiæ, canonici & monachi, & etiam quidam laici ſanctæ ſedis Remenſis eccleſiæ, quorum nomina ſubter adſcripta patebunt, præſentem felicitatem, æternamque beatitudinem.*

NOverit paternitas veſtra, ad exiguitatem noſtram perveniſſe quoſdam, qui, ſicut ait Apoſtolus, in hac parte ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, vobis nuper, & domno Hugoni abbati, & Angelvvino venerabili epiſcopo, & aliis quibuſque, de parte noſtra generale mandatum pertuliſſe: videlicet a majori uſque ad minimum omnes electione facta, contra omnem conſtitutionem canonicam, antequam viſitator ad nos perventus ſit, conſenſiſſe, & nomine tenus quemdam deſignaſſe; & hanc falſitatem uſque ad regias aures jam perveniſſe. Quod nos non tam præſumptioſe, &, ut apertius dicamus, ſtolide ullo modo egiſſe, quæſumus vos primum ſcire, ac per vos, & præfatum domnum abbatem, vel epiſcopum Angelvvinum, cœteroſque omnes, ad quos hæc pravitas divulgari potuit, certos reddere flagitamus: & ſicut haſtenus abſtitimus ab ullius certæ perſonæ electione, ita deinceps, donec pietas Divina & regia clementia nobis conceſſerit viſitatorem, abſtinere pro certo noveritis. Unde & uno parique conſenſu unum e nobis, non minus fidum quam fidelem fratrem noſtrum nomine Guntramnum, venerabilem monachum, & ſacerdotem, atque præpoſitum cænobii Altivillarenſis, cum his pariter apicibus vobis direximus, qui viva voce ea etiam, quæ hic longum fuit inſerere, verbis per ſingula manifeſtet. Et hæc ſunt nomina eorum, qui hujus excuſationis, & prælatæ culpationis, uno conſenſu ad vos hæc dirigunt. Valeat ſancta paternitas veſtra ad vota noſtra ſemper in Domino.

1. Joan. 2.

Data Nonis Februarii.

*Nomina canonicorum de congregatione S. Mariæ.*

Framericus presbyter atque vicedominus [a] S. Teuto presbyter atque præpoſitus S. Odelhardus archipresbyter pro ſe, & ad vicem Hildradi archipresbyteri S. Otbertus decanus S. Rodoardus presbyter S. Sichelmus indignus presbyter S. Seulfus presbyter S. Teudericus presbyter S. Rothardus presbyter S. Caleſtus presbyter S. Walthadus presbyter S. Hardierus presbyter S. Romoldus presbyter S. Guntbertus presbyter S. Rodoaldus presbyter S. Samuhel prebyter S. Heirbrannus diaconus S. Erch[illegible] diaconus S.

[a] Hoc eſt, ſubſcripſit. H.

*Monachi de S. Remigio.*

Tetboldus presbyter atque præpoſitus S. Rotfridus major monachus S. Boſo presbyter & monachus S. Rotgerus presbyter & monachus S. Rotfridus minor, & presbyter S. Flodouvinus presbyter & monachus S. Guntherus diaconus & monachus & Bernerus diaconus & monachus S.

*Canonici de S. Baſolo.*

Ramigilus presbyter S. Amalricus presbyter S. Waningus diaconus S.

*Canonici de S. Theoderico.*

Erloldus presbyter S. Odelbertus presbyter S. Engericus diaconus S. Tetherus diaconus S. Waltharius diaconus S. Agenardus diaconus S.

*Monachi de Orbacis.*

Rambradus præpoſitus S. Heirmardus decanus S. Lantherus diaconus S. Rodoardus diaconus S. Sicfridus diaconus S.

*Vaſalli.*

Liudo. Odalricus. Fidentius. Gibuinus. Rotmarus. Uto. Geroldus. Giſſemarus. Sidrach. Allo. Hadericus. Rodulfus, Hagano. Rumbertus. Wido. Adroldus. Gerardus. Framericus. Rothardus. item Hadericus. Berno. Magembodus. Brunerus. Nodilo. Amalraus. Amalbertus. Agbertus. Gerbertus.

*Hactenus excuſatio Remenſium ex veteri codice ſancti Laurentii Leodienſis, ubi inſcribitur:* CONSENSUS canonicorum & monachorum Remenſis eccleſiæ de electione domni Fulconis, *qui Hincmaro ſucceſſit*,

## VI.

*Allocutio viſitatoris epiſcopi ad clerum & plebem electionis cauſa congregatam.*

ANnunciamus vobis, dilectiſſimi fratres, quatenus Divina inſpiratione admonitus dominus clementiſſimus & imperator Chriſtianiſſimus Hludovvicus unamquamque rem, quæ vitio aliquo depravata fuerat, ad ſuum jus & ad rectitudinis tenorem nititur revocare. Et maxime de his quæ ad Dei eccleſias pertinent curam gerit, ut ſuos omnimodo habeant honores, & ut rectores earum apti ſint ea prævidere quæ eis commiſſa ſunt. Notum ſit omnibus ſuis fidelibus, qui in iſta parochia conſiſtunt, ideo nos huc miſſos fuiſſe, ut conceſſam ab eo poteſtatem inter vos eligendi ſacerdotem annunciaremus: quia multum ei veſtra fatigatio abhorret, quod tamdiu abſque paſtore & rectore eratis. Quamobrem imperialis clementia atque prudentia talem virum a Deo electum, & omnibus probatum eligere ſanxit, qui ad utilitatem omnium in ſancta Dei eccleſia proficiat. Et univerſa veſtræ ſanctitati enumerare juſſit, quibus virtutibus & moribus ornatus, quibuſque vitiis & reprehenſionibus innotabilis exiſtere debeat, qui ad talem honorem deſiderat pervenire. Cujus optime beatus Paulus apoſtolus vitam moreſque diſcutiens in epiſtola quam ſcripſit ad Timotheum. Dicit enim: *Si quis epiſcopatum deſiderat*, uſ[illegible] *incidat in laqueum diaboli*. Item ad Titum de [illegible]ſcribens ait, *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ*, [illegible] *contradicentes reſiſtere*. Apportetur liber, & præſentibus vobis iſtæ ſententiæ legantur. Volumus ut etiam canones coram vobis legantur, in quibus præcepta noſtræ vitæ continentur; ut in illis potius diſcamus, quales ad tale miniſterium promoveri conveniat. Ideo revera & ſententias Apoſtoli, & capitula canonum legi præcipimus, ne quis ignorationis cauſa ſe poſſit tueri, ſi de electione fuerit jure correptus. De canone apoſtolorum c. 17. & 18. & 30. & 37. legatur. Item de canone Antiocheno c. 19. Item de canone Laodicenſium c. 12. & c. 13. Item de canone Chalcedonenſi c. 2. & c. 4. Item de canone Sardicenſis concilii c. 2. & c. 5. Item de canone Africani concilii c. 17. Item de canone Hipponenſis concilii c. 17. & c. 57. Item de decretis papæ Siricii cap. 8. & cap. 9. & 14. Item in decretis Zoſimi cap. 3. Item in decretis Innocentii cap. * Item in decretis Gelaſii c. 24. Item in decretis Cæleſtini cap. 18. & 20. Item in decretis Leonis papæ cap. 33. & cap. 35. & cap. 49.

1. Tim. 3. — Tit. 1.

Meminiſſe vos decet, o Dei ſacerdotes, propoſiti & ordinationis veſtræ, qui gubernacula tenetis animarum, & poſiti eſtis columnæ in eccleſia Dei ad ſuſtentandos infirmos, ad confortandos imbecilles, ad conſolandos puſillanimes. Vobis cura pauperum commiſſa eſt, veſtro ore corpus Chriſti conficitur, per impoſitionem manuum veſtrarum a laqueis diaboli homines liberantur. Cavete ne ab adverſario decipiamini, ut conceſſa poteſtas eligendi majus vos ponat periculum. Bene noſtis, fratres, quod periculum vobis dicimus. Id eſt, ne quis per adulationem, aut per timorem, aut per præmium, aut per aliquam talem amicitiam, quam nonnulli inter ſe homines dando & remunerando

rando habere ſolent; ſed is qui dignus, & omnibus amabilis, & moribus bonis, & ſanctæ converſationis exiſtens, ad iſtam ſanctam & venerabilem ſedem pontifex eligatur. Mementote quemadmodum de imperitis vel falſis paſtoribus Salvator loquitur dicens: *Quod ſi cæcus cæcum duxerit, nonne ambo in foveam cadent?* (Matth. 15.) Non dominum eligite, ſed ſacerdotem; non tyrannum, ſed epiſcopum; non qui præeſſe, ſed prodeſſe velit; non eum cui dominari magis, quam conſulere ſubditis placet. Hucuſque ſacerdotibus loquimur, de quibus Dominus dicit; *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* (Levit. 11.) Nunc ad cæteros clericos veniamus, qui cum humilitate & patientia expectant, donec ad altiorem promoveantur gradum: qui benedictionem jam ſibi datam bonis operibus adornent, & nullis vitiis ſubjaceant. Vos etiam, fratres, admonemus, ut in hac electione unanimes ſitis, veſtriſque prioribus obedientes, pari devotione, communique conſilio, utilitatem veſtram conſiderantes, nihil præter illorum conſcientiam facientes. Una voce pariter unum Deum ſuppliciter deprecamini, qui nullis meritis facientibus poteſtatem vobis eligendi tribuit, ſibi placibilem & vobis utilem gubernatorem vos manifeſtet. Attendite ne tam præclarum & deificum munus ab eis deludatur, qui magis ſua conſiderant commoda, quam aliorum. His enim nullus in hac electione locus detur, qui ſanum rectumque conſilium veſtrum pernicioſis argumentationibus diſturbare pertentant: ſed juxta canonum inſtituta, plurimorum ac meliorum prævalcant & roborentur ſententiæ. Vos ergo, virgines, viduæque, admonemus, quæ vitam veſtram ſoli Deo dicaſtis, ut ab illo cumulum mercedis, aliæ centeſimum, aliæ ſexageſimum reciperetis, ut ſimul cum his *quibus* ſupra diximus, una mente Deum *deprecemini*, ut talem vobis ſacerdotem dare dignetur, qui gregem ſibi commiſſum ab omni periculo defendere valeat & velit. Non prætermittimus vos nobiles & fideles laicos, qui licitis connubiis adſtricti, & ad generandas proles legitimis conjugibus eſtis copulati, ut una voce, communi conſilio, Deum omnipotentem pariter invocetis, ut non de aliena eccleſia ſacerdotem vobis mittat, ſed de iſta familia, ſi dignus in ea aliquis fuerit inventus, dare dignetur. Sæpe enim inter eum qui de aliena eccleſia fuerit pontifex factus, & inter gregem ſibi commiſſum, ſcandala & contentiones oriuntur, & peccatis facientibus fit lupus, qui debebat eſſe paſtor. Et ſemper inter eos, ut ait Apoſtolus, *foris pugnæ, intus ſunt timores.* (2. Cor. 7.) Abſit ut inter vos talis eligatur, qui poſtea de pravis actibus incriminari aut condemnari poſſit. *Nolite errare*, inquit Apoſtolus, *Deus non irridetur.* (Gal. 6.) Si forte aliquis per veſtrum præmium, aut per aliquam malitioſam artem, hanc ſedem ſubripere conatus fuerit, & hoc vobis malum conſentientibus ut in illum electio veniat, hoc nequaquam conſentiemus vobis, ſed domno imperatori ennunciabimus: & ille, ſine ullo periculo, & cum licentia canonum, undecumque & cuicumque clerico voluerit dare poterit. Et tunc merito auferetur a vobis poteſtas eligendi, quia Deum offendiſtis, & voſmet abominationem exhibuiſtis. Id noverit veſtra tantummodo aſtutia in hac re eſſe ſequendum, quod nec præceptis apoſtolicis contrarium, nec decretis ſanctorum inveniatur adverſum. Hactenus ſingulariter unumquemque per gradum & propoſitum ſuum admonuimus; nunc generaliter ad omnes ſermo noſter dirigitur, quia non ſolum hi qui primores, ſed etiam minimi, qui in iſta parochia ſunt, iſtiuſmodi rebus omnino indigent. Magnopere ſtudendum eſt, dilectiſſimi fratres, Deum ſuppliciter deprecari, ut talem inter vos ad ſuum ſervitium aptum, & vobis profectuoſum, per ſuam magnam clementiam manifeſtare dignetur. Ideoque admonemus, ut triduana jejunia ab omnibus in iſta parochia commorantibus fieri jubeantur, & ut eleemoſynæ quantumcumque dare potuerit in ſuo maneat arbitrio. Simulque omnes una voce unaque mente omnipotentem Deum deprecemur, ut talis Dei famulus, Deoque dignus, & bonis hominibus acceptus, ad illam venerabilem ſedem pontifex eligatur, qui poſtmodum nullo vitio nulla reprehenſione arguatur: ſed ſit bonis moribus ornatus, & ſancta converſatione ſuffultus, ſacriſque litteris imbutus, & idoneus miniſter eſſe poſſit ad perficiendum ea quæ ei commiſſa fuerint. Quiſquis abutitur miniſterio, non ſibi tantummodo nocet, ſed etiam illis, quibus ad inſtar ſpeculi in altiori & eminentiori loco eſt poſitus, cujus vita & actiones cunctis ſub illius regimine conſtitutis exemplar eſſe debeat. Quod ſi ejus opera, qui cæteris præpoſitus eſt, doctrinam deſtruunt, cunctis ad diſpectionem ſuo exemplo ſemetipſum præbet. Ideoque eadem veſtigia reciprocis ſermonibus iteramus, ut melius intelligatis quanto ſtudio atque prudentia ea debetis prævidere, quæ diutius & ſtabiliter debent permanere. Nobis quoque hujus electionis tantum obſervatio credita eſt, ne per ignorationem aut ambitionem delinquere ſinamus. Ideoque mandamus vobis ex verbo domni imperatoris, & per illam fidem, quam Deo, & domno imperatori Hludowico, jurejurando conſervare promiſiſtis, & ne in illa terribili excommunicatione, in qua omnes ante tribunal judicis conſiſtere debemus, in graviſſimam damnationis ſententiam incidatis, unde ultra evadere nullatenus valeatis, ſed æterna damnatione execrabiles, luatis in perpetuo pœnam: ut eum quem meliorem, & doctiorem, & bonis moribus ornatiorem, in iſta congregatione converſari noveritis, nobis eum celare non dedignemini. Non enim parva res eſt, quam ſuperius diximus. Eam animis infigite veſtris, ut diutius ventilata ad puritatem hujus rei & ad unanimitatem corda veſtra convertat. Numquid tam obdurati animo eſtis, ut noſtra monita ſurda aure pertranſeant? aut lapideum cor & ex ſilice natorum noſtra non emolliat oratio? Quis infelicium de tali non terreatur ſupplicio? Quis miſerorum, qui talibus dictis non vereatur? Audiant hi & timeant, qui fautores fieri volunt iniquorum, Plaſmiſtam dicentem: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* (Pſal. 49.) Et etiam nihilominus delinquunt qui pravis actibus conſentiunt, quam qui perverſa agunt. Non eos ſolummodo eſſe reos Apoſtolus teſtatur, qui mala faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus. (Rom. 1.) Timemus ergo veſtram offendere dilectionem, quod tam duriter loquimur. Sed confidimus in eo, quia idcirco nobis indignari non vultis, quia perverſa conſilia vel acta teſtamur. Sed quicumque iraſci mavult, ſuam magis indicare conſcientiam poterit, quam noſtram depravare ſententiam. Ideoque prius vitium accuſamus, quam oriatur, ut penitus deleatur: & ne nocivum vel peſtiferum genus ambitionis detrimentum in vobis creet, aut quod ulla ambiguitas ſermonum, vel diverſitas voluntatum, a vero rectitudinis tramite voſmet deviare poſſet.





## VII.

Decretum cleri & plebis eccleſiæ Laudunenſis de electione Hedenulfi epiſcopi, ad Hincmarum metropolitanum, & epiſcopos provinciæ, ut illum ordinent.

*Domino reverendiſſimo & ſanctiſſimo Hincmaro archiepiſcopo, cæteriſque noſtræ diœceſeos ſanctis patribus & epiſcopis, clerus Laudunenſis, cum totius parœciæ plebibus, & ſibi conjunctis præſulibus, æternam in Domino Jeſu Chriſto ſalutem & pacem.*

CAnonicis regulis & apoſtolicis inſtitutionibus ſtatutum eſſe recolimus, ut quotiens quælibet civitas miniſterio pontificalis dignitatis caruerit, proprioque paſtore vacaverit, cum decreto electionis, ſingulorum petentium manibus roborato, metropolitanum adire pontificem debeant, & de ſubſtituendo, in loco ejus qui deceſſit, paſtore, petitione ſupplici commonere, quatenus & civitas ſolicitudine paſtorali deſtituta proprio recuperetur pontifice, & qui ordinandus eſt, gratioſius poſſit accedere: quia cui debet ab omnibus obediri, utique debet & ab omnibus eligi; ne civitas non optatum epiſcopum aut contemnat, aut oderit & fiat minus religioſa, quam convenit, cui non licuit habere quem voluit: hi vero qui ordinaturi ſunt, in quem viderint omnium vota propenſius concordare, promptius liberuſque illi manus imponere poſſint. Quapropter cum decreto noſtræ electionis manibus ſingulorum noſtrorum roborato ad paternitatem veſtram accedentes, Hedenulfum eccleſiæ noſtræ filium, & in eccleſia noſtra, ſuffragantibus ſtipendiorum meritis, ad onus uſque ſacerdotale promotum, vita & moribus, ac ſancta converſatione idoneum approbatum, quem per licentiam veſtram, favente Chriſtianiſſimo imperatore Carolo pari conſenſu ac concordi devotione, atque unanima voluntate elegimus, per manus veſtras, ac cæterorum veſtræ diœceſeos ſanctorum epiſcoporum, conſecrari, nobiſque & eccleſiæ noſtræ doctorem atque pontificem inſtitui imploramus, precamur, ac petimus. Elegimus autem eum nobis fore paſtorem, quem apoſtolicæ formæ, qua epiſcopum ornatum beatus Paulus eſſe oportere demonſtrat, congruere, & ſacris non obviare canonibus Chriſti gratia cooperante confidimus. Oramus ſanctam paternitatem veſtram nunc & ſemper in Chriſto bene valere.

Actum quinto Kalendas Aprilis, in baſilica ſanctæ Mariæ genitricis Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, anno Incarnationis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCLXXVI. regni domni Caroli imperatoris XXXVI. & imperii primo, Indictione nona.

*Hoc decretum electionis pontificalis ſuo anno reddidimus tomo* XI. *conciliorum pag.* 277.

## VIII.

Aliud decretum cleri Pariſienſis de electione Æneæ epiſcopi, quem Carolus rex inſinuaverat, ad metropolitanum Senonenſem, ejuſque provinciales epiſcopos.

*Religioſiſſimis patribus & fratribus, Weniloni metropolitano Senonicæ ſedis antiſtiti, & univerſo clero ejus, & cæterarum eccleſiarum præſidentibus, quæ in diœceſi memoratæ ſedis cenſentur, cunctis in eis Domino famulantibus, clerus matris eccleſiæ Pariſiorum, & fratres cœnobii S. Dionyſii, & S. Germani, & beatæ Genovefæ, ac Foſſatenſis, diverſorumque monaſteriorum unanimitas, præſentem & futuram ſalutem.*

VEnerabilem paſtorem noſtrum Ercanradum nuper deceſſiſſe cum longe lateque divulgatum ſit, tum ſanctitatem veſtram latere non potuit; noſque affici mœſtitia de vocatione patris defuncti, ac ſolicitudine permoveri de electione ſucceſſuri, prudentia veſtra intelligit. Cum enim principaliter ſe futurum Dominus Jeſus polliceatur cum his qui principes religionis exiſtunt, non patimur diu carere antiſtite, cujus doctrina ad ſalutem noſtram inſtituamur, exemplo informemur, benedictionibus in nomine Domini muniamur. Ejus utpote bonorum omnium autoris nequaquam nos cura deſtitutos firmiſſime credimus, dum ipſe curas noſtras ſua clementia ſuſtulit, & vota ultronea benignitate prævenit. Namque ipſe, in cujus manu cor regis eſt, glorioſi domini noſtri Caroli, quemadmodum plene confidimus, menti infudit, ut ejus nos regimini committeret, quem in divinis & humanis rebus ſibi fidiſſimum multis experimentis probaſſet. Igitur Dei pronam in nos amplectentes miſericordiam, & regis noſtri piam ſuſcipientes providentiam, Æneam, cujus præconia præmiſimus, concorditer omnes eligimus. Æneam patrem, & Æneam pontificem habere optamus. Quamvis enim tanta providentia ac probitate præcellentiſſimus rex noſter polleat, ut ſolum ejus judicium de viro nominato poſſe ſufficere: tamen conditionis humanæ obnoxii, futurarumque curioſi rerum, nos ipſi proponimus ac mores longe prius inſpeximus, & inter graves probabileſque perſonas, & ſanctitate ferventes, hunc quem antiſtitem habere cupimus, quotquot eum noſſe potuimus, ut nunc palam eſt, abſque errore annumeravimus. Proinde, ſancti patres, ne dilatione divini & regii beneficii torqueamur; ſed nobis ſuſpenſis, nobis deſiderantibus, nobis flagitantibus, ponatur celeriter lucerna ſuper candelabrum, ut lumen veritatis populus Dei videat, & æmula devotione præſulis veſtigia tenens, ſempiternæ beatitudini præparetur. Profeſſionem vero noſtri conſenſus in Æneam, Deo annuente, per veſtrum miniſterium nobis futurum antiſtitem, ſubſcriptionibus noſtris certatim roboravimus; ut noſtra unanimitate comperta, votum ſumma properantia compleatis.

## IX.

Aliud decretum cleri & plebis Senonenſis, de electione Anſegiſi metropolitani, qui ex alia provincia petitus eſt, ad epiſcopos provinciæ Senonicæ.

*Dominis reverendiſſimis ac venerabilibus Senonum diœceſeos patribus & epiſcopis, Senonum eccleſiæ clerus, cum totis ejuſdem parochiæ plebibus ſibi conjunctis, pacem perpetuam, & gloriam ſempiternam ſemper & ubique optamus in Domino.*

CAnonicis regulis & apoſtolicis inſtitutionibus ſancitum eſſe recolimus, ut quoties metropolis civitas pontificalis miniſterio dignitatis caruerit, proprioque vacaverit paſtore, ſuffraganei

ganci ejuſdem metropolis convenire debeant, & electionem futuri pontificis, cum conſenſu cleri & plebis facere; ac cum decreto electionis, ſingulorum petentium manibus roborato, ſuffraganeos adire debeant pontifices, ac de ſubſtituendo in loco ejus qui deceſſit, paſtore, petitione ſupplici commonere: quatenus & metropolis civitas paſtorali ſolicitudine deſtituta, proprio recuperetur pontifice, & qui ordinandus eſt gratioſius poſſit accedere: quoniam cui debet ab omnibus obediri, debet utique & ab omnibus eligi: ne civitas epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religioſa, quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit: hi vero qui ordinaturi ſunt, cum in quem viderint omnium vota propenſius concordare, promptius ac liberius illi poſſint manus imponere. Idcirco cum decreto electionis noſtræ manibus ſingulorum noſtrorum roborato, ad paternitatem veſtram accedentes, & Anſegiſum presbyterum Remorum diœceſeos, eccleſiæ autem Belvacenſium, atque abbatem monaſterii ſancti Michaelis, quem per licentiam veſtram, patres venerandi, domino etiam Chriſtianiſſimo rege Carolo annuente, ſecundum decreta Cæleſtini papæ, ex propria eccleſia deficiente electione, pari conſenſu ac concordia voluntate ac devotione, elegimus nobis & eccleſiæ noſtræ epiſcopum atque pontificem, per manum veſtram conſecrari implorantes, petimus, rogamus, atque precamur. Eligimus autem eum nobis fore paſtorem; quem eccleſiaſticæ formæ, qua epiſcopum ornatum Paulus apoſtolus eſſe debere demonſtrat, congruere, & ſacris canonibus non obviare, Chriſti cooperante gratia credimus.

Cæleſtinus decret. c. 13.

Actum quinto Kalendas *Julii* in baſilica ſancti Stephani *protomartyris*, anno Incarnationis *dominicæ 871.* regni vero domini Caroli glorioſi *regis* trigeſimo ſecundo, Indictione quarta.

Ex his porro tribus decretis, primum pro Hedenulpho, quia novi nihil inerat, communi & recepta formula contextum eſt; alterum pro Ænea, quia res exigebat, totum peculiare; poſtremum pro Anſegiſo, ex utraque forma mixtum.

## X.

Epiſtola eccleſiæ Senonicæ ad Hilduinum archicapellanum, pro tuenda metropolitani electione quam fecerant.

*Excellentiſſimæ venerationis honore digniſſimo, Hilduino domino vere ſanctiſſimo, Senonicæ plebis humillima devotio æternæ proſperitatis in Domino ſalutem.*

QUia Divina inſpirante miſericordia faſtidioſæ importunitatis noſtræ clamoribus, mi domine, ſæpe compati dignati eſtis, idcirco etiam nunc nimia compulſi neceſſitate, veſtræ celſitudinis aures inquietare præſumpſimus. Novimus etenim, reverendiſſime domine quomodo prioribus petitionibus noſtris benigne & miſericorditer aſſiſtere dignitati eſtis: quomodo etiam, nullis noſtris meritis, &, quod nunquam futurum ſperabamus, alteram nobis electionem impetrare ac concedere ſtuduiſtis. Sed quoniam peccatis noſtris, ut credimus exigentibus, vota & deſideria, quibus ſanctitatem veſtram toties pulſare auſi ſumus, plurimum impedita, ad effectum pervenire non meruerunt, idcirco & hac vice cauſas miſeriæ noſtræ referre compulſi ſumus. Fecimus, domine mi, & nunc ſecundam electionem, & invenimus hominem ex noſtris a puero nobis bene notum, genere & moribus non infamem, docilem, ætate huic officio congruum, literatoriæ profeſſionis non uſquequaque ignarum, divinæ quoque ſcientiæ non penitus expertem; quarumdam etiam aliarum artium portionem habentem. Quem cum obtuliſſemus, nullatenus putantes reiiciendum, ipſis miſſis dominicis impedientibus, quod optavimus non meruimus adipiſci. Propterea veſtræ pietatis veſtigiis animo provoluti flebiliter poſtulamus, ut tamdiu rem ſuſpendere dignemini, quouſque cum ſcripto homine ad veſtram celſitudinem properantes ipſi vobis melius noſtram pandamus miſeriam. Et ſi quidem ad hoc onus ferendum perſona quam dicimus ſufficere minuſve poterit, dignationis veſtræ judicio, aut ſuſcipiatur, aut reprobetur: dum amplius nec nos acquiſitis occaſionibus quidam ſic crucient, nec a nobis abjectiſſimis veſtra manſuetiſſima ſublimitas diutius inquietetur. His itaque clementiæ veſtræ ſuggeſtis, atque utinam impetratis, oramus ſupernam miſericordiam, ut multimoda vos proſperitate valere concedat, & æternæ beatitudinis gaudia conſequi quandoque permittat. *Eximio domino, & vere ſanctiſſimo, Hilduino ſacris negotiis a Deo prælato, Senonicæ urbis abjecta humilis eccleſiæ congregatio.*

Ad Judith imperatricem, de eadem re.

*Inclytæ & omni nobilitate clariſſimæ Judith, glorioſæ imperatrici, Senonicæ eccleſiæ humillima devotio.*

PRæſumpſimus, mi domina, auribus clementiæ veſtræ neceſſitatis noſtræ cauſam innoteſcere, ut per veſtram pietatem de his celeriter mereamur conſolationem recipere. Notum vobis eſſe credimus, quod nobis indigniſſimis a domino imperatore conceſſum fuerit, ut ex nobis ipſis electionem faciendi haberemus licentiam. Sed cum illum quem ſcitis elegiſſemus, & a ſerenitate domni imperatoris non plene fuiſſet receptus, permiſſum nobis eſt iterum, ut alium, ſi potuiſſemus, ex nobis huic officio congruum inveniremus. Sed cum eſſet inventus, ut credimus, in Dei & veſtro ſervitio habilis, neſcimus ob quam cauſam a miſſis dominicis non eſt plena benevolentia ſuſceptus. Unde veſtram oramus benignitatem, ut ex hoc nobis in adjutorium eſſe dignemini, quatenus cauſa ſuſpendatur, donec ipſum, de quo dicimus, ad præſentiam domni imperatoris, & veſtram, nos ipſi deducamus, & qualiter juſſeritis diſcutiatur & probetur, ſi nobis prodeſſe valeat, & in ſervitio veſtro aptus eſſe poſsit an minus. Optamus vos divinis ſemper muniri præſidiis, & immortalitatis corona quandoque gloriari, piiſsima & ſereniſsima domina. *Excellentiſſimæ & omni nobilitate clariſſimæ Judith imperatrici, Senonicæ plebis humillima devotio.*

In codice ſancti Petri Carnotenſis, unde has deſcripſimus, erat & tertia ejuſdem argumenti epiſtola ad Einhardum, ſed iiſdem plane verbis, quibus proxima ad Auguſtam in hunc modum: *Inclyto, & omni nobilitate præclaro, Einhardo domino ſanctiſſimo, Senonicæ eccleſiæ humillima devotio. Præſumpſimus, mi domine, auribus clementiæ veſtræ neceſſitatis noſtræ cauſam innoteſcere*, & cetera uſque ad finem ut in præcedenti. Tum ſequitur inſcriptio: *Sanctiſſimo & piiſſimo domno Einhardo merito venerabili, Senonicæ urbis vilis & abjecta congregatio.*





## XI.

Examinatio Willeberti Catalaunenſis ordinandi epiſcopi.

*Per Hincmarum metropolitanum, aſſidentibus provinciæ Remenſis, & aliarum provinciarum epiſcopis.*

ANno ab incarnatione Domini 868. Indictione ſecunda tertio Nonas Decembres, convenientibus apud Cariſiacum in eccleſia ſancti III. pro examinatione Vvilleberti presbyteri, qui futurus erat Catalaunenſis epiſcopus, Hincmaro diœceſis Remenſium archiepiſcopo, item Hincmaro Laudunenſium epiſcopo, Hodone Belgivacorum epiſcopo, cum legatis Hrothadi, Erpoini, Hilmeradi, Raginelmi, & Joannis ejuſdem diœceſis coepiſcoporum, vicem eorumdem patrum ſuorum cum tractoriis, ſicut regulæ præcipiunt, exhibentibus, & quampluribus abbatibus, canonicis, monachis, presbyteris, diaconibus, atque ſubdiaconibus. Convenientibus nihilominus archiepiſcopis, & epiſcopis aliarum provinciarum, Wenilone videlicet Rothomagenſium archiepiſcopo, Herardo Turonorum archiepiſcopo, Egilone Senonum archiepiſcopo, & Fulerico ipſius coepiſcopo, præſentes adfuerunt clerus, ordo, & plebs Catalaunica, deceſſionem ſui patris Erchanravi quondam epiſcopi dolentes, cum decreto canonico manibus ſingulorum roborato, Willebertumque, quondam ſacri palatii presbyterum, a ſe electum, ab Hincmaro archiepiſcopo, & ejus coepiſcopis, petentes ſibi ordinari epiſcopum. Quos invehens idem archiepiſcopus Hincmarus, cur obitum præfati epiſcopi per illos non cognoverit, ſed per alios hoc reſcierit, & rationes reddens pro qua cauſa duæ electiones in eadem eccleſia factæ fuerint: ſcilicet quia prima non regulariter facta extiterit, quoniam decretum non canonice factum fuit, ſed poſtea miſſo ad eamdem eccleſiam viſitatore Hodone epiſcopo, & votis omnium in unum concordantibus, aliud decretum, quod canonicum foret, fieri præcepit. Quo decreto coram omnibus relecto, & nominibus ſingulorum, qui illud ſubſcripſerant, recitatis, interrogati ſunt tam canonici & monachi de monaſteriis in eadem parochia ſitis, quam etiam parochiani presbyteri, & nobiles laici, ſi in eadem electione ipſius Willeberti presbyteri conſentirent. Qui omnes viva voce dixerunt, quod & ipſi, & illi qui illo venire non potuerunt, in eadem electione conſentirent. Tunc Hincmarus archiepiſcopus dixit: Quia Willebertum eligitis, & nos illum non cognoſcimus, oſtendite illum nobis, ut ſciamus quis ſit, & perſcrutemur, ſi tanto honore dignus inveniri poterit. Qui in præſentia veniens interrogatus eſt, unde eſſet. Iſque reſpondit: Pago Turonico oriundus. Iterum interrogatus cujus conditionis eſſet. Et ille: Peccatis quidem obnoxius, ſed Dei gratia natura liber. Item: Ubi didiciſti? Item ipſe: In ſchola Turonica liberalibus diſciplinis erudiendus traditus ſum. Item: Cujus ordinis, vel cujus es ordinatus? Item ipſe: Præſentis patris mei domni Herardi per ſingulos gradus, uſque ad diaconum, ſum ordinatus: poſtea autem ab eodem patre meo Herardo literis ad Erpoinum datis presbyterii onus ſuſcepi. Item Hincmarus. Qua de cauſa in noſtram diœceſim veniſti? Et ille: Per licentiam præſentis mei archiepiſcopi Herardi a parentibus meis, regiis ſum mancipatus obſequiis. Item Hincmarus: Quod miniſterium in regio obſequio ſuſcepiſti? Et ille: Imbreviator ſive deſcriptor ſtipendiorum regalium, & relator a domno rege ſum conſtitutus. Item Hincmarus: Quia conductor alienarum rerum fuiſti, audi quid ſanctum Chalcedonenſe inde dicat concilium. Et lectum eſt hoc capitulum. Ad quod reſpondit: Sicut dixit, non fui conductor alienarum rerum, nec turpia lucra, vel exactiones, ſive tormenta in hominibus exercens: ſed, ut præfatus ſum, deſcriptor & relator ſolummodo ſtipendiorum regalium. Unde interrogati ſunt hi qui in corte degebant, ſi ſcirent in illo miniſterio hoc illum exercuiſſe, quod ſacerdotali miniſterio minime conveniret. Qui reſponderunt, & clerici, & nobiles laici, quod nullo modo in eodem miniſterio perpetratum haberet, quæ ſacris canonibus, & ſuo miniſterio in aliquo obviare deberent. Iterum interrogatus eſt, ſi aliquod miniſterium de rebus eccleſiaſticis aliquo habuerit loco: Qui reſpondit, quod præpoſituram monaſterii ſancti Vedaſti, jubente Joanne epiſcopo, & conſentientibus fratribus, ſuſceperit. Et de hac juſſione litteræ Joannis epiſcopi ibi relectæ ſunt idipſum continentes: & etiam teſtimonio fratrum de eodem monaſterio, quod ita ſe res haberet, & de [illegible] & converſatione ſua, & quod non in eodem mona[illegible] quiddam contra ſacras regulas egerit, confirmatum [illegible] Proſecutus eſt domnus Hincmarus: Quia miniſteria [illegible] regis habuit, neſcimus ſi iſdem dominus rex [illegible] aliquid repetit, vel repetere debeat: unde nobis [illegible] voluntas, vel autoritas neceſſaria foret. Et porrectæ ſunt litteræ cum ſigillo domni regis, continentes quod de omnibus quæ illi commiſit, optime ei rationem reddiderit, & nihil ab eo repetebat, vel unquam repetere deberet. Inſuper &, ſi eum dignum ad onus epiſcopale invenire valerent, epiſcopum Catalaunis eum ordinari petebat. Denique de his ſupra ſcriptis coram omnibus teſtimonio multorum & litteris idoneo approbato, Hincmarus epiſcopus ad Herardum archiepiſcopum dixit: Quia veſter natus nutritus, vel educatus, & ordinatus dignoſcitur, & clerus, ordo, & plebs Catalaunica illum expoſcit: habeamus veſtram licentiam, ut regulariter una vobiſcum eum examinemus, ſi tanto oneri vel honori dignus exiſtat. Qui libentiſſime annuit, & juſſus eſt ſedere coram eis. Data eſt ei regula paſtoralis Gregorii; & juſſum eſt, ut relegeret capitulum de eo qui præeſſe debet, ubi ſcribitur: Nulla ars docere præſumitur. Quo relecto, interrogatum illi eſt, ſi illud intelligeret, & ſecundum hoc vivere vel docere vellet. Qui reſpondit: Utique. Iterum datum eſt ei ad relegendum capitulum de canonibus, ubi ſcribitur: Qui ordinandus eſt: & profeſſus eſt ſe omnia intelligere, & obedire velle. Tunc relecta ſunt ei placita, quæ epiſcopus jam ordinatus, ab ordinatoribus & electoribus ſuis ſuſcipere debet, ubi continetur qualiter vivere, docere, & ſubditos ſuos regere debet ſecundum ſacros canones, diem præferentia & conſulem. Et interrogatum eſt, ſi ſecundum ea omnia agere vellet. Quæ minime abnuit. Tunc demum oſtenſus eſt illi libellus fidei & pro-

Concilium Carthaginenſe IV. can. I.

& profeſſionis ſuæ ; ut legeret coram omnibus, A quæ in eo ſcripta erant, & ſi ea ita credere ac tenere vellet, manu ſua ſubſcriberet, & archiepiſcopo ſuo habenda traderet : ſi autem in eo quædam inveniret, quæ ſenſui ſuo offenderent, liber ſicut venerat exiret. Quibus relectis, verbis fidem accomodavit, & per omnia ea ſe tenere, credere, ac prædicare velle profeſſus eſt. Quia enim, Deo gratias, poſt examinationem, cum catholicum, litteratum, & omnimodis aptum ad ſarcinam epiſcopalem ſuſcipiendam invenerunt, ſed tamen de aliena provincia illum fore cognoverunt : relecta ſunt ſacrorum canonum capitula, quid de eo dicerent, qui de aliena provincia peti deberet. Et inventum eſt, quod ab eo petere illum deberent, cujus natus, nutritus, & B ordinatus foret. Humiliter dominus Hincmarus archiepiſcopus, ſimul cum coepiſcopis, & clero, ordine, ac plebe Catalaunica, ab Herardo archiepiſcopo eum petiit, & impetravit ac canonice illum ei commiſit. Quem ſuſceptum monit, ut ſi ab eo epiſcopus ordinari vellet, libellum fidei ac profeſſionis ſuæ, quem jam relegerat, & quæ in eo ſcripta erant ſe credere ac tenere ante paululum profeſſus fuerat, manu ſua propria in capite nomen ſuum ſcriberet, & ad finem ſubſcriptione ſua roboraret. Quod ſine dilatione ipſe fecit. Tunc relectæ ſunt tractoriæ epiſcoporum, qui præ variis incommoditatibus ad eamdem examinationem venire non potuerunt, continentes, quidquid ſuper examinationem, & ordinationem ſæ- C pefati Willeberti canonice inventum & actum fuerit, ſe per omnia aſſenſum præbere. Et ſic denunciatus eſt dies, & hora, ac locus ordinationis ejus, id eſt Nonis Decembris, in monaſterio quod Brictenacus dicitur, in diœceſi Remenſi, & parochia Noviomagenſi. Et commonitus eſt idem Willebertus ab archiepiſcopo ſuo Hincmaro, ut ab infantia ſua per ſingulos gradus ſuos pronunciaret domino viam ſuam ; quatenus in denominata die ad tanti oneris dignitatem gratioſus accedere valeret. Die autem, hora, & loco denominato, convenit domnus epiſcopus Hincmarus, cum coepiſcopis ſuis Hincmaro, & Hodone, & legatis, qui tractorias ſupradictas ſuorum epiſcoporum detulerunt ? & quia jam pleniter D examinatus coram ſupradictis epiſcopis, & coram clero ac plebe fuerat, quando & dominus Hincmarus ſufficientem ſermonem de eo coram epiſcopis, & aliis multis clericis & laicis, & ad omnem populum, ante diem Dominicam in ſexta feria fecerat, & brevitas diei id poſcebat, intermiſſo ipſa die ſermone, poſt introitum, & Gloria in excelſis Deo, & orationem primam de adventu Domini, ſecundam autem de ordinatione epiſcoporum, ſive poſt litanias, ſicut ſacri canones præcipiunt, in epiſcopum conſecratus eſt. Et poſt electionem Apoſtoli perlectam, & reſponſorium, & Alleluia, & evangelium, & Credo in unum, & oblata, & Miſſarum ſolemnia, E ſicut mos eſt, peracta ; placita, & quæ ante pridem ei relecta fuerant, quæque ordinatus ab ordinatoribus ſuis ſacri canones accipere jubent, id eſt & conſulem præferentia, manibus archiepiſcopi, & coepiſcoporum ac legatorum vice patrum ſuorum, ſubſcripta cum capitulo Pauli apoſtoli ad Timotheum, noviter ordinato, ubi dicitur : 2. Tim. 4. Teſtificor coram Deo, & electis ejus angelis, ut hæc cuſtodias : idem epiſcopi in mandatis depoſuerunt. Et unuſquiſque feliciter ad propria remeavit.

Depromptum ex veteri codice S. Laurentii ..., ubi appellatur, *Documentum de examinatione Willeberti Catalaunici ordinandi epiſcopi.*

XII.

Profeſſio Adalberti futuri epiſcopi Morinenſis, Hincmaro Remorum archiepiſcopo ante ordinationem oblata.

*Ego Adalbertus, vocatus epiſcopus Morinenſis, reverentiſſimo patri Hincmaro Remorum archiepiſcopo.*

QUia fundamentum bonorum operum, per quod ad cæleſte regnum gratia Domini pervenitur, fidem quæ per dilectionem operatur eſſe non dubium eſt : non abs re cenſuit veneranda eccleſiæ catholicæ conſuetudo, ut ab eis, qui ad prædicationis promoventur officium, fidei integritas & confeſſio requiratur : quia ſicut magiſter egregius, & doctor gentium Paulus declarat, *corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Rom. 10. Et ideo mox ſuperna gratia per ſacroſanctum miniſterium veſtrum Morinenſis eccleſiæ futurus epiſcopus, profiteor unam fidem eſſe, eamque operante gratia ſuperni largitoris me tenere, prædicare, atque defendere, quam a Deo inſpiratam, & ab apoſtolis traditam, atque a ſucceſſoribus eorum cuſtoditam habemus. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum : unam apoſtolicam & univerſalem eccleſiam, in qua ſola poſſunt relaxari peccata, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, tam per catholicum baptiſmum, quam & per dignos pœnitentiæ fructus, & apoſtolicæ auctoritatis largitam ſibi a Domino poteſtatem. Extra hanc eccleſiam catholicam neminem ſalvari poſſe confiteor. Sex denique ſanctas & generales de fide ſynodos, quas ſancta & apoſtolica eccleſia recipit, me recipere & venerari profiteor. Videlicet Nicænam trecentorum octodecim patrum ſub Silveſtro papa & Conſtantino imperatore, contra Arium & ejus ſectatores celebratam : Conſtantinopolitanam centum quinquaginta patrum contra Macedonium & Eudoxium, temporibus Damaſi papæ, & Gratiani principis actam : Epheſinam ducentorum patrum contra Neſtorium ſub Theodoſio principe & papa Cæleſtino, cui per ſuos vicarios præſedit idem beatus papa Cæleſtinus, & ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus epiſcopus : Chalcedonenſem DCXXX. patrum, cui præſedit per vicarios ſuos ſanctus Leo papa, temporibus Marciani principis, contra Eutychem nefandiſſimum præſulem monachorum, celebratam. Item Conſtantinopolitanam temporibus Vigilii papæ, ſub Juſtiniano principe, contra Theodorum, & omnes hæreticos. Item Conſtantinopolitanam CL. patrum ſub Agathone papa, Conſtantini, & Heraclii, ac Tiberii principum temporibus, pro adunatione facienda ſanctarum Dei eccleſiarum de duabus naturis, & operationibus, in una perſona Dei & hominis Filii Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hos autem, quicumque ab eiſdem ſanctis patribus in memoratis ſynodis, vel poſtea ſimiliter per Spiritum ſanctum ſentientibus, diverſis vicibus litteris divinitus inſpiratis, damnati leguntur, eaſdem venerandam patrum auctoritatem ſequens condemno. Sed & epiſtolam beatæ recordationis Leonis, apoſtolicæ ſedis antiſtitis, ad Flavianum Conſtantinopolitanum epiſcopum datam, & omnes ejus epiſtolas de fidei firmitate perſcriptas, per omnia & in omnibus inviolabiliter cuſtodire, & me libero ſemper prædicare profiteor. In quibus inter cetera, ſicut



ſicut & in ſermone beati Athanaſii, quem eccleſia catholica venerando uſu frequentare conſuevit, qui ita incipit : Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat catholicam fidem ; poſt documentum, quo docemur quomodo Trinitas perſonarum in unitate divinitatis, & unitas deitatis in Trinitate perſonarum veneranda ſit, evidentiſſime continetur, unam ex eadem ſancta Trinitate perſonam, dominum & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, Dei hominiſque filium, & duabus, & in duabus naturis, hoc eſt, Divina & humana, in una perſona conſiſtentibus, & in ſua proprietate differentiaque manentibus, eſſe credendum & prædicandum. qui ſecundum apoſtolicum ſymbolum de ſemper virgine Maria, quæ veraciter Dei eſt B genitrix, ſecundum carnem natus, paſſus, mortuus, reſurrexit, & in cælos aſcendit, ſedet quoque ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines reſurgent cum corporibus ſuis, & reddent de factis propriis rationem, & recipiet unuſquiſque prout geſſit, & in factis ſuis perſeveraverit, ab eodem juſto judice, & ſine fine regnante, ibunt impii in ignem æternum juſti autem in vitam æternam. Anathematizo quoque omnes hæreſes ac ſchiſmata, quas catholica & apoſtolica eccleſia anathematizat : & quidquid ſanæ fidei intelligentiæ contradicit, reſpuo & anathematizo : & quidquid catholica & apoſtolica eccleſia recipit & tenet, me, adjuvante C Domino, recipere & ſequi ; & a ſacris canonibus, atque a regularibus decretis apoſtolicis, de eccleſiaſticis ordinibus & diſciplinis canonum promulgatis, ſeu a ſynodalibus conſtitutionibus, quas catholica eccleſia ad auctoritatem recipit, me per contemptum pertinaciter non deviaturum profiteor. Privilegio etiam metropolis Remorum eccleſiæ, ac ejus præſulis, ſecundum ſacroſanctos conciliorum canones, & decreta ſedis apoſtolicæ ex ſacris canonibus & legibus promulgata, pro ſcire & poſſe, abſque dolo & ſimulatione, vel indebita & pertinaci contradictione, me obediturum profiteor. Sed & obſervationes ac regularia mandata, ſacroſanctorumque conciliorum placita, quæ poſt D ordinationem epiſcopalem in litteris canonicis, ſecundum morem eccleſiaſticum, propriis ſubſcriptionibus roboratis collecta, & mihi tradenda coram omnibus prædixiſtis, me ſervaturum profiteor : & omnibus ſupra ſcriptis cum cordis & oris profeſſione ſubſcribo.

XIII.

*Profeſſio altera generalis ordinandi archiepiſcopi.*

EGo hujus ſedis ordinandus archiepiſcopus, & ſacro miniſterio veſtro, ſancti patres, prædicationis officium ſuſcepturus, confiteor ſanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, & E Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum naturaliter eſſe, unius ſubſtantiæ, unius naturæ, unius majeſtatis, atque virtutis. Dominum quoque noſtrum Jeſum Chriſtum de Deo Patre ante tempora genitum, eumdemque ſub tempore de Spiritu ſancto conceptum, & de Maria virgine natum credo. Qui paſſus eſt pro redemptione humani generis, ad inferna deſcendit, indeque victor reſurgens, & in cælos aſcendens, venturus eſt in fine ſeculi, ut reddat ſingulis prout geſſerunt in corpore poſiti, ſive bonum, ſive malum. Propterea conſtitutiones quatuor principalium conciliorum, Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, & Chalcedonenſis ; canones quoque ſynodorum, & decreta, quæ orthodoxa fides ſuſcipit & complectitur, me ſuſcipere, tenere, & prædicare velle confiteor. Hæreſes vero & ſchiſmata, quæ catholica eccleſia anathematizat, & quidquid ſanæ fidei adverſatur, condemno, reſpuo, anathematizo. Beato vero Petro, & vicario ejus, debitam ſubjectionem & obedientiam, ſuffraganeis vero noſtris adjutorium me exhibiturum profiteor : & huic profeſſioni meæ, coram Deo, & angelis, ſub teſtimonio quoque præſentis eccleſiæ, ſubſcribo.

XIV.

Tractoria Prudentii epiſcopi Tricaſſini, quam per vicarium miſit ad ordinationem Æneæ Pariſienſis, cum ipſe adeſſe non poſſet.

*Patri venerabili, & ceteris patribus fratribuſque ſinceriſſime diligendis, atque coepiſcopis reverendis, Prudentius æternam in Domino ſalutem.*

QUantum ad meritum peccatorum meorum ſpectat, juſtiſſimo Dei judicio, quantum vero ad indebitas atque indeficientes ejus miſe- C ricordias pertinere dignoſcitur, miſericordiſſimo ipſius munere, infirmitatibus pene omnibus notis depreſſus, ſancto deſiderabilique veſtro conventui adeſſe prohibeor. Quod autem poſſum, præſentibus litteris, atque legato noſtræ eccleſiæ presbytero Arnoldo, mei conſenſus præſentiam catenus exhibeo, [illegible] is qui ordinandus eſt, ſi apoſtolicæ ſedis omnibus inſtitutis, & beatorum patrum Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Sixti, Leonis, Gelaſii, Cæleſtini, Gregorii, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Iſidori, Primaſii, Fulgentii, Hieronymi, Caſſiodori, Bedæ, aliorumque adæque catholicorum, atque orthodoxorum virorum ſcriptis & dictis, ac ſpecialiter ſuper quatuor capitulis, quibus omnis D eccleſia catholica adverſus Pelagium, ejuſque hæreſeos ſequaces, pugnavit ac vicit, atque ad poſterorum memoriam litteris autoritate & veritate pleniſſimis mandavit, confitendo ſubſcribere, & ſubſcribendo confiteri voluerit, ejus me ordinationi conſentaneum eſſe profiteor. Si alias, prorſus neque aſſentior, neque fidelibus Chriſti aſſentiendum ſuadeo. Capitulorum vero quatuor præmiſſorum ſeriem, quamvis veſtram prudentiam multo vivacius, quam meam extremitatem compertam eſſe non dubitem, neceſſario tamen breviter annectendam judicavi, ut facilius quid ſentiam, cui veritati conſentiam, veſtra bonitas recognoſcat. Videlicet, ut liberum arbitrium in Adam merito inobedientiæ amiſſum, E ita nobis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum redditum atque liberatum confiteatur, interim in a) ſe, poſtmodum autem in re, ſicut dicit Apoſtolus : *Spe enim ſalvi facti ſumus* ; ut tamen ſemper ad omne opus bonum Dei omnipotentis gratia indigeamus, ſive cogitandum, ſive inchoandum, operandum, ac perſeveranter conſummandum, & ſine ipſa nihil boni nos poſſe ullatenus, aut cogitare, aut velle, aut operari ſciamus. Secundo, ut Dei omnipotentis altiſſimo ſecretoque conſilio credat, atque fateatur, quoſ-

a) Fortaſſe, in ſpe. H. Rom. 8.

quoſdam Dei gratuita miſericordia ante omnia ſæcula prædeſtinator ad vitam, quoſdam imperſcrutabili juſtitia prædeſtinatos ad pœnam: ut id videlicet, ſive in ſalvandis, ſive in damnandis, prædeſtinaverit, quod ſe præſcierat eſſe judicando facturum, dicente propheta: *Qui fecit quæ futura ſunt*. (*Iſa. 45.*) Tertio, ut credat & confiteatur cum omnibus catholicis, ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fuſum, non autem pro illis qui nunquam in eum crediderunt, nec hodieque credunt, nunquamque credituri ſunt, dicente ipſo Domino: *Venit enim filius hominis non miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis*. (*Matth. 20.*) Quarto, ut credat atque confiteatur, Deum omnipotentem omnes quoſcumque vult ſalvare, & neminem poſſe ſalvari ullatenus, niſi quem ipſe ſalvaverit: omnes autem ſalvari, quoſcumque ipſe ſalvare voluerit. Ac per hoc quicumque non ſalvantur, penitus non eſſe voluntatis illius ut ſalventur, dicente Propheta: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis*. (*Pſal. 134.*) Et licet quædam ſint alia, quibus in Pelagio damnatis univerſaliter eccleſia conſenſerit, ſategerit, atque ſubſcripſerit: hæc tamen ſpecialiter adverſus eum, ejuſque complices, per apoſtolicam ſedem, inſtantia beatiſſimi Aurelii Carthaginenſis epiſcopi, atque Auguſtini, cum aliis ducentis quatuordecim epiſcopis ab ejus praviſſimis ſenſibus eruta, vindicata, & multis tam epiſtolis quam libris toto orbe vulgata, omnis hodieque gaudet, confitetur, prædicat, & tenet, atque tenebit eccleſia. His per omnia conſentaneam prædicabilem [illegible] fraternitatemque veſtram gratia ſuperna invictam atque prævalidam, & ſuo munere gaudentem, perpetuo conſervare dignetur.

*Hanc epiſtolam a Prudentio ſcriptam tum fuiſſe, cum in eccleſia Pariſienſi ordinandus eſſet Æneas epiſcopus, auctor eſt Hincmarus in poſteriori opere adverſus Gotheſcalcum: quo in libro hæc ſimul Prudentii capitula, quæ Gotheſcalci cauſa in quæſtione verſabantur, examinat, & ſingillatim refutat.*

## XV.

### *Documentum de ordinatione Electranni epiſcopi Redonenſis.*

ANno incarnationis Jeſu Chriſti Domini noſtri DCCCLXVI. indictione XIV. anno piiſſimi regis Caroli XXVII. tertio Kalendas Octobris, in parochia Turonica, ordinamus, & ad pontificalem ſedem Redonenſis eccleſiæ conſecramus Electrannum, electione atque decreto cleri & plebis ejuſdem eccleſiæ, nos in Dei nomine antiſtites, Herardus Turonicæ metropolis, Actardus Namnetenſis, atque Rodbertus Cenomanenſis, cum conſenſu & litteris cæterorum diœceſanorum adhibito, apicibus etiam præmonitus jam dicti glorioſi regis Karoli, hujuſmodi ſtatuto, & paternæ commonitionis decreto ipſi viro allato, ut canonicis ſanctionibus, quantum Divina ſuffragaverit pietas, libenter obtemperet, & ab illicitis ordinationibus abſtineat, & peſtem ſimoniacæ hæreſis devitet: concilia quoque ſacris præfixa canonibus certis ſibi deſignata temporibus celebrare procuret, atque matri ſuæ metropoli debita reverentia ſeſe ſubdere non negligat, & juxta ſanctorum patrum regulas nihil niſi quæ ad propriam eccleſiam extra ejus conſenſum pertentet. Hæc ergo, aliaque ad inſtitutionem & informationem fidelis viri, fratris & filii noſtri Electranni, die præfixo, verbo pariter & ſtylo promulgantes, pontificali eum infula adornantes, ſacra quoque benedictione more ſanctæ eccleſiæ ditantes, annulo quoque dotantes, & baculo decorantes, ſanctæ Redonenſis eccleſiæ pontificali cum ordine præferimus, & paterne cathedrali ſolio ſublimantes, confratrem, conſacerdotem, & comparticipem in regimine & gubernaculo eccleſiæ ſanctæ, nobis ex integro in Dei nomine efficimus, manuum quoque adnotationibus confirmavimus.

## XVI.

### Canonicæ litteræ ab ordinatoribus datæ Hedenulfo epiſcopo Laudunenſi.

### Ad clerum & plebem eccleſiæ Laudunenſis.

*Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Remorum epiſcopus, clero, ordini, & plebi in ſancta Laudunenſi eccleſia conſiſtenti, in Domino pacem & ſalutem.*

SIcut beatus papa Innocentius docet, oportet nos hoc ſequi, quod eccleſia Romana cuſtodit, (*Innoc. ad Decent.*) a qua principium ſacræ inſtitutionis nos accepiſſe dubium non eſt. Propterea documento ac verbis beati Gregorii vos alloqui procuramus, inſinuantes quia probabilibus deſideriis veſtris nihil attulimus tarditatis, fratrem jam & coepiſcopum noſtrum Hedenulfum vobis ordinantes, præſentia vel conſenſu ac litteris coepiſcoporum totius nobis commiſſæ provinciæ, ſecundum ſacros canones, ſacerdotem, paſtorem quoque atque rectorem. Cui his litteris, quas ſacri canones, ordinatos prius de conciliorum placitis, ne ſe aliquid contra eorum ſtatuta egiſſe pœniteat, inſtructos, ab ordinatoribus ſuis, manibus eorum conſcriptas jubent accipere, ſecundum traditionem eccleſiaſticam dedimus in mandatis, ne unquam ordinationes præſumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem, ſi de conjugatis agendum eſt, non eſt ſortitus uxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex publice pœnitente, aut curiæ vel cuilibet conditioni obnoxium, notatumque, ad ſacros ordines permittat accedere. Sed & ſi quos hujuſmodi forte repererit, reſpectu Divino non audeat promovere. Alienum etiam clericum ſine voluntate & conſenſu epiſcopi ſui contra ſacras regulas non ſollicitet, non ſuſcipiat, non in ſibi commiſſa eccleſia ordinet: nec eos qui probatæ fidei non fuerint, ſacris ordinibus præſumat quoquo modo applicare. In ordinatione autem presbyterorum ac diaconorum, cæterorumque eccleſiaſtici ordinis miniſtrorum, a totius muneris, id eſt a manu, a lingua, aut obſequio indebito, juxta quod Dominus per Prophetam præcipit, (*Iſa. 33.*) quantum patitur humana fragilitas, mundas & cordis & corporis manus exhibeat: ne uno eodemque gladio & dantem & accipientem munus interimat, & illicito munere polluens manus, aliis ſe benedictionem credat tribuere, cum fuerit jam propriæ iniquitati ſubſtratus, & ſua nihilo minus ambitione captivus. Ab eis etiam quos ordinaverit, indebitum & contra ſacras regulas ſibi ſacramentum fieri non compellat. Sed ſicut Dominus, præſcius nonnullos accepti ſancti Spiritus donum in uſum negotiationis inflexuros, præcepit dicens: *Gratis accepiſtis, gratis date*: quod gratis, id eſt ſine ulla venalitate dati vel accepti, aut etiam promiſſi vel ſperati muneris, quantum ex nobis eſt, (cæterum ipſe viderit habens conſcientiæ ſuæ teſtem, quem habebit & judicem) per miniſterium noſtræ exiguitatis accepit, ſuis etiam commiſtris gratis conferat, ſciens ex euangelio quid redemptor noſter per ſeipſum fecerit: videlicet quia ingreſſus templum cathedras vendentium columbas evertit. (*Matth. 21.*) Columbas enim vendere, eſt de Spiritu ſancto, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per impoſitionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Quod qui agere præſumit, ſuam Deo judice cathedram ipſe evertit, & quos cum precio ordinat, provehendo agit ut ſecum & ipſi ſimoniaci hæretici fiant, & pro benedictione maledictionem a beato Petro apoſtolorum principe Simoni mago, qui donum ſancti Spiritus precio emere voluit, juſte inlatam, una cum ipſo, (*Act. 8.*) per ipſum a quo non benedicuntur, ſed maledicuntur, judicio ejuſdem Spiritus ſancti ſuſcipiant. Et quoniam, ſicuti comperimus, quidam diverſis adinventionibus turpia lucra ſectantes, quod miniſtris altaris minime convenit, defunctis presbyteris, juxta quod didicerant [illegible] eccleſias facultates habere, exenia pro his obtinendis exegerunt; & gradus eccleſiaſticos ei non tribuebant, antequam illis eadem exenia perſolverentur; & ſynodos temere frequentabant, ut factione miniſtrorum ſuorum diverſo modo denarios quaſi pro eulogiis acciperent; &, quod dictu nefas eſt, etiam pro ſacri chriſmatis diſpenſatione, vel de eccleſiarum conſecratione, quæcumque emolumenta ingenio caperent; & neceſſe eſt, ut contra peſtifera morborum genera, ſalubria medicamentorum quæramus experimenta: ſicuti & de manus impoſitione, ita & de hac ſimoniacæ hæreſeos ingenioſa & male ſtudioſa collatione, quiddam eum accipere interdicimus, monentes illum attendere comminationem Domini per prophetam dicentis: *Ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat propter malitiam ſtudiorum veſtrorum*. (*Jerem. 21.*) Unde iterum iratus dicit: *Viſitabo ſuper vos juxta fructum ſtudiorum veſtrorum*. (*Ibidem.*)

Verbis quoque beati Gregorii eum monemus, illique interdicimus, [a] ut ſacerdos per ſuam parochiam, quotiens ad conſignandos infantes egreſſus fuerit, ultra modum gravare minime debeat, nec ſummam collationis, qua ſui prædeceſſores, qui hoc bene miſericorditer ac rationabiliter atque ſacris conſtitutionibus executi ſunt convenienter, contenti fuerunt, excedat. Et de capellis antiquitus ſubjectis eccleſiis, non æqualem, ſicut de principalibus eccleſiis, collationem exigat; ſed principalis eccleſia, cum ſibi ſubjectis capellis, debitam & antiquitus conſuetam collationem conferat. Principales vero eccleſias aliis eccleſiis loco capellarum non ſubjiciat: quia ſecundum ſacros canones non licet epiſcopis parochiam antiquitus conſtitutam inconſulte confundere atque dividere. Ne manſionaticos ſuis amicis aut ſuis hominibus a presbyteris parari faciat. Ne etiam quaſi ad receptionem regis, vel legationum, aut ad ornatus ſuæ eccleſiæ faciendos adjutoria quaſi petendo, potius autem exigendo, denarios vel caballos, aut verres ſeu friſkingas, aut ad iter aliquod paraveredos, aut alia quælibet accipiat, id eſt rapiat. A quo verbo, accipere, aves, quæ alias aves capiunt, accipitres nominantur: cum epiſcopi ſuos ſubditos non ut accipitres capere, ſed ſicut gallina pullos ſuos fovere, & quoſque infirmos ut peritus medicus convenienti medicamento ac tempore debeant curare; & quos curare non potuerint, aut patienter tolerare, aut regulariter uſque ad correctionem ſuſtinentes a ſano corpore ſubmovere. Regulam ſiquidem, quæ de quarta parte reddituum eccleſiæ, juxta conſuetudinem aliarum regionum, ita ut eſt ſcripta intelligat, & non prave illam interpretans perinde in his regionibus quæ ſunt presbyterorum contra regulas ſacras diripiat. Unde ſi qua fuerunt gravamina illis impoſita, temperet: quia & in præſenti & in futura vita ſibi proſpiciet, ſi eos, qui ſibi commiſſi ſunt, ſine gravamine conſervare ſtuduerit. Miniſtros vero, id eſt archipresbyteros & archidiaconos, ſecundum quod providere, Domino inſpirante & cooperante, valuerit, tales conſtituat, qui oderint avaritiam, & non diligant munera, nec ſequantur retributiones: neque pro ordinandis clericis, vel reconciliandis pœnitentibus, munus accipiant, & ipſo munere eum corrumpere ſatagant. Et presbyteros in paratis & exeniis indebitis non affligant; & ſicut ſupra de epiſcopo diximus, per diverſas petitiones, ut illis adjutorium faciant, quæ ſunt presbyterorum, unde ipſi vivere, & hoſpites recipere, & ſuas [illegible] continere debent, colludio quocumque [illegible] eiſdem ab inquiſitione ſui miniſterii pareant, & [illegible] eorum calcanda vel cooperienda quodcumque emolumentum non accipiant. Et ſi agentes talia miniſtros reperierit, in miniſterio manere ſinat, & canonica invectione corripiat. Ipſe quoque pro conſtituendis miniſterialibus eccleſiaſticis, videlicet œconomo, id eſt eccleſiæ facultatum diſpenſatore, archipresbyteris & archidiaconis, in quibus fidei ſinceritatem, & probos mores ac religioſam vitam debet eligere, præmia non conſtituat: quia eccleſiaſticum obſequium, quod male comparaverint, accipientes munus a ſubditis, pejus venumdare curabunt. Nec pro quocumque judicio contra ſacras leges, neque ſuper innocentem contra veritatem, precium ullum accipiat. Nec etiam odio vel gratia, livore aut iracundia, quantum ſcierit & potuerit, a judicio recto declinet, dicente Domino: *Non facies quod iniquum eſt, nec injuſte judicabis. Juſte judica proximo tuo, & juſte quod juſtum eſt exequaris.* (*Levit. 19.*) Juſte namque quod juſtum eſt exequitur, qui in aſſertione juſtitiæ eamdem ipſam juſtitiam quærit.

Pro baptizandis denique infantibus, vel pro ſepultura, obaudiens decreta beati Gregorii, precium de terra conceſſa putredini quemquam non permittat in parochia ſua quærere, & de alieno velle facere luctu compendium. Sed ſi quando aliquem quiſque ſepeliri in commiſſo ſibi loco conceſſerit, ſi quidem parentes ipſius proximi, vel hæredes, pro luminaribus, vel in eleemoſyna defuncti, ſponte quid offerre voluerint, accipere non prohibeat: peti vero aut exigi aliquid omnimodo vetet: ne, quod valde irreligioſum eſt, aut venalis, quod abſit, dicatur eccleſia,

[a] *Forte melius, ut Sacerdotes. H.*

APPENDIX TOM. X.

ſia, aut de humanis ſacerdotalis religio videatur mortibus gratulari, ſi ex eorum cadaveribus ſtuduerit quærere quolibet modo compendium.

Ab omni quoque avaritia, & uſura, ac turpi lucro, ſecundum ſacros canones, & ipſe abſtineat, & miniſtros eccleſiæ abſtinere faciat, & etiam laicos abſtinere ſuadeat. Se autem, & ſibi commiſſos miniſtros eccleſiaſticos, ſolerter, ſoliciteque cuſtodiat, ne contra ſacros canones conductores vel procuratores alienarum poſſeſſionum fiant. Nec turpi negotio, aut inhoneſto lucro victum quærant. Neque ſæcularia negotia ſub cura ſua ſuſcipiant, Deique miniſterium parvipendentes, per ſæcularium domos non diſcurrant, nec propter avaritiam, gratiæ, aut honoris, vel pecuniæ patrimoniorum ſolicitudines, aut alienorum teſtamentorum defenſiones aſſumant, nec fidejuſſionibus inſerviant.

A familiaritate nihilo minus ac contubernio illicito & vetito feminarum ſe & comminiſtros ſuos, ſed & a tabernis, ſecundum ſacras regulas, eccleſiaſticos miniſtros faciat abſtinere. Attendat quoque quod beatus Job dicit [Job. 31.]: *Si adverſum me terra mea clamat, & cum ea ſulci ejus deflent, ſi fructus ejus comedi abſque pecunia*. Unde beatus Gregorius [S. Gregor. 21. Moral. c. 15. & 16.]: Omnis, inquit, qui præeſt, ſi perverſa in ſubditos exercet, contra hunc terra clamat, & ſulci deflent, quia contra ejus injuſtitiam rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt: ſed perfecti quique pro pravo ejus opere ſeſe in fletibus affligunt. Fructus enim terræ abſque pecunia comedere eſt, ex eccleſia quidem ſumptus accipere, ſed eidem debitum prædicationis precium non præbere. De qua ſcilicet prædicatione autoritatis voce dicitur [Matth. 25.]: *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis; & veniens ego recepiſſem utique quod meum erat cum uſura.* Terræ igitur fructus abſque pecunia comedit, qui eccleſiaſtica commoda ad uſum corporis percipit, ſed exhortationis miniſterium populo non impendit. Exigit quod ſuo debetur corpori, & non impendit quod ſubjectorum debetur cordi. Non igitur redemptionem aut precium de collatione presbyterorum epiſcopus debet exigere, & alimenta eccleſiaſtica mutus manducare. Et cum Dominus prædicatoribus præcipiat [Luc. 10.], ut intrantes in domos eorum, quibus pacem prædicant, illa edant & bibant quæ apud illos ſunt: per parochiam prædicando ac confirmando pergens epiſcopus, non debet ſuperfluas penſiones in pigmentis & aliis quibuſque a presbyteris quæ non habent requirere: & alia, quæ forte in domo ſua non accicipit, voluptati potius ſerviens, quam neceſſitati, exigere, & ſuis parcens opibus, de ſuperflue acceptis & venditis diteſcere. Nec ideo debet prædicare, ut ſumptus accipiat; ſed ideo ſumptus accipere, ut ſufficiat prædicate.

Eccleſias quoque in proprietatibus liberorum hominum ac coheredum conſiſtentes, ut ſuæ tradantur eccleſiæ, non debet cogere: ſecundum ſynodalia & imperialia capitula, quæ regularia eſſe probat eccleſia, ſatagat quatenus dotis immunitates, ſicut cæteræ eccleſiæ, autoritate regis habeant, & ipſæ ab eiſdem liberis hominibus potiantur. Talemque ſe cooperante Domino in cunctis exhibeat, ut ſacrum miniſterium non vituperet: qui etiam ab his qui foris ſunt teſtimonium bonum juxta apoſtolicam doctrinam habere debet [1. Tim. 3.]. Nam cujus vita deſpicitur, reſtat ut & prædicatio contemnatur: & cum paſtor per abrupta graditur, ſolet fieri ut ad præcipitium grex ſequatur. Et ne quemquam eccleſiaſtici ordinis miniſtrum, occaſione turpis lucri, ut aliquid ab eo abſoluto capiat, contra ſacras regulas excommunicet, inhibemus. Quia, ut ſanctus Auguſtinus exponens ſententiam Pauli apoſtoli, *Auferte malum ex vobis* [1. Cor. 5.], demonſtrat, non temere & quomodolibet, ſed per judicium auferendi ſunt mali ab eccleſiæ communione. Multo magis autem cavendum eſt, ne ſine regulari judicio miniſtri eccleſiæ officio ſuo priventur. Quapropter, ſicut beatus docet Gregorius, ſi quid de quocumque clerico ad aures ſuas pervenerit, quod eum juſte poſſet offendere, facile non credat, nec ad vindictam illum res accendat incognita, attendens quod ſcriptum eſt: *Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam* [Job. 29.]. Et præſentibus ſenioribus eccleſiæ ſuæ diligenter veritatem perſcrutari modis omnibus ſtudeat; & tunc, ſi qualitas rei popoſcerit, canonice diſtrictio culpam feriat deliquentis, ſecundum ordinem a ſacris regulis propoſitum. Et ut cuncta brevi cingulo perſtringamus, nihil per contemptum contumaciter faciat, vel fieri in parochia ſua permittat, quantum ex ipſo fuerit, quod ſit euangelicæ veritati, & apoſtolicæ traditioni, aut ſacris regulis inimicum. Si autem factum contigerit, arguendo, obſecrando, increpando, ſecundum quod cuique viderit expedire, juxta traditionem majorum, quantum potuerit, emendare procuret.

Paſtoralem ſiquidem regulam beati Gregorii mente, ore, ac manu, quantum ſibi Dominus ſcire ac poſſe contulerit, in cunctis ſequi procuret. Miniſterium itaque, ornatum, vel patrimonium, atque redditus vel facultates eccleſiæ, prout leges divinitus promulgatæ præfigunt, ſtudeat conſervare, ampliare, augere, vel diſpenſare, & monaſteriis in parochia ſua ſitis canonicam providentiam gerat, & quantum ex ipſo fuerit debita privilegia, & antiquam ac regularem conſuetudinem ſervet. Ordinationes vero presbyterorum, & diaconorum, & ſacroſancti baptiſmatis ſacramentum ſecundum traditionem eccleſiaſticam ſtudeat agere.

Cui etiam licet inſpirante Divina gratia abundans adſit doctrina, tamen pro noſtri officii debito, ex ſcrinio ſanctæ metropolis Remorum documentum dare ſtudebimus, qualiter ſe, cooperante Domino, morum probitate & doctrinæ ſtudio debeat gerere. Ipſum vero non neſcium quod totius provinciæ cura per ſacros canones ſit metropolitano commiſſa, ad eamdem metropolim ſuam, ſicuti ad matrem, ut ex ejus catholicis uberibus ſalubrem ſugat doctrinam, humiliter, ac ſedulo atque obedienter monemus recurrere. Et non amplius quam ſibi per ſacras regulas eſt conceſſum, indebite uſurpare: cum tanto caritatis ac humilitatis glutino præceptis ſalutaribus adinvicem ſimus connexi, ut dicente ſibi mandato Divino: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi* [Deut. 32.]: & nobis: *Rectorem te poſuerunt, noli extolli, ſed eſto in illis quaſi unus ex ipſis* [Eccli. 32.]: & : *Qui major eſt veſtrum, erit miniſter veſter* [Matth. 23.]: obedientibus ſcilicet miniſtrando paternam doctrinam, & inobedientibus, quod majoris eſt, regularem caritatis correptionem: nos fratrum & conſacerdotum noſtrorum ſalubribus debeamus uti conſiliis, & ipſi obedire paternis ac regularibus



bus monitis. Huic ergo, & hæc & alia præcepta ſalubria obſervanti, devotis animis vos obſequendo obedire oportet, ut irreprehenſibile placidumque fiat corpus eccleſiæ, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat cum Deo Patre omnipotente, in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Hincmarus ſanctæ metropolis eccleſiæ Remorum epiſcopus, & plebis Dei famulus, & venerabilis fratris Hedenulphi in ſancta Laudunenſis eccleſia favente Dei gratia ordinator, his litteris canonicis, & ordinato & electoribus ipſius publice datis, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. anno autem regni domni Caroli imperatoris XXXVII. anno imperii ejus II. ſubſcripſi.

Odo Belgivacorum epiſcopus ſubſcripſi.

Raginelmus Noviomagenſis epiſcopus ſubſcripſi.

Joannes Cameracenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Willebertus Catalaunorum humilis epiſcopus ſubſcripſi,

Hildebaldus Sueſſionenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi

Geroldus Ambianenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Hadebertus Sivanectenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

# FORMATARUM VETERUM EPISTOLARUM CANONICARUM

## Exempla XI.

Poſt formulas promotionum epiſcopalium non alienum eſt formatarum exempla ſubiici, quarum uſus inter epiſcopos frequentiſſimus fuit clericorum maxime cauſa, cum alio migrabant, quia ſine formatis ad communionem illos recipi, vel in alia eccleſia ordinari non licebat. Græcam earum originem Græcæ litteræ oſtendunt, quarum in his numeros, etiam in Latinis nominibus, obſervabant: Nicænorum quoque patrum autoritate inſtitutas fuiſſe, cum alii vulgo tradunt, tum ipſa, quæ Attici epiſcopi Conſtantinopolitani titulo circumfertur, vetus conficiendarum formatarum formula docet, quam primo loco proponemus.

De modo conficiendarum epiſtolarum formatarum, quem Nicæna ſynodus inter epiſcopos in faciendis epiſtolis conſervandum eſſe inſtituit.

*Atticus Epiſcopus, qualiter formata epiſtola fiat.*

Græca elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter Græci ſermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epiſtolis canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temere præſumeretur, hoc a patribus CCCXVIII. Nicæam congregatis, & ſaluberrime inventum eſt, & conſtitutum, ut formatæ epiſtolæ hanc calculationis ſeu ſupputationis habeant rationem. Id eſt, ut aſſumantur in ſupputationem prima Græca elementa Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, hoc eſt Π. Υ. Α. quæ elementa octogenarium, & quadringenteſimum, & primum ſignificant numerum. Petri quoque apoſtoli prima littera, id eſt Π. quæ numerum octoginta ſignificat. Ejus quoque qui ſcribit epiſcopi prima littera; cui ſcribitur, ſecunda; accipientis tertia; civitatis de qua ſcribitur, quarta; & Indictionis, quæcumque eſt id temporis, idem qui fuerit numerus aſſumatur: atque ita his omnibus Græcis litteris, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam quæcumque collecta fuerit ſummam epiſtola teneat. Hanc qui ſuſcipit omni cum cautela requirat expreſſe. Addat præterea ſeparatim in epiſtola nonagenarium & nonum numerum, qui ſecundum Græca elementa ſignificat AMHN.

*Ex ſuperioribus liquet, numerorum qui in formatis obſervantur, alios in omnibus formatis eoſdem ſemper eſſe, alios in ſingulis diverſos: illos proinde omnibus communes eſſe, hos ſingularum proprios. Communes ſunt, qui fiunt ex primis litteris Patris, Filii, Spiritus ſancti, & Petri: nimirum ex litteris* Π. Υ. Α. Π. *quibus numeri reſpondent* LXXX. CCCC. I. LXXX. *atque ex omnibus litteris* A.MHN. *quarum numeri ſunt* I. XL. VIII. L. *id eſt* 99. XICX. *omnium vero ſumma* DCLX. *Quare hic idem numerus formatis omnibus eſt communis, atque in omnibus idem eſt. Proprius autem, qui ex prima littera ſcribentis, ſecunda ejus cui ſcribitur, tertia accipientis, quarta civitatis de qua ſcribitur, & ex Indictionis cujuſque nota ducitur: qua vix unquam in diverſis formatis conſentiunt. Eo fit ut in ſingulis diverſus exiſtat, ac diverſa proinde in diverſis utriuſque numeri ſit ſumma: quod ex ſequentibus formatarum exemplis patefiet, ſi prius quos numeros Græcæ litteræ ſignificent oſtenderimus.*

*Quos numeros ſingula Græcorum elementa ſignificent.*

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Α | α | 1. | Ι | ι | 10. | Ρ | ρ | 100. |
| Β | β | 2. | Κ | κ | 20. | Σ | σ | 200. |
| Γ | γ | 3. | Λ | λ | 30. | Τ | τ | 300. |
| Δ | δ | 4. | Μ | μ | 40. | Υ | υ | 400. |
| Ε | ε | 5. | Ν | ν | 50. | Φ | φ | 500. |
| ϛ | | 6. | Ξ | ξ | 60. | Χ | χ | 600. |
| Ζ | ζ | 7. | Ο | ο | 70. | Ψ | ψ | 700. |
| Η | η | 8. | Π | π | 80. | Ω | ω | 800. |
| Θ | θ | 9. | ϟ | | 90. | ϡ | | 900. |

# INDEX FORMATARUM

## Sequentium.


*I. Ebroini Bituricenſis archiepiſcopi ad Magnonem Senonenſem.*

*II. VVolfeonis epiſcopi Conſtantienſis ad Bernaldum Argentarienſem.*

*III. Teutgaudi Trevirenſis archiepiſcopi ad Carolum regem, epiſcopos, &c.*

*IV. Joannis Camaracenſis epiſcopi ad omnes epiſcopos.*

*V. Liutadi epiſcopi Vincienſis ad VVanilonem Rothomagenſem archiepiſcopum.*

*VI. Æneæ epiſcopi Pariſienſis ad Hincmarum Remenſem archiepiſcopum.*

*VII. Hedilonis epiſcopi Noviomenſis ad Didonem Laudunenſem epiſcopum.*

*VIII. Hedilonis ejuſdem epiſcopi ad Radulphum Laudunenſem epiſcopum.*

*IX. Rathodi Trevirenſis archiepiſcopi ad Rotbertum Metenſem epiſcopum.*

*X. Dadonis epiſcopi Virdunenſis ad Rottrodum* Tre-

*Trevirenſem archiepiſcopum.*
*XI. Durandi epiſcopi Arnenſis ad Radulphum Turonenſem archiepiſcopum.*

## I.

Ebroini Biturlcenſis ad Magnonem Senonenſem archiepiſcopum pro Dodoberto presbytero, ut in ejus parochia apud Hercambaldum manere poſſit.

*Sancto & Deo amabili Magnoni dono Dei archiepiſcopo ex Senonica urbe, ego in Dei nomine Ebroinus dono Dei archiepiſcopus ex Biturige urbe, in domino Jeſu ſalutem optamus vobis in perpetuum.*

DE cætero notum facimus ſanctitati veſtræ, quia iſtum præſentem presbyterum, nomine Dodobertum, parochianum noſtrum, in noſtra diœceſi natum, & ſacras litteras edoctum, ad ordinem ſacrum promoveri juſſimus. Poſtea vero petiit a nobis licentiam, ut in veſtra parochia apud hominem aliquem nomine Hercambaldum manere poſſit. Nos vero petitionem illius non denegavimus, niſi licentiam illi dedimus, quia ſcimus quod de bene liberis hominibus ortus ſit. Unde has litteras commendatitias, more eccleſiaſtico factas, ad ſanctitatem veſtram miſimus, ut ſcire valeat Deo digna caritas veſtra, eum nec fuga lapſum, nec ſua malitia a nobis ejectum, ſed noſtra voluntate deſtinatum. Et ut certius credatis, Græca elementa, quæ octogenarium, quadringenteſimum, & primum numeros exprimunt, in primis annexuimus, Π. Petri quoque nominis primam litteram ſumptam in medium adſcribere rogavimus. Nihilominus etiam parvitatis noſtræ nominis primam litteram E. magnitudinis veſtræ ſecundam litteram A. iſtius fratris nominis tertiam litteram A. divitatis noſtræ quartam Υ. & Indictionem quartam adjunximus. Addidimus nonagenarium & nonum numerum; Id ϛ. & Θ. Et inſequenter impreſſione ſigilli noſtri ſubterfirmavimus, & manu propria eam roboravimus, & a clericis noſtris roborari juſſimus. Actum in anno x. imperii domini noſtri Caroli; & anno XLIII. regni ejus: in Dei nomine feliciter. Amen.

*Indictio* IV. *& anni regni atque imperii Caroli magni, annum Chriſti deſignant* DCCCX. *ſummam vero numeri omnes formata comprehenſi efficiunt* MLXXIV. *Nam ad communem omnium formatarum numerum* DCLX. *adiiciendus eſt hujus proprius* CCCCXIV. *qui conſtatur ex litteris* E. A. Δ. Υ. *& indictione* IV.

## II.

Wolfeonis Conſtantienſis epiſcopi ad Bernaltum Argentarienſem, pro Annone clerico, ut in parochia manere, & ad ſacros ordines promoveri poſſit.

Π. Υ. A. Π. *ſanctiſſimo in Chriſto fratri, ſummaque dulcedine amplectendo, Bernalto Argentarienſis civitatis epiſcopo, VVolfeon Conſtantienſis eccleſiæ præſul, perpetuæ beatitudinis optat in Chriſto ſalutem.* Υ. E. N. Σ.

DE cætero noverit ſancta fraternitas veſtra, quod iſte clericus, nomine Anno, noſtra in parœcia inſtructus ac detonſus, parvitatem noſtram rogavit, quatenus illis commendatitias litteras conſcriberemus, quibus veſtræ celſitudini commendatus, ſub tuitione veſtri regiminis degere poſſit. Cujus voluntati conſentientes, ſecundum canonicam autoritatem litteras ei dimiſſorias dedimus: per quas & ipſi concedimus, ut ſub veſtro magiſterio Divinæ ſervituti inſiſtens, ſuæ deſerviat utilitati, & vobis licentiam tribuimus, ut ſi dignum eum judicaveritis, ad ſacros ordines promoveatis. Commendatum ergo eum curæ veſtræ ſuſcipite, & noſtris ex partibus abſolutum in veſtrarum ovium numero cuſtodite. Quas litteras, ut vigore veritatis firmatæ indubitanter a vobis ſuſcipiantur, litteris Græcis, ut canonica docet autoritas, confirmare ſategimus. Sancta Trinitas veſtram beatitudinem ad regimen ſanctæ ſuæ eccleſiæ perpetualiter bene valere concedat. Πϛ. indictione x. Continet hæc formata epiſtola ſummam numeri MCCCXXV.

*Indictio* x. *& VVolfeonis epiſcopatus annum denotant* DCCCXVII. *Summa vero totius numeri ſub finem formatæ adſcripta conſtatur ex numero communi* DCLX. *& ex proprio* DCLXV. *qui exſurgit ex litteris* Υ. E. N. Σ. *& Indictione* x. *una enim conjuncti reddunt* MCCCXXV.

## III.

Teutgaudi archiepiſcopi Trevirenſis epiſtola generalis ad Carolum Calvum regem, epiſcopos & alios univerſos, pro Hegilone presbytero ad ſanctorum loca peregrinante.

*Glorioſiſſimo & a Deo coronato magno & pacifico regi Karolo, & omnibus beatiſſimis præſulibus, cæteriſque in gradibus eccleſiaſticis ordinatis, & univerſis in regno ejus ſæcularem adminiſtrantibus dignitatem, ſeu cunctis fidelibus Domini noſtri Jeſu Chriſti adventum diligentibus, Teotgaudus humillimus Trevirorum archiepiſcopus plenam pacem, & perpetui gaudii optabilem implorat ſalutem.*

QUia ſæpe fieri ſolet, ut magni viri, ſumma religionis arce conſpicui, virtutum robore prævalidi, armis juſtitiæ accincti, caſtitatis candore inſigniti, ſapientiæ decore præfulgidi, migrandi de ſuis locis concipiant amorem, quo per talem occaſionem humanam poſſint ſubterfugere laudem, & minoris meriti æſtimentur ab extraneis qui granditer honorificabantur a nobis. Plurima quippe ſunt iſtiuſmodi occaſionis veteris & novi teſtamenti hortamenta, & evidentiſſima præ oculis documenta, quæ vobis quia ſatis agnita eſſe non ambigimus, opportunius ea præterimus. Hac igitur feliciſſima conſuetudine, & ſaluberrima doctrina commonitus quidam frater nobis cariſſimus, & cunctis benevolentibus, nomine Hegilo, quia diœceſanus noſter erat, in noſtra videlicet diœceſi nutritus & tonſus, ſacroque dogmate ſanctarum ſcripturarum pleniſſime eruditus, & honeſtiſſime converſatus, atque in eccleſia nobis commiſſa ad ſacerdotii dignitatem fuerat promotus, licentiam a nobis petiit, ut more canonico abſolutione ſuſcepta, & largita ſibi benedictione, tutius atque ſecurius loca ſanctorum viſitare, & ad veſtram præſentiam liberius ac familiarius accedere valeret, ad quemcumque ex vobis illum itineris varietas perduxiſſet. Itaque nos petitioni ejus aſſenſum tribuentes, & venerationi illius conſentientes, acquievimus conſentiendo quod ſecundum Deum deſiderare videbatur. Quocirca ſuppliciter deprecamur, & obnixe depoſcimus humanitatem veſtram, ut honorabiliter ſuſceptum, ſicut Dei templum, & habitaculum Spiritus ſancti, veluti manſionem ſanctæ Trinitatis, quemadmodum precioſiſſimum membrum Chriſti, ſicuti unctum dono & largitate ſeptiformis gratiæ Dei, quocumque pervenerit, ſive modico, ſeu largiori ſpatio apud vos moraturus, benigne tractetis, humane exhibeatis: ut Chriſtum in eo ſuſcipientes, prout rogamus, fideliter, pro illo meritum munificentiæ veſtræ acquiratis æternaliter. Denique cum propter memorabilem juſtificationum ipſius prærogativam has vobis pacificas litteras porrigere decerneremus, operæ precium fore arbitrati ſumus, ut Græca quoque elementa ex nomine Patris Π. & Filii Υ. & Spiritus ſancti A. primam quoque litteram ex nomine beati Petri apoſtoli Π. & Amen in fine inſereremus, cum litteris nihilo minus Græcis ſummam illarum demonſtrantibus ΦΞA. ut per hoc vobis evidentius luceret honorificentia ejus quem exoramus præfixis apicibus ſanctæ Trinitatis, ut ſacroſancta Trinitas illum ubique conſervet, muniat, atque defendat, intercedente beato Petro apoſtolo. AMHN vero in extremo apponere ſtuduimus, optantes ut iter illius ſalubriter dirigatur, oculis divinæ majeſtatis efficiatur acceptabile, receptabile ſanctis, & memorabile in æternum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Hac ratione in hac epiſtola Græca elementa poſuimus, non ut canonicam formatam formaremus, ſed ut eidem etiam intimato Hegiloni proſpera per elementa indita precaremur. Valete. Dextera Dei Patris, per quem facta ſunt ſæcula, religionem veſtram tueatur, & bonam impleat voluntatem juxta deſiderium veſtrum, omnes fideles & cuncti beatiſſimi fratres, cum rege Karolo, a Rege omnium regum pro magnis meritis in perpetuum coronandi. Amen.

*Theutgaudi epiſcopatus Caroli Calvi congruit temporibus, ſed Indictio hic nulla eſt, ex qua de anno Chriſti ſtatuere liceat. De numeris autem, cum alii ſint communes omnium, ut dictum eſt, alii proprii cujuſque formatæ, propriis omiſſis communium tantum ſummam, neque illam integram, Græcis litteris expreſſit* ΦΞA. *id eſt* DLXI. *Nam adiicienda erant* XCIX. *quæ in* AMHN. *continentur, ut fieret integra ſumma* DCLX.





## IV.

Joannis epiſcopi Camaracenſis epiſtola generalis ad omnes epiſcopos, pro Urſione presbytero, ut in qualibet illorum parochia recipi poſſit.

*In nomine* Π. Υ. A. Π. I. Π. Σ. A. *Indictione* XIII. AMHN. *Omnibus ſanctæ matris eccleſiæ paſtoribus, pio ſolicitudinis ſtudio filiorum ipſius curam gerentibus, Joannes Camaracenſis ſanctæ matris eccleſiæ epiſcoporum extimus, inoccidua proſperitatis tripudium.*

ANNO CHRISTI 865.

PErmaximo ſcelerum pondere prægravati, non ſolum paganorum, verum etiam pſeudochriſtianorum creberrimis atterimur infeſtationibus. Quocirca gregem Divina noſtræ ſolicitudinis providentia commiſſum intra proprii ovilis ſepta paſtoralis nequit regere vigilantia. E quibus præſens ſacerdos, Urſio vocabulo, a beatæ recordationis prædeceſſore noſtro Teuderico, apud matrem eccleſiam noſtram per omnes gradus canonice promotus, religioſeque dum licuit converſatus, ſuppliciter efflagitavit litteras, Græcorum elementis imprævaricabilibus ſanctiſſimi Nicæni concilii decretis roboratas; noſtra paſtorali indulgentia ſibi largiri, quibus munitus dimitti, & quocumque ſibi aptum reperiſſet locum, poſſet canonice recipi, ac miniſterium divinitus ſibi conceſſum peragere. Nos igitur hujuſmodi petitionem ſuſcipientes, noſtræ [illegible] atque ipſius miſeriæ condolentes, omnique [illegible] dolo cognoſcentes, migrandi facultatem liberam [illegible] induſimus, eminentiam veſtram, ad quos pervenerit, obnixe expoſcentes, ut in ſacroſancto veſtræ paternitatis gremio eum ſuſcipientes, miniſterii ſui officium intra veſtram diœceſin celebrare ſinatis. Ut vero hi noſtræ parvitatis apices verius credantur, Græcorum numerum ſuis ſupputationibus inſeruimus. Patris videlicet primam Π. Filii quoque primam Υ. & ſancti Spiritus A. Petri etiam apoſtolorum principis primam Π. noſtri quinetiam nominis primam I. quoniam ignoramus cujus pontificis diœceſin nominatim adire debeat, pro ſpeciali littera nominis epiſcopi, quæ hoc loco deberet eſſe ſecunda, generalis ibidem nominis ſecundam ponimus, quæ eſt Π. quæ ſimiliter ſignificat octoginta. Illius inſuper fratris tertiam Σ. quartam nihilo minus urbis noſtræ litteram A. cum indictione inſtantis anni XIII. ſubnectentes AMHN. Ideo vero hæc innexa ſunt, ne forte beatitudinis veſtræ pura quæ eſt in Chriſto ſimplicitas aliquo fraudis obnubiletur acceſſu: & ut profecto ſciatis hunc fratrem neque fuga lapſum, nec alicujus criminis nævo fuſcatum, ſed inſtante Nortmannorum feritate nolentem propulſum. Valeat ſanctitas veſtra ſuperno propitiante Chriſti clementia munita præſidio. Summa numerorum epiſtolæ DCCCCLXIV.

*Indictio* XIII. *& epiſcopatus Joannis Camaracenſis, annum deſignant* DCCCLXV. *Summa numerorum ad calcem adjecta, & initio quoque ſuis litteris expreſſa, conſtatur ex numero communi* DCLX. *& ex proprio hujus formatæ* CCCIV. *qui conficitur ex litteris Græcis* I. Π. Σ. A. *& indictione* XIII.

APPENDIX TOM. X.

## V.

Liutadi epiſcopi Vincienſis ad Wenilonem Rotomagenſem archiepiſcopum, de Wlſado diacono, quem olim ſibi traditum ab Ebbone Remenſi, nunc ipſi concedit.

*Π.Υ.Α. Reverentiſſimo & ſanctiſſimo patri VVeniloni Rotomagenſi archiepiſcopo Liutadus Vincienſis epiſcopus æternam in Domino ſalutem.*

ANNO CHRISTI 768.

Ex vet. cod. Vaticano.

OPtarem valde, ſi nobis ſpatia terrarum ſinerent, fraternum & amiciſſimum vobiſcum habere colloquium, atque de noſtris communibus opportunitatibus tractare. Sed quia id prolixitas itineris denegare videtur, veſtram ſanctitatem humiliter exoro, ut mei memoriam coram ſancto altari habere dignemini, veſtræque me commendare eccleſiæ, quoniam veſtram caritatem jam in gremio eccleſiæ noſtræ recepimus, & pro vobis quotidianis precibus Deum exoramus. Cæterum comperiat ſanctitas veſtra, quemdam fratrem noſtrum, & filium eccleſiæ noſtræ, nomine Wlſadum, ſubdiaconum me petente traditum mihi per litteras, quas eccleſiaſtica conſuetudo formatas appellat, a venerabili Ebbone quondam Remenſi archiepiſcopo. Et quia impendentibus quibuſdam cauſis, poſtquam mihi traditus erat, in propria remanſit eccleſia, me ſuggerente ordinavit eum idem Ebbo in gradu diaconatus. Nunc autem, quia ſcitis eum propter cauſas neceſſarias in partibus veſtris morari, ſicut mihi commendatus erat, vobis eum committo, veſtræque cuſtodiæ & providentiæ delego, & ut ad majores gradus eum provehatis ſuppliciter exoro. Credimus enim quoniam & ſapientia & mores ad hoc eum dignum indicant. Commendamus igitur veſtræ beatitudini, eccleſiæque veſtræ, præfatum fratrem noſtrum Wlſadum, & de profectu ejus petimus vos lætari in æternum. Ac ſicut mos eccleſiaſticus eſt, & inventum ac conſtitutum a CCCXVIII. in Nicæna ſynodo epiſcopis, formatam epiſtolam facientes, ut in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis noſtrum opus largitionis & dimiſſionis hujus noſtri dilecti fratris roboratum, fructuoſius & utilius fieret, in ſupputatione calculationis aſſumpſimus prima elementa Græca, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Π.Υ.Α. quæ octogenarium, & quadringenteſimum, & primum ſignificant: noſtram quoque qui ſcribimus primam litteram Λ. veſtramque cujus beatitudinis ſcribimus ſecundam Υ. accipientis fratris tertiam Λ. civitatis noſtræ, de qua ſcribitur, quartam Σ. Indictione I. canonicum ordinem tenentes, huic noſtræ epiſtolæ affigimus: atque Græcarum litterarum numeros in ſummam collectos epiſtolam tenere facimus, id eſt, LXXX. CCCC. I. XXX. CCCC. XXX. CC. I. ut per omnia rata & legitima noſtræ dimiſſoriæ autoritas procederet. Separatim autem, ut epiſtolam clauderemus, nonagenarium & nonum numerum Græcis elementis etiam ſignavimus, & omnino firmavimus. Vt.

*Indictio I. & VVenilonis epiſcopatus congruunt anno Chriſti* DCCCLXVIII. *Proprius formatæ numerus,* DCLXI. *quem efficiunt litteræ* Λ.Υ.Λ.Σ. *& Indictio* I. *Numerus communis, non* DCLX. *ut in aliis, ſed* DXXC. *omiſſa littera* Π. *quæ prima erat nominis Petri. Summa ergo utriuſque numeri* MCCXLI.

## VI.

Æneæ Pariſienſis epiſcopi ad Hincmarum Remenſem, ut ei Bernonem acolytum in parochia ſua retinere & ordinare liceat.

*Hincmarus nomine non merito Remorum epiſcopus, ac plebis Dei famulus, dilecto fratri & venerabili epiſcopo Æneæ ſalutem.*

NOſtri fratres de monaſterio ſancti Dionyſii, per licentiam domni abbatis Hludovici, ad educandum atque erudiendum commiſerunt mihi quemdam adoleſcentem nomine Bernonem, quem veſtra fraternitas acolytum ordinavit. Propterea, quoniam ſine veſtra licentia eum nolumus in noſtra eccleſia diutino tempore immorari, petimus dilectionem veſtram, ut de illo nobis litteras canonicas faciatis, quatenus eum in eccleſia noſtra poſſimus regulariter ordinare.

*Venerabili in Chriſto patri Hincmaro Remorum archiepiſcopo, Æneas ſanctæ Pariſiacenſis eccleſiæ epiſcopus in Domino ſalutem.*

CAnonica atque eccleſiaſtica ſancit auctoritas, ut nemo epiſcoporum alterius eccleſiæ ordinatum, ſine conſenſu, vel litteris dimiſſoriis illius epiſcopi, cujus ordinatus fuerat, in propria parœcia retinere aut ordinare præſumat. Hanc denique inſtitutionem ſanctorum patrum pleniſſime retinentes, rogaſti vobis quemdam eccleſiæ noſtræ filium, & a nobis nuper acolytum ordinatum, nomine Bernonem, qui cauſa diſcendi atque educandi veſtris in partibus quondam miſſus, &c. *reliqua deſunt.*

## VII.

Hedilonis epiſcopi Noviomenſis ad Didonem Laudunenſem pro Arnegiſo presbytero, ut in ejus parochiam migrare, ipſique ſubjici liceat.

*In nomine Patris* Π. *& Filii* Υ. *& Spiritus ſancti* Α. *Hedilo Noviomagenſium epiſcopus Didoni inclyto & venerabili coepiſcopo æternam in Domino felicitatem.*

Ex cod. Laudunenſi.

ANNO CHRISTI 891.

COmperiat dilectio veſtra, quod Arnegiſus presbyter, frater ac filius noſter, petiit, ut per meam licentiam, & a me formatam epiſtolam, ſecundum actoritatem canonicam, ſicut inter dantem accipientemque fieri oportet, veſtræ ditioni ſubiici valeret. Miſimus ergo vobis hanc epiſtolam canonica inſtitutione formatam, ut cognoſcatis juſtam atque canonicam eum a me accepiſſe licentiam. Tria ſiquidem Græca elementa prius inſerta octogenarium, & quadringenteſimum, & primum continent numerum. Ex nomine quidem Petri apoſtoli prima littera, id eſt Π. ſimiliter, ut prius, octoginta exprimit. Ex noſtræ parvitatis nomine ſimiliter prima littera, id eſt Ε. quinto congruit numero: veſtræ quoque ſanctitatis ſecunda nominis littera, id eſt Ι. procul dubio denarium format numerum. Præfati presbyteri ex ipſius nomine tertia, id eſt Ν. numerum oſtendit quinquageſimum. Denique ex noſtræ civitatis nomine quarta, id eſt, Ι. decimum, ut ſupra, exprimit numerum. Sed & veſtræ civitatis quinta littera ipſius nominis, id eſt Υ. quadringenteſimum approbat numerum. Eſt etiam nunc Indictio XI. Addidimus inſuper nonagenarium nonum numerum, qui ſecundum Græca elementa ſignificat AMHN. Summa vero totius numeri in omnia ducti complet MCXLVI. Hæc autem omnia requirenda ſunt diligenter, & cum omni cautela. Data VII. Kalendas Octobris.

*Indictio* XI. *epiſcopatus Heidilonis & Didonis, annum Chriſti deſignant* DCCCXCII. *Summa porro numerorum, quæ ſub finem adſcripta eſt* MCXLVI. *ex communi numero ducitur,* DCLX. *& ex proprio,* CCCCXXCVI. *qui fit ex litteris* Ε.Ι.Ν.Ι.Υ. *adjecta Indictione* XI. *Peculiare igitur eſt huic formatæ, quod quintam quoque litteram obſervat civitatis epiſcopi ad quem ſcribit.*

## VIII.

Heidilonis ejuſdem epiſcopi Noviomenſis ad Rodulfum Laudunenſem pro Rotgero diacono, qui in illius parochiam transferri expetierat.

*In nomine Patris.* Π. *& Filii* Υ. *& Spiritus ſancti* Α. *Heidilo ſuperna ejuſdem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti favente clementia, Noviomenſium humilis epiſcopus, ſancto & venerabili ac cariſſimo nobis Rodulfo ſanctæ Laudunenſis eccleſiæ epiſcopo, geminam in Chriſto pacem exoptat & gloriam.*

ANNO CHRISTI 902.

VEſtræ intueatur magnitudinis experientia, hunc præſentem clericum nomine Rotgerum, a nobis per ſingulos eccleſiaſtici honoris gradus ad onus diaconi fore promotum. Iſdemque frater ob ſui commodam facultatem a noſtra ſaluberrime & juſte expetiit mediocritate licentiam ad vos eundi, & in veſtra parochia commorandi, ac penitus diſcedendi. Nos itaque petitioni ejus, quam non ſubdolam, ſed veram agnovimus, libenter aſſenſum præbuimus, & effectum juſtum & congruum minime denegavimus. Quocirca totis viribus conquiniſcentes celſitudinem veſtram humiliter obſecramus, ut eum veſtra paterna ſolicitudo dignanter excipiat, & ut pius & prudens paſtor ac pater in gremio veſtræ dilectionis accipite. Vita vero & moribus hactenus inter noſtros probum laudabilemque ſciatis: [a] ſcientiæ denique capax miniſterii ſibi commiſſi, quantum autumamus, officium ſcire dignoſcitur. Nos etiam more canonico hanc ei formatam epiſtolam, ſecundum decreta Nicæni concilii Græcis characteribus inſignitam, vobis deferendam conceſſimus: per quam ipſum veſtræ tuitioni committimus, & a noſtra parochia penitus ſequeſtramus. In qua quidem, poſt Æolica ſuperius elementa in ſupputatione Patris, & Filii, & Spiritus ſancti aſſumpta, Petri quoque primum elementum Π. ut nos corde fidem ſanctæ Trinitatis habentes, confiteamur ore ad ſalutem, per ejuſdem principis apoſtolorum doctrinam, rationabili ordine ſubnexuimus. Et ne aliqua fraus falſitatis in ea locum obtinere prævaleat, nominis noſtri qui ſcribimus primam litteram H. cui ſcribitur ſecundam O. veſtri tandem qui accipitis tertiam Δ. civitatis noſtræ inſuper addentes quartam Ι. cum Indictione V. Hujus igitur calculationis ſummam in unum pariter comprehenſam, ita diligentius annotare ſtuduimus Π. LXXX. Υ. CCCC. Α.Ι.Π. LXXX. Η. VIII. Ο. LXX. Δ. IV. Ι. X. Addidimus præterea nonagenarium & nonum numerum, qui ſecundum Græca elementa ſacratiſſimum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſignificat juramentum ϟ. XC. Θ. IX. Optamus felicitatem veſtram valere hic & in ævum.

(a) Forte, ſcientia. H.

*Indictio* V. *cum Heidilonis & Rodulphi epiſcoporum annis comparata, Chriſti annum indicat* DCCCCII. *Numerorum qui ex propriis formatæ notis conſtantur, ſumma eſt* XCVII. *quæ communi numero* DCLX. *adjecta, utriuſque ſummam reddit* DCCLVII.

## IX.

Ratbodi Trevirenſis archiepiſcopi ad Rotbertum epiſcopum Metenſem, pro Giſlemaro presbytero, ut ei deinceps in ipſius parochia degere liceat.

*In nomine* Π. *Patris, &* Υ. *Filii, &* Α. *Spiritus ſancti, Rathodus ſanctæ Treverenſis eccleſiæ ac plebis ipſius humilis famulus, Rotberto reverendo ſanctæ Metenſis eccleſiæ antiſtiti, in Chriſto principe paſtorum manſuram cum gaudio proſperitatis ac perpetuitatis, gloriam.*

ANNO CHRISTI 905.

DEcreta ſanctorum trecentorum decem & octo patrum Nicææ conſtitutorum ſaluberrima ſervantes, Deo dignam piamque fraternitatem veſtram canonice aggredimur, & ſub nomine formatæ epiſtolæ reverenter veſtram ſanctitatem adimus; vobis videlicet intimando, quia præſenti presbytero noſtro, nomine Giſlemaro, has dimiſſorias dedimus litteras, quem in noſtra diœceſi eccleſiaſtice educatum, de ordine clericatus ad presbyteratus proveximus gradum. Ut his canonicis munitus apicibus, cum noſtra licentia ei in veſtra parochia ſub defenſione ac regimine veſtræ caræ dilectionis degere liceat: illumque in ſinu ſanctæ matris eccleſiæ canonice fovendum ac regendum vobis committimus. Hanc ergo epiſtolam Græcis litteris hinc inde munire decrevimus, & annulo eccleſiæ noſtræ bullare cenſuimus. Chriſtus paſtorum princeps, interventu beati Petri, cui ſpecialiter ovile Dominicum commiſſum eſt, fraternitatem veſtram ad cuſtodiam ſui gregis diu nobis conſervet incolumen. AMHN. Summa horum MCDXXXIX. Π.Υ.Α. Ρ.Ο.Σ.Υ.Θ. AMHN.

Ivo part. 6. cap. 434.

Data Treveris Idibus Octobris, anno dominicæ Incarnationis DCCCCVI. Indictione IX.

*Indictio* IX. *Idibus Octobris, & epiſcopatus Ratbodi, congruunt anno Chriſti* DCCCCV. *Summa numerorum quæ ſub finem adſcripta eſt, colligitur ex numero communi* DCLX. *& ex proprio* DCCLXXIX. *qui fit ex literis* Ρ.Ο.Σ.Υ. *& Indictione* IX. *Utriuſque enim numeri ſumma,* MCDXXXIX.

## X.

APPENDIX TOM. X.

## X.

Dadonis epiſcopi Virduneſis ad Ratbodum Trevirenſem, pro Adruino presbytero, ut ei deinceps in ipſius parochia manere ac cenſeri liceat.

*Reverentiſſimo & ſanctiſſimo Ratbodo ſanctæ Treverenſis eccleſiæ archiepiſcopo, Dado Virdunenſis eccleſiæ devotus gregis Chriſti famulus, in Domino vero ſummæ felicitatis beatitudinem.*

ANNO CHRISTI 906. Ivo part. 6. cap. 415. Matth. 10. Rom. 12.

CUm ſancta catholica eccleſia prompta ſit ſequi documenta euangelica, quæ dicunt: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit juſtum in nomine juſti*, &c. & Apoſtolus jubeat hoſpitalitatem ſectari, & neceſſitatem ſanctorum virorum communicare: tamen propter eos qui cauteriatam habent ſuam conſcientiam, dicentes ſe eſſe ſimplices, cum ſint aſtutia diabolica repleti, & pro opere pietatis dicunt ſe de loco ad locum tranſire, cum ſint ſua malitia faciente fugitivi, & dicunt ſe eſſe miniſterio ſacro inſertos, cum non ſint: ſtatutum eſt a ſanctis patribus, neminem clericum alienum & ignotum recipi ab aliquo epiſcopo, & inthronizari in ſua eccleſia, niſi habeat a proprio epiſcopo epiſtolam, quæ in canonibus nominatur formata. Ideo notum facimus paternitati veſtræ, quod præſens frater noſter harum litterarum portitor, nomine Adruinus, non pro ſua nequitia expulſus eſt a nobis, ſed poſtulantibus fratribus noſtris, eo quod ex familia noſtra fuit, dedimus ei libertatem receptam a [illegible] altaris canonice, & ordinavimus eum ad gradum presbyterii. Cui etiam has dimiſſorias, ſive commendatitias litteras fecimus, & eum ad veſtram dilectam fraternitatem dirigimus, ut in veſtra parœcia ſub veſtro ſacro regimine & defenſione conſiſtere valeat. Ego, inquam, in nomine Π. Patris, & Υ. Filii, & Α. Spiritus ſancti, & in unitate ſanctæ eccleſiæ, in qua Petro datum eſt jus ligandi atque ſolvendi, abſolvo Dado humilis epiſcopus presbyterum Adruinum de civitate Virdunenſi, Indictione IX. & licentiam do vobis, Ratbode, venerabilis archiepiſcope, inthronizandi eum in quacumque eccleſia vultis veſtræ parœciæ. Dilectam paternitatem veſtram virtutum floribus inſignitam, omnipotens Deus conſervare dignetur. AMHN. DCCLXXVIII. Π.Υ.Α. Π.Δ.Α.Δ.Θ.ς.Θ.

Data quinto Idus Maii, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCVI. Indictione IX.

*Indictio* IX. *menſe Majo, & epiſcopatus Dadonis, anno Chriſti comperiunt* DCCCCVI. *Numerorum autem ſumma, quæ ſub finem exprimitur, & Græcis litteris deſignatur, fit ex numero communi* DCLX. *& ex proprio* CXVIII. *quem reddunt litteræ* Δ.Α.Ρ.Δ. *cum Indictione* IX. *Omnium enim una ſumma eſt* DCCLXXVIII.

## XI.

Π.Υ.Α.Π.Δ.Α.Θ.Η.Μ.Χ. Durandi epiſcopi Arvernorum ad Radulfum Turonenſem, pro ſubdiacono quodam, quem ejus curæ committit.

*Durandus Dei gratia Arvernenſis epiſcopus Rodulfo excellentiſſimo Turonicenſi archiepiſcopo, quod in terra felicius, vel beatius in cælo.*

Ex MS. S. Albini Andegav.

COmperiat dilectio veſtra, quod hic præſens ſubdiaconus, quem manu propria conſecravimus, miſericorditer formatam a nobis expetiit epiſtolam, & omnem auctoritatem canonicam, ſicut inter dantem & accipientem fieri oportet; quatenus hac auctoritate ſecurus, jure veſtræ ditioni ſubjici valeret. Cujus petitionibus annuentes, mittimus nobilitati veſtræ hanc epiſtolam canonica inſtitutione formatam, ut quem ſanctitatis veſtræ amodo cuſtodiæ rogando committimus, cum libera noſtra conceſſione ad quodcumque officium, ſeu ad quemcumque gradum viſum fuerit, promoveatis, & omnem quam erga eum hactenus poteſtatem nobis licuit, exercere ſit vobis licitum. Et ut nullus in veſtro animo ſcrupulus hæſitationis remaneat, ea ſigna quæ ſancti patres in Nicæno concilio ſtatuere in hujuſmodi epiſtolis ſcribenda, in primis & ultimis annotavimus. AMHN.

*Litteræ fronti præfixæ non ſatis integræ videntur, & ſubdiaconi nomen non expreſſum rem obſcuram facit. De tempore autem formatæ conjicere licet ex obitu Durandi, quem incidiſſe conſtat in annum* MXCV. *ſub initium concilii Arvernenſis Urbani* II. *Hactenus ergo formularum exempla* XI. *quæ propoſueramus, auctorum ſuorum nominibus inſignita: quibus addi poteſt extremo loco & aliud generale, quod inter formulas veteres poſt Marculfum editas legitur numero* XII. *Sic autem habet:*

## XII.

Formula generalis epiſtolæ formatæ.

*In Dei nomine ſanctiſſimo ac reverendiſſimo fratri Illi epiſcopo, Ille Illius urbis epiſcopus, in Domino ſempiternam ſalutem.*

COgnoſcat fraternitas ſeu caritas veſtra, quia iſte præſens presbyter nomine Ille, in parochia & in eccleſia noſtra ſacris litteris educatus fuit, & ab infantia fuit apud nos, ſeu prædeceſſores noſtros, bonum habens teſtimonium, bonamque continentiam & innocentem vitam ducens. Unde placuit illi modo, ut ad aliam eccleſiam ſe converteret, volens ſibi quærere ſeniorem, qui ſe de rebus temporalibus adjuvet, & cui ille ſecundum miniſterium, quod ſibi injunctum eſt, obſequium præbeat. Unde veſtram fraternitatem compertam facimus, ut cuicumque placuerit eum ſuſcipere, abſque ulla ambiguitate hoc faciat: ſciens illum & boni eſſe teſtimonii, & a nobis ſibi ab eccleſia, quæ nobis ad regendum conceſſa eſt, migrandi licentiam accepiſſe. Et ut hæ litteræ firmiorem obtineant dignitatem, meliuſque eis fides adhibeatur, manu noſtra eas ſubterfirmavimus.

SUPPLE-



Ex Rerum Italic. Scriptor. Tom. I. p. I. pag. 137.

# SUPPLEMENTUM CONCILII ROMANI HABITI ANNO CHRISTI DCCCLXIII.

*Allati ſupra pag. 235.*

### LUDOVICI MURATORII MONITUM.

SEdente in Apoſtolica cathedra Nicolao I. habita eſt Romæ compluriam epiſcoporum ſynodus, quam Labbeus intulit in Tom. 8. Conciliorum p. 767; ac ſubinde in ſuam eorumdem Conciliorum editionem cl. P. Harduinus: uterque vero eamdem ſpectare ad annum 863. nos monuit. Præpoſita eſt hujus Concilii Actis Epiſtola ipſius Nicolai I. tum ſubſequuntur Capitula V. quorum etiam eſt mentio apud Gratianum in decreto. Quinque tantummodo dixi hactenus edita; ſed alia ibi ſancita fuiſſe, cum inter Ambroſianæ Mediol. Bibliothecæ MSS. codices olim verſarer, deprehendi in Cod. D. 76. eaque in mea adverſaria retuli, aliquando editurus. Nunc ergo eadem paucis aliquot notis aucta Lector quoque accipiat, ad ſæculi IX. hiſtoriam eccleſiaſticam aliquid lucis allatura. Ad Johannem archiepiſcopum Ravennatem quod attinet, in hoc Romano Concilio anathemate perculſum, legendus eſt Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Nicolai I. Tom. 3. Rerum Italic. cujus etiam verbis Baronius ad an. 861. rem quomodo peracta fuerit deſcribit. In hæc autem verba loquitur Anaſtaſius: *Eodem tempore Papa prædictus ter ad ſynodum ſuis litteris eum* (id eſt Johannem Ravennatem) *vocavit, & ille venire contemnens, a ſancta ſynodo communione privatus eſt*. Tum dicere pergit, ipſum Ravennatem ad patrocinium Ludovici II. Auguſti Ticinenſi in urbe morantis confugiſſe, atque cum Auguſti Legatis Romam acceſſiſſe. Pontifice in ſuis decretis conſtante, is abiit: at non modico tempore interpoſito agnoſcens, nihil aliud quam animum humilem & obſequentem poſſe delinire ſtrenuum diſciplinæ aſſertorem Nicolaum, victas manus dedit, atque in altero Concilio Romano ſub certis conditionibus & pactis communioni fidelium reſtitutus eſt. Hæc fuſe narrata ab Anaſtaſio. Nunc vero animadvertendum eſt, primum Concilium Romanum, ubi de pravis actibus Johannis Ravennatis actum fuit, primum fuiſſe editum a clariſs. Bacchinio ex inſigni Tabulario C[illegible]s Mutinenſis in Appendice ad Agnellum: idemque habes rurſus evulgatum Tom. II. collectionis hujus. Habita vero dicitur illa ſynodus *Pontificatus Domni Nicolai ſummi Pontificis & univerſalis Papæ anno* IV. *Imperii piiſſimi Auguſti Ludovici anno* XI. *die octavo decimo, menſe Novembris, Indictione* X. DCCCLXI. Sed cum Johannes in ſua pervicacia perſiſteret, in altero ſubſequente Concilio itidem Romano adverſus illum anathema eſt pronuntiatum. Spectat autem ſynodus iſta ad annum DCCCLXIII. atque ad illam referenda ſunt Acta, quæ nunc publici juris facio. Tertium Concilium pariter Romanum, in quo reddita eſt eidem Johanni gratia Apoſtolicæ ſedis, viderint alii, quo anno ſit ſtatuendum.

### CAPUT VI.

*De Johanne Archiepiſcopo Ravennate.*

Johannem archiepiſcopum Ravennatem, quem pro quibuſdam neceſſitatibus eccleſiaſticis, & diverſis præſumptionibus, ad ſynodum convocavimus; & quia a Nandeciſo Polenſi epiſcopo noſtro Præſulatui contra eum libello porrecto, peſſimo hæreſeos errore irretitus dicitur, & viva voce profertur, venire diſtulit, atque contemſit, & pro illato crimine purificare ſe noluit: ſecundum ſanctionem XIX. capituli Carthaginenſis Concilii, ſacrarum Miſſarum ſolemniis, corpore etiam & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeparamus, atque in præſenti ſynodo excommunicamus, uſque dum in noſtra præſentia veniens hic Romæ purificationis ipſius videamus integritatem. Si qui vero illi communicare præſumſerint, pari ſubjaceant excommunicatione conſtricti.

### CAPUT VII.

*Quia Dominus Jeſus Chriſtus carne tantummodo paſſus eſt.*

Veraciter quidem credendum eſt, & omnimodis profitendum, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Deus, & Dei filius paſſionem Crucis tantummodo ſecundum carnem ſuſtinuit, Deitate autem impaſſibilis manſit, ut Apoſtolica docet authoritas, & ſanctorum Patrum luculentiſſime doctrina oſtendit.

### CAPUT VIII.

*De his qui Divinitatem paſſibilem dicunt.*

Hi autem, qui ajunt, quia Redemptor noſter Jeſus Chriſtus & Dei filius paſſionem Crucis ſecundum Deitatem ſuſtinuit, quoniam impium eſt, & catholicis mentibus execrabile, anathema ſint.

### CAPUT IX.

*De his, qui dicunt, quia in baptiſmate originale piaculum non omnibus dimittatur.*

Omnibus enim, qui dicunt, quod hi, qui ſacroſancti fonte baptiſmatis, credentes in Patrem, & Filium, ſanctumque Spiritum, renaſcuntur, non æqualiter originali abluantur delicto, anathema ſit.

### CAPUT X.

*Statuta Concilii beatiſſimi Leonis IV. Papæ inviolata permaneant.*

Omnis enim, qui a præſenti ſtatuto Concilio ſacra ſtatuta venerandi Concilii beatiſſimi Leonis [a] prædeceſſoris noſtri IV. Præſulis violare tentaverit, ut poſt diſceſſum beatæ memoriæ ſanctiſſimi Benedicti Pontificis anteceſſoris noſtri actum recolimus, anathematis vinculo innodamus.

CA-

## CAPUT XI.

*Ut Electionem Romani Pontificis nullus contradicere præſumat.*

Si quis Sacerdotibus [1], ſeu Primatibus, Nobilibus, ſeu cuncto Clero hujus ſanctæ Romanæ eccleſiæ electionem Romani Pontificis contradicere præſumſerit, ſicut in Concilio beatiſſimi Stephani [4] Papæ ſtatutum eſt, anathema ſit.

## CAPUT XII.

*De his qui Epiſcopum percutere præſumpſerit.*

De his autem, qui Epiſcopum percutere, verberare, aut cædere præſumſerint, ut anathematis ſubjaceant periculo, ſancimus, & inviolabili promulgatione ſtatuimus.

*Explicit Concilium Beatiſſimi Nicolai Papæ.*

### NOTÆ.

(1) Ignotus fuit Epiſcopus iſte Ughellio, ac proinde A in Italia ſacta adjungendus Catalogo Polenſium epiſcoporum.

(2) Cujus Concilium ab Holſtenio editum rurſus in ſuam Collectionem intulit Labbeus Tom. IV.

(3) Ad quos eo tempore ſpectaret electio Romani Pontificis, animadverte.

(4) Gratianus c. 8. diſt. 33. Decretum Stephani IV. Papæ, quem alii V. appellant, refert, ubi ſtatuitur, quæ ratio adhibenda in poſterum foret in electione Romani Pontificis. Atqui Baronius, Binius, Papebrochius, Natalis Alexander, aliique Catholici, figmentum hoc & impoſturam putarunt hominum impenſe faventium auctoritati Imperatorum, quo tempore fervebant bella inter ſacerdotium & Imperium. Contra Pagius in Crit. Baron. ad an. 897. germanum fœtum eſſe Decretum illud contendit, non quidem Stephani IV. qui anno 817. vivere deſiit, ſed Stephani V. appellati VI. qui anno 896. Papa electus eſt. Verum Acta Concilii Romani B nunc mihi evulganda famoſam hujuſmodi controverſiam dirimere poſſe videntur. En ut Nicolaus I. de electione Romani Pontificis agens, ac turbas in ea exoriri ſolitas eliminare cupiens, confirmat, & obſervandum decernit, quidquid in Concilio beatiſſimi Stephani Papæ ſtatutum eſt. Ergo decretum Stephani proculdubio IV. eam in rem præceſſerat. Hoc autem vix aliud eſſe potuerit, quam quod Gratiano laudatur; cui tamen ſi velis aliquid ſuperadditum a ſubſequutis Pontificibus non repugnabo. In Concilio quoque Romano habito ſub Lamberto Imperatore, atque adeo non anno 904. ut putavit Baronius, & poſt eum Labbeus Tom. IX. Collect. Concilior. ſed quidem anno 898. roboratur *antiqua conſuetudo* obſervata in electione Pontificis. *Si antiqua* tunc erat *conſuetudo*, ergo ad tempora uſque Stephani IV. Papæ illius initia non immerito deducantur.

# FINIS TOMI DECIMI.

OVIEDO